Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

North Side

Case 3. Shelf 1. No 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

172/D/2
vol 6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

172 (vi)
D/2 vol 6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

AMPLISSIMO
ET AVGVSTISSIMO
SALISBVRGEN. ECCLESIÆ
ARCHIEPISCOPO ET PRINCIPI
PARIDI LODRONIO
COMITI
SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO.

NOBILISSIMI, atque doctissimi Viri Vlyssis Aldrouandi absolutissima hæc de Quadrupedibus Bisulcis historia, nobilissimum simul, ac doctissimum Principem expetebat, vt illa, ob Argumenti præstantiam, cæteris eiusdem Auctoris Operibus iam editis nihilo inferior, non inferiorem Patroni auctoritatem inueniret. Illud mihi animo meditanti, tu Augustissime Princeps occurristi, cuius comitas, morum suauitas, castimonia, ac, supra iuuenilem ætatem, prudentia, Ciuitati Bononiæ, dum per biennium in Collegio Nobilium fuisti, clarè adeo effulsit, vt te, non modo ad istam dignitatem, sed ad maiorem etiam à Natura genitum iudicauerit, quæ gloriosum sibi valde ducit, quod duos Antistites, è suo contubernio ad Amplissimam istam sedem, continuato honore, dederit, Celsitudiniq; tuæ, famæ augumentum, ac supremos apices auguratur, vt ibi tandem domineris, vnde Nobilissima gens tua originem trahit: cuius primus Parens, quam longè recolitur memoria, patricia, Romæ, dignitate, ex Idolatriæ tenebris, ad Euangelij lucem emersit, eaq; de causa, à sæuiente in primos Christianos Nerone proscriptus, Brixiam fortunarum suarum sedem elegit, moxq; in Rhetico tractu, Castrum Romanum, quod prius Lodronium appellabant, erexit: ex hac Prosapia inuictus, & longus Nepotum ordo, nihil interrupta serie, processit: nec ego, quod est notissimum

ſimum recenſeo, ſed apices ſecuturus, clariſsimos, recentiori memoria, nobiliſsimi ſtemmatis iſtius viros, nec omnes, ex veræ virtutis ſpecula diſpiciam. Paris, apud vicinos in amore, apud hoſtes in terrore habitus, hæredes reliquit Petrum, & Georgium, qui, auito Patrimonio, eoq; ampliſsimo, quattuor oppida adiecere, ac ſub annum 1442. Sacri Romani Imperij Comites renunciati fuere. Ludouicus de Chriſtiana Republica optime meritus, germanicarum copiarum, pro Ferdinando Romanorum Rege in Hungaria ductor, in funeſto illo Chriſtianorum ab Exechio receptu, ſummo Duce exercitum deſerente, ſe, velut piacularem victimam, Turcarum ſæuitie, inuicto animo obiecit, vt quos viuus, fortuna aduerſante, non poſſet, fortiſsimè cadens ſuperaret, namq; turmarum quæ ſubſtiterant Imperator ſalutatus, equo deſiliens, vt gregarij militis petulantiæ obuiam iret, ſuos ad pugnam adhortatus, victoriam diu ancipitem fecit, cùm tandem, poſt multam inimicorum internecionem, quaſi mortem ſibi imminentem vindicaturus, perijt, nec tamen interijt; Illius .n. caput, quaſi Victoriæ trophæum, Conſtantinopolim Solimano delatum, ſe victum, de victore triumphum reportaſſe, loquaci ſilentio clamabat. Ex eadem gente Ioannes Baptiſta, inuictiſsimo Carolo Quinto à ſacro Cubiculo, bello Germanico, eiuſdem Cæſaris auſpicijs Præfectus, tranſlato in Inſubriam bello, acerrimè rem gerens, ad Caſalem eſt interemptus, cuius non fortunarum modo, ſed virtutis hæres Albericus, bello Belgico inclytus, Meſſanæ in Sicilia, extremum diem clauſit. Hieronymus, cognomento Aenobarbus varios à rebus geſtis titulos ſibi parauit. alter Hieronymus, in Belgio, Inſubria, Luſitaniaq; diutina ſtipendia meritus, ob inſignem fortitudinis bellicæ commendationem, Doriphoris Catholicæ Maieſtatis Præpoſitus. Gaſpar Aulæ Præfectus, Maximiliani Auguſti ſecretorum etiam conſcius, multiſq; Legationibus præſtantiſsimè obitis celebratus. Frater huic Paris, qui bello Alemanico, contra Chriſtianæ Religionis hoſtes ſuſcepto, egregiam Carolo Quinto operam nauauit, cuius probitas adeo ſublimis, fides adeo inculpata, vt Maximilianus filios ſuos Rudolphum, qui poſtea ei in Imperio ſucceſsit, & Erneſtum Archiducem in Hiſpaniam proficiſcentes illius curæ commiſerit, cum titulo Cubicularij maximi: Ille, obſequij gloria in ſuos Principes nemini ſecundus, ſuſcepit Nicolaum Celſitudinis tuæ Parentem, qui, ephebus, Sereniſsimis Auſtriæ Principibus ab auro potorio fuit, Tyrolenſis comitatus deinde Proconſul, mox, creſcente ætate, honorum incrementa adeptus, expeditionibus Inſubrica, Luſitanica, Geneuenſi ita ſe geſſit, vt immortalem famam apud Hiſtoricos Hiſpanos ſit conſecutus; tandem duplicis Germanorum Legionis, à Philippo Tertio, Tribunus nominatus, ſuæ virtutis præmium à maximi Principis iudicio recepit, cui, adhuc Superſtiti, maiora in dies, ipſa merita pollicentur. At ego, calamum ad aliorum, qui in iſta familia maximè claruerunt, Laudes currentem comprimo, ne hiſtoriam videar contexiſſe, ſed ingentium virtutum admirator, ac tanti ſplendoris intuitu, oculorum acie hebetatus, vt noctua ad Solem, caliginem, quibuſdam veluti radijs emiſsis, diſcutio, & Salisburgenſem Eccleſiam tibi traditam, animo gratulor, quæ ſi Antiſtites, genere, & virtute

nobi-

nobilissimos semper habuit, ijs Celsitudinem tuam nihilo inferiorem, anteacta vita promittit: &, lubens quidem, Amplissime Præsul acta tua præclarissimè gesta intueor: primùm Metropolitæ istius Sedis Canonicum te video tum Præpositum, mox, gliscente in immensum honore, Cubicularium maximum, Cameræ, vt vocant Præsidem secretiori Principum prædecessorum consilio admissum; exinde ad Pontificem, Cæsarem, ac Bauariæ Ducem Legationibus perfunctum, & cum Mandatis de rebus planè arduis destinatum: quæ tamen omnia, licet impetratu non obuia, à summa tua prudentia, ac singulari dexteritate feliciter confecta, in causa fuere, cur Nobilissimus iste, simul & sapientissimus Canonicorum cœtus te, tantis muneribus functum, Archiepiscopatus honore insigniret. Eo dignitatum numero Augustissime Princeps auctus, ne dedigneris me tenuem Celsitudinis tuæ clientem aliquod clientelæ Donarium, meritorum, ac virtutis tuæ Fano æternum, Aldrouando conciliatore, consecrare; quod si impetrauero, vt humiliter rogo, maximum laboris mei præmium tulisse arbitrabor. Vale magnum Ecclesiæ columen, ac diù felicissimus vale. Bononiæ Kalendis Aprilis 1621.

Celsitudinis Tuæ

Humilissimus seruus, & cliens.

Hieronymus Tamburinus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D.

PARIDEM LODRONIVM COMITEM ARCHIEPISCOPVM; & Principem Salisburgensem.

D. CAMILLI GONZAGÆ MARCH. & sacri Romani Imperij Principis. Collegij Nobilium Bononiæ.

Accipe FELSINEAE tibi debita munera laudis,
Tu quoq; FELSINAE I splendor, Honorq. Laris.
Nostra tuæ quondam Musæa addicta Mineruæ
Optabant meritis talia ferre tuis.
Annuit optatis doctrina clarus VLYSSES,
Ingenio Mundum mensus vtrumq; suo:
Hic est, Oceanum qui nullo errore per amplum
Errauit, terras vidit, iterq; Poli.
Tu tamen Ille es, quo nos exultamus alumno;
Quem cultu insignem sacra tiara facit.
QVADRVPEDVM Liber hic genus exhibet omne ferarum,
Quas mitescentes vngula secta notat.
Hinc Tu noris, oues, quibus optima pascua præstas,
Hanc quoq; in humana ducere mente notam.
Hinc pariter concepta tibi Nos vota canemus;
Det ventura citò prospera verba Deus.
Vt genus omne ouium, libro Ille expreßit in isto;
Sic Tu supremus Pastor in orbe regas.

IN

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

IN EVNDEM

D. Galeoti Pici Principis Mirandulani. Coll. Nobil.

MVSARVM in gremio excoluit Te FELSINA quondam:
Et Puero Nutrix lactea dona dedit.
Nunc meritis, ostroq; grauem veneratur Alumnum;
Doctaq; fert docto munera docta Viro.
Naturæ Liber interpres miracula pandit
Beluarum; nostrum pandat, & obsequium.
Hoc numerosa tenet, ceu saltum, Belua volumen:
Venatum huc, Princeps, si libet, ire potes.
Nil opus est ferro, cursu, clamore, plagisve;
Præda tuos supplex accidit ante pedes.
Tu, Princeps, turbam ne dedignare precantem;
Te nanq; in Beluis FELSINA tota colit.

IN EVNDEM

Co. Io. Pauli Pepuli Bononiensis. Coll. Nobil.

NON iam FELSINEO Graius contendat VLYSSES:
Astra super victrix, FELSINA, tolle caput.
Versare ille dolos mendax, & fallere doctus:
Hic quæcunq; docet, non nisi vera docet.
Ille diu victor terris iactatus, & alto:
Maior hic inuidiæ non vada cæca timet.
Illum Mæonius celebrauit carmine Vates:
Hic, DEMPSTERE, tua clarior arte nitet.
Ille hominum mores multorum vidit, & Vrbes:
Non vagus, in Patria, plus videt iste sua.
Alcinoi hospitio iactat se naufragus ille:
Nimirum hæc nostro gloria sola deest;
At tu si læto, LODRONI, exceperis ore,
Nil erit hic Grai conditione minor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

IN EVNDEM

Io. Francisci Maurocœni Patricij Veneti. Coll. Nobil.

NOBILIVM cœtus, sophiæ quem FELSINA nutrit,
Te puerum gaudet continuisse sinu:
Hìc, lac exsuxit tua virtus, inclite Princeps,
Quæ iam grandæuo robore firma viget:
Hanc dignam meritis laudem si forte recusas,
Virtuti faciet Bellua prona fidem.

IN EVNDEM

Comitis Borsij S. Bonifacij Patauini. Coll. Nobil.

ILLVSTREM fœtum tibi Tellus Itala mittit,
Qui gremium, Princeps, gestit adire tuum.
Lactis odor niuei, tua quod clementia fundit,
Prolem in distantem pertrahit vsque sinum.
Laus est rara; tuis properant quod & extera pendent
Ingenia, ò diues Pastor, ab vberibus.

IN EVNDEM

Comitis Francisci à Puteo Taurinensis. Coll. Nobil.

DOCTAM ALDROVANDVS sobolem conceperat; illi,
Atq; huic sed duram fata dedere necem.
Suscitat extinctos THOMAS, clarissime Præsul,
Vt sub te longos viuat vterq; dies.
Ergo foue, serua; doctum ne despice munus:
Rem facere, & factam par retinere decus.

IN EVNDEM

Comitis Francisci Pepuli Bononiensis. Coll. Nobil.

DISSIMILIS natura Feris, incultaq; libro;
At simili quæuis Te colit obsequio.
Ora sonant, audin? vario discordia cantu:
Omnibus in laudes vox tamen vna tuam.
Viue diu, Princeps, crescit tua fama per Orbem:
Quid faciant homines, si coluere Feræ?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

IN EVNDEM

Comitis Francisci Riccij Ferrariensis. Coll. Nobil.

ACCIPE iucundo, quæ dat Tibi FELSINA vultu,
Munera; sunt animi tot monimenta sui.
Te, memor, his magnum donis veneratur Alumnum,
Et mentem, & munus sacrat, & officium.
Accipe: quot laudes, Princeps, virtute mereris,
Tot Tibi doctrinæ grata rependit opes.

IN EVNDEM

Thomæ Tamburini Bononiensis.

ABLATAM thalamis, Patriam deduxit in Vrbem
Priamides Helen. Præda cruenta nimis.
Tu PARIS, Iliaci renouasti furta, sed arte
Tuta, Palladias depopulatus opes.
Retulit ille neces pro furto; munera, sed tu
Pallade pro rapta FELSINA ab Vrbe refers.

Ad Hieronymum Tamburinum.

MELLIFLVVM gratatur opus tibi clara iuuentus;
Doctaq. Nobilibus spargere mella fauis;
Hæc PARIDI sophiæ sacras dum mella: viretis
Sedula, qui in nostris dulcia legit apis.
Libarent auidis sophiæ, vt meliora labellis,
Haud alio poteras credere mella fauo:

Collegium Nobilium Bononiensi.

Istud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Istud Volumen de Quadrupedibus Bisulcis Excellentissimi, & celeberrimi Vlyssis Aldrouandi, vidi Ego Don Marcellus Baldassinus Clericus regularis Congregationis S. Pauli, & Rector sacræ Pœnitentiariæ Cathedralis, atque pro Archiepiscopali Curia Bononiensi reuisor deputatus; Et quod nihil contra sanctæ fidei dogmata, vel probatos mores, aut sacri Indicis regulas contineret, & non paruam vtilitatem Viris studiosis allaturum esset, vt typis mandaretur approbaui.

Idem qui supra Don Marcellus Baldassinus.

Volumen hoc Excellentissimi D. Vlyssis Aldrouandi de Quadrupedibus Bisulcis vidi maxima cura, ac diligentia elaboratum, ac fabricatum; & quia inde animaduerti non paruam studiosos percepturos esse vtilitatem, neq; in eo reperiri, quod sit contra Regulas Pontificij Indicis, ideo typis mandari posse censui.

Imprimatur ergò.

Ego Fr. Hieronymus Onuphrius, Theologus Bononiæ Collegiatus, atq; ibidem Lector publicus, ac sac. Inquisit. Consultor, pro Reuerendiss. P. Inquis. Bonon.

Summa Priuilegij S. Cæsareæ Maiestatis.

Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis cautum est, ne quis aliquam historiarum Vlyssis Aldrouandi Bonon. quæ agunt de animalibus, & per consequens, etiam de Quadrupedibus Bisulcis, in toto, vel in parte absq; voluntate, & proprio authoris, aut eius hęredum consensu, intra decennium, à die quo absolutum fuerit volumen inchoandum, recudat, aut alibi recusam vendat, sub pœna, quotiescunque deprehensus fuerit, priuationis omnium librorum, & decem marcharum auri puri, prout latiùs patet in dyplomate Cæsareo dato in arce regia Pragæ, die prima Aprilis, anno millesimo quingentesimo nonagesimo nono.

Rodulphus Imperator.

Rodulphus Coradutius.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium
Io. Barnitius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

LECTORI MEO.

THOMAS DEMPSTERVS
humaniorum litterarum in Archigymnasio Bononiensi Professor primarius.

INTER ea humanitatis, & honorificentiæ argumenta quibus Illustrissimus Senatus Bononiensis me affecit; istud non vltimo loco reposuerim, quod cum Ioannes Cornelius Vteruerius Belga designatus fuisset custodiæ inæstimabilis illius Thesauri, aut, vt verius dicam, Sacrarij θαυματοφυλακίυ, quod æternæ famæ Vlysses Aldrouandus S. P. Q. B. legarat, è viuis decessisset, curam perficiendi tam digni operis mihi demandarit. Et quid ni inter clarissimos ingenij mei labores hoc reputem? nam siue opus ipsum spectetur, variam eruditionem desiderat, nec perfunctoriè tractandum erat, siue Vteruerij merita reputo, ingentia sunt: ille enim vir omnibus scientijs instructissimus, &, vt verè dicam, SINE REPREHENSIONE NON SINE INVIDIA, siue maximi Senatus honoratissimum Calculum æstimo, æstimari non potest, me peregrinum ad tantum dignitatis assumptum, & si verum est GRATISSIMVM esse ETIAM IN MINORIBVS REBVS GRAVISSIMI PRINCIPIS IVDICIVM CONSEQVI, quantò gratius esse debet in re tam ardua non vnius Principis, sed totius Senatus prudentissimi suffragia consecutum, sed quod culmen est VLYSSI ALDROVANDO, in partem curarum adscitum quis non sibi honorificum ducat? cuius audito nomine percipitur quicquid magni aut excelsi, aut nobilitas, aut literatura præfert, generis quippe splendor, ac Senatorius sanguis paucos pares, nullos superiores habebat: Literatura verò supra fidem, nam vt cætera taceantur, quis indefessam industriam, tàm variam lectionem, tàm accuratas obseruationes, tàm acre iudicium, tàm inconniuentes oculos, tàm firmam manum, aut in alio vnquam vidit? aut in illo satis potest admirari? qui non quemlibet ex vetustis scriptorem numero librorum à se compositorum, & dignitate operum superauit, sed et naturæ ipsius latifundia extentis ingenij, & studij terminis adæquauit, &, vt semel dicam, fuisse perhibetur

Censorin. cap.5. *Plin. lib.4. epist.8.*

PIVS, IVSTVS, VERVS, REPREHENSIONIS EXPERS.

Sileant ergo Ægyptij, nec Ædesium suum iactent, nec Tiberius princeps Cymbalum mundi suum illum alumnum vocet, Nec Heliopolitæ Acamathum suum extollant, & Augustus Cæsar parcat, tàm immodicè Arium honoribus decorare, nihil hic sibi vindicat Cardianus, nec Timæus Tauromænita, nec Potamon licet eruditum laudet impotens Princeps: audacter dixero, fabula est quicquid in isto studiorum genere prisci, aut recentiores attigerunt, & præ illo sordet, vt non minus ille omnem omnium doctorum Genium imbibisse, & veluti in naturam transfudisse suam censeatur quam ἑξακοντάλιθον gemma sexaginta aliarum virtutes complectitur. Cum istius tanti viri fama superstite, & gloria nunquam moritura nomen meum esse coniunctum, quis non videt quam sit honorificum? dedi operam, & si Bibliotheca illius exclusus, ne tanto fauentissimi Senatus iudicio indignus viderer, nec ego sanè ἀγεροχοὺς, aut eos quos contumeliæ notos fecerunt vllatenus curo, præstiti quod potui, immortalis ALDROVANDI vestigijs inhæsi, prudentissimo Senatui morem gessi, si tibi placui, voto & muneri meo satis est. VALE. A tuo.

Tzetzes Chiliad.2. cap.64. *Solin. c 34.* *Tzet. Chiliad.9.c.57*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI, ET PATRITII BONONIEN. IN LIBROS DE QVADRVPEDIBVS BISVLCIS PROLEGOMENA.

DE solipedis (τοῖς μώνυχοις) integro iam volumine actum est. Hisce Aristoteles τὰ διχηλὰ opponit, quorum pedes in binas finduntur vngulas, quare & διχηλῆ vocantur, quasi bifida, aut bipartita: Latini simili ratione significanter bisulca dicunt, quamuis nonnunquam latiùs hæc vox sumatur, pro omni videlicet eo, quod in duas diuisum est cuspides, quo modo bisulcam caudam Plinius, bisulcos arborum ramos Columella, bisulcam linguam Plautus dixit. *Bifida quæ. Bisulca.* Hoc autem quadrupedum genus vngulam propriè diuidere in sacris biblijs legimus: nam licet multifida, vt lepus, canis, leo, & id genus alia pedes in digitos habeant scissos, non dicuntur tamen vngulam diuidere, quin ne camelus quidem, quem alioqui Aristoteles inter bisulca recensuit, quoniam non eo quo boues, oues & capræ, modo, vngulæ eius diuiduntur. *Vngulā quæ diuidant.* Bisulcorum duo reperio genera, aquaticum vnum, terrestre alterum. Ex aquatilibus solum hucusq; noui hippopotamum. Terrestrium alia armantur cornibus, alia cornibus carent. Cornigera omnia ruminant: ex non cornutis solus camelus. *Bisulcorum genera quot. Quæ animalia ruminēt.* Si igitur de ruminatione, & de cornibus, ne eadem sæpius repetere cogamur, quædam præfatus fuero, nemo puto, vitio vertet. Est autem ruminare deglutitum semel pabulũ, mox ad os regurgitare, quod Apuleius rumigare vocauit, Plinius & Quintilianus remãdere, Græci μηρυκάζειν, vel μηρυκᾶν, παρὰ τὸ μηρύειν, quod est reuoluere, vnde & latini nonnulli ruminationem non à loco, ad quem cibus reuoluitur, sed à quo sursum ad os repellitur, dixisse videntur, nimirum à rumine, quod vt ait Festus, locus est in ventre, quò cibus demittitur, & vnde redditur: & per translationem pro ipso etiam sumitur ventriculo: Hinc illud Pomponij in Prostibulo, vt idem Nonius citat: *Ego rumorem paruifacio, dum sit rumen qui impleat*: è contrario Seruius ruminationem à ruma deducit, quam ait eminentiorem colli partem esse; ad quam demissus cibus à certis reuocatur animalibus: *Ruminatio vnde dicta. Rumē quid. Ruma quid.* & ab eo non dissentit Festus, cùm rumare antiquos dixisse ait pro ruminare, & cùm ruma à veteribus diceretur mamma, à qua hodieque subrumi dicuntur agni, hoc est, qui adhuc, vt Perottus loquitur, sub mamma habentur: *Rumare qd.* ita pariter rumẽ ipsa vocabatur mãma, vt clarissimè docet nos Plinius, dum inquit: *Colitur ficus arbor in foro ac comitio Romæ nata, sacra fulgoribus ibi conditis: magisq; ob memoriam eius, quæ nutrix fuit Romuli, ac Remi conditoris appellata, quoniam sub ea inuenta est lupa infantibus præbens rumen: ita enim vocabant mammam.* *lib. 15. c. 18.* Qua de causa ipsa quoque ficus rumula fuit appellata: Ouidius id testatur in Fastis: *Ficus rumula.*

Arbor erat, remanent vestigia, quæque vocatur
Rómula nunc ficus, rumula ficus erat.

Hinc Rumina siue Rumia dea, quæ lactentibus pueris præsidebat, dicta est, & ruminus Iupiter, *Rumina dea*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ruminus Iupiter. *Rumis. lib. 2.*

quòd animalia ruma ſiue rumice aleret. Sed & irrumare pro lactare apud veteres habemus, quaſi rumam in os inſerere, quod verbum poſtmodum in fœdæ libidinis ſignificationem eſt translatum. Appellatur hæc eadem pars rumis: teſtis eſt Varro de lingua Latina. *Antiquo* (inquit) *vocabulo mamma dicebatur rumis, vnde dicuntur ſubrumi agni lactentes*: necnon frumen, vt Seruius annotauit his verbis: *Frumen eminens ſub mento gutturis pars: laringem Græci vocant; latini & Celſus fauces*.

Frumen. lib. 5. Var. lect. cap. 13. Lib. 7. cōtra gentes. *Ruminationis neceſsitas.*

Arbitratur Hieronymus Mercurialis ruminandi vocabulum ab erumnis potuiſſe manare, quando Arnobius ſcribit, *erumnas eſſe prima in gurgulionibus capita*: ego tamen à rumine potius, aut à ruma ideſt mamma deduxerim: cum enim ruminant quadrupedes, ſugere quodammodo videntur. Eſt autem ruminatio iſtiuſmodi animantibus apprimè vtilis ac neceſſaria, propterea quòd cùm pabulo veſcantur duriore, id more aliorum primo conterere læuigareque nequeunt, ob ſuperioris mandibulæ dentium inopiam: & quia inferiores etiam minimè habent ſerratos: quamobrem rudi primùm ea & leui quadam inciſione fracta & comminuta obliguriunt, quæ tepida quadam humiditate imbibita in prima alui cauitate molliora redduntur, atque mox ad fauces teneriora repulſa melius attenuantur, (perinde ac ſenibus contingere ſolet, qui cùm & ipſi dentium laborent inopia, panem priuſquam ori admouent, vino alioue conſpergunt humore, atque eo emollitum modo, calloſis ſuis ſubinde gingiuis nullo propemodum negocio conterunt, vnde ſenes ruminare circumfertur.)

Ventres plures pro dentibus. Lib. 6. c. 3. *lib. 3. de par. c. 14.* *Cameli dētes, & ventres.*

Dentium enim defectum, ventrium multitudine ſagaciſſima natura compenſauit, ſicuti nos monuit Galenus in opere de anatomicis adminiſtrationibus, vbi ait; Animal quod ſuperiores dentes non habet, ventriculos neceſſario plures habere, vt in primum ſtatim pabulum ingerat, mox ex hoc ruminans ore conficiat, dein rurſus in alium ventrem deglutiat, ex hoc rurſus in alium transferat. Docuit id quoque Ariſtoteles, vbi ex profeſſo de ventris diuerſitatibus agit & partium eodem pertinentiū. Ventres (inquit) nec magnitudine, neque ſpecie ſimul ſimiles inter ſe ſunt: ſed quæ in ſanguineo genere vtrinque dentata, & viuipera ſunt, hæc ſimplicem habent vētrem, vt homo, canis, leo & reliqua quorum pedes in plures digitos ſinduntur, & quæ aut ſolipeda ſunt, vt equus, mulus, aſinus, aut biſulca quidem, ſed vtraque parte dentata, vt ſus, niſi aliqua præ ſui corporis magnitudine, aut difficultate cibi non ad concoctionem idonei, ſed ſpinoſi & lignei, multiplicem habeant, vt camelus; quemadmodum cornigera habent; quippe quæ non vtraque parte dentata ſunt, & camelus quidem (quanquam cornibus caret) ideo non ſupernè dentata eſt, quòd ei magis neceſſarium eſt, ventrem talem habere, quàm dentes priores. Cùm itaque ventrem ſimilem non vtrinque dentatis habeat, dentes etiam ſimili modo ſortitur, vtpote parum neceſſarios. Quin etiam cùm cibus durus ſpinoſuſq; ſit, natura dentium portione terrena ad palati callum atque duritiam abuſa eſt. Habent hæc ſingula plures ventres, vt ouis, capra, ceruus & ſimilia, vt cùm officium oris non ſatis in molendo cibo adhibetur propter inopiam dentium, munus ventriū expleat, dum alius ab alio cibum recipit, ſcilicet primus inconfectum, ſecundus aliquantulum confectum, tertius plenius, quartus perquā plenè confectum. Ita fit vt genus hoc animalium receptacula cibi habeat plura, quibus nomina hæc aut indita ſunt, aut indere licet, κοιλία, κεκρύφαλος, ἐχῖνος, ἤνυστρον, ideſt, venter, araneum ſiue reticulum, omaſum & abomaſum.

Ventrium nomina, & deſcriptio. lib. 2. Hiſt. vlt.

Hoſce eoſdem ventres idem philoſophus ſic depinxit: Quadrupedes viuiperæ, cornigeræ, altera maxilla dentatæ quaternos eiuſmodi habent ſinus, quæ quidem & ruminare dicuntur: gula enim incipiens ab ore deorſum tēdit ad pulmonem ſeptumque tranſuerſum: hinc ſe ad ventrem applicat maiorem, qui parte interiore aſper interceptuſque eſt, ac prope gulæ cōmiſſuram ſinum ſibi adnexum habet, quem ex argumento reticulum appellant. Eſt enim ventri ſimilis extrinſecus, intus reticulis mulierum implexis, magnitudine multò quàm venter maior. Hunc excipit omaſum parte interiore aſperum, cancellatum, cruſtatum, magnitudine reticuli. Abomaſum venter ab eo alius iungitur, magnitudine amplior omaſo, forma oblongior, cancellis intus, & cruſtis multis, magnis & leuibus informatus, mox inteſtinum conſequitur. Cornigera altera maxilla dentata omnia ad hunc modum, ſuum habere ventrem, certum eſt. Hæc omnia ille.

Ventrium vſus, & qualitas. *Vētres cur circulares.*

Primus itaque venter magnitudine atque capacitate reliquos ſuperat, vt ruminantia maiorem pabuli copiā deglutire poſſent, & tanquam in penario loco reconditum reſeruare, ac mox maiori ocio regurgitando remandere ſiue ruminare. Quartus inteſtini inſtar oblongus eſt, cùm cæteri conglobati ac rotondiores exiſtant, cæterùm in medio extuberat. Natura autem priores omnes circulares fecit, quoniam præ cæteris capaciſſima eſt iſtiuſmodi figura. Debebant enim pabuli plurimum recipere. Primus & ſecundus pabuli ſinus extremitati œſophagi finitimi ſunt, ille quidem vt cibos ruditer cōmanſos, hic verò vt remanſos reciperet, ne tum attenuati pabuli, tum rudis inutilis permiſtio confuſioque fieret. In prima alui cauitate rudis adhuc eſca cernitur, quin & feſtucæ & vix lacerati ſurculi. In ſecundo autem ſinu amplius conficitur cibus, & magis adhuc in tertio elaboratur, vt in nouiſſimo tandem concoctio abſoluatur: vbi nempe in chylum ſiue cremorem lacteum abit. Omnium item interior tunica dura eſt, durior tamen omnium prioris ventriculi, qui ſcabra & aſpera alimenta reci-

pit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Palatum cur asperum.

pit. Hæc præ ceteris etiam est aspera, ne si lubrica esset, istiusmodi rudis cibus in sequentem prolaberetur. Sed & palatum similiter durum est & asperum, idque duplicem ob finem, cum scilicet quem iam primo ventri assignauimus; (Cum enim pronè pascantur istiusmodi animantes & primoribus superioris maxillæ dentibus sint destitutæ, osque molli membrana vestitum habeant, pabulũ nullo negocio ex ore lubrico elaberetur.) tum ad faciliorem durioris pabuli contritionem. Quid enim inferiores dentes soli facerent? Vidit hunc alterum naturæ finem Galenus loco nuperrimè citato: Sed non (inquit) quia cornigera sunt, ideo plures habent ventriculos, vel ruminant: quia autem durum spinosumque cibum assumunt, non indigent dentibus superioribus, quippe & camelus, quanquam cornibus careat, tamen & ruminat, & multos habet ventres, quoniam spinosum ligneũque alimentum depascitur. Huius autem gratia interior quoque oris membrana ex toto aspera est, & ea quæ ventribus obducta est, similiter. Non est autem solummodo aspera istiusmodi tunica, verum vt ex Aristotele paulò ante dicebamus, dura & callosa. Ad hæc, tria in eodem Galeno obseruo: primùm dum ait, *non quia cornigera sunt, ideo plures habent ventriculos & ruminant*; cùm certum sit quia cornigera sunt, tot ventres habere, atque ruminare, nam dentium materia abit in cornua, quod docuit ipse Aristoteles his verbis: Cæteris animalibus quibus hæc materia non in cornua secedit, aut dentium ipsorum magnitudinem communi omnium incremento natura auxit, aut dentes exertos, veluti cornua, è maxillis produxit. Noto secundò, quod inquit: *non indigent dentibus superioribus, quia cibum durum spinosumq́; assumunt*: Quo enim durius asperiusque pabulum est, eò non solũ magis egent dentibus, sed & validissimis: tertiò eundem interni ventris asperitati vsum tribuit, quẽ asperitati palati, cùm huic duplex sit vsus, retinendi scilicet alimentum, ne elabatur, & conterendi. Vnde viri docti Galeni codicem deprauatum esse arbitrantur; cæterùm eam tantùm partem restituunt, quæ de dentibus agit. Ioannes Aemilianus Ferrariensis in sua naturali de ruminantibus historia arbitratur, particulum οὐ negatiuam deprauatè legi pro cupulatiua καὶ, nimirum sic: ἀλλ' οὐ διότι κεράσφορα, διὰ τοῦτο πλείονας ἔχει γαστέρας, ἢ μηρυκάζει, ἀλλὰ τῷ φρυγανώδη διεσθίειν τροφὴν, καὶ δεῖσθαι τῶν ἄνωθεν ὀδόντων, idest: Sed non quia cornua gerunt, ideo plures ventres habent, vel ruminant, at quia cibo aspero duroque vescuntur, ac superioribus dentibus carent. Quam restitutionem sequitur Mercurialis, dissimulato tamen Aemiliani nomine. Negat verò etiam Mercurialis omnia hisce dentibus priuata animalia duro esse palato (contra Auerroem quem nos secuti sumus) argumẽto, quod in istiusmodi cornigeris materia in cornibus fabricandis, ita cõsumpta sit, vt non semper palato & linguæ durandis sufficere queat. Sed producendum erat aliquod animal cornutum, cui molle sit palatum. Reddit idem Auerroes, rationes, cur quatuor natura fecerit ventres, non autem plures aut pauciores, illas scilicet, quæ ferè à nobis declaratæ sunt. Quod plures sint dati (inquit) fuit causa, priuatio dentium, cibi durities, concoquendi imbecillitas, longa distantia, & magna cibi ad membra nutrienda dissimilitudo, ita vt pluribus opus sit transmutationibus. Quod verò quatuor, nec plures paucioresvè, hanc causam existimat esse idem philosophus, vt nempe primus venter cibũ inconcoctum reciperet, quod est velut horreum, nihilque ferè in illum operaretur, alij verò tres conficerent, eos verò etiam tres datos, quoniam ita naturæ commodum fuit. Nam tria habent duo extrema, atque medium, primus incipit cibum conficere, medius in cibum mediocriter operatur, tertius ipsum perficit. Iam verò Aristoteles alicubi non omnibus cornigeris, vna tantum parte dentatis ruminationem conuenire testatur, sed domesticis duntaxat. Rumināt (inquit) quæ superiore dentium ordine carent, vt boues, oues, capræ. Ex feris nullum adhuc ruminare constat, præterquam ea quæ aliquando cum hominibus exigunt, vt ceruus: hunc enim ruminare planum est. Quem locum à Plinio negligenter redditum Pierius arbitratur, cum ita habeat: *Ruminant præter iam dicta syluestrium cerui, cùm à nobis aluntur*: quasi verò (inquit ille) cicuratio sit ruminationis causa. Sed enim, vt reor, vel aliquid deest, vel quod adduci non possum, Aristotelem non expresssit, qui eo probat argumento ceruos ruminare, quia idem faciunt alti à nobis. Aliter etiam quàm Plinius, declarat eundem Aristotelis locum Albertus in octauo de animalibus, cùm ait: Nullum autem animal agreste ruminare videtur, nisi creentur ad figuram alicuius domestici ruminantis, præter solum ceruum, & ea quæ sunt similia ceruo, sicut capreolus, & equiceruus. Rursus quod vna tantùm parte dentatis ruminatio propria sit, haud vniuersaliter verum est, sunt enim nonnulla quæ vtrinq; dentata cùm sint, ruminant tamen, vt scarus inter pisces, inter quadrupedes mus Ponticus, vt refert Aristoteles, & ex eo Plinius. Ruminat autem scarus, quia non vt cæteri pisces dentes habet serratos, sed obtusos, sicuti ex hisce philosophi verbis colligitur: Piscium generi (inquit) dati sunt dentes, sed serrati propè dixerim omnes. Genus enim quoddam exiguum est, quod non serratos habet dentes, vt qui Scarus appellatur, qui vnus & ruminare meritò ob eam rem creditur. Cur verò Ponticus mus ruminet, non habeo, quid dicam. Cùm tamen & vulgares nostri mures ruminent, vt Plinius, & Albertus testantur, & Pōticum quoque murem minimè serratos dentes habere, non est à ratione

In Galenum animaduersio. *Li. 3. de par. animal. c. 1.* *Galen. emendatur.* *Syntag. 7.* *Lib. 5. Var. lect. cap. 14.* *In com. ad 3. de part. 14.* *Cur plures ventres dati* *Li. 9. hist. vlt.* *Quæ cornigera ruminēt.* *Lib. 10. c. 73.* *Hierogl. l. 8.* *Ruminātia vtrinque dētata.* *Scarus cur ruminet.* *3. de par. 14.*

alienum:iſtiuſmodi enim dentes vulgaribus noſtris muribus eſſe Plinius annotauit. Hic lib. 11.cap.
Lib.10.c.73 37.elephantum quoque tradit quatuor habere ventres,quem tamen nemo etiam dixit ruminare.
In ſacris præterea leporem & cuniculum ruminare legimus, ruminareque vero ſimillimum exiſtit.
Lepus cur ruminet. Lepus enim referente philoſopho coagulum habet,quod ruminantibus proprium eſt: ad hæc vterque ſoli inter quadrupedes digitatos herba veſcuntur. Hieronymus Mercurialis arbitratur iſtiuſ-
Lib.5. Var. lect. cap. 15. modi animantia (cuniculum,leporem,& murem Ponticum,) non potuiſſe plures ventres habere,
Lepus & cuniculus cur quatuor ventres habeãt. quoniam parua ſunt animalia. Etenim videmus (inquit) quæcunque eos habent, vel magna eſſe,
vel ſaltem non parua. Quia verò ventrem nequaquam craſſum,ſed tenuem,& pinguedinis expertem (nam leporem & cuniculum non pingueſcere Plinius dixit,& ſenſus confirmat) habuerunt,ideo
Lib.11.c.37. cibum alioqui mollem non facilè ſuſtinent,præſertim quando multus ſumitur, nec dentibus bene
præparatur,ſed ſtatim ob timorem deglutitur:ob quod ventriculus oneratus, cibum illum remittit
in os:vbi rurſus eatenus præparatur,quatenus à ventriculo facilè confici queat. Immò vt in diſſectionibus videmus,cùm natura lepori & cuniculo ventriculum gracilem,ac tenuiſsimis membranis
cuteque tectum dediſſet,neque quatuor ventres dare potuiſſet,vt reliqua ratione hæc compenſaret,
præter ruminationem duo fecit; primò,inteſtina gracilia ijs pro ventriculo vno parauit: deinde cæcum inteſtinum,quod in alijs paruum effecerat,in his ampliſsimum atque capaciſsimum omnium
effecit,quo eſſet tanquam poſtremus quidam ventriculus,vbi abſolueretur chylus: ſiquidem huiuſ-
Elephãto cur quatuor ventres. modi inteſtinum ſemper materia chyloſa plenum inuenitur. Elephantus autem quod habuerit quatuor ventres (inquit ibidem Mercurialis) in cauſa eſſe potuit corporis magnitudo & forſan paucitas dentium ſuperiorum,quos ſolum quatuor habere,& veterum authoritate & experientia compertum eſt. Quanquam melius eſt fateamur,Plinium erraſſe, cum Ariſtotelem malè intellexerit, qui
Plinÿ error.
2.de hiſt.2. ſcribit,elephanti inteſtina adeò ſinuoſa eſſe,vt quatuor ventres habere videatur, ſicut pariter fefel-
lib.11.37. lit,vbi dixit, ruminantia geminum ventrem habere. Hucuſque Mercurialis, cuius erudiſsimi viri
rationes,quas de leporis cuniculique ruminationibus adfert,vt quidem neutiquã aſpernandæ ſunt,
ita contrà necdum conſtat,cur mures,ac potiſsimum Pontici ruminent:hos enim cùm ſint ex latentibus hyeme animantibus, pinguefieri ratio ipſa ſuadet. Iam verò inter verè ruminantes,boui ma-
Odyß. M. gis quàm cæteris ruminantibus ruminationem adaptari, ſatis ſuperque ex ijs innoteſcere ait Ioan.
Aemylianus ſyntag. 8. quæ Homerus alicubi cecinit,ſub indignati Solis, non Vlyſsis, vt ipſe ait,
perſona,Iouem,vniuerſumque deorum conſeſſum alloquentis:

> Εἰ δὲ μοι ὀ τίσουσι βοῶν ἐπιεικέ᾽ ἀμοιβὴν,
> Δύσομαι εἰς Αἴδαο, καὶ ἐν νεκύεσσι φαείνω.

Vbi,inquit,Homerus aſcripſit bobus ἐπιεικέα ἀμοιβὴν,id eſt,vtilem ac congruam ruminationem.
Cæterùm ſi in hoc ſenſu Homerum interpretemur,nullum planè eius verſus habebunt ſenſum. Queſtus erat Sol ſiue Apollo boues ſuos ab Vlyſsis ſocijs occiſos, Iouique & cæteris dijs immortalibus
cominatur,niſi boum ſuorum necem vlciſcantur; ſe ad inferos deſcenſurum, lucemque ſuam mortuis tantum præbiturum,quamobrem Homeri interpretes latini ſic vertunt:

> *Quodſi mihi non luant boum condignam talionem*
> *Diſcendam ad Plutonis domum, & inter mortuos lucebo.*

Quamobrem etſi ἀμοιβὴ pro ruminatione ſumi poſsit, ſignificat enim etiam mutationem, necnon
etiam viciſsitudinem,& ruminatio quædam viciſsitudo eſt,hìc tamen, vt dicebam, non habet ſenſum. Boui verò præ cæteris omnibus ruminationem competere,libentur admitto, eique aſſentior.
Lib.6.c.6. Nam & Columella,languentis bouis inditia recenſens,ait. *Propter quæ bos neque ruminat, neque lingua ſe detergit*: Etenim non ignorabat rerum ruſticarum conſultiſsimus, quàm eſſet boui conſentanea ipſa ruminatio:ideoque prius diuturniorem eius ruminationem commendauerat, vt quæ illius
vires incolumes ſeruet. Dicemus igitur ruminationem propriè eorum eſſe,quæ altera tantùm parte
dentes habent,impropriè leporis,cuniculi,muriumque,quare & Dantes Aligerius ſolis illam biſulcis attribuit,cùm in ſuo purgatorio ſic canit:

Cant. 16.

> *Le leggi ſon : ma chi non pon man ad eſſe?*
> *Nullo; però che'l paſtor che precede,*
> *Ruminar può, ma non hà l'vnghie feſſe.*

Ruminationis modus et via. Cùm itaque talis in propriè ruminantibus ſit ventrium,palatique conſtitutio atque vſus,videndum
modò de ruminationis modo atque via,per quam nimirum cibus ex priori ventre in os repellitur,&
mox rurſus ab ore effunditur. Petrus Apponenſis in commentarijs, quos in Ariſtotelis problemata
edidit,ait interiorem gulæ tunicam in iſtiuſmodi brutis ex duplici fibrarum genere eſſe contextam,
14. de vſu part. 14. longis videlicet ac tranſuerſis,illis vt pabulum ab ore ad ventrem feratur;his,vt ab eodem ventre ad
3. de facul. natural. os regrediatur. Atqui Galenus ſingula inſtrumenta dum agunt, rectis fibris quidem ad ſe trahere
aſſerit,tranſuerſis verò excernere;retinere autem vtriſque ſimul. Proinde alicubi rationem reddens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dens, cur homo difficulter vomat, cùm prius gulæ siue œsophagi constructionem indicasset, hoc ceu corollarium addidit. Atque idcirco deglutire facilius est, quàm vomere, quia deglutimus vtraque ventris tunica operante; interna trahente quidem; externa se contrahente; vtraque trudente: vomimus verò, altera tantùm, quæ foris est, agente, nec vlla in os trahente. Haud ruit tamen sententia Apponensis: nam licet, dum transuersales interioris tunicæ ipsius gulæ fibras in istiusmodi animalibus, rectis validiores esse asseueramus, (pabulum namque deuorare non possent) nihilominus si rectas fibras atque transuersas, sese mutuò impedire dixerimus, quotiescumque vnà cooperãtur, quandoquidem rectæ attrahere nequeunt, si à transuersis distrahuntur: transuersę item nequeunt expellere, à rectis turbatæ. Ex qua nimirum lucta tertia quædam nascitur operatio, quæ neq; attractio, neque expulsio, at retentio appellatur. Sed enim si dum operantur rectæ, transuersæ fuerint ociosę, attrahendi facultas tunc exerceri poterit, & è contrario quando transuersæ operantur, si rectæ quiescant, facultas expellendi tunc temporis suo munere fungi poterit. Dici itaque potest ruminantia, rectis fibris alimenta deglutire, ociosis transuersis, & è cõtrario à vẽtre ad os repellere, trãsuersis operantibus, rectis verò ociosis. Vel fortassis rectiùs dicemus, rectas interioris tunicæ gulæ ruminantium fibras, non modò vtiles esse ad pabulum ingurgitandum, vt in alijs animalibus contingit, sed etiam ad idem regurgitandum: Quare vomendi illa difficultas, de qua ex Galeno diximus, hìc locum non habet, cùm in ruminantibus rectæ fibræ ad fauces conuellantur, dum pabula regurgitant, quemadmodum item in ingurgitatione ad stomachum contrahuntur. Neque à vero fortassis etiam recedemus, si dixerimus Galenum per omnes fibras intelligere, non modò rectas transuersasque, quarum meminerat, quin imo obliquas etiam, quæ ex eiusdem sententia (eodem libro) facultatis retentricis ministræ sunt. Per eandem autem viam siue partem contrarios fieri motus, minimè absurdum est, si diuersis fieri temporibus, (vt hìc fit) dicamus: idque probè ostendit Galenus his verbis: Iam nec illud difficile compertum est, & tractionem, & expulsionem diuersis temporibus per eundem meatum fieri, si modò uentris stomachus quam gulam vocamus, non cibos tantùm potionemque in ipsum ducere, sed etiam in nauseis contrario fungi ministerio cernitur. Etiam vesicæ quæ sub iecore est, collum cùm vnum sit, tamen per se vesicam non solùm implet, sed etiam vacuat. Vteri præterea stomachus, quod collum appellamus, pari modo, sicut intra seminis, ita foras partus via est. Cæterùm hisce rursus aduersari videtur philosophum, qui ruminantibus ructare negatum esse tradit. Nam si ructare non possunt, neque etiam poterunt eructare, hoc est, eructando eijcere. Vbi nota, verbum ructare, gulæ indicare conatum, quo nititur à ventre aliquid ad os propellere: & quod reijcitur, vel quid flatulentum est, & spirituosum, vel quid solidum. In ruminantibus spiritus nequaquam educitur, sed alimenta ad os reuomuntur: quamobrem ibi philosophus etiam ait: Quin etiam ruminantibus ructare negatum est, quoniam plures continent ventres, & quem reticulum appellamus. Facultas etenim meandi tam super quam subter flatibus multifariam præstatur: itaque humor consumitur, antequam in flatum vertatur, qui flatus mouet, vel ructum, vel crepitum. Cùm igitur Columella rerum rusticarum scientissimus bouem tradit sæpenumero ructare, Aristoteli non aduersatur. Hic enim de sanis, ille de ęgris loquitur: id quod & nostri agricolæ confirmant; nam si bos aliquis ieiunus ructauerit, pathognomonicum signum esse asserunt. Sicut itaque constat pabulum in ruminantibus per eundem quo descenderat, meatum ad os, vt ruminatione, id est, noua contritione, exactiùs minuatur ac conteratur, repelli: ita modò obseruandum est, postquam contritum est, per quem meatum, & ad quem ventrem feratur. Diximus ex sententia Aristotelis cibum remansum ex vno ventre in alterum mitti, quousque à postremo in intestina labatur: ita vt in primo disponatur, in secundo incipiat confici, in tertio adhuc coquatur, in vltimo verò perfectam adipiscatur coctionem. Verùm Galenus citante Mercuriale pręcitato loco, cibum ait, primò, ex ventriculo reuomi in os: deinde ab ore in reticulum, *inde in omasum, tandem in adomasum mitti.* Et ne quis dubitet (inquit Mercurialis) quomodo *secunda vice in reticulum, non autem prima, labatur, sciendum est, foramen in gula esse satis angustum, quod pertingit ad reticulum, & per quod cibus prima vice, cùm sit crassior & solidior, adhuc minimè transire potest: transit verò secunda vice quando liquidus & mollis ita factus est, vt iã transire queat.* Conciliare tamen licere arbitratur Aristotelem & Galenum, si dicamus, (inquit) illum loqui de tempore, quo non ruminant; nempe quando cibus primùm in ventrem ingressus, inde per foramen commune ingreditur reticulum, & sic in alios ventres, absque eo, quòd ad os redeat; Galenum verò sermonem habere de tempore ruminationis, quod, vt dicemus, minimè perpetuum est. Atque hoc solum intelligendum esse de ijs ruminantibus quæ plures habent ventres. Quod si aliqua sint, quæ ruminent, & vnum ventrem habeant, vt narrat Aristoteles de mure Pontico & in Leuitico habetur de lepore & cuniculo: procul dubio cibum remansum ad secundum ventriculum rursus mitti oportet. Hæc itaque Mercurialis. Equidem philosophus non de vnum habentibus ven-

Cur vomitus difficilis.

3. de fac. nat. cap. 15.

Sect. 10. probl. 43.

Ruminãtia non ructant.

Lib. 6. cap. 1.

Ructatio qđ in boue indicet.

Li. de administ. anat. c. 3

Arist. & Galenus conciliati.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

trem, ſed de plures habentibus loquitur: quare vel Ariſtoteles foramen, quod ait Mercurialis pertingere in reticulum, non aduertit: vel falſum eſt, viam ab ore ad reticulum dari, quæ non prius ad primum ventrem pertingat. Mihi eam viam neceſſariam eſſe minimè videtur. Dixi enim ex Ariſtotele aſperam eſſe prioris ventris tunicam, ideoque & retinere & conterere male contritum in ore pabulum aptam eſſe, quod cùm ita ſit, iam contritus rurſus in ore, lubricumque retinere, remorarique ſua aſperitate non poterit, & per conſequens ſubinde in ſecundum ventrem ſiue reticulum elabetur. Vtcunque eſt, diligens anatomici inſpectio controuerſiam dirimet. Cùm ruminant, quietem poſcunt; Quamuis enim ruminent etiam in agris, & vbicunque mediocres perferunt labores, plerumque tamen (de cicuribus loquor) in mandris id muneris obeunt: Iacent (inquit Ariſtoteles) potiſſimum cùm ruminant, & hybernis præcipuè menſibus ſolent ruminare. Septem ferè menſibus hoc faciunt, quæ intra tecta aluntur. Gregales leuius minuſque tempus ruminant, quoniam foris paſcuntur. Quæ Plinius ſic reddidit. *Ruminant præter iam dicta ſylueſtrium cerui, cùm à nobis aluntur. Omnia autem iacentia potiùs quàm ſtantia & hyeme magis quam æſtate, ſeptenis ferè menſibus*. Cur autem iacentia potiùs quàm ſtantia ruminent, Mercurialis hanc reddit rationem, tanquam ex eiſdem authoribus, apud quos tamen illa non legitur, etſi alioqui non omnino ſit aſpernanda: eò quòd (inquit) dum iacent, ventriculus comprimitur à terra, compreſſus verò faciliùs idem in os repellit, ſicut videmus vomentes facilè id agere, ſi manu ventriculum comprimant. Ruminant etiam potiſſimũ æſtiuo tempore, dùm feruet Sol, ſiue in ipſa meridie, cæterùm vmbram captant, ſicuti caprarũ exemplo eleganter nobis expreſſit Dantes in ſuo præcitato Purgatorio:

Ruminãtia qetẽ poſcunt.
Lib. 10. c. 73
Ruminantia cur iaceant.
Cant. 27.

Quali ſi fanno ruminando manſe
Le capre, ſtate rapide e proterue
Sopra le cime, prima che ſian pranſe.
Tacite à l'ombra, mentre che'l Sol ferue
Guardate dal Paſtor, che'n sù la verga
Poggiato s'è, & lor poggiato ſerue.

Similiter Petrarcha.

Ruminate ò mio grege a l'ombra eſtiua
L'erbe paſciute.

Sed & Virgilius.

Ah virgo infelix, tu nunc in montibus erras;
Ille latus niueum molli fultus hyacintho
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas.

Cur hyeme ruminent.

Hoc eſt, vt Seruius exponit, vel aridas, vel quæ ventris calore propria viriditate caruerunt. Ex quo Virgilij loco tanquam ex architypo, & è tabula hoſce ſuos verſus deprompſit Calphurnius:

Has pete nunc ſalices, & læuas flecte ſub vlmos,
Nam cùm prata calent, illic requieſcere noſter
Taurus amat, gelidaq; iacet ſpatiatus in vmbra,
Et matutinas reuocat palearibus herbas.

Cur verò hyeme magis quàm cæteris anni temporibus ruminent, iſthæc fortasſis ratio aſsignari poterit, quòd eo tempore niſi duro aridoque paſcantur pabulo, quod difficulter immutatur, ſicuti contrà facillimè teneriuſculum, quales ſunt herbæ, quæ æſtiuo vigẽt tempore, quam rationem ipſe quoque videtur innuere philoſophus, dum inquit, quòd quæ gregatim ac foris paſcuntur, leuius minutiuſque ruminent, quàm quæ in ſtabulis obuerſantur. Author eſt idem philoſophus, animantia quibus ruminare in more eſt, proficere, deteſtarique non minus ruminando, quàm edendo: quem locũ explicans Ioan. Aemylianus, denotare ait, non modò parem voluptatem percipi ab ipſa ruminatione, ſed multò etiam maiorem, quandoquidem guſtus, alimentorum ſapores exactè perfecteque ſentire nequit, cuiuſmodi ea ſunt, quæ à ruminantibus prius deuorantur, ſed quæ iam ruminationis beneficio læuigata ſunt, in arctiſsimos linguæ meatus ſeipſa inſinuant, guſtuſque inſtrumenta valentiùs feriunt. Notandum verò iſtiuſmodi animantia non tunc ruminare, cùm etiamnum lacte nutriuntur: eò quia lac (inquit Mercurialis) facile coctu, præparatum & liquidum eſt, ita vt per foramen commune cum reticulo in illud è ventre labatur. Albertus Magnus ſentit, ruminantia poſt ſeptimum ætatis menſem ruminare. Sed putat Mercurialis hunc virum deceptum eſſe, ex mala verborũ Ariſtotelis intelligentia, qui, vt dictum eſt, ruminantia ſolùm id ſeptẽ menſibus agere ſcribit, Equidem ante id tempus, & quàm primùm herbas depaſcuntur, ruminare certum eſt, & notauit etiam Galenus, vbi hœdi recentiſsimè in lucem editi hiſtoriam recenſet. At longè (inquit) maiori admiratione dignum eſt, quòd poſtquam & folia & teneros ramuſculos deuorauerat, paulò poſt ruminare cœpit, &c. Haud tamen accuſandum puto Albertum, qui de ijs loquitur iuuenculis, vt ita vocem, quibus abundè ſemper lac maternum ſuppetit ad id vſque tempus. Nam, vt idem etiam Mercurialis ſubiungit, poſt lactationem animalia ruminationem incipiunt: ea autem in ſeptimum ferè menſem, niſi

Ruminatione delectari. Syntag. 2.
Lactãtia nõ ruminant. 7. de animal. cap. 4.
6. de loc. affe. cap. 6.
3. Hiſt. 21.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nisi impediamus,perdurat. Scribit præterea Aristoteles huiusmodi animalium, quæ non vtrinque dentata sunt, lac solummodo coire, ideoque ex eo caseum fieri: aitque id & copiosius & caseo vtilius existere. Cùm verò teste Herodoto apud Scythas ex equarum lacte coagulato caseus fiat, quẽ in equi historia hippacen vocari diximus,conijcit Mercurialis,Aristotelem de ea loqui coagulatione,quæ fit in ventriculo,non autem de artificiosa: cui hac in re facilè accensuerim, cùm proprium sit ruminantibus habere coagulum. Habẽt(inquit)quod coagulum vocatur, omnia quæ plures continent ventres: carent quæ vnum habent,excepto lepore. Habent quibus hoc datum est,non in magno ventre,nec in reticulo,neque in vltimo, quod abomasum appellauimus, sed in eo,qui inter vltimum,& duos primos positus est,quod omasum vocatur. Habent hæc omnia coagulum propter lactis crassamentum: carent quibus singuli ventres,quòd eorum lac tenue sit, quamobrem cornigerorum lac spissatum,mutilorum nequaquã. Lepori coagulum fit,διὰ τὸ νέμεσθαι ὀπώδη πόαν. ὁ γὰρ τοιοῦτος χύμος συνίστησιν ἐν τῇ κοιλίᾳ τὸ γάλα τοῖς ἐμβρύοις, hoc est,vt Theodorus vertit, quoniam herbam succi lactei pascatur: talis enim humor lac in ventriculo stringit, facitque colostrum. Sed duos errores non obscuros(inquit Mercurialis)commisit,vnum quod hæc verba ὀπώδη πόαν,nõ rectè herbam succi lactei interpretatus est. Nam vt alibi indicauimus,ὀπὸς tam apud Hippocratẽ, quàm apud alios pro coagulo κατ' ἐξοχὴν capitur,quo quidem pacto ab Aristotele capi vero similius est;nempe qui dicat,iccirco coagulum habere leporem,quòd is herbam coaguli effectricem pascatur. Sed forsan Gaza Plinium etiam hac in re imitari voluit,qui eam vocem ex Græcis sic sæpe interpretari consueuit. Alterum & forsan multò maiorem,cùm addit ea verba: *facitque colostrum*, quæ nec in Aristotele leguntur,nec vera sunt. Siquidem colostrum siue colostra, vt docet Nonius Marcellus,est lac nouum in mammillis,Lucilius:

Ruminantium lac quale.

Coagulum.

3. de part. 15

Li. 5. Var. 12

Colostrũ qd.

Li. 8. Sat. 10

Hiberam insulam fomento omni colore colustra.

Et Laberius: *Siquidem mea colustra fretus terris studere fecisset sumere æquam ex fonte.* Item Plaut. *Meum cor,mea colustra,meus molliculus caseus;* Plinius: *Concipere nutrices exitiosum est. Hi sunt enim infantes qui colostrati appellantur,densato lacte in casei speciem. Est autem colostra prima à partu spongositas lactis.* Item alias: *Pullis earum,vbi pingue pabulum;biduo à partu maternum lac gustasse lethale est,genus mali vocatur colostratio.* Ex quibus omnibus clarissimum est, pueros vocari colostratos,qui aut lacte matris,quæ mox peperit,aut nutricis prægnantis vtuntur: atq; ob id colostrũ, seu colostram dici,aut lac nouum,aut lac mulieris vterum gerentis. Hucusque ille: cui de colostro lubens accenseo,sed pro ὀπώδη πόαν Gaza meo iudicio non malè herbam lactei succi transtulit, in qua scilicet significatione eadem voce vtitur Theophrastus,pro re autem coagulum efficiente nusquam,quamuis tamen sensus in idem resiliat. Nam herbæ illæ succi lactei, puta lactuca, lactuca leporina Apuleij, siue ea sit Sonchus siue condrilla aut hieracium, cum refrigerent, & astringant, coagulare leporis lac poterunt. Sed vt ad cornigera & verè ruminantia reuertamur,hæc ideo coagulum habere ait idem Mercurialis,vel quia sicco prædita sunt temperamento,merito cuius in ventriculo spissetur lac, vel propter siccitatem atque facultatem herbarum coagulantium, quibus matres dum lactant,vescuntur. Dicit verò etiam Aristoteles coagulum in solo multiuentrium, siue ruminantium omaso constere,eiusque rei rationem dedisse in problematibus. Quamobrem cum in ijs quæ nunc habemus,illud non reperiatur,putandum est(inquit Mercurialis)Aristotelem in Physicis problematibus,quæ à Plutarcho,Apollonio,Atheneo,& Laertio citantur,nunc verò desiderantur,illud declarasse. Si quid autem proferre licet,Mercurialis,ego(inquit)dicerem,in primo ventre lac parum mutari: in secundo mutari quidem atque incalescere,sed non adeo, vt possit in casei formam crassefieri: in quarto percoqui & statim in intestina,inde per meseraicas in corpus distribui; in tertio verò solùm crassefieri posse,atque ibi retineri;tum quia locus satis calet,& lac præparatum iam est,vt facilè crassefieri queat,tum quia sic crassefactum non facilè per foramen abomaso & omaso commune in abdomen trãsmittitur.Quare inuenitur coagulum in omaso,quia ibi causa effectrix, nimirum calor,magis crassefacere valet,& quia simul retineri potest:in alijs vel non æquè calor viget,vel ob lubricitatem,si fiat,vt in abomaso retineri nequit. Vnde assentiri nunquam potui Auerroi,qui coagulum esse excrementum digestionis tertij vnetriculi, atque ob illud, tanquam vesicam propter bilem,id factum esse contendit. Hactenus Mercurialis. Cur modò lacte ruminantia abundent,fortè hæc ratio dari poterit,quòd eorum fœtus eo præcæteris indigeant, propter superioris mãdibulæ dentium inopiam. Iam ex omnibus quæ hactenus à nobis dicta sunt, vnicuique notùm esse arbitror,duo esse ruminantium genera,vnum quod vtrinque dentatum est, alterum inferiori mandibula tantùm. Hoc genus propriè ruminantium nomine intelligi extra controuersiam est. Suntq; omnia bisulca,& vno excepto,ut dixi,camelo,cornigera; Quæ cornua gerunt(inquit Aristoteles)bisulca magna ex parte per naturam sunt,ut bos,ceruus,capra. Quod autem idem & solipes & bicorne sit,nullum est,quod nos adhuc nouimus. At solipes,ideq; unicorne est,quanquam rarum, ut asi-

In Virgine.

In Poenulo.

28. lib. cap. 9

lib. 11. c. 41

Ruminãtia cur habeant coagulum.

Cur coagulũ in omaso tantum.

3. de part. animal. c. vlt.

Rumiãtia cur lacte abũdent.

2. Hist. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Cornua cur animātibus data. *3. de part. 2.*

Animaliū diuerſa arma.

Cornua q̄bus inutilia.

nus Indicus: ille enim & unicornis & ſolipes eſt: unicornis uerò, idemque biſulcus Oryx. Haud præter noſtrum itaque fuerit inſtitutum, docere ad quem finem cornua eis Natura largita ſit, quæque eorundem ſit materia, ac diuerſitas. Niſi itaque cornua haberent, multorum aliorum animantium iniurijs exponerentur (quamuis quibuſdam etiam obſint) Vnde dicebat Philoſophus: Carēt ijs quæ non viuipera ſunt. Cornua vel alijs quibuſdam ineſſe dicimus, ſed per ſimilitudinem & tranſlationem, cum nullum ex ijs cornu officio fungatur. Gerunt enim quæ animal pariunt, cornua ad vim, aut inferendam, aut depellendam, quod nulli ex cæteris, quæ cornua habere dicuntur, contingit. Nullum enim vtitur cornibus, vel ad conuincendum, vel ad defendendum, quæ virium ſunt officia. Quæ igitur pedes multifidos habent, cornu omnia carent: cuius rei cauſa eſt, quòd cornu auxilij gratia habetur. Multifidis autem non deſunt alia auxilia. Dedit enim natura alijs vngues, alijs dentes pugnaces, alijs partem aliam, qua ſeſe tueri atque defendere poſſent: at verò biſulcorum pars maior cornua gerit, & ſolipedum nonnulla ad vim inferendam, quædam etiam ad defendendum. Quibus autem cornua natura non dedit, eorum ſaluti præſidijs conſuluit alijs, vt pernicitate corporis equis opitulata eſt, magnitudine camelis: magnitudinis enim exuperantia ſufficit ad necem arcendā, quod camelis contingit, atque etiam melius elephantis. Quædam etiam dente exerto armantur in genere biſulco, vt ſues. Quibus autem cornua præ nimio exceſſu ſuperuacua ſunt, ijs alterum auxilium natura adhibuit, vt ceruis velocitatem. Grandis enim illa & multifida cornuum magnitudo potius obeſt, quàm prodeſt. Bubulis etiam, capreiſque interdum cornua inutilia ſunt: nam etſi contra nonnulla reſiſtunt, & cornibus ſe defendunt, tamen feroces pugnaceſque belluas fugiunt. Bonaſis (nā ij quoque pari aduncitate cornua reflexa inter ſe in orbē colligunt) excrementi profuſionē natura pro auxilio dedit; hoc enim cum metuunt, ſe tuentur. Hac eadem profuſione, alia quoque ſeruari certum eſt. Plura autem auxilia ſimul, quorum ſingula ſatis eſſent, nulli natura tribuit. Aurei planè ſuper hac re extant Phocilidis verſus, quos tacuiſſe nefas ſit:

Ὅπλον ἑκάςῳ νεῖμε θεός, φύσιν ἱεροφοῖτον,
Ὄρνεσι μὲν πολλὴν ταχυτῆτ', ἀλκὴν τε λέοισι.
Ταύροις δ' αὐτοχύτοις κεράεσσι, κέντρα μελίσσαις
Ἔμφυτον ἄλκαρ ἔδωκε, λόγος δ' ἔρυμ' ἀνθρώποισι

Arma vnicuique dedit Deus, naturam diuinam,
Auibus quidem magnam celeritatem, & robur leonibus,
Taurisq́; in ſpontè natis cornibus, & apibus aculeos,
Innatum tutamen dedit; ratio propugnaculum eſt mortalibus.

Cornua tollere quid.

Cùm itaque cornua facta ſint à natura, tum ad defendendum, tum ad offendendum, prouerbialiter cornua tollere aliquem dicimus pro eo, quod eſt animo efferri, ex Horatij nimirum epodis, vbi ait: *Namque in malos accerrimus parata tollo cornua.* Alicubi rurſus de Baccho. *Et addis cornua pauperi:* In quo ſenſu & Ouidius loquens ſimiliter de temulentia:

Tunc veniunt ritus, tunc pauper cornua ſumit.

Cornua obuertere qui dicantur. *In Pſeudolo*

Hucque ſpectat illud Græcorum: πρὸ τούτου σε ᾤμην κέρατα ἔχειν, id eſt, *antehac credebam tibi eſſe cornua.* Qui verò iniuriam repellere parati ſunt, hi cornua dicuntur obuertere, in quo ſenſu Plautus ait:

Peiorem ego hominem, magiſq́; verſutè malum
Nunquam ædepol quenquam vidi, quàm hic eſt
Nimiſq́; ego illum ſimia hominem metuo & formido malè,
Ne malus item erga me ſit, vt erga illum fuit.
Ne in re ſecunda nunc mihi obuertat cornua
Si occaſionem capſit, qui ſiet malus.

Elegantiſsimè verò, ſimul, & facetiſsimè ſumpta hinc metaphora Euclio pauper ſe aſellū quaſi contemptum, Megadorum verò diuitem bouem, quaſi armis ſuis ſuperbientem, ac minitantem generū ſibi futurum reſpuit, dum inquit:

Venit hoc mihi in mentem Megadore te eſſe hominem diuitem
Factioſum; me item eſſe hominem pauperum pauperrimum
Nunc ſi filiam locaſſem meam tibi, in mentem venit
Te bouem eſſe, & me eſſe aſellum; vbi tecum coniunctus ſiem,
Vbi onus ferre nequeam pariter, iaceam ego aſinus in luto,
Tu me bos magis haud reſpicias, gnarus quaſi nunquam ſiem,
Et te vtar iniquiore, & meus me ordo irrideat,
Neutribi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid deuortij fiat,
Aſini me mordicus ſcindant, boues incurſent cornibus.

Cornutā beſtiam petere quid.

Extat apud Comicum etiam in hoc ſenſu prouerbium, *Cornutam beſtiam petis,* de eo, qui laceſsit eum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

eum, qui paratus est retaliare iniuriam. Id quidem indicaturi nonnulli homines eximij pro cristis cornua vsurparunt, quasi ad impetendum, scilicet & terrendum. Hinc ijs vtebatur Pyrrhus, vt meminit Plutarchus: *Agnitus fuit ab eximia crista, & à cornibus hircinis*. De Philippo Macedonum Rege Liuius: *In arborem illatus impetu equi, alterum cornu galeæ ad eminentem ramum perfregit*. Silius de Afro quodam. *Lib. 27.*

Casside cornigera dependens infula.

Sed, & in Virgilio est *Lib. 12.*

Ensemq; clypeumque, & rubræ cornua cristæ,

Alia tamen forrassis mente, inquit Lipsius in Analectis lib. 3. de militia Romana dialogo quinto, & cristæ ipsæ plumeæ sectæ, & diuisæ intelliguntur, velut in cornua. Suidas tale: *Cornu veteres, capillos aut iubas vocabant*. At in nostris quoque galeis quàm crebra cornua? Eadem olim apud Gallos in cotidiano vsu: Diodorus testis: *Galeas æreas capiti circumponunt, quæ magnas eminentias verticesque habent, & magnificam opinionem spectantibus obijciunt. Alijs enim naturalia cornua apposita sunt, alijs auium aut quadrupedum animalium expressæ effigies*. Similiter etiam animalium rictibus cassides adornabant. Statius: *Lib. 3.*

ore ferarum,

Et rictu horrificant galeas.

Accipitur igitur cornu in sacris literis pro robore ac fortitudine, necnon etiam pro regno: & ob sublimitatem, & libertatem eius, vt ait D. Basilius, in bonam partem accipitur, & in multis locis sacri eloquij pro gloria vsurpatum inuenimus. Idem Basilius aliam præterea in cornibus animantium agnoscit vtilitatem, corpori dum ait conciliare decus, atque ornamentum: *Cornu (inquit) in reliqua corporis parte est eminentius & solidius: simul quidem ornamentum adfert capiti: simul verò præsens armatura est ad propulsandas iniurias*. Cur autem in sublimi corporis parte, nimirum vertice capitis ea collocauerit narura, nobis dimonstrauit Aristoteles his verbis. Rectè capiti cornua mandauit, nec vt Aesopi Momus vitio dat, quod taurus non in armis cornua gerat, vnde ferire vehemētius queat, sed capite parte corporis imbecillima. Non enim ingenio perspicaci ille Momus hæc deprehendit. Vt enim in alia quauis parte cornua haberentur, frustra ponderi essent, nulla in re vtilia; multa etiam officia impedirent: sic armis quoque infixa sedem omnino ineptam tenerent. Non solùm enim vnde ictus fiant vehementiores, considerandum est, sed etiàm vnde remotiores; itaque cùm careant manibus, & nec pedibus imis affixa gerere possint, neque genibus, (flexus enim impediretur) capite gerant, necesse est, quemadmodum à natura constitutum est. Quin etiam ad cæteras corporis motiones ita maximè geri sine vllo impedimento possunt. Sed vt ad causam cornuum finalem reuertamur, vt lacessere, & propulsare iniurias possent istiusmodi animantia, cornua eorum in solidum mucronem desinere opus fuit, & ne flecterentur, in ipso eorundem exortu, osseam ferè substantiam natura fecit, vt dixit idem Philosophus eodem loco: Cæteris aliquatenus caua & mucrone demum concreta sunt, quoniam ad ictus hoc sit commodius, sed ne pars caua debilis sit, quà cuti annectitur, solidum quiddam ossibus exortum ingreditur eam, impletque totam. Sic enim sita compactaque, & ad vim inferendam commodissima, & ad reliqua vitæ munera inoffensissima habentur. Accidit ipsa materia, ex qua cornua procreantur (loquor autem de magis propinqua,) quæ nihil aliud est quàm excrementum osseum atque neruosum. Quod enim sit osseum manifeste ibidem docuit, inquiens: Proximas esse ossibus partes, ostendit tactus etiam illas, vngues, vngulas tum solidas, tum bisulcas, cornua, rostra auium, quæ omnia præsidij gratia adiuncta sunt animalibus. Est & alia quædam cornuum causa finalis; nam vt Cælius annotauit, ea ex Grammaticis Græcis nonnulli scribunt, item pro capillis posita inueniri, quoniam vtrque nascantur eodem modo: adestque inquit ille, etymum quoque cur cerata pro capillis autument inueniri; inde enim dici videri nomen, ὅτι συνεχῶς κείρονται, id est, quod præcidantur assiduè, vnde de Paride apud Homerum, κερ' ἀγλαον, idest coma illustrem venustumque interpretantur; Et apud Sophoclem ὀρθόκερος φρίκη pro eo quod est ὀρθόθριξ & κέρας βοος, pro setis intelligunt bubulis. Est verò haud exigua cornuum diuersitas; cùm non idem sit omnibus color, non eadem figura, magnitudo, soliditas, non item numerus idem, non idem in omnibus situs. Rursus alijs decidunt, alijs minimè. Color nonnullis variat, nonnullis est simplex, albus, nigricans, cinereus, flauescens. Figura quibusdam recta, vt Orygi (loquor enim de bisulcis duntaxat, nam aliàs tale asino Indico etiam tribuitur,) alijs (cæteris omnibus, ni fallor,) inflexa, siue curua, vnde à curuitate cornu dictum Varro existimauit; Quorum rursus duo existunt genera; quædam enim leuiter tantum reclinantur, quædam in anfractum & velut in gyrum circumducuntur. Rursus quædam leuia sunt, quædam aspera; quædam simplicia, quædam in ramos dispersa, quædam tenuia, quædam crassa, quædam lata, quædam angusta. Magnitudo nonnullis parua, nonnullis mediocris, alijs ingens. Et quam-

Cornu quid in sacris. — *Homil. in Psal. 28.* — *In comment. in Esai. c. 5.* — *Cornua cur in capite.* — *3. de part. 2.* — *Cornua cur mucronata.* — *Lib. 30. 1.* — *Cornuū differentia.* — *Cornu vnde dictum.*

uis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tis ſolida ſint cornua omnia, ſolidiora tamen dicemus, quæ plena ſunt, quàm quæ vacua & caua, nam & arundo plena, caua ſolidior eſt atque robuſtior. Numero item licet pleriſque bina ſint, ab vtroque videlicet capitis parte vnum, Sunt tamen quibus vnum tantum ac ſingulare, ſunt quibus terna, item quibus quaterna.

Vnicornu cur in media fronte.

Quibus id eſt ſingulare, id in fronte obtinuere, cuius rei ratio ibidem aſſignatur à Philoſopho, Sunt etiam quæ ſingulari cornu armantur, vt Oryx, & quem aſinum Indicum vocari diximus; Oryx biſulcum, aſinus ille ſolipes eſt. Gerunt ſanè medio ſui capitis cornu fixum, ea quæ vnum habent. Sic enim maximè pars vtraq; cornu obtinebit, cum medium commune pariter vtrique extremo ſit. Solipes potius quam biſulcum eſſe vnicorne rectè videri poteſt. Vngula enim tam ſolida quàm biſulca eandem naturam habet quam cornu. Itaque ijſdem ſimul & vngulam findi & cornu congruum eſt. Fiſſio etiam vngulæ & cornu ex defectu naturæ euenit. Itaque cum exuperantiam vngulæ ſolipedum natura dediſſet, rectè dempſit supernè, fecitque vnicorne.

Vnicornia an vtrimq; moueantur.

Atqui quærendum modò eſſet, num iſtiuſmodi vnicornia ſiniſtro dextroque moueantur, quod ſi faciant, vt facere vero eſt ſimillimum, accuſanda adhuc fuerit ipſa natura, quòd biſulca ea non fecerit, nam dicebat eo loci Philoſophus, maximam animalium partem, vt corpus dextro ſiniſtroque quibus ſe mouent, diſtinguitur, ſic & cornua bina eadem illa de cauſa gerere, ſuo ipſius naturæ ingenio. Et parui etiam momenti eſſe videtur argumentum quod Philoſophus adfert de integris ſolipedum vnicornium vngulis, biſulcum enim oryx eſt, vnicorne tamen, biſulcus rhinoceros, & ipſe quoque vnicornis.

Lib. 8. c. 21.

Situs.

Indicos etiam boues vnicornes, & tricornes dari apud Plinium legimus. Dantur & arietes quaternis præditi cornibus, dantur & qui quinque accepere, item qui ſex. Situ itaq; etiam variant cornua: alijs enim ſunt in centro frontis, vt orygi, alijs in naribus, vt rhinoceroti, pleriſque in vertice capitis. Poſſint præterea aliæ cornuum conſtitui differentiæ, vtpote cum alia ſint immobilia, qualia pleriſque, alia aurium modo mobilia, vt bobus Phrygijs, vt teſtatur his verbis Ariſtoteles.

Cornua quibus mobilia.

Adhærent cornua cuti potius quàm oſſi, vnde fit, vt in Phrygia & alibi boues ſint, qui cornua perinde vt auriculas mouent. Et præter iſtiuſmodi boues, cornua etiam mouet Eale. Teſtis eſt Plinius:

Lib. 8. c. 21.

Eale (inquit) *magnitudine equi fluuialis, cauda Elephanti, colore nigra vel fuſca, maxilla apri, maiora cubitalibus cornua habens mobilia, quæ alterna in pugna ſiſtit, variatque infeſta aut obliquè, vtcunq; ratio monſtrauerit.* Rurſus cornua alijs decidunt, alijs permanent.

2. Hiſt. 1.

Quibus cornua decidāt.

Lib. 11. c. 37.

3. de animal.

tra. 2. c. 1.

3. de par. 2.

Nam quamuis Ariſtoteles inquiat: Soli ceruo cornua quotannis decidere, initio à bimatu, cæteris verò eſſe perpetua, niſi per vim aliquam amittant, eique ſubſcribat Plinius, videmus tamen capreolos, alces, nonnullaque alia, deciduis eſſe cornibus, id quod non ignorauit Albertus. Decidere autem ceruis cornua Ariſtoteles ait tum vtilitatis cauſa, ut onere leuentur, tum ex neceſsitate, præ pondere. Inſuper cornua aliis quàm aliis ſunt robuſtiora, aliiſq; ad propulſandam iniuriam, aliis ad inferendam idonea;

Sexus.

3. de par. 1.

Eſt denique & in ſexu differentia; fœminæ enim uel cornibus carent, uel quàm mares ea habent minora: ſicuti quoque cætera earum arma imbecilliora ſunt. Sunt enim marès & robuſtiores, & audaciores, ut cenſuit idem Philoſophus, ubi ait: Partes quæ ad inuadendum, aut ad defendendum ſpectant, quæque à natura ijs tribuuntur, quæ aut ſola aut præ cæteris uti poſsint, & quibusuis utendi præcipua, dente & ſi quid eiuſmodi aliud ſit: cumque mares robuſtiores, magiſque animoſi ideo aut ſolis ijs aut melius ijs partes eiuſmodi datæ ſunt. Quas enim in fœminis quoque haberi neceſſe eſt, ut quæ cibo accommodentur, eas habent quidem & feminæ, ſed minus quàm mares, quæ autem ad rem nullam neceſſariam ſpectent, ijs carent. Quapropter in ceruorum genere, cùm maribus cornua ſint, feminis deſunt. Vaccarum etiam cornua & taurorum inter ſe diſtant: Quod

Fœminis cur cornua minora.

idem in pecore etiam cernimus. Hæc ille. Ratio alia ab alijs redditur. Sunt qui ad corporis frigiditatem referunt, ſunt qui in materiæ defectum. Tentaſſe enim & in feminis naturam quod ſpecie erat proprium; uerùm materia caruiſſe, quandoquidem in omni animantium genere minus ſane terrei recrementi femina obtinet; ideoque generoſiores in ouium ſpecie cornutas haberi, quòd ſcilicet ad marium naturam corporis habitu propius accedant: proinde & ambientis iniurias meliùs ferre.

Ceruæ cornua.

Ceruam igitur velut quædam cornuum rudimenta habere, naturam tamen ob allatam rationem non potuiſſe perficere. Qui verò corporis frigiditati illud tribuunt, qua genus fœmininum præditum eſt: Hippocratis potiſſimum authoritate nituntur, qui in opere de aquis, aere, & locis teſtatum reliquit, in Europa circa paludem Mæotidem apud Scythas Nomades vocatos, boues eſſe

Boues ſint cornibus vbi.

8. Hiſt. 28.

ſine cornibus: reddens enim eius rei rationem, immenſam ait eius regionis frigoris acerbitatem eſſe. Hoc idem met (inquiunt) Ariſtotelis etiam ſuffragio ſtabiliri poterit, qui tradit in Africa arietes ſtatim cornigeros naſci, nec ſolùm mares, vt Homerus ſcribit, ſed etiam feminas; Contra in Ponto per prouinciam Scytharum nullis cornua eſſe. Videri itaque id prouenire, quia Africa æſtuet, algeat verò Scythia: quandoquidem immodica frigiditas natiuum labefactat calorem: ideoq; cùm oues quaſdam cornutas cernimus, eas præ cæteris calidas exiſtere.

Lib. 11. 37.

Cornuum differentiæ ex Plinio.

Tetigit præcipuas cornuum differentias etiam Plinius: *Cornua* (inquit) *multis quidem, & aquatilium, & marinorum & ſerpentium*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tium varijs data sũt modis: sed quæ iure cornua intelligãtur quadrupedi tantũ generi. Actæonẽ enim & Cippum etiã in latina historia fabulosos reor. Nec alibi maior lasciuia naturæ lusit animaliũ armis. Sparsit hæc in ramis, vt ceruorũ: alijs simplicia tribuit, vt in eodẽ genere subulonibus ex argumẽto dictis: aliorũ finxit in palmas, digitosq; emisit ex ijs, vnde platycerotas vocãt. Dedit ramosa capreis, sed parua, nec fecit decidua: Cõuoluta in anfractũ arietũ generi, ceu cestus daret, infesta tauris. In hoc quidẽ genere, & fœminis tribuit: in multis tantũ maribus. Rupicapris in dorsũ adũca; Damis in aduersũ. Erecta autẽ rugarũq; ambitu cõtorta, & in leue fastigiũ exacuta, vt lyras diceres Strepticeroti, quẽ addacẽ Africa appellat. Mobilia eadẽ, vt aures, vt Phrygiæ armẽtis, Troglodytarũ in terrã directa, qua de causa obliqua ceruice pascũtur. Alijs singularia, & hæc medio capite, aut naribus, vt diximus. Iã quod alijs ad incursũ robusta, alijs ad ictũ: Alijs adũca, alijs ad iactũ plurimis modis, supina, cõuersa, cõuexa. Omnia in mucronẽ migrantia. In quodã genere pro manibus ad scabendũ corpus. Cochleis ad prætentandũ iter. Hactenus Plinius, nulla de colore cornuũ facta mẽtione, estq; circa quã diximus colorũ varietatẽ haud exigua ambiguitas. Scribit enim Aristotles vngues, pilos, cornua & id genus alia ab ipsa cute efflorescere, eiusdẽq; colore infici: quod ab eodẽ Philosopho cõfirmatur binis alijs in locis; eiuscemodiq; infectionis rationẽ reddẽs, ait, propterea quod in oĩbus alimentũ per cutẽ ad exteriorem ambitũ percolatur. Dubitãdi autẽ ratio talis est: Boũ cornua mucronẽ habẽt nigricantẽ, cum tota ferè alba sint. Si itaq; cutis cornua suo colore inficeret, nõ reciperẽt, apparet, vt hãc colorũ varietatẽ. Et quamuis in eodem libello Aristoteles dicat nigredinẽ fieri à vetustate, & cornuũ extremitates cũ prius erũpant, cæteris eorũ partibus sint veteriores, non satisfacit tamẽ ratio: nam omniũ cornuũ mucrones deberent esse nigri: ad hæc nigrorum animantium deberent esse nigra: rubrorum rubra. Postremò cùm vnicolor sit cutis, vnicoloria deberent esse cornua, versicolaria tamen quædam etiam legimus, dummodo verum est, quod Aelianus de Asino vnicorni memoriæ prodidit. De soliditate etiam aduertendum est, omnia cornua intus vacua, ab vtraque extremitate, solida esse à natura facta: in ipsa quidem basi, vt firmiùs fronti infigerentur; in cuspide autem, vt ad ictum essent robustiora: notabatque Aristoteles solidũ quod interiorem replet cauitatẽ, nequaquã cornuum esse particulã, imo verò quandã cranei extuberantiã. Bicornia solidis armata cornibus perpauca admodũ sunt, ne nimio pondere grauarent. Quemadmodũ enim inania sunt ossa minimis quibusdã exceptis, quę in manibus præsertim, & pedibus ad firmandas neruorũ, seu mauis tendinũ propagines molita est natura. Ceruo duntaxat cornuũ soliditatẽ tribuit Aristoteles: Ceruo (inquit) excornigeris vni cornua tota solida, cæteris caua quadantenus. Sunt tamen & capreoli cornua solida, licet multò minora: Sũt & alcis, & fortassis etiã aliorũ. Quod obseruans Albertus: *Adhuc* (inquit) *multorũ animaliũ cornua sunt vacua iuxta caput, & in extremo solida, præterquã in ceruo, & habentibus cum ceruo naturam similem, sicut caprea, & hircoceruus, & huiusmodi, quæ in vtroq; termino sunt dura, & sunt multa ramificationis.* Notandũ deniq; quod idẽ Philosophus cornua vocet partes ossibus proximas. Non enim materia simpliciter ossea est, sed etiã neruosa, quia sic firmiora sunt, quod & Galenus asserit his verbis: Omnes enim animaliũ particulas prominentes, & nudas ex tali substantia creauit, qualis neq; quassari facilè propter mollitiẽ, neque rumpi propter siccitatẽ posset: talis autẽ particula vngula est, tã solida, quàm bifida, talis calcar, talis cornu. Dicet verò aliquis, si materia cornu neruosa est, vim etiã habebit sentiẽdi, cuius omnino expertia sunt cornua, item si terrestris est materia, qui fiet vt mollescant, quod tamen cornua facere, & veteres tradunt, & vsus etiam astruit. Prior scrupulus tollitur, si dicamus materiam non simpliciter neruosam esse, sed fæculentam, quæ ob intemperiem, & crassitiem, sensum non admittit. Alterius quæsiti solutionem habemus apud Aristotelem his verbis; „Sed quæ terrena admodum oriuntur, parum humoris calorisque adepta, hæc dum refrigerantur, humore cum calore euaporante duram terrenamque formam capiunt, vt vngues, vngulæ, cornua, rostra, quamobrem igne molliuntur. Mollificabilia enim sunt secundum illum, quæcunque non ex aqua concreta constant, sed quæcunque ad terram potius spectant, & nec eorum humor vniuersus afficcatus est, nec inæqualiter, sed tractilia sunt, & non humectabilia, aut ductilia, & non aquea, atque ignis opera ac feruore mollificabilia, vt ferrum, cornu, lignum. Vbi rursus obseruandum, quod Aristoteles per totum humidum intellexit humidum crassum, & sensui peruium, non autem quod totum prorsus humidum per vapores euanescat, atque dissipetur: „& idcirco cum frigore concrescant, istiusmodi res, „calore dein molliores fiunt: calore namque insitus ille humor funditur, qui fusus mollitiem parit, vbi durities, cum intus prius lateret, extiterat: veluti etiam flexile, & tractabile fit corium arte elaboratum, si igni admoueatur, quod antea rigidum persentiebatur. Quamuis itaque istiusmodi res terrestres sint, sibi tamen aliquantulum humoris, & id quidem glutinosum retinuerunt, quod ab igne ad sensum reuocatur. Habent modo cornigeræ animantes proprias corporis quasdam alias partes, & cum nullis alijs communes, vt est talus, & seuum: quasdam cum alijs quidem communes, cæterùm situ differentes, vt vterus, mammæ, lien. De talo hæc legimus apud Aristotelem. Talum

Platycerota — *Strepticeros.* — *2. de generat. cap. 4.* — *3. Hist. 9. & lib. de colorib.* — „ *De colore cornuum obseruatio.* — *De soliditate cornuum obseruatio.* — *3. de par. 1.* — *3. de par. 2.* — *2. Hist. 1.* — *3. de animal tract. 2. c. 1.* — *Cornuum materia.* — „ *1. de vsu par. 12.* — *2. de gener. cap. 4.* — *4. Meteor. 9.* — *Partes cornigeris siue ruminantibus propriæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

2.Hist.1. lum etiam asinus ille Indicus(vnico cornu in medio frontis armatus)solus in solipedum genere pos-
Talus. sidet. Sus ambiguus est (aliàs solipes, aliàs bisulcus)quò fit vt etiam talo careat probiore. Permul-
„ ta ex bisulcorum numero talum habent. At verò multifidum nullum adhuc talum huiusmodi ha-
„ bere cognitum est,vt ne hominem quidem habere certum est. Sed lynci semitalo simile quiddam:
„ leoni autem tortuosum in anfractum est, quale effingunt. Omnia verò quibus datus est talus,cru-
„ ribus eum posterioribus continent, ita vt erectus in suffragine parte sui prona foras; supina intror-
„ sum spectet, & quæ ventres vocantur,intus aduersæ sibi positæ sint,& iubam habeant, & cornua bi-
4.de par.10. na, orbem in inflexu mutuo colligentia gerant,vt bonasus. Et alicubi rursus: Pedes quadrupedum
„ inter se differunt, alijs enim solidi, alijs bifidi,alijs multifidi. Solidi sunt eorum,quibus pro corpo-
„ ris magnitudine copiaque terrenæ portionis pro cornu, aut dente,materia ad vnguis naturam se-
„ cesserit. Sed enim ex ea copia pro pluribus vnus vnguis, scilicet vngula coalescit. Talo etiam ob
„ eam rem carent (quod magna ex parte dixerim) atque etiam quod si talus adesset,crura posteriora
„ difficiliùs flecterentur. Celerius enim,& aperiuntur, & claudun tur, quæ singulis angulis constant,
„ quàm quæ pluribus. Talus autem,vt qui clauus est,tanquam alienus artus duobus hisce inseritur,
„ pondus quidem afferens,sed gradum efficiens tutiorem. Hinc enim & ea quæ talum habent,non in
„ prioribus,sed posterioribus tantum cruribus continent, quoniam leuiora flexibilioraq; esse debent,
„ quæ præcedant; firmiora autem contentioraque esse posteriora congruit. Ad repugnandum etiam
„ inferendumque ictum vehementiorem commodius ita constant. Genus autem hoc animalium
„ cruribus ita vti posterioribus solet. Bisulca talum habere certum est: ijs enim posteriora sunt ple-
„ niora. Et quoniam talum habeant, solipeda esse non possunt, quasi os quod pedi deest,maneat in
„ suffragine. Digitatis talus non est. Nam si esset,digitata non essent,sed tantum latitudinis finde-
„ retur, quantum talus occuparet. Quamobrem quæ talum habent, magna ex parte bisulca sunt.
Seuum. Cur modò bisulca cornigera non adipem, sed seuum habeant, & quomodò istæ pinguedines inui-
2.de par.5. cem differant,clarissimè nos docuit alicubi idem Philosophus: Seuum(inquit)& adeps (πιμελὴ καὶ
„ στέαρ) inter se differunt sanguinis ratione. Est enim eorum vtrumq; sanguis concoctus per bonita-
„ tem enutriendi, consistitq; ex eo quod in pulpam quidem animalis non absumitur, sed concoctio-
„ nis alimentiq; bonitate præditum est. Indicat id pinguedo eorum, cum pingue inter humida com-
„ mune ignis & aeris sit: quamobrem nullum ex ijs quæ sanguine carent,vel adipem habet, vel seuũ,
„ quandoquidem sanguis deest. Quorum autem sanguis corpulentior est;hæc seuum potius habent:
„ seuum enim terrenum est. Vnde fit, vt modo fibrosi sanguinis cogatur,tam ipsum quàm eiusmodi
„ ius,cũ parũ aquæ,multum terræ contineat. Quamobrẽ quę non vtrimq; dentata,sed cornigera sunt,
„ hæc seuũ habent. Naturam eorum refertã esse huiusmodi elemento patet,eò quòd cornua gerunt,
„ talosq; obtinent,quæ quidem omnia natura sunt arida,& terrena. At verò genus vtrimq; dentatũ,
„ & cornuũ expers, & multifidum, vice seui adipem habet,quæ non cogitur, nec siccitare aliqua fran
„ gitur,quoniam eius natura minus terrena est. Hactenus Philosophus, sed & insequẽte capite seuum
Medulla. ab adipe differre ait,& similiter ossiũ medullas in cornigeris seui speciem gerere,in vtrinq; dentatis,
3.de par.12. & multifidis referre pinguedinẽ ob allatã modò rationẽ. Lienem cornigera eodem testante habent
Lien. rotundũ,vt capra,ouis & reliqua omnia: nisi aliqua pro sua magnitudine auctiorem in longitudinẽ
habeãt, vt boues: At multifidis prolixus omnibus est, vt homini, cani: Solipedibus autem medium
4 de par.14. tenet,& promiscuus est. Partẽ enim alterã habet latã, alterã angustã,vt equo,mulo,asino. Intestina,
Intestina. vt alicubi ait,omnia quàm in alijs sunt ampliora, pabuli ratione,vt cõficiãt quod cibi ingerũt incon
Vulua. fectũ. De vulua verò sic scribit post explicationem eius situs. Ad hæc discrimen vuluarum est, quòd
cornigera,& vna parte dentata,acetabula habent vuluæ,dũ partũ gerũt,atq; parte etiam vtraq; den
tata animalis fæcunda,pedibus prędita,vuluã lęuẽ omnia habent,& partus ipsi vuluæ,non acetabu-
4. de par.10. lis adhæret. Postremò mammas non eo quo cætera loco habent, vt & ipse annotauit his verbis.
Mammæ. Quibus solida vngula aut cornua, & partus numero pauciori, hæc mammas inter femora habent;
„ easque binas, quæ autem numeroso partu, & pede multifido sunt, hæc aut plures per ventrem du-
„ plici ordine, vtroque de latere gerunt,vt sues, vt canes,aut binas tantum medio ventre,vt Leo, cu-
„ ius rei causa est, non quia parcissimè generat,(nam plures quam duos interdum edit)sed quod mi-
„ nus lacte abundat. Cibum enim, quem raro assumit, quoniam carniuorus est, in corpus absumit.
„ Elephas duas tantum habet, easque sub armis. Quæ autem non multifida, sed deprola sunt, aut
„ cornuta, hæc inter fœmora mammas habent, vt equa, asina, camelus. Hæc enim singulos pa-
„ riunt,& pes equo,& asino solidus,camelo bisulcus: cerua etiam,capra,vacca,& reliqua generis eius-
„ dem mammas parte eadem gerunt. Cuius rei causa est,quod hæc sursum versus capiant sui corpo-
„ ris incrementa. Itaque vbi confluuium, & copia excrementi sanguinis, qui locus sanè infra est, &
„ circa effluentis materiæ ostia, ibi mammæ à natura positæ sunt. Qua enim parte motus agitur ali-
„ menti,inde etiam capi alimentum potest, &c. De situ mammarum in digitatis suo loco dicetur.

VLYS-

VLYSSIS ALDROVANDI PHILOSOPHI ET PATRITII BONONIEN. DE QVADRVPEDIBVS BISVLCIS LIBRI PRIMI CAPVT PRIMVM, QVOD EST DE BOVE.

ORDINIS RATIO.

MAXIMA profectò, ac plurima ſunt emolumenta, quæ ex biſulcorum animantium genere, de quo toto hoc agetur volumine, percipimus: nec erubeſco profiteri, ex his ſolis diuites æquè ac pauperes, honeſtè lautèq; viuere poſſe. *Vtilitas biſulcorum.* Præterquam enim quòd omnia, quæ ad ſuſtinendam vitam hominis ſunt neceſſaria, ſubminiſtrant, carnem videlicet ad cibum, lac ad potum, lanam & corium ad corporis tegumentum, noſtros inſuper labores cùm in excolendis agris, tum in quolibet ferendo trahendoque onere, ſi quæ alia adiuuant. Rangiferos nuncupatos in quibuſdam Septentrionalibus plagis alunt ad vehicula, currus, traheas, *Rangifer.* equitandique vſum: adhæc mulgentur, & omne genus lactarij ex ipſorum lacte conficitur. Bubalus vulgò nuncupatus, etſi ad plauſtra, & aratra minus ſit idoneus; in trahendis tamen per terram magnis ponderibus, in aliquot Italiæ locis vſurpatur, maximam quoque adferens commoditatem, ſuiſque lactarijs plurimos ſaturans. *Bubalus.* Camelus doſſuarium præcipuè iumentum, incredibili onuſtus pondere immenſa emetitur terrarum ſpatia. *Camelus.* Sed ne longiùs abeamus, (camelus enim in Oriente potiſsimùm, rangifer niſi in vltimis ferè Septentrionis regionibus datur, & bubalus etiam non in omni Italia notus eſt,) notiſsima vbique terrarum pecora nobis hæc cuncta præbent; Ouillum pecus, vt Columellæ verbis vtar, præcipuè nos contra frigoris violentiam protegit, corporibusque noſtris liberaliora præbet velamina, tum etiam caſei lactiſque abundantia non ſolùm agreſtes ſaturat, ſed etiam elegantium menſas iucundis, & numeroſis dapibus exornat: quibuſdam verò nationibus frumenti expertibus victum commodat; ex quo Nomadum Getarumque plurimi γαλακτοπόται dicuntur. *Ouis. Lib. 7. cap. 2.* Hædum quia tenerrima eius caro, pinguis & palato noſtro eſt gratiſsima, ab edendo dictum Iſidorus credidit: hic item pelles dat agninis neutiquam viliores, quibus ſimiliter veſtes hodieque fulciuntur honeſtiores. *Hædus.* Dant & ceruus & bubalus corium aduerſus omnes penè aeris iniurias commodiſsimas. *Ceruus.* Suem verò Græci teſte Varrone à natura donatam dicebant ad epulandum: itaque ipſi animanti animam datam pro ſale, qui ſeruaret carnem. *Sus.* De bouis corij multiplici vſu ſuo loco plura dicentur, nũc autem hoc tantùm dixiſſe iuuerit, ocreas inde, & calceos fieri, quibus tibias pedeſque contra aquam niuemque armamus. *Bos.* Carnis bonitate nulli poſthabendus

Vitulus. eſt, maxime in infantia, quocunque etiam modo paratus: vitulum enim legimus, priuatim oportu- E
nis olim in locis fuiſſe ſaginatum, vt ad epulas parandas, celebrandaque conuiuia, ſuauires redde-
rentur eius carnes. cuiuſmodi cupedias incantatrix illa fœmina Sauli regi parauit, & paterfami-
lias perdito filio apponi iuſsit. Sed & adultos boues apud priſcos in tanto honore fuiſſe conſtat, vt
Odyſſ. δ. regibus etiam apponerentur, vt Menelai exemplo indicat Homerus Telemacho eam apponentis in
cœna: Inquit enim:

Ὣς φάτο, καί σφιν νῶτα βοὸς παρὰ πίονα θῆκεν
Ὄπτ' ἐν χερσὶν ἑλών τά ῥά οἱ γέρα παρθέσαν αὐτῷ,
Οἱ δ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.
Sic dixit: & ipſis dorſa bouis pinguia appoſuit
Aſſa, in manibus accipiens, quam portionem poſuerant
Hi in cibos paratos manus immiſerunt.

Lib. 7. Ananius verò vetuſsimus iamborum ſcriptor apud Athenæum, cùm indicaſſet, quibus anni tempo-
ribus quidam ex celebrioribus piſcibus palato ſunt gratiores, ſubdit: βοῦς δὲ πιανθεὶς, δοκέομεν καὶ
μεσέων νυκτῶν ἡδύς κ' ἡμέρης, ideſt, *Bos verò ſaginatus, & medijs noctibus, vt videtur, & interdiù ci-* F
bus eſt gratus. Sed & nomen ipſum à nutriendo factũ aiunt: βῶ quippe eſt alo: cæterùm non ſola
id præſtat carne, verum etiam ſuo labore. Eum enim ad plauſtra & aratra præcipuè natum eſſe ap-
paret, cùm ob eximium corporis robur, tùm quod ceruicem ei priuatim iugo ferendo aptam natura
dedit, vt Cicero teſtatum reliquit, vbi diuinam prouidentiam in cæteris quoque animantibus exa-
Lib. 2. de nat. deorum. minat: *Quid de bobus, inquit, loquar? quorum ipſa terga declarant, non eſſe ſe ad onus recipiendum fi-*
gurata: ceruices autem natas ad iugum, tum vires humerorum, & latitudines ad aratra extrahenda.
Hinc illa bouis inter cætera biſulca prærogatiua; quod in agricultura laborum noſtrorum factus ſit
ſocius, frumenta quotannis copioſè admodum ſuppeditans, ideoque apud Athenienſes Cereris ac
Ouis. Triptolemi miniſter habitus. Ouem verò etiam magni factam ab antiquis, & in magno quoque
In problem. fuiſſe honore ex eo innoteſcit, quoniam nummis vtebantur, qui vt Plutarchus teſtatur, ouis ac bo-
uis effigie erant ſignati, & cùm in omni pecore omnem ſuam haberent ſubſtantiam, duo iſthæc po-
tiſsimum animantia coluiſſe, & in his alendis fuiſſe intentos, præcipuaſque habuiſſe facultates cla-
Peculiũ vnde dictum. rum eſt: nam & patrimonium ob hoc peculium vocabatur, vt Columella teſtatur his verbis: *In ru-*
ſticatione, vel antiquiſſima eſt ratio paſcendi, eademque quæſtuoſiſſima, propter quod nomina quoque, G
In præfat. lib. 6. *& pecuniæ, & peculij tracta videntur à pecore, quoniam id ſolum veteres poſſiderunt, & adhuc apud*
quaſdam gentes vnum hoc vſurpatur diuitiarum genus. Idem teſtatur Plinius: *Pecunia* (inquit) *ipſa*
Pecunia. Lib. 18. c. 3. *à pecore appellabatur, & nunc in tabulis cenſorijs paſcua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus*
habet, quod in hoc ſolum vectigal fuerat. Græci etiam, vt Ioſephus Scaliger meminit in Varronem,
Paſcuum quid. πρόβατα, ſic oues etiam vocant, à prouentu dixerunt, & πρόβασις Homero prouentus eſt, quòd eo-
rum copia, inquit, in pecu; & videas apud Homerum πολύμηλους, & πολύαρνες, ideſt multas poſ-
ſidentes oues, & agnos non ſemel pro opulentis diuitibuſque poni, idem & Agamemnonem, quem
aliàs cæteris regibus, qui ipſum ad expugnandam Troiam comitati ſunt, imperantem facit, creber-
rimè ποιμένα λαῶν, ideſt paſtorem populorum appellat, quod Heſychius alijque interpretantur
βασιλῆα τῶν ὄχλων, ideſt, turbæ ſiue multitudinis populorum regem. Si modò & dignitatem vtriuſ-
Ex bouenè an ex oue maior vtilitas. que pecoris, & quas ſuppeditant vtilitates ponderemus, ouem bos indubitatè vincet. Theologi
quinque bouis, quatuor ouis commoda enumerant: Bos, inquiunt, immolatur, arat, paſcit carne,
lac dat, & corium diuerſis vſibus ſubminiſtrat: Ouis verò immolatur, editur, lac & lanam tribuit:
Cap. 22. vnde eſt quod in Exodo ſcribitur; *Si quis furatus fuerit bouem, aut ouem occiderit, aut vendiderit,* H
quinque boues pro vno boue reſtituet, & quatuor oues pro vna oue. Quamuis autem vterque immo-
Victima optima. letur, ex bobus tamen, vt Plinij verbis vtar, victimæ habebantur optimæ, & lautiſsima erat deorum
placatio: boues item maiores vocabant hoſtias, oues verò minores: illoſque dijs maioribus, has mi-
noribus ſacrificabant: ſed & illos mactabant, qui triumphantes Vrbem intrabant, has qui ouantes
tantùm. Et quamuis in omni pecore veterum poſitæ eſſent diuitiæ, hæ tamen boum præcipuè typo
Cap. 22. indicabantur, idque in ſacris literis: ſiquidem apud Matthæum, vbi dicitur: *Tauri mei & altilia oc-*
ciſa ſunt, D. Hieronymus regias opes per metaphoram indicari teſtatur. Et veteri Scythico ada-
gio, Octapodes dicebantur, qui duos poſsidebant boues, de ijs qui ruſticanis opibus abundabant.
E contrario alicubi ex Septuaginta interpretum verſione ex penuria boum, annonæ indicatur cari-
tas. *Ficus non adferet fructus, & non erunt germina in vineis, mentietur opus oliuæ, & campi non fa-*
cient eſcas, defecerunt eo, quod comederent oues, & non ſunt boues in præſepibus. Qui locus explica-
tur decimoquarto prouerbiorum, vbi dicitur: *Vbi non ſunt boues, præſepe vacuum eſt; vbi autem ap-*
parent plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis. Addo ego: vbi plena ſunt præſepia, ibidem
frumento plena ſunt horrea. Quamobrem & nos in hoc de biſulcis opere, primas boui partes aſsi-
gnabi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A gnabimus, Cadmi in primis imitatione, qui similiter, cùm bos Phœnicum lingua aleph vocaretur, hanc literam inter alias primo loco honoratus est, quia & boui eundem tribuendum putabat, non secundum aut tertium, vt fecit Hesiodus, qui in eo opere, quod inscribitur opera & dies, in optima domus siue familiæ constitutione ab ipsa vxore bouem aratorem necessarium esse dixit: *Cadmus.* *Plutarch. 9. sympos.*

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα

In primis domus & mulier, bosque adsit arator,

Quem locum Poetæ citans Aristoteles: *nam bos*, inquit, *pauperibus pro seruo est*. Eleganter pariter ac apposité Columella prouentus, qui ex agricultura habentur, hominumque boumque labores dixit hoc versu: *Polit. 1.*

Iaculatur Iupiter imbres

Grandine dilapidans hominumque boumque labores.

Quia verò longè maior est, vtiliorque boum quàm hominum labor, Virgilius nulla facta hominis mentione, bouem priuatim celebrans sic canit:

Et pluuia ingenti sata læta boumque labores *Georg. 1.*

B *Diluit.* Et rursus: *Georg. 2.*

Agricola incuruo terram dimouit aratro,

Hinc anni labor, hinc patriam paruosque nepotes

Sustinet, hinc armenta boum, meritosque iuuencos.

Recta autem ratione meritos iuuencos ait, sicuti namque communis labor est, ita etiam communis debet esse laboris fructus. Super qua re Vegetij audiamus sententiam: *Cuncta leguminasiue frumenta* (inquit) *bobus meritò aratrisque debentur. Vinearum ipsarum vsus periret, nisi eorum adminiculis carpenta sudarent: quid de diuersorum onerum comparatione referam, dum inter mobilia, & quicquid grauius est, absque vehiculis penè reddatur immobile? Reliqua omnia animalia, ipsæque cohortales aues, ex eorum capiunt labore substantiam: Vnde enim equis hordeum, vnde cibum canibus, vnde porcis pabulum dominorum solertia subministraret, ni parentur boum labore frumenta? Et ne longum faciam, bobus debet alimenta, quicquid ali potest. Apud alios genus mularum, apud alios camelorum, apud paucos elephantorum, licet exiguus vsus est, nulla potest ratio esse sine bobus.* Accedit quod ipse etiam deus immortalis, vt ait Aeschyli Prometheus, referente Plutarcho, munera ho- *Bobus quæ debeantur.* *In prologo lib. 2. Veterin.*

C minibus rependens, ea dat, quæ nostris subire laboribus apta sunt, fœtus nimirum equorum, asinorumque & boum genus: quamobrem quoque in prisca illa ætate præcipuum fuisse diuitiarum studium Pausanias author est, luculenta habere, equorum, & boum pecuaria: idemq; elicitur ex Homero, apud quem Achilles apud Agamemnonem sese purgans, cur à bello abstineret, negat se læsum, aut vlla iniuria à Troianis affectum. *Lib. de solert. animal.* *In Messanicis.*

Οὐ γάρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους.

Non enim equos vnquam mihi subduxere bouesque.

Equos autem sub curru, ad aratrum prodesse bouem vetus Pindari dictum, vtrumque nimirum hoc pecus præ cæteris homini commodare indicantis: sed rectius fortassis equum dixisset, ferendo homini vtilem, vt bouem aratro conducere dicebat, illumque belli tempore, hunc pace vtiliorem quo nimirum sensu Thesèum referunt iam belli pertæsum bouis imagine nummum cusisse, vt & ciuium suorum animos à bello amoueret, & ad agriculturæ studium inflammaret: Arationem autem pacis symbolum in primis facit Horatius 4. Car. Ode 5. *Vt equus & bos necessarij.*

D *Quærit patria Cæsarem*

Tutus bos etenim rura perambulat,

Nutrit rura Ceres &c.

Clarissimè Ouidius 1. Fast.

Bella diu tenuere viros, erat aptior ensis

Vomere, cedebat taurus arator equo.

Atque inde etiam, vt mea fert opinio, veterum Germanorum illud memorabile dimanauit institutum, vt equum frænatum, & scutum cum framea, bouesque iunctos vxori ducendæ dotis nomine mitterent: vt vxor (inquit Tacitus) venire se laborum, periculorumque sociam his incipientis matrimonij auspicijs admoneretur, idem in pace, idem in prælijs se passuram ausuramque: laborem enim iuncti boues, bellum paratus equus, & data arma significabant. Est autem boum labor duplicem præcipuè ob causam celebratus, cùm quia vnanimis, ac æqualis, tùm quia grandis ac continuus. De æqualitate vnanimitateque venustissimam apud Homerum lego similitudinem: *Germanorum mos in sponsalitijs.* *Iliad. N.*

Αἴας δ' οὐκέτι πάμπαν ὀϊλῆος ταχὺς υἱὸς

Ἵστατ' ἀπ' Αἴαντος Τελαμωνίου, οὐδ' ἠβαιὸν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

 E

Αλλ᾽ ὡς ἐν νειῷ βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον :
Ἶσον θύμον ἔχοντε τιταίνετον, ἀμφὶ, δ᾽ ἀράσφιν
Πρυμνοῖσιν κεράεσσι πολὺς ἀνακηκίει ἱδρὼς,
Τὼ μὲν τε ζύγον οἶον ἐΰξοον ἀμφὶς ἐέργει,
Ιεμένω κατὰ ὦλκα, τέμνει δὲ τε τέλσον ἀρούρης
Ὣς τὼ παρβεβαῶτε μάλ᾽ ἕστασαν ἀλλήλοισιν.

Aiares ambo, vt bobus ſimiles.

Aiax autem non procul omnino Oilei velox filius
Stabat ab Aiace Telamonio, ne paulum quidem,
Sed ſicut in nouale boues nigri compactum aratrum
Aequalem animum habentes trahunt; circa autem ipſorum
Ima cornua multus erumpit ſudor,
Hos quidem iugum ſolum bene politum vtrimque diſtendit
Vadentes per ſulcum, inciditur autem fundus arui.
Sic hi congreſſi, valdè ſtabant inter ſe.

Boum labor laudatur.

Quàm indefeſſus autem & continus ſit idem labor, grauiſſimi quoque indicant authores Heſiodus, F & Virgilius, vterque agriculturæ conſultiſſimus, nam vt ille canit, oriente inchoat aurora, & vt ille oſtendit, ad veſpertinum vſque crepuſculum perdurat, quod videlicet tempus, ex reditu boum ab opere ſuo ſignificat, inquiens:

Aſpice, aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci,
Et ſol decedens creſcentes duplicat vmbras.

Parum autem hoc eſſet, niſi ab ipſo veris initio laborem occiperent, & ad hyemem vſque perferrent, quo tempore tanquam emeritos milites coronis & laborum ſuorum fructibus dignos eſſe, Ouidius innuit: dum canit:

State coronati plenum ad præſepe iuuenci:
Cum tepido veſtrum vere redibit onus.
Ruſticus emeritum palo ſuſpendit aratrum,
Omne reformidat frigore vulnus humus.

Iungitur & equus multis in locis aratro, arant item muli, eorumque cultura ab Homero præcipue celebratur; iuuenias tamen optimam culturam, ex qua feliciſſima meſſis expectatur, à ſolo boue G

Optima cultura.

βέφαρον ab antiquis nuncupatam: eamque tanti fecit antiquitas, vt eum qui primò boues iunxit ad aratrum, non vulgari qualis hominibus debetur, honore dignum cenſeret, ſed diuino cultu proſequeretur, & inter deos immortales referret, vt meminit D. Auguſtinus: *Boues*, inquit, *primò iungens ad aratrum, inter deos eſt tranſlatus*: traditque Euſebius de Aegyptiorum loquens Theologia, nonnullos vſus vtilitatiſque cauſa multa ex animalibus in deorum numero apud Aegyptios ſuſcepta contendere: bouem enim ipſam tam partu ſuo quàm arandi opera conducere: eſtque bos eiſdem, vt legitur apud Clementem Alexandrinum, terræ, agriculturæque & alimenti ſymbolum. Et Georgius Cedrenus tradit Cecropem Athenienſium regem, vrbiſque eorum conditorem primum bouem admiratum eſſe, & Iouem cognominaſſe. Decanini quoque noui orbis populi hodieque referente Ioanne Hugonis in ſua in illas regiones nauigatione, bouem ſanctitatis opinione inter domeſtica alia humaniſſimè tractant: teſtaturq; Ludouicus Romanus Calecutenſes vtilia ad vitam humanam animantia, neutiquam necare, vt ſunt, inquit, boues & oues, tamq; tenero amore ea proſequi, vt cum prætereunt, manibus leniter demulceant, ac deoſculentur: quod ſi vero quis ea, vel de induſtria, vel caſu læſerit, eum pœnas luere, non aliter, quàm ſi furtum ac latrocinium H commiſiſſet. Quod vitæ inſtitutum & ſi partim ridiculum, partim atrox videatur, tamen imitanda aliqua honeſtatis ſpecie nititur; nolunt enim, vt ex hoc videtur, ijs à quibus beneficium acceperunt, ingrati aut iniurij videri. Athænis verò longo tempore ſeruatum fuiſſe Cælius annotauit, ne bouem, cuius opera, vel aratro, vel curru vtebantur, omnino immolarent, ὅτι καὶ ἔτος εἴη ἂν γεωργὸς καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινώμος, ideſt, quoniam & hic colonus ſit, ac laborum quoque noſtrorum particeps: vnde regnante ibi Erechtheo, cùm ſacro quodam bouem mactari neceſſe eſſet, vt ſacrum ritè perageretur, neque legi fraus fieret, inſtitutum fuiſſe traditur, vt popa, quem ibi βουφόνον appellant, ſimul ac bouem percuſſiſſet, relicta ad aram ſecuri, arrepta ſtatim fuga, ſolum verteret, & ex Attica prorſus fugeret, quod facinus ne impunitum relinqueretur, decretum fuit, ſecurim ipſam in iuditio ream conſtituere, exq; eo illam iudicandi quotannis conſuetudinem inoleuiſſe ferunt. Aelianus author eſt, eius diei, in quo iſthæc patrabantur, feſtum vacari ſolere dypolia, & buphonia: & Alexander ab Alexandro ex Plutarcho nempe, Solonem eius legis authorem fuiſſe aſſerit. Sed & Pythagoræ fuit inſtitutum, ne quis, vel ſibi, vel dijs iſtiuſmodi operoſa vtiliaque homini animalia interimeret, ſed ſues potius, & capras, illas nimirum quia agris infeſtæ

Lib. 2. de præpar. Euang. cap. 1.
Boues vbi honorati.
Lib. 5. Stromat.
Cap. 28.
Gratitudo laudata.
Lib. 19. c. 27. lect. antiq.
Bouem vbi occidere non liceret.
Lib. 3. Var. hiſt.
Lib. 3. c. 12.
In Solone.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A infestæ sunt, has quia vites depopulantur: de quo præcepto ita scribit Ouidius:

Et prima putatur *Metamorp. 15.*
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.
Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur vltoris: nocuit sua culpa duobus.
Quid meruistis oues, placidum pecus, inque tuendos
Natum homines, pleno quæ fertis in vbere nectar?
Mollia quæ nobis vestras velamina lanas
Præbetis, vitaq; magis quàm morte iuuatis?
Quid meruere boues, animal sine fraude doloque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curui dempto modò pondere aratri
B *Ruricolam mactare suum, qui trita labore*
Illa, quibus toties durum renouauerat aruum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.
Nec satis est, quod tale nefas committitur: ipsos
Inscripsere deos sceleri, numenque supernum
Cæde laboriferi credunt gaudere iuuenci,
Victima labe carens, &c.

Et paucis interpolitis.

Vnde fames homini vetitorum tanta ciborum est?
Audetis vesci genus ò mortale? quod oro
Ne facite, & monitis animos aduertite nostris,
Cumque boum dabitis cæsorum membra palato,
Mandere vos vestros scite, & sentite colonos.

Et mox rursus:

C *Quàm malè consuescit, quàm se parat ille cruori*
Impius humano; vituli qui guttura cultro
Rumpit, & immotas præbet mugitibus aures?
Aut qui vagitus similes puerilibus hædum
Edentem iugulare potest, aut alite vesci
Cui dedit ipse cibos? quantum est quod desit in istis
Ad plenum facinus? qua transitus inde paratur?
Bos aret, aut mortem senioribus imputet annis,
Horriferum contra Boream ouis arma ministret,
Vbera dent saturæ manibus pressanda capellæ. *Lib. 4. Fast.*

Et alio opere rursus.

A boue succincti cultros remouete ministri,
Bos aret, ignauam sacrificate suem.
Apta iugo ceruix, non est ferienda securi,
D *Viuat, & in dura sæpe laboret humo.*

Habemus item inter Catonis præcepta:

Thure deum placa, vitulum sine crescat aratro.

Istiusmodi Pythagoræ fortassis præceptum Phryges secuti fuerint, quos videlicet Aelianus testatur, morte mulctasse, qui bouem occidisset aratorem: & ne longiùs habeamus, apud Romanos in tanta veneratione fuere boues, vt præterquàm quòd ob interemptos nonnulli in exilium missi sunt, tam etiam capitale apud eos fuisse ex Varrone, Plinio, Columella alijsque constat, bouem occidisse, quàm ciuem. Ad cuius legis seueritatem pertinet, quod his verbis scribit Valerius Maximus. *Nō supprimenda illius quoq; damnatio, qui puerulisui amore corruptus, rogatus ab eo ruri, vt omasum in cœnā fieri iuberet, cum bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas esset, domi boue occiso, desideriū eius impleuit, eoq; nomine publica quæstione afflictus est, innocens, nisi tā prisco sæculo natus fuisset.* Quam legem hodieq; in Cambaię regno durare in eorū narrationibus inuenio, qui de suis nauigationibus scriptitarunt. Illud verò etiā memoratu non indignū est, quod D. Hieronymus tanquā vbiq; imitandum narrat, Valentem nimirum Imperatorem, lege per Orientem cauisse, ne quis vitulorū carnibus vesceretur, *vtilitati agriculturæ*, inquit, *prouidentē, & pessimā Iudaizantis*

Phrygum mos.
Lib. 12. de animal. c. 34.
Lib. 8. cap. 1.
Valentis lex de non occidendis vitulis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vulgi emendantem conſuetudinem pro altilibus, & lactentibus vitulos abſumentes. Sed & Conſtantinus lege executores, Cod. Quæ res pig. obl. poſſ. ob ciuilia debita boues aratorios pignori capi vetuit, vt Cuiatius annotauit cap. 20. lib. 4. obſeruat. ne culturæ abſtraherentur. Cum autem bella adhuc ignorarent homines, aureo nempe illo maiorum ſæculo, ab eſu iſtius animantis omnino abſti- *Lib. 2. de nat. deor.* nebatur, & vt M. Tullius ait, vis eis nulla vnquam afferebatur, &

Ferrea tum verò proles exorta repentè eſt
Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,
Et guſtare manu victum domitumque iuuencum.

Tanta putabatur, inquit ille, *vtilitas percipi ex bobus, vt eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur.*
Georg. 2. Similiter etiam Virgilius canit:

Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, & antè
Impia quàm cæſis gens eſt epulata iuuencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

In cuius verſus explicatione Seruius quoque ait, maiores boues comeſſe nefas putaſſe. Itaque Plutarchus in carnis edaces inuectus, quòd iam ad operarios vſque boues peruentum ſit, lamentatur, animalia, videlicet, quibus ob laborum ſuorum emolumenta omnino erat parcendum: quæque Britanni olim æquè ac hominum capita cenſebant, & quorum eſus apud Scythas non niſi vindictæ *In Toxaride* cauſa erat in vſu. Si quis enim apud eos, vt tradit Lucianus, læſus erat, nec ſuppetebat vlciſcendi fa- *Humilitas à Scythis vt indicata.* cultas, immolato boue carnes minutim ſectas coquebat, ipſe in tergore humi ſtrato ſedebat, manibus in tergum reductis, id quod maximum ſupplicandi apud illos genus habebatur. Accedebat quicunque vellet opitulari, & carnium portione guſtata, dextroque pede tergori impoſito, pollicebatur pro viribus ſe auxilio futurum, atque hoc fœdus ibi ſanctiſſimum habebatur. Similiter, & *Moloſsi quãdo boues mactarent.* Moloſſi, vt Suidas tradit, nunquam niſi fœdera inituri boues necabant, tunc autem in multa eos minuta diſſecabant fruſta. Cæterùm cum poſtmodum omne genus pecudis in cibum hominum *Pecus quando ali cœptũ.* ceſſit, mirum eſt quàm enumerabiles greges ali cœperint, id quod Neſtor in primis apud Homerum indicat, prædam, quam Elidenſibus Itymoneo interempto ſe eripuiſſe gloriatur, enumerans: fuiſſe *Iliad. 11.* autem boum quinquaginta armenta, totidemq; ouium greges, ſiumq; & caprarum: adhæc equas centum, quibus ſui ferè omnibus ſuberant pulli. Quorundam verò pecus tam numeroſum fuit, vt *Augeæ ſtabulum.* numerus ferè in fabulas ceſſerit, ſicuti quòd tradunt de Augeæ ſtabulo. Narrant enim teſte Pauſania boum in primis, & caprarum tam numeroſa habuiſſe armenta, vt bona pars regionis propter fimum illorum, inutilis ac inculta iaceret. Iſraelitas quoque in paſcendo pecore valde occupatos fuiſſe, vel inde innoteſcere poteſt, quòd Salamon in templi ſui dedicatione viginti boum millia mactaret: ſed & Romani ipſi hac in re non exiguum collocarunt ſtudium, quod oſtendit Plinius C. *Lib. 33. c. 15.* Cæcilij Claudij Iſidori exemplo, eum enim ſcribit teſtamento edixiſſe, quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, tamen relinquere iuga boum tria millia ſexcentum, reliqui pecoris quingenta quinquaginta ſeptem millia. Tametſi autem omne genus pecoris alerent, nihilominus in alendis bo- *Pauſanias in Meſſanicis.* bus præcipuè erant intenti, & vt electiores poſſiderent, varias peragrabant regiones. Longè celeberrima olim erat in Pylo vrbe ſpelunca, in qua Neſtoris, & ante eum Nelei ſtabulum fuiſſe dicitur boum Theſſalicarum de grege Iphicli: atqui non Neleus tantum has Iphicli boues poſſidendi cauſa eò profectus eſt, ſed & Euriſtheus Herculi imperauit, vt ex Hiſpania boues, quas ibi eximia ſpecie eſſe intellexerat, ad ſe abigeret. Eiuſdem quoque pecoris ex Erythea abacti mira fuiſſe incenſum cupiditate Erycem in Sicilia conſtat ex eo, quòd cùm in luctæ certamen cum Hercule deſcen- *Qui olim ararent.* diſſet, hinc Herculis boues, illinc Erycis regnum præmia victori propoſita fuerint. Cupiditatis tantæ cauſa fuit, quia ipſi arabant heroes, arationiſque ſe æquè, ac belli peritos eſſe gloriabantur, *Odyſſ. Σ.* vt Vlyſſis Itacæ regis exemplo indicat Homerus:

Εὐρύμαχ᾽ εἰ γὰρ νῶιν ἔρις ἔργοιο γένοιτο
Ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτι τ᾽ ἤματα μάκρα πέλονται,
Ἐν ποίῃ, δρέπανον μὲν ἐγων εὐκάμπες ἔχοιμι,
Καὶ δὲ σὺ τοῖον ἔχοις, ἵνα πειρησαίμεθα ἔργου,
Νήστιες ἄρχι μάλα κνέφαος, ποίη δὲ παρείη,
Εἰ δ᾽ αὖ καὶ βόες εἶεν ἐλαυνέμεν οἵπερ ἄριστοι
Αἴθωνες, μεγάλοι, ἄμφω κεκορηότε ποίης,
Ἥλικες, ἰσοφόροι, τῶν δὲ σθένος οὐκ ἀλαπαδνον.
Τετράγυον δ᾽ εἴη, εἴκοι δ᾽ ὑπὸ βῶλος ἀροτρῳ,
Τῷ κέ μ᾽ ἴδοις εἰ ὦλκα διηνεκέα προταμοίμην.
Εἰ δ᾽ αὖ γὰρ πόλεμον ποθὲν ὁρμήσειε Κρονίων
Σήμερον, αὐτὰρ ἔμοιν σάκος εἴη, καὶ δύο δοῦρε

Καὶ

Καὶ κυνέη παγχαλκος ἐπὶ κρόταφοις ἀραρυῖα
Τῷ κέμ' ἴδοις πρώτοισιν ἐνὶ προμάχοισι μιγέντα.
Eurymache, si enim nobis contentio operis esset,
Tempore in verno, quando dies longi sunt
In herba falcem quidem ego bene flexam haberem,
Tu autem, & talem haberes, vt experiremur opus,
Ieiuni vsque ad tenebras, herba autem adesset.
Si autem rursus, & boues essent ad impellendum optimi
Pingues (αἴθωνες, malim nigri) magni, ambo saturati herba,
Aequales, æqualiter portantes, quorum robur non imbecillum.
Aratrum autem esset, obediat autem gleba aratro,
Tunc me videres si sulcum longum proscinderem,
Si autem rursus, & bellum alicubi moueret Saturnius,
Hodie, & mihi scutum esset, & duæ lanceæ,
Et galea tota area in temporibus congruens,
Tunc me videres primis in pugnantibus mixtum.

Similiter apud Romanos, cùm maximè florebat respublica, illi etiam arabant, qui eius gubernaculis præerant. *Serentem*, inquit Plinius, *inuenerunt dati honores Serranum, vnde cognomen. Aranti quatuor sua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellabantur, Cincinnato viator attulit dictaturam, & quidem, vt traditur, nudo, plenóque puluere etiamnum ore.* Idem author est apud eosdem Romanos probro notatos censorio, si qui male agros coluissent, & Cato etiam ait, cùm virum bonum colonum dixissent, amplissimè eum laudasse credebant: imo verò cùm octo dies continuos agris excolendis impenderent, vnum duntaxat, nimirum nonum rebus vrbanis, nundinisque destinabant, ne ab opere homines auocarent. Quidam etiam ex patritijs, quia optimè bobus vtebantur, & vt alios arandi peritia vincere se ostentarent, bubulcos se vocari gloriæ duxerunt: sed & ipsa respub. ludos quotannis boum causa celebrabat, quos, vt idem Plinius ait, bubetios ab his animalibus nuncupabant. Quousque autem boues talium virorum manibus tractabantur, tam vberes redditus terra reddebat, vt septem tantum iugera familiæ honestissimæ non solùm sufficerent, sed ne plura possiderent, lege cautum esset, illum verò in primis beatum dicerent, *qui*, vt Horatij verbis vtar, *procul negotijs, vt prisca gens mortalium, paterna rura bobus exercebant suis.* Ad quam veterum Romanorum consuetudinem alludebat idem Poeta, vbi cuncta se scribit fausta ominari Mæcenati ad bellum Actiacum cum Augusto contrà Antonium, & Cleopatram proficiscenti, non eo tamen fine, vt inde ditior euadere speret, aut velit, id quod istiusmodi indicat hypalloge.

Lib. 18. c. 2.

Romani, vt agriculturæ studiosi.

Ludi bubetij.

In Epodo Ode 5.

Libenter hoc & omne militabitur
Bellum in tuæ spem gratia,
Non vt iuuencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis.
Pecusque Calabris ante sydus feruidum
Lucana mutet pascua.

Hoc est, non vt illigati tauri sub aratris nitantur, incumbantque proscindendæ terræ, seu vt habeam plura aratra, hoc est, vt euadam opulentior, & plures colendas desiderem villas, possesionesuè. Ex quibus satis clarè intelligi posse arbitror, boues Romæ permagni semper fuisse factos, id quod M. Varro prædicans, bubulum gregem cæteras pecudes honore superare debere ait, præsertim autem in Italia, quæ ab hoc nuncupationem traxisse videtur, quod olim Græci tauros ἰταλὸς vocarent, & in ea Vrbe, cuius mœnibus condendis mas, & fœmina aratro terminum signauerunt. Quomodo aut mœnia signarentur docet his verbis Festus Pompeius: *Primogenius sulcus dicebatur, quem in condenda noua Vrbe tauro, & vacca designationis causa imprimebant. Conditores enim Ciuitatis taurum in dextram, vaccam intrinsecus iungebant, & incincti ritu Gabino, idest, togæ parte caput velati tenebant stiuam siue aratri manicam incuruam, vt glebæ omnes intrinsecus caderent, & ita sulco ducto loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum: Hoc eodem modo diffinitum Varro fuisse ait, quæ nam esset muris portæ; cum Roma est condita. Tradebantur autem istiusmodi vsus Etruscorum libris qui rituales nominati sunt, in quibus scriptum erat, quo ritu Vrbes conderentur, item aræ ædesque sacrarentur, curiæ, tribus & centuriæ distribuerentur.* Varro verò sic scribit: *Oppida condebant in Latio, Etrusco ritu iunctis bubus, tauro & vacca interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, vt fossa & muro essent præmunita: Terram vnde excalpserant, fossam vocabant, & introrsum factum murum: post ea quod fiebat orbis, vrbs,*

Italia vnde dicta.

Mœnia vt signarentur.

Li. 4. de ling. Lat.

prin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

principium quod erat poſt murum, pomerium dictum, eiuſque ambitu auſpicia vrbana finiuntur. E

Faſt. 4. Hæc ille. De Romæ mœnibus ſic meminit Ouidius.

Inde premens ſtiua deſignat mœnia ſulco
Alba iugum niueo cum boue vacca tulit.

Coloniarum deductio, vt indicata. *Mulctæ quales olim Romæ.* Atque hinc poſtmodum puto dimanauit, quod in nummis, tam Græcis, quam Latinis per boues, vel tauros coloniarum deductiones intelligebant. Iam verò cum pecuniariæ mulctæ certus apud eoſdem modus eſſet præfinitus, quem tranſcendere minimè fas eſſet, quibus autem maxima indicebatur mulcta, tria ij millia, & viginti aſſes ſoluere cogebantur, quia plus triginta bobus, & duabus ouibus nemo taxari poterat, æſtimatuſque erat bos centuſſibus, ouis verò decuſsibus, hoc eſt, centum, vel decem aſſibus, centuſſibus autem teſte Varrone, non eſt maius æris vocabulum: Super *Lib. 3. cap. 5.* qua lege conſulendus eſt Alexander ab Alexandro, ego interim Plinij ſuper eadem verba recitabo: *Non omittenda*, inquit, *priſcarum legum beneuolentia, cautum quippe eſt, ne bouem prius quàm ouem nominaret, qui indiceret mulctam*, & meritò quidem legum beneuolentiam earum vocat, quę ne agriculturæ damno eſſent, ouibus potius quam bobus mulctari reos iuberent. Vt verò creſcente ſerpenteque luxu boues vilioribus manibus tractari cœperunt; non ille etiam qui olim ex boum F *Terra cur minus vberes fructus reddat.* laboribus prouentus capitur. Teſtatur id etiam Plinius, inquiens: *Quæ nam ergo tantæ vbertatis cauſa? Ipſorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri, vt fas eſt credere, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore, ſiue illi eadem cura ſemina tractabant, qua bella, eademque diligentia arua diſponebant, qua caſtra: ſiue honeſtis manibus omnia lætius proueniunt, quoniam, & curioſius fiunt*; Et mox paucis, quæ ſuo loco recitauimus, interiectis, *Tales tum etiam viatores erant, quod nomen inditum eſt ſubinde, & ex agris Senatum ducesſque accerſentibus: at nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inſcripti vultus exercent, non tamen ſurda tellure, quæ parens appellatur, colique dicitur, & ipſa, honore his aſſumpto, vt non inuita ea, & indigne credatur id fieri. Sed nos* *Boues pro dote.* *miramur ergaſtulorum non eadem emolumenta eſſe, quæ fuerint Imperatorum.* Dantur nunc boues pro ſponſalitio munere ſoceris apud ruſticos; olim verò heroibus, vt ex Homero elicitur, qui Iphidamantem Antenoris filium centum boues dotis nomine ſocero perſoluiſſe ait, ſed teſtimonium adducam.

Πρῶθ' ἑκατὸν βοῦς δῶκεν, ἔπειτα δὲ χίλι' ὑπέςη
Αἶγας ὁμοῦ καὶ ὄϊς, τά οἱ ἄσπετα ποιμαίνοντο. G
Primum centum boues dedit, deinde quoque mille promiſit
Capras ſimul & oues, quæ ei multæ paſcebantur.

Lib. 4. cap. 8. Apud Indos verò olim, vt annotauit Alexander ab Alexandro, iugo boum ſponſas quoque, mercari permittebatur, ita tamen vt ex ſua quiq; tribu vxorem duceret: cæterùm ego apud Strabonem reperio, Indos multas accepiſſe vxores iugo boum emptas. Idem Alexander author eſt, in *Lib. 5. cap. 8.* *Virtutis præmium.* Deliacis certaminibus, qui egregiam pugnando nauaſſent operam in virtutis exhibitæ teſtimoniū, bouem accepiſſe, & nos paulò antè Erycem, ac Herculem in luctæ certamen deſcendiſſe diximus, illumque regnum ſuum, hunc boues, quas ex Hiſpania ducebat, victoriæ præmia propoſuiſſe. Sed & Achilles apud Homerum curſu certantibus bouem poſuit, magnum & adipoſum, naualiſq; certaminis præmia ſtatuit, lebetes, tripodes, equos, mulos, & boum fortia capita. Bouem item victori pollicetur Aeneas in pugillatu, auro & vittis velatum apud Virgilium.

Lib. 5. Aeneid.

Nunc ſi cui virtus, animuſque in pectore præſens
Adſit, & euinctis attollat brachia palmis:
Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem, H
Victori velatum auro vittiſque iuuencum.

Decius Mus bobus donatus. P. Decius Mus tribunus militum, cum Romanum exercitum ab hoſtibus Sabinis circumuentum circuitione montis conſeruaſſet, Conſul Cornelius Coſſus concione aduocata peregit Decij laudes; cumulatiore etiam teſtimonio recentioris conſilij, cum alijs militaribus donis, auream illi coronam, centum boues, & in his album auratis cornibus donauit: ſingulis qui cum eo fuerant, militibus, duplex frumentum, binoſque in præſentia boues, binaſque tunicas. Milites eam conſulis gratitudinem clamore approbantes, coronam gramineam decuſſæ obſiodionis argumentū Decio impoſuerunt: ipſe centum boues à conſule datos militibus expeditionis illius ſocijs dono dedit. Ita *Lib. 22. c. 5.* quidem hanc hiſtoriam narrat Sabellicus; atqui Plinius, *Quidam*, inquit, *Imperatores, & ſæpius donati*, (coronis) *ſunt: velut P. Decius Mus, tribunus militum ab exercitu: altera ab his qui in præſidio obſeſſi fuerant, quanta eſſet eius honoris authoritas, confeſſus religione: ſi quidem donatus bouem* *Lelius 30. bobus donatus.* *album Marti immolauit, & centum fuluos qui ei virtutis cauſa dati fuerant ſimul ab obſeſſis.* Scipio ſimiliter Lælio, poſt expugnatam vrbem ob egregiè nauatam operam triginta donauit boues, vt Silius Italicus canit.

Pha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Phaleris hic pectora fulget,*
Hic torque aurato circundat bellica colla,
Ille nitet celsus muralis honore coronæ,
Lælius ante omnes, cui dextera clara domusque
Ter deno boue.

Lego & in Plutarcho Agesilaum ab Ephoris fuisse mulctatum, quòd is vnicuilibet senum bouem præmium virtutis mitteret, eamque attulisse rationem facti, quòd publicos largiendo priuatim sibi conciliaret, suosque faceret. Inuenio & Lyricos poetas tauro donatos: Ad lyram sua cantabant carmina, statuebaturque eis chorus quinquaginta virorum, & tauro donabantur. Fuere denique tributi nomine non semel persoluti boues, vt ex historia constat. Dubrauius & Aeneas Syluius testantur Carolum Magnum Bohemis tributum indixisse, vt quotannis boues centum, & triginta penderent, & Bonfinius author est Henrici Tertij tempore Poloniæ ducatum imperio subiectum fuisse, quotannisque boues centum & viginti soluere coactos. Victo cæsoq; à Clotario Francorum rege, Bertholdo Saxonum Duce ad Visurgum fluuium, Saxones similiter, vt narrat Crant-B xius, Francis annuam tributum quingentorum boum pendere coacti sunt. E contrario Siculos in Transyluania tam pertinaces libertatis amatores fuisse idem Bonfinius tradit, vt mori potius quā tributa persoluere mallent, Vngariæque regibus nunquam stipendia soluere voluisse, neque vt id facerent, nulla vnquam vi cogi potuisse: nostra tamen tempestate, precibus tantum ac in regis gratiam, inquit adducti sunt, vt Matthiæ Coruino quibusdam temporibus domesticatim bouem soluant. Postremò boues furto subrepti, belli causa aliquando fuerunt, quemadmodum eleganter indicat Homerus depingens Achillis clypeum: *Lib. de frater. amore.* *Lyrici tauro donati.* *Boues pro tributo soluti.* *Lib. 1. Saxon. cap. 32.* *Boues belli causa.* *Iliad.*

Τοῖσι δ᾽ ἔπειτ᾽ ἀπάνευθε δύο σκόποι εἵατο λαῶν
Δέγμενοι ὁππότε μῆλα ἰδοίατο, καὶ ἕλικας βοῦς.
Οἱ δὲ τάχα προγένοντο δύω δ᾽ ἅμ᾽ ἕποντο νομῆες,
Τερπόμενοι σύριγξι· δόλον δ᾽ οὔτι προνόησαν.
Οἱ μὲν τὰ προϊδόντες ἐπέδραμον, ὦκα δ᾽ ἔπειτα
Τάμνον τ᾽ ἀμφὶ βοῶν ἀγέλας καὶ πώεα καλὰ
Ἀργεννῶν οἰῶν· κτεῖνον δ᾽ ἐπὶ μηλοβοτῆρας
C Οἱ δ᾽ ὡς οὖν ἐπύθοντο πολὺν κέλαδον παρὰ βουσὶν
Ἱράων προπάροιθε καθήμενοι, αὐτίκ᾽ ἐφ᾽ ἵππων
Βάντες ἀερσιπόδων μετεκίαθον. idest

His autem deinde procul duo speculatores sedebant populorum,
Obseruantes quando oues viderent & curuè incedentes boues
Illi verò cito procedebant, duoque vnà sequebantur pastores,
Oblectantes sese fistulis: insidias enim neutiquam præsenserant,
Illi quidem hæc prouidentes incurrunt: moxque deinde
Cædebant vndique boum armenta, & greges pulchros
Candidarum ouium: interficiebant autem insuper pastores
Illi autem postquam audierunt multum strepitum apud boues
Conciones ante sedentes, confestim equos
Ascendentes celeres insecuti sunt.

Manifestò verò id de Lacedæmonijs, & Messenijs refert Pausanias. Res ita propemodum gesta D est; Polychares quidam Messenius boues habebat multas, quibus alendis cùm propria non suppeditarent pascua, locabat eas Spartano homini Euæphno in ipsius agro pascendas, ea mercede, vt esset fœturæ particeps; sed cùm is persacilè quæstui fidem posthaberet, in Laconiam nauibus veniens, pecus mercatoribus venundedit, atque inde quasi inopinatæ rei nuncius vltrò ad Polycharem venit, prædones in eum agrum compascuum facta excursione, extortaque sibi per vim præda, boues simul & bubulcos abegisse. Quæ cùm Polychari persuaderet, superuenit de bubulcis vnus, qui boues venundatas, non furto ablatas dixit &c. Celæno etiam apud Virgilium bellum Troianis pro cæsis stratisque iuuencis imminere ita vaticinatur. *In Messanicis.* *Aeneid. 3.*

Bellum etiam pro cæde boum, stratisque iuuencis
Laomedontiadæ, bellum ne inferre paratis?
Et patria insontes Harpyas pellere regno?
Accipite ergò animis, atque hæc mea figite dicta,
Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando,
Italiam cursu petitis, ventosque vocatis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit: E
Sed non ante datam cingetis mœnibus vrbem,
Quàm vos dira fames, noſtræque iniuria cædis
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.

Ex quibus omnibus, quæ hucuſque dicta ſunt, luce clarius eſt, in omni pecore præcipuam fuiſſe bouis prærogatiuam: cumulatiſſima tamen etiam ex vaccis habemus emolumenta: ipſæ enim etiam iunguntur aratris, plauſtra trahunt, & lac in primis ſuppeditant, ex quo redditus quibuſdam in locis prouenit incredibilis. Nouere id Bataui, qui ex caſeo & butyro, quæ in externa loca exportantur, in ſingulos annos ducenties ſeſtertium cogere dicuntur, quæ ſumma ad decies centena Caroleorum millia extenditur, præter ea quæ in quotidianum alimentum, quo vix alio bona tenuioris fortunæ hominum pars victitat, cedunt, vt Adrianus Iunius aſſerit. Optimo igitur iure biſulcorum hiſtoriam ab hoc animante auſpicabimur, quod vt Aelianus ait, (cuius facundiſſimi ſcriptoris de illius encomio, epilogi loco ſententiam præterire nec poſſum, nec debeo,) plurimas commoditates habet: cùm homines ex eo infinitis commodis afficiantur: primùm namque cum hominibus boum ſocietas rei ruſticæ, & vectionis variorum onerum intercedit: deinde lactis magna vtilitas ex boue percipitur, aræ exornantur, ac hominum conuentibus copioſiſſimas præbet epulas. Bos etiam mortuus, generoſa quædã res & dignitatis plena exiſtimanda eſt, quod apes ex illius reliquijs enaſcuntur, animalia operoſiſſima, & mellis fructum vtiliſſimum, ſuauiſſimumque homini comparantia. Dixerit tamen fortaſſis aliquis, tauri ſanguinem homini lethalem eſſe, ideoque naſci non debuiſſe, aut ſanè ſine ſanguine debuiſſe generari: iſtiuſmodi hominem D. Ambroſius ingratum nominat, quoniam huius animantis virtus, inquit, ad cultum agrorum vtilis, aut ad vſum plauſtrorum habilis, ad alimoniam ſuauis, diuerſo munere fulcit agricolas, quibus deus, bona ſi ſua norint, vniuerſa donauit.

Vaccarum vtilitates. Batauorum vtilitas ex vaccis. Lib.3.c.57. Epilogus. Apes ex bobus. Lib. 3. Hexam. cap. 9. F

SYNONYMA. ETYMOLOGIAE.

MVTAT hoc animantium genus nomen pro ætatis & ſexus ratione: etſi Varro ſolam citet ætatem, dum ait: *In bubulo genere, ætatis gradus dicuntur quatuor: prima vitulorum, ſecunda iuuencorum, tertia boum nouellorum, quarta vetulorum: diſcernuntur in prima vitulus & vitula: in ſecunda iuuencus & iuuenca: in tertia & quarta taurus & vacca. Ex quibus vocabulis vacca ſolummodò ſignificatum nunquam immutat.* Bos apud Latinos, ſicuti & βȣ̃ς apud Græcos propriè quidem dicitur, qui caſtratus eſt, vt aptior aratro fiat, aut vt ad cibum ſaginetur, tamen præter proprium hunc ſuum ſignificatum, taurum quoque & vaccam comprehendit: ſicuti non vno loco in progreſſu hiſtoriæ noſtræ patebit. Addit Ioannes Tzetzes βȣ̃ν aliquando etiam vitulum ſignificare. Varino βȣ̃ς nomen eſt genericum, πόρτις ſpecificum, de qua voce mox. Significat ei autem non ſingulos tantum, ſed etiam gregem, & armentum. Sæpius Poetis fœminino genere effertur, potiſſimum vbi de paſtoribus ſermo. Hi enim vaccas potius quàm boues paſcunt lactis cauſa: Virgilius: G

Bos propriè dictus. Egl. 1.

Ille meas errare boues, vt cernis & ipſum
Ludere quæ vellem &c.

Apud Græcos verò βȣ̃ς ſynecdochicè partem pro toto capiendo in eodem genere capi pro pelle bouina Euſtathius tradit, vt ἐλέφας pro oſſe elephantino, ideſt, ebore; indeque apud Homerum βȣ̃ς τυκτὰς, & βȣ̃ς αὔας dici clypeos ex bubulo corio: eodemque ſenſu βȣ̃ς Heſychio eſt μάστιξ, ideſt flagellum, fiebant enim flagella ex hoc potiſſimum corio: ſed & Plautum nonnulli volunt bouem in hoc vſurpaſſe ſignificatu. Eſt & piſcis nomen, quem bouem Plinius etiam appellat, referens eum inter piſces planos: meminitque eiuſdem Ariſtotelis, & nos de eo egimus in noſtra Ichthyologia. Item πέμματις, ideſt, condimenti ſpecies apud Euſtathium; vnde ἕβδομος βȣ̃ς, qui poſt ſex σελήνας ideſt placentulas latas rotundaſque ſeptimus conficiebatur, cornua habens in modum nouæ lunæ. Aliter verò expoſitum βȣ̃ς ἕβδομος, habes apud Suidam, & Camerarium. Olim erat etiam numus Atticus, bouis imagine percuſſus, didrachmum alio nomine dictus: de quo ſuo dicemus loco. Teſte Polluce χυτρέπȣς, ideſt, ollarum ſuſtentaculum quoque βȣ̃ς vocatur. Adhæc ſuturarum in veſtibus commiſſuras, ſeu τὰς ἐν τοῖς χιτῶσι τῶν ῥαφῶν συμβολὰς, βȣ̃ς vocatas fuiſſe idem author teſtatur. Bos ligniuorus vocatur apud Theſſalos Cerambix. Auis eſt, inquit Antoninus Liberalis ex Nicandri libro de immutatis, ligniuora, conſpiciturque in lignis, curuis dentibus, malas ſemper mouens, nigra, oblonga, ſolidis alis, adſimilis magnorum cantharorum. Pueri pro ludo habent, caputque amputantes circumferunt, quod ſimul cum alis ſimilitudinem gerit lyræ è teſtudine H

Bos pro pelle. Bos piſcis. Bos auis.

confe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A confectæ. Sed reuertor ad bouem propriè dictum, hunc trionem latinos vocare Isidorus testatur, ex Aulo Gellio nimirum, qui de Septentrionum agens etymologia, *Vulgus*, inquit, *Grammaticorum, Septentriones à solo numero stellarum dictos putant. Triones enim per sese nihil significare aiunt, sed vocabuli esse supplementum: sicut in eo, quod quinquatrus dicamus, quòd quinque ab idibus dierum numerus sit, atrus nihil. Sed ego quidem cum Lælio & M. Varrone sentio, qui triones rustico vocabulo boues appellatos scribunt, quasi quosdam teriones, hoc est, arandæ colendæq; terræ idoneos. Itaque hoc sidus quod à figura posituraque ipsa, qui simile plaustri videtur, antiqui Græcorum ἅμαξαν dixerunt: nostri quoque veteres à bubus iunctis Septentriones appellauerunt, id est, à septem stellis, ex quibus quasi iuncti triones figurantur.* Bucera sæcla apud Lucretium:

Lib.6. Lib.2.c.21. Bos trion dictus. Triones cur sic dicti.

Laniger æque simul pecudes & bucera sæcla,
Omnia sunt hominum tutelæ tradita,

Bucera sæcla. Lib.5.& 6.

Turnebus & Lambinus boues interpretantur, quia Festus, *bucerum pecus*, inquit, *de bubus dicimus*, & idem Lucretius;

Lib.26.c.13 Lib.2.

Buceriæque greges, & equorum duellica proles.

B Taurus verò propriè vocatur bos antequam castratur, maritus scilicet & dux vaccarum. Vnde tauros boues mares vocauit Varro: *Obseruandum est*, inquit, *vt boues mares boni sint seminis*. Videas tamen sæpenumero etiam pro boue ac præcipuè robusto, ac forti accipi. Virgilius:

Taurus. Georg.1

Ergo age terræ
Pingue solum primis extemplo à mensibus anni,
Fortes inuertant tauri.

Et rursus:

Quam primum pasti repetunt præsepia tauri.

Ouidius in Fastis.

Bella diu tenuere viros; erat aptior ensis
Vomere, cedebat Taurus arator equo.

Sic & Græci, quamuis propriè ταῦρον vocent, βȣ̃ν τέλειον καὶ ἐνόρχην, ideſt bouem marem & non castratum: simpliciter tamen etiam pro boue efferunt, vt ex hoc versu innotescit:

Ἵπποι μὲν σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν, idest,
C *Equis vespæ oriuntur, ex tauris verò apes.* idest ex bobus.

Homerus tamen aliquando βȣ̃ς ταῦρος dixit per appositionem, vt in hoc versu;

Ἠΰτε βȣ̃ς ἀγέληφι μέγ᾽ ἔξοχος ἔπλετο πάντων Ταῦρος,
Sicut bos in armento valde eximius est omnium Taurus

Oppianus verò Poeta Græcus elegantissimus, vbi de tauris scribit, tauri nomine tanquam digniore omne bubulum pecus complectitur, cæterùm cùm & alia magnitudine, & robore excellentia quadrupedia tauri nomẽ sibi asciuerint, vt tauri Aethiopici, qui sunt rhinocerotes, & tauri Lucę qui sunt elephanti, non incongruè ad alia item magna ac fortia animantia id nomen applicabimus Gręcorum imitatione, quibus omnia quę robore aut mole corporis præstant, ταῦροι dicuntur; quod tamen & Martialem fecisse inuenio, qui mamillare indicaturus maximum ac robustissimum, ex taurino id corio factum cecinit, inquiens;

Lib.2.de venat. Lib.14.

Taurino poteras pectus constringere tergo
Nam pellis mammas non tegit ista tuas.

Ταῦρος secundum Etymologum, dictus est quasi τανύουρος, à caudæ extensione (nimirum ἀπὸ τȣ̃
D τείνειν τὴν ȣ̃ραν) vel quasi γαῦρος idest superbus; atqui ταῦρος, siue taurus vocem Syram esse, atque vna cum alijs à Cadmo in Græciam importatã, scire se profitetur Scaliger pater. Syri autem tor, & taur nominant. Patri subscribit filius in opere de verborum etymologijs: idem etiam sentit Gesnerus. Est autem taurus vox etiam valde æquiuoca, vt annotauit Quintilianus his verbis: *Homonyma vel vitanda apud iudicem ignarum significationum, vel interpretanda sunt, vt taurus animal sit, an mons, an signum in cælo, an radix arboris, nisi distinctum non intelligitur.* Ptolomæus, & Mela Taurum montem Asiæ esse tradunt, orbis maximum, si Eustathio fides à magnitudine nomẽ sortitus (nos iam diximus, omnia magnæ molis & viribus præstantia, veteribus tauri nomine indicari) vniuersam Asiam discriminat. In Lycia taurus vocatur, deinde Hæmodes, mox supra Iberiam in Bactris Caucasus, tum Paropamisus, inde Caspiæ pilæ, mox Niphates, tum Armeniæ pilæ, & vbi iam nostra maria attingit, iterum Taurus, vt scribit Pomponius: numerosis & nouis nominibus quaçunque incedit insignem dicit Plinius; plurima namque præter dicta alia quoque nomina habet, vt Imaus, Cragus, Circius, Pariedrus &c. de quibus Ptolomæus dictis locis, Strabo lib.2.& 11. Plinius lib.5.cap.27. Solinus Polyhist.cap.41. Orosius lib.1. Hormistæ cap.2. Ammianus Marcellinus lib.23. & Isidorus lib.14. Origin.cap.8. Dionysius Periegetes, à forma, quòd tauri for-

Taurus vnde dictus. Exerc.206. ξ. Lib.8.c.2. Taurus mõs. Lib.5. & 6. Georg. Lib.1.c.15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

formis ſit, vocatum ſcribit. Et M. Varro, *Ad Syriam mons Taurus*, inquit, *nomen à pecore habet*, E
Stephanus verò ſic dictum tradidit, vel ob magnitudinem, vel quòd eius pars ad mare prominens Taurinam faciem referat. Contra Cælius non à tauro quadrupede, à quo & reliqua magna, & violenta tauri dicuntur, vt idem Stephanus & Euſtathius ſcribunt, Tauri monti nomen inditum putat, ſed à tauro monte magna violentaque omnia tauros appellari ait, Stephani Euſtatijque verba contrario, quàm decuit, ſenſu accipiens, nam & Dionyſius Afer interprete Rhemnio Fannio taurum montem appellatum canit:

Cornua quòd ſummis ſcopulis imitatur acutis.

Suidas verò boui hunc montem perſimilem dicit ſaltanti, & poſteriores pedes in altum reiectanti, & mox collum incuruatum attollenti. Plinius dicit hos montes in vniuerſum Ceraunios Græcis vocari, Mela etiam ſub eodem vocabulo maximam eius partem comprehendit. Ceraunum Euſtathius circa Caucaſum, & Caſpium mare locat: Q. Curtius videtur ſub duobus nominibus tantum deſignare Tauro, & Caucaſo: In ſacris literis Arath appellatur Ario Montano, & Becano teſtibus. Propriè autem taurus dicitur, quà Pamphiliam & Ciliciam ab Armenia minore, & Cappadocia diſtinguit, quæ cauſa Tibullo ſcribendi fuit; F

Quantus & ætherio contingens vertice nubes
Frigidus intonſos Taurus arat Cilices.

Sic & Ouidius dixit.

Metam. 2. *Ardet Athos, Taurusque Cilix.*

Seneca inquiens

In Medea. *Peſtes vocat, quaſcunque feruentis creat*
Arena Libyæ; quaſque perpetua niue
Taurus coercet frigore Arctoo rigens.

non tam de Tauro propriè dicto, quàm de Boreali eius parte agit, quæ Caucaſus dicebatur, perpetuis niuibus obſeſſa, vnde & teſte Iſidoro nomen nacta, quæ pars tum frigidiſſima, tum venenorum feraciſſima. Valerius Flaccus;

Lib. 5. Arg. *Vltimus inde ſinus: ſæuumque cubile Promethei*
Cernitur in geminas conſurgens Caucaſus Arctos.

Claudianus; G

Lib. 1. in Ruffin. *Quicquid lethali germine pollens*
Caucaſus, aut Scythicæ vernant in gramine rupes.

Tauri populi. Tauri & Tauroſchytæ dicuntur populi, ad Boſphorum Cimmerium, peninſulam in Europa inhabitantes, eodem Boſphoro, Byce palude & Carcinite ſinu circumfuſam, tenui tantum Iſthmo continenti adhærentem, quæ de incolarum nomine Taurica appellatur. Fuere moribus immaniſsimis, vt qui hoſpites omnes Dianæ ſoliti ſunt immolare, vt Pomponius tradit. Quidam Tauros vocari tradunt, quòd ab Aegyptijs oriundi eſſent, qui bouem & Apim colebant. Etymologus verò tradit Scythicam gentem eſſe, & Aegyptiorum more bouem & Apim venerari. Quare alij ſic dictos aiunt à tauro, eò quod Oſiris illic bubus iunctis terram aruerit. Apud hos eſt Taurica inſula, quæ & Mæotica nominatur. Euſtathius verò à tauro monte dictos ait, non illo tamen, de quo diximus. Alius, inquit, hic Taurus eſt, quam qui in Orientem vergit: aut Septentrionalis quędam eius portio eſt, ſub qua Cimmerij habitant, gens Schythica: & Taurica Cherroneſus ingens ſita eſt verſus occaſum Mæotidis faucibus adiacens, quam aliqui aiunt tum figuratum magnitudine Peleponneſo parem eſſe. Regionis illius incolæ Tauroſcythæ vocantur à Tauro mõte, qui illic eſt, quod H
Tauroſcythæ qui. etiam Herodotus non ignorauit, cum & ipſe de montibus Tauricis, ideſt Scythicis mentionem faciat. Hos populos ab Antonino Pio uictos Iulius Capitolinus ſcribit. Haud ſcio, an de hoc loco loquatur Polybius his verbis; Vbi autem ad Hermeum Europæ ventum eſt, quo in loco anguſtiſſimum fretum memorauimus, ruens ex Ponto in oppoſitam partem cum impetu aqua violenter reflectitur, agitaturque in oppoſita Aſiæ loca, inde rurſus verſus Europæ promontorium, Circa aras dictum, curſum tenet, hinc denuo acta fertur in eum locum, quem incolę Bouem vocant. Eſt autem in Aſia, vbi primum conſtitiſſe Io, cum traieciſſet, in fabulis memoratur. Tacitus habet Taurum montem apud Cattos; Pomponius in Germania, ſed peculiarem locum ei non aſsignat. Fortè (inquit Abrahamus Ortelius) inter alpes in Saliſburgenſi archiepiſcopatu, vbi hodie multa loca Thaura vocantur. Rhenanus tamen pro Tauro Germaniæ monte, Taunus legendum ſcribit, apud Pomponium & Tacitum; ſed ipſe viderit. Alius denique Taurus mons videtur, de quo apud Etymologum & Varinum legimus ex authore innominato, Taurus mons regionis illius glandes producens pabulum ſuibus. Pendebant etiam ex monte illo tributa, quæ redditus Tauricos appellabant. Taurus Ptolomæo Siciliæ quoque promontorium eſt, quod Fazello, & Aretio Cabo di S.
Taurici redditus.
Cro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Croce appellatur. Est & Taurus fluuius Liuio circa Pamphiliam, item in Peloponneso, circa Trœzenem, Athenæo teste, ex quo aqua Tauria nominatur apud Sophoclem, vt Cælius annotauit. Hunc Hesychio Aegitaurum vocari Ortelius ait in voce ταυρέιον πόμα. Taurus à Plinio & Solino vocatur quoque alueus maris, apud Alexandriam Aegypti. Locus item in Sicilia taurus dicebatur, sexaginta stadijs distãs à Syracusis, vt tradit Diodorus: & alius locus Straboni sic dictus circa Hierichontis ingressum. Paludis insuper nomen est in Gallia Narbonensi, iuxta Oranum fluuium ac tandẽ Taurus vrbs est apud Cedrenum, Ismaelitis vicina, Armenię fortè. Est verò etiam Taurus secũdum Zodiaci signum, ita dictũ, vt D. Honorius ait, quòd Sol sub hoc signo positus radios suos, vt taurus cornua fortiùs exerat, & terrã arabilem reddat. Alij ad fabulã de Ioue in candidũ taurũ trãsformato, vt Europa potiretur, referunt, Iouem nimirũ beneficij, quod ex tali transformatione acceperat, taurum inter sydera collocasse: Quibus fauere apparet Senecã in principio Herculis furentis: *Taurus fluuius.* *Lib. 14.* *Taurus signum cœleste.* *Lib. de imagine mundi.*

Hinc, quà tepente vere laxatur dies,
Tyriæ per vndas vector Europæ nitet.

Idest, Iupiter in taurum transfiguratus. Et Calphurnius Bassus in comment. Phęnom. Cæsaris Germanici, taurum, inquit, quidam inter astra putant positum propter Iouem, quòd in bouem fabulosè sit conuersus. Nigidij summæ authoritatis Grammatici alia fuit sententia, ea quoque à Basso refertur, cuius verba, quia vulgò non satis emendata extant, adscribam, vt legi puto debere: igitur scribit ille: Nigidius hũc ait Iouem à Neptuno fratre per gratiam abduxisse, qui in figura tauri sensum humanum haberet, quẽ Iupiter Sydonem misit, vt Europam Agenoris filiã ad se portaret; isq; per pelagus Sidonem venit, ibiq; Europam inter æquales suas ludentem in tẽplo Aesculapij conspexit, eamq; repentino raptu collocatã suo tergo deuexit ad Iouem in insulã Cretam. Ob hanc itaq; causam Iupiter tauru Sideribus dignatus est immortali memoria inferre. Hęc quoq; Euripidi, teste Hygino congruunt. Erathostenes autẽ hunc eũ esse putat, qui Pasiphaen inijt. Virgiliũ verò etiã ad Europę fabulam respexisse volunt, ex eo quòd candidum vocet hunc cælestem taurum. Ego verò candidum potius dixisse arbitror propter septem Hyadas, quas habet in fronte, nisi potius ipsas intelligat per aurata cornua. Poetæ versus sunt.

B

Vere fabis satio; tunc te quoque medica putres
Accipiunt sulci, & milio venit annua cura.
C *Candidus auratis aperit cùm cornibus annum*
Taurus, & aduerso cedens canis occidit astro.

Quibus versibus tempus describit circiter medietatem Aprilis, quo tempore Sol possidet dimidium tauri. Aliàs in Bucolicis idem tempus sic indicauit: *Eglog. 3.*

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos
Nunc frondent syluæ, nunc formosissimus annus.

Virgilium lepidè sic imitatus est Franc. Petrarcha.

Quando'l Pianeta, che distingue l'hore,
Ad albergar col Tauro si ritorna;
Cade virtù da l'infiammate corna
Che veste il mondo di nouel colore.

Sed & Martialis ad eiusdem imitationem canit:

Sydera iam Tyrius Phryxei respicit agni
D *Taurus, & alternum Castora fugit humus.*
Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbos.

Rectè autẽ Virgilius annum aperire dixit, quandoquidẽ antequã Sol taurum intrat, terrá ob frigus adhuc ita constricta est, vt ad plantarum generationẽ sit inidonea. Ad Solis ergò naturam refertur taurus; cuius nimirum forma Solem etiam olim celebrabant Heliopolitani, & Nitiron appellabãt. Apis item bos in ciuitate Memphi cultu Aegyptiaco, Solis instar excipiebatur: & in oppido Hermunthi, vt Macrobius author est, in celebri Apollinis templo Soli consacratum taurum Bacchin cognominantes adorauerunt, insignem miraculis conuenientibus naturæ Solis. Erat enim auerso pilo hirsutus, setis aduersum caput tendentibus, contra naturam omnium animalium; & per singulas horas mutare colores affirmabatur, Quo cursus Solis auersus, & perpetua illa in generatione rerum animatarum mutatio notabatur, quam Solis calor suis radijs facit. Quemadmodum igitur, terrenus noster bos homini, quem microcosmum nuncupant, siue paruum mundum, frugi est, ita & cœlestis iste bos inferiori mundo innumeras præbet vtilitates; & non frugis solummodò author, sed & humani generis, ideoque Veneri dedicatus: quare non immerito Iulium Maternum arguit Pierius, quod qui Taurum habuere in horoscopo suo, ijs impudicitiã minetur, cùm eum prolificum potius fœcundumq; fore dicere debuisset, nę notam eam cęlo, vnde omnia bona, inureret. *Sol tauri forma cultus.* *Saturnal. Lib. 1.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Galeottus Martius in libro de doctrina promiſcua, quaſi Materno ſubſcribens cap. 2. Quid Iupiter, inquit, in tauro moliatur, poetæ abſtruſo figmento monſtrarunt. Iupiter enim in taurum mutatus Europam rapuit. Iupiter igitur in tauro, qui eſt domicilium Veneris, in genitura alicuius molles, effæminatos, raptoreſque fœminarum efficit. Mathematici verò Tauro aſcendente genitos, laborioſos, perpetuæ deditos ſeruituti fore aiunt, quòd hoc animal præcipuè ad iugum naſcatur: furijs verò agitandum, cui decimus octauus tauri gradus naſcenti affulſerit, eaq; de cauſa locum eum tauris duobus ſeſe cornu petentibus ſignatum veteres voluere. Creditur ceruici præeſſe. De hoc tauro citantur a Probo & Pomponio Sabino in primo Georg. Virgilij, illa Getulici, in epigram. vereor vt mendoſa: nam Pomponius ita citat: E

Non aries illum verno feret aere cornu,
Gnoſia nec gemini præcidunt cornua tantum:

Probus verò ita:

Non aries illum verno feret aere cornu,
Gnoſia nec geminos præcidunt cornua taurum.

Taurus mõſtrũ marin. Taurus in Senecæ Hippolyto monſtrum marinum eſt: cuius aſpectu territi equi Hippolyti, ipſum curru excuſſerunt. Id autem ibi ſic deſcribitur; F

Cærulea taurus colla ſublimis gerens
Erexit altam fronte viridanti iubam.
Stant hiſpidæ aures; cornibus varius color,
Et quem feri dominator habuiſſet gregis,
Et quem ſub vndis natus: hinc flammam vomit.
Oculi hinc relucent; cærula inſignis nota.
Opima ceruix, arduos tollit toros,
Nareſque hiulcis hauſtibus patulæ fremunt:
Muſco tenaci pectus ac palear viret,
Longum rubenti ſpargitur fuco latus,
Tum pone tergus: vltima in monſtrum coit
Facies; & ingens bellua immenſam trahit
Squamoſa partem. G

Lib. 10. c. 60. Taurus auis. Eſt & auis nomen, vt Plinius teſtatur inquiens. *Eſt auis quæ boum mugitus imitetur in Arelatenſi agro. Taurus appellata, alioquin parua.* Petrus Bellonius, & Geſnerus, vt in noſtræ Ornithologiæ tertia parte oſtendimus, Ardeam ſtellarem eſſe coniјciunt, quoniam huic mugitus ille conuenit, indeq; alijs quoq; botaurus nuncupatur, Pliniumque hanc auem, quæ alioqui magna eſſet vocanda, paruam potuiſſe dicere, ſi ad tantam vocem conferatur. Roſtro enim in aquas, lutum vel terram inferens, bombos taurinæ aut bubulæ voci ſimillimos emittit, eoſque ſi Alberto credimus, tempore verno magis, cùm libidine accenditur, tamque ſonoros, vt ab Hollandis, apud quos abundat, corruptoque nomine Pittor quaſi butorus nominatur, intellexi, vt vltra miliare audiatur. *Taurus inſecti genus.* Tauri vocantur eidem Plinio, ſcarabei terreſtres ricino ſimiles: nomen, inquit, cornicula dedere, additque ab alijs pediculos terræ vocari. Apparet id genus ſcarabeorum intelligere, quod paſſim per terram ſerpere potius quam progredi conſpicitur, nigricans, oblongo corpore, lunatis nodoſiſque cornibus, inſigne, vulgo portapeſo appellatum. *Carabus.* Carabum Ariſtoteles inter ea inſecta recenſet, quę coleoptera, ideſt vaginipennia nominantur, Theodorus Gaza modò taurum, modò fullonem interpretatur haud rectè. *Pincernæ tauri dicti qui.* Epheſij teſte Heſychio pincernas ſolent appellare tauros; non quoslibet tamen, nec vbiuis, ſed in Neptuni tantùm feſto, vt ex Athenæo conſtat. Idem Heſychius ait eſſe qui taurum dici aiunt τὸν παιδεραςὴν, ideſt, pædiconem, & muliebre pudendum, vírileque, & ex Phœnodemo τὰς κριθὰς ait nominari ταῦρον. κριθὴ autem non tantùm hordeum eſt, ſed etiam membrum virile, vt videre eſt apud Ariſtophanem; *In Pace.* quamobrem id potius intelligi putem, quàm ſegetem, etſi hæc cornua habere videatur. *Taurus pro pudendo.* Accipitur autem taurus pro ipſo pudendo per ſynecdochen, nam eius alioqui tantùm pars eſt: quæ vt Euſtathius ait, eſt τὸ ὑπὸ τὸν ὄσχεὸν, ſeu ὄρρος interiecta inter ſcrotum & podicem. Pollux verò ταῦρον & ὄρρον diſtinguit. *Lib. 2.* τὸ δὲ ῥαφῇ inquit, μὲν προσεοικὸς, ὑπὸ δὲ τὸν καυλὸν διὰ τοῦ ὀσχέου μέσου ὑπὸ τὸν ὀνομαζόμενον ταῦρον εἰς δακτύλιον καταλῆγον, περίναιον ὀνομάζεται καὶ τράμις καὶ ὄρρος, ideſt, vt Rodulphus Gualtherus vertit; Quod autem ſutulæ ſimile, ſub pene per medium ſcrotum tranſit, ſub parte quam taurum vocant, deſinens in natibus, perinæum, tramis, & orrhos nominatur. Quæ Pollucis verba Geſnerus ita intelligit, vt taurus ei ſit locus ille, qui inter anum, & ſcrotum interiacet, linea autem media, quæ ſub cole eſt, ac inde per ſcrotum & taurum ſuturæ inſtar extenditur ad anum vſque, tramis, orrhos & perinæon appelletur, nempe in homine. Sic igitur taurum à cæ- H

teris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A teris tribus nominibus differre putat, quæ tamen aliqui cum tauro, inquit, cõfundunt. Apud Etymologum, vbi scribitur, Ταῦρος, ὁ ὑπὸ τῶν ἀχαιῶν τόπος ὕτως ὠνόμασαι παρὰ τὴν ἀνάτασιν, legendum ὁ ὑπὸ τὸ ὄσχεον, id quod quidam non aduertens, in Lexico Græcolatino taurum interpretatur locum Achaiæ. Ab hoc tauro Tragici teste eodem Polluce virginem, castamque, nec vnquam coniugij expertem ἀτάυρωτον appellant. Suidas citat hunc Aristophanis versum: *In lysistrato.*

Οἴκαδ᾽ ἀταυρώτη διάξω τὸν βίον.

Significauit eo, inquit author adagiorum in prouerbio, *abijt & taurus in syluam*, vitam cælibem fœminæ, negligentis taurum, idest, maritum. Sic & Horatius. *pereat male quæ te*

Lesbia quærenti taurum monstrauit inertem

Tacuit autem author adagiorum impudicam tauri significationem, modestiæ causa. Eodem sensu, sed alia ratione, ἄταυροι vel ἀπόταυροι dicuntur Aristoteli Pyrrhicæ iuuencæ, Theodorus setauras vertit, quæ annis aliquot Venere intactæ seruabantur, vt incrementum ampliter caperent. Varinus hinc quoq; ταυρῶν verbum formari arbitratur. Huc pertinent, quę à Cælio annotata sunt his verbis. *Pyrrhicæ iuuencæ.* *Lib. 21. c. 22.*

Scitè admodum & doctè hippobinum vsurpant pro eo, qui meretricio amore debacchetur, aut qui B inexplebiliter Venerea consectetur, quã latinorum nonnulli etiam lastaurum dicunt, sed Grecè tamen, vt ex Athenæo liquet. Nam eo verbo Pompeius Leneus nobilissimo historico, velut næuum inussit. Id uerò signare hominem libidinis ualidæ, in libro de Grammaticis & rhetoribus author Suetonius est. Cuiusmodi narratur Proculus inter minusculos Romanorum tyrannos, qui cum ex Sarmatia puellas abduxisset centũ, ex ijs decem una constuprauit nocte, omnes intra quintumdecimum diem. Vocabuli ratio hæc, quia Græcorũ lingua λα dictiones intendit, taurus verò est pudendorum pars; sicuti adnotatum à Galeno scimus, nec non à Quintiliano. Eam sub oscheo positã Eustathius interpretatur. Alij lastaurum dici putant, quasi λασίοταυρον, quod hispido sit pudendo, vt idem Eustathius astruit. Nam lastaurocacabum apud Chrysippũ in libro περὶ κάλυ καὶ ἡδονῆς, legimus esse delicatioris edulij genus, vti est apud Athenęum, vt quod sit libidinis incentiuũ. Hesychio λάσταυροι sunt οἱ περὶ τὸν ὄρρον δασεῖς καὶ πόρνοι τίνες ὄντες. Quæ prior expositio conuenit cum ea quam Cælius ex Eustathio recitauit. Suidas quoq; exponit ὁ δασὺς τὸν ταῦρον. Sed & ὑποταύριον affertur pro vulua iumentorum ex Absyrto Hippiatro. De nauigij genere taurus vocato suo dicetur loco. *Hippobinus.* *Lastaurus.* *Lastaurocacabus.* *Vacca.*

Vacca, idest, vxor tauri, fæmina nempe in hoc genere peculiare apud Græcos nomẽ habe- C re non videtur, sed vt à boue mare distinguatur, ἡ βοῦς dicitur addito fęminini generis articulo. Quæ sterilis est, taura dicitur. Teste verò Columella in Italia quondã Altinę regionis incolę vaccas humilis staturæ & lactis abundantes, ceuas appellabant. Florentinus author Grecus βυθήλειαν aut δάμαλιν reddit: & in Glossario δάμαλις exponitur vacca, nec non in Geoponicis Constantini, κυοφορεῖ δ᾽ ἡ δάμαλις μῆνας δέκα legitur pro vacca Venerem experte & grauida, Sed & à Theocrito in hoc significatu vsurpatur hoc versu: *In Oaristy.* *Damalis.*

Καλόν τοι δάμαλας φιλέειν, ὖκ ἄζυγα κώραν. *Damalio.*

Est tamen δάμαλις, vel δαμάλη potius iuuenca, & δαμάλης iuuencus, quem in Alexandri Cæsaris vita Lampridius Damalionem vocat. Sunt qui δαμάλεις dici arbitrentur per antiphrasim, contraria ratione, quam δάμαρ pro vxore: sed fortè sic tunc vocabitur, quasi nondum domitum animal, vel iugum expertum, vt modò dicemus ex Varino. Phocion omne animal in iuuenta sic vocari posse existimat. Apud Varinum δαμάγη vox corrupta legitur pro δαμάλης. Isidorus vaccam dictam ait quasi baaccam: esse enim ex qualitate mobilium nominum, sicut leo leæna, draco dracæna: vitulum verò & vitulam à viriditate, sicut virgo. Et quamuis ex Varrone dixerimus in prima huius D generis animantium ætate, vitulum & vitulam dici, in secunda verò iuuencum & iuuencam, authores tamen non videntur uituli, & iuuenci discrimen obseruasse, & ipse quoque Varro hac in re non satis sibi constans esse uidetur, nam & iuuencum esse ait, qui iam ad agrum colendum iuuare potest; id quod & alij tradunt: Plautus: *Lib. 12. c. 1.* *Vacca vnde dicta.* *Iuuencus.* *In Truculen.*

Vidi equidem iuuencum ex indomito domitum

Fieri atque alias belluas. Lib. 8.

Plinius clarius: *Optimè cum domito iuuencus imbuitur.* Quamobrem iuuenci nomen bouem nobis indicabit, qui iam non amplius vitulus. Quod autem de masculo dico, idem & de fęmina intelligo. Columella id docet. *Nam vbi plaustro aut aratro iuuencum consuescimus, ex domitis bubus valentissimum, cum indomito iungimus &c.* Isidorus quoque iuuencum dictum esse ait, quia incipiat iuuare hominum usus in excolenda terra, vel quia apud gentiles Ioui semper vbique immolabatur. Poetæ iuuencos & iuuencas etiam vocant, boues & vaccas, necnon etiam vitulos, quibus nondum erupere cornua, vt Seneca: *Lib. 6. c. 2.* *Lib. 6.* *In Hercul. fu.*

Ludit prato liber aperto

Nondum fronte rupta iuuencus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Quem tamen locum explicans Aſcentius ait, nondum habens ruptam frontem trudendo plauſtro. E
Iſidorus præcitato loco vitulam ait paruam eſſe & nondum enixam: enixam autem iuuencam eſſe aut vaccam. Dicitur autem etiam iuuencus de alijs animantibus, ac in primis de homine adoleſcente, vt Porphyrion teſtatur in hoc Horatij.

Te ſuis matres metuunt iuuencis,
Te ſenes parci, miſeræque nuper
Virgines nuptæ.

Catullus ad puerum: *Qui floſculus es iuuenculorum:*
Ouidius; *Graia iuuenca venit.*

Lib. 5. Plinius idem de auibus: *Ex ijs iuuenca plura quàm veteres, ſed minora oua pariunt.* Sed & equos iuuencos dixit Lucretius, qui ætate florent:

Denique non hinnitus item differre videtur,
Inter equas vbi equus florenti ætate iuuencus
Pinnigeri ſæuit calcaribus ictus amoris.

Iunix. In Milite. Iunix quoque eadem videtur, quæ iuuenca: ſic enim Plautus:

Quàm mox ad ſtabulum iunix recipiat ſe pabulo.

Sat. 2. Apud Perſium verò, vbi ait:

Tot tibi cum in flamma iunicum omenta liqueſcant.

pro cuiuſlibet ætatis boue intelligi poſſe videtur. Cornutus tamen in hoc Perſij loco: Iunices, inquit, teneræ ætatis boues, quæ nondum ad ſummam magnitudinem peruenerunt: dicuntur autem à iuuenibus, vnde comparatiuus iunior, quia ſunt iuniores iuuenibus. Vitulus & vitula etſi primæ ætatis nomen ſit, vt perquam ſignificanter indicat Ouidius:

Vitulus. 3. de amore.

Et vituli nondum metuenda fronte minaces,

2. de arte. Et rurſus:

Quem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas.

tamen pro alia ætate etiam accipitur, vt in hoc Virgilij:

Ego hanc vitulam (ne forte recuſes
Bis venit ad mulctram, binos alit vbere fœtus)
Depono.

Aegl. 3.

G

Georg. 3. Idem poeta alias, quos prius vocauerat vitulos, domituræ iam idoneos hoc verſu;

Iam vitulos hortare, viamque inſiſte domandi,

paulò poſt vocat iuuencos:

Iunge pares, & coge gradum conferre iuuencos.

Sed & Columella ait, ne quis id à poetis factum tantummodo credat; *Talis notæ vitulos,* ideſt, *iuuencos vel boues indomitos & rudes &c.* Plinius, vt obſeruauit Geſnerus, alibi vitulum maſculum dixit tanquam vituli appellatione, vitula quoque intelligi poſſit, quod tamen nec ei, nec mihi quoque videtur; eſt enim contra Grammaticorum morem; rectiuſque idem Plinius alicubi vitulis maribus dixit. Apparet autẽ veteres quoq; vitellum nominaſſe, nã præterquam quòd ita hodieque in Italia nuncupatur, Apitius quoq; carnem vitellinam dixit. Vitulum Iſidorus dictum putat à viridi ætate, ſicut virgo; alij à vitulando, id eſt laſciuiendo dici volunt, alij à vita deriuant, quia, inquiunt, potens eſt vitæ tolerandæ; quam quidem etymologiam probat Goropius, ſed in alium ſenſum torquet. Vitula dicit in Vertumno, diminutiuum à vita, ſed cum vita habeat primam ſyllabam longam, vitula verò breuem, ſignificat in vita lætitiam & iucunditatem breuiſſimã H
eſſe, Vitula enim habebatur dea præſidens vitæ lætæ. Et in Hermathena rurſum. Vitulus, inquit, non ab antiqua voce Italus dictus eſt, vt videtur Feſtus opinari, ſed à vita, formula illud quidem diminuentium, at non ita vt minus vitæ habere dicatur, ſed habere vitam gratioſiorem & delicatiorem, vti dum corculum, ocellos, baſiolum & ſimilia nominamus. Quia enim omnia in prima & in viridi adhuc ætate, maiore, quàm poſt, gaudio exultant & geſtiunt; à vitula fit vitulor, eodẽ modo, quo ab os oſculum, & deinde oſculor. Tametſi vitula, pro viridi ætate non ſit in vſu; eſt tamen in vſu pro ipſa lætitiæ dea, iuxta Hylli de dijs ſcribentis teſtificationem, quam Piſo victoriam eſſe non bene putauit, cùm generatim cuiuſuis lætitiæ præſidem vitula ſignet, quod videlicet, tum ſolum gratioſam vitam ſiue vitulam agamus, cùm gaudijs indulgemus. Quamuis itaque poſt victoriam culta ſit, ex eo tamen minimè colligendum, eandem cum victoria fuiſſe. Feſtus vitulor à vitulis deriuat, vt à catulus fit catulire. Nonius melius vitulantes gaudentes, à veteribus dictos putat à bonæ vitæ commodo, quia eum viuere dicamus, qui in ſumma verſatur lætitia: è quo colligas, vitulor, eius iudicio, factum eſſe à uita, à qua & uitulus, quãuis tẽpus in prima ſyllaba mutetur, quod in alijs quoq; fieri ſcimus. Hæc itaque Goropius. Alia rurſus eſt Geſneri coniectura de uituli etymologia; conijcit

Vitellus. Vitulus vnde dictus. Vitula Dea. Lib. 4. Vita læta quando agatur. Vitulari quid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A citenim vitulos dictos,quia vitulos olim Greci ἰταλὺς & πετάλυς siue πετήλυς dixerunt. Nos quoque suprà ex Varrone boues ἰταλὺς olim vocatos fuisse annotauimus. Is autem Pisonis citat testificationẽ, *Italia,* inquit, *à vitulis nominata, vt scribit Piso.* Et mox rursus: *Bos maxima debet esse authoritate, præsertim in Italia, quæ à bubus nomen habere est existimata. Græcia enim antiqua, (vt scribit Timæus) tauros vocabat ἰταλὺς, à quorum multitudine & pulchritudine, & fætu vitulorum, Italiam dixerunt.* Sic & Columella, nec dubium, inquit, quin (vt ait Varro) cæteras pecudes bos honore superare debeat, præsertim autẽ in Italia, quę ab hoc nũcupationẽ traxisse creditur, quòd olim tauros Greci ἰταλὺς vocarent. Et apud Festum quoq; legimus Italiã dictam esse, quòd magnos Italos, hoc est, boues habeat: vitulos enim Italos dictos. Alij verò, (inquit rursus Varro in loco paulò antè citato,) scripserunt, quòd è Sicilia Hercules persecutus sit eò nobilem taurũ, qui diceretur Italus. Πέταλοι verò, vt ex Achæo Eretriensi in Aethone Satyrico, docet Athenæus, vituli dicũtur ἀπὸ τῶν κεράτων, ὅταν αὐτὰ ἐκπέταλα ἔχωσιν, idest à cornibus, quod ipsa habeant ecpetala, idest, vt Cælius interpretatur, patula, vel parua exiliaque: quam posteriorẽ interpretationem sequi apparet Hẽricum Stephanum, nam in suo thesauro: videtur, inquit, dici de tenera adhuc ætate vitulorum. Alij

Italia vnde dicta. *Lib. 2. c. 1.* *Cap. 5.* *In præfat. lib. 6.* *Petali vituli cur dicti.* *Lib. 9.*

B verò priorem, etsi planè contrariam, approbantes, aiunt vitulos a cornibus vocari πέταλυς, cũ explicata distentaque illa iam habent. Πέτηλον quidẽ, vt etiam petilum apud Latinos, pro paruo graciliq; accipitur, Hesychius enim πέτηλας exponit paruas palmas & fruticosas, nũquam tamẽ ἐκπέταλον pro paruo accipitur, sed patulum & planum, & in latitudinẽ extensum semper significat: proinde phialæ, planioraq; ac latiora pocula, qualia pateras à patendo Latini dicunt, ποτήρια ἐκπέταλα Græcis nominantur, quin & folia latiuscula πέταλα & πέτηλα dicũtur, & πεταλῶτον, quod amplũ vegetumq; & πέτασος genus pilei lati, & petasitis herba amplissimis latissimisq; folijs: quę omnia à verbo πετάω formantur, quod est extendo & dilato. Fefellit Cælium Athenæus ex authore pręcitato sues quę acornes sunt, πεταλίδας cognominãte: cæterùm non aduertit ideo sues petalidas dici, quòd iam non quoslibet æquarent vitulos, sed illos, quorum iam in latitudinẽ extendebantur cornua, vtpote magnas, magnæque molis & perpingues, id quod in subsequentibus Athenæus clarissimè indicat: Simili, inquit, ratione vt Achæus petalidas, sic Erastothenes in Anterinnye, sues larinos vocat, à larinis bobus sumpta translatione, quos ἀπὸ τῦ λαρίνευϑαι nuncupat, nimirum quod vberiore pabulo pingues sint. Debuerat itaq; Cęlium res ipsa monere, ne ecpetala, parua exiliaque

Petilũ quid. *Pocula ecpetala.* *Sues cur petalides dicta.* *Boues larini cur sic dicti.*

C cornua redderet; pingue enim & paruo & gracili contrarium est: quare & ipse alicubi ecpetala pocula interpretatur latiora, argumento quod πέταλα folia sint latiora. Ne quid verò temerè in Cælium virum eruditissimum statuisse videar, circa eiusdem vocis significationem, sententiam adferã Isaaci Casauboni, qui linguæ Gręcæ peritia omnes eruditos facilè superat. Hic in suis in Athenęum animaduersionibus sic scribit: Adultas porcas & iam grandiores πεταλίδας Græci vocabant, sicut testimonio Achæi poetæ probat dipnosophista. Propriè ea appellatio suibus non conuenit; sed vitulis aut bobus, qui patentia cornua habeant. Hos enim Græci πετάλυς siue πετήλυς, latini patales dixerunt. Idem testatur in Excerptis apud Athæneum non πέταλοι scriptum esse, sed πέτηλοι. Ita etiam, inquit, & Hesychius, πεταλίδων ὑῶν. μετήχθη ἀπὸ τῶν μόσχων. πέτηλοι γὰρ ὗτοι λέγονται. Nec dubitat, quin & Athenæus & Hesychius ab eodem authore, vetere nimirum Achęi interprete, hæc sumpserint, & vtrumque vsum pro suis: atque hoc eò notauisse, vt alterum eiusdem Glossographi locum emendaret, qui doctissimis viris fraudi fuit: Ait enim: βῦς πετλωὸς, ὁ ἀναπεπταμένα τὰ κέρατα ἔχων Scribendum πετηλός. Quemadmodum autem patalium boum appellatio ad sues translata est: sic & larinorum boum. His enim, non illis primò tributum est hoc nomẽ.

D Ioannes Meursus in exercitationibus criticis à Scaligero dissentit, quod apud Plautum, patalẽ legit pro patulũ, hoc loco. *Vt ego verò ruri hamaxari mauelim patalem bouem,* cùm omnes veteres, inquit, constanter habeant patulum. Et sanè meliores Festi editiones ita præferunt, non patalem. Deinde ex Iunio Philargyrio & Seruio scimus patulos boues nuncupari, qui cornua latè distantia habeant: ijdem quoq; propatuli dicti, teste hoc ipso Festo in Propatulum. Sed, vt quod super hoc loco cẽseo semel dicam, scripsit Plautus patulem ἀρχαικῶς, nam veteres nomina secundæ declinationis etiam tertia indifferenter efferebant. Hoc Festus antiquitatis diligentissimus scientissimusq; annotauerat, sed locus postea corruptus, & patulem in patalem mutatum est. Confirmat hoc coniecturam meam, quod si patulum Plautus dixisset, iam hoc non nouum nec annotatione dignum sit. Ausus est quidam in Lexico Græcolatino ecpetala cornua ramosa exponere, falsæque istius interpretationis testem citare Athenæum. Vbi quæso ramosa sunt boum cornua? Sed reuertor ad vitulum: quod rursus nomen vsurpatur etiam de alijs animalibus, ac præcipuè de quadrupedibus maioribus. Plinius de elephantis: *Atque ita salutato sydere in syluas reuertuntur, vitulorum fatigatos præferentes.* Idẽ balęnarum vitulos dixit: propriùs autem catulos dixisset, inquit Franciscus Massarius, nam codẽ libro de delphinis loquens: *agunt,* inquit, *vere cõiugia, pariunt catulos decimo mense æstiuo*

Plauti locus cõsideratus. *Boues patuli.* *Vituli nominis æquiuocatio.* *Lib. 8.* *Lib. 9. 6.*

tempore; vt catulus tam de piſcibus animal parientibus, vt balænis, delphiniſq; & huiuſmodi, quàm E de quadrupedibus viuiparis, vt leonibus, vrſis, & alijs quàm plurimis, ac etiam ſerpentibus dica-
Hinnulus quid. tur, exceptis ceruis capreiſque, ac damis, cæteriſq; ſimilibus, quorum fœtus hinnuli propriè vocantur: verùm de equis, aſinis, atque etiam oua parientibus pulli appellantur. Ineptè autem quidam
Pullus. ne dicam ſtultè in dictionarijs ſuis Virgilium in præcitato verſu, *Iam vitulos hortare, &c.* vitulos de equis interpretantur, cum procul omni dubio de boum fœtibus poeta ſit intelligendus:
In Cratilo. & Plato vitulum dicendum eſſe negat, ſi ex boue pullus naſcatur equinus. Nunc proſequamur. Bu-
Buculus. culus etſi diminutiuum ſit à boue, ideſt paruus bos, non ad quantitatem corporis, ſed ad ætatem potius pertinet, vt conſtat ex hoc Columellæ, vbi, vt opinor, pro iuuenco accipitur:
Lib.6. cap.2. *Cum deinde buculos comprehenderis, perducito ad ſtabulum, & ad ſtipites religato.* Similiter bucula vaccam iu-
Georg. 1. uenem, & adhuc teneram denotat, etſi Virgilius pro ipſa vacca adulta dixiſſe videatur,
Bucula.

Aut bucula cælum
Suſpiciens patulis captauit naribus auras.

id enim omni boui conuenit. Aliàs vtitur in proprio ſignificatu eodem libro.

Aut errans bucula campo. F

De diuinat. 1. Cicero: *Itaque ex auro quod exterebratum eſſet, buculam curaſſe faciendam, & eam in ſumma columna collocauiſſe*: Plinius: *Myronem Eleutris natum & ipſum Ageladis diſcipulum, bucula maxi-*
Lib.34.c.8. *mè nobilitauit.* In eodem puto ſignificatu vaccula accipienda; ſed & hac voce ita vſus eſt poeta, vt
Vaccula. pro quauis vacca exigui corporis intelligi poſſit.

Vaccula nonnunquam ſecreta cubilia captans.

Græci in hoc ferè ſenſu βοΐδιον dicunt & βοϊδάριον & ταυρίδιον pro vtroque ſexu, pro boue nimirum, vel per ætatem, vel aliter paruo. Apud Heſychium & Varinum βοίδιον & βωδίον triſyllabum pro tetraſyllaba βοϊδιόν legitur. Hermolaus Barbarus & Ariſtophanes Grammaticus iuuencam à So-
Μόσχος. phocle γηγενῆ βέβαλιν dictam teſtantur, & λεοντοχόρταν βέβαλιν apud Aeſchylum legi. Μόσχος
Idyll. 9. teſte Ammonio generis eſt communis, pro vitulo nimirum & vitula, vnde apud Theocritum vbi ait Daphnis:

Ἁδὺ μὲν ὁ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χ᾽ ἁ βῶς,
Ἁδὺ δὲ χ᾽ ἁ σύριγξ, χ᾽ ὡ βωκόλος, ἁδὺ δὲ κ᾽ ἤγων,
Suauiter vitulus mugit, ſuauiter verò & vacca
Suauiter canit & fiſtula, & bubulcus, ſuauiter verò & ego. G

Geſnerus legit ἁ μόσχος, ideſt vitula, idq; carminis metrum ait poſtulare. Dictus autem eſt μόσχος, vt Etymologus tradit, vel quod μῶ vocem edat, aut παρὰ τὸ ὀσμᾶσθαι τῇ μητρὶ, aut παρὰ τὸ μῶ τὸ ζητῶ, καὶ (forte διὰ) τὴν σχέσιν ἣν ἔχουσι πρὸς τὰς μητέρας: ideſt, aut quod matrem olfaciant, aut quod μῶ voce quærant, aut propter affectionem, quam habent verſus matrem. At quamuis, vt Pollux do-
Lib.2.c.12. cet, vocentur μόσχοι τῶν βόων τὰ νέα ideſt boum filij, nouellæ nimirum ac teneræ ætatis, hodieque etiam vitulus vulgò in Græcia μοσχάρι nuncupetur, hæc tamen vox admodum eſt polyſemos. Eſt enim & μόσχος etiam nouellum & tenerum germen, ſeu ramulus tenellus: nam Heſychio μόσχοι ſunt οἱ νέοι βλαςοὶ, ideſt iuuenilia ſarmenta, exponitque μόσχοισι, τοῖς νεοφύτοις βλαςήμασιν. Videntur autem metaphoricè dici, quòd ita ex arboribus pullulent, vt vituli è bobus naſcuntur. Sunt qui
Lib.1.c.1. μόσχους interpretantur ſtolones. Quid autem ij ſint indicat Varro. *Nullus,* inquit, *in eius fundo*
Stolo quid. *reperiri poterat ſtolo, quod effodiebat circum arbores è radicibus, quæ naſcerentur è ſolo, quos ſtolones*
Lib. 17. c.1. *appellabant.* Plinius autem ſtolones in arboribus appellari ſcribit fruticationem inutilem: alibi verò pullulos ex radicibus prouenientes, ſobolem denſam radicibus pullulantem. Hermolaus Bar- H barus μόσχους, interpretatur pampinos & capreolos, ex Galeno, qui in Lexico Hippocratis ait, ὄσχος γὰρ καὶ μόσχος, τὰ κλήματα καὶ αἱ ἕλικες. Verba Hermolai hæc ſunt: Moſchon Græci
Lib.2.Coral. cap.291. vitulum, vnde moſcheuma in agriculturæ vſu dictum exiſtimant, qui vitulamen in literis ſacris interpretati ſunt, cùm latinè dici poſſet viuiradix. Moſchos & pediculum ſignificat, quo
Vitulamen. frondes, & fructus ramis annexi pendent, qui & petiolus & à Palladio tenax appellatur; Di-
Viuiradix. citur & moſchos ſiue quod idem eſt oſchos pampinus & capreolus & clauicula, quæ Græci helicas & ligna & clemata & amphidas quoque appellant, vt Galenus inquit. Henricus Stephanus quoque μόσχους ait viuiradices verti. Sunt autem, inquit, viuiradices (quæ ἐν ῥίζᾳ φυτὰ
Lib. 5. Geopon. appellantur Conſtantino,) ſemina ſeu plantæ viuæ, quæ è loco ſuo ſublatæ aliò transferuntur, quod à Varrone ſecundum ſeminum genus vocatur, vt πάρασπας (quod tertium genus ſemi-
Lib.1.c.49. num ab eo appellatur,) eſt quod ex arbore demptum demittitur in humum ac deplantatur; & ſpecialiter in olea vocatur claucola ſiue talea. Sed ſi Græcos Grammaticos ſequamur, μόσχος, inquit idem Henricus Stephanus, nullo modo viuiradix erit, ſed potius ſtolo aut ſurculus nondum auulſus: in vite autem palmes aut pampinus: nam hæc potiùs νέοι κλάδοι ſeu ἁπαλὰ βλαςήματα dici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A dici posse videntur, quàm viuiradices; quòd hæ per se plantæ sint, illa autem in arbore adhuc consistant. Idipsum autem patebit ex sequentibus. Homerus autem μόσχος adiectiuè vsurpauit pro ἁπαλὸς, vt Suidas quoque exponit, & μόσχοις λύγοις dixit tenera vitilia seu vimina è vite pullulantia, seu τοὺς ἁπαλοὺς ἀκρέμονας καὶ μᾶλλον παράφυάδας τοῦ λύγου, vt Eustathius exponit de duobus Priami filijs:

Iliad. Δ.

ὥ ποτ᾽ Ἀχιλλεὺς
Ἴδης ἐν κνημοῖσι δίδη μόσχοισι λύγοισι
Ποιμαίνοντ᾽, ἐπ᾽ ὄεσσι λαβὼν, καὶ ἔλυσεν ἀποίνων.
quos olim Achilles
Idæ in iugis ligauit teneris viminibus,
Pascentes apud oues deprehendens, & demisit pro pretio redemptionis.

Vbi Eustathius μόσχοις λύγοις exponit τοὺς ἁπαλοὺς καὶ τρυφεροὺς ex Appione & Herodoto, tradens translatum esse ἀπὸ τῶν ἐπ᾽ ἁπαλῶν βοῶν, ὅ ἐστι μόσχων, ad τὰ τρυφερὰ καὶ λυγώδη φυτά. Aristophanis Scholiastę substantiuè quoque μόσχος est ἡ ἁπαλὴ καὶ νέα λύγος, subiungenti tamen locum Ho-
B mericum iam citatum: & Hesychio itidem μόσχος est νέος λύγος: sed duo substantiua sine intercedente adiectiuo aut particula, copulari nequeunt; ita rectius, inquit Henricus, in meo manuscripto Homero μόσχοισι λυγοισι exponitur ἁπαλοῖς ἱμαντάδεσι φυτοῖς: quemadmodum & à Nicandri Scholiaste accipitur. In vulgari Lexico μόσχος exponitur etiam petiolus siue pediculus, tenaxque Palladio, quo folia & fructus annexi dependent in suis plantis, pro quo scribendum μίσχος, quod in ea significatione agnoscitur ab Hesychio, licet perperam eius codex habeat μίαχος, sed reponẽdum esse μίσχος ordo etiam alphabeticus ostendit. Hæc itaque ille: Posse tamen interdum μόσχους etiam reddi plantaria vel viuiradices ex ijs locis sciri ait, qui in μοσχίδιον & μοσχεύω proferuntur. Μοσχεύω autem interpretatur surculis ex arbore demptis sero; ramis tenerrimis ex arbore demptis sero; ramis tenerrimis ex arbore auulsis planto: plantaria seu viuiradices instituo. Theophrastus de palma; Τὰς μὲν ῥάβδους φασὶ μοσχεύειν περὶ Βαβυλῶνα τὰς ἁπαλωτάτας καὶ ὅταν ἐμβιώσωσι, μεταφυτεύουσι. Hinc, vt credit, desumptum videtur, quod apud Plinium legimus itidem de palmarum satione; *Et ab alta radice auulsæ vitalis est satus, & ramorum tenerrimis. In Assyria ipsa quoque arbor strata in solo humido tota radicatur, sed in frutices, non in arborem. Ergo plantaria in-* *Lib. 13. c. 4.*
C *stituunt, anniculasq; transferunt.* Est autem illic μοσχεύειν ab ea significatione nominis μόσχος, qua ponitur pro plantario seu viuiradice, hoc est planta traduce, quæ cùm radices alicubi egit, in alium locum transfertur. Sic μοσχεύειν τὰ κλήματα Budæus interpretatur, viuiradices facere ex sarmentis, apud Theophrastum in tertio de causis plantarum; sicque semper vertit Theodorus, id quod Gesnerus improbat, qui μοσχεύειν Theophrasto etiam sumi ostendit pro amputare, vt in hoc loco, qui legitur in tertio tertij; ἐπὶ τῶν δένδρων ἔνιοι μοσχεύουσιν, οἱ δὲ περιαιροῦσι τὴν θαλείαν τῶν κλάδων. idest, vt ipse vertit, arborum stolones circa truncum infra & radicem aliqui resecant, alij etiam luxuriantem in ramis germinationem abscindunt, aliquandoque μοσχευόμενα sunt potius rami tenelli, qui ex arbore in humum deferuntur, vt sunt in oleis taleæ seu claueolæ, in vitibus malleoli, & μεμοσχευμένον stolo recisus. Sic quoque μοσχίον accipitur pro nouello germine aut stolone. Hesychio & Suidæ μόσχια sunt ἁπαλὰ φυτὰ, paroxitonως apud vtrumque. Μοσχία ab eodem Hesychio exponitur κρομμύου τὸ σπέρμα. In hac posteriori significatione capitur etiam μοσχίδιον, videlicet pro nouello germine: nam Suidas μοσχίδια exponit τὰ νέα βλαστήματα, Hesychius autem μοσχεύματα. Aliàs μοσχίον est vitulus nouellus, & à Polluce etiam accipitur pro agnello *Moschion.*
D recens nato; siquidem ait: καὶ αἱ τῶν προβάτων ἡλικίαι. τὸ μὲν ἀπὸ γονῆς, εἴποις ἂν μοσχίον. τὸν δὲ ἔτειον ἄρνα, εἴποις ἂν ἀμνὸν ἢ ἀρνίον. εἶτα εἴποις ἀρνόν. εἶτα λειπογνώμονα. Suspicetur tamen fortassis aliquis propter articulũ masculinum τὸν legendum esse: μοσχίαν: præsertim cùm apud Eustathium quoq; μόσχιας scribatur, apud quẽ eędẽ ouini generis ętates ita recẽsentur. Ἴστρος ἐν Ἀττικαῖς λέξεσιν ἄρνα φησὶν, εἶτα ἀμνὸν, εἶτα ἀρνειὸν, εἶτα λειπογνώμονα. ἐλέγετο δὲ καὶ μοσχίας ὁ τριετὴς κριός: nisi potius subaudiendum sit ἀρνὸν aut pro τὸν legendum τὸ. Est modò τοῦ μόσχου apud recentiores Græcos longè alia significatio medicos præsertim, pro nimirum pretiosissimo eo odoris genere, quod ex quadrupedis cuiusdam exotici, ex bisulcorum genere vomica colligitur, de quo suo loco agetur. Sunt qui hunc μόσχον à D. Hieronymo Muscum reddi putant, vbi ait. *Odoris autem suauitas & diuersa thymiamata, & amomum & cyphi, & œnanthe, muscus, & peregrini muris pellicula, quòd dissolutis & amatoribus conueniat, nemo nisi dissolutus negat.* Et in Epistola ad Principiam virginem: *Illa enim solent purpurisso & cerussa ora depingere, sericis nitere vestibus, splendere gemmis, aurum portare ceruicibus, auribus perforatis rubri maris pretiosissima grana suspendere, fragrare musco, mure.* Quorum sententiam refellit Hermolaus Barbarus, muscum istum D. Hieronymi eundem esse censens cum βρύῳ, idest musco arborum, μόσχον autem veteribus & ipsi etiam Galeno ignotum

Lib. 7. *Moschus.* *Lib. 2. aduersus Iouinianum.* *Muscus.*

fuis-

fuiſſe. Cæterùm nunquid vel Hermolao, vel illis ſit aſſentiendum, ſuo proprio loco ventillabimus. E
Portis. Vitulum autem, Græci noſtri temporis μυσκάρι nominant, πόρτιες Varino ſunt vitulæ, quæ paulo adultiores factæ, δαμάλεις dicantur (neutras aut Venerem, aut iugum expertes eſſe ait) adultæ demum βόες, id eſt vaccæ. Heſychio quoque πόρτις eſt νεογνός βοῦς, μόσχος, δάμαλις. A πόρτις fœminino licet, vox diminutiua fit πόρταξ in maſculino genere, & ab hac rurſus πορτάκιον, id eſt
Poris. paruus vitulus, iuuenculus. Geſnerus πόρτις dici ait pro πόρις abundante litera T. πόρις autem ab Henrico Stephano redditur vitulus, & vitula & iuuencus & iuuenca. Meminit, inquit Suidas afferens πόριες, exponenſq; νέοι βόες, μόσχοι. Vtitur autem Homerus, in Odyſſ. dicens: ἄγραυλοι πόριες περὶ βοῦς ἀγελαίας. Dicitur autẽ πόρις ſecũdum Varinum παρὰ τὴν πορείαν, id eſt ab itinere. Suidas verò & Etymologus de hac voce ſcribunt ſic: πόρτις ἡ μίκρα βοῦς, ἡ ἀρξαμένη νῦν τῆς κατὰ νομὸν πορείας, vel δάμαλις ἡ ἄρτι πορεύεσθαι δυναμένη: id eſt iuuenca quæ iam poteſt viam ingredi. Geſnerus πόριν à par voce hebraica deduci poſſe arbitraur.
Erinas. Ερινὰς Heſychius, & Varinus exponunt νέας βοῦς. Ερινάδες verò ipſi ſunt ὄλυνθοι ἢ σῦκαι ἄρρενες, id eſt ficus mares. Et Nicander caprificũ arborẽ ſic vocat, quę & ἐρινεὸν & ἐρινὸν vocatur. Qua vtraq; voce vtitur Theophraſtus. item ἐρινὲς, & ἐρινὸς. Μογιλαῖος quoq; Gloſſographo vitulus eſt. Haud ſcio an à μόγος, id eſt la- F
Inis: bor, ſiue ærumna. Cum annum adimpleuit ἦνις vocatur, vt Varinus docet his verbis. Græci ἦνιν vocant τὴν ἐνιαυσιαίαν καὶ μόνον ἑνὸς ἔνου βοῦς, id eſt bouem anniculam. Eſt & Heſychio ἦνις annicula, ἦνες enim exponit ἐνιαυσιὲς, vt & Scholiaſtes Homeri in ſimili quodam cum hoc eius loco:

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον
Αδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ, ideſt
Tibi autem ego ſacrificabo iuuencam hornam, latifronteã
Indomitam, quam nondum ſub iugum duxit vir.

Prin. Exponunt & Lexicographi ἤνιος, τελεὶς, νεὺς. Πρὴν Heſychio, & Varino eſt taurus. Suidæ verò πρὴν & πρηὼν, nihil quàm eminentior montis pars eſt. Henricus Stephanus monet eo loco pro πρῶνες ſcribendum eſſe πρηῶνες. Eidem Varino κίλλιξ exponitur bos, aut agnus, qui alterum cornu peruerſum habet, & κολαβοῖλαι, tauri. Ita & Heſychius habet Κορώνιος bos, cui cornua ſunt lunata, vt Κορωνος taurus ὀρθόκερως eiſdem.
Ros. Ρὼς ſecundum Io. Tzetzen, genus eſt taurorum Scythicorum, & ρωσογλυφὲς exponit ταυρογλυφές.
Chil. 11. 293
Pella. Etymologus Pellam vrbem Macedoniæ, nomen boui acceptum referre ſcribit, quoniam ab eo ſit inuenta: πέλλην enim, inquit, vocant bouem coloris nigri, vt pelian G aſinum. Κνώδαλον etſi vox generica, & ſimpliciter beſtiam, aut animantem ſignificet, præcipuè autem aquaticam, vt Aſtrophanis ait Scholiaſtes; Aeſchylus tamen boues vocat κνώδαλα. Apud eum enim Promethus vinctus dicit Κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα, Ζεύγλαισι δουλεύοντα σώμασίν θ', ὅπως θνητοῖς μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων γένων θ'. Ac boues ibi intelligi, patereait Henricus Stephanus, ex his quæ ſequunt̃, ὑφ' ἅρματά τ' ἤγαγον φιληνίους ἵππους. Similiter ἱερεῖον quodlibet quidẽ eſt animal, quod immolatur, ſed per excellentiam tamen intelligitur bos, vt Varinus teſtatur.
Egel. Hebræi vitulũ vocant egel, ſed tunc cũ quinq; punctis ſcribi Santes Pagninus ait, eſſeq; qui uolunt intelligi vitulum plauſtralem, ipſe autem varia citat Sacræ Scripturæ loca, in quibus ſimpliciter pro vitulo accipitur: item vbi in fœminino genere pro vitula; oſtenditq; etiam plauſtrum ſignificare, nimirum à rotunditate, cum egel in ſua radice ſit teres. Rabbi Salomon, & Abraham Eſra egel interpretantur vnius anni bouẽ, ne quis vertat primi anni.
Par. Par item his eſt iuuencus, imo, inquit Pagninus, & ſenex, ſecundum Rab Dauid in libro radicum vocatur par, ſed ex contextu Sacrarum litterarum videtur, quod non eſset magnus in annis. Paruus vocatur egel, vitulus. Quidam ad parah reducunt, qui ſcilicet iam prolificet, vbi vitulus eſse deſijt. Talmudici, vt hic citat Kimchi, fa- H
Cap. 26: ciunt triennem. Vulgò vocatur taurus. Eſt autem ætatis mediæ inter vitulum, & bouem. In Exodo ſcribitur, Accipe par vnum filium bouis, id eſt iuuencũ: ex quo videtur quod non eſset magnus in annis: vel hoc dixit ad diſcrimen ſenioris. Hieronymus: tolle vitulum de armento. Rabbi Salomoth etiam exponit vitulum, ita ſcribens, Accipe par ad expiandum opus egel (vituli) qui eſt par. Et Rabbi Abraham in cummentarijs, quia dixit par &c. ſignificat, quod non erat magnus. Et ſic dicun tur filij columbæ, & hircus caprarũ. Adfert deinceps Pagninus aliquot loca, in quibus par pro iuuenco vſurpatur.
Parah. Fœmininum verò parah interpretatur iuuencam, & vaccam. Hieronymus etiã vitulum reddidit: ſed pro ſignificatione vaccæ aliquot recitat authoritates, ſic & parah basàn id eſt, præpingues vaccæ, atq; ita metaphoricè appellantur delicatæ, & primariæ fœminæ iuxta Kimchi Hamos 4. ſicut & aliàs iuuencas tauros populorum appellari potentes, & duces populorũ. Geſnerus par ait eſse bouem, & iuuencum ſiue vitulum ſignificare non putat, niſi ben bakar addatur.
Schor. Schor quoq; Hebræis bos eſt, vel taurus, Sic autem quidam teſte eodem Pagnino, iam habitiorem & craſſiorem bouem diſtento corpore plenum, iuſta iam ætate & magnitudine dici putant. Egel, inquit eſt vitulus, par iuuencus iam adultior, cùm generat, & fructificat. Schor taurus iam ple-

nè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A nè distentus,& compactus. Explodit etiam quod quidam recentiores curiosiores hinc putent Israelem dictum ischorin in radice ischor. Haud dispares etiam esse curiositatis,quod Serapin hinc dictũ putant,quasi bouis faciem,& id praua imitatione Aegyptios à Ioseph sumpsisse,qui cum sua familia illic boues immolarit: quod & postea Israelitæ in deserto, & sub Ieroboam sunt secuti: quasi esset Apis bos è cœlo delapsus. quòd boues in sacrificijs igni cælitus delapso consumerentur. Aeq; friget,quod quidam Serafin ab vrendo, à shorap,alij quasi egelir apim paruum aspectu dictum putant: quòd Patriarchæ Christum,vt puerum fide aspiceret:Malim hac in re externos sequi scriptores,& D. Augustinum de Ciuitate Dei,quàm friuolis,& incertis vti coniecturis, Hæc ille. In genesi,vbi dicitur *Et fuit mihi Schor* (bos) *& asinus*,intelligi debet in plurali,pro fuerunt mihi boues & asini: sunt enim nomina specierum,& collectiua. In alio verò eiusdem libri loco, nimirum isto: *Subneruauerunt Schor*,quidam bouem,nõnulli murum exposuerunt.Rabbi Iahacob filius Elhazar putat esse cognomentum dominatoris: sicut,& aliàs scriptura magnos principes vocat arietes,& hircos. Sic & in Deuteron. Ioseph bouem appellauit,ob eius amplam magnitudinem. Non desunt qui bouem,vt sonat,exponant,quod bestias eneruarent: Quamuis enim eorum oues,& boues
B & asinos ceperint,fieri potest, vt partẽ ceperint,partem subneruauerint,quia oneri illis fuisset abducere omnes bestias vrbis,cùm abirent tanquam fugientes. Quidam recentiorum sic vertunt,pro libidine sua euerterũt propugnaculum,vt sit idem cùm Schor,quod exponunt ædificium,vnde prospicitur,vel quid foras extenditur,& procurrit per omnes commissuras compactum, & more bouis completũ,propugnaculũ,promontorium.Monet uerò Pagninus Chaldæum magis esse hoc nomẽ, cùm pro Hebræo humah murus,passim Chaldæus interpres schor,& Schora dicat.Schor pro boue in plurali vau mouetur. Tau,ut ait Rabbi Dauid in libro radicũ est bos syluestris,urum alij,alij turonẽ uocant. Connumeratur inter animalia fera,quorũ esus cõceditur.Per antiphrasin quidam dictũ uolunt,quod se circũscribi non patiatur,uel a stupiditate. In Deuteronomio utau & bos syluestris,septuaginta ὄρυγα,id est,orygem,& inuersis, id est transpositis litteris Catua, sicut bos syluestris in reti,D. Hieronymus,sicut oryx illaqueatus,septuaginta, sicut beta semicocta, R. Abrah in comment. genus auis esse scribit. Sed in Deuteron. constat genus esse animalis, cùm inter minora animalia annumeretur,& idem sit tau,& tua secundum R. Selom.& R. Dauid. Porro illud Chaldeor. Deuteron. R. Sol. exponit bouem syluestrem. Quòd uerò attinet ad Aben Hetzram,simpli-
C citer habet instar auis,ita ut illud possit accipi uel de aue in genere,uel ad emolliendam comparationem. Bakar etiam exponitur bos. Pagninus,alijque generale nomen seu collectiuum esse volunt, complectens armenta idest maiora animantia, quæ gregatim pascuntur,vt boues, vaccas,vitulos. Sacræ enim literæ pecus distinguunt in duo genera, maiora videlicet & minora animantia quadrupeda,& minora vocant tzon,idest,greges,maiora bakar,idest,armenta.Bakar autem ab inspectione nomen accepit, curaque & inquisitione hominum, quòd hominum gubernatione opus habeant. Pagninus multa sacræ scripturæ loca producit, in quibus priuatim pro boue accipitur: aitque confundi cum plurali nominis mane (hoc enim etiam significat, & manè inquirere,) sed sensus, inquit, id facilè distinxerit: & Hamos.6.12. *num arabit in bakarim*, idest bobus, D. Hieronymus in bubalis: A bakar fit verbum in coniugatione Kal,quod significat pascere boues.Hamos 7.14. Non sum propheta &c. sed bukar, idest pascens boues, idest armentarius, vt diuus transtulit Hieronymus,quasi inquirens & curans armenta.Abir significat robustum,& per excellentiam & antonomasiam abarim numero plurali Psal. 22. exponitur pro tauris robustis: sunt tamen qui caballos reddunt. Meria genus esse aiunt boum maiorum, bubalum. Sunt qui bene saginatas pecu-
D des,ut boues & oues intelligant: uocem enim marah saginare significare scribunt rabini Kimhi, & Salamon in commentarijs Amos.5.D.Hieronymus pinguia uertit. Abraham ex sententia Rab. Saadiæ dicit animal esse maius boue, quod in hisce regionibus non extet. Est & Aleph bos Hebræis, a docilitate & assuefactione ad labores sic dictus,vt Gesnero videtur. Est verò & aleph dux siue ductor, qui alijs præest, rector. Hebræi doctores inquiunt aleph idest duces à rege tantum differre, & eo inferiorem esse corona. Verùm Pagninus generalius esse ait, vt significetur hoc nomine quisquis est alicui tanquam ὁδηγὸς, quem vt magistrum reueretur,& sequitur in omnibus,vnde præcipuum quoque & intimum amicum significat,ex quo quis pendet, & cuius consilio atque authoritate velut præeunte agit omnia, quasi doctorem dicas,& verbum aleph docere significat.Hoc nomine Dauid Achithophelem appellat,quasi præceptorem & magistrum suum.Hinc bouem etiã dictum putarim,inquit,quod in gregibus hoc sit maximum animans,potius quàm à mansuetudine aut assuefactione cum alijs; Hinc & primam alphabeti literam aleph quidam dictam putant,quòd velut dux cæteras præcedat, vel à millenario numero,quem quoque significat quòd post absolutas alphabeti literas ad reliquos numeros significandos, ad mille designanda, sit ad initium alphabeti redeundum. Sic Pagninus. Cæterùm cum aleph vel ipso etiam teste, sit quoque familia, sic appel-

lata,

Serapis unde dictus.

Lib. 18. c. 5.
Cap. 32.
Cap. 49.
Cap. 33.

Tau.

Cap. 14.

Bakar.

Pecoris distinctio in sacris.

Aleph.

Psal. 55.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

lata,ut ipſe ait, quòd millia, ideſt multi ſint in ea, bos fortè ſic quoque appellari potuerit, tanquam omni familiæ præ cæteris neceſſarius. Vtcunque eſt, Grammatici Græci alpha ſimiliter exponunt caput bouis, quod aliàs vno vocabulo βούκρανον appellatur. Bos Chaldæis eſt tor, à qua voce Græcos & Latinos taurum dixiſſe docti arbitrantur. Inuenitur & tora apud recentiores, & torata fæminini generis. Matthæus Syluaticus taur exponit taurum, nimirum ex Arabico dialecto. Θήβη verò Syrorum lingua eſt vacca: qua duce, vt ſuo dicetur loco, Cadmus Thebas condidit. Antequam modo aliarum nationum nomenclaturas bubulo generi attributas adducam, non erit præter noſtrum inſtitutum, inquirere, nunquid bos quoque iumentum dici poſſit. Negat id Vlpianus ad ædilitium edictum, & Pomponius de verborum ſignificatione ait armentorum nomine magis boues contineri, quàm iumentorum. His quoque Plinius fauere videtur, iumentum de equino potius grege quàm de bubulo dici indicans his verbis: *Iumentorum fimum quidam bubulo præferunt.* Et alicubi quoq; eruum bubus & iumentis vtiliſſimum eſſe tradit. Cæterùm hac in re Plinius ſibi parum conſtans eſt, nam paulò antè dixerat: *Tranſpadanis cineris vſus adeo placet, vt anteponant fimo iumentorum, quod quia leuiſſimum eſt, ob id exurunt,* vbi nimirum boues vocat iumenta, nã equi ſtercus ad vrendum inutile: Et alicubi: *Iumentis,* inquit, *folia fraxini ſunt mortifera, cæteris ruminantium innocua Græci prodidere. In Italia nec iumentis nocent.* Ait etiam iumentorum corpore exanimato apes gigni, quod etiam boui proprium, nam ex equo veſpæ generantur. Columella à iuuando iumenta dici autumat, ex eo quod noſtrum laborem, vel onera ſubuectando, vel arando iuuent. Columellę ſubſcribit Iſidorus, *Iumenta,* inquit, *nomina inde traxerũt, quòd noſtrum laborem, vel onera ſuo adiutorio ſubuectando vel arando iuuent. Nam bos carpenta trahit, & duriſſimas terræ glebas vomere vertit. Equus & aſinus portant onera, & hominum in gradiendo laborem temperant. Vnde & iumenta appellãtur ab eo, quòd iuuent homines. Sunt enim magnarum virium animalia.* Et quamuis modò Varro armenta boues vocari voluerit, quaſi aramenta tertia litera ſublata, tamen armentum teſte Feſto, omne id genus pecoris dicitur, quod eſt idoneum ad opus armorum: vt ſunt equi ac boues, nam equis in bellum curritur, clypei verò boum corijs armantur. Græci proprium vocabulum, quod equidem noui, quod iumento vel armento reſpondeat, non videntur habere, namque κτῆνος omne illud denotare videtur pecus, in quo veterum poſitæ erant diuitiæ, vt nomen ipſum indicat, dicitur enim κτῆνος teſte Euſtathio ἀπὸ τῆς κτήσεος, ideſt à poſſidendo: quanquam ſint etiam qui à κτείνω deducant, ideſt, interficio, vt κτῆνος propriè dicatur de illo quadrupedum genere, quæ mactari & immolari ſolent. Notatione dignum eſt, quod quamuis grex, vt Valla teſtatur, dicatur de paruo pecore, vt ouibus & capris, Tibullus ita priuatim vocet boues,

Alpha. — *Thebe.* — *Bos an iumentũ dicendus.* — *Lib. 17. c. 9.* — *Lib. 16. c. 13* — *Lib. 12. c. 1.* — *Armentum quid.* — *Grex.*

E — F — G

Illa deo ſciet agricolæ pro vitibus vuam,
Pro ſegete ſpicam, pro grege ferre dapem:

ideſt pro bobus, vt Ianus Duſa exponit in ſuis præcidaneis. Ouidius egregiè gregem, à maiori pecore diſtinguens, dicebat:

Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Paſcebant.

Similiter Virgilius:

Hæc ſatis armentis: ſuperat pars altera curæ
Lanigeros agitare greges, hirtaſque capellas.

Cùm verò grex pro armento accipitur, tunc videas adiunctum nomen adiectiuum. Virgilius:

Aut aliquam in magno ſequitur grege.

Pecus. Sic Horatius cùm vellet ſignificare boum armenta, dixit *greges mugientium*. Latiſſimum verò pecoris nomen, pro omni nimirum animali, vt Seruius, & Acron teſtantur, quod humana effigie caret. Horatius tamen hoc loco: H

Omne cùm Protheus pecus egit altos
Viſere montes,

Lib. 29. c. 2. *Cornutus.* armenta intelligit. Sed plura de hac voce dicemus in oue. Adrianus Turnebus ſcribit ſeſe animaduertiſſe Accium dixiſſe cornutos pro coruutis & aratoribus bobus, ſine boum tamen adiectione; Sunt autem hæc Actij verba:

Forte ante auroram radiorum ardentem indicem
Cum ſono in ſegetem agreſtes cornutos cient,
Vt rorulentos ferro terras vuidas
Proſcindant, glebaſque aruo ex molli excitent.

Lib. 3. Quemadmodum modò vt Athanis in primo rerum Sicularum teſtatur, referente Athenæo, Dionyſius bouem appellabat γαρόταν ideſt telluris aratorem, quo ſenſu etiam γαῖος dictus eſt, ita etiam ζεῦγος, quo communiter nomine iugum intelligitur, biga itẽ, trigæ & quadrigæ, adeoque quoduis vehiculũ, pro ipſis quoq; bobus ac generalius pro armentis ſumitur. Bouem Itali boue dicunt, vel

bue,

A bue, alicubi tamen etiam, vt apud nos bò, Galli buef, Hispani buey, Germani ochs & rind, Belgis os, Angli ope, fortè quasi opera, aut opes, ob allatã sæpe rationem: Illyrijs Vvul. Taurum Itali Hebraica voce toro, rustici nostri etiam bò: Galli toreau, Hispani toro, buy rezio, Germanis Stier, Farr Varren: mummelstier, Vvucherstier, bullen. Belgæ similiter Stier, & vt Adrianus Iunius annotat, in suo nomenclatore, varning, varre, bulle, Angli bulle, Illyrij iuneczi quasi iunicem, aut iuuencum. Vaccæ apud Italos duplex nomen, eas enim quæ boum munere funguntur, labores nostros arando & trahendo adiuuantes, iugales non incongruè dicendas, vel simpliciter vaccas dicunt, vel ab officio vacche da tirare, quæ verò soli incũbunt proli & lactis tantùm vsum præbẽt bergaminas, vocabulo, vt Nicol. Erythræus credit Germanico, quasi mõtanas, siue vt ipse ait, quòd gregatim in mõtibus pascantur, Bergh autẽ Germanis tam superioribus quàm inferioribus montem significat. Varro matrices vocat, sed & fructuarias rectè dici posse Cælius arbitratur. Gallis vacca simpliciter est vacche, Hispanis vaca, Germanis Ku, aut Kuhe, Belgis Koe, Anglis corre: in Insula Madagaskar siue S. Laurentij agomba. Vitulus nobis vitello, (vitula, vitella) Gallis est uaeu, Hispanis ternera, nimirum à teneritudine, Germanis Calb, Belgis calf, Anglis Calfe. Ioannes Goropius Calf appel-

Nomina aliarum nationum.

B lari uitulum scribit, quasi callef, idest, inquit, pulchra uita, à cal scilicet & lef, quod idem est, quod pulchre & iucunde uiuo. Dici autem calf ferè de omni maiore pecore in prima & viridi ętate constituto, quo tempore lasciuiendo pulchrum nobis exhibet, atque iucundum spectaculum, & quasi florem ipsius ætatis. Cal verò antiquissimam vocem pro pulchro vsurpatam, cùm multa alia, tùm potissimum Hebræorum etiam indicat cal & Græcorum κάλλος. Sed fortassis callef indicabit vitam robustam, cùm sit calf idest vitulus in robustissimum animal euasurus. Solent enim Belgarum plurima vocabula inuersa in contrariam plane torqueri significationem: Calf autem si retrò legas, habebis flac, idest imbecillum, & debile, vnde Latini flaccidum quoque efformarunt. Iuuencus nobis vulgò est manzuolo, manzo vero bos iam addultus, (& carne di manzo caro bubula) vterque, ni fallor ab officio, manzuolo quasi ad terram excolendam iam proxime sit futurus idoneus, manzo qui eam iam colit. Mansum enim nonnulli teste Roberto Cenali, terram esse asseuerant culturæ annuæ vnius aratri capacem, circiter viginti iugera continentem. Sic & iuuenca nobis est manzuola. Galli, quoad obseruare licuit, proprium vocabulum non habent, sed circumscribunt ieune beste vocantes idest bestiam aut animal iuuenile, si mas est, si fæmina ieune vacche: similiter faciunt

Lib. 4. Hermathena.

Mansum quid.

C Hispani, quibus buey nouillo iuuencum, vachilla verò iuuencam significat. Germani marem Zeitochs, fæminam Zeitku dicunt, Belgæ veerse aut hoeckeling ab angulo, solent enim Belgæ, Hollandi & Frisij iuuencas à fœtis, & quę mulgentur, seperare, & in postremum locum in angulos stabulorum reijcere, tanquam adhuc inutiles. Angli iuuencum a ionge oxe, iuuencam heffar dicunt.

GENVS. FORMA. DESCRIPTIO.

BOVEM ex genere esse bisulcorum, hoc est, quorum ungula bisulca est, siue bifida, ex ipsamet clarum est autopsia, & ex veterum quoque testificationibus. *Hippopotami*, inquit Plinius, *vngulæ binæ, quales bubus*. Ouidius in metamorphosi.

Puluereumque solum pede pulsauere bisulco.

Quæ autem sit ea in ipsa ungula cauitas, de qua sic meminit Laertius: Quidam Demetrio authore tradunt Epimenidem accipere solitum à nymphis cibum, cumque intra bouis un-

D gulam seruare, mihi hactenus non satis constat. Quidam author obscurus ungulam tradit, nisi in utero absoluatur, moriturum ipsum animal: sciréque interest βοὸς πόδα ab Atticis uocari, uiuentis pedem, mortui autem βόειον πόδα, ut Ammonius & Varinus obseruarunt. Cùm uerò bisulcorum alia cornigera sint, alia acornia, bos ex cornigeris est; item uacca & taurus, dissimilia tamen gerunt cornua, neque etiam æquè robusta. Tauris teste Plinio minora tenuioraque, quam sunt bubus. Et Democritus, vt citat Aelianus, bubulo pecori castrato, ait tortuosa, gracilia, & longa nasci cornua: contrà testibus prædito euasci secundum radicem crassa, recta, minusque prolixa. Idem Aelianus de taurorum cornibus sic scribit: Cornua tauris omnibus rigida & minimè flexibilia existunt, eamque ob rem cornibus perinde armati furibundè appetunt, atque homines armis hostes feriunt. Aristoteles quoque de castratis loquens hominibus, eos ita commutari tradit, ut etiam cæterorum animantium quæcunque castrata; nam & tauros & uerueces sua cornua è contrario genere, quàm fœminæ quoque eorum contrà quàm mares armentur cornibus: itaque illos maiora excisos gerere, hos minores. Idem Aristoteles in eadem mox rursus sectione eandem dubitationem soluit, cur boues castrati maiora gerant cornua. Cur spadones (inquit calui esse nequeunt? An eò quod multum cerebri obtinent, quod sanè his contingit, quia rem uenercam non agunt; semen enim labi per

Lib. 1. „ Epimenides vt nutritus.

Cornuũ varietas.

Lib. 12. c. 19.

Lib. 2. c. 20. „

Sect. 10. Probl. 38.

Probl. 56. „ „

spi-

Lib. 4. H. circa finem.

„ ſpinam è cerebro videtur. Qua de cauſa boues quoque caſtrati cornua gerere maiora putantur, nec E
non & mulieres & pueri cur calui non ſint, eadem ratio eſſe creditur. Dixit verò etiam Ariſtote-
les: cornua tauris robuſtiora eſſe quàm vaccis: quo tamen in loco contrarium habet Albertus Ma-



F

G

H

Cornuũ boũ & vaccarũ differentia.

gnus: Cornua (inquit) vaccarum fortiora, & maiora & longiora ſunt cornibus taurorum: deceptus forte Plinij verbis, qui tauris minora quàm bubus; tenuioraque cornua eſſe ſcribit; ſed Plinius boum nomine non vaccas, ſed boues caſtratos intelligit. Horum verò cornua à vaccinis ſic diſtinguuntur,
quip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A quippe quòd illorum & maiora & tortuosiora sint, harum & minora & vno flexu conspicua, cuiusmodi ferè sunt nouæ lunæ cornua. Caua cornuum pars in bubus, vt alijs etiam ferè omnibus, ex cute potius, vt ait Aristoteles, oritur, quàm solidum quiddam osse enascens subit, impletque totam. Ait etiam cornua vaccæ calefacta facilè in quamuis partem flecti, nec non & iuniorum tepefacta in cera, ducique facilè quò volueris. Plinius quidem hoc quoque tradidit, sed & aliud addit, quod nunquid rationi consonum sit, & veritati, ambigi potest. *Boum attritis*, inquit, *vngulis, cornua vngendo aruina, medentur agricolæ: Adeo sequax natura est, vt in ipsis viuentium corporibus feruenti cera flectantur, atque incisa nascentium in diuersas partes torqueantur, vt singulis capitibus quaterna fiant*. Apparet autem cum ex diuersis authorum locis, quæ alibi de propriè dictis in capite cornibus legerat, & alibi de cornu, idest cornea substantia vngularũ, imprudenter, ac precipitanter copulasse. Quid enim vngulis cũ cornibus capitis ita cõmune, vt hæc illis attritis inungi debeant? Cornu autem vocabulum propter substantiæ similitudinem ad vngulas transfertur. Virgilius de equo:

Cornuũ natura.

Cornu de vngula.

Solido grauiter sonat vngula cornu.

Vnde & equi cornipedes poetis sunt dicti: In eandem scillam incidisse aduerti quosdam Grammaticos Grecos.
B Vbi namq; Dionysius Afer πᾶνα κερώνυχα cognominat, Scholiastes eius nõ exponit cornupedẽ (sicut aliàs etiam Latini poetæ Pana vocitãt capripedem & semicaprũ, sed ὀξύκερων, idest, qui acuta in capite habeat cornua: Hæc enim eius sunt verba, ὡς τοῦ ὄνυχος ἐνταῦθα ὀξύτητα δηλοῦντος, καθὰ καὶ ὅτε ἀκρεονυχίαν ὄρυς φάμεν. Differunt modò cornua boũ in propria sumpta significatione, figura, situ & numero. Quorũ cornua sursum reflexa sunt, Licinij Seraio vocãtur, vt Iunius annotauit in suo nomenclatore: sinuosi verò, quorũ cornua in diuersum tendunt. Apud Neuros, bobus in humeris cornua esse Aristoteles testátur teste Aeliano. Columella mutilos dici ait, qui cornibus carent: sed & sine cornibus haberi naturaliter mox suo loco patebit, vbi omnes boũ differentias recitabimus pro regionũ ratione, in quibus habitant. Ipsum autem animal, vtpote domesticum, & vbiq; terrarum notissimũ non attinet describere, & si quis velit, inutilem sumpturus fuerit laborem imo verò etiam ἀδύνατον, propter nimirum coloris varietatẽ: Nam quamuis Aristoteles inquiat bouẽ ex ijs esse quæ non genere, vt pauo, sed parte tantùm variant: miranda tamen hæc est varietas, vt tot ferè sint differentię, quot loca, vbi nascuntur: vt cornuum quoq; diuersitatem subticeam, de qua iam diximus. Pilum gerit hoc animal, qui quotannis, vt ait Aristoteles, decidit. Tenuiorem eũ esse
C quàm Suum, idẽ alicubi asserit, addita ratione, quòd coriũ bouis sit densius, quàm suum, & ideò excrementa, quę exeunt per densiores meatus, esse tenuiora quàm quæ per laxiores. Quãuis autẽ densum sit eius corium in toto corpore, in ceruice tamèn & dorso id durius densiusque habetur, vti & in ouibus, & peculiari nomine κόλλοψ appellatur, ita dictũ vt Eustathius affirmat, quoniã ex ipso ἀναβραττομένου, idest feruefacto fit ἡ κόλλα, idest, gluten. Vnde metaphoricè κόλλοπας dictos tradunt exoletos & callosos pueros, τοὺς σκληροὺς καὶ παρηβηκότας παῖδας, seu, vt Hesychius tradit, τοὺς σκληροὺς ὑπερ τὴν ἀκμὴν πάσχοντας, aut τοὺς ἀκολασαίνοντας ὑπέραγμα, supra ętatis vigorẽ libidinãtes, vnde & κολλοποδιώκτης, qui pueris exoletis & durioribus inhiat. Varinus verò collopas Græcis vocari ait coria duriora circa ceruicem suũ & taurorum, ex quibus, inquit fiunt κόλλαβοι dicti, idest, clauiculi, quibus remittũtur & intendũtur fides in citara. Sed & κόλλα etsi glutinum significet, accipitur etiã ab Hesychio pro pelle bouis in dorso, vnde quoque præcipuè glutinum conficiebant. Ceruices itaque ob corij duritiem ad iugũ natas ex Cicerone diximus, tum vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda. Quæ in collo conspicitur reduplicatio μύκλος appellatur, vt ait Varinus.

Pan ceronux.

Cornuũ differentiæ.

Lib. 7. c. 3.

Boum diuersitas.

Pilus.

Sect. 10. Probl. 62.

5. de generat. c. 3.

Corium vbi durius.

Collops.

Colla.

Hippocrates author est, boui crassam esse labrorum prominentiam, crassam item & obtusam superD nam maxillam, ideoque in breues herbas subijcere non posse. Cum enim dixisset, emarcescere hoc animal maximè vltima hyeme, huius rei velut rationem agglutinans, inquit: Rectè enim scripsit Homerus, ex omni pecore boues tempore hoc maximè pati, atque inter boues qui arant, cùm hyeme laborent: his igitur maximè articulus excidit, quoniam maximè extenuantur. Namque aliud pecus pascere exiguas herbas potest: bos non item, priusquam grandiores fiant. Aliud enim pecus tenuem habet labrorum prominentiam, tenues item malas: bobus contra labrorum prominentia crassa est: malæ item hebetes, ac crassæ, atque ideo exiguis herbis non possunt eas subijcere. Deinde etiam Hippocrates Homerum citat, quod ver bobus gratum esse scripserit, cùm illis grandior herba iucundissima sit. Vere enim herbæ potissimùm augentur, molliores que quàm reliquis anni temporibus existunt, quem Hippocratis locum explanans Galenus, inquit. Hæc quidem pascere exiguas herbas possunt, cuiusmodi sunt equi, asini, muli: at ex ijs quæ ab vna tantùm parte sunt dentata, illa duntaxat, quibus labri prominentia tenuis est. Atque idcirco inter animalia, quæ herbis vescuntur, soli boues, hyemè pastu indigent, quoniam nequeunt exiguam herbam aut σαρκάζειν, idest dentibus abscindere, aut labris prehendere. Boues enim non habent labra ita tenuia, vt exiguã herbam circumplicare atq; comprehendere possint, quemadmodum & capræ & oues. Hæc tria animalium genera multifidos pedes habẽt, sed solidi pedis sunt, quæ vtrimq; sunt dẽtata. In qua sanè Ga-

Lib. de articul.

Labiorum prominẽtia.

Bos cur exiguas herbas pascere nequeat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

leni explicatione, poſtrema verba negotiũ faceſſunt, cùm nequaquã veritatẽ ſemper habeat, quod E animalia vtrimq; dentata ſolipeda ſint: nam & digita omnia vtrimq; dentes habent, & inter biſulca etiam ſues: & quamuis omnia ſolipeda vtrimq; ſint dentata, non propterea omnia quæ vtrimq; *Galeni locus emendatus.* dentata ſunt, ſolipeda ſunt: quamobrem ſic legendum putarim: ſed ſolidi pedis quæ ſunt, vtrimq; *Frons.* ſunt dentata. Frontem ſiue tauri ſiue bouis imagine Y ſigurari Cælius annotauit teſte Iacobo Dalechampio in ſuis annotamentis in Plinium. Democritus, vt Ariſtoteles & Aelianus annotarunt, boues, hoc eſt, exectos latiorem tauris frontem habere dixit. Nam hìc ibidem cùm multę ſint venę, ab ijs oſſa dilatari, ſimul & cornuum eruptionem, quoniam craſſior exiſtat, frontis latitudinem promouere: caſtratis verò, quod ſedes cornuum & initium enaſcendi perparuum habeat circulum, *Oſſium capitis quæ duriora.* minus dilatari hanc partem. Inter vtrun.que cornu, maxima oſſium eſt durities, itaq; iniurijs valdè reſiſtens, ac fractu contumax: quod non latuit Virgilium, cùm Entelli ſummam in brachio potentiam indicaturus, ita in eum locum cæſtus illiſiſſe aſſerit, vt ad cerebrum vſque ictus penetraret:

Dixit, & aduerſi contrà ſtetit ora iuuenci,
Qui donum aſtabat pugnæ, duroſque reducta
Librauit dextra media inter cornua cæſtus, F
Arduus, effractoque illiſit in oſſa cerebro.

Oculi. Oculos habent teſte Ariſtotele nigros, item latos & planos: quales, qui ex nobis habent, bubulis ſimiles exiſtimari Adamantius ait: quos ceu pulchros cõmendant, crebroque celebrantur ab Homero in Iunone: *Lingua.* Lingua longa, lata & aſpera: hanc boui auulſam per totam diem palpitare, Cardanus ſcribit. Scaliger reddit rationem. Boui, inquiens, natura vegeto craſſior ſanguis, qui eſſet caloris *Palear.* fundamentum, diù concluſus fuit. Palear ſeu potius palearia vocantur pelles illæ, quæ ex gutture boum dependent, quaſi pellearia. Hæc fortaſſis intelligit his verbis Varinus: λωγάλιον, τῶν βόων *Dentes.* ὑπὸ τὸ τράχηλον χάλασμα: eſtque ipſi etiam λωγάνιον pars corporis. Dentes eis ſunt continui, & *Lib. 11. cap. 38.* bis, inquit Ariſtoteles, mutantur. Mutant autem bimi, vt ait Plinius. Superiori dentium ordine carent, ideſt primoribus quatuor, ideoq; ruminant. Robur in mordendo pro corporis molis ratione *Lib. 11. de vſu part.* haud magnum eſt, vt docet Galenus his verbis: Aſinis verò & bobus & ſuibus, & (vt ſimpliciter di- *Cur morſu nõ valeant.* cam,) quibus maxilla eſt magna, ſolus temporalis muſculus eſt maximus proportione magnitudinis ipſius maxillæ, nõ tamen robuſtus quidem, quemadmodũ fortibus & ferocibus. Nã propter duo hæc temporales muſculos natura magnos efficit, ob actionis in mordendo robur, & magnitudinem G maxillæ inferioris: cuius gratia cùm eſſent facti, illius tũ actioni, tum conſtructioni iure fuerunt cõſentanei. Cùm igitur dentes ſerratos habentibus robur in mordendo inſit, maximus ſimul & fortiſſimus ipſis muſculus extitit: verùm maximus tantum, non etiã neruoſus atq; robuſtus, neq; in agendo præpotens, in bobus eſt, aſinis ac ſuibus, atq; alijs animalibus, quæ maxillam quidem inferiorẽ habent magnam, in mordendo tamen nullum eis eſt robur: ſatius enim fuit magnã maxillam à magno muſculo moueri. Hæc ille, cui tamen ratio aduerſari videtur, cùm equus, aſinus & bos duriſſimas corrodant ſtipulas, & ſus in dentibus ſua agnoſcat arma, quibus non ſolùm ſe ipſam tuetur, ſed & alijs etiam plurimũ ſit noxia, vt in Apri hiſtoria patebit. *Penis.* Inguinis ſiue penis tanta eſt tentigo ac duritia, vt ſi contingat, vt initurus vaccam ab naturali aberrauerit loco, eam illam, in quã occurſa- *Mamma.* rit, partem vulneret, non ſecus ac ſi telo eam acuto impetijſſet. Vaccę mammas habent inter femora, binas vt habet Ariſtoteles, quatuor vt Plinius, ſingulis papillis, quas habẽt quatuor, teſte etiam Ariſtotele, mammam, vt apparet, tribuens. Cur autem ea parte mammas gerant, cauſam eſſe philoſophus ait, quod bubulum genus, aliaq; ruminantia ſurſum verſus capiant corporis ſui incrementa: itaq; vbi confluuium & copia excrementi ſanguinis, qui locus ſanè, inquit, infra eſt, & circa ef- H fluentis materiæ oſtia, ibi mammas poſitas eſſe. Vide etiam in prolegomenis, vbi quoq; de ventribus eorum multa diximus. Sunt autem vt in magno animali decuit, maximæ, quamobrem perquam appoſitè Martialis mammoſæ mulieris vbera ijs aſſimalat, dum ait:

Taurino poteras pectus conſtringere tergo,
Nam pellis mammas non capit iſta tuas.

Podex. Podicem hiare innuit Horatius in Epodo, vetulæ cuiuſdam libidinoſæ hiantem anũ illi aſſimilans:

Hietq; turpis inter aridas nates
Podex velut crudæ bouis.

ideſt, durę aut indomitę, vt Porphyrio exponit, ſed placet Aſcentij expoſitio, malè digerentis, ideo- *Cauda.* que alui fluxum patientis. Tenor caudæ longus eſt, pili breues, contrà ac equis, vt ait etiam Ariſtoteles. Plinius caulem vocat. Horum caudis, inquit, eſt longiſſimus caulis, atque in vna parte hirtus, infima nimirum, vt oſtendit paulò inferius. *Leoni infima parte ſetoſus, vt bubus & ſorici.* Bouis laryngis anatomen, necnon etiã auditus organorum, diligenter admodum docet Iulius Caſſerius Placentinus, hancque priorem partem etiam Fabritius ab Aquapendente. Caro ſicca eſt & atrabiliaria. Nerui etſi bobus etiam duri & robuſti, tauri tamen potiſſimùm neruoſi nuncupãtur, & durio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A durioribus quàm castrati neruis celebrãtur. Horum quoque sanguis fibris refertus est, ideoq; omnium celerrimè coit & durescit teste Aristotele, qui & alias ait: Tauro & asino, inter ea quæ animal generant, crassissimus & nigerrimus sanguis est. De venenosa eius natura suo loco dicemus. Bos laxum habet fæmoris articulum magis quàm alia animalia & ob id etiam magis quàm alia pedem trahit, maximè cũ macilentus est & senex; Quamobrem Poetæ Græci de electioribus bobus loquẽtes sæpenumero vocant εἰλίποδας, idest flexipedes, siue flexis pedibus incedentes, quasi veloces, vt Varinus exponit. Seruius hoc sensu Virgilium ait dixisse: *Errabunda boum vestigia*. Sed & mulieres εἰλίποδες dicuntur ab Eupolide, διὰ τὴν ἔνδεσιν τῶν μερῶν, vt ex Pausania Eustathius recitat, idest, vt vulgare Lexicon interpretatur, quod fascientur, vt loquitur Spartianus, vel fasciolis femora implicent. Eodem quoque sensu idem Poeta boues ἕλικες vocat, quo εἰλίποδες, vel quorum suffragines commodè voluuntur aut flectuntur, vel ἕλικες vocat nigros, sicut ἕλικον ὕδωρ nigram interpretantur aquam, vel qui cornua habent ἑλικοειδῆ hoc est intorta, quam interpretationem ferè omnes sequuntur interpretes Latini, & nos suo loco. Lapillum vulgò feruntur gestare in capite, cumq; si necem timeant, expuere: D. Augustinus non solum in capite ait habere lapillos, sed & in reni- *Lapis in capite.*

B bus. De istiusmodi lapillis dicam in vsu in medicina, vbi & de lapillo in vesicula fellis. Non semel à medicis os de corde cerui præscribi videas, quod multi, vt suo loco patebit, rident, & pro eo os de corde bouis vsurpari inquiunt. Bouem autem in corde os habere manifestò testatur Plinius *Os an in corde.* his verbis. *In equorum corde & boum ossa reperiuntur interdum*, sed Aristoteles sic ait: *Cor sine osse esse omnium quæ nos huc vsque nouerimus, præterquam equi & generis boum cuiusdam, quod in corde ossiculum continere aiunt*. *Lib. 2. Hist. 15.* Ego qui in eo os obseruarit, neminem nunc habeo in promptu: neruosum verò ipsorum, maximè verò tauri cor esse, nemini dubium esse debet. Lienis figura ab alijs *Lien.* bisulcis cornigeris euariat, cùm enim cæterorum sit rotundus, boum lien pro sua magnitudine auctior est in longitudine. Galenus ait nigriorem esse quam in sue, præsertim vbi consenuerint. Re- *Lib. de atrabile.* nes teste Plinio humanis similes, velut è multis renibus compositi. Idem ait Aristoteles, addens in- *Renes.* super quomodo ab humanis & vituli marini renibus differant. Bubulis, inquit, renibus similes sunt renes vituli marini, sed solidi, non caui: item hominum renes, quippe qui tanquã compositi ex multis renibus exiguis constent, neque æquabiles sunt, quomodo renes ouium cæterarumque quadrupedum. Tali eorum à cameli talis differunt, vt idem tradit Plinius, quòd paulo maiores sint. Idem *Tali.*

C ait in iuuencarum secundo ventre pilæ rotunditate nigricantem tophum reperiri, nullo pondere. Alicubi verò, de lapillo memorans, quem aiunt reperiri in ceruo: subdit; *Nam de pumice qui in vac-* *Tophus in ventriculo.* *carum vtero simili modo inuenitur, diximus in natura boum*; non alium quàm citatum iam locum indicans, memoriæ tamen lapsu: quod enim hic pumicem, ibi tophum nominauerat, & licet illud parum referat, quod ibi in iuuencarum secundo ventre rectè reperiri dixerat, hic ait in vaccarum inueniri vtero, quod falsum est: neque etiam in iuuencarum tantùm ventre, sed & iuuencorum, bouumque & vaccarum reperiri laniones non semel obseruarunt. Habeo ego duas in musæo istiusmodi pilas, sic vocare potius, quàm cum Cardano ouum bouis, placet; vnam colore russo, al- *Lib. 7. de subtil.* teram atro, quod illa ex russi coloris boue, hæc ex nigro esset eruta; cùm sit earum or- *Ouum bouis quid Cardano.* tus ex pilis, quos in ipsa ruminatione lambendo, vt fit nonnunquam, exteriores corporis partes deglutiendo colligunt, admistaq; pituita paulatim in oualem figuram ferè cogunt. Cardani de his pilis ridiculam sententiam mirum est, cur Scaliger non exagitauerit. Quædam etiam, inquit, sunt lapidibus similia, quæ in animalibus reperiun-

D tur, nec tamen sunt lapides, vt ouum bouis. Hoc sanè in ventriculo illius inuenitur magnitudine anserini oui, ferrugineo colore, leuissimum. Cogitur ex cibi excrementis, & motu rotunditatem acquirit, pituita cogente. Vnde si frangatur, ex pilis constare videtur: durus est, pro leuitate tanta. Ita natura ludit, vt etiam quandoque boues oua pariant.

PILÆ IVVENCARVM.

E

F

ELECTIO.

ETSI ſint, qui de qualitatibus pecoris ex ſolo noſcant intuitu iudicium ferre, quod de Michaele Balbo Imp. tradit Georgius Cedrenus, quem videlicet de boum ouiumque fœcunditate, ac lactis abundantia, deq; recenti fœtu ita iudicaſſe ait; cuius item quiuis matris eſſet; operæpretium tamen fuerit, eas ex antiquis repetere notas, quibus vel vitia, vel virtutes boum indicarunt. Triplicem itaque potiſſimum ob cauſam boues olim alebantur, vel enim ad agriculturam, vel ad culturam, vel ad ſacrificium: quare etiam in electione eorum alij alia obſeruabant: quod non obſcurè hiſce verſibus demonſtrauit Virgilius, G

Poſt partum cura in vitulos traducitur omnis:
Continuoq; notas & nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint ſubmittere habendo;
Aut aris ſeruare ſacris, aut ſcindere terram;
Et campum horrentem fractis inuertere glebis.

Vbi tamen de vſu ad cultrum nulla eſt mentio, ſed contrà eligi iuuencos ait prolis ſeminandæ gratia: monetque interim quantum interſit ſcire genus, parentes, patriamque eorum quos emendos ſuſcipimus: quamobrem in primis empturis *fortes ad aratra iuuencos*, vt ipſe loquitur, matres diligentiſſimè deſcribit his verbis: H

Georg. 3. Vacca quæ ad prolem apta.

Corpora præcipuè matrum legat: optima toruæ
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent:
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna,
Pes etiam, & camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis, & albo;
Aut iuga detrectans, interdumque aſpera cornu,
Et faciem tauro propior; quaque ardua tota,
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.

Lib. 6. c. 21. Quæ omnia cum Columella optimè quidem conueniunt, ſed exactior apud poetam electio eſt. „ Vaccæ, inquit Columella, probantur altiſſimæ formæ, longæque, maximis vteris, frontibus latiſſi„ mis, oculis nigris & patētibus, cornibus venuſtis & leuibus, & nigricātibus, piloſis auribus, cōpreſſis „ malis, palearibus & caudis ampliſſimis, vngulis modicis, & modicis cruribus: cætera quoq; ferè ca„ dē in fæminis, quæ & in maribus deſiderantur, & præcipuè vt ſint nouellæ, quoniā cùm exceſſerint

decem

A decem annos, fœtibus inutiles sunt. Ceuas vocari etiam ait, quæ humilis staturæ, lactis abundantes. Tales apud suos commendari testatur Gesnerus. Idem Columella de forma tauri sic scribit Tauros maximè membris amplissimis, moribus placidis, media ætate probandos censeo; cætera ferè omnia in his obseruabimus, quæ in bubus eligendis: neque enim alio distat bonus taurus à castrato, nisi quod huic torua facies est, vegetior aspectus, breuiora cornua, torosior ceruix, & ita vasta, vt sit maxima portio corporis, ventre paulò substrictiore, qui magis rectus, & ad ineundas fæminas habilis sit. Hæc ille: Addunt alij, generosum taurum probari, si facies sit minax, si anteriores pedes fortiter figat, ac terram fodiat: si cauda erecta, sed modicè incuruata sit. Si cornua in promptu ad feriendum. Varro obseruari cupit, vt sint boni seminis, additque eorum formam quoque spectandam esse, & qui ex his orti sunt, vt respondeant ad parentum speciem: Respondere autem iuuencos suis parentibus, moribusque & robore similes esse testatur etiam Horatius, à bubus & equis sumpta metaphora, & ad homines translata: *Lib.6.c.20.* *Tauri optimi signa.*

Fortes creantur fortibus & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
B *Virtus, nec imbellem feroces*
Progenerant Aquilæ columbam.

Refert præterea nosse, quibus regionibus orti sint tauri, vt Varro testatur. Boni enim generis esse in Italia, plerosque Gallicos ad opus: contrà iugatorios Ligusticos. Transmarinos Epiroticos non solùm meliores totius Græciæ, sed etiam Italiæ: tametsi quidam (inquit) de Italicis, quos propter magnitudinem præstare dicunt, ad victimas farciunt, atque ad deorum seruant supplicia. Qui sine dubio ad res diuinas propter dignitatem amplitudinis, & coloris præponendi. Quod eò magis fit, quòd albi in Italia non tam frequentes, quàm qui in Thracia, vbi alio colore pauci. Columella verò quæ in emendis bubus sequenda, quæque vitanda sunt, non ex facili, inquit, dixerim, cùm pecudes pro regionis cœlique statu, & habitum corporis, & ingenium animi, & pili colorem gerunt: aliæ formæ sunt Asiaticis, aliæ Gallicis, Epiroticis aliæ: nec tantùm diuersitas prouinciarum, sed ipsa quoque Italia partibus suis discrepat. Pet. Crescentiensis boues ait melius de vicinis locis comparari, quia non illa soli, aut aeris varietate terrentur. Alij etiam siue geoponici, siue veterinarij aiunt, omnem bouem indigenam longè meliorem esse quàm peregrinum, quòd neque aquæ, neq; C pabuli, nec cæli mutatione tentetur, neque infestetur conditione regionis; sicut ille, qui ex planis & campestribus locis, in montana & aspera perductus est, vel ex montanis in campestria: itaq; etiam, cùm cogimur ex longinquo boues accersere, curandum esse, vt ex similibus patrijs locis traducantur: Qualis modò sit eligendus iuuencus laboribus potissimum destinandus, sic docet Varro, qui gregem inquit, armentorum emere vult, obseruare debet primùm, vt sint hæ pecudes ætate potius ad fructus ferendos integræ, quàm iam expertæ, vt sint bene compositæ, vt integris membris oblongæ, amplæ, nigricantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis & nigris, pilosis auribus, compressis malis, sublimisq;, gibberi, spina, leniter remissa, apertis naribus, labris subnigris, ceruicibus crassis ac longis, à collo palearibus demissis, corpore amplo, bene costatos, latis humeris, bonis clunibus, caudam profusam vsque ad calces, vt habeant inferiorem partem frequentibus pilis sub crispam, cruribus potius minoribus, rectis genibus, eminulis, distantibus inter se, pedibus non latis, neque ingredientibus qui displodantur, nec cuius vngulæ diuaricent, & cuius vngues sint leues & pares: corium attactu non asperum ac durum: colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio heluo, quarto albo: mollissimus enim hic, vt durissimus primus: de medijs duobus prior quàm posterior D melior, vtrique pluris quàm nigri & albi. Rubeus itaque color maximè Varroni probatur, mox heluus, dein niger, deterrimus habetur albus. Homerus tamen nigros & nigras boues creberrimè nominans, hunc præcipuè colorem probasse, mihi videtur, etiam in ipsa agricultura, vt subinde patebit, sic & Statius de vtroque sexu:

Patria. *Iuuenci electio.* *Color qui melior.* *Lib.6.Theb.*

Centum ibi nigrantes armenti robore tauros
Lenta mole trahunt, idem numerusque colorq;
Matribus, & nondum lunata fronte iuuencis.

Apparet & album colorem non solùm etiam non fuisse improbatum, sed potius commendatum, nam & Pasiphaen candidi bouis amore flagrasse ait Ouidius, *Lib.1.de arte.*

Forte sub vmbrosis nemorosæ vallibus Idæ
Candidus armenti gloria taurus erat,
Signatus tenui media inter cornua nigro,
Vna fuit labes, cætera lactis erant,
Illum Gnosiadesque Cydoniadesque iuuencæ
Optarunt tergo sustinuisse suo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Equidem Philoſtratus ductorem illum gregis pugnacem deſcribit, ſuperbum, exultantem, ſpecioſum cornibus, colore niueo, lato gutture, ceruice craſſa, palearibus latè longèq; pendentibus, armis ad aſpectum inhorreſcentibus, qualem quippe faciem habere teſtatur Pierius in numo argenteo, cuius inſcriptio: M. L. THORIVS. Niſi dicamus hunc à ſpecie, illos à robore commendari, nã & Iupiter Europam, tauri forma auecturus, in album ſe potius quàm alterius coloris taurum transfigurauit, vt idem canit poeta: E

Metam. 2.

Quippe color niuis eſt, quam nec veſtigia duri
Calcauere pedis, nec ſoluit aquaticus auſter.
Colla toris extant, armis palearia pendent,
Cornua parua quidem, ſed quæ contendere poſſes
Facta manu, puraque magis perlucida gemma.
Nulla in fronte minæ, nec formidabile lumen,
Pacem vultus habet.

Sic ni fallor Theocritus agriculturę conſultiſsimus rubeos boues vaccarum, quas Phaetonti Sol donauerat, maritos vocat; candidos verò Soli ſacros his verſibus nuncupat: F

Ταῖς δὲ τριηκόσιοι ταῦροι συναμ' ἐστιχόωντο
Κνήμαργοί θ' ἕλικές τε. διηκόσιοι τε μὲν ἄλλοι
Φοίνικες. πάντες δ' ἐπιβήτορες οἵγ' ἔσαν ἤδη
Ἄλλοι δ' αὖ μετὰ τοῖσι δυώδεκα βουκολέοντο.
Ιεροι Ἠελίου χροιὴν δ' ἔσαν ἠΰτε κύκνοι
Αργησαι, πᾶσιν δὲ μετεπρέπον εἰλιπόδεσσιν
Cum illis vnà trecenti tauri incedebant,
Cruribus albis, incuruis cornibus: & ducenti alij
Ruffi, qui omnes vaccarum inſcenſores erant:
Rurſum alij inter hos duodecim paſcebantur
Sacri Soli: erant autem colore velut cycni
Candidi, & inter omnes boues excellebant.

Met. 12. Candidus quoque color requirebatur in victimis. Idem Ouidius:

Veluti qui candida tauri
Rumpere ſacrificа molitur colla ſecuri: G

Car. 4. Od. 2. Sed plura, vbi de ſacrificijs. Horatius vitulum ita depingit, vt præter candidam in fronte maculam cætera ſit fuluus, Varroni aſtipulans,

Te decem tauri, totidemque vaccæ
Me tener ſoluet vitulus relicta
Matre, qui largis iuueneſcit herbis
In mea vota.
Fronte curuatos imitatus ignes
Tertium lunæ referentis ortum
Qua notam duxit niueus videri,
Cætera fuluus.

Signa à corporis partibus. Celebrantur etiam boues à peculiari aliqua parte. Varinus κάμινους vocari ait, robuſtos, quadratos, coſtiſque & coxis plenos. Si palearia laxa prolixaque à collo dependent, generoſitatis ſignum eſſe, ex hoc quoq; Senecæ innoteſcit: H

In Hippolyto.

Muſco tenaci pectus ac palear viret.

Phębi boues Homerus εὐρυμετώπους vocat, ideſt latifrontes, quo epitheto aliàs etiam non ſemel vtitur, (vtitur & Heſiodus, necnon Theocritus, ac alij paſsim) laudatque eaſdem à cornuum pulchritudine, ὀρθοκεράους etiam aliàs boues vocans, quaſi erectis præditos cornibus, aliàs ἕλικας, ideſt cornibus tortis. Coronius nuncupatur, vt Cælius annotauit, cui cornua ſunt μηνοειδῆ, ideſt, lunata: Eſt vbi etiam ἐριμύκους nuncupat, ideſt valdè mugientes, quaſi vox etiam ſonora ſit bonitatis inditium. Cæterùm illud ante omnia curandum eſt, vt viribus ad trahendum comparentur ęquales, ne valentioris robur alteri procuret exitium; poeta ἰσοφόρους appellat: qui & hoc requirit, vt etiam ſint ἥλικες, ideſt, æquales:

Coronius bos.

A voce.

Εἰ δ' αὖ καὶ βόες εἶεν ἐλαυνέμεν οἵπερ ἄριστοι,
Αἴθωνες, μεγάλοι, ἄμφω κεκορηότε ποίης,
Ἥλικες, ἰσοφόροι, τῶν δε σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν.
Si autem rurſus & boues eſſent ad impellendum optimi
Αἴθωνες, magni, ambo ſaturati herba

Aequa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Aequales, æqualiter portantes, quorum robur non imbecillum.*

Quo loco interpretes Latini αἴϑωνες reddunt pingues, ſed mauelim nigros dici, nã & ἵπποι αἴθωνες ipſi ſunt equi nigri. Et Heſychio αἴθον eſt λάμπρον, πύῤῥον, μέλαν. Et poeta Solis boues, quas oportuit, optimas, formoſiſsimaſque & cæteris robuſtiores eſſe, nigro colore delineat. Poſsit tamen etiam rubeus color intelligi, quam cæteris ferè præferri ex Varrone diximus: & obſerua colorẽ rubeum non eum eſſe quem nos rubrum appellamus & Græci ἐρυϑρὸν, ſed quem πύῤῥον expoſuimus ex Heſychio: niſi placet ad animum referre, & feruidos reddere (quo ſenſu αἴϑων ἀνὴρ, ideſt vir feruidus dicitur, ideſt feruido ingenio præditus:) vel ad corporis motum, quo modo Leo etiam αἴϑων appellatur, qui cum ardore fertur, vel ardẽte impetu: Pingues quidem boues ſpecioſi ſunt, & ruſticis noſtris expetiti: eos tamen ab agriculturæ conſultis probari non inuenio: imo verò, aiunt tam vitium eſſe bubulci pinguem quàm exilem bouem reddere. Humilis enim & modica, inquiunt, corporatura pecoris operarij debet eſſe, neruiſq; & muſculis robuſta, non adipibus obeſa, vt nec ſui tergoris mole, nec labore operis degrauetur. Fuere & vnicolores in honore, quod vel inde conijcio, quod iſtiuſmodi taurorum duo millia cornibus auratis, aurea frontis ornamenta habentes in cele-
B berrima illa Ptolomæi Philadelphi pompa fuerint, vt Athenæus nobis atteſtatum reliquit. Creſcentienſis in moribus hæc conſiderari cupit, vt ſint arguti, manſueti, adhortationibus parentes, clamoris, verberumque patientes: cibique appetentes; ſed ſicuti commendantur edaces, ita quoque probantur, qui cibum lentè conficiunt; quandoquidem iſtiuſmodi boues, corporis robur citra maciem conſeruent melius, quã qui feſtinanter mandunt. Cubitor vocatur Columellæ qui libẽter decumbit in ſulco, & vitio decumbendi obnoxius eſt. Quod ſi modo iam iã araturos boues quis emere cogatur, is in primis ætatis quoq; rationẽ habere debet, emetq; qui iam quintum annũ adimpleuerunt. Quinquennes enim teſte Philoſopho maximè vigent; quocirca Homerum quidam rectè dixiſſe, inquit, aiunt, *Quinquẽnem taurum, & bouis luſtro florentis*. Plinius ſimiliter robur ipſis eſſe inquinatu dixit; hinc & luſtralia exta dicta ſunt perpinguia; quia tunc bos perfectæ eſt ætatis. Emebantur olim vendebanturq; vt nunc eadem lege; reſtituuntur enim hodieq; niſi ſint ſani, & niſi arationis vectioniſq; periti; ſic Varro; *Eos*, inquit, *cùm emimus domitos, ſtipulamur ſic, illos ne boues ſanos eſſe, noxiſq; preſtari? Cũ emimus indomitos, ſic: illoſne iuuencos ſanos rectè, deq; pecore ſano eſſe, noxiſque preſtari ſpondeſne. Paulò verboſius hæc, qui Mamilij actiones ſequuntur lanij qui ad cultrum bouẽ*
C *emunt, & qui ad altaria hoſtiæ ſanitatem non ſolent ſtipulari*. Alfen. in l. ſi ex plagis §. quidam. D. ad l. Aquil. proponit quendam boues vendidiſſe ea lege, vt daret experiendos; id quod & noſtri ſæpe agricolæ faciunt, cęterùm quod Varro ait lanios de ſanitate boum non ſtipulari, id fortaſsis in Italia, (apud nos enim omnes emunt venduntq; qui ad macellum ire loriſque pertrahi poſſunt) locum habet, at in multis Belgij locis, nominatim apud Batauos in occiſis partes viſceraque perſcrutantur, & vel minimum vlcuſculum venditorem condemnat.

Bos modò araturus qualis eſſe debeat.

Lex in emptione & vẽditione.

L O C V S.

NON dicemus hìc, quem locum bubulum genus amet, ſed ea recenſebimus loca, quę vel ob eius præſtantiam, vel copiam celebrentur, vel diuerſos & à noſtratibus differentes boues habent. In regno Adeæ vaccæ ſunt, vt Franciſcus Aluarezius annotat in itinerario Aethiopico, ac alij etiam fatẽtur, qui ſuas quoq; nauigationes in idem
D regnum, typis euulgarunt, magnitudine æquantes camelum, niuis inſtar candidas, ſine cornibus, auribus proceris ac pendulis. Ipſam verò etiam Aethiopiam bubus abundare reperio, adeò vt viginti vaccas vno permutari equo ijdem nauigatores teſtentur. Tauri verò Aethiopici tãtoperè celebrati, an non alij ſint quàm rhinocerotes, vt pleriq; ſentiunt, ſuo loco ex Politiano ventilabimus. Oppianus taurorum diuerſa memorans genera, primùm nominat Aegyptios. Et Ariſtoteles quoq; boues in Aegypto maiores quàm Græcia naſci ſcripſit; Qui Africæ mediterranea incolunt, non alia teſte Hippocrate, vel quicunq; ille ſit author libri de ſacro morbo, habent pecora præter capras & boues; Idem Franciſcus Aluaretius libro præcitato, inquit, in Africa paſsim in Pretoianis ditione è boum cornibus vaſa fieri potoria, quæ quinq; ſexue metretas ſingula capiant: ex quo conijcere licet ingentis quoq; ibi molis boum eſſe corpora; cùm tamen è contrario Africam boues habere dicant non maiores noſtratibus vitulis. Scaliger pater bubalim veterum eſſe retur: dum ait: Bubalim cuius ſanguis, & inſtrumentum pugnę cornua tantùm ab Ariſtotele deſcripta ſunt: Plinius ait eſſe vitulo ſimiliorẽ. Quid igitur ea ſit? An Gazella? Nõ ſanè. Quare quod ex Africanis hiſtorijs percipere potui, tibi libenter impertitum curabimus. Africanorum boum paruitas tanta eſt, vt noſtratium vitulorũ vix ęquent magnitudinem. Multi tamẽ roboris, ac laboris patientiſsimi ſunt. Plinius

Cap. 119.

Vacca cameli magnitudine.

Tauri Aethiopici.

Boues Aegyptij.

Lib. de ſacro morbo.

Cap. 15.

Vaſa ex boũ cornibus.

Boues magnitudine vituli.

Exerc. 206. 5.

Bubalis.

Boues Africanæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nius alicubi ſcribit, plurimũ lactis eſſe vaccis Alpinis, quibus ſit minimũ corporis. plurimũ laboris, E
capite non ceruice iunctis, cęterum cùm de Altinis idem ſcribat Columella, quas incolæ eius regio-
nis Ceuas appellent, apud illum quoq; Altinis reſtituendũ videtur: etſi Alpini quoq; Hiſpanię po-
puli, qui vt Gellius tradit, circa Iberum colunt, & Hiſpania, vt mox patebit, boũ optimorũ ſit ditiſ-
ſima. Altinum autẽ, vrbem olim in littore Venetiæ florentiſſimam fuiſſe iuxta Aquileiam Geſnerus
ait, Leander verò Herodiano, Tacito, Pomponio, & Ptolomæo ait eſſe Venetiæ vrbem mediterra-
neã, vt Ortelius annotauit in ſuo theſauro Geographico, & Villanouanus, inquit, Torcello dici ait.

Vaccæ ceuæ dictæ.
Lib. 2. c. 22.

Angliæ boum carnes apprimè palato gratas eſſe, ac ſapidas: Boterus aſſerit, mirum verò quod de
earundem ibi multitudine nihil dicat: de qua tamẽ abundè agit Polydorus Virgilius in hæc verba:
Videre licet in Anglia armenta boum, & equorum ac ouium greges interdiu noctuq; paſſim errare,
per montes & valles, per agros compaſcuos ad paſcendum cõmuniter relictos, aut per fundos, quos
„ poſt collectos fructus conſuetudine quadam peruetuſta vicinus quiſq; communes habet ad alendũ
„ pecus. Idcirco equis teſticuli amputantur, vt cantherij facti ſub dio maiori compendio paſcantur.
„ Equarum bona pars non ſuccuſſat ſed graditur, neq; tamẽ ſuccuſſarij gradarijuè valentiſſimi ſunt,
„ vt animalia mitia minuſque ferocia. Eadem eſt natura bobus, quapropter plures ſimul ad vnum F
„ aratrum atque currum coniugantur: nã ſimiliter bobus ac equis aratur terra, plauſtraq; trahuntur,
„ quorum ad onera ferenda, maximus eſt vſus. At bos & veruex animalia ſunt, in primis propter cõ-
„ uiuia nata, quorum caro non alibi fermè iucũdioris ſaporis, ſed bubula præcipui eſt cùm præſertim
„ ſale conditur, in aliquot dies. Nec id admodũ mirum: nam illud animal ab omni labore vacuum, ad
„ communẽ cibum nutritur. Boues quoq; qui poſt longos labores, iam vetuli occiduntur, non carent
„ ſua gratia, tametſi caro durior eſt.

Angliæ boues.
Lib. 1. de Angl. hiſt.
Equi Anglici quales.

In Americæ parte Septemtrionali Hiſpani viderunt, vt Dale-
champius annotauit, boues ſine palearibus, ſed gibboſas, eaſq; ſua lingua vaccas cocorbadas vocãt.
Nos mox ex Plinio & Ariſtotele tales Syriacas eſſe notabimus. Aoniorum boum varijs coloribus
diſtinctorum perpetuas indiuiſaſq; vngulas eſſe, eorumdemq; vnicum cornu, quod ex media fron-
te exeat, legimus apud Aelianum. qui aliàs Arabicis bobus ac vaccis egregia innaſci cornua ſcribit,
eius rei rationem hanc ex Democrito adnectens, quòd ad ea humor confluat copioſius, vnde gene-
roſa illa germina nutriantur. Scribit præterea Ludouicus Barthema in Arabiæ felicis itinera-
rio, ſeſe vidiſſe vaccas Sultano donatas fuiſſe, quibus erant cornua ceruinis ſimilia, colore verò ni-
gro, additque inſuper vidiſſe ſe ibidem vaccas quibus vnicum in fronte erat cornu, idq; ad ſpinam G
reflexum. Arcadicus bos de magnis dicitur, ſed qui præterea ſunt ſtupidi. Plinius de Arcadico
pecore ſic ſcribit: *Arcades quidem non medicaminibus vti, ſed lacte circa ver, quoniam tunc maxi-
mè ſuccis herbæ turgeant, medicenturque vbera paſcuis. Bibunt autem vaccinum, quoniam boues
omniuoræ ferè ſunt in herbis.* Apud Arachotas boues teſte Ariſtotele, ſylueſtres ſunt, qui differunt
ab vrbanis, quantum inter ſues vrbanos, & ſylueſtres intereſt. Sunt colore atro, rictu leuiter
adunco, cornua gerunt reſimatiora. Armenijs duplex cornu ſic erraticis flexionibus tanquam he-
dera retorquetur, ſi Aeliano fides præbenda, ac ſi mucrone petitur, ob corneam duritatem, non ſi-
ne damno ferrum retunditur.

Boues ſine palearibus.
Boues Aonij.
Lib. 12. c. 20
Arabici.
Cap. 15.
Vaccæ cornibus ceruinis.
Vnicornes.
Bos Arcadicus.
Lib. 25. c. 8.
2. Hiſt. 1.
Boues retortis cornibus.

Ad Aſnam oppidum in Nilo capi tradunt hiſtoriæ Africanæ vitu-
lum marinum magnitudine vituli noſtratis, cui ſex menſes exacti ſunt, vt annotauit Scaliger, haud
ſcio, an phocam intelligat. Leguntur & Atabyriæ boues, de montis Rhodij nomine ſic nuncupa-
tæ, vt Cælius annotauit. Bengala prouincia teſte M. Paulo Veneto maximos habet boues, qui
craſſitudine, non magnitudine elephantos æquant. Belgica paſcua referente Scaligero ſunt adeò
læta, vt vaccæ, quæ ſuo lacte vitulos educant, nihilo ſecius familiam lacte ſaturent. Puſillæ ſunt,
nigræ ac deformes. Tales quoque Hollandicas vaccas eſſe Iunius aſſerit, nec verè Albertus, in H
Friſia, Hollandia, & Geldria, propter abũdantiam pabuli magna corpora habere ſcribit; verè autem
pleraſque quarum maculoſæ ſint pelles, lacte abundare. Sed quid Iunius dicat, addamus, Hollan-
dus videlicet, Hollandiæ hiſtoriam verè tradens: Paſcui agri bonitate, inquit, cum alijs certare, &
verticem attollere nobis licet, abſit dicto inuidia, vnde præcipui reditus ac prouentus exiſtunt: ſi-
quidem è caſeis & butyro, quæ exportantur in extera loca, in ſingulos annos ducenties ſeſtertium
cogi putatur, quæ ſumma ad decies centena Caroleorum millia extenditur: præter ea quæ in
quotidianum alimentum, quo vix alio bona tenuioris fortunæ hominum pars victitat, cedunt.
Tot illa boum armentis abundat, tam læta vaccarum parens, ac nutrix eſt, his copijs quam
Britannia longè ſuperior, ſiue opimitatem, & aruinæ vbertatem ſpectes, ſiue laxiores, capa-
cioreſque vberum ſinus, qui triplo plus lactis fundunt: ſola cornuum celſitudo, & vaſtitas in
Britannicis bobus excellit. Conſtat namque aliquibus Hollandiæ partibus æſtiuis diebus, qua-
tuor & quadraginta lactis heminas in mulctralia ſingulas refundere. Habent aliæ prouincię aura-
riorum, & argentariorum metallorum riuos, aut ærarias plumbariaſque fodinas iactant, quæ bo-
na negauit nobis naturæ inuidia, hoc, de quo dictum eſt, liberalitatis genere damnum illud

Vitulus marinus.
Lib. 6. c. 7.
Lib. 2. c. 45.
Exerc. 199.
Vaccæ Belgicæ.
Vaccæ Britannicæ.

diſſol-

A dissoluens atque compensans: quando ijs quæ nobis supersunt, vberrimi prouentus copijs non finitimas modò prouincias, sed & longè dissitas, Galliam, Hispanias, Africæ litora & antarcticum, nostroque oppositum orbem instruimus, atque explemus quodammodo. Lactis bubuli, quod caseo fertilius est, præstantia atque excellentia summa, vt & butyri omnium iudicio hic est. De caseorum bonitate cum quibusuis etiam nationibus in certamen venire non erubescat Hollandia, non dubitāda palmæ gloria, & nisi exoticas delicias, fracta luxuria ac profunda ingluuie palata præferrent, nisi rerum venalium pretijs maioribus accenderetur gulæ ingenium, & (vt dictitabat Heliogabalus) orexis. Laudatissimum caseum lunæ imagine signatum, sicut & Vestinum, Epigrammatarius commendat, neque dissentit Plinius: sed ille sola molis magnitudine, vt pluribus sufficeret, hic vt obsonij vicem pani coniunctus præstaret, commendationis caput secum adferunt, si rectè intelligantur Martialis versiculi, qui in Xeniorum libro extant. *Caseus Hollandicus.*

Caseus Hetruscæ signatus imagine lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis,
Si sine carne voles ientacula sumere frugi,
B *Hæc tibi Vestino de grege massa venit.*

Quasi verò non in quouis etiam nostro gregali, & vulgari caseo bubulo dotes istas quisque agnoscere possit. Nunc luxuria, quæ per improbam lasciuiam parata & facilia fastidit, gratiam præcipuā Parmensi caseo & Placentino tribuit: at nostra Tessalia metas lactis dat anchoræ forma signatas, celeberrimi inter primas nominis, illique vicina Grinnia, principatus tamen illi defertur, qui ad pagum Comitis Arenæ vocabulo insignem, Grauesandiam inde dictum conficitur, qui acri succo sitim alere, & poculi gratiam accendere creditur. Proxima palma Edammensi cedit, quem Parmensi nihilo inferiorem, si vetustatis accedat commendatio, censores isti, qui præstantiora omnibus alijs eduliorum domicilia vestigant ad modum Cybiraticorum illorum sodalium, de quibus apud Ciceronem est, prædicant. Atque ista quidem vna est & verè aurea vbertas, quam lactis, caseorum & butyri larga copia inuehit, vnde ceu è diuite Amaltheæ cornu mirum quanta opum affluentia Hollandiam ditet. Hæc itaque Iunius. Scaliger loco nouissimè citato Britonibus, scribit eandem agri esse fertilitatem, eandemque vaccarum vtilitatem. In mediteranea Bithyniæ, Bithynica Theijs imminent, inquit Strabo, & regionem Saloni proximam, pascendis bobus idoneam C habent, vnde & Salomensis caseus dicitur. Circa Bœotiæ vrbem Pœmandriam, quæ & Tanagra dicitur, optimi boues nascuntur, vt Varinus notauit; Apud Burgundiones tauri sunt syluestres, de quorum robore atque audacia sic scribit Agathius. Sed cùm interea venatum Theodibertus rex isset, miræ magnitudinis taurus porrectis in altum cornibus, ei obuiam venit; erat autem is non ex pusillis hisce, qui terram aratro scindunt, sed syluestris, montanus, ferusque, & cornupeta, & magna corporis mole, vnde quodcunque obuium habet, obterendo occidit; istiusmodi multi in his terris aluntur; vmbrosæ namque ibi sunt syluæ, densi montes, locaque ipsa frigidiora: quibus omnibus animal suapte natura delectatur. Hunc nempe taurum Theodibertus cùm e loco superiore in se ruentem vidisset, mox constitit, vt venabulum obiecturus; tùm ille, vt in proximo fuit, cursu delatus, impetu arborem haud sanè magnam fronte, & cornibus impetit, quæ statim omnis concussa procubuit, simulq; ex ea ingens diffractus ramus, & solo violenter impactus, Theodiberti caput afflixit: tum ille, cùm letifera esset & incurabili plaga affectus, supinus mox cecidit, & vixdum domum delatus, die eadem è vita excessit. Similem ferè historiam subinde recensebimus aliam. In Caledonia Scotiæ sylua olim, vt asserit Ioannes Leslæus Scotus Episcopus Rossensis in descri-D ptione Scotiæ, frequens erat bos syluestris, nunc rarior, qui colore candidissimo, iubam densam ac demissam instar leonis gestat, truculentus ac ferus, ab humano genere abhorrens, vt quæcunq; homines vel manibus contrectarint, vel halitu perflauerint, ab ijs multos post dies abstinuerint. (Hoc & Cardanus testatur in opere de rerum varietate.) Ad hoc tanta audacia huic boui indita erat, vt non solùm irritatus equites furenter prosterneret, sed etiam ne tantillum lacessitus, omnes promiscuè homines cornibus, ac vngulis peteret, ac canum qui apud eos ferocissimi sunt, impetus planè contemneret. Eius carnes cartilaginosæ, sed saporis suauissimi. Erat is olim per vastissimam illam Caledoniæ syluam frequens, sed humana ingluuie iam absumptus, tribus tātum locis est reliquus, Striuilingi, Cummernaldiæ & Kincarniæ. Eadem quoque testatur Hector Bethius Deidonanus & ipse quoque Scotus, & patriæ suæ historicus: Gignere solet, inquit, ea sylua boues candidissimos in formam leonis iubam ferentes, cætera mansuetis simillimos, verùm adeo feros indomitosque, atque humanum refugientes consortium, vt quas herbas, arboresq; aut frutices humana contrectatas manu senserint, plurimos deinceps dies fugiant: capti autem arte quapiam (quod difficillimum est) mox paulo præ mæstitia moriantur. Cùm verò sese peti senserint, in obuium quemcunq; magno impetu irruentes, eum prosternunt, non canes, non venabula, nec ferrum vllum metuunt. Ferunt

Caseus Parmensis.

Lib. 12. Geog.
Caseus Salomensis.
Lib. 1. de bel.
Boues syluestres.

Theodiberti regis obitus

Boues syluestres in Caledonia sylua.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

runt itaque Robertum Bruſium adepto regno pacatiſque rebus ſolatij cauſa venantem, mortis pe- E
riculo proximum fuiſſe. Nam cùm negligentius abſque comitibus, quocunque animus ferebat,
peruagaretur, ecce illi obuius huius generis taurus ictus venabulo, atque in furorem actus præſentẽ
ſecum perniciem adferens, occurrit, nec quicquam erat, quo imminens diſcrimen ſubterfugere rex
poſſet. Verùm perſpectantibus vniuerſis, ac motu prope ſtupentibus, vir quidam præſenti animo,
animam pro rege fuſurus, arreptis feræ cornibus quanta potuit maxima vi renitens, non modò cur-
ſum impetentis retinuit, ſed belluam quoque illæſus magna virtute in terram proſtrauit, qua con-
teſtim accurrentium venabulis confoſſa impendens regi exitium auertit. Hunc virum rex ob ſer-
uatam ſalutem magnificè donatum Turnbal, id quod tauri deiectorem ſignificat, appellari exinde
voluit. Extant huius nominis familiæ haud mediocris nobilitatis, quibus ille initium nominis am-
plitudiniſque primus dediſſe fertur. Huius autem animalis carnes eſui iucundiſſimæ ſunt, atque
in primis nobilitati gratæ, verùm cartilaginoſæ. Cæterùm cùm tota olim ſylua naſci ea ſolerent;
in vna tantùm nunc eius parte reperiuntur, quæ Cummirland appellatur, alijs gula humana ad in-
Excrc. 206. 6.
ternecionem redactis: Sic ille. In agro Camanduano (verba ſunt Scaligeri ſenioris) boues aiunt eſ-
Boues gibboſi.
ſe maximos, breuibus tamen cornibus & hebetibus. Nulla macula candor vitiatur. Cameli gib- F
bus eis & robur par, vnde nos eis nomen indidimus Bocameli. Onera ſuſcepturi, camelorum mo-
re ad agaſonis iuſſum genua flectunt. Haud ſcio, an eoſdem intelligat Plinius, *Carici boues*, inquit,
*in parte Aſiæ, fœdi viſu, tuberc ſuper armos à ceruicibus eminente, luxatis cornibus, excellentes in ope-
re narrantur: cæteri nigri coloris, candidiue, ad laborem damnantur.* Incolæ capitis bona ſpei bo-
ues habent egregios ſimiles Hiſpanis. In Caſpia terra innumerabiles boum, & equorum greges
Lib. 17. c. 17
eſſe Amyntas referente Aeliano tradit, in Manſionibus quas ſic inſcripſit. S. Claræ vocatæ inſulæ
Orientales vaccarum alunt magna armenta. In ijs libris quos Cnidius Cteſias de rebus Indicis cõ-
Lib. 26. c. 31.
Canes tauros venãtes.
ſcripſit, Cynamolgorum gentem, ait eodem referente Aeliano canes permultos magnitudine
Hyrcanis canibus pares, alere ſolere. Quamobrem verò ſit hæc natio tam canum ſtudioſa, cauſam
idem affert. Cum ab æſtiuo ſolſtitio ad mediam hyemem, tanquam apum examina, aut concita-
ta veſparum vis, ſic armenta numero ampliora boum ferorum eos cornibus vehementer incitata
appetant, & noceant: hi non aliter hæc retondere valentes, canes quos magna cura aluerunt, in ip-
ſos immittunt, qui facilè boues debellant & interimunt: deinde autem commemorati homines,
quas eſculentas carnes exiſtimant, ſibi auferunt, reliquas canibus impertiunt, libenterque commu- G
nicant, tanquam pro accepto beneficio grati. Reliquo anni tempore cum non amplius boues eò
In Gordiano.
accedunt, ad venandas alias feras ſecum ducunt: Cybariti tauri nominantur a Tranquillo in Gor-
Boues Cyprij.
diano, vt citat Dictionarium poeticum ex Stephano, qui à Cybaris ſic dici ait. De Cyprijs bubus
à Græcis hoc efſertur adagium, Κύπριος βοῦς, ideſt, bos Cyprius. Varinus ait conuenire ἐπὶ κοπρο-
φάγου καὶ εἰκαίου, ideſt, in ſordidiſſimum & viliſſimum hominem: vel vt Suidas habet, χυδαίου καὶ
ἀναισθήτου. Author adagiorum Suidam alioſque ſecutus in brutum & ſtolidum iaci ſolitum ait:
propterea quòd Cyprij boues magis bruti ferantur, quippe qui ſtercore humano paſcantur. Refer-
Lib. 28. cap. vlt.
tur à Diogeniano. Eudoxus etiam aſſerit Cyprios boues κοπροφάγειν. At Plinius narrat Cyprios
boues hominum excrementa expetere non paſtus cauſa, ſed vt hoc remedio torminibus medean-
tur. Quamobrem rectiùs meo iudicio adagium referetur ad eorum ſagacitatem, quòd torminibus
lethali ſæpe morbo ſic medeantur. Pardalis namque eodem modò ſtulta eſſet dicenda, quoniam
contra aconiti venenum eodem vtitur remedio: adhæc ſtulti quoque eſſent dicendi homines, qui
in dolore colico & ventris torſionibus ad auxilium ab excrementis boum, vel equorum, vel gallina-
rum ſæpe confugiunt. Miranda itaque hæc potius ingenij ſolertia eſt, certum illic inuenire auxiliũ, H
vbi nemo ſperaſſet. Geſnerus præterea ex hac Cypriorum boum natura apud Ennium, non Cy-
Ennius emẽdatus.
prio boui merendam, vt ex eo citat Feſtus Pompeius, (oſtendens quadrare, quoties conuiua ſordi-
Vacca integris vngulis.
dus & inſipidus ſordido atque inſipido excipitur conuiuio,) ſed merdam legendum ait, vt res ipſa
habet, & ſenſus inde prouerbio fit clarior. Darien noui orbis prouincia vaccas habet teſte Lope-
Colloq. 7.
tio, vngulis minimè bifidis, mulis non abſimiles, magnis auribus, promuſcide elephantis. Color eis
Boues vbi equitentur.
eſt cinereus, caro delicata. Incerti nominis author in itinerario ad Indos Orientales, vt citat Si-
mon Maiolus, ait in vrbe Diu, quæ in Cambaia eſt, boues eſſe exiguos quidem, prægrandibus, &
Boues Epiroticæ.
rectis cornibus, ſed præter oneris ferendi induſtriam, & ſub freno currere, & equitare dociles reddi
equorum gradariorum more. De Epiroticarum vaccarum magnitudine, atque lactis copia hæc
3. Hiſt. 21.
legimus apud Ariſtotelem: Epirot icę vaccæ præ ſua præcipua magnitudine, amphoras ſingulas ſin-
" gulæ implent lacte, menſuraque eius dimidium mammis duabus præſtant. Erectus qui mulget,
" aut paululum ſe inclinat: quoniam ſedendo vbera contingere nequeat. Cæteras etiam quadru-
" pedes magnas terra eadem Epyrus producit, excepto aſino: ſed præcipuè boues, & canes, atque
" etiam oues Pyrrhicas, à Pyrrho rege cognominatas. Et rurſus. Boues præcipuè magnos fert Epy-
rotica

A rotica terra: quas incolæ Pyrrhicas vocant Pastum enim abundè præbet, & loca singulis anni temporibus accommodata habet. Has ait interprete Theodoro ab incolis per annos nouē intactas venere seruari: sed cùm Plinius quatuor annis ita seruari scribat, Gesnerus ita apud Aristotelem quoque legendum arbitratur, præcipuè cùm facilis sit lapsus ex δ. in θ. Plinij verba sunt hæc: *In nostro orbe Epiroticis laus magna, à Pyrrhi (vt ferunt) iam inde regis cura. Id consecutus est, non ante quadrimatum ad partus vocando. Prægrandes itaque fuere: & hodieque reliquiæ stirpium durant. At nunc anniculæ ad fœcunditatem poscuntur: tolerantius tamen bimæ.* Cælius ait Pyrrhicas dictas istiusmodi boues putari ab ignea mobilitate, aut à colore, esse item qui diminutiuum putant ex forma Aeolica; ipse verò Plinio & Aristoteli subscribit, qui à Pyrrho rege nominis rationem deducũt. Ouidius ad earum magnitudinem respiciens, & Calydonium illum aprum magnitudine præcipua excelluisse indicans, hunc Pyrrhico siue Epirotico boui assimilauit, inquiens:

Lib. 6. c. 7.
Boues Pyrrhica cur sit dicta.
Metam. 8.

Vltorem spreta per agros
Misit aprum, quanta maiores herbida tauros
Non habet Epirus, sed habent Sicula arua minores.

B In Epiro præstantissimos boues esse etiam Pindarus canit in Nemeis: *Neoptolemus*, inquit, *latam obtinet Epirum, vbi montium iuga excellentissimos boues fouentia, à Dodona primum ad Ionium mare protenduntur.* Lycus Reginus Epiroticos boues à Geryonæis manasse prodit, quos Herculi per Epirum transeũti Larinus nomine bussequa surripuerit; siue (quod vero similius Proxeno videtur) Hercules ipse Ioui Dodonæo cõsecrarit, vnde sint boues Larinæi, quos tamen Apollodorus à Lyco dissentiens, non à custode, sed à sagina vocatos autumat Larinæos, quasi dixeris altiles, (hoc & nos suprà ex Athenæo diximus,) alij quoniã magnas habeant nares, cuiusmodi in tota ferò Epiro spectari tradunt. Tzetzes quidem à Larino pastore sic vocari ait, cæterùm tanquam magnos, quoniam is & magno esset corpore & helluo. Iacobus Dalechampius in doctissimis suis scholijs, quę singulis Plinij capitibus appendit, ait sese inuenisse etiam Cestrinos nuncupari. Erythræi boues, vt tradit Aelianus, mobilia similiter cornua, vt aures habent. Idem mox de Phrygijs referemus. Erythra autem Bœotiæ vrbs est, Pausaniæ, Plinio, Diodoro & Thucydidi. Thessaliæ ad Euripeum fluuium videtur apud Strabonem, apud Stephanum vrbs Locridis, & alia Libyæ. Erythræ verò Ioniæ oppidum maritimum, vt Ptolomæus docet & Strabo. Et Erythræ Liuio est oppidum Aeoliæ:

Boues Larinai.
Cestrini.

C quare difficile fuerit iudicare, cui loco boues illi debeantur. Nominatur verò etiam Eretria à Plauto tanquam ibi boum essent olim nundinæ.

Eretria.
In Persa.

Nunc mihi Eretria erit hæc tua domus,
Dominus (inquit) *me boues mercatum Eretriam misit:*

Vrbs est Thessaliæ. In Eubæa boues ferè omnes albos esse Odoardus Barbosa affirmat. Sed & Aelianus id quoque meminit his verbis: Confluentem candidi coloris efficientem Crathis fluuius emittit. Nam ouillum & bubulum pecus & omnis grex quadrupes, sicut Theophrastus ait, de nigro ruffoq; albus fit. Boues quoq; in Eubœa ferè omnes albi nascuntur, quare & argyboæon poetæ Eubœam cognominant. In Galata Africæ monte boues nostris Italicis octimestribus vix pares cùm senuerint Leonius testatur, eosdem puto intelligens, quos ex Scaligero recensui. In eadem Africa regio est Garamantum, aut vicina quædam, vbi boues præposterè pascuntur, si Herodoto fides est habenda. Nam offensantibus in terra cornibus, progrediendo pasci, inquit, nequeunt, alioqui nihil differentes à cæteris bubus, præter crassitudinem pellis atque duritiam. Apud Solinum igitur, vbi habet: *Garamantum armenta obliquis ceruicibus pabulantur. Nam si r reiecta ad pastum*

Boues vbi omnes albi.
Lib. 12. c. 36.
Boues exigui.
Lib. 4.
Boues retrò pascentes.

D *ora dirigant, officiunt prona in humum cornua & obnixa:* pro reiecta legendum apparet recta. Idem mox de Libycis dicam ex Aeliano. De Germanorum bubus cum alljs communicandis legitur epistola perquam elegans Theodorici regis ad Noricos apud Cassiodorum: *Grata suscipienda est ordinatio quæ dantem iuuat & accipientem pro temporis necessitate lætificat. Nam quis putare possit onus, vbi maius meretur in commutatione compendium? Et ideo præsentibus decreuimus institutis, vt Alamannorum boues, qui videntur pretiosiores propter corporis granditatem, sed itineris longinquitate defecti sunt, commutari vobiscum liceat, minores quidem membris, sed idoneos ad labores, vt & illorum profectio sanioribus animalibus adiuuetur, & vestri agri armentis grandioribus instituantur. Itaque fit, vt illi acquirant viribus robustos, vos forma conspicuos; & quod rarò solet emergere, in vna mercatione, ne vtrique videamini desiderata compendia percepisse.* Gesnerus Helueticos boues commendari ait à teneritudine carnis cum alibi, tum iuxta Zofingam oppidum agri Bernensis. In Sueuia quoque regione vicina circa regionem Bar, pingues præcipuè seuo haberi. Apud Gymnetas boum syluestrium teste Strabone, maxima est multitudo, ex quorum, inquit, carnibus vitam trahunt: at cùm nihil capiunt, sicca eorum coria prunis assantes, ijs pro cibo vtuntur. Gens ni fallor, est Indiæ, de qua mox. Boues ex Hispania transvectas in multo maiores euadere in Hispaniola scribit Petrus

Boues Germanorum.
Lib. 3. Variar. Epist. 50.
Boues Heluetiorum.
Lib. 16.
Boues syluestres.

Mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Martyr Mediolanenſis: boueſque elephantis,porcos mulabus,quando de armento eſt ſermo, comparari,hyperbolice tamen. Recitat Franciſcus Lopezius,vaccam proletariam in hac eadem inſula, cùm nullum ibi animal eſſet præter cuniculos,canes; ſerpenteſque innoxios, in viginti ſex annis, octingentos fœtus edidiſſe, dum ex filijs filij rurſus procreantur. Neque vllum animal minus fœcundum,quod decem menſibus vterum gerat,vnum tantum pariat,decem vix annis viuat. Refert tamen,ſeu ob loci temperiem, ſeu quod natura initijs quibuſcunque ad propagationem fauere videatur, ſeu quòd illa inter cæteras fœcundior eſſet, plerumque peperiſſe geminos. Ipſa quoq; Hiſpania apud veteres à boum præſtantia celeberrima,dummodo verum eſt,Erytheam eius inſulam eſſe; Hinc enim,Geryonis,qui ibi regnabat,boues Herculem abduxiſſe tradunt: Heſiodus: E

Hiſpaniolæ fœcunditas.

Boues Hiſpani.

In Theogonia.

Καλλιρόη τέκε παῖδα. βροτῶν κάρτιστον ἁπάντων
Γηρυονέα. τὸν κτεῖνε βίη Ηρακληείη,
Βοῶν ἕνεκ' εἰλιπόδων ἀμφιρρύτῳ εἰν Ἐρυθείῃ.
Calliroe peperit filium mortalium præſtantiſſimum omnium
Geryonem, quem interfecit vis Herculana,
Boues propter flexipedes circumflua in Erythea. F

Dionyſius Afer:

Ἤτοι μὲν ναίουσι βοοτρόφον ἀμφ' ἐρύθειαν
Ἄτλαντος περὶ χεῦμα θεουδέες Αἰθιοπῆες,
Μακροβίων υἷες ἀμύμονες, οἵ ποθ' ἵκοντο
Γηρυόνος κατὰ πότμον ἀγήνορος. ideſt,

Aethyopes Macrobij circa Erytheam (vel etiam in ipſa) *bubus abundantem inſulam habitant, iuxta Atlanticum mare, qui quidem illuc poſt Geryonis mortem venerunt.* Nam cùm ipſe viueret (vt Euſtathius eius Scholiaſtes ait) inhabitabilis erat propter eius inhoſpitalitatem. Fertur autem Hercules boues eius abacturus,æreo lebete in eam nauigaſſe,vt Euphorion teſtatur,

Liber æneus.

Χαλκείῳ ἀκάτῳ βουπληθέος ἐξ Ερυθείας.

Item Alexander Epheſius:

Χαλκείῳ δὲ λέβητι μέγαν διενήξατο πόντον,

Fortaſſis autem lebes nauigij genus fuerit, cui etiam lembi piratici vocabulum colludit: idque ęreũ appellari potuit, propter aliquid ex ære in eo factum: vel inſigne aliquod æreum in prora puppiuè. G Sunt, inquit idem Euſtathius,qui Erytheam inſulam ipſas Gades interpretentur, contra Dionyſij ſententiam:alij inſulam quandam vicinam, quæ à Gadibus freto vnius ſtadij tantum diſtet: in quã ſententiam eos adduxit paſcuorum illius loci vbertas: nam lac ouium ſerum ibi reddere negant, adeoque pingue, vel craſſum eſſe, vt ad caſeum conficiendum aquam copioſam affundi deſideret,& pecus intra triginta dies ſuffocetur, niſi minuatur ſanguis. Hactenus ille, Hecatæus etiam,vt citat Cęlius,Herculem miſſum eſſe,vt Geryonis boues abduceret,cæterùm non quidem ad terram Hiſpaniam,nec ad Erytheam vllam inſulam:ſed loca circa Ambraciam atq; Amphilochos Geryonem imperio tenuiſſe: indeque abactas boues, quæ mira ſpecie in illis comperiantur locis,herbida regione & paſcuis admodum læta. Alij verò Erytheam Hiſpaniæ inſulam faciunt,Geryonemque in Hiſpania regnaſſe volunt,tricorporemq; à poetis fingi,quoniam trium Hiſpanicarum inſularum rex eſſet,Balearidum videlicet duarum & Ebuſi. Quo ſenſu Ouidius:

Erythea quæ.

Prodigiumq; triplex armenti diues Iberi
Geryones, quamuis in tribus vnus erat.

Erytheam autem eandem putant cum veterum Gadibus, in cuius inſulæ meditullio duas aiunt ſupereſſe hodieq; vetuſti ædificij turres, torres de Hercoles incolis dictas. Herculem autem ibi olim delubrum habuiſſe, authores ſunt Strabo,Plinius,Mela. Apud poetas pro Erythea,non ſemel Erythrea ſcribitur: vt apud eundem Ouidium in faſtis. H

Gades.

Lib. 1.

Ecce boues illuc Erythreidas applicat heros.

Sic & apud Propertium.

Amphytryoniades qua tempeſtate iuuencos
Egerat à ſtabulis O Erythrea tuis.

Cùm igitur Gadibus tanta ſit ſoli vbertas,qualem ex Euſtathio diximus,Herculemq; ibi dilituiſſe ob allatam rationem,ac authoritatem conſtet,nos quoq; Hiſpaniæ eam laudem deferemus, eoque maximè,cum ibi propter ſalſuginoſęaquę copiam ſalubriores etiam quàm alijs in locis fuerint. Teſtaturque Bernardinus Gomeſius, ſale atque optima paſtorum ſolertia fieri, vt vituli, qui in agro Cæſarauguſtano,ad ripas Iberi amnis enaſcuntur, reliquos Europæ teneritate,ac ſapore ſuperent. Habere autem hoc oppidum inter tam multa atque præclara ſuæ laudis inſignia, peculiaria quedã rerum ornamenta,montem, à quo ſaxeæ quædam ſalis glebæ extrahuntur, quæ lactentibus vitulis,

Lib. 1. de ſale.

Vituli optimi.

dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A dum in stabulis tenentur, obijciuntur, vt illas toto eo tempore lingant, quo matres pascẽtes absunt: quo linctu, gustu vehementer excito sic inhiant, (inquit) matrũ vberibus, vt ea plenissima licet, cùm auidissime sugant; tum eo alimento ad humanum cibum, & temperatissimi & suauissimi fiant. Neque enim lac tametsi dulce, cùm pingue sit, tanta gustus appetentia è mammis sugeretur propter dulcedinem, nisi sale & natura condientibus, illud saperet subsalsum: quemadmodum poeta quidem peracute tetigit inquiens;

Capella linctu salis
Occultum in lacte referre saporem.

Boues solidis vngulis. In India boues solidis vngulis vnicornes nasci Ctesias scribit, teste Plinio: aliqui tricornes. Meminit eorundem Solinus de Indiæ agens mirabilibus. *Sunt præterea boues vnicornes & tricornes, solidis vngulis, nec bifidis.* Idem Plinius ait bobus Indicis altitudinem tradi camelorum, cornua in latitudinem quaternorũ pedum. Aelianus ex cornuum amplitudine, boum eorundem dimetitur magnitudinem. Ptolomæo secundo (inquit) ex India cornu allatum ferunt, quod tres amphoras caperet; vnde conijcere possumus, bouem illum, à quo eiusmodi tantũ cornu extitisset, maximum fuisse. *Boues Indi magni.*
B Idem de Indicorum boum, haud scio, an eorundem, velocitate & de cursu certamine hæc prodidit: In bubulo pecore quod incitato cursu valet, curam Indi ponunt: & simul de eorum velocitate rex, & permulti principes decertant, neque turpe ducunt, pro huiusmodi animalium genere, auro, argẽtoue sponsionem facere. Currendi meta bobus hæc constituitur, vt inter se nexi & iugati triginta stadia currant. Aequales & pares equis boues currunt, neq; velocitate boues ab equis internoscas: ac si quando rex de suis bobus cum quopiam sponsionem fecerit, in tantum contentionis studium procedit, vt is ipse in curru sequatur, atq; adeo aurigam incitet. Is sane quidẽ equos stimulis cruentat, a bubus verò manus abstinet, siquidem ij nullis admotis stimulis incitatissimo cursu feruntur. Ac nimirum tam ambitiosa est bubuli certaminis contentio, vt non diuites modò, sed inferioris status homines in eiusmodi certaminibus permultum versentur. *Lib. 15. c. 24. Boues cursu valẽtes.* A Plinio tauri atrocissimi syluestres, maiores agrestibus recensentur, velocitate ante omnes, colore fuluo, oculis cæruleis, pilo in contrarium verso, rictu ad aures dehiscente, iuxta cornua mobilia, tergoris duritia silicis, omne respuens vulnus, feras omnes venantur. Ipsi non aliter quàm foueis capti, feritate semper intereunt. *Lib. 8. c. 21.* Diodorus Siculus scribit hoc animal carnibus pasci, feritate excedere, penitusque esse inexpugnabile: *Lib. 4.*
C corpore maius esse domesticis tauris, habere equi velocitatem, ore vsque ad aures fisso, rubicundo colore, oculis albis nocteque fulgentibus: cornua veluti aures mouens, in certamine firma tenet; pili contra naturam cæterorum animalium versus caput ducuntur. Et hæc ferè viribus fortitudineq; mirabili pugnat cum cæteris bestijs, quas superatas comedit. Est quoq; infestus admodum armentis, nihil nec pastorum vires, neq; canum multitudinem timens. Dicitur eius pellis haud quaquam uulneribus patere. Cùm multi conantur illum ui capere, frustra defatigantur. In foueam delapsus, aut alio captus dolo, seipsum ex ira suffocat, pristinæ libertatis amore. Solinus eadem ferè quæ Plinius more suo de eisdem tauris habet. Indices, inquit, tauris color fuluus est, volucris pernicitas, pilus in contrarium versus, hiatus omne quod caput. *Cap. 65.* Hi quoq; circumferunt cornua flexibilitate qua malint, tergi duritia omne telum respuentes, tam immiti ferocitate, vt capti animas proijciant furore. Quærendum num sint hi tauri, ijdem cum ijs bobus, de quibus iam ex Aeliano diximus. Sunt item apud Indos alij boues, vt ibidem tradit Aelianus, qui maximos hircos superare non videntur; ij etiam coniugati velocissimè currunt, nec minus strenuè quàm Græci equi cursum conficiunt. Petrus Bellonius scribit, equos nobiliorũ Damasci vrbis incolarum, quales sunt Sangiaci & Bassæ, in- *Lib. 2. Obseruat. 92.*
D ter reliqua ornamenta habere caudas bouis Indici pilis admodum tenuibus & candidis, tanti apud eos pretij, vt singulæ quatuor, vel quinque ducatis æstimentur, eamque ob causam Satrapas duntaxat ijs vti, qui equorum gutturi eas appendunt. *Ornamenta ex caudis boum.* Haud etiam scio, anne istiusmodi tenuibus pilis boues sint ex iam memoratis. Lego etiam in tertia parte rerum Indicarum in India bouem marinum dari, & indigite voce Ignaragnam nuncupari, diciq; habitare iuxta castrum S. Spiritus, aliisq; quibusdam locis, vbi frigus remissius est. *Marinus bos.* Animal esse immensæ molis, vesciq; herbis duntaxat, quę rubri sint coloris. Corporis mole nostrates boues superare, pellem habere similem elephanto, bina iuxta pectus brachia, sub quibus mammæ lateant, quibus fœtus suos enutrit. Capite atque ore nostrates boues referre. Carne esse suauissima, Indisque præcipuè expetita. Ex pinguedine liquamen parari simile butyro, quo in condiendis cibis vtuntur. Ossa eius duritia ebori vix cedere. Itacam, quod enutriendis bubus sit apta, βώβοτον vocat Homerus. Italia nostra quales ferè boues habeat, iam ex Theodorici regis epistola diximus. Quanta verò hic sit copia, Cardanus innuit his uerbis. Aluntur tot hominum millia in Italia bubula carne, nunquam tamen deficiente cibo. Varro tradit propter amplitudinem præstare dici, ideoq; ad victimas farciri, atque ad deorum seruari supplicia. Cæterum non in tota Italia eiusdem sunt qualitatis, quantitatisq;, unde dicebat Columella. *Quæ in* *Boues Itali.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

in emendis bubus ſequenda, quæque vitanda ſint, non ex facili dixerim, cum pecudes pro regionis cœliq; ſtatu, & ſtatum corporis & ingenium animi & pili colorem gerant: aliæ formæ ſunt Aſiaticis; aliæ Gallicis, Epiroticis aliæ: nec tantum diuerſitas prouinciarum, ſed ipſa quoq; Italia partibus ſuis diſcrepat. Campania plerunque boues progenerat albos & exiles, labori tamen & culturæ patrij ſoli non inhabiles. Vmbria vaſtos & albos, eademque rubros; nec minus probabiles animis, quàm corporibus. Hetruria & Latium compactos, ſed ad opera fortes. Apenninus duriſsimos, omnemq; difficultatem tolerantes, nec ab aſpectu decoros. Hæc ille. Vmbria autem præcipuè inde celebris, ac potiſſimum circa Clitumnum amnem & Meuaniam oppidum, cuius inde campos tauriferos vocat Lucanus: E

Vmbriæ boues. *Lib. 1.*

Et qui tauriferis vbi ſe Meuania campis
Explicat.

Clitumnus amnis. Clitumnus verò celeberrimus non ſolùm quòd maximos ac optimos aleret boues, verùm etiam quod albos redderet, quales ſacrificijs triumphantium expetebantur: Hinc illud Virgilij:

Hinc albi Clitumne greges, & maxima tauri
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.

Lib. 8. Inde verò & Silius: F

Cauis venientes montibus Vmbri,
Hos Aſis Sapisq; lauant, rapidaſque ſonanti
Vertice contorquens vndas per ſaxa Metaurus
Et lauat ingentem perfundens flumine ſacro
Clitumnus taurum &c.

Inde & illud Propertij.

Et pecus & niueos abluit vnda boues.

Plinius verò diffuſè ſcribit, eam oram tauros gignere omnium Italiæ maximos, in quibus plurimi ſint albi. Sabinos quoq; ſpectatos apparet habere boues. Nam & apud Liuium legere eſt, bouē olim in Sabinis cuidam patri familiæ miranda magnitudine ac ſpetie eſſe natum, cui monumentum miraculo fuerint Romæ in veſtibulo templi Dianæ fixa per multas ætates cornua. Apparet & Lemni inſulæ boues olim fuiſſe in pretio, ſiquidem Homerus eos celebrare videtur his verbis:

Lib. 1. *Lemni boues.*

Αἰδὼς Ἀργεῖοι, κάκ' ἐλέγχεα, εἶδος ἀγητοί. G
Πῇ ἔβαν εὐχωλαί, ὅτε δὴ φαμὲν εἶναι ἄριστοι,
Ἃς ὁπότ' ἐν Λήμνῳ κενεαυχέες ἠγοράασθε,
Ἔσθοντες κρέα πολλὰ βοῶν ὀρθοκραιράων. id eſt,
Pudor Argiui, mala opprobria, forma (tantum) admirandi,
Quò abierunt iactationes, cum dicebamus nos eſſe optimos
Quas olim in Lemno vana iactantes dicebatis
Comedentes carnes multas boum erecta cornua geſtantium.

Leutricorum boum cornua atq; aures ex vna ſtirpe cognata, atq; ſimul contexta eſſe teſtatur Ariſtoteles, vti citat Aelianus. Qui præterea ſcribit, auditione ſe accepiſſe, in Libya Indis finitima, retrouerſus paſcentium boum eſſe armenta; Cauſam cur ſic paſcantur, eſſe, quòd non ritè collocata à natura ante oculos cornua habeant, & quæ ante pedes ſunt, videre non queant: ex eoq; fieri, vt ingreſſionem ad caudam retorquentes, herbam depaſcantur. Ad hos à Lotophagis triginta dierum ſpatium eſſe Herodotus teſtatur, eandem planè rationem, quòd ita paſcantur, afferens. Cælius verò ante Aelianum ſolum & primum opinatur Herodotum in Libya boues iſtos opiſthonomos, id eſt retrò paſcentes reperiri ſcripſiſſe, id exprimentibus cornibus quæ adnuunt proclinanturque in ima: cius verò hiſtoriam conuellere Athenæum ſub aliena perſona, quoniam à nullo præterea hiſtoricorum ſit comprobata. Verba Athenęi hęc ſunt: Minus fidei habet, quod Alexander Myndius ſcribit, in Libya boues quoſdam opiſthonomos appellari, quia non antrorſum paſcentes ambulent, H

Lib. 16. c. 33. *Boues retrò paſcentes.* *Lib. 4.* *Lib. 5. prope finem.*

„ ſed retrorſum euntes herbam vellant, eſſeque impedimenta cornua, ne ſecundum naturam her-
„ bam carpant, ſurſum verſus non incurua, vt in cęteris animantibus, ſed deorſum inflexa, quę oculo-
„ rum lumini velut tenebras offundant. Parum quidem hoc credibile eſt, præſertim cùm nullus
„ alius hiſtoricus atteſtetur. Habet autem Libya alios etiam boues, velocitate commendatos, de
„ quibus hunc in modum idem Aelianus ſcribit: Libycorum boum, qui feri ſolutique errant, tan-
„ ta eſt innumerabilitas, tanta item celeritas, vt vnum inſequentes venatores interdum fallan-
„ tur: quod nimirum in alios feros incidant, & ille interim ſub dumeta ſaltuſuè ſubiens ſe ſubdu-
„ cat, alij autem ſimiles exoriantur, & venatorum oculos fallant. Horum quempiam ſi quis
„ ingrediatur inſequi, primùm cohibendus eſt equus: ſic enim feſſum longinquitate temporis
„ comprehendet. Sin ab initio ſtatim equi habenas laxarit, illo demum defeſſo, bouem non capiet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Quamuis verò multi quotannis capiantur, & mactentur, sobolis tamen eorum successio perfœcunda est. Cum vitulis etiam tauri oberrant: item vaccæ vnà, aliæ fœtæ, aliæ fętus expertes. Quo si quis vitulum adhuc tenerum ceperit, & non statim occiderit, ex eo duplici commodo afficietur. Nam præterquàm quòd & ipse commoditatem affert, matrem suam pariter in captiuitatem inducit. Postea enim quàm venator vitulum fune alligauit, ab eo secedit: illa filij desiderio inflammata, tanquam asilo stimulata fertur, cupiens dissoluta reste eum abducere; ac nimirum cornua impingit, vt vinculum laxet & distrahat. At enim alterutro cornu in funis complicationem inserto, vnà cum vitulo constricta tenetur, bis misera mater, quæ neque sobolem suam liberarit, & ipsa insuper vinculo ineuitabili comprehensa sit. Cuius venator cùm iecur distraxit, & pellem exemit, carnem relinquit auibus & feris: vitulum verò integrum secum aufert, qui & in cibo suauissimus est & lacti densando coagulum præbet. Hæc itaque Aelianus. Athenæus author est vitulum quinque drachmis vendi in Lusitania, quasi ibi vitulorum quoque sit copia. *Lib. 8. c. 1.* Quà Macinum ad Cathaium vergit, boues albos nigrosq; gigni equina cauda, sed pilosiore ad pedes vsq; protẽsa: pilos caudæ habere subtilissimos, in modum plumæ volatilis, magno in pretio esse, quos equites in cacumine lancearũ suspendentes *Boues cauda equina.*

B

C

egregiæ nobilitatis insigne ducunt, scriptum reliquit Aeneas Syluius, qui hanc regionem Sericam D esse conijcit. Quęrendum an hi sunt illi boues, de quibus paulò antè ex Bellonio mentionẽ fecimus. In Madagascar insula tantam boum esse copiam tradunt nauigationum in nouum orbem authores, vt bouem cochleari aut alia viliori re commutarent. Gibbum habent in dorso ex mera puraq; pinguedine. Iconem adieci ex Diario nautico Batauorum in Indiam Orientalem. Albi & nigri iubati boues equina cauda in prouincia Mangi. *Equiboues.* Quocirca equiboues, vt opinatur Scaliger, haud ineptè nominari possunt. *Exerc. 217. 4.* Idem ait ex eorum iubis flabella texi. Equis componi ornamenta: lancearum cuspidibus appendi, vt in Germania vulpis caudam. Nicolaus de Comitibus eosdem boues & in Cambaia haberi asserit, & paullò fusiùs de ijs scribit. *In itinerario.* In Mangi, inquit, prouincia Indica Orientali boues syluestres criniti sunt, equorũ prolixiore iuba, quæ ad pedes vsq; protenditur, quorũ cornua ab occipite in spinã tanta longitudine extenduntur, vt eleuato capite cornibus attingant caudã. *Boues equina iuba.* Sunt autem grandia cornua, vt incolæ amphorarum loco illis vtantur. Cauda quoq; illis est quã equis elegantior. Mela locus aut vrbs videtur apud Ouidiũ in Fastis, pabulo boũ cõmendata: *Lib. 4.*

Sacrorumq; Melam pascua læta boum. idest, sacraficio destinatorum.

Mesopotamia regio est authore Strabone, fœcunda & maximè pascendis bobus idonea, ferens quę semper virent. *Lib. 16.* In Monzambique tanta est boum abundantia, vt Lusitani quindecim vaccas vna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

permutarent nouacula,vel etiã cymbalo. Circa Molottidẽ narrãt,inquit Athenæus, bobus inuſita- E
tę magnitudinis cornua eſſe,ex quibus pocula quo modo fiant,Theopõpus memorię tradit. In Mo-
ſchia carnes bubulas ad mẽſuras nõ vendũt,ſed emptoris tantùm oculis ſubijciunt,adeò copia faſti
dium parit,vt vel quatuor libræ carnis vno conſtent marchetto. Frigus verò ibi tã vehemens eſt, vt
animãtes,vt boues & porci,qui hyeme capiũtur & excoriãtur,lapidũ inſtar indureſcãt,nec alio mo-
do ſcindi queãt, vt Ioſephus Barbarus in ſuo ad Tanaim itinerario teſtatur,niſi in hypocauſtũ pro-
trahantur,vt incaleſcãt. Plinius author eſt,omnia plenilunio expurgari maria, quædã & ſtato tem-
pore:circa Meſanã & Mylas fimi ſimile expui in litus purgamenta:vnde fabula Solis boues illic ſta
bulari. Meminit & loci & boũ Apollonij interpres. Mylæ (inquit) Siciliæ Cherroneſus,in qua Solis
boues paſcebãtur. Apud Myſos,boues cornuũ expertes ſunt,nõ itẽ in Scythia,vbi minimè cornibus
boues mutili ſunt. Nec mihi moleſtus quiſpiam eſſe debebit,quòd contra ſcribam atq; Herodotus,
cùm ait bubulo generi non eſſe in Scythia cornua: Iccircoque cornibus mutilum eſt,quod vniuer-
ſum caluariæ os nullas commiſſuras habeat,nihilq; humorum confluentium propter duritiem reſi-
ſtentem capiat,& verò venæ per hoc ipſum os pertinentes,propterea graciliores & debiliores, quia
minus alantur, Itemque eorundem,qui à cornibus nudi ſunt,eò ſicciorem ceruicem, ac minus for- F
Lib.2.c.53. tem eſſe neceſſe eſt,quod ipſorum pertenues venæ ſint. Hæc Geſnerus recitat, tanquam ex Aelia-
» no,qui tamen hac de re breuius eodem tamen Geſnero interprete ſcribit in hæc verba: Apud Myſos
» boues onera vehunt, cornuum expertes totis etiam gregibus: cuius rei cauſa non in frigiditatem,
» ſed peculiarem naturæ vim reijcienda eſt. Argumentum in promptu eſt. Nam in Scythia quoque
» boues cornibus non carent. Nec mihi moleſtus quippiam eſſe debebit,quod contrà ſcribam,atque
» Herodotus. Nam qui hæc retulit,hiſtoriam ſuam,ſe afferre teſtatus eſt,non incertam (vt Herodo-
Boues ex cornes. tus) famã decantare. Apud Nabathæos (Arabię felicis populos) boues magnos eſſe teſtatur Strabo.
Lib. 17. Apud Nigros nuncupatos populos,vaccæ nullæ iunæ ſunt, omnibus verò color niger vel albus, vel
ex vtroq; mixtus. In Nomadibus,qui ad Mæoticas paludes hyemant,& dies eſtiuos in camporum
æquoribus viuũt,ex bobus partim ſine cornibus naſci,partim ſerrula ideo exſecari tradit Aelianus,
quòd hęc pars vim frigoris ſufferre nequeat. Strabo verò Nomadũ boues equoſq; cæteris teſtatur
longiores eſſe,fortè de alijs quã Aelianus populis intelligens. Ortelius ait Nomades Straboni Aſiæ
populos eſſe ad ſiniſtram in Caſpium intrãti. Plutarchus in libro de oraculorum defectu ait Iſtrum
Tauri hirti. accolere. Diodoro etiam Nomades ſunt in Africa,& Zophoni quoque vocantur. Tauri Pæonij,vt G
In Bæoticis. ſcribit Pauſanias,hirto corpore cùm omni ex parte, tum præcipuè pectoribus & mentis. Theopom-
Cornua maxima. pus verò, referente Ant. Mizaldo apud Pæonas tradit, boues tam magna geſtare cornua,vt tribus
aut quatuor vini ſextarijs vix adimplerentur, ex iiſque reges ac proceres, pocula conficere, labris
Lib.17.cap. 30. ebore aut argento obductis. In Pæonide verò palude tradit Aelianus ex Zenothemide quoſdam
procreari piſces,quibus adhuc palpitantibus,ſi eos bubulo pecori obijcias edendos,expleri non mi-
Boues piſcibus veſcentes. nus libenter quàm cæteri boues fœno:contrà ab eorundem mortuorum eſu ita abhorrere,vt non at-
tingat. Pannonia quam nũc communiter Vngariam vocamus,copioſiores ferre boues fertur, quàm
quælibet alia prouincia:qua de abundantia fœcunditateque Sigiſmundus Baro in hunc ferè modũ
Vngaria vt bobus abundet. ſcribit. Hungaria pecoris adeo abundans eſt,vt iure mirari poſſis,vnde proueniant tot & tanta boũ,
& ouium agmina,quæ in exteras regiones, Italiam,Germaniam, Bohemiam,mittit. Nam cùm per
Morauiam,Auſtriam,Stiriam, Slauoniam,perq; alias Hungarię vicinas prouincias multæ pateant
viæ, per quas pecus agminatim expellitur, obſeruatum eſt per ſolam viam Viennenſem vno anno
plus quàm octoginta millia boum in Germaniam acta eſſe. Geſnerus ſcribit, boues quidẽ eſſe pin-
Boues agreſtes. guiſſimos,ſed quia hyemes etiam ſub dio tranſigant,& liberi paſcantur,parum manſuetos eſſe,& H
minus tenera carne. Circa Axium flumen Paphlagonum per Mygdouiam fluens boues teſte He-
rodoto,ſunt agreſtes prægrãdibus cornibus. Incolæ Paros,vt in volumine legimus,quod nouus or-
Boues gibboſi. bis inſcribitur, omni iumentorum & minoris etiam pecoris genere carent. Regio Comãdu ab eiuſ-
dem nominis vrbe appellata in Perſia,boues habet maximos & in vniuerſum candidos,cornua bre-
Lib.1.c.22. uia & minimè acuta in capite geſtantes,camelino gibbo dorſo eorum imminẽte,teſte Paulo Vene-
to,vnde tã fortes, inquit,redduntur, vt ad magna onera geſtanda facilè aſſuefiant. Et cùm clitellæ
gibbo imponuntur,genu,vt cameli flectunt,& rurſum ſuſcepto onere ſurgũt, ſic ab hominibus edo-
Boues prorſus albi. cti. Eſt & Reobarle Perſidis regio,vbi eodem referente boues ſunt maximi prorſus albi, pilo tenui,
ac molli,breuiſſimis cornibus, obtuſa acie,gibboſi ſimiliter vt pręcedentes, ſimiliterq; onera feren-
Boues puſilli. tes. Ariſtoteles ait puſillas eſſe buculas;quas Phaſiana regio fert, quæ tamen ſingulæ abundè be-
neficio pabuli mulgentur, Phœnicum libri teſtantur, inquit Aelianus, indigenas vaccas ea eſſe
Lib.16.cap. 33. magnitudine, vt vel proceriſſimi paſtores cùm mulgent, ſtare aut etiam (ſi minus proceri ſint,) in
ſcabellum aſcendere habeant neceſſe, vbera vt poſſint pertingere: Hoc modò de Epiroticis ex
Ariſtotelę ferè recitauimus; qui ait, & in Phrygia boues eſſe qui cornua,vt aures mouent. Idem

teſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A testatur Plinius. Idem de Erythreis Aelianus, qui de eisdem Phrygijs sic quoque scribit. Bo-
ues Phrygij rubro colore & flammeo, altaque & torosa ceruice præstant. Eorum ab alijs cornua
longè diuersa sunt; neque enim consistunt, sed flexibilia huc illuc flectuntur. Pygmæorum boues, *Boues pusilli.*
& asini ad nostrorum arietum magnitudinem accedunt, si Ctesię fides tradenda est. Quiuira bo-
ues habet gibbosas, quarum corio incolæ vestiuntur, vt Lopezius tradit. Regna Aquilonaria, præ-
sertim Vermelandia ac Dalia, propter pascua vberrima, boues habent electissimos, inquit, Olaus
Magnus, etiam prouinciæ Vestrogothorum: hique boues singulis annis non tam proceritate cor- *Lib. 17. c. 2.*
poris, quàm numero magno multiplicãtur. Habet & Noruegia, Suetia & Finlandia similes, ad ęsti-
ualia, seu hyemalia plaustra, seu etiam agrorum vsum aptissimè dispositos. Sed nunquam vaccæ
trahendis plaustris, aut agris præparandis aptantur: imo nec vlli oneri, ob spem vitulorum gignen-
dorum subduntur. Sed hi adhuc tenerrimi à matribus segregati, sæuiente frigoris horrore, in ęstua-
rijs ad hoc specialiter ordinatis nutriri solent: hyemeque productiore asperioriq; inualescente, pu-
taminibus quernis, loco fœni vel culmi, iumenta vescuntur. Aestate verò, in lucidissimis noctibus
pascua sumunt sub cura pastorum propter improbos vermes & bruchos, quos ipsi custodes piceis *Bruchi in bobus.*
B fumis, vbiq; pinorum combustione flammantibus exurunt, aut arcent: sed non ex integro, quia in-
gruenti autumnali tempore, bruchi ingrediuntur cutes macrorum boum, ibique hybernant, vt tem-
pore vernali cutim exeant, ac hospitem vexent, veluti crucæ folia arborum depascentes, quarum
seminario folliculo inhærentes, hyemem transigant quietiorem. Boues tamen, quibus vermes hu-
iusmodi sunt infesti, è cœtu aliorum, quantum industria permittit, seorsum impinguandi mactan-
dique segregantur; tuncq; dorso tenus velut cribrum cutis perforata apparet, pretium sui diminuẽs
aliena labe. In ijs autem locis saniùs conseruantur, celeriusque impinguantur, vbi nec muscarum

C

D

aculeis, nec bruchorum stimulis agitantur & fatigantur, & herbarum virentium satietate non pri-
uantur. Hactenus Olaus. Est & in eisdem regionibus magna syluestrium boum multitudo,
Noruegia scilicet, Islandia, Feronia, Hitlandia & Gothia, quorum cornua vulgaribus minora sunt;
sub mento barba prolixa dependet: animantia sunt ferocia, nec homini parentia, nec alijs quadru-
pedibus. Venatores inter arbores se abscondunt: ipsi verò ab ijs vulnerati, vel iniuriam vlciscun-
tur, vel seipsos interimunt. Tantum est vindictæ desiderium. Iconem horum boum ex Cornelio
Iudæo in tabula Europæ mutuatus sum. Eandem ni fallor, iconem exhibet Olaus Magnus, sed
marinæ vaccæ esse ait, atque de ea sic scribit: Vacca marina monstrum est magnum, robustum, ira-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

cundum, & iniurioſum, edens partum ſibi ſimilem, ſed non ſupra geminum, vnum tamen ſæpius, E
quem plurimùm diligens ſolicitè ſecum ducit, quocunque tandem ſe per mare tranſmittit, aut in terra greſſus dirigit, decem menſibus impregnatur: demum hoc animal aliquando cxxx. annis, per caudæ ipſius amputationem probatum eſt vixiſſe. Plinius Cornutam inter belluas marinas nomi-

F

G

H

Boues dentibus elephātinis. To. 3.

nat, nec vllam eius deſcriptionem addit. Quærendum num hoc animal indicet. In Aquilonari verò plaga noui orbis boues pregrandes æquè in mari ac terra degunt, vt tradit Iacobus Cartarius in noua Francia apud Ramuſium, addens binos eis prominere dentes ab ore elephantum modo. Sed & Scaliger tradit in Oceano Septentrionali vaccam dici viſam cum geminis cornibus. Sauro-

matum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A matum boues cornibus carere testis est Hippocrates. Supra Gallouidiam Scothiæ Caricta sita est Siluriæ quondam pars quædam quæ dictanè sit à Carectonio numerosissima olim ciuitate,cuius adhuc ruinæ ædium ostendunt magnificentiam,an ab alia aliqua re haud satis constat,inquit Hector Boethius in descriptione regni Scothorum: Crebræ sunt in ea arces natura operibusq; munitissimæ, & præter reliqua armenta ingenti magnitudine excellentia boues quarum caro tenera suauisque esui est, cæterùm pingue nunquam concrescit, olei liquidi modo ferè semper fluens. De Scythiæ bobus varia traduntur. Herodotus agens de Scythiæ frigore,boues ibi sine cornibus esse testatur. Et hæc mihi videtur esse causa, cur omnino bouino generi cornua non succrescant, astipulante sententiæ meæ Homero hoc in Odyssea carmine;

Boues acornes.

Boues pro suo adipem habentes.

Lib. 4.

Boues acornes.

Et Libyen,vbi sunt cornuti protinus agni.

Quod rectè dictum est, in locis calidis maturè cornua existere, at in vehementioribus frigoribus, aut non oriuntur statim, aut si oriuntur, vix oriuntur. Gesnerus haud scio ex quo de Scythicis bobus hæc refert: Scythici, in quorum dorso gibber est, & procerissimi,& ex omni parte albi, perparuis cornibus sunt & minimè acutis, similiterque vt cameli eminenti dorso existunt. simul & cùm B dorso clitellæ imponuntur, perinde vt cameli genuflectunt,rursumq; suscepto onere surgunt, quod ipsum hominum, qui ijs ad grauissimorum onerum vectiones vtuntur, disciplina facere dicuntur. Nos hoc de Phrygijs & Persicis narrauimus,& ipse etiam Gesnerus quærendum esse ait, numquid differant à Caricis, de quibus id etiã diximus ex Plinio, nec dissimilia quoque de Syriacis adferemus: cæterùm Iulius Pomponius Sabinus in Virgilij commentans Georgica,nulla gibbi facta mẽtione,ait in tota Scythia Europæa & in Mysia, ac Sarmatia boues esse paruos: illas enim regiones non magnitudine animalium, sed numero fertiles esse: verum nihilominus etiam esse quòd in Scythia trans Tanaim vsque ad mare Caspium, sint boues magni & coloris nigri: cæterùm hic mitiorem esse aerem. Siculas boues celebrat Horatius, inquiens,

Boues gibbosi.

Te greges centum, Siculæq; circum
Mugiunt vaccæ.

2. Car. Od. 16.

Boues Siculi.

Eas ad victimas peti solere in Mena fluuio dictum est. Est in eadem insula Taurominium mons multis bobus abundans, & supra eum vrbs eiusdem nominis,dicta propter eorundem copiam. Singui vrbs est & prouincia magna Tanguriæ, bobus insignis syluestribus, quorum pili bysso sunt te- C nuiores,vt legitur in Epistola Asiatica. De eisdem M.Paulus Venetus: In Ergimul Tartarorũ prouincia in vrbe Singui boues syluestres elephantum proceritate pilo perenni ac leni ac prorsus albo, aut prorsus nigro,qui in humeris,leonum more prælongus est, non minus pedes tres,mira mollitie perinde ac sericum. Supra Synderouiam quam Turcæ tenebant, Vngari iussu regis Vladislai, ductu Pauli Kinisij ad dies quindecim,per centum milliaria passuum ferro igníque omnia vastantes, tantum prædæ coaceruarunt,vt nec iumenta,nec currus ad eam reuehendam vlli sufficerent. In castris quinque boues aureo nummo veniebant,narrante Bonfinio. Syriacis tauris non sunt palearia, vt ait Plinius,sed gibber in dorso;& Aristoteles ait in Syria boues nodos scapularum flectere, more camelorum. At Aelianus absque vlla gibberis mentione, hæc scribit: Syrij bellicosi sunt, magno robore & lata fronte, aspectu truculento, non obeso corpore,neque rursus macilento,ad cursum & pugnam præstant. Similiter eos celebrat Oppianus,qui eosdem Assyrios etiam & Pelleos vocat, & in Cherroneso nasci scribit,atque hos ipsos esse,quos Herculem ex Erythea abstulisse fama sit. Est autem Pella ciuitas Syriæ, quæ alias Apamea, à Pella Macedoniæ sic dicta,& Berenice postea, vt Stephanus testatur. Idem Cherronesum Syriæ ciuitatem,eandem Apameę facit. Secundum alios D Pella Cælesyriæ ciuitas est,quæ & Butis vocabatur. Pausanias tamen sentire videtur, Herculem boues ex Macedonica Pella abegisse, cùm loca circa Ambraciam,atque Amphylochos Geryonem imperio tenuisse tradat. Boues apud Tanaim maximos esse,atque pulcherrimos testatur Iosephus Barbarus in itinerario ad Tartaros, tantoque numero, vt ad omnia Italiæ macella explenda sufficiant. Ea autem venire via,quæ è Polonia ducit: & armenta quædam per Vualachiam & Transyluaniam in Germaniam vsque transire, vnde postea in Italiam abigantur: Addit insuper boues ijs in locis gestare onera & clitellas, quoties vsus requirit. Sed Scaliger apud Tartaros maximos ait reperiri boues breuibus cornibus & hebetibus, nulla macula candorem vitiari,cameli gibbum, & robur eis par esse, indeque bocamelos dictos, vt suprà diximus in agro Comanduano. Additque ibidem in quadam prouincia Orientalium Tartarorum, cuius,inquit,mihi nominis nunc non venit in mentem, etiam tricornes esse,memoriæ proditum. Thessaliam olim vastabant tauri ferocissimi,quos cùm animosiores iuuenes equis insidentes superarent,Centauri dicti sunt. Ortelius ait in Transyluaniæ syluis boues esse iubatos. Aiuntque bobus ita abundare eam gentem,vt quoties moritur rex,quælibet familia bouem soluat. Varro tradit boues iuxta Toronam paucis ante partum diebus,lacte carere: reliquo tempore habere perpetuo. Ventrem ferre decem menses. Troglodyta-

Lib.4.decad. 5.

Boues Syrij.

8.Hist.28.

Boues clitellarij.

Exerc. 206. 6.

206. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dytarum armentis cornua in terram directa eſſe Plinius tradit, eaque de cauſa obliqua ceruice paſci. Valachiam autem numeroſè boues alere, inde conijcere licet, quod Vladislaus Poloniæ rex anno 1436. Valachis tributum impoſuerit centum equorum & quadrigentorum boum in ſingulos annos. In Zeila vrbe Aethiopiæ ſunt vaccæ nigræ teſte Ludouico Barthema in itinerario Aethiopiæ, quarum cornua ceruinis ſunt ſimilia: item aliæ ruffæ vnico in fronte bipedali cornu, cuius tamen acies vergitur in dorſum. Vtrarumque meminit Scaliger his verbis: In agro Zeila oppidi quod eſt in Aethiopia, vaccæ ſunt colore atro, cum ceruinis cornibus, quas idcirco ceruias appellauimus. Alijs vnicum è fronte media prodit cornu pedali maius, curuitate ſupina. Eius enim cuſpis retrorſum conuexa eſt: ipſæ pilo ruffo: tu cæruleum ſcribis & tibi contradicis. E

Boues vnicornes. *Exerc. 206. 7.*

NATVRA. MORES. INGENIVM.

Lib. 9. *Mãſuetudo.*

BOS tam manſuetis eſt moribus, vt Apuleius manſuetiſſimum cunctorum vocet quadrupedum: & Ouidius hanc eandem manſuetudinem explicaturus, dicebat: F

Quid meruere boues, animal ſine fraude doloque
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?

Tam celebris autem ſemper fuit iſtiuſmodi manſuetudo, vt Menandro homo ſuaptè natura manſuetus, inde βοΐδης appelletur. Solet verò etiam aſpectus animantium manſuetudinis morum ſimilium, & è contrario inditium eſſe, quod tamen in bubulo genere locum non habet, quorum aſpectus propriè toruus nuncupatur, & toruitas, vt Pompeio placet, quaſi taurorum acerbitas eſt, & ne quis iſtiuſmodi epitheton à natura bubuli generis in malam ſemper partem accipi contendat, is id etiam de ipſa vacca fœtus ſuos miro proſequente amore dici, audiat elegantiſſimum poetam Claudianum:

Aſpectus boũ toruus.

Vitulum (inquit) *non blandius ambit*
Torua parens.

Adamantius ait bouem iſtiuſmodi vultu & moribus grauitatem quandam & ſimplicitatem præ ſe ferre. Sunt tamen etiam qui etſi domiti, ſemper tamen neſcio quid de natura ferina ſibi retinent, & obuios quoſq; cornu petunt; Olim iſtiuſmodi bobus fœnum è cornibus ſuſpendebatur pro ſigno feritatis, vt quiſque ſibi caueret. Vnde illud Horatij: G

Fœnum cur ex cornu boũ ſuſpenſum.

Fœnum habet in cornu, longè fuge.

Cur verò fœnum potiùs quàm aliud quiduis pro ſigno ferocitatis eſſet, Plutarchus inde factum autumat, quòd copioſiore pabulo non modò boues, ſed & reliquæ animantes ferociant. Lucretius dum boues medios ait eſſe inter leones & ceruos, moderati animi eſſe eos innuit, nec timidos, nec etiam audacia infames, cuius verſuum venuſtas atq; eruditio me inuitat, vt etſi numeroſi ſint, huic loco inſeram:

In quæſt. Rom. 71. *Lib. 3.* *Animus moderatus.*

Eſt etiam color ille animo, quem ſumit in ira
Quum ferueſcit & ex oculis micat igneus ardor,
Eſt & frigida multa comes formidinis aura,
Quæ ciet horrorem in membris & concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati ſtatus aeris ille
Pectore tranquillo qui fit, vultuque ſereno.
Sed calidi plus eſt ollis, quibus acria corda, H
Iracundaque mens facilè efferueſcit in ira.
Quo genere inprimis vis eſt violenta leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes;
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt:
At ventoſa magis ceruorum frigida mens eſt,
Et gelidas citius per viſcera concitat auras,
Quæ tremulum faciunt membris exiſtere motum.
At natura boum placido magis aere viuit,
Nec nimis irai fax vnquam ſubdita percit
Fumida ſuffundens cacæ caliginis vmbras:
Nec gelidi torpet telis perfixa pauoris,
Inter vtroſque ſita eſt, ceruos, ſæuoſque leones.

Verùm quis hic fortè boues integros, nondumque exectos intelligat, qui ſuaptè natura, vel ipſo teſtante Ariſtotele, animoſi ſunt, iracundi, furibundique, quoniam eorum ſanguis fibroſus, omniumque

Taurorum natura.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A que celerrimè durescit & coit. *Tauris*, inquit Plinius, *in aspectu generositas, torua fronte, auribus setosis, cornibus in procinctu dimicationem poscentibus: sed tota cominatio prioribus in pedibus stat, ira gliscente alternos replicans, spargensque in altum arenam, & solus animalium eo stimulo ardescens. Tradunt iratum costas per caudam verberare.* Columella cùm dixisset de vaccis crepusculo reuocandis sono buccinæ, *non eadem*, inquit, *in tauros* (quæ in vaccas) *exercentur imperia, qui freti viribus per nemora vagantur, liberosque egressus reditusque habent, nec reuocantur, nisi ad coitus fæminarum.* Varinus ait istiusmodi solitarios & robore suo fidentes tauros ἀτιμαγέλας vocari. Aelianus quoque ait, taurum animo esse incitatum, eoq; impetu cornibus appetere; & ea insuper impotentis animi effrenatione ferri, nihil vt eum, neque bubulcus, neque metus vllus reprimere queat. Aristoteles istiusmodi animositatis generositatisque quodam modo rationem reddit in Phrysiognomonicis, dum ait: Θυμοειδῆ, idest animosa, sunt quorum crassa & plena ceruix est: referuntur enim ad tauros animosos. Euripides de tauro loquens, qui nauem ingredi recusabat, iracundię eius isthæc signa posuit, *In Helena act. 5.*

B *Sed taurus*, inquit, *noluit*
Recto pede per tabulas ingredi,
Quin emugiebat, truces in orbem vertens oculos
Sublato dorso & collimato ad cornua lumine;
Omnesque à contactu arcebat.

Ex quibus intelligimus, tripliciter iram indicare, aspectu, voce, atque opera. Aspectus ille propriè toruus vocitatur ab ipsomet animante, exponiturque seuerus & terribilis. Estque bouis proprium epitheton. Hinc apud Aristophanem βλέπειν ταυριδὸν, idest intueri taurinè, pro eo quod est toruè: Eius verba sunt: βλέπειν οὖν ταυριδὸν ἐγκύψας κάτω, idest: *Itaque ore prono contuetur tauricum.* Plato demonstrat hunc Socrati fuisse morem, vt taurinis oculis intueretur, vt videlicet animi sui generositatis indices oculi essent. Virgilius, vt ostendimus, hanc toruitatem in vaccis commendauit: *Optima toruæ Forma bouis.* Mugitu verò etiam iracundiam indicari, notum quoque est ex Homero, apud quem Xanthus fluuius conatibus Achillis obstiturus, præ iræ vehementia taurino more mugire dicitur, & Hippodamas quoque moribundus. Irati verò tauri vocem solito magis sonoram

Taurus vt iram indicet.
In ranis.
Tauricè intueri quid.
Tauri irati vox.

C esse non obscurè innuit loco præcitato Aristoteles, *Animalia*, inquiens *fortia grauiorem habent vocem, vt taurus & leo; timida acutam*: nam aliàs vel ipso Aristotele teste, tauri vox acutior est quàm vaccæ. Ipso denique opere iracundiam demonstrare, asperrima sæpè cùm inter se, tùm cùm alijs etiam animantibus dimicatio ostendit, in qua tanta est voluptas, vt vituli adhuc certamina gestiant, quæ impleant ætate robusta, vt testatur Claudianus, dum canit,

Sic pascua paruus
Vendicat, & nec dum firmatis cornibus audax
Iam regit armentum vitulus, sed prælia differt
In iuuenem.

Sic & Martialis;

Truces in alta valle mugiunt tauri,
Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam.

Quàm atroces autem sint, appositè explicauit antiquitas, cùm tauris flumina similia dixit teste Festo: *Taurorum* (inquit) *specie simulacra fluminum, id est, cum cornibus, quæ sunt atrocia, vt tauri.* Aelianus author est in varia historia apud plurimas gentes, fluuios imagine boum pingi, Erasinum

Flumina cur tauris similia dicta.

D apud Stymphalios, & Metopum: apud Lacedæmonios Eurotam, apud Sicyonios & Phliascos, Asopum; apud Argiuos Cephisum. Asopum tamen Athenienses humana facie, cornibus tantum à fronte prominentibus fecerunt. Eadem specie Achelous apud Aetolos, quem Sophocles ἀνδρείῳ τύπῳ βούκρανον appellat. Sed & Oceanus fluuiorum omnium pater, ab Euripede, ταυρόκρανος vocatur: Græcos in hac re, vt in alijs multis, secuti sunt etiam Romani, vt celeberrimi authores testantur; Sic enim de Pado perpulchrè Virgilius:

In Trachinijs.
In Oreste.

Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus. Idem de Tiberi: *Georg. 4.*
Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum
Adsit ò tandem, & propius tua numina firmes. *Aeneid. 8.*

Sic tauriformem Aufidum Horatius, Granicum bicornem Ouidius, Rhenum bicornem idem Virgilius, vt alios taceamus, qui etiam taurina specie flumina nobis produnt. Eandem quoque ob causam fluuio deo tauros sacros esse fingebant. Sic enim in quæstionibus tradit Aristoteles. Διὰ τί ἐν τοῖς ἕλεσι τοῖς περὶ τοὺς ποταμοὺς γίνονται, οἱ καλούμενοι βόμμυκοι: οὓς μυθολογοῦσι ταύρους ἱεροὺς εἶναι τοῦ θεοῦ: Idem βόμμυκας appellat sonos illos fluentis aquæ subterraneos in locis petrosis: arbi-

trantur

trantur enim etiam nonnulli flumina inde taurina facie effingi, quòd aquarum impetus in anfractibus ac locis potissimum subterraneis sonos mugitibus taurorum non absimiles edant: Author E enim in deorum natura Phurnutus fluuios plerumque effingi κερασφόρυς καὶ ταυρώπας ex vndarum violēto impetu, qui mugitibus assimile insonet quiddã. Nam & de Scamandro Homerus dixit: ἠΰγενὴς ὥς ἔτε ταῦρος. quin & ratione eadem Neptunus Mycetæs appellatur; alij verò, quòd sinuosis flexibus ramos suos cornuum instar expandant, terramque veluti boues aratro proscindant. Nec desunt, qui causam huius similitudinis interpretentur, quòd loca fluuijs vicina & irrigua maximè pabuli lætitia vigere & florere soleant. Sunt denique qui amnes eadem violentia, impetuq; & robore, præcipuè vbi procellis ac tempestatibus augentur, in modum tauri ira perciti, efferri volunt, quæ sententia cum Festo ferè congruit: congruitque Acheloi fabula, qui cum Hercule dimicaturus, primò in anguem se, vt hac facie ille expauesceret, mox ea figura victus, in taurum, animal pugnacissimum, & in pugna atrocissimum figurauit: eandemq; fortassis ob rationem fingebant irim capite tauri præditam exhaurire flumina. Ita autem irim fingi Plutarchus testatur: Atque hinc etiam fortassis est, quòd Hercules taurum ex Creta in Atticam ducens, eius potius quàm alterius animantis tergo insidere voluit, huiusque imitatione Domitianus, qui futurum cælum ac immortalitatem sibi repræsentaturus, tauri dorso similiter insidens, superiores scenæ partes in speciem celi confectas petijt, vt suo pòst loco patebit. Tauros quoque ignem spirantes circa templum esse in Colcho Græci fabulantur. Verum taurorum nomen, (inquit Diodorus Siculus) à custodum robore tractum est: à crudelitate verò cædis hospitum, tauros ignem conflare confictum. Plinius profitetur se tauros de imperio vidisse demicantes, & ideo demonstratos rotari cornibus, cadentes excipi, iterumque resurgere, modò iacentes ex humo tolli, bigarumq; etiam cursu citato, velui aurigas insistere. Eandem quoque dimicationis alacritatem Statius sic expressit:

Hercules tauro insidet & cur. F

Lib. 4. Theb.

Similes video concurrere tauros,
Idem ambobus honos, vnusque ab origine sanguis,
Ardua collatis obnixi cornua miscent
Frontibus, alternaque truces moriuntur in ira.

Cant. 1. St. 62. Et Ludouicus Ariostus Sacrapantis cum Bradamante bellaturi pugnam descripturus ait:

Non sì vanno i Leoni, ò i tori al salto
A dar di petto, ad accozzar si crudi G
Come quei duo guerrieri al fiero assalto.

Taurorũ pugnæ causa. Metam. 9. Causa plerumque pugnæ est ipsa iuuenca. Per libidinem enim offerantur, teste Aristotele: & qui superiore tempore socij iugi concordia pascebantur, coitus tempore dissident, & alter alterum libidinis rabie inuadit. Hinc illud Ouidij congressum Herculis cùm Acheloo describentis:

Non aliter vidi fortes concurrere tauros,
Cum pretium pugnæ toto nitidissima saltu
Expetitur coniux, spectant armenta pauentque
Nescia, quem maneat tanti victoria regni.

Amor. 2. Idem alicubi, inquit:

Vidi ego pro niuea pugnantes coniuge tauros
Spectatrix animos ipsa iuuenca dabat.

In Hippolyto. Huc spectat & hoc Senecæ,

Venere instinctus suscipit audax
Grege pro toto bella iuuencus. H

Aeneid. 12. Appositissimè igitur Virgilius Turnum & Aeneam de Lauinia virgine dimicantes, tauris comparat, & sic canit:

Ac velut ingenti Silla, summoque Taburno
Cum duo conuersis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi cessère magistri,
Stat pecus omne metu mutum, mussantque iuuencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, & sanguine largo
Colla animosque lauant, gemitu nemus omne remugit.

Lib. 2. de venat. Hanc taurorum concertationem elegantissimus poeta Oppianus pulcherrimè describit, quem locum, vt à Pet. Gyllio translatus, & Aeliani historię de animalibus insitus, & à Gesnero correctus est, hic apponam. Sequitur (inquit) vt dicam, quemadmodum pro vaccis taurorum maximè riualis, & perpugnax natio, acerrimè inter se certet. Vnus præstantissimus in minorum taurorum & vacca-

rum

A rûm armentum dominatur. Hunc magnum regem perhorret grex armẽtorum cornibus armatum, ,,
vaccæ hunc maritum suum impotenti ferocitate superbientem, eo maximè tempore timent, cum ,,
diuersorum armentorum tauri alij in alios mugiunt, & ab reliquis separati, ceruicem iactantes in- ,,
ter se minitantur. Tum sanè vtrimque vehemens instat pugna. Primùm infesto obtutu inuicem in- ,,
tuentur, atque agresti iracundia ardentes, ignem naribus spirant, & terram pedibus spargunt, & ,,
puluerulenta iactatione & martiali spiritu contentissimè vociferans vterque prouocat alterum. Ac ,,
posteaquam tuba signum dederunt, ad pugnam acerbam effreni impetu ruentes, inter se mutuis ,,
vulneribus cadunt. Et quemadmodum in pugna nauali duæ præstantes naues permultis militibus ,,
armatis fulgentes, & vehementi vento & remis propulsæ, contrarijs proris rostra inter se mutua al- ,,
lidunt, & concrepant armis & strepitu virorum: Sic taurorum in cœlum tamdiu sonitus fertur con- ,,
currentium, dum eorum alteruter ex certamine victoriam retulerit. Oppianum quàm breuissimè ,,
quidem, cæterùm exactissimè expressit Torquatus Tassus,

Non altramente il toro, oue l'iriti
B *Geloso amor, co' stimuli pungenti*
Horribilmente mugge, e co' muggiti
Gli spirti in se risueglia, e l'ire ardenti
E'l corno aguzza à' i trunchi, e par che inuiti
Con vani colpi a la bataglia i venti
Sparge co'l piè l'arena, e il suo riuale
Da longe sfida à guerra aspra e mortale.

Nisi dicamus Virgilium fuisse imitatum, qui non minus diligenter, hoc certamen descripsit, & tanta etiam virtute poetica, vt ea præterire nefas fore duxerim: *Georg. 3.*

Sed non vlla magis vires industria firmat,
Quàm Venerem, & cæci stimulos auertere amoris,
Siue boum, siue est cui gratior vsus equorum.
Atque ideo tauros procul, atque in sola relegant
C *Pascua, post montem oppositum, & trans flumina lata,*
Aut intus clausos satura ad præsepia seruant.
Carpit enim vires paulatim, vritque videndo
Fœmina: nec nemorum patitur meminisse, nec herbæ:
Dulcibus illa quidem illecebris, & sæpe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes.
Pascitur in magna sylua formosa iuuenca:
Illi alternantes multa vi prælia miscent
Vulneribus crebris: lauit ater corpora sanguis:
Versaque in obnixos vrgentur cornua vasto
Cum gemitu: reboant syluæq; & magnus Olympus.

Victori amata iuuenca fit præmium, victorique ea cedit; vti innuit Horatius: *Lib. 1. serm. sat. 3.*

Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Causa: sed ignotis perierunt mortibus illi, *Amata victori cedit.*
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior cædebat; vt in grege taurus.

D Hinc furibunda illa victoris petulantia, & elati animi superbia, de qua legitur in Ecclesiastico: *Cauendum ne animos, veluti taurus extollamus.* Eandem sub Herculis victoris exemplo significauit Val. Flaccus, dum canit: *Cap. 6.* *Lib. 2. Argonaut.*

Qualis per pascua victor
Ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis
Taurus, vbi adsueti pecoris stabula alta reuisit,
Et patrium nemus, & bello quos vltus amores.

Huc referenda videntur hæc Plinij verba: *Taurorum colla & truces in sublime iactus, tigrium rapinas &c. miramur, cùm rerum natura nusquam magis quàm in minimis tota sit.* Hesychius κερουτίας, γαυρίας exponit, idest superbos, ἀπὸ τῶν ὑψαυχενούντων ταύρων, idest à tauris qui ferociores (in victoria videlicet) & elata ceruice sunt. Appositè autem κερουτίαι dicentur, cùm in cornibus maximè superbiant: cuius mentio apud Psalmographum: *Cùm nobis aderas, inimicos nostros cornu petebamus;* κερατιοῦμεν enim habet Græcus codex, proque valida & victrici pugna Theologi commentantur. D. Chrysostomus enodans hoc prophetæ: *Vinea facta est, in dilecto, in cornu, in loco vberi,* metaphoram ait esse ductam à cornu bubulo, quandoquidẽ talis adagio in vulgus exierit, de his qui ad tutũ *Psal. 44.* *In enarrat. c. 5. Esaiæ.*

aliquem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

aliquem locum confugiunt, Nam quando, inquit, iumentorum omnium fortiſſimus eſt taurus, id E quod fortius eſt in eo animali, conſueuere pleriq; appellare, nempe cornu. Sed & ſcriptura plerumque eos qui in tuto conſiſtunt, vocat cornu Monocerotis. Itaque in cornu perinde eſt hic, atque in ſecuritate, in faſtigioſo ac ſublimi loco. Hæc ille. Taurus autem in cornibus ſecuritatem ponit, quia in ijs arma ſua natura dedit, id quod ipſe quoque non ignorat; vt in prolegomenis dictum eſt, & Horatius quoque atteſtatur;

Cornu Monocerotis qui dicti.

Dente lupus, cornu taurus petit: vnde, niſi intus
Monſtratum? Scæuæ viuacem crede nepoti
Matrem: nil faciet ſceleris pia dextera, mirum;
Vt neque calce lupus quenquam, neque dente petit bos.

Sed reuertor ad pugnam: in qua ſi ſuperbit victor, è contrario victus maximo pudore afficitur, à conſpectu amatæ aufugiens, & in denſis ſyluis ſeſe abdens, vt diuinus poeta diſertiſſimè tradit his carminibus:

Nec mos bellantes vnà ſtabulare, ſed alter
Victus abit, longeque ignotis exulat oris, F
Multa gemens, ignominiam, plagaſque ſuperbi
Victoris, tum quos amiſit inultus amores;
Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit auitis.

Mox verò ceu vel oblitus pudoris, ſeu potius pudorem decuſſurus, victorem nouo prælio laceſſit, & vincit etiam, vt idem ait poeta,

Ergo omni cura vires exercet: & inter
Dura iacet pernox inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis, & carice paſtus acuta,
Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit,
Arboris obnixus trunco, ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.
Poſt vbi collectum robur, vireſque receptæ,
Signa mouet: præcepſq; oblitum fertur in hoſtem
Fluctus vt in medio cœpit cum albeſcere ponto G
Longius, ex altoque ſinum trahit, vtque volutus
Ad terras immane ſonat per ſaxa: nec ipſo
Monte minor procumbit: at ima exæſtuat vnda
Vorticibus, nigramque altè ſubiectat arenam.

De eodem pudore, ac verecundia, ignominiæque vindicta eadem tradidit Oppianus, eodem interprete Gyllio. Victus, inquit, cum dolens de pugna à ſe male pugnata, tum verecundans in armento comparere, in ſyluam proficiſcitur, & ſeparatim à cæteris paſcitur, ac in montibus aliquandiu ſe tanquam athleta quiſpiam exercet, dum collegerit vires, quibus cùm ſe confirmatum ſentit, ſtatim vociferatur, adeo vt ſylua ad eius mugitus vehementer reſonet: Ac poſteaquam validiorem ſuum quàm hoſtis mugitum eſſe perceperit, iam robori ſuo confidere incipit, & ad prælium deſcendens, facilè antè victorem vincit, vt qui paſtionibus ſe exercuerit, & remotus ab omni Venere virium eneruatrice vixerit: Sic Oppianus, ex Ariſtotele fortaſſis, qui, coit, inquit, qui vicerit: cumq; is Venere iam debilitatus languerit; aggreditur victus ille languentem, & plerumq; ſuperat. Idem poetæ quoq; alij innuere videntur, ſicuti Lucanus deſumpta ab hac tauri fuga, comparatione, fugam H Pompeij delineans:

Lib. 2. Pompeius vt tauro aſsimilatus.

Pulſus vt armentis primo certamine taurus
Syluarum ſecreta petit, vacuoſque per agros
Exul in aduerſis explorat cornua truncis;
Nec redit in paſtus, niſi cum ceruice recepta
Excuſſi placuere tori, mox reddita victor
Quoslibet in ſaltus comitantibus agmina tauris
Inuito paſtore trahit: Sic viribus impar
Tradidit Heſperiam, profugusſque per Appula rura
Brunduſii tutas conſcendit Magnus in arces.

Similiter Silius Italicus Lucanum vt apparet imitatus, Hannibalem victum, vltionem parentem, aſſimilat tauro, qui victus, cedit grege & ſtabulis, & in ſolitudine nouam pugnam contra victorem meditatur: Canit autem:

Lib. 16. Hannibal vt aſsimilatus tauro.

Brutia mœrentem caſus patriæque ſuoſque

Hanni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Hannibalem accepit tellus. Hic aggere septus*
In tempus posita ad renouandum bella coquebat:
Abditus in sylua stabulis cùm cessit ademptis,
Amisso taurus regno gregis, auia clauso
Molitur saltu certamina: iamque feroci
Mugitu nemora exterret: perque ardua cursu
Saxa ruit, sternit syluas, rupesque lacessit
Irato rapidus cornu: tremit omnis ab alto
Prospectans scopulo pastor noua bella parantem.

Elegantissimè verò, simul & clarissimè id indicauit Statius: *Lib. 2. Theb.*

Veluti dux taurus amata
Valle carens, pulsum solito quem gramine victor
Iussit ab erepta longè mugire iuuenca,
B *Cum profugo placuere tori, ceruixque recepto*
Sanguine magna redit, fractæque in pectore vires,
Bella cupit, saltusque & capta armenta reposcit,
Tum pede, iam cornu melior: pauet ille reuersum
Victor, & attoniti vix agnouere magistri.

Et mox rursus: *Lib. 3.*

Iamque remensus iter fesso Danaeia Tydeus
Arua gradu, viridisque legit deuexa Prosymnæ,
Terribilis visu, stant fulti puluere crines,
Squallidus ex humeris cadit alta in vulnera sudor;
Insomnesq; oculos rubor excitat, oraque retro
Sorbet anhela sitis: Mens altum spirat honorem
Conscia factorum. Sic nota in pascua taurus
Bellator redit, aduerso cui colla, suoque
C *Sanguine proscissique natant palearibus armi.*
Tunc quoque lassa tumet virtus, multumque superbit
Pectore despecto: vacua iacet hostis arena
Turpe gemens, crudosque vetat sentire dolores.
Talis erat, &c.

Abditus itaque non solùm ignominiam vindicaturus ad consueta reuertitur stabula, sed vt erepta potiatur amica. Non enim diminuitur amoris flamma, sed potius magis accenditur, id quod in Rodomonte non inuenustè expressit Ariostus:

Come partendo afflitto tauro suole
Che la giouenca al vincitor cesso habbia,
Cercar le selue, e le riue più sole
Lunga dai paschi, ò qualche arida sabbia.
Doue muggir non cessa à l'ombra, e al Sole
Ne però scema l'amorosa rabbia,
D *Così sen va dal gran dolor confuso*
Il Rè d' Algier da la sua donna escluso.

Sunt verò etiam tauri qui sua natura ferociores, & validiores robore suo freti, solitarij pascuntur, quos ἀτιμαγέλας vocari Varinus testatur. Ἀτιμάζειν enim contemnere est, indeque nomen eis factum, quod gregatim pasci aspernentur. Falluntur ergo qui ἀτιμάζειν dicunt, quos in pugna victos solitarios degere diximus: neque enim id vel virium fiducia, vel gregis & vaccarum contemptu, sed metu & dolore, vt dictum est, faciant. Cùm verò per se absque vaccis pascuntur, nam & hoc aliquando vidimus, ἀτιμαγελεῖν Aristoteles tradit, Theodorus coarmentari reddidit, contrario planè sensu, vt etiam aduertit author adagiorum: dearmentari enim potius, vel abarmentari ipsi vertendum erat: nisi dicamus & ipsum sic vertisse, sed librarios peruertisse. Vaccæ etiam, cùm primum exacta hyeme in pascua emittuntur, ceu lasciuientes, quæuis proximam cornibus adoriuntur; & quæ tum victa fuerit, totam deinceps æstatem alteri cedit. Armentum ipsum per societates, & consuetudines pascit teste Aristotele, et si vnus bos aberrauerit, reliqui sequuntur, quapropter boarij nisi præuenerint, totum armentum requirant necesse est. Taurus autem totius armenti dux est, atque honor, vt Virgilius canit: *Tauri solitarij.* *Vaccarum pugna.* *Eglog. 5.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Vitis vt arboribus decor eſt, vt vitibus vuæ E
Vt gregibus tauri, ſegetes vt pinguibus aruis,
Tu decus omne tuis.

Dux, inquam, eſt, etiamſi flumina ſint trananda, quemadmodum habemus apud Statium, Hippomedontem ducem tauro duci comparantem perquam eleganter, vt ſolet, & doctè.

Tunc ferus Hippomedon magno cum fragmine ripæ
Cunctantem deiecit equum: ducibusq; relictis
Gurgite de medio freno ſuſpenſus, & armis
Ite viri, clamat. Sic vos in mœnia primus
Ducere, ſic clauſas voueo perfringere Thebas,
Præcipitant cuncti fluuio, puduitque ſecutos.
Ac velut ignotum ſi quando armenta per amnem
Paſtor agit, ſtat triſte pecus: procul altera tellus
Omnibus, & latè medius timor: aſt vbi ductor
Taurus init, fecitq; vadum: tunc mollior vnda, F
Tunc faciles ſaltus, viſæq; accedere ripæ.

Cæterùm non præit tantum, verùm etiam feris quibuſcunque iniuriam inferentibus ſeſe viriliter opponit, fortiſſimorum imitatione imperatorum, qui ſeipſos pro toto exercitu deuouerunt. *Tauros videmus,* (inquit Caſſiodorus) *fœminas ſuas cornuali conſertatione defendere.* Sic Angelus Bargæus de Euſtachio duce:

Ante alios omnes heros ſe primus agebat.
Sic etiam armento longinqua ad paſcua eunti
Incomitata ferox præfert veſtigia taurus
Viribus atque animis in pugnam, inque arma paratis.

Lib. 3. de finib. bonor. & malor. Imo verò leones non patitur vitulis qui ſuæ commiſſi ſunt tutelæ, iniuriam inferre. Teſtis eſt M. Tullius his verbis: *Atque vt tauris natura datum eſt, vt pro vitulis contra leones ſumma vi impetuq; contendant: ſic ij qui valent opibus atque id facere poſſunt, vt de Hercule & Libero accepimus, ad ſeruandum genus hominum natura incitantur.* *Tauri leonibus ſe opponunt.* Iam & hoc maximè ad ductoris tauri laudem referendum eſt, quod regnandi ſocium non patitur, ſed ſolus monarchiam exercet, & quamuis Polybius id G omnibus animantibus agminatim paſcentibus, vt capris, & gallis gallinaceis commune eſſe dicat: *Lib. 6. de repub.* Ariſtoteles tamen tauro eam gloriam & apum regulo aſcribit, regiam poteſtatem inquiens idcirco naturæ magis conuenire, quia vnus ſit Sol in cęlo, in armentis taurus vnus, in apibus rex vnus præſit. *In Homero.* Homerus quoque formam regiam teſte Plutarcho, & excellentem ſic aſſimilauit:

Qualis in armento bos præſtantiſſimus omni.

Sed integrum poetæ ſenſum aſcribam.

Ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ᾽ ἔξοχος ἔπλετο πάντων
Ταῦρος, (ὁ γάρ τε βόεσσι μεταπρέπει ἀγρομένῃσι)
Τοῖον ἄρ Ἀτρείδην θῆκε Ζεὺς ἤματι κείνῳ
Ἐκπρεπέ᾽ ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν. ideſt,
Velut bos in armento, valde eximius eſt omnium
Taurus: (hic enim boues inter relucet congregatas,)
Talem Iupiter Atridem poſuit die illo,
Valde præſtantem & eximium inter multos heroes, H

Tauro tyrannus ſimilis. Idem ob imperium taurus tyranno aſſimilatur, vt quidam vir doctus in declamatione tyrannicidæ Luciani reſpondente ſcribit in hæc verba: Quando autem ante hac vnquam fando auditum eſt duos vna in ciuitate ſediſſe tyrannos? id quod magis etiam natura repudiat, quàm eodem in corpore gemina capita. In eiſdem aluearibus duo ſe reges pariter non ferunt. In armentis taurus tauro cedere cogitur: In iiſdem luſtris non conuenit duobus inter ſe leonibus: & tyrannus, quo nullum animal eſt efferacius, parem in eadem vrbe patietur? Non vides neceſſario fieri, vt è duobus aut alter alterum oppugnet, aut alter alteri cedat? Quale modò iſtud tauri in ſuum gregem ſit *Lib. 2 de venat.* imperium, ſic canit Oppianus interprete Lippo:

Imperat armenti rex vnus fortis & audax;
Omnibus ex æquo bubus, teneriſq; iuuencis.
Namque armenta tremunt, regis dum excanduit ira,
Vt cum terribili mugitu perſonat auras,
Formidet proprium formoſa iuuenca maritum.

Hunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Hunc suum imperatorem non formidine pœnæ, vt fit in ijs locis, vbi tyrannis imperitat, sed naturali quodam amore prosequũtur, etiam annosum, adeoque viribus iam deficientem, attamen tanquam de toto grege optimè meritum, id quod ex cicatricibus, & detruncatis cornibus agnoscunt, adhuc venerantur, sicuti Statius sub Adrasti iam senio confecti persona docet:

Ipse annis sceptrisq; subit venerabilis æquè
Vt possessa diu taurus, meat arduus inter
Pascua, iam laßa ceruice, & inanibus armis;
Dux tamen, haud illum bello attentare iuuencis
Sunt animi. Nam trunca vident de vulnere multo
Cornua, & ingentes plagarum in pectore nodos.

Estque huic pecori insitus à natura mutuus inter se, ac reciprocus quidam amor, de quo sic Diuus Augustinus, totus vt vides, in extollendo istiusmodi affectu: *Bos bouem requirit, seque non totum putat, & frequenti mugitu pium testatur affectum, si fortè defecerit, cum quo ducere collo aratra consueuit. Et ego te frater non requiram? Aut possim vnquam obliuisci tui, cum quo vitæ huius* B *semper aratra sustinui? labore inferior fui, sed amore coniunctior, non tam mea virtute habilis, quam tua patientia tolerabilis qui pio semper sollicitus affectu latus meum, tuo latere sepiebas: charitate, vt frater; cura, vt pater; sollicitudine, vt senior, reuerentia, vt iunior.* De eadem mugitus frequentia, quo vel amissas, vel ereptas prosequuntur, mentio quoq; extat apud Liuium, de bobus, nisi me fallit memoria, Herculis loquentem, quos Cacus suffuratus erat, & in spelunca abdiderat; *Inde* (inquit) *cùm actæ boues quædam, ad desiderium (vt fit) relictarum mugissent.* Sic & Virgilius proditum fuisse Caci furtum cecinit:

Amor mutuus.

Lib. 1. Mugitu amorem testantur.

Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea cum iam stabulis saturata moueret
Amphitryonides armenta, abitumq; pararet:
Discessu mugire boues atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui,
Aedidit vna boum vocem, vastoque sub antro
Mugyt, & Caci spem custodita fefellit.

C Eundem etiam amorem attestantur, cum lingua etsi asperiuscula lambendo demulcentes, inuicem quodammodo exosculantur, seu potius, vt Oppianus testatur, vt se mutuo solentur pruritu: Hic enim docturus, quo modo vrsa suos catulos lambendo perficiat, ita scribit vertente Lippo.

Inuicem lambunt. Lib. 3. de Venat.

Tum lingua partus effingit, non secus atque
Mutua lambendo fingunt formosa iuuencæ
Corpora, cornigerique boues, quibus aspera lingua
Titillat, mulcetq; cutim, nec lambere cessant:
Tantisper gaudent pruritu membra suaui,
Oblectantque animos pastorum terga sequentum.
Sic catulos fingit, &c.

Celeberrimus verò amor est maternus, vaccarum (inquam) erga suum fœtum: Celebrat cum idem Oppianus:

Amor matris erga fœtus. Lib. 1.

D

Οἷον δ' ἑλκομένας περὶ πόρτιας ἀχλάωσι
Μητέρες, οὐκ ἀπάτερθε γυναικείων στενάχουσι
Κωκυτῶν, αὐτὰς δὲ συναλγύνουσι νομῆας.

Vertit Lippus:

Arrepta vitula genetrix tristatur, & atros
Ingeminat luctus, passim furiata per agros
Fœmineos fundit fletus clamore tremendo.

Lucretius venustissimè quoque matris ob ereptum fœtum, luctum ploratumque depinxit his versibus:

Lib. 2.

Nam sæpè ante deum vitulus delubra decora
Thuricremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen.
At mater virides saltus orbata peragrans
Linquit humi pedibus vestigia preßa bisulcis:
Omnia conuisens oculis loca si queat vsquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Conſpicere amiſſum fœtum, completque querelis
Frondiferum nemus aſſiſtens, & crebra reuiſit
Ad ſtabulum, deſiderio perfixa iuuenci.
Nec teneræ ſalices, atque herbæ rore vigentes
Fluminaq; vlla queunt ſummis labentia ripis
Oblectare animum, ſubitamq; auertere curam.
Nec vitulorum aliæ ſpecies per pabula læta
Deriuare queunt animum, curaque leuare:
Vſque adeo quiddam proprium, notumq; requirit. E

Metam. 2. Apollinis luctus ob occiſam amaſiã. Apollinis ob occiſam, quam deperibat, Coronidem, luctum, iſtiuſmodi vaccæ aſſimilans Ouidius, qualis quantuſque eſſe queat, ſignificat:

Quæ poſtquam fruſtra temprata, rogumque parari
Vidit, & arſuros ſupremis ignibus artus:
Tum verò gemitus (neque enim cœleſtia tingi
Ora licet lachrymis,) alto de corde petitos F
Edidit; haud aliter, quam cùm ſpectante iuuenca
Lactentis vituli dextra libratus ab aure
Tempora diſcuſſit claro caua malleus ictu.

Lib. 4. Faſt. Similem etiam ploratum Cereris fuiſſe ait ob ereptam à Plutone Proſerpinam, vbique terrarum inueſtigantis:

Vt vitulo mugit ſua mater ab vbere rapto
Et quærit fœtus per nemus omne ſuos.
Sic dea non retinet gemitus, & concita curſu
Fertur, & è campis incipit Enna tuis.

Claudianus, vt eſt in omni re figuranda facillimus, quàm cara matri Proſerpina filia eſſet, ſic expreſſit:

Hanc fouet, hanc ſequitur: Vitulam non blandius ambit
Torua parens: pedibus quæ nondum proterit arua,
Nec noua lunatæ curuauit germina frontis. G

Deidamia vaccæ ſimilata. Deidamia mater Pyrrhi, à Q. Calabro ſimiliter vaccæ, quæ ſuum fœtum tam blandè veſtigat, aſſimilatur. Hæc (inquit) intellecta filij ſui morte, ſubitò latis circumfuſa pectoribus, magno ſublato clamore, perinde ac vacca in montibus magnum tollit mugitum, iuuencam ſuam quærens in vallibus; reſonant autem circumcirca longa ardui montis iuga: ſic eius ploratu miſcebantur vltimi altæ aulæ receſſus. In ſacris literis pro re ſupernaturali, admirandaque, miraculoue refertur, quòd vaccæ trahentes plauſtrum cum arca domini, cùm exaudirent mugitus vitulorum ſuorum, redderent quidem & ipſæ mugitum, qui erat ſignum naturalis affectus, tamen ſe ab incœpto itinere non deflecterent. Ex quo miraculo calamitates ſibi ob ereptam arcam imminentes diuinarunt Palæſtini. *Mater pro fœtu pugnat.* Cæterùm non demonſtrat ſolummodo ſtorgen illam plorando, & quærendo mater, verùm etiam quando eripere volentibus fœtum feris ſeſe viriliter opponit, ac eum tuetur, vt teſtatur Statius Pheretis & Lyci conflictum deſcribens: *Lib. 9. Theb.*

Inde Pheres, acerq; Lycus, ſed caſſa Pheretis
Haſta redit. Lycus excelſo terrore comantem H
Perſtrinxit galeam, conuulſæ cuſpide longè
Diffugere iubæ, patuitque ingloria caſſis,
Ipſe nec ire retrò, nec in obuia concitus arma
Exilit, inque eadem ſeſe veſtigia ſemper
Obuerſus cunctis profert, recipitque, nec vnquam
Longius indulget dextræ, motuſque per omnes
Corpus amat, corpus ſeruans, circumque ſupraque
Vertitur, imbellem non ſic amplexa iuuencum
Infeſtante Lupo, cùm primum fœta tuetur
Mater, & ancipiti circum fert cornua gyro.
Ipſa nihil metuens, ſexuſq; oblita minoris
Spumat, & ingentes imitatur fœmina tauros.

Iliad. P. Menelaus vaccæ aſſimilatus. Inducitur & Menelaus ab Homero, acriter depugnans pro Patrocli morte, ceu vacca pro occiſo fœtu, Summo autem cum iudicio vaccæ cum aſſimilat, quem nimirum ſatis imbellem ferè vbique deſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A describit, cæterùm pro suis se & libenter, & alacriter, nulli non periculo obijcientem:

Βῆ δὲ διὰ προμάχων κεκορυθμένος αἴθοπι χαλκῷ,
Ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖν' περὶ πόρτακι μήτηρ
Πρωτοτόκος, κινυρὴ, οὐ πρὶν εἰδυῖα τόκοιο.
Ὥς περὶ Πατρόκλῳ βαῖνε ξανθὸς Μενέλαος
Πρόσθε δέ οἱ δόρυ τ' ἔσχε καὶ ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην,
Τὸν κτάμεναι μεμαὼς ὅστις τοῦ γ' ἀντίος ἔλθοι. idest,

Iuit autem per primos pugnatores armatus fulgenti ære:
Circa autem ipsum iuit, sicut aliqua circa vitulum mater,
Primò enixa, querula, non ante experta partum:
Ita circa Patroclum iuit flauus Menelaus:
Ante autem se hastilia tenebat, & scutum vndiq; æquale,
Eum interficere paratus, quicunque sibi obuius veniret.

Celeberrimus itaque & à multis decantatus vaccarum erga suos vitulos amor est; non minor mo-B dò etiam est vitulorum erga suas matres: quem tamen tunc temporis præcipuè produnt, cùm illæ diutiùs quàm maternus affectus patitur, absint, ac mox hilares ad carissimos natos redeunt. Habes hinc etiam comparationem ex eodem poeta naturæ animantium consultissimo, de Vlysse, ad socios suos reduce, qui eum cum cæteris socijs interijsse crediderant, nunc verò eo conspecto tanta afficiuntur lætitia, vt à lachrymis sese temperare nequeant:

Vitulorum amor erga suam matrē.

Εὗρον ἔπειτ' ἐπὶ νηὶ θοῇ ἐρίηρας ἑταίρους
Οἴκτρ' ὀλοφυρομένους, θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντας.
Ὡς δ' ὅταν ἄγραυλοι πόρτιες περὶ βοῦς ἀγελαίας
Ἐλθούσας ἐς κόπρον, ἐπὴν βοτάνης κορέσωνται,
Πᾶσαι ἅμα σκαίρουσιν ἐναντίαι. οὐδ' ἔτι σηκοὶ
Ἴσχουσ', ἀλλ' ἀδινὸν μυκώμεναι ἀμφιθέουσι
Μητέρας. ὣς ἐμὲ κεῖνοι ἐπεὶ ἴδον ὀφθαλμοῖσι,
C Δακρυόεντες ἔχυντο. idest:

Inueni deinde iuxta nauem celerem dilectos socios,
Miserabiliter lugentes, vberes lachrymas profundentes.
Vt cùm in agro degentes buculæ circa vaccas armentarias
Venientes ad mandram: postquam herba saturæ sunt,
Omnes simul ludunt oppositæ, neque ipsa stabula
Detinent, sed indesinenter mugientes circumcurrunt
Matres: sic me illi postquam viderunt oculis,
Lachrymantes circumdabant.

Calaber verò etiam eundem amorem, imo potius dolorem & in matre & in fœtu significanter indicauit, sub Polyxenæ Hecubæ matri ereptæ, & pro hostia ad Achillis tumulum pertractæ persona. Sic fati, inquit, circa Achillis tumulũ sedulo officio distringebãtur: illam autem abduxerunt, vt pastores iuuencam in densis virgultis matri à bubulcis ereptam in hostiam: hæc verò magno reboans mugitu animi cruciatu afficitur plorans: sic tum Priami filia, circumquaque omnia vlulatu miscebat inter hostium manus diffluentibus vbertim lachrymis: vt quando oliuæ fructui nondum hybernis irrorationibus nigrore ducto fœda tempestate magna vis olei excutitur, tum circumstri-D dent longa vela funibus à iuuenibus intensa: sic ærumnosi Priami filiæ ad duri Achillis tumulum tractæ, cum gemitu miserè per genas diffluebant lachrymæ, & illi gremium impleuerunt, & cutis verè ebori similis rigabatur, ac tum aliud peius miseræ Hecubæ inuasit animum, quod priorem cumularet luctum: nam illi ob oculos posuit miserum, & triste insomnium, quod per quietem superiori nocte oblatum erat, certè existimabat se ad Achillis tumulum stare plorantem, & comæ ad solum vsque a capite diffluebant, & vtrisque vberibus purpureus dimanauit sanguis, quo tumulus inundaretur: moxque plorans admodum vociferabatur ob filiam, me miseram, quid vel primum, vel nouissimum querar animi vulnere conscissa ac multis referta malis &c. Sicuti modò istiusmodi, quam diximus, tauri erga suum gregem, vaccæ erga vitulum, & vituli erga matrem pietas laudi omninò vertenda est, ita contra famosa est omnium voracitas, eoq; magis, quia ferociores minus validos à papulo arcent, melioremq; ac herbosiorem prati partem sibi occupant. In pascendo maxima est auiditas, & inexplebilis voluntas, mirumque est, quantum vna mensa absumant, propter immensam ventris capacitatem, qualem Epicureis ad vitam eam ferinam deesse propterea dicebat Plutarchus, in volumine aduersus Colotem. Ad hanc voracitatem referendum illud Virgilij:

Hecubæ dolor.

Voracitas bubula.

Egl. 8.

Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite iuuenci:

Addit enim, *ſi quis pudor*, cùm ſit inuerecundi plurimo ſe ingurgitare cibo. Quantoperè verò ani-
Egl. 8. mus horum animantium in paſcendo ſit intentus, eleganti innuit metaphora, dum muſam Damo-
nis & Alpheſibœi paſtorum tanta ait harmonia dulcedineque plenam fuiſſe, vt bubulum pecus pa-
buli immemor, aures cantui præbens, à paſcendo abſtineret.

Paſtorum muſam Damonis & Alpheſibœi,
Immemor herbarum quos eſt mirata iuuenca
Certantes, quorum ſtupefactæ carmine lynces
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.

Niſi velimus poetam indicare muſicæ ſtudioſum eſſe hoc animal, quod nimirum audito ſono aui-
dius eſcam ſumere, atque compreſsius paſci in herbis Paulus Diaconus tradit: nec non etiam Pli-
nius. Et Olaus Magnus apud Septentrionales, vrſos, delphinos, ceruos, oues, vitulos, imo & agnos
Lib. 5. c. 37. delectari muſicis melodijs ait. Eſt & eiuſdem edacitatis mẽtio apud Hieremiam prophetam, *Quo-*
Cap. 50. *niam exultatis & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam: quoniam effuſi eſtis ſicut vituli ſu-*
per herbam & mugiſtis ſicut tauri. Vulgò etiam famoſa eſt boum indoles, & etiam Galli hominem F
imperitum & ſtupidum vernaculo adagio vn grand vaeu, ideſt magnam vaccam nominant, & nos
quoque boazzo, quaſi magnum bouem, & eodem ſenſu nonnulli βουγαϊον interpretantur apud Ho-
merum, & βουάγριος, idem qui ſtupidus aut ſtultus. Cur autem talis eorum ſit natura, Plinius ſan-
Stupiditas vnde. guinis potius, quam corij craſsitiem in cauſa eſſe innuit, his verbis: *Sunt qui ſubtilitatem animi con-*
ſtare non tenuitate ſanguinis putent, ſed cute, operimentiſque corporum magis aut minus bruta eſſe, vt
Lib. 11. c. 39. *oſtrea & teſtudines: boum tergora, ſetas ſuum obſtare tenuitati immeantis ſpiritus, nec purum liqui-*
dumq; tranſmitti: ſic & in homine cùm craſsior calloſiorue excludat cutis; ceu verò non crocodilis & du-
ritia tergoris tribuatur & ſolertia. Hippopotami corij craſsitudo talis, vt indè tornentur haſtæ, & tamẽ
quædam ingenio medica diligentia. Elephantorum quoque tergora impenetrabiles cetras habent, cùm
tamen omnium quadrupedum ſubtilitas animi perhibeatur illis. Ergo cutis ipſa ſenſu caret, maximè
in capite. Hæc itaque Plinius, quibus ſanè non probat illorum ſententiam, qui corij craſsitiei inge-
nij tarditatem aſcribebant. Sanguinem autem tauri craſsiſsimum & quam maximè fibroſum eſſe
Taurus cur boue ſtupidior. diximus; bouis ergò etiam craſſus vt ſit, neceſſe eſt, taurino tamen tenuior eſt: iam verò taurus boue
ſtupidior, quod equidẽ vnquam obſeruaui, non eſt: bos autem, cùm ob hoc tum quia exectus, mori- G
bus eſt placidioribus: Ariſtoteles certe boues ſcribit ingenio eſſe miti, remiſſas & minimè peruica-
Mãſuetudo. ces. Tamque placidum animal eſt, vt ex porrigentis manu oblatum blandè admodum cibum ca-
Mahumetis aſtus. piat. Hinc Mahumetis pſeudoprophetæ ſceleratiſsimi illa fallacia, qua Arabum animos ſibi conci-
liauit. Vt enim ſe prophetam ad eorum ſalutem diuinitus miſſum, ſicuti profitebatur, veluti pro-
digijs quibuſdam atteſtaretur, populo aſsignata die conuocato ad certum locum, quaſi legem di-
uinitus miſſam, in ſignis ac prodigijs accepturo, columba quę in vicino erat, ad hoc ipſum fallaciter
edocta, ſuper humerum eius ſermocinantis aduolans ſtetit, & in eius aure iuxtà morem grana inibi
repoſita comedens, quaſi verba legis ei ſuggerere ſimulauit; & taurus ſimiliter ad hoc ipſum cõſue-
tudine quadam edoctus, vt de manu eius pabulum acciperet, ad vocem eius coram populo venit,
Lib. de fal. Mahu. doctrina. & quaſi legis noua mandata cęlitus miſſa, quæ ipſe cornibus eius alligauerat, detulit, vt Antonius
Geuræus tradit interprete Gulielmo Godelæuo. Plutarchus in eo volumine, in quo diſputat, terre-
ſtrianè an aquatilia plus ſapiant, è natura ait bouis eſſe, cùm ex feritate ad manſuetudinem tra-
Ad parendũ facilitas. ductus eſt, vt ad parendum facilis ſit. Equidem ſolis plerumque bubulci adhortationibus duriſsi-
In Aiace. mos tolerat labores, vel ſaltem ſtimuli motu, vel leui incitatus ſcutica, vt Sophocles ait interprete H
Georgio Ratellero.

Non enim his qui corporis
Sunt mole vaſta atq; ſpatioſis præditi
Humeris, oportet maxime niti viris,
Verum magis prudentia qui præualet
Vbique dominantur; ita vaſto corpore
Bos ſemitam in rectam leui compellitur
Flagello,

Docilitas. Non ſolùm verò manſuefacti faciles ſunt ad parendum, ſed & docile acquirunt ingenium, id quod
non ſolùm in arando oſtendunt, ſed in trahendis potius plauſtris. Ipſi enim nullo ſæpe duce viam
In Geopon. norunt, domumque reuertuntur. Florentinus author eſt, agnoſcere vocem bubulci, iuſſiſq; armen-
tarij aut præfecti parere & obſecundare. Campos ſteriles fœcundis diſtinguere norunt: hos enim
arare, ſteriles nolle Martialis innuit, quaſi ex iſtiuſmodi labore nullum expectent fructum, etſi la-
bor quàm in illis longè ſit remiſſior;

In ſte-

A *In ſteriles campos nolunt iuga ferre iuuenci,*
Pingue ſolum laſſat, ſed iuuat ipſe labor.

Mirum verò in primis eſt, quod ex Cteſia Cnidio Plutarchus, & Aelianus de Suſianis bobus memoriæ prodiderunt. *De ſolert. animal.* Suſis (inquit ille) boues ſnut, quæ regium ibi hortum rigant portatilibus hauſtris, quorum numerus eſt definitus, & quæuis bos quotidie centum id genus vaſa aquæ plena eò portat; plura vt portet, nulla ratione, ne vi quidem vlla efficies. *Memoria.* Nam ſæpe quidem tentatum eſt, ſed bos, vbi conſtitutum numerum abſoluit, ſubſiſtit, neque amplius progreditur: ita accuratè ſummam concipit, & in memoria conſeruat. Ille verò: Suſidas boues (inquit) numerandi ſcientiam tenere Cteſias ſcribit. Nam Suſis regi ſingulæ quotidie centum cados in hortos ſicciores & minus riguos hauriunt: quem quidem laborem, ſiue quòd ſit eis certus & conſtitutus, ſiue etiam quia diù multumque in eo ſe exercuerint, promptiſſimè obeunt. Nullam enim earum ad opus remolleſcere videres. Ad alterum verò ſupra quàm diximus, cadum exhauriendum nec verberibus nec blanditijs inducere poſſis. Memoria itaq; in eis minimè fluxa ac labilis eſt. Id quod ijdem rurſus ſcriptores etiam innuunt. Nam Plutarchus eodem volumine in theatris mirabiles addiſcere mores aſ- B ſerit; Aelianus verò profitetur boues inſtitutos ſeſe in theatris inclinare & erigere, & motus vel homini ipſi difficiles ſaltare: Idem tradit ad feretrum portandum, ſub iugum miſſum quietum manere, ſiue velis illos erecto capite quieſcere, ſiue ad terram inclinato abijci, tum in ceruice & dorſo puerum puellamuè geſtari pati: equidem & vidiſſe ſe, qui ſupra nihil ſe commouentes tauros ſaltarent. Habent item illatæ iniuriæ memoriam, vt idem Aelianus teſtatur, bouem licet manſuetum inquiens, non facilè tamen illius qui ſibi ſtimulos admouet, obliuionem capere: at iniuriam animo ac memoria vel longiſſimo interuallo continere, pœnas pro maleficio ſibi illato ſumere. *Lib.4.c.35. Iniuriæ memoria.* Nam cùm eſt ſub iugum (inquit) miſſus, loriſq; conſtrictus, quodammodo ſimilis eſt homini in vincula coniecto, & ſe quidem trahi, quo impellitur, acquieſcit. Vt verò ſolutus eſt, aliàs ad bubulcum verſus pedem ſuum laxans, aliquod illius membrum contriuit; aliàs ſæpe in cornua incitatus, incurſu illum interfecit: cùm tamen in cæteros ſubito manſuetus exiſtat, ac quietus in ſtabulum ingrediatur, neque enim ferus in eos exiſtit, qui iram ſibi non mouent. In Cypro ſibipſis medicos eſſe boues, ſuprà oſtenſum eſt, contra nimirum tormina, humanis ſibi mederi excremẽtis. *Vbi ſibi ipſis medici.* Nam aliàs tetros odores non perferunt, imo ne proprij quidem excrementi, ſi Aeliano credimus. *Tetros odores oderunt. Lib.4.c.25.* Scribit namque boum, C ne in area ad trituram accommodata ſpicas interim edant, dum proculcant, nares bubulo fimo illini: hacq; aſtuta machinatione perfici, ab illarum vt ſeſe eſu abſtineant: atque hoc nimirum animal ab huiuſmodi tetri odoris aſperſione deterritum, nihil, ne ſi fame quidem acerrima premeretur, vnquam edere. *Auditus.* Valere auditu præ cæteris animantibus creditur, vnà cum ceruo, quamuis Ariſtophanis Scholiaſtes, vt in Aſini hiſtoria annotauimus, murem & aſinum præferant: ſuperari vero à tauro ceruum, quandoquidem ceruus, etſi acerrimi ſit auditus, tantiſper tamen eo excellere, quàm diu arrectas auriculas tenet, at vbi eas dimiſerit, non ſolùm non præſtare auditu, verùm etiam laborare ſurditate; in tauro autem aures ad audiendum promptas eſſe, ac præſertim eo tempore, quo fœmina pruritu exagitata mugierit, audit enim eius vocem quantumlibet per triginta ſtadia abfuerit, vt Aelianus teſtatur. *Lib.10.c.27. Taurus cur Mithridatis cuſtos.* Quærendum ergò nunquid Mithridates Ponti rex hanc ob cauſam ceruum, & taurum vitæ ſuæ cuſtodes adhibuerit, quamuis accedentem ex ſola ipſius reſpiratione agnouiſſe idem Aelianus dicat. Mithridates Ponticus (inquit) cùm ſomnum caperet, ſui corporis cuſtodiam non modò armis & ſatellitibus excubitoribus committebat; ſed & tauro & equo & ceruo, quos mãſuefactos habebat. Ij enim ad cuſtodiam eius dormientis aduigilantes, ſi quis accederet, illius ſen- D ſum ex ipſa reſpiratione, quàm mox percipiebant, atque ille mugitu, alter hinnitu, alius ſua propria voce, eum à ſomno excitabant. Ne quis verò inſomnes eſſe boues exiſtimet; non ſolùm enim dormiunt, ſed ſomniant etiam, vel Ariſtotele etiam teſte, quemadmodum genus omne quadrupedum, quod animal parit. *4.Hiſt.c.10. Dormiunt, & ſomniãt.* Idem ait vaccas purgari menſtruis, menſura quidem amplius quàm oues, & capras; proportione verò multo minus, minus item quàm equas: purgari autem cùm coitum affectat, quantum heminę dimidium, aut paulò plus: eſſeq; tunc potiſſimum coeundi tempus cùm purgatur. *Menſtrua purgatio.* Ait item eaſdem acriorem quàm tauros vrinam reddere: reddere etiam tenuiorem, cum gerit in vtero, idq; cùm cæteris animantibus commune habere, tunc autem temporis tenuiorem eſſe, quia aliàs cum ea ſanguis menſtruus expurgetur. *Vrina vaccarum.* Bibere more equorum, aliorumq; omnium quorum dentes continui ſunt, nimirum ſorbendo; quo modo Ichthyophagos quoque bibere Strabo teſtatur. *Vt bibunt. Lib.16.* In edendi more à capris & ouibus diſcrepat: hæ enim ſumitates tantum herbarum depaſcuntur, ita vt multum de ipſis remaneat: bos verò ad radices vſque eas depopulatur. *Vt edant.* Hinc elegans illa comparatio Balac regis Maobitarum: *Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Iſrael Amorrhæo, & quod pertimuiſſent eum Maobitæ & impetum eius ferre non poſſent, dixit ad maiores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos her-* *Num. 22.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

An patientes caloris & frigoris.

bas ad radices carpere. Calorisnè an frigoris patientiores ſint, non facilè dixerim. Columella quidem omnis extremi frigoris tolerantiorem equino armento vaccam eſſe ait, ideoq; facilè ſub dio hybernare. Aliàs verò inquit: Tolerat frigus hoc armenti genus, & poteſt facilè hybernare ſub dio: prouidendum verò quo ſe recipiunt, frigidus locus ne ſit: algor enim eas & fames macreſcere cogit. Et Heſiodus Ianuarium menſem bobus inimicum eſſe cecinit in eo volumine, quod opera & dies inſcribitur: E

Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται. ποιεῖσθε καλίας.
Μῆνα δὲ λιυναιῶνα κακ' ἤματα, βούδορα πάντα,
Τοῦτον ἀλεύασθαι, ideſt,
Non ſemper æſtas erit, facite nidos.
Menſem verò Ianuarium, malos dies, bobus nocentes omnes,
Hunc vitate.

LIBIDO. COITVS. PARTVS. F

QVANTA tauri ſit in Venerem rabies, ſatis quodammodo indicatum eſt, cùm de atrociſſimo quod pro amata ſuſcipiunt iuuenca certamine ageremus. Ariſtoteles author eſt, coitus tantùm tempore cum fæminis paſci, cæteroſq; oppugnare mares: cæteris verò temporibus mares inter ſe conuerſari, idque coarmentari appellari. Huc ſpectat illud Ouidij in Faſtis:

Depoſita ſequitur taurus feritate iuuencam:
Quem toti ſaltus, quem nemus omne tremit.

Negat Plinius taurum ſæpius quàm bis die inire: ſed hoc quidem verum erit, ſi iam de annoſiore accipiamus. Seniores enim (vt inquit Ariſtoteles,) nec ſæpius quidem fœminam eandem, eodem quidem ſuperueniunt die, niſi ex interuallo: at iuniores & eandem ſæpius cogunt, & pluries petunt, ac ſuperueniunt, vigore ſuæ ætatis. Quò ſpectat hoc Horatij in anum libidinoſam.

Pereat malè quæ te
Lesbia quærenti taurum monſtrauit inertem. G

Penis tentigo,

Quamuis taurum hic pro ipſo libidinis inſtrumento quidam etiam accipiant, vt aliàs oſtendimus. Tanto ardore genitalem neruum contendit ad vaccam adiunctus, vt ſine motu ſemen emittat, & ſi à muliebri genitali neruus in aliam corporis partem aberrauerit, vaccam rigidiſſima intẽtione vulneret, vt teſtatur Orus Apollo. Vſq; adeò verò illi ſemen promptuarium eſt, vt exectũ vaccam impleuiſſe Ariſtoteles tradat: quem locum quodammodo commentans Scaliger: non mirum (inquit) ſi taurus Ariſtotelicus exectus, impleuit vaccam. Potuit enim ſemen in vaſis vltimis viuificum continere: quanquam haud ſcio, cuinam omnium animantium, ſi ei partes illæ abſcindantur, aut eximantur, tanto in dolore poſſit excitari Veneris appetitus. Cauſam tantæ libidinis Philoſophi ſtatuunt, abundantiam atque exuperantiam caloris. Collumellæ iudicio vnus mas quindecim vaccis abundè ſufficit. Sed Varro multò plures tribuit, inquiens habere ſe tauros totidem, quot Atticus, ad matrices ſeptuaginta, duos, vnum anniculum, alterum bimum. Hoc ſecundum aſtri exortum ſe facere, quod Græci vocant Lyram, fidem Latini: tum denique tauros in gregem redigere. Si deſit quam amet, marceſcit. Teſtis eſt Seneca. *Taurus armento pereunte marcet.* Virgilius idem indicat: H

Exerc. 246.

Cur libidinoſus.

In Oedipo.

Egl. 3.

Eheu quàm pingui macer eſt mihi taurus in aruo,
Idem amor exitium eſt pecori, pecoriſque magiſtro.

Ouidius de Polyphemo & Galatea;

Nec tu Galatea moueris.
Talia nequicquam queſtus, (nam cuncta videbam)
Surgit, & vt taurus vacca furibundus adempta,
Stare nequit, ſyluaque & notis ſaltibus errat:

2. de remed. amor.

Idem aliàs rurſus:

Non facile eſt taurum viſa retinere iuuenca,
Fortis equus celeri ſemper adhinnit equæ.

2. de Arte.

Et rurſus:

Læta ſalitur ouis, tauro quoq; læta iuuenca eſt.

Cur à vaccis ſeparentur.

Ne itaq; in perpetua verſentur libidine, amoreuè, à vaccarum armento ſeparari debent, & ex oculis earum eripi, quoniam continuus aſpectus ad libidinem incitat, vt Virgilius ait;

Georg 3.

Sed non vlla magis vires induſtria firmat,

Quàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Quàm Venerem & cæci stimulos auertere amoris*
Siue boum, siue est cui gratior vsus equorum:
Atque ideo tauros procul, atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum, & trans flumina lata,
Aut intus clausos satura ad præsepia seruant
Carpit enim vires paulatim, vritq; videndo
Fœmina, nec nemorum patitur meminisse nec herbæ.

Quæ sanè ratio, sic ad firmandos tauros valet, vt procul absint à vaccis, quarum, vt dictum est, aspectu Venereis concitantur stimulis, nec viribus validis possunt augeri, eadem ad hominum mentes, eorum puta, qui taurorum more, in Venerem proni sunt, sanandas, perutilis reperitur: nimirum, vt se longiùs remoueant, ne videri queant, quarum aspectu saucientur, & inde amoribus earum dies noctesq; sollicitentur. Cuius præcepti magistrum, vel consilij ducem habemus Propertium, cuius *Lib. 3.* versiculos memoria dignissimos accipe:

B *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas*
Vt me longa graui soluat amore via.
Crescit enim assiduò spectando cura puellæ,
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Omnino quid tam in genere quoq; nostro, idest, humano, verum est, quàm fœminam vrere, dum videtur? *Aspectus cõtinui noxa.* præsertim si quàm eximia pulchritudo tacitè commendauerit. Tales fœminæ oculis dolores inurunt, de quibus Alexander Magnus. Cum enim (author Plutarchus) post Persas subactos intueretur captiuas, & forma & magnitudine corporis excellentes, inquit: ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ περσίδες: Democritus, vt scriptum inueni apud Tertullianum, excæcando semetipsum, quod *Apoleg. c. 45* mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, & doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. Retulit hoc ex Plutarcho opinor, libello de curiositate. Huc refer illud eiusdem poetæ: *Egl. 8.*

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error.

Plotinus ἔρωτα ἀπό τῆς ὁράσεως ab aspectu seu visu deductum putat: siquidem plerumque amor ab C aspectu nascitur; quod item confirmat Græcorum perœmia, ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν. Idipsum ait etiam Propertius.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Et multò explicatiùs: *Lib. 1. Eleg. 1.*

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis
Contactum nullis antè Cupidinibus,
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit amor pedibus.

Sed reuertor ad tauros, quorum etsi tam effrenis sit in Venerem concitatio, à conceptu tamen ipsius vaccæ, modesti, castique nihil vlterius tentant, vt Orus testatum reliquit, cuius rei tamen causam in vacca à multis poni Pierius ait, quæ videlicet taurum propter rigorem illum genitalis, nimiamque tentiginem, veluti cerua etiam, necnon testudines faciunt, rarò patiatur: vnde dixerit Horatius de fugitiua puella: *Taurus à grauida abstinet.*

Nondum subacta ferre iugum potest
D *Ceruice, nondum munia comparis*
Aequare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus
Circa virentes est animus tuæ
Campos iuuencæ, nunc fluuijs grauem
Solantis æstum, nunc in vdo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis: tolle Cupidinem
Immitis vuæ &c.

Sed enim spectandum hoc exemplum continentiæ (inquit Pierius) habere causam in tauro manifestum est ex eo, quod is sponte à conceptu, diuortio quasi facto secubat, ac vt in Epiro maximè videre est, trium plerumque mensium spatio non apparet, sed errabundus, vt apud Virgilium est, *Continentiæ exemplum.*

Latus niueum molli fultus hyacintho
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas.

Et vt ait Aristoteles, ἀτιμαγελεῖ, hoc est, seorsum à vaccarum consortio, grege, conuictuque pascitur: atque ita fortassis intelligendus Theocritus, dum inquit, ἔβα καὶ ταῦρος ἀν᾽ ὕλαν, idest, *in syl-*

uam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

uam abſceſſit taurus. Haud minus modò famoſa eſt vaccarum ſalacitas, & in Venerem concitatio. E

6. Hiſt. 18. *Vaccarũ libido.* Teſtatur Ariſtoteles, libidine adeò accendi, vt bubulci eas tenere, & capere nequeant: inditiumque ſuæ libidinis indicare genitalis ſpecie prominentiore. Crebriùs mingere, more equarũ. Tauros etiam ſuperuenire, & ſequi ſedulò, & aſſiſtere. Turgere ad coitum prius minores, quam maiores. *Egl. 8.* Addit Virgilius, cùm vritur, taurum anxiè inueſtigare; Canit autem:

Talis amor Daphnem, qualis cùm feſſa iuuencum
Per nemora, atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ riuum, viridi procumbit in vlua
Perdita, nec ſeræ meminit decedere nocti,
Talis amor teneat, nec ſit mihi cura mederi.

Sic Q. Calaber de Aenone mortem ſibi illatura: Vt quando per montes iuuencam tauri amore captam animus extimulat; vt celeribus pedibus impetuoſe feratur: hæc igitur amore æſtuans non metuit paſtorem, nam fertur impetu nemini reſtringendo, ſi alicubi in virgultis conſuetum taurum conſpexerit: ſic illa impetu abrepta longum confecit iter, &c. *Lib. 1. de arte.* Addit Ouidius coram tauro exultare, amoriſque ſui ceu lætitia quadam indicium præſtare, agens de Paſiphae tauri amore pereunte; F

Ah quoties vultu vaccam ſpectauit iniquo,
Et dixit; domino, cur placet iſta meo?
Aſpice vt ante ipſum, teneris exultat in herbis,
Nec dubito, quin ſe ſtulta placere putet.

Aelianus addit, cùm appetit coitum (appetere autem non diutius quàm tres horas) tum quàm maximum mugitum edere: *Quando coitum appetit.* quaſi nimirum eo inuitet marem ad coitum. Idem alicubi tradit, in Aegypti vico qui Schuſſa nuncupetur, non magno quidem, ſed certè eleganti, Venerem religioſè & ſanctiſſimè coli, *Venus Vrania.* Vraniæ nomine: atq; vaccam etiam ideo venerari, quia affinitatem & conuenientiam cum ipſa dea habere exiſtimetur. Etenim huiuſmodi beſtia (inquit) tantopere ad Venerem incitata eſt, vt cùm maris mugitum audit, ad coitum vehementiſſimè exardeſcat: atque adeò, vt harum rerum experientes confirmant, taurum à triginta ſtadijs ipſo mugitu amatoriam ſignificationem, quaſi teſſeram Veneris dantem, exaudiat. *Qua ætate coire incipiant.* Cæterùm omnia iſthæc tolerari in matura ætate iſtius beſtiæ poſſint: at Ariſtoteles author eſt iuuenculam aliquando anniculam peperiſſe, vt educari, augerique, quantum genus exigeret, licuerit: recentiorem verò quàm anniculam non pati Venerem, niſi oſtento. G Iam enim vel quarto ætatis menſe coiſſe, perſpectum eſſe. *Mulieres quæ vaccæ dicantur.* Ex hac vaccæ in Venerem concitatione fluxit, vt libidinoſiores mulieres, iuuencas aut vaccas olim dicerent. Sic Helenam Oenoe in epiſtola ad Paridem apud Ouidium iuuencam appellat, inquiens:

Graia iuuenca venit, quæ te patriamque domumq;
Perdat, Io prohibe, Graia iuuenca venit

Nec aliam ob cauſam Io & Prœtides in vaccas conuerſæ ſcribuntur, niſi quia factæ ſunt impudicæ; *Lib. 1. de arte.* De Io ſic idem poeta:

Nec fuga lanigeræ Memphitica templa iuuencæ,
Multas ipſa facit, quod fuit illa Ioui.

ideſt, multas mulieres facit vaccas, ſiue impudicas, ſicuti ipſa fuit, cùm ſui copiam Ioui faceret. *Luctus tempus apud Romanos.* Atque hinc puto etiam fluxit mos ille Romanorum antiquiſſimus, & à Numa inſtitutus, vt Plutarchus author, vt ſi quæ mulier intra decimum menſem (longiſſimum enim luctus tempus decimo menſe fuit terminatum, ac tam diu etiam mulieres à morte maritorum viduæ permanebant,) iterum nupſiſſet, eam leges Numæ prægnantem vaccam immolare iuberent. H Nos hodieq; impudicas feminas, maximè ipſa ſcorta quæ ſine vlla verecundia corpora ſua proſtituunt, vulgò vaccas nuncupamus, etiam ex antiquitate: in comedijs quippe Ariſtophanis comperitur fuiſſe Athenis meretriculas celebres Cynnam & Salauaccham, vt Cælius annotauit, *Lib. 2.* qui obeliſcos buporos, quorum mentio eſt apud Herodotum, magnos interpretatur, (quia βȣ, particula in compoſitione ſæpenumero magnitudinem innuit, vt ſuo loco dicetur,) & Vallam ridet, qui aſſandis bobus apros reddidit: ſed cùm eos Rhodopis ex meretricio quæſtu ditata eos fecerit & Delphis dicarit, & πόρος quãdoque etiam ſignificet quæſtum aut prouentum, βȣ́ποροι fortaſſis dicti fuerint, quaſi ex vaccino ſiue meretricio reditu facti. *In milite. In Caſſandra.* Eſt & iunix à Plauto pro meretricula ſumpta his verbis:

Eadem illi inſidias dabo,
Quam mox horſum ad ſtabulum iunix recipiat ſe à pabulo.

Iuuenca occultinuba. Eodem ſenſu Lycophron iuuencam occultinubam vocat Cillam, quæ cum Priamo occultam aliquando habuerat amicitiam:

Ἵν᾽ ἄλμα πάππȣ, κὴ χαμευνάδος μόροι
Τῆς λαθρονύμφȣ πόρτιος μεμιγμένα.

Σκύ-

A Σκύμνοισκεχύνται, idest,

Vbi saltus aui & meretricis fata
Iuuencæ occultinubæ cum vitulo
Confusa sunt.

Inuenio denique πεζὰς μόσχους pro meretriculis vsurpari ignobilioribus, quæ organa musica non habent, quasi pedestres dicas. Atque hinc pudenda muliebria βυβάλιον, virilia ταῦρον veteres dixerunt. Cæterùm haud scio quàm verè mulieres nimia prurientes libidinis titillatione vaccæ dici queunt. Illæ enim semper, in otio, in negotio, & in somno etiam virum appetunt, cùm vaccæ, si Aeliano credimus, non diutius quàm tres horas appetant, & nisi taurus trium illarum horarum spatio accurrerit, in aliud certum tempus, naturam claudunt. Mulieres insuper grauidæ ad partum vsque virum admittunt, vaccæ verò nullo post conceptum tempore: concipit autem primo plerumque initu. Quòd si verò conceptio pererrauerit, vicesimo pòst die marem repetit, vt Aristoteles & Plinius testantur. Fit item vt libidinem in ea excitare, atque ad coitum inuitare cogamur. Mulieres verò, cur non maritos ipsę inuitent, pudor retinet. *Mulieres impudicæ an rectè vaccæ dicendæ.*

B Si autem vacca, vt taurum appetat, volueris, salsam bouis carnem iuglandis magnitudine, in os ei ingeri Geoponici iubent: Vel, cùm vitulus mensis vnius ætatem attigerit, salem vaccæ lingendum tam calefacito, quàm ferre calidissimum manu potes, & quater aut quinquies vaccæ offerto, mox taurum desiderabit. Nos vulgò herbam toram quasi taurinam vocamus orobanchen, quòd vaccæ ea deuorata (vt pastores facto periculo attestantur) statim taurum adeant. Torpet & taurus quandoq; ad coitum: Quod si contingat, Quintilij præcipiunt, vt caudam vramus ceruinam, conteramusque ac lęuigemus cum vino: eoq; remedio pudendum tauri atque testiculos vngamus, quo facto confestim ad insaniam vsque in Venerem pruriturum pollicentur; idque haud in tauris duntaxat, sed in ipso quoque hominum genere visu euenire. Columella verò quod si aut vacca coitum recusat, aut taurus non appetit elici cupiditatem ait, odore genitalium admoto naribus. Ijdem Quintilij, si vacca non exceperit tauru, præcordium squillæ, hoc est, tenerrimas squillæ partes, atque (vt quispiam dixerit) ipsum pingue aqua tundi iubent, exque eo, vt fuerint absterfi, vaccæ rum sinus inungi. Quod si verò tauri nimium pruriant, oleum illitum soluere pruritum. *Vacca vt taurum appetat.* *Herba tora.* *Taurus vt excitetur ad coitum.*

C Si dextrum genu arctissimè ligetur, coire (inquit Mizaldus) non poterit, etiamsi ante oculos vaccam habuerit lasciuo mugitu illum ad copulam inuitantem. Vaccæ cùm in Venerem concitantur, & taurum appetunt, ταυριᾶν dicuntur, quasi taurire dicas, sicut καπρᾶν, idest, subare cùm scrophæ libidine accenduntur, & aprum desiderant: vtraque enim hæc verba de fæminis tantùm dicuntur, non etiam de maribus, vt quidam crediderunt. Quod modò attinet ad ipsum coitum: hic teste Aristotele laboriosior est, quam equi: idem reddens rationem, cur bos vno initu vaccam impleat, ait id fieri meritò, quoniam agit, (inquit) tam vehementer, vt fœmina vix tolerans succumbat, quam ob rem Plinius ingredi in conceptu tradit: hucque fortè spectat illud Ouidij: *Coitus.* *Lib. 2. de arte.*

Ferre nouæ nares taurorum terga recusant
Assiduo domitas tempore fallit odor.

Hoc verò Virgilij dictum: *Egl. 1.*

Pascite, vt ante boues pueri, submittite tauros,

dictum quidam volunt per episinalaphen, pro supermittere: nec enim saliendis vaccis tauri propriè submittuntur, sed supermittuntur. Aliter tamen (inquit Pontanus) explicari illud verbum potest, nempe substituere, quo nimirum significatu id accepit Iustinianus his verbis: *sed si gregis vsum fru-* *Submittere tauros quid.* *Lib. 2. de rer. diuis.*

D *ctum quis habeat, in locum demortuorum capitum ex fœtu fructuarius submittere debet.* Est autem teste Aristotele tunc potissimùm coeundi tempus, cùm fœmina à mensibus purgatur. Et quamuis iuuenca aliquando annicula pepererit, vt ex eodem diximus, suadet tamen Varro, vt non minores incantur, quam bimæ, vt trimę pariant, eoq; melius si quadrimæ: plerasque autem parere ait in decem annos, quasdam etiam in plures. Palladius etiam inutiles esse scribit fœtibus, cùm decimum ætatis annum excesserunt; attamen si ante bimatum conceperint, partum earum remouere placere, ac per triduum ne laborent, vbera exprimi, postea mulctra prohiberi. Nec ante ętatem trimam tauros his oportere admitti. Idem Palladius, cùm dixisset, hoc esse admirandum, quod fertur, ex boue castrato, vaccam, si statim admiseris, concipere: si abundantia pabuli est in regione, qua pascimus, author est, posse annis omnibus in fœturam submitti: si verò indigetur hoc genere, alternis temporibus onerandas esse, maximeque si eædem vaccæ alicui operi seruire consueuerunt. Varro ait, maximè idoneum tempus esse à delphini exortu, vsque ad dies quadraginta, aut paulo plus. Quę enim ita conceperit, temperatissimo anni tempore parere. Sed Plinius quoque, *coitus,* (inquit) *à delphini exortu ad pridie nonas Ianuarij diebus triginta, aliquibus & autumno: gentibus quidem, quæ lacte viuunt, ita dispensatus, vt omni tempore anni supersit id alimentum.* Aristoteles ait, tempus admissurę *Coeundi tēpus, & ætas apta.*

opti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

optimum,ſecundum alios,medium veris exiſtere: initiumque coitus pleriſq; quidem menſe Aprili E & Maio : ſed nonnullas etiam ad autumnum vſq; tempus coeundi protrahere. Columella verò & Palladius Menſe Iulio fæminas maribus præcipuè permitti volunt,vt eo tempore conceptos proximo vere adultis iam pabulis edant, quia decem menſium partus ſic poſſit maturo vere concludi. Nam decem menſibus ventrem (inquiunt) perferunt, neque ex imperio magiſtri,ſed ſua ſpõte marem patiuntur. Atque in id ferè quod dixi, tempus, naturalia congruunt deſideria,quoniam poſt vernam pinguedinem geſtientes, & pabuli nimietate exhileratæ laſciuiunt. Cæterùm quemadmodum hoc potiſſimum admittendi tempus probo ob allatam rationem, ita è contrario,vt omnes tunc ad coitum permittantur, improbo. Hinc enim eſt, quod hyemali tempore ac in ipſis etiam bacchanalibus,cùm gulæ maximè incumbimus,tanta vitulinæ carnis ſit penuria. Idem Columella tradit, menſem vnum obſeruari ſolere ante admiſſurã,ne fęminæ cibo & potione ſe impleant,ideoque pabuli partem eis ſubſtrahĩ debere, quòd exiſtimetur facilius graciliores & macras (macreſcẽtes) concipere, ac ſemen attrahere: nimiam verò corporis obeſitatem,ſteriles reddere: Contrà tauros duobus menſibus ante admiſſuram herba & palea ac fœno pleniores facere conuenire, & à fæminis ſecernere,vt vires habeant,& fortiùs ineant. Hoc & armentarios & opiliones obſeruare. Concepiſſe cognoſcitur, ſi Ariſtoteli, vt debemus,credimus, cùm menſes ceſſarunt,ſpatio temporis bimeſtri,trimeſtri,quadrimeſtri, ſemeſtri: id tamen difficile perceptu eſſe ait,niſi quis iam dudum ſecutus,aſſuetuſque. Ferunt ventrem menſes decem teſte Varrone, decimo pariunt. Plinius negat, F

Quãdo ſponte Venerem appetant.

Conceptus ſigna.

Partus.

„ quicquid antea genitum eſt,vitale eſſe:eſſeq; authores,qui dicant, ipſo complente decimum men-
„ ſem die,parere. Ariſtoteles ait,quàm diu viuunt,coire,& parere:parere ſingulos,raroque geminos.
„ Alibi etiam ait: Ferunt vterum menſes nouem, decimo pariunt. Sunt qui decem totos menſes ex-
„ ceptis paucis diebus affirment. Quod autem in lucem præcurrerit hæc tempora,id abortiuum eſt,



„ vitaleque minimè, etiamſi paulò maturauerit partum: præmolli namque, imperfectaque vngula
„ prodit. Hæc ille. Adieci iconem qua vituli ſitus in vtero exprimitur: item alias duas, quibus ſecundina ſeu mẽbrana vteri interna, qua fœtus contineri ſolet, cum ſuis cotiledonibus, externaq; oſtenditur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B



C

D

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ditur. Negatur vacca ante partum, lacteſcere. Quamuis verò ſingulos pariat, raroque binos, ętate E tamen Ptolomæi iunioris, vacca quædam, teſte Diogeniano eodem partu ſex edidit vitulos: miraque

Lib. 2. Gemelli vna tantum parte feruntur. Lib. 12. c. 2.

eſt harum animantium in Hiſpaniola fœcunditas, nam vt Franciſcus Lopezius tradit, plerumque binos pariunt, & vndecimo menſe taurum admittunt. Hœc itaque mirum fuerit, etiam ſi geminos ferant, vtrumque tamen niſi dextra vteri parte ferri, quod teſtatur Plinius his verbis: *Boues grauidas negant, præterquam dextero vuluæ ſinu ferre, etiam cum geminos ferant.* Agriculturæ authores Varro, Columella & Africanus tradunt, mas vbi iuuencam ſuperuenit, certis ſignis

Mas, an fœmina. Forda & horda quæ. 4. Faſt.

comprehendere licere, quem ſexum generauerit, quoniam ſi parte dextra deſiliuit, marem feminaſſe, manifeſtum eſſe; ſi læua, fœminam, id tamen verum eſſe non aliter apparere, quam vbi poſt vnum coitum fordæ, (ideſt, vaccæ prægnantes, quæ & hordæ dicuntur, vnde hordicalia Romæ feſta, quo die hordæ boues immolabantur. Vnde Ouidius:

Forda ferens bos eſt, fœcundaq; dicta ferendo

Et rurſus:

Pontifices forda ſacra litate boue.)

non admittunt taurum, quod & ipſum raro accidit. Nam quamuis plena fœtu non expletur libidine, adeò vltra naturę terminos etiam in pecudibus, plurimum pollent voluptatis illecebrę. F

Maſculæ prolis typus. Partus quādo patri aut matri ſimilis.

Aegyptij ſacerdotes, vbi maſculam prolem myſticè deſcribere (inquit Pierius) vellent, taurum ab inſcentione in dextram ſe partem demittentem figurabant, ſi verò fœmineum ſexum exprimere voluiſſent, eundem in læuam auertentem ſe pingebant. Parmenides verò etiam, fœtum tunc patri ſimilem eſſe aſſerit, cùm à dextra locorum parte editur, matri verò cum a læua. Hippocrates item tradit, ſiniſtro teſte obligato marem generari, dextro verò fœminam; tantiq; eſſe dextrarum ſiniſtrarumque partium in maribus fœminiſque dignoſcendis obſeruationem, vt ſi mammarum prægnantis mulieris dextra flacceſcat, macraue repentè fiat, ſi gemellos paritura fuerat, maris abortum fieri putent: ſi verò ſiniſtra macreſcat, fœminam deperdi. Quin & Onirocritæ hæc eadem intelli-

Ex dentibus amiſſis coniecturæ.

gunt, cùm imaginari dextra parte dentes amiſſos, marium conſanguineorum obitum ariolantur, ex ſiniſtra verò fœminarum. In dextra autem parte vteri materni ſæpius moueri mares, in læua verò fœminas conſtat. Albertus ſibi compertum ait, mulierem quandam fœminas tantùm parere ſolitam ea de cauſa, quòd à conceptu ſemper in læuum latus decumberet: admonitam verò cœpiſſe in dextram conquieſcere, ac ſolos deinde mares genuiſſe. Neque verò diſſimulandum, quod ad Ae- G gyptiorum commentum facit, Septentrioni vim maſculam ineſſe, quod neque quidem Ariſtoteles

Septentrionis vis in generatione marium.

diſſimulauit: docet enim is, ſi maſculos plures creari volumus, admiſſuræ tempore dies ſiccos & halitum Septentrionis eligendum, & contra eum ventum greges paſcendum, ſin verò fœminas generari velimus, Auſtri captandos flatus & in eum paſcua dirigenda, quod vis in eo vento muliebris inſit. Africanus quoque hanc rem tangit, dum ait: *ſi marem velis, Aquilone ſpirante admiſſuram faciendam: ſi fœminam, Auſtro.* Sed enim de dextris læuiſq; mundi partibus magnum eſt inter au-

De dextra læuaq; mundi parte diſceptatio.

thores diſſidium. Vnà enim cum Aegyptijs, dextras mundi partes ſolſtitiales, ſiniſtras brumales intelligit Empedocles, de quo ita Galenus: Εμπεδοκλῆς δὲ δέξια εἶναι τὰ κατὰ τᾶς θερινᾶν τροπικῶν; ἀριςερὰ δὲ κατὰ τῶν χειμερινῶν. Neque deſunt, qui primas olim fœminas ad ortum & meridiem terra genitas, mares verò ad Septentrionem, & Occaſum fabulentur. Plato tamen Ariſtoteleſque alia ratione orbem diuidentes, Orientales eſſe dextras, a quibus initium motus; læuas autem occiduas tradidere, vt idem Galenus recitat: Πυθαγόρας καὶ Πλάτων καὶ Αριςοτέλης δεξία τȣ̃ κόσμȣ ἔφασαν εἶναι τὰ ἑῶα, ἀφ' ὧν ἀρχὴν εἶναι τῆς κινήσεως, ἀριςερὰ τὰ ἑσπερία. Contrà Varro cœ-

Lib. 6. de Ling. Lat.

lum ait dictum templum, eius cœli partes quatuor conſtitui, ſiniſtram ab Oriente, dextram ab Oc- H caſu, anticam ad meridiem, poſticam ad Septentrionem. Cui Plinius ſubſcribit, dicens, errantia ſidera contrarium mundo curſum agere, quippe læuum ſemper illo in dexteram præcipitari: quamuis Feſtus anticam eam cæli partem, quæ ad meridiem Sole illuſtratur, dexteram vocat, ita enim anticam interpretatur: poſticam verò ad Septentrionem, ſiniſtram. Alcinous in Græcorum monumentis adnotatum ait, morem ſacrificandi diù ſeruatum, vt circumcurreretur aras, curſum auſpicari ab læuo dextrorſum Zodiaci quadam imagine, cuius motus ſit mundo diuerſus ad exortum vergens; mox verò ab dexteris lęuorſum procurrerent, quo motu cælum rotari manifeſtum. Contrà

Lib. 1. Pſal. 89.

Aegyptiorū poſitionē Titus Liuius dexteras ad meridiem partes augurū inſtituto, ad ſeptētrionem ſiniſtras ſtatuta ait. Ad hanc ſententiam facit, quod apud Hebræos legitur, *Aquilonem & dextrum tu creaſti:* quod nonnulli Auſtrum interpretantur, alij mare. Cum Hebræis verò conſentiunt, & Chaldæi, qui Auſtrum ponunt: Sed enim & Auſter pro mari nō ineptè accipitur, ſi Sphęra recta ſtatuatur polis ad finitorem inclinatis. Nam Aegyptii, quos Cleomedes nō poſtremi nominis author ſecutus eſt, ipſam mundi totius figuram aliter deſcripſere, vtpote qui Auroram eſſe caput, Borealia dextera, Auſtralia ſiniſtra conſtituere, maritimiſque piſcibus tum ob alias cauſas, tum ob id

præci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A præcipuè abſtinebant, quod Nilum à ſiniſtra Ortum, quippe fœminea fœcundaque parte, in dexteram quippe virilem, ſterilemque (ita enim erant eorum commenta) illapſum, quippe vbi mare ſit, corrumpi dicerent, atque ita dextram oram, hoc eſt, maritimam, conſiderato Aegypti ſinu, perditionis ſymbolum ſtatuebant. Neq; hic diſſimulandum, quod apud Eucherium, vbi de Aquilone loquitur, qui pro Dæmone accipiatur, inuenies eum vocari dextrum, atque ita ipſum quoque ſibi nomen dexteri aſciſcere. Nam & Hieronymus quartis Hebræorum caſtris Aquilonem dexterum appellari tradit, ſed falſum ait nomen, cùm de dæmone eius venti domino intelligatur, qui vndicunque ſiniſter, ſiniſtra omnia mortalibus aggerat appetenda: Cauſam tamen Eucherius ſuper dexteri nomine aliam ab hac arbitratur, quippe quod perperam agere, dexter adſit obſecundando, ſuadendo, procliuiter attrahendo. Nam illud palam eſt, ait, in ſacris literis, diabolum geſtare Aquilonis nomen, eaque locutione, quicquid bonis conatibus aduerſatur, accipi: is enim bonorum operum ardorem extinguit, ac omnia frigefacit: & ob id & infideles & impij, contumaces ſceleratique homines, eo notantur hieroglyphico: vnde illud: *Ab Aquilone pandetur omne malum*. Et quia flatus vehemens quò frigidior, eò magis ignem, in quem inciderit, exuſcitat,
B dictum: *Ab Aquilone exardeſcent mala ſuper terram*. Tetigere & poetæ noſtri dexteras læuaſque cœli partes. Sed enim Maro & Naſo, nullius addicti iurare in verba magiſtri, eas non diſtinxere. Lucanus Aegyptiorum adhæſit factioni, & ſententiam ipſe ſuam declarauit eo loco.

Ignotum notis Arabes veniſtis in orbem,
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras:

hoc eſt, in Auſtrales partes non porrigi. In hoc autem id intereſt, vbi quis vniuerſi ſtatuat caput: quo ſuper argumento plura dicere noſtri non eſt inſtituti, quare iam filum orationis noſtræ repetemus. Taurus poſt conceptum vaccæ nunquam cum illa coit, vt Orus Apollo teſtatur. Plinius verò etiam ait, tauros non ſæpius quàm bis die inire. Vaccæ non omnes generationi idoneæ ſunt: reperiuntur enim, etiam quæ ſua natura ſunt ſteriles, quas tauras antiqui nuncuparunt. Ioannes Baptiſta Porta, cùm oſtendiſſet mulas veloces ex onagro, & aſina generari, minus peculiare genus, ait eſſe ex tauro, & aſina fortiſſimi muli: nam & quartum (inquit) genus reperitur, quod Gratianopoli, vt ſcribitur, inuenitur, & Gallica voce Iumar appellatur. Geſnerus à fide
C dignis audiuit viſum equum ad radicem montis Spelungi in Rhetia ex equa & tauro generatum. Nos autem Ferrariæ vidimus aliquos forma muli, capite vitulino, quibus cornuum loco duo inerant tubercula, indefeſſæ & indomitæ ferociæ, coloris nigri, oculis taurinis. Eo ſpectaculo mirum in modum delectabamur. Audiuimus in aliquibus Galliæ partibus vulgares eſſe, etſi per Galliam tranſiens non viderim. Hactenus Porta. Vacca cùm fœtauerit, ex auena fomentum ſtatim admouetur, vt prorſus liberetur. Si poſt fœturam viribus exhauſta erit, adeo vt conſiſtere vix queat, flores fœni ſacco ſalario infarcti & in aqua decocti, dorſo lumbiſque benè calidi imponantur; bis die ſal offeratur & in Solem progredi permittatur, ac cibus ibidem præbeatur. Columella cùm partum edidit, niſi cibis ſit fulta, quamuis ſit bona nutrix, labore fatigatam, nato ſubſtrahere alimentum aſſerit: itaque & cytiſum viridem (de quo mox,) maceratumque eruum præbendum, vel tenero oleo commiſto, torrido, molitoque, milio, & per vnam noctem lacte macerato ſaliuandum, vel ſi hoc præſidium non adeſt, faba freſa, & vinum rectè tolerare, idque præcipuè in magnis gregibus fieri oportere. Aprili menſe (inquit Palladius) vituli naſci ſolent, quorum matres abundantia pabuli iuuentur, vt ſufficere poſſint tributo laboris & lactis. Ipſis autem vitulis toſtum, molitumque milium cum lacte miſceatur, ſaluiati more præbendum. Varro ait, cùm parere cœperint;
D ſecundum ſtabula, pabulum ſeruari oportet integrum, quod egredientes guſtare poſſint: faſtidioſæ enim fiunt. Sed hæc ad curatoris pertinent officium, de quo nunc deinceps dicemus.

Aegyptij cur piſcibus abſtineret.

Diabolus aquilo dictus.

Tauri in coitu temperantia.

Vaccæ tauræ dictæ.

Lib. 2. Mag. nat. c. 9.

Muli ex tauro & aſina.

Vacca fœta vt curanda.

CVRATORIS OFFICIVM.

QVO propriè huius pecoris curator, Latinè dicatur, vocabulum in procinctu non habeo, cùm ſit bubulcus ille præcipuè qui bobus vtitur ad arandum, & buſequa, vel bubſequa qui eos ſequitur, quod in eundem ſenſum reſilit. Græci βουκόλον ſignificanter dixerunt, nam etiamſi communiter bubulcum vertant, tamen βουκόλος dicitur, vel tanquam βουκόμος (nam & hippocomum dicimus qui equos curat,) vel quoniam Græci cibum etiam κόλον vocant, vnde & κόλαξ, ideſt, adulator eſt appellatus. Curator iſte ab Homero per pleonaſmum alibi dictus eſt, βοῶν ἐπὶ βουκόλος ἀνήρ, vt αἰπόλος αἰγῶν. Habes multa in lexicis Græcorum bucoli ſynonyma, qualia ſunt, βουτρόφος, βουφορβὸς, βουπελάτης, βουπόλος, βοονόμος, βόοσκος, βοόσσος, βούτης, Atticè: βοσκὸς, βουνόμος, βουνίτης, vel βουνιτής,

Curator vt vocatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

βωνίτης, βοηλάτης; quod tamen poſtremum vocabulum Pollux exponit pro eo, qui boues iugo ſubmittit. Videtur tamen pro aratore magis accipiendum: ſed poteſt, pro vtroque, vt & bubulcus apud Latinos. Nos curatorem vocabimus, (nam & Cato curatiores dixit boues pro pinguiores, habitioreſque: & alicubi etiam nihil eſſe, quod magis expediat, quàm boues bene curare:) eiuſq; officium ab ipſis inchoabimus vitulis, ſiquidem, vt canit Maro: E

Poſt partum in vitulos cura traducitur omnis.

Hic autem à domitura eorum exordium ſumit, de qua nos poſtea, deinde de alimonia ipſorum his verſibus agit:

Vitulorum cura.

Interea pubi indomitæ, non gramina tantùm,
Nec veſcas ſalicum frondes, vluamque paluſtrem,
Sed frumenta manu carpes ſata, nec tibi fœtæ
More patrum niuea implebunt mulctralia vaccæ,
Sed tota in dulces conſument vbera natos.

De ouibus idem præcipit apud Calphurnium Alycon pater Cantho filio: F

Parce tamen fœtis, neu ſint compendia tanti,
Deſtruat vt niueos venalis caſeus agnos.

Non conuenit tamen hoc præceptum in omnibus vaccis, cum ſint earum aliæ magnæ, & mediocres, quæ ſobolis tantùm gratia nutriri ſolent, vt vituli ad cultrum, & boues plauſtris, & aratris neceſſarij, ex eis generentur, de quibus poeta loquitur, harum enim lac, etſi ad cibum & conficiendum caſeum vtile ſit, tolli tamen eis non debet, ſed pro nutrimento vitulis relinqui; Aliæ minores ſunt, quę lactis tantùm & caſei gratia nutriuntur; ideoque vituli quindecim à partu diebus occidendi, quod præceptum diligenter obſeruare Batauos intelligo, quorum vaccas paruo, & deformi corpore eſſe ſuo loco dictum eſt. Si matrix amiſit vitulum, ei ſupponere iubet Varro, eos quibus non ſatis lactis præbent matres. Bataui qui ad lac tantum matres alunt, natos quos educare animus eſt, matribus eripiunt, atque ſeorſim lacte enutriunt. Semeſtribus iam vitulis idem Varro furfures triticeos ait obijci, & farinam hordeaceam, & teneram herbam, & vt bibant mane & veſperi curare. Vetat autem, ne lactentes cum matribus cubent, quoniam ſæpenumero contingit obteri: ad eas verò manè oportere adigi: & cùm redierint è paſtu: cumque creuerint vituli, leuandas matres, & pabulum viride obijci in præſepibus. Noſtri agriculæ grandiuſculos cum matribus educant in paſcua, ſed ne ſugant, ſtimulo quodam impediunt, vituli capiti ita alligato, vt dū mammas ore contingere cupit, matrem eo pungat, quæ dolore irritata calcibus eum repellit. Siue modò de vitulis ſiue de matribus, aut bobus ſermo ſit, ſtabuli in primis ratio habenda eſt, bubilia Latini dicunt, & bouilia, Græci βυςασίας. Quæ qualia eſſe debeant, ex veterum placitis docet Conradus Heresbachius his verbis: Conſtituantur loco ſicco; vel lapide vel glareis, aut arena conſtrata, illa quòd imbres reſpuant, hæc quòd celeriter ſorbeant, tranſmittantque: ſed vtraque deuexa aliquatenus, vt humor ſi incidat, poſſit diffluere & elabi, ne fundamenta parietum, vel vngulæ pedum corrumpantur. Obuertantur autem parti meridianæ, & vt facilè ſiccentur, & frigidis ventis non ſint obnoxia, interim tamē ne egeant Septentrionis & Orientis luminibus, quæ hyemè clauſa, æſtate patefacta refrigerent, ac breuiter, ſi fieri poſſit, vt neque frigore, neque calore infeſtentur, & ab humore ſuſpenſa ſint. Columella duplicia bubilia fieri vult, æſtiua & hyberna, & illa quidem ſine tecto, parietibus altis circumſepta, in quibus ſine violentia ferarum conquieſcant. Lata eſſe oportet bubilia pedes ad minimum octo, vt ſimul ad procumbendum ſit capacitas, ne in anguſtijs conceptum altera alterius elidat, & vt inualida robuſtioris ictus euitet, & bubulcis, atque iugarijs ad circum eundum laxa miniſteria præbeat. Vegetius bubulia ad focum & orientis cæli regionem ſpectare vult ideo, quod boues lumen & ignem ſpectando minus horridi & manſuetiores fiāt. Ignis autem beneficio naturali pecori amicus, ſiue quod inutilis & peſtifer humor diſcutitur, & exudat, ſiue quod conceptum è paſtu aut opere frigus expellitur, flammarumque halitu interna curari exiſtimant. Plinius tradit, in incendijs ſi fimi aliquid egeratur è ſtabulis, facilius extrahi, nec recurrere oues, boueſq; ferri. Stabula diſtinctis præſepibus, faliſtis, longurijſq; dirimantur. Præſepia non altius edita eſſe cōuenit, quàm vt bubulū pecus ſine incommodo ſtans veſci queat: & ne à vicino pabulum diripiatur, ab vtraq; parte ſingulis pecoribus præſepia clauduntur. Cannabeis funibus alligantur, ne ſe mutuò lædant. Cato clatratas faliſcas habere vult, clatros autem inter ſe oportere pedę diſtare, profiteturq; ſi ita feceris, pabulum boues non eiecturos. Idem Columella hybernę ſtabulationi boum præparare iubet ſtramenta, quæ, (inquit) menſe Auguſto intra dies triginta ſublatę meſſis præciſa, in aceruum extrui debent: quorum defectio cùm pecori, tum agro eſt vtilis: liberātur arua ſentibus, qui æſtiuo tempore per caniculę ortū reciſi, plerumq; radicitus intereunt, & ſtramentis pecoris ſubiectis plurimum ſtercoris efficiunt. Hæc cùm ita curauerimus, tum & omne (inquit)

Vituli ne ſugant. G

Stabulum.

Lib. 3. de re ruſt.

H

Preſepia.

Cibus procurandus.

pabuli

A pabuli genus præparabimus, dabimusque operam, ne penuria cibi macrescat pecus: Leuis autem cura pascui est: nam vt lætior herba consurgat, ferè vltimo tempore æstatis incenditur: ea res & teneriora pabula recreat, & sentibus vstis fruticem surrecturum in altitudinem compescit. Ipsis verò corporibus affert salubritatem, iuxta conseptum saxis, & canalibus sal superiectus, ad quem saturæ pabulo libenter recurrunt, cum pastorali signo quasi receptui canitur. *Salis vsus salubritas.* Nam id quoque semper crepusculo fieri debet, vt ad sonum buccinæ pecus, si quod in syluis substiterit, septa repetere consuescat: sic enim cognosci grex poterit, numerusq; censeri, si veluti ex militari disciplina intra stabularij castra manserit. Quantopere autem sale delectentur, & ex eius linctu proficiant, tetigimus etiam, ex Bernardino Gomesio, cùm de bubus Hispaniæ loqueremur. Plinius ait, pecudes armentaque & iumenta, sale maximè solicitari ad pastum, multo largiore lacte, multoq; gratiore etiam in caseo dote. Paxamus tradit salem nutrimentis commixtum, mirè conducere: & Columella esse ait non paucos qui largo sale pabula miscent. Sotion mandat, vt lotio ipsorum buccas colluamus, adnatam pituitam extrahentes, linguamq; à vermibus repugnantes (gignuntur enim (inquit) in linguis boum vermes) ac sale deniq; linguam ipsam inspergentes. Cato ait; si morbum metues,

B sanis dato salis micas tres, folia lauri tria, porri libras tres, vlpici spicas tres, allij spicas tres, thuris grana tria, herbæ sabinæ plantas tres, rutæ folia tria, fabulos albos tres, carbones viuos tres, vini sextarios tres. *Ad morbi metum.* Hæc omnia sublimiter legi, teri, dariq; oportere. Ieiunus fiet, qui dabit. Per triduum de ea potione vnicuiq; boui dandum: itaq; diuidendum, vt cum ter vnicuiq; dederis, omnem absumas; bosq; & qui dabit faciendum, vt vterq; sublimiter stent, vase ligneo dãdum. Vbi vuæ (inquit idem) variæ cœperint fieri, bubus medicamentum dabis quotannis, vti valeant. *Pellis anguinæ vsus.* Pellem anguinam, vbi videris tollito, & condito, ne quæras, dùm opus siet; Eam pellem & far & salem & serpyllum, hæc omnia vnà conterito, cùm vino dato bubus omnibus, vt bibant. *Lib. 30. 16.* Plinius hoc remedium repetit, sed paulo aliter, *Anguina pelle* (inquit) *& sale & farre cum serpyllo contritis vno die, deiectisq; cum vino in fauces boum vua maturescente, toto anno eos valere quidam scripserunt.* Columella quoque nonnullos testatur, pellem serpentis obtritam cum vino miscere. Hic ait esse etiam remedio cum dulci vino tritum serpyllum & conscisam & in aqua maceratam scillam. Istiusmodi enim potiones trium heminarum mensura singulis diebus per triduum datas, aluum purgare, depulsisq; vitijs,

C recreare vires. Maximè tamen haberi salutarem amurcam, si tantundem aquæ misceas, & ea pecus insuescas, quia protinus (inquit) dari non potest, sed primo cibi asperguntur, deinde exigua portione medicatur aqua, mox pari mensura datur ad satietatem. *Amurca.* Eundem amurcæ vsum his verbis Cato ante illum commendauit. Boues vti valeant, & curati bene sient, & qui fastidient cibum, vti magis cupidè appetant, pabulum, quod dabis, amurca spargito, primo parum, dum cõsuescant, postea magis: & dato rarentur bibere, commistam cum aqua æquabiliter quarto quintoq; die: hoc si feceris, ita boues & corpore curatiores erunt, & morbus aberit. Non omittẽdum etiam illud ex Vegetio remedium, quod diapente vocari potest, quoniam vno tantum medicamento, betonica nempe, theriacam diatessaron apud veteres antidotum excedit: *Morbi vt depellantur.* Tres vncias baccarum lauri, gentianæ, aristolochiæ longæ, myrrhę & betonicę, diligentissimè detere, & misce cum mero, ex quo trinas heminas triduo iugiter iumento per os dabis. Morbos, ægritudinesq; depellet. Inrer exordia tæd[i]anti boui aduersus omnes morbos, succurrere idem author testatur, hanc potionem. Tres semuncias squillæ minutatim concisas, præterea radices teneræ popinum (vox corrupta videtur) effossas, & diligenter coctas, cõtundes in pila, & tria ex eis pondera (fortè pondo,) addito sextario salis, in vini septem sextarios mittes, & per septem dies per os bubus singulos sextarios digeres. Quod si toto an-

D no aduersus omnes ægritudines desperatas, boues stagnare (legendum apparet, seruàre, vel saliuare, vel saluiare) volueris incipiente vere, id est ab idibus Februarij quindecim diebus continuis hanc potionem dabis, quæ vsq; adeo salutaris est, vt approbatum sit integro anno boues sic curatos nullius morbi contagione tentari. Negat Columella profuturũ cibis satiari peçora, nisi omni adiuuentur diligentia, vt salubri sint corpore, viresq; conseruẽtur, quæ vtraq; custodiri largè dato per triduum medicamento, quod componitur pari pondere triti lupini, cupressiq;, & cum aqua nocte vna sub diuo habito: id verò quater anno fieri ait debere vltimis tẽporibus veris, æstatis, autũni & hyemis. *Sanitas, vt conseruãda.* Idem ferè remediũ describitur à Vegetio, sed locus apud eũ legitur aliquãtum vitiatus: Foliorũ lupini (legitur apud eũ, caprina nullo sensu,) foliorũ myrti syluestris, foliorũ cupressi, singulorum vncias tres diligentissimè deteres & infundes in congiũ aquę & vna nocte sub dio manere patieris, & inde vnicuiq; tepefactos per triduũ singulos sextarios dabis, idq; quater in anno, vt prædictũ est. Idem ait, ouũ crudum cum hemina salis & sextario vini per singula capita diffundi per commodũ esse; apparetq; frequentissimũ huiusmodi remedij vsum fuisse. Nam & Columella etiam sæpe nauseam & languorem discuti scribit, si integrum gallinaceũ ouum crudum ieiunis faucibus inseras, ac postero die spicas vlpici vel allij cum vino conteras, & in naribus infundas. *Ouum crudum.* Sed & Cato, bos si ęgro-

tare cœperit, dari iubet ei continuò ouum vnum gallinaceum crudum, integrum: poſtridie caput E
vnum vlpici conteri, & id vaſe ligneo & cum hemina vini, cogi, vt ſublimiter bibat, boſque illius
qui dabit, ſublimiter etiam ſtet: à ieiuno ieiuno boui dandum. Noſcenda ſunt etiam curatori pecu-
liaria quædam ſimplicia, in boum medicatione perquam vſitata. Commendatur autem in eorum
morbis, ſeuum, ſulphur viuum, allium ſylueſtre, ouum coctum. Quæ omnia Plinius trita in vino
propinari vult, aut adipem vulpis. Quoſdam inuenio & marrubium dediſſe cum oleo & vino. Ve-
getius id manè infundendum monet. Quidam teſte Columella porri fibras, alij grana thuris, alij
ſabinam herbam, rutamque cum mero diluunt, eaq; medicamenta potanda præbent. Multi cau-
libus vitis albæ & valuulis erui bubus medentur. Conſtantinus iubet, ne boues debilitentur, oro-
Ne debilitentur. bum, ideſt, eruum comminutum aqua diſtemperari, propinariq; ſingulis menſibus. Proderit etiam
authore Vegetio, ſi thuris puluerem cum mero ſiue per nares inieceris, ſiue per os dederis. Si ſyl-
phium contuſum ex vino meraco & nigro in nares bobus infundas, omnem obſcurum eorum affe-
Ad morbos manifeſtos. ctum facilè perſanabis, vt Paxamus ait. Democritus autem conſulit, vt vere ipſo incipiente, ſquil-
læ aut rhamni radicem boum pabulo permiſceamus quatuordecim dierum ſpatio. Si verò manife-
ſto morbo (de manifeſtis morbis mox copioſiùs dicemus) laborent, elelíſphacum montano ex loco F
collectum, praſſiumq; in aqua quam bibituri ſunt boues, pari dierum numero infundens offerenſq;
illos reſtitues. Id quod non ſolùm bubus (inquit,) ſed etiam alijs pecoribus opitulatur. Iuuat &
Lib. 24. cap. 11. medica herba: de qua poſtea inter cibos. Druidæ teſte Plinio Samolum herbam nominauere, na-
ſcentem in humidis: & hanc ſiniſtra manu legi à ieiunis contra morbos ſuum boumque iuſſere, nec
Samolus herba quæ. reſpicere legentem, nec alibi quàm canali deponere, ibique conterere poturis. Sunt qui teſtante
Dalechampio, ſi modò is vniuerſalis plantarum hiſtoriæ author eſt, hanc Plinij herbam eam eſſe
contendunt, quæ ab herbarijs anagallidis aquaticæ nomine oſtenditur, & in Germanorum & Bel-
Limeum. garum officinis becabunga nuncupatur, à Dodonæo alicubi minus rectè cæpea. Idem ait Limeum
herbam appellari à Gallis, qua ſagittas tingunt in venatu medicamento, quod venenum ceruarium
vocant. Ex hac in tres modios ſaliuati addi, quantum in vna ſagitta addi ſolet: ita offam dimitti in
boum faucibus in boum morbis. Alligari poſtea ad præſepia oportere, donec purgentur. Inſanire
enim ſolere. Si ſudor inſequitur, aquam frigidam perfundi. Huius quoque herbæ nuſquam aliàs
meminit. Geſnerus exiſtimat de generibus aconiti eſſe, quod Ariſtoteles in miris narrationibus
Xenicum. Xenicum appellet. Nam id quoq; venenum (inquit) eſſe ſcribit, quo Celtæ ſagittas inficiant, cer- G
Tora. uos aliaſque feras venaturi. Toram hodie vocant. In Gallia ſanè ante non multos annos aconiti cę-
rulei radicibus ad purgationes etiam hominum periculoſa & capitali inſcitia vtebantur: quod &
Lunaria. Io. Syluius in ſuis Gallis reprehendit, & ipſe in Sabaudia fieri obſeruaui. Aliqui lunariam vocant,
fortè quod folium ei rotundum & orbiculare ſit inſtar Lunæ plenæ. Idem Geſnerus in libro de her-
bis Lunarijs aſſerit eſſe aconitum primum Dioſcoridis. Naſcitur ſponte in montibus quibuſdam
Sabaudiæ & Valeſiæ noſtræ, radiculis cum recentes ſunt, omnium candidiſſimis, ſcorpionum ſpe-
cie, præſertim cauda, in quibuſdam manifeſta. Folium alijs plantis ſingulare eſt, alijs bina, terna,
quaterna, aut etiam quina ab vna radice. De eius veneno in epiſtola ad ipſum miſſa hæc deſcri-
pſit: Venenum lethale, ex ea conficitur, quo ſi gladius aut ſpiculum aut ſagitta infecta fuerit, & ho-
minem vulnerauerit (mirabile dictu) niſi pars læſa ſubito abſciſſa fuerit, vt nequeat veneni mali-
gnitas in reliquum corpus ſerpere, totum ſanguinem ita corrumpit, atque coagulat, vt ſtatim occi-
dat, nec vllo remedio aut medicamine, quod ſciant, vitæ ac ſaluti ſuccurri poſſit. Itaque neceſſe eſt
eum qui percuſſus fuerit, miſerè perire. Si verò aliud animal huiuſmodi veneno intincta ſagitta,
verbi gratia vrſus, aut alia fera, percuſſum fuerit, bino aut trino ſaltu facto moriens cadit, cuius car- H
nes ſi edantur, nihil nocent homini. Quo datur intelligi, id venenum ſoli ſanguini inimicum eſſe.
Nam & còntrà veneno illi ſanguis ita inimicus eſt, vt ſi in olla, in qua ſeruatur venenum, ſanguis in-
ciderit, venenum ſuam vim amittat, nec amplius nocere poſſit. Idem ex alterius epiſtola refert,
herbæ huius radicem ſeruari aliquandiu in loco humido, poſtea contundi, vbi contuſa fuerit, ſagit-
tas tingi. Vim illius experturi (inquit) acum eo ſucco inficiunt, qua ranã pungunt, quæ ſi ilico mo-
riatur, pręſentaneum venenum indicant. Teſtatur Dalechampius, peritum ſibi narraſſe herbarium,
comitem ſuum, cùm in arduo monte effoſſam illam herbam ſtatim olfeciſſet, concediſſe, velut exa-
nimatum, vixq; frictionibus & vino faucibus inſtillato fuiſſe reuocatum. Dicebat hic idem aliquã-
do etiam ſibi obſeruatum, ſanguinem è vulnere effluentem, admota illa herba tuſa cum radice ſub-
Ad omnes morbos. ſtitiſſe, deinde verſus plagam recurriſſe. Idem Geſnerus tradit, quoſdã apud ſuos, valetudinis gra-
tia bubus conſeruandæ pridie diui Martini, hoc eſt, quarto idus Nouembris cepas præbere ac inge-
Rubia ſyluatica. rere. Eſſe etiam qui ad omnes occultos morbos, viſcerum præſertim vt pulmonis & iecoris, tam ho-
minum quàm pecorum, edendas offerant radiculas rubeæ ſyluaticæ, quam vulgo (inquit) vocamus
iecorariam. Naſcitur in ſyluis tantùm & vmbroſis locis, alia quam vulgaris rubia agreſtis, conge-

ner

A ner tamen; breuior eo, caulibus rectis, folijs maioribus, ſimiliter per genicula radiatis, candidis floſculorum corymbis. Spergulam intelligit odoratam, alyſſon multis putatam antiquorum.

Spargula odorata.

Peritiores quidam etiam apud ſuos vt tradit, ſeptimo quoq; die, ſi domi ſit pecus: ſin abſit in montibus per ſingulos menſes ſemel remedium hoc cum linctu (ſalem ſic vocant) vorandum exhibent, quod ex hedera terreſtri vulgò dicta, baccis iuniperi, viſco de pyro arbore, & pulmonaria arboribus adnaſcente conficiunt: conſeruare à morbis multis. Ingeri eis etiam contra omnes morboſas ſuſpitiones gentianæ quandam ſpeciem, flore cæruleo, radicibus albis, amariſſimis, & quaſi de induſtria decuſſatim inciſis, vnde aliqui cruciatam vocitant.

Gentiana minor.

Apud antiquos erat pabuli genus (inquit Plinius) quod Cato ocymum vocat, quo ſiſtebant, (legendum, citabant, vt ex ſequētibus palam fiet,) aluum bubus. Id erat è pabulis, ſegete viridi deſecta, antequam gelaret. Sura Manilius id aliter interpretatur, & tradit fabæ modios decem, viciæ duos, tantundem eruiliæ in iugero autumno miſceri & ſeri ſolitum. Melius & auena Græca, (non ſylueſtri quam Virgilius appellauit: Auena Græca bromos: auena cui ſemen cadit ægilops, Dalechampius,) cui non cadit ſemen, admiſta. Hoc vocitatum ocymum, boumq; cauſa ſeri ſolitum. Varro appellatum à celeritate proueniendi, è Græco B quod ὠκὺς dicunt. Hæc ille.

Lib. 18. cap. 16.

Ocymum.

Sed Varro etiam ocymum amplius dictum ſcribit, quòd citat aluum bubus, de eodem videlicet Suræ Manilij ocymo intelligens: nam ocimum per iota herba illa odorata eſt, quam vulgò nomine Græco baſilicum, ideſt olus regium nuncupamus: quæ videri poteſt ſic dicta à verbo ὄζειν, quaſi ozimum, quaſi herba odorata.

Ocimum.

Varronis de ocymi etymologia verba hæc ſunt: *Ocymum, vel quòd citò proueniat dictum, vel quòd citet aluum bobus, quibus purgandi gratia datur. Farraginis vel pabuli genus eſt; nempe ſegetes ſectæ virides antequam ſiliquentur: contrà ex ſegete, vbi ſata admiſta, hordeum & vicia & legumina, pabuli cauſa ſunt. Inde quod fiat ferro cæſum, farrago dictum; aut quod primum in farracea ſegete ſeri cœptum. Ea equi, iumenta, verno tempore purgantur atq; etiam ſaginantur.*

Farrago.

Haud rectè etiam Plinius ocymum à veteribus pabulum appellatum ſcribit. Cato enim manifeſtè his uerbis diſtinguit. *Sementim facito ita, ocymum, viciam, fœnum Græcum, fabam, eruum, pabulum bubus ſerito.* Et rurſus manifeſtius: *Per ver cùm arabitur, antequam ocymum naſcatur, des quod edant bubus pabulum.*

Cap. 27.

Cap. 54.

Varronis modo etiam erratum eſt, quod ocimum in horto, ideſt baſilicum etiam per y. ſcribat, ſimiliterque ab ὠκὺς deducat. Apparetq; ex recitatis ocymum ſui generis fuiſſe herbam, quæ viridis ſecabatur, vel pabuli vel purgationis cauC ſa: moxque quaslibet ſegetes ſiue vnius ſiue diuerſorum generum, quæ eandem ob cauſam ſecabātur, ſic vocitari cœpiſſe: ita quoq; farraginem propriè dictam, ſeminum & leguminum diuerſorum miſcellam.

Ocymum quid.

Sunt qui ocymum iſtud priuatim ſumptum illud frumenti genus eſſe credunt, quod fagopyrum Dodonæus appellauit, nonnulli frumentum paganicum, quod ſaginādis bobus vtile ſit, & in nonnullis Germaniæ locis in hunc vſum hodieque ſeratur: cæterùm num inde etiam purgentur, huc vſq; non obſeruaui.

Fagopyrū.

Curator itaque verno tempore farraginem ſalubritatis conſeruandæ gratia ſuo pecori etiam ſubminiſtrabit. Profuerit etiam ſanguinem tunc detrahere: quandoquidem ſæpè viſum eſt, detracto ſanguine à non paucis affectibus boues fuiſſe liberatos. Inciditur autem vena iuxta caudam, & in roſtro, & alijs etiam locis.

Sanguinis miſſio.

Tanta autem apud antiquos boum habita eſt cura, vt à ſuperſtitioſis quoque remedijs ad conſeruandam eorum ſanitatem non abſtinuerint. Galenus, dummodo is eſt author libelli de facilè parabilibus, ne boues ægrotent, hanc ſuperſtitioſam curam habet: Cornu cerui ſuper Panis dei ſacellum ponito, candelamque deſuper accendito, & ne interdiu accenſam obliuione demittito: & in tempore Sanctum Demuſarim inuocato, ac tollito, armenta tua & vitam cuſtodiant.

Remedia ſuperſtitioſa.

Cap. 100.

Sed & Cato, Galeno multò antiquior, docet quomodo D pro bobus vota fiant, cuius verba etſi prorſus ſuperſtitioſa etiam aſcribam, quæ qui nolet, obeliſcum inducat: *Votum pro bobus, vt valeant, ſic facito. Marti Syluano in ſylua interdius, in capita ſingula boum vota facito: Farris adorei libras tres, & lardi pondo quatuor, pulpæ pondo quatuor ſemis, vini ſextarios tres ſemis. Id in vrnas liceto conijcere, & vinum idem in vnum vas liceto conijcere: Eam rem diuinam vel ſeruus vel liber licebit faciat. Vbi res diuina facta erit, ſtatim ibidem conſumito. Mulier ad eam rem diuinam ne adſit, neuè videat, quomodo fiat. Hoc votum in annos ſingulos ſi voles, licebit vouere*, Idem albi: *Dapem* (inquit) *pro bubus pyro florente facito. Eam hoc modo fieri oportet: Ioui dapali culignam vini quantumuis polluceto. Ea die feriæ bubus & bubulcis, & qui dapem facient. Cum polucere oportebit, ſic facies. Iupiter dapalis; quod tibi fieri oportet, in domo familiaque mea culignam vini dapi eius rei ergò. Macte vino inferiori eſto. Macte hac illace dape polucenda eſto. Manus interluito: poſtea vinum ſumito. Iupiter dapalis, macte iſtace dape polucenda eſto. Macte vino inferiori eſto. Veſi. e. ſi voles dato: daps Ioui oſſaria pecunia vrnæ vini Ioui caſtè. Profanato ſine contagione. Poſtea dape facta ſerito milium, panicum, lentim, allium.* Hæc Cato, nunc regulas recitabo, quæ in ſanis & quorum opera vtimur, bobus vacciſque magno ex parte bono curatori ſunt obſeruandæ. Nihil autem eſt teſte eodem Catone, quod magis expediat quàm boues bene curare. Hic

Vota pro bobus facta.

in pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

in primis vetat eos paſci per hyemem, cùm non arabunt: argumento quod viride cum edunt, id E
ſemper expectant, aitq; fiſcellis opus eſſe, ne herbam ſectentur, cùm arabunt: Quod præceptum no-
ſtri agricolæ diligenter obſeruant, fiſcellis ora munientes. Eſt autem ibi obſeruandum, paſcere
Ne debilitentur. boues, Catoni eſſe viridem herbam offerre. Ne verò debilitentur, Conſtantinus orobum, ideſt er-
uum comminutum aqua iubet diſtemperari, ſicq; ſingulis menſibus propinari, quod tamen reme-
dium etiam reperio apud Catonem. Horatius verò, cùm domi detinentur liberi à laboribus, dili-
genter etiam curandos eſſe innuit de villico ſuo loquens:

Et tamen vrges
Iampridem non tacta ligonibus arua bouemque
Diſiunctum curas, & ſtrictis frondibus explet.

Cum reuocantur ab opere, parum faſtidij eſt, ſed res perutilis teſte Vegetio, vt colla eorum vino
Poſt laborem vt curandi. tepido perfundantur, & diutiſſimè perfricentur: cùm verò de via vel paſtu redeunt, priuſquam de-
ducantur ad bouile, pedes aqua vt diluantur, ne inhærentes corpori ſordes vlcera generent, vel vn-
gulæ fiant molliores, vel certè moleſtiam manducantibus, vel inquietudinem afferant dormituris.
Vidi qui ſtrigili non aliter quàm in equis fieri ſolet, vterentur, vel ſaltem qui faſciculo ſtramenti
diligentiſſimè deſtringerent. Niſi enim ſæpenumero diſtringantur, in coriaginem (la cotta vulgò F
Coriago quid. apud nos vocatur) facillimè incurrunt. Infeſta hæc peſtis eſt bubulo pecori. Pellis ita tergori ad-
hæreſcit, vt apprehenſa manibus deduci à coſtis nequeat. Quæ res non aliter euenit, quam ſi bos,
aut ex languore aliquo ad maciem perductus eſt, aut ſudans in opere faciendo refrixit, aut ſi ſub
onere pluuia madefactus eſt. Quod malum vbi incurrerent, cùm ab opere redeunt, adhuc æſtuan-
tes anhelanteſque, vino aſpergantur, & offula panis vino infuſa ex Vegetij præcepto, faucibus eo-
rum inſeratur: Quod ſi non iuuerit, proderit decoquere laurum, eaque calida fouere terga multoq;
oleo & vino confeſtim ſubigere, ac per omnes partes apprehendere, & attrahere pellem, & velut à
coſtis ſeparare, id quod optimè fieri aiunt ſub dio Sole feruente. Quidam fruges vino & adipe
Curſus noxæ. commiſcent, eoq; medicamento tepido poſt fomenta prædicta vtuntur. Caueat autem etiam cu-
rator, ne vllo anni tempore, minimè ſaltem æſtiuo boues ad curſum concitet. Natura enim pigra
cùm ſint animalia, & labori potius quàm velocitati commoda, vehementer læduntur, ſi ad opus
cogantur inſuetum, & naturæ ſuæ contrarium. Columella & Vegetius authores ſunt, aut aluum eo-
rum ad perniciem ſolui, aut febriculas commoueri. Caueat itemne aut longo itinere, aut vllis gra- G
Vt non laſſentur. uioribus, quàm par eſt, oneribus affligantur: nimiam enim laſſitudinem ſequitur, vt idem Vegetius
affirmat, ægritudo, & omne (inquit) animal eſt debile ſi rumpitur. Cato pollicetur cum laborant,
non iri laſſos, ſi oleo & terebinthina vnà coctis cornua illinantur, res vtiliſſima ſi vera. Ex mala au-
tem cura pediculis non ſemel infeſtantur. Quod vbi fit, abluuntur decocto veratri albi in aqua cum
ſauina & axungia vetere, ſic enim ab ijs, alijſque ſordibus ac moleſtijs liberantur. Iuuencas tamen
hoc decocto tanquam vehementiore contingi vetant. Geſnerus ex libro quodam Teutonico ad-
uerſus boum vitulorumque pediculos refert vnguentum. Conſtat cremæ lactis ſemiſextario, bu-
tyri menſura quæ duas iuglandes æquet, & reſinæ pari, ſalem abundè addes & pariter feruefacies,
cum opus erit, illines. Porrò ne etiam infeſtentur à muſcis, lauri fructum contundens, oleoque in-
coquens, ex ea boues inungito, aut bubula etiam ſaliua illine: ſic non faſtidio fore Africanus pro-
mittit. Magnam verò in primis pernitiem ſæpe adfert hirudo hauſta cum aqua: faucibus enim
adhærens, ſanguine ſe replet, & incremento ſuo tranſitum cibis præcludit. Hæc ſi tam difficili lo-
co eſt, vt manu detrahi non poſſit, Columella fiſtulam, vel arundinem inſeri iubet, atq; ita calidum
oleum infundi: quo contactu animal confeſtim decidere tradit: additq; poſſe etiam per fiſtulam H
deuſti cimicis odorem immitti, qui vbi ſuperponitur igni, fumum emittit, & conceptum nidorem
fiſtula vſque ad hirudinem perfert, iſq; (inquit) nidor depellit hærentem. Si tamẽ vel ſtomachum
Rana bobus quæ noxia. vel inteſtinum tenet, calido aceto per cornu infuſo necatur. Eſt etiam parua rana in arundinetis,
teſte Plinio & herbis maximè viuens, muta ac ſine voce, viridis, ſi fortè hauriatur, ventres boum
Si à ſerpente morſus, et mare araneo. diſtendens. Incauti quoq; vorant aliquando araneos & reuomunt. Eſt etiam mortifer ipſis ſerpen-
tis ictus: eſt & magnorum animalium noxium virus. Nam & vipera & cęcilia, ſæpe cùm in pa-
ſcua bos improuidè ſupercubuit, laceſſita onere morſum imprimit: Muſque araneus, quem Græ-
ci μυγάλην appellant, quamuis exiguis dentibus, non exiguam peſtem molitur. Venena viperę
depellit ſuper ſcarificationem ferro factam herba quam vocant perſonatam, trita & cum ſale impo-
ſita: plus etiam eiuſdem radix contuſa prodeſt; vel Symonianum trifolium quod inuenitur confra-
goſis locis efficaciſſimũ traditur, odoris grauis, neq; abſimilis bitumini, & idcirco Græci id ἀσφάλ-
τιον appellant, noſtri autem propter figuram vocant acutum trifolium, nam longis & hirſutis folijs
viret, caulemq; robuſtiorem facit quam pratenſe. Huius herbæ ſuccus vino miſtus infunditur fau-
cibus, atque ipſa folijs cum ſale trita malagmatis more, ſcarificationi intẽditur, vel ſi hanc herbam
viri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A viridem anni tempus negat, semina eius collecta & leuigata cum uino dantur potanda, radicesque suo caule tritæ & farina & sale commistæ ex aqua multa scarificationi superponuntur. Est etiam præsens remedium, si conteras fraxini tenera cacumina quinq; librarum, cum totidem vini & duobus sextarijs olei, expressumque succum faucibus infundas; itemque cacumina eiusdem arboris trita cum sale læsæ parti superponas. Cæciliæ morsus tumorem, suppurationemque molitur. Idem facit etiam muris aranei. Sed illius sanatur noxa, subula ænea, si locum læsum compungas, cretaque cimolia ex aceto linas. Mus perniciem, quam intulit, suo corpore luit: nam animal ipsum oleo mersum necatur, & cùm imputruit, conteritur, eoque medicamine morsus muris aranei linitur. Vel si id non adest, tumorque ostendit iniuriam dentium, cuminum conteritur, eiq; adijcitur exiguum picis liquidæ & axungiæ, vt lentorem malagmatis habeat. Id impositum perniciem submouet. Vel si antequam tumor discutiatur, in suppurationem conuertitur, optimum est ignea lamina resecare, & quicquid vitiosi est, inurere, atque ita liquida pice cum oleo linire: solet etiam ipsum animal viuum creta figulari circundari: quę cùm siccata est, collo boum suspenditur: ea res innoxium pecus à morsu muris aranei præbet. Hæc omnia Columella, ex quo eadem rescripsit Vegetius, quamuis

Mus araneus morsum suum ipse sanat.

B quædam aliter, in eundem tamen sensum resultantia recenseat. Gesnerus ait, mures araneos apud suos, hoc est, in Heluetia, vt à rusticis intellexit, minus quidem venenoso esse morsu, sed aliud malum inferre, vngulas boum in stabulis erodentes. Quod ad morsum, (inquit) magis conqueruntur de mustelis: à quibus vulneratas partes, pelle mustelina in eum vsum reseruata demulcent. Cato author est, si bouem aut aliam quamuis quadrupedem serpens momorderit, melanthij acetabulum, & quod medici vocant, smyrnium contritum, & per nares indi & ad ipsum morsum, stercus suillum apponi. Aristoteles ait, non deesse, qui allium cum butyro coctum in aqua pecori a serpentibus morso exhibeant. Gesnerus in libro Germanico hoc ait se obseruasse remedium, si bos à serpente morsus fuerit, butyrum de mense Maio cum sale ad focum permisce & illine: vel pelle mustelina locum demulce. Scorpio etiam aliquando intestus est, vidiq; qui terra Melitensi (gratiam D. Pauli vulgò vocant) per os infusa & uulneri applicata ita læsum curarunt. Sed reuertor ad uitia noxasque quæ ex labore eueniunt. Si qui artus eorum luxati fuerint, sunt qui in aqua natare compellant, ut commotione illa restituantur. Sæpe etiam uel grauitate longioris itineris, uel cùm in proscindendo, aut duriori solo, aut obuiæ radici obluctatur, conuellit armos. Quod cùm accidit, è

Ad morsum mustelæ.

Ad luxationem partiũ.

C prioribus cruribus, sanguis (inquit Columella, ex quo hæc ferè) mittendus est: si dextrum armum læsit, in sinistro, si læuum, in dextro, si uehementius utrumque uitiauit, item in posterioribus cruribus uenæ soluentur. Perfractis cornibus linteola sale, atq; aceto & oleo imbuta superponuntur, ligatisq; eadem per triduum infunduntur. Quarto demum axungia pari pondere cum pice liquida & cortice pineo, leuigatoq; imponitur: Et ad ultimum cùm iam cicatricem ducunt, fuligo infricatur. Si in opere collum contusum erit, præsentissimum remedium est sanguis de aure emissus: aut si id factum non erit, herba, quæ uocatur auia, cum sale trita & imposita. Si ceruix mota & deiecta est, cõsiderabimus, quam in partem declinet, & ex diuersa auricula sanguinem detrahemus. Ea porro uena, quæ in aure uidetur esse amplissima, sarmento prius uerberatur: deinde cùm ad ictũ intumuit, cultello soluitur, & postero die iterum sanguis ex eodem loco emittitur, ac biduo ab opere datur vacatio. Tertio deinde die iniungitur labor, & paulatim ad iusta perducitur. Quod si ceruix in neutram partem deiecta est, mediaque intumuit, ex vtraque auricula sanguis emittitur, qui cùm intra biduum (triduum fortè, nam sic habet Vegetius,) quàm bos vitium cepit, emissus non est, intumescit collum, neruiq; tenduntur, & inde nata durities iugum non patitur. Tali vitio comperi-

Ad colli contusionem.

D mus, aureum esse medicamentum ex pice liquida & bubula medulla, & hircino seuo & vetere oleo, æquis ponderibus compositum atque incoctum. Hac compositione sic vtendum est, cùm disiungitur ab opere, in ea piscina, ex qua bibit, tumor ceruicis aqua madefactus subsecatur, prædictoque medicamẽto defricatur, & illinitur. Si ex toto propter ceruicis tumorem iugum recuset, paucis diebus requies ab opere danda est. Tum ceruix aqua frigida defricanda, & spuma argenti illinenda est. Celsus quidem tumenti ceruici herbam, quæ vocatur auia (ama, Veget. aliàs amati & amaticum,) contundi, & imponi iubet. Clauorum, quæ ferè ceruicem infestent, minor molestia est: nam facilè operanti lucerna instillatur. Potior tamen ratio est, ne nascantur: Neuè colla caluescant, quæ non aliter glabra fiunt, nisi cùm sudore aut pluuia ceruix in opere madefacta est: itaque cùm id accidit, veteri lateri later conteritur, eoque intrito, priusquam disiungantur, colla conspergi oportet: deinde cùm id siccum erit, subinde oleo imbui. Petrus Crescentiensis, collum quoque nimio pondere lædi ait, & maximè si pluuia accesserit. Interdum etiam collectis humoribus exulcerari locum affectum, & pharmacis, quæ consolident, cutemque generent, curandum, qualia in equis etiam vsitata sint, quamuis & peculiaria quędam sint, quibus bobus medemur, qualia ferè (inquit) sunt, ex quibus vnguentum Agrippæ dictum componitur. Fit etiam vt cùm negli-

Ad clauos colli & gabritiem.

gentius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

gentiùs curentur, in ſcabiem incurrant. Hanc, vt tradit Plinius, ſal illitus tollit, daturq; lingendus, & oculis iumentorum inſpuitur. E Columella ait ſcabiem extenuari trito allio defricto, eodemque remedio curari rabioſæ canis, vel lupi morſum, qui tamen & ipſe impoſito vulneri vetere ſalſamento, æquè ſanetur; Et ad ſcabiem aliam præſentiorem medicinam eſſe, cunilam bubulam, & ſulfur contrita, admiſtamq; amurcam cum oleo, atque aceto incoctam: deinde tepefactis ſciſſum alumen tritum ſpargi. Id medicamentum candente ſole illitum maximè prodeſſe. Florentinus verò ſcabiem boum vrina veteri, atque butyro illitam curari aſſerit: alioſque ex reſina & humida pice vino ſimul vnitis vngere, ac ſic mederi. Plinius etiam teſtatur inueniſſe ſe boum ſcabiem corchoro Alexandrini cibi celerrimè ſanari.

Ad vngulas contritas. Sæpe item pedes, niſi aduertat curator, conterunt. Si itaque attritæ fuerint vngulæ, agricolæ teſtante Plinio cornua vngendo aruina medentur. Idem negat ſubteri pedes, ſi prius cornua pice liquida perungantur: ex Catone nimirum, qui habet ſic: *Boues pedes ne ſubterant, priuſquam in viam quoquam agas, pice liquida cornua inſima vngito.* Quibus locis per cornua vngularum ſubſtantiam intelligendam eſſe ſuprà admonui. Columella aliud habet remedium. Subtriti pedes (inquit) eluuntur calefacta bubula vrina: deinde faſce ſarmentorum incenſo, cùm iam ignis in fauillam recidit, feruentibus cineribus cogitur inſiſtere, ac pice liquida cum F oleo, vel axungia cornua eius vnguntur. Si talum aut vngulam vomer læſerit, picem duram, atque axungiam cum ſulphure & lana ſuccida inuolutam candente ferro ſupra vulnus inuri iubet: quod idem remedium (inquit) optimè facit exempta ſtirpe, ſi fortè ſurculum calcauerit, aut acuta teſta, vel lapide vngulam pertuderit, quæ tamen ſi altiùs vulnerata eſt, latiùs ferro circunciditur, & ita inuritur, vt ſuprà præcepi, deinde ſpartea calceata per triduum ſuffuſo aceto curatur. Item ſi vomer crus ſauciauerit, marina lactuca quam Græci τιθυμάλλον vocant, admiſto ſale imponitur.

Ne claudicent. Columella ait: Minus claudicabunt armenta, ſi opere diſiunctis, multa frigida lauentur pedes, & deinde ſuffragines, coronæ, ac diſcrimen ipſum, quo diuiſa eſt bouis vngula, vetere axungia defricetur. Cum fiſſuræ in pedibus dehiſcunt, inuenio qui ſanguinem detrahi iubent. Hetruria (inquit Plinius) myriophyllon (Hermolaus legit millefoliam) appellat herbam in pratis tenuem, à lateribus capillamenti modo folioſam eximij vſus ad vulnera: ad boum neruos abſciſſos vomere, ſolidari ea, rurſusque iungi addita axungia affirmans.

Si intumeſcant. Videre etiam eſt non ſemel, intumeſcere boues, id quod præcipuè fit, cum aliquid noxij aut venenoſi deuorarint. Commendatur in primis calendulæ ſuccus aquæ permixtus in potu. G Geſnerus aſſerit præſtantiſſimam antidotum, omnibuſque vulgaribus theriacis longè præferendam, & multis experimentis celebrem, ab amico quodam excepiſſe huiuſmodi: Gentianæ radix in pollinem redacta, & ſtillatitio liquori ex fęcibus vini (aquam ardentem vocant, vulgo aqua di vita) permixta infunditur in fauces bouis: Aut ſi gentiana defuerit, liquor etiam ſolus.

Ad vlcus malignum. Quod ſi autem maligno aliquo vlcere laboret, quale eſt quod vulgò vermem appellamus, ſunt qui carduos edendos apponunt: alij radicem valerianæ ore commanſam ſuperalligant vlceri, aiuntque prodeſſe etiam homini.

Ex ſuibus & gallinis noxæ. Sues autem procul a præſepibus arcebit curator, nec minus etiam gallinas; Si namq; fimus Suis fortè à bobus deuoretur, lædit teſte Vegetio mirum in modum, præcipuè autem quod egerit ſus ægra, peſtilentiam facere valet, vt mox dicemus. Cùm vero gallinæ fimum ſumpſerit bos inter pabula, ſtatim nimio ventris dolore torquetur, inflatuſque moritur: Cui, vt ille author teſtatur, hac ratione ſuccurri conuenit: Apij ſeminis vncias tres, cumini ſextarium ſemis, & duas libras mellis commiſce, & tepidum per os infunde, ac tam diu ambulare compelle, & confricandum cura manibus plurimorum, donec ventrem potio moueat. Giſni (vox corrupta videtur, & fortè legendum, folia fici, nam Abſyrtus equis hoc modo periclitantibus, folia caprifici triduo ex aqua tepida bibenda tribuit,) quoque cum vino deterere, & per os dare credi- H tur ſalutare remedium. Lixiuium quoque ex arbore vlmi, vel cuiuſcunque generis ligni cinerem, dummodo bene coctum, cum oleo miſcere, & liquidum ac tepidum diffundere per fauces aduerſus ſtercus (gallinæ) plurimum prodeſt. Hæc Vegetius. Sed & pennæ pabulo immixtæ noxam eandem inferre audio. Cæterùm iſthæc fortaſſis ad medicum potius veterinarium, quam ad ipſum curatorem pertinent, cuius nimirum officium præcipuum eſſe videtur de pabulo proſpicere, idque idoneo tempore offerre, quamobrem in ſequenti rubrica de pabulo ac potu agemus, hic tamen corollarij loco curatorem docebimus, quibus ſignis boues ſanos ab ægris dignoſcere queat.

Sani ab ægris vt dignoſcantur. Cognoſcuntur itaque ſani, ex robore atque agilitate, in opere enim facilè cùm punguntur, ſe mouent, onuſque tolerant; membra eorum plena ſunt, & erectas habent auriculas, pabulum auidiſſimè arripiunt, alacriterque deuorant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

CIBVS. POTVS.

BOBVS (inquit Columella) pro temporibus anni pabula dispensantur. Vescuntur autem, teste Aristotele, & fruge, & herba: herba nimirum vel viridi, vel sicca: sicca autem vel fœno, vel stipulis. Dicam prius de viridi, quàm maximè appetunt: quam cum pascunt χλωράζειν eos Græci dicunt: Atq; inde est, quod Homerus bobus inquiat ver esse gratissimum. Nec aliam etiam ob causam loca amant irrigua, in quibus scilicet herba luxuriat, & quàm alibi tenerior est. Apud Homerum Mercurius boues Apollini surreptas iuxta lacum pascit herba, in stabulo verò lotum præbet & cyperum, sed versus eius ascribam.

B

Τῆμος ἐπ' Ἀλφειὸν πόταμον διὸς ἄλκιμος ὑὸς
Φοίβου Ἀπόλλωνος βοῦς ἤλασεν εὐρυμετώπους.
Ἀδμῆτες δ' ἵκανον ἐς αὔλιον ὑψιμέλατρον,
Καὶ ληνοὺς προπάροιθεν ἀριπρεπέος λειμῶνος,
Ἔνθ' ἐπεὶ εὖ βοτάνης ἐπεφόρβει βοῦς ἐριμύκους
Καὶ τὰς μὲν συνέλασσεν ἐς αὔλιον ἀθρόας οὔσας,
Λωτὸν ἐρεπτομένας ἠδ' ἑρσήεντα κύπειρον. idest,
Tunc in Apheum amnem Iouis potens filius
Phœbi Apollinis boues agitauit latifrontes.
Indomitæ autem peruenere ad stabulum altum,
Et lacus ante valdè decori prati.
Vbi deinde ex bona herba pauit boues valde mugientes
Et has quidem simul ego ad Stabulum congregatas
Lotum comedentes, & roscidum cyperum.

Et alicubi vbi Hectorem leoni comparat armenta inuadenti, stragemque in ea edenti.

C

Αὐτὰρ ὅ γ' ὥστε λέων ὀλοόφρων βουσὶν ἐπελθὼν,
Αἵ ῥά τ' ἐν εἱαμενῇ ἕλεος μεγάλοιο νέμονται
Μυρίαι. &c. idest,
Sed is tanquam leo pernitiosus bobus superueniens,
Quæ in prato paludis magna pascuntur,
Infinita.

Theocritus in Hercule leonis interfectore Augiæ regis innumera fuisse canit armenta, ideoque in diuersis locis habuisse pascua, vbique tamen iuxta fluenta;

Ποίμναι μὲν βασιλῆος εὔτριχες Αὐγείαο
Οὐ πᾶσαι βοσκονται ἴαν βόσιν, οὐδ' ἕνα χῶρον;
Ἀλλ' αἱ μὲν ῥά νάοντος ἐπ' ὄχθαις ἀμφ' Ἐλισοῦντος,
Αἱ δ' ἱερὸν θείοιο παρὰ ῥόον Ἀλφειοῖο,
Αἱ δ' ἐπὶ Βουπρασίου πολυβότρυος. αἱ δὲ, καὶ ὧδε.
Χωρὶς δὴ σηκοί σφι τετυγμένοι εἰσὶν ἑκάστοις.

D

Αὐτὰρ βουκολίοισι περιπλήθουσί περ ἔμπης
Πάντεσσιν νομοὶ ὧδε τεθηλότες αἰὲν ἔασι
Μηνίου ἂμ μέγα τῖφος. ἐπεὶ μελιηδέα ποίην
Λειμῶνές τε φέρουσιν ὑπόδροσοι εἱαμεναί τε
Εἰς ἅλις, ἥ ῥα βόεσσι μένος κεραῇσιν ἀέξει. &c. idest.
Greges quidem lanigeri, regis Augiæ
Non omnes in ijsdem pascuis, aut eodem in loco pascuntur,
Sed alij ad circumque ripas fluentis Elisuntis,
Alij ad sacra fluenta diuini Alphei,
Alij ad Buprasium vitiferum: alij & hic.
Separatim & illis stabula extructa sunt singulis,
Verùm armentis, quamuis magno numero sunt, tamen
Omnibus pascua hic virentia semper sunt,
Circa magna palustria Menij, nam dulces herbas
Prata ferunt roscida & loca irrigua
Abundè, quæ cornutis bobus robur augent.

Simi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Egl. 7.

Similiter cecinit Virgilius: E

Et ſi quid ceſſare potes, requieſce ſub vmra
Huc ipſi potum venient per prata iuuenci,
Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius: Idem aliàs.

Georg. 2.

Sin armenta magis ſtudium, vituloſque tueri
Aut fœtus ouium, aut vrentes culta capellas,
Saltus & ſaturi petito longinqua Tarenti
Et qualem infœlix amiſit Mantua campum
Paſcentem niueos herboſo flumine cycnos.

Georg. 3.

Clariſſimè verò de boue oneri nimio ſuccumbente:

Ecce autem duro ſudans ſub vomere taurus
Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem:
Extremoſque ciet gemitus. It triſtis arator
Mœrentem abiungens fraterna morte iuuencum, F
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non vmbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata mouere animum;

Et alibi rurſus de tauro Paſiphaes:

Forſitan illum
Perducant aliquæ ſtabula ad Gortynia vaccæ.

Lib. 4. Argonaut.

Ita & Valerius Flaccus ait:

Proxima Bebrityj panduntur littora regni,
Pingue ſolum & duris regio non inuida tauris.

Lib. 3. Aduerſ. — *Buceta quæ.* — *Syluas amant.* — *Odyſſ. N.*

Ita & Herculem fingunt boues Geryoni ſurreptos iuxta Tyberim loco herbido, læto refeciſſe pabulo. Laudo itaque qui βϐνομϐς, loca interpretantur paluſtria, bubuſque paſcendis apta, pro quibus apud Suidam βϐνόμϐς ἀκτάς legimus, ideſt paſcua littora, & βϐνόμϐς ἐπιϛροφὰς, loca in quibus boues paſcuntur. Eadem & buceta vocantur, vt Turnebus ait: & βϐκολὶς γῆ, terra eſt, vbi commodè boues paſcuntur. Amat etiam ſyluas hoc pecus, maximè vbi fontes abundant; id quod Itacæ exemplo docet Minerua apud Homerum, quæ, vt ait: G

Ἤτοι μὲν τρηχεῖα καὶ ὀυχ ἱππήλατός ἐϛιν,
Οὐδὲ λίην λύπρὴ, ἀτὰρ ὀυδ' ἐυρεῖα τέτυκται,
Ἐν μὲν γάρ ὁ σῖτος ἀθέσφατος, ἐν δέ τε οἶνος
Γίγνεται. αἰεὶ δ' ὄμβρος ἔχει, τεθαλυῖά τε ἔρση
Αἰγίβοτος δ' ἀγαθὴ καὶ βϐβοτος. ἔϛι μὲν ὕλη
Παντοίη, ἐν δ' ἀρδμοὶ ἐπηετανοὶ παρέασιν.
Certè quidem aſpera & non equitabilis eſt,
Neque valdè ſterilis, at neq; lata eſt
Bene quidem enim teiticum multum, & bene autem vinum
Adeſt, ſemper autem pluuia habet illam vireſcenſq; ros:
Paſcendis commoda & bubus. Eſt quidem ſylua
Omnigena: benè autem irrigationes perpetuæ adſunt.

Locorum aridorum vtilitas. — *Pabuli menſura vt ſeruanda.*

Apud Heſiodum, vbi hic bouem ὑλοφαγον vocat, interpres vertit arboriuoram, malim qui ſyluas depopulatur. Quamuis autem iſtiuſmodi loca ament, ſicciora tamen propterea non ſunt omnino ſpernenda, ſed habent etiam, in quibus, irrigatis præferuntur, quod diſcimus ex Columellæ hiſce verbis: *Vaccas paſci oportet in locis viridibus & aquoſis: amant enim paſcua locorum irriguorum: Quamuis butyrum (vt audio) colore ſaporeque præſtantius ſit ex paſcuis ſiccioribus quàm paluſtribus.* Idem ait ſi regionis ratio patitur, nullus melior cibus eſt, quàm viride pabulum. Vbi verò deeſt, eo ordine miniſtrari iubet, quo pabuli copia & laborum coget acceſſio. Ait item maritima, & aprica hyberna hoc armentum deſiderare, quia melius frutetis & his herba innaſcente ſaturetur: æſtate in opaciſſimis nemorum commodè paſci, vbi virgulta & frons multa; & in montium altis frondoſiſque magis quàm planis paſcuis. Nam melius nemoribus herbidis & frutetis & careċtis, quàm lapidoſis locis durari vngulas. Nam tam fluuios riguoſque deſiderare, quàm lacus manu factos: quoniam fluuialis aqua quæ ferè frigidior eſt, partum abigit, & cæleſtis iucundior eſt. Hæc ille, & rurſus: Boues rectè paſcendi non vna ratio eſt: nam ſi vbertas regionis viride pabulum ſubminiſtrat, nemo dubitat, quin id genus cibi cæteris præponendum ſit: quod tamen niſi riguis & roſcidis locis non contingit: itaq; in ijs ipſis vel maximum commodum eſt, quod ſufficit vna opera duobus H

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

E A bus iugis, quæ eodem die alterna temporum vice vel arant, vel pascuntur: Et quamuis modo peculiaribus herbis delectentur, sunt tamen omniuoræ, vt testatur Plinius his verbis: *Tradunt Arcades quidem non medicaminibus vti, sed lacte circa ver, quoniam tunc maximè succis herbæ turgeant, medicenturque vbera pascuis. Bibunt autem vaccinum, quoniam omniuoræ ferè sunt in herbis.* Certè & Dioscorides omnibus herbis, & copiosè pasci tradit, ideoque lac earum purgandi causa per ver bibi. Huc spectat illud coqui apud Plautum, quo alios coquos ridet, quod tam diuersis herbis cænam condiant quasi boues essent alturi: *Omniuori sunt.* *Lib. 25. c. 8.* *Lib. 2. 62.* *In Pseudolo.*

Non itidem cænam condio, vt alij coqui
Qui mihi condita prata in pascuis proferunt
Boues qui conuiuas faciunt, herbasque oggerunt,
Eas herbas herbis alijs porrò condiunt. &c.

Nunc quibus maximè stirpibus delectentur, indicemus. Nulla autem planta gramine per agros copiosior, vtpote à gradiendo nomen obtinente. Hoc præcipuum boum pabulum. Virgilius: *Quibus stirpibus delectentur.* *Egl. 5.*

F *Frigida Daphni boues ad flumina, nulla, neque amnem*
B *Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.*

Et Nemesianus Maronianæ elegantiæ consectandæ studiosissimus, ait: *Gramen.* *Egl. 2.*

Nulla meæ trinis tetigerunt gramina vaccæ
Luciferis, nulloque biberunt amne liquores
Siccaque fœtarum lambentes vbera matrum
Stant vituli, & teneris mugitibus aera complent.

Non semel tamen gramen generaliter pro omni herba sumitur, atq; hoc sensu Q. Calaber de Penthesilea loquens hac vtitur similitudine: At illa alibi alios sternere proparabat, vt quando iuuenca ,, suauis graminis amore capta, verno tempore in roscidum aliquem hortum insilit, & absente domi- ,, no aliundè aliò fertur, lædens omnes tenellas plantas: nam has quidem decernit, has verò pedibus ,, proterit: sic certè Mauortia virgo in Græcorum naues turmatim impressionem faciens, hos quidem ,, obtruncat, alios verò metu exanimauit. Quantum autem detrimenti hortis inferat hoc armentum, ,, innuit Virgilius, dum canit: *Georg. 2.* *Hortis vt noceant.*

G C *Texendæ sæpes etiam & pecus omne tenendum est,*
Præcipuè dum frons tenera, imprudensque laborum.

Cæterùm non omne anni fert tempus viride pabulum, quamobrem Hesiodus monet, vt de fœno paleisque in futuram prospiciamus hyemem: *Fœnum.*

Χόρτον δ' ἐσκομίσαι καὶ συρφετὸν, ὄφρά τοι εἴη
Βουσὶ, καὶ ἡμιόνοισιν ἐπηετανόν. idest,
Fœnum autem importato & paleas, vt tibi sit
Bobus ac mulis annuum pabulum.

Apparetque fœnum præcipuum huius pecoris pabulum esse: nam & in sacris literis habemus: *Ecce Behemoth quem feci tecum, fænum quasi bos comedet.* Plinius ait, fœnum alibi bis tantum, alibi ter aut quater anno secari: sed armentorum id cura, (inquit) iumentorumq; progeneratio suum cuique consilium dabit optimum, maximè quadrigarum quæstus. Inter cæteros frutices cytisus mirum in modum commendatur: Quamobrem Columella cytisum in agro esse quàm plurimum maximè referre ait, quod bubus & omni generi pecudum vtilissimus sit, quia ex eo citò pinguescit, & lactis plurimum præbet ouibus: tum etiam quod octo mensibus viridi eo pabulo vti & postea arido possit: *Iob. 40.* *Cytisus.*

H D Præterea in quolibet (inquit) agro quamuis macerrimo celerrimè comprehendit: omnem iniuriam sine noxa patitur. Satio autem huius stirpis (fusius enim de tam salutari omni pecudi stirpe dicere conuenit) secundum eundem scriptorem, vel autumno circa idus Octob. vel vere fieri potest. Cùm terram bene subegeris, areolos fieri iubet, ibique velut ocymi, semen cytisi autumno serito. Plantas deinde vere disponito, ita vt inter se quoquo versus quatuor pedũ spatia distẽt. Si semen non habueris, cacumina cytisorum vere disponito, & stercoratam terram circum aggerito. Si pluuia nõ incesserit, rigato quindecim proximis diebus, simulatq; nouam frondẽ agere cęperit, sarrito, & post triẽnium deinde cędito & præbeto. Equo abunde est viridis pondo xv. bubus pondo vicena: cæterisque pecoribus pro portione virium. Potest etiam ante Septembrẽ satis cõmodè ramis cytisus seri, quoniam facilè comprehendit & iniuriã sustinet. Quod si modò aridum pr̨bere anni qualitas postulet, iubet, vt parciùs prębeamus, quoniã vires tũc maiores habeat, priusq; aqua macceremus, & exemptũ paleis permisceamus. Cũ aridũ facere volũtas est, circa mẽsem Septemb. vbi semen eius grandescere incipiet, cædi iubet, paucisq; horis, dũ flaccescat, in Sole haberi, deinde in vmbra exiccari, atq; ita cõdiri. Plinius cytisum inter ea recenset, quę nõ multo indigẽt succo, ideoq; in tenuiore terra serẽda sunt. Idẽ de eius laudibus hæc memoriæ prodidit: *Frutex est & cytisus, ab Aristomacho Atheniensi* *Cytisi satio.* *Lib. 13. cap. 24.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

miris laudibus prædicatus pabulo ouium, aridus verò etiam ſuum: ſpondetque iugero eius annua IIS. MM. vel mediocri ſolo reditus. Vtilitas quæ eruo, ſed ocyor ſacietas, per quam modico pingueſcente quadrupede, ita vt iumenta hordeum ſpernant. Non ex alio pabulo lactis maior copia, aut melior, ſuper omnia pecorum medicina à morbis omni vſu præſtante. Quin & nutricibus in defectu lactis aridum, atq; in aqua decoctum, potui cum vino dari iubet: firmiores celſioreſque infantes fore. Viride etiam gallinis, aut ſi aruerit, madefactam. Apes quoque nunquam defore cytiſi pabulo contingente, promittunt Democritus & Ariſtomachus. Nec aliud minoris impendij eſt. Seritur cum hordeo, aut vere, ſemine vt porrum, vel caule autumno ante brumam. Si ſemine madidum. Et ſi deſint imbres, ſatum ſpargitur. Plantæ cubitales ſeruntur ſcrobe pedali. Seritur poſt æquinoctia tenero frutice. Perficitur triennio. Demetitur verno æquinoctio cum florere deſinit, vel pueri, vel anus vtiliſſima (forte viliſſima) *opera. Canus aſpectu, breuiterque ſi quis exprimere ſimilitudinem velit, anguſtioris trifolij frutex. Datur animalibus poſt biduum ſemper, hyeme verò quod inaruit madidum. Satiant equos denæ libræ, & ex portione minora animalia: obiterque inter ordines allium & cepe ſeri fertile eſt. Non æſtuum, non frigorum, non grandinum aut niuis expaueſcit iniuriam. Inuentus hic frutex in Cythno inſula, inde translatus eſt in omnes Cycladas, mox in vrbes Græcas, magno caſei prouentu: propter quod maximè miror rarum eſſe in Italia, Adijcit Hyginus, ne hoſtium quidem, propter nullam gratiam ligni.* E F

Lib. 5. c. 11. Lac dulce ex cytiſo. Hactenus Plinius. Columella teſtatur à cytiſo dulce & pingue lac produci. Mulieresque ſi lactis inopia premuntur, cytiſum aridum in aquam macerari oportere aſſerit; & cùm tota nocte permanſerit, poſtero die expreſſi ſucci ternas heminas permiſceri modico vino, atque ita potandum dari: ſic & ipſas valituras, pueroſque abundantia lactis confirmandos iri. Sed dicet aliquis oſtendendum erat, cytiſi eſum bubus, non homini, vtilem eſſe, non alijs quadrupedibus. Is audiat Maronem conſultiſſimum quoque agriculturæ.

Egl. 5. *Sic cytiſo paſtæ diſtendent vbera vaccæ.* Et rurſus:

Georg. 5. *At cui lactis amor, cytiſum, lotoſque frequentes*
Ipſe manu, ſalſaſque legat præſepibus herbas.

3. Hiſt. 21. Cæterùm etſi lac tantoperè augeat, non omni tamen anni tempore, eius eſus pecori vtilis, ſi Ariſtoteli credimus. „ Cytiſus (ait) auget lac, vt eruum, ſed dum floret, incommodus eſt, vrit enim tantiſper, & extinguit. „ *9. Hiſt. 21.* Nam aliàs etiam inquit: „ Pabuli genus aliud copiam lactis extinguit, vt Medica herba, & præcipuè ruminantibus: „ aliud auget, vt cytiſus & eruum. G *Eruum vt laudatum.* Vbi obſeruandum eruum quidem pro eſu bubuli pecoris ſummoperè à veteribus commendari, cæterùm addita cautione, ne menſe Martio ſeminetur. *Lib. 2. c. 11.* Teſtatur enim Columella vniuerſum hunc menſem negari ab agricolis huic legumini conuenire, quòd eo tempore ſatum pecori ſit noxium, & præcipuè bubus, quos (inquit) pabulo ſuo cerebroſos reddit. Plinius verò non ſolùm Martio menſe ſatum, noxium eſſe bobus dici aſſerit, ſed item autumno grauedinoſum: innoxium autem fieri primo vere ſatum. Alicubi quoque idem Plinius, enumeratis primùm quæ ex erui vſu proueniunt, malis, madefactum pluribus diebus miteſcere cùm dixiſſet, bubus iumentiſque vtiliſſimum eſſe ſcribit, quaſi etiam crudum non innoxium ſit: Equidem Dioſcorides boues eruo elixato pingueſcere ſcribit, & Galenus: *Lib. 1. Alim.* „ Boues apud nos (inquit) tum apud alias pleraſque gentes eruo prius in aqua dulcorato paſcuntur, homines verò ab hoc ſemine prorſus abſtinent. „ Eſt enim inſuauiſſimum & praui ſucci. Et libro inſequenti boues eruo ità paſci ſcribit, vt helleboro coturnices, cicuta ſturni. Quamobrem haud omninò probare poſſum Iacobum Pontanum, qui in hoc verſu Maronis:

Egl. 3. *Eheu quàm pingui macer eſt mihi taurus in aruo,* H
Idem amor exitium eſt pecori, pecoriſq; magiſtro:

pro aruo legit eruo. Mirum eſt, inquit, in pingui eruo, hoc eſt, in tam bono & alibili pabulo tauros eſſe macros. *In Muſtell.* Fuiſſe verò erui vſum apud veteres vulgarem, Grunnio ſeruus etiam apud Plautum indicat. *Eruum daturine eſtis bobus quod feram?* Varinus eruum inde βὅτρωκτον, fortè βοτρωκτὸν nominat. *Lib. 18. cap. 15.* Democritus, ne boues fiant debiles, id maceratum ſingulis menſibus in potu exhibet. Plinius ſingulis boum iugis quinos modios ſufficere in paſtu ait. *Medica herba.* Obſeruandũ autem etiã quod ait Ariſtoteles, medicam herbam, copiam lactis extinguere, cùm tamen Sotion nõ poſtremus Græcorum Geoponicorum cytiſo aut medica herba lactentes boues nutriri aſſerat: ſicque plus contenturas lactis. Idem quoque affirmat M. Varro. Qui in Hiſpania rem obſeruarunt, vbi quotidianus in iumentorum pabulo eius vſus eſt, referunt nullo cibo prius magiſque lætari & pingueſcere iumenta pecuſq; omne: parcius tamẽ dari, quoniam inflet & multum creet ſanguinem; quẽ deducere poſtea neceſſe ſit, annotante Virgilio Marcello. *In horto medico.* Fieri itaq; poteſt (inquit Ioacchimus Camerarius,) vt lactis abundantiæ conducat, modo non ad ſacietatem vſq; vaccis præbeatur: id quoq; Plinius quoq; vetat, alioquin nihil mirum Ariſtotelem vera ſcribere, & vniuerſo in ſanguinem, adipem, & carnes alimento redacto, non ſupereſſe quod in lac conuerti debebat. Sic Camerarius, cuius quidem ratio-

nes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A nes non illaudandæ sunt, cæterùm in lactentibus vaccis meo iudicio locum non habent. Omnia
enim quæ multum & copiosum præbent alimentum, lac etiam præbent copiosum, & corpus simili-
ter multum augent: at in lactentibus lac generatur copiosum, corpus tamen non augetur, quia
quod ad corporis augmentum accedere debebat, à lactantibus trahitur animalibus; & contrà in nō
lactentibus, in corporis alimentum absumitur. Iacobus Dalechampius syluestrem medicam in ple-
risq; Hispaniæ locis, præsertim in regno Valentino diligenter seri scribit, eoq; iumenta saginari.
Albertus Magnus, quæ ex Aristotele de medica diximus, vicinitate nominis deceptus, ad melicam
siue melegam, idest, milium Indicum imprudenter transtulit: (& Hispani medicam melguas di-
cunt, vt Lusitanus quidem apud Dioscoridem annotauit,) cùm sit medica teste Dioscoride trifolio
pratensi similis. Quanquam autem hæc quoque olim vulgaris fuerit, & per totam Italiam pro pe-
core sata, nostro tamen tempore nos (inquit Matthiolus) deseruisse videtur. Theophrastus asserit
omne emaciatum armentum ex ea pinguefieri, ægrotantiq; pecori remedio esse. Ad maciem equo-
rum, vt Columella prodidit, nulla res tantum quantum medica potest. Est & loti esus omni peco-
ri commodissimus, ideoque in multis Italiæ locis eo agri conseruntur. Alimentum plurimum opti- *Lotus.*
B mumque præbet, quia subdulcis est, & semel sata herba restibili per aliquot annos (quod de me-
dica veteres etiam scribunt,) fœcunditate germinat. In syluis carice quoque delectatur, ex cuius *Carex.*
esu robur acquirere etiam innuere apparet scientissimum poetam, siquidem taurum in certamine *Georg. 3.*
victum, noua meditantem prælia frondibus se explere ac carice canit, ac mox in certamen de-
scendere;

Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura iacet pernix instrato saxa cubili,
Frondibus hirsutis, & carice pastus acuta.

In Narboniensi prouincia, vt memoriæ prodidit Plinius, nobilis fons Orge nomine est, in quo herbę *Lib 18. cap. 22.*
nascuntur, in tantum expetitæ bobus, vt mersis capitibus totis eas quærant: Additque hoc miracu-
lum; quod sit certum illas in aqua nascentes, nisi imbribus ali. Ergo suam (inquit) quisque terram *Gramen mirè à bobus expetitum.*
aquamque nouerit. Ad quem Plinij locum Dalechampius commentans ait, in Ligeri amne, qua
per Velaunios fluit, hoc idem boues facere, & in Sebusianorum piscinis. Et in vniuersali stirpium
historia, agens de Cinna gramine, in Sebusianorum lacunis (inquit) stagnis & pigris aquis, gra-
C men nascitur longissimis folijs, subrubris, innatantibus aquæ, quorum tam auidi sunt boues, vt dum
ea persequuntur, ad ventrem vsque se immergant, & toto capite sub aquam deiecto, ea depascan-
tur: quo pabulo eximiè saginantur boues, vaccæ verò lacte multo fœcundiores sunt, quàm in finiti-
mis locis, extra regionis illius palustrem situm. Ait autem id gramen quibusdam Ciliciam cinnam
putari, qui aliter apud Dioscoridem de hoc gramine agentem legunt, quàm in vulgaribus codici-
bus legitur, in quibus nimirum dicitur boues inflammare, illi verò ex antiquo (inquit) codice legūt:
γεννᾶται δὲ ἐν Κιλικίᾳ εἶδος ἕτερον, ἣν Κίνναν ἐπιχορίως καλοῦσιν, ἥτις ὑγρὰ βρωθεῖσα πολλάκις πίμ-
πλησι τοὺς βόας: idest: *Gignitur in Cilicia etiam species* (graminis) *alia, quam vernaculo sermone ap-
pellant cinnam, quæque vorata crebrò, atque viridis boues replet.* Natus est alterutris error, quod il-
li πίμπρησιν, idest, inflammat, hi πίμπλησι, idest, replet, legant sensu planè diuerso. Polygonum
ait Tragus mirè etiam à bobus expetitur, quamobrem multis in locis fasces ex eo collectos offerūt.
Aristoteles vlmum apibus gratam, & frondibus eius boues pinguescere testatur. Iucundissimum sa-
ne bubus pabulum adfert hæc arbor. Maximè autem commendatur Attinia teste Columella, no- *Vlmus.*
strate procerior lætiorque, frondem iucundiorem bubus præbens, qua cùm assiduè pecus alueris, & *Lib. 5. c. 6.*
D postea generis alterius frondem (inquit) dare institueris, fastidium bubus affert. Itaque si fieri po-
test, totum agrum genere vno Attiniæ vlmi conseremus; sin minus, dabimus operam, vt in ordini-
bus disponendis, pari numerò vernaculas & Attinias alternemus, ita semper mista fronde vtemur,
& quasi hoc condimento illectæ pecudes fortius iusta cibariorum conficient. Nostrates agricolæ
nullam frondem maioris faciunt, sed hac præcipuum corpori robur addi, viresq; mirum in modum
restaurari persuasum sibi habent; quamobrem post exantlatos magnos labores, eam illis exhibent.
Obseruaui etiam salignam frondem ab ipsis commendari, sed quam similiter à veteribus commen- *Salix.*
datam reperio: nam præterquam quod salicis sit mentio apud Maronem in educatione pullorum *Georg. 3.*
ad aratra, Lucretius illo antiquior teneram salicis frondem ceu cupedias quasdam bubuli pecoris *Lib. 2.*
celebrans, ait vaccam ob amissum fœtum suum tanto teneri dolore, atque mœstitia, vt ne salix eam
ab eo dimouere queat, nec limpidissimæ fluentis aquæ:

Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes
Fluminaque vlla queunt summis labentia ripis
Oblectare animum, subitamque auertere curam.

Opulus quia raram, neque idoneam frondem pecori præbet, à plerisque teste Columella repudiata *Opulus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Lib.6.c.3. est. Fraxinus certè capris & ouibns grata est, nec inutilis bubus. Ficulnea folia bubus probè dari E

Quercus possunt, inquit etiam Columella, ſi ſit eorum copia. Quernam tamen frondem ceu meliorem præ-

Olea. fert, vel oligneam, ſed eius generis quæ ſpinas non habet. Nostri agricolæ quernam frondem improbant, quamobrem niſi in otio agentibus offerunt: contra Columellæ, vt vides, præceptum: ſed

Lib.3.Eleg. 33. & Propertius de Io loquens, huius frondis meminit:

Cùm te iuſſit habere puellam cornua Iuno,
Et pecoris duro prodere verba ſono,
Ah quoties quernis læſiſti frondibus ora,
Manſiſti ſtabulis abdita paſta tuis.

Odyſſ.M. Et Vlyſſis ſocij boues Apollinis cum hordeo carerent, querna fronde paſcunt:

Αὐτίκα δ' ἠελίοιο βοῶν ἐλάσαντες ἀρίστας
Ἐγγύθεν (οὐ γὰρ τῆλε νεὸς κυανοπρώροιο
Βοσκέσκονθ' ἕλικες καλαὶ βόες εὐρυμέτωποι)
Τὰς δὲ περιστήσαντο καὶ εὐχετόωντο θεοῖσι.
Φύλλα δὲ δρεψάμενοι δρυὸς ὑψικόμοιο.
Οὐ γὰρ ἔχον κρῖ λευκὸν ἐϋσσέλμου ἐπὶ νηός. idest.

Statim autem Solis ex bobus abigerunt optimas
Cominus (non enim longè à naue nigro roſtro
Paſcebantur nigræ pulchræ boues latis frontibus)
Eas verò circumſtabant, & vota fecerunt dijs.
Folia autem decerpſerunt tenerrima quercus alticomæ.
Non enim habebant hordeum album in bene tabulata naue.

Plinius folia querna populeaque animalibus Cato (inquit) iubet dari non perarida: bubus quidem

Arundo. & ficulnea, ilignaque & hederacea. Dantur & ex arundine, & lauro. De olea locus est non in-

Eidyll.4. elegans apud Theocritum, apud quem Battus ait:

Olea.

Θαρσέω. βάλλε κάτωθε καὶ μοσχία. τὰς γὰρ ἐλαίας
Τὸν θαλλὸν τρώγοντι τὰ δύσσοα. βίτθ' ὁ λέπαργος. idest.

Animum recipio: pelle infernè vitulos: nam oleæ
Ramos radunt, infelices. Heus abi hinc tu albe. G

Alnus nigra. Alni nigri folia etiam bubus vtile pabulum eſſe reperio, quia lactis copiam generant, ea arbor in

ripis Sapinæ noſtræ frequentiſſima. Vitigineis præcipuè autem inhiant, maximè cum adhuc ſunt

Vitis. teneræ ipſæ arbores. Spinis & clatris arundineis eas aduerſus omnis pecoris impetum muniunt agricolæ. Virgilius nihil eſſe quod magis vitibus ſit infeſtum, quodque maiorem adferat peſtem, ait, quàm pecoris morſum; ideoque ſepes diligenter texendas eſſe, vt planè nullus detur aditus atque acceſſio:

Texendæ ſepes etiam, & pecus omne tenendum eſt,
Præcipuè dum frons tenera imprudenſq; laborum,
Cui, ſuper indignas hyemes, ſolemque potentem,
Syluestres vri aſſiduè, capreæq; ſequaces
Illudunt, paſcuntur oues, auidæque iuuencæ,
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut grauis incumbens ſcopulis arentibus æſtas
Quantum illi nocuere greges, durique venenum H
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix.

Improbant verò agricolæ foliorum vitigineorum eſum, præcipuè ſi boues ex labore feſſi ſunt, quoniam vires, vt credunt, minimè reſtaurant. Nunc de frugibus dicendum, nam teſte Ariſtotele

Hordeum. etiam his veſcuntur. Inter quas, vt ex allato paulò antè Homeri loco conſtat, hordeum cuius vi-

Olyra. ce quernam frondem, cùm eo carerent, offerunt ſocij Vlyſſis Solis præſtantiſſimis bubus, non po-

Arinca. ſtremum locum obtinere videtur. Idem poeta iumentis olyram dari monuit, quia in Græcia diffi-

Lib.18.cap.10. culter excutitur Plinius arincam videtur interpretari: Nam alicubi inquit, *Iumentis arinca datur ab Homero. Hæc eſt quam Græci olyram vocant:* vnde etiam errare eos, (inquit Dodonæus in hi-

Cap.4. ſtoria frugum) manifeſtum eſt, qui olyram ſiliginem latinè interpretãtur. Arincam enim à ſiligine Plinius diſtinguit, & præter hæc ſiligo tritici eſt ſecundaria ſpecies, olyra autem Dioſcoride teſte, Zeæ: Cæterùm carius fuerit iſtiuſmodi pabulũ, ſi de ipſis intelligamus granis, quę nobis hominibus ſagaciſſima parens natura genuiſſe videtur. Certè Homerus, cùm ideo olyram præbendam iumentis inquit, quia difficulter excutitur, de recẽtibus ipſis ſtipulis, ac de toto etiã herba manifeſtè loquitur. quo nimirum modo noſtri hodieq; ruſtici auenam loliumq; verno tempore iumentis præbent.

Plinius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Plinius verò dum inquit: *Hordei stipulam bubus gratissimam seruant*, de arida quoque intelligi potest. Minus commodè, vt ait Varro, tuemur armentum paleis, quæ vbique, & quibusdam regionibus solæ præsidio sunt. *Hordei stipula.* Eæ probantur maximè ex milio, tum ex hordeo, mox etiam ex tritico: *Milium.* sed iumentis iustam operam reddentibus, hordeum præter has præbetur. Ioan. Baptista Porta ad boum equorumque pabulum in Italia milium seri tradit: quod si de arido loquitur, vel saltem vbi excussum est, Migliarolam nostri rustici vocant, vero verius est: alioqui integros agros panico cōsitos hic videas non alium ob finem, quàm ad boum pabulum, commendarique ab ipsis obseruaui, *Panicum.* præberique à magnis laboribus. Fabæ largius datæ teste Aristotele, copiam efficiunt lactis. Cicera verò etiam teste Columella bubus erui loco datur fresa in Hispania Betica, *Cicera. Lib. 2. c. 11.* quæ cum suspensa mola diuisa est, paulum aqua maceratur, dum lentescat: atque ista mista cum paleis subtritis pecori præbetur. Sed erui duodecim libræ, satisfaciunt, (inquit) vni iugo, ciceræ sedecim. Lupinus *Lupinus.* item eodem Columella teste, bouem per hyemem coctus, maceratusque probè alit: famem quoque si annonæ sterilitas incessit, hominibus commodè propulsat. Plinius ait: *Lupino est vsus proximus, cum sit & homini & quadrupedum generi vngulas habenti communis: Maceratus calida aqua homi-* B *ni cibo est: nam bouem vnum modij singuli satiant, validumque præstant.* Ait & Florentinus, maceratum in aqua marina & fluuiatili triduo, dulcescere & ita siccatum ad vsum recondi, & quadrupedum generi in cibo esse; boues cum paleis satiare, hominibus commodè cum triticea aut hordeacea farina in panes digeri. De Lupinorum esu iocus legitur apud Comicum facetissimum facetissimus. *In Pœnulo.*

Ag. *Hic trecentos nummos numeratos habet.*
Ad. *Ergò nos inspicere oportet istud aurum Agorastocles,*
Vt sciamus quid dicamus pro testimonio.
Ag. *Agite, inspicete, aurum est.* Co. *Profectò spectatores comicum*
Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbaria boues.

Vocant autem aurum comicum, quoniam in scena nummis ex lupino factis pro aureis vtebantur, *Aurum comicum.* indeque est quod ait Horatius:

Nec tamen ignorant, quid distent æra Lupinis,

C idest, sciunt quantum probati nummi distent à falsis, itemque boni viri à malis. Iam verò præter frondem, & fruges, fructibus quibusdam etiam vescuntur. Cato glandes post sementem legi præcipit & in aquam conijci, vt inde semodius patrata sementi, verno modius bobus singulis detur: *Fructus. Glans.* Glandem quoque hyeme Columella eisdem in pabulo exhibet. Plinius Columellæ quodammodo subscribens, *bobus glandem circa brumam aspergi* (inquit) *conuenit, in singula iuga modios 240. Largior valetudinem infestat: & quocunque tempore detur, si minus triginta diebus continuis data sit, narrant verna scabie pœnitere.* Porta quoque glandes, boum vocat cibum, citans hoc Plauti: *In Truculento.*

Rus mane dudum hinc ire me iussit pater,
Vt bubus glandem prandio depromerem.

Quo tamen loco vir magnus, pro bubus legit subus, quia suum præsertim esca est. Hoc enim pecus diffusum, & grauissimum facit, vt Varro scribit. Ioannes Meursus ob allatas authoritates nihil immutandum asserit. *Lib. 1. cap. 4.* Sed & nostri rustici brumali præsertim tempore glandes offerunt. Strabo author est nucleos dactylorum, siue palmularum in aqua maceratos apud Babylonios bobus ouibusque in pabulum exhiberi. *Nuclei dactylorum.* Idem & in India fieri tradit. Inuenio & apud Theophrastum bo- *Olearum. Lib. 16.* D ues aliaque iumenta visco ali, indeque pinguescere. *Viscum.* Apud Ichtyophagos, idest populos qui ex solis piscibus victitant, Theophrastus referente Plinio, boues quoque pisce vesci tradit, sed non nisi viuente, & Herodotus apud Pęones qui Prasiadem paludem habitant, equis & subiugalibus pisces pro pabulo præberi tradit. *Lib. 2. de caus. pl. c. 23. Lib. 11. c. 53.* Mirari etiam soleo cicuta non abstinere, nec viridi, nec arida. Scatent item prata omnia omni ferè ranunculorum genere, quorum nullum quoq; noxium illis esse apparet. Vnà enim cum reliquis herbis aridis absumuntur. Cyprij boues cur humanis vescantur excrementis, suprà explicatum est, vbi corrigendum Athenæi locum omissum hic restituemus ex Isaaco Casaubono. *Stercus. Lib. 3. c. 15. Athenæus correctus.* „Deinde an ignoras suillos artus eximiam esse Veneri hostiam, in Cypro; here, adeo suibus illa delectatur, vt cùm cogeret boues stercoribus vesci, sues ea necessitate exe„merit. Ibi enim pro σκατοφαγεῖν legebatur καταφαγεῖν, hoc sensu: Ita in Cypro sues amat Ve„nus, vt id animal edi vetuerit, boues verò voluerit. Sed quis nescit (inquit Casaubonus) quæ „περὶ τῶν σκατοφάγων βόων vetustas fabulata est: consulat Festum in Cyprio boue, & peræmiographos. Marcus Varro turdorum fimo ex auiarijs ad agros lætificandos principatum dat: quod *Turdorum fimus.* etiam pabulo boum suumque magnificat: neque alio cibo celerius pinguescere teste Plinio asseuerat. Nunc de potu dicendum. *Aqua.* Andreas Baccius in doctissimo suo opere de thermis, aquas *Lib. 5. c. 2.* palustres tradit, admodum delectare iumenta in potu, & equos earum vsu impinguari, nec vbi

ex labore aut citato incaluerint itinere, dolorum pericula incurrere, vt si frigidas bibant & crudas. Columella ait, non tam fluuios riuosque desiderare, quam lacus manu factos: quoniam fluuialis aqua, quæ ferè frigidior est, partum abigat, & cœlestis iucundior sit. Aristoteles tamen, bouem contrà quàm equum nisi aqua sit clara, frigida atq; limpida, nolle bibere testatur, & Cato iubet per æstatem boues aquam bonam & limpidam, vt bibant, semper curandum, vt valeant, preferre. Vegetius verò ait aquam quidem istius generis animal non requirere nitidissimam, nec vsque adeo lædi, si sordidam biberit: attamen diligentis bubulci esse, procurare, vt mundam semper & optimam bibat. Varro vult vt ad aquam æstate bis appelletur, hyeme verò semel. Quo tempore potus & cibus, E

Quo tempore potus, & cibus offerendus.

& quoties sit exhibendus, audi Columellæ præceptum: *Tempus exhibendi alimenti bobus hyeme erit, primò quidem, dum galli occinunt: secundò autem, secundum matutinum crepusculum: quo tempore etiam dandus est potus, ac reliquum alimenti quod superest, id vesperi exhibendum est. At æstate primo quidem diliculo nutriendi sunt boues: secundo autem post id, hoc est, meridie, ac subinde potus est dandus. Quo quidem modo, circa horam nonam iam tertio cibans, denuo aquam administrabis, Verum hyeme quidem potus sit illis aqua calidior; tepida autem æstate.* Idem Columella ait, bobus pro temporibus anni pabula dispensari: Ianuario mense singulis fresi & aqua macerati erui quaternos sextarios mistos paleis dari conuenire, vel lupini macerati modios, vel ciceruculæ maceratę semodium, F

Vinaceorũ vtilitas.

& super hæc affatim paleas, licet etiam si sit leguminum inopia, & elata & siccata vinacea, quæ de lora eximuntur, cum paleis miscere. Nec dubium esse, quin ea longè melius cùm suis folliculis antequam eluantur, præberi possint, quia & cibi & vini vires habeant, nitidumque, & hilare & corpulentum pecus faciant: grano tamen abstinere. Nostri agriculæ vinacea isthæc cum furfuribus etiam equis exhibent, & granis columbas alunt. Ait etiam frondis aridæ corbis pabulatoria (vtor enim eius verbis) modiorum viginti sufficere, vel fœni pondo triginta, vel si non, modium viridis laureæ & iligneæ frondis: hisque si regionis copia permittat, glandem adijci, cæterùm hanc nisi ad satietatem detur, scabiem parere: posse etiam, si prouentus vtilitatem facit, semodium fabæ fresæ præberi. Mense Februario plerumque eadem cibaria sufficere: Martio & Aprili debere ad fœni pondus adijci, quia terra proscinditur: sat autem fore pondo quadraginta singulis dari: ab idibus tamen mensis Aprilis vsque ad idus Iunias viride pabulum rectè secari: posse etiam in calendas Iulias frigidioribus locis idem præstari: a quo tempore in calendas Nouemb. tota æstate, ac deinde G

Frons quæ vtilis.

autumno satiari vult fronde, quam non ante ait esse vtilem quàm cùm maturuerit, vel imbribus, vel assiduis roribus, probarique maximè vlmeam, pòst fraxineam, & ab hac populneam, vltimas esse ilignea & querneam, & lauream, sed post æstatem necessariè deficientibus cæteris, posse etiam & folia ficulnea probe dari, si sit eorum copia, aut stringere arbores expediat: ilgneam tamen, vel meliorem querneam esse, sed eius generis quod spinas non habet: nam id quoq; vti iuniperus, respuià pecore propter aculeos. Nouembri mense ac Decembri, per sementem, quantum appetit bos, tantum præbendum esse, plerumque tamen sufficere singulos modios glandis & paleas ad satietatem datas, vel lupini macerati modios, vel erui aqua conspersi sextarios septem, permistos paleis, vel ciceruculæ similiter conspersæ sextarios XII. mistos paleis, vel singulos modios vinaceorum, si ijs, vt suprà dixi, largè paleæ adijciantur, vel si nihil horum est, per se fœni pondo quadraginta. Vegetius

Saturos esse oportere.

nos admonet, maximè esse studendum, vt competentibus redundantibusq; saturi semper habeantur & pingues: testaturque omnem ægritudinem exordium sumere ex macie: exhaustumq; animal celerius laborem frangere, æstum vexare, frigus penetrare. Non solùm enim æstiuis mensibus pascuum sufficere, vbi frondes diuersi generis addantur, & minuat varietas ipsa fastidium. Hyeme H non tantùm paleis, sed fœno quoque, & hordeo & sæpius eruo saginandos esse boues. Nullum autem vberiores ciborum repudiare expensas, qui considerare voluerit boum per inopiam pereuntium, quàm cariora sunt pretia. Cato ait pabulum hoc modo parari darique oportet. Vbi sementim patraueris, glandem parari legique conuenit, & in aquam conijci; Inde semodios, singulis bubus in dies dari oportet, aut modicum vinaceorum, quos in dolium condideris. At si non laborabunt, pascantur, satius erit. Interdiu pascito: noctu fœni pondo XXV. vni boui dato. Si fœnum non erit, frondem iligneam & ederaceam dato. Paleas triticeas & hordeaceas, viciam, acus fabaginum, vel de lupino, item de cæteris frugibus omnia condito. Cùm stramenta condes, quæ herbosissima erunt in tecto condito, & sale superspargito. Deinde ea pro fœno dato. Vbi verno dare cœperis, modium glandis aut vinaceorum dato, aut modium lupini macerati & fęni pondo quindecim. Vbi

Ocymum.

ocymum tempestiuum erit, dato primum. Manibus carpito, id renascetur; quod falcula secueris, nõ renascetur. Vsque ocymum dato, donec arescat, ita temperato, post viciam dato, postea panicum dato, secundum panicum frondem vlmeam dato. Si populneam habueris, admisceto, vt vlmea satis fiet. Vbi vlmeam non habebis, quernam & ficulneam dato. Idem rursus, bubus cibaria annua

Cap. 60.

in singula iuga lupini modios CXX. ac glandis modios CCXL. fœni pondo LXXI. ocymi tantundem: fabæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A bæ modios xx. viciæ modios xxx. esse ait. Præcipitque vt præterea satis viciæ seras: pabulum cùm se-
ras, multas (inquit) sationes facito. Varro ait: pabulum primum, ocymum, f rraginem, viciam, *Lib. 1. c. 31.*
nouissimum fœnum secari oportere. Quid sit ocymum, suprà indicauimus: farrago dupliciter, pu-
to, intelligi potest, vel pro seminum leguminumque diuersorum miscella; vel cùm diuersarum her- *Farrago.*
barum, vel frugum semina inuicem permixta terræ mandamus, vt inde miscella colligatur herba-
rum. Ruellius tradit, duplici ratione apud Gallos secalen seri, vel simplicem, vel triticum aut far *Secale.*
misceri æquis ferè partibus. Miscellaneam hanc segetem illis mistellam quasi miscellam nomi-
nari: conditiuamque excussis etiam granis farraginem rusticos appellare, quemadmodum & fasces
& manipulos inde compositos, farreum. Eam per hyemem iumentorum pecudumque pabulo ce-
dere, & pro lætamine etiam esse: idque causæ fuisse arbitratur, cur secale Plinio farraginis genus
fuerit. Farrago ex recrementis farris prædensa seritur, admista aliquando & vicia. Eadem in
Africa fit ex hordeo, vnde hordeacea farrago dicitur. Farragini quæ ex hordeo est, Columella *Farrago hor-*
pabulorum secundas partes tribuit, eam in restibili stercoratissimo loco & altero sulco serere con- *deacea.*
uenit. Fit optima cum cantherini hordei decem modijs iugerum obseritur, circa æquinoctium
B autumnale, sed impendentibus pluuijs, vt consita rigataque imbribus celeriter prodeat, & confir-
metur ante hyemis violentiam. Nam frigoribus cùm alia pabula defecerunt, ea bubus cæterisq;
pecudibus optimè dissecta præbetur, & si depascere sæpius voles, vsque in mensem Maium sufficit.
Quòd si etiam semen ex ea voles percipere, à calendis Martijs pecora depellenda, & ab omni no-
xa defendenda est, vt sit innoxia frugibus. Hactenus Ruellius. Pinguescunt boues teste Aristotele, *Vt pingue-*
ijs quæ flatum cient, vt eruo & faba fresa, atque etiam ipsa fabarum herba. Et seniores, si cute in- *scant.*
cisa spiritum adigas, deinde præbeas pabulum, pingues (inquit) facies. Adhæc hordeo vel integro,
vel pinsito, & a gluma separato pinguescunt, & dulcibus, vt ficu, & passa: vino etiam & frondibus
vlmi: sed præcipue Sole & calida aqua. Hæc ille, quę ferè Plinius repetit, atque explicat quodam-
modo, nam incisa cute spiritum in viscera arundine adigi scribit. Porta verò, nescio an ex proprio *Lib. 2. Mag.*
periculo, falsam pinguedinis speciem boues repræsentaturos ait, si in seniorum crura incisa spiritum *nat. c. vlt.*
adigas, ac mox pabulum præbeas. Idem Porta, nos (inquit) Surrento domi alimus, eique ciborum *Lib. 14. cap.*
reliquias præbemus, vel duabus matribus vitulos submittimus, sic copioso lacte alti, vix sustinent *5.*
pinguedine ambulare. Præterea in præsepijs salis lapides sternimus, vt lambendo sitiant & bibant,
C & sic inusitatæ pinguedinis & teneritatis efficimus. Obseruaui ego recrementis illis quæ post ex-
pressum ex nucleis nucum, oleum, in liborum fere figuram efformantur, boues insigniter saginari
præsertim brumali tempore in stabulis, audioque in Hollandia similia liba, sed seminis, vel raparũ,
vel cannabis recrementa copiosè præberi vaccis in potu, vt inde & habitiores fiant, & lactis insuper
fœcundiores. Optimè autem & boues & vaccæ saginabuntur in pascuis herbidis, & frumento, item
rapis, brassica, pomis: aut si pascua desint in stabulis, mista paleis triticeis, hordaceisue farina. In lo-
cis vbi fit cereuisia, farina eius excrementis permixta mirum in modum hæc animalia impinguat.
Vidi non semel qui vinacea cum furfuribus exhiberent, non sine vtilitate. Item pinguescere So-
tion tradit, si redeuntibus à pascuis prima die brassicam concisam acri aceto maceratam præbeas,
deinde paleas excussas & furfuribus triticeis mistas ad dies quinque, aut sex sequentibusque die-
bus pabulum paulatim auxeris: & hyeme quidem circa gallinacei horã nutrieris, dein circa dilucu-
lum. Aristoteles ait, facilè saginari si labore abstineant. Aiunt nonnulli post laborem pinguesce-
re, at si ante laborem victu & ocio abundent, citiùs emori. Apparet autem veteres etiam in tene-
bris eos saginasse, præcipuè coquos, id quod colligo ex hisce Plutarchi verbis: Veri amoris ne mini- *In amato-*
D ma quidem particula in gynæcio extat: negoque ego nos dum aduersus mulieres aut virgines affi- *rio.*
cimur amore: nam neque musca lac, neque fauos apis amat; neque saginatores & coqui beneuolen- "
tiæ cum vitulos, & aues in tenebris saginant, &c. Mirum autem existit, quantum pinguedinis ali- "
quando corpori adijciant, Varro memorat iuuencam quandam pinguedine carnis adeo auctam *Vt pingue-*
esse, vt in eius corpore sorex exesa carne nidum fecerit, & mures pepererit: quod in sue etiam in *scant.*
Arcadia spectatum sit. Quæ res si vera est, vt tanto viro fides præstanda est, iam minus miror, quod
de Dionysij tyranni voracitate pinguedineque his verbis prodidit memoriæ Aelianus, Dionysium *Lib. 9. Var.*
Herocleotam filium Clearchi fama est ex quotidiana voracitate luxuque paulatim se ipsum nimia *hist.*
carne ac pinguedine impleuisse. Immensa igitur corporis crassitudo & carnis incrementum, spiran- " *Dionysii*
di facultatem ei adimebant, Medici verò, hoc ei remedium illius morbi præscripserunt, vt tenuissi- " *pinguitu-*
mis acubus ad hunc vsum paratis, latera transmitteret, easque per ventrem impelleret. Id negotium " *do.*
alijs datum est: & donec acus carnem agnatam & quasi alienam transfoderet, ille non aliter iacuit "
quàm lapis: cùm verò transisset eò, vbi validum erat, & genuinum corpus, neque ex nimia pingue- "
dine ascititium, tum persentiscebat, & è somno excitabatur. Ex quibus historijs in cute ob nimium "
adipem sensum tactus mortuum esse discimus, quia, ni fallor, spiritus ad eam, vt dictum est, non per-
uenit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

uenit. Vt itaque ad boues reuertamur, hi in remotiſſimis ad Septentrionem Oceani Germanici inſulas adeò pingueſcunt, vt periculum ſit, ne præ nimia moriantur pinguedine. E

GRESSVS. INCESSVS.

Leporem boue venari.

LENTVS planè, tarduſque, ne dicam, piger, ingreſſus boum eſt, de quo antiquum habemus adagium; Ἀτρέμας βοῦς, ideſt, *lente bos*, ſubaudiendum, incedit, vel mouet pedem. Hinc & boue leporem venari dicimus, cuius dicti meminit Plutarchus in volumine de animi tranquillitate: Non is (inquit) fortunatus eſt, qui iaculari aratro, aut boue leporem venari voluit, neque ei qui fruſtra verriculo aut funda captauit ceruum, vllus malus aduerſatur genius, ſed ſtultitia & peruerſitas eum ad tentanda impoſſibilia adigunt. Idem Plutarchus in commento de Iſide & Oſiride tradit mulieres Eleenſes publicis & ſolennibus votis ad hunc modum ſolitas Bacchum inuocare, vt accederet βοέῳ ποδὶ, ideſt bubulo pede, ſiue quòd huic animanti, cùm ſit viribus immenſis præditum, deinde tanta corporis mole, tamen peculiare videatur, quaſi; proprium pedetentim ingredi, nulloq; ſtrepitu, vel quòd pedes bouis arua calcata reddunt meliora, cùm reliquorum animantium noceant. F

Eleēſes mulieres, vt Bacchū inuocare ſolitæ.

D. Hieronymus ad B. Aurel. Auguſtinum ſcribens, eumque deterrere cupiens, ne iuuenis ſenem prouocet; *Memento* (inquit) *Daretis, & Entelli, & vulgaris prouerbij, quòd bos laſſus fortius figat pedem.* Quod prouerbium ad lentum quoque animantis inceſſum referendum videtur: nam bos laſſus tardius quidem ſolito incedit, cæterùm vt fit in omni laſſitudine, ob diſſolutos ſpiritus corpus redditur grauius, atque adeo pes fortius in terram propter pondus imprimitur, etſi author adagiorum à veteri trituræ more adagium ductum videri inquiat, cùm ſuperactis à bubus ſuper manipulos plauſtris grana excutiebantur: partim à rotis in hoc armatis, partim à taurorum vngulis. Qui moraliter Eleenſium mulierum preces interpretantur, Bacchum bubulo pede ad ſe vt veniret, oraſſe aiunt, vt ſuam ita modeſtiam oſtentarent, cùm nihil minus fœminam decet, quàm præcipitantia, vel ardor audaciæ. Petrarcha ad idem reſpexit adagium, dum ait:

Bos laſſus fortius figit pedem.

Lachrimando & cantando i noſtri verſi,
E col bue Zoppo andrem cacciando l'aura. G

βουβάρας interpretatur, qui inſtar bouis tardus, grauis & ſtupidus eſt.

ÆTAS.

Lib. 9. c. 64. Aetas vt cognoſcatur.

BOVM ætas (inquit Pet. Creſcentienſis) cognoſcitur, quando mutant dentes; Mutant enim anteriores anno euoluto, & decem vel octo menſibus: deinde poſt ſex menſes paulatim amittunt proximos, donec intra triennium omnes mutauerint. Quo quidem tempore optimè habiti ſunt, & in vigore ad decem vſque vel quindecim annos perſeuerant. Viuūt ad quatuordecim vſq;, vel quindecim annos. In ſtatu dētes habent pulchros, longos & æquales: qui per ſenectutem eis imminuuntur, nigreſcunt, & corroduntur. Non aduerſatur Plinius, etſi longiorem ætatem eis tribuere videatur inquiens: *Vita fœminis quindecim annis longiſſima, maribus viginti: robur in quimatu:* Nam & Ariſtoteles inquit: Viuunt magna ex parte fœminæ annos quindecim, atque etiam mares exciſi: nonnullis ætas vel ad viginti annos, atque etiam plures, ſi corpore benè habito ſint: nam exciſos aſſuefaciunt, & duces conſtituunt boum, vt ouium, qui plus temporis quàm cæteri viuunt vſu exercitij & copia pabuli. Vigent quinquennes maximè: quocirca Homerum rectè quidam dixiſſe aiunt: *Quinquennem taurum, & bouis luſtro florentis:* Geſnerus ait, ſuos ideſt Heluetios ex circulis quibuſdam qui circa vaccarum cornua naſcuntur ſupernè ferè, de ętate iudicare: illos autem in quimatu ferè ternos eſſe, poſtea plures. Eſſe etiam, qui quoties fœta fuerit, toties ſingulos adnaſci circulos putent. H

Quam diu viuunt.

Qua ætate vigeat.

CASTRANDI RATIO.

In caſtratione quid obſeruandū.

IN caſtrandi ratione duo potiſſimum obſeruanda, tempus nimirum & modus: tempus autem ætatis & anni. Vitulis (inquit Ariſtoteles) tempus caſtrandi anniculis eſt, alioqui minores deformioreſque euadunt. Cui minimè diſſentiunt Varro, & Sotion in geoponicis, dum volunt non caſtrari vitulos ante bimatum, addita ratione, quòd difficulter, ſi aliter feceris, ſe recipiant: qui autem poſtea caſtrantur, duri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A duri & inutiles fiant. Mago itē, vt Columella & Palladius testātur, castrandos vitulos censet, dū adhuc teneri sunt. Idē Mago pro anni tēpore Maium eligit, eodē Palladio teste, hic verò Iunio mense rectè castrari inquit. Modū castrationis habemus in primis apud Aristotelē. Modus (inquit) castrādi hic est. Tractos deorsum testes, atq; obtentos, pressosq; in imum scroti, cultello adacto extrudūt, mox fibras sursum, quoad maximè fieri potest, reprimūt, & plagā infarciūt capillamentis, vt sanies effluere possit, etsi inflāmatur, ignem adhibēt scroto, & respergūt. Græcè legitur, ἐκτέμνονται τὸ τρόπον τῦτον. κατακλίνοντες καὶ ἀποτέμνοντες τῆς ὀσχέας, κάτωθεν τὲς ὄρχεις ἀποθλίβεσιν, εἶτα ἀναςέλλεσι τὰς ῥίζας ἄνω, ὡς μάλιςα, καὶ τὴν τομὴν θριξὶ βύεσιν, ὅπως ὁ ἰχὼρ ῥέῃ ἔξω: καὶ ἐὰν φλεγμαίνῃ, κατακαύσαντες τὴν ὀσχέαν, ἐπιπάττεσι. οἱ δὲ ἐνόρχαι τῶν βοῶν ἐὰν ἐκτμηθῶσι, τὸ φανερὸν συγγενῶσι. Quæ verba nō satis clara sunt, imo obscura & corrupta: in quibus explicandis labore, atq; opera vtemur Gesneri, qui κατακλίνοντας καὶ ἀποτέμνοντες τῆς ὀσχέας, vertit, Vitulis resupinatis, scrotoq; inciso, testes per inferiorem scroti partē exprimūt, (& abscindunt, vel excidunt, quod deest in Græco: addendum igitur, καὶ ἐκτέμνεσι, vel simile verbum:) deinde neruos à quibus pendebant, quàm penitissimè fieri potest, sursum recondunt. Quod Aristoteles dixit, ἀποθλίβεσιν, idest digitis vel instrumento aliquo ex-

Castrandi modus. Lib. 9. Hist. 50.

Aristoteles declaratur.

B trudunt, Paul. Aegineta sic effert: ἐκπεδήσαντες δὲ οἱ δίδυμοι, ἐκτεμνέσθωσαν. Propriè sanè ἐκπηδᾶν dicimus τὸ ἐκθλιβόμενον, vt pomorum nuclei digiti expressi, Græci ἐκπυρηνίζειν vocant proprio, & eleganti vocabulo. Albertus Magnus totum hunc locum sic reddidit. „Prosternitur ad terram vitulus, & diuiditur corium ischei, & exprimuntur testiculi, & ligantur nerui testiculorum fortiter: „& tunc abscinduntur testiculi, & eriguntur (idest sursum reponuntur) radices neruorum, cineribus „iniectis in vulnus; & si coquantur (idest vruntur) nerui, melius erit contra sanguinis fluxum. Quæ plera que ad Aristotelis sententiam quadrare puto: quanquam de suo adiecit neruos (scilicet cremasteres) præligari, ex vulgi experientia nimirum: Nam quòd cineres pro capillamentis supponit, cùm veteres rei rusticæ authores in hoc imitetur, facilè condonabimus. Nam & in libro de simplicibus medicamentis ad Paterniarum, qui inter nothos Galeni circumfertur, ita legimus: Cinis in recentia vulnera penitius infarctus, sanguinem sistit; ideoque omnibus pecoribus castratis cinis impositus prodest, omnibusque abscissis. Theodorus Gaza pro κατακλίνοντες legisse videtur καθέλκοντες, cùm non opus esset quicquam mutare. Obscurum est etiam quod vertit, etsi inflammatur, ignem adhibent scorto, & respergunt. Primùm enim loco inflammato, ignem vel cauterium adhi-

Cap. 148.

C bere, verè est ignem igni addere, & augere malum: deinde quod inflammationem respergi ait, nec quisquam vnde, vel quonam medicamento ea respergi debeat, ex verbis eius intelligere queat, reprehensione dignum mihi videtur. Pastores (inquit Niphus μεταφράζων Aristotelis verba, vt aliquo modo Gazæ translationem fulciat) puluerem aut aliud medicamentum ad hoc præparatum inspergunt. Sed absurdnm est Aristotelem remedij inspergendi nomen tacuisse putare, præsertim cùm eo omisso, obscura & ineptæ constitutionis relinquatur oratio. Albertus Magnus ridiculè & „indoctè sic vertit. Si autem apostema acciderit in loco illo, puluerizatus testiculus & loco super„positus, erit conueniens cura eius. Mihi post κατακαύσαντες distinguendum videtur, non post ὀσχέας, vt Gaza fecit, & ita vertendum; Quod si locus inflammetur, vrunt, & scroto inspergunt: intelligo autem idem remedium, quod proximè vulneri infarciendum dixerat, nempe τρίχας, idest, capillamenta, aut lanas. Lanæ enim, teste Dioscoride, vulneribus à principio statim ex aceto, oleo, vinouè vtiliter imponuntur; crematarum præterea cinis crustas inducit, carnem excrescentem cohibet, & ad cicatricem vlcera perducit. Ab initio igitur, vbi sistere tantùm sanguinem oportet, lana mollis simpliciter adhibetur, deinde vbi locus intumescit (quod Aristoteles φλεγμαίνεσθαι di-

Lanæ vsus ad vulnera.

D xit, vt conijcio: sæpe enim hoc verbo Græci parum propriè vtuntur,) & pus colligitur, vehementiore remedio, siccante expurganteq; opus est, quod quidem non amplius lanæ, sed vstarum cinis prestare potest. Postremò in citato Aristotelis loco vltima verba, ἐὰν ἐκτμηθῶσι τὸ φανερὸν συγγενῶσι, procul dubio sic restitui debent, ἐὰν ἐκτμηθῶσι προσφάτως, ἔτι γεννῶσι, quod cùm ex simili loco Aristotelis, cum ex Gazæ conuersione & Columellæ Palladijque verbis confirmari potest. Hæc hactenus (inquit Gesnerus) dixerim super vitulorum castratione, non tam repræhendendi & emendandi aliorum scripta, quàm negocium ipsum clarius explicandi instituto. Mago, vt Palladius, & Columella referunt, neque id ferro facere, sed scissa ferula comprimere testiculos, & paulatim constringere censet: idque optimum genus castrationis putat, quod adhibetur ætati teneræ sine vulnere. Nam vbi iam induruit, melius (inquit Columella) bimus quàm anniculus càstratur: idque facere (verno, vt rectè addit Palladius) vel autumno luna crescente præcipit, vitulumque ad machinam deligare: deinde priusquam ferrum admoueas, duabus angustis ligneis (stagneis Palladius, fortè stanneis, neutrum tamen probatur,) regulis veluti forcipibus apprehendere testium neruos, quibus comprehensis, statim testes ferro resecare & expressos (Palladius simpliciter habet, ferro resecant, & ita recidunt) ita rescindere, vt extrema pars eorum adhærens prædictis neruis, (capitibus neruo-

Lib. 1. de gener. anim. cap. 4.

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

rum ſuorum) relinquatur. Nam hoc modo nec eruptione ſanguinis periclitatur iuuencus, nec in totum effeminatur adempta omni virilitate, formaque ſeruata maris, generandi vim depoſuit, quã tamen ipſam non protinus amittit. Nam ſi patiaris eum à recenti curatione fœminam inire, conſtat ex eò poſſe generari: ſed minimè id permittendum, ne profluuio ſanguinis intereat. Verùm vulnera eius ſarmentitio cinere (cinere ſimpliciter, Sotion.) cum argenti ſpuma linenda ſunt: abſtinendusque eo die ab humore (potu Palladius,) & exiguo cibo alendus. Sequenti triduo velut æger cacuminibus arborum, & deſecto viridi pabulo oblectandus, (præbeantur ei teneræ arborum ſummitates & fruteta mollia, & herbæ viridis coma, dulciora ſagina roris aut fluminis, Palladius,) prohibendusque multa potione. Plagam etiam pice liquida & cinere, cum exiguo oleo (vt Sotion etiam habet) vlcera iſta poſt triduum (à caſtratione ſcilicet) linire, (vulnera diligenter vngere, Palladius) oportet, quo & celerius cicatricem ducant, nec à muſcis infeſtentur. Hæc Columella. Sed melius genus caſtrationis (inquit idem Palladius) ſequens vſus inuenit. Alligato enim iuuenco, atque deiecto, teſticuli ſtricta pelle clauduntur, atque ibi lignea regula premente, deciduntur ignitis ſecuribus, vel dolabris, vel quod eſt melius, formato ad hoc ferramento, vt gladij ſimilitudinem teneat. Ita enim circa ipſam regulam ferri acies ardentis imprimitur, vnoque ictu & moram doloris beneficio celeritatis abſumit, & vſtis venis, ac pellibus à fluxu ſanguinis ſtrictis plagam cicatrix quodammodo cum ipſo vulnere nata defendit. Sunt quibus in teſſera vitulorum ætate prior caſtrandi modus minimè improbatur, quoniam & ipſo vires, vt dictum eſt, non vſq; adeo franguntur, quod in ea ætate valde conuenit, tum quia non omnino effeminantur, cùm teſtes eis non omnino demantur, ſed atterantur tantùm: id quod teſtibus iam ætatis progreſſu durioribus, vt difficilius, ita nimio cum dolore fieret. Quæ quidem rationes vero ſunt veriores, mihi tamen non probantur, quoniam eo modo caſtratos periculum ſit, ne aliquando coeant, id quod hominum exemplo docet Paulus Aegineta, duplicem in ijs caſtrandis modum explicans, alterum κατὰ θλάσιν, id eſt per contuſionem (hominem enim ita caſtratum θλασίαν Græci, vel θλιβίαν appellant) alterum κατὰ ἐκτομὴν, ideſt exectionem: Caſtrandus (inquit) in ſedili reſupinatur, & ſcrotum cum teſticulis ſiniſtræ manus digitis premitur: & per ſcrotum ita extenſum duas lineas rectas, per vtrumque teſticulum vnam, ſcalpello incides: vbi exilierint teſticuli, cute detracta excidentur, ita vt tenuiſſimum ſolum naturale vaſorum commertium relinquatur. Atque hic modus eo qui per contuſionem fit, magis probatur: nam quibus teſtes ſolùm contuſi ſunt, nonnunquam Venerem appetunt: nimirum quod pars aliqua teſticulorum contuſionem ſubterfugerit. Idem Aegineta aſſerit, caſtrationem per contuſionem in infantibus ſolùm fieri ſolere. Hieron. Cardanus ad magnitudinem iuuare author eſt, plurimumque excreſcere vitulos, cum incrementi tempore caſtrantur, quoniam ex caſtratione humidiora reddantur corpora. Quamuis autem tam nobili ac in primis ad ſpeciei conſeruationem neceſſario membro priuentur, vires tamẽ quàm antè non minores obtinent, id quod Cyri teſtimonio tradit Xenophon de ſpadonibus ſiue exectis agens. Quod autem maximè aliquis putet ſpadones robore corporis carere, ne hoc quidem Cyro videbatur; quippe qui coniecturam faceret ex alijs animalibus; quod & contumelioſi equi, vbi excidantur à morſu contumeliaque ceſſant, nihilo tamen minus ſunt bellicoſi. Et tauri exciſi, animi elationem inobedientiamque dimittunt, ſed corporis viribus & vſu colendi agri non priuantur. Et canes item eodem modo ſi excidantur, ceſſant à relinquendis heris, ſed ad cuſtodiam & ad venationem nihilo ſunt deteriores. Et homines itidem quietiores fiunt, ſi hac priuentur libidine, ſed minimè negligentiores circa imperata, neque minus equitandi ſtudioſi, neque ad iaculandum minus apti, neque ambitioſi minus &c.

Caſtratis, cur & quãdo coitus vetandus.

Lib. 6. c. 68.

Lib. 7. c. 27. de variet. rer.

Qui ex caſtratione multum creſcant.

Caſtrationis vtilitas.

E F G H

DOMANDI RATIO.

Lib. 8. Omne animal domari poſſe.

2. de arte.

NIGIDIVS apud Priſcianum dicebat omne pecus indomitum habere quiddam in ſe ferum, ſed tamen ea natura eſſe, vt curari & dominari poſſit, ideſt, domari, vt exponit Ioan. Meurſus parte prima excitationum criticarum. Idem teſtatur Ouidius crociſſimorum animantium exemplo:

Obſequium tigreſque domat, tumidoſque leones,
Ruſtica paulatim taurus aratra ſubit.

1. de arte.

Et antea quoque dixerat:

Sed tamen & tauri ceruix oneratur aratro.
Frenaque magnanimi dente teruntur equi.

Quando feritatem exuant.

4. de triſt. 5.

Ferinam tamen illam naturam non breui, niſi id remedijs præſtetur occultis, vt deinceps patebit, ſed longiuſculo temporis interuallo exuunt, quod idem etiam poeta atteſtatur, dum canit:

Tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri*
Præbet & incuruo colla premenda iugo,
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.

Et rursus:

Tempore difficiles veniunt ad aratra iuuenci,
Tempore lenta pati frena docentur equi.

Non apparet autem omnem æquè huius pecoris ætatem domituræ idoneam esse. Video autem maximè commendari tertium ætatis eorum annum. Plinius. *Domitura boum in trimatu, postea sera, antea præmatura.* Plinio Varro subscribit. At Columella & Palladius quartum annum non aspernantur, asserentes neque ante tertium annum, neque post quintum annum iuuencos domari placere. Referre etiam Maro innuit, qua mensis die domitura inchoetur, dum canit:

Aetas domaturæ apta.

Georg. 1.

Septima post decimam fœlix, & ponere vites
Et prensos domitare boues, & licia telæ
B *Addere.*

Cæterùm quæsitum diu & anxiè in eruditorum scholis, quæ sit hæc septima post decimam dies. Seruius (inquit Rhodiginus) multa quidem affert, sed quia dictorum rationes minus protulit, posteris amplius quærendi curam iniecit non mediocrem. Nos ergo quæ apud cælestium rerum peritos obseruauimus, hinc iam attexere pergemus. Illud autem traditur primùm, Lunæ calorem esse imbecillem prorsus, adeo vti nequaquam ita vnquam augescat, vt siccitatem queat inducere: cæterùm ad humectationem vsque modò progredi. Vnde & illud consecutione quadam manifestum, pro luminis copia, & ex eo etiam caloris, corpora humectari. Consimiliter ad defectum tendente lumine humectationis detrimenta fieri & caloris. Sciendum & illud; Lunam priore dichotomia excalfacere plus atque humectare, quàm sequenti, ratione (vt prætexuimus) augescentis aut decrescentis luminis. Ex ijs deprehendere periti rerum increscentis lunæ spatia esse plantationibus velut decretoria, quoniam humoris exuperantia semen madescens celerius vendicet incrementa. Vbi verò deteritur lumen, cædi optimè materiam, quæ arescat tunc, attenueturue; propterea nec carie computrescat. Quamobrem apud Maronem, cùm septima post decimam nominatur, neutiquam C decimam septimam intelligi posse: quamuis id non abnuat interpres. Hanc siquidem ponendis vitibus incommodam censeri, propè in confesso est ob luminis detrimenta. Verùm probabilius id, aut septimam significari, quæ sit post decimam prima & melior, idest, quartamdecimam, quæ dies comprobari omnium calculis potest, luna tum plenam faciente visitationem: aut dies collaudasse duos, credamus poetam agricolationis peritissimum, septimum ac decimum, sed hunc eo amplius. Septima vtique luna dimidio orbe cæsa conuisitur; decima amphicyrtos, idest, vtrimque gibbosa: Et vtrobique humor calorque radicibus affundi affatim potest. Quod verò decima septima die subuectari in aream fruges, poeta Hesiodus prodit, non aliunde videri natum potest, quod item ex Procli interpretatione liquet, quàm quòd à circumacto lunari orbe protolluntur ferè ventorum flatus euentilandis frugibus percommodi. Scire tamen licet, M. Manilium septimam post decimam ex Maronis imitatione, pro decimaseptima accepisse: sic enim de cancri partibus scribit:

Septima post decimã quæ dies.

Lib. 20. c. 3.

Lunæ calor quando paucus.

Plantandi tempus.

Astron. l. 4.

Prima rapit, nec ter quintæ clementior vsus.
Septima post decimam luctum & vicesima portat.

Ex quibus ergo colligitur, Maronem tunc domari iuuencos voluisse, cum maximè calida humida- D que luna est. Columella post recitata eligendi emendiq; iuuenci optima signa, *Talis notæ* (inquit) *vitulos oportet, dum adhuc teneri sunt, consuescere, manu tractari, ad præsepia religari, vt exiguus in domitura labor eorum, & minus sit periculi: verùm neque ante tertium, neque post quintum annum iuuencos domari placet, quoniam illa ætas adhuc tenera est, hæc iam prædura: eos autem qui iam de grege feri comprehenduntur, sic subigi conuenit. Primùm omnium spatiosum stabulum præparetur, vbi domitor facilè versari, & vnde digredi sine periculo possit. Ante stabulum nullæ angustiæ sint, sed aut campus aut via latè patens, vt cum producentur iuuenci, liberum habeant excursum, ne pauidi aut arboribus, aut obiacenti cuilibet rei se implicent, noxamque capiant. In stabulo sint ampla præsepia, supraque transuersi asseres in modum iugerum à terra septem pedibus elati configantur, ad quos religari possint iuuenci; diem deinde quo domituram auspiceris, liberum à tempestatibus, & à religionibus matutinum eligito, canabinisque funibus cornua iuuencorum ligato: sed baculi, quibus copulantur, lanatis pellibus inuoluti sint, ne tenera fronte cornua lædantur, cùm deinde buculos comprehenderis, extra stabulum producito, & ad stipites relegato ita, vt exiguum laxamenti habeant, distentque inter se aliquanto spacio, ne in colluctatione alter alteri noceat: si nimis asperi erunt, patere vnum diem noctemque desæuiant, simulatque iras contuderint, manu producantur, ita vt & aliquis antè, & à tergo complures,*

Lib. 6. c. 2.

Stabulũ domituræ aptum.

Præsepia.

plures, qui sequantur, retinaculis eos contineant, & vnus cum claua saligna procedens modicis ictibus subinde impetus eorum coerceat: sin autem placidi & quieti boues erunt, vel eodem die, quo alligaueris, ante vesperum licebit producere, & docere per mille passus compositè & sine pauore ambulare: cùm domum perduxeris, arctè ad stipites religato, ita ne capite moueri possint, tum demum ad alligatos boues, neque à posteriore parte, neque à latere, sed aduersus placidè, & cum quadam vocis adulatione venito, vt accedentem consuescant aspicere: deinde nares perfricato, vt hominem discant odorari. Mox etiam conuenit tota tergora & tractare & respergere mero, quo familiariores bubulco fiant. ventri quoq; & sub femina manum subijcere, ne ad eiusmodi tactum postmodum paueścant, & vt ricini, qui plerumque feminibus inhærent, eximantur: idque cùm fit, à latere domitor stare debet, ne calce contingi possit. Post hæc deductis malis, educito linguam, totumque eorum palatum sale defricato, libralesque offas in præsulsæ adipis liquamine tinctas, lingula demittito, ac vini singulos sextarios per cornu faucibus infundito: nam per hæc blandimenta triduo ferè mansuescunt, iugumque quarto die accipiunt, cui ramus illigatur, & temonis vice trahitur: interdum & pondus aliquod iniungitur, vt maiore nisu laboris exploretur patientia vacuo plostro subiungendi, & paulatim longius cum oneribus producendi sunt. E

Vt ad aratrum instituantur.

Sic perdomiti mox ad aratrum instituantur, sed in subacto agro, ne statim difficultatem operis reformident, neuè adhuc tenera colla, dura proscissione terræ contundant. Quemadmodum autem bubulcus in arando bouem instituat primo præcepi volumine: curandum ne in domitura bos calce aut cornu quenquam contingat; nam nisi hæc caueantur nũquam istiusmodi vitia, quãuis subacta, eximi poterunt. Verò ista sic agenda præcipimus, si veteranum pecus non aderit: nam si aderit, expeditior, tutiorque ratio domandi est, quam nos in nostris agris sequimur nam vbi plaustro aut aratro iuuencum consuescimus, ex domitis bubus valentissimum, eundemq; placidissimum cum indomito iungimus, qui & procurrentem retrahat & cunctantem producat: si verò non pigeat iugum fabricare, quo tres iungantur, hac machinatione consequemur, vt etiam contumaces boues grauissima opera non recusent: Nam vbi piger iuuencus medius inter duos veteranos iungitur, aratroque iniuncto terram moliri cogitur, nulla est imperij respuendi facultas: siue enim efferatur aut prosilit, duorũ arbitrio inhibetur: seu subsistit, duobus gradientibus etiã obsequitur; seu conatur decumbere, à valentioribus subleuatus trahitur. propter quæ vndiq; necessitate contumaciam deponit, & ad patientiam laboris paucissimis verberibus perducitur, F

Ne decũbat in sulco.

est etiam post domituram mollioris generis bos, qui decumbit in sulco: cum non sæuitia, sed ratione censeo emendandum: nam qui stimulis aut ignibus, alijsque tormentis id vitium eximi melius, iudicant, veræ rationis ignari sunt, quoniam peruicax contumacia plerumque sæuientem fatigat. Propter quod vtilius est circa corporis vexationem fame potius & siti cubitorem bouem emendare: nam eum vehemẽtius afficiunt naturalia desideria, quàm plagæ. Itaq; si bos decubuit, vtilissimum est sic pedes eius vinculis obligari, ne aut insistere, aut progredi aut pasci possit: quo facto inedia & siti compulsus deponit ignauiam, quæ tamen rarissima est in pecore vernaculo, longeque omnis bos indigena melior est quàm peregrinus, &c. G

Bos indigena cur peregrino melior.

M. Varro verò, nouellos cùm quis emerit iuuencos, si eorum colla in furcas destinata incluserit, ac dederit cibum, diebus paucis mansuetos fore pollicetur, & ad domandum pronos. Tum ita subigendum, (vtor autem eius quoque verbis) vt minutatim assuefaciant, & tironem cum veterano adiungant: imitando enim (inquit) facilius domantur. Et primùm eos æquo in loco & sine aratro, tum eo leui simul arare faciant, & principio per arenam aut molliorem terram, dum consuescant. Quos ad vecturas alimus, item instituendum, vt inania primùm ducant plaustra, & si possis, per vicum, aut per oppidum, vbi creber crepitus sit, ac varietas rerum consuetudine celeberrima, ad vtilitatem adducito. Neque pertinaciter quem feceris dexterum in eo manendum. Quod si alternis fit sinister, fit laboranti in alterutra parte requies. Vbi terra leuis, vt in Campania, H ibi non bubus grauibus, sed vaccis aut asinis quod arant, eò facilius ad aratrum leue adduci possunt & ad molas, & ad ea si quæ sint, quæ in fundo conuehuntur. In qua re alij asellis; alij vaccis ac mulis vtuntur, exinde vt pabuli facultas est. Nam facilius asellus quàm vacca alitur, sed fructuosior hæc. Cauto agricolæ hoc spectandum quo fastigio sit fundus: in confragoso enim ac difficili hæc valentiora parandum, & potiùs ea qua plus fructum reddere possunt, cum idem operis faciunt. Sed hæc ad arandi modum potius pertinent, de quo mox. Sin blanditijs, vt sæpè fit, domari nequeat, labor quoque aliquando eos domat, vt indicat idem Varro in Manio:

Sternit iuuencus quem labos mollem facit.

Fit non semel, vt valdè sint contumaces, & immorigeri, in quorum domitura, non tam peritia domitoris valet, quàm corporis quoque robur. Vnde illud Val. Flacci:

Flaccus correctus.

Vt valido qui robore tauros
Sub iuga; & inuito detorquet in ilia cornu.

quo loco pro ilia nonnulli illada legunt, idest vincula, quod improbat Pius noster ciuis, qui insuper inuito cornu exponit, detrectante seruitium iugi; vt intelligas (inquit) domitorem feros boues ac

man-

A mansuescere difficiles, arrepto per vim cornu exteriori, retorquere caput bouis indomiti in ilia, &
per vim cogere adhærere, ita inuitum pariter concorditerque iugum accipere quod detrectauerat.
Naturaliter autem iugum auersatur, vt monuit etiam Ouidius: *Iugum odit bos.*

Odero si potero, si non inuitus amabo,
Nec iuga taurus amat, qua tamen adit, habet. *3. Amor. Eleg. 11.*

Verberibus item adiguntur, vbi labori resistunt. Vnde illud eiusdem:

Verbera plura ferunt, quàm quos iuuat vsus aratri
Detrectant pressi dum iuga prima boues. *1. Amor. eleg. 2.*

Rasis author est, bouem ferum, si fune laneo ligetur, subinde mansuescere. Tradit verò etiam Ae- *Remedia*
lianus mansuescere taurum, si dextrum ipsius genu fascia deligetur, quam rem verissimã esse Pierius *quibus mã-*
Valerianus asserit, hocque cùm Romæ Clementis VII. principatu quidam Græculus effecisset, du- *suescat.*
cto sæpius ferocissimo tauro per vniuersam vrbẽ, quem tenui admodum funiculo, ita religarat à ge-
nu, peritissimi (inquit) Magi nomen apud imperitos assecutus est. Plinius vim lysimachiæ tantam
esse scribit, vt iumentis discordantibus iugo imposita, asperitatem cohibeat. Vascones teste Scalige
B ro aiunt herba quam Martagot corruptè dicunt, tauros alligatos ferociam deponere. Plinius alijq; *Lib. 25. c. 6.*
caprifico eam vim attribuunt. *Caprificus* (inquit ille) *tauros quamlibet feros collo eorum circundata,* *Lysimachia*
in tantum mirabili natura compescit, vt immobiles præstet. Ait item, *caules caprifici, si carni bubulæ in-* *Exerc. 178.*
ter elixandum addantur, magno ligni compendio eam percoquunt. Ratio huius caprifici facultatis est *2.*
à Plutarcho (inquit Cælius Calcagninus) in libro τῶν συμποσιακῶν perquisita, sed iniuria temporũ *Martagot.*
desiderata. Nunquid verò id vi illa propria, atq; insita caprifico euenit, quam Græci ναρκοτίκην, *Caprificus.*
idest, torporem segnitiemq; inuehentem vocãt, qua & echineis & torpedo inter pisces pollet? Nam *Lib. 2. epist.*
& caprifici cinere, cui septica & smectica potestas inest, idest quæ detergere possit & erodere, medi- *quæstion.*
ci pro spodio vtuntur. An fortè odore acri & styptico id contingit, qui vim illã ferocientis tauri op-
primat compescatq; & quasi obstupefaciat? Nam inter ea quę solent maximè naturam prosternere,
odor cẽsetur. Sic amaricinum bubus acre venenum esse, Lucretius cecinit. An profectò id magis ac- *Odoris vis.*
cidit ad insuetudinem, & inertia ponderis? Est enim caprificus non adeo multæ sarcinæ: quare ex eo
clypei militares faciles admodum, & commodi gestatu fiunt: licet alia causa potior, quod accepto
ictu lignũ id statim coalescat & plagã contrahat. Eo itaq; taurus oppressus, nouitatem leuitatis ad-
C mirans consistit, & qui maiori sarcinę obluctaretur, ad minimam immobilis manet. Sic fulmina du-
rissima quæque expugnant, in facilioribus nullam omnino vim exercent. De Marpesia caute tradi- *Marpesia*
tum est, quod ad maximos impetus immobilis, leuissimo deinde attactu commouetur, & quã toto *cautes.*
nixu corporis non potes concutere, mox vel digito facilè impuleris. Hæc Calcagninus. Gillius ex
Plutarcho citat, si ad ficum alligetur taurus mansuescere, quod Gesnerus improbat, & de caprifico *Symp. 2. q. 7*
intelligere mauult: equidem Plutarchus alicubi de echineide siue remora pisce agẽns, eam vim ca- *Symp. 7.*
prifico, siue vt interpres vertit, agresti ficui tribuit; aliàs verò etiã ficui simpliciter, videlicet, vbi quę- *quæst. 10.*
rit quæ causa sit, quod mactatæ carnes si de ficu suspendantur, mox tenerescant: Equidem (inquit) »
spiritum validum & vehementem à ficu exhalare, cùm visus planè testatur, tum id quod de tauris »
fertur: scilicet ficui alligatũ taurum etiam ferocissimum, quiescere, tactumq; admittere & omnino »
ferociã quasi elanguescentem deponere. In acrimoniam tamẽ arboris maior pars causa collata est. »
Est enim arbor hæc omnium plantarum succi plenissima, quo & ficus ipsa (in codice isthęc asterisco »
notantur, quasi vel corrupta sint, vel manca) & lignum & cortex plenus est. Itaq; ficulnum lignũ cre »
matum fumo maximè mordet & combusti cinis lixiuium prębet summa tergendi vi præditum. Hęc »
D verò omnia sunt caloris. Iã quod succus eius lac coagulat iniectus, sunt qui dicant, non fieri inęqua- »
litate figurarum lactis, quæ ab eo appræhendantur, & conglutinentur elisis in superficiem læuibus, »
ac rotundis: sed quòd ob calorem eliquet humoris instabiles & aquosas partes. Argumento etiam »
est id, quod inutilis succi dulcedo sit, quia potum facit pessimũ. Non enim læue ab inęqualibus, sed »
frigidum & crudum à calore sistitur: & ad hoc sales faciunt vtpote calidi: repugnant autem isti ap- »
præhensioni & glutinationi, cũ maximè natura ijs vim dissoluendi dederit. Spiritum igitur calidũ, »
acrem, incidendique vi præditum ficus emittit. isq; incidit & concoquit carnẽ auis. Hęc omnia Plu- »
tarchus, quæ etsi potius rationem reddant, cur caro è ficu suspensa, mox tenerescat, nihilominus, ea-
dem quoq; assignare videtur, cur taurus ei alligatus ferociam deponat. Magis verò solis olim etiã *Magos solis*
verbis auri immurmuratis boues mitissimos reddidisse, ex eo innotescit, quod de Pythagora me- *verbis do-*
moriæ proditum est; Refert id Cælius Rhodiginus his verbis: Narratur idem Pythagoras, bouẽ vbi *masse boues.*
prope Tarentum conspexisset fabaceam segetem mordicatim corrumpentẽ, tum etiam calcantẽ pe- *Lib. 19. c. 2.*
dibus, bubulco insinuasse, bouem moneret, frugibus parceret. Ridens busequa; Ego inquit, bouatim
non didici, tu qui videre scholarum id genus, experiens, obeas vicem meam. Euestigio Pythagoras
auribus sese admouens, sui artificij quępiã immurmurauit. Res additur mira. Obedientissimus bos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vt ab eo qui amplius ſaperet, edoctus, lacerare mox ſegetẽ deſtitit:quin etiã in futurũ eiuſmodi pabulo abſtinuit.ſed & bubulũ deſijt obſequiũ,factuſq; de rureſtri colono ambulator vrbanus,Tarenti placidè conſenuit,de manibus hominũ victitans,vt ſolida demũ ac plena admiratio fiat. Iã verò vaccas quaſdã ſuapte natura ſteriles eſſe dictu eſt,& tauras nominari. Has quoq; Columella,ne fęcundarũ locũ occupent,ablegari,aratroq; domari cupit,quoniã laboris & operis nõ minus (inquit) quam iuuenci propter vteri ſterilitatẽ patientes ſunt. Nunc verò fęcundæ quoq; paſſim domantur. Quis prius boues domauerit & aratro iunxerit, dicemus cum de laboribus eorum in agris agemus. E

Vaccæ quæ domandæ.

V O X.

AMANVENSIS incuria factum eſt, quod hic de voce agamus, quod antè poſt rubricam de ætate oportuit. Variat autem ea pro ætate, & ſexu. Plinium enim & Ariſtotelem authores habemus, bubus tantùm fæminis vocem eſſe grauiorem, in alio omni animantium genere exiliorem (ideſt, tenuiorem & acutiorem) quàm maribus,idq; maximè in homine patere. Vitulis etiam grauiorem quàm adultis perfectiſq; idẽ philoſophus aſſerit:vocemq; ſi caſtrentur,è contrario mutari,quia quę caſtrãtur, tranſeũt in fæminã:in cæteris animalibus vocem grauiorẽ eſſe, fęminis acutiorem. Albertus Magnus vaccã ait,eò quod corpore atrabiliario,ideſt frigidæ & craſſę conſtitutionis ſit grauiùs ſonare:tauros autẽ beneficio ſexus magis ad temperamentũ accedere,eiuſq; gratia vocem habere acutiorẽ. Cętera omnia(inquit Ariſtoteles)cùm natu minora ſunt,vocẽ emittũt acutiorem,vituli autem bubuli grauiorem,vt & vaccæ quàm tauri. Vituli enim & vaccę partẽ quam mouent,nõ habent validã, alteri propter ætatem,alterę propter fęmineæ ſexus naturam. Vas nempe per quod primũ ſpiritus fertur, amplum in ijs eſt,multumq; aeris mouere cogitur:multum autẽ,pręſertim ſi tardè moueatur,grauè ſonat:cęteris animalibus vas illud anguſtius eſt. Eſt verò vbi idẽ Ariſtoteles taurò vocẽ grauẽ tribuit, inquiens,Animalia fortia grauiorem habent vocem,vt taurus & leo:timida acutam. Minimè tamẽ dicendum fuerit ſibi cõtradicere, quandoquidem illam hoc in loco comparatione aliorum animalium grauem dicit, ipſeq; obiectioni huic vt occurrat,mox addit: Verùm pręſtiterit fortaſſis,non ex acumine aut grauitate vocis, animal timidum aut forte iudicare,ſed validã vocem fortitudinis, remiſſam, & infirmam timiditatis ſignum faciemus. Fęminis autem in hoc genere vocem, cùm libidine accenduntur,quàm alio tempore grauiorem eſſe inuenio: Tauris verò, vel cùm prælia meditantur,aut cùm non rectè occiſi,fugã moliuntur,vtrumq; teſtatur Maro: De pugnaturis enim ait: F G

Vitulorum vox. *Vaccæ.* *In Phyſiognom.* *Aeneid. 12.*

Mugitus veluti cùm prima in prælia tauri
Terrificos cient.

Lib. 2.

De fugam molientibus loquitur, vbi de Laomedonte à ſerpentibus ſeſe liberante.

Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit,
Quales mugitus, fugit cùm ſaucius aram
Taurus,& incertam excuſſit ceruice ſecurim.

Qui ita mugit taurus, ἐρυγὼν Græcis vocatur, vnde illud Homeri ἤρυγεν ὥς ὅτε ταῦρος. Aliàs taurus vehemẽtem edens vocem ἐρίμηλος,& ἐρίμυκος eſt Varino, Heſiodo etiam ἐρίβρύχης. Boare propriè videtur horum animantium, vt baubare canũ. Pro boare Varro habet bouare: *Bouare* (inquit) *dicuntur boues cum vocem emittũt.* Boare tamen magis eſt in vſu. Pacuuius boire dixit: clamore & ſonatu reſonantes bount,ſed hoc antiquum & inuſitatum eſt. Boare metaphoricè de quolibet magno ac vehementi ſonitu ſtrepituq; ſumitur. Plautus: *Tela frangunt, boat cælum fremitu virum.* In quo ſenſu Maro compoſito verbo vtitur: *Reboant ſyluæq; & magnus Olympus:* vbi Seruius: reboo græcum eſt:nam apud Latinos nullũ verbum eſt quod ante o, finalem habeat o: excepto inchoo,quod tamẽ maiores aliter ſcribebant,aſpirationem interponẽtes duabus vocalibus. Seruio itaq; boo nihil aliud eſt quam βοάω. Vſurpatur verò etiam in alijs animalibus. Apud Apuleium aſinus ſe boare dicit: idemq; author boatum vocat magnum præconis clamorem: *Sic rurſus præconis* (inquit) *amplo boatu citatus accuſator quidam ſenior exurgit.* Qui tam graui clamore boat, βαρυβόας Gręcis vocatur. Vulgaris verò boum vox μύκημα dicitur, ſiue μύκησις,& μυκηθμὸς ἀπὸ τοῦ μυκᾶσθαι quod Latini mugire dicunt,vt ipſam vocem mugitum; apparetque vtramque dictionem à boum voce factam eſſe, quamuis ad alios ſonos vtraq; vſurpetur. Vt enim μυκᾶσθαι de aſinis pręterea & de camelis dicitur, vt annotat Henricus Stephanus,necnon de alijs etiam tam animatis quàm inanimatis,quæ mugitum boatumq; quendam reddunt, ita quoq; mugitum de varijs admodum vocibus ſoniſq; Latini vſurpant. Plinius de monocerote dixit,item de montibus & nemoribus:de terra Virgilius: H

Boare. *Lib. 6. de ling. lat.* *In Amphit.* *Georg. 3.* *Lib 7.* *Lib. 3.*

Terram mugire videbis. Seneca:

Egl. 6. *In Thyeſte.*

Fateor,tumultus pectora attonitus quatit,
Penituſque voluit,rapidior & quò neſcio,

A *Sed rapior, imo mugit è fundo solum,*
Tonat dies serenus, &c. Et rursus:
Rupisse canem fama & nostris *In Oedipo.*
Errasse locis, mugisse solum. Et iterum:
Cum subito cæco terra mugitu fremens
Concussa cæcos traxit ex imo sonos. Claudianus.
Ecce rupes mugire fragor.

Quibus locis terra mugiens prodigij loco habetur, At Aristoteli ex causis naturalibus prouenit. Ait enim sub terra omnes vocum differentias emitti, adeò vt videatur sæpè ὥσπερ λέγουσιν οἱ τερατολογοῦντες, μυκᾶσθαι τὴν γῆν: & in problematibus ait in paludibus quæ iuxta flumina sunt, fieri sonos, qui vocantur bomugi. Cæterùm quilibet sonus ingens huius animantis voci comparari potest, qualis est tubarum. Statius:

Terram naturaliter mugire. Meteor. 2.

Thebaid. 2.

Tum plurima buxus
Aeraque taurinos sonitu vincentia pulsus.

B Sic Homerus strepitum exaggeraturus quem regia ostia edebant dum aperirentur, taurino mugitui eum assimilat, dum canit:

Ἐν δὲ κληῖδ' ἧκε, θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας
Ἄντα τιτυσκομένη. τὰ δ' ἀνέβραχεν ἠΰτε ταῦρος
Βοσκόμενος λειμῶνι. τόσ' ἔβραχε καλὰ θύρετρα
Πληγέντα κληῖδι, πετάσθησαν δέ οἱ ὦκα. idest:
In autem clauem immisit, ianuarum autem abscidit lora
E regione intendens: hæ autem resonauerunt sicut taurus
Pascens prato, tantum sonuerunt portæ pulchræ
Percussæ claui, apertæ sunt autem ei citò.

AFFECTVS CORPORIS,

C

Eorumque cura.

AFFECTVS quibus bubulum genus affligitur, vt in homine, vel interni sunt, vel externi. De externis qui communiter eos infestant diximus in curatoris munere, quod ad ipsum quoque eorum cura pertineat, vel saltem pertinere debeat. Nunc de internis potissimum agemus, qui vulgaribus hominibus ferè ignoti sunt, ideoq; ad mulomedicos referuntur. Febrientis signa ponit Didymus; non admittit cibum, deorsum nutat, lachrymatur, sordes in oculis habet, circa oculos cauatur. Eum (inquit) curant hoc modo: Ex opacis locis gramen capito, & lauato, eique edendum præbeto, aut vitis folia. In potu exhibeatur aqua quidem frigidissima, verùm non sub dio, sed maximè loco vmbroso: aures verò & nares spongia aqua imbuta detergantur: Quidam cauterio faciem ipsius perurunt, & partes sub oculis itidem, easque spongia vrina veteri calida imbuta bis per diē confricant, donec crustæ excidant, & vulnera cicatricem recipiant. Lancinantur etiam aures, vt sanguis effluat. Quidam polentam vino subigunt, & edendam præbent, alij muria dissoluunt, & amiculis concalfaciunt: alij cytisum prębent cum vino, id quod nón bubus tantùm, sed & alio pecori auxiliare est. Columella verò febri-
D tantis bouis quoque signa ait esse isthæc: Calor totius corporis maximè circa os, linguam & aures, manantes lachrymæ, caput grauatum, & nutans, oculi lippi, compressi (idest, semiclausi) & introrsum ceu in foueam reconditi, fluidum saliuis os: calidus, longior & cum quodam impedimento spiritus, interdum & cum gemitu, venarum inquietudo, cibi fastidium. Causæ sunt, immoderatus labor, aut calor. Ferè enim ægrotant boues, cum laborauerint propter æstus, aut propter frigora, aut propter nimium laborem, aut ocium diuturnum, aut si cùm exercueris, statim sine interuallo cibum potumq; dederis. Conuenit autem febricitanti abstineri cibo vno die, postero deinde exiguum sanguinem ieiuno sub cauda emitti, atque interpósita hora modicæ magnitudinis coctos brassicæ coliculos triginta ex oleo & garo saluiati more demitti, eamque escam per quinque dies ieiuno dari. Præterea cacumina lentisci aut oleæ, vel tenerrimam quoque frondem aut pampinos vitis obijci, tum etiam spongia labra detergeri & aquam frigidam ter die præberi potandam. Quæ medicina sub tecto fieri debet, nec ante sanitatem bos emitti. Varro ait, vt citat Pet. Crescentiensis. Bos febricitans perfunditur aqua & perungitur oleo, & vino tepefacto. Sitienti datur frigida. Si hac nō proficitur, demitur sanguis, maximè à capite. Sed hęc apud Varr. non referuntur, nec vlla alia pecoris remedia. Ipse verò Crescentiensis febricitantis bouis hanc curationem posuit. Cōducit eis victus

Febrientis signa & cura.

Causæ febris.

ratio frigida: quamobrem à labore ceſſent, & in loco frigido continentur, ſalicum frõdibus & pam- E
pinis obtecti. In cibo etiam ſalicum frondes conueniunt, & quæ refrigerent herbæ, & hordeum in-
frigedatum. Si pleniores videbuntur, detrahatur ſanguis. Aquam bibant de malis acidis & prunis,
Peſtis. ipſaq; mala & pruna comedant. Contingit non ſemel vt peſte afficiatur hoc animal, eademq; tan-
Lib. 4. de geſt. Frãcor. cap. 98. topere ſæuiente, vt nulli parcat. Aimoinus Monachus teſtatur, in expeditione illa quam habuit Ca-
rolus Magnus in Danos tantam fuiſſe boum peſtilentiam, vt penè nullus in tanto exercitu ſupereſ-
ſet, quin omnes vſque ad vnum interirent, & non ſolùm ibi, ſed & ſuper omnes Imperatori ſubie-
ctas prouincias, illius generis animalium mortalitatem immaniſsimè graſſatam eſſe. Facilius au-
Metam. 7. tem quam homines morbo iſto torqueri, claſsici ſcriptores aſſerunt, vt Ouidius:

Strage canum primo, volucrumque auiumque boumque
Inque feris ſubiti deprenſa potentia morbi eſt.

Peſtis cauſa.
Ex Homero, puto, qui de peſte agens, inquit:

Iliad. A.
Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργ ὰς.

Ad quem Homeri locum Ammianus reſpiciens ita ſcribit, Affirmant etiam aliqui terrarum halitu
Lib. 19. denſiore craſſatum aera, emittendis corporis ſpiraminibus reſiſtentem necare nonnullos: qua cauſa F
animalia, præter homines, cætera iugiter prona, Homero authore, & experimentis deinceps mul-
In Oedipo. tis, cùm talis inceſſerit labes, antè nouimus interire. Ita & Seneca ſimiliter de peſte loquens.

Prima vis tardas tetigit bibentes
Laniger pingues male carpſit herbas.

Lib. 6. Cauſa ferè aeris corruptio, vt Lucretius inquit.

Fit quoque vt in noſtrum quum venit denique cælum
Corrumpat, reddatq; ſui ſimile atque alienum.
Hæc igitur ſubito clades noua peſtilitaſque
Aut in aquas cadit, aut fruges perſidit in ipſas,
Aut alios hominum paſtus, pecudumque cibatus
Aut etiam ſuſpenſa manet vis aere in ipſo;
Et quum ſpargentes miſtas hinc ducimus auras;
Illa quoque in corpus pariter ſorbere neceſſe eſt
Conſimili ratione venit bubus quoque ſæpe G
Peſtilitas, etiam pecubus balantibus ægror.

Sæuitia morbi tanta eſt, vt inter arandum, dum modo ſaluberrimus videbatur, mox inopinato mor-
tuus concidat, vt idem ait, citato loco Ouidius:

Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros, medioque recumbere ſulco.

Georg. 3. ex Virgilio, qui præterea ex victus ratione morbum prouenire negat, cùm ſimplici vtantur cibo at-
que potu:

Ecce autem duro ſudans ſub vomere taurus
Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem:
Extremoſque ciet gemitus: & triſtis arator,
Mœrentem abiungens fraterna morte iuuencum:
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non vmbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata mouere animum: non qui per ſaxa volutus H
Purior electro campum petit amnis: at ima
Soluuntur latera, atque oculos ſtupor vrget inertes.
Ad terramque fluit deuexo pondere ceruix.
Quid labor aut benefacta iuuant? quid vomere terras
Inuertiſſe graues? atqui non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ.
Frondibus & victu paſcuntur ſimplicis herbæ:
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina, nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.

Quæritur autem poeta neque benemerito tauro, graſſante hoc immaniſſimo morbo, labores præte-
ritos & tot impenſas operarum quicquam prodeſſe: neque illum à peſtilentia defendere, quod du-
riſſimas terras collo toties inuertiſſet, & maxima beneficia in communi vita mortalibus præſtitiſ-
ſet. Quaſi dicat: An non igitur iure optimo exclamet quiſpiam? quę nam iſta rei iniquitas, quòd in-
culpata & ſalutaria hominibus iumenta communi pęna cum ſceleratis hominibus plectuntur? Hęc-
cine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cine gratia reddenda de hominum vita bene merentibus bobus? hoccine officium deorum immortalium, peste occidere innocentes atque immerentes pecudes? Atqui illis morbus iste non obuenit ex aliqua cibi aut potionis intemperantia. Neque enim illis aut vinum sapidissimum, aut epulæ exquisitissimæ morbos afferre possunt, quem voluptarijs & genio deditis hominibus. Quippe victu vtuntur simplici herbarum & graminum. Potui illis est humor fontium, aut riuorum amniumque decurrentium aqua: neque ipsæ studio rei augendæ, quod faciunt auari, somnos sibi abrumpunt: sed omnis curæ, omnisque sollicitudinis expertes, in diem viuunt. At nihilominus tamen communi lue cum voluptarijs & cum sceleratis hominibus armenta & pecudes intereunt. Testatur idem poeta, etiam ad aras pertractos, & iam iam dijs immortalibus immolandos ante mallei ictum concidisse ex hoc morbo, atque expirasse:

Sæpe in honore deum medio stans hostia ad aram,
Lanea dum niuea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros:
B *Aut si quam ferro mactauerat ante sacerdos,*
Inde neque impositis ardent altaria fibris, &c.

Idem testatur Ouidius:

Dum vota sacerdos
Concipit & fundit purum inter cornua vinum
Haud expectato ceciderunt vulnere tauri.

Seneca vero loco mox citato: occisum à sacerdote taurũ vice sanguinis saniẽ profudisse meminit:

Colla tacturus steterat sacerdos
Dum manus certum parat alta vulnus
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur signis: patuit sub ictu
Ponderis vasti resoluta ceruix:
Nec cruor ferrum maculauit, atra
Turpis è plaga sanies profusa est

Et mox inquit:

C *Incubant pratis pecudes relictæ,*
Taurus armento pereunte marcet.

Malidem præcipuè nuncupasse videntur, quanquam & alij etiam sint pestilentiales morbi, ijque cùm interni, tum externi. Interni sunt mania, morbus articularis, subrenalis, & subtercutaneus. *Malis quid.* Mania infectis bobus eripit sensus, vt nec audiant more solito, nec videant: ex qua passione celerrimè moriuntur, quamuis hilares pinguesque videantur. *Mania.* Articularis est, quoties interdum de prioribus, interdum de posterioribus pedibus claudicant boues, cùm habeant vngulas sanas. Est subrenalis quoties à posterioribus debilitas apparet, & lumbi dolere creduntur. Subter cutaneus est, quoties humor pessimus in diuersis partibus bobus erumpit, & decurrit: Externi sunt, farciminosus & elephantiasis: Farciminosus est, quoties per totum corpus tubercula exeunt, aperiunt se, & quasi sanantur, & iterum in alijs locis exeunt: Elephantiasis verò, quoties velut scabies minutæ cicatrices exeunt extra corium, & ad similitudinem lenticulæ. Hi omnes morbi contagione sunt pleni, etsi vnum animal apprehenderint, celeriter ad omnia transeunt, & sic interdum aut integris armentis, aut omnibus domitis afferunt interitus. Imperante Romano, intendit sese morbus pestilens nomi- *Craca.*
D ne craca, iam dudum boues (vt Georg. Cedrenus narrat) Romanorum tentans atque perdens. Ferunt incœpisse, imperante Romano sene. Cùm enim proxime Boni cisternam palatium ille conderet in quo se ab ardore Solis æstiuo refrigeraret, dum fundamenta parantur, effossum ferunt bouis mamorei caput, quod ab ijs qui repererant, confractum & in fornacem calcariam iniectum est: Ex eo tempore in hunc vsque diem pestis armenta boum per vniuersam Romanorum ditionem infestare (inquit) nunquam desijt. Malis si quando bouem infestauerit, istis agnosci signis aiunt. Erit *Malis.* bos pilo horridus, & tristis, stupentibus oculis ceruice deiecta, saliuis assiduis per os fluentibus, incessus pigrior, spina rigidior, fastidium maximum, pauca ruminatio: Estque duplex, vna cognomento humida, altera sicca. In illa per os & nares humor bobus effluit, & fastidium ægritudoque consequitur. In hoc nullus humor apparet, sed animal quotidie macescit, & fit deterius, nec iuxta consuetudinem appetit cibos. Malidi etiam addendum videtur malum Aristoteli κραῦρος nuncupatum, *Lib. 8. c. 23.* Theodoro Gaza nescio qua ratione struma: Euenit (inquit) struma, vt calidius frequentiusque spiretur: *Craurus.* quod denique in homine febris, idem in boue struma est: inditium morbi, vt demissæ *Struma.* aures flacceant, & vt comedere nequeant: breui moriuntur, adapertisque pulmo inspicitur putris. Sic ille vertit: Κραῦρος à Grammaticis exponitur siccus, aridus friabilis, rigidus: oppositum γλίσ-

χρος apud eundem Ariſtotelem in ſecundo de partibus animalium. Heſychius κρακρῶν eſſe apum morbum dicit, cùm vermes & araneas gignunt. In ſuibus etiam Ariſtoteles paulò antè de eodem morbo κραυγῶν dixerat, capitis dolorem & grauitatem definiens, qui plures ſimul inuadat, & tribus aut quatuor diebus interimat; interdum tamen vino per nares infuſo curetur. Ventris etiam profluuium incurabile eodem nomine vocari ſcribit. *Branchus.* Branchum etiam (Gaza raucedinem reddit) in ſuibus morbum eſſe Ariſtoteles ibidem prodit, in quo maxilla præcipue, & partes circa branchias inflammentur; eumque in alijs quoque corporis partibus fieri, vt pede vel aure interdum: putreſcere protinus membrum, & vlcus ſerpere, donec ad pulmonem deueniat, quo tacto mortem ſequi: creſcere hoc vitium celeriter, nec poſſe ſuem quicquam edere, cùm ita ægrotat; curari à porcarijs, cùm malum adhuc modicum ſenſerint, haud alio modo quàm tota parte abſciſſa qua cœperit. Albertus Magnus Græca voce corrupta crocharon ineptè vocauit, ineptior etiam cùm vocem Arabicam eſſe ait. rectè verò, vt iudico (inquit Geſnerus, ex quo omnia ferè hæc) mali originem facit à defluxu capitis: additque experimento conſtare, heptaphyllon (vel & vulgus vocat, tormētillam) tum bubus tum equis in potu paſtuuè dari. Hæc omnia hoc loco referre placuit, quoniam κραῦρος Ariſtoteli dictus morbus, tum in bubus, tum ſuibus, non alius mihi videtur, quàm malis humida à Vegetio & recentioribus Græcis appellatus: quibus cum etiam branchus propter periculum, eiuſq; celeritatem & pulmonis noxam conuenit, differt autem quòd in quibuſuis etiam extremis partibus incipiat, ijſque ſectis curetur. *Gutta robea.* Non alius etiam quàm malis humida videtur morbus ille boum, quem Itali vulgò, vt Pet. Creſcentienſis ſcribit, guttam robeam vocant. Is inuadit ex pabulo potuque nimio, præcipuè poſt humidas depaſtas herbas, & propter ocium & aeris humiditatem. Vultus & oculi inflantur, & niſi curetur, bos moritur. Curatur autem detracto ſanguine ſub lingua hoc modo: Duæ glandulæ ſub lingua cultri acuti mucrone pluribus in locis ſecantur, & ſanguis copioſè demitur. Fit etiam ſuffitus cum thure ad nares bouis. Qui plura de malide, eiuſque nominibus & differentijs volet, equi hiſtoriam adeat. Hic priuatim nunc de ijs dicemus remedijs quæ boui malide laboranti conueniunt. Huic morbo ſi inter initia ſubuenire tentaueris, bos diſcrimen euadet: ſin per negligentiam tardior adhibeatur cura, vetuſtioris morbi non poteſt ſuperari pernicies roborata. Inter exordia igitur adhibebis remedia quæ ſupra deſcripſimus tanquam omnibus morbis communia. Columella præcipit, vt confeſtim mutetur cęli ſtatus, & in plures diſtributo pecore longinquæ regiones petantur, atque ita ſegregentur à ſanis morbidi, ne quis interueniat qui contagione cæteros labefaciat. *Contagio.* Nam paſcendo (inquit) herbas inficiunt, bibendo fontes, ſtabulo præſepia, & quamuis ſani boues odore morbidorum afflante depereunt: vſque eò etiam mortua cadauera vltra fines villæ proijcienda ſunt, & altiſſimè obruenda ſub terris, ne fortè ipſorum corporum (halitu) interna ſanorum contingantur & pereant. Idem Columella panacis & eryngij radices fæniculi ſeminibus mixtas & cum defruti ac moliti tritici farina, candentiq; aqua conſperſas ſaliuari ægrotum pecus iubet. Similiter & Vegetius, panacem (inquit) à ſeplaſiarijs compara.

Eryngiū quæ herba Vegetio.

„ Eryngion autem herba dicitur, quæ in litore naſcitur prope vndam maris: florem habet quaſi
„ aureum vel galbineum: folia eius ſunt quaſi folia cardui ſylueſtris, inter arenas littorum largiſſimè
„ ſpargitur: has et ro dies & in vmbra ſiccatas ſeruabis aduerſus morbum tam equorum quàm boum
„ plurimum proſunt. Potio ex eis componitur iſta: Radicum panacis & eryngij & ſeminis fæniculi,
„ ſingulorum vncias tres pariter deteras diligenter, addaſque farinæ triticeæ ſextarium, ita vt prius
„ frumentum frangas, & molas: quæ omnia de calida feruente conſperges, & cum melle vel ſapa no-
„ uenas offas ſingulis diebus digeres.

Vbi obſeruandum eſt, longè diuerſum eſſe eryngion Vegetij, hic deſcriptum, ab eo quod deſcriptum eſt à Dioſcoride. Hoc enim in aſperis & campeſtribus naſcitur, illud proximè aquas in maris littore: huic flores colore modò viridi, aliquando albo, interdū (imo plerumque) cæruleo, illi aureo: quare Carolo Cluſio facile ſubſcripſerim, qui illud Vegetij eryngium eſſe oſtendit eam ſpinam, quam Theophraſtus ſcolymon nuncupaſſe videtur, vt idem quoque Cluſius cenſet. *6. Hiſt. pl. cap. 4.* Salmanticenſi agro & tota Caſtella frequentiſſimam eſſe ait, vulgo vocari Cardon lechal ſiue lecher, ideſt carduum lacteum, quia eius folia lacte conſperſa videantur, foliaq; etiam lac edant, quo Salmaticenſes omne lac coagulant. Nihil hac ſpina in hac noſtra vrbe, potiſſimum per mœnia frequentius, ringium plebs & pharmacopolæ, qui non aliud eryngium nouerunt, vocant, eruuntq; radices, illi propter dulcedinem in cibum, hi tum ob hoc, tum ad medicinę vſum. Quærendum modo eſſet, num hoc etiam eryngium Columella, ex quo Vegetius hoc remedium mutuo accepiſſe videtur, intelligat, vt ſcilicet aliud ſit eryngium geoponicorum & mulomedicorum ab eo quo vtuntur medici noſtri. Exhibito hoc medicamento, tum Columella paribus caſiæ myrrhæq; & thuris ponderibus ac tantundem ſanguinis marinæ teſtudinis miſcere potionem ait, cum vini veteris ſextarijs tribus, itaque paruam rem infundi. Sed ipſum (inquit) medicamentum pondere ſex vnciarum diuiſum, portione aqua per triduum cum vino dediſſe ſat erit. Hoc & Vegetius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tius repetit, aliaque addit. Sanguinem marinæ testudinis colliges & per os cum vino dabis, quam „
quia inuenire difficile est, vulgarium testudinum prodesse existimant: quod vtrum bene opinentur, „
vsus viderit. Nam authores de terrestri testudine (non) tractauerunt. Puluerem etiam [illegible] illu- „
læ, nec non etiam thuris pro æqua parte admiscebis, ex eo vnam semunciam cum sextario vini ve- „
teris in die per nares bouis infundes. Quod medicamentum per triduum facies. Morbi quoque „
quos superius nominauimus, amari sunt, & non nisi amaris potionibus superantur. Nam contraria „
contrarijs potionibus curantur ratione medicinæ, ideoque puluerem herbæ absynthij & crudorum „
lupinorum, herbæ quoque centaureæ vel peucedani æquis ponderibus diligenter misceto, & in sex- „
tario vini veteris trina cochlearia singulis diebus, additis vncijs tribus olei, per os dato. Gesnerus ex „
libro Germanico manuscripto, in quo diuersa remedia pro bubus præscripta legebantur, hoc quo-
que exscripsit: Si pestilentia bubus ingruerit, radices asari in aqua decoquito, & in potu exhibeto;
vel ipsas contritas aquæ inspergito, & faucibus infundito: vel testas limacum: sufficiunt autem sin-
gulis bubus singulæ. Alij (inquit) herbam cruciatam gentianę speciem (vt supra dixi) pariter cum
limacum testis terunt, & per os infundunt. Alij virgam auream contritam pani imponunt, & ori
B inserunt. Columella authore præsens remedium est radicula, quam pastores consiliginem vocant. *Radicula.*
Ea (inquit) *in Marsis montibus plurima nascitur, omnique pecori est maximè salutaris. Læua manu* *Consiligo.*
effoditur ante solis ortum: sic enim lecta maiorem vim habere creditur. Vsus traditur talis, ænea subu-
la pars auriculæ latissima circumscribitur, ita vt manãte sanguine tanquam O: literæ ductus appareat
orbiculus. Hoc & intrinsecus, & ex superiore parte auriculæ cùm factum est, media pars descripti or-
biculi eadem subula transuitur, & facto foramini prædicta radicula inseritur, quam cùm recens plaga
comprehendit, ita continet, vt elabi non possit: in eam deinde auriculam omnis vis morbi pestilensque
virus elicitur, donec pars, quæ subula circumscripta est, demortua excidat & minimæ partis iactura
caput conseruatur. Non exigua est huic consiligini similitudo cum Helleboro nigro cùm forma & viri-
bus, ideoque in illius penuria hellebori nigri radicibus vti licebit. Cornelius Celsus, vt idem denique
Columella citat, visci etiam folia cum vino trita per nares infundi iubet. Testatur Gesnerus in
Rhętia Heluetica prope thermas Fabarias pagum esse Vattim appellatum, vbi cum pestilentia pe-
cori ingruit, schedas quasdam Magicis characteribus inscriptas & funiculo alligatas supra viam
extendunt, & pecudes, vt subtus transeant, impellunt; affirmareque sic pestem ilico finiri. Schedas
C illas (inquit) à mago quodam ante annos centum dono se accepisse testantur, vt reconciliarentur,
cùm ille à vicino monte deducto dracone herbas & fruges, qua duxerat, prostrauisset. Nunc alios
boum affectus prosequamur, à capite exordio sumpto. Paxamus tradit, cùm bos aures demittens
non comedit, cephalalgia torqueri. Vultque in hoc affectu, vt thymo vino macerato, allijsque, & *Cephalal-*
sale, lingua ipsa cõfricetur. Hordeum etiam crudum ex vino sumptum opitulari asserit. Quin etiam *gia.*
foliorum lauri quantum manu apprehendi possit, in os inserens aut tantundem corticis mali Puni-
ci, mirè contuleris. Myrrham præterea ad magnitudinem fabæ, cum duabus similiter heminis vini
distemperans, infundensque per nares, dolorem exterminabis. Iulius Alexandrinus testatur se vidis-
se bouem epilepticum, & apud Plutarchum reperio, boues etiam furere dici, & Proetides quod se
Iunoni prætulissent, dicuntur bouina laborasse insania. Istiusmodi autem maniam sensum eripere *Lib. 13. de*
bubus aiunt, vt nec audiant more solito, nec videant, exque hac passione celerrimè mori, quanquam *salub. c. 7.*
hilares pinguesque videantur, contagiosum affectum esse & malidis speciem. Gesnerus tradit suos *In Gryllo.*
(Heluetios) insaniæ quoddam genus bubus infestum vocare vernacula lingua Hirnmutig, a cerebri
vitio, cui vertigo siue in orbem discursus adiungatur: iuniores hoc morbo frequentius vexari putari,
D præsertim si inter cornua sæpius aut vehementius feriantur: vel cornua nondum confirmata nimiũ
contrectentur. Sic affectos si mactauerint lanij, carnem vendere non licere. Plures mori, nonnullos
verò curari terebello iuxta cornua frontem versus ad craneum vsque adacto, ita vt sanguis effluat;
esse qui vermem viuum aliquando ex vulnere illo egredi asseuerent, vt ex paronychijs hominum.
Sibi verò neutrum verisimile videri. Interdum quoq; cibos respuit, tumore palati, vt ait Columel-
la, crebrumque suspirium facit, & hanc speciem præbet, vt bos in latus pendere videatur. Ferro pa- *Palati tu-*
latum opus est sauciare, vt sanguis profluat, & exemptum valuulis eruum maceratum, viridemque *mor.*
frondem, vel aliud molle pabulum dum sanetur, præbere. Solent etiam eodem asseuerante Colu-
mella fastidia cibi afferre vitiosa incrementa linguæ, quas ranas veterinarij vocant. Hæc ferro reci- *Lingua.*
duntur, & sale cum allio pariter trito vulnera defricantur, donec lacessita pituita decidit. Tum vino
perluitur os, & interposito vnius horæ spatio virides herbæ, vel frondes dantur; dum fracta vlcera
cicatrices ducant. Si neque ranæ fuerint, neque aluus citata, & nihilominus cibos non appetet, pro-
derit allium pinsitum cum oleo per nares infundere, vel sale vel cunila defricare fauces, vel eandem
partem allio tunso & halecula lenire. Sed hæc his solis fastidio est. Ranæ vitium instar lati vermis
linguam occupare, à suis se audiuisse Gesnerus ait, subnigrum, & nono die nisi curetur, interimere:

signum

ſignum eſſe ſaliuam defluentem. Curari cuſpide lignea, qua rana rubeta transfixa ſit, melius verò ſi in eadem aruerit. E Sanari etiam ſtercore canino candido, ſale, ruta, fuligine, & ſaluia pariter contritis & exertæ linguæ infricatis. Cæterùm linguæ puſtulis ita medeberis ex præcepto Florentini: Bouem oportet collocare ſupinum, & capite reclinato linguam, an puſtulas habeat, inſpicere: quas quidem candenti ferro acutoque exurere conuenit. Dein verò agreſtis oleæ folijs contuſis, ſaleque etiam, vlcera inungenda ſunt, aut ſale tenuiſſimo & oleo: aut butyro & ſale: Aut cucumeris agreſtis radix ſicca contuſa vnà cum ficubus in paſtum eſt apponenda: Aut etiam farinæ hordeaceæ, triticique torrefacti pollinis, ſingulorum heminas duas vino madefactas offerto.

Oculorum affectus. Oculorum vitia, vt Columella teſtatur, plerumque melle ſanantur: nam ſiue intumuerunt, aqua mulſa triticeæ farinæ (inquit) conſpergitur & imponitur; ſiue album in oculo eſt, montanus ſal Hiſpanus, vel Ammoniacus, vel etiam Cappadocicus minutè tritus & immiſtus melli, vitium extenuat: facit idem trita ſepiæ teſta & per fiſtulam ter die oculo inſpirata: facit & radix quam Græci σιλφίον vocant, vulgus autem noſtra conſuetudine laſerpitium appellat: huius quantocumq; ponderi decem partes ſalis Ammoniaci adijciuntur, eaque pariter trita oculo ſimiliter infunduntur: vel eadem radix contuſa, & cum oleo lentiſci inuncta, vitium expurgat: epiphoram (hoc eſt ſi genæ humorem profundunt, lachrymiſque viſus ſuffunditur, ſic enim habet Vegetius, apud quem etiam omnia hæc leguntur,) F *Armoracea qua.* ſupprimit polenta (ex hordeo) conſperſa mulſa aqua, & inſupercilia genaſque impoſita: paſtinacęq; agreſtis ſemina, & ſuccus armoraceæ: cum melle collinita, oculorum ſedant dolorem (Vegetius hic armoraceam interpretatur paſtinacam agreſtem: paſtinaca quoq; agreſtis, inquit, quam armoraceã vocant, cum melle trita oculorum ſedat dolorem; alij armoraceam intelligunt raphanum ſylueſtrem) ſed quotieſcunque mel, aliuſuè ſuccus remedijs adhibetur, circum liniendus erit locus pice liquida cum oleo, ne à muſcis infeſtetur: nam & ad dulcedinem mellis, aliorumque medicamentorum, non hæ ſolæ, ſed & apes aduolant.

Tuſſis. Recens tuſſis (inquit idem Columella) optimè ſaluiato farinæ hordeacæ diſcutitur. (Vegetius ſi recens fuerit tuſſis, ſextarium farinæ hordeaceæ cum vno ouo crudo & hemina paſſi per os dari boui ieiuno iubet,) Interdum magis proſunt gramina conciſa, & his admiſta faba freſa. Lentes quoque valuulis exemptæ, & minutè molitæ miſcentur aquæ calidæ ſextarij duo, factaque ſorbitio per cornu infunditur. Veterem tuſſim ſanant duæ libræ hyſſopi macerati aquæ ſextarijs tribus. Nam ſi medicamentum teritur, & cum lentis minutè, vt dixi, ſextarijs quatuòr more ſaluiati datur, ac poſtea aqua hyſſopi per cornu infunditur. G Porri etiam ſuccus cum oleo, vel ipſa fibra cum hordeacea farina contrita remedio eſt. Eiuſdem radices diligenter lotæ, & cum farre triticeo pinſitæ, ieiunoque datæ vetuſtiſſimam tuſſim diſcutiunt. Facit idem pari menſura eruum ſine valuulis cum torrefacto hordeo molitum & ſaluiati more in fauces demiſſum. Didymus hordeum redactum in pollinem madefactumque, atque palearum partes tenerrimas optimè repurgatas, cumque illi farinæ orobi mixtæ heminas tres, diuiſis prius omnibus in tres partes, tuſſientibus bobus tribus vicibus præberi iubet in cibum. Quidam eodem teſtante artemiſiam herbam purgantes, macerantesque aqua, ex ea exprimunt ſuccum, quem quidem ante aliud pabulum ſpatio ſeptem dierum infundunt. Hæc & apud Conſtantinum Cæſarem leguntur,

Pulmonaria. Pulmonariam quidem vocant imperfectam quandam herbam lichenis ſpecie, arboribus maximè adnaſcentem. Hanc cum ſale anheloſis & tuſſientibus bubus vulgus apud Heluetios, vt Geſnerus refert, edendam commendat, maximè cum pulmo turgidior excreuerit, & vt ipſi (inquit) loquuntur collum ſubiuerit. Nullam huius herbæ apud veteres mentionem reperimus. Pulmoni exulcerato & ſanguinis ſputo conferre creditur, ſiccat enim & aſtringit, vt Matthiolus teſtatur. Eſt & altera eodem nomine multo notior, folijs boraginis, ſed acutioribus & albicantibus apud nos maculis H conſperſis. Hanc ſimiliter ad explenda pulmonis vlcera eruditi paſſim celebrant, à Plinio, vt apparet, inuitati, qui hanc ad amuſſim delineans, aduerſus morbos viſceris ſui nominis eſſe tradit, in

Parietaria. cibo ſumptam, vel potam. Hieronymus Tragus parietariam vulgarem à veteribus, tum iumentis tum bubus ad tuſſim & anhelãdi difficultatem dediſſe teſtatur: mulieresque quæ bubus medentur, matricariæ vulgò dictæ pollinem ſali admiſcere veſperi, vt lingant. Eo medicamento boues purgari, reſpirandique difficultate & inflatione liberari. Idem Tragus aſſerit pecori pulmonario ſuorum aliquos, agarico, gentiana & rhapontico permixtis mederi: Aſari contritas radices cum ſale tum ouibus ad pulmonis vitia & tuſſim dari, tum bubus, vt purgentur: alios aduerſus eaſdem cauſas & lentam pulmonum pituitam veronicæ herbæ pollinem ſali immiſcere. Tuſſim & anhelitus anguſtiam nonnulli vinaceis aut iunuperi baccis ſali admixtis in hoc animali curant, vt annotauit Geſnerus; qui & ad verſus aſthma ariſtolochiam longam à Germanis vſurpari tradit, & ſolanum perpetuum, quod glycypicron vocant, hoc aut boum ceruicibus aduerſus id malum paſtores appendere.

Iudæi niſi ſanis bobus veſcuntur. Affectus iſtiuſmodi pulmonum à Iudæis fuere execrati: nam cùm propter diuerſa mala carnem non ſani bouis abominentur, de quibus in libris eorum Thalmudicis per multa præcipi aiunt, tum

ſi pul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A si pulmones costis hæserint, vel etiam omentum peritonæo: quos quidem adhæsus partium exulcerationem interdum sequi à ratione nõ est alienum: Est & illa grauis pernities, cum pulmones exulcerantur, vnde tussis & macies, & tandem phthisis inuadit. Quæ ne mortem afferant, Columella, radicem coryli inustam ita, vt suprà docuimus, perforatæ auriculę inseri iubet, tum porri succum instar heminæ pari olei mensura misceri, & cum vini sextario potandum dari diebus compluribus. Apud Vegetium verò sic legitur; Radix consiliginis, succus porri, omnium hemina pari mensuræ olei miscetur. Sed Columellæ lectio præferenda est. Alexander Benedictus Veronensis agens de curatione oppilationum stomachi, ait aduertendum esse, quod cùm in mesentericarum opilatione quidam inter stomachum & iecur, hoc est sub ipsis hypochondrijs tumor extare videtur, cum ventris exterioris extenuatione; tabescit ea pars alimenti defectu, resolutisq; viribus intempestiuè fluit venter; quoniam succus ex oppilatione ad iecur non transit; ex cibis crassioris substantiæ id euenire (inquit) solet. Si vetus id malum est, mortem portendit: hærere enim cutis ventri videtur intenta. In bobus labore consumptis cordapson vocant rustici. Irremediabile ferè malum est: vel in homine quoniam quæ aperiunt, & duram præsertim oppilationem procurant, calidiora sunt, propterea B corpus magis exiccant, & quæ è diuerso siccitati occurrunt, boni nutrimenti humectantia sunt, quæ cum plurimum oppilant, ob id prius aperientibus opus est quàm humectantibus, quia oppilatio nutrimentum ne transeat, prohibet: vtrumque præstat ptisana & aqua hordeacea plus quàm sit verisimile, nam aperit & humectat arefacta membra: sed ijs paulatim singulis diebus quid plusculum assumendo, æger (idem de boue dicendum) assuefieri debet nec vllo pharmaco vexandus est, aut vlla sanguinis missione. Si cruditate laborauerit bos, eius signa sunt, (inquit Columella) crebri ructus & ventris sonitus, fastidia cibi, neruorum intensio, hebetes oculi: propter quæ bos neque ruminat, neque lingua se deterget. Remedio erunt aquæ calidæ duo congij & mox triginta brassica caules modicè cocti, & ex aceto dati. Sed vno die abstinendum est alio cibo. Quidam clausum intra tecta continent, ne pasci possit. Tum lentisci oleastrique cacuminum pondo quatuor, & libra mellis vnà trita permiscent (inquit) aquæ congio, quam nocte vna sub dio habent, atque ita faucibus infundunt; Deinde interposita hora macerati erui quatuor libras obijciunt, aliaque potione (alio cibo, vel potione, Vegetius) prohibent. Hoc per triduum fieri, dum omnis causa languoris discutiatur. Nam si neglecta cruditas est, & inflatio ventris & intestinorum maior dolor insequitur, qui nec C capere cibos sinit, gemitus exprimit, locoque stare non patitur, sæpe decumbere, & agitare caput (Vegetius, non agitare caput habet, sed volutare cogit,) caudamque crebrius agere. Manifestum remedium est proximam clunibus partem vinculo vehemẽter obstringere, viniique sextarium cum olei hemina faucibus infundere, atq; ita citatum per mille & quingentos passus agere. Si dolor permanet, vngulas circumsecare, & vncta manu per anum inserta fimum extrahere, rursusque agere currentem. Si nec hæc profuit res, caprifici aridæ conteruntur, & cum dodrante aquæ calidæ dãtur. (Vegetius aliter, si tardius proficit, tres partes lauri diu conteruntur, & cum duplici aquæ calidę dãtur.) Vbi nec medicina processit, myrti syluestris foliorum libræ duæ deligantur, totidemque sextarij aquæ calidæ misti per vas ligneum faucibus infunduntur. atque ita sub cauda sanguis emittitur, qui cum satis profluxit, inhibetur papyri ligamine. Tum concitatè agitur pecus eo vsq; dum anhelet. Sunt & ante detractionem sanguinis illa remedia; tribus heminis vini tres (quatuor Vegetius) vnciæ pinsiti allij permiscentur, & post eam potionem currere cogitur. Vel salis sextans, cum cepis decem (decem vncijs ceparum, Veget.) immittuntur aluo, atque ita bos agitur. Eadem ferè remedia ad strophos, idest, tormina Paxamus præscripsit, vt paulò post referemus, etsi idem de cruditate D seorsim agit. Bubus cruditate laborantibus (inquit) medebimur, aquam calidam propinantes, brassicæque aceto perfusæ apponentes fasciculum vnum. Aliqui partes teneriores brasicæ elixantes, & contundentes, ex oleo eas illis per cornua infundunt; stragulisque simul bouem laborantem calefacientes, lenta illum exercent deambulatione. Id quod non solùm boues, sed omnia pecora iuuat. Alij rursus agrestis oleæ tandem vna & altera die sex heminas infundunt. Inflantur boues (inquit Petrus Crescentiensis (ventribus ipsorum obstructis, aut flatu repletis, si manu vel digito feriantur, partes circa ilia & coxas, tympani modo resonant: visu etiam inflati appareant, & dolore torquentur, & quandoque in terram se prosternunt, ac libenter procumbunt. Curantur clystere vel cannula, vt equi etiam: aut manu pueri oleo illita extrahuntur stercora: aut vena caudæ acuto cultello inciditur, quæ parte inferiore quatuor ab ano digitis distat. Periculum & hoc vitij affert, quo vulgus interdum quæritur, boues ruminandi facultatem amisisse. Ruminantibus enim omnis ferè cibus ore elabitur, vnde totius corporis macies statim consequitur. Curandum est igitur, vt manu inserta in fauces ingeratur, siue illud ipsum, quod boui ægro exciderat, siue quod alteri ruminanti ex ore subtractum fuerit, ita tamen ne nimium, vel omne alimentum illi substrahatur, ac idem qui in ægro curatur affectus, in sano creetur. Absurdo rustici quidam pharmaco ruminationem resti-

Lib. 11. cap. 7. curation.

Cordapson.

Cruditatis signa.

Inflationis causa.

Ruminatio cessans.

tui

tui putant, ſordibus vaginarum excuſſis, & buccellæ panis ori inſerendæ inſperſis. Si bos cibũm fa- E *Si cibum faſtidit.* ſtidiat, pabulum eius amurcæ ſufficienti portione inſpergi iubet Florentinus: olei etiam, reſinæ aut terebinthinę, ſingulorum æquis partibus miſtis, ad radicem vſque cornua bouis deungi. Pleroſque ſane affectus faſtidij ſymptoma comitari, vt malidem humidam, capitis dolorem, cruditatem tumorem palati, alui profluuium, tormina, ventris dolorem, alios. *Cholera.* Florentinus cholera laborantibus, crura cauterio vſque ad vngulas exurenda eſſe aſſerit, poſteaq; lauacro calidæ aquæ fouenda, contegendaque ſtragulis *Dolor ventris.* Ventris & inteſtinorum dolor ſedatur viſu nan ſium (anſeris Vegetius) & maximè anatis, teſte Columella, quam ſi conſpexerit, cui inteſtinum dolet celeriter tormento liberatur. Eadem anas maiore profectu mulos & equinum genus conſpectu ſuo ſanat. Sed interdum nulla prodeſt medicina. *Tormina.* Sequitur torminum vitium, quorum ſignum eſt cruenta & mucoſa vẽtris proluuies. Remedio ſunt cupreſſim quindecim coni, totidemque gallæ, & vtrorumque ponderum vetuſtiſsimus caſeus, quibus in vnum tunſis admiſcentur auſteri vini ſextarij quatuor, qui pari mẽſura per quatriduum diſpenſati dantur: nec deſinit lentiſci, myrtique, & oleaſtri cacumina viridis (ita vt lentiſci myrtique & oleaſtri cacumina præbeantur, Vegetius,) Aluus corpus ac vires carpit, F operique inutilem reddit: quæ cùm accident, prohibendus erit bos potione per triduum, primoque die cibo abſtinendus. Sed mox (ſecundo die) cacumina oleaſtri, & arundinis, item baccæ lentiſci, & myrti dandæ, nec poteſtas aquæ (poſt triduum etiam, Veget.) niſi quàm parciſsimè facienda eſt. Sunt qui teneræ laurus caulium libram, cum abrotani macerati pari portione dent, cum aquæ calidæ duobus ſextarijs, atque ita faucibus infundant, eademque pabula obiiciant. Quidam vinaceorum duas libras torrefaciunt, & ita conterunt, & cum totidem ſextariis vini auſteri, potandum medicamentum præbent, omniq; alio humore prohibent, nec minus cacumina prædictarum arborum obiiciunt. Quod ſi neque ventris reſtiterit concitata proluuies, neque inteſtinorum ac ventris dolor, ciboſque reſpuet; & prægrauato capite, ſi ſæpius, quàm conſueuit, lachrymæ ab oculis, & pituita à naribus profluent: vſque ad oſſa frons media vratur, aureſque ferro ſcindantur. Sed vulnera facta igne dum ſaneſcunt, defricare bubula vrina conuenit. At ferro reſciſſa melius pice & oleo curantur. Paxamus ait; Qui bos torminibus diſcrutiatur (loquitur autem de illis quos Græci ϛρόφȣς vocant,) minimè vno in loco conſiſtit, nec cibum tangit, ſed mugit. Parum igitur nutrimenti illi offerendum eſt, caroque circa vngulas vſque ad ſanguinem perpungenda. Alij circa caudam ſolutionem facientes, donec effluat ſanguis, poſtea linteolo deligant. Alii cepas cum ſale cõdentes admo- G uenteſque ſedi quàm penitiſſimè fieri poſſit, poſtea boues impellunt, eoſque cogunt ad curſum. Alij terentes nitrum, perfundenteſq; per os inijciunt. Nos ſupra boues ſibi ipſis aduerſus tormina, excrementis hominum in Cypro mederi diximus ex Plinio. *Diarrhœa.* Idem Paxamus aduerſus diarrhoeam, rhamni (inquit) folia contundens, aſphaltoque miſcens, da comedenda. Quidam folia mali punicæ macerata farinæque miſta offerunt. Alij farinæ hordei cotylas duas, & farinæ tritici torrefacti mediam cotylæ partem miſcentes aqua porrigunt. *Alui fluxus.* Si boui aut vitulo aluus nimium fluat, aliqui toſtam auenæ farinam faucibus immittunt, & panem toſtum inſperſo ſale: oxylapathi quoque ſemen in cibo iuuare certum eſſe aiunt. Contrà ſi excrementa alui retineantur, muſcerdam & cannabis ſemen in fauces inſerunt; vel vaccinum lac calidum, vel coquinariam colluuiem veterem infundunt. *Sanguinis fluxus.* Si pecori ſanguis per anum, aut vterum aut nares profluat, farinam triticeam cum ouo & butyro & lotio exequili hauſto quidam permiſcent, & maſſam inde coctam in cineribus calidis coquunt & pecori præbent. *Sang. mictio.* Cùm verò boues ſanguinem mingunt, rarò aiunt, euadere: aiuntque ſolere aliquando hunc morbum gigni, cùm prata paſcuis aperiuntur, propter nimiam pabuli pinguedinem, aucto nimirum ſanguine ex alimenti copia. Remedia aiunt tentari huiuſmodi. Hordeum H in aqua decoquitur, ſimulque lardum & panis: decoctum iſtud infundunt. Nonnulli blitum, (quod circa fimeta & ſolo pingui prouenire ſolet, caulibus & folijs rubris,) tuſum ſalitumque præbent. Alij ſecreto experimento iuglandium nucamenta in ouo exhibenda celebrant. Sunt qui ipſam cruentam vrinam dum redditur excipiunt, & rurſus ſtatim per os infundunt. Alij ad ſiſtendum ſanguinis mictum vix quicquam efficacius eſſe aiunt, herba Roperti, vel gratia dei vulgò dicta, quam eam ob cauſam paſtores in montibus teſte Geſnero in Germania alicubi vocant herbam vrinalem. *Vrinalis herba.* Inſerunt autem herbæ Roperti manipulos aliquot contuſos. Alij tormentillæ herbam ſimul & radicem terunt & ſali miſcent: alij muſcum de nuce arbore in cibo præbent, & niſi profuerit, butyrum crudum admiſcent; alij oxylapathi folia contuſa, ſalitaque ori immittunt. Oportet autem hoc morbo periclitantes boues, in ſtabulo quieſcere, ne ſubitaneus (vt vocant) ſanguis ſuperueniat, & fœno paſci. Ariſtoteles author eſt, accepiſſe ſe, vaccam fuiſſe Perinthi, cui cibi excrementum extenuatum per veſicam tranſmittebatur, diſſectuſque anus denuo propere coaleſcebat, nec reſecando vitium vinci potuiſſe. *Lienis affectus.* Lien etiam boum, vt ait Creſcentienſis, quandoque lentis craſsiſq; humoribus infarcitur, vnde non liberantur, & diuturnus fit affectus: dignoſcuntur ex tuſsi, cùm aliàs infeſtante,

tùm

A tùm maximè cùm ad cursum aguntur. Præter cætera autem solent vitulis nocere lumbrici, qui ferè nascuntur ex cruditatibus. Itaq; moderandũ est, vt bene concoquant: aut si iam tali vitio laborant, lupini semicrudi teruntur, & offæ saluiati more faucibus ingeruntur. Prodest etiam cum arida ficu & eruo contrita herba santonica, & formata in offam, sicut saluiatum demitti. Facit idem axungiæ pars vna tribus partibus hyssopi mixta. Marrubij quoque succus & porri valet eiusmodi necare animalia, author est Columella. Sunt qui boum atque vitulorum lumbricos expelli dicunt, infuso succo quem expresseris è folijs & radicibus betæ rubeæ: idem medicamentum pueris etiam conducere. Alij pollinem bursæ pastoris dictæ aduersus eosdem commendant: quorum iuditium improbo, cum sit alia, herba contra lumbricos dicta, nasturtij syluestris genus, quod simillima seminis habet conceptacula, ad lumbricos maximè commendata. Hippocrates bobus cur, & quando potissimum coxæ articulus laxetur, his verbis docuit: Differt etiam habitus quidam corporis: nam & his quibus bene se habet membrum, & carnosis minus excidit, & facilius incidit: Vbi verò ipsi tenuiores & magis excarnes fuerint, tunc & magis excidit, & difficilius incidit. Argumentum autem quod hæc ita se habeant, hoc est: Bobus enim tunc magis femora excidunt ex acetabu-
B lo, cum tenuissimi existunt. Fiunt autem tenuissimi boues ad finem hyemis: tunc igitur etiam maximè luxantur: si tamen & huiusmodi quiddam in medicina scribere conuenit: Verùm cõuenit vtque. Bene enim Homerus didicit quod ex omnibus pecudibus boues quàm maximè laborent hoc tempore, & ex bobus potissimum aratores, eò quòd hyeme operentur. His itaque maximè excidũt articuli; nam reliqua quidem pecora breuem herbam depasci possunt, boues autem non ita valdè, prius quàm alta fiat. Reliquis enim tenuis est labri prominentia, crassa item & obtusa superna maxilla, quapropter in breues herbas subijcere non potest. Rursus solipeda animalia, vtpote vtrimq; dentata, & dentes inter se committere possunt, & sub breuem herbam dentes subijcere queunt, delectanturque tali herba magis quàm alta: breuis enim herba in totum melior solidiorque est, quàm alta: adde quod alta etiam prius fructum effert: ob hoc igitur ita cecinit:

Haud secus ac bobus nigris gratissima veris
Tempora proueniunt.

quia gratissima ipsis apparet alta herba. Sed & aliàs bos laxum habet hunc articulum magis quàm alia animalia, & ob id etiam magis quàm alia pedem trahit, & maximè cùm macilentus est, etiam
C senex: propter omnia hæc etiam maximè boui excidit. Hactenus Hippocrates. Aristoteles boues duobus potissimùm morbis vexari scribit κραυρῷ, de quo diximus, & podagra ægrè curabili facere autem hanc, vt pedibus intumescant, & quamuis non intereant, tamẽ vngulas amittere; valere melius cornibus pice calida illitis. Idem alicubi ait: Vngulas cùm dolore articulorum laborat bos, non amitti, sed pedes tantummodo intumescunt vehementer. Pierius Valerianus verò scribit ex bubulo pede podagrosum hominem antiquitus indicatum fuisse; Bos enim (inquit) præcipuè vngulis cum dolore articulorum laborat, quo quamuis non intereat vngulas tamen interdum amittit, & pedes vehementer intumescunt vnde fictum ab Aegyptijs, tauri cælestis pedem extra regionem suam in Aethiopas exporrigi, quorum & pedes & articulos esse tumoribus obnoxios exploratum est; & in Italiam transgressos, paucissimos inueniri qui non articulorum vitio laborent. Vtcunq; est, Aristoteles ait non sentire boues pedum dolores, si illorum cornua illinantur cera, aut oleo aut pice; si verò attritæ fuerint vngulę, cornua vngendo mederi agricolas Plinius tradit; nec subteri pedes boum si prius cornua pice liquida perungantur; quod & antiquissimus Cato dixit, his verbis. *Boues pedes ne subterant, priusquam in viam quoquam agas, pice liquida cornua infima vngito*: per cornua
D vterque vngularum substantiam intelligens, vt antea quoque annotauimus. Columella verò subtritos pedes elui asserit calefacta bubula vrina; deinde fasce sarmentorum incenso, cùm iam ignis in fauillam recidit, feruentibus cineribus cogi insistere, ac pice liquida cum oleo, vel axungia cornua eius illini. Sanguis demissus in pedes, teste eodem Columella, claudicationem affert; quod cùm accidit, statim vngulam inspici vult; tactu autem feruorem demonstrari ait, bouemque affectam partem vehementius premi non pati. Sed si sanguis adhuc supra vngulas in cruribus est, fricatione assidua discuti. (Vegetius ad triduum trito sale perfricat) vel cùm ea nihil profuit, scarificatione demi. At si iam in vngulis est, inter duos vngues cultello leuiter aperiri iubet (Vegetius etiã intus mundat) postea linamenta, sale; atque aceto imbuta applicari, ac solea spartea pedem indui, maximèq; dari operam, ne in aquam pedem mittat, & vt siccè stabuletur. Hunc eundem sanguinẽ, nisi emissus fuerit, saniem creaturum ait, & si suppurauerit, tardius curari, primùm autem ferro circumcidi, & expurgatum deinde pannis, aceto, & sale, & oleo madentibus inculcatis, mox axungia vetere & seuo hircino pari pondere decoctis, ad sanitatem perduci. Si sanguis in inferiore parte vngulę est, extremam partem ipsius vnguis ad viuum resecare, & ita emitti ac lineamentis (stuppa vel linteolis cum sale, & oleo, & aceto infusis, Vegetius, & sic ille paulò ante) pedem inuolutũ spar-

tea

Lumbrici. — *Lib. de articulis.* — *Coxæ luxatio.* — *Boues cur luxentur.* — *Podagra.* — *Podagrosi typus.* — *Contra pedũ dolores.* — *Ad vngulas attritas.* — *Claudicatio.*

tea muniri. Mediam vngulam ab inferiore parte non expedire, vt aperiatur, niſi eo loco iam ſuppuratio facta eſt. Si dolore neruorum claudicat, oleo & ſale genua politeſque & crura confricanda eſſe, donec ſanetur. Si genua intumuerunt calido aceto fouenda eſſe, & lini ſemen, aut milium detritum conſperſumque aqua mulſa imponendum: ſpongias quoque feruenti aqua imbutas & expreſſas, atque melle litas rectè genibus applicari, ac faſcijs circundari. Quod ſi tumori ſubeſt aliquis humor, fermentum, vel farinam hordeaceam ex paſſo aut aqua mulſa decoctam, imponi, & cum maturuerit ſuppuratio, reſcindi ferro, eaq; emiſſa, vt ſuprà docuimus, linamentis curari. Poſſe etiam (vt Cornelius Celſus, inquit, pręcipit) lilij radicem aut ſcyllam cum ſale, vel ſanguinalem herbam, quam πολύγονον Græci appellant, vel marrubium ferro recluſa ſanare: ferè autem omnem dolorem corporis ſi ſine vulnere eſt, recentem fomẽtis melius diſcuti; veterem autem vri, & ſupra vulnus butyrum, vel caprinus inſtillatur adeps. Florentinus ſi ob partis frigiditatem bos claudicet, pedem (inquit) abluere conuenit, locumque affectum (vbi ſcalpello fuerit manifeſtatus) fouere veteri vrina: dein ſale conſpergere, atque ex ſpongia peniculoue alio mundare. His factis, adeps hircina, aut bubula, probe contuſa, parti dolenti ex ferro inſtillanda eſt, ſin autem, quod calcarit erectum palum, aut aliquid ſimile, bos claudicare videatur, cætera quidem omnia ſimiliter facienda ſunt, F ceram autem cum oleo vetere, melle, cum orobi farina ſolutam refrigeratamque vlceri imponere debes. Poſtea verò, accipiens incretam teſtulam, ficuſque, aut mala Punica tundens, atque permiſcens, vlceri circumponito: ac linteo aliquo deligato adeò curioſè, vt externarum rerum nihil ſubingrediatur, donec bos ipſe firmior poſſit ſtare. Sic ſiquidem percurabitur; tertia autem die ſimili medendi ratione ſuccurrito. Si claudicet ob materiæ influxum, oleo & paſſo concoctis pars ipſa calefacienda eſt, ac dein calida polenta hordeacea illi imponenda. Cæterùm, vbi pars ipſa tenera & mollis eſt reddita, aperienda eſt, extergendaque: poſtea verò folia liliorum, aut ſquillam ex ſale, aut polygonon, aut denique praſium contuſum imponere expedit. Si quid verò pedem penetrauerit, Creſcentienſis ita curari iubet; vt extrahatur cum radicibus arundinis tritis, vel radicibus dictamni ſuprapoſitis & faſcia alligatis, vel alijs medicamentis, quæ ſpinis extrahendis adhibentur in equis, vt in illorum hiſtoria docuimus.

Si vomer talum læſerit. Si talum aut vngulam vomer læſerit, Columella picem & axungiam cũ ſulphure & lana ſuccida inuolutam candente ferro ſupra vulnus inuri præcipit, (Vegetius verò candente ferro ſupra vulnus imponi iubet, & vngi, vt verendum ſit, apud Columellam legendumque eſſe pro inurito, inuoluto.) Quod idem remedium optimè facere monet exempta G ſtirpe, ſi fortè ſurculum calcauerit, aut acuta teſte, aut lapide vngulam pertuderit, quæ tamen ſi altius vulnerata eſt, latius vult ferro circumcidi, atque ita inuri, vt ſuprà præcepit, deinde ſpartea calceata per triduum ſuffuſo aceto curari. Item ſi vomer crus ſauciauerit, marina lactuca, quã Græci τιθύμαλλον vocant, admiſto ſale imponi: aſſeritque minus claudicatura armenta, ſi opere diſiunctis multa frigida pedes lauentur, & deinde ſuffragines, coronæ, ac diſcrimen ipſum qua diuiſa eſt bouis vngula, vetere axungia defricetur.

Vermes in vlceribus. Tabaci facultas. Cùm verò de vermibus qui in vlceribus quandoque proueniunt, nihil ſit dictum, addam remedium ſimpliciſſimum ex Ioan. Fragoſo. Hic agens de tabaco: Vlcera antiqua (inquit) licet ad oſſa vſque penetrent, ſintque cancroſa mundari perhibent, carne repleri & ad cicatricem perduci herbæ huius (tabaci) ſucco indito & ſuperimpoſitis folijs; præſuppoſito tamen bono regimine & præmiſſis euacuationibus vniuerſalibus. Quæ vtilitas etiam cognita eſt in vlceribus narium, tinea & impetiginibus ac ſimilibus, fricando cum folijs talem fęditatem. Hęc eadem vtilitas eius in curandis vlceribus, non tantùm obtinuit in hominibus, ſed etiam in alijs animalibus, quia per vniuerſam quaſi Indiam, præcipuè in S. Domenico & S. Ioanne de portu de vite, frequentia ſunt vlcera in vaccis, bobus & alijs animalibus, quæ ſeſe mutuò vulnerant in monti- H bus, & ob ſummam regionis humiditatem facilè putreſcunt illa vulnera, vſq; eò vt repleantur vermibus: quæ quidem ſublimato curare erant ſoliti: hoc autem ipſum cùm tanti eſſet pretij, vt pluris conſtaret, quàm animal ipſum, quod curabatur; inuenerunt per experientiam, infuſo ſucco iſtius herbæ non ſolùm interfici & eijci vermes, ſed etiam mundari vlcera, & ad cicatricem perduci. Et illud ipſum præſtat in animalibus domeſticis & veterinarijs, curando contuſiones ipſorum. Scimus quendam vlcere antiquo narium laborantem, è quo ſanies manabat, non ſine ſuſpitione contagij, inſtillato ſucco iſtius herbæ per nares magnam eieciſſe multitudinem vermium, atque ita curatus eſt. Hactenus Fragoſus. Facilius adhuc remedium hoc eſt. Quidam (inquit Conſtantinus Cæſar) vlcera aqua irrorant frigida, & ſic enecant vermes. Atque hactenus de corporis bubuli generis affectibus.

Machina in quę curatur bos. Conuenit uerò huic maximè loco machinæ illius deſcriptio, qua boues aliaque iumenta clauſa ligataque tenentur, ut medicamenta admittant. Deſcribitur à Columella & Vegetio. Machina (inquit ille) fabricanda eſt, ut & propior tutuſque acceſſus ad pecudem medentibus ſit, nec in ipſa curatione quadrupes reluctando remedia reſpuat. Eſt autem talis machinæ forma. Roboreis axibus (aſſibus) compingitur ſolum, quod habet in longitudinem pedes nouem & in latitudinem

pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

E A pars prior dupondium semissem (duos pedes, & semis, Vegetius) pars posterior quatuor pedes. Huic „ solo septenum pedum stipites recti ab vtroque latere quaterni applicantur: ij autem quatuor angu- „ lis affixi sunt, omnesque transuersis sex temonibus quasi vacerræ inter se ligantur, ita vt a posteriore „ parte quæ latior est, velut in caueam quadrupes possit induci, nec exire alia parte prohibentibus ad- „ uersis axiculis: primis autem duobus statuminibus imponitur firmum iugum (transuersum tigillum „ ad modum iugi, ad quod equorum capita, vel boum religantur, Vegetius) ad quod iumenta capi- „ strantur, vel boum cornua religautur: vbi possunt etiam numelli fabricari, vt inserto capite descen- „ dentibus per foramina regulis ceruix teneatur: cæterùm corpus laqueatum, & distentum temoni- „ bus obligatur, sicque immotum animal medentis arbitrio est expositum. Machina isthæc vulgò „ nuncupatur vn trauaglio, quasi miseria, aut ærumna, vnde non pauci miserijs afflicti ærumnosique, „ vt ab ijs liberentur, tabellas in templis diuis suspendere solent, in quibus istiusmodi machinæ inclu- „ si ita depinguntur, vt genibus flexis diuorum implorent auxilium. „

F

CAPIENDI RATIO.

ÆTHIOPES Gymnetę, (inquit Diodorus Siculus) asperam incolentes patriam, ra- *Lib. 4. c. 3.* risq; aquarum fontibus super arbores, ferarum timore dormientes sub auroram ad aquarum decursus armati prodeuntes se abscundunt inter arborum frondes: sub æstum verò Solis agrestes boues, tum caloris, tum sitis impatientia ad aquas potus causa confluunt; repletos grauesque aqua, Aethiopes, cùm haud facile moueri pos- sint, ex arboribus descendentes adoriuntur, ac lignis adustis, saxisque & sagittis oc- cisos, per cœtus diuisos edunt. Ludouicus Ariostus laqueis quoque capi innuit, dum canit: *Cant. 11. st. 45.*

Come toro saluatico che al corno
Gettar si sente vn improuiso laccio
S'alza, di qua e di la s'aggira intorno
Si colca & leua, e non puo vscir d'impaccio.

G

PRÆSAGIA.

PLINIVS inter signa futuræ tempestatis, boues recenset cœlum olfacientes, seseque *Lib. 18. 35.* contra pilum lambentes, sed Theophrastus ait (inquit Iacobus Dalechampius) si *Tempesta-* anteriorem vngulam lingant, sententia longè diuersa. Cæterùm Theophrastus *tis signa.* in opere de pluuiæ signis ita habet: Bos lambens anteriorem vngulam, tempesta- „ tem, vel imbres imminere ostendit: Item si sursum eleuato capite in cælum aspi- „ ciens odoretur, pluuiam præsagit. Hoc postremum signum posuit etiam eximius *Georg. 1.* Mantuanus Poeta:

H

Aut bucula cælum
Suspiciens, patulis captauit naribus auras.

In quem locum Seruius. Hic locus omnis (alia scilicet quoque tempestatis signa, quæ poeta ibi re- citat) de Varrone est, Varrone nimirum Atacino: qui sic habet, quod attinet ad bouem:

Et bos suspiciens cælum (mirabile visu)
Naribus aereum patulis decerpsit odorem.

D. Ambrosius in Hexamero, boues (ait) impendente pluuia ad præsepia se tenere norunt: ijdem vbi „ *Lib. 6. c. 4* naturali sensu mutationem cæli collegerint, foris spectant, & vltra præsepia ceruices extendunt „ suas vna omnes specie, vt prodire se velle testentur. Antonius Mizaldus, qui de præsagijs etiam „ scripsit, tradit, si boues cum insolito mugitu ad stabula tristes sub vesperam proficiscentur, & vitu- læ præter modum & usum salientes absente (præsertim ad visum) stimulo, vitulabuntur, tempesta- tem paucos dies sine dubio deorsum grassaturam, veluti de pictura quadam repræsentare affirmat. Bos ad dextram coxæ vertebram inclinatur, vt Aelianus tradit, si iam proximum est, vt pluat: sin *Lib. 7. c. 8.* serenum tempus propè futurum est, ad sinistram incuruatur: præterea si mugit, & terram olfacit, pluuia impendet. In secretis secretorum quæ Aristotelis nomine circumferuntur, scriptum est bo- ues magis solito comedentes, & in dexteram iacentes, tempestatem denunciare. Ait autem etiam Aristoteles vaccas, si per æstatem fuerint fœcundiores, pluuiosam instare hyemem indicare: & aliàs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

etiam ait, idem contingere, cùm vaccæ plures grauidæ ſunt & facilè initum patiuntur. Quod E fieri non poſſet, vt Alberto placet, quod nimirum animal ſiccum fœcundo, & genitali humore abundet, niſi iam à cæleſti influxu ſtellarum, quæ annum regunt, humor in eis commoueretur. Aelianus boues teſtatur impendentem peſtem, & terræ motum & cœli ſalubritatem, & frugum fertilitatem præſentire, cæterùm quibus hæc indicent ſignis, non exprimit.

Peſtem præſentiunt.

PHYSIOGNOMONICA.

Ignauiæ ſignum.

ARISTOTELES in phyſiognomonicis, illos quibus facies carnoſa eſt, remiſſi & negligentis animi eſſe conijcit: quibus magna, ignauos ſeu tardos: quibus oculi magni, ſimiliter: quibus admodum caui, mites, & illos etiam ignauos, quibus frons magna ſit: poſtremò querulos, & indignabundos, quibus vox primùm grauis: in fine acuta fuerit: quod eadem omnia in bubus ſimiliter ſe habeant. Nos autem ſuprà ex Adamantio diximus bouem vultu ſuo, & moribus ſimplicitatem quandam F præ ſe ferre.

SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

Apes bobus amica.

OCCVLTA planè eſt amicitia inter apes & boues. Columella ex Higinio ſcribit per vernos dies (circa calendas Aprilis, Palladius) curandas eſſe beſtiolas iſtas adapertis alueis, vt omnia purgamenta, quæ ſunt hyberno tempore congeſta, & araneis qui fauos corrumpunt, detractis, fumus immittatur, factus incenſo bubulo fimo. Is enim (inquit) quaſi quadam cognatione generis, maximè eſt apibus (apium ſaluti) aptus: Tineæ (inquit) & papiliones plerumque fauis adhærentes decidunt, ſi fimo medullam bubulam admiſceas, & his incenſis nidorem admoueas. Plinius hæc paulò aliter: *Circumlini* (inquit) *alueos apum fimo bubulo vtiliſſimum. Cognatum hoc ijs innaſcentes beſtiolas necat, araneos, papiliones, teredines; apeſque ipſas excitat.* Rectè autem dixit, cognatione quadam G generis, cum ex mortuis etiam bobus ortum apes habeant, quod mirum eſt non annotaſſe Ariſtotelem, ſed fortè ignorauit. Plinius enim Virgilium citat, non Ariſtotelem. *In totum* (inquit) *reparari ventribus bubulis recentibus cum fimo obrutis: Virgilius iuuencorum corpore exanimato, ſicut equorum veſpas, atque crabrones, ſicut aſinorum ſcarabæos mutante natura ex alijs quadam in alia.* Cæterùm ante Virgilium M. Varro, duplicem apum ortum eſſe prodidit partim videlicet ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Itaque Archelaus in epigrammate ait eſſe eas, βοὸς φθιμένης πεποιμένα τέκνα. In Aegypto loca quædam eſſe aiunt, vbi ſi defodiatur taurus, ita vt cornua duntaxat ſupra terram emineant, eaque deinde ſerra amputentur, apes euolent, putredine enim taurum in iſtud animalculum immutari. Quò videtur etiam Philetas (inquit Antigonus) animum intendiſſe, homo admodum curioſus. Vocat enim apes taurigenas hoc verſu:

Lib. 11. cap. 20.

Taurigenas ſic fatus apes longinquus adiſti.

Metam. 15. Sed & Ouidius ait:

Nonne vides quæcunque mora fluidoque calore
Corpora tabuerint, in parua animalia verti? H
I quoque delectos, mactatos obrue tauros
(Cognita res viſu) de putri viſcere paſſim
Florilegæ naſcuntur apes; quæ morte parentum
Rura colunt, operique fauent, in ſpemque laborant.

Vt apes ex bobus fiant.

Si modò apes eo modo generari volueris, Florentinus referente Conſtantino Cæſare, iubet vt domus tibi ſit alta decē cubitorum, latitudinis totidem cubitorum, & reliquis lateribus comparibus. Ingreſſus in illa formetur vnus, feneſtræ quatuor, ab vnoquoq; vna. In hanc inducas bouem triginta menſium, carnoſum, valde pinguem, faciaſque aſtare ipſi iuuenes multos, qui ipſum fortiter verberent, & fuſtibus cæſum occidant, ſimul cum cornibus ipſa etiam oſſa comminuentes, diligentem autem animaduerſionem habeant, ne quid bouis cruentent. Nō enim ex ſanguine (inquit) apis generatur, & circa primas plagas non violenter in ipſum irruant. Statim verò obturetur omnis bouis meatus linteolis tenuibus ac puris, pice tinctis, veluti ſunt oculi, nares, & os, & quæ à natura productæ ſunt partes ad euacuationes neceſſarias: deinde thymo ſubſtrato multo, boueq; ſupino ſuper ipſum inclinato, domum egrediantur, & ſtatim ianuam & feneſtras luto denſo oblinant, vt neq; aeri,

neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A neque vento vllus ingressus ac perspiratio pateat. Tertia autẽ hebdomadæ vndiq; domum aperire oportet,& lumen aeremq; durum admittere, præterquam ex ea parte, vnde vehemens ventus procedit. Si enim sic contigerit, ingressum qui secundum ventum situs est, clausum relinquere oportet, & luto velut prius oblinere. Vndecima deinde posthanc diẽ vbi aperueris, inuenies plenam apibus racematim inter se coagmentatis,& ex boue reliqua cornua & ossa ac pilos,& præterea nihil. Aiunt ex cerebro gigni reges, ex carnibus verò alias apes. Nascitur autẽ & ex spinali medulla rex. præstare tamen ex cerebro natos & magnitudine & pulchritudine & robore omnibus alijs traditur. Primam porrò mutationem & trãsformationem carnium in animalia & velut conceptũ quendam, ac generationẽ inde cognosces. Adaperta n. domo parua,& alba specie, inter seq; similia,& nõ perfecta, neque iam omnino animalia circa vitulum multiplicata videbis, immobilia quidem omnia, paulatim verò augescentia. Videbis etiam alarum excretionem iam articulatam, videbisq; proprium colorẽ accipientes apes, circumsedentesque regem & aduolantes: verum breuibus & subtrementibus alis propter insuetudinem volandi, & membrorum debilitatem. Assident autem fenestras impetuosè impellentes, & violantes se mutuo, ob desiderium lucis. Præstat tamen apertiones & obturationes
B fenestrarum, velut dictum est, alternis diebus facere. Timor est enim, ne aut apum naturam transmutent, aut ob longiorem stabuli conclusionem aere priuatæ velut suffocatione pereant. Eadem fere Virgilius his versibus docuit: Georg. 4.

Sed si quem proles (apum) *subitò defecerit omnis,*
Nec genus vnde nouæ stirpis reuocetur, habebit,
Tempus & Arcadij memoranda inuenta magistri
Pandere, quoque modo cæsis iam sæpe iuuencis
Insyncerus apes tulerit cruor; altius omnem
Expediam prima repetens ab origine famam.
Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum
Et circum pictis vehitur sua rura phaselis,
Quaque pharetratæ vicinia Persidis vrget,
C *Et viridem Aegyptum nigra fœcundat arena,*
Et diuersa ruens septem discurrit in ora,
Vsque coloratis amnis deuexus ab Indis,
Omnis in hac certam regio iacit arte salutem.
Exiguus primum, atque ipsos contractus ad vsus
Eligitur locus hunc angustique imbrice tecti
Parietibusque premunt arctis,& quattuor addunt,
Quattuor à ventis obliqua luce, fenestras.
Tum vitulus bima curuans iam cornua fronte
Quæritur: huic geminæ nares, & spiritus oris
Multa reluctanti obstruitur; plagisque perempto
Tunsa per integram soluuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt, & ramea costis
Subijciunt fragmenta, thymum casiasque recentes.
D *Hoc geritur Zephyris primum impellentibus vndas*
Ante nouis rubeant quàm prata coloribus, antè
Garrula quam tignis nidum suspendit hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Aestuat, & visenda modis animalia miris,
Trunca pedum primo, mox & stridentia pennis
Miscentur, tenuemque magis, magis aera carpunt:
Donec vt æstiuis effusus nubibus imber
Erupere, aut vt neruo pulsante sagittæ,
Prima leues ineunt si quando prælia Parthi.

Cur verò ex bobus putrefactis generentur apes, occulta ratio est, vel ipso Galeno teste in eo volumine, cuius titulus est, an animal id sit quod in vtero continetur: Neque enim (inquit) quo pacto „ vermes in plantis gignuntur, atque ex equis bobusque vespæ & apes, facile nos dicere licet, verùm „ à natura simpliciter fiunt, nam neque aues docet volare quispiam, neque nos intelligere, audire, „ videreque. Istiusmodi apum ex putrefactis bubus ortum verum esse ipsa autopsia didicit Bernardinus Gomesius, cuius viri verba, cùm huic miraculo aliud superaddant, lubens ascribam: Sagunti

(inquit) dum animi recreandi gratia apud aluearia verſarer, ac ſummoperè mirarer inter ſingularia earum opera. in primis fucorum obſequuium, atque benignitatem, tum in ipſis incluſum apum ſeminarium, quod vnum me quidem in magnam admirationem traduxit. Referam enim rem nouam, inauditam, neque viſam hactenus, neque ab vllo ſcriptore, quod ſciam, memoriæ proditam. E

Caput bouis in fuco. Nam cùm interim captus à me fucus, digitis atque vngue medius premeretur, ſi fortè vice aculei aliquid emitteret: ecce ruptis viſceribus, atque poſterioris partis pellicula, album, ceu croceum caput bouis, expanſis & tortuoſis cornibus, roſtroque adunco, affabrè formatum derepente emerſit. Quam rem ſummè qui aderant, admirantes, atque idcirco id ipſum denuo experiri efflagitantes, alijs ſubinde quinque fucis, à me, vt antea preſſis, totidem ſimiliter boum capita eruperunt; natura quidem cui meritò ſumma ineſt cura apum) in hoc portento, ſeminalem ipſarum rationem, atque vnde tandem inſtaurandæ ſint, per fucos mirè oſtendente. Quemadmodum modo apes occultam

Crabro boui inimicus. quandam cum bobus amicitiam exercent, ita contrà infeſtos ſibi habent crabrones, quamuis alioqui fauifica quoque animalia. Horum nimirum aculeo icti, ceu immaniſſimo quodam dolore affecti, ad curſum incitantur, ex fuga fortaſſis auxilium ſperantes, quo modo Dedalionem fugiſſe Ouidius cecinit: F

Metam. 11.

Quater inde repulſus
Concita membra fugæ mandat, ſimiliſque iuuenco
Spicula crabronum preſſa ceruice gerenti,
Qua via nulla ruit, iam tum mihi currere viſus
Plus homine eſt, alas pedes ſumpſiſſe putares.

Aſilus ſiue Oeſtrum. Niſi dicamus Ouidium figuratè crabronem dixiſſe pro aſilo ſiue œſtro quo maximè affliguntur ac vexantur, vexatique ſimiliter tanta velocitate feruntur ad curſum, vt non niſi ab equis ſuperari queant vnde origo fabulæ de Theſſalis: Quendam autem Theſſalum regem aiunt bobus œſtro exagitatis, ſatellites ſuos ad eos reuocandos ire iuſſiſſe, cùm autem curſu non ſufficerent, aſcendiſſe equos, & eorum velocitate boues inſecutos, ſtimulis ad tecta reuocaſſe. Vnde cùm multo velocius quàm homo poſſet, currere cernerentur, aut potius eorum equi, circa flumen Peneon potarent inclinatis capitibus, locum fabulæ dederunt, vt Centauri eſſe crederentur.

Centaurorũ fabula vnde exorta. Homerus naturæ animantium conſultiſſimus boues verno tempore œſtro infeſtari cecinit fugientes procos œſtro percitis bubus comparans: G

Odyſſ. X.

Οἱ δ᾽ ἐφέβοντο κατὰ μέγαρον, βόες ὣς ἀγελαῖαι
Τὰς μέν τ᾽ αἰόλος οἶστρος ἐφορμηθεὶς ἐδόνησεν
Ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ᾽ ἤματα μακρὰ πέλονται. ideſt,
Hi autem fugerunt in domum, boues tanquam gregariæ,
Quas quidem doloſum œſtrum impetu aggreſſum exagitauit.
Tempore in verno, quando dies longi ſunt.

Quibus poſterioribus verbis indicat poeta, ſe non initium veris, ſed potius finem intelligere, ſiquidem quando magis feruet ſol, œſtrum etiam magis boues vexat, quamobrem circa meridiem ideoque aut manè tantum aut veſperi ſub occaſum ſolis paſcenda eſſe acrius armenta ab eo pungi Maro atteſtatus eſt his verſibus:

Georg. 3.

Eſt lucos Silari circa, ilicibuſque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen aſilo
Romanum eſt: œſtron Græci vertere vocantes:
Aſper, acerba ſonans, quo tota exterrita ſyluis H
Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther
Concuſſus, ſyluæque, & ſicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Inachiæ Iuno peſtem meditata iuuencæ.
Hunc quoque (nam medijs feruoribus acrius inſtat)
Arcebis grauido pecori, armentaque paſces
Sole recens orto, aut noctem ducentibus aſtris.

Epiſt. 58. Hunc Virgilij locum citans Seneca, videtur dicere œſtrum ſuo tempore Latinum nomen non habuiſſe, Ait enim: *Hunc quem Græci œſtrum vocant, pecora peragentem, & totis ſaltibus diſſipantem, aſilum noſtri vocabant. Hoc Virgilio licet, credas.*

De adulat. Adulatori ſimilis. Plutarchus œſtrum adulatori aſſimilans, videtur indicare, inter alias corporis partes auribus potiſſimum infeſtum eſſe: *Taurís ferunt,* (inquit) *aſilum ſub aures ſubire, itemque canibus ricinum: & adulator aures ambitioſorum laudibus occupans, hiſque adhærens, non facilè depellitur.*

Lib. 2. de piſcib. Atqui Oppianus ilia & medium latus infeſtare ſcripſit, cuius aureos verſus aſcribere non erit, puto, odioſum:

Καὶ γάρ τοι καὶ βουσὶν ἀγάρριος εὖτε πελάσσῃ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Οἶϛρος, ἔνι χρίμφει τε βοὸς λαγόνεσσιν ἀραιαῖς
Οὔτέ τι βϐφορβῶν μέλεται σέβας οὔτε νομῆος,
Οὐδ᾽ ἀγέλης, ποίην δὲ, καὶ αὔλια πάντα λιπόντες
Σεύονται λύσσῃ τεθοωμένοι. οὐδέ τις αὐτοῖς
Οὐ ποταμῶν, οὐ πόντος ἀνέμβατος, οὐδὲ χαράδραι
Ρογάδες, οὐ πέτρῃ τὶς ἀφοίτητος καθερύκει
Ρίπὴν ταυρείην, ὅτ᾽ ἐπιζέσῃ ὀξὺ κελεύων
Βϐτύπος, ὁ τρηρῆσιν ἐπισπέρχων ὀδύνῃσιν
Πάντη δὲ βρυχὴ πάντα δὲ οἱ ἅλματα χηλῆς
Εἰλεῖται. τοίη μιν ἄγει δριμεῖα θύελλα
Καὶ τὸ μὲν ἰχθύσιν ἄλγος ὁμοίιον, ἠδὲ βόεσσι.

Hoc eſt, vt Laurentius Lippius breuiter vertit:

Quin etiam fortes tauros infeſtat aſilus
B *Ilibus & lateri medio cum fixus inhæret.*
Nec iam paſtores curant, nec paſcua læta
Et virides herbas, ſtabulum atque armenta relinquunt,
Confoſſi furiunt rabie, non flumina poſſunt
Non mare, non valles, præruptaque ſaxa tenere,
Mugitu complent ſyluas, ſtimuloque coacti
Exiliunt, flectuntque pedes horrore minaci,
Piſces atque boues angit furibunda procella.

Oppiano ſubſcribit Q. Calaber, Græcos attonitos fugienteſque bubus iſtiuſmodi peſte vexatis aſſimilans: Cæterùm Græci (inquit) attoniti reddebantur bobus ſimiles, quos indefeſſe ſub iugo & aratro connitentes ſubter ilia aſpero ferit roſtro aſilus, ſanguinem ſitiens, illi autem magna accenſi indignatione ab opere procul fugiunt, quare qui aratrum ſequitur, diſcrutiatur animi, rei difficultate laborans, ac bobus metuens, ne à tergo irruenti aratro, ferrum pedibus illiſum neruos præſecet. Nonnulli œſtrum cum tabano & myope quoque eundem faciunt, alij diſtinguunt, vt in opere de inſectis oſtendimus, vtcunque autem eſt, tabano ſaltem miro modo quoque vexari ſolent: cuius rei C mentio etiam apud Varronem: *Itaque* (inquit) *quod eas æſtate tabani infeſtare ſolent, & beſtiolæ quædam minutæ ſub cauda, ne concitentur, aliqui ſolent includere ſeptis.* Μύωψ etiam ſimiliter celebratur, ideoque & pro ſtimulo quo boues vrgentur, accipitur. Sotion diligentiſſimus Geoponicus, ne œſtrum ſiue aſilus boues exagitet, hoc nobis reliquit remedium: Minimè (inquit) accedet eis, ſi quis contuſas lauri baccas & aqua incoctas, per loca in quibus paſcuntur boues, eas diſperſerit: mox enim diffugient, neſcio qua naturæ vi. Quod ſi adhuc infeſtare non deſinant, ceruſam bubus aqua leuigatam inungunt. Habent etiam boues inter inſecta inimiciſſimam bupreſtim, vt nomen ipſum indicat, de quo ſic Plinius: *Bupreſtis animal rarum in Italia, ſimillimum ſcarabæo longipedi. Fallit inter herbas bouem maximè, inde nomen inuenit: deuoratumque tacto felle, ita inflammat, vt rumpat.* Dicitur itaque bupreſtis (βϐπρηϛις) παρὰ τὸ τὸν βοῦν ἐμπιμπρᾶσθαι, quod nimirum boues incendat & vrat. Aliter tamen ſentit Etymologiaſtes, dici inquiens, quòd ſummopere intumeſcere faciat hominem. βϐπρηϛιν (inquit) φασὶ λέγεσθαι διὰ τὸ τοὺς γευσαμένους αὐλῆς μεγάλως πίμπρασθαι. τουτέστι φυσᾶσθαι. τὸ γὰρ βοῦς ἐπὶ τοῦ μεγάλου ἔτασσον οἱ Αρχαῖοι: καὶ βουπαῖδα τὸν μέγα παῖδα, id eſt Bu-
D preſtem dicunt nominari, quod eos qui eam guſtarint, inflatos ac tumidos reddat multum, quod πίμπρασθαι Græci dicunt. Βοῦς enim nomen, magnum antiquis ſignificabat, vnde βουπαῖδα, magnum puerum dicunt. At quamuis vtraque etymologia tolerari queat, prior tamen meo iuditio ſequenda eſt, vtpote & ab antiquiſſima Nicandro celebrata, verſibuſque iſtis eleganter indicata:

Η καί που δαμάλεις ἐριγάστορας ἄλλοτε μόσχους
Πίμπρᾶται ὁπότε θῆρα νομαζόμενοι θατέονται
Τοὔνεκα τὴν βϐπρηστιν ἐπικλείουσι νομῆες, id eſt.
Sæpe pigram hæc vaccam, vitulum quandoque ſalacem
Perdit, paſcentes ſua quando armenta magiſtri
Diſcernunt, & ob id bupreſtin nomine dicunt.

Heſychio teſte hoc idem inſectum etiam βϐδάκη nuncupatur, quaſi boues morſu petens: quod tamen nomē aſilo aut tabano potius conuenit, cui in ore aculeus eſt, cum bupreſtis niſi deuorata perniciem afferat, vt ex Plinij verbis colligitur. Marcellus Virgilius caput de bupreſti apud Dioſcoridem commentans, nouiſſe nunc etiam rura hoc animal aſſerit, ſeſe vidiſſe peremptum aliquando eo veneno bouem: non ſatis tamen oſtendere ruſticos eius animalis formam, diuerſiſque appellationibus diuerſis locis, & diuerſa forma deſcribi & appellari. Muſcæ quoque boues ſummopere vexant,

Lib. 11. — Tabanus. — Lib. 2. de re ruſt. c. 5. — Bupreſtis unde dicta. — Lib. 30. c. 4. — Lib. 2. c. 54. — Muſca.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Lib.23.cap. vexant,& quomodo prohibeantur, iam antè oſtenſum eſt: Mirum autem eſt quod narrat Cælius; E
80. in Leucade, (vbi in promontorio eminentiori Apollinis ſtat templum, quem Actium nuncupant,
futura inibi (vt aſſolet) panagyri, in qua & honori diuino editur ſaltatio) bouem muſcis immolare
fuiſſe receptiſſimi moris, quæ illius diſtentæ cruore confeſtim credebantur euaneſcere, hac veluti
mercede amplius delinitę, ac vt ſignificãter dicunt Græci, δεκαϑεῖσαι; cùm omnino Piſęæ animad-
uerterentur ἀδέκαστοι, & proinde probiores quoque, vt quæ dei reuerentia quadam, non mercedis
vi, iuſtitiæ opus inirent. Ariſtoteles cùm aſinum, neque pediculis, neque crotonibus infeſtari di-
Ricinus. xiſſet: boues verò contrà vtriſque, oues & capras crotonibus, ſubdit in canibus fieri qui cynoraiſtæ
5.Hiſt.55. vocentur. Quæ Plinius periphraſticè ſic videtur reddidiſſe, nomine tamen non expreſſo: *Eſt ani-*
Croton. *mal eiuſdem turpitudinis, infixo ſemper ſanguini capite viuens, atque ita intumeſcens, vni animalii*
Lib.11.cap. *cui cibi non ſit exitus: dehiſcitque nimia ſacietate, alimento ipſo moriens. Nonnunquam hoc in iumentis*
34. *gignitur, in bubus frequens, in canibus aliquando* (imo ſæpiſſimè) *in quibus omnia. In ouibus & ca-*
pris hoc ſolum. Aeque eſt mira ſanguinis & hirudinum generi in aqua ſitis. Namque & hæ toto capite
conduntur. Vbi notandum eſt (quod additum velim operi noſtro de inſectis, capite proprio) alium
Ricinus duplex. eſſe ricinum qui canes infeſtat, ab eo qui boues: nam qui hos, crotonis ſemini & forma & colore eſt F
ſimilis, vnde etiam nomen accepiſſe putem, cùm ille qui canibus eſt infeſtus, multo ſit minor, nigri-
cetque quales quoque ex canum auriculis non ſemel legi, vt illum ex bubus; quamobrem prudenter
addebat Ariſtoteles, In canibus cynoraiſtas nuncupari, vt ſcilicet à vero ricino ſiue crotone diſtin-
gueret. Boues autem atque oues, & capræ à turpiſſimo hoc inſecto diuexati, minus pingueſcunt,
imo & carnes eorum reddunt quodammodo abominandas, & ipſi quoque ad labores, fiunt lentio-
res. Quamobrem non fuerit præter noſtrum inſtitutum, docere quibus remedijs vel fugentur, vel
interimantur. Si itaque quadrupes amurca, ſic vt biduum, vel triduum conſudent, illinatur eum
Ricini vt occidantur. aqua in qua lupinus deferbuerit, dein mari vel ſalſa lauentur, ricini non infeſtabunt. Si veterinum
(inquit Didymus) pediculis obſitum eſt, aut ricini hærent, aceris radices tuſæ in aqua coqui debẽt,
& decocti iure tepido perfundi, ſic vt imber totum corpus proluat: ſed villi prius à capite ad dorſi
ſpinam detondendi. Sunt qui ſolo cedriæ liquore vtuntur. Alij mandragoræ radicis decocto con-
ſimiliter irrorant. Sed cauendum ne eam deguſtent, quippe cum periculum adferat. Alij ciperi ra-
dicem decoquunt, & iuris imbre lauant. Ricini quoque pice liquida cum ſuilla adipe cocta conta-
cti decidunt, qui mana non ſunt uellendi, ne faciant ulcera. Chamæleon niger quoque teſte Pli- G
Lib.22.cap. nio ricinos canum necat, haud ſcio, num etiam ricinos boum. Eſt & ricinus ipſe qui bubulo ſan-
18. guine turget, utilis in medicina. Iſtiuſmodi enim ſanguinem Q. Serenus ad inueterata ulcera, quæ
Cap.35. iam in fiſtulas abiere, celebrauit his verſibus:

At ſi iam veteri ſuccedat fiſtula morbo
Muſtelæ cinere immiſſo ſanabitur vlcus
Sanguine vel ricini quem bos geſtauerit ante.

Superius de illis ſcribentes, quæ curatori bubulco maximè ſunt cognoſcenda, quædam animantia
bubus potiſſimum infeſta oſtendimus, & remedia quoque attulimus: inter quæ in primis erat uipe-
Vipera. ra, de qua ſic cecinit Maro:

Sæpe ſub immotis præſepibus, aut mala tactu
Vipera delituit, cælumque exterrita fugit:
Coluber. *Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere & vmbræ,*
Peſtis acerba boum, pecorique aſpergere virus
Fouit humum: cape ſaxa manu, cape robora paſtor, H
Tollentemque minas, & ſibila colla tumentem
Deijce: iamque fuga timidum caput abdidit altè,
Cum medij nexus, extremæque agmina caudæ
Soluuntur, tardoſque trahit ſinus vltimus orbes.

Annotauit eandem hanc uiperæ cum boue antipathiam quoque Ouidius hoc uerſu:
2.de remed. *Parua nocet morſu ſpatioſum vipera taurum.*

Sed & draco eum perſequitur, ut Lucanus teſtatur, dum canit.

Draco. *Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris*
Lib.9. *Serpitis aurato nitidi fulgore dracones,*
Peſtiferos ardens facit Africa: ducitis altum
Aera cum pennis, armentaque tota ſecuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros.

Hinc Lycophron Diomedem, uel quiſquis ille fuit, qui Iphigeniam immolauit, Draconem uo-
cat, illam uerò uittatam uaccam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Ἥν ἐς βαθεῖαν λαμίσας ποιμανδρίαν
Στεφηφόρον βῶν δεινὸς ἄρταμος δράκων
Ῥαίσει τριπάτρῳ φασγάνῳ Κανδάονος, ideſt,
Quam ſuper profundum decollans mulctrale
Vittatam vaccam crudelis vorax draco,
Tripatris enſe perdet Canduoris.

Habet item quadrupedes aliquot ſibi inimicos bubulum genus, vrſum præcipuè, lupum, tigridem, & leonem, vtpote animantia quæ ex venatu victitant, imbellioraque proſequuntur. De vrſo hæc prodidit Ariſtoteles: *Taurum vrſus aperto Marte aggreditur, conſerta iam pugna, ſternit ſe reſupinum, dumque taurus ferire conatur ipſe ſuis brachijs amplectitur cornua, ore morſum armis defigit, proſternitque aduerſarium.* Plinius verò pugnam iſtam paulò aliter delineat: *Vrſi* (inquit) *tauros, ex ore cornibuſque eorum pedibus omnibus ſuſpenſi, pondere fatigant. Nec alteri animalium in maleficio ſtultitia ſolertior.* Longè rurſus aliter Aelianus. Vrſa (inquit) vbi ex famè laborans taurum inuadit, non omni robore, nec recta & aperto Marte pugnam committit, ſed obliquo impetu ceruicem appetens, deprimit ac mordet. Hic quidem oppreſſus mugit, & denique ſuccumbit: illa autem deuorando expletur. Lupus quoque teſte Ariſtotele, boues inuadit, alitur enim carne. Apparet autem aperto Marte non audere inuadere. Auerſum enim inuadere Philos ſcribit, quòd cornuum ferale acumen horreat: ideoq; noctu potius quàm interdiu infeſtum eſſe Statius innuit dum canit:

Vrſus. *Lib.6.c.9.* „ „ (B) *Lupus.*

Sic denſa lupum iam nocte ſub atra
Arcet ab oppreſſo paſtorum turba iuuenco,
Improbus erigitur contrà, nec cura vetantes
Impetere, illum, illum ſemel in quem venerat, vrget.

Li.8.Theb.

Et antea dixerat: *Haud aliter ſaltu diuertitur orbus* — *Lib. 3.*
Paſtor ab agreſtum nocturna ſtrage luporum,
Cuius herile pecus ſyluis inopinus adegit
Imber, & hybernæ ventoſa cacumina Lunæ,
Luce patent cædes, domino perferre recentes
Ipſe timet caſus, hauſtaque informis arena
Queſtibus implet agros, ſtabulique ſilentia magni
Odit, & amiſſos longo ciet ordine tauros.

C

Atque hinc puto eſt, quod Aruntem cùm Camillam occidiſſet, lupo aſſimilarit Maro, (qui occiſo iuuenco, latebras quærit, quod imbellis eſt) animali, vt inquit Iacobus Pontanus, audaci quidem ad faciendum & ſatis temerario, at timido poſt factum: fugit enim mox & latebras quærit: Poetæ verſus ſunt:

Aruns lupo ſimilatus. *Lib. 11. Aeneid.*

Ac velut ille prius quàm tela inimica ſequantur,
Continuò in montes ſeſe auius abdidit altos,
Occiſo paſtore lupus, magnoque iuuenco
Conſcius audacis facti, caudamque remulcens
Subiecit pauitantem vtero, ſyluaſque petiuit,
Haud ſecus ex oculis ſe turbidus abſtulit Aruns.

Hoſtiliter nihilòminus, & inſigni percitus rabie armenta boum inuadit Lupus, quod ſignificauit nobis Ouidius hac fabula:

D *Metam.11*

Feſſos ad littora curua iuuencos
Appuleram, medio cùm Sol altiſſimus orbe
Tantum reſpiceret, quantum ſupereſſe videret:
Parſque boum fuluis genua inclinarat harenis,
Latarumque iacens campos ſpectabat aquarum.
Pars gradibus tardis, illuc errabat, & illuc,
Namque alij celſoque extant ſuper æquora collo.
Templa mari ſubſunt, nec marmore clara, nec auro,
Sed trabibus denſis, lucoque vmbroſa vetuſto,
Nereides, Nereuſque tenent. Hos nauita ponti
Edidit eſſe deos, dum retia litore ſiccat.
Iuncta palus huic eſt denſis obſeſſa ſalictis
Quam reſtagnantis fecit maris vnda paludem.
Inde fragore graui ſtrepitus, loca proxima terret
Bellua vaſta lupus, ſyluiſque paluſtribus exit,

Obli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Oblitus & ſpumis & craſſo ſanguine rictus
Fulmineus, rubra ſuffuſus lumina flamma.
Qui quanquam ſæuit pariter rabieque fameq;
Acrior eſt rabie: neque enim ieiunia curat
Cæde boum, diramque famem finire, ſed omne
Vulnerat armentum, ſternitque hoſtiliter omnes.
Pars quoque de nobis funeſto ſaucia morſu,
Dum defenſamus, leto eſt data: ſanguine littus
Vndaque prima rubet, demugitæque paludes.

Hæc omnia itaque Ouidius, quibus famelica luporum natura aduerſari videtur, qua aliàs non alia inuadunt pecora priuſquam vel deuorarint, vel ventrem ſuum explerint. Sed decuit Lupum à deo immiſſum, vt magnam ſtragem ederet, odij potius quàm famis rationem habere, ad quam ſolandam à cadaueribus bubuli generis minimè abſtinet, adque ad hoc reſpexit Ludouicus Arioſtus, dum ait:

Cant. 14. st. 37.

Come lupo o maſtin, ch'vltimo giugne
Al bue laſciato morto da' villani,
Che troua ſol le corna, l'oſſa e l'vgne,
Del reſto ſon sfamati augelli e cani,
Riguarda in van il teſchio, che non vgne
Coſi fà il crudel barbaro in quei piani, &c.

Lib. 6. *Aſſentator lupis comparatus.* *Tigris.*

Elegans Cratis Philoſophi apud Dioginem Laertium de aſſentatoribus legitur ſimilitudo. Dicebat enim, deſertos eos qui cum aſſentatoribus eſſent, non ſecus ac vituli cùm inter lupos ſunt: neq; enim cum illis qui bene velint, neque cum his, ſed inſidiatores. Viuit & tigris ex venatu raptuque, quamobrem, & ipſa occultum quendam ſuo aſpectu timorem huic pecudi incutit, ipſaque veluti quodam odio inuadit, ac graſſatur, multaque ſæpe edita ſtrage laſſa expletam famem dolet, nouãque ſtragem meditatur, id quod Thyodamantis ex hoſtium vulneribus defeſſi, exemplo ita oſtendit Statius:

Iam tarda manus, iam debile ferrum
Et caligantes nimijs ſucceſſibus iræ.
Caſpia non aliter magnorum in ſtrage iuuencum
Tigris vbi immenſo rabies placata cruore,
Laſſauitque genas, & craſſo ſordida tabo
Confudit maculas: ſpectat ſua facta doletque
Defeciſſe famem.

Lib. 12. Theb.

Aliàs verò idem poeta rabiem ſæuitiamque eiuſdem tigridis, bubuli generis è contrario timorem expreſſit:

Non ſecus afflauit, molles ſi quando iuuencas
Tigridis Hircanæ ieiunum murmur, & ipſe
Auditu turbatur ager, timor omnibus ingens,
Quæ placeat, quos illa fames deſcendat in armos.

Leo. *Lib. 8. Theb.*

Similiter planè pauent leònem, & hic contrà ſimiliter eorum cæde oblectatur. Audi eundem poetã:

Sic ait: & belli maiora ad præmia mente
Ducitur, innumeris veluti leo fortè potitus
Cædibus, imbelles vitulos, molleſque iuuencas
Tranſmittit, magnus furor eſt in ſanguine mergi,
Nec niſi regnantis ceruice recumbere tauri.

Lib. 2. Argon.

Quo nouiſſimo verſu modum indicauit, quo taurum leo inuadere aſſolet, quem tetigit etiam Valerius Flaccus, de Hercule loquens:

Qualiter impleuit gemitu, cum taurus acerbo
Auia frangentem morſu ſuper alta leonem
Terga ferens.

Lib. 1. Epig.

Martialis id quidem etiam annotauit, ſed leonis inſuper gaudium quo ex ſuperato tauro afficitur, præterea addidit, atque generoſitatem cùm niſi magna, ac viribus valentia inuadat animantia, imbellia contrà dedignetur.

In tres ampla licet torui lepus ora leonis
Eſſe tamen vacuo ſe leo dente putat
Quod ruet in tergum, vel quos procumbet (aliàs prorumpet) *in armos.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A
Alta iuvencorum vulnera figet ubi?
Quid frustra memoram dominum, regemque fatigas.
Non nisi delecta pascitur ille fera.

Idem eodem libro in eodem sensu:

Rictibus his tauros non eripuere magistri
Per quos præda fugax itque reditque lepus.

Et alicubi rursus ait: Lib. 12.

In tauros Libyci ruunt leones
Non sunt papilionibus molesti.

Aristoteles quoque esu bouis, non voce gaudere asserit leonem, è voce autem sentire eum propinquum esse, & gaudere vtique hac putari. E contrario boues voce leonis audito, mirum est, vt contremiscant quod tetigit Seneca his verbis: Lib. 3. de morib. In Troadib.

Fremitu leonis qualis audito tener
Timidum iuuencus applicat matri latus
B
At ille sæuus matre summota leo
Prædam minorem morsibus vastis premens
Frangit, vehitque: talis è nostro sinu
Te rapiet hostis.

Statius verò Leonis gaudium, quo dum manè famelicus ex antro prodit afficitur, cum primis luculenter expressit:

Qualis vbi primum leo mane cubilibus altis
Erexit rabiem, & sævo speculatur ab antro,
Aut ceruum, aut nondum bellantem fronte iuuencum,
It fremitu gaudens, licet arma gregesq; lacessant
Venantem, prædam videt, & sua vulnera nescit.

Virgilius verò tum potissimum lætari ait, cum taurum ipsum cernit eminus, ad prælium se apparantem, Turnum leoni, Pallantem tauro assimilans. Aeneid. 10.

C
Desiluit Turnus biiugis, pedes apparat ire,
Cominus: vtque leo specula cùm vidit ab alta,
Stare procul campis meditantem prælia taurum
Aduolat; haud alia est Turni venientis imago.

Quin ita etiam bubuli generis cæde gaudet leo, vt in tota grassetur armenta, agrosque cadaueribus compleat: Hinc illud Claudiani: Lib. 3.

Mærebat regio sæui vastata leonis
Incursu, pecudum strages, passimque iuuenci
Semineces, & adhuc infecta mapalia tabo
Sparsaque sanguineis pastorum funera campis.

Idem poeta sæuitiam leonis quam in boues exercet, nobis quoque exactè delineauit, Proserpinam iuuencæ, Plutonem eius raptorem leoni assimilans, ac canens: Lib. 2. de Raptu.

Ille velut stabuli decus armentique iuuencam
Quum leo possedit, nudataque pectora fodit
D
Vnguibus, & rabiem totos exegit in armos,
Stat crassa turpis sanie, nodosque iubarum
Excutit, & viles pastorum despicit iras.

Multæ similes apud Homerum de leone, & bobus leguntur similitudines, quas quidem præterire tanti poetæ authoritas dignitasque non permittit, sed quia prolixum nimis foret, Græcos, Latinosque simul eius recitare versus, soluta eas oratione proferemus. Dioclei itaque geminos filios, Crithona & Orsilochum, qui gratificantes Agamemnoni, ac Menelao, Græcos ad Troiæ excidium comitati fuerant, sic Aeneæ manibus interemptos esse scribit, vt duo leones in arduis nemorosissimisque montibus sub matre leæna educati, confici ab his pastoribus solent, quorum stabulantes tauros, ouesque ipsi diripuerant. Agamemnon verò Troianos, qui in fuga lentiores erant, in locis patentibus adortus, vrgebat atque mactabat; atque vt leo armenta bouis intempesta nocte adortus, omnes quidem in fugam timore dispellit, sed vnum rapit, rescissaque prius ceruice, mox sanguinem sorbet, ac viscera cuncta depascit, sic ille, ex omnibus, quos insequebatur, postremum quemque feriebat. Menelaus iussus ab Aiace, vt Antilochum Nestoris filium ad Achillem mitteret, Patrocli socij sui cædis nuncium, è vestigio abijt, more leonis, qui à caula canes & viros insultibus fatigat: illi autem tota nocte vigilantes pingues boues defendunt, neque capi patiuntur: hic carnis auidus insultat, Ilid. E. Iliad. A. Agamemnō leoni similis. Iliad. P.

fru-

fruſtra tamẽ:nam crebra iacula validis vibrata manibus & faces licet velox formidat, manè autem E
Iliad. M. triſtis diſcedit: ſic Patroclum ſtrenuus bello Menelaus perquam inuitus dimittere. Eadem penè
ſimilitudo de Aiace legitur, quem Hector a pugna compeſcuerat. Stetit (inquit) Aiax inops conſilij,
& leonino aſpectu nouum tumultum intuebatur. Tum reiecto poſt tergum ſcuto, ſe in fugam vertit,
perculſus, inuitus, mœrens, non magis ſua quàm nauium cauſa: ideoque modico gradu & genũ à
genu vix moliens abibat, vrgentibus eum retrò Troianis veluti agreſtibus viris cum agreſtibus ca-
nibus villoſum leonem, quem ingreſſum boum ſepta, cupientemque iam adoriri opimum taurum,
illi non ſinunt, acutis iaculis, incenſiſque facibus inceſſentes, atque hunc in modum tota nocte con-
ſumpta, etſi maximè violenta fera eſt, tamen tot terroribus coercita, ſub ortum Luciferi mœſta di-
ſcedit. Ipſe verò etiam Patroclus leoni quoque, ſed aliter comparatus erat antè, ſarpedonem occi-
dens, qui ex inflicto à Patroclo vulnere, quantus erat in puluere iacens, pulueremque ipſum cruen-
tum moribundis manibus ſtringens, ac lamentans inſtar rugientis, & vt magnanimus taurus vali-
duſque, dum ab adorto armentum leone trucidatur, ſub illius dentibus gemit: ſic Lyciorum rex ſub
Iliad. M. Patrocli ferro gemebat. Ipſe autem etiam Lyciorum rex ſiue Sarpedon leo antea vocatus eſt, quem
nimirum Iupiter, cùm neque Hectori cæteriſque Troianis fas vnquam fuiſſet fores portæ, atque re- F
Odyſſ. Z. pagula perrumpere, in hoſtes tanquam leonem in boues excitauit. Vlyſſes denique leoni compa-
ratur, qui in monte nutritus, fidens viribus, minitans ſpiranſque, ac oculis ardentibus ingreditur in
boues, aut oues inuaſurus, fame ſuadente, in domum frequentem irruit, & in pecudes graſſatur: Sic
In Amartigenia. Vlyſſes puellis formoſis quanquam nudus, inſtante neceſſitate, congredi decreuit. Nonnunquam
ipſos quoque occidunt paſtores. Prudentius.

Tunc etiam innocuo vitulorum ſanguine paſci,
Iamque iugo edomitos rictu laniare iuuencos
Occiſo paſtore truces didicere leones.

Cant. 18. st. 14. 15. Ludouicus Arioſtus ſcribit catulos leoninos tauri aſpectu terreri primum, ſed cum eum mox leæna
morſicus inuaſerit, ceu ſuppetias allaturos, ſimul etiam illum inuadere:

Come ſe dentro à ben rinchiuſa gabbia
D'antica leoneſſa vſata in guerra
Par c'hauerne piacer il popol l'habbia
Tal volta il toro indomito ſi ſerra.
I leoncin, che veggion per la ſabbia
Come altero, e muggiando animoſo erra
E veder ſi gran corna non ſon'vſi,
Stanno da parte timidi e confuſi.
Ma ſe la fiera madre à quel ſi lancia
E ne l'orecchia s'attacca il crudel dente,
Voglion anc'eſſi inſanguinar la guancia,
E vengon in ſoccorſo arditamente,
Chi morde el tauro il doſſo, e chi la pancia;
Così contra il Pagan fa quella gente, &c.

G

Idem Arioſtus ait Taurum aliquando cornibus leonem efferre, idque ſine læſione, ſumpto vtroque
argumento ex Romanorum ſpectaculis, in quibus taurorum & leonum certamina edebantur.

Come il leon, che tolto ſu le corna
Dal bue ſia ſtato, & che'l dolor non ſenta, H
Si ſdegno, & ira, & impeto l'affretta,
Stimula e sforza à far la ſua vendetta.

Lib. 32. c. 7. Eſt parua rana (inquit Plinius) in arundinetis & herbis maximè viuens, inuta ac ſine voce, viridis,
Sus. ſi fortè hauriatur, ventres boum diſtendens. Suis fimum bobus noxium eſſe, ſuprà quoque anno-
In parallelis. tauimus. Vbi & de fimo gallinarum, & hirundinis de morſu muris aranei, ac de hirudine hauſta.
Contrà equis non bene conuenire cum tauris ex hoc Plutarchi loco apparet; Theſeus Neptuni fi-
Hippolyti mors. lius ſuſcepto filio Hippolyto ex Amazone Hippolyta ei ſuper induxit nouercam Phædram Minois
filiam: quæ priuignum deperire orſa, ad inceſtum per nutricem internunciam ſolicitauit. Ille reli-
ctis Athenis Trœzenem ſe contulit, ibique venando incubuit. Impura autem iſta, cùm ſpe ſua deci-
diſſet, mendacibus decaſto priuigno exaratis literis, vitam laqueo finijt. Theſeus literis fidem ha-
bens à Neptuno petijt, vt Hippolytum perderet. Nam ab eo ius trium votorum habebat. Neptunus
Hippolyto ad oram maris currum agitanti taurum immiſit, quo territi equi Hippolytum contri-
uerunt. Verùm marinum monſtrum erat iſte taurus, vt Fabulam Ouidius diſertiſſimè retulit his
Metam. 15. verſibus:

Pittheiam

A *Pittheiam profugo curru Trœzena petebam*
Iamque Corynthiaci carpebam littora ponti,
Cùm mare surrexit, cumulusque immanis aquarum
In montis speciem curuari, & crescere visus,
Et dare mugitus, summoque cacumine findi.
Corniger hinc taurus ruptis expellitur vndis,
Pectoribusque tenus molles erectus in auras,
Naribus & patulo partem maris euomit ore.
Corda pauent comitum: mihi mens interrita mansit
Exilijs contenta suis: cum colla feroces
Ad freta conuertunt, erectisque auribus horrent
Quadrupedes, monstrique metu turbantur, & altis
Præcipitant currum scopulis, &c.

Nos suprà monstrum hoc ex Seneca descripsimus. Aliàs idem Ouidius hoc monstrum, simplici- *2. de remed.*
B ter taurum vocat: *amor. 2.*

Perdat opes Phædra, parces Neptune nepoti,
Non faciet pauidos taurus auitus equos.

Inter aues inimicum habent boues tauriuè coruos, qui aduolantes feriunt & eorum oculos lacerãt. *Coruus.*
Inuenio autem, quod maximè quoque miror, seuum ipsis inimicum esse, sed suumnè proprium aut *Seuum.*
aliorum quæ similiter seuum habent pro adipe, necdum didici. Aiunt tamen si lingua bubula eo
perungatur, morituros citius quàm comesturos, nisi prius aceto, & sale abstergatur. Si nares tauri *Oleum rosa-*
oleo rosaceo illinantur, tenebris offusis, vertiginosum euadere Africanus testatur. Sunt etiam stir- *ceum.*
pes, quibus aliquid inest, quod bobus aduersatur. Carnes eorum caprificus vt teneras reddat, & *Caprificus.*
quomodo ei alligati feritatem deponant tauri, suprà in domandi ratione dictum est. Quibus ad- *Lib. 1. cap.*
de ex Dioscoride: Bubulis carnibus coquendo summi coliculi caprificorum additi cocturam earum *149.*
adiuuant. Vt verò asinis grata est ferula, ita cæteris iumentis venenum esse Plinius asserit, item & *Ferula.*
laser naribus inditum tauros inflammare. Nigro helleboro verò necari, itaque id cauere, cum can- *Laser.*
dido vescantur. Alias etiam ait: *Chamæleonis nigri succus iuuencas necat anginæ modo, quare à qui-* *Elleborus ni-*
C *busdam vlophonon vocatur.* Idem de fraxino scribens ait: *folia iumentis mortifera, cæteris ruminan-* *ger.*
tium innocua. Quod est falsum. Theophrastus enim de taxo id dixit, non de fraxino. Decepit *Fraxinus.*
hominem nominis vicinitas: Taxus Græcè μίλος, fraxinus μελία dicitur. Theophrasti de taxo *Plinij error.*
verba sunt: φασὶ δὲ τὰ μὲν λόφουρα ἐὰν φαγῇ τῶν φύλλων, ἀποθνήσκειν, τὰ δὲ μηρυκάζοντα οὐδὲν πάσχειν, *Taxus.*
idest: Aiunt veterina, si folia comederint, mori, ruminantia verò nihil pati. Pertinet verò hoc ad *Lib. 3. Hist.*
sympathiam. Galion herba est cubitalis foliolis angustis & per genicula radiatis simul pluribus, *c. 10.*
flore flauo, conferto, muscoso, odorato, abstinent eo, vt inuenio, boues: vt & vrticæ simili herba fœ-
tida, & marrubij quodam genere fœtido, quod in aruis & noualibus nascitur, aliud quàm ballote,
longioribus & in acutum exeuntibus folijs, crenatis. Circa Scytharum & Medorum dictam Thra- *Hordeũ vbi*
ciæ regionem, locum esse aiunt, (vt legimus apud Aristotelem, vel quisquis ille est, authorem de *bubus no-*
mirabilibus,) viginti ferè stadiorum spatio, qui hordeum producit, quo homines quidem vescun- *xium.*
tur, equi verò & boues, cæteraque animalia abstinent. De Cinna gramine, inflamnetnè boues, an *Cinna gra-*
impinguet potius, suprà aliquid diximus, vbi de cibo & potu. Gesnerus communem lectionẽ apud *mẽ.*
Dioscoridem, vt apparet, secutus, forsan (inquit) aconiti aliqua species est. Nam Theophrastus aco-
D nitum describit herbam breuem, quæ nihil superuacui habeat, frumento similem, semine tantum *Aconiti de-*
non spiceo. Quod si ita est, nihil impedit, quin etiam gramini simile, aut quædam eius species di- *scriptio.*
catur. Nam (vt obiter moneam) aconiti nomen ad varias formisque differentes herbas vagum
videtur, cùm aliud cyclamiui, aliud platani, aliud seridis, aut iridis potius folijs aconitum ab anti-
quis commemoretur. Sola inexpugnabilis veneni vis tabifica omnibus illis, vt video, communis
est. Hæc ille, quæ in plantarum historia diligenter examinabimus. Idem testatur, apud suos pro-
uenire herbam noxiam, qua non ipsi solùm boues abstinent, sed etiam gramine circumcirca nascẽ-
te, licet eodem equi vescantur. Rustici quidam (inquit) apud nos malum florem, alij malum Hen- *Malus flos.*
ricum appellant, vt atriplicis, (alij lapathi genus faciunt) quoddam syluestre genus, bonum Hen- *Malus Hen*
ricum. Caulis ei altus, pedalis, solidus & substantia quadam humida mollique infarctus. Flores *ricus.*
hirsuti, purpurascentes, in spicam congesti, vt in testiculo canis ferè, semina rotunda instar milij.
Gustu astringit. Radice albissima, nodis quibusdam exasperata, & veluti squammata (vt saxifraga
alpina, cui folia similia folijs fraxini, & vt sanicula alba Hessorum,) longissima, ad quinque vel sex
cubitos descendente, quamuis raro integra effodiatur: recens planè frigida, & humida tactu perci-
pitur. Vites vicinas corrumpit, & frigore suo lædit. Quamobrem diligenter à vinitoribus effossa in
aquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

aquam reijcitur, ne in terra denuo comprehendere possit. Plurimum circa eium graminis abundat. E
Folijs caret. Vis enascenti tanta, vt vel per pauimentum, si quod obsistat, eluctetur. Vere tantùm
prodit. Flos Solis impatiens, crassus, aquosus, intra triduum vi Solis marcescit. Natales ei vineæ
collinæ, & prata syluis proxima. Autumno, vt audio, rursus erumpit. Eadem, ni fallor, Aegole-
Aegolethros Plinij. thros Plinij fuerit, de qua ille, *Herba est* (inquit) *ab exitio & iumentorum quidem, sed præcipuè ca-*
prarum, appellata ægolethros. Huius flores concipiunt noxium virus aquoso vere marcescentes. Ita fit,
Lib. 21. cap 13. *vt non omnibus annis sentiatur hoc malum. Ex his floribus apes Heracleæ in Ponto mel venenatum*
conficiunt. Hæc Plinius: Nec aliud quicquam de ea proditum legi. Mel Heracleoticum (vt scribit
Mel Heracleoticum. Ruellius) ex herba fieri candida commemorant, quæ ægolethros vocetur: similiter etiam Hermo-
laus Barbarus legit, tanquam ex Plinio. Quanquam autem illius nostræ superficies ex albo palleat,
Lib. 3. c. 21. radix albissima sit, ex Plinio tamen de colore eius nihil cognoui: sed alia Plinij herba alba videtur,
Lib. 18. panico similis, occupans arua, pecori quoque mortifera. Forsan & hæc aconito Theophrasti quod
cap. 17. frumento simile facit, congener fuerit. Hieronymus Tragus inter vitia frugum sexto loco descri-
Lib. 2. c. 35. bit herbam panico culmis nodisque, ac foliorum vaginis similem, prorsus inutilem & vitiosam, in-
ter milium & panicum nascentem. Et mox aliam superiori non dissimilem, sed longè maiorem, F
cuius folia ab initio planè milium referant, longis & asperis aristis armatam, quæ lapparum instar
vestibus hæreant, in aruis milio & hordeo consitis frequentem. Hanc ait valdè noxiam esse, & cui-
tari à bubus. Harum altera procul dubio erit illa Plinij herba alba panico similis. Hieronymus ip-
Phalaris altera Diosc. se alteram phalaridem Dioscoridis esse conijcit, quod ne sim prolixior in præsentia non refutabo:
Miliaria. alteram miliariam Plinij, quam ille milium implicãdo enecare scribit, cum ex duabus illis ab Hie-
ronymo descriptis neutra implicet. Forsitan autem illa posterior non aliam ob causam bubus no-
xia est, quàm quòd interiora partium suarum asperitate lædat. Herbæ iam dictæ, quam ægole-
Orobanche. thron reor, perquam similis orobanche est, nisi radice differret, & caule magis purpurascente; Ha-
Aconitum. ctenus Gesnerus. Aconito quoque nullum pecus, nullum animal pascitur, & si fructum & folium
nil nocere prædicent, vim mortiferam in radice tantùm haberi. Boues, oues, iumenta omnia, imo
omnem quadrupedem necat, imposita verendi fæminei sexus radice, folio quidem intra eundem
diem, vt Ruellius scribit. Gesnerus tradit sese in montibus obseruasse circa ipsa vaccarum stabula
Bona herba. & tuguria pastorum magnam sæpe cærulei pręcipuè aconiti copiam, nam cùm à bubus (inquit) non
attingatur, copiosissimum prouenit, quemadmodum, & alia quædam herba mire frequens, qua si- G
militer boues abstinent, bonam Germanicè vocant, cubitali aut altiore caule, erecto: folijs incanis,
lapathi quodammodo figura, floribus luteis, odoratis, sed parum grato odore, calendulæ similibus,
minoribus tamen & angustioribus in capituli circuitu folijs. Herbam lixiuio inijciunt, vt flauo co-
Caltha alpina. lore id commendet. Hanc caltham alpinam vocare licebit, donec alius aliud nomen adferat. (Ex
conyzis alpinis esse videtur,) Est & alia qua boues abhorrent, amplexicaulis, annua, conuoluulo
similis natura folijsque, quæ etiam ad paganicum frumentum accedunt, acutiora tantum nigrio-
raque sunt, cuius & semen refert figura triangula, sed minus eo & nigrius est. Radix palmi longi-
tudinem non excedit, simplex, rotunda. Luxuria omnis in coliculos abit, quibus color spadiceus
genicula vt in polygono. Flores plurimi, albi, exigui, inodori, insipidi. Nascitur cùm alibi, tum in-
Lib. 2. c. 33. ter cannabim quam inuadit. Hanc Hieronymus Tragus orobanchen propter simile maleficium
esse suspicatur, non affirmat tamen, cum descriptio veterum longè diffideat. Postremò quædam
Personata. folijs latis blakken Germanis dicta (personatam esse conijcio) cùm rore madida à bobus depasci-
tur, inflat eas adeo, vt aliquando rumpantur, nisi cursu agitati incalescant, & per aluum reijciant.
Color ruber. In Burgundia frequentius hoc malum euenire aiunt, quod maior eius herbæ ibi copia sit. Colo- H
Lib. de Ira. rem rubrum, & qui proximi sunt, horrent tauri, eoque conspecto efferantur. Testantur id veterum
non pauci. Seneca: *Taurum color rubicundus excitat, vrsos, leonesque mappa proritat.* Plutarchus:
Rubram vestem non ferunt, qui ad tauros (Gillius hunc locum citans, legit ad boues, de quibus ta-
men nulla extat authoritas) *accedunt, neque splendidam qui ad elephantos, quod eiusmodi colore eas*
bestias constet efferari. Inuenio autem, maximè irritari nigros tauros, sed verendum est, ne nigro-
rum taurorum bufalos vulgò vocatos intelligant, qui & ipsi hoc colore irritantur, vt suo loco dice-
Metam. 12. tur, de Phœniceo colore sic Ouidius:

Haud secus exarsit, quam Circo taurus aperto
Cùm sua terribili petit irritamina cornu,
Phœniceas vestes, elusaque vulnera sentit.

Phœniceus color. Qualis autem color sit phœniceus, phœnix & phœnicopterus aues, & phœnicis, idest, palmæ fru-
ctus ostendunt, atque Vlpianus hunc quodammodo locum declarans Digestis de furtis, vbi ait:
Eidyl. 32. *Cum eo qui pannum rubrum ostendit, fugauitque pecus, vt in fures incideret, furti actio est.* Irritatur
Ruffus. tamen & alijs coloribus, qui ad rubrum inclinant, qualis est ruffus, fuluusque, quod testatur Theo-
critus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A critus de armento agens, quod Phaethonti filio donauit Apollo, taurum inquiens visa pelle leonis in Herculem ea obtectum impetum fecisse. Sic enim poetæ mentem cum Vito Vuinsemio interpretor: Aliàs enim leonem, vt ostendimus taurus timet, & nisi coactus repugnat. Poetæ versus sunt:

Τῶν μὲν τε προφέρεσκε βιηφί τε καὶ σθενεΐ ᾧ
Ἠδ' ὑπεροπλίῃ Φαέθων μέγας. ὅν ῥα βοτῆρες
Ἀστέρι πάντες ἔισκον, ὅθ' οὕνεκα πολλὸν ἐν ἄλλοις
Βουσὶν ἰὼν λάμπεσκεν, ἀρίζηλος δ' ἐτέτυκτο.
Ὅς δή τοι σκῦτος αὖον ἰδὼν χαροποῖο λέοντος
Αὐτῷ ἔπειτ' ἐπόρουσεν ἐϋσκόπῳ Ἡρακλῆι,
Χρίμψασθαι ποτὲ πλευρὰ κάρη στιβαρόν τε μέτωπον, idest,

Inter hos autem, excellebat viribus, & robore suo
Atque animo elato, Phaeton ingens: quem quidem pastores
B *Stellæ, omnes comparabant, propterea quod eximiè inter alios*
Boues incedens lucebat, & insigniter conspicuus erat:
Qui cùm aridam pellem videret leonis fuluoculi,
In ipsum irruit circumspectum Herculem.

Illud verò in primis admirandum est, certaque eius ratio assignari nequit, quod Asinius scribit, boues deinde non araturos, qui aliquem ad supplicium deuexerint: vel si arent, terram non esse laturam fructum. *Lib. de sumpt. fun.* Geoponici verò, nominatim Sotion, tradunt, quod oporteat obseruare seminantem, ne semina boum cornibus incidant. Hæc enim κεροσβόλα, hoc est, intractabilia nominari: dicique, & sterilia esse & inutilia, & coctioni in idonea. *Cerosbola semina.* Plinius ait, in incendijs si fimi aliquid egeratur è stabulis, facilius extrahi, nec recurrere boues ouesque ferri, quod quis etiam non miretur?

A V G V R I A.

C

Oracula.

APVLEIVS de sacerdotibus quibusdam impuris, atque nequam, omnia per boues eorumque labores, fausta præsagientibus scribit in hæc verba. *Lib. 9.* *Purissimi* (ironicè) *illi sacerdotes, nouum questus genus sibi comminiscuntur: sorte vnica pro casulis plurimis euocata consulentes de rebus varijs plurimos ad hunc modum cauillantur. Sors hic erat. Ideo coniuncti terram proscindunt boues, vt in futurum læta germinent sata, tum si qui matrimonium sorte cooptantes interrogarentur, rem ipsam responderi aiebant: iungendos connubio, & satis liberum procreandis. Si possessiones præstinaturus quæreret, meritò boues, vt & iugum, & arua sementis florentia prænunciari. Si quis de profectione sollicitus, diuinum caperet auspicium, iunctos iam paratosque quadrupedum cunctorum mansuetissimos, & lucrum promitti de glebæ germine. Si prælium capesciturus, vel latronum factionem prosequuturus, vtiles necne processus sciscitaretur, additam victoriam sorti præsagio contendebant, quip-* D *pe ceruices hostium iugo subacturi & prædam de rapinis vberrimam fructuosamque capturi. Ad istum modum diuinationis eius astu captioso corraserant non paruas pecunias.* *Sacerdotum quorundam fraus.* Hæc Apuleius. Pausanias verò refert, quomodò apud Messenios ad tumulum Aristomenis de successu, vel felici, vel infelici prædicerent. *In Messenicis.* Ceremoniæ sunt huiusmodi. Aræ destinatum taurum ad pilam non procul à sepulchro alligant. Is cùm ferox, & vinculorum sit insolens, euadere conatur: Quod si dum tumultuatur & exilit, pila moueatur, secundum est Messenijs omen: sin prorsus immota ea pila steterit, calamitatem sibi aliquam portendi interpretantur. *„ Successus „ cuiusque „ indicatio.* Idem memoriæ prodidit, quomodo Argiui diuinatione ex tauro à lupo confecto Danao regnum concessere. Apud Argiuos est (inquit) longè omnium templorum nobilissimum Apollinis Lycij, in quo quod æstate nostra extat dei signum, Attali fuit Atheniensis opus antiquissimum è ligno Danaus dedicauit cum ipsa æde. Fuisse verò illis temporibus signa omnia è ligno, & in primis quæ Aegyptij fecissent, crediderim. Ac Lycium quidem Apollinem huiusmodi de causa dedicauit Danaus: Cùm Argos venisset, de regno cum Gelanore Sthenelæ filio contendit: ac cùm eorum vterque ad populum multa, & ea maximè probabilia & iuri consentanea dixisset, neque omnino quæ Gelanor affe- *„ Danaus „ cur ligneũ „ Apollinem „ dedicarit.*

„ rebat, minus æqua viderentur, cauſa ampliata eſt in craſtinum. Poſtero die prima luce, in boum E
„ gregem in pomœrio paſcentium lupus impetum fecit, atque is taurum gregis ducem adortus eſt.
„ Viſum eſt Argiuis Gelanori cum tauro, cum eſſe Danao aptiſſimam conuenientiæ rationem: quòd
„ ſcilicet, vti lupus animal eſt homini minimè familiare: ſic propemodum ad id temporis nulla fuiſ-
„ ſet Danaus Argiuorum vſus conſuetudine. Quare cùm taurum lupus confeciſſet, è re nata Argiui
„ Danao imperium adiudicarunt. Tum Danaus lupum ab Apolline miſſum interpretatus, Lycij
Pyrrhi mors. Apollinis ædem dicauit. Argiui verò ſimulacra poſtmodum in foro ſculpta habuerunt, quibus vi-
ſis Pyrrhus Epirotarum rex oraculi recordatus, quo ſignificatum ipſi fuerat, tunc moriturum, cum
tauri & lupi certamen vidiſſet, ſummoperè commotus, & interfectus eſt. Seruio Tullo regnante, re
Lib.7.c.3. ferente Val. Maximo, cuidam patrifamilias in agro Sabino, præcipuæ magnitudinis & eximię for-
mæ vacca nata eſt, quam oraculorum certiſſimi authores in hoc à dijs immortalibus editam reſpō-
Vacca Dianæ immolata. derunt, vt ſi quis eam Auentinenſi Dianæ immolaſſet, eius patria totius terrarum orbis imperium
obtineret. Lætus eo dominus, bouem cum ſumma feſtinatione Romam actam, mactandam in
Auentino ante aram Dianæ conſtituit, ſacrificio Sabinis regimen humani generis daturus. De qua
re antiſtes templi certior factus, religionem hoſpiti intulit, ne prius victimam cæderet, quàm proxi- F
ma ſe aqua abluiſſet, eoque alueum Tyberis petente, vaccam ipſe immolauit, & vrbem noſtram
tot ciuitatum, tot gentium dominam ſacrificij furto reddidit. Sic Valerius. Plutarchus paulò
In Quæſt. Rom. 4. clarius Iubam, & Varronem authores citans. Cur reliquis (inquit) Dianæ fanis ſoliti ceruorum
cornua affigere, ei quod in Auentino eſt, boum cornua affixerunt? Fortaſſis vt monimentum eſſet
Ceruorũ cornua in Dianæ templis. antiqui caſus. Fuit quidam in Sabinis Antro Coratius. Is vaccam habebat magnitudine, & for-
ma reliquis præſtantem: monituſque à vate quodam, qui in Auentino bouem hanc Dianæ immo-
laſſet, ei fata ſummam poteſtatem deferre, vrbemque ipſius, Italiæ totius regno potituram Ro-
mam ſe contulit, bouis ibi mactandæ gratia. Seruus autem regi Seruio clam id vaticinium, idque
rex Cornelio pontifici indicauit. Tum Cornelius Antroni mandauit, vt ante ſacrificium aqua Ti-
beris profluente ſe ablueret: ſic enim legibus præſcriptum eſſe litaturo. Ita hic lotum abijt: inte-
rim Seruius occaſionem immolendæ vaccæ in honorem Dianæ præcepit, mactatæque cornua tem-
pla affixit. Hoc & Iuba narrat, & Varro, niſi quod hic Antronis nomen non habet, deceptumq; non
à Cornelio ſacerdote Sabinum, ſed ab æditio refert. Retulit idem augurium quoque Plinius ſe-
cundus in volumine de viris illuſtribus de Seruio rege loquens, ſed paulo aliter. Hic (inquit) La- G
tinorum populis perſuaſit, vti exemplo eorum qui Dianæ Epheſiæ ædem feciſſent, & ipſi ædem
Dianæ in Auentino ædificarent. Quo facto, bos cuidam Latino miræ magnitudinis nata eſt. Re-
ſponſum ſomnio datum; eum populum ſummam imperij habiturum, qui prius bouem illam im-
molaſſet. Latinus bouem in Auentinum egit, & cauſam ſacerdoti Romano expoſuit. Ille calli-
dus, dixit prius eum viuo flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tyberim deſcendit, ſa-
cerdos bouem immolauit. Ita imperium ciuibus, ſibi gloriam facto, conſilioque vendicauit. Le-
Ennead. 2. l. 6. ges hæc eadem apud Sabellicum qui ex hiſce potiſſimum authoribus hiſtoriam conſarcinauit. E
Bouis caput effoſsũ quid portenderit. contrario cùm Eliſæ ſiue Didonis comites vrbem condituri terram foderent, capite bouis inuen-
to, cœptum reliquiſſe in equi hiſtoria fuſius diximus, propterea quod perpetuos ſibi labores, &
ſeruitutem illinc futuram, quales boum ſunt, inde ominarentur. Boum peſtem quam Crabam
Par 4. Annal. vocabant, initium (inquit Glyca) habuiſſe perhibent ſub Romani ſenioris imperio. Cum enim
proximè Boni ciſternam Romanus conderet, in qua ſe ab ardore ſolis æſtiuo refrigeraret, dum
fundamenta iacerentur, effoſſum ferunt bouis marmorei caput: quod ij, qui repererant, confra-
ctum, attritumque calcariam in fornacem coniecerint. Ex eo tempore in hunc vſque diem peſtis H
Luculli victoria vt indicata. armenta boum per vniuerſos imperij Romani fines infeſtare nunquam deſijt. Cùm verò Lucul-
lus contra Tigranem moueret, boues Dianæ Perſicæ ſacræ, vt Plutarchus refert in eius vita, vi-
ctoriam portenderunt. Earum enim vna tranſgreſſo Euphratem exercitu, profecta ad petram
quandam quæ ſacra deæ habebatur, conſtitit in illa, demiſſoque capite, vt quæ reſte detrahun-
Aureliani augurium. tur, præbuit Lucullo ſemetipſa hoſtiam. In ea villa, in qua paupere natus eſt Aurelianus Impe-
rator, natum eſſe vitulum, annotauit Sabellicus, candore eximio, in latere purpureis maculis, de-
Iliũ vbi, & cur conditũ. pictam coronam habentem, qui imperium ei portenderit. Ilum verò legimus accepto oraculo,
vt vaccam ſecutus, vbi illa primum procumberet, illic vrbem conderet, ad Ates colles deueniſſe,
In Bœoticis. Iliumque, ibidem poſuiſſe, quos colles eam ob cauſam Lycophron βουπλανοκτίστους, quaſi vacci-
uagos nuncupauit. Vulgatus eſt etiam inter Thebanos ſermo (inquit Pauſanias) Cadmum Del-
Bos Cadmi dux. phis in Phocidem venientem, ducem itineris habuiſſe bouem, emptam illam de Pelagontis bibul-
cis, & in vtroque latere inſignem fuiſſe candida notá in lunæ ſpeciem iam plenæ. Oportebat
autem Cadmum cum ſocijs, & exercitu, ex oraculi reſponſo ibi conſiſtere, quo loco bos feſſá pro-
cubuiſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Acubuisset. Illum ipsum locum hodie quoque ostendunt. Aliàs verò ait Mycalessum vrbem appellatam, quod bos ea, quæ ad Thebas Cadmo, & eius socijs dux fuit, illic immugierit. Augurium illud felicissimè narrat Ouidius, dum canit:

Mycalessus vrbs. *Metam. 3.*

Patriamque, iramque parentis
Vitat Agenorides, Phœbique oracula supplex
Consulit, & quæ sit tellus habitanda requirit.
Bos tibi Phœbus ait solis occurret in aruis,
Hac duce carpe vias, & qua requieuerit herba
Mœnia fac condas, Bœotiaque illa vocato.
Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro,
Incustoditam lente videt ire iuuencam.
Nullum seruitij signum ceruice gerentem;
Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu,
Authoremque viæ Phœbum taciturnus adorat,
Iam vada Cephiti, Panopesque euaserat arua:
Bos stetit, & tollens speciosam cornibus altis
Ad cœlum frontem, mugitibus impulit auras:
Atque ita respiciens comites sua terga sequentes
Procubuit, teneraque latus submisit in herba.
Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Figit: & ignotos montes, agrosque salutat.

Quod modò ad Oracula attinet, lego apud Plutarchum, & ex eo apud Cælium peste olim Lacedęmona vexante redditum oraculum mali vim cessaturam, si nobilem virginem quotannis immolassent. Cùm autem obtemperarent Lacedæmonij, ac fortè mactanda duceretur suo ornatu Helena, deuoluans aquila gladium abreptum, & ad armenta, quæ βουκόλια vocant, delatum super iuuẽcam demisit. Quo prodigio παρθενοκτονίαν, idest, virginum immolationem desijsse, quod Aristodemus (inquit) author tradit. Idem obuenisse Romæ in Valeria Luperca Aristides prodidit. Pausanias verò refert Philippo regi ambiguum oraculi responsum mortem portendisse, quia non semel periurus esset. Philippum quidem (inquit) facilè sibi quiuis persuadeat, rerum gestarum magnitudine omnes Macedonum reges, qui antè fuerunt, quique ipsum secuti sunt, superasse: nemo tamen, qui recta sit in rebus existimandis sententia, ei boni imperatoris laudem tribuerit, nempe qui semper iusiurandum contempserit, fœderum religionem nunquam sanctam habuerit, vnusque omnium in minimis fidem duxerit: pœnas tamen non vtique seras deo, cuius læserat maiestatem, dedit, neque enim natu grandior annorum quadraginta sex, Delphici oraculi vocem vitæ exitu comprobauit. Consulenti de Persico bello redditum fuerat responsum:

Oracula. *In Parall. minorib.* *Iuuenca pro virgine immolata.* *In Arcadicis.* *Philippi mors vt prædicta.*

Ἔστεπται μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔστιν ὁ θύσων. idest,
Serta gerit taurus, finem manet, astat aruspex.

Quod non ad Persarum regem, sed ad ipsum Philippum referendum fuisse, rei euentus satis perspicuè demonstrauit.

AVSPICIA. PRODIGIA.

ARVSPICES de rerum euentu responsuri hostiarum, maximè bubuli pecoris inspiciebant, cor, pulmonem, iecur, atque fel: hasque partes exta vocabant; & extispicium eorundem inspectionem, vt extispices ipsos aruspices. Exta si bona nunciabantur, tunc consultores litasse dicebantur: deosque placatos, propitiatosque aruspices indicabant, promittebantque ijs volentibus & propitijs bene ac feliciter euenturum, quod aggredi erat in animo. Bona autem & lęta appellabant exta, quæ splendida, bene colorata, integra, plena, solida & absq; vlla macula, labe & vitio erant. Contrà quæ pallida, tabida, liuida, marcida, exilia, vitiosa, aut quæ omnibus suis partibus non constabant, & quibus aliquid deerat, quæque aliqua labe, aut tetris notis aspersa, & quæ sua sede mota, & naturali situ minimè posita erant, ea non bona, atque etiam tristia appellabant, irataque, & minacia: item si cor deesset, vel si iecur sine capite inueniretur. Præ cæteris verò, in extis iecur diligentissimè tractabant, & nitidumnè id esse, atque plenum, an horridum & exile, cum capite, an sine capite, considerabant, & quid inde læti tristisuè præuiderent, renunciabant. Qua propter Philo-

Exta bona siue læta, & non bona siue tristia. *Iecoris dignitas in aruspicina.*

Lib.8. de vita Apollonij. ſtratus, τὸ δὲ ἧπαρ (inquit) ἐν ᾧ φασὶ τὸν τῆς αὐτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα, οἱ δεινοὶ ταῦτα. Latini autem iecur pro ipſis etiam extis accipiunt. Iuuenalis: E

Aut cur
In carbone tuo charta pia thura ſoluta
Ponimus & ſectum vituli iecur.

Syllæ immolanti iecur extrema ſui parte ſpeciem laureæ coronæ præ ſe tuliſſe fertur, mirabili futuræ fęlicitatis oſtento. Vnde & Aruſpicinam ἡπατοσκοπικὴν τέχνην vocat Phlegon, qui eius originem à ſybillinis carminibus repetit. Iam caput iecoris ex omni parte diligentiſſimè aruſpices cõſideraſſe, & ſi id inuentum non eſſet, nihil durius accidere potuiſſe Cicero tradit. E contrario læta *Lib.28. c.1.* credebantur exta, cùm caput iecinoris duplex, vel geminum reperiebatur. Nam interdum capita *Capita extorum geminata.* extorum geminata inuenta Plinius teſtis eſt. Id quod Marcello immolante eueniſſe, Valerius Maximus, & Plinius memoriæ prodiderunt: Liuius verò auctum viſum fuiſſe in capite ſcribit: quod & Plutarchus in Marcelli vita refert. Lætum etiam ſi viſcera trepidabant, ſpirabantque: Qua de cau- *Lib.1.c.6.* ſa Arnobius aduerſus Gentiles lib. 7. gaudium fuiſſe ſcribit, *vidiſſe ex reſiduo victimarum cæſarum* *Lib.11.cap.37.* *ſpiritu exultantia adhuc corda, tremebundaſque & palpitantes in viſceribus venas.* Hinc, & Virgilius. F

Aen. 4.

Pecudumque recluſis
Pectoribus inhians, trepidantia conſulit exta.

Seneca Oedipo:

Erepta viuis exta pectoribus tremunt,
Spirantque venæ, corque adhuc pallidum ſalit.
At ille fibras tractat, ac fala inſpicit,
Et adhuc calentes viſcerum venas notat.

Erepta autem dixit, quia ideo rapiebantur exta, vt ſpirantia adhuc & palpitantia conſuli poſſent. Virgilius:

Tum ritè ſacratas
In flammam iugulant pecudes & viſcera viuis
Eripiunt.

Sed vt ad cor, & iecur reuertamur, non habebatur tantum modò infœlix auſpicium, cum ſine G capite iecur inueniebatur, ſed etiam, ſi deforet cor. Paulus, ait, peſtifera auſpicia dicebant eſſe, cum *Cæſaris mors.* cor in extis, aut caput in iecore non fuit. Prius oſtentum portentumque Cæſari ſacrificanti, quo die cæſus eſt, accidiſſe, qui de eius vita ſcripſere, omnes atteſtantur. Sed & Pertinaci quo die à mili- *Pertinacis.* tibus interemptus eſt, cor in hoſtia non repertum Iulius Capitolinus in eius vita author eſt. Poſterioris verò portenti exempla nõ pauca in veterum monumentis extant: Nam & eodem Cęſare im- *Lib. 1. de diuinat.* molante, iecur ſine capite inuentum Cicero narrat. Quin etiam cum Marcellus ſummo ſtudio niteretur, vt Pœnorum exercitum, aut proſterneret, aut Italia pelleret, ſolemnique ſacrificio voluntates deorum exploraret, quæ prima hoſtia ante foculum decidit, eius iecur ſine capite inuentum Vale- *In Marcello.* rius Maximus, Liuius & Plinius literis prodiderunt. Quod & Plutarchus more Romano κεφαλὴν ἥπατος appellat, ſicuti & Appianus, de Cæſaris ſacrificio, quo die in curia cæſus eſt, agens. Simili caſu Conſulum alteri primam hoſtiam immolanti caput iecinori defuiſſe Liuius: & Q. Petilium ſacrificantem, in iecinore caput non inueniſſe: alterum quoq; conſulem, quòd caput iecinori defuiſſet, tribus hoſtijs minimè perlitaſſe memorat. Sic & Iulius Obſequẽs Catone, Poſthumo, Herennio Coſſ. immolantibus caput iecinoris inuentum non fuiſſe, Apollinique Decem viris immolantibus H caput iecinoris defuiſſe refert. Idem Lupum ſpretis religionibus, cùm in extis caput non inueniſſet, manus infeliciter cum hoſtibus conſeruiſſe, amiſſoq; exercitu in prælio occubuiſſe ſcriptum reliquit. Arrianus Pythagoram antequam Alexander obiret, hoſtiam immolaſſe & ſine capite iecur inuentum, idemque illi contigiſſe pro Epheſtione, & Perdicca ſacrificanti, qui omnes ſtatim poſt *Lib. 11. cap. 32.* mortui ſunt. Plinius etiam, cum C. Marius Vticæ immolaret, caput iecoris non inuentum: Defuiſſe quoque Calendis Ianuarijs conſulatum ineunte Caio Principe, quo anno interfectus eſt: ſimiliterque Claudio ſucceſſori eius quo menſe interemptus eſt, memoriæ prodidit. Nec diſpari euentu Pertinacem, cùm triſte prodigium prima hoſtia à ſe immolata procurare vellet, in alia, caput extorum non deprehendiſſe Iulius Capitolinus ſcribit. Sed & caput extorum cæſum, triſtis oſtenti loco habitum, pręterquam in ſollicitudine ac metu (tunc enim peremiſſe curas) Plinius ſuperiore loco *Metam. 15.* tradit; vnde Ouidius;

Magnoſque inſtare tumultus
Fibra monet, cæſumque caput reperitur in extis.

Georg. 1. Fibrarum autem etiam maxima habebatur ratio, quas minaces ideo Maro dixit.

Triſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Tristibus aut extis fibra apparere minaces.*

Ouidius quantum eis tribueretur indicans ait: *Metam. 15.*

Protinus ereptas viuenti corpore fibras
Inspiciunt, mentemque deum scrutantur in illis.

Et rursus:

Fibra quoque ægra notas veri monitusque deorum
Perdiderat, tristes penetrant ad viscera morbi.

Sic & Tibullus fibram, deorum consciam vocat: *Lib. 2. El. 1.*

Viden' vt felicibus extis
Significat placidos nuncia fibra deos?

Seruius fibras interpretatur iecoris extremitates: quem secutus Isidorus: *Fibræ*, ait, *sunt iecoris extremitates, sicut extremæ partes foliorum in vitibus, siue quasi linguæ eminentes. Dictæ autem fibræ, quod apud Gentiles in sacris ad Phœbi aras ferebantur ab ariolis, quibus oblatis, atque succensis acciperent responsa.* Notandum verò cor non semper in extorum parte habitum ex Plinio disci, qui L. *Fibra quid.* *Lib. 11. c. 1.*
B Posthumio Albino sacrorum rege post centesimam vicesimam tertiam Olympiadem, cum rex Pyrrhus ex Italia discessisset, primùm aruspices cor in extis conspexisse tradit. Tristium extorum signa omnia Seneca, atque Lucanus infelicissimum descripturi auspicium expresserunt, quorum versus, vel ideo nobis minimè sunt prætereundi. Sic igitur Manto Tiresiam vatem affatur apud Senecam: *Cor quando inspici cœptum.* *Lib. 11. cap. 37.* *In Oedipo.* *Lib. 1.*

Genitor quid hoc est? non leui motu vt solent,
Agitata trepidant exta, sed totas manus
Quatiunt, nouusque prosilit venis cruor:
Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet,
Liuentque venæ, magna pars fibris abest,
Et felle nigro tabidum spumat iecur,
At semper omen vnico imperio graue:
En capita paribus bina consurgunt toris
C *Sed vtrumque cæsum tenuis abscondit caput*
Membrana, latebram rebus occultis negans.
Hostile valido robore insurgit latus,
Septemque venas tendit, has omnes retrò
Prohibens reuerti limes obliquus secat.
Mutatus ordo est, sede nihil propria iacet,
Sed acta retro cuncta: non animæ capax
Sed parte dextra pulmo sanguineus iacet:
Non læua cordis regio: non molli ambitu
Omenta pingues viscerum obtendunt sinus

Apud Lucanum verò Arunte aruspice immolante, extaque perscrutaturo:

Nec cruor emicuit solitus, sed vulnere largo
Diffusum rutilo dirum pro sanguine virus.
Palluit, attonitus sacris feralibus Aruns
D *Atque iram Superum raptis quæsiuit in extis.*
Terruit ipse color vatem, nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus asperso variabat sanguine liuor,
Cernit tabe iecur madidum, venasque minantes
Hostili de parte videt, pulmonis anheli
Fibra latet, paruusque secat vitalia limes.
Cor iacet, & saniem perhiantes viscera rimas
Emittunt, produntque suas omenta latebras.
Quodque nefas nullis impunè, apparuit extis;
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis; pars ægra & marcida pendet:
Pars micat, & celeri venas mouet improba pulsu.
His vbi concepit magnorum fata malorum
Exclamat, vix fas superi, quæcunque mouetis
Prodere me populis: neque enim tibi summe litaui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Iupiter hoc ſacrum, cæſique in pectore tauri
Inferni venere dei: non funda timemus,
Sed venient maiora metu: Dij viſa ſecundent
Et fibris ſit nulla fides, ſed conditor artis
Finxerit iſta Tages, flexa ſic omina Thuſcus
Innoluens, multaque tegens ambage canebat.

Exta regalia. *Muta.* Erant & aliæ extorum in aruſpicina qualitates, & differentiæ. Regalia enim exta Feſto interprete appellant, quæ potentibus inſperatum honorem pollicebantur, priuatis & humilioribus hæreditates, filiofamilias dominationem. Muta verò, vt idem author eſt, dicebantur, ex quibus nihil diuinationis animaduertebant. Magni inſuper referre credebant, num repugnarent victimarijs hoſtiæ, num ſi placidè ac quietè ſtantes, atque etiam annuentes. Si enim hoc, gratum dijs, ſi illud, ingratum fore ſacrificium diuinabant. *Hoſtia aufugiens.* Erat verò in primis mali ominis ſignum, ſi hoſtia iam iam mactanda aufugiebat, quemadmodum idem poeta Lucanus oſtendit, hoc quoque inter alia quæ Pompeij cladem indicarunt, prodigia recenſens: *Lib. 7.*

Non tamen (inquit) *abſtinuit venturos prodere caſus*
Per varias fortuna notas: nam Theſſala rura
Cùm peterent, totus venientibus obſtitit æther,
Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes,
Aduerſaſque faces, immenſoque igne columnas
Et trabibus mixtis auidos typhonas aquarum
Detulit, atque oculos ingeſto fulgure clauſit:
Excuſſit criſtas galeis, capuloſque ſolutis
Perfudit gladijs, ereptaq; pila liquauit
Aethereoque nocens fumauit ſulphure ferrum
Necnon innumero cooperta examine ſigna,
Vixque reuulſa ſolo, maiori pondere preſſum
Signiferi miſere caput, rorantia fletu
Vſque ad Theſſaliam Romana & publica ſigna G
Admotus ſuperis diſcuſſa fugit ab ara
Taurus, & Emathios præceps ſe iecit in agros
Nullaque funeſtis inuenta eſt victima ſacris.

Lib. 1. c. 6. Ita & Valerius Maximus de Pompeio loquens ſcribit à principio. *Cn. Pompeium Iupiter omnipotens abundè monuerat, ne cum C. Cæſare vltimam belli fortunam experiri contenderet: Egreſſo à Dyrrachio aduerſa agmini eius fulmina iaciens, examinibus apum ſigna obſcurando, ſubita triſtitia implicatis militum animis, nocturnis totius exercitus terroribus, ab ipſis altaribus hoſtiarum fuga.* *Vitellij exitium.* *Annal. 19.* Tale quoque oſtentum de tauro fugiente, in prodigium interpretatur Tacitus, inter cætera quæ exitium Vitellio portendebant, his verbis: *Acceſſit dirum omen, profugus altaribus taurus, diſiecto ſacrificij apparatu, longè vbi feriri hoſtias mos eſt, confoſſus.* *Cap. 10.* Suetonius in Tito: *Sabinos petit, aliquanto triſtior, quod ſacrificanti hoſtia aufugerat, quodque tempeſtate ſerena tonuerat.* *Cap. 18.* Idem in Galba. *Cum per omne iter dextrà ſiniſtraque oppidatim victimæ cæderentur, taurus ſecuris ictu conſternatus, rupto vinculo eſſedum eius inuaſit.* *Lib. 5.* *Lib. 16.* Similiter Silius Italicus de perfidia Syphacis regis agens, ait taurum quem immolabat, aufugiſſe, quoniam ipſe violato fœdere à Scipione Romaniſque ad Pœnos ſe verterat, ducta in vxorem Aſdrubalis filia. H

Audiuit (Scipionem) *læto Maſſylus* (Syphax) *& annuit ore*
Complexuſque virum: firmemus proſpera (dixit)
Omina, nec votis Superi concordibus abſint.
Cornigerumque Iouem, Tarpeiumque ore vocemus,
Et ſimul extructis ceſpes ſurrexerat aris
Victimaque admotæ ſtabat ſubiecta bipennis:
Cùm ſubita aruptis fugiens altaria taurus
Exilijt vinclis, mugituque excita latè
Impleuit tecta, & fremitu ſuſpiria rauco,
Congeminat: trepida terrorem ſparſit in aula,
Vittaque maiorum decoramen fronte, ſine vllo
Delapſa attactu nudauit tempora regis.
Talia Cælicolæ caſuro triſtia regno
Signa dabant, ſæuique aderant grauia omina fati.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Inauſpicatius adhuc magiſque piaculare erat ſacrificium ſi taurus ſiue hoſtia ante fugam furere, turbaſque excitare videretur, in quo ſenſu Statius:

Lib. 11.
Taurus turbas excitãs.

Tum ferus ante ictum ſpumis delubra cruentat
Taurus, & obſtantum medijs è cœtibus exit
Turbidus, inſano feriens altaria cornu.
Diffugiunt famuli, & regem ſolatur aruſpex.
Ipſe inſtaurari ſacrum male fortis agique
Imperat & magnos ficto premit ore timores.

Infauſtum item ſi ad aras iam immolandus pertractus, mugiret plurimum: Silius id oſtendit inter prodigia, quæ Flaminio cladem prænunciabant.

Taurus ad aras mugiẽs
Lib. 1.

Nec rauco taurus ceſſauit flebile ad aras
Immugire ſono, preſſamque ad colla bipennem
Incerta ceruice ferens altaria liquit.

Huc pertinet illud Virgilij, quo clamorem Laomedontis cum taurorum immolandorum, fugien-B tiumque mugitibus comparat.

Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit,
Quales mugitus, fugit cùm ſaucius aras
Taurus, & incertam excuſſit ceruice ſecurim.

Fugientem ipſam hoc modò hoſtiam, quæque altaria detrectaret, vbicunque narciſcerentur, mactari oportebat, ne piaculum fieret, vt annotauit Alexander ab Alexãdro, & ante eum Seruius: valdeque erat prodigioſum, ſi capta ægrè retrahebatur ad aras, vt conſtat ex hiſce Ammiani Marcelli verbis: *Abundè ratus poſt hæc proſperitates ſimiles aduentare, complures hoſtias Marti parabat Vltori, & ex tauris pulcherrimis decem ad hoc productis nondum aris admoti voluntate ſua nouem procubuere triſtiſſimi: decimus verò diffractis vinculis lapſus ægrè reductus eſt, & mactatus, ominoſa ſigna monſtrauit.* Si enim primis hoſtijs non litabant, aut ſi primùm negligentia, aut caſu aliquo non rectè initum aut curatum ſacrum foret, illas denuo augeri & ſæpius ad expianda numina permittebatur, donec ritè perlitatum animaduerterent, vt idem Alexander ſcribit, & ex Tullio conſtat, Suetonio, Seruio, alijſque. C Adrianus Turnebus antiquorum rituum peritiſſimus piaculare quoque ſacrificium fuiſſe ſcribit, ſi hoſtiam in aliam partem corporis, quàm oporteret, decidiſſet: Cæterùm vanæ huic atque ridiculæ Hetruſcorum (ab his enim dimanaſſe ſatis notum eſt) diſciplinæ, maxime quæ ad extiſpicium pertinet, fidem nullam habet Chriſtianus, & ne ipſi quoque Gentiles omnes habuere, ac M. Tullius pręſertim, cuius ſuper hac re ſententiam, etſi prolixius indicatam adſcribere, præter noſtrum inſtitutum eſſe non iudico. Vt ordiar (inquit) ab aruſpicina, quam ego reip. cauſa, communiſque religionis colendam cenſeo: ſed ſoli ſumus: licet verum exquirere ſine inuidia, mihi præſertim de pleriſque dubitanti: Inſpiciamus, ſi placet, exta primùm: perſuaderi igitur cuiquam poteſt ea, quæ ſignificari dicũtur extis, cognita eſſe ab aruſpicibus obſeruatione diuturna? At quàm diuturna fuit iſta? aut quam longinquo tempore obſeruari potuit: aut quo modo eſt collatum inter ipſos, quæ pars inimici, quæ pars familiaris eſſet? quod fiſſum, periculum; quod, commodum aliquod oſtenderet? An hæc inter ſe aruſpices Hetruſci, Elij, Aegyptij, Pœni contulerunt? at id, præterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem poteſt. Alios enim alio more videmus exta interpretari, nec eſſe vnam omnium diſciplinam. Et certè, ſi eſt in extis aliqua vis, quæ declaret futura, neceſſe eſt, eam aut cum rerum natura eſſe coniunctam, aut cõformari quodammodo numini deo-D rum. Atqui diuinatio cum rerum natura tanta, tamque præclara in omnes partes, motuſque diffuſa, quid habere poteſt commune? non dicam gallinaceum fel (ſunt enim, qui vel argutiſſima hęc exta eſſe dicant,) ſed tauri opimi iecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale, quod declarare poſſit, quid futurum ſit? Democritus tamen non inſcitè nugatur, vt phyſicus: quo genere nihil arrogantius: Quod eſt ante pedes, nemo ſpectat: cæli ſcrutantur plagas. Verùm is tamen habitu extorum & colore declarari cenſet, hæc duntaxat, pabuli genus, & earum rerum quas terra procreet, vel vbertatem, vel tenuitatem: ſalubritatem etiam, aut peſtilẽtiam extis ſignificari putat. O mortalem beatum: cui certè ſcio ludum nunquam defuiſſe. Hunccine hominem tantis delectatum eſſe nugis, vt non videret, tum futurum id veriſimile, ſi omnium pecudum exta eodem tempore in eundem habitum ſe coloremque conuerterent? Sed ſi eadem hora aliæ pecudis nitidum, atque plenum eſt, aliæ horridum, & exile: quid eſt, quod declarari poſſit habitu extorum & colore? an hoc eiuſdem modi eſt, quale Phercydeum illud, quod eſt à te dictum? qui cùm aquam vidiſſet ex puteo hauſtã, terrę motum dixit futurum: parum, credo, imprudenter, quòd cum factus eſſet motus, dicere audẽt, quæuis id effecerit. Etiamne futurum eſſe aquæ iugis colore præſentiunt? Multa iſtiuſmodi dicuntur in ſcholis: ſed credere omnia vide ne non ſit neceſſe. Verùm ſint ſanè iſta Democritea vera: quã-

Hoſtia fugiẽs cur mactaretur.
Lib. 4. c. 8.
Lib. 24.
Lib. 6. c. 21.
Hoſtia caſus.
Lib. 2. de Diuinat.
Aruſpicina vanitas.
Fiſſum.
Fel gallinaceum.
Democriti de extis ſententia.
Terręmotus ſignum.

do

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

do canos extis exquiſiuimus, aut quando aliquid huiuſmodi ab aruſpice inſpectis extis audiuimus? ab aqua aut ab igni pericula monent: tum hæreditates, tum damna denunciant; fiſſum familiare aut vitale tractant: caput iecinoris ex omni parte diligentiſſimè conſiderant: ſi verò id non eſt inuentum, nihil putant accidere potuiſſe triſtius: hæc obſeruari certè non potuerunt, vt ſupra docui. Sunt igitur artis inuenta non vetuſtatis, ſi eſt ars vlla rerum incognitarum. Cum rerum autem natura quam cognationem habent? quæ vt vnò conſenſu iuncta ſit & continens, quod video phyſicis placuiſſe, eiſque maximè, qui omne quod eſſet, vnum eſſe dixerunt: quid habere mundus poteſt cũ theſauri inuentione coniunctum? Si enim extis mihi pecuniæ amplificatio oſtenditur, idque fit natura: primum exta ſunt coniuncta mundo, deinde meum lucrum natura rerum continetur. Nonne pudet phyſicos hæc dicere? vt enim iam ſit aliqua in natura rerum cognatio, quam eſſe concedo: multa enim Stoici colligunt, nam & muſculorum iecuſcula bruma dicuntur augeri, & pulegium aridum floreſcere ipſo brumali die, & inflatas rumpi veſiculas & ſemina malorum quę in his medijs incluſa ſint, in contrarias partes ſe vertere: iam neruos in fidibus alijs pulſis reſonare alios: oſtreiſq; & conchilijs omnibus contingere, vt cum luna creſcant pariter, pariterque decreſcant, arboreſque, vt hyemali tempore, cum luna ſimul ſeneſcentes, quia tum exſiccatæ ſint, tempeſtiuè cædi putẽtur: F

Murium iecuſcula. Pulegium aridum.

quid de fretis, aut marinis æſtibus plura dicam? quorum acceſſus ac receſſus lunæ motu gubernantur. Sexcenta licet eiuſmodi proferri, vt diſtantium rerum cognatio naturalis appareat. Demus hoc, nihil enim huic diſputationi aduerſatur. Num etiam, ſi fiſſum cuiuſdam modi fuerit in iecore, lucrum oſtenditur? qua ex cogitatione naturæ, & quaſi concentu atque conſenſu, quam συμπάθειαν Græci appellant, conuenire poteſt aut fiſſum iecoris cum lucello meo, aut meus quæſticulus cum cælo, terra, rerumque natura? concedam hoc ipſum, ſi vis: etſi magnam cauſę iacturam fecero, ſi vllam eſſe conuenientiam naturæ cum extis conceſſero: ſed tamen eo conceſſo, qui euenit, vt is, qui impetrare velit, conuenientem hoſtiam rebus ſuis immolet? Hoc erat quod ego rebar non poſſe diſſolui. At quàm feſtiuè diſſoluitur. Pudet me, non tui quidem cuius etiam memoriam admiror: ſed Chryſippi, Antipatri, Poſidonij qui idem iſtuc quidem dicunt, quod eſt dictum a te, ad hoſtiam deligendam, ducem eſſe vim quandam ſentientem atq; diuinam, quæ toto confuſa mundo ſit. Illud verò multò etiam melius, quod & à te vſurpatum eſt, & dicitur ab illis: cùm immolare quiſpiam velit, tum fieri extorum mutationem, vt aut abſit aliquid, aut ſuperſit: deorum enim numini parere omnia. Hæc mihi iam crede, ne aniculæ quidem exiſtimant. An cenſes eundem vitulum ſi alius delegerit, ſine capite iecur inuenturum? ſin alius, cum capite? hæc deceſſio capitis, aut acceſſio, ſubitonè fieri poteſt, vt ſe exta ad immolantis fortunam accommodent? Non perſpicitis aleam quandam ineſſe hoſtijs deligendis, præſertim cùm res ipſa doceat? cùm enim triſtiſſima exta ſine capite fuerunt, quibus nihil videtur eſſe dirius: proxima hoſtia litatur ſæpè pulcherrimè. Vbi igitur illæ minæ ſuperiorum extorum? aut quę tam ſubita facta eſt deorum tanta placatio? Si affers, in tauri opimi extis, immolante Cæſare cor non fuiſſe: id quia non potuerit accidere, vt ſine corde victima illa viueret, iudicandum eſſe tum interiſſe cor, cùm immolaretur, qui fit vt alterum intelligas, ſine corde non potuiſſe bouem viuere; alterum non videas, cor ſubito non potuiſſe neſcio quò auolare? ego enim poſſum vel neſcire quæ vis ſit cordis ad viuendum: vel ſuſpicari contactum aliquo morbo bouis exile & exiguum & victũ cor, & diſſimile cordis fuiſſe. Tu verò quid habes, quare putes, ſi cor paullò antè fuerit in tauro opimo, ſubitò id in ipſa immolatione interiſſe? An quod aſpexerit veſtitu purpureo excordem Cæſarem, ipſe corde priuatus eſt? Vrbem philoſophiæ, mihi crede, proditis, dum caſtella defenditis. Nam dum aruſpicinam veram eſſe vultis, phyſiologiam totam peruertitis. Caput eſt in iecore, cor in extis: iam abſcedet, ſimul ac molam & vinum inſperſeris. Deus id eripiet, vis aliqua conficiet, aut exedet. Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet, & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum citò occidat. Quis hoc phyſicus dixit vnquam? aruſpices dicunt, his igitur, quàm phyſicis potius credendum exiſtimas? Quid cùm pluribus dijs immolatur, qui tandem euenit, vt litetur alijs, alijs non litetur? quæ autem inconſtantia deorum eſt, vt primis minentur extis, bene promittant ſecundis? aut tanta inter eos diſſenſio, ſæpe etiam inter proximos, vt Apollinis exta bona ſint, Dianæ non bona? quid eſt, tam perſpicuum, quàm, cum fortuito hoſtiæ adducantur, talia cuique exta eſſe, qualis cuique obtigerit hoſtia? At enim id ipſum habet aliquid diuini, quæ cuique hoſtia obtingat, tanquam in ſortibus, quæ cui ducatur. Hæc & plura Cicero.

Lunæ motu quæ gubernentur.

Prodigia. Bos locutus. Lib. 5. c. 26.

Quibus nunc prodigia adiungamus, quæ & ipſa infauſta habebantur: ita nunc voco, ſi vel humana voce bos eſſet locutus, vel monſtruoſus erat natus, vel quid egiſſet, quod naturæ eius contrarium eſſet. Plinius teſtatur frequens eſſe in prodigijs bouem locutum: quo nunciato Senatum ſub dio haberi ſolitum. Alexander ab Alexandro, ideo id factum ait, quod ſub dio habere ſenatum, & patrum concilium genus expiationis eſſe putarent. Locutus eſt autem bos humana voce anno quadrageſimo ſexto ante Saluatorem noſtrum natum poſt mortem Cæſa-

ris,

A ris, P. Dolabella fasces tenente. Liuius ait Cn. Domitio,& L. Quintio Coss. bouem locutum in hæc
verba : *Caue tibi Roma :* quod maximè terrebat Cos. Cn. Domitium. Bouem eum cura seruari ali-
que aruspices iussisse. In Sicilia quoque bouem locutum, alium in Latio, Hannibalis bello pen-
dente,& Q. Fabio Maximo,& M.Marcello Coss. idem Liuius recolit,& ex eo D.Augustinus. Inter *Lib.3. de ci-*
cætera autem portenta, quæ Cæsaris mortem portendere, bos in suburbano quodam Romæ ad *uitate Dei,*
arantem locutus est, frustrà se vrgeri, non enim frumenta, sed homines breui defuturos, vt annota- *cap.31.*
uit Eusebius,& Appianus quoque bouem eo tempore humano sermone vsum fuisse tradidit Iulius
Obsequens refert bouem in Sicilia locutum, cap. 34.& cap. 38. iterum Priuerni,& cap. 41. rursus in *Lib. de tẽp.*
agro Romano, & iterum cap. 53. locutum & dicentem, *Roma tibi caue*: & cap. 66. in Campano
agro:& 74. Frusinonæ: cap. 95. iterum Romæ,& iterum in Amiterno cap. 86. & Romæ cap. 103.&
113. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico recitat, bouem quendam suum pastorem ter humana
voce allocutum, monuisseque Hierosolymam breui à Christianis capiendam iri. Aiunt item bo-
uem locutum in templo Hierosolymitano eodem die, quo ipsa vrbs à Romanis destructa est. Fla- *Lib. 3. de*
uius Iosephus verò & Zonaras inter cætera prodigia & præsagia, quæ Hierosolymæ excidium præ- *bell. Iud. c.*
B cesserunt, testantur, azymorum die festo, cum ad hostiam bos duceretur, agnum in medio fani pe- *12.*
perisse : ad quod forte allusit Iuuenalis : *Saty. 2.*

Scilicet horreres maioraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?

Helisæo autem Propheta in Galgalis edito, bos aurea in Selom Israelitarum; clamore maximo vo-
ciferata est, vt Epiphanius in vitis prophetarum refert, excidium suũ, diabolum præuidisse inquiẽs.
Tempore Ioan. Tzetzæ vulgo ferebatur oraculi instar, vt ipse narrat, hoc dictum, βοῦς βοήσει, καὶ
ταῦρος θρηνήσει: quod ipse ita interpretatur: vt per bouem in fæminino genere Constantinopolim *Chil. 9. cap.*
(quæ ingenti exercitu Alemanorum, & aliorum à Romanis nimirum misso tum temporis obside- *277.*
batur) intelligat, quæ à tauris, idest, Italis siue Romanis condita est. Nam taurum (inquit) Latini
etiam Italum vocabant: Exclamante autem boue, idest Constantinopoli, nimirum bellico & clas-
sico clamore, taurum idest Italiam repugnantem ploraturam ait. Bello quod contra Antiochum
gestum est, Romæ duos boues in Carinis sua sponte per scalam in summum ædificij euasisse Roma-
na testatur historia, & meminit Sabellicus. Eos verò aruspices viuos comburi iussisse,& cinerem in *Lib. 7. dec. 5*
C Tyberim deijci: de quo prodigio consulendus est Obsequens. Sed & arator bos decusso iugo in tri-
clinium, in quo cænabat Vespasianus, irrupit, ministrisque fugatis, quasi repente defessus, procidit
ad ipsius accumbentis pedes, ceruicemque submisit: portendere visus terrarum orbem amarissimo
Vitellianæ dominationis iugo pressum, opem à gente Flauia deposcere, quæ iam rerum esset poti-
tura. Sed & aliàs bos in foro boario in tertiam consignationem sua sponte ascendit, atque inde
habitatorum tumultu territus, sese deiecit. Obsequens testatur vitulum masculum esse natum, qui
alios duos in ventre habebat. At ætate Ptolomæi vacca quædam eodem partu sex edidit vitulos, si
Diogeniano credimus. Mirandæ verò magnitudinis vitulus natus est anno ab vrbe condita 199.
vt Obsequens ait: De puero cum capite bouis sic Aristoteles: *Iam puerum ortum capite arietis aut* *Puer caput*
bouis referunt; idemque in cæteris membrum nominant animalis diuersi: vitulum capite pueri, & ouem *bouis habẽs.*
capite bouis asseuerant. Perinthi fertur fuisse vacca, cui excrementum extenuatum per vesicam *4. de gen. c.*
transmittebatur, eò quòd anus foramine peruius non esset. Euagrius in historia Ecclesiastica *3.*
multa prodigia, calamitates Romanorum Nisibin Persiæ vrbem obsidentium portendentia visa es- *Lib. 5. c. 8.*
se asserit, inter cætera tamen in ipso belli initio vitulum recens editum, visum esse, qui duo capita *Vitulus bi-*
D haberet ex vna ceruice excrescentia. Fulgosus quoque testatur prodigij loco haberi debere, quod *ceps.*
vitulus biceps in Sabinis natus memoraretur Calixto III. Pont. Saturæ vitulus biceps natus, anno *Lib. 1. de*
ante natum Christum 122. eius icon hæc est Vuilæ. in Turgauiæ oppido vitulus similiter biceps *prodig.*
procreatus est anno à Virginis partu 1433. & eiusdem oppidi portis per dies plures, spectaculi gra-
tia affixus est. Eodem anno in Turgauia fame laboratum est maximè,& adeò quidem, vt esus car-
nium ciuibus à sacerdotibus contra leges pontificias sit diebus ieiunij concessus. Similis etiam na-
tus in Sabinis mense Februario 1456. Cracouiæ verò alius 1499. quo anno Tartari Poloniam va-
starunt. (Eodem quoque anno in Alsatia non procul à Tabernis visum caput tauri, toruis oculis,
inter cuius cornua stella insolitæ magnitudinis emicuit. Ortum est bellum Maximiliani cum Hel-
uetijs, quod copiosè Heluetiorum chronicis describitur. Huius capitis, & quorundam aliorum
monstrorum ex Lycosthene adieci: sicuti istius bicipitis anno D. Natiuitatis 120.) Alium vitulum
bicipitem Mediolani natum Cardanus his verbis describit. Habebat capita perfecta duo, vnum *Lib. 14. de*
quod habuit suam linguam, ac dentes, nares, oculos, aures, sed iuncta capita erant in occipitio, *var. rer. c.*
quorum vnum masculi rotundum, alterum fæminæ oblongum, speciem diuersi sexus præferebant. *75.*
Animal vitula erat exenteratum, ac ex matre excisum: occisa quòd diutius partum traheret, quàm
vt ser-

E

F

G

H

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

C



D

E

F

G

H

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A vt ſeruari poſſit. Superuixit, vt referebant, fœtus, dimidiæ horæ ſpatio, & erat in caupona Cancri. Tranſlatum eſt (inquit idem Cardanus) eo anno regnum ad Cæſaris filium, multiſque incommodis à Gallis acceptis, quia vitulus laborem ſignificat, & ſexus, multorum ducum infelicitatem, & fugam, atque amiſſas abſque expugnatione vrbes, & arces, prouinciamque abſque prælio. Biceps item anno 1551. menſe Decembri in Schinna pago, quem Longum nominant, proximè Friburgum: Alius rurſus natus Comi anno 1152. vt Paulus Morigia refert in hiſtoria Mediolanenſi, item alius Cremonæ 1565. ſed qui octo haberet pedes. Habes quoq; caput vituli geminum nati Morenzani prope Venetias (tempus non ſatis memini) duplici rictu, quatuor oculis, ternis verò auribus, quarum nimirum vna, vbi capita inuicem coniunguntur, vt figura ipſa oſtendit: binæ aliæ in fronte cuiuſque capitis, ſitum habent. Adiectum aliud caput geminum, non aliter ferè differt, quàm quod binas tantum habeat aures. Ad oppidum verò Bitterfeld vitulum tradunt in agro repertum, oculis, naribus, & auribus humanis, vertice tonſo & miniato, rictu & pectore vitulino cruribus anterioribus vitulinis, poſterioribus humanis & breuibus admodum, ſed vtriſque deſinentibus partim in vngulas vitulinas, partim in humanos digitos, qui vngulis ſuberant, & ſeparatim propendebant.
B Hoc monſtrum deſcribit Caſparus Peucerus. Sic apud Cælium Rhodoginum legimus, apud Sibarim olim paſtorem nomine Crathin ex frequentioribus cum capra congreſſibus (quod turpe fœdumque dictu eſt) capram quidem humano capite patri ſimillimo, corpore verò caprino matrem referente genuiſſe: quem poſtea ductor caprarius, ac anteſignanus hircus, zelotypia laborans, oblata occaſione humi pro more dormientem, maximo impetu cornibus inuaſit, ac corriualē crebriori- *Lib. de Teratoſcopi. Lib. 25. cap. 32.*

C

D

ribus ictibus vulneratum interfecit: In Thuringiæ vico an. D. 1551. vitulus natus eſt ſextipes, maſſam carnis è latere dependentem geſtans. Eodem loco vehemens tempeſtas orta ſegetes agrorum longe lateque proſtrauit: crebrò fulminatum de cælo: ex quo etiam globus ardens prolapſus, terræ magno omnium metu procubuit. Eodem etiam anno bos Baſileæ Rauracorum, a quodam circulatore quinque pedibus circumductus eſt. Hoc anno Henricus II. Francorum rex, cum Mauritio Saxonum duce Electore, Alberto Brandenburgenſi, atque alijs quibuſdam Germaniæ principibus

M con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

E



F

G

H

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

C

D

confœderatus, magno cum exercitu contra Hiſpanos in Germaniam irrupit, conciliumque Tridẽtinum diſſipauit. Anno ſequenti Bonnæ inferioris Germaniæ, haud ignobilis, atque ad Rhenum quatuor milliaribus à Colonia Agrippina ſiti oppidi decimoſeptimo Cal. Iunij natus eſt vitulus biceps, duobus ſcilicet corporibus, capitibus, caudis, ſed tribus tantum oculis præditus. Anno 1555. dum comitia imperialia Auguſtæ Vindelicorum, à Sereniſſima Romanorum regia Maieſtate Ferdinando celebrantur, ſeptem milliaribus ab Auguſta vrbe natus eſt vitulus Maij vigeſimo primo die, in pago quodam Leder nomine, duas habens facies, oculos quatuor, duos quidem in fronte anteriori, in lateribus verò alteros, per omnia alioquin in membris quidem ſingulis vero vitulo ſimilis, qui inſuper quàm primum in lucem editus eſt, animam actutum exhalauit. Hæc ſcribit Marcus Frytſchius. Anno mox inſequenti pridie nonas Ianuarij in Germaniæ quodam pago Epiſcopatus Dilingenſis, vitulus duobus tantùm poſterioribus pedibus natus eſt, tantæ tamen velocitatis, vt corpore erecto currens, vitulos omnes facilè ſuperaret. Eodem anno tertio vero Martij in oppido Bergerdorff monſtrum natum eſt aliqua ratione vitulum referens. Sextipes erat, gemino capite, vno podice. Diſiuncta autem erant capita in longitudine, quorum vnum Orientem, aliud verò Occidentem ſpectare videbatur. Tres pedes huic, tres alteri inhærebant, caudæ duæ. Vi- E F

Monſtrum biceps oculis quatuor.

In Meteologicis.

Vitulus bipes velociſſimus.

G H

geſimo verò quarto Iulij deforme admodum aliud monſtrum vacca enixa eſt in pago Cleidorff, diſtante tria milliaria a Papenberga, quod Fincelius quoque deſcripſit. Pedes habuit quatuor vitulinos, caput humanum, virile, atra barba, geminis auribus humanis & modicis capillis, pectus itẽ humanum, & mammoſum, cætera vitulo ſimile. Natum eſt monſtrum in prædio viduæ nobilis. His modo addam prodigioſos quoſdam fœtus alios. Habes autem inter eos primum bouem cui tertium in ceruice cornu enatum, ijs qui in capite ſunt, multo quidem eſt breuius, cæterùm craſſitudine inſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

C

D

ne insigni. Picturam eius mihi communicauit Antonius Gigas, qui Epidauri natum asserebat. Altera icon vituli est, quodammodo bicorporis. Etsi enim vnicum tantùm habeat caput, tergoris tamen apparebat diuisio, & ab qualibet parte sua dependebat cauda: quatuor retro habebat pedes, binos antè, & alium rursus in fine ceruicis, vt pictura ostendit. Hoc monstrum circumferebat circulator anno Domini 1578. & in agro Vicentino dicebat prognatum. Alias apud alium quoque circulatorem obseruaui pulcherrimum hoc monstrum quod deinceps ostenditur, erectum, bicorpor planè, capite verò duntaxat vnico, sed quinis insignitum auribus, quarum binæ ad latera, vt fit naturaliter, reliquæ capitis verticem occupabant. Apud Siculos natum aiebat anno Domini 1581. Habes item mox iconem vituli, facie agni, duobus ex tergoris initio enascentibus pedibus: ac denique bouis integris quidem membris, sed cruribus adeo breuibus, vt nanum iure merito nuncupare liceat.

E

F

G

H

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

I N S O M N I A.

QVIDAM Onirocritæ (inquit Pierius Valerianus) dicunt taurum per insomnium imaginari, inditium esse disertissimæ prolis suscipiendæ: quò forte spectat Virgilianum hoc, taurum Pollioni pascendum, *Lib. 3.*

Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam. *Taurus in somnio visus.*

propterea quod noua illa carmina faciat, qui quidem sint ingeniorum fœtus. Κατὰ παρέργον, & hoc addam (quamuis non sim nescius quod Grammatici super locutione, *noua carmina* disputent) dici posse Virgilium ad Pindaricum illud respexisse, quod Olympijs habetur Epharmosto: Αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. Vinum quippe à vetustate commendare congruum esse; à nouitate autem poemata. Florem enim pro recenti repositum aiunt interpretes. Hæc ille. Oportuit autem explicare, quo modo visus in somnijs taurus prolis *Virgilius explicatus.*
B suscipiendæ signum sit. Inuenio enim Hebræis coniectoribus tauros dormientes per insomnium visos cessationem ac ignauiam portendere: lætitiam verò si lasciuientes currentesque sint visi; lucrum autem si pascentes: si duo inuicem pugnantes, negociorum velocitatem: arantes boues, lætissimam prænunciare frugem, opulentamque rerum felicitatem. Quò referendum est somnium Pharaonis, quod tale est. Vidit septem vaccas formosas & carne nitidas, de fluuio ascendere, atque in palustri gramine pascere: his succedere totidem deformes, atque macilentas, à quibus pulchræ illæ, & pingues deuorarentur. Expergefactus rex, cùm denuò obdormuisset, in somno sibi visus est videre septem spicas ab vno culmo enasci pulchras atque eximias: post has, alias septem, vitio aeris inanes ac tenues, & ab his præclaras illas atque plenas consumi. His visis perturbatus est rex, neq; tamē fuit, qui ei somnium hoc interpretari posset. Ibi tum recordatus Iosephi est pincernarum præfectus. Iosephus ergo vocatus, septem vaccis formosis, itemque septem spicis præclaris, septem annos fertilitatis designari exponit: septem macris vaccis, atque inanibus spicis septem annos penuriæ insecutæ, qui omnes fertilium annorum opes essent absumpturi. Insomnij veritatem, geminatione confirmari, & quod secundò spicæ visæ essent, eò inditium de frugibus terræ perhiberi, ac deum *Somniū Pharaonis.*
C rem acceleraturum. Pulcherrime quoque Ouidius narrat hac elegia, quam ob elegantiam hic addidimus, se per quietem vidisse candidissimam iuuencam, huicque comitem taurum, eoque dormiente, cornicem aduolasse, ac rostro iuuencæ ipsius pectus incessisse, ita vt eam relicto tauro, obire ad alia taurorum armenta cogerit. Post hanc somnij narrationem interrogat somniorum interpretem, quid hæc sibi visa apportent: cumque inducit ita respondentem: Taurum significare Nasonem; iuuencam autem eius amicam: cornicem verò lenam, quæ garrulitate sua puellæ animum peruertens, futura sit causa, vt ab amica sua Naso deseratur. *Amor. 3. Eleg. 5.*

Nox erat, & somnus lassos submisit ocellos,
Terruerant animum talia visa meum
Colle sub aprico celeberrimus ilice lucus
Stabat, & in ramis multa latebat auis.
Area gramineo suberat viridissima prato,
Humida de guttis lenè sonantis aquæ.
D *Ipse sub arboreis vitabam frondibus æstum,*
Fronde sub arborea sed tamen æstus erat.
Ecce potens varijs immistas floribus herbas
Constitit ante oculos candida vacca meos,
Candidior niuibus tunc cum cecidere recentes
In liquidas nondum quas mora vertit aquas
Candidior, quod adhuc spumis stridentibus albet
Et modo siccatam, lacte, reliquit ouem.
Taurus erat comes huic, feliciter ille maritus
Cumque sua teneram coniuge pressit humum.
Dum iacet, & lentè reuocatas ruminat herbas *Ruminatio.*
Atque iterum pasto pascitur antè cibo,
Visus erat, somno vires adimente ferendi
Cornigerum terræ deposuisse caput.
Huc leuibus pennis cornix delapsa per auras
Venit, & in virridi garrula sedit humo.

Terque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Terque bouis niueæ petulanti pectora roſtro E
Fodit, & albentes abſtulit ore iubas.
Illa locum, taurumque diu cunctata reliquit,
Sed niger in vaccæ pectore liuor erat.
Vtque procul vidit carpentes pabula tauros
(Carpebant tauri pabula læta procul.)
Illuc ſe rapuit, gregibuſque immiſcuit illis,
Et petijt herbæ fertilioris opem.
Dic age, nocturnæ quicunque es imaginis augur,
Si quid habent veri, viſa quid iſta valent?
Sic ego: nocturnæ ſic dixit imaginis augur
Expendens animo ſingula dicta ſuo.
Quem tu mobilibus folijs vitare volebas,
Sed male vitabas, æſtus amoris erat.
Vacca puella tua eſt: aptus color ille puellæ eſt, F
Tu vir, & in vacca compare taurus eras,
Pectora quod roſtro cornix fodiebat acuto,
Ingenium dominæ lena mouebit anus.
Quod cunctata diu taurum ſua vacca reliquit,
Frigidus in viduo deſtituere toro.
Liuor & aduerſo maculæ ſub pectore nigræ
Pectus adulterij labe carere negant
Dixerat interpres: gelido mihi ſanguis ab ore
Fugit, & ante oculos nox ſtetit alta meos.

Suidas notauit boues in ſomnis mortuos viſos famem portendere, citatque hos ſenarios:

Βόας θεωρεῖν εἰς κακὴν πρᾶξιν φέρει
Νεκροὶ βόες δηλοῦσι τοὺς λιμοῦ χρόνους.
Boues in ſomnis videre, ſignificat malum
Mortui boues ſignificant famis tempus. G

Lib. de Inſomnijs. Hippocrates ait: Panes ex caſeo & melle factos, per ſomnum comeſtos, maximum alimenti exceſſum ſignificare.

HIEROGLYPHICA.

Opus, & labor. BOVIS typo opus laboremque indicari, valde protritum eſt. Pingebant autem Aegyptij vtriuſque ſexus cornua, tauri cornibus opus, vaccæ verò laborem anxietatemque indicantes, quamuis in impreſſis Hori codicibus βόος dictio vtroque lemmate (inquit Pierius) deſideretur: ſcribendum enim eſt ex vetuſtis codicibus manuſcriptis, βόος ἄρρενος κέρας & inferius, βοος θηλείας κέρας. Sunt tamen qui nulla maris fæminæque differentia, bouillum caput exertum pelle, purgatumque carne, pro labore, ac tolerantia proponant. Eucherius quoque bouis ſignificationem ad omnes trahit, *Fructus ex laboribus.* qui vitam laboribus exercent, & Moſaicum illud: *Non alligabis os boui trituranti*, interpretatur, ne H mercede ſua fraudendum intelligat. Si verò fructum ex laboribus perceptum indicare velint, caput huiuſmodi (verba ſunt Pierij) floribus & corollis redimitum faciant, corymboſque & ſerta hinc inde a cornibus ſuſpendant cuiuſmodi faſcia molem æliam ambibat, vt fruſta quędam quæ adhuc integra operis parte permanſerunt, oſtendunt: ſiue id ſacrificiorum videlicet Taurobolii aut quid huiuſmodi ſit indicium, cùm iuxta viciſſim & patina adſculpi ſoleat, quod præcipuè in templorum parietibus, inter triglyphos vbique ſpectamus: eaque de cauſa capita illa coronata plurimũ habentur: ſiue larga laborum præmia interpretari malimus, vt Romæ in eadem Adriani mole patina, munificentiam, bouillo capite labores, ſiue res fortiter geſtas oſtentantibus. Nam poſt vitæ præclarè actæ curſus, laboreſque ſuperatos, apotheoſis ipſa prœmium Imperatorijs familijs decernebatur: aut ea excitabantur mauſolea, vel pyramides, vel columnæ, quæ ibi conditos ſupra mortales euectos gloria commonſtrarent. Apud Petrum Melinum Romæ vidimus caput bouis antiquiſſimi operis ſcitè factum & venuſtè, quod olim fuit ad trabis alicuius ſimam aut mutilum, aut coronam, pro fultura accommodatum, eo omnino geſtu factum, vt laborioſo nixu ſuſtentaſſe aliquid videatur. Eſt enim caput gutturi appreſſum, criſpantibuſque palearibus conatus ſpeciem oſtentat,

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

quod proculdubio ad tolerantiæ laborisque significatum referendum est. Hactenus Pierius. Habeo ego lucernam terream antiquissimam bubuli capitis effigie, qua, vt conijcio, indicare voluerũt, laborum honestorum perpetuam debere esse memoriam, prout perpetua est istiusmodi, lucernarũ C atque immortalis flamma ac lux. Solutus verò bos & presepi redditus, partam à laboribus quietem ostendit: quod antiquissimum Aegyptiorum hieroglyphicum Græci adagio prosecuti sunt, βοῦς ἐπὶ φάτνῃ, dicentes, idest, *bos in præsepio*, cùm exautoratum hominem, & donatum iam rude, otioque & tranquilliori vitæ restitutum significare voluerint, quia scilicet moris est boues ab laboribus ad præsepe sistere, atque illis pabulum subministrare: quamquam sunt, qui prouerbium ad mollioris vitæ significatum detorqueant, & ingenium à labore procliue ad libidinem ex hoc intelligi contendant. Est vbi bos coronatum pacis hieroglyphicum est. Scribit enim Ammianus Marcellinus: qui Anathan nunimentum, quod fluentis Euphratis circumluitur, contra Iulianum & Romanos defendebant, cùm Romanis se dedidissent, præ se bouem coronatum agẽtes, quod est (inquit) apud eos susceptæ pacis inditium, descendere suppliciter. Iam verò Aegyptij cum admirabilem quandam in tauro, continentiam animaduertissent sacerdotes, hominem temperantia præditum (inquit Pierius) ab humanarum quippe rerum affectu non alienum, cæterùm modestiæ seruantissimum, significare si vellent, taurum naturæ admodum robustæ, ac validæ faciebant, quod cùm animal hoc in libidinem vsque adeo concitatum, & furens, non sæpius quàm bis die inscendit, à conceptu verò D ipsius vaccæ modestus castusque nihil vlterius tentet, sponteque diuortio quasi facto secubat, ac vt in Epiro maximè videre est, trium plerumque mensium spatio non apparet, & vt Aristoteles ait, ἀτιμαγελεῖ, hoc est, vt Gazæ vertendum erat, abarmentatur, hoc est, vt suo loco dictum est, seorsum à vaccarum consortio, grege, conuictuque pascitur. Iidem Niliaci sacrorum custodes, cùm hominem à priori petulantia sibi modestius consulentem significare vellent, nõ simplici forma taurum, sed caprifico caput, colla, armosq; redimitum pro huiusmodi virtutis hieroglyphico proponebant. Caprifico enim ea, vt ostensum est, vis est, vt lasciuientium taurorum, & quantumuis ferocientium naturam vsque adeo compescat eorum collo circundata, vt immobiles propemodum eos reddat. Alia porrò picturæ specie, hominem ea modestia præditum, vt facilè cum queas à perperam factis auertere, indicare si vellent, taurum genu dextero illigatum pingebant: hunc enim si dextero alligaueris genu mansuetum & vincula consequentem inuenies, vt in domatione diximus. Ipse autem bos per se pictus, mansuetudinis hieroglyphicum signum est: mirum enim est, quàm mãsuetis sit moribus, vt suo loco ostendimus; Quàm diuersum autem illud est, quod mansuetudinem ex boue picto significantes, ferocitatem itidem & furibundam petulantiam per taurum indicabant, vbi fœni fasciculum cornibus adalligassent. Vnde in prouerbium quoque adducta res est, vt cùm ca-

Ex laboribus quies.

Lib. 24.

Pacis symbolum.

Temperantia.

Petulantiæ frenum.

Bonorũ obsequium.

Mansuetudo.

uendum

uendum à quopiam ſignificare velimus, illum dicimus fœnum in cornu gerere. Angelus Politianus in præfatione in Suetonium, antiquos paſtores feris tauris faſciculos iſtiuſmodi alligaſſe cornibus aſſerit, vt inſinuarent, nulla alia ab re nimiam illam ferociam, quàm ab ſaturitate prouenire. Aegyptij ſacerdotes, vbi maſculam prolem myſticè deſcribere vellent, taurum ab inſcenſione in dextram ſe partem demittentem figurabant: ſi verò fæmineum fœtum exprimere voluiſſent, eundem in læuam auertentem ſe pingebant. Compertum ſiquidem eſſe taurum à conceptu diſcedentem, ſi deflexerit in dextram, marem eſſe genitum: ſi ab læua abſceſſerit, fœmineum eſſe fœtum aliàs oſtenſum eſt. Per auriculam verò tauri pictam, iidem Aegyptij & auditum, & obſequij ſedulitatem pingunt, quia taurus, vt diximus, præ cæteris quadrupedibus quàm maxime auditu viget, & audito à longè prurientis iuuencæ mugitu promptiſſimè illi ſatisfacturus accurrat.

Proles mas, an fæmina. *Auditus. Obſequium.*

SYMBOLA.

Renati regis ſymbolũ.

RENATVS Siciliæ rex, volens intelligi (inquit Claudius Paradinus in opere de ſymbolis heroicis) concepiſſe ſe ſpem, in maiorem adhuc principem, quàm ipſe foret, paulatim euadendi, atque difficultates ſuas omnes aliquando ſuperandas ſymbolum ſuum ex boue, inſignia eius collo geſtante appoſitis verbis PAS A PAS. figurari iuſſit, eo ipſo bouem tardè quidem, ſed maximum tamen iter nihilominus conficere declaraturus: Idem Renati ſymbolum refert Gabriel Symeon, ſed Latinè Lemma citat, GRADATIM. Idem Claudius Paradinus aliud pingit ſymbolum cum lemmate TERROR ET ERROR. idque expreſſit capite bouis, quod in vertice flammas edentem faſciculũ geſtat, alludẽs nimirum ad aſtum Hannibalis, qui vt ſuo mox loco dicetur, terrore Romanis hoc modo incuſſo è periculo eque manibus eorum ſe eripuit. Expreſſit verò Camerarius hoc idem ſymbolum paulò ſignificantius. Ita enim boues accenſis onuſtos faſcibus pingit vt ex ſylua quadam prorumpere videantur. Bos ornatus paratuſque ad ſacrificium, adſtans altari, in quo accenſus eſt ignis, retrò verò bouem aratrum, cum verbis: IN VTRVMQ. PARATVS. Virum ſignificat (inquit Hieronymus Ruſcellus in inſigni Honofrij Panuinij, ad omnes labores ſuſcipiendos pro vtilitate reip. proque religione ſi opus fuerit, mortem non recuſaturum. Camerarius, qui hoc quoque ſymbolum pinxit, cumque author Ruſcellum citat, ex antiquo nummo (inquit) Iulij Cæſaris, in cuius altera parte bos ad ſacrificia deſtinatus, ſtans ante aram exprimitur, cum inſcriptione IOVI OPT. MAX. SACRVM. hoc ſymbolum videtur habuiſſe originem. Hic verò auctor illius addidit aratrum, cùm hoc animal potiſſimum ad opera ruſtica expedienda, aptum natum eſſe nemini ſit dubium. Conuenit in illos qui non ſolum pietate, ac religione, ac omni laudabili doctrina cupiunt excellere atque alijs præire (quod per ſacrificium cum boue peractum oſtenditur) ſed etiam alijs pluribus laboribus, ſecuti bos arans, indefeſſo ſtudio hominibus vſui eſſe atque inſeruire ſtudent. Adſcripſit autem in primis hoc ſymbolum ſibi (vt Hieronymus Ruſcellus refert) Onophrius Bonſinius Veronenſis ordinis Auguſtiani Cœnobita, vir admodum laborioſus, vt multa tam ſacra quàm profana ſcripta ab ipſo compoſita teſtantur, inter quæ præclarum quoque illud opus deſcriptionis totius Italiæ, ad imitationem Pauſaniæ, Strabonis, & aliorum confecit, quod nuper ex Italica in linguam Latinam conuerſum quoque extat & à pluribus legitur. Hæc Camerarius addito hoc emblemate.

Terror & error. *Panuinij ſymbolum.*

Ferre iugum, iugulumque dare, eſt bos aptus vtrimque
Sic pia turba facit, grata deo referens.

Mutatus ab illo.

Idem Camerarius aliud depingit ſymbolum cum lemmate, MVTATVS IN ILLO, in quo taurum caprifico caput, collumque atque armos redimitum exprimit, (icone, vt apparet, ex hieroglyphicis Pierij Valeriani, accepta,) hoc addito verſu,

Corniger vt blandus ſit amictus fronde: at inertem
Frugi vix facias, ni bene preſſus eat.

Petulantiæ frenum.

Vt enim, inquit, caprificus taurorum collo circumdata, eos compeſcit ſic frænum petulantiæ eſt ſæpe aduerſa fortuna hominibus rebus ſecundis nimis ſeſe efferentibus, vel alijs vitijs impunè indulgentibus, & idem quoque præſtat doctrinæ ſanioris inſtitutio, & ad virtutem ac honeſtatem aſſuefactio, quibus animi hominum effrenes ad modeſtiam & manſuetudinem reducuntur, quòd præclarè Horatius ſubiecit his verſibus:

Lib. 1. epiſt.

Nemo adeo ferus eſt, vt non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem accommodet aurem.

Qui ſimiliter introducit Polemonem Athenienſem perditæ luxuriæ adoleſcentem, qui ebrius & coro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A coronatus fortè ingressus scholam Xenocratis, cùm philosophus hic acriter de industria esset in luxuriam inuectus, coegit pœnitentia ductum oratione sua Polemonem, vt deposita priore mala vita philosophiæ serio operam daret, qui etiam eidem Xenocrati postea successor fuit datus. Ait autem poeta de ipso:

Potus vt ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri.

Cùm verò boues ferociores & magis generosi hoc habeant proprium vt in pascuis & pratis locum quempiam peculiarem occupent, nec alios facile admittant, idem Camerarius bouem robustum similiter in pascuis lætis solum pascentem delineauit, cum lemmate: NEMINEM ADMITTO. adiecitque hoc distichon:

Solus opima tenet bos pascua, prata tuetur,
Tu quoque sic dotes solus habeto tuas:

Vsumque hoc symbolo ait, regem Poloniæ Stephanum Batorium magnanimum, & prudentem admodum, nec non literatum principem, satis quidem apposité, cùm pascuis simul ac bobus ista re- *Stephani Batorij regis symbolum.*
B gio abundet, non obscurè innuentem, se ad regni illius possessionem magnis laboribus, & periculis acquisitam, nullum facilè socium esse admissurum, cum secundum Thyestem apud Senecam, *Non capiat regnum duos*. Et alibi apud eundem: *Nec regna socium ferre, nec tædæ sciant.* Idemque Lucanus affirmat: *Lib. 1.*

Nulla fides regni socijs, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Illustriss. item principem Maximilianum Sfortiam ducem Mediolan. eodem symbolo delectatum esse, cum inscriptione: MELIORA QVAERO: Volentem significare forsitan, se instar bouis, in pascuis semper optima quæque quærentis & seligentis, consilijs quoque melioribus & prudentioribus cupere frui: quosdam tamen opinatos esse, tacitè hoc symbolo eum innuisse, se regionem adhuc vberiorem appetere. Bouis bregma, laurea insignitum corona, duobusque ligonibus, à cornibus dependentibus, totidemque palmæ ramulis, cum inscriptione: VICTORIA EX LABORE HONESTA ET VTILIS; significat honorem, vel victoriam cum vtilitate ex labore, prouenire. Symbolum hoc Achillis Bocchij est. Boues aratro iuncti cum verbis: SIC VOS NON VOBIS:
C significat nonnullos alienis frui laboribus, resque præclare ab alijs gestas sibi adiungere, vt Gabriel Simeon annotauit. Idem symbolum siue emblema pinxit idem Bocchius cum inscriptione. FORMICAE ARATRA NON SIBI FERVNT BOVES. Appingit autem formicam cornui boum arantium, eaque super re hoc posuit iambicum:

Arantis olim fortè per cornu bouis
Formica visa errare, arare se dixit:
Sic vos aratra fertis, haud vobis boues.

Expressitque hoc aliter hoc disticho,

Per cornu formica bouis dum forte vagatur,
Quid nam ageret quidam quærit, aramus ait.

Bos siue taurus cornupeta, ita delineatus, vt impetu in arborem facto eam prosternere enitatur, cũ verbis: IRASCI TENTAT, aut CORNV ACVIT. iuuenem indicat (inquit Scipio Bargalius Senensis) qui ad gloriam militarem aspirans, se in armis exercet. Emblema Alciati inscriptum,
D ἀνέχου καὶ ἀπέχου, idest, *sustine & abstine*.

Et toleranda homini tristis fortuna ferendo est
Et nimium felix sæpe timenda fuit.
Sustine (Epictetus dicebat) & abstine, oportet
Multa pati, illicitis absque tenere manus.
Sic ducis imperium vinctus fert poplite taurus
In dextro: sic se continet à grauidis.

PICTVRÆ.

VLCANVS vt omnibus numeris absolutissimum fabricaret Achillis clypeum, varijs eum quoque illustrauit imaginibus, inter quas armentum quoque boum, vt Homerus ait, ex auro & stanno fecit, impetu quodam è stabulo in pascua, & fluuiũ sonantem & clamosum, cannisque abundantem, properantem. Aurei pastores quatuor boues agebant, nouem veloces canes sequebantur. Illic & duo leones terribi- *Achillis clypeus.*

les,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

les,inter primos boues, taurum mugientem ceperant, diſtrahehantque. Canes eos & iuuenes vr- E
gebant. Illi laniata tauri pelle, viſcera & atrum ſanguinem deuorabant. Paſtores contrà prope-
Eurypili ſcutum. rè canes emittebant, qui à leonibus ad eſcam conuerſi latrabant. Q. Calaber Homeri ſimia in ſcu-
to Eurypuli inter alia ab artifice ſculptum fuiſſe tradit, indefeſſum Augiæ ſtabulum, quod Hercu-
les iuxta profundum Alphei fluxum purgauerat: adhæc taurum igniuorum, qui quamuis eſſet in-
uictus, flexit tamen (inquit) validum cornu, porro circa illum duo indefeſſi vituli impetum ſuſti-
nentes porrigebantur; at hic viſus eſt mugitum emittere. In ſignis verò militaribus Romanorum
inter cæteras effigies quoque erat Minotauri, ſed quæ, vt ſcribit Pierius Valerianus, tunc extolleba-
tur, cùm ſecretò & tacitè rem gerendam admonebantur: oſtendebat enim (inquit) hieroglyphicum
Minotaurus cur in ſignis Romanor. id, conſilia ducum non minus occulta eſſe debere, quàm fuerit Minotauri ſedes, quippe labyrin-
thus. Vlyſſes, ne ad bellum Troianum raperetur, ſtultitiam ſimulans, araturus bouem, cum equo
iungebat. Hunc ita pinxit Euphranor Iſthmius, vt teſtatur Plinius, huius nobiliſſimi pictoris labo-
Lib. 35. cap. 11. res recenſens. *Nobiles eius tabulæ* (inquit) *Vlixes ſimulata veſania bouem cum equo iungens &c.*
Dionyſius vero, vt ibidem tradit, pinxit Hippolytum emiſſo tauro expaueſcentem: item Europen
tauro inſidentem, etſi hoc non addat Plinius, nam in eam picturam iocari videtur epigramma- F
tarius:

Lib. 14. 180.

Mutari melius tauro pater optimè diuum
Tunc poteras, Io cum tibi vacca fuit.

Argutè inquit poeta (inquit Domitius Calderinus) tunc oportuiſſe Iouem mutari in taurum, cùm
Io, quam amabat, verſa eſt in vaccam, fefelliſſet enim cuſtodem, & iniſſet vaccam. Pauſia autem
teſtante eodem Plinio ibidem, fecit & grandes tabulas, ſicut ſpectatam in Pompei porticibus, boũ
Bouis mira pictura. immolationem. Eam enim picturam primus (inquit) inuenit, quam poſtea imitati ſunt multi, æqua-
uit nemo. Ante omnia cùm longitudinem bouis oſtendere vellet, aduerſum eum pinxit, non tranſ-
uerſum: vnde & abundè intelligitur amplitudo: dein cùm omnes, quæ volunt eminentia videri,
candicantia faciant, coloremque condiant nigro: hic totum bouem atri coloris fecit, vmbræq; cor-
pus ex ipſa dedit, magna prorſus arte in æquo extantia oſtendens, & in confracto ſolida omnia (In
manuſcripto codice legitur, ex ipſo dedit, quod magna prorſus arte in æquo egit extundente, &
confringente omnia.) Sicyone & hic vitam egit, diuque fuit illa patria picturæ. Tabulas deinde
in publico omnes propter æs alienum ciuitatis addictas, Scauri ædilitas Romam tranſtulit. G

S I M V L A C R A.

Iouis tauro inſidētis ſtatua.

IVPITER, de quo iam diximus, tauri forma Europam ferens hodieque inter alias
ſtatuas antiquas oſtenditur, vt memini in opere de ſtatuis, quod vernaculo ſermo-
ne conſcriptum adoleſcens edidi. Polemon Hiſtoricus in libro de depoſitis in La-
Lib. 14. cap. 11. cedæmone ærei cuiuſdam bouis meminit his verbis, vt citat Athenęus: Amicę Cot-
tinæ imago, ob cuius apparitionem domicilium quoddam nunc etiam colli maxi-
Bos æneus. mè propinquum nuncupatur, vbi Dionyſij templum conſpicitur, quæ cum pluribus
eorum quæ ſunt in ciuitate, eſt cognita. Eſt autem ipſius depoſitum ſupra æreum quendam bouem
Boues lauacrum ſuſtinentes. Chalciæcæ Mineruæ imago. Salamon ante fores templi ſui ad abluendas ingredientium manus
lauacrum aheneum fecit, quod duodecim boues ſuſtinebant, qui quidem per diuerſas partes atten-
debant, ſed in vno loco per poſteriora colligebantur, de quorum myſtico ſenſu ſuo loco. Fuit verò H
Lib. 13. in Pyrene ænea bos referente eodem Athenæo, tam affabrè facta, vt taurus viuam arbitratus, eam
In Achaicis. iniret. In fano Apollinis in Olympia dedicato, nudum dei fuiſſe ſignum Pauſanias ſcribit, pedi-
bus tantùm calceatis, quorum altero bouis caluæ inſiſtit. Arbitratur autem Pauſanias hoc figmen-
In Eliacis. to reſpexiſſe fictorem, quod Apollo, vt ex eodem recitauimus, bobus delectaretur. Apud Eleos re-
Corcyræi cur bouē in Olympia dedicarint. ferente eodem binæ fuerunt ex ære boues, quarum alteram Corcyræi, alteram Eretrienſes dedica-
runt. Vtraque Eretrienſis Phileſij opus. Quamobrem verò Corcyræi bouem in Olympia vnam,
& vnam ita Delphis dedicarint, cùm ad Phocenſium res peruenerit hiſtoria, exponemus. Aterim
quod de Olympica eorum boue me audire memini, id nempe eſt: Paruulum puerum cum ſub ea
boue ſedens pronus, ſublatum temerè caput tam vehementer æri impegiſſe, vt ex eo vulnere non ita
multis poſt diebus è vita exceſſerit. Elæi bouem cædis ream extra Altin exportare in animo habe-
bant: ſed Apollinis Delphici oraculo moniti ſunt, vt bouem eo ritu expiarent, quo ſolent Græci in-
conſultæ cædis fraudem eluere. De alio eorundem Corcyræorum dono, quod Delphis dedicarũt,
In Phocicis. " aliàs idem Pauſanias ſcribit in hæc verba. Sacram ingreſſis aream taurus ex ære præ oculis eſt,
" Theopropi Aeginetæ opus, Corcyræorum donum. Proditum memoriæ eſt Corcyræ aliquando
a lijs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A alijs bobus relictis, taurum è pastu redeuntem, contra pelagus mugitus edidisse: cumque per totum
" diem illic constitisset, bubulcum ad mare descendisse: conspexisse verò infinitum prope thunnorum
" numerum, quod cùm indicasset Corcyræis, illi (quod thunnos capere, operam luserant) sciscitatum
" Delphos misere. Ex Apollinis verò responso taurum Neptuno mactant, confectoque mox sacro pi-
" sces capiunt. Donum è decima prædæ in Olympiam & Delphos mittunt. Tradit rursus ibidem
" Carystios ex Eubœa & ipsos bouem æneum Apollini statuisse de Persica victoria. Boues quidem *Carystiorũ bos æneus.*
ideo dedicasse (& Platæenses) quòd barbaris è Græcia expulsis & alias fortunas incolumes habue-
rint, & libero solo terram arare potuerint. Apud Atticos Thesei conspiciebatur pugna contra eum
qui est Minois taurus appellatus, siue (inquit idem Pausanias) is homo, siue monstrum (quod iam
fama obtinuit) fuerit. Est & taurus ibi Areopagitarum donum. Apud Argiuos fuisse quoque ait
longè omnium templorum nobilissimum Apollinis Licij, in quo Bitonis fuerit statua, vir humeris *Bitonis statua.*
taurum portans. Versibus enim Lyceam testatum reliquisse, cum pompa Nemeorum Ioui ab Ar-
giuis traduceretur, Bitonem eo fuisse corporis robore, vt sublatum taurum portaret. Quomodo
autem Danaus Argiuorum imperio potitus sit cùm lupus taurum confecisset, in augurijs dictum
B est. Pierius ait hanc pugnam in Argiuorum foro ex ære fabrefactam fuisse, quod & nos memini-
mus, vbi de Pyrrhi morte. Huius tamen simulacri Pausanias non meminit. De aheno bouis capite
antiquissimi operis scitè & venustè facto, quod apud Petrum Melinum Romæ vidit, ex eodem Pie-
rio diximus paulo antè in hieroglyphicis. Zetus & Amphion ac Dirce & taurus, vinculumque ex
eodem lapide, Pamphili Praxitelis discipuli opus celebrat Plinius. In Aegina ingẽs erat bos ęneus, *Lib. 35. c. 5.*
quem seruare prouerbio dicebantur exulatum eò missi, vt in prouerbijs dicetur: vbi & de hoc *bos in
ciuitate*, quod in vulgi iocum cessit. Lysias enim bouis æream imaginem in arce collocauerat
Athenis, cùm in agris boum vsus sit. Effertur & aliud adagium de lapideo boue: *Athos celat latera
Lemniæ bouis*. Tradunt etenim ea in insula bouis fuisse simulacrum ingens candido factum lapide: *Bos lapideus.*
id verò ab Atho Thracię monte quamuis longè dissito interuallo, tamen ob summam celsitudinem
obscurare vmbra sua: cuius rei meminit Plutarchus in opere de facie in orbe Lunæ his verbis: *In
Lemno neutrum nostrum fuisse, liquido noui: tamen ambo peruulgatum hoc iambicum sæpe audiui-
mus: Athos adumbrat terga Lemniæ bouis*. Incidit enim, vt consentaneum est, montis vmbræ bu- *Athos æneã bouem adũbrat.*
C culæ æneæ, per mare in longum porrecta haud paucioribus ɪↄ cc. stadijs. Obumbrandi altitudinem
esse in causa, quod multipliciter excedentia quantitatem corporum interuallo vmbram faciant.
Atabyrim verò montem Siciliæ citat ex Timæo Pindari Scholiastes, addẽs in eo boues ænæas fuis- *Atabyris mons.*
se qui mugirent, quoties iniquè ibi quicquam fierent. Hoc annotauit Gyraldus, vt citat Abraha-
mus Ortelius in suo thesauro geographico. Atqui Io. Tzetzes, Rhodius (inquit) est mons nomine *Syntag. 2. deorum.*
Atabyrius, ęreas olim habens boues, quæ mugitum emittebant, cum immineret Rhodo periculum:
Citat verò etiam Pindarum & Callimachum. Myronem teste Plinio ænea maximè nobilitauit bu- *Myronis bucula.*
cula, celebratis versibus laudata, quando aliena (inquit) plerique ingenio magis quàm suo commẽ-
dantur: Ait autem celeberrimum fuisse statuarium Eleuthris natum & Ageladis discipulum, Sy- *Lib. 34. 8.*
racusanum, atque Aeginetico ære vsum esse. In quam buculam in Anthologio Græcorum epigrã- *Lib. 4. sect. 7.*
matum disticha sunt elegiaca vnum & triginta diuersorum poetarum, tetrasticha quatuor: Sexasti-
chon Iambicum vnum. In eandem apud Ausonium epigrammata vndecim legimus, quæ partim
propter elegantiam; partim quod miram artificis artẽ indicent hic adscribã: Primum itaq; tale est:

Bucula sum cælo genitoris facta Myronis
D *Aerea: nec factam me puto, sed genitam.*
Sic me taurus init: sic proxima bucula mugit,
Sic vitulus sitiens vbera nostra petit,
Miraris quòd fallo gregem? gregis ipse magister
Inter pascentes me numerare solet. Alterum. Bucula loquitur:
Vbera quid pulsas frigentia matris ahenæ
O vitule: & succum lactis ab ære petis?
Hunc quoque præstarem: si me pro parte parasset
Exteriore Myron, interiore deus.

Tertio Dædalum alloquitur, qui Pasiphaæ taurum fabricauit ligneum, vt suo loco dicetur.

Dædale cur vana consumis in arte laborem?
Me potius clausæ subijce Pasiphaæ
Illecebras veræ si vis dare Dædale vaccæ:
Viua tibi species vacca Myronis erit.

Quartum secundo congruit,

Errasti, attendens hæc ilia nostra iuuenca,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Non manus artificis lac dedit vberibus.

In quinto bucula bubulcum hortatur, ne propius accedens, ipſam exagitet.

Paſce greges procul hinc, ne, quæſo bubulce, Myronis
Aes, veluti ſpirans cum bobus exagites.

Sextum eiuſdem eſt cum primo ſenſus.

Me vitulus cernens immugiet: irruet in me
Taurus amans: paſtor cum grege mittet agens.

Septimo redditur ratio, cur vocalis eſſe noluerit hæc bucula.

Aerea mugitum poterat dare vacca Myronis:
Sed timet artificis deterere ingenium:
Fingere nam ſimilem viuæ, quàm viuere plus eſt,
Nec ſunt facta dei mira, ſed artificis.

Oſtenditur verò octauo nihil præter vitam deeſſe.

Aerea bos ſteteram, mactata eſt vacca Mineruæ,
Sed dea proſtratam tranſtulit huc animam.
Et modo ſum duplex, pars ærea, pars animata
Hæc manus artificis dicitur, illa deæ.

Nonum rurſus cum tertio conuenit:

Quid me taure paras, ſpecie deceptus, inire?
Non ſum ego Minoæ machina Paſiphaæ

Decimi, & vndecimi verſus iambici ſunt, & eiuſdem penè ſenſus.

Nec dum caduco Sole iam ſub veſpere,
Ageret iuuencas cùm domum paſtor ſuas;
Suam relinquens, me minabat, vt ſuam.

Vndecimum.

Vnam iuuencam paſtor fortè amiſerat,
Numerumque iuſſus reddere,
Me defuiſſe conquerebatur: ſequi
Quæ noluiſſem cæteras.

Lib. 1. Epiſt. 24. Meminit huius eiuſdem æreæ buculæ Symmachus in Epiſtola ad eundem Auſonium his verbis: *Licet alienas ſpectare virtutes: nam & Phidiæ Olympium Iouem & Myronis buculam hominum pars magna mirata eſt.* Meminit & Propertius:

Atque aram circum ſteterant armenta Myronis
Quatuor artificis inuida ſigna, boues.

Menæchi vitulus. Lib. 34. c. 8. Menæchmus vitulum fecit, vt Plinius teſtatur, qui genu premebatur, replicata ceruice. Romæ in foro boario bos erat æneus ex ære Aeginetico, licet conſtet æs non gignere, vt inquit idem Plinius: ſed ea inſula temperatura officinarum ita nobilitata eſt, vt bos æneus inde factus in foro boario fuerit, qui (vt idem tradit) Aeginetici æris exemplar fuit. Mentio huius bouis eſt apud Ouidium *Lib. 6.* in Faſtis:

Pontibus & magno iuncta eſt celeberrima Circo
Area quæ poſito de boue nomen habet.

Bos aureus. Minutius cur boue aureo donatus. Phalaridis tyranni bos æneus. De aureo verò boue apud Liuium legimus hæc: L. Minutius decemuir præfectus annonæ creatus, quòd Melium ob diſtributum plebi frumentum, regnum affectare indicaſſet, moxque ipſo à magiſtro equitum interfecto, frumentum Melianum in modios æſtimatum plebi diuidiſſet, aureo boue extra portam trigeſimam donatus eſt à Senatu, & dictatore. Peruetus (inquit Sabellicus) eſt fama & opinio ab omnibus recepta, nullum tyrannidem crudelius Phalaride exercuiſſe, quippe qui exquiſitiſſimis non contentus ſupplicijs æneo vſus eſt tauro, quo miſeri mortales incluſi mugitus ædere viderentur, cùm medio cruciatu ingemiſcerent. In quo illud minus crudeliter fecit, quod tam monſtruoſæ machinæ artificem omnium primum inuento affecit ſupplicio. De eodem Paulus Oroſius ita ſcribit: Ea tempeſtate Phalaris Siculus Agrigentinus arrepta tyranni depopulabatur, qui crudelis mente commentis crudelior, omnia nefarie in innocentes agens, inuenit aliquando quem iuſtè puniret iniuſtus. Nam Perillus quidam æris opifex affectans tyranni amicitiam, aptum manus crudelitati illius ratus, taurum æneum fecit, cui fabrè ianuam è latere compoſuit, quæ ad contrudendos damnatos receptui foret: vt concluſis idem ſubiectis ignibus torrerentur, ſonum vocis extortæ capacitas concaui æris augeret, pulſuque ferali competens imagini emitteret, nefarioque ſpectaculo; mugitus pecudis, non hominis videretur (ne ſcilicet ſi humana vox ederetur, tyrannum ad miſericordiam concitaret,) ſed Phalaris factum amplexus authorem excecratus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cratus, & vltionem materiæ præbuit, & crudelitati. Nam ipsum opificem sua inuentione puniuit. Describit & Ouidius idem inuentum, inuentique pœnam his versibus: *Lib. 3. Trist. 11.*

Sæuior es tristi Busiride, sæuior illo
Qui falsum lento torruit igne bouem.
Quique bouem Siculo fertur donasse tyranno,
Et dictis artes conciliasse suas,
Munere in hoc rex est vsus, sed imagine maior
Nec sola est operis forma probanda mei.
Aspicis à tergo latus hoc adapartile tauri?
Hac tibi, quem perdes, conijciendus erit.
Protinus inclusum lentis carbonibus vre,
Mugiet, & veri vox erit illa bouis.
Pro quibus inuentis, vt munus munere penses
Da precor ingenio præmia digna meo.
B *Dixerat. At Phalaris, pœnæ mirande repertor*
Ipse tuum præsens imbue, dixit, opus.
Nec mora monstratis crudeliter ignibus vstus
Exhibuit geminos ore gemente sonos.

Inquit, & alias idem poeta: *Lib. 1. de arte.*

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit author opus.
Iustus vterque fuit; neque enim lex iustior vlla est,
Quàm necis artifices arte perire sua.

Meminit eiusdem simulachri, si ita vocari potest æneus iste bos tam crudeli hominum neci destinatus, Silius:

Cuius celata gerebat
Taurum parma trucem pœnæ monumenta vetustæ
Ille vbi torreret subiectis corpora flammis
C *Mutabat gemitus mugitibus, arctaque veras*
Credere erat stabulis armenta effundere voces:
Haud impune quidem: nam diræ conditor artis
Ipse suo moriens immugit flebile tauro.

Claudianus elegantissimè quoque ostendit, iustum esse, vt quilibet crudelioris inuenti ipse pœnas luat: *Lib. 9.*

Quàm bene (inquit) *dispositum terris? vt dignus iniqui*
Fructus consilij primis authoribus instet.
Sic multos fluuio vates arente per annos
Hospite qui cæso monuit placare tonantem
Inuentas primum Busiridis imbuit aras,
Et cecidit sæui quo dixerat hostia sacri.
Sic opifex tauri tormentorumque repertor
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori,
D *Primus inexpertum Siculo cogente tyranno*
Sensit opus, docuitque suum mugire iuuencum.

Rectè itaque Plinius inquit: *Perillum nemo laudat sæuiorem Phalaride tyranno, qui taurum fecit, mugitus hominis pollicitus igne subdito, & primus eum expertus cruciatum iustiore sæuitio. In hoc à simulacris deum hominumque deuocauerat humanissimam artem. Ideòne vt conditores eius elaborauerant, vt ex ea tormenta fierent? Itaque vna de causa seruantur opera eius, vt quisquis illa videat, oderit manus.* Ipse verò Phalaris apud Lucianum, qui duo de eo volumina conscripsit, de hoc tauro sic loquitur. Erat quidam Perilaus nostratis gentis homo, egregius quidem & ingeniosus artifex: cæterùm natura malus & improbus. Ille tota via cùm a sententia mea aberrasset, putauit se mihi rem admodum gratam facturum, si nouum quoddam supplicij genus excogitasset, quasi prę omnibus rebus præcipuam in sumendis supplicijs voluptatem cupientissimè caperem. Iam verò boue fabricato, ad me venit, ferens illum, aspectu sanè pulcherrimum, atq; accuratissimè ad veri bouis imaginem expressum: Tantum illi motus, & mugitus deerant, quò minus viuus esse putarẽt. Viso autem illo, statim exclamabã: Dignum munus Pythio mittendus est hic taurus Apollini. Porrò Perilaus assistens. Quid si, inquit, sapientiam, quę in illo est, perdisceres, ac vsum, cui prębẽdo for- *Lib. 34. cap. 10.*

matus eſt? Et iam dicto, taurum per dorſum aperit: ſi quem, inquit, cruciatibus torquere volueris, coniecto illo in machinam, ac dorſo iterum incluſo, haſce tibias naribus bouis admotas accommoda: ac ille quidem incluſus plorabit, vociferabiturq; inuſitatis ac ineffabilibus detentus doloribus; cæterum vociferatio per tibias cantum: tibi abſoluet ſtridulum, & lugubre quoddam modulabitur: quin etiam inſuper mugitus ciebit triſtiſſimos: ita vt ille inter modulandũ tormentis crucietur: tu verò ſingulari voluptate afficiaris. Porro ego his auditis crudelem machinam extremè auerſatus ſum, & immanem illam inſtrumenti indolem prorſus reſpui, conuenienſque, & debitum illi ſupplicium impoſui. Et age, inquam, ò Perilae, ne vana videatur eſſe tua promiſſio, ipſe nobis tu taurum ingreſſus, veram artis tuæ induſtriam comprobato, ac vociferantes imitare, vt certò cognoſcam, num ea quæ iactas carmina per tibias cantata exaudiantur. Perilaus nihil cunctatis his dictis promptè obtemperat. Ego autem poſtquam ingreſſus eſt, concluſo tauro, ignem iuſſi ſuccendere. Recipe, dixi, debitum arti tuæ tam admirandæ præmium, vt magiſter muſices, ipſe prius omnium canas. At ille enimuerò iuſtiſſima paſſus eſt, ſua ipſius excellenti fruens induſtria. Porrò autem ego viuentem, & adhuc ſemiuiuum ſpirantem iuſſi eximere, ne ſi immoreretur, nece ſua opus contaminatum impiaret: illum inhumatum per ſcopulos præcipitari imperaui. Taurum verò piaculis mundatum, deo dedicandum legaui, omnemq; de illo hiſtoriam iuſſi aſcribere, dedicantis mei nomen, Perilaum artificem illius, immanem ſententiam, meam in puniendis maleficis æquitatem, conueniens ſupplicium, primos artificis concentus & modulationes: præterea primam muſices experientiam. Hæc itaq; Lucianus. Baptiſta Campofulgoſus ſimillimi planè tauri fabricam Aruntio Paterculo tribuit. Aruntij Paterculi fabri (inquit) ferum atq; immane fuit ingenium. Aeneum enim taurum tanta conflauit arte, vt damnati, qui in eo includerentur, adhibito igne, cùm præ dolore gemerent, taurinos mugitus edere viderentur. Cùm autem Cenſorino Aegeſto tyranno in Sicilia dono dediſſet, iuſte, vt is primus inuenti ſui periculum faceret, à Cenſorino coactus eſt: quemadmodũ de perſimili tauro, fabrum ad experimentum ſimile Phalaris tyrannus coegit. Laudabilius multo fuit opus Mycerini Aegyptiorum regis opus, etſi ligneum. Hic enim referente Herodoto, cùm vellet filiam, cuius morte ſupra modum dolebat, excellentiori aliquo genere ſepelire, quàm cæteri, feciſſe ligneam bouem dicitur, quam cum inauraſſet, in ea filiam ſepeliſſe defunctam. Neque humi bos hæc condita eſt, ſed ad meam vſque memoriam in propatulo fuit in vrbe Sai apud regiam in conclaui quodam exornato poſita. Cui ſingulis diebus omnifarij odores inferuntur, noctibus autẽ perpetuò lucerna aſtat. Sunt qui de hac boue referunt, Mycerinum amore filiæ ſuæ captum vim ei intuliſſe, deinde illam cum præ mœrore ſe ſuſpendiſſet, patrem in hac boue ſepeliſſe: ſed hoc nugatorium putat Herodotus. Bos ipſa cùm cæterum corpus operta eſt, tum verò ceruicem & caput craſſo admodum auro; cuius inter media cornua circulus annexus eſt, Soli aſſimilatur. Neque ſtans eſt bos, ſed in genua cubans, magnitudine quanta eſt grandis vacca viua. Effertur autem è conclaui quotannis, & poſtquam Aegyptij verberarunt deum quendam, quem in tali negocio nõ puto mihi nominandum, tunc & bouem in lucem proferunt. Aiunt etiam eam oraſſe patrem Mycerinum, vt defuncta quotannis ſemel Solem intueretur.

Lib. 9. c. 2.
Taurus æneus Aruntij Paterculi.
Mycerini bos lignea.

NVMISMATA.

Lib. 12. Var. hiſt. c. 10.
Hecatomboon.
Synt. iur. p. 3. lib. 36. c. 2.

AEGINENSES, vt refert Aelianus, primùm inter vniuerſos Græcos numiſma percuſſerunt: qua in re pleriſque alijs ſcriptoribus aduerſatur. Plutarchus in primis, primũ nummum Athenis bouis figura Theſeum inſtituiſſe teſtatur, vel ob Marathonium taurum, vel ob memoriam ducis Minois, vel quòd ad agriculturam ciues prouocare vellet. A quo nummo, & nomen heatombœon, quod eſt centum boum, & decabœon, quod eſt decem boum factum Pet. Gregorius Tholoſanus non dubitare ſe profitetur, atque ita explicari ait ſententiam Homeri, vbi agit de permutatione armorum Diomedis & Glauci, cuius etiam (inquit) meminerunt Iuſtinianus, & Iulius Paulus:

Ἔνθ' αὖτε Γλαυκῷ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς
Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε,
Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. ideſt,

Homerus explicatus.

Tum verò Glauco mentem ademit Saturnius Iupiter
Qui cum Tytide Diomede arma permutauit.
Aurea aneis, valentia centum bœa, nouem bobus valentibus.

Explicat autem ea verba de moneta Athenienſium, non autem vt tot boues, arma valerent. Receditque à ſententia Pauli iuriſconſ. qui refert ea ad boues, animalia inquam. Miraturq; id neminem antea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A antea obseruasse, etsi de emendatione loci illius in pandectis cogitauerint (inquit) Alciatus, Ioan.
Baptista Pius, Budæus, Angelus Politianus secuti etiam Plinium, qui hoc putat quoque verum. *Lib. 31. c.*
Hoc etiam doceri ait ex alio loco eiusdem poetæ, vbi sic facit filium Priami Achilli loquentem: *cap. 1.*

Καί μ' ἐπέρασσας ἀνεύθεν ἄγων πατρὸς τε φίλωντε, *Iliad. Φ.*
Λῆμνον ἐσ' ἠγαθέην. ἑκατόμβοιον δέ τοι ἦλφον.
Νῦν δὲ λύμην τρίς τόσσα πόρων. idest,
Et me vendidisti procul, abducens a patre & amicis
Lemnum (scilicet insulam) *in claram: centum autem boum pretium tibi inueni:*
Nunc verò redimerer, ter tantum dans.

Vbi Scholiastes communis, in verbum ἑκατόμβοιον, sic scribit: legitimum & iustum pretium cen- *Hecatom-*
tũ boum. Antiqui antequam nouissent numismata, permutationes seu cõmertia faciebant, quadru- *bœon.*
pedibus, vnde postea adinuentis numismatibus, bouem in ipsis impresserunt, indicantes antiquum *Decabœon.*
moré. Est & prouerbium, *Bos in lingua*, idest, numisma: adaptatur enim hæc parœmia in Rhetores, *Bos in lin-*
qui pecunias accipiebant, ne accusarent aliquem, sed silerent. Lucianus: τὸ μὴ ἁλῶναι τὴν πόλιν *gua.*
ἐπρίατο παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς βοῶν δώδεκα, idest, *à Minerua emit, ne vrbs caperetur, duodecim bobus.* Iu- *Lib. de sa-*
B lius Pollux etiam scribit, olim apud Athenienses numismatis genus à sculptura vulgò bouem di- *crific.*
ctum. Vulgò autem dici, nouisse & hoc Homerum, dicentem Hecatombæa ennea boeon: atque in *Lib. 9.*
legibus Draconis licere inuenire decabœon. Et in spectaculo apud Delios, si cui munus dandũ erat,
præconem pronunciare solitum, tot boues illi donandos esse: bouem autẽ valuisse duabus drachmis
Atticis: vnde fuisse qui crederent hoc numisma Deliorum fuisse proprium, non Atheniensium. Ha-
ctenus ex Tolosano. Notandum autẽ apud Pollucem pro ἑκατόμβοι corruptè legi ἑκατόμβη, quod *Pollux cor-*
non aduertens Cælius Rhodoginus, nouem boũ hecatomben exponit, ignorans locũ hunc esse Ho- *ruptus.*
meri de armorum Glauci & Diomedis permutatione. Homeri Scholiastes scribit priscos in altera
parte numismatis bouem, in altera faciẽ regiam insculpsisse. Gesnerus conijcit eius pretij hunc nu-
mum fuisse, quo tum temporis boues singuli veniebant: ideoq; non æreum neq; argenteum, sed au-
reum fuisse colligit, eiusq; sententię testimonium citat Etymologi, qui aureos quosdam numos bo-
ues appellatos refert in Hecatombe: in cuius quoq; vocis mentione, hæc etiam scribit, βόїον alij põ-
deris nomen, alij pretium bouis interpretantur, alij didrachmum nũmum boue insignitum, alij pe-
dem. Hinc nimirum formata composita ἑκατόμβοιον, ἐννεάβοιον, & reliqua huius terminationis.
C Iam cùm Pollux scribat, didrachmum eum fuisse Athenis, idest, duas drachmas appendisse (quan-
quam de vtro metallo sentiat, non expresserit, magisque de argento (inquit) quàm auro sentire vi-
deatur, quod tamen bouis pretio minimè conuenit) ex ipso de pondere saltem, ex Etymologo au-
tem & re ipsa de metallo constare ait. Nam quod didrachmus nummus non argenteus solùm, sed
etiam aureus fuerit, cùm alij, tum Robertus Cenalis Episcopus Abrincensis vir in hoc argumento
exercitatissimus, pluribus veterum testimonijs approbant. Valet autem (inquit Robertus) drachma
auri sescunciam argenti, hoc est drachmas duodecim argenteas, quæ Gallico numismate æstiman-
dæ sunt libris Turonicis duabus & solidis totidem. Nunc autem vrgente auri inopia, vel hominum,
seu temporum iniquitate, scutum coronatũ ea æstimatione permutatur, pauloque amplius. Et rur-
sus alibi, triplicem olim aureum fuisse solidum docet, vnum drachmalem, alterum didrachmalem, *Sextula.*
tertium sextularem, est autem sextula, vnciæ sexta pars. His confirmatis: Aureus iste didrachmalis
(inquit) æquabat põdere Philippeum nummum, qui olim apud nos erat: cui successit apud Anglos
nummus Odoardeus, seu Nobilis ad rosam: nec obstat quod hodie pluris æstimetur. Cur autem bos *Bos nũmus*
dictus sit nummus, triplex mihi ratio reddi posse videtur, vna ab effigie, altera ab æquali pretio, & *cur dictus.*
D tertia fortè à magnitudine nummi, quod is inter aureos maximus fuerit. Huiusmodi igitur bouem
nummum olim fuisse, nec amplius etiam bouis communis pretium hucusque dixerim. Hæc itaque
Gesnerus. Romani Athenienses fortassis imitati nummos suos bouis quoq; aliorumque pecorum
imagine decorarunt. Plinius Seruio regi eos tribuit his verbis: *Seruius rex ouium boumq; effigie pri-* *Lib. 18. c. 3.*
mus æs signauit. Hinc pecunia dicta, quod pecudes signatas haberet, quædam bouem. Hunc puto numũ *Numus Ro-*
intelligit Plautus: *Boues bini hic sunt in crumena*, nisi dicamus pretiũ intelligi, quo bini boues emã- *manus.*
tur; nam post subiungit: *Argentum hic est, quod me dudum rogasti: &, Dominus me boues mercatũ Ere-* *In Persa.*
triam misit. Prior tamẽ expositio magis placet. Quid.n. attinuisset, vt à cornu cauẽdum esse diceret?
Cur modo in Seleuci regis nummis quibusdã taurus, quibusdã cornua duntaxat spectẽtur, alia pla- *Seleuci nũ-*
nè ratio est, quippe quòd is Alexandro sacrificaturo syluestrẽ taurũ è vinculis elapsum ambabus te- *mus.*
nuit manibus. Fuluius Vrsinus inter nũmos Iulię familię, vnum depingit, qui ab vna parte Iulij Cę- *Cæsaris.*
saris caput ostendit laurea corolla redimitũ, & retro id laureum ramum, ante verò caduceũ: ab alte-
ra parte taurum ad cursum concitatũ atq; furentem, cum his literis: L. LIVINEIVS REGVLVS.
Quẽ denarium Vrsinus ipse cusum ab eo Liuinello arbitratur post Cęsaris mortẽ, duobus adductus

argumentis, primùm quia lauri ramus imaginis occipitio adiectus eſt, quem Auguſto miſſum è cęlo fuiſſe tradit Plinius: (quamuis Dio non Auguſto ſed Liuiæ, nec de cælo ſed ab aue in eius ſinum iniectum dicat,) deinde quia hic idem Liuineius ſub C. Cęſare Triumuiro R.P.C. cudendæ monetæ præfuit, vt ex Auguſti denario, in quo Liuineij ipſius nomen inſcriptum, eſt colligi poteſt. Quonam verò qui altera parte expreſſus eſt, taurus pertineat, à multis quidem quæſitum eſſe ait: nihil tamen à quoquam, quod magnopere probandum ſit, in medium prolatum adhuc eſſe: Ipſe autem opinatur tauri huius imagine ſpectaculum à Cæſare dictatore anno DCCVIII. ipſo, & Lepido Coſſ. editum ſignificari: de quo his verbis meminit Plinius: *Theſſalorum inuentum eſt, equo iuxtà quadrupedante cornu intorta ceruice tauros necare. Primus id ſpectaculum dedit Romæ Cæſar Dictator &c.* Eo autem anno quo Cæſar ludos fecit, L. Liuineium, cùm Aedilis curulis eſſet, vt ex eius denarijs in Liuineia familia notatis colligitur, his ludis præfuiſſe credendum eſt. Liuineium verò Aedilis filium, vt ſpectaculum magnificentiſſimum celebraret, in quo nouæ taurorum venationes exhibitæ fuiſſent, patriſque ędilitium honorem illuſtraret, non huuc modo denarium, ſed alterum etiam qui eſt inter Liuineiæ familiæ denarios impreſſus, in quo Cæſaris hæc venatio, & paternæ ædilitatis monumenta expreſſa ſunt, cudiſſe veriſimile eſt. Hæc Vrſinus, eam tamen venationem non exprimens, ſed de Voconia familia agens, duos C. Cæſaris dinarios exhibet, vtrumque ab vna parte Cæſaris effigiem, ab altera vitulum exprimentem. Prior ea parte qua Cæſaris eſt imago, cætera nudus eſt: altera verò parte qua vitulus, ſupra vitulum, ſcriptum eſt: Q. VOCONIVS. Ad latera S. C. Infrà: VITVLVS Q. DESIGN. Altero retrò effigiem Cæſaris expreſſus videtur lituus, antè verò ſcriptum eſt. DIVI. IVLI. Supra verò vitulum Q. VOCONIVS. Infra, VITVLVS. Priorem nummum quoque ſuo operi inſeruit Antonius Auguſtinus, nec non & Aeneas Vicus, Vrſinus ait in antiquis denarijs vnam tantum Vitulorum familiam reperiri, & ad hoc cognomen reſpexiſſe videri Q. Vocomium eum qui monetam cuſit, cum in altera denariorum parte vitulum ſignauit. Inter denarios Auguſti Cæſaris vnum oſtendit Sebaſtianus Eritius, in quo ab vno latere effigies eſt Auguſti iam maturæ ætatis cum inſcriptione tali . . . AVG. GER. IMP. ab altero boum iugum, non autem vt ille credit, bini tauri, ſed taurus & vacca qui à viro quodam impelluntur. Taurus enim & vacca coloniarum erant ſymbolum. Inſcriptum eſt ab hoc latere COL. IVL. AVG. Auguſtum colonias conduxiſſe, Suetonius his verbis teſtatur: *Ad hunc modum vrbe, vrbaniſque rebus adminiſtratis: Italiam duo de triginta coloniarum numero deductarum ab ſe refrequentauit; operibus ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxit, etiam iure ac dignatione vrbi quodammodo pro parte aliqua adæquauit, cogitato iure ſuffragiorum, quæ de magiſtratibus vrbicis decuriones colonici in ſuam quiſque coloniam ferrent: & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent.* Addit idem Eritius reperiri alium eiuſdem argumenti numum, cum effigie Cereri, & inſcriptione CASSI. Pingit alium eiuſdem Auguſti nummum argenteum, in quo ab vna parte Imperatoris eſt effigies cõſiſtentis ætatis cum literis: CAESAR. ab altera taurus, cum inſcriptione, AVGVSTVS. Arbitratur autem in honorem Auguſti excuſum hunc fuiſſe denarium, quod Taurilios celebraſſet, de quibus ſuo loco. Adducit interim præterea ſententiam Clementis Teuenini, in hoc argumento verſatiſſimi, cui non alienum videbatur à vero, tauri hic exprimi imaginem, quia denarius ipſe forte cuſus fuerit à Statilio Tauro, qui huic negocio aliquando præfuit. Pingit & alium Auguſti denarium, in quo is iuuenili ætate exprimitur, cum inſcriptione: AVGVSTVS. DIVI F. Ab alia parte pictus eſt taurus cornupeta, velut in aliquem impetum facturus, ſub quo ſcriptum eſt: IMP. X. Arbitratur & hunc numum ab eodem triumuiro, monetarumque præfecto Statilio Tauro factum. Antonius Auguſtinus alium oſtendit nummum Auguſti, qui ab vna parte expreſſam habet eius effigiem cum literis: AVGVSTVS DIVI F. ab altera taurum ſuprà quem ſcriptum eſt. L. BACCI. Infrà MV. FESTO. Retrò taurum C. VI. CEL. Antè II. VIR. Habet & ſimiles nummos quinque alios. In quorum priore ab vna parte, vbi effigies eſt Auguſti, talis eſt inſcriptio: AVGVSTVS DIVI. F. ab alia parte ſupra tauri dorſum, MVN. ſub pedibus ERGAVICA. alter ab vna parte eandem habet effigiem & inſcriptionem: ab altera verò à tergo, & ſupra taurum ſcriptum eſt L. BAB. PRISCO. ante pectus, II. VIR. ſub pedibus C. GRAV. BROC. Supsa tauri dorſum in tertio denario inſcriptio legitur II. VIR. ITER. ſub pedibus. M. PITAE TRAV. Q. VRSO. Quarto Laurea corona totam Auguſti effigiem ambit, & à lateribus ſcriptum eſt, ſiniſtro CAESAR. Dextro, AVGVSTVS. ab altera numi parte, ſub ipſo tauro ſcriptum eſt, MVN. CAIAG. IVL. Quintus ac poſtremus non Auguſti eſt, ſed Tiberij, nam inſcriptio eſt: TI. CAESAR DIVI AVG. F. eius effigies laureata eſt. Supra bouem ab alio latere literæ ſunt, MVNIC. Infrà ſub pedibus. CASCANTVM. Exhibet idem Antonius iuga boum quibus Romanorum coloniæ ſignificantur, quatuor. In quorũ primo laureati Auguſti imago eſt, & ab alio latere, vbi boues, ſuprà eſt ſcriptum: COL. CAESAREA. Infra II. VIR. & mox. C. SABINO. P. VARO. alteri inſcriptum eſt, TI. CAESAR. DIVI.

AVGV-

Lib. 15. cap. vlt.

Lib. 8. c. 45.

Denarius Auguſti.

E F G H

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A AVGVSTI. F. AVGVSTVS. ſupra boues ab alia parte. C. CA. Infra II. VIR. à latere M. CA-
TO. LVETTIACVS. Tertium rurſus Augusti eſt, habetque ſimplicem inſcriptionem, AVGV-
STVS. ſub bobus verò ſcriptum eſt: COL. IVL.VAL. Poſtremus cum eadē Auguſti imagine, &
nomine, ab altero latere ſub pedibus tauri literas habet, AVGVSTA: ſuprà verò. COL. AST. Ha-
bet item numiſma Tiberij Cæſaris, in quo taurus ab vna parte inter cornua ceu X. literā, ſed intra
clauſam continet, & ſuprà inſcriptum habet, MVNICIP. Infrà GRACCVR. Pinxit & in alio nu-
mo eundem taurum, ſed ſine vlla inſcriptione, vlliſue literis, habet verò nummus iſte ab alia parte
aram, vel tale quid, cui arbuſtum inſiſtit, cupreſſo ſimile: cum literis C. V.T.T. Videre item eſt bo-
ues iunctos in numo Veſpaſiani, & alios ſimiliter iugatos in C. Marij C. T. numo: in quibus aratio- *Veſpaſiani*
nis partes procuratas, & rei frumentariæ commoda declarari Plerius credit, mihi prior ſententia *numus.*
magis placet, nam & in Seueri nummo quodam æreo coloniarum ſymbolum eſt; depingitur num-
mus iſte ab Eritio. Inſcriptio eius ab vno latere: IMP.CAES.M.AVR.SEV. ALEXANDER. ab
alio latere ſub bobus: COL.POSTR. Circumcirca: M.TR.A.ANDRIANAE. ſuſpicatur non Ro-
mæ, ſed ab aliqua Colonia cuſum eſſe iſtiuſmodi denarium, honoris cauſa, quod & de illis dicendū
B eſt, quos ex Auguſtino recenſuimus; Eiuſdemque argumenti eſt alter in Commodi gratiam excu-
ſus, in quo ab vna parte inſcriptum eſt: M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P.P. ab altera *Commodi.*
parte, à boum lateribus, S.C. Infra. COS. VI. ſupra. COLL.ANCOM.P.M.TR.P.XV.IMP.VIN.
Græcia in honorem Claudij æreum fecit numum cum inſcriptione ΤΙ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣΑΡ. qui ab *Claudij.*
alia parte effigiem habet tauri cornupetæ, cum inſcriptione ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ideſt, Imperator. Suſpi-
catur tamen Eritius, ad ludos tauricos referendum eſſe. Exhibet item æreum numiſma Antinoi, *Antinoi nu*
quod ab auerſa parte tauri habet effigiem, & vtrobique literæ ſunt, ſed quæ prorſus corroſæ legi nō *mus.*
poſſunt. Factum ait à Græciæ aliqua ciuitate honorandi Antinoum cauſa, alludente videlicet hu-
ius animantis icone ad eius modeſtiam manſuetudinemque, cuius bos apud Aegyptios ſymbolum
(inquit) eſt hieroglyphicum. Quam manſuetis autem ipſe fuerit moribus, ex propria eius cogno-
ſcitur imagine. Ait autem reperiſſe ſe hunc eundem nummum eiuſdem Antinoi, cum bouis effi-
gie, in quo inſcriptiones optime erant expreſſæ, ſcriptum autem fuiſſe a latere, in quo ipſius Antinoi
facies: ANTINOOC. HRΩC. & ab alio latere CMYPHAIOIC. Videre etiam eſt apud eun-
dem Eritium aliud numiſma cum effigie ab vna parte Antonini Pij, & ab altera bigæ iunctas binas
C vaccas, quæ à muliere quadam ad curſum concitantur: Equorum enim more habenis reguntur. In-
ſcriptio eſt ab vna parte. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GER. ab altera: P. M. TR. *Antonini*
P.XVIII. IMP.III. COS.III. P.P. & S.C. Mulier illa Luna eſt, ſiue Diana. Gordiani denarius ab *Pij.*
eodem exhibetur, qui in auerſa parte oſtendit mulierem ſtolatam vtraque manu veſtem ſuam *Gordiani.*
expandentem qua à latere ſiniſtro leo tegitur, à dextro taurus, cum his literis: P.M. S.COL.VIM.
ANTI. Factum ait hunc numum ab Antio vrbe Romanorum Colonia, quæ (inquit) mulieris illius
typo exprimitur, vti leo pro ipſa terra, (argumento quod Cybelæ ſacer eſt) taurus autem pro agri-
culturæ ſtudio. Habet denique alterius Gordiani numum, ſeu potius à Sardis in eius honorem
excuſum, in quo ab vna parte Gordianus ipſe iuuenili ætate expreſſus eſt; (ſimilem numum Licinij
Gallieni oſtendit Iacobus de Strada cum inſcriptione PNSCOLVIM. AN. XII.) cum inſcriptio-
ne: ΑΥΤ. Κ.Μ.ΑΝΤ.ΓΟΡΔΙΑΝΟC: ideſt Imperator, Cæſar M. Antonius Gordianus: ab alia par-
te corona (ipſe ciuicam eſſe ait, mihi laurea potius videtur) caput vaccinum & cornucopiam am-
bit. Circumcirca ſcriptum legitur: ΕΡΙ. ΡΟΥΦΕΙΝΟΥ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. Β. ΝΕΩΚΟΡ. . . .
ideſt, tempore Ruphini Sardianorum Necchori: iſtiuſmodi numiſma factum Eritius iudicat, cùm
D apud Sardianos templum aliquod ædificaretur, quandoquidem moris fuiſſe olim cōſtet, ex reci-
tanda mox Taciti authoritate, fundamenta nūmis roborare, quibus Imperator, iſque qui templi
præſes eſt, indicari ſolent. Verba Taciti ſunt: *Vndecimo Cal. Iulias ſerena luce ſpatium omne quod* *Lib. 20.*
templo dicabant, euinctum vittis, coroniſque ingreſſi milites, quibus fauſta omnia felicibus ramis, de- *Templorum*
in virgines Veſtales cum pueris, puelliſque, patrimis, matrimiſque, & quadrimis & fontibus, omni- *dedicatio.*
buſque hauſta pluere. Tum Heluidius Priſcus prætor præeunte Plauto Heliatio Pontifice, illuſtrata
boue tauriſque area, & ſecundum ceſpitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, præſideſq; im-
perij deos precatus, vti cœpta proſperarent, vittas quibus ligatus lapis innexique funes erant, contigit.
Simul cæteri magiſtratus, & ſacerdotes, & ſenatus, & eques, & magna pars populi ſtudio lætitiaque
connixi, ſaxum ingens traxere: paſſimque iniecta fundamentis argenti, aurique ſtipes & metallorum
primitia nullis fornacibus victæ, ſed vt gignuntur. Pingit item nummum alium Gordiani Iunio-
ris, in quo Hercules leonis corio veſtitus cum erecto tauro, quem cornu apprehenſum tenet, lucta-
tur, cum inſcriptione ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Iacobus de Strada alios tres oſtendit nummos,
in quibus vnum in quo ab vno latere figura bouis, altero Galli cernitur, ante quem cultri in vagina
poſiti ſunt. Prope eum velabrum infixum eſt, in quo hæc capita leguntur: LEO.III.GAL. Inſcri-
ptio eſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Iuliani numus. ptio eſt; CVLTV ROMAE. Infrà ſcriptum TRO. In numiſmatis Iuliani Apoſtatæ parte altera taurus conſpicitur,& ſupra eum duæ ſtellæ,ad pedes verò anteriores aquila cum inſcriptione: E
Maxentij. SECVRITAS REIP. Infrà: T. CONST. Depingit verò etiam hunc numum Antonius Auguſtinus. Numus à Decentio Magnentij fratre excuſus, argenteus, continet ex altera parte ſtatuam Herculis,nudam, exuuio leonis de collo pendente,taurum humeris efferentem,dextraque clauam
Antionum numus. gerentem,cum inſcriptione: VIRTVS AVGG. Infrà, PT. Reperiuntur modò aliarum etiam aliquot familiarum Romanarum nummi cum huius animantis effigie. Vrſinus enim inter Antiæ familiæ nummos vnum oſtendit, in quo tauri caput infula redimitum conſpicitur, cum ſubſcriptione. C. ANTIVS, & ab altera parte ara accenſa, cum literis RESTIO. Dubitari autem non poteſt,inquit Vrſinus, quin ad ſæculares ludos, quibus id animal ſacrificabatur,quibuſque ex Reſtio-
Caſſiorum. num familia, quindecem vir aliquis interfuerit, referendus ſit. Altero loco inter nummos Caſſiorum expreſſus eſt, in quo Cereris effigies eſt, & auerſa parte boues iuncti aratro, quorum ceruicibus malleus imminet,cui appicta eſt litera O. Infra ſub animantium pedibus ſcriptum eſt. L.CASSI.& altera parte à Cæreris latere CAEITIVS. Poteſt hic denarius, vt idem Vrſinus conijcit, ad legem Caſſiam frumentariam pertinere,latam in ipſo conſulatu à C.Caſſio Varo Coſ.cum M.Te- F
rentio Varrone Lucullo anno DCLXXX. cuius facit mentionem Aſconius in III. Verrina. Eius fortaſſe filius L. Caſſius à Cæitio, cuius ad Atticum meminit Cicero, adoptatus, & Cæitianus dictus, in patris memoriam denarium cum Cæreris imagine, quæ rei frumentariæ præeſt, ſignauit: niſi forte (inquit) coloniam aliquam earum,quæ à Cęſare aut Auguſto deductę ſunt,indicare Caſſius voluit:nec enim placet, vt ad Cereris ſignum referatur cũ inſcriptione EX FAMILIA CASSIA, cuius Dionyſius meminit, propter ea quòd damnato Sp.Caſſio eiuſque diruta domo dedicatum id ſignum fuit:nec veriſimile eſt tantum familiæ dedecus voluiſſe Caſſium cuſis ea nota dena-
Poſthumiorum. rijs vulgare. Ex Poſthumiæ patritiæ familiæ nummis,vnus eſt, in quo ab vna parte Dianæ effigies expreſſa cernitur: ab altera taurus, & vir ſtolatus, & in medio ara flagrans, cum inſcriptione: A. POST. A. F. SP. ALBIN. Cuſus fuit denarius iſte, vt idem Vrſinus cenſet, ab A. Poſthumio Sp.
Lib. 42. Albini Magni filio in memoriam A. Poſthumij Albini, qui,vt ſcribit Liuius,decemuir ſacris faciũdis factus eſt anno DLXXXI. P. Aelio Ligure, C. Popilio Lęnate Coſſ. quique ludis ſæcularibus quartis Magiſter decemuirorum,aut certè decemuir interfuit,cum in eo collegio fuiſſet annos plus minus viginti, ſi Cenſorinum & quos ipſe ſecutus eſt ſcriptores,nos quoque ſequi velimus;decem- G
Ludi ſæculares cur celebrati. uiros autem, & poſtea quindecimuiros ludis ſæcularibus præfuiſſe. Ad quos ludos ſpectant ea quæ in hoc nummo expreſſa eſſe diximus, Dianæ ſcilicet imago,in cuius honorem ludi illi celebrabantur,& bos ad aram ſtans in monte erectam,quòd id animal his ludis Apollini & Dianę,cuius templum erat in Auentino monte,ſacrificari conſueuerat. Horatius in carmine Sæculari;

Quique vos bobus veneratur,albis, &c.
Quæque Auentinum tenet, Algidumque
Quindecim Diana preces virorum
Curet, &c.

Itaque Magiſter ipſe quindecimuirorum ſiue decemuirorum aræ aſtans in eodem denario ſigna-
Thoriorum numus. tus eſt. Thoriæ familiæ plebeiæ nummus æreus aduerſa parte Iunonis Soſpitæ ſimulachrum habet impreſſum, cum his literis, I. S. M. R. hoc eſt IVNO SOSPITA MAGNA, ſeu MAXIMA REGINA. Vtrumque enim cognomen Iunoni tributum fuiſſe, Virgiliani verſus demonſtrant:

Tibi enim, tibi Maxima Iuno H
Mactat ſacra ferens &c. Et
Iunonis Magnæ primùm prece numen adora.

Ouidius quoque in Faſtis Iunonem Magnam appellauit his verſibus:

Monte ſub Eſquilio multis inceduus annis
Iunonis Magnæ nomine lucus erat.

In altera denarij parte Thorius impreſſit taurum,vel familiæ nomen indicans ab eo animale dedu-
Lib. 2. de re ruſt. c. 1. ctum (nam multa nomina, inquit Varro habemus ab vtroq; pecore,vt Porcius, Ouilius, Caprilius, Equitius) vel certè ad legem reſpiciens, quam tulit Sp. Thorius Tribunus plebis in eos quorum à
De Oratore 2. pecore agri publici depaſti eſſent. Cuius meminit Cicero his verbis: *Qui cùm ageretur in Senatu de agris publicis & lege Thoria, & premeretur Lucilius ab ijs, qui à pecore eius depaſci agros publicos*
Iuno Ceſpita vbi culta. *dicerent*. Taurus autem iſte ita pictus eſt,vt ad curſum velociſſimum concitatus videatur. Q. litera ſupra taurum eſt, infrà verò ſcriptum, L. THORIVS BALBVS Iunonis Ceſpitæ autem effigiem expreſſit,vt ſe Lanuuio ortum eſſe indicaret,quæ nimirum eo in oppido colebatur. Inter Vol-
Volteiorum numus. teiæ familiæ numiſmata,vnum eſt quod aduerſa parte inſcultum habet caput barbatum,laurea corolla condecoratum, à cuius ceruice A. litera conſpicitur: altera verò parte Europa virgo tauro in-

fidens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A sidens currenti, sub quo scriptum est L. VO. L. F. STRAB. idest L. Volteius L. F. Strabo: Quò verò pertineat, certi aliquid afferre nequeo (inquit Vrsinus) nisi quod suspicor, Iouis templum eius procurationis fuisse: à quo quidem deo in taurum conuerso abductam Europam in Cretam insulã poetæ fabulantur: eamque fabellam eleganti expressam pictura cum alibi Romæ ex veteribus scriptoribus fuisse constat, tum in ipso quoque Iouis templo, vt pingeretur Volteium curasse credendum est. Hæc Vrsinus. Hubertus Goltius in Græciæ populorum numismatibus, aliquot etiam nobis exhibuit, quæ bouis, tauriue imaginem insulptam habent. Quorum bina ad Syracusanos pertinent, vt ex inscriptione constat. Vtrique enim inscriptum est, ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Vtrumque ab vna parte muliebre habet caput, Dianæ fortassis, aut Aretusæ, ab altera taurum cornupetam: sed in vno appicti cernuntur duo delphini, cum binis literis simul coniunctis NK. quibus fortè Nicocles denotatur, vt Galtzius conijcit, sed coniecturæ suæ nullam reddit rationem. Possidoniatæ verò suis numismatibus vrbis originem aut nomenclaturam indicaturi, Neptuni qui Ποσειδῶν Græcis vocatur, tridentem expresserũt, & auersis aliquot partibus taurum, qui Neptuno immolabatur: ad quod fortè etiam respexerunt Syracusani, quorum quoque vrbs maritima erat. In primo numo, ea parte *Syracusanorum.* *Possidoniatarum.*

B qua taurus est, inscriptum est, ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑ. altera Neptuni tridentem vibrantis icon est. Altero eiusdem dei similis per omnia cernitur effigies, ante ipsum scriptum est, ΠΟΣΕΙ. & à parte qua taurus est, ΠΟΣΕΙΔΩ: Tertium ante taurum, & ab altera parte à tergo Neptuni arboris cuiuspiam ramus est, mali punici forte, nam in quarto fructus additus est, malo punico apprimè similis. Supra taurum scriptum est, ΠΟΣΕΙΔ. Antè verò Neptunum ΣΗΕΝΩ. In quarto ab vtraque nummi parte scriptum est ΠΟΣ. Thurinorum numismata omnia ab vna parte galeatæ Palladis, ab altera tauri cornupetæ effigiem expressa habent: Palladis autem, quod Atheniensium tribus præ cæteris potentior in ea vrbe esset, vt Goltzius asserit. Quæ dea cum belli sit præses, taurum fortè cornupetam etiam altera parte expresserunt, animal scilicet bellicosum, & vbi victum est, noua meditans prælia: id quod primo & secundo denario appicta sub tauro lancea significare videtur. Adde quod sub ipsa lancea piscis etiam quatuor duntaxat pinnas habens expresius est, aphya, ni fallor, Phaleris Atheniensium portu celebratus apud Athenæum. In vtroque hoc numismate cassis Palladis cristata effigie exornata est Sirenis, vel Nereidis, aut Tritonis, hoc est, monstri marini, superiore parte referentis hominem, inferiore siue posteriore piscem, sed in tortuosæ caudæ spiram, desinen- *Thuriorũ.* *Lib. 7.*

C tem. Priori à parte tauri inscriptum est ΘΟΥΡΙΩΝ. & sub hac inscriptione litera conspicitur Φ. forte ΦΑLANTOS. Altero simplex est inscriptio, ΘΟΥΡΙΩΝ. In Tertio Palladis cassis similiter cristata, vt & in cæteris omnibus exornata est ala auis, noctuæ fortassis, quæ apud Athenienses celeberrima, & Palladi insuper erat dicata. Ab altera parte supra taurum mulier vna manu palmæ ramum, altera sertum gerens exprimitur in aere suspensa ac quasi volitans, Victoriæ forte effigies, & sub tauri pedibus scriptum est ΘΟΥΡΙΩΝ. Quarto tauri pars tantum media, caput videlicet, ceruix, & pedes anteriores, expressa: & à tergo vnica tantum legitur litera Θ. Cassis Palladis coronata est olea. Quinto sub ipso tauro in medio pedum litera Ξ. conspicitur, vel quod cum ea maximam similitudinem gerit, suprà ΘΟΥΡΙΩΝ; in deæ verò galea alatus equus posteriori parte, in tortuosam caudæ spiram desinens, qua effigie Neptuni (qui & ipse Athenis colebatur, cuique hoc animal immolabatur,) equos à multis depingi, in equi historia est ostensum. In sexto galea coronata est, vt in quarto. Tauro suprascriptum est ΘΟΥΡΙΩΝ. Intra pedes litera est Γ. & sub pedibus piscis qualis in primo & secundo. Septimo Palladis cassis Pegasum habet impressum, siue equum alatum: & ab altera nummi parte sub ipso tauro, expressa est anchora, inscriptio verò, ΘΟΥΡΙΩΝ.

D ΕΥΦΑ. Octauo sub tauro Delphinus est, suprà inscriptum, ΘΟΥΡΙΩΝ. ΣΩ. & intra pedes anteriores, & posteriores litera Ξ. Inter numismata Arpanorum, vnum est, & postremo loco à Goltzio depictum, quod ab vna parte taurum ostendit cornupetam, cui subscriptum est ΔΑΞΟΥ. ab altera equum currentem, cum inscriptione, ΑΡΠΑΝΩΝ. Habet & Sybaritarum denarius taurum molliter incedentem, & caput ad latera torquentem, infra quem scriptum est, ΣΥΒΑ. ab altero latere caput Palladis galeatum & coronatum. Inter nummos Massiliensium postremo loco ab eodem pictus ostendit taurum cornupetam cum quodam pisce binas tantum pinnas habente; Infrà scriptum est, ΜΑΣΣΑΛΙΗΤΩΝ. Ab altera parte caput mulieris velatæ ac coronatæ, passis capillis, à cuius tergo prora est nauis. Goltzius ait, esse qui Aristarchæ sacerdotis Dianæ faciem esse credunt: taurum verò cornupetam, coloniæ symbolum esse: pisciculum autem qui tauro imminet, ideo additum, quòd eo loci, vt Mela testatur, eiusmodi genus piscium effodiatur, aut quod maritima sit colonia. Refert etiam inter prodigia Liuius, quod alij naturæ loci attribuunt, in eo Galliæ agro, quà aratrum inducebatur, sub existẽtibus glebis, pisces emersisse. Exhibet modò idem Goltzius aliquot populorum nummos, cum effigie Minotauri, hoc est, facie humana, virili, barbata, catera tauri. Quã iconem in primis Gelenses expresserunt, vt originem suam ad Cretenses se referre indicarent. Sed *Arpanorum nummi.* *Sybaritarũ.* *Massiliensium.* *Numismata cum effigie Minotauri.*

& ipse

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

& ipſe Minos Cretenſium rex (ex cuius vxore Paſiphae, & tauro Minotaurum natum poetæ fin- E
gunt) vt Dædalum à Cocalo Sicanorum rege repoſceret, circa hæc littora exercitum expoſuiſſe
traditur, atque ipſi quoque Cretenſes, qui vlturi regis ſui mortem Cocali dolo interfecti poſtea in
Siciliam traiecerant, poſtquam Camicum vrbem quam Dædalus Cocalo ædificauerat, fruſtra per
quinquennium obſediſſent, obſidione ſoluta circa hanc oram ſedes ſibi poſuiſſe ſcribuntur. Primus
igitur & ſecũdus eorum nummus ab vna parte equitem oſtendunt nudum, ſed in priori, in quo ſub
ipſo equo ſcriptum eſt ΙΕΡΩΝΟΣ. equus ad ſaltum eſt compoſitus, eques verò pilum vibrat: alte-
ro equus currit, & eques vibrat gladium, & infra equi pedes ſcriptum eſt ΙΕΡΩΝ. altera Minotau-
rus eſt, anteriori tantum parte pictus: & vtrique adſcriptum eſt ΓΕΛΑΣ, ſed in vno ſub pedibus, al-
ro ſupra tergus. Vtrobique Minotaurus altero pede terræ incumbit. Tertio eadem Minotauri ef-
figies, ſed longioribus cornibus, & vtroque pede terræ incumbens: à cuius tergo litera K. expreſſa
eſt, & delphinus parte ſuperiore: altera parte caput imberbe ſerto decoratum. Goltzius Apollinis
eſſe ait, quod mihi minimè videtur, propter paſſos capillos qui ex velato capite dependent: Adſcri-
ptum eſt ΓΕΛΑΣ. Eadem facies ſiue viri ſiue mulieris quarto in numiſmate cernitur, ſed loco co-
ronæ, vitta eſt alba, & collecti ſunt capilli, eademque aſcriptio eſt, ΓΕΛΑΣ. Altero nummi latere F
Minotauri icon eſt integri: & ſupra litera K. Κωκαλος fortè de quo dictum eſt; infra O, O, O. Quin-
tum oſtendit Minotauri partem anteriorem, cum inſcriptione, ΓΕΛΑΣ. alterà verò parte trigam,
& poſt equos columnam, infra quos ſcriptum eſt ΙΕΡΩΝΟΣ. Sexto eadem quidem expreſſa eſt
triga, ſed equos ad curſum concitat, non Hiero ipſe, ſed alata mulier, cui rurſus alia in aere ſuſpen-
ſa corollam capiti imponere ſatagit. Inſcriptio eſt, ΙΕΡΩΝΟΣ. ſub equis, pecten exprimitur, ani-
mal marinum, marinæ vrbis typus: altero latere anterior pars Minotauri, & lanceæ cuſpis cum
inſcriptione ΓΕΛΑΣ: Eadem planè Minotauri effigies, eademque inſcriptio eſt in ſeptimo, quod
numiſma altera parte bigam habet, duorum mulorum, quos à viro quodam rectos alata victoria
ſuperuolitans coronare nititur: ſubſcriptum eſt, ΙΕΡΩΝ. Octauo rurſus eadem Minotauri imago
eſt, & inſcriptio, ſed in aduerſa parte habet trigam, cuius equi ad velociſſimum curſum concitantur
à viro quodam ei inſidente: inſcriptio eſt, ΙΕΡΩΝΟΣ. Fuit Hiero iſte Gelæ frater, vterque Ge-
lenſium rex. Hiero ter Olympicis victoriam adeptus eſt, id quod trigis & biga in numiſmatibus il-
Neapolitanorũ nũmi. lis indicauit. Bigam autem mulorum primum ad certamina ab eo iunctam Pauſanias tradit. Nea-
politanorum numiſmata omnia aduerſa parte Dianæ habent effigiem, auerſa verò Minotauri in- G
tegram figuram: & in omnibus etiam alata victoria in aere ſuſpenſa ambabus manibus corollam
ferens minotaurum coronare ſatagit. Eſt tamen in omnibus nummis quædam diuerſitas. In primo
à tergo capitis Dianę icon eſt auis, quã vel columbã, vel turturem eſſe conijcio, propterea quod ca-
ſtitas in hac dea præcipuè celebretur: antè verò corona: ſub ipſo capite ſcriptum eſt, ΑΡΤ. ideſt,
Α'ρτεμις, ideſt, Diana. Ab alio latere intra ipſius Minotauri pedes depictus eſt delphin: ante eum
litera, Λ. Infra ſcriptum, ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ. In ſecundo à tergo capitis deæ tripos eſt: & in altera
nummi parte intra pedes monſtri binæ ſunt litera ΙΣ. ſub quibus ſcriptum eſt, ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ.
Tertium à tergo deæ aliud habet inſtrumentum, quatuor innixum pedibus, quadrangulum cuius
explicationem non reperio: Incumbit autem ei ſimpulum, ſiue vas ſacrificijs vſurpatum: Ad ſacri-
ficia pertinere conijcio. Intra pedes Minotauri ab altero latere, litera vna eſt Θ. Infrà ſcriptum,
ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Quarto poſt deæ caput, elephas appictus eſt, ſed non ſatis feliciter expreſſus, &
ſub ipſo capite ſcriptum, ΑΡΤ. Intra pedes verò Minotauri ab altera parte, Δ. & mox, ΝΕΟΠΟ-
ΛΙΤΗΣ. Quintum à tergo Deæ viri habet imaginem altera venabulum, altera manu arcum ge-
ſtantis: ſub capite ſcriptum eſt, ΑΡΤΕΜΙΣ. ab altera parte intra pedes Minotauri litera Π, & infrà H
ſcriptum, ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Sextum retrò deæ Dianæ caput, pharetram habet, & ſub capite ſcri-
ptum eſt ΑΡΤΕΜΙΣ. Sub pedibus Minotauri ab alia parte ſcriptum eſt, ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Intrà
verò eodem litera eſt Ξ. Septimo intra monſtri pedes literas habet ΣΩ. & mox ΝΕΠΟΛΙΤΗΣ. in
aduerſo verò parte à ceruice Dianæ vir venabulum vibrans, infrà caput ſcriptum, ΑΡΤ. Octauo à
ceruice deæ, criſtæ quadam fragmentum: & ſub Minotauro eadem inſcriptio, ſed intra pedes ſcri-
ptum eſt ΛΥΣ. In nono retrò caput eiuſdem deæ, cui ſubſcriptum eſt ΑΡΤ. ſimpolum, & intra pedes
Minotauri ab altero latere litera eſt Φ. & infrà ſimiliter ſcriptum, ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ. ſicuti & in de-
cimo, in quo intra pedes ſcriptum eſt ΕΠΙ à tergo verò deæ ΕΥΞ. & ſub ea ΑΡΤ. In vndecimo qua-
tuor delphini caput Dianæ ambiunt. Sub ipſo Minotauro inſcriptio eſt, ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. & in-
tra pedes ΘΕ. In duodecimo verò Κ. ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ. Tertiumdecimũ à Dianę ceruice imaginẽ
habet alati inſecti, vel muſcæ, vel apis, veſpæuè, aut cicadæ, à facie verò inſcriptio eſt, ΑΡΤΕΜΙΣ. ab
alio latere intra pedes Minotauri ſcriptum eſt ΠΛΑ. Infrà ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Decimo quarto in
medio pedum ΙΣ. ſine alia inſcriptione: ab altera parte à ceruice deæ Sphynx, monſtrum alatum,
ſuperiore parte virgo, inferiore leo: infra ſcriptum ΑΡΤ. Decimoquinto à tergo capitis deæ lite-
ram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ram habet Δ. infra verò est ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. ab alio latere in medio pedum Minotauri legitur ΙΣ. Decimosexto ac postremo intra pedes tauri legitur ΜΥ. sed Υ. inseritur ipsi Μ. infrà scriptum, ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ. Ab alia nummi parte post caput Dianæ pentagonum est, salutis signum: & inscriptio tam obscurè impressa est, vt lectionem non admittat. Goltzius hasce nouissimas imagines Dei Hebonis esse conijcit, qui a Neapolitanis pro Baccho colebatur: arbitraturq; in eorum numismatibus Minotaurum laureo serto à Victoria donandum toties apparere, & Dianam in altera eorundem parte propter gymnicum certamen & musicum quinquennale Neapoli magna Græcarum vrbium frequentia, & conuentu celeberrimo, singulo quoque lustro ex oraculo celebratum: Quanquam nec hæc quoque improbabilis (inquit) coniectura videri posset, Neapolitanos huiusmodi numismatum suorum symbolis originem suam ad Theseum, maioresque suos Athenienses, quorum Coloni Chalcidenses erant, voluisse referre: in quam cogitationem cum induxit Macrobius, apud quem ex Pherecyde refertur, Thesea cùm in Cretam ad Minotaurum duceretur, votum pro salute atque reditu suo Apollini οὐλίῳ & Artemini οὐλίᾳ concepisse, vtrisque vt salutis suæ actoribus. Puteolanorum quoque numismata similiter Apollinis οὐλίου faciem aduersa, Minotaurum
B auersa parte exprimunt. Cùm enim Cumanorum sint colonia, Cumani vrbis suæ vti antiquissimæ originem è Græcia atque Euboia insula à Chalcidensibus, Chalcidenses ab Atheniensibus repetunt. Pingit autem Goltzius huius populi numismata duo. In vtramque victoria in aere suspensa, Minotaurumque coronatura cernitur. In priore in medio pedum literæ sunt ΑΡ. infra quas scriptũ est ΠΥΤΕΟΛΙΤΩΝ, ab altero latere nuda Apollinis (vt ille iudicat, mihi potius Dianæ videtur) imago est. Altero ante dei vel deæ effigiem inscriptio est, ΠΥΤΙΟΛΙΤΗΣ. ab aduersa parte sub tauri pedibus similiter scriptum, ΠΥΤΕΟΛΙΤΗΣ. in medio pedum ΞΕ. Totidem sunt Suessanorum, cum eiusdem vel dei vel deæ laureatæ effigie, & Minotauro. Sed in priore à ceruice diui litera est Ο. & Minotaurum victoria serto decorare nititur: infraque scriptum est ΣΥΕΣΑΝΩ. quæ inscriptio legitur in altero ea parte qua Apollo expressus est: sub Minotauro nimirum in medio pedum in auersa parte litera est Φ. Calenorum numismata sunt sex, Minotauri imagine, in quorum primo ab aduerso latere Apollinis habet iconem cum inscriptione, ΚΑΛΕΝΙΤΩΝ. altero Minotaurum cum eadem inscriptione, & supra Lyram siue testudinem ipsius dei. Secundus numus in eadem aduersa parte Apollinis similiter laureati effigiem habet, sed mutilam inscriptionem, ΚΑΛΕΝΩ. Et ab altera parte Victoria alata Minotaurum coronatura, sertumue impositura in aere suspensa cer-
C nitur, quæ tamen altera manu palmæ ramum gestat. Sub Minotauro similiter scriptum est, ΚΑΛΕΝΩ: & ante eius pectus litera ascripta est Δ. Tertius ei simillimus, sed Victoria solam porrigit coronam, & intra pedes Minotauri, vnica tantum litera est Κ. ab alia parte Apollo laureatus, cum inscriptione ΚΑΚΕΝΙΤΩΝ. Quarto à tergo dei, litera Δ. antè ΚΑΛΕΝΩ. Auersa verò parte supra Minotaurum Lyra: sub pedibus scriptum, ΚΑΛΕΝΩ. intra eosdem ΔΙ. Quintus viri barbati faciem habet, cum inscriptione ΚΑΛΕΝΩ. Altera parte Victoria Minotaurum coronare nititur: & intra pedes litera est Κ. Sextus à tergo Apollinis Lyram habet, antè verò scriptum est ΚΑΛΕΝΩ. supra verò Minotaurum frumenti alicuius aristata spica cernitur: Intra pedes litera Φ. sub eisdem scriptum, ΚΑΛΕΝΩ. Numisma Capuanorum ab vna parte tripodem habet elegantissimè expressum, cum inscriptione ΚΑΠΥΑΝΩΝ. altera verò anteriorem Minotauri partem, cornibus sursum flexis, ac maximis. Suprà literæ sunt ΟΟΟΟ. ad latus Κ. Cur verò Capuani Minotauro denarium suum signarint, Goltzius hoc modo conijcit: Minotauro opicorum vrbes fere omnes, quarum extant numismata, pecuniam signasse obseruo, Neapolitanos videlicet, quos inter opicos refert Stefanus: itidem Puteolanos, Suessanos, Calenos, & Capuanos, quos inter opicos tamen recenseri non video:
D ita ecquid causæ subsit, cur & illi Minotauro signarint, nescio: certè Atellani, & Nolani, de quibus ex serie numismatum nunc scripturi sumus, inter opicos censentur, ijdemque vt & cæteri plerique Minotaurum in nummis suis signarunt. Numus Atellanorum aduersa parte effigiem habet bifrontem, in cuius vertice vasculum est & a latere quatuor pilulæ, siue literæ ΟΟΟΟ. auersa verò Minotaurus, sub quo scriptum est ΑΤΕΛΛΑΝΩΝ. Supra minotaurum Solis imago. Nolani ab vno latere suorum nummorum galeatæ, laureatæque Palladis iconem habent, vt ex noctua quæ galeæ insidet, cõstat, ab altero Minotaurum, cum inscriptione, ΝΩΛΑΙΩΝ.

Hebō deus. — *Puteolanorũ nummi.* — *Suessanorũ nummi.* — *Calenorum nummi.* — *Capuanorũ numus.* — *Atellanorũ. Nolanorũ.*

I N S I G N I A.

AEGYPTIIS Regibus, vt tradit Diodorus Siculus, mos olim erat, aut tauri, aut leonis aut draconis priorem partem in capite ferre, insignia principatus: item ignem, arboremque. Suidas tradit capiti statuæ Seleuci regis addi cornua, quòd immolante Alexandro cùm taurus effugisset, bestiam cornibus prehensam retraxisset: quade re iam in numismatibus etiam facta est mentio: vbi etiam dictum Theseum numismata

Aegyptiorũ regum insignia. — *Lib. 2. c. 2.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

mismata bouis imagine signauisse: qui ipsi quoque pro insigni fuit. Teucri verò, Mysi & Thraces E super æneas galeas bouis aures & cornua apponebant, vt apud Herodotum,& ex eo apud Alexandrum ab Alexandro legimus. Maro de ornamentis picturisq; clypei Turni Rutilorum regis canit:

Lib. 7. Turni clypeus.

At leuem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, iam setis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens pater Inachus vrna.

Lib. 14. Causam istiusmodi picturæ quodammodo reddit Silius Italicus:

Ductor Grosphus erat, cuius cælata gerebat
Taurum parma trucem pœnæ monumenta vetustæ.

Cimbrorum insigne. In Hercule Proditio. Cliuensium insigne. Marius verò boues iugo iunctos pro insigni habuit, fortè ob debellatos Cimbros quibus nimirum taurus pro insigni fuit. Stephanus Vimandus Pighius Campensis de Cliuensium ducum insigni scribit in hæc verba: Armorum quoque insignia quibus Aelium hunc principem ornatum, atque instructum fuisse legimus, Romanam originem præ se ferre, & ex eadem hausta disciplina videntur: Erant autem hæc: Galea taurini capitis exuuio purpureo tecta, in cuius cono ex aurea corona F in altum expanduntur bina tauri cornua, clypeus oblongus purpurei coloris, in cuius vmbone medio pyropus rotundus (carbunculum appellant fœciales nunc temporis) solis globum referens, & octo radijs aureis trisulcis fulgens. Quo symbolo stirpis originem & gentilitij nominis rationem tacitè demonstrauit. *Aelij à Sole nuncupati. Sol Netiros.* Aeliam namque gentem à Sole, non secus atque Aureliam esse nuncupatam, nomen ipsum declarat: quamuis prisci Latini aspirationes admodum vitantes per diphthongum scribere nomen hoc maluerint: posteri tamen Græcismum amplecti volentes, Aelios, Helios dixerunt à Sole. Galeæ autem parerga atque insignia illa ornamenta Romanam antiquitatem & veterem philosophiam præ se ferunt: qua Zodiaci, vt signa vniuersa, sic & Taurus, ad naturam Solis referuntur. *Apis bos. Lib. 1. Saturn.* Tauri enim forma Solem colebant Heliopolitani olim, quem Netiron appellabant. Apis item bos in ciuitate Memphi cultu Aegyptiaco Solis instar excipiebatur: & in oppido Hermunthi, vt Macrobius author est, in celebri Apollinis templo, Soli consecratum taurum Bacchin cognominantes adorarunt, insignem miraculis conuenientibus naturæ Solis. Erat enim auerso pilo hirsutus, setis aduersum caput tendentibus, contra naturam omnium animalium: & per singulas horas mutare colores affirmabatur, quo cursus Solis auersus, & perpetua illa in generatione rerum anima G tarum mutatio notabatur, quam Solis calor suis radijs facit. Itaque gentilitij nominis originem hæc galeæ insignia taurini capitis exuuio referunt. *Rhenus bicornis quibus pro insigni.* Quin etiam Rheni bicornis effigiem, vicinarumque in inferiore Germania regionum principatum notant: quem à declinantis imperij Romani temporibus domus hæc continua successione obtinuit. Corniger enim Rhenus non solum effingebatur ab antiquis, sed etiam cæteri fluuij alicuius nominis &c. Tauros, tragos, Creos siue arietes olim Græci, ac Romani naues quasdam nominasse etiam constat, ab eiusmodi animalium figuris, quibus earum proræ adornabantur. *Nauis taurus dicta.* Taurus verò ille, in quem mutatum fuisse Iouem, cum Europam abduceret, fingunt, nauis fuit, secundum mythologos, qua eam transuexit, cui pro insigni erat taurus.

ÆNIGMA.

EXTAT Ioacchini Camerarij in Exercitijs eius Rhetoricis elegans de tauro ænigma huiusmodi. H

Mœchus eram regis: sed lignea membra sequebar,
Et Cilicum mons sum, sed mons sum nomine solo,
Et vehor in cælo, sed in ipsis ambulo terris.

APOPHTHEGMATA.

In apophth. Lacon. GERADATA quidam è priscis Spartanis interrogatus ab hospite (inquit Plutarchus) qua pœna Spartæ in adulteros vindicetur, nihil enim se videre hac de re à Lycurgo statutum, respondit: Nullus apud nos fit adulter. Inferenti, quid autem si aliquando existeret? taurum (inquit) pendere cogitur, tantæ magnitudinis, vt capite trans Taygetum porrecto ex Eurota bibat. Dicenti, quomodo posset tãtus inueniri taurus; Subiecit, quo verò pacto Spartæ possit adulter existere, vbi diuitiæ, luxus, & fucus ignominiosa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A miniosa censentur; verecundia autem, modestia, & subditorum obedientia imperium obtinent? Dionysius Senior, referente eodem Plutarcho, cum in tyrannidis exordio à conspirantibus in eum ciuibus obsideretur, amici consulebant ei, nisi vellet in potestatem eorum redactus, necari, vt deponeret dominatum. At ipse bouem cùm videret, quem coquus mactabat, ilico concidentem: Quid, anne durum sit (inquit) si mortis timore adeo breuis tantum imperium derelinquamus? Zeno teste Diogene Laertio, exercebat aduersus Arcesilaum inimicitias: Vnde cum vidisset taurum mõstruosum matricem habentem. Me miserum, inquit, datum est Arcesilao epicherema aduersus euidentiam. D. Hieronymus ad B. Augustinum scribens, eum deterrere voluit, ne iuuenis senem prouocaret, Bos lassus, inquiens, fortius figit pedem: propterea quod tardius quidem ad pugnam excitantur hi, qui iam sunt ætate quasi fessi: verùm ijdem grauius sæuiunt, atque vrgent, si quando senilis illa virtus irritata recaluit.

Imperandi cupiditas. Lib. 7.

B

EPIGRAMMATA.

ANTIPHILI Epigramma de bucula quadam cæca, quæ reuersa ex pascuis, & casu vulnerata in oculum, visum recepit:

> Ἐκ θοίνης φάος ἔσχεν ἐπ' ἀχράδα μηκάς ἰοῦσα.
> Ἐκ δ' ἔφανη τυφλὴν μηκέτ' ἔχουσα κόρην.
> Δισσῶν τὴν ἑτέρην γὰρ ἐκέν τρισεν ὀξὺς ἀκάνθης
> Ὄζος. ἴδ' ὡς τέχνης δένδρον ἐνεργότερον.

Aliud Philippi, in quo ad rusticum poeta loquitur, vt vaccæ parcat ob geminum laborem, nempe lactationis & aratri:

> Καὶ τὸν ἀρηραῖον γυρητόμον ἄυλακα τέμνει
> Μηροτυπεῖ κέντρῳ πειθομένη δάμαλις,
> Καὶ μετ' ἀροτροπόνς ζεύγλας πᾶλι τῷ νεοθηλεῖ
> C Πινομένη μόσχῳ δεύτερον ἄλγος ἔχει.
> Μὴ θλίψης αὐτὴν ὁ γεωμόρος. οὗτος ὁ βαιὸς
> Μόσχος ἐὰν φείσῃ. σοι τρέφεται δάμαλις.

Quo loco pro γυρητόμον alij legunt, inquit Brodæus, γειητόμον. Aliud eiusdem inscriptum, τίνας ἂν εἴποι λόγους Μελέαγρος, βοὸς μέλλοντος θύεσθαι τῷ Διὶ, καὶ μυκωμένου:

> Αὐτὸς ὁ βοῦς ἱκέτης ἐπὶ βώμιος αἰθέριε Ζεῦ,
> Μυκᾶται, ψυχὴν ῥυόμενος θανάτου.
> Ἀλλὰ μέθες κρονίδη τὸν ἀροτρέα. καὶ σύ γὰρ αὐτὸς
> Πορθμεὺς Εὐρώπης ταῦρος ἄναξ ἐγένου.

Vincentius Obsopœus, qui in epigrammata Græca annotationes scripsit, huic epigrammati extemporalem hanc suam versionem adiecit.

> *Ipse tibi supplex mugit bos ductus ad aram*
> *Iupiter, vt vitet tristia fata necis.*
> *Mitis aratorem Saturnie mittito, quippe*
> *Europes vector, tu quoque taurus eras.*

D Aliud Pauli Silentiarij de Pasiphaes amore erga taurum. Inscriptum est: Τίνας ἂν εἴποι λόγους πρὸς ἔρωτα Πασιφάη ἐρῶσα τοῦ ταύρου.

> Εἰ ποθέειν μ' ἐδίδαξας ἐν οὔρεσι ταῦρον ἀλήτην,
> Μυκηθμὸν με δίδαξον, ὅπως φίλον ἄνδρα καλέσσω.

Ad hoc distichon scitissimè allusit Marullus his verbis:

> *Cùm malè formosum sequeretur in auia taurum*
> *Sic Venerem contra Gnosia questa feram est,*
> *Si mihi bos fuerat dea vir te dante futurus,*
> *Cur non insanæ Prætidos ora dabas?*

Aliud Philippi de iuuenca, quæ cùm esset mactanda Dianæ, inter sacrificandum peperit: & ob eam rem libera dimissa est, propter Dianam, quæ partui præest.

> Ἠδη βριθομένην δάμαλιν Λητωΐδι κούρῃ
> Στῆσαν νηοκόροι, θῦμα χαριζόμενοι
> Ἡ δ' ἀΐδην μέλλοντα, προὔφθασιν εὔστοχος ὠδὶς
> Ηὑμφθη δ' ἐς ἀγέλην, τεκνογονεῖν ἄφετος.

Ἠ θεος, ὠδίνων γὰρ ἐπίσκοπος, οὐδ᾽ ἐδίκαζε
Τικτέσας κτείνειν, ἃς ἐλεεῖν ἔμαθεν.

Aliud eiuſdem, in quò tauri laborantes in mari, & trahentes lorum retis loquuntur, dolentes quòd poſtquam terram arauerint, iam etiam mare ſit ſulcandum, hoc eſt, piſcandum.

Ταῦροι πρηὺ τέμνοντες, ἀροτρευτῆρες ἀρούρης,
Εἰν ἁλὶ τὰς γαίης ἂν τέχομεν καμάτους;
Αὔλακα τὴν ἀσίδηρον ἐν ὕδασιν ἕλκομεν ἄμφω,
Μακροτέρων, σχοίνων ἅμμα σαγηνόδετον,
Ἰχθύσιν ἐκ σταχύων λατρεύομεν οἱ ταλαεργοί
Ἤδη κἀν πελάγει κάρπον ἀρεῦσι βόες.

Aliud Archiæ eiuſdem penè argumenti, in boues videlicet trahentes nauigia.

Οὐ μόνον εὐάροτον βόες οἴδαμεν αὔλακα τέμνειν,
Ἀλλ᾽ ἴδε καὶ πόντου νῆας ἀφελκόμεθα.
Ἔργα γὰρ εἰρήνης δεδιδάγμεθα. καὶ σὺ θάλασσα
Δελφῖνας γαίῃ ζεῦξον ἄρο τροφόρειν.

Hoc Vrſinus non indoctè ſic tranſtulit,

Non ſolùm humentes proſcindere vomere terras.
Scimus, & ex alto ducimus ecce rates.
Pacis opus docti ſumus, & delphinas aratro
Iunge mare, & iunctos arua ſecare iube.

Bobus piſcari vbi vſitatam. Ioannes Brodæus in commentario huius epigrammatis, ait hoc piſcandi genus hodiè Græcis eſſe vſitatum, atque Italis, quibus vocetur, la tirata. Poſſumus, & Plinium audire dicentem: *Sunt & quibuſdam amnibus haud minorus, Silurus in Nilo, Eſox in Rheno, Attilus in Pado inertia pin-* *Lib. 9. c. 15.* *gueſcens ad mille aliquando libras, catenatus captus hamo, nec niſi boum iugis extractus.* Addam Græcis hiſce Latinum aliud epigramma Claudiani, inſcriptum, DESCRIPTIO ARMENTI.

Non tales quondam ſpecies tulit armentorum
Tellus tergemino ſubdita Gerioni.
Non tales Clitumne lauas in gurgite tauros
Tarpeio referunt quos pia vota Ioui.
Non tales Tyrias ſparſiſſe iuuencus arenas
Dicitur, optatum quando reuexit onus.
Non Cretaus ager, nec amati conſcia tauri
Gnoſos, nec ſimiles pauerit Ida feras.
Ipſe & diſpariles monſtro diffuſus in artus
Qui crimen matris condidit ore nouo.
Cres puer haud talem potuiſſet reddere formam,
Portaſſent totum ſi fera membra patrem.

PROBLEMATA.

Sect. 10. Probl. 1. Cur nõ tuſſiat. *Probl. 43.*

QVÆRIT Ariſtoteles, cur in animantium genere, alia tuſſiunt, alia non? verbi gratia homo tuſſit; bos non. Vtrum (inquit) quod cæteris maxima ex parte incrementum aliorſum ſe vertit: homini autẽ eo conuerti natura voluit: An quod homo maximum, humidiſſimumque cerebrum continet. Tuſſis autem pituita diſtillante fieri ſolet. Idem mox etiam inquirit, cur non iumenta, non boues, aut omnino quæ *Cur non ructet.* cornua gerunt, non ructare ſoleant? An propter ventris ſiccitatem (inquit,) celeriter enim conſumitur, percolaturque humor, qui dum immoratur inflaturque, ructationem mouere poteſt. Iumentis tamen, ob colli etiam prolixitatem, flatus deorſum ſe vertit, quamobrem his crepitus ventris maximè incitatur. Auium cornigerorumque genera neutrum faciunt. Quin etiam ruminantibus ructare negatum eſt, quoniam plures continent ventres, & quem reticulum appellamus: facultas etenim *Probl. 6. Cur parum lactis præbeat.* meandi tam ſuper quàm ſubter flatibus multifariam præſtatur. Itaque humor conſumitur, antequam in flatum vertatur, qui flatus moueat, vel ructum, vel crepitum. Inquirit etiam, cur capris, & ouibus lac plurimum demulgetur, quæ corpore non maximo ſunt, homini autem, & boui minus, ſcilicet ad corporis proportionem? Vtrum quòd his copia (inquit) in corpus abſumitur, cæteris in excrementum ſe confert, ouibus autem & capris quantum excrementi acceſſerit, omne in lac tranſit. An

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A sit. An quod plura gignunt quàm quæ magno sunt corpore, itaque plus attrahunt excrementi, quoniam plura alendum sit. An his grauidis plus excrementi propter corporis imbecillitatem redundat, lac autem, excremento consistere certum est. Alexander Aphrodisiensis ad quæstionem, cur plurima ex animalibus suas peruibrare caudas soleant, cum notos sibi agnoscant: & cur leo iratus costas per caudam verberet, atque etiam taurus. Quoniam (inquit) dorsi medullam ad caudam vsque habent porrectam, quæ vim continet animalem, & motionis authorem: igitur cum animal notum sibi agnoscat, per caudam quasi per manum ritu hominum excipit, & partem sui corporis mouet, quæ agilior & promptior est: Leonum verò & taurorum anima, vt per iram affici potest, sic eãdem naturam propterea moueri vehementius cogit, vt etiam homines sæpe manus, aut aliquam sui corporis partem per iram percutere nouimus. Cùm enim ilico vlcisci animus nequeat, alio quodam modo feruorem suum extinguit, idest, ictu aut strepitu, aut alio quolibet generis eiusdem remedio. Hæc ille Antonius Lodouicus medicus Olyssiponensis quærit, cur boues & omnia veterina candas ad nates recondere instante hyeme consueuerunt? vt est apud Hesiodum in Ergis dum ait:

Lib. I. Prob. 144.

Taurus, & leo cur irati caudam per costas verberent.

Sect. 5. Probl. 4.

B *Tunc frigent pecudes, caudas perque inguina ponunt,*
Atque boum pellem, ventorum flamina perflant,
Hirsutum & pectus faciunt horrere caprarum,
Vmbrosum ast ouium vellus; nec frigora lædunt.
Porcorumque greges, perstent quod corpore setæ.
Atque senes reddit, trochorum more, rotundas
Vis ingens Boreæ: mollis sed virgo domorum
Quæ manet in latebris, lasitans sub matre seuera
Nec Veneris nouit fraudem, aut certamina lecti,
Frigora non sentit, corpus sed cum vnguine crasso
Vngens, atque lauans, recubat non horrida noctes.

An vt se à frigoris (inquit) ventorumque iniuria tueantur? nã cum graciles tenuesq; nates habeant, (quas pygas Græci appellant, vnde vropygium auium cauda deducitur,) ni se caudæ defensaculo protegerent, facilè à frigore penetrarentur. Quibus & ea de causa fuere caudæ concessæ, vt pudibundas particulas, quæ non reuerenter oculis ostenderentur, obuelarent: pudori scilicet in omnibus
C prospiciente natura, atque cauente vsque adeo, vt inhonestæ partes à visu occulantur, vt quæ eam ob rem glandem colis præputio obtexerit, nullius rei gratia, præterquam pulchritudinis, & pudoris: etsi nonnulli reperiãtur, qui ob voluptatem percipiendam maiorem, non parum conducere autument: vnde & apud recutitos appellatos, incircumcisorum est venus, veluti prouerbio celebrata. De Simia verò vtpote ridiculo animante, nihil prouidit natura, aut consulendum sibi putauit, si pelle defectum nudumque penem obtineret, quo nihil turpius conspiciat aliquis. Auibus autem nõ tam muniminis causa, quàm temonis, & gubernaculi, fuit caudarum vsus tributus, vt melius se in volatu dirigerent: nam cum caudas expandunt, magnam aeris vim subtus suscipiunt, quò se commodius fulciant. At homini carnosas & pinguiusculas glandulosasque habenti ad sessionem nates, nihil alio quouis opus fuit, quo se ab ambientis molestijs tutaretur. Plutarchus in quæstionibus Græcis quærens, quo sensu fiat, quod qui Aeno bouem Cassiopœam abducunt, ijs virgines quę eos deducunt vsque ad fines, accinunt:

Cauda cur animantibus data.

Penis cur obtectus.

Simiæ cur nates detecta.

Caudę cur auibus.

Quæst. 36.

O vtinam in dulcem nunquam patriam redeatis?

Aeneianes primum (inquit) à Lapithis pulsi circa Aethiciam, deinde apud Molossidem, & Cassio-
D pæam habitauerunt: quæ regio cum ipsis nulli esset vsui, molestosque præterea haberent vicinos, in Cirrhæum campum Onoclo rege ducente transiuerunt: vbi cùm grauis siccitas & crebra vrgeret, oraculo (vt fertur) iussi Onoclum interfecerunt, rursumque vagati, eam occupauerunt regionem quam nunc obtinent bonam, & feracissimam: itaque non iniuria à dijs petunt, ne vnquam in patriam antiquam redeundum sit, sed lætis rebus ibi permanendum. Idem Plutarchus etiam quærit, cur Eleorum mulieres Bacchum in sacro carmine hortantur, vt bubulo pede ad ipsas accedat? ac bis accinunt, Digne taure? Hymni hæc est forma. Veni heros Bacche maritimum ad templum Sanctum cum Gratijs, ad templum pede bubulo. An quia bouigenã nonnulli (inquit) & taurum cognominant Bacchũ? aut bubulo dicunt pro magno? sicut boopin poeta dixit magnis preditã oculis, & bugaiũ, qui se gloriosè iactaret. Aut potius quia pes bouis innoxius est, cornua dãnosa, sic deũ hortantur, vt lenis veniat, atq; innoxius? Aut quia multi hunc deũ aratri & sationis inuentorẽ fuisse putãt? Apud eundem etiam Plutarchum in sympoſiacis quæstio est, quid sit apud Platonem κεράσβολος, & cur semina quę in boum incidunt cornua, incoctibilia, & dura fiant? Semper, inquit, quęrendi materiam præbuerunt Kerasbolus, & Ateramon: non quid significarent (liquet enim ea semina quæ in boum cornua inciderunt, fructum edere durum, & incoctum creditum fuisse: atq; inde vo-

Quæst. 38.

Bacchus bouigena, & taurus dictus.

Sect. 7. q. 2.

Cerasbolus. Ateramon.

cabulo tranſlato hominem præfractum, atque contumacem ateramona & Kerasbolon dictum) ſed de ipſa cauſa dubitatum fuit, cur hoc ſeminibus in boum cornua incidentibus accideret. Ego ſæpè denegaui amicis cauſæ inuentionem: maximè cùm eam non inueniri poſſe Theophraſtus innuiſſet, cùm multis collectis, quorum nos cauſæ fugerent, inuenirique non poſſent (quod genus ſunt, quòd gallina poſtquam ouum edidit, feſtuca adhibita ſeſe luſtrat: quod vitulus marinus coagulum ſuum deglutit, ceruus cornu ſuum defodit, eryngium ſi vna caprarum id in os ſumat, vniuerſum gregem ſiſtit,) etiam illam de kerasbolo adiunxiſſet quæſtionem: vbi res quidem creditur, ſed cauſa, aut neutiquam poteſt, aut difficillimè inueniri. At enim Delphis in cœna ſodalium quodam me compellarunt, dicentes non modò,

Occulta quorum ratio incerta.

Conſilium melius iam repleta incidere aluo,

ſed etiam ad reſpondendum de propoſitis quęſtionibus à vino nos reddi multo quàm aliàs alacriores & audaciores, ideoque poſcentes vt de propoſita re aliquid pronunciarem. Ego cùm id denegarem, adſtipulatores habui non viles, Euthydemum ſacerdotij collegam mihi, & Patroclem ad finem, qui non pauca id genus ex agricultura & venatione proferebant: quale eſt quod grando ab ijs qui ei obſeruandæ ſunt, præfecti ſanguine talpæ, vel centonibus mulieribus auertitur, quod fructus F caprifici ſylueſtris alligatus hortenſi ficui, non ſinit fructum huius defluere, ſed continet, atque vnà maturat: quod ceruas vbi capiuntur, falſam lachrymam, apros dulcem emittere eſt deprehenſum. De quibus, ſi inquiſitionem ſuſcipias, illicò Euthydemus abs te poſtulabit rationem de apio & cumino, quorum illud inter germinandum ſi calcetur, & cõteratur, aiunt melius creſcere: hoc ſi ſerant diris imprecationibus, & conuitijs adhibitis. Hæc cùm Florus riſum iocumque putaret, de iſtis autem non debere cauſæ tanquam incomprehenſibilis inueſtigationem omitti: reperi, inquam, medicamentum, quo vſus hunc adducas, vt aduerſus nos dicat, vt tu quoque ſoluas quædam propoſitorum. Videtur mihi frigus iſtam indomitam rigiditatem ingenerare, comprimens & cogens habitum, vſque ad duritiem: calor autem diſſolubiles res, molleſque redigit. Itaque non rectè contra Homerum hoc à quibuſdam dicitur.

Non tellus fruges, ſed ſuggerit annus.

Nam quæ loca calorem habent natura inſitum, temperiem aere mitem præbente, molliores efferũt fruges. Ergo quæ à manu ſtatim in terram proueniunt ſemina, ea penetrantia fouentur, ac magis G dùm occultantur, calore ac humore terrę fruuntur. Quæ verò in boum impingunt cornua, ea nõ potiuntur illa, quam Heſiodus optimam vocat, poſitus commoditate: ſed delabentia & loco ſuo aberrentia, iactata magis quàm ſata videntur: proinde aut frigoribus planè corrumpuntur, aut his eorum in nudas incidentibus tunicas rigida, exucca & lignoſa redduntur. Vides nimirum lapidum quoque, & lignorum partes terra contentas, atq; ſtirpes molliores ijs conſeruare à tepiditate ſoli quàm ſint quæ eminent. Itaq; etiam fabri lapides operi habiles defodiunt ſub terram, tanquã maturandos, & coquendos à calore: qui ſub dio vndiq; iacent, frigore rigidi, & intractabiles redigũtur, operiſque reſiſtunt. Fructus quoque etiamſi in area maneant diutius ſub dio, & nudi, magis feruntur dirigeſcere, quàm qui ſtatim conduntur. Sæpenumero etiam ventus ventilantibus ſuperueniens, frigore ſuo fruges præduras efficit; quod Philippis Macedonica vrbe aiunt eueniſſe. Reconditis palea opitulatur. Mirari autem non debemus, ſi audiamus agricolas narrare, de duobus contiguis ſulcis alterum incoctilem fructum ferre: & quod maximum eſt fabarum alias alium gignere ſatu ſuo fœtum: nimirum quod alijs minus ſpiritus frigidi, vel aquæ incidit. Hęc omnia Plutarchus, quibus vt ſummatim dicam, cur id accidat, vt ſemina quæ in cornua boum impegerint, aut nõ proueniant, aut proueniant ſicciora durioraque, hanc adfert cauſam, quod ea quæ à manu calida ſtatim excepta terra fouentur, magis adiuuantur calore, qui ſeminibus eſt amicus: At quæ in cornua H incidant, protecta magis videntur, quàm ſeminata, & mora frigus colligunt. Quod autem attinet ad vocem κερασβόλος: qui ſcripſit etymologicon indicat hanc vocem ſemel duntaxat vſurpatam à Platone, ſumptamq; à leguminibus (vnde fortè Hermolaus κερασβόλα ſemina, vocat legumina inobſequioſa & cõtumacia,) quæ nec igni nec aqua molleſcant, Interpres ineptè vertit, fulminis tactu prædura, quaſi κεραυνοβόλα dictum eſſet. Gaza verò apud Theophraſtũ ateramnon incoctibile vertit, ſed & crudum verti poteſt, vnde & ὕδωρ ἀτέραμνον dicitur, ideſt, aqua cruda: & ἀνὴρ ἀτεράμων, apud Ariſtophanem vir eſt durus, inexorabilis & corneæ fibrę. Eſt & ateramon Plinio herbę genus, inquit enim: *Circa Philippos ateramon nominant in pingui ſolo herbam, qua faba necatur: teramon, qua in macro, cùm vdam quidam ventus afflauit.* Cęterum Plinius aut eius libertus authorum Græcorum exſcriptor, ex vocibus τεράμονα & ἀτεράμονα, ideſt, coquibilia & coctu difficilia, quibus legumina Theophraſtus indicauit, præſertim fabam, & lentem, herbas fecit admodum oſcitanter. Vnde Hermolaus in Corollario ad fabam Dioſcoridis, Plinius (inquit) Theophraſtum intelligit, nonnunquam fieri, vt teramos in ateramon tranſeat, cùm vapore atq; halitu terræ madidam, indigena

Lib. 9. de legib.

In Veſpes.

Ateramon herba.

Lib. de cauſ. plant. c. 13. & 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A gena quidam ventus afflauerit. Aliter Theodorus, qui duo illa, teramon & ateramon siue ateramnon pro coctibili, non pro herbis ita nuncupatis accipit. Theophrastus certè alio loco facilè significat veriorem Theodori, quàm Plinij sensum fuisse. Vt verò reuertamur ad ipsam Plutarchi quęstionem. Quibusdã doctis verisimile fit, ortam hanc persuasionem de seminum duritate, quòd quæ dura & in coctilia sunt, cornu duritiem ac tenacitatem & insuper colorem præ se ferant, tanquam vitio per contagium nato. Rasis nulla duritatis facta mentione, semina (inquit) quæ dum sparguntur, boum cornibus attacta fuerint, non euadunt in bonam frugem & grana producunt exigua. Boũ cornua cur in Auentino suspendantur, cùm in cæteris Dianæ templis ceruorum tantummodo affigantur, recitaui inter prodigia ex eodem Plutarcho.

LEGES DIVINAE, SACRAEVE, Ac Gentilitiæ.

B

QVANTO odio Deus prosequatur homicidium, ex hisce eius legibus, quas nobis in Exodo præscripsit, innotescit: *Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem & mortui fuerint, lapidibus obrueretur, & non comedentur carnes eius, dominus bouis innocens erit.* Quo loco Septuaginta habent, λίθοις λιθωβοληθήσεται ὁ ταῦρος, idest, lapidibus lapidabitur taurus, quasi possit lapidari (inquit D. Augustinus) nisi lapidibus: (similiter tamen etiam in Hebræo textu legi annotauit author catenę, aitque esse Hebraismum.) Ad iustitiam autem pertinere ait, vt animal hominibus noxium perimatur: Et quod de tauro positum est, à parte totum intelligendum esse, quidquid de pecoribus vsu humano subditum, infestum est hominibus. Sed si necesse (inquit) est occidi, nunquid lapidari. Quid interest enim animal quod auferendum est, qua morte auferatur? Deinde quod addit, carnibus eius non esse vescendum, quò pertinet, nisi omnia ista significent aliud, quod scriptura maximè solet intueri? Author Catenæ latius exponendam ait hanc legem, nempe de rabido cane, equo calcitroso, & omni pecore quod nocet: vetari autem carnem edi in execrationem facti, ne & ipsi efferi reddantur & atroces:

Cap. 21.
Homicidiũ, vt Deo displiceat.

C eatenus enim domino inuisum esse homicidium, vt nec bestiæ homicidæ carnes nobis permittat edendas, tantum abesse à nobis debere omnem crudelitatem & atrocitatem. Innocens autem iudicatur dominus bouis, nec venit iure damnandus, vel accusandus ad restitutionẽ damni illati, quia cornupetam bouem suum esse nesciebat. Verùm obserua quod neglectori & cessatori imputetur id peccatum, quod negligentia ipsius ab alio designatum, ideoq; ibidem additur: *Quodsi bos cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius, & contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum illius occident. Quod si pretium ei fuerit impositum, dabit pro anima sua quicquid fuerit postulatus.* Ad explicationem huius loci facit hoc D. Thomæ: Animalia bruta mandantur occidi non propter aliquam ipsorum culpam, sed in pęnam dominorum, qui talia animalia non custodierant ab huiusmodi peccatis, & ideo magis puniebatur dominus, si bos cornupeta fuerat ab heri & nudiustertius (in quo casu poterat occurri periculo,) quàm si subito cornupeta efficeretur, vel occidebantur animalia in detestationem peccati, & ne ex eorum aspectu aliquis horror hominibus incuteretur. Hæc Thomas. Quod autem de pretio redemptionis dicitur, id non repugnat (inquit author catenæ) alteri sacræ scripturæ loco, vbi

Bruta infesta cur occidantur.

D dicitur, *Non accipies pretium redemptionis ab homicida,* quia ibi loquitur scriptura de homicida voluntario, hic verò de eo propter cuius negligentiam homo interierit, cum bouem ligare & recludere debuerit. Multa igitur cura præcipitur, & docetur adhibenda iumentis, ne proximis damno sint, multo magis familię reliquæ, & maioribus. Vicini enim mutuis beneficijs certare debent, & auxilio, non inferre damna vel lædere. Præmonendi diligenter sunt patresfamilias, ne eis etiam inscijs familia noceat vicinis. Et non antea & leui causa repetenda damna, dicente scriptura, vt cõtestetur dominus iumenti prius, & admoneatur periculi, si fortè ignoret cornupetam bouem & recludendum non putet: Quod si admonitus, negligens tamen fuerit, tunc demum illati damni reus erit. Verùm si pretiũ pro recuperatione vitæ ei taxatũ fuerit, illud dabit, & se redimere poterit. Additur autem in lege: *Filium quoq; & filiam, si cornu percusserit, simili sententiæ subiacebit.* Vbi Hugo de sancto Victore; filiũ quoq; & filiam non intelligas illius, cuius est bos, sed alterius, quod apparet per hoc quod subiungit de seruo: *Si seruum ancillamq; inuaserit, triginta siclos argenti dabit domino, bos verò lapidibus opprimetur.* Caietanus ait: occisis personis liberis à cornupeta ex negligentia domini, pœna statuitur arbitraria, occisis autem seruis, quantitas pœnæ ab ipsa lege definitur. Alia lex. *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, vel*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

aſinus, reddet dominus ciſternæ, pretium iumentorum, quod autem mortuum eſt, ipſius erit. Docetur E hic ſolicita obſeruatio, ne lædatur quoquo modo proximus in perſona & rebus: ideò pericula diligenter præcauenda vndique, circumſpectio & prouidentia commandatur in rebus omnibus. Alia.

Si bos alterius bouem vulnerarit. Quæſt. 82.

Si bos alicuius bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuum & diuident pretium, cadauer autem mortui inter ſe diſpertient. Quærit autem D. Auguſtinus in quæſtionibus ſuis ſuper Exodum, nunquid in ſolo tauro (ſic enim habet alia litera) hæc iuſtificatio ſeruanda eſt, & non de omni pecore in tali caſu? Proinde à parte totum & hoc intelligendum eſt, ſed hoc de carnibus occiſi pecoris fieri non poteſt, quæ non veſcuntur. Caietanus notari vult, quod dicendo ſi bos percuſſerit bouem, æqualitatem animalium inſinuauit, & propterea non dixit (inquit) vitulum aut agnum percuſſum. Et æqualitate inter percutiendum & percuſſum ſuppoſita, ſtatuitur diuidēdum tam pretium viui quàm mortui bouis, nam ſi inæqualitas eſſet (puta quod mortuum animal parum valeret) non eſſet æquis portionibus facienda diuiſio, ſed ad æquitatem reducenda. Additur. *Si autem ſciebat. quod bos cornupeta eſſet ab heri, & nuduſtertius, & non cuſtodiuit eum dominus ſuus, reddet bouem pro boue & cadauer integrum accipiet.* Vides iterum in hac lege, quanta ſollicitudine F deus exigat, ne quid damni proximus noſtra ignauia patiatur. Alia lex de furti pœna:

Furti pœna, & damni illati.

Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, vel vendiderit, quinque boues pro vno boue reſtituet, & quatuor oues pro vna oue. Secundum literam (inquit Strabus) quinque boues pro vno boue, & quatuor oues pro vna oue redduntur: quia bos quinque vtilitates habet, ouis quatuor: Bos enim immolatur, arat, paſcit, lac dat, corium etiam diuerſis vſibus miniſtrat. Ouis verò immolatur & paſcit, lac, & lanam tribuit. Theodoretus ſimiliter ait: Quinque boues pro vno, & quatuor oues pro vna reſtitui iubet, quia peccata maiora maiori mulcta pœnaque digniora ſunt: vnde & Dominus ait: *Cui multum datum eſt, multum requiretur ab eo.* Caietanus verò hanc legem ſic exponit: Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, lege aut agnum, & vendiderit vel occiderit. De occiſione in macello loquitur litera Hebraica, & intendit, ſiue vendiderit animal viuum, ſiue occiderit comedendum. Et exigit hæc lex duas conditiones, videlicet furtum & venditionem ſeu iugulationem, alioquin non eſt locus pœnæ huius legis. Et appellatione bouis & agni, intellige omnia animalia tam magna, quam parua. Lex enim ſimilia omnia comprehendit, alioquin oporteret multiplicare leges iuxta numerum rerum. Et ſcito quod iſta lex de furto, eſt iuxta textum Hebraicum vna, diſtincta in quinque partes, quarum prima tractat de fure conſummato, qui furatus eſt & vendidit: ſecunda de fure inuento G nocte in furando, tertia de eodem inuento die, quarta de fure carente, vnde reddat, & quinta de fure, apud quem inuenitur res furto ablata. Quinque boues pro vno boue reſtituet. Magnitudo pœnæ cum differentia ſubiuncta inferius, quod ſi bos inuentus fuerit apud furem, duplum duntaxat reſtituet, cogit ad inueſtigandum rationem tantæ pœnæ. Et eſt ratio, quia vendens aut iugulans bouem, tollit & à ſe facultatem reſtituendi idem, ad quod realiter tenetur, & à domino facultatem inueniendi animal ſuum, nam veriſimile eſt quod vendet diſtrahendo, vt non facilè inueniatur à domino. Quia itaque furto accumulauit has impotentias, tam grandi pœna punitur. Et quatuor oues pro vna oue. Diſparitatis iſtius (quòd pro boue quinque, pro agno verò quatuor reſtituūtur) ratio eſt quia maius crimen, non ſolùm æquali proportionaliter pœna, ſed etiam plus eſt puniendum. Punirentur enim æqualiter ſecundum proportionem, ſi quadruplum vtrobique reſtitueretur: punitur autem pluſquàm proportionaliter fur bouis quàm fur agni, reſtituendo quinque boues pro vno, ne quis audeat maiora crimina attentare. Hęc intellige ſecundum communem lectionem, ſecus autem ſi Hebraica verba penſentur, nam Hebraicè, & Chaldaicè habetur. *Et quatuor* H *oues pro agno.* Iuxta hoc enim plus proportionabiliter fur bouis quàm fur agni punitur, quia pluris ſunt quatuor oues quam quinque agni. Et ratio maioris pœnæ, eſt maior pronitas ad furandum agnum quàm bouem, ne paſſim itaque, aut facilè furtum agni, & ſimilium committeretur, maior adiecta eſt pœna. Hactenus Caietanus. At verò author catenæ etiam admonet, dictionem Se Hebraicam & pro agno, & pro oue, & pro pecore poni: Et hinc factum eſſe, quod ouem aliqui, agnum alij, nonnulli pecus tranſtulerint. Furtum igitur punire redditione taxata lege, non morte, vel furca: Et quia nihil ferè non prodeſt hominibus eorum quę duo hæc proferunt animalia, propter magnitudinem damni, magna etiam taxantur pœna. An quia animalia hæc paſſim in campis paſcuntur, facilis eorum eſt ablatio? Vt ergo facilitatem & pronitatem reprimat, animalia proximi furto auferendi, ſeueram taxat pro huiuſmodi furtis pœnam. Sed quare iubentur (inquit) reddi quinque boues & tantum quatuor oues? Reſpondent quidam Hebræi, quòd bos cùm multo maior ſit oue, non poſſit facilè abſcondi, & abduci, niſi à fure furtis aſſueto. Alij, quod interim dominus bouis labore eius in agricultura fuerit deſtitutus, damnum hic per quintum bouem ſarcitur. Ouis autem nomine, pecus domeſticum dicunt intelligi, agni, & capræ. Alia lex. *Si inuentum fuerit apud eum quod furatus eſt, viuens ſiue bos, ſiue aſinus, ſiue ouis, duplum reſtituet.* Quo loco, vt idem teſtatur

author

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A author Catenæ, Chaldaica litera, & Hebraica ſic habent: *ſi autem inuentum fuerit in manu eius quod furto ſublatum eſt, ab oue vſque ad aſinum, & vſque ad bouem, ſi fuerint viui, duplum reſtituet*. Sed hoc (inquit) idem eſt cum litera noſtra. Duplum autem intelligi videtur debere quod reddat, bouem ſcilicet quem abſtulit, & alium, & pecudem quam eſt furatus, & aliam. Sic etiam quintuplum intellige, quatuor, & illum quem furatus eſt. Hic videmus aliam eſſe pœnam furis, apud quem furtum adhuc eſt, aliam eius qui vendidit aut mactauit, maiorem ſcilicet. Nam cum adhuc res ſublata ſupereſt, reſtitui poteſt ſuo domino, daturque quiddam pro contumelia: ſi verò perdita res eſt, rem ſoluet & contumeliam qua affectus eſt dominus. Notat Caietanus, quod altera primæ in hoc capitulo legis pars ex parte rei ablatæ promulgetur: Primam enim partem fuiſſe, ſi quis furatus fuerit bouem, & vendiderit, ſeu occiderit; alteram partem eſſe, ſi nec vendiderit, nec occiderit, ſed apud ſe retinuerit furto ablatum animal viuum: & ex hoc quod aſinus adiungitur, haberi duo: alterum quod iam dictum eſt, quod appellatione bouis & agni, intelliguntur in hac lege animalia omnia magna & parua, alterum, quòd ex eo quod aſinus, & non aſinus ſubiugalis, nec aſinus gregarius dicitur, lex iſta comprehendit etiam bouem non gregarium, & ſi-
B militer equum, & mulum, & reliqua animalia. Alia lex tractans de depoſitis animalibus: *Si quis commendauerit proximo aſinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad cuſtodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hoſtibus, nulluſque hoc viderit, iuſiurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi ſui, ſuſcipietque dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur.* *Lex de depoſitis animalibus.* Lex iſta (inquit Caietanus) diſponit in quinque caſibus, & primum tres caſus ſimul, videlicet ſi depoſitum animal fuerit mortuum, vel fractum, vel prædatum nemine vidente: ſtatuit enim quod in his caſibus ſtetur iuramento depoſitarij, ita quod dominus rei depoſitæ teneatur acquieſcere iuramento. Et dicitur captum ab hoſtibus, quod in prædam abductum eſt, iungitur autem nemine vidente, quia ſe fuiſſent teſtes, non opus eſſet iuramento. Deinde diſponit quartum caſum, videlicet ſi commendatum animal furto ablatum fuerit, inquiens: Quòd ſi furto ablatum fuerit, reſtituet damnum domino. Depoſitarius videlicet domino animalis: non dicit reſtituet duplum, ſed abſolutè reſtituet, vt intelligamus, quod ſufficit reſtituere tantum, quanti pretij erat animal ſurreptum. Demum quintnm caſum expedit, ſi animal comeſtum fuerit à beſtia: ſi comeſtum (inquit) à beſtia, deferat ad eum quod occiſum eſt, & non reſtituet. Alia. Qui coiuerit cum iumento, morte moriatur. Quo loco Septuaginta habent *παντα κοιμώμενον μετὰ κτήνους θανάτῳ ἀποκτενεῖτε αὐτούς*. ideſt,
C omnem dormientem cum iumento, morte occidetis eos. Horribile (inquit author Catenæ) exprimitur opus, horribili iuditio puniendum vt vitetur diligentiùs, quia naturæ & naturarum authori infame eſt, & vehementiſſimè inuiſum. Sine omni miſericordia occidatur vel diſpenſatione, hoc eſt, enim morte moriatur. D. Thomas ait: Grauitas in peccato magis attenditur ex abuſu alicuius rei, quàm ex omiſſione debiti vſus. Et ideo inter vitia quæ ſunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod conſiſtit in ſola omiſſione concubitus ad alterum. Grauiſſimum autem eſt peccatum beſtialitatis, quia non ſeruatur debita ſpecies. Vnde ſuper illud Geneſis trigeſimoſeptimo: *Accuſauit fratres ſuos crimine peſſimo*, dicit Gloſſa, quòd cum pecoribus miſcebantur. Poſt hoc autem eſt vitium Sodomiticum, cùm ibi non ſeruetur debitus ſexus. Alia. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum*. Hæc lex (inquit author Catenæ) modum ponit affectibus & inimicitijs, ne ſint nimium vehementes, & euadunt ad pernitiem proximi. Prohi- *Coeuntis cũ iumento pœna.* bet autem ſuo more ſcriptura rem ſub perſona, odium pro hoſte. Bouis autem nomine intelligit, quæcunque habet is, quem odis, per quæ illi incommodare, vel impedire commodum potes. Vt enim odium non ſemper vt vellet, exuere te poſſe credas, manum tamen potes continere, & pedes
D regere in alicuius rem, vel promouendam, vel impediendam. Fac ergo proximo quod ſibi fieri optares, & optare deberes, & periculum eius, aut damnum impediendo impedias. Et quia Iudæi crudeles erant, ideo ſancta lex ad pietatem etiam erga bruta animalia exercenda inducit, vt ex hoc ad maiorem poſtmodum erga homines inducerentur. Ex hoc enim quod videbat inimicus ab inimico animal domum reductum, compellebatur quodammodò ad deponendum odium contra eum ſuſceptum. In quo ſenſu etiam Iſidorus: Bouem & aſinum reduci iubet (inquit) odienti proximum ſuum, vt hac ratione odientis animum ſibi conciliet. Nam ſi omnino implacabilis, atque inexorabilis non fuerit, fieri non poteſt, quin hac in illum humanitate animus illius non manſueſcat. Alia lex contra illos qui diebus feſtis magis opprimunt & excrutiant ſeruos, nec eis vel parum quid temporis ad diuinis intereſſendum impendere volunt: *Sex diebus operaberis, ſeptima die ceſſabis, vt requieſcat bos & aſinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ & aduena.* Ex quo ſcripturæ loco D. Hieronymus ſeptenarium numerum ſanctum eſſe colligit. In ſabbato enim quod ſeptimus hebdomadæ dies, eſt requieuit deus ab omnibus operibus ſuis: & iubet ne quid in eo operis ſeruilis fiat, niſi ea tantum quæ ad animam pertinent, & ne in eo onera portemus. Inuenio modò,

&apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Gentium leges de boue. & apud Gentiles leges de boue. Eo enim ſurrepto aut occiſo, condictio, & bouis, & corij, & carnis domino competebat, ſcilicet ſi & corium, & caro contrectata fuiſſent: cornua quoque condicebantur: ſed ſi dominus condictione, bouis pretium conſecutus fuiſſet, & poſtea aliquid eorum de quibus ſuprà dictum eſt, condiceret, omnino exceptione commouebatur: Contrà ſi corium condixiſſet, & pretium eius conſecutus, bouem condiceret, deferente fure pretium bouis detracto pretio corij, doli mali exceptione ſummouebatur, 1.l. ſi ſeruus furtiuus, §. vltimo, D. eodem. Si verò quis iumentum morboſum vitioſumque pro ſano, & integro vendidiſſet, edicto ædilium emptori ſuccurrebatur, idque edictum ædilitium dicebatur, vnde & edictiones ædilitiæ; vt annotauit Calepinus in ædilis. *Edictũ ædilitium.* E

MORALIA. MYSTICA.

BOVEM, taurum, vitulum, & vaccam, modò in bonam, modò in malam partem moraliter, myſticèq; accipi, ſuis pòſt quibuſque locis patebit. D. Gregorius, in bobus enim, inquit, aliquando luxurioſorum dementiam, aliquando laborioſam fortitudinem, aliquando humilitatem exprimi Iſraelitarum. Quia enim bouis nomine per comparationem luxurioſorum dementia deſignatur, Salomon indicat, qui cum male ſuadentis mulieris petulantiam præmiſiſſet, adiunxit: *Statimque eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam.* Rurſum quia bouis nomine, labor prædicatoris exprimitur, legis verba teſtantur, quæ ait: *Non obturabis os boui trituranti*: ac ſi apertè diceret: Prædicatores verbi à ſtipendiorũ ſuorum perceptione non prohibeas. Rurſus quia bouis nomine plebs Iſraelitica figuratur, propheta aſſerit, qui redemptoris aduentum denuncians dicit: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Per bouem ſcilicet Iſraeliticum populum, iugo legis edomitum ſignans, per aſinum verò gentilem populum indicans, voluptatibus deditum & grauius brutum. Hæc Gregorius. Recitabò ego prius theologorum loca, in quibus hoc genus animantis in bonam partem accipitur, & quia labores eius maximè commendantur, dicam quid ij nobis indicent. D. Bernardus itaque in paruis ſermonibus, boues eſſe ait, qui in opere dei ſtrenuè exercentur, qui ſeminant in lachrymis, ſed in gaudio metunt: qui (inquit) quæ ſunt huius mundi, arbitrantur vt ſtercora: Piger verò cuius Sabbata videntes hoſtes derident, de honeſtatur ab hoſtibus in ocio ſuo, ſicut boues ſtrenui in laboribus ſuis honeſtantur à deo. Quem enim maligni ſpiritus pigrum vident ad ſpiritualia exercitia, in cogitationibus eius ingerunt importunè terrena: velut de ſtercoribus boum maſſas coagulantes, & pigrum ſicut dignus eſt, lapidantes. Gloſſa etiam ordinaria boues arantes interpretatur, homines pro bono communi laborantes. Et Beda in quæſtionibus ſuper Deuteronomium, explicans hanc ſacræ paginæ ſententiam, *Non alligabis os boui trituranti.* Dictum eſt (inquit) quod in bouis nomine vita vniuſcuiuſque operantis exprimitur, additque quodam in loco dici ab Apoſt. Paulo: *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, vt carnalia veſtra metamus.* Hoc autem ſignificare, *Non alligabis os boui trituranti*: vnde & apoſtolum alio loco dicere, *Dignus operarius mercede ſua.* Arnobius quoque boues interpretatur, qui laborant ſub iugo domini, ad hæc Pſalmiſtæ verba: *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas.* At Ambroſius venditores ouium, & boum eos putat, qui de labore alieno, vel ſimplicitate fœdi auctionatores quaſdam nundinas aucupantur. Gregorius verò etiam in explicatione horum verborum: *Boues arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, &c.* Quid (inquit) in figura per boues, quàm bene operantes: quid aliud per aſinas quàm quoſdam ſimpliciter viuentes accipimus? Quæ benè iuxta boues paſci referuntur quia mentes ſimplicium etiam cum alta capere non poſſunt, eò magis vicinæ ſunt, quo & fraterna bona ſua per charitatem credunt, cumque inuidere alienis ſenſibus neſciunt, quaſi in paſtu ſe minimè diuidunt. Simul ergo ſe aſinæ cum bobus reficiunt, quia prudentibus coniuncti tardiores eorum intelligentia paſcuntur. Sabæi autem captiuantes interpretantur. Heſychius Hieroſolymitanus etiam ait, bouem pleriſque diuinarum literarum locis pro homine poni, qui iuſtitiæ ſit operibus intentus. Dicunturque boues arantes, vt Gloſſa ordinaria declarat, cogitationes charitatis, quæ corda duorum arando proſcindunt. Eucherius per boues accipit apoſtolos, qui ſuſcepto Chriſti iugo vniuerſum terrarum orbem euangelico vomere perarauerunt. Et D. Hieronymus in explicatione huius Eſaiæ ſententiæ: *Et tauri tui & pulli aſinorum qui operantur terram, commiſtum migma comedent, ſicut in area ventillatum eſt*: vel vt Septuaginta legunt: *Tauri veſtri & boues veſtri qui operantur terram, comedent paleas commixtas in hordeo ventilato.* Similiter ait: In rerum omnium abundantia, cæleſti pluuia deſcendente, & illo pane qui de cælo deſcendit, quem qui commederit, nunquam eſuriet, paſcentur agni in loco ſpatioſiſſimo, qui ſequuntur

Lib. 35. in cap. 42. Iob. *Luxurioſorum dementia.* *Prouerb. 3.* *Labor prædicatoris.* *Deut. 25.* *Plebs Iſraelitica.* *Eſa. 1.* *Laborantes bobus ſimiles.* *Cap. 50.* *In Euang. Lucæ c. 10.* *Cogitatio charitatis.* *Apoſtoli.* *Cap. 30.*

F G H

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A quuntur agnum quocunque vadit, & qui ſemper ad dextram ſunt. Tauri autem principes gregis,
de quibus legimus: *Congregatio taurorum in vaccis populorum, & pulli aſinorum quibus ſedens do-* *Pſal.17.*
minus ingreſſus eſt Hieruſalem, qui operantur terram, ſic de area comedent, vt fuerit ventilatum, ne
quid videlicet in cibo eorum miſtum ſit palearum, de quibus in Hieremia ſcriptum eſt: *Quid pa-* *Cap.23.*
leis ad triticum dicit dominus? & quæ in Euangelio comburuntur igni inextinguibili. Porro iuxta
Lxx. iumenta quę necdum rationis ſapientięque ſunt plena, & de quibus vnum loquitur ad Deum:
Sicut iumentum factus ſum apud te, paſcentur in loco pinguiſſimo & ſpatioſo, qui non affert ſpinas, & *Luc. 3.*
tribulos, ſed quaſi terra Iſrael melle, & lacte decurrit, & plenam paſcentibus, tribuit libertatem. Tau-
ri autem & boues, qui operantur terram, ideſt, Apoſtoli & viri Apoſtolici, de quibus & Apoſtolus
Paulus ſcriptum interpretatur: *Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura eſt deo?* Sed *1.Cor.9.*
vtique de his dicit, qui operantur terram ſuam: & de quibus idem loquitur. *Dei agricultura, Dei* *Lib. 7. de*
ædificatio ſumus, &c. Sed & Euſebius interpretans hunc locum: *in die ipſius Emanuel, quæ eſt dies* *præparat.*
aduentus Chriſti, nutriet homo iuuencam boum & duas oues & erit ex eo, quod plurimum faciet lac: *Euang.*
butyrum & lac comedet omnis, qui relictus fuerit in terra: In quibus verbis, dixerit (inquit) aliquis,
B Iudaici populi famem paupertatemque immenſam ſignificari, quippe qui neque triticeo naturali-
que cibo ſit abundaturus, ex eo quod neque terram arabit, neque ſeminabit, neque metet, neque
greges ouium, neque boum armenta poſſeſſurus, ſed habiturus duas oues, & iuuencam vnam, qui-
bus lac ſibi ipſi ſuppeditet: aut aliter, figuratè loquens, eum qui in terra relictus ſit, ſignificare dixe-
rit ex Iudæis, qui in Saluatorem, ac Dominum noſtrum crediderint: Apoſtolorum atque Euange-
liſtarum chorum, è quibus vnuſquiſque, cum ſecundum electionem gratiæ relictus ſit, & ob id, reli-
ctus in terra nominatus, iuuencam boum, & duas oues dicitur nutriturus, ternos videlicet per ſin-
gulas Eccleſias ordines; vnum quidem eorum qui præſint, duos autem eorum qui ſubiecti ſint: cum
Eccleſiæ Chriſti populus in duos ordines ſit diuiſus, in eorum qui credunt, & eorum qui nondum
ad lauacri regenerationem aſſumpti ſunt: ad quos etiam Dominus Apoſtolus ait, *Lac vobis potum* *1.Cor.2.*
dedi, non eſcam. Eos verò qui iam in habitu perfectiore conſtiterint, iuuencam boum meritò appel-
lat, quippe qui perfectiorum boum fœtus ſint, cuiuſmodi ipſe fuit Apoſtolus, qui de ſeipſo, atque
ijs qui ſimili modo, vt ipſe, laborant, ita ait: *Nunquid de bobus cura eſt deo?* An propter vos omnino
dicit? Erit autem quoque ordo eorum qui Eccleſiæ præſunt, quibuſque arandi & colendi animas
hominum cura mandata eſt iuuencæ boum nomine ſignificatus: quippe qui apoſtolicorum rituum
C ac præceptorum fœdus exiſtat: quique etiam in virtute vſque adeò incrementum accepturus dici-
tur, vt ex fœtus multiplicitate, tantum genitalis rationaliſque lactis introductorijs doctrinis ſit ſuf-
fecturus, vt ex eo innumerabiles alij nutriendi ſint. Hæc Euſebius. Quod verò Salamon in ſuo tem-
plo duodecim boues æneos fecit, quos in æreo labro conſtituit, qui facie quidem per diuerſas par-
tes attendunt, ſed in vno loco per poſteriora colliguntur, nihil aliud quàm duodecim apoſtolos de-
ſignari Beda ait, qui facie quidem per diuerſa reſpiciunt, ſed ita in labro ſunt poſiti, vt poſteriori- *In quæſt.*
ribus adunentur: qui in hac præſenti vita ad prædicationis officium in diuerſis mundi partibus ſunt *ſup. l. 3.*
diuiſi: in illa verò vita quæ huic vitæ poſterior eſt, quia poſt hanc videbitur æterna, gloriæ vnitate *Reg. c. 2.*
conueniunt. Per diuerſum ergò mundum prædicando reſpiciunt, ſed in vnum eueniendo conſi-
ſtunt. Ideò autem æreis quia clamor prædicationis eorum in toto mundo inſonuit, ſicut ſcriptū eſt:
In omnem terram exiuit ſonus eorum. Labrum autem orbem terræ intelligimus, cuius ambitum
luſtrauerunt Apoſtoli, docentes gentes vt baptizarentur in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti.
Aliàs verò dixerat: Bene (inquit) ſequitur: *Et ſtabat ſuper duodecim boues, è quibus tres reſpiciebāt* *Lib. de tēplo*
ad Aquilonem, & tres ad occidentem, & tres ad meridiem, & tres ad orientem. Per boues quippe *Salam.*
D Apoſtolos & Euangeliſtas, imò omnes verbi miniſtros debere intelligi, Apoſtolo docente cogno-
ſcimus, qui exponens mandatum legis, quo dictum eſt, *Non alligabis os boui trituranti. Nunquid* *Deut.25.*
de bobus (inquit) *cura eſt Deo?* an propter nos vtique dicit. Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam *1.Cor.9.*
debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, ſpei ſuæ fructus percipere. Duodecim ergò boues, duo-
decim Apoſtoli ſunt, & omnes qui vice eorum ſuſceperunt Eccleſiam ſanctam, qui nimirum boues
mare ſibi ſuperpoſitum portant, cùm Apoſtoli Apoſtolorumque ſucceſſores iniunctum ſibi euan-
gelizandi officium prompta implere deuotione ſatagunt: Et tres ad Aquilonem, & tres ad Occidē-
tem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem reſpiciunt, cùm in vniuerſis quadrati orbis partibus
fidem ſanctæ Trinitatis prædicant. Nam & Apoſtoli eo myſterio duodecim, hoc eſt, quater terni
ſunt electi, vt fidem & confeſſionem ſanctæ Trinitatis per quatuor mundi plagas euangelizantes
baptizarent, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quorum videlicet Apoſtolorum ſucceſſo-
rumque eorum verba, actus & paſſiones perfacilè in præſenti videre, vel legendo cognoſcere vale-
mus, quæ verò illos in futurum maneat gloria retributionis, necdum videre poſſumus. Vnde aptè
ſubditur: *Quorum poſteriora vniuerſa intrinſecus latitabant.* Intrinſecus namque latitant vniuerſa
boum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

boum posteriora, quia qua mercede sancti prædicatores in perpetuum donentur, in interni arbitri E examine iam dispositum est; sed nobis qui adhuc foris sumus, manet omnimodis occultum, &c. Iacobus de Vitriaco Cardinalis cùm dixisset, Agricolam boues iugo iungere, spiritualiter spectare ad summum Agricolam, qui tanquam colonus venit in terram, vt ait Hieremias, & tot habet boues quot prælatos, in agro ecclesiæ laborantes: de quibus dicitur in Iob: ***Boues arabant & asinæ pascebant iuxta eos***, idest, simplices & rudes populi. Principales autem & fortiores (inquit) boues, erant duodecim Apostoli qui significantur per duodecim boues æreos, qui sustinebant luterem æneum ante fores templi Salamonis. Luter in quo abluebantur sacerdotes, diuinam scripturam significat. De his bobus dicitur in Parabolis; *Vbi boues non sunt, præsepe vacuum est*. Vbi enim prædicatores desunt, corda subditorum à bonis spiritualibus vacua sunt. Dicuntur autem prælati boues, quia fortes, quia ruminant, dum in lege Domini meditantur die ac nocte, quia findunt vngulam per discretionem & duplicem charitatem Dei, & proximi, & vtrumque testamentum recipiunt. Quia terram arant, id est, terrenorum corda vomere prędicationis scindunt, quia iugo premuntur, sicut dicit Dominus in Euangelio: *Tollite iugum meum super vos*, & Hieremias: *Bonum est viro cùm portauerit iugum Domini in adolescentia*, Quia loris disciplinæ ad præsepe Domini ligantur. Quia paleam co- F medunt, idest, scripturam, vel grossa & non delicata cibaria, quod precipuè pertinet ad eos, qui granum conferunt pauperibus, & hospitibus, sicut Cistertienses paleam, idest, grossa cibaria sibi retinentes. Quia immolantur carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs crucifigentes. Quia firmiter pedem figunt, ne labantur, firmi scilicet infido & recti corde, sicut de sanctis animalibus Ezechiel ait: *Pedes eorum, pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli*. Et quia cornibus duorum testamentorum ventilant hæreticos, & inimicos Christi, quæ cornua in manibus eorum sunt. De Christo autem, qui fuit bos immaculatus pro nobis, sumptus ex armento Patriarcharum, spiritualiter dicitur, cornua in manibus eius. Fuit enim bos cornutus, non solum propter duplicem naturam, sed quia cornua crucis in manibus habuit. Hic igitur agricola boues iugo iungit, vnde & binos misit ante faciem suam, propter concordiam & dilectionem, & duo præcepta charitatis. Alij etiam agricolæ, idest, prælati Ecclesię, boues, idest, fortia opera, & exteriores actiones, sub iugo Domini iungunt, dum opera eorum in vnum conueniunt, & ad Deum referuntur, coniuncta in fide, & charitate. Alioquin non placerent Deo sine fide, quæ per dilectionem operatur. De his bobus in Deuteronomio dicitur: *Non operaberis in primogenito bouis*, idest, exterioris actionis primodia, G in exercitio publicè actionis non ostendens, propter humanum fauorem. Agricola stimulo boues pungit, verbis, scilicet, sacræ scripturæ: de quibus Salamon ait in Ecclesiaste; *Verba sapientis quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi*. De hoc stimulo dicitur in primo Regum, quod faber ferrarius non inueniebatur in tota terra Israel: Philistæi enim cauerant, ne facerent Hebræis gladium, aut lanceam, & retunsæ erant acies vomerum, & ligonum vsque ad stimulum corrigendum. Philistæi enim, idest, dæmones, pro posse laborant, ne sit faber ferrarius, idest, prædicator in Ecclesia Dei, & quod lanceæ, & stimuli redundantur, ne boues stimulentur. De hoc stimulo dicitur in Ecclesiaste. *Qui tenet aratrum, & qui gloriantur in iaculo, stimulo boues agitat*, boues scilicet illos, de quibus iterum in Ecclesiastico dicitur. *De stercore boum lapidatus est piger*, idest, opprobrijs & increpationibus prælatorum, vel stercora boum dicuntur transitoria, quæ sancti tanquam stercora reputant, pro quorum illicita concupiscentia lapidabitur piger, quia spiritualibus ocio torpet. Agricola tempestate aeris non abigitur, quia aduersitatibus non cedit prælatus. Aquæ enim multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam, sicut dicitur in Canticis. E contrà de timidis prælatis, qui non sunt boues Domini, sed vaccæ diaboli, dicitur in Ecclesiaste: *Qui obseruat ventum, non seminat; qui considerat nubes, non metet*. Vento enim tentationum & nubibus aduersitatū H exterriti, à bono opere cessant; Hæc & alia Cardinalis de Vitriaco. Diuus quoque Bernardus eorundem æneorum boum sculptura Prælatos Ecclesiæ indicari ait. Prælati (inquit) Ecclesiæ portare debent subditos suos quos corrigunt, & corrigere quos portant. Hinc Salomon in basibus templi Domini imaginem leonis & bouis, & cherubim opere sculptorio fecit pingere. Quid aliud designant bases in templo, nisi Prælatos in Ecclesia? Quicunque solicitudinem regiminis suscipiunt tāquam bases, portant onus suppositum Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur. In basibus cherubim monstratur, quia Prælati Ecclesiæ pleni debent esse cælesti scientia. Per leonem terror seueritatis figuratur; per bouem verò patientia mansuetudinis ostenditur. Itaque in basibus neque leonès sine bobus, neque boues sine leonibus exprimuntur; quia Prælati Ecclesiæ aliquando rigidè, aliquando cum dulcedine, aliquando cum asperitate, aliquando verbis, aliquando flagellis debent subiectos suos corrigere, quia ille qui blandis verbis castigatus non corrigitur, necesse est, vt acrius corrigatur, & arguatur. Beatus verò Theodoretus per boues interpretatur perquam significanter etiam sacerdotes, in interpretatione horum prophetæ verborum; ***Defecerunt ea quòd comederent*** ***oues,***

Dominica in sexagesima.

Cap. 14.

Cap. 18.

Cap. 21.

Cap. 8.

Prælati timidi.

Lib. de modo bene viuendi, serm. 18.

Prelatorum officium.

Leo terror seueritatis.

Bos patientia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *oues, & sunt boues in præsepio:* Boues (inquit) non existentes in præsepibus, sacerdotes dicit: quorum altaria olim percelebria, deserta remanserunt: nam quemadmodum boues arant terram, sic populi animas sacerdotes excolunt, tanquam pastum ab eo àccipientes ea quæ altaribus sicut præsepibus afferuntur: de quibus etiam Paulus inquit: *Non alligabis os boui trituranti:* itemque qui altaribus deseruiunt, cum altari participant. Ita, & Beda quærens, cur Samuel nec bouem se cuiuspiam, nec asinum tulisse perhibeat? quia, inquit, prophetica scilicet legalisque scriptura nemini, vel triplicitatem rectè conuersandi ad proximum, vel grauitatem corripiendi & instruendi proximum, sinistra suggerendo subtraxit. Asinus, namque qui ingenita mansuetudine, & hominum necessaria, & ipsos homines portare consueuit, amorem fraternæ vtilitati accommodam designat. Bos autem, cui non solùm imposita caro onera gestare, sed & arua vertendo sulcos seminibus præparare moris est; eos nimirum qui non modò fratrum infirma tolerare, verùm eorundem quoque pigrescentia corda castigando euertere, & ad suscipiendũ verbi semen solent excolere, demonstrat: quibus solis personis duabus tota, ni fallor, operariorum Ecclesiæ solet caterua comprehendi. Non ergo Samuel bouem cuipiam, non asinum tulit: quia nec peritiam docendi eruditis, nec simplicio- B ribus quibusque piè viuendi cum fratribus modestiam vetus sancta scriptura præripuit. Et rursus in expositione eiusdem prophetæ verborum: *Et facta plaga prima, qua percussit Ionathas & armiger eius quasi viginti virorum, in media parte iugeri, quam par boum in die arare consueuit.* Media (inquit) pars iugeri arandi, est Ecclesia, quæ in terris adhuc inter reprobos conuersata, correptione prædicatorum gaudet ad gignendos vitæ fructus exerceri. Par boum in die arans, cõcordia doctorum est, de legis & euangelij disciplina sub eodem fide iugo conuenientium, in luce preceptæ scientiæ subditorum corda castigans, & ad ferendum deo fructum spiritus excolens, de quo Salamon ait: *Vbi autem multæ segetes, ibi manifesta fortitudo bouis.* Et rursus Psal. 8. vbi dicitur: *Oues scilicet & boues.* Boues in hominibus dicuntur præcones veritatis fructificantes, atque alios in fide generantes, propter quod etiam in fœminino genere protulit, *boues vniuersas.* In angelis verò illi possunt dici boues, qui aliquando salutem hominibus præconantur, per quod Deo eos fructificantur. Cur verò prædicatores, & prælati per boues indicentur, sic docet Incognitus in Psalmos in præcitatum Psalmistæ locum: *Omnia subiecisti sub pedibus eius oues, & boues vniuersas; insuper & pecora campi.* Ait enim ostendi hic altum Christi dominationis imperium: ostendi autem bonos ei subiectos, & malos: bonosque esse in duplici differentia: quosdam videlicet innocentes & subdi- C tos: quosdam verò etiam præsidentes, & prælatos. Priores significari per oues. *Oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me.* Secundos indicari per boues. Boues enim terram scindunt, & eam fructificare faciunt: Sic & boni (inquit) prælati corda per subditorum prædicando, & corrigendo scindunt ducentes ad pænitentiam; & illa fructificare faciunt per virtutum opera. Et sicut deficientibus bõbus manet terra inculta, sic bonis prælatis deficientibus, steriles subditi manent. Et de istis bobus prælatorum bonorum dicitur, *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum manet, vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.* Similiter plane eundem locum declarat Cassiodorus: Oues (inquit) electum significat populum Christianum: sicut & in Euangelio Dominus Petro dicit Apostolo: *Pasce oues meas.* Qui ideo comparantur ouibus, quia se, præstante Domino, innoxia conuersatione moderantur, deinde quia mundi excubias sine aliquo sensu doloris amittunt. Nam sicut ouis tundentem se non increpat, ita nec iustus cupiditatem se expoliantis accusat. Boues autem prædicatores designant, qui humana pectora mandatis cælestibus exarantes, virtutum messem germinare fecerunt. Nec vacat, quod dicit, *Insuper*, quia non solum illi Sancti subiecti sunt, sed etiam peccatores, sæpe enim de conuersis talibus maiore gloria triumphat Dominus Christus. D Pecora enim sunt, dum in camporum libertate, idest, in mundi istius voluptate pascuntur. Oues sunt, qui iam intra septa domini clauduntur. D. Augustinus alio primum, mox eodem ferè sensu eandem sententiam Dauidis exponit. Videtur (inquit) relictis cælestibus virtutibus, & potestatibus, & omnibus exercitibus Angelorum, relictis & iam ipsis hominibus, tantùm ei pecora subiecisse. Nisi oues, & boues intelligamus animas sanctas, vel innocentiæ fructum dantes, vel etiam operantes, vt terra fructificet, idest, vt terreni homines ad spiritualem vbertatem regenerentur. Has ergo animas sanctas, non hominum tantum, sed etiam omnium Angelorum oportet accipere, si volumus hinc intelligere omnia esse subiecta Domino Nostro Iesu Christo. Nulla enim creatura subiecta non erit, cui primates (vt ita dicam) spiritus subijciuntur. Sed vnde probabimus oues posse accipi etiam sublimiter beatos, non homines, sed Angelicæ creaturæ spiritus? An ex eo quod Dominus dicit se reliquisse nonaginta oues in montibus, idest, in sublimioribus locis, & descendisse propter viam? Si enim vnam ouem lapsam humanam animam accipiamus in Adam, quia etiam Eua de ipsius latere facta est (quorum omnium spiritualiter tractandorum, & considerandorũ nunc tempus non est) restat, vt nonaginta nouem relictæ in montibus non humani, sed Angelici spiritus intelli-

Lib. 2. expos. alleg. in Samuelem.

Prædicatores cum bobus assimilati.

Boni quot & qui.

Populus Christianus.

Animæ sanctæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

intelligantur. Nam de bobus facilis expoſitio eſt huius ſententiæ, quõ ipſi homines non ob aliud
boues dicti ſunt, niſi quod euangelizando verbum Dei Angelos imitarentur, vbi dictum eſt, *boui*
Homines cur boues dicti. *trituranti os non infrænabis*. Quanto igitur faciliùs ipſos Angelos nuncios veritatis, boues accipi-
mus, quando Euangeliſtæ participatione nominis eorum, boues vocati ſunt. Subieciſti ergo oues,
& boues vniuerſas, ideſt, omnem Sanctam ſpiritualem ſcripturam. In qua etiam ſanctos homines
accipimus, qui ſunt in Eccleſia, in illis videlicet torcularibus, quæ ſub alia ſimilitudine lunæ, & ſtel-
larum, inuſitata ſunt. Inſuper (ait) & pecora campi. Nullo modo vacat, quod additum eſt, *Inſuper*.
Primo quia pecora campi poſſunt intelligi oues, & boues. Vt ſi rupium & arduorum locorum pe-
cora capræ ſunt, bene intelligantur oues pecora campi. Itaque etiam ſi ita poſitum eſſet: *Oues, &*
boues vniuerſas, & pecora campi, rectè quæreretur, quid ſibi vellent pecora campi, cùm etiam oues
Lib. de offic. Miſſæ. & boues hoc poſſunt intelligi. Quod verò additum eſt, *Inſuper*, cogit omnino ad neſcio quam dif-
ferentiam cognoſcendam. D. Amalarius Archiepiſcopus Treuirenſis bouem exponit prædicato-
rem: In lectione paſcitur auditor quaſi quodammodo bos. Ad hoc enim paſcitur bos, vt in eo exer-
ceatur opus agriculturæ. Bos enim prædicator eſt: Vnde ſcriptum eſt in lib. legis: *Non alligabis os*
Deut. 15. *bouis triturantis*: Paſtus eſt enim bos, vt exerceat opus. Cantor enim eſt quaſi bubulcus, qui iubu-
1. Cor. 3. lat bobus, vt hilarius trahant aratrum. Cantor eſt de his, de quibus dicit Paulus: *Dei adiutores ſu-*
mus. Boues ſunt qui reſpondent primo cantori: de quibus iterum dicit: *Dei agricultura eſtis*. Tra-
hentibus bobus aratrum, ſcinditur terra, quando cantores intimos anhelitus commouentes trahũt
dulcem vocem, & proferunt ad publicum: qua corda ſuorum ſiue cæterorum compungunt ad la-
chrymas, ſiue ad confitenda peccata: Et D. Hieronymus, *bouem viduæ auferre pro pignore*, vt eſt
apud Iob. 24. ſignificare ait, tollere prædicatorem de Eccleſia. Angelomus item monachus ad ea
verba, (quæ leguntur 2. Reg. 6.) *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calci-*
trabant boues, & declinauerunt eam: Boues calcitrare (inquit) eſt prædicatores Euangelij liberius
circa fidem agere, neque ſecundum conſuetudinem legis ingredi, ſed ſabbata, neomenias, circum-
ciſionem, victimaſque ſpiritualiter interpretari, quos velut errantes corrigere tentabant, qui deſcẽ-
dentes de Iudæa docebant fratres: quia niſi circumſcidamini ſecũdum morem Moyſi, non poteſtis
3. Reg. 4. ſalui fieri: Et rurſus in explicatione horum verborum: *Erat autem cibus Salamonis per ſingulos dies,*
triginta chori ſimilæ, & decem chori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, &c. de-
cem boues pingues doctores de calogos interpretatur, viginti verò boues paſcuales, prædicatores
noui teſtaménti, qui quaſi geminatum decalogum (inquit) in ſe habent, cùm nouum & vetus teſta-
Prædicationis labores. mentum æqualiter prædicant pleni dilectione Dei, & proximi. Significant item boues, prædicatio-
nis labores, atque fructus, vt declarat D. Gregorius in declaratione horum verborum: *Et verſus*
Lib. 5. expoſ. in 1. Reg. 14. *populus ad prædam, tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauere in terra, comeditque populus cum ſan-*
guine. Oues quidem (inquit) tollit, qui innocentiæ ſuæ cauſas multiplices ad elationem, recolit.
Boues in prædam tollit, quando labores prædicationis ſuæ cogitat, & quicquid alijs loquendo, ve-
lut terram excolendo profecit, memorando coaceruat. Vitulos tollit, cùm de eo extollitur, quòd
compreſſi motu laſciuiæ ad mentem reducuntur. Quia enim duo in magna iuſtorum laude præce-
pta ſunt, videlicet ſplendor charitatis cum luce boni operis, dum æſtimatione ſua quiſque arrogans
extollitur, & oues, & vitulos tollere perhibetur. Oues quidem in innocentia bonorum operum, vi-
tulos verò in mortificatione corporalium paſſionum. Quibus nimirum boues inſeruit, quia perfe-
ctè non extollitur, qui ſe infirmum, & impotentem in parte aliqua contemplatur. Magnus quidem
apud ſe iam eſt æſtimatione pudicitiæ, & boni operis, ſed in faſtu amplioris elationis ſe eleuat, dum
perfectum ſe recolit in labore prædicationis. Sed hæc omnia ad quem finem perducantur, ſubſe-
quenter expoſitum eſt: Et mactauere in terra. In terra oues, & boues, & vitulos mactare, eſt de vir-
tutum conſcientia ima & carnali lætitia exultare: Vnde & per Ozeam de elatis & arrogantibus di-
citur: *Victimas demergebant in profundum*. In profundum quidem victimas mergunt, qui cæleſtes
virtutum hoſtias non in cælum per gratiarum actionem, ſed ad terram per appetitum vanæ laudis
inclinant. Et mox quibuſdam interpoſitis rurſus: Bos ergò, & aries in lapide occiditur, quando
exemplo redemptoris omnis cornuta elatio condemnatur, quando electus quilibet & bene agit, &
optimè docet, ſed nec vita eum erigit propria, nec eruditio aliena: In ariete quippe robur propriæ
innocentiæ exprimitur, in boue autem labor, & fortitudo prædicationis. Qui in petra occiduntur,
vt ſic electam mentem gaudendo reficiant, vt ei miſtum in ſe cruorem carnibus non impendant.
Hoc quidem electus prædicator non ſolùm loquitur, ſed etiam perſuadet. Vnde & ſubditur: *Addu-*
xit itaque populus, vnuſquiſque, bouem in manu adducere, eſt peccatum elationis pœnitentiæ affli-
ctione delere. Dum enim operando delet, quod ſuperbiendo deliquit; mactandum bouem in la-
pide manu ducit. Gloſſa ordinaria, vbi dicitur, *Vbi non ſunt boues, præſepe vacuum eſt, vbi autem*
apparent plurima ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouis: boues exponit doctores, præſepe, audito-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A rum multitudinē ſegetes,opera,ſeu fructus bonorum operū:atq; incaſſum ergo ſuperbū tumere, &
indocta eloquētia verberare aures & corda ſubditorū,quia vbi non ſunt docti prędicatores, fruſtra
ad audiendum confluunt fideles. Vbi ergo plurimę operationes apparent,patet quia nō hæreticus:
ſed ille pro verbi fruge laborauit,qui & verbū caſto ore ruminare, & viā veritatis recto diſcretionis
pede noſſet incedere. Bos alitur de præſepi: doctor verbo audientes nutrit:ſed & labore bouis præ-
ſepe repletur:& bos de pręſepi ſuo reficitur fructu. Sic fidelis prędicator & audiētes verbo reficit, &
eadē refectione apud Deū proficit. Quo etiam loco Nicolaus de Lyra,hoc(inquit)exponitur dupli-
citer:Vno modo de bobus ad literā,quibus ſolū antiquitus vtebantur ad agriculturā, & adhuc vtū-
tur in plurimis terris,& ideo vbi erat defectus boū,ibi erat etiā defectus agriculturę & ſegetū,& per
oppoſitū abundantia ſegetū,vbi erat abundantia boū. Alio modò exponitur, vt per boues doctores
intelligātur,qui laborant in agro Dominico, & ideo vbi eſt defectus doctorū, ibi eſt paucitas fide-
lium,qui per ſegetes deſignantur;& vbi eſt pluralitas fideliū, ibi apparet manifeſtè labor doctorū,
& prædicatorum. Et ſenſus eſt(inquit Ioannes Arboreus,)vbi deſunt doctores peritiſſimi & optimi
concionatores,quorum induſtria,labore & ſtudijs vinea Domini excolitur,frigeſcit auditorium,&
B fruſtra turba plebeiorū, & vulgus imperitiſſimū confluit,& concurſitant ad audiendum balbutien-
tiſſimū & imperitiſſimum prædicatorem. Cùm verò magna eſt Chriſtianorū copia & honeſtæ vitæ
officia exercentur,vtiliſſimus prædicatorum labor, & ſapientū doctrina inclareſcit. Et ad hos boues
æſtus & frigoris patientiſſimos,quibus pro opera cibus debetur,alludit Paulus,proferēs quod in le-
ge Moſaica ſcriptū eſt:*Non alligabis os boui trituranti*. Sed & Rabanus ad præceptū de furto bouis,
& ouis. Poſſumus(inquit)hanc diſtantiā inter bouem & ouē facere, vt in boue accipiamus bene la-
borantem doctorem in agro Dominico,qui terrā cordium carnalium vomere euangelico ſcindit,vt
fructus virtutū germinare poſſit. In oue,ſimplicē auditorē,qui tantū ſua ſimplicitate contentus eſt.
quanto enim maior eſt vtilitas in qualibet re,tāto maius damnū in eius perditione. Et quantò mi-
nor cōmoditas in poſſeſſione aliqua,tāto minor eſt dolor in ipſius amiſſione: quod ſignificat maior
numerus in bouis reſtitutione,& minor in ouis. Qui enim quemlibet doctorē à plebe dominica per
fraudē euellit,multis nocet,& pro hoc neceſſe eſt,vt omnes ſenſus corporis ſui pęnitentiæ ſtudio ſu-
bigat,quā ſecundum legē Domini,pleniter exoluat. Qui autē aditorem ſimplicē à ſtatu ſuo per ma-
litiam ſubuertit,corpus ſuū quod quatuor conſtare elementis manifeſtum eſt, vt ieiunijs & vigilijs
C caſtiget,neceſſe eſt,donec perfectam remiſſionē à Domino recipere mereatur. Item alio modo. Bos
quippe ſubiugale eſt animal,& populū priorem ſignificat,qui ſub lege Moyſis cōſtitutus, iudicium
legis expectabat,Apoſtolo teſte,qui ait: *Quicunq; in lege peccauerunt, per legē iudicabuntur*. Ergo *Rom. 2.*
bos furatus & occiſus,ſiue venditus,quinq; bobus recte penſatur, cùm homo Iudæus cōtra legē lę-
ſus ſecūdum legē vlciſcitur. Vnde & in ipſa lege ſcriptum eſt: *Qui occiderit hominē, morte moriatur:*
Et itē,*Oculum pro oculo,dentē pro dente,manū pro manu,& reliqua*. Ouis autē quod ſimplex eſt ani-
mal,hominē euangęlicum ſub gratia Dei conſtitutum,ſignificat,membrum videlicet illius ouis,de
quo Propheta ait:*Tanquam ouis ad occiſionē ductus eſt,& non aperuit os ſuū*, cuius imitator exiſtens
ſeruat illud,quod in Euangelio ſcriptum eſt.*ſiquis percuſſerit te in dexterā maxillam,præbe illi,& al-
teram*. Et item· *Diligite inimicos veſtros,& benefacite his,qui oderūt vos:* ſed ne huius ſimplicis ani-
malis læſio multa pręteriri videatur,legiſlator iubet,quòd quatuor oues pro vna oue reddātur. Igi-
tur ouis perdita quadruplā reſtitutionē poſcit, quia quiſquis ſimplicitatē Chriſtianā per fraudē læ-
ſerit,neceſſe eſt,vt euangelicam doctrinā,digna pœnitentia iterum illam reſtituere feſtinet Iā ve-
rò Iſidorus Peluſiota in epiſtola ad Ecdicium, doctores niſi doctrinæ ſuæ fructibus perfruantur, la-
D bores illibenti animo perferre ait more boū,qui niſi ex laboribus ſuis alantur,ſegnes euadūt. Boues
ij(inquit)quibus os camo nō exercetur,alacrius meſſem conficiunt;qui autē laboribus ſuis frui pro-
hibentur,ſegnitie torpent, ac laborē auerſantur. Eodem modo magiſtri,cùm per inobedientiam &
contumaciā minimè ipſis contumelia infertur,lætis animis labores ferunt. Cum autē nullum ſuſce-
ptorum laborum fructū perſpiciunt,eos incaſſum docere piget. Quare ſi ea quæ nunc rurſum quęſi-
uiſti,ex me intelligere aues,ea quæ prius didiciſti,reipſa oſtende. Sin autē te minimè ſcire ea appa-
ret,quorſum hæc quoq; tibi exponemus? D. Gregorius,explicans hunc ſacræ paginæ locum;*Si quis* *Lib. 17. in*
aperuerit ciſternam & foderit,& non aperuerit eam,cecideritq; bos vel aſinus in eā, Dominus ciſternæ *26. Iob.*
reddet pretium iumentorum: aperire ciſternam exponit intellectu valido ſcripturæ ſacræ arcana pe- *Exod. 21.*
netrare,per bouem verò & aſinum, mundū ſcilicet & immundū animal, fidelē quemq; & infidelē.
Qui ergo ciſternam fodit, (inquit) cooperiat, ne illuc bos vel aſinus ruat;ideſt,qui in ſacro eloquio
iam alta intelligit, ſublimes ſenſus coram non capientibus per ſilentium tegat,ne per ſcandalū mē-
tis,aut fidelem paruulum,aut infidelē qui credere potuiſſet,interimat. Ex morte enim iumētorum
debet pretium:quia illud ſcilicet admiſiſſe conuincitur,vnde ad agēdam pęnitentiam reus tenetur.
Quiſquis namq; ad alta ſcientię fluenta perueniens,cum hæc apud bruta audientiū corda non con-

tẹxerit,pœnæ reus addicitur,ſi pẹr verba eius in ſcandalũ ſiue munda ſeu mens immunda capiatur. E
Operienda eſt itaque ciſterna,quia coram paruulis mentibus tẹgenda eſt alta ſcientia, ne vnde cor
docentium ad ſumma attollitur,inde infirmitas auditorum ad ima dilabatur.Eſt etiam vbi eidẽ D.
Populus Iudaicus. Gregorio bos populũ Iudaicum deſignet,videlicet exponenti iſtud Iobi:*Nunquid rugiet onager,cũ*
habuerit herbam,aut mugiet bos,cùm ad plenum præſepe ſteterit. Herba(inquit) onagri & fẹnum bo-
Lib. 9. in c. 4. Iob. uis,eſt mediatoris incarnatio,per quã ſimul gentilitas & Iudæa ſaturatur. Quia enim per Prophetã
dicitur.*Omnis caro fœnum,* vniuerſitatis conditor ex noſtra ſubſtantia carnẽ ſumens fẹnum fieri vo-
luit,ne noſtra in perpetuum caro fœnum remaneret.Tunc ergo herbã onager inuenit,cùm gentilis
populus gratiam diuinæ incarnationis accepit. Tunc bos vacuũ præſepe non habuit, cùm plebi Iu-
daicę eius carnẽ expectanti lex exhibuit,quam diu expectatam prophetauit.Vnde & natus Domi-
nus,in præſepe ponitur , vt videlicet ſignaretur, quia ſancta animalia, quæ ieiuna diu apud legẽ in-
uenta ſunt, incarnationis eius fœnò ſatiarentur. Præſepe enim natus impleuit,qui cibũ ſemetipſum
Ioan. 6. mentibus mortalium præbuit,dicens: *qui comedit carnẽ meam,& bibit ſanguinẽ meum,in me manet,*
& ego in eo. Sed quia diu & electorũ gentilium vota dilata ſunt, & ex Hebraico populo ſancti quiq; F
longo tempore redemptionẽ ſuã expectando gemuerũt,benè beatus Iob prophetiæ myſterio enar-
Iob. 6. rans,ex vtraq; natione cauſas afflictionis inſinuat,dicens:*Nũquid rugiet onager , cùm habuerit her-*
In c. 13. Lucæ. *bam,aut mugiet bos,cùm ante plenũ præſepe ſteterit?* Ac ſi apertè dicat:Idcirco gentilitas gemit,quia
eam necdũ redemptoris ſui gratia reficit,atq; ideo Iudæa mugitus dilatat,quia legẽ tenens, ſed le-
gis authorẽ non videns,ſtans ante præſepe ieiunat. Quæ nimirũ lex,quia ante mediatoris aduentũ
nequaquã ſpiritualiter,ſed carnaliter tenebatur,rectè ſubiungitur: *Aut poterit comedi inſulſum,&c.*
Ambroſius item declarans hæc Saluatoris verba:*Hypocritæ,vnuſquiſq; veſtrũ Sabbato non ſoluit bo-*
uẽ ſuum aut aſinum,& ducit adaquare? Cur non aliud (inquit) animal indicauit , niſi vt oſtenderet
aduerſantibus licet ſynagogæ principibus,futurũ tamen vt Iudaicus, & gentilis populus ſitim cor-
poris æſtumq; mundi iſtius Dominici fontis vbertate deponat? *Agnouit enim bos poſſeſſorem ſuum,*
& aſinus præſepe Domini ſui. Itaq; ille populus qui antea fœni vilis,quod priuſquã euellatur, areſcit
alimonia paſcebatur,panẽ illũ qui è cẹlo deſcendit,accepit.Et ideo per vocationẽ duorum populo-
rũ Eccleſiam dicit ſaluam futurã,quę tempore legis impleto & dominicæ reſurrectionis ętate,tem-
pus ſuæ abſolutionis acceperat.Quã clamans ergo Dominus,quã pius in vtroq;,cùm aut miſeretur, G
aut vindicat.In ſynagogæ typo arborem excidi iubet,in typo Eccleſiæ fẹminam ſaluat.Quàm dul-
cis parabola : facilis autẽ ſolutio. Vinculum vinculo comparat,vt inſimulatio Iudæorum actu eorũ
redarguatur.Nam cùm ipſi animalibus Sabbato ſoluant vincula,reprehẽdunt Dominũ, qui homi-
Lib. 5. epiſt. nes à peccatorũ vinculis liberauit. Et rurſus in epiſtola ad Clementianũ. Noli auare recondere,ne
fias nudo quidẽ nomine Chriſtianus,opere Iudęus,cùm aduerteris onera tua tibi eſſe ſupplicio. Di
ctũ eſt enim tibi non per vmbrã,ſed in Sole:Si cuius opus mãſerit,mercedẽ accipiet, ſi cuius arſerit,
detrimentũ patietur,Et ideo tanquã perfectus eruditus in lege,confirmatus in Euangelio , vtriuſq;
fidẽ ſuſcipe teſtamenti, *Beatus enim qui ſeminat ſuper omnẽ aquã,vbi bos & aſinus calcat,* ſicut hodie
lectũ eſt,qui ſeminat ſuper populos,& qui ſequũtur teſtamenti vtriuſq; doctrinã. Bos eſt ille arato-
rius,legis iugũ portans,de qua lex dicit: *Boui trituranti os nõ alligabis:* qui habet ſcripturarũ cornua
diuinarũ. Pullũ autẽ aſinæ Dñs in Euangelio in figura populi gẽtilis aſcendit. Puto autem (quoniã
diues eſt verbũ Dei)quòd etiã illud intelligere debeamus,quia bos habet cornua plena terroris,tau
rus ferociã habet,aſinus manſuetudinẽ:quod bene ad præſentia deriuatur,quia beatus,& ſeueritatẽ
& mãſuetudinẽ tenet,vt altero diſciplina ſeruetur,altero innocentia nõ opprimatur. Nimia.n.ſeue-
ritaş extorquet plerũq; terrore mendaciũ. Deus diligi maluit,quã timeri,&c. Ita D.Cyrillus in de- H
Lib. 3. in Eſaiam. claratione eiuſdẽ ſentẽtiæ: *Beati ſerentes ſuper omnẽ aquã,vbi bos & aſinus calcãt.* Traducto(inquit)
ſermone ad agriculturæ opera,& ad ferocitatẽ agrorũ,cõmoratur in trãslatione,& beatos nominat
ſeminãtes ſuper aquã,vbi bos,& aſinus calcant. Aquã enim ſcriptura diuino ſpiritu prodita diuinũ
& cæleſtẽ ſermonẽ appellat,& Sanctorũ myſtarũ prædicationẽ. Loquũtur enim in ſpiritu eam ipſi.
Confirmabit etiã ipſe Seruator dicẽs:*Vos eſtis qui loquimini,ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in*
vobis. Cùm ſit enim viuificus Dei ſermo,idcirco & qui dein meritò aquæ cõparatur. Viuifica eſt.n.
aqua,efficienſq; omnis fecũditatis. Tales igitur aquæ intelligibiles cũ nobis ſuppeditẽtur,colere ſo-
lemus virtutis officia,ſtudemuſq; pietatis inſudare laboribus. In his aquis bos & aſinus calcãt,ideſt,
Iudæorum populus & gentium. Iuſtificauit namq; Deus circumciſionem ex fide & prẹputium per
Epheſ. 2. fidem; Et vt Paulus ait: *Interſtitio maceriæ diruto,& lege mandatorum in decretis abrogato, condidit*
duos in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliauit Deo,iugum imponens ambobus vnum,
& coniungens animorum conſenſu,per fidem & charitatem,& ſanctificationẽ. Boui verò aſſimilat Iu-
dæorum gentem:mundũ enim eſt animal ,ſecundum legem,Bos,& oblatus eſt in odorem bonę fra-
grantiæ Deo. Aſinus autem immundus. Et quidẽ cùm primogenia animantiũ iuſſiſſet offerri Deo:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Sanctificabis enim mihi*(inquit)*omne primogenitũ aperiens vuluam*;reijcit asinũ,sic dicẽs,*Omne aperiens matricẽ asini,mutabis oue*. Verùm enimuerò etiamsi impurus fuerit, propterea quod errauerit fortè gentium populus,tamen sanctificatus est per fidẽ.In Christo etenim iustificatus est, & vetera peccata Sacrosancto baptismate abluit,& promiscuè,cũ Iudæis iugo Seruatoris nostri subiectus est. Beda verò etiã explicans: *Et pannis eum inuoluit,& reclinauit eum in præsepio,&c.* Et quædam (inquit)præcipui gratia Sacramenti in præsepio sibi sedẽ elegit,vbi animalia solent ad vescendum cõuenire.Insinuauit enim iã tunc,quia fideles omnes in Sacrosancta altaris mensa eiusdẽ Incarnationis suæ mysterijs esset refecturus: indicauit etiã quia cũ cunctos sibi humiliter obsequentes internæ soleat suauitatis gratia recreare,de quibus bene perProphetam dicitur:*Cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe Domini sui*.In boue etenim designat populum Iudæorũ, qui iugum legis portare, & eius consuerat verba ruminare:in asino autẽ exprimit populũ gentiũ,qui sordibus idolatriæ semper manebat immundus.Ex quo vtroq; populo plurimi ad Euangelij gratiam conuersi,& possessorem,à quo creati sunt,cognouerunt,& cælestibus eius quærebant alemonijs ad perpetuam crescere salutem,&c.Et rursus vbi declarat,*Non arabis in boue simul,& asino*,ait:In bouis nomine populus ex *In homilijs hyemal. de sanctis.*

B circumcisione positus sub iugo legis accipitur: in asino autem populus gentiũ pertinens ad Euãgelium.In boue quippe simul & asino arat,qui sic recipit Euangelium, vt Iudaicarum superstitionũ, quæ in vmbra,& imagine præcesserunt,ceremonias non relinquat. Item nõnunquam in boue bene operantium vita,in asino stultorum vecordia designatur. Quid est ergo,*Non arabis in boue simul,& asino?* ac si diceret,fatuum sapienti in prædicatione non socies,ne per eũ,qui rem implere non valet, & illi qui præualet,obsistas. Bouẽ quippe,& asinum si necesse sit,vnusquisq; sine detrimento operis iungit:sapientẽ verò,& stultũ,non vt vnus præcipiat,& alter obtemperet:sed vt pariter ęquali potestate adnuncient verbũ Dei,non sine scandalo quiq; comites fiant. At D. Gregorius,vbi apud Iob legitur:*Boues arabant,& asinæ pascebantur iuxta eos,& irruerunt Sabæi,tuleruntq; omnia,& pueros percusserunt gladio:* per arantes boues,grauiores nostras cogitationes interpretatur: quæ dũ cor studiosa exercitatione cõficiunt,vberes profectuũ fructus reddunt:per pascentes verò asinas,simplices motus cordis;quos dũ studiosè à duplicitatis(inquit) errore compescimus,quasi in cãpo liberæ puritatis nutrimus.Sed plerumq; hostis (quẽ per Sabæos intelligit) callidus cum graues cogitationes in corde conspicit,sub introducta eas voluptatis delectatione corrumpit:& dũ motus cordis simpli- *In quæst. super Deut.* *Cogitationes grauiores.*

C ces videt,subtilia inuentionum acumina ostendit:vt dum laus de subtilitate quęritur, puritatis simplicitas amittatur:& si vsq; ad opus prauũ pertrahere non valet,tentando tamen bonorum cogitationibus subrepens nocet, vt cũ turbare bona mentis noscitur,ea quasi funditus abstulisse videatur. Possunt etiã per arantes boues,cogitationes charitatis accipi,quibus prodesse alijs conamur,cũ fraterni cordis duritiam prædicando scindere cupimus.Potest etiã per asinas, (quæ nimirum sese onerantibus,nulla ferocitatis insania resistunt) patiẽtiæ mansuetudo designari. Et sæpe hostis antiquus cùm velle prodesse nos loquẽdo alijs conspicit,in quodã torpore ocij mentẽ mergit, vt alijs prodesse non libeat,etiã cum à proprijs vacat. Arantes ergo boues subtrahit,cùm cogitationes mentis,fraternæ vtilitatis frũctibus deditas,per submissum negligentiæ torporẽ frangit,&c.Est etiam vbi per quinq; boues,quinq; corporis sensus indicãtur,vt vbi dicitur, *Iuga boũ emi quinq; & eo probare illa, habe me excusatum*. Sic enim ea verba declarat D.Gregorius,quid in quinq; iugis boum, (inquiẽs) nisi quinq; corporis sensus accipimus? Qui rectè quoq; iuga vocati sunt, quia in vtroq; sexu germinãtur. Qui videlicet corporales sensus,quia interna cõprehendere nesciũt,sed sola exteriora cognoscunt;& deserentes intima, ea quæ extra sunt,tangunt,rectè per eos curiositas designatur:quæ dum *Cogitationes charitatis.* *Quinquẽ sensus.* *In Euang. homil. 36.*

D alienã quærit vitã discutere,semper sua intima nesciẽs,studet exteriora cogitare. Graue namq; curiositatis est vitiũ,quæ cum cuiuslibet mentẽ ad inuestigandam vitã proximi exterius ducit,semper ei sua intima abscondit,vt aliena sciens se nesciat,& curiosi animus quanto peritus fuerit alieni meriti,tanto fiat ignarus sui. Propter hoc namq; & de eisdẽ quinq; iugis boum dicitur, *Eo probare illa rogo te,habe me excusatum:* Ipsa enim excusantis verba à vitij sui significatione nõ discrepant, dum dicit,*Eo probare illa:* quia videlicet aliquãdo pertinere probatio ad curiositatẽ solet. D.Augustinus in Euangelium Lucæ serm.29. de verbis Domini: quinq; hic boũ iuga dici ait,quia per sensus istos carnales(quos pro ea indicari dixerat,) terrena requiruntur. Boues enim terrã versant.Sunt autem homines remoti à fide, terrenis dediti,carnalibus occupati,nolunt credere aliquid,nisi ad quod sui corporis sensus quinq;pertito perueniunt. Iã verò Theodoretus,vbi scribitur; *Defecerunt à cibo boues,& non erunt boues in præsepibus expiationis eorũ:* Eos qui ex tribu Leui erãt boues vocat, qui legis cultũ respuentes,proponebant illum populo,vt planum est ex Paulo,qui dicit: *Nũquid de bobus cura est Deo?* An propter nos vtiq; hoc dicit: Isti verò boues ait,nõ inuenientur in præsepibus. Ceterũ hęc omnia illis accident,inquit,eò quod noluerunt recipere suã medicinã;& quę est hęc,nisi Saluatoris nostri doctrina? Quomodo verò bos & asinus Dei significent cõtemptorem, ostẽdit D.Ba- *1.Cor.9.* *In c.1. Esa.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ſilius in declaratione huius loci. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, &c.* Boui & aſino (inquit) confertur Dei contemptor. Neq; enim cùm in honore eſſet, intellexit: quare cōparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt eis: Equidē tales ſunt qui non rectâ ratione, ſed pro affectionum impetu ſuā inſtituunt vitam, à vacuitate rationis trāſuerſim abrepti ad pecualem, & brutalem vitam. Ad exprimendā verò ſimilitudinem, ea aſſumpſit animalia, quæ nobiſcum educantur, & vernacula conſuetudine notiora ſunt, vt vel ſuppudeſcamus iſtis deprehēdi inſipiētiores, & ad ea collati minus obtinere beneuolentiæ quam refundamus in poſſeſſorem noſtrū. Bos ſiquidē nobis mācipatus eſt agricolationem, vt cooptaretur, qui & ſui paſtoris vocē intelligit, eumq; agnoſcit qui pro conſuetudine ſibi porrigit pabulū. Aſinus, vel non iuſſus rectâ cōtendit ad conſueta ſtabuli ſui loca. Quòd ſi his vtiq; rationis expertibus tanta ineſt familiaritas erga ſuū prouiſorē, quantam dimēſionis menſurā erga Deū, par eſt repoſci à rationali creatura? Obſerua autē quia teſtimonio iſtius ſcripturæ probatur bos præ aſino pleniorē obtinere intelligētiam. Bos enim ſuū nouit poſſeſſorem: aſinus autē pręſepe, idq; ſolùm docente ſcriptura, quò animal ſit ſuffarciendo ventri dedititiſſimum, eoq; locum agnoſcit, & ſolùm ſuæ voluptati deſtinatum. Bos verò nonnullā habet, & eam vtilem intelligentiā proprię honeſtatis, ac boni. Hinc factum vt cum animalia ſint nullā inter ſe habentia conſuetudinē, vetitum ſit in Deuteronomio, arare in boue & aſino, in vnum; hoc eſt, eum qui ſit ex prompto animo, & laborum toleranti connectere ei, qui ſit voluptatum amantior, & captiuus tenetur affectibus. Non enim de bobus cura eſt Deo: ſed id noſtri cauſa ſcriptum prorſus eſt. Contra verò alio loco copulātur; Beatus enim qui ſeminat ſuper omnem aquam, vbi bos, & aſinus calcant: hoc eſt, qui ſermone ad docendū appoſito, exuſcitat vim animæ generoſam, ac laborum patiētem, nec eius obſequitur voluptatibus. Quēadmodum enim animal geſtandis oneribus natū: ſic & cōcupiſcibilis portio animæ onere peccatorū prægrauata peſſumit, ac præcipitantur. Equidem bos ſuum nouit poſſeſſorem: Iſrael autem me nō nouit ſuū creatorem. Et aſinus præſepe agnouit ſui Domini: Iſrael autē me non intellexit. Et præſepia quidē multa ſunt: at certè aſinus nuſquā aberrat à pręſepe poſſedentis. Deus autē cùm ſit vnus, populus perfidus, & immemor beneficiorū poſt eos hallucinatur, & deerrat qui nihil minus ſunt quàm dij. *Me non intellexit.* Qui cœlo enarrante innoteſco, qui terra, mariq; me exhibeo cognobilem, qui per Solem, Lunam, Aſtra, deniq; per omnē creaturā nulli non palam ſignificor. Peculiari quidē ſimilitudine bouis expreſſus eſt Iſrael: Aſini autem ſimulacro ſimplex, ac rudis popellus. Quātò enim differt bos ab aſino, tantidē eſt diſcriminis, ſi Iſrael (qui videns Deum interpretatur) cum vulgo componatur qui populus appellatur abſolutè.

Eſa. 32.

Superbia. Pſal. 65.

Bos quandoq; etiam ſuperbiam indicat, vt Beda teſtatur exponens illud Pſalmiſtæ: *Offeram tibi boues cū hircis*, ideſt, inquit, incendā in me ceruicoſitatem, & ſuperbiā, quæ per bouem (infrà, & de tauro id dicemus) deſignatur, & incendam in me peccatorum fœtorem, qui per hircū: E contrario boues etiam ibidem interpretatur magiſtros triturantes ipſum, hircos verò in peccatis fœtidos, non tantùm per ſe hircos, ſed ita vt boues ſint cum hircis, ideſt, vt illi qui prius erant hirci à bobus ſint triturati, & eis corporati, quia hoc etiam placet ſacrificiū, ſi peccatores hic conuertantur, & bonis concorporentur.

Cap. 4. in interp. Iob. l. 2.

D. Ambroſius verò diſputans, qua ratione, ſi propter peccata hominibus eueniant mala, impij tanta bonorum copia abundent: Iuſtus (inquit) optat flagellari, vt recipiatur à Domino, nec beatitudinem putat, ſi non abortit bucula ſua, ſicut putant ſtulti. Per bouem enim quid ſignificatur, niſi ruralis culturæ labor? qui ſemper redit in orbem, & nunquam deſinit: ſed cùm expleri videntur, reuocatur in exordium. Iſti ſunt qui colunt Sodomam, & Gomorrham. Ergo qui colunt Aegyptū, glebaſque terrarum aratro quodam mentis ſolidæ inuertunt, laborem ſibi pariunt, & dolorem metūt. Ideo bucula eorum non abortit, ſed parit, vt augeatur labor eorum, & quæ conceperunt, omnia generant ſine timore Dei. Iuſti autem longè aliter gloriantur. Non enim in abundantia diuitiarum, nec in partu pecorum, ſed in Domino gloriantur: dicentes: *De timore tuo in vtero accepimus, & parturiuimus ſpiritum ſalutis, &c.*

Contumax diſcipulus.

Rabanus ad ea verba Exodi: *Si autem ſciebat quod bos cornupeta eſſet ab heri, & nudiuſtertius, & non cuſtodiuit eum Dominus ſuus, reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.* Secundum altiorem intelligentiam, bouis nomine contumacem diſcipulū denotari poſſe ait, qui per factum ſuperbię laniat, & reliqua pecora gregis dominici infeſtat. Talis ergo (inquit) ſi inſcio magiſtro aliquem virum, aut fęminam, hoc eſt, quemlibet fortem, aut infirmū cornu proteruiæ ſuæ perfoderit, & eis mortem animæ intulerit, lapidibus duræ ſententiæ obruatur, & comedantur carnes eius, hoc eſt, non imitentur actus eius. Dominus autem bouis illius ita innocēs eſſe probabitur, ſi neque conſenſu, neque conſilio foueat actum illius, quia (dicente Domino) *anima quæ peccauerit, ipſa morietur, & iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum.* Si autem magiſter, & doctor tales diſcipuli mores ſciebat, & à Scripturis ſacris ſeſe conteſtatus, curam infeſti pecoris habere negligebat, iam actus illius particeps factus, pœnæ illius vtique meritò particeps erit, quia ſecundum Apoſtolum, non ſolùm qui malęfaciunt, ſed etiā qui conſentiunt

A ſentiunt facientibus, digni ſunt morte. Quod ſi pretium ei fuerit impoſitum, dabit pro anima ſua, quicquid fuerit poſtulatus. Elemoſynis vtique, & dignis pœnitentiæ fructibus, a perpetua morte feſtinet liberare. Filium quoque, & filiam ſi cornu percuſſerit, ſimili ſententiæ ſubiacebit. In filij, vel filiæ nomine, quem congruentius poſſumus accipere, quàm bonum auditorem, qui ea quæ ſunt Dei, diligenter diſcere, atque operibus exercere ſtudet, & hoc pro vitæ æternæ deſiderio? Hunc quoque ſi percuſſerit, homicidæ iudicio mulctandus erit. Quod autem ſequitur, *Si ſeruum ancillamque inuaſerit, triginta ſiclos argenti dabit Domino, bos verò lapidibus opprimetur*. Quis verò ſeruus, vel ancilla melius intelligi poteſt, quàm ille, qui in domo Eccleſiæ exiſtens, præſentia tantùm diligit, & ob eorum quæſtum, laborem totum impendit? qui nondum in filiorum numero meruit adſcribi, quia hæreditatem cæleſtis patriæ quærere neglexit? Huic quoque ſi ille ſuperbus cornupeta in rebus quas diligit, aliquid incommodi intulerit, & eum in hoc contriſtauerit, prouiſor ipſius, damnum illatum iuſta emendatione ſecundum legis mandata per fidem, ſpem, & charitatem emendare debet, necnon & authorem ſceleris duris diſciplinis corripere, qui contra id quod ſcriptum eſt, Neminem concutiatis, nemini noceatis, procaciter egit. Et iterum, *Quod tibi*

Animi motus ſuperbus.

B *non vis fieri, alteri ne feceris*. Poteſt, & aliter iſta ſententia intelligi, vt ſignificatione bouis cornupetæ, ſuperbum animi motum accipiamus: quem ſi Dominus, hoc eſt ſpiritus, qui rectè debuit in homine principari, non conſtringit, & propter viam ſuam ſpiritualiter animalibus facit interitum, vel corporibus ingerit incommodum, reatus ſceleris redundat in authorem ſimul, & cuſtodem illius, qui eum prohibere debuit, & non fecit. Vnde ſcriptura dicit; *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita ſeu mors procedit*. Et item, *Cor hominis diſponit viam ſuam*. Et item: *cor ſapientis erudiet os eius, & labijs illius addet gratiam*. Et alibi: *De fructu* (inquit) *oris viri, replebitur cor eius, & germina labiorum eius ſaturabunt eum*. Accipitur item bos pro diabolo: Ita enim oſtendit D. Gregorius in explicatione iſtius Iobi: *Fœnum ſicut bos comedet*. Si prophetarum (inquit) ſolicitè verba diſcutimus, hæc & illa vno ſpiritu prolata reperimus. Eſaias namque, cùm cerneret vitam peccantium ab antiquo & inſatiabili hoſte deuorari, ait: *Leo ſicut bos comedet paleas*. Quid autem fœni palearumque nomine, niſi carnalium vita ſignatur? De qua per Prophetam dicitur, *Omnis caro fœnum*. Qui ergo hic Behemoth, illic leo, qui hic fœnum, illic paleæ nominantur. Sed perſcrutari mens nititur, cur iſte, vel apud Eſaiam leo, vel hic dominica voce Behemoth in commeſ-

Diabolus.
Lib. 32. c. 2.

C ſatione fœni, vel paleæ, vtroque loco non equo, ſed boui comparetur. Quod tamen citius agnoſcimus, ſi in vtriſque animalibus, quæ ſit nutrimentorum diſtantia perpendamus. Equi namque fœnum quamlibet ſordidum comedunt, aquam verò non niſi mundam bibunt. Boues autem aquam quamlibet ſordidam bibunt, ſed fœno non niſi mundo veſcuntur. Quid eſt ergo quo boui, qui mundo pabulo paſcitur, Behemoth iſte comparatur, niſi hoc quod de iſto antiquo hoſte per Prophetam alium dicitur. *Eſca eius electa?* Neque enim ſe eos gaudet rapere, quos prauis ac ſordibus actionibus implicatos in imis ſecum reſpicit voluntariè iacere. Fœnum ergo comedere, ſicut bos, appetit, quia ſuggeſtionis ſuæ dente conterere mundam vitam ſpiritalium quęrit. Sed quęrendum video, quomodo Behemoth iſte fœnum ſicut bos comedens, vitam ſpiritualium conſumere dicitur, cùm fœni nomine (ſicut ſuprà dictum eſt) vita carnalium deſignatur. Eſca quoque eius electa non erit, ſi fœnum comedens, carnales rapit. Sed ad hæc citius occurrit, quia nonnulli hominum, & apud Deum fœnum ſunt, & apud homines ſanctitatis nomine cenſentur, cùm & ante humanos oculos aliud oſtendit vita, & ante diuina iudicia, aliud intendit conſcientia. Ij itaque ad humana iudicia electi ſunt, ſed apud ſubtile Domini examen fœnum. An ante diuinos ocu-

D los Saul fœnum non erat, de quo Samuel Propheta populo dicebat, *Certè videtis quem elegit Dominus, &c.* Idem D. Gregorius explicans id eiuſdem Iobi: *Quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ, &c.* in Scriptura Sacra (inquit) boum nomine aliquando hebetudo fatuorum, aliquando bene operantium vita deſignatur. Quia enim bouis nomine ſtultorum vecordia figuratur, rectè per Salamonem dicitur: *Statimque eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam*. Rurſum quia boum nomine vita vniuſcuiuſque operantis exprimitur, legis præcepta teſtantur, quæ per Moyſem præcepit, dicens: *Non alligabis os boui trituranti*. Quod apertè rurſus dicitur: *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Aſinorum quoque nomine ſtultorum pigritia, aliquando immoderata petulantium luxuria, aliquando gentilium ſimplicitas deſignatur. Stultorum pigritia, aſinorum appellatione figuratur, ſicut per Moyſem dicitur. *Non arabis in boue ſimul & aſino*: Ac ſi diceret, fatuum ſapientibus in prædicatione non ſocies, ne per eum, qui implere rem non valet, illi qui præualet, obſiſtas. Immoderata quoque petulantium luxuria, aſinorum appellatione exprimitur, vt Propheta teſtatur, qui ait: *Quorum carnes ſunt, & aſinorum*. Aſinorum rurſus nomine ſimplicitas gentilis oſtenditur. Vnde Hieruſalem tendens Dominus, aſellum ſediſſe perhibetur. Quid eſt enim ſedendo aſinam Hieruſalem venire, niſi gentilium ſimplicia corda poſſidendo, ea ad viſio-

In c. 1. Iob.
Hebetudo fatuorum.
Vecordia ſtultorum.

nem pacis regendo & præſedendo perducere? quod vno, & facili teſtimonio oſtenditur, quia & per boues Iudæi operarij, & per aſinum gentiles populi deſignantur, cùm per Prophetam dicitur: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini ſui.* Quis enim bos niſi Iudaicus populus extitit, cuius ceruicem iugum legis attriuit? Et quis aſinus niſi gentilitas fuit, quam quilibet ſeductor reperit quaſi brutum animal, & nulla ratione renitens, quo voluit, errore ſubſtrauit? Bos ergo poſſeſſorem, & aſinus præſepe Domini cognouit, quia & Hebraicus populus Deum quem colebat, ſed ignorabat, reperit, & gentilitas legis pabulum quod non habebat, accepit. Quod igitur ſuperius nominatis ouibus, & camelis dicitur, hoc inferius in bobus & aſinis replicatur. Habuit verò & ante redemptoris aduentum Iudæa boues, quia ad prædicandum miſit operarios, quibus voce veritatis dicitur: Væ vobis hypocritæ, qui circumitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proſelytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Quot graue iugum bouis preſſerat, quia exteriora literæ mandata tolerabant. Quibus veritatis voce dicitur: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quod ergò in Euangelio bene laborantibus requies promittitur, hoc eſt quod hic iuga boum quingenta memorantur. Quia qui redemptoris Dominio colla ſubijciunt, quò niſi ad requiem tendunt? Idem rurſus docens quid ſit non operari in primogenito bouis &c. in primogenito bouis operari eſſe, ait bonæ conuerſationis primordia, in exercitio publicæ actionis oſtendere. Ouium verò primogenita tondere, eſſe ab occultationis ſuæ tegmine, humanis oculis inchoātia bona opera noſtra denudare. In primogenito ergo bouis operari nos prohiberi, atque à primogenitis ouium detōdendis compeſci, quia etſi quid robuſti incipimus (inquit) exercere hoc in aperto citius non debemus. Et cùm vita noſtra, ſimplex quid atque innocuum inchoat, dignum eſt, vt ſecreti ſui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quaſi ſubducto vellere oſtendat. Ad ſola ergo diuina ſacrificia boum primogenita, ouiumque proficiant, vt quicquid fortè ſimplex, innocuumque incipimus, hoc ad honorem intimi iudicis, in ara cordis immolemus. D. verò Hieronymus, vbi ſecundum lxx. dicitur: *fleuerunt armenta boum, quia nō erant paſcua eis, & greges ouium diſperierunt:* compellit (inquit) nos non de bobus, & armentis accipere, quæ dicta ſunt, ſed de his, qui propter ſimplicitatem, boues vocantur & oues; de quorum paſcuis Saluator loquitur: *Ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* Hęc autem omnia intellige ſub metaphora erucæ, locuſtæ, bruchi, & rubiginis, quod ſublatis frugibus, atque vaſtatis, fames, & peſtilentia cuncta poſſederint. Idē D. Hieronymus apud Ezechielem, vbi dicitur. *Septem diebus facies hædum pro peccato, & vitulum ex bobus, & arietem de ouibus immaculatum facient ſeptem diebus.* In hirco, & vitulo, & ariete (inquit) tria generalia delicta monſtrantur, quibus omne mortalium ſubiacet genus. Aut enim cogitationibus, aut ſermone, aut opere peccamus. Cogitatio refertur ad arietem, quæ prima eſt omniū peccatorum, & ex qua alia duo peccata naſcuntur. Hœdus autem ſiue hircus, ad eloquium ſiue ſermonem, qui ſemper de excelſioribus diſputat. Opera verò propriè vitulo deputantur: quoniam vomeri, & labori, & terrenis operibus mancipatus eſt. Hæc igitur immaculata per ſeptem dies veri ſabbati, atque perfecti offerre debemus, & expiare altare, vt oratio noſtra munda perueniat ad Deum. Nunc de tauro dicamus, quem regis typum longè melius quam leonem exprimere Dion Chryſoſtomus in oratione ſecunda de regno oſtendit: Homerus (inquit) regem putat omnium optimum eſſe oportere. Hoc autem præcipuè in Agamemnone, quando primum ordinat exercitū, aliosque ductores omnes enumerat, & nauium multitudinem, declarat. Illic enim, nullum prorſus de bonitate certamen cum eo vlli heroum reliquit; ſed quantum taurus præcellit armentum robore, & magnitudine, tantum præcellere ait regem, ita dicens:

Lib. 8. in c. 8. Iob. — *Cap. 2. in Ioel.* — *Cap 44. Delicta generalia.* — *Taurus regis typus.*

Ηΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων,
Ταῦρος, (ὁ γάρ τε βόεσσι μεταπρέπει ἀγρομένῃσι)
Τοῖον ἄρ' Ατρείδην θῆκε Ζεὺς ἤματι κείνῳ
Εκπρεπέ' ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν. ideſt,
Taurus vt armentis præſtat longè omnibus vnus
Ille, boues alios qui inter præcellit agreſtis
Illa talem Agamemnona fecit luce videri
Iupiter, heroeſque inter præcellere multos.

Hoc autem mihi non ſimpliciter dixiſſe videtur fortitudinem eius duntaxat laudare, & demonſtrare ſolens (nam ſic, & leoni comparans bene eum videtur aſſimilaſſe) verùm & naturæ manſuetudinem oſtendens, proque ſubiectis prouidentiam. Taurus enim non ſolùm ex generoſis animantibus eſt, neque ſui ipſius cauſa fortitudine vtitur, quemadmodum leo, & apes, & aquilæ, perſequētes cætera animalia, ſuique deuincentes cibi gratia: quare potius quis tyrannidis eos dicat, quam regni exemplum eſſe. Taurus autem manifeſtè & in alijs, vt mihi videtur, ad regni regiſque imaginem

Tyrannum quæ animalia exprimunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A nem factus est. Cibus enim ei paratus & facilis, in silentio pascitur, vt nullum necesse sit vi opprimere, aut circumuenire illius causa: sed quemadmodum beatis regibus, absque defecta, atque copiosè semper suppetunt quæ sunt necessaria. Regnat autem & principatum gerit inter sui generis animantia, cum beneuolentia (vt aliquis dicere posset) & sollicitudine: cùm quod præcedat ad pascua, tum quod bestia apparente non fugiat, sed pro toto armento propugnet, & infirmis auxilio sit, & prouideat, quo pacto multitudinem à sæuis & bestijs conseruet, quemadmodum & principẽ facere decet, & cum qui reuera rex sit, & non indignus maximo inter homines honore. Interdum quidem alio armento conspecto, certamen init cum illius ductore victoriæ causa, vt & ipse melior appateat, meliusque esse ipsius armentum. Atqui in hominum potestate situm est, ne bella gerant. Cæterùm cùm inter insipientia animalia homo & optimus, principatuique aptissimus à natura factus sit, admittatur tamen melioris imperium, & robori quidem & furori, atque vi nullius succumbat, rationi verò & prudentiæ voluntariè se subijciat: quomodo quis & hoc non censeat pro disciplina esse, regalique decreto, modestis regibus quòd oporteat hominibus similibus genere eum imperare, qui optimus esse videatur, iustèque eum & secundum naturam habere imperium, & multi-
B tudinem quidem subditorum seruare consilijs prospicientem, & bellum gerentem cum opus sit, custodientemque à feris, & iniquis tyrannis? Aduersus alios autem reges quicunque sint, certamen suscipere oporteat eum de virtute, & quærere (si fieri possit) vt omnes vbicunque sint homines sibi vtilitatis publicæ gratia subijciat? Deos autem meliores sequi, sicuti boues (puto) pastores, & præstantiorem, atque beatissimam naturam honore afficere, suos dominos & principes illos existimantem, & in maximi, & primi regis Dei declarantem esse possessione, primum quidem semetipsum, vt pretiosissimum, deinde alios quoque sub se constitutos? Siquidem, quemadmodum modesti pastores faciunt, quando taurus sæuus & ferus factus, imperat petulanter & pręter naturam, suum quidem ipsius despiciens armentum, & damno afficiens, exterosque insidiantes reformidans, protrudens ad pericula imbellem multitudinem, & cùm nihil difficultatis adsit, iniuria afficiens & audaciam ostentans nunc quidem acutè, & minaciter mugiendo, nunc autem infestis cornibus feriendo non resistentem, & ostendens robur aduersus inferiores, & non repugnantes, boum autem multitudinem non sinens pascere quietè propter terrorem, & timorem: tum Domini & pastores talem remouent, & occidunt, vt qui idoneus non sit, neque commodus, vt imperet armento. Qui autem mitis est erga sequentes boues, animosus autem, & imperterritus aduersus feras, grauisque & magni-
C ficus, quique potest tueri, & præcedere armentum, & pastoribus cedit obeditque, eum sinunt præesse vsque ad nouissimam senectutem, etiamsi iam grauior corpore factus sit. Similiter etiam dij, & ille magnus rex regum, vtpote communis curator & pater hominum atque deorum Iupiter, si quis hominum factus fuerit violentus, iniustusque, & iniquus princeps fortitudinem ostendens non hostibus, sed subditis, & amicis, inexplebilis voluptatum, & inexplebilis pecuniarum, velox ad suspicandum, ad iram prouocatus implacabilis, acutior ipsa calumnia, inpersuasibilis sermonibus, astutus, insidiator, obiectus, contumax, malos in altum tollens, melioribus inuidens, non intelligẽs eruditionem, neminem existimans amicum neque habens, vt rem ipso inferiorem: illum procul abijcit remouetque, vt qui sit indignus vt regnet, & particeps sit sui honoris cognominisque: remouetq; cum dedecore, & vituperio: quemadmodum puto Phalarim atq; Apollodorum, & alios multos horum similes. At fortem, & humanum & beneuolum subiectis, honorantemque virtutes, simulque certamen instituentem, ne quid bonis deterior videatur, & iniquos cogentem resipiscere, bonis autem ferentem suppetias, eum propter virtutem approbatum plerumque perducit ad senectutem &c. Apud Psalmistam, vbi dicitur, *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis* Psal.67.
D *populorum, vt excludant eos, qui probati sunt argento*, Pierius Valerianus, taurorum congregationem à Theologis, pontifices & scribas & reliquos Iudæorum principes intelligi ait, qui & temerarij & cornupetæ essent, Christumque, & Apostolos ferociter incessuri forent. Similiter apud eundem, vbi ait: *Circumciderunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*: interpretem tradit per Psal.22. vitulos plebem Iudæorum intelligi, lasciuientem quippe, solutamque iuuentutem, omni prorsus regula carentem: per tauros pontifices, scribas & seniores, propter ętatem nimirum & prærogatiuã, qua cæteris antestabant, pingues appellatos, quia multis Dei donis ante alios omnes fruebantur. Incognitus in sua expositione Iudæos quoque hic intelligi putat tam per vitulos, & quam per tauros. Vitulus enim (inquit) lasciuum animal est, & in vno proposito non manens semper discurrit. Sic & Iudæi in fide promissa Deo non stabiles, ad idolatriam proni discurrebant. Vnde statim post exitum de Aegypto beneficiorum Dei obliti, vitulum conflatilem adorauerunt, vt dicitur in Psal. 105. *Et fecerunt vitulum in Oreb. &c.* Taurus autem est animal indomabile, & superbum, vt ait Gregorius: sic & Iudæi indomita ceruice, & superbi semper Deo restiterunt, propter quod eis dicebat Stephanus: *Dura ceruice & incircumcisi corde, quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?*

Tyrannidis non tolerãdæ typus, & contrà.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ſtri? D. Iuſtinus Martyr, cum dixiſſet, Iudæos ſeſe ſemper Deo ingratos,& faſtu tumidos propter E
genus ſuum exhibuiſſe,recitaſſet,eandem Pſaltis ſententiam: *Circumdederunt me vituli multi,tau-*
ri pingues circumdederunt me. Nocte ea(inquit)quando in monte olearum ipſum inuaſerunt popu-
lares,veſtri à ſcribis & Phariſæis,iuxta præſcriptum eorum ſummiſſi, circūdederunt nimirum:eum
illi,quos vitulos cornupetas,& ante tempus pernicioſos verbum vocat: Et illud: *Tauri pingues cir-*
cumdederunt me,eos deſignauit, qui eadem quæ vituli fecerunt, cùm ad magiſtros veſtros ducere-
tur. Eos verbum propterea tauros nominat, quòd tauros,vt vituli extent, authores eſſe norimus.
Sicuti ergò vitulorum tauri, patres ſunt: ſic magiſtri veſtri authores filijs ſuis fuere, vt egreſſi in
olearum montem ipſum comprehenderent, & ad ſe adducerent. Ibi Theodoretus tauros quoque
vocat,ait, Iudæorum multitudinem ob eorum vſitatam audaciam: iuuencas verò populorum eos
qui ex gentibus crediderunt, propter nouitatem vocationis. Prædicere igitur diuinum oraculum
Iudæorum impetos factos in principio diuini præconij contra homines pios. At Gulielmus Pepi-
nus Pariſienſis,theologus,Ordinis Prædicatorum,hunc poſteriorem Pſaltis locum interpretatur de
ijs qui indignè bona occupant Eccleſiæ,vt ſubinde patebit.Moraliter (inquit)per quatuor illa ani-
malia, quæ eiecit Chriſtus de porticu templi, ſignificantur multa genera clericorum, qui ſunt pro- F
hibendi ab impetrandis beneficijs, & Eccleſiæ dignitatibus,inſuper etiam expellendi per viam iu-
ris ab impetratis, maximè ſi ſeſe non correxerint,aut ſaluti ſuæ prouiderint. Primo igitur per boues
cornutos intelliguntur illi,qui per preces armatas,ſiue in manu forti,aut brachio extento intrant &
perueniunt ad Eccleſiaſtica beneficia,etiam vſque ad ſuperiores dignitates. Et tales boues, ſeu ve-
rius tauri,vno cornu percutiunt canonicè electos,alio verò cornu percutiunt electores,& quotquot
vident fauere veritati, & parti canonicè electorum minas & terrores,atque varia damna inferunt.
Sic cùm ſuis importunitatibus,violentijs,& moleſtijs præualent,atque per hunc modum abundant
beneficijs. Et de talibus poteſt intelligi illud Pſal. *Boues eorum craſſæ*, ſcilicet propter huiuſmodi
beneficiorum abundantiam: vel ad literam craſſæ, quia ſæpè tales boues impinguantur vltra mo-
dum,ita vt vix poſſint contineri in pelle ſua. Et de talibus piè conqueritur lamentando mater Ec-
cleſia dicens illud Pſal. *Circumdederunt me vituli multi*. Iſtud refertur ad filios nobilium, & po-
tentum, qui hic appellantur vituli, eò quòd non quærunt niſi ſaltare, & currere poſt laſciuias ſæcu-
li, & qui volunt viuere ſine freno, & in libertate. Tales ergò vituli hodie circumdant Eccleſiam
quando quærunt Abbatias, Epiſcopatus, & huiuſmodi Eccleſiaſticas dignitates. Vel dic,quod vi- G
tuli multi circumdantes Eccleſiam, ſunt multi iuuenes nepotuli Prælatorum Eccleſiaſticorum ex-
pectantium mortem auunculorum ſuorum, vt poſſint intrare ad eorum beneficia, ſiue per reſigna-
tionem,ſiue per aliam viam.Deinde conqueritur Eccleſia,de alijs dicens *Tauri pingues obſiderunt*
me. Iſtud refertur ad alios nobiles Eccleſiaſticos, qui hic dicuntur tauri propter lubricitatem,de
multis loquor. Item obſeſſores Eccleſiæ propter violentiam,quam ſiue per ſe,ſiue per ſuos inferunt
quandoque Prioratui,Abbatiæ,aut Cathedrali Eccleſiæ nolenti eos recipere in paſtores. Tales er-
go vituli, & tauri, atque boues cornuti meritò deberent expelli de templo Domini, ideſt, priuari
beneficijs impetratis,& reddi inhabiles ad impetrandum in poſterum.Significari per tauros etiam
carnalia indicat D. Hieronymus; Vbi enim dicitur: *Prandium paratum,& tauri, & altilia occiſa:*
vt ex carnalibus (inquit) ſpiritualia intelligantur. At D. Auguſtinus in enarratione Pſal. 67. ad
hæc verba, *Congregatio taurorum inter vaccas populorum, vt excludantur ijs,qui probati ſunt argē-*
to: Tauros vocari tradit propter ſuperbiam duræ indomitæque ceruicis. Significare enim hæreti-
cos: vaccas autem populorum, ſeductiles animas intelligendas putat, quia facilè hos tauros ſe-
quuntur. Non enim populos vniuerſos (inquit) ſeducunt,in quibus ſunt graues,& ſtabiles:vnde H
ſcriptum eſt, *In populo graui laudabo te*: ſed in eis populis quos inuenerint vaccas, ex his enim ſunt
qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſi-
derijs erroris, ſemper diſcentes, & ad veritatis ſcientiam nunquam peruenientes. Eſt tamen vbi
taurus etiam in bonam partem accipitur: etenim D. Chryſoſtomus,vbi in Euangelio dicitur: *Dici-*
te inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei,& ſaginata occiſa ſunt,& omnia iam parata,ve-
nite ad nuptias: ideſt(inquit)ex omni lege, & ex omnibus Prophetis ſcripturarum menſas ornaui.
Qui ſunt tauri, & ſaginata occiſa? Prophetæ qui occiſi ſunt pro ſalute populi: Sancti quoque occiſi
ſunt pro ſalute eiuſdem populi,quemadmodum docet nos Apoſtolus,dicens; *Ego autem impendar*
& ſuperimpendar pro animabus veſtris: Item alibi: *Ego enim iam delibor*, Hominis Libatio alicui
pro aliquo offertur. Deo ergo immolandus fuerat Paulus pro populo quem docebat. Sic & Pro-
phetæ occiſi ſunt, vnuſquiſque pro ſalute populi,quem docebat. Et quoniam mors Prophetarum
ſuſtentabat quidem ex parte ſalutem humanam,non tamen plenè ſaluare poterat totum mūdum;
ideo nouiſſimè immolatus eſt agnus,qui totius mundi reatum innocentia ſua detergeret. Propte-
rea, & in diebus Scenopegiæ, quæ interpretatur fixio tabernaculi, diuerſæ hoſtiæ occidebantur in

figura

Superbi, diuites. Principes plebis.

Carnalia. Matth. 22.

Hæretici.

Homil. 41. in cap. 22. Matth.

Prophetæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A figura Sanctorum, nouissimè autem occidebatur, & agnus. Sic ergo agnum illic occisum intelligimus præcedentium Sanctorum occisiones. Sed & Christus de figurata Sanctorum suorum immolatione dicebat: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso, & arietibus, offeram sibi boues cum hircis.* Nec enim Christus aliquando huiusmodi animalia obtulit patri. Obtulit autem rationabiles arietes, idest, principes omnium Christianorum. Obtulit boues rationabilem terram colentes. Obtulit etiam hircos ex gentibus, qui pro nomine Christi sunt passi. Hæc autem diximus, vt ostendamus tauros, & saginata occisa, intelligi debere Sanctos occisos. Omnes ergo Prophetæ, & Christus ideo occisi sunt, vt hoc spirituale tabernaculum firmiter figeretur. Denique sicut viscera agni, ita eloquia Christi homines non manducauerunt, nisi postquam occisus est. Nam post mortem eius Euangelia prædicata sunt & credita, & in eis homines qua die nutriuntur. Sic & viscera eius Prophetarum, idest, eloquia non sunt antè suscepta, nisi postquam occisi sunt. Quis audiuit, aut credidit verbis Esaiæ viuentis? Si enim suscepissent sermones eius, nunquam eum serrassent: sed postquam occisus est; tunc postmodum Iudæi susceperunt prophetias eius, & cœperunt leges in Synagogis suis. Quis Hieremiæ suscepit verba viuentis? Si enim suscepissent verba eius, nunquam
B eum post multas iniurias lapidasset: Sed postquam occisus est, postea consecrauerunt prophetias eius, & cæperunt legere eas in conuentu. Et sic inuenies actum in omnibus Prophetis, quia viuentes eos nemo coluit, sed post mortem. Vnde & Dominus dicit. *Qui ædificatis sepulcra prophetarum, & dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus participes eorum in sanguine Prophetarum.* Sicut enim viuentis animalis viscera nemo manducat, ita viuentium prophetarum sermones nemo suscepit, sed post mortem ipsorum. Saginati erga sunt gratia Dei pleni. Ideo dixit, *& saginata, & tauros:* non quia, & tauri non fuerunt saginati, sed quia omnes saginati non fuerunt tauri. Ex Prophetis enim omnibus quidem tantummodo Prophetę fuerunt, quidam autem Prophetæ, & Sacerdotes, sicut Hieremias, sicut Ezechiel, sicut filius Ioiadæ. Ergo saginata dicit Prophetas tantummodo, qui fuerunt Spiritu Sancto repleti. Tauros autem qui & Prophetæ fuerunt, & Sacerdotes: Sicut enim tauri duces sunt gregis, ita Sacerdotes sunt principes populi. Quosdam autem legi dicentes, tauros hic dici martyres, tunc in primis pro Christo occisos, Apostolis adhuc viuentibus: saginata autem paruulos, Spiritu Sancto pinguecificatos. Quorum omnium interfectiones, multas spiritualium gaudiorum epulas præbuerunt, & nuptias Christi adornauerunt. Hactenus ille. Minimè verò prætereundum etiam est hoc loco, quod Theologi nostri (inquit Pierius) Ia-
C cobis prædiuinationem de Iosippo, *Tauri decor eius,* transferunt ad Christum: Taurus quidem ob vtramque dispositionem, alius ferus, vt iudex, alius mansuetus, vt assertor, qui generi humano salutem dedit, cuius cornua essent crucis extrema. Nam & de parte nauis, antennam dictũ inuenimus:

Cornua velatarum obuentimus antennarum.

Hac autem virtute crucis, & hoc more cornutus, ait Tertullianus, vniuersas gentes etiamnum ventilat, per fidem auferens à terra in cęlum, & tunc ventilabit per iudicium, deijciens de cælo in terram. Vbi etiam de Simeone & Leui loquitur: *In concupiscentia sua subneruauerunt taurum,* de Christo identidem intelligi volunt, cuius neruos Sacerdotes præcipuè, clauis suffigendos curauerunt. *Christus vitulus.* Est & vbi vitulus Christum significat, vt ostendit venerabilis Beda, declarans illud genesios, *Cap. 18.* *Post hæc apparuerunt Abrahæ tres viri, &c.* Et in conuiuium vitulum præparauit saginatum. Iste autem vitulus saginatus, inquit, Domini Iesu corpus est. Ipse vitulus pro redeunte filio occiditur. Butyrum pinguissimum, euangeliorum est documentum. Lac quippe iuxta Apostolum, priscæ legis habet figuram. Vitulum autem cum lacte & butyro Abraham edendum apposuit, quia nec corpus Domini sine lacte legis sine butyro esse potest. Et rursus, vbi dicitur in Euangelio: *Et adduci-*
D *te vitulum saginatum & occidite.* Vitulus, inquit, saginatus, ipse Dominus est, sed secundum carnem: & bene saginatus, quia caro eius adeo spiritali est opima virtute, vt pro totius mundi salute sufficiat in odorem suauitatis, nidorem videlicet immolationis, ad Deum mittere, & pro omnibus exorare. Adducere autem vitulum & occidere, est prædicare Christum & mortem eius insinuare. Tunc etenim cuique nostrum quasi recens occiditur, cùm credit occisum. Tunc caro eius comeditur, cùm eius passionis Sacramentum, & ore ad emundationem percipitur, & corde ad imitationem cogitatur. *Et manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est.* Non solùm filius qui reuixit & inuentus est, verùm pater & serui illius, Sacrosancti vituli, qui propter filium occisus erat, carne refecti epulantur. Quia patris cibus, salus est nostra, & patris gaudium, nostrorum est remissio peccatorum. Nec tantum Patris, sed & Filij, & Spiritus Sancti. Quia sicut vna in diuinitate voluntas & operatio, ita & vna est delectatio sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Vnde beatus Abraham tres Angelos hospitio accipiens, vitulum tenerrimum, & optimum occidisse, eisque cum lacte, pane, & butyro epulandum legitur obtulisse: quia qui beatam Trinitatem rectæ deuotionis officijs reficere, idest lætificari desiderat, mortem quoque debet vni-

geniti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

geniti Filij Dei in carne, quæ eſt vna in eadem Trinitate perſona, piæ confeſſionis ſynceritate cele- E
Num. 19. re,&c. quæ omnia repetit in homilijs quadrageſimalibus. Et rurſus, vbi ſcriptum eſt: *vt adducant ad te vitulam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portauerit iugum*, *Vitula rufa Chriſtus.* Vitula rufa, caro (inquit) Saluatoris eſt, Roſea ſanguine paſſionis, ætatis integræ, quia perfectæ ætatis paſſus eſt Chriſtus. Quod non eſt impoſitum ſuper illam iugum, oſtendit quod caro Chriſti non eſt ſubiugata peccato. Quod extra caſtra eiecta eſt, adſtante Eleazero Sacerdote, ſignificat quod Chriſtus extra Hieruſalem crucifixus eſt, & populus, & Sacerdotes in crucem Chriſti conſenſerunt. Et ſicut immundi ſunt, qui offerunt vitulum, ſic & qui crucifixerunt Chriſtum, peccatores omnes habentur. Sicut autem mundus eſt, qui colligit cinerem aſperſionis; ſic omnes mundi ſunt qui Chriſti paſſionem in omnibus gentibus prædicauerunt, & doctrinam illius aſperſerunt. Hæc ille, & alia quæ referri debeant, vbi de ſacrificijs. D. etiam Ambroſius ad præcitatum Euangelij locum commentans: Bene autem (inquit) carnem vituli, quia ſacerdotalis eſt victima: quæ pro peccatis fiebat. Epulantem patrem inducit, vt oſtenderet, quoniam paternus cibus eſt ſalus noſtra, & patris gaudium, noſtrorum redemptio peccatorum eſt. Et hic quidem ſi ad patrem referas, quia hoſtia pro peccatis filius eſt, delectatur pater reditu peccatoris, ſupra delectatur filius inuenta oue, &c. Sic & D. Chryſo- F
Luc. c. 15. ſtomus in homilia de patre, & duobus filijs: Addit (inquit) & vitulum ſaginatum iugulandum in conuiuij exhibitione: ſine dubio Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem dedit pater in victimã pro ſalute noſtra: quem vitulum nominat propter hoſtiam corporis immaculati: Saginatum autem verè dixit, quia pinguis & opimus in tantum eſt, vt pro totius mundi ſalute ſufficiẽs ſit ad odorem ſuauitatis, & nidorem immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare. Propter quod etiam myſtica ratione dictum eſt patrem dare alijs immolandum hunc vitulum, ipſum verò gaudere, & epulari in victima vituli Dei. Sic enim, inquit, dilexit hunc mundum, vt filium ſuum vnicũ pro ſalute eius daret. Non ergo ipſe immolauit, ſed alijs immolandum tradidit. Permittente enim patre, conſentiens filius, ab hominibus crucifixus eſt. Ipſe autem pater, qui fide noſtra paſcitur, & filij pro nobis immolatione lætatur, gaudet in reditu filij, & conuiuatur in vitulo, quia miſericordię ſuæ fructum immolatione filij ſui gaudens creator acquiſitione populi credentis epulatur, &c. Sed Chriſtus quoque quaſi vitulæ, capræ, arietis, turturis, columbæque ſpeciem gerit, inquit D. Cyrillus, quod huiuſmodi ratione pro viribus explicat. Scriptura ſacra filium ſæpenumerò ob vim maximam eius, inuictiſſimam diuinamque potentiam vitulo comperare ſolet. Mas enim fæmina ſem- G
per fortior habetur, cùm eam ſemper ducat, atque excellat. Filius namque cùm patrem omnium, Deumque, principium habeat cunctarum certè creaturarum naturam maieſtatemque excellit. Cũ autem humanam aſſumpſiſſet naturam, ſub lege veluti cuiuſdam duces imperio conſtitutus eſt. Quamobrem, *non veni*, (inquit) *ſoluere legem, ſed adimplere*. Quod humanitati quoque Chriſti accommodandum exiſtimo, ſi rectè intelligere velimus. Chriſtus ergo vitula habitus eſt, cùm humanam naturam accepiſſet, vituli perſonam, ideſt, Moſen in ſe gerens, legem ſcilicet, quam ipſe Moyſes tulit. Sed ob eam cauſam capræ aſſimilatur, quia ſe ipſe pro peccatis noſtris, vt ſacræ teſtãtur literæ, obtulit. Caprà enim vt pro peccatis offeratur, lege ſancitum eſt. Sed arieti eò comparatur, quòd rationalium ouium paſtor ſit. Vnus enim, inquit, veſter magiſter eſt Chriſtus. Et nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius, vt diuus Dauid inquit. Sed cùm fratribus ſimilis eſſet, ſeque ipſum exinaniſſet, aries quidem accipitur, ſed dux etiam intelligi poteſt. Arietes enim ſemper gregibus præſunt. Ergo vitula appellatur, quia ſub lege natus eſt. Capram quoque enim intelligas velim, quod eam pro peccatis ſacrificare ſoleant. Aries etiam idcirco appellatus eſt, quia dux profectò habetur, cuius veſtigia ſequi qui voluerint, feſtinarintque, bonis in paſcuis, pinguique loco, vt H
Propheta inquit, profectò collocabuntur, ſed in atrijs quoque Domini ſacris donec veniat, certè diuertent. Nam ſi ipſe nos in ſupernis manſionibus collocauerit, cùm & aries habitus ſit, princepſque propterea gregis, atque ſub lege veluti vnus ex hominibus conſtitutus fuerit, legemque ſicuti Deus ſuperauerit, meritò is omnis noſtra iuſtitia eſt, etſi inter iniquos reputatus, pro totiuſq; humani generis ſalute occiſus fuerit. Adhæc turturis, columbæque ſpeciem gerit. Nam ipſe intellectualis, ac facundiſſima turtur eſt, illaque eloquentiſſima auis, quę è cælo Euangeliorum præconijs in toto orbe terrarum iucundiſſimè, ſuauiſſimèque cecinit. Quem ipſa quoque ſponſa, gentium ſcilicet Eccleſia affatur: *Oſtende*, inquiens, *mihi faciem tuam, & audire me fac vocem tuam, quia vox tua ſuauis eſt, & facies tua pulchra*. Ipſe certè ea columba eſt, quæ ſimplex, innocens, ſineque vllo dolo habetur. *Non enim inuentus eſt*, inquit, *dolus in ore eius*. Sed triennis vitula quæ accipitur, cæterarumq; beſtiarũ genera, perfectionem diuinitatis vnigeniti planè oſtẽdunt. Sed beſtias, inquit, diuiſit, aues tamen duæ integrę permanſerunt. Quia enim vnigenitus Dei Filius carnẽ aſſumpſerit, quaſi diuiditur: & ad duplicem quandam contemplationem huiuſmodi oratio extenditur. Nonnunquam enim diuinam eius ineffabilemque è Deo natiuitatem intelligimus, nonnunquam humani-

tatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tatis eius mysterium enarramus, cùm rem huius dispensationis profundissimam explicamus, aperimusque eis, qui eam prorsus ignorant. Sed quamuis eius oratio duplex quodammodo habeatur, vnus tamen & idem duntaxat Christus est. Quòd huiuscemodi notam aues illæ duæ, quę diuisæ nõ sunt, nimirum ostendunt. Aues enim (inquit) non diuisit. Sed Christus veluti terrestris ob humanitatem, vitulus, capra & aries accipitur: vti tamen cælestis supernusque cùm Deus sit, auis intelligitur, &c. Iam verò D. Hieronymus in commentarijs in Oseam, vbi propheta ait: *omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Vitulos labiorum, laudes ait in Deo esse, & gratiarum actionem. *Sacrificium enim* (inquit) *Deo spiritus contribulatus.* Igitur illo iam tempore carnalibus victimis reprobatis, placabilis Deo hostia, est pura confessio. Qui reddituros se esse dicunt labiorum vitulos, & Dei laudes perpeti voce canituros, etiam illud repromittunt quod nequaquam in Assyrijs spem habeant, neque super equos Aegyptios, quia fallax equus ad salutem: & vltra non adorent opera mauuum suarum: vitulos aureos quos in Dan Bethelq; conflauerãt, & iccirco, inquiunt, Nequaquam operi manuum nostrarum dicemus, Dij nostri, quia tu eius qui in te est pupilli misereberis, hoc est, populi Israel, de quo dixeras: *Filius primogenitus meus Israel.* B *Et filios genui & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt.* Et in alio loco: *Filij alieni mentiti sunt mihi.* Pupillus autem vocatur quia Deum perdidit patrem. Quidam autem pupillum exposuit, qui à malo patre recesserit diabulo, & idcirco Dei misericordia subleuetur. Ad omnem quoque dogma peruersum quotidie Propheta loquitur, & sectatores eius ad pœnitentiam vocat, inquiens: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum qui corruistis siue elanguistis, Domini perdita sanitate: tollite vobiscum verba, veram fidei confessionem, & dicite: Aufer iniquitatem quæ in corde nostro versatur, & accipe bona fidei* · qua corde creditur ad iustitias, ore autem confessio fit ad salutem. Vituli & victimæ siue fructus labiorum sunt in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & in passionem & resurrectionem Domini credere; quam qui obtulerit ei, nequaquam sperabit in rege Assyrio &c. Quid sit verò in Psalmo quinquagesimoprimo, *Tunc imponent supra altare tuum vitulos,* declarat Cassiodorus his verbis. Vitulos posuit aut pro innocentibus adultis, quorum ætas prima est, & à iugo peccati ceruix probatur aliena, & ideo in tali verbo permansit, vt actum illum præteritæ legis indicaret fuisse rerum imaginem futurarum. Siue illos prędicatores Euangelij promittit, quorum imaginem in vituli figura Lucas Euangelista suscepit, qui non mugitibus aera verberarent, sed orbem terrarum Dominicæ fidei prædicatione complerent. Siue illos magis vitulos debemus aduertere qui C animas suas in hostiam suauitatis sacris altaribus obtulerunt. Nam & pater Augustinus, cùm de figuris illis Euangelicis ageretur, quodam loco ipsum Dominum vitulum dicit, qui se hostiam obtulit pro salute cunctorum. Quapropter siue de adolescentibus, siue de prædicatoribus, siue de martyribus sentiatur, tales tamẽ Propheta vitulos altaribus Domini potuit promittere, quos Christianæ religioni nouerat conuenire. Et in alio Psalmo scriptum est: *Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas.* Hic psalmodiæ virtus exponitur, quia multo acceptior est laus puro corde fusa Deo, quàm potest pecudum placere mactatio. Iste enim prioris oblationis mos fuit, vt pro peccatis offerretur nouellus vitulus. Significabat enim hæc victima innocentis, ac nouæ vitæ munera secutura, quæ defensionem haberet in cornibus: pedum verò munimen in vngulis, per quas sęculi istius aspera, conuersatione sanctissima calcaremus. Cornua producentem: Quod ait cornua, illud significat, quia Christianorum populus per dies singulos virtute Domini semper augetur. At verò F. Laurentius à Villauicentio Xerasanus Augustinianus Eremita doctor Theologus Louaniensis, & Philippi Hispaniarum Regis Maximi Ecclesiastes in phrasibus sacrę Scripturæ, vitulorum nomen non absurdè ad petulantem & indomitam iuuentutem referri posse ait, quæ D ab impijs patribus in delicijs & ocio educata, lasciuiendo bonos lædit viros, mox enim ab vnguiculis, vt dicitur, irridere, inquit, & etiam lacessere audet pietatis studiosos. Sic Psal. 21. per Prophetam accusat Dominus ludibria Iudæorum, qui illum in crucem adigere sunt aggressi: *Circundederunt me vituli multi,* &c. Quid sibi verò velit vitulus aureus, quem fecerunt filij Israel in solitudine, vel quid significet, quod Moyses ipsum vitulum igne combussit, minutatimque concidit, & in aquam aspergens potum populo dedit, docere nititur Beda: In vitulo, inquiens, diaboli significari corpus, idest, inquit, homines in omnibus gentibus, quibus ad hæc sacrilegia caput, hoc est, author est diabolus. Aureum propterea, quia videntur idolatriæ ritus, velut à sapientibus instituti. De quibus dicit Apostolus: *Quoniam cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorũ: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & in volucrum, & quadrupedum, & serpentium:* ex hac quasi sapientia iste vitulus aureus, qualia solebant Aegyptiorum etiam ipsi primates, & tanquam docti homines adorare figmenta. Hoc ergò vitulo significatum est omne corpus, idest, omnis societas gentilium idolatriæ

dedi-

Lib. 3. c. 14.

Laudes in Deo & gratiarũ actio.

Innocentes, adulti prædicatores, Martyres. Christus.

Psal. 68.

Petulans & indomita iuuentus.

Vitulus aureus quid denotet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

deditorum. Hanc ſacrilegam ſocietatem Dominus Ieſus illo igne comburet, de quo in Euangelio E
dicit. *Ignem veni mittere in terram.* Vt quoniam non eſt qui ſe abſcondat à calore eius, dum in eum
credunt gentes, igne virtutis eius diabolica in eis forma ſoluatur. Totum deinde corpus comminui-
tur, ideſt, ab illa malæ conſpirationis conflatione deſciſſum, verbo veritatis humiliatur, & commi-
nutum in aquam mittitur, vt eos Iſraelitæ, ideſt, Euangelij prædicatores ex baptiſmo in ſua mem-
bra, ideſt, in Dominicum corpus transferat. Quorum vni Iſraelitarum, ideſt, Petro de ipſis gentibus
dictum eſt ſic: *Macta & manduca: quare etiam non concide & bibe?* Ita ille vitulus per ignem zeli, &
aciem verbi, & aquam baptiſmi ab eis potius quos abſorbere conabatur, abſorptus eſt. Quod mo-
do quatuor illa animalia ſignificent, quæ D. Ioanni viſa ſunt, vt legitur in Apocalypſi: non erit præ-
ter noſtrum inſtitutum declarare, eoque magis cum hiſtoria Aquilæ ſuper hac re obiter tantùm &
per tranſennam actum ſit. Verba Ioannis ſunt: *Et in medio ſedis & in circuitu ſedis quatuor ani-
malia plena oculis antè & retro. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo; &
tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti:* In quatuor
animalibus non eſt dubium (inquit Franciſcus Ribera Villacaſtinenſis præsbyter Societatis Ieſu in
commentarijs in Apocalypſin) Ioannem alludere ad quatuor illa animalia Ezechielis cap. 1. Et F
vtroque in loco (quamuis nonnulli aliter interpretati ſunt) celeberrima tamen & receptiſſima ſen-
tentia eſt, tã veterum, quam recentiorum, quatuor Euangeliſtas indicari. Ita docuit Irenęus lib. 3.
aduerſus hæreſes, cap. 2. Victorinus Martyr, Athanaſius in Synopſi ſacræ Scripturæ ad finem: Hie-
ronymus in Ezechielem, & in prohæmio commentariorum in Matthæum, & lib. 1. contra Iouinia-
num, prope medium, Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangel. cap. 6. Gregorius homilia 3. & 4. in
Ezechiel. Iſidorus in prologo librorum noui teſtamenti, Theophilus in allegorijs Euangeliorum:
Beda, Ambroſius, Haymo, & reliqui in hunc locum Apocalyp. Hoc explicat Irenæus his verbis:
Primum animal (inquit) *ſimile leoni, efficabile eius & principale, & regale ſignificans.* Quod mox de
Ioanne ſiue de eius Euangelio, interpretatur dicens. *Aliud enim* (Euangelium) *illam quæ eſt à patre,
principalem & efficabilem, & glorioſam generationem eius enarrat, dicens ſic: In principio erat ver-
bum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, & omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo fa-
ctum eſt nihil. Propter hoc & omni fiducia plenum eſt Euangelium illud, talis eſt enim perſona eius.*
De ſecundo ſic ait: *Secundum verò ſimile vitulo, ſacrificalem & ſacerdotalem ordinationem ſignificãs.*
Quod poſtea ita exponit. *Id verò quod eſt ſecundum Lucam, quoniam quidem ſacerdotalis characte-* G
*ris eſt, Zacharia ſacerdote ſacrificante Deo inchoauit. Iam enim ſaginatus parabatur vitulus, qui pro
inuentione minoris filij inciperet mactari.* De tertio ita loquitur: *Tertium verò habens faciem quaſi
humanam, eum qui eſt ſecundum hominem, aduentum eius manifeſtè deſcribens.* Et poſtea. *Matthæus
verò eam, quæ eſt ſecundum hominem, generationẽ eius enarrat: Liber* dicens, *generationis Ieſu Chri-
ſti, filij Dauid, filij Abraham.* Et iterum: *Chriſti autem generatio ſic erat. Humanæ formæ igitur hoc
Euangelium: propter hoc per totum Euangeliũ humiliter ſentiens, & mitis homo ſeparatus eſt.* Quar-
tum in hunc modum deſcribit: *Quartum verò ſimile aquilæ volitantis, Spiritus in Eccleſiam ad vo-
litantis gratiam manifeſtans.* Et mox ipſum ita explanat. *Marcus verò prophetico ſpiritu ex alto ad-
ueniente hominibus initium fecit: Initium, dicens, Euangelij, quemadmodum ſcriptum eſt in Eſaia
Propheta: Volatilem, pennatam imaginem Euangelij monſtrans: propter hoc & compendioſam & præ-
currentem annunciationem fecit. Propheticus enim character eſt hic, & ipſum verbum Dei illis qui-
dem, qui antè Moſem fuerunt, patriarchis ſecundum diuinitatem & gloriam colloquebatur: ijs verò
qui in lege, ſacerdotalem & miniſterialem actum præbebat: Poſt deinde nobis homo factus, munus cæ-
leſtis ſpiritus in omnem miſit terram, protegens nos alis ſuis, &c.* In his verbis illud primum obſer- H
uandum eſt, quod Sanctus Irenæus differre videtur à cæteris: quòd in animalibus non Euangeli-
ſtas, ſed Euangelia ipſa intelligit. Verùm hoc nihil refert, quoniã idem dicitur, ſiue dicantur Euan-
gelia ſimilia eſſe, ſiue ipſi Euangeliſtæ propter ſua Euangelia, vt dicunt ferè cæteri. Quod ſi pro-
priè dicendum ſit, & tenuiter hæc ſint diſtinguenda, Euangeliſtę propter ſua Euangelia ſignifican-
tur in animalibus. Quod enim poſtea in hoc capite & ſequenti ſcriptum eſt, & quatuor animalia
ſimul cùm viginti quatuor ſenioribus die & nocte laudare Dominum, & dare illi gloriam & hono-
rem, & reſpondere, Amen, magis propriè ad Euangeliſtas refertur, quàm ad Euangelia. Alterum
eſt, quatuor tantùm animalia oſtendi, & his potius figuris, quàm alijs, vt doceamur diſpoſitionem
Dei in omnibus ſæculis, ideſt, qualiter ſe Deus cum hominibus geſſerit in varijs ſtatibus. Ab Ada-
mo vſq; ad Moſem Dei filius hominibus loquebatur, oſtendens ſuam diuinitatem & gloriam, vt ab
illis coleretur & amaretur. Tempore veteris legis loquebatur hominibus tradens eis ritum ſacerdo-
tij & miniſtrandi in ſacrificijs. Poſtea homo factus eſt, & docuit ad extremum, & Spiritum ſanctum
miſit in terram, vt homines protegeret & doceret. Propterea in leone ſignificatur prima locutio, in
vitulo ſecunda, in homine tertia, quarta in aquila. Et hoc eſt, quod ait Irenæus: Qualis igitur di-

Animalia D. Ioanni viſa.

Cap. 4.

ſpoſitio

A ſpoſitio filij,talis & animalium forma,& qualis animalium forma,talis & character euãgelij. Quadriformia autem animalia,& quadriforme Euangeliũ,& quadriformis diſpoſitio Domini. Deinde alteram rationem ſubijcit,cur quatuor Euangelia & quatuor animalia ſint. *Quatuor*, inquit, *data ſunt teſtamenta humano generi*,(ideſt,quater cùm illis Deus fędus inijt,& legẽ illis dedit,) *vnum quidem ante cataclyſmum, ſub Adam, ſecundum verò poſt cataclyſmum, ſub Noe, tertiũ verò legislatio ſub Moſe, quartum verò quod renouat hominẽ, & capitulat in ſe omnia, quod eſt per Euangeliũ, eleuãs & pennigerans homines in cœleſte regnum, &c.* Tertiũ eſt,quod leonem Ioanni comparat aquilam Marco; cùm è contrario Ioannes aquilæ, Marcus leoni ſoleat comparari. Communis expoſitio eſt, Matthęum in homine ſignificari,quod quaſi hominẽ deſcripſerit,inquiens, *Liber generationis Ieſu Chriſti &c.* Marcum in leone,quoniã Euangelium incipit a clamore Ioannis in deſerto, quaſi à rugitu leonis: in vitulo Lucam,quia à Zachariæ incipit ſacerdotio. Eſt enim vitulus animal ſacrificijs aptum:in aquila Ioannẽ intelligunt propter eius exordium,qui ad excelſum euolans cępit, *In principio erat verbum.* Hæc eſt ſentẽtia Hieronymi & reliquorũ ſcriptorũ in locis modò indicatis. Quãuis Auguſtinus in Matthęo & Marco differt à cęteris: Mauult enim Matthęũ in leone ſignificari,in

Aquila an Ioanni, an Marco tribuenda.

B homine Marcũ:quoniã Matthęus regiam Chriſti cõmendat dignitatem,quem è regibus ortũ oſtẽdit:Marcus nec de ſtirpe eius regia,nec de ſacerdotio quicquam dicens,in eis tantùm verſatur,quæ homo Chriſtus operatus eſt. Hanc docet quorundam fuiſſe ſententiã ante ſe,eamq; refert hic Ambroſius:eandem amplectitur Beda hic,& in epiſtola ad Accã Epiſcopũ,quę eſt ante cõmentarios in Lucam. Ratio Auguſtini & Bedę hęc eſt: in priori expoſitione coniecturã ſumi de initio cuiuſcunq; Euangelij,æquius autẽ eſſe,vt de toto Euãgelio ſumatur,quàm de initio. Quod ſi de toto Euangelio ſumatur,Matthęum ſimiliorẽ eſſe leoni quàm Marcum, quoniam prius demonſtrat ſtirpẽ regiã Chriſti,mox adorationẽ Magorum &c. Verùm pręferenda eſt communis expoſitio,quoniam initia Euangeliorum intuenda eſſe,vt intelligatur,in quo quiſq; Euangeliſtarum animali ſignificatus ſit, oſtendit Ezechiel cùm ait: *Similitudo autè vultus eorũ facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorũ quatuor.* Quæ ita exponit Hieronymus. Facies principia dicit Euangeliorũ, è quibus homo & leo, hoc eſt, natiuitas Chriſti & prophetæ vox tonantis in eremo dextras partes tenent. Vituli autẽ, victimarum & ſacerdotij Iudęorum, in ſiniſtris eſt quod abolitũ tranſiuit ad ſacerdotiũ ſpirituale &c. Aquila autẽ,quę & ſuper natiuitatẽ & ſuper prophetiã eſt,quę Domini expletur aduentu, & ſuper ſacerdotiũ,quod præterijt,& extra hæc omnia eſt,de natiuitate referens ſpirituali, quomodo pater

C in filio,& filius in patre ſit &c. Victorinus. Animalia igitur,quod differentia vultibus ſunt,hanc habet rationẽ. Simile leoni animal Euangelium ſecundum Marcũ, in quo vox leonis in eremo rugiẽtis auditur: *Vox clamãtis in deſerto, parate viam Domini.* Hominis autem figura Matthęus,enititur enunciare nobis genus Marię,vnde carnẽ accepit Chriſtus. Ergo dũ enumerat ab Abraham vſq; ad Dauid,& vſq; ad Ioſeph,tanquã de homine locutus eſt:ideo prædicatio eius hominis effigiẽ oſtendit. Lucas ſacerdotiũ Zachariæ offerẽtis hoſtiam pro populo & apparentẽ ſibi angelũ dum enarrat: propter ſacerdotiũ & hoſtię conſcriptionẽ,vituli imaginẽ tenet. Ioannes Euangeliſta aquilæ ſimilis aſſumptis pennis ad altiora feſtinans de verbo Dei diſputat. Marcus Euangeliſta ſic incipit: *Initiũ Euangelij Ieſu Chriſti, ſicut ſcriptũ eſt in Eſaia propheta. Vox clamantis in deſerto.* Hęc eſt leonis effigies. Matthęus: *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abrahã.* Hęc eſt facies hominis. Lucas autẽ dicit. *Fuit ſacerdos nomine Zacharias, de vice Abia et mulier ei de filiabus Aarã.* Hęc eſt imago vituli. Ioannes ſic incipit: *In principio erat verbũ, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbũ. Hoc erat in principio apud Deũ.* Hęc eſt ſimilitudo aquilę volantis &c. Et Gregorius. Quod.n. quatuor hęc pennata animalia ſanctos quatuor Euangeliſtas deſignent, ipſa vniuſcuiuſq; libri Euãge-

Homil.4.in Ezechiel.

D lica exordia teſtantur. Nam quia ab humana generatione,cępit,iure per hominem Matthæus:quia per clamorẽ in deſerto,rectè deſignatur per leonẽ Marcus:quia à ſacrificijs exorſus eſt, bene per vitulũ Lucas: *quia verò à diuinitate Verbi cępit, dignè per aquilã ſignificatur Ioannes &c.* Addamus his,omnia quæ de formis Euangeliſtarũ dicuntur,ad Chriſtum eſſe referenda. Atq; hoc in reliquis apertius eſt,quàm in Marco & Luca. Non ſolùm ergo Marcus in leone intelligitur propter clamorẽ Ioannis in deſerto,ſed ob id maximè,quòd regiã Chriſti poteſtatem indicat,cùm ait: *Initium Euãgelij Ieſu Chriſti, filij Dei, &c.* ex quo continuò is eſſe cognoſcitur,qui in Pſal. 2 loquitur: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius:* & cui pater pollicetur: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Docet etiam eum eſſe qui per prophetas promiſſus eſt, & quem prophetæ & Ioannes præcedunt, vt præcones & famuli regẽ. Lucas a legis ſacerdotio incipiens, quod typus erat noui, ſubindicat eum, cuius ſcribit hiſtoriam, verum eſſe ſacerdotem,qui genus humanũ cum Deo conciliet, & quem vetera ſacrificia promittebant. Quare rectè in boue oſtenſus eſt, quoniam bos aptus ſacrificijs eſt, & in initiatione ſummi ſacerdotis immolabatur, vt legimus Exod. 29. Sed huic rationi & expoſitioni illud vehementer aduerſari videtur, quòd apud Ezechielem ſingula animalia quaternas facies habere dicuntur:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Homil. 3. in Ezech.

Et quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni: quomodò ergò facies poteſt ad initium Euangelij E
cuiuſque Euangeliſtæ referri, cùm ſinguli non quatuor initia, ſed vnum habeant? Gregorius do-
cet cur ſingula animalia quaternas habeant facies, affirmatque per faciem notitiam intelligi, id
eſt, id per quod quiſque cognoſcitur, & hoc in loco fidem ſignificari, per quam à Deo cognoſci-
mur. Quatuor ergo facies erant homini, quia quod de fide incarnationis Domini Matthæus tra-
didit, hoc ipſum eſt quod cæteri Euangeliſtæ tradiderunt. Atque ita de reliquis. Verùm hac ex-
planatione dubitatio noſtra non ſoluitur, quoniam faciem hominis aut leonis, & reliquorum ani-
malium ad initia librorum Euangelij retulimus. Videtur ergò ita eſſe reſpondendum. Quatuor
quidem facies erant cuique animali, ſed inter eas vna eminebat, à qua nomen habet animal illud,
atque hæc initium Euangelij reſpicit, vt diximus, quia & maior erat ceteris, & prior oculis Prophe-
tæ occurrebat. Verùm quoniam huic faciei, ideſt, huic initio Euangelij ſimilia ſunt, quæ ſunt
apud alios Euangeliſtas, & ſimilitudo faciei non poteſt cerni, niſi in facie altera, eleganter ſingu-
lis Euangeliſtis quaternæ facies tribuuntur, vt vnuſquiſque eorum ſimilis cæteris tribus intelliga-
tur, ideſt, in progreſſu ſui Euangelij haberi, quod reliqui ſuorum initio ſignificarunt: Exempli cau-
ſa, Matthæus faciem habet hominis, quia Chriſti humanam generationem initio deſcribit, ſed F
habet etiam faciem leonis, *quia Ioannis clamorem, & quaſi rugitum leonis cap. 3.* narrat, quo Mar-
ci initio ſimilis eſt. Habet & faciem vituli, quia ſimilis eſt Lucæ, nam Lucas ſacrificium deſcri-
bens, in quo *Ioannis ortus promiſſus eſt, id indicare voluit (vt Hieronymus ſubindicat in verbis ci-*
tatis) ſacerdotium vetus in nouum per Chriſtum fuiſſe commutatum, quia omnes *Prophetæ & lex*
vſque ad Ioannem, Matth. 11. Et hoc idem Matthæus ſignificauit eiſdem verbis, quæ nunc retuli-
mus. Habet faciem aquilæ, quia Ioanni *ſimilis eſt*, cùm de diuina Chriſti natura, qua æqualis eſt
patri loquitur, vt cap. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo Et nemo nouit filium niſi pater, ne-*
que patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et cap. vltimo. *Baptizantes eos in*
nomine Patris, & Filij &c. Quibus multa ſunt ſimilia. Idem de cæteris Euangeliſtis dici facilè po-
teſt, neque enim eorum quiſquam eſt, qui non multa dixerit, quæ Chriſti humanitatem diuinita-
temque demonſtrent. Multa etiam ſcripſerunt de Ioannis voce in deſerto clamantis, vt Lucas
capit. 3. Ioannes capit. 1. Sacrificia quoque veteris legis per Chriſti ſacrificium eſſe abroganda,
cum lege ipſa non tacuerunt, vt cùm ait Ioannes capit. 1. *Lex per Moſen data eſt gratia, & veri-*
tas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Et cap. 3. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt*, & reliqua vſque ad finem G
capitis: & cùm Chriſtum in Cruce clamaſſe ſcribit: *Conſummatum eſt.* Eodem pertinet quod
ſcripſit Marcus cap. 2. cùm ait. *Nunquid poſſunt filij nuptiarum, quàmdiu ſponſus cum illis eſt, ie-*
iunare? Videlicet indicat Chriſtum eſſe ſponſum Eccleſiæ, qui nouam legem, nouum Sacerdotium
allaturus erat, & quem Ioannes oſtenderat amicus ſponſi. Et capit. 1. cum docet ex Malachia Ioan-
nem eſſe Chriſti præcurſorem, idem ſignificauit, quia *lex & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Apertius
etiam cap. 9. cum præſentibus Moſe, & Elia vox auditur de cælo: *Hic eſt filius meus cariſſimus, au-*
dite illum. Vaccæ quoque myſticus ſenſus non vbique idem, nam & hæc tam in malam quàm in
bonam partem vſurpatur. Rupertus prædicatores interpretatur vaccas illas, de quibus in primo Re-
gum ſexto ſcribitur in hæc verba: *Nunc ergo arripite, & facite plauſtrum nouum vnum; & duas vac-*
cas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro, recludite vitulos earum domi, &c. Quid
enim (inquit) vaccæ, niſi fideles quoſque in Eccleſia ſignauit, qui dum ſacri eloquij præcepta con-
ſiderant, quaſi ſuper impoſitam Domini arcam portant? De quibus hoc etiam notandum, quod
fuiſſe fetę memorantur, quia ſunt plerique, qui in via Dei intrinſecus poſiti, foris carnalibus affecti-
bus ligantur. Sed non declinant à recto itinere: quia arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccæ H
Bethſamis pergunt, Bethſamis quippe domus Solis interpretatur. Et Propheta ait: *Vobis autem qui*
timetis Dominum, orietur Sol iuſtitiæ. Si igitur ad æterni Solis habitationem tendimus, dignũ pro-
fecto eſt, vt de itinere pro carnalibus affectibus declinemus. Tota enim virtute penſandum eſtis,
quod vaccæ dei plauſtro ſuppoſitæ, pergunt & gemunt. Dant ab intimis mugitus, & tamen de iti-
nere non retorquent greſſus. Amorem quidem per compaſſionem ſentiunt, ſed colla poſterius non
deflectunt. Sic nimirum prædicatores ſancti, ſic fideles quiq; eſſe debẽt intra ſanctam Eccleſiam, vt
compatiantur proximis per charitatem, & tamen de via Dei non exorbitent per compaſſionem.
Arcam quippe vaccis ſuperpoſitam Bethſamis pergere, eſt cũ ſuperna ſcientia, ad internæ lucis ha-
bitaculum propinquare. Sed tunc verè Bethſamis tendimus, cùm viam rectitudinis gradientes, ad
vicina erroris latera, nec pro affectu pignorũ declinamus. Sic namq; ſic neceſſe eſt, vt incedere de-
beant, qui ſacrę legis iugo ſuppoſiti, iam per internam ſcientiam arcam Domini portant, quatenus
per hoc quod propinquorum neceſſitatibus condolent, à cœpto rectitudinis itinere non declinent.
Quorum nimirum gratia, mentem noſtram tenere debet, ſed reflectere non debet, ne hæc eadem
mens, aut ſi affectu tangitur, dura ſit, aut plus tacta, ſi inflectitur, remiſſa: Similiter ferè Diuus
Gregorius in explicatione eorundem verborum, quid enim (inquit) plauſtri nomine, niſi aut vni-
uerſa

Vacca quid myſticè ſignificet.

Fideles per vaccas ſignificati.

Malach. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A uersa simul sancta Ecclesia, aut vnaquæque cuiusque fidelis anima designatur? Cuius profectò plaustri rotæ sunt vtrumque testamentum. Nam dum sancta Ecclesia, vel electa quælibet mens per vetus, & nouum testamentum instructa, ad æternam vitam nititur, quasi sublimibus prælata rotis, ad propositum locum per altum fertur. Sed plaustrum fieri nouum præcipitur, vt videlicet, qui ad æterna gaudia peruenire desiderat, per præceptum dilectionis noui hominis splendore vestiatur. Hoc quippe plaustrum innouari præcipiebat Dominus dicens: *Hoc est præceptum meum vt deligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Hinc Paulus præcepit dicens: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induimini nouum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Hinc Romanos alloquens ait: *Non est in commessationibus & ebrietatibus, non in contentione & æmulatione, non in cubilibus, & impudicitijs, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Plaustrum igitur nouum facit, qui & vtrumque testamentum rectè intelligit, & splendore sanctæ conuersationis indutus, ad superna sese desideria extendit. Possunt quoque rotæ quibus hoc plaustrum graditur, electi cuiusque geminum desiderium designare, quia quisquis iam opulante Deo præsentem vitam in ærumnam peregrinationis tenet, ad futuram beatitudinem idcirco peruenire desiderat, vt impassibilis & im-

Ioan. 5. *Ephes. 4.* *Rom. 13.*

B mortalis fiat, vt videlicet per vnũ eam quam horret, miseriam deserat, per aliud eam quã promeretur beatitudinem, nũquam perdat. Vaccæ autem sunt sancti prædicatores: qui quia gemino præcepto charitatis insignes sunt, & in noua conuersatione conuersorum animas gignunt, rectè tam binario numero, quàm fæminino genere designantur. Vituli autem sunt desideria terrena. Cùm ergo vaccæ plaustrum trahunt, domi vitulos claudunt: quia dum electis fidelibus ad supernam patriam ducatum præbent, ea desideria quæ eis reprobatam vitam suggerunt, prodire ad effectum prohibent. Claudunt quippe vitulos, cum iam superba desideria in ipso suggestiones initio intra conscientiam conterunt, & proficere eo ad effectum operis non permittunt. Vnde & vaccæ quibus non est iugum impositum, ad trahendum plaustrum exquiri perhibentur: quia prædicatores electis fidelibus prouidendi sunt, qui per nulla onera criminis subiecti sint imperio diabolicæ potestatis. De quo profectò iugo per prophetam dicitur: *Computresceret iugum à facie olei.* Bene autem processus sensuum ordini concordat verborum: quia etsi aduersa dominatione sunt liberi, necesse est vt semper sint de futura conuersatione suspecti. Vaccæ ergò & sine iugo sunt, & tamen earum vituli domi clauduntur: quia sancti prædicatores aduersarijs spiritibus ex virtute dominantur, sed ab edomandis paruis desiderijs eo intentionem non auferunt, quo de sanctitate, qua se or-

Prædicatores.

C natos aspiciunt, securitatem in hac vita perpetuam habere non possunt. Et quia talibus diuinæ cognitionis gratia latius aperitur, aptè arca Domini tolli, & super plaustrum poni præcipitur. Quod autem imponi arca auditoribus super plaustrum iubetur, hoc profecto insinuat, videlicet quod in sancta Ecclesia plures ordines præsulum inuenimus: quia dum prerogatiua alij alijs digniores sunt, etiam authoritatem præcipiendi sortiuntur ex culmine ordinis altioris. Cùm ergo arca Domini reduci præcipitur, super plaustrum nouum poni perhibetur: quia profecto ad æternam patriam cum cognitione sacramentorum spiritualium rectè graditur, qui hoc quod de sancta scriptura dicit, per nouæ conuersationis pulchritudinem non relinquit. Diuus Isidorus verò vaccas illas Allophilorum arcam degestantes, fugam sanctorum renunciantium sæculo designasse asserit, qui nullum delicti iugum traxerunt. Nam sicut illę pignorum affectibus (inquit) à rectò itinere minimè digressæ sunt, ita sancti mundo renunciantes, parentelæ obtenti, non debent à bono proposito prępediri, &c. Sic & D. Bernardus in opere de modo bene viuendi ad sororem: Per vaccas Philistæorum, quæ ducebant arcam Domini ad terram Israel, intelligi ait figuram eorum qui propter De-

Sancti renunciantes sæculo. *Serm. 3.*

D um dereliquerunt sæculum. Nam Philistæi, inquit, sicut iunxerunt vaccas plaustro, vitulosque eorum reduxerunt domi, & super plaustrum imposuerunt arcam testamenti Domini: ita iugum Christi leue, & suaue impositum est super ceruices seruorum Dei. Et sicut vaccæ amore filiorum suorum mugiebant, & tamen non declinabant ad dextram, neque ad sinistram, sed recto tramite incedebant vsque Bethsemas, qui erat in introitu terræ Israel: ita serui Dei rectò tramite incedere debent, & pro amore parentum suorum, non debent ad dextram, neque ad sinistram declinare à bono opere, vel proposito, sed recto itinere, vsque ad Bethsemas, idest, vsque ad introitum cælestis regni peruenire. Et sicut vaccæ pro filijs suis mugiẽdo pergebant: ita conuenit seruis Dei, pro parentibus suis mugire, idest, pro eis debent orare, vt bene sit eis, & vt à malo liberentur, atq; in bono confirmentur. Idẽ D. Bernardus in tractatu de passione Domini: qualiter diligendi, & qualiter odiendi sint amici, per easdem vaccas trahentes plaustrum cum arca Domini, perdoceri nos testatur: quarum vituli dum essent reclusi domi, ipsę vaccæ arcam gestantes, & recto itinere pergentes Bethsames, cùm audirent voces vitulorum, dederunt quidem mugitum, qui erat signum naturalis affectus. nec tamen semel se ab arrepto itinere receperunt. Tu verò si iam portas siue professione aperta, & solenni, siue occulto proposito iugum Domini, idest, regulam quamcunque per Spiritum

Amici vt amandi, & odiendi.

Sanctum à patribus inſtitutam: ſi te prædictorum vermium (truncum crucis corrodentium) ſuggeſtiones incipiant corrodere, imitare vaccas Allophylorum portantes arcam Domini; redde mugitum, ideſt, ſignum affectus, hoc eſt, condole, compatere, conſolare eos qui naturali amore coniuncti ſunt: nihil tamen minus ſerua viam incœptam, hoc eſt, perfice bonum propoſitum dirigendo pedes tuos verſus Bethſames, verſus domum Solis, hoc eſt, ad cæleſtem patriam, vbi eſt ſumma & ſpiritualis habitatio Solis noſtri Domini Ieſu, qui eſt Sol iuſtitiæ, quæ in illa domo lucet in virtute ſua habitans lucem inacceſſibilem. Sic ſunt amandi amici, vt affectus amoris erga illos conſeruetur; ſicut ſunt & odiendi, vt eorum amor nequaquam Dei amori præferatur; immo, nec animæ noſtræ commodum amori illius præferre debemus, ſed tanquam odiſſe animas noſtras, affligendo illas ieiunijs, vigilijs, caſtigationibus, vt doceamus eas Dominicis obedire præceptis, & cætera. Gloſſa ordinaria, vbi in Geneſi Dominus dicit ad Abraham: *Sume mihi vaccam triennem, &c.* moraliter interpretatur humilitatem eò quòd vacca iugo ſubmittitur, quæ bene (inquit) dicitur triennis, quia per humilitatem homo ſubijcitur maiori, æquali & minori. At Rupertus lib. 5. in Geneſim de Trinitate, & operibus eius, quid ſibi voluerit quod ait, *Sume mihi vaccam trimam, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam*, omnem hanc aſſumptionem, propheticam aſſumptionem eſſe ait. Vacca quippe, capra & aries, quæ profectò ſeruilia ſunt animantia, nam & lacte ſuo dominos ſuos paſcunt, & lanis operiunt, tres præſignant (inquit) generationes, per quas ſemen Abrahæ ſeruiturum erat in terra non ſua: nam generatione quarta, inquit Deus, reuertentur huc. Eſt autem vacca trima, & capra trima, & aries trium annorum. Cur hoc? Videlicet quia patres, vel Patriarchæ primi, per quos inuocatum eſt nomen Domini ſuper illos, tres numero ſunt, à quibus denominationem ſuſcipere Dominus Deus dignatus eſt, vt diceretur Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Sub iſtis namque nominibus Trinitas vnus Deus, ſæculis illis prædicari voluit, quia nondum capere poſſent homines manifeſta nomina eiuſdem Trinitatis. Volucres quæ deſcenderunt ſuper horum animantium cadauera, quas & abigebat Abraham, rapaces & importunos Dominos, Aegyptios ſcilicet, ſignificauerunt, qui per Abrahæ meritum, à deuoratione generis illius tandem abigendi erant. Generatio quarta qua erant reuerſuri, per liberam ſignificatur auium naturam, per turturem, ſcilicet, & columbam. Nec ſolùm pro libertate eiuſdem reuerſionis, verum & pro ſpirituali gratia prophetarum, & ſacerdotum, quorum primi, vel principes in eadem reuerſione Moyſes, & Aaron extiterunt. Proinde *tollens*, inquit Scriptura, *omnia hæc diuiſit per medium*, ſubauditur quadrupedia, *& vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit: aues autem non diuiſit*. Etenim carnales qui per quadrupedia ſignantur, lites & ſeditiones murmurando contra Dominum facturi erant: ſpirituales verò vnanimem ſeruare concordiam, immò & ſeditioſos ad pacem reuocare habebant. Venerabilis verò Beda in expoſitione eiuſdem loci: per vaccam triennem ſignificatam eſſe ait plebem poſitam ſub iugo legis: per capram triennem, candem plebem peccatricem, per arietem trium annorum eandem plebem regnaturam: animalia autem hæc ideo trima dici, quia per articulos temporum, vſque ad Noe, & inde vſque ad Abraham, & inde vſque ad Dauid. Tanquam tertiam ætatem gerens ille (inquit) populus adoleuit: per turturem, & columbam, ſpirituales in illo populo ſignificatos eſſe: quorum ætas temporalis ideo taceatur, quia æterna meditantes, tranſgreſſi ſunt temporalia deſideria. Quod vero tria iſthæc animalia diuidantur aduerſum ſe inuicem partibus conſtituta, quia carnales, & in veteri populo, & nunc inter ſe diuiduntur. Porro aues inter ſe non diuidi, quia ſpirituales indiuidui ſunt, ſchiſma non cogitant, ſiue à turbis ſe remouent, ſiue intra illas conuerſantur, vt turtur, vt columba, vtraque tamen auis ſimplex, & innocens. Eodem iſthæc modo interpretatur Eucherius. Sed & Diuus Auguſtinus in enarratione Pſalm. centeſimotertij. Habemus, inquit, aues ſignificantes aliquid ſpirituale: Non fruſtra dictum eſt, *Renouabitur iuuentus tua ſicut aquilæ:* non fruſtra dictum eſt de Abraham, *Aues autem non diuiſit*. Abraham in illo ſacrificio ſatis myſtico accepit tria animalia, arietem trimum, vaccam trimam, capram trimam, & turturem, & columbam. Diuiſus eſt aries, & aduerſus ſe partes conſtitutæ. Diuiſa capra, nihilominus partes aduerſus ſe conſtitutæ. Diuiſa vacca, ſic etiam de ipſius carne factum eſt: & ſubiecit ſcriptura, Aues autem non diuiſit. Deinde dicitur, Trimus aries, trima vacca, trima capra. De auium ætate tacetur. Vnde rogo vos, niſi quia ſignificantur in auibus quidam ſpiritales, quorum ætas temporalis propterea tacetur, quia æterna meditantur, & tranſgrediuntur, deſiderio, & intellectu omnia temporalia? Spiritales viri qui de omnibus iudicant, & à nemine iudicantur, itaque ipſi ſoli non diuiduntur in hæreſes, & ſchiſmata. In ariete intelliguntur præpoſiti, ducunt enim greges. In vacca plebs intelligitur Iudæorum: habuit enim iugum legis, ſub quo laborabat. In capra intelligitur Eccleſia de gentibus, in quibuſdam liberis ſaltibus inſultabat, & amaro paſcebatur oleaſtro. Trima ſunt dicta

Humilitas.

Carnales.

Plebs poſita ſub iugo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cta animalia, quia tertio tempore gratia reuelata est. Nam primum fuit ante legem, secundum ex quo lex data est, tertium quod nunc est, ex quo regnum cœlorum prædicatur. Quid ergo dicimus, quod aries non diuidatur? Nonne Episcopi fuerunt authores schismatum, & hæresium? Porrò autem si plebs ipsa non diuideretur, idest, si vacca non diuideretur, si capra non diuideretur, erubuissent fortasse illi in diuisionibus suis, & ad compagem remeassent. Diuiduntur duces, diuiduntur & plebes, vt cæcus cæcum sequatur, & simul in foueam cadant. Ponuntur aduersus se inuicem. Aues autem non diuisit. Spiritales non habent diuisiones, non cogitant schismata &c. At verò Sanctus Isidorus scripturus quia vterque populus, Iudæorum & Gentium, sub Christi regimine vaticinijs prophetarum vocentur, scribit in hæc verba: Esaias dicit, *Et erit in die illa, nutriet, & homo vaccam boum, & duas oues, & præ vbertate lactis, comedet butyrum*. Vacca boum plebs est ex Iudæa, veniens ex semine Patriarcharum: Oues duæ, Ecclesia veniens de Gentibus, & idcirco duæ oues, & vna vacca, quia auctior est ex gentibus Ecclesiæ numerus quàm ex Iudæa. Homo autem qui nutriet eas, ipse est Christus, qui per Hieremiam dicit. *Conuertimini filij reuertentes dicit Dominus, quia ego vir vester & adsumam vos: vnum de ciuitate, & duos de cognatione. Et dabo vobis*

Lib. de gentium vocatione c. 3.

B *pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*. Superius namque dixerat per Esaiam. *Nutriet homo vaccam vnam & duas oues*, quem hominem Deus nunc semetipsum esse ostendit, qui assumet duos, de cognatione, & vnum de ciuitate. Quia minor est numerus credentium ex circumcisione quam ex præputio. Hanc autem ciuitatem Iudæam dicit siue Hierusalem, cognationem verò eius gentes: pastores autem Apostolos, vel Ecclesiæ doctores, Christi gratia prædicantes, &cæt. Et rursus sermone secundo de tempore in Dominica in quinquagesima. Vacca triennis & aries annorum trium, & capra triennis, & turtur, vel columba, figurã omnium gentium prætulerunt. Dicta sunt autem trium annorum, quia omnes gentes in Trinitatis erãt mysterium crediture. Et quia tota Ecclesia Catholica non solùm habet spiritales, sed habet etiam & carnales, quamuis nonnulli in trinitatem se credere dicant, carnales tamen sunt, quia crimina & peccata vitare dissimulant. Quia ergò cum carnalibus sunt etiam spiritales, ideo turtur, & columba sunt additæ. In turture, & columba spiritales possunt significare, vt in illis tribus animalibus carnales intelligi. Ergò diligenter attendite quia illa tria animalia diuisisse in duas partes dicitur Abraham, & contra se inuicem posuisse. *Aues*, Scriptura inquit, *non diuisit*. Quare hoc fratres? Quia in Ecclesia Catholica carnales diuiduntur, spiritales omnino non diuiduntur: & sicut dicit Scriptura, contra se inuicẽ

Gẽtium omnium typus.

C præparantur. Quare carnales & diuisi & contra se positi sunt? Quia omnes luxuriosi, & amatores mundi, contra se inuicem diuisiones & scandala habere non desinunt. Isti ergò diuiduntur, quia sibi inuicem aduersantur. Aues autem, idest, spiritales non diuiduntur. Quare spiritales non diuiduntur? Quia est illis cor vnum, & anima vna in Deum. Est in illis vnum velle ac nolle, &c. Sed & alicubi in sacris literis per vaccam lasciuia voluptasque carnalis indicatur. Nam D. Gregorius, vbi apud Moysem dum in sacrificio vacca mutatur, offerri cum hyssopo lignoque cedrino bistinctus coccus præcipitur, vaccam (inquit) mactamus, cum carnem à lasciuia suæ voluptatis extinguimus, quam cum hyssopo lignoq; cedrino, ac cocco offerimus, quia cum maceratione carnis sacrificium fidei, spei & charitatis adolemus. Hyssopus quippe interna nostra mundare consueuit: lignum cedrinum nulla putredine deficit, quia spem cælestium terminus non consumit. Coccus verò rubro colore flammescit, quia quem implet charitas, incendit, &c. Et mox. Quid ergo per hyssopum nisi Christi humilitas designatur? Ipsa est enim, quæ omnem in nobis reprimit contumaciam, sicut herba illa pulmoni inflato adhibet medicinam, &c. Iuxta legis quoque testimonium, inquinatas mundabat eiusdem herbæ fasciculus vaccæ rufæ cruore intinctus. Quid autem per vaccam nisi ad sa-

Lasciuia, et volutas carnalis.

6. Moral. cap. 25.

Hyssopus.

Cedrus.

Coccus.

D crificium assumpta incarnationis Dominicæ infirmitas designatur? Sicut enim per masculinum sexum solet fortitudo intelligi, sic & per fæmininum potest infirmitas designari, & de eo scriptum est: *Quia & si mortuus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei*. Ipse est enim Summus Pontifex noster, qui in ara crucis pro totius mundi sanitate, sui corporis hostiam obtulit. Hæc autem vacca rufa dicitur, vt in ea sanguinis Christi rubor euidenter demonstretur. De quo in Canticis Canticorum sponsa loquitur dicens: *Dilectus meus candidus & rubicundus:* Candidus nimirum ex diuinitatis specie, rubicundus ex passionis cruore. Hoc itaque hyssopo ille solummodo aspergitur, qui vias passionis Dominicæ imitatur. Sanctificatur verò aspersus, sicut per Paulum dicitur: Si enim sanguis taurorum, & vitulorum & cinis vitulæ aspersos inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? &c. Sed reuertor ad significatum lasciuiæ. Diuus Hieronymus apud Oseam, vbi dicitur. *Quoniam sicut Vacca lasciuiens declinauit Israel: nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine*. (Septuaginta habent: *Quoniam sicut vacca asilo percussa insaniuit Israel, nunc pascet eos Dominus sicut agnum in spatioso.*)

Vacca rufa.

Hæretici,

tioſo.) per laſciuientem vaccam exponit Hæreticos, his verbis: Quia ergo inſaniuit Iſrael, & percuſſus fornicationis ſpiritu, incredibili furore bacchatus eſt; ideo non multo poſt tempore, ſed dum propheto, dum ſpiritus hos regit artus, paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine. Quia metaphorã à vacca laſciuiente ſiue œſtro quã cęperat, ſeruat in reliquis, vt captiuitatem in Aſſyrios, & in latiſſimam Medorum terram diſperſionem populi Iſrael, quaſi in campo latiſſimo & in ſpatioſa terra, gregis & agnorum paſturam vocet. Super hæreticis prona intelligentia eſt: ad quos, vel de quibus dicitur: *Si ſemel fornicaris hæretice, ſaltem tu Eccleſiaſtice non delinquas, nec ingrediaris in Galgalam,* hæreticorum conciliabula, vbi peccata omnium reuelantur, & inſtar porcorum volutantur in cœno. Ne te aſcendere putes ad ſuperbas & arrogantes falſorum dogmatum fictiones. Non eſt enim ibi domus Dei, ſed domus idoli. Nec iuraueris per nomen Chriſti, cuius maieſtatem miſcendo idolis polluiſti. Sicut enim vacca percuſſa aſilo, percuſſi ſunt hæretici ardentibus Diaboli ſagittis, & legis notitiam reliquerũt: ideo paſcentur in lata & in ſpatioſa via, quę ducit ad mortem, & patientia Domini bonique paſtoris eos nutriet ad interitum. Et rurſus, vbi ait Propheta Amos. E

Cap.4. *Audite verbum hoc Vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis Dominus veſtris, afferte, & bibemus.* (Vbi pro vaccis pinguibus lxx. poſuerunt δαμάλεις τῆς Βασανίτιδος, Aquila & Theodotio ipſum verbum hebraicum, Hieronymus Symmachi interpretationem ſequitur, qui ait αἱ βόες εὔτροφοι, ideſt, boues ſaginatæ:) Loquitur ad principes Iſrael & optimates quoque decem tribuum, qui delicijs, & rapinis vacabant, vt audiant ſermonem Dei, & non aratores boues, ſed vaccas pingues de armento ſe eſſe nouerint: ſiue quæ nutriantur in paſcuis Baſan, quæ ſunt loca herbarum fertiliſſima: ac per hoc ſignificat eos, non agriculturæ, ſed immolationi, & eſui præparatos. Vos vaccæ pingues eſtis in monte Samariæ, & humiles quoſque confringitis, & dicit Dominis veſtris (ideſt, paſtoribus, per quos reges intelligimus,) Date nobis & bibemus, ideſt, iubete tantùm, & nos cuncta vaſtabimus. Ex eo autem quod poſuit: F

Ebrietas. *date nobis & bibemus,* & non dixit, date & comedemus, ebrietatem earum ſignificat in vino, atque luxuriã, quæ ſtatum mentis euertunt. Iurauit itaque Dominus Deus in ſancto ſuo, vel in ſemetipſo, vel in filio, vel in templo, vel in omni qui ſanctus eſt, & appellatur templum Dei, quòd aduentura ſit dies, non longè & poſt multa ſæcula; ſed iam imminens dies captiuitatis & anguſtiæ: in quo vaccæ leuentur in contis, & reliquiæ earum in ollis feruentibus. Hoc autem ſignificat quod capiantur in prælio, & portentur, atque auferantur iure victoriæ; ſeruans tamen cœptam vaccarum metaphoram, vt quas eſſe pingues dixerat vaccas, earum carnes narret in contis vel ſcutis eſſe portandas. Et ſicut lebes feruentiſſimus minutos piſces pariter inuoluit: ita & vaccas Baſan abſque vllo ordine captiuitatis miſerijs opprimandas, &c. Et mox. Verbum autem Domini, quòd vaccæ Baſan iubentur audire, ſecundum cœptam tropologiam, hæreticis præcipit; qui ventri & gulæ ſeruientes, rectè appellantur vaccæ pinguiſſimę, ſiue vaccæ ignominioſę; hoc enim interpretatur Baſan, ideſt αἰσχύνη, quam ſi confuſionem dicere voluerimus, Babylonem magis, quàm Baſan interpretabimur. Hę vaccæ pingues, ſiue ignominioſæ & aridæ (nam Baſan, & hoc intelligitur) in monte Samariæ ſunt; cui & in Oſea dicitur. *Aufer vitulum tuum Samaria.* Et rurſum in eodem. *Quia ſeducens erat vitulus tuus Samaria:* & ideo in monte Samariæ; quia ſemper eriguntur in ſuperbiam, & ſibi ſublimia repromittunt. Samaria quoque cuſtodia dicitur, non quod cuſtodiant ſermones Domini, ſed quia cuſtodes præceptorum eius, eſſe ſe iactent. Quæ calumniam faciunt egenis & confringunt pauperes. Egenum & pauperem intellige Eccleſiaſticum virum qui veritatis ſimplicitate contentus, hęreticorum ſupellectilem, & eloquentiæ fulgorem, argumentorumque diuitias non requirit. Hæ vaccę dicunt Dominis ſuis: *Afferte & bibemus.* Dominos earum, vel principes peruerſorum dogmatum poſſumus appellare, Valentinum, & Marcionem, & Arium, & Eunomium, aut eos qui per multiplices libros ab alijs malè inuenta corroborant. Iſtis dicunt vaccæ Baſanitides; *Afferte nobis, & bibemus.* Niſi enim illi dederint, iſti quod deuorent, non habent, imo quod bibant, vt inebrientur. Vt autem ſciamus aquas, & pocula ſignificare doctrinam; Dominus loquitur ad Samaritanam. *Omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternũ.* Ergo qui de Samaritanæ, ideſt, de hæreticorum aquis biberint, ſemper ſitient, & ardorem faucium ſiccarum refrigerare non poterunt, &c. Et mox. *Et iurat Dominus Deus tuus in ſancto ſuo contra vaccas ſaginæ & dapibus ſeruientes, ſiue iurat in ſanctis ſuis, & eos qui cum ipſis ſunt, mittant in lebetes, ſiue portent.* Et vel ipſæ vaccæ ſint negociatores peſtilentes, vel ipſi qui veniunt, vt portēt eas; & eijciantur nudæ, inuicem ſe videntes proijcianturque ſuper montem Remman, dicit Dominus Deus. Debemus enim & iuxta Septuaginta dicere, ne fruſtra eos propoſuiſſe videamur. Quando venerit contra hæreticos dies iudicij, atque vindictæ, tunc auferentur in armis, hoc eſt cum armis ſuis, quibus aduerſus Eccleſiam dimicauerant; vel victi armatura Dei, & ab illius pugnatoribus ſuperati, mittentur in lebetes, vt exurantur & excoquantur, qui fuerunt prius negociatores peſtilentes;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tes: ad hoc enim negociabantur, vt morti traderent, quos deceperant. Cumque excocti fuerint & exusti, egredientur nudi, nihil eorum habentes, quæ sibi antea præsumebant. Et videbunt ignominiam suam super montem Remman, qui interpretatur sublimitas, vt in superbia sua conterantur. Possumus iuxta literam, quando venerint dies captiuitatis super vaccas Samariæ, intelligere, quod superent eos in prælio, & opprimant armis suis, & in congressione superatas, compellant ad vrbes munitas, quæ comparentur ollis feruentibus: vt quo modo Hierusalem habens clausos populos & obsessos, assimilatur ollæ feruenti & plenæ carnium: Sic & vrbes Samariæ ollis feruentibus comparentur, quæ fame & pestilentia clausos populos exire compellant, & ire in captiuitatem mutuo se videntes, & transferri in Armon montes Armeniæ, qui Medis, Persisque confines sunt. Hæc itaque Hieronymus. Iacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis quid septem illæ vaccæ, totidemque spicæ à Pharaone in somno visæ (de quibus suprà dictum est) moraliter mysticeque significent, facundissimè declarat in hæc verba: Vidit Pharao in somnis septem boues pulchras, & crassas nimis, quæ in locis palustribus pascebantur. Vidit & alias septem de flumine emergentes, fœdas, macieque consumptas, quæ deuorarunt primas. Secundo vidit septem spicas in culmo pullulantes, plenas & for-

Somnium Pharaonis.

B mosas: & totidem alias tenues & percussas vredine, vento scilicet vrente; deuorantes omnem priorem pulchritudinem. Septem pingues vaccę, septiformis spiritus plenitudinem significant. Septem fœdæ & macilentæ vaccæ, septem, scilicet, spiritus nequiores: de quibus Dominus in Euangelio loquitur, qui deuorant omnem spiritualem pinguedinem, quoniam ad ingressum vitiorum egrediũtur virtutes. Pascuntur autem pingues in locis palustribus, reputatione malorum, vel in locis palustribus, idest, humilibus. Super humiles enim septiformis spiritus requiescit. Macilentæ autem in locis virentibus & vberrimis: quia mali in hoc mundo virent & diuitijs abundãt. Septem spicę plenæ, significant bonorum plenitudinem. Septem macilentæ, malorum operum fertilitatem. Mala enim sequentia bona opera destruunt, & virtutum pinguedinem absorbent.

VSVS IN SACRIFICIIS HEBRÆORVM.

C TRIPLEX (inquit D. Thomas) erat sacrificiorum genus. Quoddam, quod totum comburebatur, & ideo dicebatur holocaustum, & offerebatur Deo specialiter ad reuerentiam Maiestatis ipsius, & amorem bonitatis eius: Secundum dicebatur, pro peccato, quod offerebatur ad remissionem peccati, cuius vna pars comburebatur, altera cedebat in vsum Sacerdotum, nisi cum offerebatur pro peccato totius populi, vel pro peccato sacerdotis, nam tunc totum comburebatur. Tertium vocabatur Hostia pacifica, quæ offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute, vel prosperitate offerentium ex debito beneficij, vel accipiendi vel accepti. Huius vna pars incendebatur, altera cedebat in vsum sacerdotum, tertia in vsum offerentium, &c. In his aues immolabantur & quadrupeda, sed inter illas, columba tantùm & turtur, ex his bos, (pro qua voce aliquando taurum, aliquando vaccam nominari videas) ouis (arietem sæpe litera sacra vocat) capra siue caper siue hircus. Cur autem isthęc animalia inter cætera omnia seligerentur, docet Philo Iudæorum disertissimus, in doctissimo illo suo, quem de victimis conscripsit, libello. Animalia (inquit) quæ in sacris mactari solent, aut terrestria sunt, aut volucria: sed volucrium cùm sint infinitæ species, duas tantùm selegit Moses legifer: quoniam Columba inter natura mansuetas, & gregatim volitantes est mitissima; turtur verò inter

1. q. 103. art. 3. ad 8.

Sacrificiũ quotuplex.

Animalia quę et cur mactari soleat.

D solitarias cicuratu facillima. Terrestrium quoque innumeris gregibus omissis, tria præcipuè secreuit genera, boum, ouium, caprarum, vt mitiora, mansuetioraque. Siquidem armenta magna boum, magni greges caprarum, & ouium, ab vno quouis aguntur, nec solùm viro, sed & puero, dum exeũt in pascua, rursumque suo tempore decenter ad septa redeunt. Quod autem animalia hæc ingenio miti sint prædita, vel illud euidens est indicium, quod omnia vescantur herbis, non carnibus, nec vnguibus aduncis armata, nec continua serie dentium, nam gingiuæ dentibus aliquot destitutæ sunt. Præterea maximè vitam iuuant hæc animalia. Arietes vestitum præbent tegendis corporibus: boues arando terram sementi præparant, & fruges ipsas tritura reddunt alimento vtiles. Ex caprarum pilis, ac tergoribus contextis, consutisque fiunt penulæ viatoriæ, velaminaque militibus, & alijs, quos necessitas aliqua cogit extra vrbes sub diuo degere. Qualia autem hæc animalia esse debeant, vt Deo immolentur, continuò ita idem Philo docet. Requiruntur autem integra hæc omnia, illæsa partibus omnibus, & maculis etiam næuisque carentia. Tanta autem cautela vtuntur in hoc negotio, & qui offerunt victimas, & ipsi sacrifici, vt probatissimi sacerdotum, peritissimique ab extremis pedibus exorsi per totum corpus inquirant, quæ sunt conspicua, ne uentre fęminibusque celetur, uel minima labecula. Adhibetur autem hęc cura non propter uictimas, sed ut sine omni

Animalia immolanda qualia esse debeant.

culpa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

„ culpa ſint, qui eos mactandas offerunt. Submonentur enim his ſymbolis, vt quoties accedunt ad al- E
„ taria, vel nuncupaturi vota, vel reddituri, nullum vitium nullumque morbum afferant in anima,
„ ſed conentur omnino nitidam, & immaculatam in conſpectu Dei producere, ne viſam auerſetur.
Lib. de ſacrif. Hæc Philo. Immaculatum autem (vt annotauit Abulenſis, citante Franciſco Ribera Villacaſtinẽſi
præsbytero ſocietatis Ieſu, ex quo ferè iſthæc deſcripſimus,) non vocat, quod pelle totam vnico-
lorem habet, nulliſque alterius coloris notis diſtinctam, quæ maculæ vocari ſolent, & immaculoſa
Macula quid. animalia, vt *Maculoſæ tegmina lyncis,* ſed quod integrum eſt, ideſt, quod & omnibus ſuis membris
conſtat, & inſignem deformitatem non habet. Macula enim vocatur defectus alicuius membri, vel
deformitas, Hebraicè mum, quod lxx. *μῶμον* vertunt, ideſt, reprehenſionem, hoc eſt, vitium repre-
henſione dignum, & immaculatum vertunt *ἄμωμον*, ideſt, irreprehenſibile, quod irrideri non poſ-
ſit. Leuit 21. *Homo de ſemine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo.*
Quid autem maculam dicat, ſtatim explicat. *Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo, vel grandi, vel
torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi im-
petiginem in corpore, vel hernioſus. Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis non ac-
cedet offerre hoſtias Domino.* (Ex quibus verbis illud intelligimus, quod eſt, in Cantico Canticorũ. F
Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.) Et cap. 72. *Immaculatum offeret, vt acceptibile
ſit.* Omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut
ſcabiem, aut impetiginem, &c. Immaculatum ſemper in Hebræo vocatur tamin, ideſt, integrum,
atque perfectum, lxx. *ἄμωμον*, ideſt, irreprenſibile. Cum igitur legimus Exod. 12. *Erit autem
agnus abſque macula:* non eſt intelligendum, eum aut omnino album, aut nigrum poſci, ſed integrũ
& ſine deformitate; Eodem enim modo hoc dicitur in Hebræo, & in Græco, quemadmodum & in
verbis: quæ nunc interpretamur ex 1. cap. Leuitici. Notandum tamen, quod offerens aliquod ani-
mal ſpontaneè in ſacrificium, poterat offerre illud, etiam ſi haberet amputatas aures & caudam, nõ
tamen ſi offerret ex voto, niſi votum caderet ſupra tale animal, vt annotat Toſtatus ad hæc verba
Leuit. 22. *Bouem & ouem aure & cauda amputatis, voluntariè offerre potes, votum autem ex ijs ſolui
Munda, & immunda. non poteſt.* Notandum etiam animalia dici etiam munda, & immunda; immunda quæ ſecundum
ſpeciem ſuam ad immolandum Domino erant illicita, quæcunque autem ea eſſent, omnia ſcilicet
quadrupeda præter bouem, ouem, & capram, etiamſi ad cibum eſſent apta. Cauſa modò cur Deus
munda, & immaculata volebat eſſe omnia iſthæc animalia quæ offerebantur ei, erat (inquit Toſta- G
In cap. 26. Matth. tus) honor ſuus, quia ſacrificia quæ Deo offerebantur, non erant ad ſupplendam aliquam indigen-
tiam Dei, quia Deus carnibus nõ veſcitur, & ſi veſceretur, non peteret ſacrificia, quia ipſe habet car-
nes plurimas, Pſal. 49. *Non in ſacrificijs tuis arguam te,* ſcilicet, etiamſi illa non offeras: *Holocauſta
autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hir-
cos, quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia volatilia
cæli, & plenitudo agri mecum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo
eius. Nũquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Non ergo vult iſta Deus
propter, aliquam neceſſitatem, ſed propter honorem, ſicut dicitur ibi, *Immola Deo ſacrificium lau-
dis.* Et poſtea dicit: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Sed Deus iudicat ſe contemni, ſi offerantur
ei animalia maculata. Ergò non ſunt offerenda, quia non honorarur ſic. Ita patet Mala. 1. c. ſcilicet;
*ad vos o ſacerdotes qui diſpicitis nomen meum, & dixiſtis in quo deſpeximus nomen tuum? offertis
ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? In eo, quod dicitis, menſa Domini
deſpecta eſt, ſi offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? offer illud duci tuo, & ſi placuerit ei,
aut ſi ſuſceperit faciem tuam, quaſi dicat, cùm duces, qui homines ſunt, non ſuſcipiant talia, neque ego* H
Sexus animalium immolandorũ. *ſuſcipiam.* Hæc itaque Toſtatus. Obſeruabatur etiam animalium ſexus. Nam etſi in holocauſto
niſi maſculos immolari liceret, vt conſtat ex cap. 1. Exodi: in ſacrificijs tamen pro peccato & in pa-
cificis interdum licebat offerre fæmellas: nec non in voluntarijs, vt oſtendit idem Toſtatus, Exod.
„ 34. quæſt. 15. Cum enim dixiſſet, quod ideo primogenita animalia fęminini generis non immola-
„ bantur Domino, quia Deus volebat perfecta animalia ſibi immolari, genus autem fæmininum eſt
„ imperfectum: Si fortè (inquit) arguas, quòd aliquando offerebantur capræ fæmellæ, & oues, atque
„ vaccæ, vt patet Leuit. 3. & 4. & 5. cap. Reſpondetur quod ſacrificiorum, quędam erant ſpontanea, &
„ quædam erant coacta: in ſpontaneis magis permittitur offerri, quodcunque voluerimus: in ſacrifi-
„ cijs autem neceſſarijs non permittuntur offerri fæminę, ſed ſoli maſculi, niſi ſit ex ſignificatione ali-
„ qua. Patet hoc in ſacrificijs pro peccato, quę licet ſint neceſſitatis: tamen quia magis conuenit ſigni-
„ ficatio in fęmina, quàm in maſculo, ponitur fęmella: ſacrificia autem quę ſunt pacifica, quia ſunt to-
„ taliter voluntaria, poſſunt offerri maſculi, & fęminę ſecundum voluntatem offerentis, vt patet Le-
„ uit. 3. cap. Sacrificia autem quę ſunt votiua, quia ſunt ſacrificia neceſſitatis, non fiunt de fęmellis, vt
„ patet Leuit. cap. 22. Patet etiam fundamentum huius reſponſionis, quia ſi aliquis voueret offerre

aliquod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A aliquod animal, tenebatur dare illud, sine aliqua macula: si autem offerret animalia pacificorum, poterat offerre cum quibusdam maculis, vtpote amputatis auribus, vel cauda, vt patet Leuit. 22. Sacrificium autem primogenitorum erat de necessarijs, ergò solùm fieri debebat de masculis. Item sacrificiorum quædam erant directè in Deum, scilicet ad laudem eius, alia autem erant ex alijs causis, scilicet quia nobis pacificabatur in eis, quæ petebamus, vel vt concederet petitiones, aut vt remitterentur peccata. Primo modo soli masculi offerebantur, & ista erant sacrificia holocaustorum, in quibus solùm mandantur offerri masculi, vt patet Leuit. 1. alia erant pro alijs causis. Et ibi non erat necessarium semper offerre masculum, sed interdum offerebantur famellæ, vt in quibusdã pro peccato, & in hostijs pacificis: sacrificium autem primogenitorum erat ad laudem Dei, qui eduxerat ex Aegypto Iudæos, & liberauerat primogenita eorum ab exterminatore, ideo masculus esse debebat, &c. Istiusmodi autem sacrificium, quod potissimum ad honorem fiebat Dei, holocaustum vocari diximus: totumque comburi, id quod nomenclatura ipsa indicat. ὁλοκαυστὸν enim dicunt Græci, quasi ὁλονκαυστον, idest, totum combustum, quare similiter Hebræis calil dicitur. Fiebat autem holocaustum de illis generibus animalium, quæ sola Domino cædi lege diximus, hoc est, de

Holocaustũ de quibus fieret.

B bobus, de ouibus, de capris, de columbis, siue turturibus. De singulis desertè loquitur legislator Leuit. 1. Ac primùm de bobus ait. *Si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armento masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij ad placandum sibi Dominum: ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens, immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron sacerdotes sanguinem eius per altaris circuitum, quod est ante ostiũ tabernaculi, detractaque pelle hostiæ artus in frusta concident, & subijcient in altari ignem strue lignorum antè composita, & membra, quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta, quæ adhærent iecori, intestinis & pedibus lotis aqua, adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum, & suauem odorem Domino.* Quod autem hic dicitur ad placandum sibi Dominum, &c. videri posfit S. Thomæ repugnare, qui, vt diximus, holocausta Deo offerri ait solita ad reuerentiam Maiestatis ipsius: non tamen repugnat. Qui enim holocaustum offert, ad Dei honorem, & reuerentiãm offerret, sicut scribit Philo de victimis. *Primo* (inquit) *illi generi, quod solum Dei honorem sibi proponit, lex aptè holocautoma tribuit, quando victima integra igne absumitur, humana cupiditate nihil inde sibi vsurpante.* Et postea: *Atque ita holocautoma solius est Dei, cui semper debetur honor, etiam si*

C *nihil expectaremus ab eo gratiæ.* Verùm nihil impedit eum qui offert hoc honore, atque hoc reuerentiæ inditio Deum sibi placatum, ac propitium velle. Nihil etiam impedit Deum eodem honore placari, ac beneuolum reddi offerenti, etiamsi nihil ille de placatione cogitaret. Sed illud in primis obseruabatur, vt ipse qui offerret, manus victimę imponeret, quasi iram Dei deprecans, eamque non in suum, sed in victimæ illius caput immitti petens: quod ex Leuit. 16. intelligimus, in quo scriptum est: *Postquam mandauerit sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viuẽtem; & posita vtraque manu super caput eius, confitentur omnès iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta, atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius emittet illum per hominem paratum in desertum.* Cætera, quod ad sensum historicum pertinent, manifesta sunt. Hoc tantùm addendum, in holocausto pelles victimarum fuisse sacerdotum, Leuit. 7. *Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius.* De secundi generis animalibus ita in eodem capite primo legislator. *Quod si de pecoribus oblatio est, de ouibus, siue de capris in holocaustum: masculum absque macula offeret. immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino. Sanguinem verò illius fundent super altare filij Aaron per circuitum, diuidentque membra, caput, & omnia quæ adhærent iecori,*

D *& imponent super ligna, quibus subijciendus est ignis. Intestina verò, & pedes lauabunt aqua, & oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum & odorem suauissimum Domino.* In quibus ea tantum adnotemus, quæ à priori holocausto differunt. In primis agnum, & hœdum anniculos esse oportebat, vitulum grandiorem etiam mactare licebat, vt testatur Iosephus sacerdos. Legitur & in nonnullis codicibus, *Agnum masculum anniculum, & absque macula offeret:* cùm in Hebræo, & in translatione lxx. & in Chaldaica paraphrasi hoc tantùm sit, quod posuimus: *Masculum absque macula offeret.* Anniculus autem intelligitur, qui annum non excesserit, licet totum minimè expleuerit. Illud etiam peculiare huius holocausti, immolari ad latus altaris Aquilonare, non super altare, sed iuxta, cauum enim erat altare, nec eiusmodi, vt super illud animalia immolarentur. Cur autem ad latus Aquilonare, dicemus in mystica significatione: sunt enim permulta in his, quæ significationis tantùm causa præcepta sunt. Sanguis phiala exceptus per parietes altaris fundebatur. Et cùm dicit: *Quibus subijciendus est ignis,* perinde est, ac si diceret, ligna quibus carnes imponendæ sunt, sint supra ignem altaris: neque enim aliunde ignis offerebatur, sed semper erat in altari, sicut legimus Leuit. 6. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subijciens ligna manè per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste per-*

Lib. 3. Antiq. c. 10.

Agnus anniculus.

petuus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

petuus, qui nunquam deficit in altari, &c. Hic ignis miraculo à Deo datus eſt, Leuit. 9. & vſque ad captiuitatem Babylonicam ſeruatus, vt eſt in 2. Mach. cap. 1. quo quia vti noluerunt in ſacrificio Nadub & Abiu filij Aaron, ſed alienum ignem attulerunt, ſubito à Deo extincti ſunt. Leuit. 10. Ita ergò ait: *Super ligna, quibus ſuperijciendus eſt ignis,* ideſt, ſuper ligna quæ ſupra ignem altaris imponentur, vt vtantur. Ita etiam dixit paulò ante: *Et ſubijcient in altari ignem ſtrue lignorum compoſita, & membra, quæ ſunt cæſa, deſuper ordinantes:* hoc eſt, cum ſtruem lignorum ante compoſuerint, & membra victimæ ſuper illa collocauerint, admouebunt illis ignem, qui infrà eſt in altari. E

Myſtica holocauſti ſignificatio.

Vt modò iam ad myſteria in ijs, quæ de holocauſto dicta ſunt, latentia veniamus, in quorum explanatione hoc magis Dei auxilio indigemus, (inquit Ribera) quod duces, quos ſequi inſtitueramus, non idem filum expoſitionis vbique tenent, ſed illud relinquentes, alterum ſubitò accipiunt: vt Origenes, qui vitulum in holocauſtum offerendum, cùm ſemel Chriſtum eſſe dixiſſet, cùm pellis ei detrahi iubetur, repente ad verbum Dei, quod eſt in ſcriptura, & ad ſenſus eius diuertit: quod nos ſequi nō poſſumus, de eodē enim omnia intelligenda ſint proculdubio exiſtimamus.

Vitulus optima victima.

Vitulus optima omnium victimarum erat, quæ in holocauſtum offerri poterant, & Deo gratiſſima, qui enim vitulum habere non poterat, agnum aut hœdum offerebat, ſicut & qui hæc non habebat, offerebat turturem, aut pullum columbæ. F

Vitulus Chriſti caro.

Vitulus autem Chriſti caro eſt in ara crucis pro humano genere oblata. Homo qui vitulum offert, ipſe Chriſtus eſt, quia (vt ait Apoſtolus) *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis:* quæ victima omnium præſtantiſſima, & Deo acceptiſſima fuit.

Epheſ. 1.
Homil. 1. in Leuit.
Iohan. 1.

Maſculus verò eſt vitulus (vt ait Origenes) quia peccatum, quod eſt fœmininæ fragilitatis, ignorat. Solus ergo ille maſculus, ſolus ſine macula eſt, per *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.* Ad oſtium tabernaculi offertur, ideſt, non intra oſtium, ſed extra oſtiū. Extra oſtium enim fuit Ieſus, quia *in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt.* Non eſt ergo ingreſſus tabernaculum illud, ad quod venerat, ſed ad oſtium eius oblatus eſt in holocauſtum, quia extra vrbem paſſus eſt.

Matth. 21.

Nam & illi mali coloni venientem filium patris familias eiecerunt foras extra vineam, & occiderunt. Ad placandum Dominum offerre dicitur, quia peccata noſtra ſuſcepit luenda, & quaſi ſua reputat, quæ noſtra ſunt, ſicut teſtatus eſt, cùm dixit: *longe à ſalute mea verba delictorum meorum.*

Pſal. 21.

Denique caput noſtrum eſt, & ſibi dari cenſet, quod membris ſuis datur. Manus ſuper caput hoſtiæ impoſuit, quia volūtate patris carni ſuæ impoſuit peccata noſtra, pœnas pro eis exoluturus, ſicut ſcripſit Iſaias. *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Et Apoſtolus. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.* G

Cap. 53.
Rom. 15.
Pſal. 68.

Origines. *Poſuit ergò & manum ſuam ſuper caput vituli, hoc eſt, peccata generis humani impoſuit ſuper caput ſuum. Idem ſanguinem fudiſſe dicit ſacerdotes filios Aaron in circuitu altaris, quia Annas & Caiphas, & cæteri ſacerdotes qui conſilium inierunt contra Dominum, erant filij Aaron, & ipſi obtulerunt & ſanguinem fuderunt in eodem loco, in quo erat altare, ideſt, in Ieruſalem, ſicut ipſe dixerat: Quia non capit prophetam perire extra Ieruſalem.*

Luc. 13.

Sed melius, vt opinor, dicemus, ipſum eſſe Sacerdotem, qui & hoſtia fuit, non quidem filium Aaron, ſed ſignificatum tamen per filios Aaron. Ipſe ſe patri obtulit, & ſanguinem fudit in circuitu altaris, ideſt, crucis: ipſa enim altare huius ſacrificij fuit, & ſanguis ex ipſa verſus omnes partes fuſus eſt, vt ſciremus omnes orbis terræ nationes participes futuras fuiſſe ſanguinis & crucis Chriſti. Pellis detracta eſt hoſtiæ, cum veſtibus omnibus ſpoliatus eſt, & eas diuiſerunt inter ſe milites. Artus in fruſta conciſi ſunt, cùm ſacrum corpus tam vehementer in crucem diſtentum eſt, vt quaſi diuiſi artus, & oſſa locis ſuis emota, & à ſe mutuo ſeparata viderentur, iuxta quod ipſe ait: *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea.*

Pſal. 21.

Ignis quo crematur hoc holocauſtum, verè non humanus ignis, ſed diuinus, ideſt, ardentiſſimus amor, quo Chriſtus totum ſe obtulit nobis vſque ad conſumptionem, qua eſſe poterat, ideſt, vſque ad mortem. H Ligna fuerunt miſeriæ noſtræ, quæ eius amorem excitabant. Inteſtina & pedes abluebantur aqua, vt ſignificaretur, in hac victima nihil immundum futurum fuiſſe, ſed quæ in alijs immunda eſſe ſolent, in ea puriſſima & immaculatiſſima inueniri. Secundum dignitate holocauſtum erat ex pecoribus, quod offerebant, qui vitulum non habebant.

Martyrum holocauſtū.

Primum ergo holocauſtum eſt Chriſti ſeipſum in cruce Patri offerentis: ſecundum eſt minus diuitum, ideſt, martyrum, qui Chriſtum imitantes ſemetipſos obtulerunt. Hoc holocauſtum agni eſt, aut hœdi, qui maſculus ſit, & immaculatus. Agnus martyr eſt propter innocentiam & manſuetudinem, qua inimicis minimè reſiſtit, ſicut ait Ieremias: *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Et Iſaias: *ſicut ouis ad occiſionem ducetur, quaſi agnus coram tondente obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Maſculus propter fortitudinem, immaculatus propter ſanctitatem. Idem in hœdo intelligitur, quia natura filius iræ erat, & ad vitia procliuis, vt virtutes quibus anima ornatur, & vitia, quibus caruerit, non naturæ bonitati, ſed gratiæ Dei tribuat. Natura enim non agnus erat, ſed hœdus. Immolatur ad latus altaris, quod reſpicit Aquilonem, quod de vitulo dictum non eſt,

quia

A quia pars Aquilonaris frigidior est, & obscurior: & martyres, quamuis sancti sint, habent tamen ignorantiam, & peccata minima, quæ illa sanguinis effusione delcantur. Christus tamen neutrum habuit,& omnino pro alienis peccatis mortuus est. Altare, in quo se Deo offerunt martyres, sancta Ecclesia est,vt enim Deo placere non poterat hostia, quæ ad altare non offerretur: ita nullum sacrificium extra Ecclesiam illi gratum est. Et quia vestigia sanguinis martyrum manent in Ecclesia,& ad Dei, ac martyrum ipsorum gloriam, atque ad exhortationem nostram magna omnium fideliū exultatione celebrantur, rectè sanguis per circuitum altaris à filijs Aaron fundi iubetur; sacerdotū enim opera tota hos triūphos Ecclesia cognoscit,& colit. Mēbra diuidūtur,quia libenter se pro Deo martyres à parētibus, cognatis,amicis,& ab omni possessione,& voluptate separant,& diuidunt,vt Deo offerant. Quare non iniuria ea quæ iecori adhærent, cōmemorata sunt,quibus intimi affectus, & quæ cordi maximè adhęrebant,intelliguntur. Ignis,quo hoc holocaustū crematur,idē est,quo & nobilius illud holocaustū Christi crematū est,idest,ardens Dei amor: ligna exēpla passionū Christi & aliorū martyrū, memoriaq; insigniū Dei beneficiorū, quibus amor ille in horas in illis augetur, & latius sese diffundit. Intestina reliquijs concoctorū ciborum,pedes puluere sordidantur. Ita inte-
B stinorū sordes immoderatum affectum rerum huius sæculi adhęrentem indicant: puluis autem affectus, quasi autem animæ solum tegentes, & qui facilè excuti non possunt,significat. Et quia siquid tunc est amoris rerum huiusmodi, quod vel in corde inhæreat, vel animam quodammodo fœdet, pœnitentiæ dolore diluunt martyres sancti,& pedes, antequam crementur, aqua lauantur. Tertiū holocaustum erat de ouibus, quod eorum erat, qui cùm sanguinem pro Christo fundere non possint,quia deest tyrannus qui fundat, vltro se ipso per assiduam carnis macerationem, & voluntatis suæ abnegationem, quasi viuas hostias Deo mactant,totosque se illi dedunt. Sed hoc sacrificij genus pertinet ad ornithologiam: quare transeo ad sacrificium de hostia pacifica, cuius ritus tradidit Moses Leuit. 3. his verbis: *Quodsi hostia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre marem siue fœminam, immaculata offeret coram Domino. ponetque manum supra caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonij, fundentq; filij Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum: & offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino adipem, qui operit vitalia,& quicquid pinguedinis est intrinsecus, duos renes, cum adipe: quo teguntur ilia,& reticulum iecoris cū renunculis, adolebuntque ea super altare in holocaustum lignis igne supposito in oblationem suauissimi*
C *odoris Domino*. Poterat hæc hostia ex ouibus offerri,atque etiam ex capris,eodem prorsus ritu,quo cùm erat ex bobus, nisi quod cùm erat ex ouibus, & offerebatur agnus, cauda etiam tota incendebatur Domino. Deinde addit legislator: *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem; nec adipem omnino comedetis*. Quæ ad ritum huius sacrificij pertinent, partim iam explicauimus,partim explicabimus, cùm de sacrificio pro peccato agemus. Cur in hoc sacrificio hostiæ sexus non obseruaretur, ex Tostato etiam diximus. Istiusmodi hostiam pacificam siue pacificorum in gratiarum actionem pro accepto beneficio offerebant, aut ex voto,aut spontè, vt scilicet à Deo impetrarent, quod volebant,aut eum magis placarent, & magis propitium haberent, vt ex his verbis, quæ leguntur Leuit. 7. declaratur, quibus quæ huic sacrificio desunt, indicat ipse legislator: *Hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino. Si pro gratiarum actione oblatio fieret, offerrent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma vncta oleo, coctamque similam, & collyridas olei admistione conspersas, panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum quæ immolatur pro pacificis, ex quibus vnus pro primitijs offertur Domino, & erit sacerdotis qui fundit hostiæ sanguinem: Cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam*
D *vsque manè. Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die, sed etsi quid in crastinum remanserit, vesci licitum est: quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertia comederit, irrita fiet oblatio eius, nec proderit offerenti: quin potius quæcunque anima tali edulio se contaminauerit, præuaricationis rea erit. Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni Qui fuerit mundus, vescetur ex ea. Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ ablata est Domino, peribit de populis suis. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, siue omnis rei, quæ polluere potest, & comederit de huiusmodi carnibus, interibit de populis suis*. Cur verò Dominus carnes hostiæ oblatæ pro gratiarum actione eadem die comedi iubeat,eius verò quæ voto, vel spontè offertur, eadem die aut sequenti, tertio nihil edi permittat, à Philone in libello de victimis, disertissimè traditur, de posteriori, quam pro salute vocat, hæc in primis scribens. *In hoc genere duobus tantum diebus epulari fas est, ita vt nihil reliquiarum supersit in tertium, idq; de causis pluribus: vna quia sacræ mensæ vsus tempestiuus esse debet, curando nequid corrumpatur mora temporis, cum carnium, vel conditarum, natura sit obnoxia putredini: altera quia victimarum partes non sunt in penum retrudendæ, sed in medium proponendæ omnibus indigentibus, iam enim sunt non offerentis, sed eius cui litatum est, qui cum sit beneficus,*

ac mu-

Holocaustū de ouibus.

Hostia pacifica.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ac munificus, vult conuiuis vocatis communicari ſuum epulum: poſtrema, quia ſacrificium hoc pro ſalute duorum offertur, corporis & animæ: proinde ſuus cuique dies epularis tribuitur, quod æquum videatur, vt primę diei conuiuium admoneat nos ſalutis animæ, ſicut poſtera dies ſanitatis corporis. Quoniam autem tertium nihil eſt, cui propriè quæratur ſalus, ſerio vetitum eſt preferri epulum vſq; diem tertium, ita vt ne per obliuionem quidem liceat supereſſe reliquias abſque piaculo, &c. Quodque Moſes ait: *ſi quis de carnibus victimæ pacificorum tertio die comederit, irrita fiet eius oblatio, nec proderit offerenti,* his verbis enunciant. *Quòd, ſi quis hos ritus negligat, ſe verè diuina voce obiurgabitur. Hoccine homo ridendum putas ſacrificium? Nihil moror tua ſacra profana polluta, execrataque, carnes iſtas, quas tibi ipſe coxiſti, ventri ſeruiens, ne in ſomnis quidem doctus rationem veri ſacrificij.* Deinde de hoſtia thodah, quam ipſe cum lxx. interpretatur hoſtiam laudis, Hieronymus verò gratiarũ actionis, quod idem eſt, qualis ſit docens, & cur ita dicatur, ita loquitur. *Cum aliquis in nullam aduerſitatem incidit, vel rerum externarum, vel corporis, ſed quieta tranquillaque vita fruitur proſperè degens, & feliciter abſque offenſis, &c. neceſſe eſt, vel Deo gubernatori debeat ſanitatem continuam, & non interpellata commoda, atque in vniuerſum ſynceras felicitates nullis vitiatas calamitatibus, & horum largitorem demercatur hymnis, laudationibus, ſacrificijs & alijs gratiarum actionibus, quæ omnia comprehenduntur laudis nomine. Hanc victimam non biduo, ſicut priorem illam pro ſalute, ſed ipſa prima die lex iubet abſumi, vt qui experti ſunt propenſum, paratumque fauorem cæleſtis numinis incunctanter de hoc ſacrificio impartiantur alijs.* Hactenus Philo. Hebræis iſtiuſmodi hoſtia nuncupatur Zebah ſelamin, ideſt, hoſtia pacificorum, ſeu perfectorum, vtrumque enim ſignificare aiunt ſelim. Sunt ex Hebræis qui putant, ideò ita vocari hoc ſacrificium, quod pacem faceret inter offerentes & Deum & ſacerdotes, quia in eo ſuum cuique tribuebatur, ſanguis & adeps altari, pectus & armus dexter ſacerdoti, reliqua caro offerenti: deinde etiam quia pro pace & incolumitate & ſalute offereretur, atque ideo à lxx. θυσία σωτηρίυ, ideſt, hoſtia ſalutaris vocatur, ſiue etiam, θυσία τῶν ειρηνικῶν, ideſt hoſtia pacificorum: & quia ſæpe in gratiarum actione offerebatur, à Ioſepho ἐυχαριςήριος θυσία dicitur, ideſt, hoſtia gratiarum actionis, qua etiam cauſa a quibuſdam ex recentioribus ſacrificium retributionum, ſeu compenſationum appellatum eſt. Iſychius & Radulphus lib. 2. in Leuit. cap. 1. hoſtia hac pacifica minus perfectorum vitam ſignificari docent. Sed quoniam breuius & apertius à Rodulpho traditum eſt, eius verba proferam: In holocauſtis perfectorũ vita, (inquit) in hoſtijs verò pacificis mediocris conuerſatio deſignatur. Sunt quippe nonnulli, qui quamuis ſumma virtutum faſtigia non ambiant, offenſum tamen Deum habere refugiunt, indeque licet bona ſumma non expleant, mala tamen ſumma deuitant. Iſti ergò hoſtias pacificas, ſiue (vt lxx. tranſtulerunt,) ſalutares offerunt, quia ſaluari quidem volunt, ſed ſufficit eis ſaluentur, quamuis inter extrema ſanctæ Eccleſiæ membra reputentur. Hoſtiarum igitur pacificarum eadem penè quæ ſuperior, diuiſio eſt: alia namque bouis, alia ouis, alia verò capræ oblationem continet. Bouem immolat quiſquis in ſæculari vita mundi actibus deditus de ipſis laboribus ſuis Deo miniſtrat. Ouem offert, qui laborare non ſufficiens, & infirmitate & ætate, ſeu etiam paupertate à miſericordiæ actibus reuocatus per ſolam innocentiam Deo placet: pax enim in terra hominibus bonæ voluntatis. Sed & capræ hoſtiam litat, quiſquis veterem conuerſationem meliores præpoſiti caſtigatione immutat. Auium nulla hic fit mentio, quia contemplationis virtus perfectioribus tribui ſolet. Hęc Rodulphus. Iſychius in boue eos intelligit, qui circa agenda, quæ legis ſunt, vacant. Sed quoniam hoc commune eſt omnibus, qui ſalui fieri cupiunt, præſtat (inquit Ribera) eos intelligi, qui labores vtilitatis aliorum cauſa perferunt, nec ſibi ſe, ſed publico bono natos putant, vt qui pauperes alunt, qui rempubl. gubernant, qui bonas artes docent, qui concionantur. Hęc enim hoſtia maior & gratior Deo eſt, quàm ouis, aut capra, ideſt quàm ſola innocentia vitæ, aut ſola veterum peccatorum correctio. Hi marem, & fęminam offerre poſſunt, quia & perfectiora interdum Deo offerunt, atque fortiora, etſi minus perfecta, atque fortia offerant in hoc vitæ genere minus perfecto, tolerabile eſt. In holocauſto vbi perfecta virtus eſt, fæmina non offertur. Sed ſiue mas, ſiue fæmina ſit, immaculatam hoſtiam eſſe oportet, ideſt, integram, & omni deformitate carentem; ſiue magnæ virtutis ſiue paruæ ſit, nulla tamen labe eius opera vitientur, vt rectè Deo offerantur. Manum ſuper caput hoſtiæ ponimus, cùm nos plenè Deo deuouemus, atque ita omnia facimus, vt cum nobis placare ſtudeamus, illique ſoli placere. Atque ideo etiam in introitu tabernaculi immolatur, quia Deum intueri debemus, & ad eum omnia conuertere, non ad hominum gratiam. Caput hoſtiæ finis actionum eſt: finis enim in ijs quæ ad actionem ſpectant, principij vim & rationem habet. Sanguis verò immundus in lege cenſetur, & crebro in malum accipitur; quare tũc ſanguinem fundimus, cum ex vita, & ex actionibus noſtris omnes prauas cupiditates eijcimus. Sæpe enim Deo placere cupimus, & in ipſa honeſta actione, ſi bene diſcutiamus, ſanguinem fędantem omnia inuenimus, ideſt, latentem cupiditatem glorię, aut honoris, aut voluptatis, quę etſi minus ſentiebatur, magis ad agendum

Hoſtia ſalutaris.

Lib. 3, c. 10.

Myſtica hoſtiæ pacificæ ſignificatio.

moue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A mouebat, quàm caritas Dei. Hunc sanguinē eijcere debemus, vt munda sit hostia. Hunc sanguinem
fundi iubebat Paulus, cùm dicebat, *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in*
gloriam Dei facite. Et non fundētibus dictum est. *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Eū fundunt fi-
lij Aaron, idest, iusti, qui sacrificiū pontificis nostri Christi, vt possunt, imitantur, offerentes Deo se-
metipsos in odorē suauitatis, & cor purū, atq; humile. Et in circuitis altaris fundunt, dū Christi vir-
tutes mente reuoluentes, vitiosos affectus à se reijciunt. Altare. n. nostrum Christus est, cui quicquid
patri gratū futurū est imponimus & per eū offerimus, sicut ait Petrus: *Offerētes spirituales hostias ac-* *Adeps.*
ceptabiles Deo per Iesum Christū. Adeps hostię affectus animę nostrę est, quo opera pinguescūt, si bo-
nus sit, & nitorē accipiunt & anima ipsa mollescit, & Deo tractabilis redditur, quod optabat Dauid *Psal. 62.*
dicens: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meū.* Contrà
si malus sit, opera peiora reddit, animumq; emollit ad malū. Quod igitur maximè offerre Deo de-
beant, qui in hoc vitæ genere versantur, ipse indicat, cùm ait: *Et offerēt de hostia pacificorū in oblatio-*
nē Domino adipem, qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis est intrinsecus, duos renes cum adipe quo
teguntur ilia, & reticulū iecoris cū renūculis, adolebuntq; ea super altare in holocaustū lignis igne im-
B *posito in oblationem odoris suauissimi Domino.* Quæ quoniam eleganter à Radulpho mihi videntur *Lib. 2. in Le*
explicata, verba eius referā: Adeps qui operit vitalia, eū qui ad hanc vitā habetur, affectum signifi- *uit. cap. 1.*
cat. Delectat enim nos viuere, & si fieri posset, ad mortē nos accedere nunquā vellemus. In vitalibus
verò sedes animæ est, & quasi quoddam vitę huius retinaculū. Pinguedo quoq; quæ intrinsecus est,
eorum innuit amorē, quæ in hac vita possidentur, vt est, domus, agri, pecunia, pater & mater, & alij *Pinguedo.*
propinqui, quę omnia si abundent in hac vita, quasi beatos vidētur facere possidentes. Iā in duobus
renibus quid intelligitur, nisi genuina illa voluptas, quæ coniunctione maris & fœminæ procedit?
Hoc & ipse numerus indicat, quod duo sunt renes, vt quasi duarū personarum, ad quas voluptas illa *Renes.*
pertinet, mentionē factā intuearis. His autē adeps quo tegūtur ilia, siue (vt alibi dicitur) qui est iux-
ta ilia adiungitur. Ilia situ ipso membrorū genitalibus appropinquāt. Adeps igitur ipse, qui renibus
in sacrificio copulatur, voluptatis illius denotat affectum: qui tamen cum ilia tegere, aut ilibus iux-
ta esse describitur, cautela nobis timoris tribuitur, vt scilicet cogitemus, quia si mēs prauæ concupi-
scētię subditur, nō longè est, vt etiam corpus prauo operi substernatur: mors enim secus introitū de-
lectationis posita est. In iecoris verò, idest hepatis reticulo, quid nisi nocēdi appetitū accipimus? He- *Iecur.*
C par siquidē fōs sanguinis est: & quid per sanguinē nisi crudelitas designatur? Vnde & D. Gregorius
illud Isaiæ sic exponit, vt dicat: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt,* idest, opera crudelitate. Ignis quo
hęc cremāda sunt, est ille, de quo Ecclesia ait: *Vre igni sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrū Do-*
mine. Ligna sunt exēpla Sanctorū qui constanter hanc hostiā Deo mactarunt. Cùm offerebatur au- *Agni cauda*
tē agnus, cauda tota incendebatur Domino: quia cauda finis corporis est. Quid igitur (inquit idem *cur incēde-*
Radulphus) nisi consummatio sanctæ deuotionis accipitur. Et vide quos potissimū de perseuerantia *retur.*
monuerit: Nō enim de boue caudā offerri præcipit, sed de oue. Reuera nāq; simplicibus & desidio- „
sis de inconstātia timendū est. Qui. n. sanctis laboribus se exercent, lucris quotidianis, & propositi sui „
successu lætificati, voluptate maxima saginantur, & in maius proficiendi desideriū quotidiè succen-
duntur, quia scriptū est. Anima operantiū impinguabitur. Qui verò laborē refugientes, pigritiā am- *Prouerb. 13.*
plectūtur, fastidio suo grauati in aliud trāsire quasi melius aliquid reperturi, & consiliū sępe mutare
coguntur. Idē de capram immolāte censendū est. Qui enim pęnitentiam veterum peccatorum agit,
& facta deflet, ne deflenda faciat, quo carnē magis affligit, eo magis eius animū Deus spirituali lęti-
tia perfundit, eaq; magis ad laborandū incitantur, vt minus illi de inconstātia timendū sit. Cęterùm
D omnis adeps meritò Domini erit iure perpetuo, quia omnis noster affectus in eū conferendus est, & *Adeps Deo*
per eū in reliquas res. Non est comedendus adeps hostiæ, quia cū Deo aliquid offerimus, nō nostro *offerendus.*
affectui satisfacere, sed illi placere quęrendū est. Sed neq; sanguis comedēdus est, quia ab omni pra-
uarū cupiditatū gustatu longè abesse debemus. Sequitur modo sacrificiū pro peccato. Hoc non sem- *Sanguis non*
per eodē modo fit, sed variatur personis, & hostiarū genere, & causis offerendi: Personis, quia aut pro *comedēdus.*
peccato pontificis offertur, aut pro peccato populi, aut principis, aut plebei hominis: Hostiarū gene- *Sacrificij pro*
re: quia aut vitulus offertur, aut hircus, aut capra, aut vacca, aut agna: Causis offerēdi: quia aliter of- *peccato va-*
ferunt qui per ignorantiā peccant, aliter qui scientes & volentes. De omnibus singulatim dicēdum *rietas.*
est, si prius annotauerimus, in his aues non offerri, vt in holocausto, quoniam victimæ diuiduntur, & *Aues cur pro*
pars singularum sacerdoti tribuitur, pars igni datur: turtures verò & pulli columbarū paruę aues ne- *peccato non*
queunt in tot partes rectè diuidi. De victima peccātis Pontificis ait legislator: *Anima quæ peccauerit* *offerantur.*
per ignorantiā, & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit, vt fierent, quippiā fecerit, si sacerdos qui *Leuit. 4.*
vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populū, offeret pro peccato vitulum immaculatū Domino. Et
adducet illum ad ostiū tabernaculi testimonij coram Domino, ponetq; manū super caput eius, & immo-
labit eum Domino; Hauriet quoq; de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonij: Cum-
que intinxerit digitum in sanguine, asperget eum septies corā Domino contra velū Sanctuarij, ponetq;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

de eodem ſanguine ſuper cornua altaris thymiamatis gratiſsimi Domino, quod eſt in tabernaculo teſtimonij: Omnē autē reliquum ſanguinē fundet in baſin altaris holocauſti in introitu tabernaculi. Et adipē vituli offeret pro peccato, tā eū qui vitalia operit, quā ea quæ intrinſecus ſunt: duos renunculos & reticulū quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & adipem iecoris cū renunculis, ſicut offertur de vitulo hoſtię pacificorū, & adolebit ea ſuper altare holocauſti. Pellē verò & omnes carnes cum capite, pedibus & inteſtinis & fimo, & reliquo corpore offeret extra caſtra in locū mundum, vbi cineres effundi ſolent, incendetq; ea E

Leuit. 4. *ſuper lignorū ſtruē, quæ in loco effuſorū cinerū cremabuntur.* De peccato verò principis per ignorantiā talis lex eſt. *Princeps per ignorantiam peccans, offeret hoſtiam Domino hircū de capris immaculatū, ponetq; manū ſuā ſuper caput eius: cumq; immolauerit eū in loco, vbi mactari ſolet holocauſtū coram Domino, quia pro peccato eſt; tinget ſacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato tangens cornua altaris holocauſti, & reliquū fundēs ad baſin eius. Adipē verò adolebit ſuprà, ſicut in victimis pacificorū fieri ſolet. Rogabitq; pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.* Offerre autē iubetur hircū de capris: quia dignior eſt pontificis, aut etiā totius populi perſona, quā principis: peccata principis minori hoſtia expiantur, ideſt, hirco; non autē hirco ſimpliciter, ſed hirco ex capris, ſiue (vt eſt in Hebræo) hirco caprarū, ideſt, nouo & tenero hirco, ita enim loquūtur Hebręi: Obſeruandū etiā in hoc ſacrificio, F & in ſequenti, carnes victimarū nō cremari extra caſtra, quemadmodū in ſacrificio pontificis & totius populi, quoniā horum ſanguis non inferebatur in Sancta, ſicut ſanguis vituli oblati pro peccato pontificis, aut totius populi, ſed extra tabernaculū ſanguis aſpergebatur, & tangebantur cornua altaris holocauſti, nō altaris thymiamatis: quod Paulus legis peritiſſimus adnotauit: *Quorū enim* (inquit) *animaliū infertur ſanguis pro peccato in ſancta per pontificē, horū corpora cremātur extra caſtra.*

Heb. 13. *Peccatū plebeij per ignorantiam.* Plebeius homo, qui more ſcripturæ vocatur de populo terræ, offerre iubetur caprā aut etiā ouem. Fit autē ſacrificiū eodē ritu, quo cū offertur hircus pro peccato principis. Plebeiū nunc voco quēlibet de populo, qui princeps non ſit. Et quia minus digna perſona eſt quā principis, minorē etiā victimā offert, nec marē, ſed fęminā. Huic. n. fęmina conuenit, ſicut mas magiſtratui, vt ait Philo, minus quippe virilitatis, vt ita dicā ſapiētiæ habet priuatus homo quā princeps.

Lib. de vict. *Peccatū per ignorātiam contra ceremonias.* Si quis verò ceremonias ſacrorū per ignorātiā violaret, vt ſi oleo ſacræ vnctionis aut thymiamate Deo dicato vteretur, aut ederet ſacros cibos, quos ſolis ſacerdotibus edere licebat, arietē offerre iubebatur ꝓpter cultū Deo rebuſq; ſacris debitū.

Peccatum ſine ignorantia. De peccato ſine ignorātia cōmiſſo legislatoris hęc ſūt verba: *Anima quæ peccauerit, & contēpto Domino negauerit proximo ſuo depoſitum, &c & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus ſolent peccare homines, pro peccato ſuo offeret arietē immaculatum de grege, & dabit eū ſacerdoti iuxta menſurā, ęſtimationēq; delicti. Qui rogabit pro eo corā Domino, & dimittetur illi pro ſingulis, quæ faciēdo peccauit.* G Quod de mēſura ęſtimationeq; delicti dicit, hoc ita intelligēdū eſt, vt ꝓ maiori peccato melior & pretioſior aries offeratur, vilior & deterior pro minori, vt iudicauerit ſacerdos. Abulēſis verò hoc loco vult arietē hic exigi emptū duobus ſiclis, quoniā paulò antè dixit de eo qui per errorē in ceremonias peccauerat: *Offeret pro delicto ſuo arietē immaculatū de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis*: Quare cū nūc ait: *Iuxta mēſurā ęſtimationēq; delicti*, ipſe ita interpretatur. Tātus erit valor iſtius arietis qui offertur, quāta æſtimatio, vel mēſura poſita in ariete pro peccato, ideſt, duorū ſiclorū. At nō animaduertit, vbi pretiū duorū ſiclorū cōſtituitur, nō addi. *Iuxta menſurā æſtimationēq; delicti*, quia iā certū pretiū definiebatur: Vbi verò dicit: *Iuxta menſurā æſtimationēq; delicti*, nō cōſtitui pretiū duorū ſiclorū, qm̄ cōſtitui nō poterat, cùm pretiū arietis immolādi arbitrio ſacerdotis relinqueretur. Verba ergo ipſa Abulēſis expoſitionē refutāt. Quomodo. n. erit aries iuxta menſurā ęſtimationemq; delicti, ſi eiuſdē pretij ſit, qui pro peccatis omnibus offertur.

Typus confeſſionis ſacramētalis. *Lib. 3. Antiq. c. 10.* H Itaq; haud obſcurā hic vmbrā & figurā cōfeſſionis noſtrę videmus, quādoquidē & de occultis peccatis hic agitur, vt apertè docuit Ioſephus, dicēs: *Qui cū ſciēs peccauit, nemine cōſcio, arietē offeret lege ita iubēte, etc.* & is qui peccaret, iubetur adire ſacerdotē, & peccatū illi detegere, vt ꝓ eius arbitrio aries elegatur, & ipſe pro peccatore oret. Quid modò fieret de hoſtia ꝓ peccato, docet legislator his verbis: *Iſta eſt lex hoſtię pro peccato.*

Leuit. 6. *In loco, vbi offertur holocauſtū, immolabitur corā Domino. Sanctū Sanctorū eſt. Sacerdos qui offert, comedet eā in loco ſancto, in atreo tabernaculi. Quidquid tetigerit carnes eius, ſāctificabitur. Si de ſāguine illius veſtis fuerit aſperſa, lauabitur in loco ſancto. Vas autē fictile, in quo cocta eſt, cōfringitur: quòd ſi vas æneū fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua. Oīs maſculus ex genere ſacerdotali veſcetur de carnibus eius, quia Sanctū Sanctorum eſt. Hoſtia enim quæ cæditur pro peccato, cuius ſanguis infertur in tabernaculum teſtimonij ad expiandum, in Sanctuario non comedetur, ſed comburetur igni.* Pontifex peccans, offerre iubetur pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino. Multum enim grauitatis affert peccato perſona ſacerdotis, & maximè pontificis: idcirco cum ille qui vnctus eſt, & conſecratus Deo, peccat in Deum, maiori victima indiget, maiorem pœnitentiam poſtulat peccatum illud, vitulum offeret, qui pluris quàm cæteræ hoſtiæ emitur. Sit autem immaculatus vitulus, ideſt, plena atq; integra pœnitentia, quę dolorem habeat magnum, confeſſionem verecundam, & humilē addat, ad ſatisfaciēdum ſit parata. Adducat illum ad oſtium tabernaculi coram Domino, ideſt, ge-

mat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A mat & lugeat coram Domino. Manum super caput vituli ponit cùm ab ipso pęnitẽtiæ & luctus ini-
tio Deum iustum & bonum confitetur, seipsum omnibus plagis, omni supplicio dignũ cognoscit. Et
quoniam in sanguine peccatum significari notum est dicẽte Propheta: *Et sanguis sanguinẽ tetigit*,
de sanguine vituli haurit, & infert illum in tabernaculum testimonij, cùm Deo peccata sua vniuer-
sa confitetur cum dolore, & seipsum accusans, sacrificiũ laudis offert Deo in odorem suauitatis, pau
latim appropinquans altari thymiamatis, in quo incensa, idest, preces & laudes offerũtur. Dein di-
gitum intingit in sanguine, quẽ aspergit coram Domino cõtra velut sanctuariũ, cũ timore debito,
& cũ humilitate agnoscens nõ digitũ solum, sed totam manum se fuisse in sanguine intincturũ, nisi
Dei seruantis misericordia fuisset adiutus: hoc est, non peccatũ illud modò quod commisit, sed om-
nia in se fuisse cõmissurum, nisi seruatus à Deo fuisset. Et quoniam septẽ sunt peccata, quæ capita &
fontes reliquorũ sunt, à quibus Dei gratia liberatus est, meritò septies aspergit sanguinẽ. De eodem
sanguine ponit super cornua altaris thymiamatis, quæ rectà sursum tẽdebant, vt cũ preces & laudes
in cælũ miserit, & Dei misericordia peccatorũ obliuiscentis directa fuerit oratio eius sicut incensum
in conspectu Dei, minimè efferatur, sed sanguinis, idest, pręteritæ suę turpitudinis recordetur, & hu-
B militer tremat, & suppliciter clamet: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Et quia satis
non est peccata Deo cõfiteri, sed ore confessio homini fit ad salutem, omnem reliquum sanguinem
fundet in basin altaris holocausti, idest, illa nõ vniuersè, sed sigillatim sacerdoti aperiet, ita vt nihil
reliquum sit sanguinis, nihil taceatur, quod animam polluat, & cruentet. Et quoniã altare Christus
est, basis altaris est sacerdos, qui pro Christo peccata remittit audita. Nam basis humilis quidẽ est,
sed super illã altare collocatur; ita in sacerdote, quãuis homo sit, atq; peccator, virtus Christi est, &
qui ad eum venit, ad Christum ascendit. De adipe & renunculis, & de ijs quę ex hac hostia offeren-
da sunt, suprà dictum est. Cùm omnes suos affectus & omnes cupiditates sacerdos supra altare ado- *Adeps re-*
leuerit, omnibus videntibus pellis & carnes, &c. idest, reliqua omnia quę ex hoc sacrificio superfue- *nunculi.*
rint, crementur extra castra, vbi populus non videat, & nihil penitus remaneat, omnia in loco mun-
do vertantur in cineres. Etenim peccata sacerdotũ non debent in publicum iactari, neque in locum
immundum, idest, in detractorũ conuenticula, & in prophanas ac maleficas linguas, sed danda est
opera, vt taceantur, & omnes eorum reliquiæ igne charitatis consumantur, & perpetuo silentio cõ-
tegantur, nihilq; sit, quod relinqui possit in exemplum. Hęc eadẽ aliter exponit Origines his verbis:
In morali autẽ loco potest Pontifex iste sensus pietatis & religionis videri, qui in nobis per orationes &
C *obsecrationes, quas Deo fundimus, velut quodam sacerdotio fungitur. Hic si in aliquo deliquerit, omnẽ* *Homil. 2. in*
continuò qui intra nos est, bonorum actuum populũ peccare facit. Neque.n. recti operis aliquid gerimus, *Leuit.*
cùm in prauum declinauerit dux bonorum operum sensus, & ideo ad huius emendationem non qualis-
cunq; hostia, sed ipsius saginati vituli requiritur in sacrificium. Magnũ est etiam totius populi pec-
catũ, atq; eò maius quò plurium est. Vt enim totius populi pęnitentia facillimè placari solet Deus; *Sacrificium*
ita tot hominũ animis in malũ conuenientibus vehementius irritatur. Magna ergo hostia indiget, *pro peccato*
idest maiore dolore, maiori satisfactione. Ideò vitulus hic etiam offerri iubetur, qui pluris emitur, *totius popu-*
quàm reliquæ hostię. Omnia itaq; erunt eodẽ quo priora sensu interpretanda. Eademq; erit de pec- *li.*
cato principis interpretatio, sed minor in eo hostia offertur, quia minus est peccatũ principis quàm
sacerdotis aut totius populi. Eadem ad peccatũ plebeij hominis, & ad reliqua quę postea dicuntur, *Principis*
accõmodãda sunt. Sed aries pro maiori peccato offertur, qui pretiosior est capra & oue. At qui ouẽ, *peccatum.*
& arietem offerunt, tacitè admonentur, vt in posterum innocentiæ studeant, dentq; operam, vt qui-
bus aut iniuria aliqua aut exemplo nocebant, omni ratione prosint. A sacrificio pro peccato differt,
id quod pro delicto vocatur, de cuius ritu in Leuitico hęc legimus: *Hæc quoq; est lex hostia pro deli-*
D *cto, Sancta Sanctorum est. In loco vbi immolatur holocaustũ, mactabitur & victima pro delicto. Sanguis* *Cap. 7.*
eius per gyrum altaris offertur. Offerent ex ea caudã, & adipem qui operit vitalia, duos renunculos & *Sacrificium*
pinguedinem, quæ iuxta ilia est, reticulumq; iecoris cum renunculis, & adolebit ea sacerdos super alta- *iugi.*
re, &c. Quomodo autẽ isthęc peccata inuicẽ differant, eleganter admodum ac disertè docet Ribe- *Numer. 28.*
ra: Ego interim ex eodẽ hic addam sacrificium iugi, etsi priuatim ad agni historiam pertineat. Qua-
le autem hoc sacrificium sit, & cur iuge dicatur, lex ipsa docet: *Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis*
agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: Vnum offeretis manè, &
alterum ad vesperum, decimam partem Oephi simila, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartã
partem hin. Holocaustum iuge est quod obtulistis in monte Sinai in odorem suauissimum incensi Domi-
ni, & libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in Sanctuario Domini: Alterumque a-
gnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritum sacrificij matutini, & libamentorum eius,
oblationem suauissimi odoris Domino. De eo eadem dixerat in Exodo. *Hoc est quod facies in al-* *Cap. 29.*
tari, agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, & cætera. Ideò ergò iuge sacrificium diceba- *Cap. 8. 11.*
tur, quia iugiter omnibus diebus offerebatur. Cuius sæpe meminit Daniel Propheta, voca- *12.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

baturq; ſiue iuge ſacrificium, ſiue holocauſtum iuge, aut ſempiternũ, vt in locis indicatis videmus. E
Idem dicitur ſacrificium matutinum, & ſacrificium veſpertinum. Hic cum agno anniculo & imma-
culato, ideſt, integro, ac nihil deforme habente, vt diximus, offerebatur decima pars Oephi ſimilæ
conſperſę oleo, ideſt, ita factę, vt farinæ aquę cum oleo infunderetur, aut oleum ſolum pro aqua.
Oleum autẽ quo ſimila conſpergenda eſt, debet eſſe mẽſura quartę partis hin. Cùm enim ait, *Et ha-
beat quartam partem hin*, ſubaudiendum eſt oleum, quod apertius explicatum eſt in Exodo: *Deci-*
Cap.29. *mam partem ſimilæ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat quartam partem hin.* Eadem mẽſura vini erat ad-
Oephus qd. hibendum, ideſt, quartæ partis hin. Eſt autem Oephi ſiue Oepha decima pars cori, vt videmus Eze-
Hin quid. chiel. 45. ideſt, tres modij: nam corus triginta modios habet, vt author eſt Hieronymus in eundẽ lo-
cum Ezechielis, & in caput tertiũ Oſeæ, & Epiphanius in libro de menſuris & ponderibus. Modius
3. Antiq. 10 habet ſedecim ſextarios, heminas triginta duas. De hin ita Ioſephus: Ea eſt mẽſura priſca Hebręo-
rũ duos çohas Atticos cõtinens, qua oleum ac vinum metiuntur: nam vinũ circa altare bibant. Duo
cohæ Attici capiunt ſextarios duodecim. Oleum puriſſimum vocat bene contuſum & expreſſum ex
oleis. Hoc iuge ſacrificium publicis expenſis offerebatur, vt ibidem teſtatur Ioſephus, nec erat dies F
quo non offerretur, etſi feſti dies inciderent, quibus aliæ victimæ cędendę erant, vt ſabbatum, neo-
Cap.28. menia, azyma, &c. vt latè videmus in eodem 28. capite Numerorum, ita cędebantur, vt iuge ſacrifi-
Sacrificij iu- cium non intermitteretur. Hoc autẽ iuge ſacrificium legis, ſignificat iuge ſacrificiũ Euangelij, quod
gis ſignifica- omnibus diebus offertur in Eccleſia, vt ex Danielis c. 12. facilè intelligitur, qui ad tẽpora Antichri-
tio. ſti reſpiciens, *Et à tempore* (inquit) *cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium & poſita fuerit abominatio in*
Agnus Chri- *deſolationem dies mille ducenti nonaginta.* Itaq; Agnus qui quotidie offerebatur, Chriſtũ ſine dubio
ſtus. ſignificabat in cruce patri offerendum. Quod intelligens Io. Baptiſta digitoq; Chriſtum oſtendẽs,
clamabat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* ac ſi diceret, hic eſt agnus quẽ ſibi pater of-
ferri voluit, vt mundum ſibi reconciliaret, hic eſt qui tollit peccata hominum, quę agnus legis tolle-
re non potuit. Hinc toties in Apocalypſi vocatur *agnus*. Manè ſignificabat tempus legis & prophe-
tarum & legis naturæ: Veſper finis temporum eſt, quo Chriſtus venit in mundũ & omne quod vſq;
ad conſummationem ſæculi ſupereſt. Vt ergò ſciremus omnes qui ſalui facti ſunt, ac fient ab initio
mundi vſq; ad aduentum Chriſti, & ab eo vſq; ad finem ſęculi, per ſanguinem agni in cruce occiſi
ſeruari, agnus manè & veſperi immolabatur. Sed cur agnus in iugi ſacrificio ſumptus eſt ad Chriſtũ
Homil. 24. ſignificandum? Origines: *Dicitur agnus quia voluntas & bonitas eius qua Deum repropitiauit homi-* G
in Numer. *nibus, & peccatorum indulgentiam dedit, talis extitit humano generi quaſi agni hoſtia immaculata, &*
Lib. 21. ſen- *innocens, qua placari hominibus diuino creduntur.* Auguſtinus: *Agnus eligitur, vt ſimplicitas & in-*
tent. c. 2. *nocentia deſignetur. Maſculus quæritur, vt virtus comprobetur, immaculatus, vt ſine crimine, & cæt.*
Agnus igitur electus eſt ad figuram Chriſti propter innocentiam & manſuetudinem. Neſcit enim
Iſai. 53. agnus vel nocere alicui, vel nocenti reſiſtere. Atq; ita de Chriſto dictum eſt: *Oblatus eſt, quia ipſe vo-*
luit, & non aperuit os ſuum. Sicut ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet,
& non aperiet os ſuum. Anniculus agnus tener eſt & ſacrificio aptiſſimus: ita Chriſtus nihil in ſe du-
rum aut ingratum habens, optima & acceptatiſſima Deo hoſtia fuit. Immaculatus, quia Chriſtus
integer & perfectus fuit, & nihil habuit deforme: Simila quę pars farinæ ad nutrimentum aptiſſima
eſt, conſperſa oleo, & vinum offeruntur cum agno, quia Chriſtus non ſolùm occidi voluit, ſed etiam
in ipſo ſacrificio reliquit nobis ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui ſub ſpecie panis & vini, quo
mirificè animæ noſtræ alerentur, confirmarentur, lætificarentur. Et quia dulciſſimo miſericordiæ
affectu hoc nobis ſacramentum inſtituit, meritò ſimila oleo conſperſa offertur. Sed maior ſimilæ H
quàm vini menſura eſt, quia ſub ſpecie panis multò plures illud accepturi erant, quàm ſub ſpecie vi-
ni. Olei, & vini par menſura eſt, vt tanta eius in nos miſericordia intelligatur, quanta virtus ſan-
guinis eſt. Hactenus de ſacrificijs ferè ex Ribera, ſi quis autem pleniorem explicationem requirat,
Originis legat homilias in Leuiticum & in Numeros 23. & 24. pręterea Iſychij, & Radulphi com-
mentarios in Leuiticum, ac Procopij Gazęi in eundem librum & in Numeros, necnon Cyrillum, ac
pręcipuè Philonem. Dicam modò quæ ſuperioribus, non incongrua ſunt, ac in primis, cur Moy-
ſes, cum Dei nomine mandata explicaſſet, mox populum ſanguine ſacrificiorum conſpergeret,
vt legimus in Exodo: *Scripſit autem Moyſes vniuerſos ſermones Domini, & mane conſurgens*
Cap. 24. *ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael. Miſitque iuuenes*
de filijs Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos duode-
cim. Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras, partem autem reſiduam
fudit ſuper altare: Aſſumenſque volumen fœdoris, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ
locutus eſt Dominus: faciemus & erimus obedientes. Ille verò ſumptum ſanguinem reſperſit in popu-
Euchariſtiæ *lũ, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum, ſuper cunctis ſermonibus ſuis.* Qui-
typus. bus verbis, & actione in primis Euchariſtiam præſignificatã, multis probari docet Thomas Bozius
Eugubinus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Eugubinus congregationis oratorij presbyter in libro de coniunctione corporis Ecclesię & Christi. Nam primo loco (inquit) Lucæ cap. 22. disertis verbis Christus ait: *Hic calyx nouum testamentum est in meo sanguine.* Secũdo totidem verbis Christus vsus est in Eucharistię institutione, quot Moyses in veteris testamenti sanctione: sic enim cap. 26. Matth. dictum. *Hic est sanguis meus noui testamenti.* Consona sunt itaque verba ipsa, & actio ad vnguem. Tertio sicut Moyses primò recensuit Dei præcepta, deinde sanguine populum aspersit, illaq; aspersione testamentum sanxit, eodem modo Christus prius mandata sua latè proposuit, vt est apud Ioannem, mox sanguinem suum in pectora discipulorum infudit per Eucharistiam. Quarto Moyses sanguinem quo Hebræos tinxit, in cratere collocauit: sic etiam Christus in calice suum sanguinem discipulis propinauit. Quinto Moyses è sanguine commixto duodecim vitulorum, duodecim tribus respersit; sic Christus duodecim discipulis sanguinem suum in vnam substãtiam commixtum, quamuis duodecim sorbitionibus, vt ita dicamus, traditũ dedit ex vno cratere. Quocirca nisi in eucharistia sit Christi corpus & sanguis, sed ea sit simplex commemoratio passionis Christi: quod egit Moyses, magis explicaret passionem Christi, & eius memoriam, quàm panis, & vini comestio, atque ita quod est absurdum proculdu-
B bio, vmbra esset solidior, & in corporis artus, lineamenta, & colores magis conformata, quàm corpus ipsum: corpus esset vmbræ loco, vmbra corporis, inuersaque essent illa, & præpostera. Quare necesse sint, opus est dicamus in Eucharistia esse verum sanguinem, corpusque Christi, ne ipsius institutio tam frigidè referat memoriam passionis, tam frigidè nos ad illam moueat. Huc spectat, quod eodẽ vitulorum sanguine Moyses tinxit altare, librum legis, ac vasa templi, quibus omnibus nos ipsi significabimur imbuendi ex omni parte Christi sanguine, veluti templa ac vasa Dei, nos ipsi volumina legis diuinæ. Hinc Tertullianus concludens Christo fuisse verum corpus, ex hoc argumentatur, quia sicut olim populus à Moyse vero sanguine vituli est aspersus, sic nos verum Christi sanguinem corpusque sumimus, quod argumentum mutuatus est à Sancto Irenæo. Audi eum loquentem: *Lib. 24. aduers. Marcion.*

Sanguine nam vituli populum, simul omnia vasa
Atque sacerdotes, & scripta volumina legis
Sparsit aquæ mixto, vates sic iussus ab alto
Non propriam spem, nec speciem virtute vacantem
C *Exemplo vituli passurum in corpore Christum,*
Qui iuga dura ferens humeris temonis aratro
Fortiter abrupit sua pectora vomere ferri,
Infundens sulcis animæ sui sanguinis vndam.
Nam templi vasa hæc designant corpora nostra,
Ipse Dei templum verum non ante dicatum
Namque suo socios homines sibi sanguine fecit,
Atque sacerdotes voluit sui corporis esse.
Ipse Patris summi perfectus iure sacerdos
Auditum, visum, gressum mundauit inertem,
Aspersitque libros testes præsaga locutus
Demonstrans legem suo tinctam sanguine sancto.

Minimè etiam præteriri debet, quid sibi velit lex imaginaria, quæ iubet vitulum pro peccato sacerdotis immolari, & sanguine eius septies digito populum aspergi; deinde duos hircos offerri; vnum in quo sors Domini venisset, occidendum esse, & de sanguine eius, similiter vt de sanguine vituli di- *Lex imaginaria.*
D gito sacerdotis populum aspergendum: Alterum verò, in quo omnia peccata & maledictiones populi imponendæ essent, in locum desertum deducendum, ibique dimittendum. Docet id venerabilis Beda his verbis in quæstionibus super Leuiticum. Meritò & hoc loco de huius vituli sanguine septies populum digito sacerdotis aspergi iubetur, vt redemptio nostra & purificatio in Christi sanguine lata per gratiam septemplicis spiritus demõstretur. Duo autem hirci duorum populorum figuram perspicua ratione demonstrarunt, propter originalem peccati præuaricationem, hircorum formam gerentes, quorum est similitudo in Euangelio. Hędi, idest peccatores ad sinistram futuri, sed ex eis qui in Christum credidissent, & pœnitentiam delictorum suorum toto corde egissent, baptismi gratiam consecuti. Hi in similitudinem huius hirci qui in sorte Domini venit, figuram accipiunt, cuius sanguis cum sanguine vituli permisceri iubetur, vt consortes passionis Christi effecti, participes gloriæ ipsius efficiantur. Sed quid est hircum in sortem Domini venire, nisi vt populus credentium, cuius ille figuram habebat, consors & cohæres Domini haberetur in regno. Sicut Apostolus ait: *Hæredes quidem Dei sumus, cohæredes autem Christi.* Alius verò hircus qui in sortem Domini non venit, similitudinem habet infidelium, qui nunquã in Christo credere voluerunt. Hi vtique accipiunt maledictionem totius populi, & omnes iniquitates humani generis & proijciuntur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

in deſertum locum. Sed quid eſt omnes iniquitates & maledictiones accipere, niſi quia omnia pec- E
cata, quæ ab Adam vſque ad Chriſtum humanum genus admiſit, illi ſoli ſunt percepturi, qui nec
credere in Chriſto, nec expiari Chriſti ſanguine voluerunt: & ſic onuſti & prægrauati iniquitatibus
& maledictionibus totius humani generis, in deſertum locum proijcientur, ideſt, in tenebras exte-
riores, vbi eſt fletus & ſtridor dentium: & in ſtagno ignis, quod eſt gehenna, ibi ignis eorum non
extinguetur, & vermis eorum non morietur. Idem Beda in explicatione huius Pſaltis ſententiæ:

Pſal. 65.

Holocauſta medullata.

Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum: offeram tibi boues cum hircis. Holocauſta
medullata interpretatur placentia. Pinguia enim holocauſta (inquit) erant acceptabiliora: ſcilicet
offeram tibi laudem integram, & charitatem intimam, quæ placent tibi: & hoc cum incenſo arie-
tum, ideſt per orationem ſanctam pro me ab arietibus, ideſt, à ſanctis patribus, qui nos in fide ge-
nuerunt, & per meam orationem non diſſentientem à traditione ipſorum ſanctorum patrum: quæ
Deo ita eſt acceptabilis, ſicut ſuauis eſt alicui odor incẽſi: Verè enim Deo eſt gratum, quod quidem
probatur ab auctoritate ſanctorum patrum non eſſe diſſonum. Offeram inquam holocauſta, & of-
feram tibi boues, ideſt magiſtros meos triturantes me: Et hircos, ideſt, in peccatis fœtidos offeram
tibi, non tantùm per ſe hircos, ſed ita vt boues ſint cum hircis, ideſt, vt illi qui prius erant hirci, à bo- F
bus ſint triturati & eis incorporati: quia hoc etiam tibi placet ſacrificium, ſi peccatores hic conuer-
tantur & bonis concorporentur. Nec te turbet quod dicit, offeram boues & hircos, quia in illo prio-
ri populo, qui hic loquitur, quaſi vnus fuerunt & boues & hirci conuerſi. Poteſt etiam hoc totum de
præſenti legi, vt ſic dicatur, introibo tandem in domum tuam ſuper cæleſtem, & vt introeam, reddã
tibi nunc interim vota mea, illa ſcilicet quæ labia mea interiora diſtinxerunt, ideſt, diſcreuerunt,
ſcilicet vt me accuſem, te laudem. Te Dominum dico, me ſeruum. Te me non indigere, me ſine te
eſſe non poſſe, & ſimilia. Et quæ os meum exterius maximè locutum eſt in tribulatione, vbi oportet
me deuotiorem eſſe. Tribulatione dicit mea, ideſt mihi vtili & neceſſaria. Holocauſta mea diſtin-
xerunt, inquam, labia mea, vota tibi reddenda, & hæc diſtinguendo offeram tibi holocauſta mea,
ideſt, intima charitate intus referta, vt non te tantùm amem in ſuperficie, ſed in intimo amore, &
exterius ſaginata fide, & ſpe & bona operatione. Pecus enim medullatum, & interius medullis eſt
plenum & exterius ſaginatum. Et eſt, quaſi dicat: Non debet eſſe vacuum & aridum, quod tuæ ma-
ieſtati eſt offerendum. Vacuum quidem à charitate, aridum verò à fide, vel ſpe. Et hoc faciam, vel
cum incenſo arietum, vt prædiximus, vel quia vt quidam libri habent, cum incenſu, quod ſignificat G
incendium. Ita poſſumus dicere, offeram tibi holocauſta cum incenſu arietum, ideſt, incendendo,
& deſtruendo in me laſciuiam, quæ per arietem deſignatur: & offeram tibi boues cum hircis, ideſt,
& boues & hircos item cum incenſu, ideſt, incendam in me ceruicoſitatem & ſuperbiã quæ per bo-
uem deſignatur, & incendam in me peccatorum fœtorem, qui per hircum deſignatur: & hęc incen-
ſa tibi offeram, quia hoc erit delectabile tibi ſacrificium. Hactenus Beda. Et Georgius Franciſcus
Venetus in nouiſſimo hoc ſenſu idem ſacrificium interpretatur, pro peccato (inquit) offerri iubetur
hircus, pater videlicet hœdorum, qui in ſiniſtra reponentur iudicandi, vt per hircum oblatum hir-
cina aut hœdina pars, quæ eſt in homine, expietur. Eſt enim laſciua portio in homine ſimilis hirco,

Pars in homine hirco ſimilis.

aut hędo, aut capræ matri eius laſciuienti & demolienti vineas; Idcirco expiandus, comprimendus,
vinciendus & deducendus eſt in ſeruitutem melioris portionis, ſicuti de alio animali huic ſimili di-
citur in Canticis: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* De hœdis quoque ibidem
dicitur; Paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum, illorum videlicet qui in ſcriptura dicti ſunt
bene paſcere oues, quorum princeps eſt ille qui ait: *Ego ſum paſtor bonus & animam meam do pro oui-*
bus meis. Offerendi igitur & caſtigandi ſunt huiuſmodi appetitus, qui demoliuntur vineam, illam H
vtique quæ, vt Iſaias ait, domus Iſrael eſt, & cœtus electorum, atque hæreditas Domini: de qua in
parabolis loquens Chriſtus, inquit: *Ite & vos in vineam meam, in quam intrare nequit caro, & ſan-*
guis, ac portio illa laſciuiens. Ideo in hirco veniebat offerenda & expianda; in quo eſt maior & ma-
gis inueterata laſciuia quàm in hœdo, adeo vt valde fœteat, ſicut & carnes nimium laſciuientium,
& multò magis quàm carnes caſtè viuentium. Offerendus quoq; venit pro peccato vitulus, vel bos
armentorum rex, faſtus videlicet & ſuperbia animalis hominis, qui gloriatur in malitia & lætatur,
cùm malè fecerit. Quæ duo laſciuia ſcilicet & faſtus procedunt à duobus præcipuis fontibus ſca-
turientibus in deteriori homine, concupiſcibili videlicet & iraſcibili, quæ ab homine pergente ad
Deum ipſi Deo offerenda ſunt, vt longo & egregio ſermone diſſerit Origines ſuper Numeris. De-
duxit (inquit) Dominus populum ſuum in manu Moyſis, & Aarõ, hoc ideo, quia alterius manus tã-
tummodo non ſufficiebat. Moſes enim ſcientiam legis indicat, Aaron verò ſacrificandi Deo, & im-
molandi peritiam. Nam ſi exiens de Aegypto & conuerſus ad Deum ſuberbiam adijciam, taurum
per manum Aaron ſacrifico, ſed vitulum ſi adhuc tenera ſuperbia & elatio eſt: Si verò petulantiam
laſciuiamque peremero, hircum Domino iugulaſſe me quoq; Aaron manu credam &c. Eadem di-

uina

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A uina lex vitulum pro sacerdotio immolari mandans per membra hostiæ quæ incendebantur, sacræ exercitationis modum naturali ratione subindicat, quæ fibram iecoris, (inquit Basilius Magnus) non iecur totum & adipem qui ventrem operiret, non ventrem ipsum: renum verò non solùm adipem, verùm ipsos quoque cum adipe renes incendi in holocaustum iubet. Iecoris quippe, quod cōcupiscentię instrumentum est, iuxta quod & de eo qui concupiscentiæ fuerat telo percussus, dicitur, *Eris quasi ceruus spiculo percussus in iecore*, veluti fibram singularem scilicet peccati concupiscentiā, in qua & fel inuenitur, incendere, reliqua verò felle ac pessima cupiditate liberam ac puram ad appetenda bona quæque & honesta seruare secundum naturam integrā conuenit. Porrò ventris quod superfluum est, vnde pinguiore, & hebetiore euadimus sensu, auferre decet, solumque quod est necessarium seruare. In renibus verò non adipem solùm ingentem obscœni liquoris copiam exspumātem ad libidinem, verùm & renes ipsos expiare, ac sanctificare naturaliter omnino iubemur. Significat profectò per hæc sermo diuinus, & necessarium victum nobis esse amplectendum, & concupiscentiam studiosius ad meliora transferendam, & castitatis munditiam tota intentione sectandam. Quia enim possibile non erat absque cibo viuere, escarum receptaculum, ventrem scilicet nudum,

Fibra iecoris, nō iecur incendatur.

Lib. de virginis.

B absque vllo omnino gulæ vitio relinquens obsidentem illum adipem rectissimè tollit. Rursus quia itidem erat impossibile, boni nos aliquid habere, nisi naturalē concupiscentiæ vim ad illud ambiendum haberemus, improbam cupidinis speciem quasi fibram iecoris cum felle præcidens, probabile concupiscendi genus ad virtutes appetendas purum innocuumque relinquit. At verò in renibus quia neque ad vitæ necessaria vt venter, neque ad concupiscendum vt iecur, necessarij sunt, solamq; & vnicam concubitus concupiscentiam capiunt, non horum solùm adipem, sed ipsos quoque ignibus tradit. Nempe enim sine renibus, idest, sine coniugio in terris viui potest: virginitatisque vita, nullo inferior angelis ad perpetuam gloriam hinc iam exerceri. Quibus profectò omnibus id nobiscum agitur, vt omni sapientia eruditi & instructi aduersus voluptatem totam quasi contra multorum capitum hydram sapienter stemus, neque sub specie excidendi emergentia assiduè per sensus capita ad pullulationem plurimorum ea semper iteremus: Verùm summa tolerantia laboris, atque continentia præcipua fortiter illa incendamus, corporaq; nostra hostiam sanctam placentem Deo, tanquam vitulum pro sacerdotio studiosè offeramus, & modò quidem prauam concupiscentiam veluti fibram iecoris, modò superfluitatem cibi, quasi adipem, quo venter operitur, modo totam simul concupiscentiam coitus, veluti renes vnà cum adipe semen illis ministrante diuino continentię

Castitas vt Deo grata.

C igne consumamus, vt iuxta propositam virginitatis destinationem omni praua ac turpi concupiscētia, omnique voluptate superiores euadentes, per continentiæ sacra certamina proposito certantibus præmio, immortalitatisque corona digni inueniamur. Hæc Basilius. Suprà per vituli oblationē Christum intelligi ostensum est: qui similiter per vitulæ, siue vaccæ rufæ immolationem significatur, (de qua in Numeris legimus cap. 16.) & per cinerem eiusdem populi expiatio. Sic enim dicitur de illa ad Moysem & Aaron. *Præcipe filijs Israel, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum, tradetisque eam Eleazaro Sacerdoti, quæ educta extra castra immolabitur in conspectu omnium, & intinget digitum Eleazar in sanguine eius, & asperget cōtra fores tabernaculi septies, comburetque eam cunctis videntibus tam pellem & carnes eius, quam sanguinem & fimum flammæ tradetis. Lignum quoque cedrinum & hyssopum coccumque bis tinctum sacerdos mittit in flammam qui vaccam vorat, & tunc demum lotis vestibus & corpore ingreditur in castra, commaculatusque erit vsque ad vesperam. Sed & ille qui combusserit, lauabit vestimenta sua, & corpus & immundus erit vsque ad vesperam. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ & effundet eos extra castra in loco purissimo, vt sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersio-*

Vaccæ rufæ immolatio.

D *nis: quia pro peccato vacca combusta est. Habebunt hoc filij Israel & aduenæ sanctum iure perpetuo, & qui tetigerit mortuum & propter hoc septem diebus fuerit immundus. Aspergetur ex hac aqua die tertio & die septimo mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, vel septimo, non poterit emundari.* Vitula rufa (inquit Beda,) caro est Saluatoris, rosea sanguine passionis, ætatis integræ, quia perfecta ætate passionem suscepit. Quod autem non est impositum super illam iugum, hoc ostendit, quod caro Christi non est subiugata delicto, neque victa ab vllo peccato. Quòd autem apprehensam eiecerunt filij Israel extra castra astante Eleazaro sacerdote, populum Iudæorum significat & consensum sacerdotum in necem Domini, qui eiectum ex Hierusalem eum crucifixerunt. Sicut ergo qui offerunt vitulam immundi sunt: sic & qui apprehenderunt Dominum, peccatores habentur, & sicut is qui colligit cinerem aspersionis, mundus est: sic & omnes mundi sunt qui passionem Christi prædicarunt gentibus & in toto orbe terrarum doctrinam eius asperserunt, populosque Domino collegerunt. Lignum autem & hyssopum crucem putamus & baptismum. Per hyssopi enim fasciculum aspergebantur agni sanguine, quo mundari solebant; typicè figurantes lauacrum baptismatis, & ablutionem æterni fontis. Per coccum autem bis tinctum, figuram sacri sanguinis significari, quo pecca-

Caro Saluatoris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

peccatores abluuntur: bis tinctum autem, quia per eum & corpore & corde mundamur. Hæc enim tria ad purgationem peccatorum ſunt tradita: Primò per cedrũ, fides ligni crucis; ſecundò per hyſſopum martyrium: tertiò per coccum, ſanguinis Dominici ſacramentum. Sicut autem illuc die tertia purgari iubentur; ita & omnis anima purgatur ab omnibus delictorum ſordibus, quæcunque credit Chriſtum Dominũ noſtrum die tertia à mortuis reſuſcitatum. Huiuſmodi etiam homo mũdus erit in die ſeptima, ideſt, in regno Sanctorum adueniente Domino, & beatus ac lætus partem cæleſtis illius regni potietur. Qui autem non fuerit aſperſus, ideſt, huius gratiæ fide munitus, peribit anima illa de regno ſancti ſanctorum, & de populo fidelium. Ex ſanguine autem huius vitulæ ideo ſepties tabernaculum iubet aſpergi: quia ſeptem ſunt ſpiritus Sancti chariſmata, quę per Chriſti ſanguinem ſuper Eccleſiæ populos diſtribuuntur, per quã ab omni delicto purgantur, ſicut Apoſtolus ait: *Iam abluti eſtis in ſanguine Chriſti & paſſione eius*. Quod verò vitula cum pelle & oſſibus ſuis comburitur, & agnus ille paſchalis pari modo concrematur, ne oſſa eius confringantur: hoc oſtendit, quod Domini Ieſu Chriſti corporis in paſſione non eſſent confringenda crura, ſicut Euãgeliſta teſtatur. Moraliter autem vacca rufa, cuius cinis expiatio populi eſt, non aliter immolari & offerri ad altare Domini poterit, niſi quia terrena opera non fecerit, iugumque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligatus. Huc vſque ille, & ſimiliter ferè D. Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Numeros: Iuuenca rufa, carnem Chriſti (inquit) ſignificat. Sexus fæmineus eſt propter infirmitatem carnis: rufa eſt, propter ipſam cruentam paſſionem. Quod autem ait, Accipiant a te: in ipſo Moyſe figuram legis oſtendit, quoniam ſecundum legem ſibi viſi ſunt occidere Chriſtum, quia ſoluebat ſecundum ipſos ſabbatum, & ſicut putabant, obſeruationes legitimas prophanabat. Quod autem *ſine vitio* dicitur hæc iuuenca, mirum non eſt: hanc enim carnem cæteræ hoſtiæ etiam figurabant, vbi ſimiliter ſine vitio pecora immolari iubentur. Erat quippe illa caro in ſimilitudine carnis peccati, ſed non caro peccati. Veruntamen hic vbi euidentius legis diſtinctionem Deus voluit commendare, parum fuit dicere ſine vitio, niſi diceretur, *quæ non in ſe habet vitium*: quod ſi repetendi cauſa dictum eſt, fortaſſe non fruſtra eſt, quod eam rem ipſa repetitio firmius commendauit: quanquam & illud non abhorret à vero, vt ideo additum intelligatur, quæ non habet in ſe vitium, cùm iam dictum eſſet, iuuencam ſine vitio, quia in ſe non habuit vitium caro Chriſti, in alijs autem habuit, qui membra ſunt eius. Quæ enim caro in vita ſine peccato, niſi illa ſola, quæ in ſe non habet vitium? *Et non eſt poſitum ſuper eam iugum*. Non enim ſubiugata eſt iniquitati, cui ſubiugatos liberauit, & eorum vincula dirupit, vt ei dicatur: *Diripuiſti vincula tua, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*. Super illius quippe carnem, non eſt poſitum iugum, qui poteſtatem habuit ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. *Et dabis eam ad Eleazarum ſacerdotem*. Cur non ad Aaron? niſi fortè ita præfiguratum eſt, non ad tempus quod tunc erat, ſed ad poſteros huius ſacerdotij paſſionem Domini peruenturam? *Et eijcient eam extra caſtra*. Sic & eiectus eſt Dominus paſſurus extra ciuitatem. Quod autem ait: *in locum mundum*, ita ſignificatum eſt, quia non habuit cauſam malam. *Et occident eam in conſpectu eius*, ſicut occiſa eſt caro Chriſti in conſpectu eorum, qui futuri erant in nouo teſtamento Domini ſacerdotes. *Et accipiet Eleazar ſanguinem eius & aſperget contra faciem tabernaculi teſtimonij in ſanguine eius ſepties*. Hæc teſtificatio eſt Chriſti ſecundum ſcripturam fudiſſe ſanguinem in remiſſionem peccatorum: ideo contra faciem tabernaculi teſtimonij, quia non aliter declaratum eſt quàm fuerat diuino teſtimonio prænunciatum. Et ideo ſepties, quia ipſe numerus pertinet ad ſpiritalem. *Et cremabunt eam in conſpectu eius*. Puto quia concrematio ad ſignum pertinet reſurrectionis. Natura eſt quippe ignis, vt in ſuperna moueatur, & in eum conuertitur, quod crematur. Nam & ipſum cremare de Græco in Latinum ductum verbum eſt à ſuſpẽſione. *Quod vero additum eſt, in conſpectu eius*, ideſt, in conſpectu ſacerdotis, hoc mihi inſinuatum videtur, quia illis apparuit reſurrectio Chriſti, qui futuri erant regale ſacerdotium. Iam quod ſequitur, *Et pelles eius & carnes & ſanguis eius cum ſtercore eius comburetur*, idipſum expoſitũ eſt, quomodo concremabitur: & ſignificatum eſt, quod non ſolum ſubſtantia mortalis corporis Chriſti, quę commemoratione carnis & pellium & ſanguinis intimata eſt, verùm etiam contumelia & abiectio plebis, quam nomine ſtercoris ſignificatum puto, conuerteretur in gloriam, quam combuſtionis flamma ſignificat. *Et accipiet ſacerdos lignum cedrinum & hyſſopum & coccinum, & immittet in medium combuſtionis iuuencæ*. Lignum cedrinum ſpes eſt, quæ debet in ſuperius firmiter habitare. Hyſſopus fides, quæ cùm ſit herba humilis, radicibus hæret in petra. Coccinum charitas, quod feruorem ſpiritus igneo colore teſtatur. Hęc tria debemus mittere in reſurrectionem Chriſti, tanquam in medium combuſtionis illius, vt cum illo ſit abſcondita vita noſtra, ſicut dicit Apoſtolus: *Et vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. *Et lauabit veſtimenta ſua ſacerdos & lauabit corpus ſuum aqua, & poſtea introibit in caſtra, & immundus erit ſacerdos vſque ad veſperam*. Lauatio veſtimentorum & corporis, quid eſt, niſi mundatio exteriorum & interiorum? Et hæc ſacerdos. Deinde ſequitur:

Tabernaculum cur ſepties ſanguine vitulæ aſperſum.

Lib. 4.

Pſal. 115.

Coloſſ. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A quitur: *Et qui comburet eam*, eos figuratos arbitror qui Christi carnem sepelierint, resurrectioni eam velut conflagrationi mandantes. *Et congregabit homo mundus cinerem iuuencæ & ponet extra castra in locum mundum*. Quid dicemus cinerem iuuencæ, reliquias videlicet illius inter fectionis, & combustionis, nisi famam, quæ cõsecuta est passionem resurrectionemque Christi: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Nam & cinis erat quia velut mortuus ab infidelibus condemnabatur, & tamen mundabat, & resurrexisse à fidelibus credebatur. Et quia hæc fama apud nos maximè claruit, qui in cæteris gentibus erant, & non erant de consilio Iudæorum: ideo dictum esse existimo, *& congregabit homo mundus cinerem iuuencæ*: mundus vtique ab interfectione Christi, quæ Iudæos fecerat reos. *Et reponet in locum mundum*, idest, honorabiliter tractabit. Tamen *extra castra*. quia extra celebrationem Iudaicæ consuetudinis honor Euangelicus claruit. *Et erit synagogæ filiorum Israel in conuersationem*, A qua aspersionis purificatio est. Postea declarat plenius quemadmodum ex hoc cinere fiebat aqua aspersionis, vnde mundabantur à cõtactu mortuorum, quod vtique significatur ab iniquitate moribundæ, vel morticinæ vitæ. Sed mirum est quod sequitur. *Et qui congregat*, inquit, *cinerem iuuencæ lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperam*. Quomodo

Iuuencæ cineris.

B erit ex hoc immundus qui mundus accesserat: nisi quia & ij qui sibi videntur mundi, in fide Christiana se agnoscunt, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinem ipsius: Hunc tamen lauare vestimenta sua dixit, non etiam corpus suum, credo quod illius cineris congregatione & repositione in loco mundo, si hæc spiritaliter intelligantur, iam intrinsecus vult intelligi fuisse mundatum, sicut Cornelius audiens & credens quod prædicauerat Petrus, ita mundatus est, vt ante visibilem baptismum cum suis qui aderant, acciperet donum spiritus Sancti. Hæc & plura Augustinus. Incognitus verò in psalmos, exponens hoc Dauidicum: *Asperge me Domine hyssopo, & mundabor &cæt.* notari debere ait virtutem aspersionis, quia per ipsam primò peccata mundantur (inquit) quod probat Apostolus dicens: si enim sanguis hircorum & vitulorum aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem &cæt. quanto magis sanguis Christi, &c. secundò discordes pacificantur, vt ait Petrus, In aspersione sanguinis Christi est pax. Tertio porta cæli nobis reseratur. Exod. 12. *Sanguine qui est in limine, aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem*. Et hæc aspersio debet fieri septies, idest, contra septem peccata, propter quod in Leuitico dicitur: *Sanguine asperget septies contra velum*, idest contra peccata, quod velum, vel ve-

Act. · Psal. 51. · Aspersionis virtus. · Ad Heb. 9. · Epist. 1. c. 1 · Cap. 4.

C lamen dicitur, quia velat, vel obfuscat intellectum peccatoris. Principaliter autem est aspersio sanguinis figuralis: vbi notandum, quod quadruplici figurali sanguine in antiqua lege fiebat aspersio, scilicet sanguine hœdi, vituli, hirci & vaccę & passeris: ad significandum quod sanguine multiplicis peccati à nobis debemus aspergere & expellere. Primò aspergebatur sanguis hœdi, Exod. 12. *Immolabit hedum, &c. & fasciculum aspergite in sanguine, &c.* Quid enim sanguis hœdi nisi vitam significat luxuriosam. Huius sanguis aspergitur, cùm luxuriosa vita virtute continentiæ dissipatur. Sic enim figuraliter sanguine Iezabel aspersus est paries, & equorum vngulæ, &c. vt dicitur quarto Regũ nono. Iezabel enim, quæ fluxus sanguinis interpretatur, significat ipsam luxuriã, quæ in quodam fluxu consistit. Secũdo aspergebatur sanguis vituli. Leuit. 4. *Tollet de sanguine vituli, & asperget septies digito contra propitiatorium ad Orientem.* Quid enim vitulus nisi superbos significat, qui vt vituli sunt sine iugo superioris: immo nec Deo subijci volunt, vt dicit Magister in glo. super illo verbo: *Circumdederunt me vituli multi*. Et sic sanguis vituli figuraliter aspergitur, cùm superbia spargitur & deponitur: vnde dicitur Leuit. 4. *Sanguine vituli septies aspergens altare, sanctificet illud ab immunditijs suis.* Vbi per altare cor nostrum, in quo sacrificium Deo offerebamus, intellige.

Aspersio sanguinis quadruplex. · Luxuria. · Superbia.

D Tertio aspergebatur sanguis hircorum, 2. Paralipp. 29. *Asperserunt sanguinem hircorum coram altari pro peccato populi*. Quid enim sanguis hirci, nisi auaritiam significat, cuius tanta est caliditas, vt adamantem, quem nec ferrum, nec ignis donare potest, solus dissoluat. Quarto aspergebatur sanguis vaccæ, Num. 19. *Vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, immolabit, intingens digitum in sanguine eius, asperget contra fores tabernaculi*. Secundum enim quod ait Magister in glossa ad Hebræos nono. Vacca rufa est caro Christi infirma. Sexus enim fœmineus positus est propter infirmitatem carnalem. Rufa est, quia caro Christi in passione sanguine fuit cruentata. Aetatis erat integræ, quia Christus in passione fuit triginta trium annorum. Absque macula fuit, quia in illa nullum fuit peccatum. Huius ergo sanguinem figuraliter septies aspergimus, cum per memorię suę passionis corda nostra ab omni purgamus peccato &c. Idem in explicatione alterius Psalmis sententiæ: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*, idest, inquit, sacrificiũ vitulorum, vel hircorum, scilicet publicata lege Euangelica. Illa enim duo animalia maximè Christum figurabant, scilicet vitulus propter habilitatem nutrimenti. Nam vt dicit Magister de proprietatibus rerum, vitulus inter cætera animalia habet carnes laudabilis nutrimenti, quia est facilis digestionis propter calorem, & humidum dominans in illo. Sic & Christus est nobis cibus perfectissimi

Auaritia. · Psal. 49.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ſimi nutrimenti, quoad vitam nutrimur æternam. Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus.* Hircus verò ſignificat Chriſtum ratione ſuæ poteſtatis. Nam tantæ poteſtatis dicitur eſſe hircus, quod caliditate ſui ſanguinis frangit adamantem, qui nulla alia re domari poteſt. Et ſic ſignificat Chriſtum, qui calore ſui ſanguinis, ideſt charitate in ſuo ſanguine exhibita ſuperauit diabolum, quem nullus alius ſuperare potuit. Si ergò illa ſacrificia facta per vitulum & hircum, figurabant ſacrificium corporis Chriſti, ideò meritò per iſtud ſacrificium illa ceſſare debuerunt. Et hoc eſt, quod dicit, inſtituto ſacramento euchariſtiæ. Magis moraliter, per vitulum & hircum ſignificantur duo peccata, quæ inter cætera regnabant in Iudæorum populo: ſcilicet per vitulum accipe peccatum auaritiæ, per hircum peccatum luxuriæ, &c. Sed hęc alterius loci ſunt. Supereſt modo, vt aliquid de ſacrificio Abra-

Sacrificium Abrahæ. Cap. 15. Lib. 2. de Abrah. c. 8.

hæ dicamus, de quo in Geneſi legimus; *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, vt vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit: aues autem non diuiſit.* Quod ſacrificium explicaturus D. Ambroſius: Præterirem (inquit) huiuſmodi interpretationem ſacrificij, niſi quibuſdam hinc ſcrupulum naſci animaduerterem, eò quod aruſpicinæ quædam ſcribi videatur ſolemnitas, quod poſt immolationem diuiſa ſunt animalia, & contra faciem alterutrum poſita, & conſedit illis Abraham. Sed ſi vim interrogationis præmiſſæ & futuræ reſponſionis conſideremus, aduertere poterimus ſpei noſtræ, & fidei conuenire huius ſacrificij diſciplinam. Vitulus enim aratorium animal eſt,

Capra aquæ cōparatus, aries aeri. Vitulus terræ.

deditum terræ & labori. Capra ad aquarum ſimilitudinem per ænigmata figuratur, eò quod αἴξ Græcè παρὰ τὸ ἀΐσσειν nomē acceperit, ab eo quod eſt impetu ferri. Sic enim currit ſicut aqua. Poſſumus vel fluuiorum ſono, vel curſu maris violentis æſtimare fluctibus. Aeri comparatur aries, quia omnibus animantibus vtilius hoc animal generi humano reperitur, quandoquidem & veſtis nobis vſum exhibet, ſicut aer huius ſpiritus vitalem nobis miniſtrat ſubſtantiam. Vnde & hunc ordinem factum puto, vt prius diceret: *Sume mihi vitulum & capram, & tertio loco diceret arietem*, eò quòd prima illa, hoc eſt, vitulus & capra terris & mari, materialibus comparentur elementis, & quia fæminea dicātur: at verò aries maſculinum quoddam animal eſt, vehemens natura & violentum cornibus. Similiter autem aries huius ſpiritus vitalis eſt, vt maſculus, auctor & cauſa gignentium, mouens terrarum genitalia, & velut quadam ſe miſcens copula. Aliud ad terram, aliud ad mare, aliud & aerem vitalem, myſticè figuratur horum trium animantium genus. Hæc traditio naturalis eſt, ſed moralis etiam concurrit & ſuppetit. In omnibus enim hominibus, caro, ſenſus, & verbū eſt. Caro noſtra, vitula eſt; laborat, vt ferat; laborat, vt colligat; laborat, vt pariat; innumeris fatigatur laboribus; vnde & Græci δάμαλιν ἀπὸ τῦ δαμᾶσθαι λίαν, eò quòd dometur nimis. Maſculorū boū labore, aratro & iugo fungitur, fæmineos partus repræſentat cū multo vbere. Caro quoq; noſtra vitæ iſtius ſubiugatur neceſſitatibus, crebris quatitur doloribus, & multarum ærumnarum quodam curuata partu ſeneſcit. Iam illud quis ignorat, quod vehementior ſit vis animæ, cui velut nupta adhęret in iſtius vitæ curſu corporalis ſubſtantia? Senſus autem noſtri caprarum modo velut ſaltu quodam alis exiliunt, & paſcuntur præruptionibus, impetu ipſo ipſi commotiones excitantes animæ, & concutientes eam. Ad omnem occaſionem præſto ſunt, vel occurſu fæmineæ pulchritudinis, vel odore ſuauitatis alicuius. Audita pariter & tactu mouentur velociter, quibus etiam animæ inflectunt conſtantiam, & velut à natura ſui alienant eam: Vnde plerique ὁρμιτικὴν dictam putant, quia ὁρμὴ impetus dicitur, eò quod ex quodam impetu ſenſuum inflexionis, atque alienationis noſtræ cauſa naſcatur: fæminei autem ſexus ſpeciem habet. Et etiam ſenſus noſtri αἰσθήσεις Gręcè dicuntur fæmineo vocabulo. Effœtarum modo animarum cito vacuantur, vbi partes ſuæ generationis delectationiſque effuderint, & iterum excitatis cupiditatibus nouos referunt impetus. In ariete verò verbi ac ſermonis noſtri habetur ſimilitudo, quod ſit vehemens, ſicut & ſermo noſter efficax operationis & quadam ornatus noſtri & tegminis cauſa ſit. Aries per vſum veſtium ordine quodam gregem ducens, ſicut ordo quidam vitæ vſuſque noſtri verbo explicatur. Arbitror autem quod illud verbum magis intelligere debeamus, quod eſt verbum Dei cum quo aries iſte habere videatur nō mediocrem cognationem. Quod verbum nos verè tegmine velleris ſui veſtiuit, & in domum introducit æternæ ſalutis. Qui ſe pro nobis immolandum obtulit, qui tanquam ouis ad victimam ductus eſt, & ſicut aries coram tondēte ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum, &c. Aliam expoſitionem, ſed non abſimilem antea attuli ex Beda. Addam hic expoſitionem Iſidori. Iſte eſt (inquit) modus promiſſi ſeminis Abrahæ, & iſta eſt figura. Per vaccam enim ſignificata eſt plebs poſita ſub iugo legis: per capram eadem plebs, peccatrix futura. Per arietem, eadem plebs etiam regnatura. Animalia ideo trima dicuntur, quia per articulos temporum, ab Adam vſque ad Noe, & inde vſq; ad Abraham, ac deinde tanquam tertiam uſque ad Dauid ætatem gerens ille populus adoleuit. Per turturem & columbam ſpiritales in eo populo deſignati ſuut, indiuidui filij promiſſionum & hæredes regni futuri, quorum ætas temporalis ideo tacetur, quia æterna meditantes, tranſgreſſi ſunt de-

ſideria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ſideria temporalia. Sed quid eſt quod animalia illa tria diuiduntur aduerſus ſe inuicem partibus conſtitutis, niſi quod carnales & in populo veteri & nunc inter ſe diuiduntur? Porrò aues idcirco nõ diuiduntur, quia ſpiritales indiuidui ſunt: ſchiſma non cogitant, non ſeducuntur ab hæreticis, ſed pax eſt ſemper in ipſis. Sed hac de re aliàs etiã aliquid dictũ eſt: ſufficereque puto iſthæc quæ hactenus de Hebræorum ſacrificijs dicta ſunt; properemus ad ſacrificia gentiũ, cũ prius duas aureas γνώμας Philonis recitauerimus: *Deus omnes male ſibi conſcios, etiamſi quotidie centum boues immolent, auerſatur: inſontes verò etſi nihil omnino ſacrificent, amplectitur. Gaudet enim Deus aris nullo igne calentibus, quas cingit virtutum chorus.* Altera ſententia eodem libro legitur. *Nemo malus ſacrificat reuera, etiamſi perenni ſacrificio decem millia boum immolaret quotidie. Nam præcipua victima mens ipſa eſt integra: læſis enim non eſt fas aras attingere.* Lib. de plantat. Noe.

VSVS IN SACRIFICIIS GENTIVM.

B IN ſacrificijs gentium duo fuiſſe hoſtiarum, ſiue victimarum genera docent Trebatius, & Macrobius, & ex ipſis Alexander ab Alexandro, vnum, in quo cum litabatur, voluntas Dei per exta exquirebatur, alterum, iu quo ſola anima Deo conſecrabatur, quæ hoſtia animalis ideo appellabatur. Vtrumque diuinus poeta oſtendit, & primò quidem illud in quo voluntas numinum per exta monſtrabatur: Lib. 1. de religione. Lib. 3. c. 5. ſatur. Lib. 3. 6. 12.

Mactat lectas de more bidentes,

Et mox:

Pecudumque recluſis
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

Alterum, in quo hoſtia animalis dicitur, quod eius tantùm anima, vt dictum eſt ſacratur, oſtendit, cùm facit Entellum victori Eryci mactare taurum.

Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Perſoluo.

Haſce animales hoſtias frequenter fuiſſe, ouem, ſuem, capram, bouem, gallinam & anſerem Gyraldus & idem Alexander tradunt, cæterùm ſine idoneo, ni fallor, authore. Certè Feſtus Pompeius ex commentarijs ſacrorum pontificalium hæc verba refert: *Hic ouis, hæc agnus, & porcus, tauri, verbenæque, perplouere pateram, refriua faba, præmiſſium, ſeu præmetium, perſillum.* Et Pauſanias ait, in C Eliacis, ex vitulis, agnis, hœdis veterem aruſpicinam fuiſſe, poſtea Cyprios primos omnium addidiſſe ſuẽ. Earum quibus voluntas deorum per exta diſquirebatur, aliæ amburbiales dictę, quod circum terminos Vrbis ducerentur; aliæ ambaruales, quæ circum arua rei diuinæ cauſa duci conſueuerunt ab his qui pro frugibus ſacrificia faciebant: alię ambegni; bos videlicet & veruex, cum ad eorum vtraque latera agni in ſacrificium agebantur, aliæ præcidaneæ, aliæ ſuccedaneæ: Legite Feſtũ, & Seruium. Nos de extiſpicijs bouis ſuprà diximus, hic de animatis potiſſimum dicturi: quorũ quoque duo erant genera, hoſtia videlicet maior, & minor. Maiores Harugas dicebant teſte Donato ab hara, in qua concludi ſolebant. Hæ tantùm ex bubulo genere, vnde dicebat Plinius: *Ex bobus victimæ optimæ, & lautiſſima deorum placatio.* Clariſſimè id oſtendit Ouidius in 4. Faſtorum. Lib. 33. c. 3.

De duce lanigeri pecoris, qui perdidit Hellen
Sol abit, egreſſa victima maior adeſt.
Vacca ſit, an taurus, non eſt cognoſcere promptum Metam. 11.
Pars prior apparet, poſteriora latent.

D Iſtiuſmodi maiorum hoſtiarum duntaxat cornua inaurabantur, vt Plinius teſtatur his verbis: Deorum honore in ſacris nihil aliud excogitatum eſt, quàm vt auratis cornibus hoſtiæ maiores duntaxat immolarentur. Tertullianus: Hunc tibi Iupiter bouem cornibus inauratis vouemus eſſe futurum. Ouidius.

blandis indutæ cornibus aurum
Conciderant ictæ niuea ceruice iuuencæ.

Iuuenalis: Lib. 9.

Et auratam Iunoni cæde iuuencam.

Plutarchus de Pauli Aemilij triumpho: Poſt eos ducebantur auratis cornibus boues centum viginti, vittis ornati & ſertis. Tibullus;

Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu

Martialis ad Apollinem:

Felix tunc ego debitorque voti
Cæſurum tibi ruſticas ad aras

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ducam cornibus aureis iuuencum

Homerus apud Ciceronem:

Aurigeris diuum placantes numina tauris

Lego autem in Iliade Homeri.

Iliad. K.

Τύν τοι ἔγω ῥέξω χρυσὸν κέρασι περιχέυας, ideſt,

Mactabo hunc ſuperis auratum cornua taurum.

Aeneid. 9.

Virgilius:

Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum.

In Oedipo.

Seneca:

Aureo taurus rutilante cornu labitur ſegnis.

Saty. 13.

Minor verò hoſtia coronata duntaxat erat. Vnde agnam coronatam vocat Iuuenalis:

Quæque coronata luſtrari debeat agna.

Victimæ coronatæ. *Lib. 16. c. 9.*

Coronabantur tamen etiam maiores: quoniam omnes victimas coronari ſolitas indicat Plinius, dum ait: Ferunt coronas primum omnium Liberum Patrem impoſuiſſe capiti ſuo ex hedera. Poſtea deorum honori ſacrificantes ſumpſere victimis ſimul coronatis. Huc ſpectat illud Næuij:

Sed velatas frondentes comas cornua taurum,

Coronabantur autem illius Dei fronde, cui ſacrum fiebat. Quaſcunque autem hoſtias cùm immolabant, niſi puræ eſſent & lectæ, ad rem diuinam non proficere putabant. Fuitque opinio ex hœdis & agnis potius, quia mites ſunt, quàm ex gallinaceis, ſuibus, & tauris, quoniam animo abundát, deos conſuli & futura prænoſci: adeoque videas ouilli pecoris hoſtiam non quia amplitudine, ſed quia animæ eſt placidioris, pontifices maximam duxiſſe. Fiebat autem animalium iſtarum diligens examen, & niſi electa admittebantur, quia pernoſci niſi ex ſana victima futura non poſſe ſibi perſuadebant, Virgilio teſte;

Aut ſi quem ferro mactauerat ante ſacerdos,
Inde neque impoſitis ardent altaria fibris,
Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates.

quamobrem ſi clauda erant, morboſa, aut vitioſa, ſi fixam haberent aurem, vel ſi caudam aculeatã, aut linguam nigram, ceu contaminata, dijſque minimè accepta ac grata, vt habebantur ait idem

Hoſtiæ puræ & impuræ quæ.

Alexander, qui itidem ſcribit, ſolida vtilia niſi cæſis tribus hoſtijs, tauro, ariete, & verre, pura nõ haberi, ſed tamen vt hi omnes ſolidi firmique ſint: nam vitulos ad aras humeris hominum allatos, & claudicantes, & cuius cauda ad articulum ſuffraginis non pertingit, non litare animaduerſum eſſe; idq; apud Aegyptios ſeruari tanti ceremonijs, vt linguam boui exerendo, & caudæ pilos explorando, ſi vel vnum pilum nigrum reperirent, hoſtiam tanquam impuram non admitterent. Græcis autem tauri an puri ſint, farina explorantur, caper ciceribus, capra frigida aqua; Sed quod hic de ſolidis vtilibus Alexander ait, id procul omni dubio deprompſit ex eo, quod ſcribit Feſtus Pompeius;

Lib. 17.

Solitaurilia hoſtiarum trium diuerſi generis immolationem; tauri, arietis, verris, quod omnes eæ ſolidi integrique corporis ſint: & paucis interiectis dicit, ſolum Oſcè ſignificare totum & ſolidum. De claudicantibus hiſce hoſtijs eadem tradit Gyraldus, nullum authorem eius rei laudans. Legimus tamẽ apud Plinium etiam hoc inter alia reprobatæ victimæ ſigna. Verba eius hæc ſunt. *Huic tantum animalium omnium* (boui videlicet) *quibus procerior cauda, non ſtatim nato conſummatæ, vt cæteris menſuræ creſcit vni, donec ad veſtigia ima perueniat. Quamobrem victimarum probatio in vitulo, vt articulum ſuffraginis contingat: breuiore non litant. Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos, non ferè litare, ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia Deos placari, nec trahente ſe ab aris.*

Syntagm. 17. *Lib. 8. c. 45.*

Lib. 2. *Boues vt Aegyptij explorent.*

Aegyptiorum verò illas ceremonias enarrauit Herodotus. Boues mares (inquit) Epaphi eſſe cenſent: eaque de re hunc in modum explorant. Si pilum in eo nigrum, vel vnum viderint, nequaquam mundum cenſent. Explorat autem ſacerdotum aliquis ad id conſtitutus, pecude conſtante & erecta, tum etiam reſupinata: Lingua etiam exerta explorans, an pura ſit ijs ſignis, quæ ego alio referam in libro. Inſpicit & caudæ pilos, nunquid eos habeat ſecundum naturam procreatos. Eum ſi fuerit his omnibus mundus, notat alligato cornibus byblo; deinde applicita terra ſigillari anulo impreſſa, adducitur. Nam immolanti eo ſigillo non notatam, pœna morte ſancita eſt; & hunc quidem in modum pecus exploratur.

t Græci.

De Græcorum modò exploratione Alexander ſecutus eſt Plutarchũ, qui in volumine de Oraculorum defectu ſic ſcribit. Antequam oraculum petimus, victimam immolamus, coronamus, libamus. Sacerdotes enim & alij, quorum eſt immolare victimam & libare, ac habitum eius & motũ obſeruare, aliam eius rei cauſam habent, quàm nos qui oracula petimus. Nam hoſtiam oportet, & quoad corpus & quoad animum attinet puram eſſe, integram atque incorruptam. De corporibus iudicium non eſt difficile. Animam explorant, farinam tauris, ciceres ſuibus apponentes. Si enim non guſtent, non eſſe ſanos iudicant. Capram argui frigida affuſa, ſi nõ

mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A moueatur. Non enim esse animæ secundum naturam affectæ, non moueri, neq; affici cum libamenta inuerguntur. Iosephus Scaliger & dentium, & cornuum quoque rationem habitam fuisse tradit in eruditissimis suis coniectaneis siue annotationibus in quartum librum M. Varronis de lingua Latina. Bidentes (inquit) erant hostiæ, quæ & cornigeræ essent, & duos dentes eminulos haberent; in qua sententia est Festus, etiamsi aliter disputetur apud Gellium. Hesychius; κεραΐδες, τῶν προβάτων τὰ θήλεα τὰ ἔνδον ὀδόντας ἔχοντα. Aliter, vt puto, si carerent illis, ἀτελεῖς erant, & ad sacrificia ineptæ. Nam si bidens dicta est, quasi biens, cur bidentis, non bidennis, aut biennis dicitur? Atqui magis aperit etymum, quod & ambidentes apud veteres vocarētur. Sed id requirebatur in hostia, vt duos dentes haberet longiores, quemadmodum & in tauro θελείῳ, vt diuersa cornua haberet, & patentia, Ab eo dicebantur Patales boues. Obseruabāt itidē sexum hostiarū. Aegyptij.n. masculos tantū boues sacrificabāt, vt meminit (ex Herodoto) Athenagoras in oratione pro Christianis in idolomanicam Aegyptiorum superstitionem inuectus. *Apollinem (inquit) & Dianam, Dionysii, & Isidis liberos esse tradunt, quorum nutrix seruatrixque Latona fuerit, quos quia cælestes orti essent, primos habuere reges. Et tum ignorantia veræ in Deum religionis & pietatis, tum autem ut imperio gra-*

Dentium & cornuum ratio in explorandis hostijs.

Ambidens quid.

Sexus obseruatus.

B *tificarentur, deos eos simul cum coniugibus esse duxerunt. Idcirco puros quidem boues masculos & uitulos cuncti Aegyptij in re diuina sacrificant: fœminas autem illis mactare non licet, quæ Isidi sunt consecratæ: cuius imago muliebri forma ad instar bouis cornuta est, sicut Græci ipsam Io pingunt.* Alexander ab Alexandro ex Strabone Barbaris quoque circum montem Caucasum, & apud Derbices Persicam gentem, fœmineum animal victimam dare, aut eius carnibus vesci sub graui documento vetari scribit: Idem verò ait, ex Seruio in octauum Aeneidos in hunc locum: *Lib. 11.*

Et cæsa iungebant fœdera porca.

Annotatum fuisse in omnibus sacris (Græcorum fortè & Romanorum) fœminei generis victimas fuisse potiores: itaque si per marem litare non poterant, fœminam succedaneam datam, non è contra. Plinius ait. *Ex bobus, uitulis, & pecudibus, laudatissimæ uitulæ ad deorum placamenta habebantur.* Fuit tamen cur maribus mares, fœminis fœminas hostias immolarent. Cyrene enim apud Virgilium vitulos Orpheo, vitulas Euridicę immolari iubet: *4. Georg.*

Tu munera supplex
C *Tende, petens pacem, & faciles venerare Napæas.*
Namq; dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quattuor eximios præstanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi,
Delige, & intacta totidem ceruice iuuencas.
Quattuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, & sacrum iugulis demitte cruorem:
Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post vbi nona suos aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei lethea papauera mittes,
Et nigram mactabis ouem, lucumque reuises
Placatam Euridicem vitula venerabere cæsa.
Haud mora continuò matris præcepta facessit,
D *Ad delubra venit; monstratas excitat aras:*
Quattuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit & intactas totidem ceruice iuuencas.
Post, vbi nona suos aurora induxerat ortus,
Inferiat Orphei mittit, lucumque reuisit.

Scio interim Dijs maribus etiam vitulas immolatas: Ouidius de Numa post è cælo missam à Ioue peltam,

Tollit humo munus, cæsa prius ille iuuenca,
Quæ dederat nulli colla premenda iugo.

Ex quibus etiam discimus, in quibusdam etiam sacrificijs ętatis morumq; hostiarum rationem habitam fuisse: tales enim de quibus proximè diximus, iniuges dicebantur, idest, quæ nunquam domitæ ac iugo subditæ fuerunt. Quarum & Virgilius meminit: *Aetatis ratio.*

Nunc grege de intacto septem mactare iuuencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

Et vt iniuges euidentius exprimeret, addidit,

Et intactas totidem ceruice iuuencas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Mineruæ quales hoſtiæ immolatæ. Manilius Chreſtus in libro de hymnis deorum, ait Mineruæ iniuges boues ſacrificari ſolitas, illa E videlicet cauſa, quòd & virginitas iugum neſciat maritale, & virtus nunquam ſit iugo prementi ſubiecta: Idem Fulgentius in libro ad Chalcidium repetit. Sed Mineruæ integræ etiam ætatis hoſtias immolari mox patebit: quare rectè Phurnutus ait: Mineruam Græcorum quidam ἀγελνίδα vocat, ſiue tanquam ducem populorum, ſiue quòd indomita ſit, ſicuti boues armentinæ, quas etiam præcipuè ei ſacrificabant. Similiter iuuenca & operum & coniugij ignara immolabatur Cybelæ, vt legimus in Faſtis Naſonis de hac dea, cùm Romam perferretur:

Lib. 4.

Ante coronarunt puppim, & ſine labe iuuencam
Mactarunt operum coniugij; rudem.

Legimus item diu ſeruatum apud Athenienſes, & Solonis lege interdictum fuiſſe, ne bouem, cuius opera vel aratro, vel curru vterentur, omnino immolarent, vt in exordio operis diximus. Bos autem qui iugo ſubactus fuiſſet, purus non putabatur, vt hominum manu & labore ruſtico contaminatus. Fœtus vero eius non ante trigeſimum diem, idoneus ſacris ac purus putabatur; ſicuti pecoris ſeptimo, ſuis verò niſi decimo, ideo ſacres dicti: creditumque bouem quinquennalem, inſignem F Ioui victimam eſſe: Homerus:

Iliad. B. Bos quinquennalis.

Αυτὰρ ὁ βοῦν ἔρευσεν ἄναξ ἀνδρων Αγαμέμνων
Πίονα, πενταέτηρον ὑπερμενεῖ Κρονίωνι idest:
Sed hic bouem ſacrificauit rex virorum Agamemnon
Pinguem, quinquennem, valdè potenti Saturnidæ.

Iliad. H.

Et rurſus:

Τοῖσι δὲ βοῦν ἔρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Αγαμέμνων
Ἄρσενα, πενταέτηρον ὑπερμενεῖ Κρονίωνι. ideſt,
His autem bouem ſacrificauit rex virorum Agamemnon
Marem, quinquennem, valde potenti Saturnidæ.

Quos verſus non deſignato tamen libro citat Seruius octauo Aeneidos in eum locum;

Perpetui terga bouis & luſtralibus extis.

Huncque locum intelligit ipſe de boue quinquennali. Eligitur autem huius ætatis bos, quia hæc perfecta eſt in hoc animante, vt prius ſuo loco diximus, eligebatur & ſus eiuſdem ætatis, vt in ſubulci ſacrificio docet idem poeta pro reditu Vlyſſis: G

Οἱ δ' ὗν εἰσῆγον μάλα πίονα πενταέτηρον.
Hi autem ſuem adduxerunt valdè pinguem, quinquennem.

Donatus enarrans hunc Virgilij locum:

Ipſe tibi ad tua templa feram ſolennia dona.

ſcripſit hoſtiam nec macie, nec ætate confectam eſſe debere. Diſcimus autem etiam ex hic recitatis locis, hoſtias quoque quæſita; quæ pinguedine alias vincerent, præque pinguedine ſplenderent, niterentque, quo ſenſu nitentes tauros dixit Virgilius:

Superoque nitentem
Cælicolę regi mactabam in littore taurum.

Boues Italici cur ſacrificijs apti. Quamobrem Italici boues præferebantur, quia, vt teſtatur Varro, propter amplitudinem corporis præſtare dicuntur, & ad victimas farciri, ſeruarique ad deorum ſupplicia, ideſt ſacrificia, maximè ſi ex agro Faliſco, aut Meuania eſſent. Ouidius;

Faſt. 1.

Colla rudes operum præbent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis. H

4. de Ponto Epiſt. 4. Erant autem huius agri boues albi. Teſtis eſt idem Ouidius;

Colla boues niuei certæ prębere ſecuri,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.

Et rurſus:

Agnaque tam lactens, quam gramine paſta Faliſco
Victima, Tarpeios inficit icta focos

Quorum verſuum interpretatio petenda eſt ex ſuperioribus, vbi in primis ex Plinio diximus, in agro Faliſco Clitumni aquam potatam candidos feciſſe boues. De bobus citauimus & hoc Virgilij:

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, ſępe tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa deum duxere triumphos.

Clitumnus amnis. In cuius loci explicatione Seruius, Clitumnus (inquit) eſt fluuius in Meuania, quæ pars Vmbriæ, partis Tuſciæ, de quo fluuio dicit Plinius in hiſtoria naturali, quod animalia quæ eum potauerunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A albos fœtus creant. Quibus verbis velut digito indicat, illum à me prolatum Plinij locum. Meminit autem istiusmodi alborum sacrificijs destinatorum boum etiam Propertius: *Lib. 2. eleg.*

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, & niueos abluit vnda boues.

Meminit & Statius Papinianus. *Lib 3. Syl.*

Nec si vacuat Meuania valles
Aut præstent niueos Clitumna noualia tauros.

Est autem vbi albi, est vbi nigri boues ad sacrificia requiruntur, vt suis quibusque locis innotescet. Obseruatumque esse olim à sacrificantibus tradit Macrobius, vt si hostia quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se inuitam altaribus admoueri, amoueretur, quia inuito Deo offerri eam putabant. *Lib. 3. Satur. 5.* Quæ autem stetisset oblata, hanc volenti numini dari existimabant. Non quæuis itaque victimæ eligebantur in sacrificia, sed quæ præstantiores essent, multò antè reseruabantur: quare cùm è grege deligerentur, egregiæ victimæ dictæ sunt, at cùm eximerentur ex armentis, sacræ, eximiæ. *Victimæ egregiæ quæ, & quæ eximiæ.* Nam trifariam armenta diuidebant antiqui, cùm aliam partem de-
B stinarent fœturæ, aliam laboribus, aliam reseruarent ad altaria vt meminit poeta in Georgicis: *Lib. 3.*

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris seruare sacris, aut scindere terram.

Brissonius distinctius ex Donato in Hecyram Terentij: *Porcos maiores, qui ad sacrificandum excepti liberius pascebantur, eximios appellatos antiquis ait: sicut boues ad hoc electos, egregios, oues verò lectas.* *Lib. 1. Formul.* Virgilius tamen cuius versus paulò ante recitaui, eximios etiam tauros vocat, & Macrobius præcitato loco, eximijs in sacrificijs vocabulum, non poeticum ait esse epitheton, sed sacerdotale nomen. Veratius enim (inquit) in pontificalibus quæstionibus docet, eximias dictas hostias, quę ad sacrificium destinatæ, eximantur è grege: vel quòd eximia specie, quasi offerendæ numinibus eligantur. *Hostię eximiæ quæ.* Quod eximuntur autem eximias, quod eliguntur, præstanti corpore Virgilius ibi dixit. Imitati itaque sunt Gentiles, Hebręos, quibus, vt ostendimus Deus Optim. Maxim. iussit sibi offerri meliora, pulchrioraque & robustiora: ita & Aristoteles in Symposio: *nihil* (inquit) *mutilum ac diminutum dijs offerimus, sed integra omnia atque absoluta.* In ipso modo sacrificandi munere,
C quædam ad ipsam spectant hostiam, quædam ad vouentem, quædam denique ad ministrum, & sacerdotem. Ducebantur autem, non trahebantur victimæ. Cicero: Cum censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias lustrarent, eligebantur. *Lib. 1. de Diuinat.* Obsequens; Taurus cum ad immolationem duceretur, ob hæc ipsa corruit. Ouidius; *Lib. 1.*

Ducuntur niueæ populo plaudente iuuencæ. *3. Amor. 12*

Virgilius:

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aras. *Georg. 2.*

Rectè autem poeta dixit stabit. Admota enim adductauè hostia ad aras dicebatur stare: cæterum vinctauè esset, aut soluta omni vinculo, dubitari posse apparet: Ex Iuuenale enim vinctam fuisse constat: *Sat. 12.*

Sed procul extensum petulans quatit hostia funem

Et Isidorus victimam dictam esse ait a quibusdam, quòd vincta ad aras ducebatur. *Li. 6. etym.* Contrà Seruius ait, Nil solet esse religatum: & scrupulum hunc discutiens ait: Victimas ipso tempore sacrificiorum minimè ligatas esse oportere, sed antea cùm ducebantur, ligabantur. Contra fiebat apud Senones, nam lucum sacrum venerabantur, quem nisi vinculo ligatus, ingredi nemo poterat. Et in Scythia
D quoque Marti cùm fieret sacrum, victima primis pedibus ligata, ad aram sistebatur, cui laqueum in collo inijciebant, ac baculo circumducto strangulabant sine precatione, & votis, vt mox ex Herodoto enarrabimus. Vinciebatur autem stantium ad aras earum capita infula lanea & candida vitta. Virgilius: *Georg. 3.*

Sæpe in honore Deum medio stans hostia ad aras
Lanea dum niuea circundatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda magistros.

Et rursus: *Aeneid. 2.*

Et salsæ fruges & circum tempora vittæ.

Item rursus in funere Polydori:

Stant Manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis.

Et rursus eodem libro:

Hic Helenus cæsis primùm de more iuuencis,
Exorat pacem diuum, vittasque resoluit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Sacrati capitis.

Argonaut. 1. Valerius Flaccus:

Tibi cæruleis in littore vittis
Et Zephyris Glaucoque bouem, Thetidiq; iuuencum,
Deijcit Ancæus: Et rurſus.
Veteris ſub nocte cupreſſi
Sordibus & multa pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc, cui cæruleæ per tempora vittæ:

Sat. 12. Alludit item ad hoc Iuuenalis, dum canit:

Alter enim ſi concedas, mactare vouebit
De grege ſeruorum magna, & pulcherrima quæque
Corpora, uel pueris & frontibus ancillarum
Imponet uittas, & ſi quæ eſt nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus.

Notandum autem, vittas non ſemper in ſacrificijs fuiſſe candidas, ſed etiam aliquando cęruleas, vt recitatis poetarum locis clarè conſtat: niſi fortè cæruleæ eſſent in funeralibus, in alijs candidæ. M. Varro infulas tradit eſſe dictas in hoſtijs, quod infulæ quæ adduntur, intra hoſtiarum cornua velamenta erant è lana. Miniſtrum, popam etiam vocant, & victimarium, & cultrarium. Huius erat cædere victimam: Ouidius:

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cælitibus quo feriente cadit.

Spartianus in vitæ Getæ: *Hoſtiam* (inquit) *popa nomine Antoninus, percuſſit*. Sed antequam cæderet, feriretque, tenebatur rogare, ageretnè, hac voce, eum cuius iuſſus expectabatur, compellans, Agon? Reſpondebat præco, hoc age; qua voce eum admonebat, vt erecto & attento animo, in eã curam intentionemq; incumberet, nec perfunctoriè, aut oſcitanter, aliaſuè res agens ſacris operam daret. Ab Agon Agonaliorum ferias nomen inueniſſe nonnullis placuit, vt Varroni, dum ait: *Agonales dies, per quos rex in regia arietem immolabat, dicti ab Agon è eo quod interrogatur à principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur*. Ouidius.

Agonalia vnde dicta.
Lib. 5. de ling. Lat.
Lib. 2. Faſt.

Quattuor adde dies ductis ex ordine Nonis,
Ianus Agonali luce piandus erit.
Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cælitibus quo feriente cadit.
Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper, Agatnè rogat, nec niſi iuſſus agit.

Quem magiſtratuum iuſſum interceſſiſſe, etiam Dionyſius Halicarnaſſæus declarat, & oſtendit idem Ouidius ad Græcinum Conſulem deſignatum ſcribens:

Lib. 6.
Lib. 4. de Põto. 9.

At cùm Tarpeias eſſes deiectus in arces,
Dum caderet iuſſu victima ſacra tuo.

Succinctus miniſter qui. In recitatis autem Faſtorum verſibus, miniſter ſiue popa ſuccinctus cognominatur à poeta, quoniam is erat habitus poparum, cum hoſtias erant mactaturi. Succingere autem eſt veſtis lacinias cingulo coercere, vt ſolemus, quo expeditiores ſimus ad aliquod opus faciendum: nec aliam ob cauſam ſeſe ſuccinxiſſe popas docere videtur Suetonius Caligulæ exemplo, qui ſcilicet admota altaribus victima, ſuccinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrarium mactauit: quo loco M. Antonius Sabellicus, ſuccinctum interpretatur expeditum, ne videlicet alio quam vellet habitu impeditus, ictum detorſiſſe videretur. Ex quo etiam Suetonij loco diximus hoſtias malleo fuiſſe à miniſtro occiſas, id quod & Ouidius manifeſtius docet, locum ſimul indicans, in quem malleus illidi ſolebat:

Lib. 2. Met.
Hoſtiæ vt occiderentur.

Haud aliter quàm cum ſpectante iuuenca
Lactentis vituli dextra libratus ab aure,
Tempora diſcuſſit, claro caua malleus ictu.

Sed antequam a mallo percuteretur, cornibus, ne mallei ictum effugeret tenebatur, vt facilè colligas ex hoc Lucani.

Lib. 1.

Impatienſque diu non grati victima ſacri,
Cornua ſuccincti premerent cùm torua miniſtri.

Metam. 7. Vbi iam procidiſſet, iugulabatur cultro. Ouidius:

Subito collapſa ſine ictibus vllis,
Exiguo tinxit ſubiectos ſanguine cultros.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Sed quos Ouidius subiectos dicit, Virgilius dicit suppositos:

Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultros. Et aliàs:

Supponunt alij cultros.

Sic & Dionysius, πίπ]ον]ες ὑποτιθεσαν τὰς σφαγίδας: ita.n.legendum docet (inquit Brissonius)nō modò Pollux, qui inter organa τὰ πρὸς θυσίαν ponit σφαγίδας; sed & Glossarium, in quo, culter, σφαγὶς. Obseruandū tamen cultros etiam impositos dici, & sic apud Senecā legit Martinus Delrius in Oedipo ex manuscripto codice, vbi legitur in vulgatis codicibus opposito: *Iuuēca ferro semet imposito induit, & vulnere vno cecidit.* A Cleone autem in primo Argonauticorum, si Natali in Mythologicis credimus, proditum fuit, veteres superis sacrificantes, resupinatarum iugulum sursum conuertisse, earundem collum deorsum terram versus deprimere solitos, cùm inferis sacrificabant, quod & Myrtilus docet in secundo Lesbicorum, his verbis; εἰώθασαν ὀν ἱερεῖς τὰ ἔντομα τοῖς κάτω θεοῖς ἐναγιζόμενοι ἐν τῇ γῇ ἀποσέμνεσθαι τὰς κέφαλας. ἔτω γὰρ θυεσι τοῖς ὑποχθονίοις. Τοῖς δὲ ἐρανίοις ἄνω ἀναστρέφεσι τῶν ἱερείων τόν τράχηλον σφάξαντες. Rectè ergò Virgilius dixit *suppositi*, cùm loquatur de inferorum sacrificio, quo culter quodammodo victimæ iugulo supponeba-
B tur. Rectè etiam Seneca dixit *imposito*, cùm agebat de superorum sacrificio, quo culter hostię collo quasi imponebantur; Vnde apparet verissimam esse in Delrij codice manuscripto scripturam. Iisdem quoque cultris hostiam, vt Plautino verbo vtar, exenterabant, aut vt Ouidio pręeunte dicā, *Lib. 1. Fast.*
viscera eius aperiebant. Gręci verò, vti legimus apud Apollonium ad hanc rem vtebantur ῥοπάλῳ. *Lib. Argonaut.*
Ῥόπαλον autem significat clauam, gestamen scilicet Herculis: & ab Hesychio exponitur etiam βακτηρία, idest, baculus, Apud Atticos tamen ensis siue cultri vsum fuisse clarissimè docet Aelianus in varia historia hisce verbis: *Lib. 8.* Atticis in more est, vt cum occiso boue reliqua omnia à cæde liberal pronuncient, singulis ordine iudicatis; solum autem ensem condemnent, & dicant illum cædis authorem extitisse; & eius diei, quo hæc patrant, dypolia vocant, & buphonia. Cuius quoque rei meminit Pausanias, in Atticis, sed enses nomine celebrat bipennem. In Prytaneo (inquit) de ferro, alijsque inanimatis fit iudicium, cuius rei hoc inditium fuisse arbitror. Erechtheo Athenis regnante, bouem sacerdos is qui buphonus est appellatus, ad Poliei Iouis aram occidit, statimque relicta bipenni ex finibus excessit, bipennis iudicio absoluta est, & eum quidem vsum quotannis seruant. Eundem verò etiam cultrum ante mactationem, à fronte vsq; ad caudam ducebant, vnde
C illud Virgilij,

Et tempora ferro
Summa notant pecudum,

Indos verò non iugulasse, sed præcluso spiritu necasse victimas ne quid deperiret, neuè quid mancum Deo offerretur, Strabo author est. Persæ etiam & Cappadoces non gladio, sed stipite mactabant eas, vt idem testatur, in Cappadocia (inquiens) vbi maxima est Magorum multitudo, qui Pirethi vocantur, & multa Persicorum deorum templa, non cultro sed stipite quodam mactant tanquam malleo verberantes; *Lib. 17.* fortè ῥόπαλον intelligit, sed & apud Homerum querni trunci ad hoc vsum legimus; *Lib. 13.*

Κόψε δ' ἀνασχόμενος σχίζῃ δρυος, idest,

Percussit autem in altum tollens, querno stipite.

Tandem amputabatur caput, hinc illud Iuuenalis. *Saty. 12.*

A grandi ceruix ferienda ministro

D Clarissimè Seneca;

Qualisque ad aras colla taurorum prius
Designat oculis, antequam ferro petat. *In Agamēnone.*
Sic huc, & illuc impiam librat manum. Et rursus;
Stat ecce ad aras hostia, expectat manum
Ceruice prona.

Aequè clarè Persius:

Torua mimalloneis implerunt cornua bombis
Et sectum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris & lyncem menas flexura corymbis *Sat. 2.*
Euion ingeminat, reparabilis assonat Echo.

idq; fiebat per securim. Horatius:

Nam quæ niuali pascitur algido
Deuota, quercus inter & ilices,
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, pontificum secureis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ceruice tinget.

Lib. 3. Metam. 7. Deſcriptio eſt magnæ victimæ, quam indicat decere pontifices. Securi autem victimas percuſſas fuiſſe crebrò lector deprehendet. L. Anneus Florus. *Nec gladio, ſed vt victimis, ſecuri percutiunt.* Ouidius,

Muneribuſque deos implet, feriuntque ſecures
Colla toroſa boum vinctorum cornua vittis.

4. Triſt. eleg. 2. Idem alibi:

Candidaque adducta collum percuſſa ſecuri
Victima, purpureo ſanguine tingit humum.

Faſt. 4. Et rurſus:

Apta iugo ceruix non eſt ferienda ſecuri

In verſibus quoque de nuce, ſi modò eius ſunt,

Vtuè grauem patiens vbi tolli vacca ſecurim,
Aut ſtringi cultros in ſua colla videt.

Metam. 12. Vnde & ſacrifica ſecuri colla tauri rumpere, idem poeta alicubi dixit. Huc facit & illud Virgilij;

Aeneid. 11. *Quales mugitus fugit cum ſaucius aras*
Taurus, & incertam excuſſit ceruice ſecurim.

Lib. 1. Argonaut. Valerius Flaccus bipennem vocat.

Non illo certior alter
Pinguia lethifera perſtringere colla bipenni.

Coronarum vſus in ſacrificijs. Scribit Alexander ab Alexandro apud Perſas non modo qui ſacrificabant, ſed hoſtias etiam, & qui ſacris intererant, feſta fronde fuiſſe exornatos (id quod Gyraldus quoq; prodidit) Indis contra, namque ex his coronatum ſacrificare neminem. Sed & apud Romanos non ſolùm coronati erant ſacerdotes, ſed etiam vaſa, quibus vtebantur, & victimæ immolandæ, quibus coronæ circa collum apponebantur, earumque cornua, ſi maiores eſſent, inaurabantur, vittiſque coloribus dijs quibuſque gratis innectabantur; quò nimirum referendum illud Ouidij, quod iam iam recitabamus:

Colla toroſa boum vinctorum cornua vittis.

Lib. 9. Huc ſpectat & illud Virgilij:

Et ſtatuam ante aras velata fronte iuuencum.

Aeneid. 4. Erat item mos, vt capitibus hoſtiarum ſtantium ſub ictu, cultroque vinum infunderetur. Virgilius ſacrificandi modum ſic breuiter delineans.

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque Patrique Lyæo,
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ,
Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Et aliàs:

Quattuor hic primum nigrantes terga iuuencos
Conſtituit, frontique inuergit vina ſacerdos.

Metam. 7. Ouidius:

Dum vota ſacerdos
Concipit & fundit purum inter cornua vinum.

Hunc eundem ritum indicant duo illi verſiculi, quorum author Euenus, in caprum vites depaſcentem:

Κἤν με φάγῃς ἔπι ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοι τράγε θυομένῳ.

Lib. 1. Quos verſus Ouidius in Faſtis ſic reddidit:

Rode caper vitem, tamen hinc cùm ſtabis ad aras
In tua quod fundi cornua poſſit, erit.

Vini duplex vſus. Erat autem duplex vini vſus, cùm enim thus flammis inijcebatur, affundebatur etiam thuri vinum, Teſtatur id Ouidius in Metamorphoſi:

Lib. 13. *Thure dato flammis, vinoque in thura profuſo,*
Cæſarumque boum fibris de more crematis,
Regia tecta petunt.

Fundebantur, aut potius aſpergebantur, & fruges in caput victimæ, aut mola ex farre molito, & ſale, vt teſtatur Seruius in declaratione huius Virgiliani;

Aeneid. 12. *Illi ad ſurgentem conuerſi lumina Solem*

Dant

A *Dant fruges manibus salsas.*

Addit tamen cultros eisdem rebus fuisse aspersos, id quod & Salustius testatur, *Et far* (inquit) *quod dicitur mola salsa, qua & frons victimæ & foci aspergebantur & cultri.* Sed & exta eodem lustrabantur, Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. *Ideoq; in sacrificijs mola quæ vocabatur ex farre & sale constat, exta farre sperguntur.* Quoties autem aut thus, aut vinum super victimam fundebatur, dicebant, inquit Gyraldus, *Mactus est taurus, thure, vel vino,* hoc est, cumulata est hostia, & magis aucta; id *Lib. 10.*
quod & Isidorus scriptum reliquit; Quæ tamen ad victimarum probationem proficere, credidisse veteres Alexander ab Alexandro scribit. Probabantur item à consulibus & prætoribus, & ad tubę sonum mactabantur, vt ostendit Cicero in oratione in legem Agrariam in Rullum, dum inquit; *Erant hostiæ maiores in foro constitutæ, quæ ab ijs prætoribus de tribunali, sicut à nobis consulibus de consilij sententia constitutæ, ad præconem & ad tibicinem immolabantur.* Cæterùm quia diuersa sæpe est etiam sacrificantium intentio, diuersisque Dijs sacrificia fiebant, nō mirum etiam si diuersi fuerint ritus sacrificandi, hostiarumq; diuersitas; non arguet lector, si hac in re non satis exacta methodo agamus. Post inspersas fruges, setas inter cornua victimæ manu exceptas tanquam prima *Aeneid. 6.*
B libamina in ignem mittere ostendit Maro, dum canit;

Et summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imposuit sacris libamina prima

Quod tamen sumptum videtur ex Homero,

Αλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλεν *Odyss. 12.*
Αγριόδοντος ὑός

cogebaturque sacerdos ad Orientem se conuertere. Cæsa victima alij vasa, vt sanguinem exciperent, cadenti hostiæ supponebant, in quo sensu Maro; *Aeneid. 6.*

Supponunt alij cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris.

Mox flamen, aut Sacerdos, aut aruspex, si ex ea voluntas Dei exquirebatur, ferreo cultro viscera, & iecinora rimabatur, & an perlitatum foret, explorabat attentè. Apud Galatas autem non aruspex, *Galatarum ritus.*
sed philosophus aderat, sine quo sacrum dijs nullum exhiberi poterat; existimabant enim Diodoro Siculo testante, per diuinæ naturæ conscios, sacra fieri oportere, tanquam dijs propinquiores. *Lib. 6.*
Fuisse autem eum cultrum ferreum, oblongum, eburneo manubrio, æneis clauis ære Cyprio & ca- *Lib. 17.*
C pulo argēteo ornatum, docuit Festus, qui & Secespitam vocari solitum inquit. Rimabantur autem *Secespita.*
cultro viscera, quoniam ea manu tangere vetitum erat, ne qua offensa, pollutis sacris, contraheretur: licet aduersari huic sententiæ videatur Plutarchus, aliter Græcos viscera rimari solitos indicās, dum ait; *Eò cùm ascendisset, sacrisque esset operatus, ab aruspice ad se allata exta vtraque manu ex- In Arato.*
cipiens, Arato, & Demetrio Phario monstrauit. Vtcunque est: hostia tunc perfecta dicebatur. Eam *Hostia perfecta quando dicta.*
sacerdos aris imponens foculo accēso comburebat. Hoc enim in omni sacrificio seruari solet, vt de singulis oblatis, aut Deo immolatis, particulas tanquam libamina, vt holocaustum fieret, in ignem mitterent. quamuis contrarium innuere videatur Virgilius hoc versu: *Aeneid. 6.*

Et solida imponit taurorum viscera flammis:

Vbi Seruius, solida ergò ait, idest holocaustum, quod detractis extis, aræ superimponebantur, quæ omnia abluta, elixa etiam reddebantur, vnde infert,

Fundit ardentibus extis.

Cum autem flammis ea superponebant, mittebant desuper thus & costum: eaque viscera licet nunquam abluta, elixa per se fiebant, vinumque aris postmodum fundebatur, & tum porrici hostia di-
D cebatur, Virgilius id docet: *Aeneid. 6.*

Dij quibus imperium est pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego, candentem in littore taurum *Porricere quid.*
Constituam ante aras voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Vbi tamen Seruius: exta (inquit) porriciuntur, idest, porriguntur, nisi fortè dicamus, ea fluctibus maris offerri, quod si est, proijciam, idest, porrò iaciam, legendum est. Cæterùm non rectè id à Seruio dictum, intelliges ex his quæ postea dicentur: & vt redeam, idem Virgilius allatam explicationém ceu corroborans in eodem libro sic canit:

Ipse caput tonsæ folijs euinctus oliuæ,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, & vina liquentia fundit.

Quo loco Seruius nihil dicit. Macrobius autem illum priorem locum interpretans: *Ex disciplina,* *3. Satur. 2.*
ait, *aruspicum, & ex præcepto pontificum verbum hoc* (videlicet porriciam) *solenne sacrificantibus est,*

sicut

ſicut Veranius ex libro primo Pictoris ita diſſertationem huius verbis executus eſt: Exta porriciunto, dijs danto in altaria, aramuè, focumuè, eouè quò exta dari debebant. Porricere ergò nõ proijcere proprium ſacrificij verbum eſt. Sed his adde Liuium. *Secundum eas preces cruda exta cæſa victima (vt mos eſt) in mare porricit, tubaque ſignum dedit proficiſcendi:* necnon & hoc Plautinum;

Decad. 3. lib. 9.

In Pſeudolo.

Nam ſi ſacrificem ſummo Ioui
Atque in manibus exta teneam, vt porriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potius rem diuinam deſeram.

In Romano martyre.

Sacrificandi ritus apud Romanos.

Prudentius dum ſacrificij ritum delineat, Romanum potiſſimum intelligere vero ſimillimum eſt, & ſenſus ipſe verborum quoque docet.

Reſpondit his Romanus, eccum præſto ſum,
Meus iſte ſanguis verus eſt, non bubulus,
Agnoſcis illum, quem locor miſerrime
Pagane veſtri ſanguinem ſacrum bouis.
Cuius litata cæde permadeſcitis?
Summus ſacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Acta in profundum conſecrandus mergitur,
Mirè infulatus, feſta vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino ſericam fultus togam,
Tabulis ſupernè ſtrata texunt pulpita
Rimoſa rari pegmatis compagibus
Scindunt ſubinde vel terebrant aream,
Crebroq; lignum perforant acumine
Pateat minutis vt frequens hiatibus,
Huc taurus ingens fronte torua, & hiſpida
Sertis reuinctus aut per armos floreis,
Aut impeditis cornibus deducitur.
Nec non & auro frons coruſcat hoſtiæ,
Setaſque fulgor blattealis inficit:
Huc vt ſtatutum eſt immolanda bellua
Pectus ſacrato diuidunt venabulo.
Eructat amplum vulnus vndam ſanguinis
Feruentis, inque texta pontis ſubditi
Fundit vaporum flumen, & latè æſtuat.
Tum per frequentes mille rimarum vias
Illapſus imber tabidum rorem pluit,
Defoſſus intus quem ſacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe ſubiectans caput,
Et veſte & omne putrefactus corpore,
Qui nos ſupinat, obuias offert genas.
Supponit aures, labra, nares obicit,
Oculos & ipſos perluit liquoribus,
Nec iam palato parcit, & linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat,
Procedit inde Pontifex viſu horridus,
Oſtentat udum uerticem, barbam grauem:
Vittas madentes atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagijs
Tabo recentis ſordidum piaculi,
Omnes ſalutant, atque adorant eminus:
Vilis quod eum ſanguis, & bos mortuus
Fœdis latentem ſub cauernis lauerint:
Addamus illam uis hecatomben tuam?
Centena ferro cùm cadunt animalia,
Variaque abundans cæde reſtagnat cruor,
Vix ut cruentis augures natatibus
Poſſint meare per profundum ſanguinem.

Sed

A *Sed quid macellum pingue puluinarium?*
Quid maximorum lancinatores gregum?
Euiscerata carne crudos criminor,
Sunt sacra, quando nosmetipsi exciditis.
Votiuus & cum membra detruncat dolor
Cultrum in lacertos exerit fanaricus,
Sectisque matrem brachijs placat deam,
Furere, & rotare, ius putatur mysticum.

Vt verò iam prosequamur; Dij non apud omnes nationes hostiarum erant participes. Persæ enim vt Strabo testatur, ex immolata victima nihil prorsus eis adolent, sola anima Deos contentos esse rati. *Cum uerò Magus* (inquit) *qui sacrificio præest, membratim carnes in quemque diuiserit, abeunt, nulla parte dijs relicta. Dicunt enim Deum nihil uelle præter hostiæ animam.* E contrario Græci ex cæsa victima nonnunquam capite & ventre excepto, cætera dabant dijs, linguas verò præconibus, vt annotauit Gyraldus. B Iidem femora hostiarum in duo frusta concisa igni subijciebant, vt ex his holocaustum fieret, visceribusque super prunas assas pro ientaculo mox carnibus veru decoctis discumbentes vescebantur. Licebatque ex legis præscripto portiunculam ad domesticos afferre, & amicis partes victimarum impartiri. Extraneos autem ad sacra adhibere fas non erat. Crura boum concremasse, clarissimè docet Homerus, apud quem nimirum Iupiter ait:

Lib. 15.
Dij vbi sola anima hostiarum cõtenti.

Εμον δ' ὀλοφύρεται ἦτορ
Ἕκτορος, ὅς μοι πόλλα βοῶν ἐπὶ μηρί' ἔκηεν, idest,
Meum autem angitur cor
Ob Hectorem, qui mihi multa boum femora adoleuit.

Iliad. X.

Sed & Apollo apud eundem Homerum, Deos ingratitudinis accusat, impiosque vocat, propterea quod Hectorem nollent suis restitui, cùm tamen vobis (ait) crura boum sæpius cremarit, perfectarumque caprarum.

Iliad. Ω.

Σχέτλιοι ἐστε θεοί δηλήμονες, οὐ νύ ποθ' ὑμῖν
Ἕκτωρ μηρί' ἔκηε βοῶν, αἰγῶν τε τελείων, idest,
Improbi estis Dij, noxij; nonne quondam uobis
Hector crura cremauit boum, caprarumque perfectarum.

C Apud eundem poetam sacra facturus sacerdos, Deum precatur manibus erectis: Victimæ ad aram sunt, ministri lotis manibus οὐλοχύτας tenent, hordeum scilicet sale conspersum, quod in omnibus sacrificijs adhibuisse Græcos constat, vt molam Romanos, farre, sale & aqua. Primas enim fruges, hordeum Græci, far Romani esse credebant. οὐλοχύτας fusis precibus hostiæ inijciebat sacerdos, mactabatq; detracto corio, femora amputata ministri componebãt, quibus sparso vino ignem adhibebat sacerdos, dijsque adurebat viscera supra prunas pro ientaculo assa parabantur, reliqua membra concisa torrebantur verubus, eaque comedebant sacerdotes qui sacrificio intererant, poculis coronatis bibentes, & Dei laudes canentes. Quintus Calaber Homeri simia etiam scribit Græcos incensa vrbe Troia multa boum femora lignis superposita cremasse. Sed & Pausanias tradit, de statua Phrixi, arietem, à quo est in Colchos delatus, immolantis loquens, succisa Phrixum Græco ritu femora dum torrentur, intueri. Apud Lacedæmonios autem in publica visceratione primi reges erãt, quibus duplum quàm cæteris dabatur. Delphis verò assuetum erat, vt immolantes victima cæteris exclusis vescerentur, vt meminit Plutarchus: Contrà in sacris Hecatæ ei qui sacrum faciebat, de sacrificio vesci non permittebatur. Apponebantur exta assa semper heroicis illis temporibus, quibus nimirum elixorum adhuc non erat vsus: quo sensu etiam Seruius enarrat illud Virgilij:

Lib. 14.
In Symposiacis.

D

Pars in frusta secant, uerubusq; trementia figunt.

Lib. 1. Aen.

Apud Romanos verò boues etiam fuisse elixatos manifestè satis memorat Liuius, vbi sic ait: *Et exposuit patribus conscriptis, bouis sescenaris, quem immolauisset, iecur defluxisse: id se uictimario nuncianti parum credentem, ipsam aquam effundi ex olla, ubi exta coquerentur, iussisse, &c.* Sed & arietis exta non veru cocta, sed elixa in olla apponebant, quoniam aliter ritu præpostero sacrum fiebat. Fuere verò etiam apud quos extorum nullus erat vsus, Thissetę enim Asiæ populi & Argini, vt Gyraldus refert, ossa tantùm victimarum in ignem mittebant, ipsi autem vescebãtur carnibus. At Lusitani ex hostijs immolatis nihil planè concidebant, sed exta perspiciebant, itaque diuinabant. Rursus sacerdotes Aegyptij immolata victima, caput abscindebant, idque diris carmininus execrati, in flumen deijciebant, (cum precatione solenni, vt si quid aduersi casurum foret, in caput illud redundaret,) nisi Græcum inuenirent negociatorem, qui id mercaretur, quemadmodum memoriæ prodidit Herodotus his verbis: *Pecude quæ obsignata est ad aram, vbi immolabatur, adducta,*

Boues vbi tosti, & vbi elixi.
Dec 5. lib. 1
Arietis exta vt coquerentur.
Aegyptiorũ immolandi ritus.
Lib. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

cta, pyram incendunt, deinde ſupra pecudem libato contra templum vino ac Deo inuocato eam mactãt, mactatæ caput aſportant in forum ſi nundinæ ſint & Græci negociatores adfuerint illis vendunt quiſi non adfuerint, in flumen abijciunt. Execrantur autem capita in hæc verba, ſi quid mali aut ipſis immolantibus aut vniuerſæ Aegypto futurum ſit, id in caput hoc conuertatur. Eodem porro ritu circa capita pecudum immolandorum, & vini libamina, omnes pariter Aegyptij in omnibus templis vtuntur. Atque ex hoc ritu fit quod nemo Aegyptiorum de capite illius animalis deguſtet. Addit idem author eſſe tamen ſacrorum delectum, & alium apud alia templa adolendi modum ab eis inſtitutum, de quo mox rurſus ex eodem ſcribemus. Illud modo obiter dixiſſe abſonum non erit & à noſtro inſtituto alienũm, immolata iam victima, ſi non litatum eſſet, alias denuo augeri, iterum ac ſæpius, & maioribus hoſtijs ſacra inſtaurari ſolita, donec inuenta tandem pace Deorum ac propitiato numine, ritè perlitatum exiſtimarent. Ad quem ritum, vt credit Turnebus reſpexit Virgilius in perſona Entelli, qui ait:

Sacrificiorũ repetitio. *Lib. 14. aduerſ. cap. 4.* *Lib. 10.*

Hanc tibi meliorem animam pro morte Daretis
Perſoluo.

Lib. 12. Ita & aliàs idem (inquit) poeta:

Hoc habet hæc melior magnis data victima diuis.

Lib. 20. cap. 24. Quo & prouerbium Græcum pertinet, δευτέρων ἀμεινόνων. Aliter tamen alibi idem Turnebus poetam exponit. Ex comparatione Græcorum (inquit) melius aliquanto hic locus intelligitur. Cùm enim Daretem tanquam hoſtiam ſacris vouiſſet, & interficere decreuiſſet, proinde quaſi ea hoſtia grata non eſſet heroi futura, nec litatura, ſuccedaneam ſeſe meliorem dare demonſtrat. Nam in ſacris ſuccedaneis Græci per euphemiſmum δευτέρων ἀμεινόνων dicere ſolebant. Diuerſas modò ob cauſas ſacrificabant gentes, ſed potiſſimum, vt Deos placarent. Quæcunque autem hoſtiæ placandorum eorum cauſa aris inferebantur, dona vocabantur, aut munera. Virgilius:

Sacrificandi cauſæ. *Georg. 4.*

Tu munera ſupplex.

Aeneid. 1. Idem alibi:

Pingues centum cum matribus agnas
Munera lætitiamque Dei.

Lib. 2. de legib. Cicero: *Impius ne audeto placare donis iram deorum.* Plautus in prologo Rudentis: *Iouem ſe placare poſſe donis, hoſtijs:*

Aeneid. 11. Virgilius rurſus:

Dona ferunt, onerantque aras, mactantque iuuencos.

Lib. 10. Et rurſus:

Ipſe tibi ad tua templa feram ſolemnia dona.

3. de Arte. Huc item pertinet hoc Ouidij:

Munera crede mihi placant homineſque deoſque
Placatur donis Iupiter ipſe datis.

Ad deos placandos. *Aeneid. 3.* Ad deorum autem placationem hoſtias fuiſſe mactatas, habemus in primis apud eundem Virgilium, vbi de Aeneæ nauigatione in Italiam loquitur:

Hic Helenus cæſis primum de more iuuencis
Exorat pacem diuum, uittaſque reſoluit
Sacrati capitis.

Deus nõ omni ſacrificio placatur. *Act. 5.* *Aeneid. 4.* Non ſemper tamen gratum erat dijs ſacrificium, nec in omni ſacrificio placabantur. Sic Hecuba apud Euripidem fruſtra boues a Troiadibus immolatos ait. Phocylides verò etiam ſummoperè errare eos oſtendit, qui mactatis bobus, deos beneuolos propitioſque fore ſibi perſuadent. Sacrificabant itidem, cum deorum implorarent auxilia, ſic Cloanthus vt Mneſteum nauali ſuperaret certamine, taurum dijs marinis vouet apud Virgilium:

Et fors æquatis cepiſſent præmia roſtris,
Ni palmas ponto tendens vtraſque Cloanthus,
Fudiſſetque preces, diuoſque in vota vocaſſet.
Dij, quibus, imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Conſtituam ante aras, voti reus: extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit; eumque imis ſub fluctibus audijt omnis
Nereidum Phorcique chorus, Panapæaque virgo:
Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Quod autem dicit, se hilari animo taurum ex voto oblaturum dijs, sciendum, respexisse ad id, quod vota lætissimis animis soluebant. Tibullus;

Cum debita reddet,
Certatim sanctis lætus vterq; focis.

Apud eundem Virgilium Ascanius Iouis auxilium imploraturus, candidum iuuencum vouet: *Aeneid.9.*

Talia iactantem dictis, ac dita canentem
Non tulit Ascanius, neruoque obuersus equino
Contendit telum: diuersaque brachia ducens,
Constitit ante Iouem, supplex per vota precatus.
Iupiter omnipotens audacibus annue cœptis.
Ipse sibi ad tua templa feram solemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum
Candentem pariterque caput cum matre ferentem:
B *Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.*
Audijt & cœli genitor de parte serena
Intonuit læuum.

Inuenio item mactato tauro sanguinem contigisse, cùm quid magnum ac egregium se præstituros iuramento astringerēt. Aeschylus enim de septem Argiuorum ducibus Polynicem ab Eteocle fratre Thebis pulsum reducturis sic scribit: *Sanguis mactatæ hostię contactus et cur.*

Ἄνδρες γὰρ ἑπτὰ θούριοι λοχαγέται,
Ταυροσφαγοῦντες εἰς μελάνδετον σάκος
Καὶ θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου,
Ἄρη, καὶ ἐνυώ, καὶ φιλαίματον φόβον
Ὡρκομόθησαν, ἢ πόλει κατασκαφὰς
Θέντες, λαπάξειν ἄστυ καδμείων βίᾳ,
Ἢ γῆν θανόντες πρόσθε φυράσειν φόνῳ. idest,

Viri septem feroces ductores cohortium
Taurum mactantes in scutum ferro compactum
C *Et attingentes manu bouinum sanguinem,*
Martem & Bellonam & sanguine gaudentem Metum
Sanctè iurarunt, aut vrbe euersa perdituros se Oppidum Cadmeorum vi,
Aut terram mortuos prius commixturos sanguine.

Quotiescunque autem etiam oracula consulere volebant, victimas prius immolabant, vt suprà ex Plutarchi volumine de oraculorum defectu recitauimus. Diomedes apud Homerum, Troianorū castra speculaturus, inuocat Mineruam, pollicéturque se ei immolaturum bouem indomitam, & cornua inauraturum. *Iliad.K.* Druidæ viscum collecturi, duos candidos tauros mactant, vt testatur Plinius his verbis: *Nihil habent Druidæ (sic Galli suos appellant Magos) visco, & arbore, in qua gignantur (si modo sit robur) sacratius. Iam per se roborum eligunt lucos: nec vlla sacra sine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri. Enimuerò quicquid adnascatur illis, è cælo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inuentu & repertum magna religione petitur: & ante omnia sexta luna, quæ principia mensium, annorumque his facit, & seculi post tricesimum annum, quia iam virium abundè habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem appellantes hoc vocabulo, sacrificijs epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admo-* D *uent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit. Falce aurea demetit. Candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant, precantes vt suum donum Deus prosperum faciat his quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuique animali sterili arbitrantur: contraque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerumque religio est.* *Druidarū in colligēdo visco ceremonia.* Hactenus Plinius. Cùm verò amicis suis periculum quoddam immineret, & cum id euaserant, dijs similiter sacrificabant, quod non obscurè ostendit Iuuenalis, vbi ad Coruinum scribens ait se pro salute amici sui Catulli, qui grauī maris agitatus tempestate, periculum omnino euaserat, vota dijs esse persoluturum: *Ad euitandum periculum.* *Saty.12.*

Natali Coruine die mihi dulcior hæc lux,
Qua festus promissa deis animalia cespes
Expectat, niueam reginæ cædimus agnam.
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem
Tarpeio seruata Ioui, frontemque coruscat

Quippe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Quippe ferox vitulus templis maturus & aræ
Spargendusque mero, quem iam pudet vbera matris
Ducere, qui vexat naſcenti robora cornu.
Si res ampla domi, ſimiliſque affectibus eſſet,
Pinguior Hiſpulla traheretur taurus, & ipſa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Læta, ſed oſtendens Clitumni paſcua ſanguis
Iret, & à grandi ceruix ferienda miniſtro
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque paſſi
Nuper, & incolumem ſeſe mirantis amici.

Quidam etiam benefactoribus, vt Pyrrhias apud Plutarchum. Quis eſt, inquit, qui bouem benefactori immolauit? Apud Ithacam in ſtatione erat nauis piratica, in eaque ſenex cum teſtis picem cõtinentibus. Ad hanc fortè fortuna portitor appulit Ithacenſis, nomine Pyrrhias, qui ſenem nullius ſui commodi cauſa, ſed precibus ac miſeratione illius inductus redemit, cadorum etiam nonnullis hortatu eius emptis. Poſtquam diſceſſu prædonum data eſt licentia, ſenex Pyrrhiam ad fictilia iſta adduxit, oſtenditq; multum auri argentique pici permixtum: ita Pyrrhias ſubitò ditatus, cùm alijs officijs ſenem coluit, tum bouem ei immolauit. Hinc prouerbio dicunt: Nemo bene merito bouem immolauit præter Pyrrhiam. Polluci, & Caſtori ſacrificabant, poſt iter feliciter perfectum. Horatius Lib. 1. Carm. Od. 36.

Et thure & fodibus iuuat
Placare, & vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidæ deos
Qui nunc Heſperia ſoſpes ab vltima &c.

In agrorũ luſtrationibus. Iam verò & in agrorum luſtrationibus, hoſtiæ cædebantur, vt indicat Virgilius hoc verſu:

Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito. ideſt,

Egl. 3. cum faciam rem diuinam, non aue, non capra, ſed vitula: tanquam dicat, cùm vitulam pro frugibus ſacrificauero, quod eſt, cum vitula rem diuinam fecero. Adhæc vt pecus eſſet fœcundum & ex *Ad impetrãdas diuitias.* fœcunditate diteſcerent, quam ſtolidam petitionem ridet Perſius, dum canit:

Poſcis opem neruis, corpuſque fidele ſenectæ
Iſto age, ſed grandes patinæ, tucetaque craſſa
Annuere his ſuperos vetuere, Iouemque morantur,
Remſtruere exoptas cæſo boue, Mercuriumque
Accerſis fibra, da fortunare Penates,
Da pecus & gregibus fœtum: quo peſſime pacto
Tot tibi cum in flammas iunicum omenta liqueſcant?
Attamen hic extis & opimo vincere ferto
Intendit, iam creſcit ager, iam creſcit ouile,
Iam dabitur, iam iam, donec deceptus, & expes
Nequicquam fundo ſuſpiret nummus in imo

In timore. Inopinato aliquo timore perculſos, Deos tanquam placaturos, hoſtias mactaſſe Boeti exemplo diſcimus, qui nimirum ſenex Iouem, Neptunum & Mercurium deos eſſe diſſimulantes conuiuio excepturus, cùm Neptunus ex hauſto primo poculo, iuberet vt alterum præberet Ioui, & ipſe Iouis nomine exaudito expaueſceret,

Vtque animo redijt, cultorem pauperis agri
Immolat & magno torret in igne bouem

Faſt. 5. inquit Ouidius. Vbi notandum bouem agricultorem immolari dijs, quod alias non licebat, vt ſuprà dictum eſt, hic autem licet, quia alius, quem cæderet Boetus, non erat. Sacrificabant etiam non- *Lib. 1. epiſt. 16.* nulli, vt boni probique haberentur, quod non obſcurè indicat Horatius, dum ait:

Probitas ſimulata.

Vir bonus, omne forum quem ſpectat & omne tribunal,
Quandocunque deos vel porco, vel boue placet:
Iane pater clarè, clarè cum dixit Apollo:
Labra mouet, metuens audiri, pulchra Lauerna
Da mihi fallere, da iuſto ſanctoque videri
Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem.

Prædæ pars dijs dabatur. Romanis, vt ait Seruius, mos fuit, vt bella geſturi, de parte prædæ aliquid numinibus pollicerentur, adeò vt Romæ fuerit vnum templum Iouis prædatoris, non quòd prædæ præeſſet, ſed quod ei *Aeneid. 3.* aliquid ex præda deberetur. Apparet itaq; huc reſpexiſſe Virgilium, dum canit:

Huc

A

Huc vbi delati, portus intrauimus, ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus nullo custode per herbam:
Irruimus ferro, & diuos, ipsumque vocamus
In prædam partemque Iouem: tunc littore curuo
Extruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.

De præda item dijs immolabant, & partes etiam ijs interdum suspendebant de tholo & consecrabant, vt Dianæ aprorum capita & ceruorum. Hinc illud eiusdem poetæ: *Egl. 7.*

Setosi caput hoc apri tibi Delia paruus
Et ramosa Micon viuacis cornua cerui.

Et rursus:

Si qua ipse meis venatibus auxi
Suspendiuè tholo, aut sacra ad vestigia fixi.

Sed & in pompa Romani triumphi, secundum tibicines, qui modos triumphales faciebant, ibant boues albi, cornibus inauratis, vittis & sertis reuincti ad sacrificia Ioui Capitolino. Iuuenalis: *Triumphalium sacrificium.*

B

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum *Saty. 10.*
Cretatumque bouem. Martialis: *Lib. 14. epig. 4.*
Cæde iuuencorum domini calet area felix
Quintuplici cera cum datur altus honos.

Quintuplex cera siue quintuplices tabellæ dicebantur à numero quinque foliorum, cùm alijs pugillares leuioribus rebus essent dedicati. His triumphus decretus nunciabatur Imperatori, aut consuli: quem nimirum morem distichon id indicat. Meminere istiusmodi sacrificij passim poetæ cæteri. Horatius: *Cera quintuplex quid.*

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus & intactas boues *In Epodo.*

Et rursus in carmine sæculari ad Apollinem & Dianam, de Roma.

Quæque vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisæ Venerisque sanguis
Impetret bellante prior, iacentem
Leuis in hostem.

C

Huc spectat illud etiam Virgilij:

Ad delubra iuuat, cæsosque videre iuuencos *Georg. 3.*

Nec non & hoc, de triumphis Augusti:

At Cæsar triplici inuectus Romana triumpho *Aeneid. 10.*
Mœnia, Dijs Italis votum immortale sacrabat,
Maxima tercentum totam delubra per vrbem
Lætitia, ludisque viæ, plausuque fremebant.
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi strauere iuuenci.

Ouidius:

Nunc pro Cæsaribus superis decernere grates
Albaue opimorum colla ferire boum.

D

Et rursus:

Deque triumphato viscera tosta boue.

Celebrantur autem in hac pompa boues, qui ex Clitumni aqua epota albi euaserant. Idem id testatur poeta: *Georg. 2.*

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa deos duxere triumphos.

Idem quoque indicat Ouidius:

Colla boues niueos certæ præbere securi, *4. de Ponto.*
Quos aluit campis herba Falisca suis.

Sic & Iuuenalis: *Sat. 12.*

Pinguior Hispulla traheretur taurus, & ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & a grandi ceruix ferienda magistro.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Apertiſſimè Claudianus in conſulatu ſexto Honorij: E

In quibus victorijs boues immolati.

> *Quin & Clitumni ſacras victoribus vndas*
> *Candida quæ Latys præbent armenta triumphis*
> *Viſere cura fuit.*

Lib. 12. de re milit. c. 2.

Ouatio vnde dicta.

Notandum verò iſtiuſmodi ſacrificijs boues immolatos ſacratoſq; fuiſſe, non in vulgaribus triumphis, ſed in magnis duntaxat: vt oſtendit Robertus Vulturius his verbis: Illud quoque nec prætermittendum, triumphi genus ab ouatione, hoc eſt, clamore Bacchico, ſicuti multi putauere, ouationem appellari, tametſi ouantes illam canenteſque tranſmittent, vt Plutarchus inquit, at quum milites in magno triumpho, & plena victoria bouem, in hoc immolare ouem conſueuerunt, vnde huic triumphi generi nomen extat: vtque qui de pugna venientes cum multitudine obuiam ad numina minora ibant, & ibi fugatis hoſtibus oues dijs immolabant, ouantes dicebantur, ſic & ouatio propriè minor triumphus, & qui ouationem meretur, & vno equo vtitur, & à plebeis, vel equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, & de ouibus ſacrificat, vnde &, vt dictum eſt, ouatio: qui autem triumphat, equis albis vtitur quatuor, & Senatu præeunte in Capitolium de tauris ibi ſacrificat. F Eidem Ioui ſimiliter multos boues albos libenter victor mactabat Marcus Imperator: In quē proinde illud iactabatur, ſanè, perquàm ſalſum & iocoſum: Οἱ λεύκοι βοες Μάρκῳ τῷ Καίσαρι, ἂν σὺ νικήσης, ἡμεῖς ἀπολώμεθα, ideſt, *candidi boues Marco Cæſari, ſi tu viceris, nos perÿmus*. C. Marius victoriæ admodum auidus antequam cum Cimbris pugnam iniret, ſi victoria potiretur, boues ſecentum immolaturum vouiſſe legitur. Dignum autem ac opportunum etiam arbitror, Spartanorum legiſlatorem contemplari, qui aliquanto aliter, ac Romanorum more ſacrificandum inſtituit. Nam cùm Romani, vt dictum eſt, victoria per hoſtium cædes parta, bouem ſacrificare conſueſſent: cùm verò ſine pugna, & ſanguine rerum potiti eſſent, ouem immolare; hi contrà in victoria pacata taurum ſacrificabant: ſi verò pugnando viciſſent, Gallum. Nam etſi bellaciſſimum hominum genus eſſent, & apud omnes haberentur, ampliora tamen magiſq; homine digna, quæ ratione ac prudentia, quàm quæ vi aut fortitudine facta ſint, iudicabant, vti præcitato loco Valturius ſcribit, ex Plutarcho in Laconicis, vbi Marti ſacrificaſſe legimus. Alij tamen Græci etiam bouem mactabant, vt Perſei exemplo Ouidius innuit, qui pro Andromeda cum monſtro illo dimicaturus, inquit;

In Marcum Imp. ſcōma.

Spartanorū in victoria ſacrificium.

Metam. 4.

> *Taurus tibi ſumme deorum,* G

ſubaudi, mactabitur. Et Aiace à cōgreſſu Hectoris reuerſo Agamemnon Ioui bouē ſacrificat quinquennem. Bacchum autem omnium primum bouem ab hoſtibus ereptum ſacrificaſſe, Ouidius ait;

Faſt. 3.

> *Cinnama tu primus, captiuaque thura dediſti*
> *Deque triumphato viſcera toſta boue.*

Lib. 7.

Xerzes autem, teſte Herodoto, aſcenſo Pergamo, loci viſendi cupiditate Mineruæ Iliadi mille boues immolauit, niſi hunc numerum pro magno poſitum ſimpliciter dicamus, quemadmodum & hic apud Virgilium;

Georg. 1.

> *Et cultor nemorum, cui pinguia Cææ*
> *Tercentum niuei tondent dumeta Iuuenci.*

Alludit poeta ad Ariſtæum, qui ſæuiente aliquando in armenta peſtilentia, Ioui multos albos tauros ſacrificauit. Quo nimirum modo idem numerus intelligi debet in hoc Theocriti;

> Ταῖς δὲ τριηκόσιοι ταῦροι συναμ' ἐσιχόωντο.

Sic & Catullus inquit:

> *Quare & Hendecaſyllabos trecentos* H
> *Expecta.* Et rurſus;
> *Veranni, omnibus è meis amicis*
> *Antiſtes mihi millibus trecentis.*

Lib. 5. c. 3.

Clearchi fœdus.

Aeneid. 3.

Alexander ab Alexandro ſcribit vulgò ferri à nonnullis Clearchum Lacedemoniorum ducem cum Barbaris quibuſdam hoc modo fœdus ſanxiſſe, videlicet cæſo Ioui tauro, lupo, apro & ariete, Græci gladios, Barbari lanceas in ſanguine victimarum intingerent. Suidas verò ait; Græci qui cum Cyro aduerſus Perſas aſcenderunt, fœdus percuſſerunt, mactato tauro, lupo, apro & ariete; in clypeum intingentes, Græci enſem, Barbari haſtam iureiurando addito neutros ſe deſerturos, ſed belli fore ſocios. Barbari verò inſuper iurarunt, ſe ſine fraude ducturos eſſe. Præſtaturi item aliquid magni aut egregij, à ſacrificijs exordiebantur, ſic Aeneas ad Thraces delatus apud Virgilium de ſe canit;

> *Sacra Dionçæ matri, diuiſque ferebam*
> *Auſpicibus cæptorum operum, ſuperoque nitentem*
> *Cælicolum regi mactabam in littore taurum.*

Vt quis item ſanitatem recuperaret, victimas dijs ac potiſſimum Ioui etiam immolabant. Audi Mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Martialem de Marone loquentem :

Pro sene sed caro votum Maro fecit amico, — *Ad sanitatem recuperandam. Lib. 12.*
Cui grauis & feruens hemitriteos erat.
Si Stygias æger non esset missus ad vndas
Vt caderet magno victima grata Ioui,
Cœperunt certam medici spondere salutem
Ne votum soluat, nunc Maro vota facit.

Peregrinos cum exciperent hospitio, vt indicat Athenæus, cùm ait: *At quale deceat esse symposium quod externis exhibetur, docuit nos Lyciæ rex, qui Bellerophontem admodum magnificè excepit :* *Lib. 5. c. 1.*

Excipit hospitio peregrinum fortè diebus
Ille nouem, totidemque boues mactauit ad aras.

Callistratus de Tarentinis loquens, Ciuitas (inquit) Tarentinorum, singulis ferè mensibus boues sacrificat, conuiuiaque publica facit, ita vt priuatorum multitudo semper ferè inter pocula versetur. Refertur hoc ab eodem Athenæo, lætitiæ temporibus victimas etiam cæsas fuisse indicante. *In symposiis. Lib. 3.*

B In ludis pariter sæcularibus triduum & trinoctium populus operabatur ad aras Iouis, & Apollinis, quibus mactabatur candidus taurus, & hinc canebatur carmen à pueris matrimis patrimisque: deinde Iunonis, cui iuuenca itidem candida, & hæc quidem interdiu: noctu verò Dianæ, Proserpinæ, Terræ, & Parcarum, quibus furuiæ hostiæ, luminaque accendebantur. Inuenio, & apud eundem Athenæum (ex Arithmetico) Pythagoram mactasse bouem, cùm reperisset, quod trianguli latus, quod recto angulo subtenditur, æquiualeret lineis reliquis triangulum comprehendentibus, adfertque carmen ipsius Arithmetici in eam rem : *Lib. 4. c. 20.* *Lib. 10. c. 3. Pythagoras cur immolarit taurum.*

Inclyta Pythagoræ cum primùm inuenta figura est
Inclyta propter quam victima bos cecidit.

Dicitur autem idem Pythagoras Musis quoque bouem immolasse præter instituta sua, de quibus ex Ouidij Metamorphisi in operis exordio diximus, & Cotta apud Ciceronem, id non credit, quia ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluerit, ne aram sanguine conspergeret. Thales Milesius cum trianguli in circulo inscriptionem inuenisset, Laertio referente, dijs bouem immolauit.

C Cæterùm aliæ quoque immolationis causæ deinceps in singulorum deorum sacrificijs indicabuntur. Plinius de cinnamomo colligendo sic scribit: *Cinnamomum in Aethiopia gignitur, nec metitur, nisi permiserit Deus : Iouem hunc intelligunt aliqui, Assabinum (aliàs Sabin) illi vocant quadraginta quatuor boum, caprarumque & arietum extis impetratur venia cædendi.* Quantoperè autem Iuppiter bouis immolatione gaudeat, indicat Homerus, apud quem nimirum Agamemnon post fugatos ab Hectore Græcos, a Ioue impetrat, vt Græci à fuga se recolligant, quia ei sæpe boum pinguedinem cruraque combussisset. Verba Agamemnonis sunt. *Iliad. θ. Iupiter vt bobus delectetur.*

Ζεῦ πάτερ, ἦρα τιν᾽ ὑπερμένων βασιλήων
Τῇ δ᾽ ἄτῃ ἄασας, καί μιν μέγα κῦδος ἀπηύρας.
Οὐ μὲν δή ποτέ φημι τεὸν περικαλλέα βωμὸν
Νηὶ πολυκλῆϊδι παρελθέμεν ἐνθάδε ἔρρων.
Ἀλλ᾽ ἐπὶ πᾶσι βοῶν δημὸν καὶ μηρί᾽ ἔκηα
Ἱέμενος Τροίην ἐυτείχεον ἐξαλαπάξαι.
Ἀλλὰ Ζεῦ τόδε πέρ μοι ἐπικρήηνον ἐέλδωρ. idest,

D
Iuppiter pater, anne vllum potentium regum
Tali clade afflixisti, & ipsum magna gloria priuasti?
Non tamen vnquam assero tuam perpulchram aram
Naue transtrata præteriisse, cùm huc malo fato venirem,
Sed super omnibus boum pinguedinem & femora combussi.
Desiderans Troiam bene muratam expugnare.
At Iuppiter hoc mihi perfice desiderium
Nos ipsos saltem permitte effugere & euadere.

Pausanias mentione Danai facta, eiusque solij: Ibidem (inquit) Bitonis est statua humeris taurum sustinens, de quo Lycias poeta scripsit, quod cùm sacrificium Argiuo Ioui in Nemeam ducerent, Biton vir admodum robustus, humeris sublatum gestauerit. Atqui taurum Ioui immolari vetitum fuisse aiunt. Euangelus enim apud Macrobium: Et ex his (inquit) quæ nota sunt nobis; Maronem pontificij disciplinam iuris nescisse constabit: quando enim diceret, *In Corynthiacis.*

Cælicolum regi mactabam in littore taurum, *Lib. 3. Sat. cap. 10.*

si taurum huic Deo immolari vetitum? aut didicisset, quid Atteius Capito comprehendit: cuius verba ex libro primo sacrificiorum hæc sunt: *Itaque Ioui tauro, verre, ariete, immolari non licet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Labeo verò libro 68. intulit niſi Neptuno, Apollini, & Marti, taurum non immolari. Adhæc Prætextatus renidens, quibus deorũ immoletur tauro, ſi vis cum Virgilio cõmunicare, ipſe te docebit: E

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Vides in opere poetæ verba Labeonis? Ita vt hoc doctè, ita illud argutè. Nam oſtendit ideo non litatum, ideo ſecutum:

Horrendum dictu, & viſu mirabile monſtrum.

Ergo reſpiciens ad futura, hoſtiam contrariam fecit. Sed & nouerat hunc errorem nõ eſſe inexpiabilem. Atteius enim Capito, quem in acie contra Maronem collocaſti, adiecit hæc verba: Si quis fortè Ioui tauro fecerit, piaculum dato. Committitur ergo res, non quidem expianda, inſolita tamen: & committitur non ignorantia, ſed vt monſtro locum faceret ſecuturo. Hucuſq; Macrobius. Atteio & Labeoni ſubſcribit Seruius, in declaratione huius eiuſdem poetæ verſus:

Aeneid.9. *Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum.*

Conſultè enim hic dictum è Virgilio putat iuuencum, quia Ioui de tauro non immolaretur, niſi triumphi nomine: quod ideo tamen admiſſum (inquit) quia non tantùm Ioui, ſed alijs dijs, qui bello proſunt, ſacrificabant. Idem Seruius ſimiliter ſupra illud præcitatum, F

Cælicolum regi mactabam in littore taurum,

Ioui taurum mactari contra rationem ſacrorum fuiſſe affirmat: Vnde quia illi taurum immolauit, ſtatim ſubſecutum prodigium. Seruij verba hæc ſunt: Contra rationem taurum mactat Ioui, vnde putant ſubſecutum prodigium. Ioui enim iuuencus vbique mactatur, vt

Statuam ante aras aurata fronte iuuencum, Item:

Cornu petat & pedibus quo ſpargat arenam.

Et Iuuenalis:

Qui vexat naſcenti robora cornu.

Lib. 1.c.15. Nam in victimis ætas eſt conſideranda. Seruium ſecutus Natalis Comes in ſua Mythologia, eadem habet; Reprehenditur verò vterque ab aliquibus recentioribus Criticis, inquit Franciſcus

Cap.26. Ferdinandius de Cordoua in didaſcalia multiplici, ſed præcipuè à Martinantonio Delrio in commẽtario Herculis furentis Senecæ, authoritate in primis Virgilij omni exceptione maiori, necnon etiam aliorum non vulgaris notæ poetarum, qui Ioui taurum immolatum, ſeu immolandum dicunt. Ouidius: G

Metam.4. *Dijs tribus ille focos totidem de ceſpite ponit*
Læuum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo,
Ara Iouis media eſt: Mactatur vacca Mineruæ,
Alipedi vitulus, taurus tibi ſumme deorum. Idem:

Faſt. 1. *Immolat ex illis taurum tibi Iuppiter vnum,*

In Herc. furente. Seneca noſter Tragicus;

Tibi Deorum ductor indomiti ferent
Centena tauri colla. Et aliàs:

In Medea. *Primus ſceptriferis colla tonantibus*
Taurus celſa ferat tergore candido.

Ioui quando taurus immoletur. Ferdinandius Seruium ab hac calumnia defenſurus adfert præcitatorum à Macrobio authorum authoritates, quibus vt ſtemus, neceſſe eſſe retur, nec ideo tamen Virgilium, Ouidium & Senecam rituum ignorantiæ damnemus: Dicendumque in mactando Ioui tauro piaculum committi, ſicut & in verre & ariete, niſi cùm triumphi nomine tauro fiebat, (vt Hercules apud Ouidium loco citato, deuicto dicitur feciſſe Caco) tunc enim & ſue quoque fiebat. Homerus: H

Iliad.7. *Mactandumque ſuem Soli, Iouique ſupremo.*

In paruo Hercule. Theocritus etiam:

Atque marem mactare Ioui decet è grege porcum.

Aliàs quia contra ſacrorum ritus immolabatur, ſtatim prodigium, vel maximum aliquod ſequebatur malum.

Cap. 57. Suetonius in Caligula prodigia, quæ eius præceſſerunt necem, enarrans: *Superuenitque illico quidam Caſſius quoque nomine iuſſum ſe ſomnio affirmans immolare taurum Ioui.* Vnde conſultò Virgilium Aeneam induxiſſe Ioui taurum immolantem dubium non eſt, vt ſcilicet monſtro locum faceret ſecuturo, ita aſſeuerante Macrobio: ſimiliter & Ouidium & Senecam conſultò idem feciſſe credendum. Ille enim Perſeum ante nuptias Ioui tauro facientem inducit, vt ingenti prælio, quod in nuptijs deinde commiſſum eſt, ac Phinei, & ſociorum metamorphoſi anſam præberet: hic verò in Hercule furente poſt Alcidis è Tartaro redeuntis ſacrificium, ipſius ſtatim furorem: in Medea poſt Chori promiſſa ſacrificia, Medeæ finxit parricidia: inauſpicatas enim fore nuptias non ritè peragendum ſacrificium oſtendebat: (Ita ibi ſenſere Aſcenſius & Daniel Se-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A necæ interpretes,) minus namq; ritè peracta sacra immane aliquod malum portendebant, quod non obscurè innuit Lucanus, dum Aruntem Thuscum Dijs alijs à Ioue tauro sacrificantem, ac viso in extis maximo portento, sic proclamantem inducit: *Lib. 1.*

Vix fas Superi quæcunque mouetis
Prodere me populis, neque enim tibi summe litaui
Iuppiter hoc sacrum, cæsique in pectore tauri
Inferni venere Dei.

Ac si aruspex dicat: quare talia portendunt fibræ, si nullum piaculum admissum, nec erratum in hostia est? ita namque illum exponit locum egregius Lucani interpres Lambertus Hortensius. Cur autem taurorum sacrificia dedignetur Iuppiter, causam reddit Natalis, quia nimirum furibūdum animal rerum omnium gubernatori, quem cęteris Dijs humaniorem, temperātiorem ac prudentiorem esse decebat, minimè conuenit. Triumphi verò nomine Ioui mactabatur (inquit Seruius) quia non tantum Ioui, sed alijs etiam dijs, qui bello præsunt, sacrificabatur. Aliam ego rationem addo. *Iupiter cur tauros auersetur.*

B Hostiæ dijs duplici de causa censebantur gratæ, vel quia similes, vel quia dissimiles ipsorum qualitatibus & placitis; ita latè referente in Fastis Nasone, necnon & Mureto: Ioui ergo triūphatores taurum immolabant, vel vt hostilis ferociæ & furoris domitori, vel vt forti simul, ac temperato (qualem esse Iouem credidit antiquitas) talem enim per taurum designabant Aegyptij, vt Orus Apollo Niliacus in suis hieroglyphicis testatur, cui ex parte quoque Pierius assentitur. Hæc itaque Ferdinandius, qui tamen omnibus veterum authoritatibus, quos citat Delrius non respondet. Donatus (inquit hic) etiam taurum Iouis sacrificio adhibet, & Iulianus Apostata superstitionis Ethnicæ diligentissimus, quadam ad Libanium epistola scribit, Berrhœæ se in arce more regio taurum immolasse, & Silius Scipionem idem factitasse: *Fast. 1. Lib. 3. Var. cap. 7.*

Cadit ardua taurus
Victima Neptuno, pariter, pariterque Tonanti.

An ergò (inquit) iure id Pontificio priuatis interdictum, regibus deorumque filijs licuit tantum, ijsque omnibus qui superiorem in terris non agnoscebant? suspicor. Mira alias scriptorum dissidentium pugna. Nec illud quidem Iuuenalis patitur subsistere qui priuatis quoque sacrificijs taurum tribuit.

C Sed quid si Satyricum dicam id reprehendere? Haud satis itaque quod illi opinantur, clarum est. Sed esto, quod tauros noluit sibi mactari Iupiter, boues voluit, vt ex antè recitatis passim locis constat. Authorque est Eusebius in Chronicis, Cecropem, qui Atheniensium fuit rex, & primus imperauit, bouem immolantem Iouem appellasse. Author etiam est Procopius, & ex eo Dubrauius à Slauinis syluas & Nymphas coli, & Dæmonas alios, ijsque sacrificia facere & inter sacrificandum vaticinari. Habere præterea lege cautum, à maioribusque traditum, vt inter deorum vnum illum qui sit fulminis fabricator (Hoc autem è cæteris vni tribuitur Ioui,) dominum omniū rerum, ac solum Deum esse credant, illique boues, & hostias eius generis alias mactent. Inuenio autem & alba boum ossa eidem Deo immolata fuisse; eiusque rei rationem adfert Hesiodus in Theogonia, quod ea dolosè mentem Iouis perscrutatus immolasset Prometheus: Inquit autem: *Sat. 12. in principio.*

Ζεὺς δ᾽ ἄφθιτα μήδεα εἰδώς
Γνῶ ῥ᾽ ἐδ᾽ ἠγνοίησε δόλον κάκα δ᾽ ὄσσετο θυμῷ.
Θνητοῖς ἀνθρώποισι, τὰ καὶ τελέεσθαι ἔμελλεν.
Χέρσι δ᾽ ὅγ᾽ ἀμφοτέρῃσιν ἀνείλετο λευκὸν ἄλειφαρ,
D Χώσατο δὲ φρένας, ἀμφὶ χόλος δέ μιν ἵκετο θυμὸν,
Ὡς ἴδεν ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ.
Ἐκ τοῦδ᾽ ἀθανάτοισιν ἐπὶ χθονὶ φῦλ᾽ ἀνθρώπων.
Καίουσ᾽ ὀστέα λευκὰ θυηέντων ἐπὶ βωμῶν. idest,

Iuppiter autem æterna consilia sciens,
Cognouit certè nec ignorauit dolum: mala autem præuidebat animo
Mortalibus hominibus, quæ & perficienda erant.
Manibus verò hic vtrisque sustulit album adipem.
Irascebatur autem mente: ira verò eius occupabat animum,
Vt vidit alba ossa boum, dolosa arte.
Ex illo tempore dijs super terram genus hominum
Adolent ossa alba odoratis in aris.

Neptuno autem cur taurus sacrificaretur, ratio assignata est, frementi scilicet & turbulento Deo, ferox & furibundum animal, cuius insuper mugitu delectari creditur propter maris impetum & vndarum boatum, cui assimilatur. Varinus in ἱερὰκ κλα, taurum Neptuno immolari solitum ait, διὰ τὸ τῆς κατὰ σφοδρότητα κινήσεως πληκτικὸν, ἔτι καὶ διὰ μυκητικὸν, καὶ διὰ τὰς ἐν τῷ ὕδατι καμ- *Neptuno taurus, & qualis immoletur.*

 πάς,

πὰς, δίκλω κέρατων. Phæacum duces naue ſua à Neptuno in ſaxum conuerſa, duodecim ei tauros E
vouent, ſi miſereatur:

Ποσειδάωνι δὲ ταύρȣς
Δώδεκα κεκριμένȣς ἱερεύσομεν, αἴκ' ἐλεήσῃ,
Μηδ' ἡμῖν περίμηκες ὄρος πόλει ἀμφικαλύψῃ. ideſt,
Neptuno autem tauros
Duodecim electos ſacrificemus, ſi miſereatur,
Neque nobis ingentem montem vrbi impoſuerit.

Panionia ſacrificia.

De Panionijs ſacrificijs, quę Neptuno fiebant, Strabo ſic ſcribit. *Cum terræmotus in ſublime pelagus extuliſſet, & ipſam inſtar diluuij abſorpſit, ſimul & Neptuni templum Heliconij, quod & ætate noſtra Iones præcipuis honoribus adorant, ibiq; ſacrificium operantur, quod ab vniuerſis Ionibus factum Panionia vocant. Huius ſacrificij Homerum quidam meminiſſe referunt, cum inquit:*

Αὐτὰρ ὁ τυμὸν ἄϊσθε καὶ ἤρυγεν ὡς ὅτε ταῦρος
Ἤρυγεν ἑλκόμενος ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα. ideſt,
Ille animum ſpirat, ſic ructans taurus, vt olim
Pertrahitur, regis ructans Heliconij ad aras. F

Poetamque Ionica colonia iuniorem eſſe coniectant, qui eius ſacrificij Panionici meminerit, quod in Prienenſium agro Iones communi celebritate Neptuno conficiunt Heliconio, cum & ipſi Priennenſes ab Helice originem duxiſſe ferantur. Itaque huic ſacrificio hominem Priennenſem iuuenili ætate vigentem regem perficiunt, qui rei diuinæ curam ſuſcipiat. Ampliorem enim faciunt coniecturam ob ipſum de tauro dictorum à vate propoſitum. Iones enim tunc ſe facto ſacrificio litare arbitrantur, cùm taurus inter immolandum mugitus emittit. Qui verò contrà ſentiunt, ad Helicen dicta illa ex coniectura transferunt, deq; tauro & de ipſius immolatione, perinde ac eo in loco talis conſuetudo verſetur. Hæc Strabo. Immolabantur autem Neptuno tauri nigri. Homerus,

Iones quando litare ſe putent.

Odyſſ. Γ.

Τοὶ δ' ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον
Ταύρȣς παμμέλανας ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ
Ἐννέα δ' ἕδραι ἔσαν πεντηκόσιοι δ' ἐν ἑκάσῃ
Εἵατο, καὶ προὔχοντο ἑκάσοθι ἐννέα ταύρȣς.
Ἔνθ' οἱ σπλάγχν' ἐπάσαντο, θεῷ δ' ἐπὶ μηρία καῖον. G
Hi autem in littore maris ſacra faciebant
Tauros totos nigros Neptuno cæruleo capillitio.
Nouem autem ſedes erant, quingenti autem in vnaquaque
Sedebant, & ante habebant in vnaquaq; nouem tauros,
Tunc hi inteſtina comedebant. Deo autem ilia comburebant.

Tauri nigri cur ſacrificarētur Neptuno.

Cuius rei cauſam aſſignare videtur Homeri Scholiaſtes & interpres, quia ſcilicet huiuſmodi color eſt, qui prouenit ex profunditate maris, ſed verba eius more noſtro aſcribam: Ταύρȣς μὲν διὰ τὸ βίαιον τῆς θάλασσης. μέλανας δὲ διὰ τὴν χρόαν τȣ̃ ὕδατος τὴν ἐκ τȣ̃ βάθȣς, ideſt, *Tauros quidem ob maris violentiam, nigros uerò propter eum, qui ex profunditate fit aquæ colorem.* Idem ferè ſcribit Phurnutus. Atram autem, nigram, obſcuramuè maris aquam dicere, mos vbique eſt, vnde etiam aquilam ab aquæ colore, quippe fuſco, dictam volunt, deumque ipſum cærulicomum & cæruleo indumento veſtitum paſſim inuenimus. In Pindaro verò Neptuno tauri ἀργᾶντες ſacrificabantur, ideſt, albi, quod quidem fieri poteſt, inquit Varinus διὰ τῆς πολεὰν ἅλα, propter canum maris colorem, ſed veteres ἀργᾶντες intelligunt albos pinguedine, vt contrà quædam pinguia pro albis dicuntur, qualia ſunt κρήδεμνα λιπαρὰ, τὰ λευκὰ καὶ λεῖα. H Gyraldus ταῦρον ἀργὸν (fortè ἀργᾶντα, vt ex Varino citauimus) in Pindaro in Olympijs, à quibuſdam album interpretari cùm dixiſſet, propter maris ſpumam, ab alijs verò non album, ſed florentem ſeu nitentem, aut procerum; ego, inquit, velocem expono; nam ſic canes cognominatos videmus. Vtcunque eſt, Deo illi pectus præualidum, armiq; taurorum in morem carnoſiores attribuuntur. Hinc in Syracuſanorum quodam numo latum conſpicias portum, in cuius medio ea membrorum habitudine taurus procumbit. Idem Pindarus in Nemeis in laudem Alcimedis Aeginetæ, Ἐν Ἀμφικτυόνων ταυροφόνῳ τριετηρίδι Τίμασε Ποσειδάνιον ἂν τέμενος. Quo loco interpres taurophonon trienteridem exponit, in quo tauri Neptuno ferirentur. Repetebant autem Iſthmiorum certamen tertio quoque anno. In maritimis autem ſacrificijs exta in fluctus iactabantur, vt ex Virgilio oſtenſum eſt, & ex hoc Silij Italici quoq; innoteſcit:

Sacrificia maritima.

Cui numen pelagi placauerat hoſtia taurus,
Iactaque cęruleis innabant fluctibus exta.

Lib. 1.

Apud Athenæum, vbi ait: Neſtor ob ſuauiſſimos & cariſſimos liberos in maris littore Neptuno boues immolat, cùm rex eſſet & multos haberet, qui ſuis iuſſis obtemperarent. Sanctiſſimum enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A dijsque gratissimum sacrificium est, quod pro domesticis viris & erga nos beneuolis peragitur; boū nomine tauros intelligo. Aliquot etiam Græci Neptuno de cruribus taurorum rem sacram faciebant. Vlysses ariete, apro & tauro litauit. Non solùm enim tauros, sed alias etiam quandoque victimas ei immolabant: etsi tauro præcipuè delectaretur, vnde ταῦρος, vel ταυρειος siue vt Suidas scribit, ταύριος, Hesychio Neptunus exponitur, & ταυρια festum Neptuni. Apud Hesiodum in scuto vbi ait: καὶ ταύρεος ἐννοσίγαιος, Scholiastes addit, ταυρεος Neptuni epitheton esse Bœeticè, quod ei deo tauri mactabantur in Helicone, vel vt alij dicunt in Onchesto, idque vel propter vndarum fluctuumque sonitum: vel vt alij, quia Neptunus taurina inducebatur galea, ex quo etiam ταυρόκρανος, idest, tauriceps dictus est. Inuenio & apud Athenæum (ex quo id quoq; transcripsit Cælius dissimulato authoris nomine,) qui potus ministerio præficiuntur, dici quidem œnochoos solere; in Neptuni verò festo (apud Ephesios scilicet) tauros appellatos. Porrò vt Neptuno tauros, ita eadem ratione fluuijs eosdem immolabant: præcipuè autem Alpheo taurum legimus immolatum. Homerus de Nestore loquens:

Fluuijs cur tauri immolati.

Iliad. Λ.

B Ἔνδιοι ἱκόμεσθ' ἱερόν ῥόον Ἀλφειοῖο,
Ἔνθα Διῒ ῥέξαντες ὑπερμενέϊ ἱερὰ καλὰ,
Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι,
Αὐτὰρ Ἀθηνάιῃ γλαυκώπιδι βοῦν ἀγελαίην. idest,
Sub meridiem peruenimus ad sacrum fluxum Alphei,
Ibi Ioui cum fecissemus potenti sacra pulchra,
Taurumque Apheo, taurumque Neptuno,
Sed Mineruæ glaucos oculos habenti iuuencam gregalem.

Eustathius rationem reddit: οἱ δὲ παιοὶ λέγουσιν οὕτω συντόμως, ὡς οἰκεῖος ὁ ταῦρος ποταμίῳ ῥεύματι τά τε ἄλλα, καὶ ὅτι βιαιός ἐστι τοῖς κέρασιν ἀναβάλλων τὴν γῆν. ἐξ οὗ καὶ ταυρηδὸν ἐπίῤῥημα παρὰ τῷ κωμικῷ ἀντὶ τοῦ ἀγρίως, &c. Nos verò etiam suprà scripsimus fluuios plerumque effingi κερασφόρους καὶ ταυρωπας, ex vndarum violento impetu, qui mugitibus assimile quiddam insonet. Nam & de Scamandro ait Homerus, ἤϋγενης ὡς ὅτε ταῦρος. Quatuor igitur ferè causæ, quòd vbi se in mare exonerant, remugiunt: altera quòd boum instar sulcant proscinduntque tellurem; tertia quoniam pascua circa ripas esse solent: postrema quoniam curuis ambagibus cornua imitantur. Quin & eadem ratione Neptunus appellatur mycetas. Taurinæ vero formæ illius rationem promit Sophoclis interpres, C quòd veluti boues flumina terram proscindant, vel quòd fluuijs ferè adiacent pascua. Sed nequis solos Græcos tauros fluminibus sacrificasse putet, audiat is Philostratum de Indo fluuio loquentem. *Audiuisse etiam se ab Indis tradunt regem ad flumen accedere, cum augeri dies incipiunt, & illic equos, nigrosque tauros flumini tanquam Deo sacrificare. Indi namque nigrum albo preferunt propter colorem, vt arbitror: peracto autem sacrificio dicunt ipsum in flumine demergere aureum modium illi similem, quo ipsi frumenta metiuntur. Cur uerò id rex faciat, nihil certè sciunt. Opinantur autem mensuram illam demergi propter fructuum abundantiam, quorum plerosque agricolæ modijs metiuntur: aut propter aquarum moderationem, ne terras inundent.* Mactabantur item tauri Apollini, Virgilius:

Lib. 2. c. 9.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo

Chryses apud Homerum ob recuperatam filiam, & vt Apollo iram remitteret, pestilentiamque quam ob eius raptum Græcis immiserat, Apollini hecatombem sacrificat. Est autem hecatombe apud Varinum, non quoduis sed sumptuosum sacrificium, & propriè quòd bobus centum constat: impropriè verò hecatombe dicitur etiam de alijs animalibus siue pecoribus præter bouem: interim D tamen tanquam per excellentiam solis bobus constaret, nomen retinuit. Numerus quoque centenarius pro multitudine simpliciter ponitur. Eodem Varino annotante Iunius mensis hecatombœon vocatus inde est, eò quod plurimæ in eo hecatombæ fierent. Erat autem hic mensis apud Athenienses Apollini siue Soli sacer, cuius quia tunc magnus sit cursus, inde tempori factum nomen quando numerus ἑκατον, vt ait Cælius, signare magnitudinem aduertitur plerumque. Gyraldus ait esse qui putent, primum Græcorum mensem hecatombœona vocatum ab Ioue. Sed hoc nomine Apollo nuncupatus est ab Atheniensibus, alijque mensem ipsum libentius Apollini attribuunt. Idem alibi hunc mensem à Lacedæmonijs sic appellatum scribit: aitque hoc sacrum fuisse interdum centum boum, sed & ouium interdum, caprarum & Suum. Esse etiam qui centum pedum victimarum dixerint; quosdam item non à victimarum numero, sed quòd centum Pelopōnesi vrbes, id sacrum facerent, dici voluerunt. Hesychius ab hecatombœo Apolline Athenis dicto hecatombœa celebritatem & certamen nominata docet. Hecatombe (ait Iulius Capitolinus) tale sacrificium est: Centum aræ vno in loco cespitiæ extruuntur, & ad eas centum sues, centum oues mactantur. Nam si imperatorium sacrificium sit, centum leones (vel vt alij legunt) oues, quod pa-

Iliad. A.

Apollinis sacrificia.

Hecatombe quid.

Hecatombœon mēsis.

Hecatombe quale sacrificium.

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

rum mihi placet, inquit Gyraldus,) centum aquilæ & cætera huiuſmodi animalia centena ferun- E
tur. Quod quidem & Græci quondam feciſſe dicuntur, cùm peſtilentia laborarent, & à multis Imperatoribus id celebratum conſtat. De ouibus autem etiam dici Homeri conſtat hoc teſtimonio:

Ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην.

Etymologus ait hecatombem aliquibus perfectum ſacrificium interpretari, ſiue à centum bubus, ſiue à centum pecoribus, ideſt (inquit) viginti quinque animalibus. Apparet autem legendum eſſe, ſiue à centum pedibus pecorum vigintiquinque. Homeri de hecatombe quam Chryſes ſacerdos immolauit, verſus ſunt.

Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' εὔξαντο, καὶ οὐλοχύτας προβάλοντο,
Αὐέρυσαν μὲν πρῶτα, καὶ ἔσφαξαν, καὶ ἔδειραν,
Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν.
Δίπτυχα ποιήσαντες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν,
Καῖε δ' ἐπὶ σχίζῃς ὁ γέρων, ἐπὶ δ' αἴθοπα οἶνον
Λεῖβε. νέοι δὲ παρ' αὐτὸν ἔχον πεμπώβολα χερσίν. F
Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη, καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο.
Μίστυλλόν τ' ἄρα τἄλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν,
Ὤπτησάν τε περιφραδέως, ἐρύσαντό τε πάντα
Αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο πόνου, τετύκοντό τε δαῖτα
Δαίνυντ', οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης.
Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο,
Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.
Νώμησαν δ' ἄρα πᾶσιν, ἐπαρξάμενοι δεπάεσσιν.
Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο,
Καλὸν ἀείδοντες Παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν. ideſt,
Sed poſtquam precati ſunt, & fruges ſalſas proiecerunt,
Retrotraxerunt quidem primum & iugularunt & excoriarunt,
Coxaſque ſecuerunt, aruinaque cooperuerunt
Duplicata facientes, ſuper ipſis autem cruda poſuerunt: G
Adolebat autem in aſſulis ſenex, ſuper autem rubrum vinum
Libabat, iuuenes autem ad ipſum tenebant verua quinque ordines habentia manibus.
Sed poſtquam coxæ aduſtæ ſunt, & viſcera guſtarunt,
Ac minutatim ſecuerunt alia, & in verubus transfixerunt,
Aſſarunt accuratè, traxeruntque omnia
Cæterùm vbi quieuerunt à labore, præparauerunt q; conuiuium
Conuiuati ſunt, neque in aliquo animus indiguit cibo æquali.
Sed poſtquam potus & eſcæ deſiderium exemerunt,
Pueri quidem crateras coronauerunt vino,
Diſtribueruntque omnibus, incipientes poculis:
Hi autem tota die cantu Deum placabant
Lætum canentes Pæana pueri Achiuorum.

Eiſdem planè verſibus ab Vlyſſis ſocijs Solis boues mactatos in Odyſſęa ſcribit: Citaui autem liberè ter poetæ verſus, quoniam totus ferè ſacrificandi ritus in ijs deſcribitur. Conſtat enim ex his im- *Sacrificandi ritus.* molantes precari primùm, & vota Deo facere ſolitos; deinde prothymata celebrare, ſic vocāt, quæ H ante ſacrificium fieri conſueuere, vt eſt vaporatio thuris, aut id genus primitiæ quæcunque, vt olochyta, ideſt hordeum ſale cōſperſum, quod ante ſacrificium aris inſpargebatur, mox ea omnia quæ poeta recenſet. Hecatomben verò boum intelligi ab ipſo, oſtendit his verſibus, quos paulò ante de Agamemnonis ſacrificio recitauerat:

Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον
Ἕρδον δ' Ἀπόλλωνι τελήεσσας ἑκατόμβας
Ταύρων ἠδ' αἰγῶν παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο.
Κνίση δ' οὐρανὸν ἷκεν ἑλισσομένη περὶ καπνῷ. ideſt.
Illi autem luſtrabantur & in mare ſordes iaciebant
Faciebant autem Apolloni perfectas hecatombas
Taurorum & caprarum, iuxta littus maris infructuoſi.
Nidor autem ad cœlum ibat inuolutus circa fumum.

Tauris autē qui Apollini immolabantur, inaurari cornua Senatus Romanus voluit. Extat. n. Senatus conſultum de ludis Apollinaribus primùm faciendis, quod Macrobius recitat primo Saturnalium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A lium, in quo decemuiri præceptum fuit, vt Græco ritu hostijs sacrum fieret, Apollini boui aurato, & capris duabus albis auratis, Latonæ boue fæmina aurata. Hinc Martialis salsè Apollinem, vtpote poetarum numen rogat, vt Stellæ poetæ consulatum summoperè optanti à Domitiano impetret, se autem ei iuuencum auratis cornibus mactaturum, si satisfecerit voto:

Campis diues Apollo sic murinis,
Sic semper senibus fruare cycnis,
Doctæ sic tibi seruiant sorores
Nec Delphis tua mentiatur vlli,
Sic Pallatia te colant amentque
Bis senos citò me rogante fasces
Det Stellæ bonus annuatque Cæsar.
Felix tunc ego debitorque voti
Casurum tibi rusticas ad aras
B *Ducam cornibus aureis iuuencum.*
Nata est hostia Phœbe, quid moraris?

Non caret autem mysterio, quod tauri Apolloni consecrarentur. Sunt enim tauri coloni quidem terræ, & ad frugum prouentum Solis effectum suo labore adiuuant. Apollinem autem etiam bobus in primis gaudere Alceus scribit in hymno in Mercurium, quem etiam Apollini boues suffurantem inducit, & longè ante Alcæum Homerus fingit Apollinem armenta Laomedontis mercenarium pauisse, & Neptunus in Iliade Apollinem sic alloquitur, *Tauri cur Apollini sacrificati.*

Φοῖβε, σὺ δ' εἰλίποδας ἕλικας βοῦς βουκολέεσκες.

Vocatur autem etiam Apollo Nomius, sed ratio nominis diuersa. Dicunt enim aliqui nomen hoc tributum ei, quod Cyclopibus interfectis, amissaque diuinitate, Admeti armenta pauerit: νέμειν enim est pascere. Alij malunt dictum à legibus, hoc est, ἀπὸ τῶν νόμων, Ipsum siquidem Arcadibus quondam imperasse, legesque eis dedisse, verùm ob nimiam earum seueritatem regno pulsum, ad Thessaliæ regem Admetum confugisse, ab eoque eam quæ circa Amphrysum est, regionem impetrasse: indeque factum esse, vt eius pecora pauisse creditus sit. Sunt qui per Solis boues annos fatales intelligi volunt, illudque Homeri:

C Νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος ἠελίοιο.

Dementes qui vt sacros tibi maxime Phœbe, Assumpsere boues.

In Achaia, vt Pausanias tradit, templum est Apollinis & simulacrum eius nudi, calceos tamen pedibus induti, quorum altero bouis cranium calcat. Scribit item Thebanos priscis temporibus Apollini cognomento Polio, id est cano, tauros immolasse, sed cùm ita accidisset, vt stato festoque die hostiam cædendi tempus instaret, qui verò vt taurum adducerent, missi fuerant, non venirent, de plaustro prætereunte bouem alterum arreptum mactarunt, ex quo institutum, domito boue facere. Annotatum verò etiam est ab Alexandro, etsi Athenis octauo die cuiusque mensis Neptuno sacrum fieret, non tamen de tauro semper factum fuisse, neque Apollini Græcos semper tauro, sed multiplicis generis victima sacrificasse; namque Homero (inquit) teste alius tauro, alius ariete, aliquis hirco sacrum fecit. Taurus verò etiam Marti sacrificabatur in bello. Alexander ab Alexandro (ex Liuio) scribit, exercitum apud Romanos lustrari, nisi sue, oue & tauro qui puri essent, non fuisse fas, qui postquam ter circum instructas (inquit) acies ducti erant, precedente pompa & gressu composito Marti immolabantur. Eidem bouem teste Plutarcho mactabant Lacones, cùm callido consilio hostes superassent. Quomodo verò Scythæ Marti immolent Herodotus tradit in hæc verba: Victima ipsa primoribus implicita pedibus sistitur, cuius a tergo stans immolator, amota in primis infula pecudem ferit, eaque concidente, Deum inuocat, cui eam mactat, deinde circumdat laqueum collo, tum iniecto baculo circumducit, hostiamque strangulat non incenso igne, non votis nuncupatis, non sumptis libamentis, sed vbi pecudem strangulauit, eique pellem detraxit, ad coquendum se conuertit. Verùm cùm Scythica regio lignorum sit admodum inops, hoc ab illis ad carnem coquendam excogitatum est. Vbi victimam pelle denudarunt, denudant quoque ossa carnibus, dehinc eas in lebetes eius gentis (Lesbijs crateribus assimiles, nisi quod sint multò capaciores) inijciunt subiectis atque succensis ossibus hostiarum coquunt. Si autem non adfuerit lebes omnes carnes hostiarum in aluos illarum, & cum aqua commiscent, atque ossa succendunt. Quibus pulcherrimè ardentibus, & aluis facile capientibus, carnes ossibus separatas, ita fit, vt bos sese ipse ipse coquat, & item cætera pecora immolata: per semetipsum quoque elixum fit. Coctis carnibus is qui immolauit, earum atque intestinorum libamenta ante se porricit. Immolant autem cum alia pecora, tum præcipuè equos. Et alijs quidem dijs hunc in modum & alias pecudes immolant. Erat item taurus victima Plutonis. Ostendit id in primis Horatius:

In Arcadicis. *Martis sacrificium.* *Lib. 3. c. 12.* *In Lacon. instit. lib. 4.* D *Scythæ vt taurum immolent.* *Plutonis victima.* *Lib. 2. Od. 14.*

Non

Non ſi tricennis, quotquot eunt dies,
Amice places illachrymabilem
Plutona tauris.

eidemque pocula miſta mero & lacte libabant. Tibullus:

Interea nigras pecudes promittite Diti
Et niuei lactis pocula miſta mero.

4. Thebaid. Huc ſpectat & illud Statij:

Velleris obſcuri pecudes, armentaque ſiſti
Atra monet, quæcunque gregum pulcherrima ceruix
Ducitur.

Obſeruant etiam eruditi ſacrorum, & cum his Grammatici, quod ſterilibus pecudibus iuuencis & vino, lacte, melle Diti ſacra fieri ſint ſolita. Virgilius Proſerpinæ ſacrificat etiam vaccam ſterilem, nigraſque pecudes dijs omnibus inferis ſacrificari oſtendit, & quomodo eis ſacrificetur, pulcherrimè delineat his verſibus:

Aeneid. 6.

Spelunca alta fuit, vaſtoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris
Quam ſuper haud vllæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis, talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad conuexa ferebat:
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.
Quatuor hic primum nigrantes terga iuuencos
Conſtituit: frontique inuergit vina ſacerdos,
Et ſummas carpens media inter cornua ſetas
Ignibus impoſuit ſacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cæloque Ereboque potentem,
Supponunt alij cultros, tepidumque cruorem
Suſcipiunt pateris: ipſe atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum, magnæque ſorori
Enſe ferit, ſterilemque tibi Proſerpina vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras:
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.

Quo loco Iulius Pomponius hoc adiecit ſcholiolum: Antiqui Plutoni mactabant taurum, & Proſerpinæ iuuencam, quam nunc appellat ſterilem vaccam, ideſt, caſtam, & pudicam, vel ab ætate, in qua non eſt fas pati taurum: vel quia ſeruabatur caſta pro ſacris Proſerpinæ. Silius:

Lib. 13.

Ordine mactari pecudes iubet, acer operto
Ante omnes taurus regi, tum proxima diuæ
Cæditur Aethneæ caſta ceruice iuuenca.

Macrobius verò Proſerpinæ porcam dicit iugulari: ſed Virgilio ſubſcribit Prudentius contra Symmachum, Romanorum hanc dementiam ridens:

Quid? quod & iſtos
Dant tibi Roma Deos inferni gurgitis vmbræ:
Eumenidum domina Stygio caput exerit antro.
Rapta ad Tartarei thalamum Proſerpina Regis,
Etſi quando ſuos dignatur adire Quirites
Placatur vaccæ ſterilis ceruice reſecta.
Et regnare ſimul cæloque Ereboque putatur,
Nunc bigas frenare boues, nunc ſæua ſororum
Agmina vipereo ſuperis immittere flagro.

Subſcribit & Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. de Valerio Publicola loquens: Apud eandem aram, publicè nuncupatis votis cæſiſque atris bobus, Diti maribus, fæminis Proſerpinæ, lectiſternioque, ac ludis trinoctio factis aram terra, vt antè fuerat, obruit. Proſerpinalia intelligit Feſta, de quibus etiam Plutarchus in Lucullo: Aderant Proſerpinalia feſta, nec bouem nigram, qualis in his ſacris mactari ſolet, ob circumfuſum hoſtem parare potuerunt, &c. Maro vero tranſtulit hæc ferè ex Homero, apud quem Circe Vlyſſem docet, quomodo ad inferos deſcendere queat, eiſdemque ſi in patriam incolumen reuerti detur, nigras pecudes, ſterilemque vaccam ſacrificet. Canit autem Homerus ex interpretatione Simonis Lemnij:

Odyſſ. K.

Cumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Cumque huc appuleris, tunc heros siste carinam
Effodiasque scrobem iubeo, cubitoque remensus
In longum ducas, tantum quoque lata feratur,
Omnibus hic fundas vmbris libamina supplex:
Primò mellitos succos, mulsamque liquescens,
Dulcia deinde sacri feruentia vina Lyæi:
Tertia fac illis accedat & æquoris vnda:
His etiam canas addens confunde farinas,
Imbellesque vmbras genibus reflexus adora
Et vanescentes animas in vota vocato,
Si liceat patrios Ithacæ repetisse penates
Te mactaturum sterilem promitte iuuencam
Quæcunque excellat, quam tota armenta sequantur;
B
Extructamque pyram fructu cumulare benigno
Te velle, æquoreæ Ithacæ Laertis in arce.
Tiresiæ fac lætus ouem cum vellere pullo
Deuoueas, quicunque greges per pascua vincat
Hæc vt vota vmbris fecisti littore curuo
Ad fluuij cursus retro te verte regressus,
Pallentemque Eremum versus uestigia torque.
Lanigerumque pecus mactes, mollemque bidentem
Hic aries fumet, sed & illic fœmina nigris
Velleribus iaceat, quæ placet uictima manes.

Quæ autem apud inferos Hecate seu Proserpina, vocatur in cælo Luna, & Diana, cuius currum vaccæ trahebant, eidemque immolabantur, propter cornuum speciem, (quod haud rectè Lactantius & ex eo Alexander ab Alexandro dicunt de tauro); vel in memoriam immolatæ à Seruio vaccæ, de qua alibi ex Plutarcho diximus. Idem Plutarchus author est Athenienses annua solemnia Dianæ Persicæ exhibere solere boue lampadis charactere notata. *In lucullo.* Nigros verò etiam siue tauros siue iuuencos mortuis suis cædebant, id quod Aeneæ exemplo Virgilius docet, qui Anchisæ patri *Aeneid. 5.*
C eos mactat, ritumque totum delineat.

Hoc magis inceptos genitori instaurat honores
Incertus geniumque loci, famulumnè parentis
Esse putet: cædit quinas de more bidentes,
Totque sues, totidem nigrantes terga iuuencos
Vinaque fundebat pateris: animamque vocabat
Anchisæ magni, manesque Acheronte remissos,
Nec non & socij, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt, onerantque aras, mactantque iuuencos:
Ordine ahena locant alij, fusique per herbam
Subijciunt verubus prunas & viscera torrent.

Vbi vides victimas impares indicare. Consueuisse tamen Romanos superis impares, inferis verò pares sacrificare Seruius tradit in illud eiusdem poetæ: *Numero Deus impare gaudet.* Et Solinus tradit propter dies impares dijs superis Ianuarium dicari, & propter pares Februarium quasi abo- *Cap. 3.*
D minosum dijs inferis deputari. Similiter & alijs infelicitatis authoribus nigrum aliquod pecus mactabatur. Virgilius:

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Auerno tamen si Alexandro fides, propria victima erat bos fuluus: Iunoni de tauro albo antiqui rem sacram faciebant, seu de iuuenca potius alba, vt docti autumant, & subsequentibus authoritatibus poetarum notum fiet. Quantum autem istiusmodi immolatione afficeretur hæc dea, hinc etiam innotescit. *Iunonis sacrificium.* Ea ab Argiuis colebatur olim in templo quodam extra vrbem: eò mulier sacerdos bobus albis iuncto insidens solemni die quotannis vehi solebat. Cùm autem boues albi quondam deessent, sacerdos filiorum mater duorum, iugo boum loco eos submisit, & sic ad templum inuecta est. Cùm autem à dea muneris aliquid pro hoc labore filijs suis petijsset, filij eà nocte in somno, inquit Palephatus, excesserunt, id quod & Plutarchus annotauit in sermone de laude mortis. Apud Virgilium:

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ,
Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido

Condentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Quemadmodum verò Ioui bos Italus ex Phaliſco Romæ immolabatur, vt oſtenſum eſt, ita & Iuno iuuenca, vel vacca delectabatur ex eodem agro, teſtis eſt Ouidius, in deſcriptione totius ſacrificij, quod etſi paulò prolixius, haud tædet aſcribere:

3. Amorũ. Eleg. 13.

Cùm mihi pomiferis coniux foret orta Phaliſcis
Mœnia contigimus victa Camille tibi.
Caſta ſacerdotes Iunoni feſta parabant
Percelebres ludos, indigenamque bouem,
Grande moræ pretium ritus cognoſcere; quamuis
Difficilis cliuis huc via præbet iter
Stat vetus & denſa prænubilus arbore lucus,
Aſpice; concedes numinis eſſe locum.
Accipit ara preces, votiuaque thura piorum
Ara per antiquas facta ſine arte manus,
Hic vbi perſonuit ſolenni tibia cantu;
It per uelatas annua pompa uias,
Ducuntur niueæ populo plaudente iuuencæ,
Quas aluit campis herba Phaliſca ſuis.
Et uituli nondum metuenda fronte minaces.
Et minor ex humili uictima porcus hara.
Duxque gregis cornu per tempora dura recuruo
Inuiſa eſt dominæ ſola capella deæ.
Illius inditio ſyluis inuenta ſub altis
Dicitur inceptam deſtituiſſe fugam.
Nunc quoque per pueros iaculis inceſſitur index,
Et pretium auctori uulneris, ipſa datur.
Qua uentura dea eſt, iuuenes timidæque puellæ
Præbuerant latas ueſte iacente uias,
Virginei crines auro, gemmaque premuntur,
Et tegit auratos palla ſuperba pedes.
More patrum ſancta uelatæ ueſtibus albis
Tradita ſuppoſito uertice ſacra ferunt.
Ore fauent populi tunc, cùm uenit aurea pompa
Ipſa ſacerdotes ſubſequiturque ſuas.
Argiua eſt pompæ facies: Agamemnone cæſo
Et ſcelus & patrias fugit Haleſus opes.
Iamque pererratis profugus terraque marique
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille ſuos docuit Iunonia ſacra Phaliſcas,
Sint mihi, ſint populo ſemper amica ſuo.

In Batto.

Taurus rufus vbi Iunoni immolatus.

Apud Athenienſes verò Iunoni taurus immolabatur ruffus, & hic quidem ſedulò electus, quod me docet Theocritus, dum canit:

Λέπτὸς μὲν χ' ὠ ταῦρος ὁ πύῤῥιχος. εἴθε λαχοιεν
Τοὶ τὸ Λαμπριάδα τοὶ δαμόται, ὄκκα θύοντι
Τᾷ Ηρα, τοίον δὲ κακοχράσμων δὲ ὁ δᾶμος, ideſt,
Macilentus quidem & hic rufus taurus eſt; utinam ſortiantur
Lampiadæ tribules, quando ſacrificant
Iunoni, talem: improbus enim eſt populus.

Deridet poeta Athenienſium in ſacrificijs parſimoniam. Ab hac eadem dea Henęa vrbs dicta fuit, quæque & Hecatombea vocabatur, quòd ei ibi centum boues immolarentur: vt Varinus annotauit, inquiens, celebrari ab Argiuis illi deæ Hecatombæam centum bubus immolatis: præmium tunc certaminis ſcutum æneum propoſitum fuiſſe, & coronam myrteam: vel vt alij (inquit) in certamine Hecatombæorum Argis, æs præmium dabatur, quoniam Archinus, qui rex Argiuorũ fuit, & huius certaminis author, cum apparatus armorum cura ei deligata fuiſſet, arma etiam præmij loco dari voluit. Mineruæ verò etiam nihil caprini generis, ſed vaccam aut boues iniuges immolabant, vt tradit Alexander ab Alexandro ex Fulgentio, & Manilius Chreſtus in libro de hymnis deorum, & ex eo Pierius Valerianus aiunt huic deæ iniuges boues ſacrificari ſolitas, ideſt, quæ iugum

Minerua quæ animalia immolarentur.

Lib. 3. c. 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A gum nunquam tulerunt, illa videlicet cauſa, quòd & virginitas iugum neſciat maritale, & virtus nunquam ſit iugo prementi ſubiecta. Et Phurnutus ait, Mineruam à Græcorum quibuſdam Ἀγελήΐδα vocari, ſiue tanquam ducem populorum, ſiue quòd indomita ſit tanquam boues armentinæ. *Odyſſ. Γ.* Neſtor apud Homerum Mineruæ, vt Telemacho ſit propitia iuuencam vouet indomitam lata fronte, quamuè nullus adhuc iugo ſubiecit cornibus auratis: ſicque implorantem exaudit Minerua. Filij verò ex patris iuſſu ſacrum deæ parant: id quod his verbis deſcribitur: Bos ſubitò ex agro venit, veniuntque Telemachi ſocij ex naui: venit demum aurifex, arma manibus fabrilia artis miniſtra tenens, incudem, malleum, forſices, quibus aurum induxerunt, venit & *Sacrificij deſcriptio.* Minerua vota exaudiens. Neſtor verò aurum præbuit, deinde cornibus faber induxit, vt dea ſimulacrum hoc videns, gratum haberet. Bouem cornibus ducunt Stratius, & Echephron. Vas lauandis manibus in pulchro lebete Aretus è thalamo ferens, ſumpſit: alia famula molas è caniſtro, ſecurim verò Thraſymedes acutam in manu tenens, bouem percuſſit. Perſeus autem vas ad ſanguinem excipiendum habebat. Neſtor verò peluim, & molam adminiſtrabat, multaque Mineruam orabat, primitias tribuens, capitis crines igni inijciendo. At poſtquam orauit, &

B molas iecerunt, ſtatim Thraſymedes iuxtà ſtans, ſecurim impulit, venaſque ceruicis boui incidit, viribus ille ſtatim defecit. Neſtoris autem filiæ nuruſque & vxor pudica Eurydice, maior natu filiarum Clymeni, vlularunt. Illi deinde bouem ex humo corripientes, tenuere, Piſiſtratus continuò iugulauit, vnde largus & nigrans effluxit ſanguis, oſſa demum anima deſtituit. Poſt hæc cum in partes diuidunt, operiuntque nidore, duplicata, ac cruda igni imponentes, ſenex ſub lignis torrebat, deinde vinum libant. Iuuenes autem circum aſtantes, lintea manibus tenebant. Poſtquam verò cocta ſunt, & viſcera effuſa, in partes diuidunt: alia quoque verubus figunt, aſſantque igni, veru in manibus tenentes. Diomedes autem ſpeculaturus quoque caſtra Troianorum Mineruæ auxilium implorans, vouet bouem indomitam auratis cornibus, atque ait:

Κέκλυθι νῦν καὶ ἐμεῖο Διος τέκος ἀτρυτώνη
Σπεῖο μοι ὡς ὅτε πατρὶ ἅμ᾽ ἕσπεο Τυδεϊ δίῳ.
Ὥς νῦν μοι ἐθέλουσα παρίστασο, καὶ με φύλασσε.
Σοὶ δ᾽ αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον

C Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.
Τὴν τοι ἐγὼ ῥέξω, χρυσὸν κέρασιν περιχεύας.

idest,

Audi me & nunc Iouis filia indomita
Sequere me, ſicut cùm patrem ſequebaris Tydeum diuinum.
Sic mihi nunc volens adſis & me ſerua
Tibi autem ego ſacrificabo iuuencam hornam, latifrontem
Indomitam, quam nondum ſub iugum duxit vir
Hanc tibi ego ſacrificabo, aurum cornibus circumfundens.

Vaccam tamen etiam huic deæ immolari ſolitam indicat Ouidius: *Metam. 4.*

Dijs tribus ille focos totidem de ceſpite ponit, *Vacca Mineruæ ſacrificata.*
Læuum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo
Ara Iouis media eſt, mactatur vacca Mineruæ, &c.

Eundemque morem indicat & alicubi: *Metam. 12.*

Pallada mactatę placabat ſanguine vaccæ.

D Atque ita intelligendum eſt quod ait rurſus alio loco. *1. Triſt. 9.*

Hæc ſi contigerint, meritæ cadet agna Mineruæ
Non facit ad noſtras hoſtia maior opes.

Hiſce enim verbis ſignificat poeta, in exilium proficiſcens, ſi ad eam regionem ab Auguſto ſibi cōſtitutam, ad quam naui, quæ in Mineruæ tutela erat, ferebatur, ſe Mineruæ, à qua id beneficij acciperet, agnam mactaturum, ſed cùm ſciret deæ illi vaccam, non agnam mactari ſolitam fuiſſe, ſeipſum corrigens ſubdit, non eſſe virium atque opum ſuarum, eam pecuniæ vim, qua vacca ematur, poſſe ſoluere. In hoc quoque ſenſu Auſonius ait:

Aerea bos ſteteram, mactata eſt vacca Mineruæ.

Porrò eidem etiam Deæ boues immolabantur indomiti, & fortaſſis item domiti, de indomitis locus eſt pulcherrimus apud eundem Homerum, vbi Helenus vates Hectori ſuadet, vt Hecuba Mineruæ veſtem offerat gratioſiſſimam, eidemque polliceatur ſacrificium duodecim boum indomitorum, ſi Troianorum fuerit miſerta; *Boues indomiti. Iliad. Z.*

Πέπλον ὅς οἱ δοκέει χαριέστατος ἠδὲ μέγιστος
Εἶναι ἐνὶ μεγάροις, καὶ οἱ πολὺ φίλτατος αὐτῇ,

Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο.
Καί οἱ ὑποσχέσθαι δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῷ
Ἤνις, ἠκέστας ἱερευσέμεν, αἴκ᾽ ἐλεήσῃ, ideſt,
Peplum quod ei videbitur pretioſiſſimum & maximum
Eſſe in domo, & ei longè chariſſimum ipſi
Ponat Mineruæ in genibus pulchricomæ,
Et ei voueat duodecim boues in templo
Anniculos, indomitos ſacrificaturam; ſi miſerta fuerit.

Ad quem poetæ locum Io. Spandanus hoc appendit ſcholium. Nota, hic duo Numini offerri: do-
Peplum. num & ſacrificium. Donum eſt peplum, Mineruæ conueniens, quia illud genus veſtis muliebre eſt:
ſacrificium autem duodecim boum, quod animal illi etiam ſolebat immolari. Omnia ergò com-
plexus eſt poeta, quæ à nobis deo offerri debent, donum in perpetuum, ſacrificium ad tempus. Do-
num noſtrum eſt integritas animi; ſacrificium autem preces, & cultus Dei? Athenienſes verò etiam
annua ſolemnia Mineruæ non capra, nec boue, ſed tauris & agnis exhibere ſolent, inquit Alexan-
Lib. 2. der ab Alexandro præcitato loco, nimirum ex eodem Homero, qui ſic ſcribit in catalogo poſt prin-
cipium:

Ἔνθα δὲ μὶν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλάονται,
Κοῦροι Ἀθηναίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν, ideſt,
Illic enim ipſam (Mineruam) *tauris & agnis placant*
Pueri Athenienſium circumuoluentibus annis.

Et Natalis de Comitibus, celebrantur (inquit) Lampadophoria in huius honorem deæ, cui taurus
4 Mythol. 5 candidus aliquando, aut indomita iuuenca immolari conſueuit ab antiquis. Iam verò Herodes
Lampado-choria. Atticus Sophiſta, cui diuitiarum initium ex theſauro à patre prope domum inuento fuit, centum
boues vno die Mineruæ ſacrificare ſolitus fuit, vt Philoſtratus refert. Eſtque annotatione præci-
puè dignum id quod Lycurgus in libro de ſacrificando, & Philochorus lib. 2. & Staphylus lib. 9. de
Athenis ſcribunt citante Varino: ſi quis Mineruæ bouem ſacrificaſſet, oportebat etiam Pandryſo
Epiboen. ouem vnà cum boue ſacrificare, quod ſacrificij genus ἐπίβοιον & ἐπιβοῖον appellabant, eò quod
Lib. 2. poſt bouem immolatum celebraretur. Herodotus author eſt, Xerxem in Pergamo Priami regia
Mineruæ Iliadi mille boues immolauiſſe, quarum libamine Magi heroibus parentauerint. At Ara-
Telluris ſa-crificium. bes, vt Alexander annotauit, heroibus tauro, capro, & ariete litabant. Cædebantur porro boues
fordæ, ideſt, prægnantes in curijs decimoſeptimo calendas Maias, Telluri ipſa ſimilitudine placi-
turæ, vt annus fœcundior proueniret. Terra enim hoc tempore quaſi grauida eſt. Fordicalia, &
fordicidia vocabantur iſtiuſmodi ſacrificia; & hordicalia, quia prægnans vacca etiam horda vo-
Faſt. 4. catur teſte Varrone. Ouidius ea diligenter ſic delineauit iſtiuſmodi ſacrificia.

Tertia poſt Veneris cùm lux ſurrexerit idus,
Pontifices forda ſacra litate boue.
Forda ferens bos eſt, fœcundaque dicta ferendo,
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.
Nunc grauidum pecus eſt, grauidæ quoque ſemine terræ
Telluri plenæ victima plena datur.
Pars cadit arce Iouis, ter donas curia vaccas
Accipit, & larga ſparſa cruore madet.
Aſt vbi viſceribus vitulos rapuere miniſtri.
Sectaque fumoſis exta dedere focis:
Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo eſt
Luce Palis populos, purget vt ille cinis.
Rege Numa fructu non reſpondente labori
Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modò ſiccus erat gelidis Aquilonibus annus,
Nunc ager aſſidua luxuriabat aqua,
Sæpe Ceres primis dominum fallebat in herbis,
Et leuis obſeſſo ſtabat auena ſolo.
Et pecus antè diem partus edebat acerbos
Agnaque naſcendo ſæpe necabat ouem.
Sylua vetus, nullaque diu violata ſecuri
Stabat Mænalio ſacra relicta deo:
Ille dabat tacitis animo reſponſa quieto,

Nocti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Noctibus, hic geminas rex Numa mactat oues.*
Prima cadit Fauno, leni cadit altera somno,
Sternitur in duro vellus vtrumque solo.
Bis caput intonsum fontana spargitur vnda
Bis sua faginea tempora fronde tegit.
Vsus abest Veneris, nec fas animalia mentis
Ponere, nec digitis annulus vllus inest.
Vesper vbi tectus supra noua vellera corpus
Ponit adorato per sua verba deo.
Interea placidam redimita papauera frontem
Nox venit, & secum somnia nigra trahit.
Faunus adest ouiumque premens pede vellera duro
Edidit à dextro talia verba throno.
B *Morte boum tibi rex tellux placanda duorum*
Detque sacras animas vna iuuenca duas.
Excutitur terrore quies, Numa visa resoluit,
Et secum ambages cacaque iussa refert.
Expedit errantem nemori gratissima coniux,
Et dixit grauidæ posceris exta bouis.
Exta bouis grauidæ dantur, fœcundior annus
Prouenit, & fructum terra pecusque ferunt.

Ostendit poeta Numam horum sacrorum authorem fuisse, & cum modò nimia siccitas, modò nimiæ pluuiæ sterilitatem facerent, Fauuum consuluisse, & ab eo sacrificandæ bouis fordæ ritum accepisse. Cinis autem vitulorum, de quo dixit, seruabatur in templo Vestæ, siue Telluris, vt inde suffimen fieret, quo populus Palilibus purgaretur, vt postea ipse rursus poeta docet, dum canit: *Populus cinere prægnãtis vaccæ purgatus.*

Alma pales faueas pastorum sacra canenti
C *Prosequor officiosi tua facta meo:*
Certè ego de vitulo cinerem, stipulamque fabalem
Sæpe tuli plena Februa tosta manu.
Certè ego transilui positas ter in ordine flammas
Virgaque rorales laurea misit aquas
Mota dea est, operique fauet, naualibus exit
Puppis, habent ventos iam mea vela suos.
I pete virginea populus suffimen ab ara,
Vesta dabit, Vestæ murmure purus eris.
Sanguis equi suffimen erit, vitulique fauilla
Tertia res duræ culmen inane fabæ.

Scribit Alexander ab Alexandro Ambaruale sacrum, nisi de porca fœcunda & grauida, aut vitula, fieri non consueuisse. Ego de vitula nihil repèrio, neque ipse etiam authoritatem vllam recitat. Eam autem victimam maturis frugibus ter circum arua ducere conueniebat, omnesque post eam clamantes sequi, ex quibus vnus querna ornatus fronde, cum solemni saltatu, composito carmine, D Cereri decantabat laudes; ac postquam lacte, vino, & fauo libassent, antequàm fruges meterent, porcam Cereri immolabant, quæ præcidanea dicta est. Ouidius, cur ei porca immoletur reddit hanc rationem. *Lib. 3. c. 12.* *Ambaruale sacrum.* *Porca præcidanea Cereri immolata.*

Prima putatur
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

Sed de hac re aliàs: Apud Hermionenses verò Cereri boues aut tauros immolari solitos fuisse Aelianus testatur his verbis: Cererem Hermionenses colunt, & splendida ei magnificaque sacra faciunt. Festum id Ctonium appellant. Aiunt sanè maximos boues à muliere Cereris sacerdote ad aram è grege se abduci atque feriri permittere, quod Aristocles his carminibus testatur, *Festum Ctoniam.*

O fœcunda Ceres Siculas veneranda per oras
Cecropiosque agros: hoc ego præcipue
Miror, in Hermione quod magno robore taurum
Quemque viri possent vix domuisse decem,
Egrege deductum sola aure adducit ad aram

Sancta tibi mulier: qui puer vt sequitur.
Hæc tua vis Ceres est, tu nobis esto benigna.
Per teque Hermione, læta beata fuat.

Ctoina dea. De hisce eisdem Ctonijs sacris quæ apud prænominatos populos fiebant, Pausanias quoque scribit in hæc verba: Ctonia certè & ipsa dea appellatur, & stati dies festi, qui æstate anni in eius honorem agitantur, Ctonia dicuntur. Inijs hoc ritu supplicatio fit. Pompæ agmen ducunt sacrificuli, & qui annuos magistratus ferunt: sequuntur fæminæ ac viri. Ipsis etiam pueris solemne est deam cum pompa deducere. Incedunt autem ij cum albis vestimentis, capitibus coronas ferentes. Sunt eæ corollæ è flore contextæ quem Comosandalum incolæ appellant: Hyacinthum ego illum esse existimo. *Comosanda lus flos.* Est enim ei tum magnitudine, tum colore persimilis. Habet præterea easdem luctus indices literas. In extremo agmine sequuntur, qui eximias boues vinculis distentas & ferociter reluctantes ad templum trahunt: ibi earum vnam immissis retinaculis intrò agunt: tunc qui ad fores apertas steterant, vbi bouem intromissam videat, fores obdunt: Eam aniculæ quatuor de industria intus relictę, falcibus exceptam conficiunt. Collum earum vna, vt casus tulerit, hostię præsecat. Rursus patefactis foribus ij, quibus id negocij datum est, alteram bouem, mox tertiam ac quartam intrudunt; ac singulæ eodem modo ab illis aniculis mactantur. Aliud in hoc sacro miraculum euenit: In quod latus prima bos conciderit, in idem & reliquæ procumbunt. Hæc ille: Cybelę quoque vaccas immolatas fuisse verisimile, quia ipsi sacræ erant. Ouidius:

Ipsa sidens plaustro porta est inuecta Capena
Sparguntur iunctæ flore recente boues.

Veneris sacrificia. In Cypro Veneri albæ immolabantur iuuencæ, vt ostendit Ouidius:

Metam. 10.
Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro
Venerat, & blandis indutæ cornibus aurum,
Conciderant ictæ niuea ceruice iuuencæ.

Lilius Gyraldus & ex eo Alexander (sed nullo vterq; authore) scribunt, solùm apud Tussas in Aegypto, vbi Venus cornuta colebatur, vaccam ei immolatam fuisse. Scribit quidem Aelianus id de Chusis, non de Tussis, sed & hanc Venerem non cornutam vocat, sed Vraniam siue cælestem: nec alicubi reperies Venerem cornutam, nisi apud illos, cælestem autem siue vraniam apud plurimos. *Lib. 10. cap. 27.* Acron verò in hoc Horatij, Carm. 1. Od. 19.

Hic viuum tibi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite, thuraque
Bimi cum patera meri
Mactata lenior veniet hostia.

benè (inquit) verbenas cespitem & thus Veneri promittit, quæ non placatur sanguine, adducitque authoritatem Virgilij: *Aen. 11.*

Tum Venus, haud equidem tali me dignor honore.

Item:

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque reuisit
Læta suas, vbi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

Verùm quamuis certum sit apud prius sæculum incruenta fuisse omnia sacrificia, herbasque & fructus pro holocausto dijs oblatos, progressu tamen temporis Veneri a què ac alijs dijs cruenta sacrificia in vsu esse cæpisse Iacobus Cruquius ex allata à nobis de Aegyptia Venere authoritate arguit. Et in eodem sententia est Christophorus Landus, neque est (inquit) contra Virgilium:

Haud equidem tali me dignor honore.

Nam constat alibi de hostia sacrificari Veneri. Mihi & hoc Virgilij:

Hic amor, hoc studium, dum sacra secundus aruspex
Nunciet, & lucos vocet hostia pinguis in altos.

de Venere intelligendum videtur. Et Martialis canit:

At tu Diua Paphi remitte nostris
Illæsum iuuenem, remitte votis.
Sic Martis tibi seruiant Kalendæ,
Et cum thure, meroque, victimaque
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

Eydill. 63. Daphnis apud Theocritum, vitulam Amori, bouem verò Veneri vouet, postquam puellæ pudicitiam eripuit:

ῥέξω

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Ῥέξω πόρτιν Ἔρωτι, καὶ αὐτᾷ βῶν Ἀφροδίτᾳ.
Baccho verò in primis sacer erat taurus. Scribit autem Athenæus tauro & pardali assimilari ipsum *Bacchi sacrificium.*
ex ebriorum violentia. Nam quod in tragœdia, cui attitulatio est Tyro, Sophocles (inquit Cælius)
taurophagum vocat Dionysium, id interpretantur, quia dithyramborum poetis in victoria dare- *Lib. 7. c. 15.*
tur bos. Alij crudelem, & immitem accipiunt, quando & Aristophanes Cratinum ita infamauit:
sed ad vinolentiam magis referendum alij putant, quòd philœnus esset is, hoc est, vino indulgeret
largiùs: Dicitur autem primum iugauisse boues, eorumque opera frugem iacto semine reddidisse,
eaque ex re illum cum cornibus effinxerunt, quod Diodorus docet. Festus verò ait cornua eius si- *Lib. 5.*
mulacro addi, quoniam inuentorem vini dicunt, eò quòd homines nimio vino truces fiunt, vnde
Horatius;

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Vide mox rursus, vbi de Api. Aegyptij verò, vt Alexander notat Baccho taurum & Lunæ suem,
reliquis dijs boues mares, vitulosque & anseres immolant, capram & hircum nullo modo. Pau-
B sanias tradit memoratu dignum, apud Cynæthaenses Arcadici nominis gentem, quod huius Dei
templum habent, in quo festos dies anni summa hyeme agitant, adipe peruncti: sublatum humeris
è grege taurum, quem ipse Deus, vt deligerent in mentem venire voluisset, ad templum deportãt:
hoc solenne ipsis esse sacrum. Lindij in Rhodo ad aram quàm βούζυγον dicunt, duos boues Herculi *Herculis sacrificium.*
immolant, eumque maledictis & execratione celebrant, quòd ipse Theodamantis agricolę bouem
edens, eius contumelijs lætaretur, vt tradit Alexander Sardus Ferrariensis in opere de moribus, & *Lib. 3. c. 6.*
ritibus gentium. De quo eodem sacrificio hæc memoriæ prodidit Lactantius Firmianus: Apud *Lib. 1.*
Lindum, quod est oppidum Rhodi, Herculis sacra sunt: quorum à cæteris longè diuersus est ritus:
siquidem non εὐφημίᾳ (vt Græci appellant) sed maledictis & execratione celebrantur: eaque pro
violatis habent, si quando inter solemnes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum.
Cuius rei hæc ratio redditur, si tamen vlla esse in rebus vanissimis potest. Hercules, cùm eò delatus
esset, famemque pateretur; aratorem quendam aspexit operantem, ab eoque petere cœpit, vt sibi
vnum bouem venderet. Enimuero ille negauit fieri posse, quia spes sua omnis colendæ terræ, duo-
bus illis iumentis niteretur. Hercules solita violentia vsus, quia vnum accipere non potuit, vtrum-
C que sustulit: atq; infelix, cùm boues suos mactari videret, iniuriam suam maledictis vltus est: quod
homini eleganti & vrbano gratissimum fuit. Nam dum comitibus suis epulas apparat, dumque
alienos boues deuorat; illum sibi amarissimè conuiciantem, cum risu & cachinnis audiebat. Sed
postquam Herculi diuinos honores ob admirationem virtutis deferre placuit, à ciuibus ei ara po-
sita est, quam de facto βούζυγον, idest bouis iugum nominauit: ad quam duo iuncti boues immola-
rentur, sicut illi, quos abstulerat aratori: eumque ipsum sibi constituit sacerdotem, ac præcepit, vt
ijsdem maledictis semper in celebrandis sacrificijs vteretur, quòd negaret se vnquam epulatum es-
se iucundius. Ista quoque legas apud Philostratum, & apud Nazianzenum στηλιτευτικῇ prima, cu-
ius ista sunt verba: ὁ Βουθοίνας τὸν γεωργὸν τυραννήσας, καὶ τὸν ἀρότην βοῦν λαφύξας, καὶ τὴν κλῆσιν λα-
βὼν ἐκ τῆς πράξεως; hoc est: *Boui manduco ille, qui oppresso vi agricola, bouem aratorem abligurijt,*
è re ipsa nomen adeptus: & paulò pòst: Λινδίοις εὐσεβὲς τὸ καταρᾶσθαι τῷ Βουθοίνᾳ, idest, *Pium opus ha-*
bebatur apud Lindios, diras imprecari Bouimanduconi Herculi, illique conuicia facere, cultus loco
erat. Huc spectat illud ab eodem ad Nemesiũ obscurius dictũ. καὶ Λίνδος ἐφυβρίζους ἱεροῖσι, idest, *Lin-*
dus quæ sacris conuiciatur. Fuit tamen etiam ab Euandro institutũ Herculis sacrificium sine conui-
D tijs: vt ostendit Pomponius ex Diodoro Lætus de origine eiusdem sic scribens: *Victor Hercules cæso*
Geryone Chrysauri filio in Eritra, quæ est insula Oceani Hispani, abacto nitidarum boum armenta in
Latium venit, & prope Tyberim loco herbido procubuit, vt læto pabulo reficeret boues. Cacus latronum
princeps eximias boues duas, caudis in speluncam traxit, Hercules somno excitus lustrato grege cum
partem abesse numero sensit, omnia circuit, aduersa vestigia comperit, confusus nouitate rei ex loco in-
festo agere armentum cœpit: cùm actæ boues desiderio relictarũ mugissent, reddita fuit è spelunca vox;
quæ Herculem conuertit: Inuenta fraude, Cacum neci dedit. Concursum trepidantium pastorum, ad-
uenam reum cædis faciunt apud Euandrum, qui miraculo literarum, inter rudes artium homines ea
loca tum regebat. Is intuens habitum, formamque viri, rogat, qui vir esset, vbi nomen, patremque &
patriam accepit, quia sic Carmentis mater eius vaticinata fuerat, extemporalem aram Herculi ere-
xit, iuuencum indomitum mactauit. Inde seruatum est, vt quotannis Romani bouem indomitum Her-
culi immolent, & Hercules epulum populo dedit. Sacrum fieri voluit à Potitijs & Pinarijs, quæ tum fa-
miliæ maximè inclytæ ea loca incolebant. Fortè euenit, vt Potitij præsto essent, hisque exta apponeren-
tur, & Pinarij quia tardi fuere, extis adesis, ad cæteram venirent dapem. Potitij ab Euandro edocti,
antistites sacri eius diù fuerunt: postea cùm interijssent, empti de publico serui, officium exercuerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ara ab Euandro erecta, cui Hercules decimas ſoluit, maxima vocatur, & proxima eſt foro boario, vbi ex voto decimæ fiunt. Tradunt qui velit diues fieri, Herculi decimas ſoluat. Hinc opes M. Luculli facta memorantur, & ipſe Hercules theſaurorum deus putatur. Huc vſque Lætus. Syracuſij verò iuxta *Lib. 6. c. 2.* Cyanem, vt memorat Diodorus Siculus, ſingulis annis dies feſtos celebrant, in quibus ſacra faciũt priuatim paruis victimis: publicè tauros in paludem immergunt, morem Herculis (inquit) imitati, *Myops deus muſcarum.* qui eiuſmodi ſacris, quo tempore Geryonis boues per Siciliam deduxit, vſus eſt. Myopi, ſiue muſcarum deo taurus immolabatur in Olympijs, vt Plinius teſtatur his verbis: *Mirabile eſt Olympiæ ſacro certamine, nubes muſcarum immolato tauro, deo quem Myodem vocant extra territorium id abire.* Syluano, ideſt ſyluarum deo in ſingula boum capita, adoreo, lardo & vini ſextario ſubtaxata menſura votum fiebat, vt obſeruauit Alexander ab Alexandro. Quærendum autem nunquid ora- *Lib. 3 c. 22.* cula edentibus niger immolaretur taurus: id enim indicare apparet Plutarchum in eo volumine quod de oraculorum defectu conſcripſit: Habeo (inquit) rem apprimè memorabilem, quæ me præſente apud Mopſi oraculum euenit, quam vobis referam. Præfectus Ciliciæ homo dubiæ de dijs ſententiæ (quod ei accidiſſe puto propter imbecillitatem incredulitatis de dijs conceptæ) cætero qui contumelioſus & prauus, cùm circa ſe haberet Epicureos, qui freti pulchra (ſi dijs placet) illa ſua phyſiologia religioni illudunt, motus illorum vocibus libertum ad oraculum Mopſi miſit, tanquam exploratorem in caſtra hoſtium, cum tabella obſignata, in qua nemine conſcio quæſtionem ſcripſerat. Libertus cùm pro more noctem in delubro exegiſſet, ac obdormiſſet, facta die, tale narrauit ſomnium; Viſum ſibi fuiſſe aſtare virum pulchrũ, qui vna hac voce, nigrum edita ſtatim deceſſerit. Abſurdum enim hoc nobis videbatur, multumque hæſitationis inijciebat. At præfectus conſternatus, flexiſque genibus generatus Mopſum aperuit tabulam, oſtenditque nobis hanc inſcriptionem. Albumnè tibi, an verò nigrum immolabo taurum? Itaque & Epicureis quoque pudor eſt iniectus & præfectus ſacrificio peracto iſto, deinceps Mopſum coluit. Eodem referente Plu- *In quæſt. Rom.* tarcho narrat Metrodorus in Ionicis Smyrnæos antiquitus ſacrificaſſe Bupreſti taurum nigrum, *Bupreſtis deus.* conciſumque in fruſta vnà cum ipſa pelle igni totum cremaſſe. Quotieſcunque modo aliquid inuentu rarum aut difficile ſacrificio adhiberi oporteret, illud cera, vel pane effictum apponere ſatis *Simulacra ficta ſacrificata.* erat, ſimulacraque eiuſmodi ficta ac commentitia, ac ſi ipſa res repræſentaretur, eandem vim vigoremque habebat, id quod à Græcis obſeruatum Alexander ab Alexandro annotat. Cùm enim (inquit) Cyziceni nigram bouem Palladi quotannis immolarent, & preſſi obſidione bouem compa- *Lib. 3. c. 13.* rare nequirent ex frumento illam effinxerunt, eoque pacto perſoluto voto, numen expiarunt. Trãſtulit autem id ex Appiano, qui de Cyzico vrbe loquens, *Dicitur* (inquit) *ea vrbs dotalis eſſe & à Ioue Palladi filia attributa, quam Cyziceni ſummo honore venerantur: Solemnibus itaq; inſtantibus, in quibus bouem nigram ſacrificare mos fuit, cum ea carerent, ex frumento ſacrificia fecerunt:* ſed cõtinuò ſubdit: *Interim bos nigra è pelago ad eos accurrit, quæ clauſtra aditus ingreſſa & in vrbem delata, vltrò in templum venit, ibique ad altare conſtitit, quam Cyziceni ſumma ſpe immolarunt.* Scri- *In Lucullo.* bit etiam Plutarchus: Aderant Proſerpinalia feſta, nec bouem nigram qualis in his ſacris mactari ſolet, ob circumfuſum hoſtem parare potuerunt, ſed pro boue placentam offerendam conficiunt. *Dialia feſta.* Athenienſes quoque in feſtis Iouis Militij quæ Dialia vocant, extra vrbem ſæpe non veras victimas, ſed commodè effictas obtulere: Et cùm aliquando Locrenſes publicum ſacrum facturi, bouẽ deſiderarent, compoſito ex minutis lignis bouis ſimulacro, dijs rem diuinam fecerunt: atque hinc vulgus adagionem arripuit, Λοκρικὸς βοῦς, vt citat author Adagiorum: qui item in hoc alio adagio ἕβδομος βοῦς, ideſt, *Septimus bos*, ait antiquitus poſt ſextam lunam bouis imaginem è farina pinſi conſueuiſſe, qui ſeptimam lunam cornibus referret: eſſe tamen qui malũt hinc natum prouerbium quod cùm apud veteres ſex animantium genera mactari dijs ſolerent, ouis, ſus, bos, capra, gallina, anſer: pauperes non habentes viuum animal, bouis ſimulacrum è farina fingere conſueuerint, is quoniam ſenſu vitaque careret, in ſtoliditatis obierit prouerbium: ſed duplicem (inquit Geſnerus) commiſit errorem: Scribit enim Suidas, ex quo id tranſcripſit, hanc placentam cornutam fuiſſe κατὰ μίμησιν τῆς πρωτοφανοῦς σελήνης, hoc eſt, inſtar Lunæ quæ à coitu primum apparet, quo tempore eam Græci ἀρτίτοκον, & μηνοειδῆ vocant, Latini corniculantem: inde dichotomos, ideſt, diuiduo, vel dimidio orbe cæſa vocatur, primo ſcilicet, vt nos loquimur, ſui motus quadrante confecto: ſed fefellit ipſum quod Suidas ſcribit, ὅτι ἐπὶ ἓξ ταῖς σελήναις ἐπεθύετο ὁ βοῦς ἕβδομος, vbi ille per ſex *Luna placẽta dicta.* lunas, ſex placentas, vt debuit, ſed lunaris motus ſex dies accepit, nec animaduertit, quod mox ipſe Suidas lunas interpretatur placentas latas & rotundas. Eaſdem Pauſania teſte πελάνους vocabant, vt Varinus citat, ex quo etiam clarius quàm Suida, author adagiorum hallucinatus deprehende- *Bos placenta cornuta.* tur. Solebant etiam nonnulli poſt quatuor placentas, communes ſcilicet, quinto loco bouem, ideſt placentam vnam cornutam immolare, quanquam frequentius poſt ſex. Pollux pelanos placentas à bubus diſtinguit: nam dijs omnibus eas communiter immolari ſolitas ait, bouem verò (ideſt cornutam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A nutam placentam) priuatim Apollini, Dianæ, Hecatæ & Lunæ. Addit præterea pelanos à figura dictas esse, vt etiam boues, sed qualis earum figura fuerit, nec ipse exprimit, nec alibi reperio; nisi quod Etymologus inter cætera pelani etyma, ἀπὸ τῆ πεπλατύνθαι deriuatum conijcit, idest, à latitudine: At latitudo non figura est, sed figuræ aut quantitatis potius accidens. Aristophanis interpres in Acharnensibus, cùm exposuisset ἔλατηρα placentam latam siue panem latum, quæ pulte superposita immolaretur, subijcit, ἐπὶ δὲ καὶ λαγαρώδεις, παρὰ τὸ λαγαρὸν, καὶ πελανοὶ παρ' εὐριπίδῃ; nimirum vt indicaret ex latis placentis huius generis, alias ventrosas & intus inanes fieri, alias verò solidas. Athenæus & ex eo Cælius scribunt Empedoclem cùm Olympijs vicisset equis, quod animatis ex præscripto abstineret, vtpote Pythagoricus, ex myrrha, thure, & aromatibus alijs bouem concinnasse, quem ad panegyrin conuenientibus distribuerit. Scribit verò etiam idem author adagiorum, cum rustici quidam Herculi Alexicaco bouem essent immolaturi, isq; rupto fune profugisset, nec esset quod sacrificaretur: malum arreptum suppositis quatuor ramis crurum vice, deinde additis alteris duobus ceu cornuum loco, bouem vtcunque fuisse imitatos, idque ridiculum simulacrum pro victima sacrificasse Herculi. *Pythagoræ sacrificium. Malus pro boue immolata.*
B Iulius Pollux libro de vocabulis rerum primo, fabulā aliquanto secus narrat, nempe ad hūc modus, Solenne est (inquit) apud Bœotos Herculi malis rem diuinam facere, cumque iam adesset dei festum, & immolandæ victimæ tempus vrgeret (porro hostia erat aries) cùm ea serius adduceretur, propterea quod Asopus fluuius ita subito creuisset, vt trāsiri non posset, pueri qui iuxta aram ludebant, sacrificij ritum nihilominus peregerunt. Pulchro cuipiam malo quatuor stipulas vice pedum addiderunt, rursum alias duas cornuum loco, imaginantes sese ad eum modum arietem immolare. Creditum est Herculem hac victima magnopere delectatum: proinde mansisse apud Thebanos hunc morem, vt malis sacrificaretur Herculi. Cognomen hinc additum Deo, vt ἡρακλῆς μήλων, vel μήλιος, idest Hercules malorum, vel pomaceus vocaretur. *Hercules pomaceus.* Tametsi verò etiam omnibus ferè dijs suæ essent victimæ, suaque constituta sacra, quæ præteriri, & transgredi non erat fas, qui tamen tenuioris erant fortunæ, & tauros, vitulos, arietes, similisque victimas emere non poterant, ea lege liberabantur, nec minus tamen eorum quàm diuitum gratum dijs erat sacrificium, quod manifestè testatur Tibullus, siquidem decantaturus laudes Massalæ, cum ob earum molem deterreretur, rogat, vt more ipse deorum, qui sæpenumero paruis contentantur micis, ingenij sui vires metiatur, *Pauperum sacrificia. Lib. 4. eleg. 1.*

C
Paruaque cælestes pacauit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Huc spectat & hoc Statij: *Lib. 1. Syl.*

Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? nec si vacuet Meuania valles,
Aut præstent niueos Clitumna noualia tauros
Sufficiam. Sed sæpe deis hos inter honores
Cespes & exiguo placuerunt farra salino.

Item ex hoc Horatij:

Te decem tauri, totidemque vaccæ
Me tener soluet vitulus relicta
Matre, qui largis iuuenescit herbis
In mea vota.

Idem Horatius etiam deos ait precibus & non magni sumptus sacrificijs placari propitiarique, vt & in agris fruges vbertim vinaque proueniant, & domi natis alumnisque omnia prosperè succe- *Lib. 3. car. od. 23.*
D dant, autumnumque suis grauem fructibus incolumes subterfugiant: eos quidem nō esse ambitiosos, nec amare splendidas opimas & multas victimas, sed manus innocentes, puras & immanes à scelere, rapina, iniuriaque, quas cum pio farre multo gratiores ait ad propitiationem victima quæuis vel exquisitissima. Sed oden ipsam propter elegantiam ascribam. *Dij orationibus gaudent.*

Cælo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidile,
Si thure placaris, & horna
Fruge lares, auidaque porca
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda uitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulcis alumni
Pomifero graue tempus anno
Nam quæ niuali pascitur Algido
Deuota, quercus inter, & ilices,

Aut

Aut creſcit Albanis in herbis
Victima, pontificum ſecures
Ceruice tinget. Te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium
Paruos coronantem marino
Rore deos, fragilique myrto.
Immunis aram ſi tetigit manus,
Non ſumptuoſa blandior hoſtia
Mollibit auerſos Penates
Farre pio & ſaliente mica.

Huc pertinet & hoc Ouidij in epiſtola Acontij ad Cydippen:

Non boue mactato cæleſtia numina gaudent,
Sed quæ præſtanda eſt & ſine teſte fide.

Vna hoſtia cur dijs duobus non litetur.

Decad. 3. lib. 7.

Sacrificia repudiata.

Metam. 8.

In Athenienſium repub. pars vna erat ex quatuor illis, in quas à Solone populus ille erat diſtinctus: erant autem ἱππεῖς iſti quorum ſinguli ſi opus eſſet, equum agere poſſent, & ἱππάδες θυσίαι ſacrificia, quæ pro equeſtri illo ordine peragebantur, vt Heſychius tradit: Bos quoque ipſe, qui ſacrificio illi deſtinabatur, ἱππὰς nuncupabatur, vt idem tradit. Apud Romanos, quod obſeruatu quoque dignum eſt, duobus dijs vnam hoſtiam mactari non licebat, quia vtri Deo res diuina fieret, haud facilè dignoſcebatur. Liuius enim tradit, Marcellum alias atque alias obiectas animo religiones tenuiſſe, in quibus quod cum bello Gallico ad Claſtidium Honori & Virtuti vouiſſet, dedicatio eius à pontificibus impediebatur, quòd negarent vnam cellam amplius quàm vni Deo rectè dicari, quia ſi de cælo tacta aut prodigij aliquid in ea factum fuiſſet, difficilis procuratio foret, quod vtri Deo diuina res fieret, ſciri non poſſet. Neque enim duobus, niſi certis deis ritè vna hoſtia fieret. Notandum etiam non ſemper accepta dijs fuiſſe ſacrificia: ſed ſæpe etiam repudiata. Repudiatæ hoſtiæ notas tangit Ouidius, dum canit:

Templa vides contrà gradibus ſublimia longis,
Iuppiter illa tenet: Quis non altaribus illis
Irrita thura dedit? quoties pro coniuge coniunx,
Pro nato genitor, dum verba precantia dixit;
Non exoratis animam finiuit in aris?
Inque manu thuris pars inconſumpta reperta eſt?
Admoti quoties templis, dum vota ſacerdos
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,
Haud expectato ceciderunt vulnere tauri?
Ipſe ego ſacra Ioui pro me patriaque tribuque
Cum facerem natis, mugitus victima diros
Edidit, & ſubito collapſa ſine ictibus vllis
Exiguo tinxit ſubiectos ſanguine cultros.
Fibra quoque ægra notas veri, monituſque deorum
Perdiderat, triſtes penetrant ad viſcera morbi,
Ante ſacros vidi proiecta cadauera poſtes.

In Meſſen.

Iones verò tunc de ſacris ſibi bene promittebant, cùm taurus mactandus magnum æderet mugitum: vt annotauit Varinus in Helice: & Pauſanias author eſt Meſſenios taurum, quem manibus Ariſtomenis mactaturi ſunt, columnæ quæ in eius ſepulchro eſt, alligare: Quod ſi ille dum vinculum euadere conatur, & ſaliendo tumultuatur, columnam commouerit, lætum omen interpretari, ſin minus, triſte.

IDOLOLATRIA.

Apis Aegyptiorũ deus.

Lib. 8. c. 46.

CELEBERRIMVS apud diuerſos ſcriptores eſt Apis Aegyptiorum deus, ad cuius imaginem Hebræi ſuum poſtmodum vitulum conflatilem in deſerto conſarcinarunt, vt deinceps oſtendetur, cùm prius de Apide eiuſque forma & origine, cultuq; dixerimus. Geſnerus de eo loca præcipuorum authorũ diligẽter collegit, quibus tamen nos quædã etiam addemus. De eo igitur, primum Plinius ſcribit in hæc verba: *Bos in Aegypto etiam numinis vice colitur. Apim vocant. Inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus lunæ creſcere incipientis. Nodus ſub lingua, quem cantharum appellant. Non eſt fas eum*

certos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *certos vitæ excedere annos, mersumque in sacerdotum fonte enecant, quæsituri luctu alium quem sub-*
stituant, & donec inuenerint mœrent, derasis etiam capitibus: nec tamen vnquam diu quæritur. In-
uentus deducitur Memphim à sacerdotibus. Sunt delubra ei gemina, quæ vocant Thalamos, auguria
populorum. Alterum intrasse lætum est, in altero dira portendit. Responsa priuatis dat, è manu consu-
lentium cibos capiendo. Germanici Cæsaris manum auersatus est, haud multò post extincti. Cætero se-
cretus cum se proripuit in cœtus, incedit summoto lictorum, grexque puerorum comitatur carmen ho-
nori eius canentium: intelligere videtur, & adorari velle. Hi greges repentè lymphati futura præci-
nunt. Fœmina bos ei semel anno ostenditur, suis & ipsa insignibus, quanquam alijs: semperque eodem
die & inuenire eam, & extingui tradunt. Memphi est locus in Nilo, quem à figura vocant phialam, om-
nibus annis ibi auream pateram argenteamque mergentes, diebus quos habet natales Apis: septem hi
sunt, mirumque neminem per eos à crocodilis attingi: octauo post horam diei sextam redire beluæ feri-
tatem. Hæc ille. Locum de cantharo sub lingua illustrat Porphyrius in opere de abstinentia car- *Cantharus sub lingua Apis.*
nium, sic scribens. *Scarabeum animal rerum diuinarum indocti abominantur, quod Aegyptij summo-*
pere venerantur: animatam Solis effigiem putantes. Lunæ præterea taurum dedicarunt, quem Apin
B *nuncupant, nigrum præ cæteris, & signa Solis & Lunæ habentem. Mutuatur enim ex Sole Luna lu-*
men. Solis symbolum est coloris nigredo (nam & Solis ardor nigriora reddit humana corpora) & qui sub
lingua est Scarabeus. Lunæ verò coloris diuisio. Adijcit in Iside Plutarchus cantaros pilulam excre-
mentitiam sensim in aduersum protrudere, sicuti contrarium mundo Sol cursum agit, ab occasu in *Ortus.*
exortum fertur. Apis (inquit Aelianus) apud Aegyptios efficacissimus Deus creditur, ex vacca quę
fulgure afflata conceperit, nascitur, Epaphum Græci vocant; Atque huius generis antiquam stir-
pem repetentes, Io Argiuam Inachi filiam illius matrem fuisse testantur, sed hunc sermonem, vt
mendacem Aegyptij reijciunt, temporis longinquitatem testem citantes. Epaphum enim multis
post seculis extitisse ferunt. Primùm verò Apim permultis annorum millibus in homines venisse.
Insignes eius notas Herodotus, & Aristagoras explicant. Quibus Aegyptij nō assentiuntur; nouem
enim & viginti eas huic sacro boui aptas & consentaneas esse dicunt. Quænam siut, tum quemad-
modum per corpus sparsæ, tum vt ipsis quasi floribus insignitus sit, aliunde intelligendum. Cuius
nam autem ex sideribus naturam vnum quodque insigne per notas designet, Aegyptij satis super-
que declarant. Etenim Nili ascensum, vnum insigne significare aiunt: aliaque insignia aliarum re-
rum significationes esse, haud profectò prophanis & diuinæ historiæ imperitis intellectu facilia.
C Cùm autem fama emanauit, Aegyptiorum deum exortum esse, ex scribis & sacerdotibus quidam,
vt documentum procreationi à patre traditum insignium notarum inditium accuratè exquirunt,
eò vbi diua vacca partum ex sese ediderit, accedunt, atque ibidem domum ad orientem Solem, vbi
sanè alatur, quatuor menses, excitant. Postea autem quàm ibi nutritus est exoriente Luna, scri-
bæ, sacerdotes, & prophetæ eodem proficiscuntur, & simul nauem huic sacram instruunt, eaque ip-
sum Memphim transportant, vbi sedes huic sunt & commorationes suaues; tum curricula, pulue-
rationes, exercitationes, & vaccarum formæ præstantia insignium ædes, tanquam thalami, in quos
ingreditur, cùm quam amat, superuenire appetit. Itemque est puteus & fons aquæ potabilis. Nam
eiusmodi huic semper conducere ministri & sacerdotes asserunt: non item ex Nili potione, ne pro-
pter dulcedinem in immensam molem pinguescat. Iam verò quas pompas, quæ sacrificia Aegy-
ptij conficiant, cùm nouæ alluuionis aduentum, tum dei exortum celebrantes, quas etiam saltatio-
nes tum agant, quos conuentus habeant, tum quemadmodum omnes vrbes & viri immortaliter
gaudeant, longum esset explicare. Is autem, ex cuius armento hæc diuina bestia exorta fuerit, bea-
tus habetur, summamque Aegyptiorum admirationem habet. Is bos præsentione valet: Ne sanè,
D vel puellas, vel aniculas ad tripedem sessitantes habet, neque sacra potione implet: sed pueri diuino
afflatu concitati, extra ludentes, atque inter se ad numerum saltantes, consulentibus futura prædi-
cunt. Hactenus Aelianus. Cæterùm Herodotus de sacro isto Aegyptiorum boue non semel etiam
meminit, & primùm libro secundo in hæc verba; Sacerdotes in Aegypto, boues mares Epaphi es-
se censent, eaque de re hunc in modum explorant. Si pilum in eo nigrum vel vnum viderint, nequa-
quam mundū censent. Explorat autem hæc sacerdotum aliquis ad id constitutus, pecude cùm stā-
te & erecta, tum etiam resupinata: lingua etiam exerta explorans an pura sit ijs signis, quæ ego alio
referam in libro. Inspicit & caudæ pilos, nunquid eos habeat secundum naturam procreatos. Eum *Exploratio.*
si fuerit his omnibus mundus, notat alligato cornibus byblo: deinde applicita terra sigillari anulo
impressa, abducitur. Nam immolanti eo sigillo non notatam, pœna morte sancita est. Et hunc qui-
dem in modum pecus exploratur. Sacrificandi autem is eis est ritus. Pecude quæ obsignata est, ad *Sacrificandi ritus.*
aram vbi immolatur, abducta, pyram incendunt: deinde supra pecudem libato contra templum
vino, ac deo inuocato, eam mactant; mactatæ caput asportant in forum si nundinæ sint & eis Græ-
ci negociatores adfuerint, atque illis vendunt, qui si non adfuerint, in flumen obijciunt. Execran-
tur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tur autem capita in hæc verba, vt ſiquid mali aut ipſis immolantibus, aut vniuerſæ Aegypto futurum ſit, id in caput hoc conuertatur. Eodem porro ritu circa capita pecudum immolandorum, & vini libamina, omnes pariter Aegyptij in omnibus templis vtuntur. Atque ex hoc ritu fit, vt nemo Aegyptiorum de capite illius animantis deguſtet. Eſt tamen ſacrorum delectus, & alius apud alia templa adolendi modus ab eis inſtitutus. Quam igitur deam maximam eſſe cenſeant, & cui maximum feſtum celebrent, iam nunc dicam. Poſteaquam ieiunauerunt pridie feſti, atque obdormierunt, bouem immolant, cumque corio exuunt, & aluo tota vacuant. Inteſtina intra ventrem adipemque linquunt, crura truncant, & extremos lumbos, armoſque ac ceruicem. His actis, reliquum bouis corpus ſtipant panibus puris & melle, & vua paſſa, & ficis, & thure, & myrrha, vtque alijs odoribus; Vbi hæc infarſerunt, adolent, multum vini oleique infundentes, ieiuni tamen priuſquam ſacrificent. Dum ſacrificium ardet, omnes verberantur. Poſtquam vapulauerunt, dapes ex ſacrificij reliquijs proponuntur. Boues mares, eoſdemq; mundos ac vitulos vniuerſi Aegyptij immolát: at fæminas eis immolare non licet, vtpote Iſidi conſecratas. Nam Iſidis ſimulacrum muliebre eſt, bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io Græci deſcribunt. Boueſque fæminas, omnes itidem Aegyptij venerantur ex omnibus pecudibus longè plurimum, eoque nemo Aegyptius Aegyptiaue Græci viri aut os ſuauiaretur, aut cultro aut veru, vel olla illius vteretur, aut pura bouis carne Græco cultro inciſa veſceretur. Boues qui demortui ſunt, hunc in modum ſepeliunt; Fæminas quidem in flumen abijciũt, mares autem in ſuburbanis ſinguli defodiunt, vno aut altero cornu extante, ſigni gratia. Vbi computruerunt, & ſtatum tempus aduenit, præſto eſt ad ſingulas urbes nauis ex inſula, nomine Proſopitide, quæ eſt in Delta, habetque nouem ſchœnarum ambitum. In qua cum alia ſunt frequentes vrbes, tum ea vnde proficiſcuntur naues ad oſſa tollenda, nomine Atarbechis, vbi templum Veneris extructum eſt. Vbi autem effoderunt oſſa, aſportant, eaque vno in loco cuncti ſepeliunt. Quem porrò in modum boues, in eundem defuncta alia pecora ſepeliunt. Ita enim apud eos circa hæc legibus comparatum eſt: nam ne hæc quidem interimunt. Huc vſque ille.

Iſidis ſimulacrum.

Vt boues ſepeliant.

Et rurſus in eodem libro de Api ait; Pſammitichus potitus Aegypto fecit in Memphi tum Vulcano veſtibula ad ventum auſtrum vergentia, tum è regione veſtibulorum aulam Api, in qua cum apparuit, Apis educatur, vndique columnis cinctam, ac figuris refertam, in qua aula loca ſtant columnarum coloſſi duodenum cubitorum. Apis autem Græca lingua Epaphus eſt. Et mox in ſequenti libro rurſus; Cambyſe Memphim regreſſo, parte copiarum amiſſa; Apis apparuit; Aegyptij, vbi Apis extitit, veſtimenta quàm pulcherrima ferre, & celebrando feſta operam dare. Id tunc facientes Aegyptios Cambyſes intuens, ratuſque ob res à ſe male geſtas, prorſus illos eſſe in his gaudijs, præpoſitos accerſit Memphis, & inſolitæ ab ijs lætitiæ cauſam requirit; qui cùm reſponderent, quo tempore Deus illis appareret, (longo autem interuallo apparere ſolitum) omnes Aegyptios ſolennem celebrare lætitiam: mentiri iuſſos morte mulctauit. Mox ſacerdotibus eadem referentibus dixit; Si quis Deus manſuetus ad Aegyptios veniret, fore vt ſe non lateret, & Apim eos adducere iuſſit. Eſt autem hic Apis, idemque Epaphus è vacca genitus, quę nullum dum alium poteſt concipere fœtum quàm Aegyptij aiunt fulgure ictam concipere ex eo Apim. Habet hic vitulus, qui vocatur Apis hæc ſigna; Toto corpore eſt niger, in fronte habens candorem figuræ quadratæ, in tergo effigiem Aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos. Poſteaquam Apim ſacerdotes adduxere, Cambyſes veluti vecordior, educto mucrone cum vellet ferire ventrem, femur percuſſit, cachinnanſque ad ſacerdotes inquit; O capita nequam, huiuſmodi dij exiſtunt, ſanguine atque carne præditi & ferrum ſentientes? dignus nimirum Aegyptijs hic deus. Nos certè ludibrio habuiſſe non iuuabit. Hęc locutus, imperauit his quorum munus erat, vt ſacerdotes quidem flagris cæderent, Aegyptios autem, (vt quemque feriantem adipiſcerentur,) occiderent. Ita feſtum ſolutum eſt; Sacerdotes mulctati, Apis ſauciatus femur, in templo iacens extabuit; quem è vulnere extinctum tumulauere ſacerdotes, clam Cambyſe. Ob hoc ſcelus (vt Aegyptij aiunt) continuo Cambyſes inſanijt, cùm ne compos mentis quidem fuiſſet, exorſus primum perpetrare facinus, necando Smerdim germanum fratrem & ſororem, quæ ei & uxor erat in Aegyptum vſque ſecuta. Sic ille.

Cambyſes Apim vulnerat.

Porrò ſicuti Memphitæ Apim bouem ſacrum habuere, ita & Heliopolitani poſt Solis templum Mneuin bouem pro deo coluerunt, qui in ſepto quodam nutriebatur, Ammianus quoque Marcellinus inter multa quæ de Api ſcribit, & hoc ferè ait: *inter animalia ab antiquis cõſecrata Neumis, & Apis reponuntur. Neumis idem Soli, Apis Lunæ dedicatus: qui diuerſis notarunt figuris expreſſus, &c.* quare conſiderandum, (inquit Geſnerus) an Mneuis pro Neumis legendum apud Marcellinum, apud quem & longè plura inuenies. Varroni non ſubſcribendum putat Geſnerus, quod Nymphodorum ſecutus, Apim poſt mortem Serapim appellatum eſſe velit, quia arca, in qua mortuus ponitur, σορὸς dicatur Græcè, & ibi uenerari ſepultum cœperint, priuſquam templum eius eſſet extructum, & Sorapim primò, deinde una litera commutata Serapim dictum. Minus etiam probat Plutar-

Mneuis bos.

Lib. 22.

Serapis vnde dictus.

A Plutarchi coniecturam, cui Serapis dictus videtur παρὰ τὸ σείεσθαι καὶ τὸ σῶσθαι τὴν τοῦ παντὸς ἅμα
κίνησιν;quod Deus ipſe ſit vniuerſi motus author: æquiuſq; eſſe arbitratur Aegyptio Deo Hebrai-
cum, & congeneris linguæ nomen, quam Græcè attribuere:quare an Serapis eadem vocabuli ori-
gine nominatus ſit,qua Seraphim Hebraicè Angelorum genus ob ardorem amoris, vel claritatem
viſionis ita dictum,peritioribus huius linguæ diſcutiendum relinquit. Ipſi quidem pulchrè conue-
nire uidetur, non ſolùm uox in utriſque, ſed uocis etiam ratio, cùm alij à fulgure,alij Lunæ ſplen-
dore Serapim concipi voluerint. Vſurpatur autem Saraph verbum apud Hebræos pro ardere, &
vrere. Varronis ſententiam tueri apparet D. Auguſtinum in opere de ciuitate Dei, his verbis: *His* *Lib. 18. c. 5.*
temporibus Rex Argiuorum Apis nauibus tranſuectus in Aegyptum, cum ibi mortuus fuiſſet, factus
eſt Serapis omnium maximus Aegyptiorum deus. Nominis autem huius cur non Apis etiam poſt mor-
tem, ſed Serapis appellatus ſit, facillimam rationem Varro reddidit;quia enim arca, in qua mortuus
ponitur, quod omnes iam σαρκοφάγον vocant,σορὸς dicitur Græcè & ibi eum venerari ſepultum cæpe-
runt, priuſquam templum eius eſſet extructum, velut Soroſapis vel Sorapis primò,deinde vna litera,
vt ſolet,commutata,Serapis dictus eſt. Conſtitutum eſt etiam de illo,vt quiſquis eum hominem dixiſ-
B *ſet fuiſſe,capitalem penderet pœnam. Et quoniam ferè in omnibus templis,vbi colebantur Iſis & Sera-*
pis,erat etiam ſimulacrum,quod digito labijs impreſſo admonere videretur, vt ſilentium fieret: hoc ſi-
gnificare idem Varro exiſtimat, vt homines eos fuiſſe taceretur. Ille autem bos quem mirabili varie-
tate decepta Aegyptus in honorem eius delicijs affluentibus alebat, quoniam eum ſine ſarcophago vi-
uum venerabantur, Apis non Serapis uocabatur,quo boue mortuo quoniam quærebatur & reperieba-
tur vitulus coloris eiuſdem,hoc eſt,albis quibuſdam maculis ſimiliter inſignitus mirum quiddam, &
diuinitus procuratum eſſe credebant. Non enim magnum erat dæmonibus ad eos decipiendos phanta-
ſiam talis tauri,quem ſola cerneret,oſtentare uaccæ concipienti atque prægnãti, unde libido matris at-
traheret,quod in eius fœtum iam corporaliter appareret:ſicut Iacob de uirgis uariatis,ut oues & capræ
uariæ naſcerentur,effecit. Quod enim homines coloribus,& corporibus ueris,hoc dæmones figuris fictis
facillimè poſſunt animalibus concipientibus exhibere. Quærit etiam Geſnerus,an apud Marcellinum
pro Neumis legi debeat Mneuis;Ita quidem paſſim apud claſſicos ſcriptores: diuerſimodè tamen
hanc vocem ſcribi obſeruo, nam & Euſebius Nineuin vocat: *Soli & lunæ* (inquit) *maximus bos &* *Lib. 3. de præ*
nigerrimus quem Nineuin appellant, ad imaginem ſolis colitur, nam & ſolis ardor, nigriora humana *par. Euang.*
corpora reddit. Habet autem caudam ille bos & totum corpus pilis ad contrariam partem quàm in *c. 3.*
C *alijs bobus inclinatis: denſiſſimam,quoniam & ſol ctra toties motum uidetur: teſticulos maximos ha-*
bet,quoniam Venerea cupiditas caliditate,uiget,& Sol ſeminarium naturæ appelletur. Ruffinus ve-
ro etiam quis ſit Serapis hæc ſcribit. *Diuerſa de ea fertur opinio paganorum. Alij Iouem putant,cu-* *Lib. 2. Hiſt.*
ius capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura modoque cuncta indicet moderari,uel uitã mor- *Eccleſ.*
talibus frugum largitate præberi. Alij uirtutem Nili fluminis cuius Aegyptus opibus & fœcunditate Serapis quis
paſcatur. Quidam in honorem noſtri Ioſeph formatum perhibent ſimulacrum,ob diuiſionem frumenti, ſit.
qua famis tempore ſubuenit Aegyptijs. Alij repertum in hiſtorijs Græcorum ueteribus ferunt: Apin
quendam patrem familias ſeu regem in Aegypto Memphis potitum, cùm famis tempore frumentum
apud Alexandriam defeciſſet,ex proprio affatim ciuibus alimenta præbuiſſe. Quo defuncto in honorem
eius inſtituerint Memphis templum, in quo bos quaſi inditium optimi agricolæ nutritur, habens quæ-
dam coloris inſignia,qui ex nomine eius Apis appelletur:σορὸν uerò ideſt ſepulchrum,in quo corpus eius
inerat, Alexandriam deduxerint, & σορὸν Apis primo ex compoſitione Sorapin, pòſt uerò per corruptio-
nem Serapin nominarint. Quod an uerum ſit, aut nihil omnino,de his Deus uiderit. Hunc Apin eun-
dem eſſe volunt cum Oſiride tantoperè ab eiſdem Aegyptijs culto. Strabo, *Memphis* (inquit) *Ae-* *Oſiris.*
D *gyptiorum regia Apidis templum habet,qui idem eſt quod Oſiris. Ibi bos Apis in ſepto quodam alitur,* *Lib. 17.*
& pro deo habetur, albus frontem & quaſdam paruas corporis partes, cætera uerò niger,quibus ſignis
indicant,qui ſit ad ſucceſſionem idoneus,alio uita functo. Ante id ſeptum aula quædam iacet,in qua eſt
aliud ſeptum matris eius. In hanc aulam nonnunquam Apis emittitur,præſertim ut peregrinis oſten-
datur. Videtur enim per feneſtram quandam in ſepto,& extra etiam ſi uelint. Vbi uerò paululum la-
ſciuierit, rurſum in propriam manſionem recipitur. Iſidem quidam etiam ab Apide non videntur
diſtinguere. Sic enim Euſebius: *Iſide deo boue albo naturaliter mortuo & magnificè ſepulto, Aegyptij* Iſis cum Api
quouſque alium inuenerint ſimilem, in perpetuo luctu ſunt, quem ſimul ac inuenerint, ad urbem Nili cõfunditur.
ſtatim adducunt, quo ſolo tempore mulieribus ipſum uidere conceditur. Obuiam namque prodeuntes
ſublatis ueſtibus genitales partes ei oſtendunt, nec unquam poſtea hunc deum mulieribus uidere licet.
Alij Apin Solem, Iſidem Lunam eſſe arbitrantur: primoſque aiunt homines in Aegypto hunc mũ-
di ornatum admirantes, vniuerſorumque naturam, duos eſſe deos & quidem æternos crediſſe,
Solem & Lunam, & illum quidem Oſiridem (Straboni idem eſt cum Api,) hanc verò Iſidem ap-
pellaſſe, vt Diodorus ſcribit. Bos etiam ei ab ipſis ſacrificabatur: Immolabant & Oſiridi verſicolo-
rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Metam. 9. rem quia is talis credebatur: Ouidius: *Sanctaque Bubaſtis, uarijſque coloribus Apis.* E

uanquam etiam permitterentur immolari boues ruffi, quod colore Typhoni qui Oſiridem necauit, ſimiles viderentur. Aegyptij enim Typhonem tyrannum Oſiridis interfectorem, ab Oro cæſum, vt tradit Plutarchus in eo opere quod de Iſide & Oſiride conſcripſit, ſuggillant in nonnullis feſtis: in quibus (inquit) homines ruffos ludibrio habent, aſinum autem præcipitãt, vt Copite, quod fuerit ruffus Typhon ac colore aſinino. Lycopolitæ item tubis quod aſinino clangorem aſſimilem edant, prorſus non vtuntur; quin etiam boues qui ruffi ſunt, ſacrant vſque adeo exquiſitè in eo religioſi, vt ſi vel pilum habeat nigrum vel album vnum, non litari arbitrentur eo: quippe hoſtiam dijs non eſſe gratam. Aliàs autem idem Euſebius ex Diodoro: *Iſim* (inquit) *latinè Priſcam dicere poſſumus, Lunæ hoc nomine indito, quoniam ſempiterna priſcaque ſit, cui quatuor cornua pingunt, vel quia cum alinoides ſit, cornuta videatur, vel quod bos ei apud Aegyptios ſit dedicata.*

Lib. 1. c. 6.
Priſca dea.

Alij Oſiridem, & Iſidem coniuges fuiſſe aiunt. Fuiſſe illum Iouis filium ex Niobe Phoronei filia, ſucceſſiſſeque Phoroneo in regnum Argiuorum: poſtea tamen Aegileum fratrem præfeciſſe regno Achaiæ, & ad Aegyptios transfretaſſe gloriæ cupiditate: quos cùm ſubegiſſet, Iſidem (quæ & Io vocabatur) Inachi primi regis Argiuorum filiam duxiſſe vxorem, vbi cùm illa literas, ipſe varias artes Aegyptios F docuiſſet, vtrumque diuinos honores meruiſſe. Sanè Plutarchus tradit in honorem Oſiridis, & Iſidis coniugum ob beneficium monſtratæ agriculturæ, alterum ſub tauri, alterum ſub vaccæ ſpecie, vt Solem, & Lunam fuiſſe cultos. Tandem à Sityphone Aegyptio, vel (vt Seruius ait) à Typhone fratre clàm eum fuiſſe occiſum, diuque ab Iſide quæſitum. Tandem apud Phialam iuxta Syenem laceratum repertum eſſe, ſepultumque ab ea in Abato inſula eius paludis, quæ Memphi proxima, & Styge, ideſt mœror inde ab ea appellata: nec niſi ſacerdotes, certis diebus, eoſque initratos eò accedere voluiſſe. Sed cùm apparuiſſet Aegyptijs deinde bos quidam, Oſirin putaſſe, adorauiſſeque vt Deum, & vocauiſſe Apim, ideſt, bouem eorum lingua. Plutarchus refutat ſententiam Phylarchi, quòd ſcripſerit primum ex India Bacchum adduxiſſe boues duos, quorum Apis alter, alter Oſiris ſit dictus. Bacchum verò ipſum cum Oſiri eundem eſſe inde autumat, quia plerique Græcorum Bacchi ſimulacra faciunt tauri forma, & Eleorum mulieres vota facientes precantur, vt ad ſe Deus veniat bubulo pede, & Argiuis Bacchus eſt bouigena.

Bacchus an Oſiris ſiue Apis.

Quibus adde ſepeliendi apud Aegyptios Apim ritum. Sepeliunt autem eius corpus ſacerdotes illud rate efferentes, quod à Bacchicis ſacris ſane non multum abeſt: quando nebridas ſibi inijcientes arripienteſque tyrſos in G Dionyſij organiſmis & vlulatibus & excurſibus quaſi Deo afflati vtuntur. Reuocant ſubinde ipſum tubarum concentu ex aqua, in abyſſum, ideſt, profundiſſimam partem agnum iacientes, quaſi id muneris πυλαόχῳ, ideſt, iuniori Cerbero emiſſionis præmium demittentes; tubas verò thyrſis abſcondunt, vt Socrates in libro ſacrorum ſcriptum reliquit. Diximus & ex Diodoro, Baccho ideo fuiſſe cornua attributa, quia primus boues iugo iunxerit, & Bacchus idem ſit, qui Oſiris. Ab Argiuis item βυγενὴς ideſt, boue genitus colebatur, eundemque plerique Græcorum ταυρόμορφον, ideſt, tauriformem, & ταυροκέφαλον, ideſt, tauricipitem, item ταυρωπὸν ab Orpheo effingebant, & appellabant. Quinimo etiam taurus dictus eſt, & illi cornua attributa, & cognomen etiam factum ταυρόκερως, ideſt, tauricornis, vt eſt apud Nicandri commentatorem. Idem & ab Orpheo in hymnis βούκερως & δίκερως, ideſt, buceros & bicornis. Hinc Naſo:

Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Aliàs tamen Diodorus Dionyſium ſiue Bacchum cornutum prodidit quòd Iouis Ammonis filius fuerit, qui arietino capite cũ cornibus fuiſſe dicatur. Sunt qui cornua pro audacia ſumunt, vt Phurnutus, quòd audaces truceſque vinum faciat: & Feſtus ait, Bacchi cornua ad ebriorum truculen- H tiam referri, Plinius ad eorum furorem. Plato verò in ſecundo de legibus, Xenophon, Athenæus & Nicandri Scholiaſtes, cauſam volunt, quod antiquis cornua in vſum cederent poculorum. Sed reuertor ad Apim bouem: hunc etiam reſponſa dediſſe teſtatur Fauorinus in commentarijs, Eudochique aſtrologi, cùm eſſet in Aegypto, pallium linxiſſe; eoque prodigio ſacerdotes, eum virum clarum futurum, ſed parum victurum reſpondiſſe: quod oſtendit Diogenes Laertius hoc epigrammate:

Apis vt reſpõſa daret.

A boue cornuto propriam prædicere ſortem
Eudoxum fama eſt quondam Memphitis in vrbe
At quia ſermonem vitulo natura negauit,
Nil dixit, ſtolam lingens obliquus aperte.

At ſuprà ex Plinio Germanici Cæſaris exemplo, ſi manu oblatum pabulum ſumpſiſſet à conſulentibus, ſecundos euentus, atque omnia proſpera portendiſſe dictum eſt, ſi verò abnueret, in dubio malo & memorandis cladibus diuinaſſe. Conſulendi enim atque adorandi huius bouis inſania Romanos etiam tenuit, nam & Lampridius teſtatur, Titum Veſpaſianum Imp. optimum in conſecrando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A crando apud Memphim boue Api & diadema (vt de sacerdotibus dictum) gestasse, de more priscæ religionis, & gloriosus Ecclesiæ doctor Hieronymus ad Syluinam scribens, *Ad tauri*, inquit, *Aegyptij sacra semel maritum admitti*. Colebant verò Romani præcipuè Isidem & Cybelem, & per hæc duo numina grauissimè iurabant: Martialis: *Lib. 8. Epig. 87.*

Non per mystica sacra Dindymenes,
Non per Niliacæ bouem iuuencæ,
Nullos denique per deos deasque
Iurat Gellia, sed per vniones.

Tacitus & apud Sueuos Isin cultam fuisse scribit, cuius simulachrum fuerit in modum Liburnæ conformatum: qua de figura sic ratiocinatur, vt religionem aliundè inuectam putet. Lucianus itē de nauigij forma colligitur, numen eius nauigationi præfuisse. Appuleius cymbium eam læua tenuisse scribit, liburnicæ nimirum sub pocula effigiem. Sicut verò in Bacchi sacris quem Api eundem putari dixi, sacerdotes fanatici per plateas & oppida cymbalis & crotalis personantes obstrepabant, ita similiter in Isidis siue Syriæ deæ festis factitari solitum Apuleius tradit, ancipitique ferB ro brachia dissecantes, aut morsibus suis musculos incursantes, stipes æreas argenteasque multis vertatim afferentibus sinu recipiebant patulo, de quorum gesta plura idem author tradit. Huc spectat hoc eiusdem Martialis:

Iuro per Syrios tibi tumores
Iuro per Berecyntios furores.

Quò verò in honore cultuque apud Tithorenses Isis sit, tradit in hæc verba Pausanias: Ab Aesculapij, stadia fermè XL. abest circum septa area, cùm penetrali sacrario Isidis: religione sanctissimum est eorum omnium, quotcunque Græci Aegyptiæ deæ consecrarunt. Neque enim quantum soli in ambitu patet, habitari Tithoræenses fas ducunt, neque ad id penetrale accessus est alijs quam quos Isis ipsa per somniorum visa sibi præ cæteris delectos aduocauerit. Quod ipsum in ijs quæ supra Mæandrum sunt vrbibus, faciunt subterranei dij. Quos enim intra penitralia descendere facile patiantur, per nocturnas imagines exuscitant. Et Isidi sane Tithoreæ binæ celebrantur quotannis nundinæ, verè scilicet anni & autumno. Tertio verò ante ambas nundinas die quibus introire penetralia fas, arcano se illi quodam ritu lustrant: & eorum quæ porrecta fuerant superioC ribus nundinis extorum reliquias in eundem semper locum asportatas, defodiunt. Abest locus ille, quantum conijcimus, à penetrali stadia duo. Solennis est hic eius diei ritus. Postero die institores tabernas sibi erigunt ex arundine & alia fortuita quauis materia. Postremò tertio die qui ad eum mercatum conuenere, vendunt mancipia & quoduis genus pecudes: vestem etiam, argentum & aurum. Pomeridianis iam horis ad sacra animum adijciunt: immolant lautiores, boues & ceruos: tenuiores, anseres & meleagrides aues: Impuras hostias suem & capram ducunt, eas idcirco non cædunt. Summa est religio, vbi adoleuerint victimas intra aditum, vbi extructa iam pyra est, demittere: Colligare verò illas necesse habent lineis vel byssinis vinculis. Est hic sacri apparatus ab Aegyptijs traditus. Cum pompa verò quæ immolantur omnia transmittuntur, ac iam intra aditum sacris receptis, qui sunt foris, tabernis exustis properè abeunt. Hominem aliquando aiunt non illum quidem ex eorum numero, quibus non est adytointerdictum, sed planè profanum, cùm cœpta iam esset pyra incendi, præ curiositate & confidentia ingredi ausum, ac sibi illum visum videre lemurum plena omnia, reuersumque Tithoræam, cum quæ viderat, cuncta enarrasset, statim D animam efflasse. His consimilia de Phœnice quodam homine audiui: Aegyptios Iside festos dies agitare, qua anni parte lugeri ab ea Osirin dicunt: ac per illos sanè dies incipere Nilum anniuersario auctu excrescere, quò fit, vt incolarum turba dictitet, augeri Nilum atque impleri, lateque ex eo arua irrigari, Isidis lachrymis. Eo ipso tempore Romanum hominem, qui Aegyptum prouinciam obtinebat, quendam mercede conductum iussisse Isidis adytum intrare quod Copti erat: redisse illum, sed mox, vbi quæ conspexerat, exposuit, è vita discessisse. Homeri igitur illud facilè existimari potest nihil à vero abhorrere, non posse cuiquam hominum bene vertere, cui deos perspicuè cernere contigerit. Hæc itaque Pausanias. In tabula Torquati Bembi cuius titulus est, Vetustissimæ tabulæ æneæ hieroglyphicis, hoc est sacris Aegyptiorum litteris celatæ typus, quem ex Torquati Bembi musæo publicæ vtilitatis ergo Cæsari Ferdinando &c. Aeneas Vicus Parmensis publicauit, dedicauitque, inter alia hieroglyphica etiam bouis expressa est imago bicornis, collo, & pectore nigræ, cætera albæ, nec non alterius, quæ tricornis esse videtur, vel nescio quid in medio cornuum ostendit; cuius tergori auis alis prædita latissimis insidet. Suspicatus sum aliquando, nunquid Isidis figura esset, quare etiam in gratiam eorum qui antiquitatis studiosi sunt, hic exhibere iconem istiusmodi lubet. Haud temerè igitur Iudæos multi voluerunt ab Aegyptijs, cùm recens ab eis migrassent, hoc idololatriæ genus accepisse, vt vituli aurei effigiem sibi colendam

Isis vbi in honore.
In Phocicis.
Isidis nundinæ.
Vitulis conflatilis Hæbræorum origo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

E

F

G

Cap. 32.

proponerent, qua de re in Deueronomio legimus: *Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, ait: Surge, fac nobis deos, qui nos praecedant. Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit ei. Dixitque ad eos Aaron. Tollite inaures aureas, de vxorum filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecit populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque: Hi sunt dÿ tui Israel qui te eduxerunt de terra Aegypti. Quod cum vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras solemnitas domini est. Surgentesque mane, obtulerunt holocausta & hostias pacificas, & sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* De grauitate peccati huiusce idololatriæ sic disserit Tostatus: *Feceruntque sibi vitulum conflatilem.* Hic (inquit) declaratur in spetiali peccatum, scilicet quod peccatum Israelitarum non fuit in aliquo paruo, sed in maximo faciendo contra primum mandatum fabricando deum, & fuit iste deus vitulus conflatilis, idest, factus per H conflatilem in forma fusurio auro liquido immisso, de quibus omnibus rationes supra assignatæ sunt. *Et adorauerunt.* Hic explicat deus per singula grauitatem huius sceleris, vt videatur Moysi magis dignum punitione. Fuit enim prima culpa siue gradus, quia fecerunt sibi vitulum conflatilem: nam dato quod hoc solùm factum fuisset, erat grauis culpa, & contra primum mandatum, sed nec hoc solum mansit, quoniam secuta est alia culpa secunda, scilicet quia adorauerunt eum, inclinantes se coram eo, tanquam coram deo suo vero: quod adhuc grauius culpæ genus est: nam primum, scilicet fabricatio vituli, vel cuiuslibet alterius statua non erat peccatum, nisi secundum, quòd ad adorandum fiebat: ergo ipsa adoratio in seipso grauior erat. Si ergo isti mox vt vitulum fabricauerunt pœnitentes de iniquitate sua inchoata, & concepta eum non cōminuissent comminuentes in puluerem, vel flammis exurentes, licet peccatum præcedens graue foret, remediabile tamen erat. Nunc autem quia adorauerant grandis erat effecta iniquitas. *Atque immolantes.* Istud est tertium grauamen peccatum, scilicet quod immolauerunt illi vitulo: nam adoratio erat quædam exhibitio reuerentiæ facta illi vitulo aureo: ista tamen aliquando fit hominibus, licet differat ab effectu exhibentis, vtrum sit latria, vel dulia. Et ideo hoc existente adhuc, nō erat

Idololatriæ peccati grauitas.

A erat plena manifestatio, vtrum dicerent istum vitulum esse deum, vel non: cùm autem immolauerunt ei, declarauerunt eum deum esse, quia sacrificium soli deo fit. *Hostias*. Duo genera hostiarum obtulerunt, hostias pacificas, & hostias in holocaustum. *Dixerunt, isti sunt dij tui Israel.* Ista fuit quarta aggrauatio peccati: nã dato quid immolassent hostias vitulo aureo, & per hoc manifestarent eum esse deum in operis exhibitione, tamen adhuc non manifestabant eum esse deum in voce: cùm autem proclamauerunt eum esse deum, qui eduxerat de Aegypto, publicè eum deum esse notificauerunt. *Qui te eduxerunt*. Ista sunt verba populi Israel loquentis ad se, ita quod quilibet de populo dicebat ad totum populum; Isti sunt dij Israel, qui te eduxerunt de Aegypto, & est hic quintum grauamen peccati. Nam licet dixissent publicè illum vitulum esse deum, & per hoc aliquo modo tollerent indirectè honorem veri Dei: quia istum etiam deum faciebant, quod ad solum verum & vnicum Deum pertinet, tamen non tollebant directè honorem veri Dei, quia nihil quod ipse habebat, tollebat ei. Cùm autem dixerunt, qui te eduxerunt de terra Aegypti, grauissimè peccauerunt, quia cum solus Deus verus eduxisset Israel de Aegypto, & non erat cum eo deus alienus, vt testatur Psalmista, isti dicebant hunc deum qui erat vitulus, eduxisse eos, quod conse-
B quenter tollebant illum verum deum non fecisse. Hucusque Tostatus. Non mirum igitur, quod iratus deus, vindicare tam enorme peccatum voluerit, vt diuina pagina ibidem testatur in hæc verba: *Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Vade, descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti. Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis: fecerunt que sibi vitulum conflatilem & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt. Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti: Rursumque ait Dominus ad Moysen, Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit; dimitte me, vt furor meus irascatur contra eos, & deleam eos.* Et mox ait scriptura. *Percussit autem Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.* Quæritur autem nunquid Aaron in hoc idololatriç delictum vna cum populo inciderit. Ipse quidem se apud Moysen purgat. Hoc enim rogante, *quid ei fecisset populus, vt induceret super illum peccatum maximum*, ille respondet, *Ne indignetur populus meus: tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum: dixerunt mihi, fac nobis deos, qui vos præcedãt, huic enim Moysi qui nos eduxit de terra Aegypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi; quis vestrum habet aurum? Tulerunt & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.* Theodoretus Aaron propositum in vitulo formando quærendum esse ait: *Aaron ad idololatra.*
C Ita enim futurum, vt omnino venia indignum fuisse non iudicemus. Nam cum frater illius Moyses (inquit) quadraginta dies in montis vertice constitisset, & populus ille rabie quadam insaniret, atque in Aegyptum remigrare vellet, primò quidem populi impetum verbis compescere tentauit, sed postquam dicto audientes minimè esse intellexit, mulierum aureas inaures postulauit, vt animum ornatus pecuniarumque maximè amantem, superstitionis insaniæ tanquam militem militi in acie opponeret. Verùm ne hac quidem ratione rabiem eorum extinxit. Qua propter vitulum necessario formare coactus est. Huiusmodi igitur propositum à diuina benignitate illi ignoscendum erat: id quod Moyses ipse in Deuteronomio satis declarauit, cùm ait. *Deprecatus sum Dominum pro Aarone fratre meo, & mortuus non est.* Addit author catenæ in Exodum, proiecisse quidem Aaronem vniuersam auri massam in ignem, & egressum esse vitulum, sed non virtute ignis & artis, vt Hebræi dicunt, sed quòd in illo populo magna esset colluuies Aegyptiorum, inter quos erant (inquit) Magi, qui sua arte id egerunt, vt præter omnium expectationem egrederetur vitulus; nam celebris erat apud Aegyptios cultus eius bouis, quem Apim appellabant. Sic tandem populum timuit Aaron, & absente fratre nihil ausus est agresti populo negare. Et fortè non potuit futura
D credere, quæ domino permittente, ob insignem populi perfidiam & inobedientiam facta sunt. Quę autem maior iniquitas & stultitia fieri potuit, quàm statim acclamare diuinis vocibus, *Hi sunt dij tui Israel.* Vbi honoris gratia plurali numero explicant vnum deum, nouum illum suum aureum vitulum. Ingratitudo denique impia fuit contra deum, cùm ex eo auro, quod dominus Deus eorum illis tradiderat spoliatis Aegyptijs, in iniuriam dei, deos Aegyptios coluere, quos sanè suo bono senserant prostratos & victos, à suo illo vero deo & sancto. At verò Caietanus, Aaron (ait) primatum nolens perdere, ædificat altare coram vitulo, non expectans rogari, sed statim vt vidit vitulum, primus ædificauit illi altare ad sacrificandum ei. Et præconis voce clamauit, dicens, *Cras solemnitas domini est.* Non meretur tanta blasphemia Aaron excusationem, quam aliquos secuti posuimus circa petitionem inaurium, sed potius meretur accusationem, vt pro honore futuri idoli petierit inaures aureas ex vxoribus, filijs & filiabus. Insaniuit enim ipse longè magis quàm alij, nam alij nisi elohim & elohe, quæ sunt nomina communia attribuerunt idolo, ipse autem incommunicabile, & ineffabile nomen tetragrammaton attribuit idolo, nullo ad hoc instigante, & quod peius est, voce publica. Et vide studium Aaron ad accelerandum sacrificium; vt vidit vitulum, ædificauit altare & clamauit. *Cras festum vitulo, tanquam summo Deo.* Non *Ingratitudo Hebræorum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

poterat feſtum citius indici. Ecce quò ducit ambitio principatus. Burgenſis verò populum vult E
ideo vitulo diuinos exhibuiſſe honores, quoniam vitulus iſte videbatur exercere quædam opera
ſimilia operibus vitæ, ſicut eſt comeſtio, & huiuſmodi, idque potuiſſe fieri operatione dæmonum,
qui in vitulo fabricato hoc fecerint, vt eos attraherent ad idololatriam, ſicut ſolent (inquit) facere
dando reſponſa in idolis, vt homines decipiant, & ſic ille vitulus aureus non erat verus vitulus, ſed
Pſal. 105. in quantum videbatur comedere fœnum. Dicitur enim in pſalmo fuiſſe in ſimilitudinem uituli
comedentis fœnum. E contrario Thoringus in ſua replica correctorij contra Burgenſem. Hęc (in-
Vitulum aureū non fuiſſe viuum. quit) Burgenſis cum fingentibus fingit, vt excuſet inſaniam populi Iudaici, cùm aliquando Iudæus
fuerit, quaſi iudicium rationis in eis non fuerit ſic abſorptum, vt crederent rem penitus inanima-
tam eſſe Deum. Simile argui poteſt fieri, ſi vitulum viuum crederet eſſe deum, & multò fortiùs cō-
flatilem comedentem fœnum crederet eſſe deum. Non enim oportet hic dubitare de oppreſſione
iuditij rationis per malitiam populi abundantem, & fortiſſimam complacentiam ad idololatran-
dū. Quis enim dubitabit iuditium rationis abſorptum, vbi traduntur obliuioni ea etiam quę in va-
Pſal. 105. cuis mētibus hærent? de quibus dicitur: *Obliti ſunt Deū qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Aegy-* F
pto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Vbi videatur gloſſa magiſtralis de extrema
illius populi obcæcatione: vnde ad ipſorum inſaniam palliandam non oportet fingere vitulum il-
De mirab. ſac. ſcript. c. 15. lum comediſſe. Nam beatus Auguſtinus vult, quòd filij Iſrael in deſerto cum adorare idolum vel-
lent, nō aliam ſtatuam quàm uitulum fecerunt, quia uitulus in Aegypto iuxta ſepulchrum Ioſeph
ſculptus adorabatur ab Aegyptijs, à quibus Iudæi didicerunt. Idem dicit Gloſſa interlinearis in-
frà ſuper uerbo, *Fecit eis vitulum*, &c. & tamen eum uitulum comedere non uiderunt, nec prædicta
figmenta ſunt ad propoſitum literæ præſentis, cum dicitur: *Quòd cùm vidiſſet Aaron, ædificauit*
coram eo altare, &c. Nam hic non dicitur populus in uitulo aliquid uidiſſe, ſed ſolus Aaron, quem
conſtat circa vitulum deceptum non fuiſſe, quaſi per operationem diabolicam inclinatus fuiſſet ad
vitulum colendum, quia & ipſe Burgenſis nullum malum imponit ipſi Aaron, niſi factum ſcanda-
li actiui, & cùm ſufficeret ad illam inſaniam populi malitia & pronitas ad idololatrandum, non eſt
theologicè dictum, quod diuina permiſſio acceſſerit, permittendo dæmones, vt per huiuſmodi
exercitium vitæ in vitulo populum ſic peculiariter deductum ſeducerent, & alia pars excuſatio-
nis illi populo remaneret, quaſi ſeductus eſſet deo permittente. Præterea ſimilitudo de paganis
recipientibus reſponſa in idolis, & iſtis peſſimis Iudæis, quam Burgenſis adducit, non valet, nec G
probat vitulum conflatilem apparenter comediſſe, per hoc quod adducit de pſalmo: *In ſimilitu-*
dine vituli comedentis fœnum, quia non vult litera pſalmi, quod conflatile comeſtionem exercuerit
vel aliquod aliud opus ſimile operi vitæ, ſed quòd verus vitulus comederit fœnum, cui iſtud ido-
lum fuit ſimile in figura & forma artificiali, non in actu comedendi: ideo dicitur eos mutaſſe glo-
riam Dei, non in vitulum, ſed in ſimilitudinem, ideſt, idolum & imaginem veri vituli comedentis
fœnum. Nec ideò dixit Aaron: *Egreſſus eſt hic vitulus*, quaſi greſſus ille vituli aliquid operis vitæ
oſtenderit, quia egreſſus ille fuit opere fuſorio, prout probat beatus Auguſtinus & gloſſa ſupra
præall. In eo capite ponit Burgenſis digreſſionem modicum facientem ad literæ veritatem, quia
multa extra literam præſupponit contra quandam ſui ipſius regulam prætenſam, poſitam in quæ-
ſtione ſua præambula. Supponit enim quod vitulus ſit viſus à populo exercere opera vitæ & co-
medere, & huiuſmodi, quod ex litera non habetur. Item ſupponit quod populus non petitur deos,
vt coleret, ſed vt haberet eos ductores, quod etiam ex litera non ſequitur; imo ex litera iuncta gloſa
habetur oppoſitum, quia dicitur in litera interlineari ſuper verbo, *Fecit eis vitulum*, bouem in H
Aegypto adorauerunt, & fortaſſis aliud Idolum non ſuſcepiſſent; vnde patet quod populus petijt
deos quos coleret, imo vt ductores eos nemo expeteret, niſi eis cultum exhibere propoſuiſſet, à quo
enim quis petit in ea neceſſitate conductus beneficium, reſtat vt ei debitum exhibeat cultum ad
Deum verum, cùm non habuiſſet recurſum ad deos poſtulatos, habebat animum inclinatum vt vi-
detur, nec petierunt eos vt columnam, vel angelum, quia huiuſmodi in ſcripturis deos vocari non
Lib. 6. ſupra Ioan. c. 5. eſt conſuetum. Hucuſque Thoringus. Et D. Cyrillus, quomodo Iudæi (inquit) ſe iactare poſ-
ſunt, quòd ex ijs qui idololatriæ dediti fuerint, non deſcenderunt, ſed vana & friuola eſt eorum
iactantia. Nam & patres eorum in deſerto adorauerunt vitulum conflatilem, & cùm à iudicibus
regerentur ſæpius abierunt poſt deos alienos, & traditi ſunt in manus perſequentium. Deniq; cùm
regū principatu gubernarentur, frequenter admodū prolapſi ſunt in cultum idolorum, tandem Ba-
bylonicam perpeſſi captiuitatē in ſcelerum ſuorum pœnā. Si non fuerit vnquam in progenitoribus
eorum iſta fornicationis abominatio, quare igitur Hieremias propheta, imo Dominus per Hiere-
miam, Iudæam de fornicatione increpat, atq; vt ab illa deſiſtat, clemētiſſimè cōmonet, dicens, *Tu*
In Oſeam. *autē fornicata es cū amatoribus multis, tamē reuertere ad me, dicit dominus, & ego ſuſcipiā te.* Sed &
D. Hieron. ait: Multa ſępe Iſrael accepit idololatrię vulnera, & maximè illud quādo in eremo vituli
conſla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A conflauerunt caput,atq; dixerũt: *Isti sunt dij tui Israel,qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Et rursus:
Propterea ait Propheta: *Vastabũtur & miseri erũt, & semper timentes,& formidantes,quia præuari-
cati sunt in Deũ,adorantes vitulos aureos, & relinquentes eũ qui redemit eos de Aegyptia seruitute,
& eduxit in excelso brachio,ipsi verò locuti sunt contra Dominũ mendacia, dicentes de idolis, Hi sunt
dij tui Israel,qui te eduxerunt de terra Aegypti,& non clamauerunt ad Dominum in corde suo,sed in
idololatriæ fornicationibus volutabantur.* Isidorus scribit, in hoc vitulo corpus Diaboli significari, *Vitulus au-*
idest (inquit) homines in omnibus gentibus, quibus ad hæc sacrilegia caput, idest author est dia- *reus corpus*
bolus. Aureus vitulus,quia videntur idololatriæ instructi à sapientibus, de quibus dicitur: *Dicen-* *diaboli.*
tes enim se esse sapientes stulti facti sunt,& mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem *Roman.* 1.
imaginis corruptibilis,&c. Et hac sapientia iste vitulus aureus qualia solebant etiam Aegyptiorum
sapientes adorare figmenta. In vitulo ergo significatum est omne Diaboli corpus, idest, omnis
societas Gentiliũ idololatriæ deditorum. Hanc sacrilegam societatem Christus combussit igne,de
quo ait: *Ignẽ veni mittere in terrã* &c. Et alibi: *non est qui se abscondat à calore eius*,dum in eum cre- *Luc.* 12.
dunt gentes,igne virtutis eius diabolica forma soluitur,deinde corpus comminuitur,idest,ab illa *Psal.* 18.
malæ conspirationis collatione discussum, verbo veritatis humiliatur, & comminutum in aquam
mittitur,vt eos Israelitæ, idest Euangelij prædicatores ex baptismo in sua membra, idest,domini-
B cum corpus transferant:vnde Petro dicitur. *Macta & manduca, concide & bibe.* Ita vitulus per ignẽ *Act.* 10.
cœli & aciem verbi per aquam ab eis potius quos absorbere conabatur,absorptus. Quæ posteriora
Isidori verba pertinent ad explicationem,cur Moyses vitulum illum aureum combussit, Cum enim *Vitulus au-*
appropinquasset ad castra (vt in eodem capite legitur) vidissetque vitulum & choros,iratus valdè, *reus cur à*
arripuit vitulum,quem fecerant,combussit & contriuit vsque ad puluerem,quem sparsit in aquam, *Moyse com-*
& dedit ex eo potum filijs Israel. Quibus verbis describi aiunt peccati examinationem, quod de- *bustus.*
buit nimirum fieri ante punitionem,quia non omnes culpabiles erant nec æqualiter. Fieri ergò pri-
mò examinationem per signum, cùm dicitur. *Et dedit ex eo potum filijs Israel.* Dicit Rabbi Salo-
mon quòd istæ aquæ potatæ erant nociuæ culpabilibus, causando in eis inflationem & languorem
per quem poterant ab eis discerni: alijs autem erant dulces & vtiles,sicut aquæ in sacrificio Zeloti-
piæ,ostendebant per effectum culpam mulieris vel eius innocentiam,vt habetur. Alij autem docto-
res dicunt, quod color auri mansit circa ora eorum,qui erant culpabiles,ita quod barbæ eorum vi-
debantur aureæ, & sic ab alijs distinguebantur. Porro Stephanus Cantuariensis notari vult,quòd
populus nõ adorauit totum vitulum,sed caput vituli. Vitulus(inquit)est luxuria, caput delectatio.
C Hanc Diabolus cupit ab homine adorari,idest,vt delectetur in peccato: Vel quia caput prima pars *Vituli caput*
est,vult semper ipsum esse in principio,non in fine. Diuus verò Ambrosius cur caput vituli exierit, *cur adoratũ.*
ideo factum arbitratur: quia significabatur futurum quod Hieroboam posteriore tempore hoc ge-
nus sacrilegij induceret, vt populus Hebræorum adoraret vitulos aureos,siue quòd omnis perfidia
similis immanitatis atque bestialis insipientiæ sit. De aureis autem vitulis ab Hieroboam rege
erectis hæc legimus: *Dixitque Hieroboam in corde suo; nunc reuertetur regnum ad domum Dauid,* 3. *Reg.* 12.
si ascenderit populus vt faciat sacrificia in domo Domini in Hierusalem, & conuertetur cor populi hu- *Hieroboam*
ius ad dominum suum Roboam regem Iudæ, interficientque me & reuertentur ad eum. Et excogitato *idololatria.*
*consilio,fecit duos vitulos aureos,& dixit eis,Nolite vltrà ascendere in Hierusalẽ. Ecce dij tui Israel,
qui te eduxerunt de terra Aegypti. Posuitque vnum in Bethel,& alterum in Dan,& factum est ver-
bum hoc in peccatum. Ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan. Et fecit phana in ex-
celsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui. Constituitque diem solennem in
mense octauo, quintadecima die mensis, in similitudinem solennitatis,quæ celebrabatur in Iuda. Et
D ascendens altare similiter fecit in Bethel,vt immolaret vitulis, quas fabricatus fuerat, constituitque
in Bethel sacerdotes excelsorum quæ fecerat. Et ascẽdit super altare quod extruxerat in Bethel, quin-
tadecima die mensis octaui,quem finxerat de corde suo & fecit solennitatem filijs Israel & ascendit su-
per altare,vt adoleret incensum.* Idem testatur Flauius Iosephus sacræ paginæ omnino astipulans: *Lib.*8.*c.*3.
Nec multò post instante Scenopegia(inquit) *cogitans secum,quòd si permitteret populo Hierosolymita-
nam profectionem, & festi illic celebrandi potestatem faceret,populus captus religione templi & cere-
monijs,facile mutata voluntate,seque relicto ad priorem regem accedere posset: idque non dominationi
suæ tantum,verùm etiam vitæ periculosum foret,statuit hoc modo rebus suis consulere. Duas vitulas
ex auro fecit, & constructis totidem delubris, altero apud Bethela,altero apud Danam,quod oppidum
situm est ad minoris Iordanis fontem; effigies illas vtrobique consecrauit, & conuentu indicto decem
tribuum quibus ipse præerat,pro concione in hunc modum eas est allocutus: Viri populares,notum vo-
bis existimo, quod nullus locus deo est uacuus, & quod is nullo certo locò includitur, sed ubique uota
exaudit,ubique cultores suos respicit. quare non placet mihi,hoc tempore uos Hierosolymã urbem dis-
sitam longo itinere proficisci religionis ergò. Homo illud templum statuit; quemadmodum & ego duas*

 aureas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

aureas vitulas conſecraui, alteram in Bethelis, alteram in Dana, vt pro locorum opportunitate ex propinquioribus oppidis ad eas confluentes, illic Deum adoretis. Nec deerunt ſacerdotes ac Leuitæ ex vobis per me deſignati, ne quid Leuiticam tribum & Aaronis progeniem deſideretis. Ergo quicunque ex vobis ſacerdotium ambit, vitulum & arietem deo mactet, quo ritu ferunt etiam primum ſacerdotem Aaronem creatum eſſe. His verbis populum decepit, author ei factus patriæ religionis deſerendæ: quæ cauſa fuit Hebræis omnium calamitatum vt bello ab exteris gentibus deuicti, poſtremo in captiuitatē abducerentur. Porrò apparente iam ſeptimi menſis feſtiuitate, volens & ipſe apud Bethela eam celebrare, ſicut à duabus tribubus Hieroſolymis celebrabatur, ante vitulam altare poſuit, moxque aſſumpta pontificis perſona, cum ſuis ſacerdotibus ad illud aſcendit; cumque iam holocautoma in conſpectu totius populi pararet incendere, deo mittente ſuperuenit à Hieroſolymis propheta, nomine Iadon: Is in mediam multitudinem progreſſus, audiente rege ad altare ſermonem vertit. Altare, altare, hæc dicit Dominus. Deus, fore quendam prædicit de genere Dauidis, Ioſiam nomine, qui mactabit ſuper te falſos ſacerdotes illius temporis & impoſterum ad impietatem populum ſeducentium oſſa ſuper te incendet. Et vt nemini dubium ſit prædictionem hanc non eſſe vanam, prodigio confirmabitur. Rumpetur protinus altare hoc, & adipes victimarum in eo congeſti in humum effundentur. His prophetæ verbis irritatus Rex, intendit in eum manum, iubens hominem comprehendi: moxque ſideratum brachium diriguit, vt reducere manum non poſſet, torpente membro exanimi. Altare quoque diruptum impoſitas victimas effudit, ita vt vates dei prædixerat, &c. De hiſce vitulis loqui videtur Oſeas propheta (*Cap. 10.*) dum ait: *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, quia luxit ſuper eum populus eius, & editui eius ſuper eum exultauerunt in gloria eius, quia nigrauit ab eo:* In cuius loci explicatione D. Hieronymus, in Bethauen (inquit) ideſt Bethel (Bethel teſte eodem, interpretatur domus Dei, poſtquā (*Idola vaccæ cur dicta.*) vituli aurei in ea poſiti ſunt, appellata eſt Bethauen, ideſt, domus idoli) vaccas aureas coluerunt habitatores Samariæ: quas cum irriſione non vitulos ſexus maſculini, ſed vaccas ideſt, fęminas appellauit, vt videlicet Iſrael non ſolùm deos vitulos, ſed deas vaccas coleret. Et vt oſtenderet vaccas Bethauen, vnum in Bethel vitulum ſentiendum, non intulit: luxit ſuper eis populus, ſed ſuper eo, ideſt, vitulo aureo. Si autem luxit populus, quare editui eius ſuper eo exultarunt? Tradunt Hebræi vitulos aureos a ſacerdotibus furto eſſe ſublatos, & pro his æneos & deauratos ſuppoſitos. Cùm igitur lugeret populus tempore neceſſitatis & anguſtiæ, etiam vitulos aureos inter munera cætera Aſſyrijs regibus & maximè regi Sennacherib ab Iſrael rege eſſe directos, exultabant editui, quod fraus eorum nequaquam poſſet argui vel deprehendi. Et hoc eſt, quod ait: editui eius ideſt vituli ſuper eo exultauerunt in gloria populi, hoc eſt, in vitulo quem habebant pro gloria: quia migraſſet ab eo, ideſt à populo & tranſlatus eſſet ad Aſſyrios. Et vt ſciamus, inquiunt, hoc eſſe quod dicitur, perſpicuè ſequens verſus oſtendit: *Si quidem ipſe in Aſſur delatus eſt munus regi vltori:* ſtatim ſequitur: *Confuſio Ephraim capiet, & confundetur Iſrael in voluntate ſuas ſiue in conſilio ſuo.* Deprehenſa enim fraus deauratorum vitulorum, regi Iſrael literis indicatur, & vnde ſe placere exiſtimauerant, inde vel maximè confunduntur, & offendunt eos quibus munera miſerant, exiſtimantium non furta ſacerdotum, ſed fraude regum atque conſilio hoc eſſe perfectum. Legimus in regum volumine, regem Iſrael Manahen, regi Aſſyriorum Phul mille argenti talenta miſiſſe, vt eſſet manus eius cum eo, ideſt, vt præberet ei auxilium, inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos aureos eſſe directos. Iuxta ſpiritualem intelligentiam laborandum eſt, quo modo omnia hæreticis coopte-mus. Vaccas Bethauen ſiue domus ὤν, quod interpretatur labor, coluerunt hęretici, qui ſe in cuſtodia mandatorum dei, hoc eſt, Samaria habitare iactabant, dieque iudicij quando germinabit quaſi amaritudo iudicum ſuper ſulcos agri, lugebit populus ſuper eum, hoc eſt ſuper vitulum & ſuper dogma peruerſum quod putabat Deum: Sed & editui, non dixit exultabunt, ſed exultauerunt (ad præteritum tempus referens) ſuper gloria ſua, qua quondam glorioſa confinxerāt: eo quod migraſſet à populo, à quo fuerat derelicta. Quicquid autem loquuntur hæretici & pulchro ſermone componunt, mittunt munera regi ſuo diabolo, ad illum cuncta referentes, vnde confuſio capiet eos in æternum & confundentur in voluntatibus ſuis. Huc quoque ſpectat hoc eiuſdem prophetæ: *Argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola vt deſpereant. Proiectus eſt vitulus tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eos: vſquequo non poterunt emundari? Quia ex Iſrael & ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt Deus, quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.* Ad quem locum idem D. Hieronymus, vt aranearum (inquit) fila diſſoluuntur in ventum; ita vitulus Samariæ redigetur in nihilum. Proijcit Dominus hæreticorum vitulos & Samariæ: qui ſe dicunt legis præcepta ſeruare. Qui vituli hærent humo, operantur in terra, non ſpiritu, nec oculos ad cœlum leuant, & idcirco iratus eſt furor Domini ſuper eos & miratur, quæ ſit tanta peruerſitas, vt nolint relinquere idola, quæ ſibi fabricati ſunt, & ament ſordes hæreticas pro eccleſiæ munditijs. Quos vitulos non accepit Iſrael (qui Dominum videre ſe fingit à cæteris gentibus: ſed de ſcripturis ſanctis ſibi ipſe conflauit intel-

X

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A intelligentiæ prauitatem & artifex est Dei sui; qui citò peribit, & aranearum telas imitabitur, qui leui rumpuntur attactu. Rupertus verò ad priorem prophetæ locum (*Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ,*) commentans. Non dixit, (inquit) tantùm vaccas coluerunt, sed vaccas Bethauen coluerunt. Magna quippe distinctio vaccarum est earum, quæ figi poterant in Bethauen, idest, in domo idoli, & earum quæ gradiuntur in armentis & spatiantur in pascuis. Istæ namq; vaccæ viuunt & sentiunt: illæ aureæ siue ex alio quocunque metallo formatæ, non solùm insensibilia, verùm & inanimata simulacra sunt. Constat autem quia corpore inanimato corpus animatum viuens & sentiens longè præstantius est. Pulchrè igitur & vehementer redarguit nimis depressam hominum stultitiam, dicendo, *vaccas Bethauen,* idest, vaccas non saltem viuentes & lactis alimoniam præstantes, sed inanimatas vaccarum similitudines coluerunt. Ait insuper hoc esse notãdum, quia non dixit coluerunt reges Samariæ, sed coluerunt habitatores Samariæ. Colere namque rectè dici, qui sua voluntate & animi diligentia celebrat & adorat, siue veneratur. Non ergò populum excusabilem videri, sermonem hunc propheticum pati, cùm dicit, *vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.* Hoc enim non propriè (inquit) dictum esset, aut dici posset, si regibus vitulos co-
B lentibus, metu tantum, & non propria fuissent obsecuti voluntate, si inuiti paruissent, & non sponte consensissent. Iam verò nostro etiamnum tempore bos diuinis colitur honoribus apud nonnullos noui orbis populos. Iulius Cæsar Scaliger tradit, qui Cuchin regnum incolunt, bouem peculiari cultu pro deo habere, & nuncupari Tambaram, & in Iesuitarum epistolis legimus, in quibusdam Indiæ locis à vaccarum esu omnino abstineri, quod eas pro dijs habeant, & Gesnerus nescio ex quo annotauit in Lac regno in vltima Indiæ parte versus meridiem bouem hodieque adorari: & Paulus Venetus ait incolas regni Var omnes idololatras esse, multosque eorundem adorare bouem, vt rem sanctam, nec vllum occidere, cumque aliquis bos moritur, perungere domos suas eius adipe: esse verò etiam qui licet boues non occidant, tamen ab occisis non abstineant.

Vaccæ Bethauen.

Colere quorum sit.

Exerc 258.

Vbi boues adorentur.

Lib. 3. c. 24.

HISTORICA.

IOANNES Vasæus in Chronico Hispaniæ de quodam qui viduæ vaccam arripue-
C rat, diuinitùs punito, hanc refert historiam. Hermigildus in Episcopum Compostellanum electus, post electionem prauis desiderijs huius præsentis exilij deditus, dum vixit, iniquitatis dominio mentis colla submisit. Cùm autem paulò ante diem sui exitus vehementi ira commoueretur, cuidam viduæ vnam vaccam cuius lacte se filiosque suos pascebat, auferri præcepit. Altera ergò die ei cum militibus suis inter epulas sedenti dapifer suus vnum ex intestinis illius vaccę, quod Galleco vocabulo Duplicia vocatur, in scutella argentea inter alia fercula apposuit. Ipse verò dapum diuersitate iam distentus, atque nectaris liquore ingurgitatus, cum priori morsu appositæ dupliciæ quam comedere voluit, medio ventris, eis qui intererant, videntibus, crepuit. Postquam autem sepultus fuit, monumentum eius combustum fuisse, à quamplurimis audiuimus & etiam ipsius combustionis signa proprijs oculis ipsi conspeximus. Hæc ibi. In alio libro antiquo legi, quod œconomus huius Episcopi vaccam illam accepit à vidua octo filios habente: Quæ cùm ad pedes pontificis cum lachrymis se proiecisset, nullam consequi misericordiam potuerit. Reliqua respondent, sed illud adijcitur, quod Hermigildus iste pręsul lumbos præcinctos non habuerit. Hæc Vasæus. Historia Ecclesiastica quam tripartitam vulgò nũcupant, de Sancto Ammone hoc narrat miraculum: Iniusti parentes alicuius à cane rabido per-
D cussum filium & penè moriturum obtulerunt ei, & eiulantes deprecabantur, vt curaretur. Tum ille ad eos: Non eget, inquit, mea curatione, sed vos si vultis, reddite bouem quem rapuistis dominis tuis, ægrotus repente sanabitur; quod etiam contigit. Nam vt restitutus est bos, passio mox recessit à puero. Mirum etiam quod his verbis refert D. Augustinus: Ardurus nomen est fundi prope Carthaginem, vbi ecclesia est, & in ea memoria Stephani Martyris. Puerum quendam paruulum cùm in area luderet, exorbitantes boues, qui uehiculum trahebant, rota obtriuerunt, & confestim palpitauit ex spirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriam posuit, & non solum reuixit, verùm etiam illæsus apparuit: Sebaldus regis Daciæ filius, vt scribit Curio, nocte prima nuptiarum sponsam deserens, in eremum fugit, & ibi quindecim annos mansit. Romam profectus à Gregorio vndecimo in Germaniam prædicandi causa missus fuit, & prope Nerimbergam in oratorio fratrum D. Martini mortuus est, eumque boues indomiti sepulturę duxerunt. Saligniacus, vt citat Christianus Adrichomius in theatro terræ sanctæ, agens de horto balsami, quod fonticulus ibi esset paruus & non sufficiens irrigationi totius horti, tradit Saracenos alium fodisse iuxta illum puteum, ex quo quatuor boues protraherent aquam per rotam, sperãtes ex vicinitate fontis aquam fore salubrem,

Vaccæ ablatæ furto pœna.

Lib. 1. c. 11.

Ammo sanctus.

Lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8.

Lib. 2. Chronol.

Boues festi obseruatores.

at lon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

at longè aliter rem euenisse, donec missis canalibus, aquam putei duceret in fontem, quo facto largiter & salubriter ex aquis mixtis rigabatur balsami hortus. Mirum dictu. Veruntamen à meridie Sabbati vsque ad auroram diei Lunæ boues nullo verbere impelli potuisse, vt in protrahenda aqua laborarent: quod est fidei (inquit) nostræ testimonium celebre. Narrat Eusebius se in persecutione Diocletiana in Palæstina & in Tyro Phœniciæ spectasse proprijs oculis, quòd ferocissimæ bestiæ, vt tauri, vrsi, pardi & similes, quibus Martyres erant obiecti, licet fame & ferro ignito ad furorem irritatæ essent, tamen ad Martyres aut accedere voluerint, aut in eos impetum facientes, obturatis faucibus resilierint: & alios quidem accedentes extrinsecus arripuerint, & malè tractarint, solis verò martyribus pepercerint. Nicephorus eandem referens historiam scribit taurum cuidam martyri lingua pedes lambisse, & religiosè quodammodo ab eo discessisse. Rodericus Toletanus de tauro in Episcopum immisso istiusmodi refert historiam. Veremundus rex Sanctorum Patrum canonicas sanctiones seruari præcepit, & licet alias satis esset prudens, susurronibus & detractoribus aures bibulas inclinabat. Accidit autem quòd tres serui de familia ecclesiæ Sancti Iacobi, quorum, vnus vocabatur Zadon, alter Cadon, alter Ansilon, apud regem, dominum suum Athaulphum de crimine pessimo accusarent, & quòd etiam promiserat Saracenis se legem Mahometicam suscepturum, & Galleciam traditurum. Rex autem credidit, eò quòd Episcopus esset filius principis qui regi Sancio in pomo mortis poculum propinarat. Cumque prædictus Episcopus vocatus ad curiam quinta feria ante pascha venisset Ouetum, consulentibus sibi aliquibus, vt antequam in ecclesiam descenderet, se regis conspectui præsentaret, Episcopus constanti animo sic respõdit, quòd prius se præsentię Saluatoris omnium exhiberet, & post in præsentia tyranni principis compareret: intransque ecclesiam Saluatoris ilico indutus sacris vestibus diuina officia celebrauit. Rex autem taurum ferocem præceperat adduci, vt in venientem Episcopum desæuiret. Sed Episcopus innocens cùm talia præsentisset, consummatis officijs, ad locum, vbi taurus æstuans mugiebat, accessit intrepidus, & mox taurus ad Episcopum veniens, cornua in manus eius dimisit, quibus dimissis ad montem, vnde venerat, remeauit. Episcopus autem cornua, quæ sibi taurus dimiserat, coram altari deponens Domino Saluatori cum cæteris fidelibus soluit laudes, actore falsæ suggestionis, & eorum semine maledicto coarctans &c. Rex autem viso miraculo perturbatus, obtulit Episcopo satisfactionem, sed Episcopus regem videre noluit: Hæc ille. Quomodo autem Robertus Scotorũ rex in sylua Caledonia feras persecuturus, ab obuio syluestri tauro fuerit liberatus, dictum est, cùm de Caledoniæ syluę tauris ageremus. Extat Seueri rhetoris & poetæ Christiani carmen bucolicum de mortibus boum, in quo miratus pastor, cur tot ex suo grege boues in singulos dies sæua illa & pestilenti lue corriperentur & absumerentur, ex sodalis verò sui armento nullus omnino, *Dic age*, inquit:

Lib. 8. c. 7.

Martyribus ferę obediũt.

Lib. 1. c. 7.

Lib. 5. de reb. Hispan. c. 13.

Taurus cornua demittit in manus sancti.

Boues signo crucis a peste pręseruati.

> *Quis te surripuit cladibus his deus,*
> *Vt pestis pecudum, quæ populata sit*
> *Vicinos, tibi nulla sit.*

Respondet alter:

> *Signum quod perhibent esse crucis Dei*
> *Magnis qui colitur solus in vrbibus*
> *Christus perpetui gloria numinis*
> *Cuius filius vnicus.*
> *Hoc signum medijs frontibus additum*
> *Cunctarum pecudum certa salus fuit.*
> *Sic verò Deus hoc nomine præpotens*
> *Saluator vocitatus est.*
> *Fugit continuo sæua lues gregis,*
> *Morbis nil licuit.*

Lib. 2. c. 11.

Vacca à dæmone exagitata.

Extat item elegantissima, memoratuque dignissima de vacca à dæmone exagitata, & à Diuo Martino liberata, historia apud Sulpitium Seuerum qui huius viri sancti vitam descripsit. Per idem ferè tempus, inquit, Martino à Treueris reuertenti fit obuiam vacca, quam dæmon agitabat, quæ relicto grege suo in homines ferebatur, & iam multos noxiè petulans confoderat. Verùm vbi nobis cœpit esse contigua, ij qui eam eminus sequebantur, prædicere magna voce cœperunt, vt caueremus. Sed postquam ad nos toruis furibunda luminibus propius accessit, Martinus eleuata obuiam manu pecudem consistere iubet. Quæ mox ad verbum illius stare cœpit immobilis. Cùm interea videt Martinus dæmonem dorso illius supersedentem, quem increpans, descende, inquit, funeste descende de pecude, & innoxium animal agitare desiste. Paruit nequam spiritus & recessit. Nec defuit sensus in bucula, quin se intelligeret liberatam. Ante pedes sancti viri, recepta quiete, prosternitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A sternitur, deinde iubente Martino gregem suum petijt, seque agmini cæterarum oue placidior immiscuit. Imperante Nerone Romam profectus est Simon Magus, cùm artibus Magicis multa edidisset prodigiosa, sibi Dei nomen (inquit Georgius Cedrenus in compendio historiarum) arrogauit. Quo tempore magnus ille Apostolus Petrus Romam cùm venisset, statuit Simonem adire. Erat ante fores Simonis canis prægrandis catena vinctus, cuius opera Simon arcebat quoscunque ad se accedere nollet, idque primum miraculum occurrebat ad Simonem intraturis. Petrus canem ita magnum & efferatum cernens, cognito multos ab eo fuisse interfectos, quod ante iussum Simonis ingredi conati essent: apprehendit eum, solutumque intrare ad Simonem iussit, eique humana voce dicere, Petrum seruum Christi cupere ipsum conuentum. Cum canis statim intrò accurrisset, itaque esset locutus, obstupuerunt, qui cum Simone erant, percontatiq; sunt, quis nam iste Petrus, & quæ eius tanta potestas esset; Simon respondit: non debere hoc eos mirari, nam se idem præstaturum; simul cani mandat, vt humana voce Petrum intrò venire iubeat. Quod cùm canis fecisset, ita ad Simonem intrauit Petrus, cumque edendis miraculis certarent Petrus sanandis morbis superior fuit, multique fidem amplexi, baptizati sunt. Quodam die Simon ingentem taurum ad se

Simonis Magi & D. Petri certamẽ.

B adduci iussit, cumque ei in aurem aliquid dixisset, is ilicò mortuus est: quem taurum Petrus, Deum comprecatus, in vitam reuocauit: quod populus cernens, admiratus est, fassusque magis esse viuificandi quàm necandi miraculum, &c. Idem Cedrenus rursus de Zambre & sancto Syluestri similiter miraculis contendentibus sic scribit. Cum disseruisset prolixè Siluester, Christiq; res ex sacris literis accuratissimè demonstrasset, Iudæique admodum superarentur: quidam eorum, Zambres nomine, reliquos Iudæos ita est affatus. Si Siluestri sermones admittitis, necesse est vos leges maiorum vestrorum deserere, vanumque hominem sequi, quem illi morte mulctarunt. Verùm mihi Imperator obsequatur, iubeatque ferum taurum adduci, vt hac ego die coram ostendam, quanta vis sit nomini Dei nostri. Non enim verbis sed factis veritatem demonstrabo. Siluester Imperatorem hortatus, vt taurum talem iuberet adduci, interim Zambrem interrogat, cur taurum requirat? Zambres, quia nomen nostri Dei nulla creatura audire potest, quin moriatur, volo eius vim in hoc tauro apertè monstrare. Syluester. Quomodo autem illud nomen tu didicisti? Ex aliquonè id audisti, an legisti? Zambres. Neque charta, neque lapis, neque lignum eius nominis est capax. Ego autem cùm ieiunassem, in argenteam peluim nouam immissa aqua id addidici. His dictis, simul etiam taurum multi viri vndique funibus vinctum attraxerunt, ferissimum ac prægrandem. Ibi

Zãbres Iudæus cum S. Siluestro cõtendit.

C Siluestrum subsannas Zambres. Nunc, ait, verbis tuis eorumque argumentis finis aduenit. Si confidis in nomine Dei tui, pronuncia agẽdum id in aures tauri huius, atque ita veritatem tuæ religionis Imperatori proba. Sin verò, ipse pronunciabo: omnesque statim ad me accurrent, fidemque mihi habebunt. Et Zambres, Iudæis & reliquis exhortantibus, nomen ad aures tauri protulit; atq; ilicò taurus magno mugitu edito, oculis elisis expirauit. Hic Iudæis exultantibus, ac contra Siluestrum multa iactantibus, Christianis autem graui dolore oborto, Siluester Imperatorem rogauit, vt silentium turbæ imperaret. Quo facto, ipse sublimi stans loco; Audite, inquit, proceres ac principes, populique omnes verba mea attentis percipite auribus. Prædico dominum vniuersi mundi Iesum Christum, qui cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam restituit, manus aridas sanauit, claudos in integrum reposuit statum, leprosos purgauit, luxatos artus firmauit, mortuos in vitam reduxit. Vnde liquidò est demonstratum, nomen illud, quod ad necandum taurum Zambres inuocauit, diaboli esse. Si enim mortuo vitam reddere non potest, vtique vitæ & salutis hostis est, qui viuum necare, mortuum autem viuificare nequit. Tum Zambres tunicam suam disrumpens: Optime, inquit, Imperator atque æterne, quem à nemine vinci posse dicebas, ego Dei omnipoten-

D tis auxilio vici. Iustum ergò est, non permitti ei multa loquendi longum spatium: semper enim inaudita comminiscens, Deo auersa dicendi finem nullum facit, suaq; loquacitate imperio tuo molestus est. Ei Augustus respondit. Nomen omnipotentis Dei, eiusque inuocatio, primò omnium vitæ & saluti consulit. Itaque tu etiam siquidem à Deo es, taurum in vitam reuoca, tum credemus te diuinitus victoriam consecutum. Quod si hoc præstare nequeas, in promptu est, diabolicis præstigijs se visum fuisse. Sed & Siluester, audi, inquit, Iudæe, veritatem ex tuis libris propositam. In Deuteronomio Deus fatur. *Videte, Videte, quod ego sum, & extra me non est Deus. Ego interficiam & vitæ reddam; ego feriam, idemq; sanabo.* Itaque tempestiuè inuocatus necat, tempestiuè inuocatus rursus in vitam restituit. Proinde in alteram aurem tauri nomen Dei inclama, & si is reuixerit, fidem verbis tuis adhibebimus. Zambres. Non ne dixi, optime Imperator, verbis Siluestrum à nemine vinci posse? Iube igitur eum non verbis, sed facto aliquo sua comprobare nobis. Siluester. Vis ergo Iudæe, vt ego inuocato nomine Domini mei Iesu Christi, taurum excitem? Zamb. Id. non efficies, ne si alis quidem subuoles. Imperator: Tuam ò Zambres, impudentiam miror, Petijsti, vt verbis omissis certamen factorum instituatur. Iam Siluester promittit id se facturum, quod tu fieri

Cap. 32.

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

non poſſe contendis. Par eſt ergò te confiteri, hunc eſſe verum deum, qui mortuos in vitam reducere valet: hunc autem impoſtorem eſſe & diabolum, qui necat, & vitam reddere non poteſt. Tum Zambres iurauit: ſi quidẽ Silueſter taurum excitabit à morte, vniuerſa Iudaica lege deſerta, Chriſtianam amplectemur fidem. At beatus Silueſter, manibus aliquandiu in cælum intentis & cum lachrymis precatus ad taurum adit, magnaque voce ait, Ego, Domine mi Ieſu Chriſte, coram omnibus ſanctiſſimum tuum nomen inuoco, vt vniuerſi intelligant taurum hunc à diabolo necatum, inuocato tuo viuifico & illuſtriſſimo nomine in vitam reductum eſſe. Simul propius taurum aſſiſtens, alta voce inclamauit. In nomine Ieſu Chrſti, quem impij Iudæi opera Pontij Pilati in crucem egerunt, ſurge cum maieſtate. Ilico taurus totum corpus commouens ſurrexit: quem Silueſter vinculis ſolutum, abire vnde venerat, & intereundum, neminem lædere iuſsit. Hoc tam ingens miraculum Iudæi cernentes, eoque perculſi, ſtatim ſe ad pedes beati Silueſtri vniuerſi abiecerunt, & ſanctum baptiſmum eum flagitarunt. Ipſa quoque feliciſsima regina Helena ad pedes Silueſtri accidit, locumque ſibi pœnitentiæ concedi petijt &c. Haud minorem admirationem habet, quòd à Cæſario Neiſterbachenſi ordinis Ciſtercienſis ſcriptum eſt de quodam vſurario à Dæmone ad pœnarum loca rapto. Ab eo nimirum ibi viſum quendam honeſtum militem nuper mortuum, Helyam nomine de Riningen, burgrauium in caſtro Hurſt, vaccæ furenti inſidentem aduerſo corpore, ita vt dorſum haberet ad cornua vaccæ, quæ huc illucq; diſcurrebat, & crebris ictibus dorſum militis cruentabat: cui cùm vſurarius diceret; domine quare ſuſtinetis tantam pœnam? reſpondit. Vaccam iſtam rapui ſine miſericordia cuidam viduæ, & ideo ſine miſericordia oportet me ab illa pœnam hanc ſuſtinere. Hiſce modò veriſsimis hiſtorijs lubet ex Plutarcho duo dæmonis afferre ludibria: Peſtilentia (inquit) Lacedæmonem vrgente, diuinitus ſignificatum ceſſaturam luem ſi pro more generoſam immolarent virginem. Helena autem cum eſſet aliquando ſorte ducta & ornata produceretur, aquila deuolans gladium arripuit, & in armentum deferens buculæ impoſuit; quo factum eſt, vt cæde virginis abſtineretur. Hæc ille ex Ariſtodemo tertia congerie fabularum. Idem ex Ariſtitide lib. 19. Italicorum, Falerijs ait graſſante peſte, oraculo indicatum eſſe, finem fore mali, ſi quotannis Iunoni virgine litarent. Ea ſuperſtitio cùm perduraret, ſorte lecta victimæ loco Valeria Luperca, ſtrictum ab ea gladium rapuiſſe aquilam, aiunt depoſitoque in ea quæ comburenda igni erant bacillo, cui exiguus erat præfixus malleus, gladium inieciſſe buculæ cuidam, propter templum paſcenti. Id cùm intelligeret virgo, bucula mactata rem ſacram feciſſe, ſublatoque malleo ſecundum domos circumiuiſſe, lenique ictu excitauiſſe ægrotantes, valere vnicuiq; dicendo. Addam verò etiam & hoc de Pythagora. Narratur hic (inquit Cælius) bouem, vbi prope Tarentum conſpexiſſet fabaceam ſegetem morſicatim corrumpentem, tum etiam proterentem pedibus, bubulco inſinuaſſe, bouem moneret, frugibus parceret. Ridens buſequa: Ego (inquit) bouatim non didici, tu qui videre ſcholarum id genus experiens, obeas vicem meam. E veſtigio Pythagoras auribus eius admouens, ſui artificij quæpiam immurmurauerit. Res additur mira. Obedientiſsimus bos, vt ab eo qui amplius ſaperet, edoctus, lacerare mox ſegetem deſtitit: quin etiam in futurum huiuſmodi pabulo abſtinuit: ſed & bubulum deſijt obſequium, factuſque de ruſtico colono ambulator vrbanus, Tarenti placidè conſenuit, de manibus hominum victitans.

Taurus mortuus reſuſcitatur.

Lib. 2. miracul.

Vaccam furatus, à vacca punitur.

In Parallelis.

Bucula pro virgine cæſa.

Bos Pythagoræ obedit.

MYTHOLOGICA.

Fabula Europæ & Iouis.

EVROPAM Agenoris Phœnicum regis, & Meliæ nymphæ filiam, tanta corporis præſtantia atque pulchritudine fuiſſe narrant, vt omnes ſuæ tempeſtatis mulieres facilè ſuperaret. Hanc vbi Iupiter ſummopere deperiret, dicitur in candidum ac pulcherrimum taurum eſſe conuerſus, atque ad littus maris deſcendiſſe, quò Europa cum ſocijs virginibus aliquando adire conſueuerat. Huius tauri miram quandam atque inuſitatam pulchritudinem Europa admirata dicitur ſeorſum à ſocijs ad eum ſpectandum primum acceſsiſſe, deinde etiam liberius manibus contrectaſſe, ac denique ipſum taurum tãquam equum ludendo aſcendiſſe, à quo per dolum dicta eſt ſuper mare fuiſſe in Cretam vſque deportata, vti ſcriptum eſt ab Ouidio his uerſibus.

Ille pater rectorque deum, cui dextra triſulcis
Ignibus armata eſt, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, mixtuſque iuuencis
Mugit, & in teneris formoſus obambulat herbis.
Quippe color niuis eſt, quam nec veſtigia duri
Calcauere pedis, nec ſoluit Aquaticus Auſter.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Colla toris extant; armis palearea pendent;*
Cornua parua quidem, sed quæ contendere posses
Facta manu, pluraque magis perlucida gemma.
Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumen.
Pacem vultus habet. Miratur Agenore nata,
Quod tam formosus, quod prælia nulla minetur;
Sed quamuis mitem metuit contingere primo,
Mox adit, & flores ad candida porrigit ora.
Gaudet amans, & dum veniat sperata voluptas,
Oscula dat manibus, vix ah, vix cætera differt,
Et nunc alludit, viridique exultat in herba.
Nunc latus in fuluis niueum deponit arenis
Paulatimque metu dempto, modò pectora præbet
B *Virgineæ palpanda manu, modò cornua sertis*
Impedienda nouis: ausa est quoque regia virgo
Nescia quem premeret, tergo considere tauri,
Tum deus à terra, siccoque à littore sensim
Falsa pedum primo vestigia ponit in vndis.
Inde abit vlterius, mediÿque per æquora ponti
Fert prædam, pauet hæc, littusque ablata relictum
Respicit, & dextra cornu tenet, altera dorso
Imposita est, tenues sinuantur flamine vestes.

Fabulantur etiam Iouem, vbi sese quis esset Deus, pristina forma recepta confessus fuisset, ad præclari huiusce facinoris memoriam sempiternam inter sidera tauri imaginem collocasse: Idem poeta id quoque eleganter recenset in Fastis: *Taurus inter sidera relatus.*

Idibus ora prior stellantia tollere taurum *Lib. 5. Fast.*
Indicat, huic signo fabula nota subest.
Præbuit vt taurus Tyriæ sua terga puellæ,
C *Iuppiter & falsa cornua fronte tulit.*
Illa iubam dextra, læua retinebat amictus
Et timor ipse noui causa decoris erat,
Aura sinus implet, flauos mouet aura capillos,
Sidoni sic fueras aspicienda Ioui.
Sæpe puellares subduxit ab æquore plantas
Et metuit tactus assilientis aquæ.
Sæpe deus prudens tergum demittit in vndas,
Hæreat vt collo fortius illa suo.
Littoribus tactis stabat sine cornibus vllis
Iuppiter, inque deum de boue versus erat.
Taurus init cœlum, te Sidoni Iuppiter implet.
Parsque trium terræ tertia nomen habet.
Hoc cœli signum, Phariam dixere iuuencam,
Quæ bos ex homine est ex boue facta dea.

D Quod verò ad Europæ fabulam attinet, Palaphatus à tauro vectam fuisse negat, eò quod neque taurus, neque equus (inquit) tam profundum pelagus transfretare potuisse videatur; neque vtique puella Europa supra taurum tam ferum animal ascendere voluisset. Atque adeo si Iuppiter Europam in Cretam accedere in animo habuisset, meliorem sane viam, quem hæc erat, inuenire potuisset. Veritas rei hoc habet. Cretensis vir quidam, cui Taurus nomen erat, bellum in Tyrrhena regione gerebat. Hic cùm plures alias in eo loco puellas rapuisset, Europam præcipuè regis filiam, postremò captiuam abduxit. Qua ex re dicere homines solebant, Europam regis filiam Taurus asportauit, ob idque fabula hæc conficta fuit. Hæc Palæphatus. Alij verò etiam sub hac fabula Tauri latere hanc tropicam aiunt veritatem: Quod Iuppiter eum rapuit Europam, habuit nauem præsignem tauri forma; vel taurum in puppi figuratum: Ita Cælius & Varinus Europæ taurum apud Lycophronem non aliud fuisse aiunt quam παυρόμορφον τύπωμα πλοίυ, idest tauriforma præsigne nauigium. Nominabantur autem naues nominibus illorum (inquit Baytius) quæ prætendebant insignium. Ascanius verò Martinengus Brixianus Canonicus regularis Auguft. istiusmodi longè aliud desumit ex hac fabula mysterium. Fingunt (inquit) poetæ Europam adulescentulam *Fabulæ explicatio.* *Naui tauri formas.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tulam pulcherrimam, cum à tauro cuius dorso insidebat, per vndosum mare veheretur, in Orientem semper facie retrorsum conuersa (è Phœnicia siquidem in Cretam ferebatur) patrium littus respexisse. Europa animæ typus est, hæc insidet tauro petulanti, huic nostræ carni, vtinamque habenas temperantiæ non dimittat: fertur per profundum & immensum pelagus huius mundi, tum placidis, tum fluctuantibus vndis, tum prosperis, tum aduersis rebus iactatum. Sed quid? Retrò conuersa ad ortum semper respicere debet, ad Deum, vnde originem traxit. Studere enim ei incumbit, quomodo placeat deo, vt sicuti à Deo prosilijt, ita ad deum redeat. Porro si ad deum semper anima oculos verterit, oculus eius simplex erit, totumque corpus lucidum cernetur, si intentio operis sancta extabit, totum quoque opus perfectum prodibit, & semper opera eius in luce perficientur. Sic ille. Idem Iuppiter tauri formam indutus per Cererem quoque compressisse legitur. Arnobius enim de Cerere in tauri forma ab eo delusa sic scribit: *Parit mensem post septimum, luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium consequens, modò Liberam, modò Proserpinam nuncupauit quam cum verueceus Iupiter bene validam, floridam & succi esse conspiceret plenioris* &c. Mox subdit; *In draconis terribilem formam nigrat, ingentibus spiris pauefactam colligat virginem, & sub obtentu fero mollissimis ludit ac adulatur amplexibus: fit vt & ipsa de semine fortissimi compleatur Iouis, sed non eadem conditione qua mater. Nam illa filiam reddidit lineamentis descriptam suis; at ex partu virginis tauri specie fusa Iouialis monumenta pellaciæ. Auctorem aliquis desiderabit rei, tum illum citabimus Tarentinum, notumque senarium, quem antiquitas canit, dicens,*

Animæ typus.

Lib. 5. Iuppiter vt Cererem cōpressit.

Taurus draconem genuit, & taurum draco.

Ipsa nouissima sacra, & ritus initiationis ipsius, quibus Sebadÿs nomen est, testimonio esse poterunt veritati. In quibus aureus coluber in sinum demittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus atque imis. Porro & Eusebium audiamus de eadem re loquentem: *Ceres* (inquit) *Persephonen peperit, educatur puella,* κορη scilicet, *(Periphatten nonnulli appellant,) cui Iuppiter, qui genuit, draco factus coniungitur.* Vnde in Sibaziorum mysterijs draco in spinam inuolutus, in sacrificijs, ad factorum memoriam, immò verò in testimonium tantæ turpitudinis, vt sic dixerim, adhibetur. Peperit & Periphatte tauriformem filium, vnde poetæ quoque nonnulli taurum laudant draconis patrem, & draconem rursus tauri patrem. Et in montem arcana hæc facta ducentes, pastoralem stimulum celebrant: pastoralem (vt puto) stimulum, ferulam, quod lignum bacchantes ferunt, appellantes. Cælius tradit se scire Iouem ab Lycophrone inde taurum nuncupari. E contrario Pasiphae Solis filia, & Minois Cretensium regis vxor tauri amore flagrasse, eoque ligneo vaccæ simulacro quod septum esset iuuencæ corio, à Dedalo fabricato inclusam, positam fuisse poetæ fabulantur, & ex eo congressu Minotaurum, cuius altera pars homo esset, taurus altera, vt est in Ariadna apud Ouidium:

Pasiphaes fabula.

Nec tua mactasset nodoso stipite Theseu
Dextera parte virum, dextera parte bouem.

Metam. 8. Et alibi rursus:

Te vero coniuge digna est
Quæ toruum ligno decepit adultera taurum,
Discordemque vtero fœtum tulit.

Tauri à Pasiphae adamati descriptio.

Taurum porrò ipsum, quem ad insaniam vsque Pasiphae deperibat, idem poeta in Arte amandi describit, eiusdemque nefandum amorem:

Fortè sub vmbrosis nemorosæ vallibus Idæ
Candidus armenti gloria taurus erat.
Signatus tenui media inter cornua nigro,
Vna fuit labes: cætera lactis erant.
Illum Gnosiadesque Cydoniadesque iuuencæ
Optarunt tergo sustinuisse suo.
Pasiphae fieri gaudebat adultera tauri,
Inuida formosas oderat illa boues.
Nota cano: non hoc quod centum sustinet vrbes
Quamuis sit mendax, Creta negare potest.
Ipsa nouas frondes, & prata tenerrima tauro
Fertur inassueta subsecuisse manu.
It comes armentis, nec ituram cura moratur
Coniugis, & Minos à boue victus erat.
Quid tibi Pasiphae pretiosas sumere vestes,
Ille tuus nullas sentit adulter opes?

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Quid tibi cum speculo montana armenta petenti?*
Quid toties positas fingis inepta comas?
Crede tamen speculo, quod te negat esse iuuencam;
Quàm cuperes fronti cornua nata tuæ.
Siue placet Minos, nullus quæratur adulter,
Siue virum mauis fallere, falle viro.
In nemus & saltus thalamo regina relicto
Fertur, vt Aonio concita baccha deo.
Ah quoties vultu vaccam spectauit iniquo;
Et dixit, domino cur placet ista meo
Aspice, vt ante ipsum teneris exultat in herbis;
Nec dubito quin se stulta decere putet.
Dixit & ingenti iam dudum de grege duci
B *Iussit, & immeritam sub iuga curua trahi.*
Aut eadem ante aras, commentaque sacra coegit;
Et tenuit læta pellicis exta manu.
Pellicibus quotiens placauit numina cæsis
Atque ait exta tenens, ite placete meo.
Et modo se fieri Europam, modo postulat Io,
Altera quod bos est, altera vecta boue.
Hanc tamen impleuit vacca deceptus acerna
Dux gregis & partu proditus author erat.

Ferunt Minoem quotannis speciosissimum omnium taurum Neptuno solitum de more sacrificare: aliquando tamẽ etsi taurus ei adesset cęteris præstantior, aliũ sacrificasse deteriorem; Neptunum verò eam ob rem iratũ, tauri amorẽ Pasiphae vxori iniecisse. Alij verò aiunt, quod cũ Minos ad bellum exiturus, Iouẽ patrem rogasset, vt dignam tanto sacrificio aliquam se victimã offerret, taurum eximię pulchritudinis oblatum, armentis ducem præfecit, ac alium pro illo immolauit, ideoq; sensisse postea Minoem ex ira Iouis ob eam fraudem amorẽ tauri, vxori suę fuisse immissum. Alij de-
C nique Venerem, post indicatũ suum à Sole adulterium cũ Marte, in vniuersam Solis stirpem sæuisse aiunt, ideoq; & Ariadnam Pasiphaes & Minois filiam, ingratum & durissimum Theseum expertam fuisse, vt modò patebit. Cùm autem natum fuisset illud monstrum, labyrinthus extructus est cũ inexplicabilibus viarum ambagibus & fallacijs, ita vt cum quis viam egredientem & ad exitum perducẽtem se reperisse putaret, tum nouum ingressum & prioribus multo difficiliorẽ experiretur; atq; id in illum inclusum fuit. Factus erat ad Aegyptij illius Laberynthi formam, qui fuit apud vocatam ciuitatem Crocodilorũ, cuius operis magnificentiã descripsit Herodotus his verbis. *Vbi omnia sacra executi sunt, placitũ est eis aliquod relinquere sui commune monumentũ, ex eoq; placito fecerunt labyrinthũ, paulò supra stagnum Mœrios, maximè vrbem versus quæ dicitur Crocodilorum: quem ego aspexi fama maiorem. Si quis enim ex Græcorum narratione muros & operis speciem ratiocinetur, minus concipiet, quàm pro labore & sumptu huius labyrinthi. Tametsi enim Ephesi templum est memoratu dignum, & in Samo, tamen pyramides erant narratione maiores, quarum singulæ multis ac magnis operibus Græcorum æquiparandæ sunt. Sed eas quoque labyrinthus antecessit. Etenim duodecim eius aulæ sunt tecto opertæ, portis oppositis altrinsecus: sex ad aquilonem contiguæ, totidem ad Austrum*
D *vergentes, eodem extrinsecus muro preclusæ. Bifaria in eo sunt domicilia, vna subterranea, altera superiora illis imposita, vtraque numero tria millia, quingenta. Quorum ea quidẽ quæ superiora sunt, ipsi vidimus, & quæ aspeximus, enarramus: subterranea verò auditu didicimus. Nã præpositi Aegyptiorum nolebant vllo pacto illa monstrari, quòd dicerent ibi sepulchra esse tum eorum regum qui ædificandi labyrinthi fuere authores, tũ sacrorũ crocodilorum. Ita de inferioribus ędificijs fando cognita referimus. Superiora ipsi aspeximus humanis operibus maiora. Nam egressus per tecta & regressus per aulas diuersissimi, infinita me admiratione afficiebant. Ex aula in conclauia transitur, ex conclauibus in cubicula, è cubiculis in solaria alia, è conclauibus in alias aulas. Horum omnium lacunar quemadmodum parietes, lapideum est, sculptilibus passim figuris ornatũ. Singulæ aulæ maxima ex parte digesto lapide albo, colũnarum ambitu redimitæ. Angulo quo finitur labyrinthus, adhæret pyramis quadraginta passuum in qua grandia sunt insculpta animalia, ad quam iter sub terra fit, &c.* Ad huius igitur, vt dictum est imitationem labyrinthum in Creta excogitauit Dedalus, in quem includebantur iuuenes tributi nomine ad Minoem missi, qui à Minotauro vorari putabantur, vt Androgei mortem filij vlcisceretur ab Atheniensibus interfecti. Hic enim cum Athenas consensu Atheniensium omnium, inquit Diodorus Siculus, concessisset, Aegeo regnante, inq; certaminibus superaret athletas om-

Lib. 2. *Labyrinthi descriptio.*

Lib. 5. c. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nes,in conſuetudinem Pallantis filiorum venit. At Aegeus ſuſpicans, ne quando propter Androgei amici iam à Pallantis filijs auxilio Minois regno pelleretur, inſidijs Androgeo paratis,ad ſpectaculum celebre proficiſcentem Thebas per quoſdam eius regionis accolas circa Inoen terræ Atticæ interficiendum curauit. Cæde filij perturbatus Minos, Athenas venit,ſupplicium interfectoris Androgei petens. Spretis eius verbis,bellum Athenienſibus indixit,addita execratione,qua aduerſus Athenienſes ſiccitatem famemque imprecatus eſt. Siccitate tum Atticos,tum reliquã Græciam vrgente,corruptis terræ fructibus,belli duces,quomodo hæc mala auerti poſſent, Deum conſuluere. Is iuſſit eum ad Aeacum Iouis & Aeginæ Aſopi filiæ adire,iubereq; vt pro ſe vota faceret. Quibus perfectis,ſiccitas cum penes alios Græcos ceſſaſſet,ſolos Athenienſes vexauit. Coacti igitur ſunt rurſus à Deo implorare tantę remedia calamitatis. Hanc deſituram ferunt Deum reſpondiſſe,ſi pro Androgei cæde,Minoi quas vellet,pœnas dediſſent. Parẽtibus deo Athenienſibus,pręcepit Minos, pueros ſeptem & totidem virgines ſingulis annis Minotauro quoad viueret,vorãdos tradi. Annis ſeptem tranſactis, rurſus cùm in regionem Atticam cum magno exercitu trãſiſſet Minos,ac bisſeptem pueros petiſſet, traditi ſunt. Theſeus verò cum eſſet nauigaturus, acceſſit ad gubernatorem Aegeus præcipiens, ſi Minotaurũ ſuperaſſet filius,vt albis velis portũ intrarent:nigris, quemadmodũ & antea in Ioniam fecerant,ſi periſſet. Theſeus in Cretam cum nauigaſſet, Ariadne Minois filia eius ſpecie,ac decore capta, & conſiliũ operãq; dedit Minotauri occidendi,& labyrinthi egreſſum docuit,atq; id,vt alij addunt,fili beneficio. Cæterùm veritas hiſtoriæ hæc eſt, vt ex ſcriptoribus hiſtoriarum tradit Lambertus Hortenſius in explicatione iſtius poetæ Lucani locum:

Lib. 2.
Fabulæ explicatio.

Vrbs eſt Dictæis olim poſſeſſa colonis,
Quos profugos Creta vexere per æquora puppes
Cecropiæ, victum mentitis Theſea velis.

Theſeus(inquit)tertio tributi tempore,querelis ciuium ſuorum aduerſus patrem perpulſus fuit,cur extra ſortẽ Minoi ſe dandum obtulerit. Collaudata ab omnibus ciuibus populari indole & fortitudine adoleſcẽtis,cum neq; precibus,neq; lachrymis paternis ab inſtituto abduci valeret. Conſcẽſa naui patrem hortabatur, vt ſuam vitam pro deplorata haberet, ſed certam ſpem conciperet,quin periculi magnitudinẽ vel ingenio vel viribus corporis vinceret. Pater his verbis Theſei in ſpem futuri ſucceſſus erectus,cũ ab initio nautis nigra vela in mœroris argumentum dediſſet,quibus Cretã peterent, addidit & alba,vt ſi ſecunda fortuna omnia ſuccederent,ijs in Atticã nauigarẽt. Simonides puniceũ fuiſſe ait. Tradunt Theſeo Delphis primò ſacrificanti, oraculo reſponſum fuiſſe,felici euentu Veneris beneficio vſurũ. Omiſſis hic quę de labyrintho & Minotauro prodigioſè fabulãtur, Taurus reuera vir fuit gladiatorio corpore ac viribus & ſingulari ferocia,quiq; in certaminibus vincere aſſueuiſſet. Hic morũ inſolentia & credita ſtupri cõſuetudine cur Paſiphae multa apud inſulanos & regẽ flagrabat inuidia. Inſtabat certamẽ,in quo nemo audebat cũ homine congredi. Theſeo petenti facilè id conceſſum fuit. Superauit Theſeus Taurũ. Aderat ſpectaculo Ariadna,quæ tacitis oculis pluſtrata,vni ei optauit nubere. Minos,vt maiori ignominia Taurũ notaret, Theſeo obſides reſtituit,& in perpetuũ tributũ Athenienſibus remiſit. Poetæ verò per illũ labyrinthũ nihil aliud ſignificare voluerũt,niſi ꝑplexã eſſe multiſq; difficultatibus vitã hominũ,cũ ex alijs alię ſẽper grauiores oriãtur:è quibus nemo ſe,niſi per ſingularẽ prudentiã & fortitudinẽ explicare põt. Neq; ẽt illud in priuatã ſolũ vitã cadit,ſed multo magis in magiſtratus & in auaritiã,& in ambitionẽ hominũ,q̃ oĩa mirificis difficultatibus sũt implicita. Nã ſi viri boni & prudẽtes potius quã ambitioſi sũmę rerũ præeſſẽt,oẽs difficultates prope,q̃bus humana vita vexatur,delerentur:qm̃ nihil eſt adeo formidabile aut arduũ,aut laborioſũ, quod virtute nõ ſuperetur. Fabulã Virgilius ſic breuiter eſt cõplexus:

Taurus à Theſeo necatus quis fuerit.

Pro labyrinthum quid poetæ indicarint.

Aeneid. 6.

Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaque furto
Paſiphae, miſtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus ineſt, Veneris monumenta nefandæ.
Hic labor ille domus & inexplicabilis error.
Magnum reginæ ſed enim miſeratus amorem
Dædalus, ipſe dolos tecti, ambageſque reſoluit
Cæca regens filo veſtigia.

Paſiphae igitur,vt ex ijs quæ ex Lãberto recitauimus,cũ eo tẽpore quo Minos aduerſus Athenienſes militabat,cùm rem cum Tauro,ſiue gladiatorio,ſiue vt alij aiunt,militum duce habuiſſet, atq; ex eo filium,quem de patris nomine Taurum appellauit,ſuſcepiſſet,fabulandi in eũ quo dictũ eſt modũ,cauſam prębuit. Sunt verò etiã qui ex huius Tauri cõcubitu & ex Minoe eos partu natos eſſe dicũt geminos filios, Androgeum ex Minoe, Taurũ autẽ ex Tauro. Cęterum hoc non ſolũ fabuloſum eſt,ſed prorſus etiã abhorret à veritate, quoniã ſeminis recepti vas in muliere,vbi ſemel auidè ſemen imbiberit, atq; hauſerit,conſtringitur,neq; amplius aperitur,antequã perduxerit ad maturitatem.

Hanc

A Hanc fabulam ad historiam deduxit Tzetzes, qui scribit à Neptuno immissum Taurum fuisse ducem, qui cum ingenti classe suppetias Minoi ferebat, quem cum vidissent Cretenses, priusquam dimicaretur, Regem Minoem salutarunt. Eius Tauri visi sanè elegantis & strenui ducis amore capta est Pasiphae Minois vxor, Dædaloq; conscio & adiutore in priuata domo lignea cũ illa dicitur concubuisse, ex quo natus est puer, qui & adulteri, & legitimi mariti Pasiphaes nomen reportauit. *Chiliad. 1. c. 19.*

Ego verò (inquit) altiorem quandam & vtiliorem sententiam sub his latere crediderim, quoniã nõ historicæ solùm narrationis causa fabulæ instituebantur, sed vel rerum naturaliũ, vel morum informandorum. Pasiphae Solis & Perseidis filia, quid aliud est quàm anima mortaliũ, quæ tũ plurimũ ratione & consilio pollet, cùm corpus solis virtute materiam corporis, optimè digerente, fit purius? aut quid aliud est Perseis, quàm ipsa materia humida, è qua corpus gignitur? Hęc ipsa anima cũ Minois iustissimi atq; optimi viri sit vxor, si ad illigitimas voluptates declinauerit, desciscere à legitimo marito dicitur, & in adulteri ferocissimi tauri complexum refugere. Vbi enim à ratione animus desciuerit, vel ad iram, vel ad cupiditates se referens, tunc omnibus turpis apparet, & tauri formam recipit. Quare si quis fabulæ turpitudinẽ summã inesse arbitratur, nefariamque mulierẽ existimat B Pasiphaen, quę tam turpes & tam illegitimas voluptates expetiuerit, quo pacto non turpissimũ putauerit, seipsum vel libidine, vel ira, vel alijs turpissimis animorũ motibus cędere? Concedẽdæ quidem sunt corpori voluptates, quas natura necessario expetit, quippe cùm neq; ira, neq; voluptas inutiliter à deo data sit: sed illæ tantùm cõcedendę quas Iuppiter aut Neptunus concesserit, quod per eum taurum significatur, ad corporis vires reficiendas scilicet, & ad propagandam sobolem. Cuius rei id vel maximum est argumentũ, quod vel ira ad res agendas, vel libido ad procreandũ, vel reliqui animorum motus conferunt semper ferè cum moderatione & corpori & negocijs: cùm plurimũ obesse soleãt, nisi moderatio adhibeatur. Ex illegitimo verò voluptatũ, harumq; motionũ vsu multa monstra nascantur, necesse est, ac nõ solùm Minotaurus; quæ ita homines implicant, vt qui semel ab æquitate declinauerit, legesq; cõtempserit, difficillimè postea à sceleribus coerceatur: cùm mos, diuturnaq; consuetudo natura postea fiat assuetis hominibus. Neq; aliud sanè labyrinthi viarum inexplicabilis circuitio significare voluit, nisi illum, qui semel illegitimis sese dedisset, sine summa difficultate se explicare postea nõ posset ante extremum vitæ diẽ, aut sine summa Dædali ingeniosi admonitoris artificio. *Anima mortalium.*

Legitur verò etiam de Minoe Neptunum decipere conante, deq; tauro primùm ab Hercole, secundũ à Theseo superato alia siue historia siue fabula, quæ talis est: Minos Ne- C ptuno sacrificaturus, victimã optauit maiestate illius dignam cui Neptunus taurũ obtulit pulcherrimum: eum cum seruare vellet Minos, iratus Neptunus tauro furorem immisit, à quo tota ferè insula fuit deuastata. Ad eum domãdum missus est Hercules, quem vinctũ ad Eurystheũ duxit. Ab eo verò dimissus, cum Atticam deuastaret, à Theseo fuit interfectus, vt indicat etiam Ouidius in enumeratione præclarorum Thesei gestorum: *Tauri Marathonij fabula.*

Te maxime Theseu *Metam. 7.*

Mirata est Marathon Cretæi sanguine tauri.

Marathõ autẽ cãpus est & sylua iuxta Athenas à Marathone heroe, vt Pausanias scribit, dictus, vnde taurus ipse Marathonius quoq; dictus est. Fabulam his verbis enarrauit idem Pausanias: *Cretẽsium agrum cùm alium, tum eũ qui Tetrinni amni adiacet, taurũ infestum reddidisse: fuisse enim priscis temporibus belluas multo immaniores, atq; hominibus formidolosiores: cui rei testimonio sunt Nemæus & Parnasius leo, dracones in pluribus Græciæ locis: apri etiam Calidonius & Erymanthius, & in Corynthiorum finibus Crommyonius. Has feras partim terram protulisse, partim dijs fuisse sacras: nõnullas etiam ad homines plectendos extitisse ferunt. Taurum enim hunc Cretenses Neptuni ira im-* D *missum memorant, quòd Minos latè mari toti, quod Græciam alluit, imperans, nihilo quàm cæteris dijs Neptuno maiorem honorem haberet. E Creta verò eundem taurum in Peloponnesum traiecisse, vnumq; fuisse de duodecim Herculis laboribus. In Argiuorum verò campos actum, per Corynthiacum Isthmũ in Marathoniam Atticæ regionem fugisse: ibi inter alios multos, quos casus obtulerat, Minois etiam filium Androgeum interfecisse: Minoem grauiter eo casu commòtum, cùm id Atheniensium fraude accidisse interpretaretur, comparata classe Athenas oppugnatum venisse, ac non prius Athenienses vexare desiisse, quàm se pacti essent pueros septem ac totidem virgines quotannis in Cretam missuros, qui Minotauro quem Minos in labyrintho Gnosi incluserat, traderentur. Marathonium verò taurũ postea Theseum fama est in arcem egisse, & ipsi deæ mactasse, cuius rei imaginem Marathoniorum curia dedicauit.* *In Atticis.*

De Acheloi in taurum immutati cum Hercule lucta hæc finxerunt poetæ. Achelous fluuius Deianiram Oenei Aetolorum regis filiam in matrimonium poposcit; quæ etiam ipsi fuerat promissa. Verùm cum Hercules in agrum Calydonium profectus esset, ipse quoque in matrimoniũ poposcit Deianirã, quæ ei quoq; promissa est. Virginis itaq; pater decreuit, vt is illã potiretur, qui in luctæ certamine superior esset: Ineunt igitur Hercules & Achelous luctam, in qua cum alter superior esset, Achelous ad notas artes decurrit, ac cùm se & in anguem, & in taurũ frustra mutasset, victus, alteroque cornu mutilatus, pudore se in suum fluuium coniecit. Nymphæ verò cornu il- *Herculis & Acheloi fabula.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Cornu copiæ & eius origo.

lud ſuſcipientes,omni fructuum genere repleuerunt,cornuque copię appellauerunt. Hoc verò inde E
factum eſſe Strabo eſt author,quod cũ Achelous limo quẽ ducit,limites ſemper confunderet,bella inter Aetolos & Acarnanes vicinos ciebat:cumque arbitri nulli eſſent,armis non iudicio certabát. Victoriã verò reportabant,qui plus viribus valebant.Quare cùm Hercules fluuiũ dãnosè labentem aggeribus & foſſis intra alueũ cohibuiſſet, tanquã debellaſſet Acheloũ, victorię pręmium reportauit Oenæi filię Deianiræ nuptias. Eam quidem Sophocles Tragicus hoc modo loquẽtem induxit.

Μνηστὴρ γὰρ ἦν μοι ποταμὸς, Ἀχελῷον λέγω.
Ὅς μ᾽ ἐν τρισὶ μορφαῖσιν ἐξῄτει πατρὸς,
Φοιτῶν ἐναργὴς ταῦρος, ἄλλοτ᾽ αἰόλος
Δράκων ἑλικτὸς. ἄλλοτ᾽ ἀνδρείῳ τύπῳ,
Βούκρανος, ἐκ δὲ δασκίου γενειάδος,
Κρουνοὶ διερραίνοντο κρηναίου ποτοῦ. ideſt,
Flumen fuit procus mihi, Acheloum fero.
Formis tribus qui me petiuit à patre F
Taurus, deinde plurimis ventrem notis
Pictus draco, vir inde cui caput bouis:
Mento fluebant riuuli potabiles
Vndæ nitentis, fontibus ſimillimi.

Cornu Amalthea.

Addunt nõnulli Amaltheæ cornu caprę id eſſe quod Hercules ab Acheloi fronte fractũ Oeneo dono dedit:ex quo quidẽ pleriq; talẽ educunt hiſtoriam. Acheloum.n.ſicut flumina reliqua tauro cõparant ob ſonos ipſos & alueorum circumflexiones,quas cornua vocant. Draconi quoque propter obliquatã ipſius magnitudinẽ. Herculẽ quoq; omnibus alioqui mortalibus beneficum Oeneo affinitate coniunctũ aggeribus ac foſſis fluuium dolosè fluentem coercuiſſe aiunt,eamq; regionẽ fertiliſſimam reddidiſſe,hocq; Amaltheę cornu eſſe. Hoc verò idem & Diodorus ſcribit. *Hercules* (inquit) *in Calydoniorum gratiam fluuium Acheloum in alium curſum diuertens, plurimos agros ex aqua irrigatione fertiles præſtitit,* cuius rei & poetæ quidam meminere ſcribentes cum Acheloo Herculem ſub tauri ſpecie certaſſe,qui cùm in congreſſu tauri alterum cornu fregiſſet, Aetolis illud quod Amaltheæ cornu vocant, dono dedit fructu omnium vuarum,malorũ,aliorumq; eiuſmodi pomorum copia repletum. Fingunt verò poetæ Acheloi cornu foſſam à fluuio ductã,pomis verò ac malis G
punicis & racemis monſtrari regionis fertilitatem,quã fluuij humor pręſtet. Amaltheæ verò cornu durum eſſe aiunt,qua ex re operis illius difficultas ſignificatur. Cornu verò etiam rectè diuitiæ indicantur:nam vt in cornu virtus eſt animaliũ,ita & fortunæ vires ſunt in diuitijs, & ſicut cornu carnem extuberat & ſupercreſcit,ita diuitiæ foris ſtipant homínem, vnde etiam eſt; quod quia diuitijs potiſſimum fidere ſolemus,omnia etiam alia quibus præcipuè fidimus ita vt nihil nobis vnquã defuturum ſperemus, vt eruditioni aut virtuti cuidam alteri, aut cum omnia affaſim ſuperfluunt, rectè cornucopiæ vocare poſſumus: nam ſic & Pſeudolus Seruus apud Plautum ait:

Nam ipſa mihi opportunitas, non potuit opportunius
Aduenire, quàm hæc cauata eſt mihi opportunè epiſtola,
Nam hæc mihi cornucopia eſt, vbi ineſt quicquid volo.

Metam. 9.

Fabulam Ouidius diſertiſſimè deſcribit, Acheloum ſic inducens loquentem:

Inferior virtute, meas diuertor ad artes,
Elaborque viro, longum formatus in anguem, H
Qui poſtquam flexos ſinuaui corpus in orbes,
Cumque fero moui linguam ſtridore biſulcam
Riſit. Et paucis interpoſitis:
Sic quoque deuicto reſtabat tertia tauri
Forma trucis, tauro mutatus membra, rebello.
Induit ille toris à læua parte lacertos,
Admiſſumque trahens ſequitur, depreſſaque dura
Cornua figit humo, meque alta ſternit arena:
Nec ſatis hoc fuerat, rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncoque à fronte reuellit.
Naiades hoc pomis & odoro flore, repletum
Sacrarunt, diueſque meo bona copia cornu eſt,
Dixerat, & nympha ritu ſuccincta Dianæ
Vna miniſtrarum fuſis vtrimque capillis
Inceſſit, totumque tulit prædiuite cornu
Autumnum, & menſas felicia poma ſecundas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Idem tamen poëta de Amaltheæ cornu aliam fabulam refert. Nam Amaltheam quæ Ioui lac prę-
bebat, alterum è cornibus in arbore fregisse ait, quod quædam Nympha sustulit,

cinxitque recentibus herbis:
Et plenum pomis ad Iouis ora tulit,
Ille vbi res cæli tenuit, solioque paterno
Sedit, & inuicto nil Ioue maius erat,
Sydera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit, quod dominæ nunc quoque nomen habet.

Diodorus verò de copiæ cornu aliam quoque narrat historiam, Hammonem siquidem scribit iux-
ta Ceraunios montes ambulantem conspectam virginem nomine Amaltheam forma pulcherri-
mam adamasse, filiamque ex ea suscepisse, specie ac robore corporis insignem. Amaltheam verò *Amalthea*
propinquæ regioni præfecisse cornu bouis persimili, ex quo occiduum cornu sit nominata. Et quo- *virgo.*
niam ea regio esset vineis, cæterisq; fructiferis arboribus referta, à muliere autem regeretur, Amal-
theæ cornu eam dixisse, propterea que & posteros homines optimam copiosamque fructibus pa- *Cornu A-*
B triam ab ea similitudine Amaltheæ cornu appellasse, vt suo quoque loco dicetur fusius. De bobus *maltheę vn-*
modò Geryonis ab Hercule abactis istiusmodi narratur fabula. Iussit Eurystheus, vt Hercules pu- *de dictum.*
niceos Geryonis Hispaniæ regis boues, qui hospites vorarent, ad se adduceret, quare ad illos oppri- *Herculis &*
mendos contendit. Dicitur Geryon Chrysaoris & Callirrhoes filius triplex corpus habuisse, ca- *Geryonis fa*
nemque duorum capitum in Erythea, ac septem capitum draconem ex Typhone & Echidna geni- *bula.*
tum, qui boues ipsos custodirent. Habuisse verò suæ crudelitatis ministrum impigrum, atque dili-
gentem Eurytionem. Huc profectum Herculem Geryone, caneque quem alij Orthrum, alij Orum
appellant, draconeque & pastore Eurythione interemptis boues ex Oceani insula Gadira ad Tar-
tessum per id temporis celeberrimam Iberiæ ciuitatem abigisse. Verùm cùm eos in Lybiam per
Iberiam abigeret, dicũtur Dercylus & Alebion Neptuni filij boum pulchritudine allecti, illos sur-
ripuisse, & egisse in Ethruriam, à quibus cùm taurus affugisset & tranasset in Siciliam, Italiam po-
stea nominarint. Tyrrhenorum enim lingua, taurus Italus dicebatur. Cùm Hercules venisset in
Siciliam iter fecisse à Peloriade ad Erycem, cui apud mare Nymphæ balnea pararunt. Et cùm
Eryx Siciliæ rex taurum illum cepisset, neque repetenti Herculi reddere vellet, ad certamen ven-
tum est ei in quo Eryx cœstu percussus diem suum obierit. Dicunt tamen quidam non cœstu, sed
C palestra interemptum fuisse Erycem Veneris & Butæ filium, cùm alter boues, alter regnum victo- *Lib. 5. c. 2.*
ri prœmium proposuisset. Diodorus Siculus Herculis omnes enarrans labores, hanc fabulam ad
istiusmodi historiam reducit: Decimus deinceps labor Herculi ab Eurystheo iniunctus, vt Geryo-
nis boues, qui in Iberia in locis versus Oceanum sitis pascebantur, ad se adduceret. Hercules sciens
hunc laborem magni difficilisque esse certaminis, exercitum præparauit huic aptum expeditioni.
Vulgata erat per orbem fama, Chrysaurum (hoc enim à diuitijs nomen contraxerat) qui vniuersæ
Iberiæ imperaret, tres habere propugnatores filios, tum robore corporis, tum armis egregios: exer-
citum præterea cuilibet fortissimorum militum esse. Quarum rerum gratia motus Eurystheus exi-
stimans eam fore difficilem expugnationem, hoc Herculi certamen indixit. At ille priorum ab se
gestorum memor, fidenter id periculum adiens, exercitum in Creta coegit, existimans inde facilè
copias se traducturum. Optimè enim sita insula est, ex qua in vniuersum orbem exercitus educi
possit. Verum antea Herculi Cretenses cumulatissimos honores impenderant: quibus ductus, in
horum gratiam omnem feris beluis insulam ita purgauit, vt nullum agrestius animal in ea dein-
ceps, neque vrsus, neque lupus, neque serpens, neque aliud quid simile sit repertum. Hęc ideo me-
D rita in insulam contulit, quòd Iupiter ibi natus altusque fuerit. Ex ea igitur in Lybiam nauigans,
eaque peragrata & à feris expurgata ad Oceanum qui ad Gades est peruenit, ibique ab vtraque
continentis parte columnis positis, in Iberiam cum exercitu transijt, Chrysauriq; filios tribus ma-
gnis exercitibus fidentes, singulari prouocatione sustulit. Capta Iberia, greges boum secum ad-
ducens, iterque per Iberiam faciens, cum quidam eius gentis rex, vir iustus præ cæteris ac probus,
cum magno honore affecisset, partem boum regi dono dedit: Quos ille Herculi dicans singulis an-
nis ex his pulchriorem illi taurum sacrificauit. Hos sacros in Iberia boues ad nostra tempora con-
stat perseuerasse. Inde in Italiam tendens, per alpes ad Lygures & Tyrrhenos, indeque ad Tibe-
rim fluuium, vbi nunc Roma est peruenit. Deinde à Tiberim profectus per littus Italię, cùm ad ma-
re descẽdisset, apprimè angustum, boues quidem nando in Siciliam, ipse cornu bouis innixus ma-
re traiecit. Appropinquantem suæ ditionis locis, ad palestram prouocauit Eryx Veneris ac Butæ
eius orę regis filius. Orta præmij contentione, cum Eryx patriam, Hercules præmium certaminis
boues offerret: indignatus primum Eryx, dicitur, boues minoris æstimationis suæ regioni compa- *Eryx ab Her*
rari: Herculem verò respondisse, boues sibi pluris esse: quibus si priuaretur, immortalitatem esset *cule victus.*

 amissu-

amiſſurus. His acquieſcens Eryx, in eo certamine victus, patria ſpoliatus eſt. Circundata Sicilia, E deinceps per mediterranea iter cum bobus faciens, Sicanos ei inſtructo exercitu obuios commiſſo acri certamine deuicit. Poſt hæc per Leontinum agrum pergens, apud eos æterna ſui reliquit monumenta. Agrenęi velut Olympios deos feſtis diebus ſacriſque Herculem coluere. Cùm haud procul vrbe iter ſaxoſum eſſet, boues ſaxis tanquam cerę veſtigia impreſſerunt, quare ei foco, vbi boum veſtigia impreſſa ſunt, templum Geryoni conſtruxit. Hinc in Italiam rurſus cum bobus profectus, cum iuxta litus progrederetur, Lacrinum furem boues furantem peremit. Moxq; pedibus Adriaticum ſinum circumuectus, in Epirum primo tranſijt, deinde in Peloponneſum. Huculque ex Diodoro. Fabulantur verò etiam Herculem poſt ductos ad Tarteſſum boues, poculum ſuum Soli reddidiſſe. Nam dicitur Hercules cùm ad boues contenderet, Solis radijs nimium calefactus, arcum vel in ipſum Solem intendiſſe, quare Sol eius vires & animi magnitudinem admiratus, aureum poculum illi donauit, in quo Oceanum ad boues capiendos traiecit, vt ait Pherecides, quamuis Theolytus illum in lebete nauigaſſe ſcribat. Quid modò hoc figmento poetarum ſignificetur, oſtendit breuiter his verbis Cælius Rhodiginus: Theogoniæ Heſiodicæ (inquit) interpretes, Herculis nomine Solarem intelligunt poteſtatem: Geryonem verò cuius boues ab illo orbi terrarum illatas fabulantur, hyemem eſſe volunt, ἀπὸ τῦ γαρύειν, τῦτ᾽ ἐςὶ βοᾶν. ob hyberni temporis tumultũ. Hyemẽ verò Sol perimit ab hyemali tropico ad vernũ conuerſus æquinoctium. At boum nomine tonitrua intelligunt, quadam ſoni ſimilitudine: quæ Geryonis dicuntur, quod hyeme quidem non fiant, ſed illam ſtatim conſequantur, vel quia ex humecta eius natura mox hæc proueniant. Idem ait Pierius Valerianus: Quod verò pertinet (inquit) ad mugitum, mythologi philoſophi abactas Geryonis boues impulſu Herculis, tonitrus hieroglyphico ſignificato intelligi debere autumant. Quæ quidem ſententia eorum eſt, qui Heſiodi philoſophiam interpretantur, ea ſcilicet de cauſa, quòd poetę plerumque tonitrus auditos mugire dixerint. Abigi verò ab Hercule dicuntur, quia Solem per Herculem intelligebant. Solis igitur calor in nubes illapſus, earumque rigore coarctatus, ſimul ac defractis nubibus erumpit, mugitus eos ciere conſueuit. Sed proſequar fabulas, Hercules, vt ex Diodoro diximus, in Italiam cum bobus Geryonis profectus, Lacrinum furem boues furantem occidit: Lacrinum fortè vocans, quem alij Cacum dicunt, fuſiuſque hac de re narrant. Ex recentioribus Ioannes Roſinus agens de Ioue ſic ſcribit. Iouis inuentoris appellatio ab Hercole originem traxit: cùm enim Hercules cum bobus Geryonis in agrum Palantinum perueniſſet, & ibi boni pabuli nactus copiam per paſcua dimiſiſſet, ipſe autem labore feſſus procubuiſſet, ſomnoque ſe dediſſet, latro quidam eius loci, Cacus nomine, paucas aliquot, Hercule dormiente abegit, & in propinquam ſpeluncam, vbi degebat, abdidit, quas auerſas, vnam poſt aliam, caudis eò traxerat: vt quærentem indicium falleret, veſtigijs in contrariam partem ducentibus. Hercules ſomno excitus, cùm recenſuiſſet numerum, & aliquot boues ſenſiſſet deeſſe, ad ſpeluncam Caci contendit & Caco deuicto, atque ad terram proſtrato boues ſuas recepit & eduxit, ſpeluncam etiam diruit: cumque cædem expiaſſet aqua fluminis, in proximo aram Ioui inuentori poſuit, quæ eſt Romæ prope portam geminen, & ob inuentas boues deo iuuencum vnum ſacrificauit. Sed & Liuius hanc ſiue fabulam ſiue hiſtoriam diſertiſſimè memorauit, item ſummi poetæ Virgilius & Ouidius quorum omnium verba, vel ideo recitabimus, vt ſummorum poetarum & principis hiſtorici deſcriptiones inter ſe comparare poſſimus. *Herculem in ea loca Geryone interempto boues mira ſpecie* (inquit Liuius) *abegiſſe memorant; ac propè Tiberim fluuium, quam præ ſe armentum agens nando traiecerat, loco herbido, vt quiete & pabulo læto boues reficeret, & ipſum feſſum via procubuiſſe: ibi cum eum cibo vinoque grauatum ſopor oppreſſiſſet, paſtor accola eius loci, nomine Cacus ferox viribus, captus pulchritudine boum, cùm auertere eam prædam vellet, quia ſi agendo armentum in ſpelũcam compuliſſet, ipſa veſtigia quærentem dominum eò deductura erant, auerſos boues eximium quemque pulchritudine caudis in ſpeluncam traxit. Hercules ad primam auroram ſomno excitus, cùm gregem perluſtraſſet oculis, & partem abeſſe numero ſenſiſſet, pergijt ad maximam ſpeluncam, ſi fortè eò veſtigia ferrent: quæ vbi omnia foras verſa vidit, nec in partem aliam ferre, confuſus atque incertus animi, ex loco infeſto agere porrò armentum occœpit. Inde cùm actæ boues ad deſiderium (vt fit) relictarum mugiſſent, reddita incluſarum ex ſpelunca boum vox Herculem conuertit: quem cùm vadentem ad ſpeluncam Cacus vi prohibere conatus eſſet, ictus claua fidem paſtorum ne quicquam inuocans, morte occubuit.* Sic Liuius. Poetæ verò Cacum monſtrum deſcribunt, & Vulcani filium fuiſſe fingunt, ore fumum ignemque vomentem. Virgilius:

Lib. 3. Hiſtoriar.
Lib. 2. Horarum.
Lib. 6. c. 7.
Tonitru mugitui ſimilatum.
Lib. 2. antiquit. Rom. cap. 5.
Caci & Herculis fabula.
Lib. 1.

Hic ſpelunca fuit, vaſto ſubmota receſſu,
Semihominis Caci, facies quam dira tegebat
Solis inacceſſam radijs, ſemperque recenti
Cæde tepebat humus, foribuſque affixa ſuperbis

A *Ora virum tristi pendebant pallida tabo.*
Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat
Attulit & nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium, aduentumque dei. Nam maximus vltor
Tergemini nece Geryonis, spolijsque superbus
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentes, vallumque boues, amnemque tenebant.
At furijs Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intentatum scelerisuè doliuè fuisset:
Quatuor à stabulis præstanti corpore tauros
Auertit, totidem forma superante iuuencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis
B *Cauda in speluncam tractos, versisque viarum*
Inditijs raptos, saxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, cum iam stabulis saturata moueret
Amphytrioniades armenta, abitumque pararet,
Discessu mugire boues, atque omne querelis
Impleri nemus & colles clamore relinqui.
Reddidit vna boum vocem, vastoque sub antro
Mugijt & Caci spem custodita fefellit.
Hic verò Alcidæ furijs exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu, nodisque grauatum
Robur, & aerij cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cæcum videre timentem
Turbatumque oculis.
C Et mox post speluncæ descriptionem,
Ergo insperata deprensum luce repente
Inclusumque cauo saxo, atque insueta rudentem
Desuper Alcides telis premit: omniaque arma
Aduocat & ramis, vastisque molaribus instat.
Ille autem (neq; enim fuga iam super vlla pericli est)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Euomit; inuoluitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
Fumiferam noctem, commistis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis: seque ipse par ignem
Præcipiti iecit saltu, qua plurimus vndam
Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.
D *Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem*
Corripit in nodum complexus & angit inhærens
Elisos oculos & siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra reuulsis,
Abstractæque boues, abiurata que rapinæ
Cælo ostenduntur: pedibusque informe cadauer
Protrahitur, nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi, atque extinctos faucibus igne.
Similiter ferè canit Ouidius.
Ecce boues illuc Erithreidas appulit heros *Fast. 1.*
Emensus longi clauiger orbis iter.
Dumque huic hospitio domus est tegæa, vagantur
Incustoditæ lata per arua boues.
Mane erat excussus somno Tyrinthius heros
De numero tauros sensit abesse duos.
Nulla videt quærens taciti vestigia furti,

Tra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Traxerat auerſos Cacus in antra ferox.
Cacus Auentinæ timor, atque infamia ſyluæ,
Non leue finitimis hoſpitibuſque malum.
Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
Grande, pater monſtri Mulciber huius erat.
Proque domo longis ſpelunca receſſibus ingens
Abdita vix ipſis inuenienda feris.
Ora ſuper poſtes, affix atque brachia pendent,
Squallidaque humanis oſſibus albet humus.
Seruata male parte boum Ioue natus abibat;
Mugitum rauco furta dedere ſono.
Accipio reuocamen ait, vocemque ſecutus
Impia per ſyluas victor ad antra venit. B
Ille aditum fracti perſtruxerat obijce montis
Vix iuga mouiſſent quinque bis illud onus.
Quod ſimul euerſum eſt, fragor æthera terruit, ipſa
Ictaque ſubſedit pondere molis humus.
Prima mouet Cacus collata prælia dextra
Remque ferox ſaxis, ſtipitibuſque gerit.
Queis vbi nil agitur, proprias male fortis ad artes
Confugit, & flammas ore ſonante vomit.
Quas quoties perflat, ſpirare typhœa credas
Et rapidum Aetneo fulgur ab igne iaci.
Occupat Alcides, adductaque claua trinodis
Ter quater aduerſi ſedit in ore viri.
Ille cadit, mixtaſque vomit cum ſanguine flammas
Et lato moriens pectore plangit humum.

Lib. 4. eleg. 10. Scripſit item Propertius de hoc Caci furto lepidiſſimos verſus, quos etiam lubet aſcribere, ne quis C
fruſtra eos huc maximè facientes deſideret:

Amphytrioniades qua tempeſtate iuuencos
Egerat à ſtabulis ò Erythræa tuis,
Venit ad inuictos pecoroſa palatia montes
Et ſtatuit feſſos feſſus & ipſe boues
Quà Velabra ſuo ſtagnabant flumine, quoque
Nauta per vrbanas iuſtificabat aquas.
Sed non infido manſerunt hoſpite Caco
Incolumes; furto polluit ille locum
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro
Per tria partitos qui dabat ora ſonos,
Hic, ne certa forent manifeſtæ ſigna rapinæ
Auerſos cauda traxit in antra boues.
Nec ſine teſte deo: furem ſonuere iuuenci, D
Furis & implacidas diruit ira fores.
Mænalio iacuit pulſus tria tempora ramo
Cacus, & Alcides ſic ait: ite boues,
Herculis ite boues; noſtræ labor vltima clauæ,
Bis mihi quæſitæ, bis mea præda boues,
Aruaque mugitu ſancite boaria longo,
Nobile erit Romæ paſcua noſtra forum.

Lib. 2. Herculis & Caci pugnæ explicatio. Fabulam declarat Fulgentius in mythologicis his verbis: *Si fumum fures eructant, quis inſolentem dum negat, agnoſcat? Ergo aut caliginem aut fumum obijcit, ne agnoſci poſſit: aut in fumum nescit ſubſtantia quæ furtiuè ſuccedit. Cacus enim Herculis boues furatus eſſe dicitur, quos caudis in ſpelunca tractos abſcondit, quem Hercules preſſi gutture interemit. Κακὸν enim Græcè malum dicimus. Ergò omnis malitia fumum eructuat, ideſt, aut quod contraria ſit veritati, ideſt luci; aut quod acerba ſit videntibus, vt fumus oculis, aut quod ſemper occultas obſcuraſque cauillationes obijcit. Ideo autem duplex quod multi formis malitia non ſimplex ſit. Triplici etiam modo nocet malitia, aut in euidenti, vt potentior; aut ſubtiliter, vt falſus amicus, vt impotens latro. Ideo etiam ſubtractas boues*

A *nes transuersis ducit vestigijs, quod omnis malignus aliena vt inuadat, transuersa defensionis vtitur via. Ideo & bona Herculis concupiscit: quia omnis malignitas contraria est virtuti. Denique in spelunca abscondit, quia nunquam malignitas aperta liberiore fronte sit, sed virtus & malos interficit, & sua vindicat.* Hæc Fulgentius. De tauro monstro, terræ filio, anteriore parte taurum, posteriore serpentem referente, apud Ouidium hæc legitur fabula: *Taurus terræ filius. Fast. 3.*

Stella Lycaoniam vergit declinis ad arcton
Miluius, hæc illa nocte videnda venit.
Quid dederit volueri, si vis cognoscere, nomen
Saturnus regnis à Ioue pulsus erat:
Concitat iratus validos Tytanas in arma,
Quæque fuit fatis debita tentat opem.
Matre satus terra monstrum mirabile taurus
Patre fui serpens posteriore fuit.
B *Hunc triplici muro, lucis incluserat atris*
Parcarum monitu Styx violenta trium.
Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset,
Sors erat, æternos vincere posse deos.
Immolat hunc Briareus facta ex adamante securi
Et iam iam flammis exta daturus erat.
Iuppiter alitibus rapere imperat; attulit illa
Miluius, & meritis venit in astra suis.

Idem poeta Cerastas populos, quòd hospites suos mactarent, à Venere in tauros mutatos ait. Aiũt Cyprum olim incoluisse & binis insignes fuisse cornibus, & ab ipsis insulam illam cerastim fuisse nominatam. Poeta canit: *Metam. 10. Cerastæ populi in tauros.*

Gemina quondam quibus aspera cornu
Frons erat, vnde etiam nomen traxere Cerastæ.
Ante fores horum stabat Iouis hospitis ara
C *Lugubris sceleris, quam si quis sanguine tinctam*
Aduena vidisset, mactatos crederet illic
Lactentes vitulos, Amathusiacasque bidentes;
Hospes erat cæsus: sacris offensa nefandis
Ipsa suas vrbes, Ophiusaque arua parabat
Deserere alma Venus. sed quid loca grata? quid vrbes
Peccauere meæ? quod, dixit, crimen in illis?
Exilio pœnam potius gens impia pendat,
Vel nece, vel si quid medium est, mortisque fugæque
Idque quid esse potest, nisi versæ pœna figuræ?
Dum dubitat, quo mutet eos: ad cornua, vultum
Flexit, & admonita est, hæc illis posse relinqui,
Grandiaque in toruos transformat membra iuuencos.

Ius in vaccam immutatę fabula non vno modo refertur. Plerique filiam fuisse aiũnt Inachi regis *Fabula Ius.*
D Argiuorum & fabulam hoc modo narrant, Iuppiter cum ob formæ elegantiam maxime eam diligeret, ab Inacho fluuio redeuntem tenebris superinductis detinuit & oppressit: Iuno verò eum ex alto tenebras videret, suspicata maritum suum alterius amore frui, in terras descendit, tenebrasq; soluit: Quod Iuppiter sentiens, ne pateret crimen, puellam in vaccam transformauit, eamque Iunoni poscenti ægrè concessit: Iuno autem nec tum suspitionibus libera, Argo centoculo custodiendam tradidit, quem Mercurius à Ioue missus sopitum interfecit: quapropter Iuno dolens vaccæ œstrum immisit, quo per multa loca agitata, tandem in Aegyptum venit, ibique preco Iouis à Iunone eidem formæ est restituta, & ab Aegyptijs Isis nominata, Osiridi regi nupsit, post mortem verò pro dea culta est. Sic ferè sed prolixè admodum fabulam recenset Ouidius, quem lector adire *Metam. 1.*
poterit, non enim consultum videtur integras paginas eius versibus implere. Sunt qui Ionem Iunonis sacerdotem fuisse volunt, & ab hac in vaccam immutatam, vbi illam à Ioue vitiatam comperisset; tum verò iurasse Iouem, se minime cum illa fuisse congressum. Iunonem tamen eam à Ioue munus poposcisse, & Argo seruandam tradidisse, qui eam in monte Mycenæo ad oliuam (quãdam Plinius suo tempore Argis adhuc durare dici tradit,) alligauerit. Scriptum reliquit Andreas Tenedius in nauigatione Propontidis Ionem non modò non fuisse perfunctam Iunonis sacrificio, sed fuisse quoddam scortum, quæ veneficijs Iouem in amorem irretire niteretur, sic enim referri ab

enar-

enarratore Theocriti, ad quam Iyngis opera vſa fuerit. Eam igitur à Ioue Iyngis artificio adductio, in nebula, vt lateret compreſſam, ſed cum id ſenſiſſet Iuno, ac Zelotypia capta eò acceſſiſſe: eã contrà à Ioue in vaccam cãdidam mutatam, vt omnem ſuſpitionem Iunoni leuaret hac arte: Cùm verò Iuno eam vaccam vidiſſet, donum à Ioue poſtulaſſe, at veritum illum, ne, ſi illam negaſſet, dolus pateret, quamuis inuitum, tamen largitum eſſe. Cùm verò diu ſub Argi cuſtodia, qui centum habebat oculos, aſſeruata fuiſſet, Iouem tandem illius miſertum mandauiſſe Mercurio, vt raptam Ionem, interfecto Argo abduceret: tum Mercurium ſumpta paſtoris forma conatum eſſe cum fiſtula per ſoni ſuauitatem Argum in ſomnum inducere, ac tandem virga tactum ſopiuiſſe, deinde cum vaccam rapere vellet, Argum ab Hierace iuuene imprudente fuiſſe excitatum. Cùm verò rem tegere amplius Mercurius non poſſet, Argum ſaxo occidiſſe. Illa re valde commotam Iunonem primùm Argum in pauonem cum totidem oculis in pennis mutaſſe, deinde œſtrum vaccæ immi-
Georg. 3. ſiſſe, quo illa grauiſſimè agitata ſit, id quod etiam teſtatur Virgilius, inquiens,

Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras,
Inachiæ Iuno peſtem meditata iuuencæ.

Hanc igitur furore vexatam, primum mare, quod ab ipſa Ionium vocatum eſt, aiunt tranaſſe: poſtea verò montem Hæmum per Illyridem profectam tranſcendiſſe, ſinumque Thracium traieciſſe, qui ab ea poſtea vocatus eſt Boſphorus. Nam duo fuerunt Boſphori, Cimmerius & Thracius. In Scythiam verò profectam, multa deinde Europæ & Aſiæ maria tranauiſſe, atque in Aegyptum tandem perueniſſe ad Nili ripas, vbi dicatur priorem hominis formam recuperaſſe, vt ſignificauit
In Europa. Theocritus his verſibus:

θηεῦντο δὲ ποντοπόρον βοῦν.
Ἔνθ' ἦν Ζεὺς ἐπαφώμενος ἠρέμα χειρὶ θεείῃ
Πόρτιος, ἣν καλίστην ἐκλαπόρῳ παρὰ Νείλῳ
Ἐκ βοὸς εὐκεράοιο πάλιν μετάμειβε γυναῖκα. ideſt,
Fluctiuagamque bouem ſpectabant in maris vndis.
Iuppiter hic aderat, niueæ qui terga iuuencæ
Tractabat dextra, ſeptemflui ad oſtia Nili
De boue cornuta facta eſt mox fœmina pulchra.

Idem ſcribit Aeſchylus in Promethco. Apollodorus verò in libro de dijs ſcriptum reliquit, iſtud ipſum contigiſſe iuxta Iopem ciuitatem, quæ ab Ioue nomen acceperit, cùm Argum diuina opera ſuperaſſet, Ἰόπη δὲ πόλις (inquit) καλεῖται, ὅτι ἐκεῖ ἡ Ἰὼ τὸν Ἄργον νικήσασα, γέγωνεν ἄνθρωπος, ideſt, *vocata fuit Iope ciuitas, quòd ibi poſt Argum diuina ope ſuperatum, Io facta eſt homo.* Scribit idem Apollodorus Ionem priſtina forma recuperata ad Nili fluenta Epaphum è Iouis congreſſu peperiſſe, quem Iuno Curetibus occultandum tradiderit: id cùm reſciuiſſet Iuppiter, fertur (inquit) Curetes interfeciſſe, quo tempore Io profecta eſt in Syriam ad filium inueſtigandum, quo inuen-
Lib. 10. to in Aegyptum redijt. Strabo tamen antrum quoddam in Eubœa fuiſſe ſcribit in littore maris Aegei, quod vocetur aula bouis, vbi Io dicta ſit Epaphum peperiſſe. Poſt partum igitur dea facta fuiſſe dicitur, & ab Aegyptijs Iſidis nomine culta, & tempeſtatibus ac nauigantibus præfecta, vt teſtatur Lucianus in dialogo Zephyri & Noti. Hæc ferè ſunt quæ de Ione Inachi filia fabuloſè di-
Ius fabulæ explicatio. cta ſunt ab antiquis ſcriptoribus. Herodotus in Clio raptam fuiſſe Ionem ſcribit à Phœnicibus & in Aegyptum deportatam, quod ſcriptum etiam fuit ab Ephoro & à Phœnicibus vulgò creditum eſt. At longè alia fuit Perſarum ſententia, quippe qui putarint, quòd vbi Io Argis fuit compreſſa à quodam nauclero nauis Phœniciæ, parentes verita, quia cognouiſſet ſe ferre in vtero, cum Phœnicibus lubens nauigarit. Quod autem bos facta mare tranarit, id falſum omnino eſſe creditur, ſed datum fuiſſe fabulæ locum, quia in naui quæ priorẽ partem tauri pictã haberet in prora, nauigarit. Cùm igitur in illa naui mare illud, quod Aſiam ab Europa diſterminat, cuius in littore extructum eſt Byzantium, traieciſſet, locus dictus fuit Boſphorus, quia bos illac inceſſerit. Alij crediderunt tumultuarias nauiculas ab accolis, qui vellent traijcere, fuiſſe factas, quæ quoniam à bobus traherentur, locus fuerit ita appellatus. Alij maluerunt Boſphorum fuiſſe appellatum ab eo tauro, quem rex Aegyptiorum pro Ioue miſit ad Inachum. Cum verò mortuus fuiſſet, hũc oſtẽdens, circumtulerunt, quoniam illud animal non erat antea notum, neque viſum in Græcia, vt ait Soſiphanes in Meleagro: cùm verò apparuiſſet longè exiſtentibus ſupra vndas natans taurus ille, quòd erat ſuper
Iſidis ſtatua cur cornuta. tabulatum, ſinus ille ab inceſſu bouis, dictus fuit Boſphorus. Fingebatur verò Iſidis ſtatua cornuta, quæ ex palmarum folijs habeat calceamenta, cùm luna ſit palmarum fertilitatis cauſa. Victimæ ei vitulæ erant conſecratę, vti ex Herodoto ſuo loco dictum eſt. Inquiunt poſtea Epaphum Aegypti imperium adeptum vrbem Memphim ædificaſſe, matremque poſt mortem, Iſidis nomine coli imperaſſe; atque hæc illa ſunt, quæ attinent ad hiſtoricam expoſitionem. Quod ad phyſicam

ſpectat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ſpectat, Io modò Luna dicta eſt, modò credita eſt terra. Nã dicitur Io fuiſſe Argi & Iſmenes (quod teſtatus eſt Cecrops) vel Neptuni, vel Inachi fluuij, vel aquæ omnino, filia, cum terræ ſolum Io crederetur. Nam terra procul exiſtentibus videtur paulatim ex vndis exoriri. Hanc Iuppiter compreſſit in nebula, cùm Iuppiter nimirum æthereus Sol intelligatur, per quem vapores è terra aſſiduè exurgunt. Fabulantur Ionem in vaccam mutatam fuiſſe animal fertilitatis terræ ſtudioſum, cuius omnis induſtria ſit in colendis agris, ob vbertatem ipſius terræ: nam cum Iuno acceſſit, mitior calor ſcilicet aeris, tum Iuppiter illam in vaccam conceſſit, cùm neque ob nimium calorem aſſiduum, vt neque ob frigus terra fiat ferox. Iuno Argum cui centum erant oculi, illam ſeruandam dedit, quia cælum cui plurimę ſunt ſtellæ tanquam oculi, aſſiduè terram intuetur, & ob ſuum curſum tempora aſſiduè varians plurimum adiuuat ad fertilitatem. Harum ſtellarum ſiue horum oculorum altera pars dormit, altera vigilat, quia ſemper dimidium cęli videtur Sole illuſtrari, cum dimidium ſtellas frequentes oſtentet; atque ſtellæ quæ Solis lumine obſcurantur, dicuntur dormire. At cur Iuppiter Argum occidere Mercurio imperauit? quia ratio plurimũ poteſt in agricultura. Hęc vacca cæſo Argo dicitur liberata fuiſſe, totumque ferè terrarum orbem peragraſſe, & omnia tranaſſe
B maria: quia prudentia & induſtria agricolarum videtur aeris etiam bonitatem aut fortunæ malitiam ſuperare, cùm tellus colonorum induſtria maximè fiat fertilis. Hæc ipſa ratio agriculturæ in omnes terras dedita peruenit tandem Aegyptum, quæ tellus, quoniam ob ſuam fertilitatem ac bonitatem maximè patefaciat vim naturæ & feracitatem, dicta eſt vacca priorem formam ibi recuperaſſe. Ad hos cum Iſis transfretaſſet mulier omnino formoſiſſima ſuæ ætatis ab Api Aegyptiorũ rege vxor ducta eſt: quam dicunt nonnulli Mercurium cæſo Argo ſene prudentiſſimo Argiuorum rege, vt ipſe imperio potiretur, pulſum è Gręcia, cùm res parum feliciter illi ſucceſſiſſent, comitatum fuiſſe. Ibi cum Iſis agriculturam, atque multas res humanæ vitę perutiles Aegyptijs oſtendiſſet, pro dea culta eſt & diuini honores illi fuerunt inſtituti. Enimuero ego (inquit Natalis Comes, ex quo ferè hæc omnia) fabulam hanc vniuerſam ad lunæ curſum potius accommodandam putarim: quã dixerunt eſſe Inachi vel Neptuni filiam, cùm Luna ſenſim humectet nocturno lumine, vt ait Ptolomæus in Almageſſo. Hanc dixerunt filiam Inachi à Ioue compreſſam fuiſſe in nebula, cum Iupiter etiam Sol aliquãdo ſit, etenim in horum planetarum coniunctionibus nubes aut nebulæ plerumque gignuntur. Mox ob accedentem Iunonem Io in vaccam mutatur, quia ſemper ferè die tertio ſaltem à coniunctione luna exit cornuta, vaccæq; cornua imitatur. Nam niſi ante diem quar-
C tum illa ſe è nubibus explicauerit, puriorique aeri obtulerit, pluuiæ aſſiduè prope in vniuerſum mẽſem ſignificantur. Hanc exeuntem à coniunctione, & è nubibus egreſſam excipit Iuno & Argo ſeruandam tradit, quia illa cæteris omnibus ſtellis eſt inferior, à quibus deſpicitur. Occiditur Argus Iouis iuſſu, & vacca ab Argo liberatur, quia Sole lumen & vires Lunæ impartiente, illa omnium ſtellarum vires ſuperat, magiſque conſpicuæ ſunt Lunæ quàm ſtellarum omnium aliarum vires & actiones in humanis corporibus, quas exercet luna, vbi aliquantulum excreuerit. Hæc Io dicta eſt orbem terrarum peragraſſe, & modò in Scythiam, quæ regio eſt ad Septentrionem, modò in Aegyptum peruagata, quia cùm Luna velociſſima ſit, mariaque omnia ſecum trahat, tum modò ad ſeptentrionem, modo ad auſtrum declinat ab eccliptica. Ibi verſa eſt in deam quam cornutam finxerunt, cùm primam formam recuperaſſet, quoniam primi omnium mortalium Aegyptij, cum oculos in cœlum ſuſtuliſſent, vidiſſentque cœlum, Solem, Lunam, Aſtra perpetuo motu moueri, & plurimum rebus humanis prodeſſe, à perpetuo curſu deos vocarunt, atque Solem & Lunam præcipuè diuinis honoribus coluerunt, vt teſtatur Euſebius & Plato. Alij fabulam hanc ad uitam huma- *Lib. 2. de præparat. Euang.* *In Cratyle.*
D nam, moreſque mortalium exprimendos retorſerunt, dixeruntque Ionem eſſe hominum parum cordatorum animas, quæ primum cum Ioue coniunctæ in nebula, & è cælo in hæc corpora tenebrarum plena delapſę, in belluas uertuntur, neq; cupiunt aut diuinitatem ſummi dei, aut acceptam immortalitatem ſpeculari. Sic uerò mutatæ donantur Iunoni, quoniam auaritia & omnium libidinum cumulus homines inuadit, quæ multo etiam plures ſunt, quàm oculi Argi. Paulò pòſt cùm maturior ætas aduenerit, mittitur à Ioue Mercurius, qui Argum occidat, quoniam ratio libidines denique refrænat, eſtque omnium uoluptatum ſacietas. Deinde œſtrum è Iunone immittitur, qui ſtimulus eſt conſcientiæ, & rerum præteritarum, ætatiſque inutiliter tranſactæ recordatio. Hæc facit ut intelligamus nos antea toto cęlo, ut aiunt, aberraſſe, & ut prudentiores facti priſtinam hominum formam reſumamus, ac dij immortales denique per ſanctitatem uitę, & innocentiam & iuſtitiam & humanitatem in omnes uiros bonos efficiamur. Antoninus Liberalis de Mercurio Solis boues furto auferente, ſcribit in hæc uerba: *Auctores eius quam ſubijcimus, narrationis ſunt, præter Nicandrum in libro de immutatis, Heſiodus in magnis Eœis ſiue Orientalibus, Didymarchus libro metamorphorſeon tertio, Antigonus alterationibus & Apollonius Rhodius in Epigrammatis, vt Pamphilus libro primo, ait, Argus Phrixi F. & Permiele Admeto nata, filium habebant Magnetem nomine,* *Fabula de Mercurio & Solis bobus.*

qui

qui vicinam Theſſaliæ regionem incoluit: eam cui ab eo Magneſiæ nomen homines fecerunt. Filius fuit ei Hymenæus excellenti forma. Hunc cùm Apollo canentem audiuiſſet, amoreque eius correptus à domo Magnetis non diſcederet, Mercurius armento boum Apollinis quod iuxta boues Admeti paſcebat, inſidias tendit. Ac primum quidem canibus armenta ea cuſtodientibus, veternum anginamque immitit: & oblitæ boum cuſtodięque ſunt. Buculas ita Mercurius abigit duodecim & boues iugi ignaros centum, taurumque armenti virum. Caudis ſingulorum aliquid ſylueſtris materiæ appendit, ad delenda boum veſtigia agitque armentum per Pelaſgos, Achaiam, Phthioſidem, Locridem, Bæotiam, Megarenſem agrum, indeque in Peloponneſum per Corynthum & Lariſſam, Tegeam vſque: inde ſecundum Lycæum & Mænalum montes profectus eſt cum ijs, & ſpeculam Batti. Habitabat is Battus in ſummo ſcopuli: cumq; iuuencorum qui præteragebantur, vocem exaudiſſet, domo egreſſus, ſenſit eos eſſe furtiuos, pactuſque eſt mercede ſilentium, de ijs reticendi. Eam Mercurius iurato ſe nemini de his quicquam relaturum Batto ſtipulatur. Mercurius cùm eas in ſpeluncam Prioris ad Coryphaſium abdidiſſet compulſas, quæ eſt è regione Siciliæ & Italiæ; ad Battum mutata forma reuertitur, periculum facturus, an is iuramentum eſſet ſeruaturus. Data ergò mercedis loco chlæna, percontatur, anuè furtiuas boues præteragi vidiſſet? Ibi Battus chlæna recepta indicium facit de bobus. Mercurius bilinguem eum eſſe ægrè ferens, adacto baculo in ſaxum commutat, quod & frigori & æſtui omni eſt obnoxium. Alij Mercurium Batto, vt taceret, vaccam donaſſe volunt, vt in primis Ouidius, qui integram hanc fabulam ſic recenſet:

Metam. 2.

Illud erat tempus, quo te paſtoria pellis
Texit, onuſque fuit baculus ſylueſtris oliuę.
Alterius diſpar ſeptenis fiſtula cannis,
Dumque amor eſt curæ, dum te tua fiſtula mulcet,
Incuſtoditæ Pylios memorantur in agros
Proceſſiſſe boues: videt has Atlantide Maia
Natus, & arte ſua ſyluis occultat abactas.
Senſerat hoc furtum nemo, niſi notus in illo
Rure ſenex, Battum vicinia tota vocabat.
Diuitis hic ſaltus herboſaque paſcua Nelei,
Nobiliumq; greges cuſtos ſeruabat equarum.
Hunc timuit, blandaque manu ſeduxit, & illi
Quiſquis es hoſpes ait, ſi fortè armenta requiret
Hæc aliquis, vidiſſe nega, neu gratia facto
Nulla rependatur, nitidam cape pręmia vaccam.
Et dedit, accepta, voces has reddidit hoſpes,
Tutus eas, lapis iſte prius tua furta loquetur,
Et lapidem oſtendit: ſimulat Ioue natus abire,
Mox redit, & verſa pariter cum voce figura
Ire boues, fer opem, furtoque ſilentia deme.
Iuncta ſuo pariter dabitur tibi fęmina tauro.
At ſenior poſtquam merces geminata, ſub illis
Montibus, inquit, erant, & erant ſub montibus illis.
Riſit Athlantiades, & me mihi perfide prodis,
Me mihi prodis? ait, periuraque pectora vertit
In durum ſilicem, qui nunc quoque dicitur index.

Fictam autem iſtiuſmodi fabulam fuiſſe volunt, quia Mercurij planeta, quibus dominatur in horoſcopo, homines facit ingenio quidem promptos & eloquentes, at callidos tamen & aſtutos & ad furta propenſos.

A P O L O G I.

Lib. 29. c. 2.
Taurus & rana.

SCITA fabella ſiue apologus legitur de rana & tauro: perrexiſſe olim ingentem taurum (vtor verbis Celij Rhodiginij) ad aquas reſtinguendæ ſitis gratia. Erat ibi fortè ranarum, vt aſſolet plurimum. Dum verò auidius bellua ſe aquis inferit, ranunculos ibi attriuit aliquos. Re autem adeo tetra & formidoloſa perterritus vnus confeſtim mandat fugæ præſidium, & ſedulitate mira, quantam in id genus cedere probabile eſt, peruenit ad matrem, narrat fratrum miſerabile exitium, vt à ſtaturoſo neſcio quo ...

A rent immaniter exculcati. At illa nimis inscita, nimisque exoculata, vt quæ filio aliqua volebat videri, tumescere amplius cœpit, ac flatu modò magnitudinem captare, rogans, ecquid tanta foret pernicialis bellua? Cui is, multò maior, inquit, illa etiamnum inflari plus, ac subinde cœpit, cupiens omnino magnitudinem visam exhibere filio. At is frustra conari illam animaduertens. Non si te ruperis (inquit) par vnquam futura es. Id prouerbij formam habet. Apologum satyris suis inseruit Horatius, qui sic canit:

Absentis ranæ pullis uituli pede pressis, Li. 2. Sat. 3.
Vnus vbi effugit; matri denarrat, vt ingens
Bellua cognatos eliserit: illa rogare,
Quantane? num tantum sufflans se, magna fuisset?
Maior dimidio, num tantum? cùm magis atque
Se magis inflaret; non, si te ruperis inquit,
Par eris.

Alij ruptam fuisse ranam aiunt, cum vellet bouem voce imitari. Martialis isthac vulgari fabula va-
B nitatem Otacilij pauperis contendentis cum Torquato diuite rerum omnium magnificentia deridet, vaticinaturque fore, vt ita rumpatur Otacilius volens æquari Torquato, quemadmodum rana dirupta est, cùm vocem bouis vellet emittere.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum,
Ad quartum breue rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Extruxit: cucumam fecit Otacilius,
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro,
Castaneas centum seuit Otacilius.
Consul Torquatus: vici fuit ille magister,
Nec minor in tanto visus honore sibi.
Grandis vt exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

Inter apologos Leonis Baptistæ Alberti, legitur & iste. Bos amputatis cornibus arietabat in arborem, conuiciaq; iaciebat in eam, dicẽs, aliquando te in terram prostratam per vias miserè tractabo Bos & arbor.
C per terram trahens: Cui arbor, interea tu amputatis cornibus, nihil potes. Alius. Bubulcus armentum taurorum pascens, amisit vitulum, lustrando omnem solitudinem, indagando moram traxit. Vbi inuenire nihil potuit, precatus est Iouem, si furem, qui vitulum cepit, ostenderit, hœdum in sacrificium oblaturum. Cęterum proficiscens in quercetum quoddam inuenit à leone deuorari vitulum. Trepidus igitur & perterrefactus, eleuatis manibus suis in cœlum, ait, O domine Iuppiter, promiseram tibi hœdum me daturum esse, si furem inuenirem, nunc taurum tibi recipio sacrificaturum, si huius manus effugero. Fabula quadrat in homines infortunatos, qui dum carent, vt inueniant, precantur, cum inuenerint, quærunt effugere.

P R O V E R B I A.

D Μὴ κατὰ βόος ἔυχη, Ne contra bouem opta. Author adagiorũ, adagium (inquit) admonet vitam non esse instituendam iuxta votum animi, neq; quiduis sperandum à Ne cõtra bouem opta.
superis, sed vt ea duntaxat sibi quisque promittat, quæ possit industria consequi. Refertur in collectaneis Diogeniani. Videtur autẽ ducta metaphora ab agricola qui negligens adhibere bouis operam in colendis agris, optat, vt citra suum laborem proueniat seges. Hæc ille, sed sensus (inquit Gesnerus) clarior videretur, si pro κατὰ præpositione legas ἄνευ, vt ita legatur, Ne optes sine boue. Oppidò quàm eleganter Horatius hoc carmine,

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus,

vitium illud significat humanis ingenijs insitum, vt semper alienam sortem magis mirentur, suam contemnant ac fastidiant, optent inexperta, experta damnent. Illud verò etiam Homeri:

Οὐ γὰρ πώποτ᾽ ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους, idest
Non enim equos vnquam mihi subduxere bouesque

prouerbiali figura videtur vsurpatum pro eo, quod est, nunquam me læserunt, aut affecerunt iniuria, cùm negamus nobis esse causam, cur illum aut illum odisse debeamus. Sumptum est ex Iliados Homericæ libro primo, vbi Achilles contendens cum Agamemnone, negat sibi causam esse, quamobrem cum Troianis bellum suscipiat, nisi vt illi morem gerat. Dictum est autem ex an-

tiqui ſeculi ritu, quo cùm vita mortalium adhuc eſſet paſtoralis, prima belli cauſa erant abacta pecora. Pindaricum illud, quod refertur à Plutarcho in commentario, quem ſcripſit περὶ εὐθυμίας, ἐφ᾽ ἅρμασιν ἵππος, ἐν δ᾽ ἀρότρῳ βοῦς, παρὰ ναῦν δ᾽ ἰθύνει τάχιστα δελφίς. κάπρῳ δὲ βουλεύοντι φονὸν, κύνα δεῖ τλάθυμον ἐξευρεῖν, ideſt, *Equus in quadrigijs, in aratro bos: nauem ocyſſimè præuertitur delphinus: apro cædem molienti inueniendus eſt canis laborum patiens:* ſignificat vnumquemque adhibendum eſſe ad id, quo valet: refertur adagium ab authore adagiorum in adagio: *Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat*, ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην: quo Iambico ſenario (Ariſtophanis in Veſpis) admonemur, vt quarum rerum ſumus periti, in his duntaxat diſputandis tractandiſque verſemur: quarum verò ſumus rudes, eas doctioribus concedamus, neque profeſſionem alienam nobis vindicemus, neque in meſſem alienam mittamus falcem. M. Tullius: *Sed hic quidem* (inquit) *quamuis eruditus ſit ſicut eſt, hæc magiſtro concedat Ariſtoteli, canere ipſe doceat; benè enim illo prouerbio Græcorum præcipitur: Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.* Apud A. Gellium Plato ex Euripide etiam citat, ſed in ſenſum non nihil diuerſum à Ciceroniano, nempe ſuo quemque vitæ inſtituto ſtudioque impenſe delectari, quòd in eo ſe laudem aliquam aſſecuturum confidat. Accidit (inquit) illis illud Euripidis: Qua in re clarus quiſque eſt, ad eam properat, & diei partem illi plurimam impartit, in qua ipſe ſe exuperet: contrà in qua ſtupidior, ac nihili ſit, inde effugit, eamque contemnit, Ad hoc etiam prouerbium alluſit Horatius ita ſcribens:

Bos in aratro.

Lib. 1. Tuſcul.

> *Nauem agere, ignarus nauis, timet: abrotanum ægro*
> *Non audet, niſi qui didicit dare. Quod medicorum, eſt,*
> *Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.*
> *Scribimus indocti, doctique poemata paſſim.*

Lib. 2. Idem in epiſtola ad Villicum:

> *Quam ſcit, vterque lubens cenſebo, exerceat artem.*

Athenæus cùm Ptolomæus cum Stratonico contentioſius diſputaret citharœdo de cithariſtica, *Aliud* (inquit) *eſt rex ſceptrum, aliud plectrum*, & apud Plinium Apelles Alexandro Magno in officina multa diſſerenti de pictura, comiter ſuaſit ſilentium, admonens illum rideri à pueris, qui colores terebant. Prouerbialis verò iſte Græcorum verſus:

Lib. 35. cap. 10.

> Πολλοὶ βουκένται, ταῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες, ideſt,
> *Qui taurum ſtimulent multi, ſed rarus arator.*

in eos torquetur, qui inſignia virtutis aut famam habent, ſed vera virtute vacant. Multi enim præ ſe ferunt, quod non ſunt. Huc adſcribendum videtur, quod lepidè ſcripſit Seneca, quendam *perſonam malle quàm faciem*: Faciem vocat, vbi quis talis videtur, qualis eſt: perſonam, cùm præ ſe fert aliquis, quod non eſt. Simile eſt prouerbium cum eo, *Non omnes qui habent citharam, ſunt citharœdi*. Μὴ πάντα κατὰ βόος ἕξεις, ideſt, *non omnia per bouem obtinebis*. Hemiſtichium eſt prouerbiale, quod admonet non ſacrificijs, aut litationibus, votiſque pro arbitrio omnia ceſſitura: laborandum nobis eſſe, quemadmodum apud Saluſtium ait Cato: *Non votis neque ſupplicijs muliebribus auxilia parantur deorum, ſed vigilando, agendo, bene conſulendo, proſperè omnia cedunt, vbi ſecordiæ atque ignauiæ te tradideris, ne quicquam deos implores*, quò ſpectat illud Aeſchyli. Τῷ δ᾽ αὐτὸ πονοῦντι, καὶ θεὸς συλλαμβάνει, ideſt, *Quiſquis laborat, huic manum præbet deus*: Torqueri ſolet in reſides exercitus duces, qui mactato boue propitiaſſe ſe deum abundè putant, non poſſe infeliciter cadere ſua cœpta arbitrantes, cum conſilio & animi præſentia & fortibus factis in bello opus ſit. *Bos agnoſcit poſſeſſorem ſuum*: in eum dici ait Polydorus Virgilius, qui agnoſcit beneficia, & obſeruat illum, à quo acceperit: poſſeque non minus concinnè in ingratum torqueri, argumento à minori ſumpto. Si enim bos animal ſtolidum ſuum noſcit; noſcit autem rectè (inquit) bubulcum, cùm præſertim ab eo paſcitur, is meritò in mutis habendus, qui a boue intelligentia vincatur, vt de ſe benemeritos non agnoſcat. In hunc ſenſum propheta aduerſus Iudæos, quòd non eſſent cognituri filium dei, cuius populus dicebantur, vſus eſt. Eleganti etiam atq; prouerbiali allegoria (inquit idem Polydorus) quis dicitur *arare boue & aſino*, cum neſcit officia diſtribuere. Verbi gratia, ſi quiſpiam adhibeat ad conſilium de rebus grauioribus habendum, citharœdum aut muſicum, in quibus ſumma ſemper eſt leuitas; item ſi ad ius dicendum, theologum iuris conſulto adiungat: vel ad diſputationem diuinitatis habendam, iuris peritum theologo copulet, aut virilia munera mandet fœminæ obeunda. Et denique ſola diſtantia, atque ineptia, locum prouerbio facit, figura inde ducta, quod aſinus ferendis ſarcinis valet, non item aratro trahendo, contrà quàm bos valentiſſimus ad arandum, tam ineptiſſimus ad onera importanda. Nos autem per huiuſmodi allegoriam admonemur vniuſcuiuſque hominis in ea re opera vti, qua ille valet. Ponitur in Deuteronomio in hanc quoque ſententiam. *Bos non infrenandus* prouerbialis etiam gnome eſt, quam Diuus Paulus copioſè explicat: Ait enim: *boui trituranti non eſſe os obligandum*

Non omnia per bouē obtinebis.

In Catilina.

Bos agnoſcit poſſeſſorem ſuum.

Arare boue, & aſino.

Cap. 22.

1. Cor. 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *gandum*. Locus ex Mose sumptus. Nam boui trituranti os obligare, est mercedem mercena-
rio, & victum abnegare. Habebant enim Iudæi nonnunquam conductitios boues. Sic idem
Paulus: *Legem non propter boues, sed propter nos scriptam, vt non negemus mercenario, opera-* 1. Timoth.
rio, & in primis victum verbi ministrò, de suo ministerio. Nam boues triturantes dicuntur ac no- 5.
minantur à Paulo. Etiam allegoricè potest significari, ne prohibeatur doctori verbum liberè præ-
dicare, quod deuorent stipulas & paleas, idest, conuertant impios homines, & Christo incorporent.
A bobus item trituram exercentibus, quibus quod os obligatum habeant, non licet vesci tritico,
quod exciunt, βοῦς ἐπὶ σωρῷ, idest, *bos in aceruo*. Dicitur quemadmodum ait Suidas, de ijs qui *Bos in acer-*
in media rerum copia constituti, non sinuntur præsentibus bonis frui, vt simile videlicet sit pro- *uo.*
uerbium illi: *Tantalus inter vndas sitiens*. Simile quiddam refert Iulius Pollux de seruis in pi- *Lib. 7.*
strino laborantibus, quibus machina rotunda circa ceruicem addebatur, ne manum ori liceret ad-
hibere: id factum ne deuorarent farinam. Quod bubus faciebant Iudæi, hoc illi faciebant homi-
nibus. Dici verò etiam potest, de splendidè, ampliterque viuentibus. Βοῦς ἐπὶ φάτνῃ: *bos ad præse-*
pe, in emeritos dici consueuit, quique iam ob ætatem ocio, & abdomini seruiunt. Philostratus in
B Cassandra: Ἀλλ' ἐν μειρακίοις καὶ γυναίοις βοῦς ἐπὶ φάτνῃ, idest, *verùm inter adolescentulos ac mu-*
lieres, bos ad præsepe. De Agamemnone loquitur, voluptuariam agente vitam. Effertur item ad
hunc modum βοῦς ἐπὶ αὐλίῳ γέρων, idest, *bos in stabulo senex:* Rursum hoc modo: βοῦς ἐν αὐλίῳ κά- *Bos in stabu-*
θη, idest, *bos in stabulo desides*, de ijs qui molliter & in otio viuunt, siue, vt Suidas ait, de homini- *lo.*
bus ad nullam rem vtilibus. Athenæus refert quiddam non illepidum, nec alienum ab hoc pro- *Lib. 8.*
uerbio. *Cantor quidam imperitus, cùm Stratonicum excepisset conuiuio, ac Stratonicus eo frustra-*
retur, non habens alterum quicum sermocinaretur, confregit poculum ac poposcit maius, multosque
cyathos cùm accepisset, solique calicem ostendisset, affatim bibens obdormijt, cætera fortunæ cōmittens.
Cum autem forte commessabundi quidam superuenissent cantori, ex notis, Stronicus ilico factus est so-
brius. Ii cùm audissent, quod semper multum vini bibens fuisset inebriatus, compendio respondit: In-
sidiator enim & sceleratus ille cantor, tanquam bouem ad præsepe, data cœna, occidit. Origo adagij
est à more veterum, qui boues à laboribus ad præsepe sistebant, atque illis pabulum subministra-
bant. Congruet verò etiam in illos qui in suum aluntur exitium: quemadmodum ij, qui se volu-
ptatibus mundi explent, orco quid aliud quàm victimæ nutriuntur, veluti bos ad præsepe? βοῦς
ἐνάλιος, idest, *Bos maritimus*, de magnis, insulsis, & ad nihil vtilibus, quales sunt phocæ, tan- *Bos mariti-*
C tùm pascentes, nec operi, nec esui vtiles, contrà quàm boues terrestres. Refertur à Suida. Au- *mus.*
thor adagiorum suspicatur legendum, βοῦς ἐν αὐλίοις, vt sit idem cum antedicto. quia sic (inquit)
refertur in collectaneis Tarrhœi ac Didymi, estque hemistichium Iambici trimetri. Sed & Sui-
dæ excusa sic legere tradit Gesnerus exemplaria, idq; bis repetere. Sic & Apostolium Byzantium,
sic & alios authores habere. Γέρων βοῦς ἀπένθητος δόμοισι, idest, *bos senex vacat luctu domestico-* *Bos senex*
rum hoc est, senum mors quod tempestiua videatur, non lugetur ab amicis. Quin & hodie si *nō lugetur.*
quando nunciatur obitus hominis natu grandis: Nihil acerbum inquiunt, non perijt in cunabu-
lis. Mortem iuuenum complorant ij quoque, ad quos nihil attinet. Γηρᾷ ὁ βοῦς, τὰ δ' ἔργα πόλλα
τῷ βοός, *Bos consenescit, at opera multa sunt bouis:* Prouerbialis senarius, cùm ob ætatis imbecilli-
tatem aliquis inutilis redditur ab obeundum munus. Nam diuitum vulgus haud aliter ministris
vtitur, quàm equis & canibus, aut paulò etiam inhumanius, dum vsui sunt, alliciunt; vbi senuerint,
reijciunt. Vnde consultum est, vt vnusquisque sibi paret, quo senectutem suam commodius fo-
ueat, alatque, ne tum cogatur, ex aliena liberalitate pendere, cùm à nemine non contemnetur: ac
meminerit Diogenis apophthegmatis, qui rogatus, quidnam esset in hac vita calamitosissimum,
D respondit, γέρων ἄπορος, idest, *senex egens*. Sed fortè sensus Senarij clariùs ita reddi possit: Bos
licet iam senecta inutilis, merito tamen illorum operum, quæ plurima iam olim confecit, reijci vel
contemni non debet. Βοῦς ἐπὶ ζυγὸν, idest, *bos sub iugum*, vbi quis assiduè laborat, aut vbi se *Bos sub iu-*
quis laborioso inuoluit negocio. Ductum item à bubus agricolis. Quin & hic erit locus vten- *gum.*
di, cum negabimus aliquem ad id trahendum negocij, ad quod administrandum parum sit ido-
neus, sed eum qui sit aptus, quòd bos iugo ducendo natus videatur, non item canis aut ceruus.
Bos clitellas. Quintilianus parœmiæ quam ait esse ceu breuem apologum, hoc adfert exemplum.
Non nostrum onus, bos clitellas? Satis constat ex apologo sumptum, verùm quis sit is apolo- *Bos clitel-*
gus, equidem nondum reperimus. Marcus Tullius in Epistola cuius initium est, Laodiceam *las.*
veni pridie Calendas sextiles, videtur ad hoc adagium alludere, & nobis (inquit adagiorum *Lib. 5. Inst.*
author) ansam coniectandi præbere. *Inde* (inquit) *ire ad Taurum cogitabam, vt cum Maphra-* *Orat.*
gone collatis signis, si possem, de seruo tuo decidere. Clitellæ boui sunt impositæ. Illane? Non est,
nostrum onus, sed feremus. Quibus ex verbis odorari licet, non nostrum onus, bos clitellas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

prouerbium fuiſſe, recuſantis munus aliquod, veluti parum accommodatum ſibi. Neque enim boum eſt, clitellis tergo impoſitis onera geſtare, ſed potius aſinorum, ac mulorum. Prouerbium vſurpauit & Ammianus. Βοῦς ἐπὶ δέσμα, *bos in vincula*. Heſychius indicat in eandem ſententiam dici, qua illud, κύων ἐπὶ δέσμα, idest, *canis in vincula*. Dicebatur, vbi quis ſeipſum in ſeruitutem, aut in malum aliquod inijceret. A canibus ſumptum vltra ſe præbentibus vinciendos cibi lenocinio. Author Zenodotus. Μένε βοῦς πότε βοτάνην. idest, *Expecta bos olim herbam*. Dicendum, vbi quid ſerò contingit. Laborat enim bos in agricolando, ſed aliquando guſtatura herbam enatam. Finitimum illud: *Et adhuc tua meſſis in herba eſt*. Βοῦς ἀμητὸν ἐπιτηροῦντες, idest, *Boues meſſis tempus expectantes*, vel βοῦς εἰς ἀμητόν, dici ſolitum, vbi quis ingentium emolumentorum ſpe laborem ſumeret. Nam boues meſſis tempore inter trituram paſcuntur, & pabulum largiùs apponitur. Alijs verò temporibus moleſtior eſt arandi labor, quòd nullo præſente fructu leniatur. Ἀτρέμας βοῦς, idest, *placidè ſiue lentè bos*, ſubaudiendum, *incedit*, aut ſimile quidam. Congruet in illos, qui placidè ac paulatim, citraque tumultum, ſed tamen aſſiduitate rem conficiunt. Equorum laus eſt velocitas. Boues non valent celeritate, ſed viribus & aſſiduitate pollent, non impetu. Eodem pertinet illud: *Bos laſſus fortius figit pedem*. D. Hieronymus oppidò quàm elegans adagium vſurpauit, ad beatum Aurelium Auguſtinum ſcribens, cumque deterrere cupiens, ne iuuenis ſenem prouocaret: propterea quod tardiùs quidem ad pugnam excitantur hi, qui iam ſunt ætate quaſi feſſi: verùm ijdem grauius ſæuiunt, atque vrgent, ſi quando ſenilis irritata recaluit. *Memento* (inquit) *Daretis, & Entelli, & vulgaris prouerbij, quòd bos laſsus fortius figat pedem*. A veteri trituræ modo ductum apparet, cùm circumactis à bubus ſuper manipulos plauſtris grana excutiebantur: partim à rotis in hoc armatis, partim à taurorum vngulis. Poteſt alluſum videri, & ad hoc, quòd iuuenes corporis agilitate præpollēt. Senes in ſtataria pugna, ac viribus ſuperiores ſunt, id quod & Virgilius innuit Entelli congreſſu. Τὸν θέλοντα βοῦν ἔλαυνε, idest, *volentem bouem agito*. Vtere eorum opere, qui ex animo faciunt. Stultitia eſt venatum ducere inuitas canes, vt ait Plautus. Refertur ab interprete Theocriti. Simile dictum etiam hodie perſeuerat vulgo celebratum, incommodum eſſe bubus inuitis plauſtrum ducere, aut inuitis equis plauſtrum agere. Videtur autem ex Theognide ſumptum,

Lib. 16.

Bos in vincula.

Expecta bos herbam.

Lentè bos.

Bos laſſus fortiùs figit pedem.

Volētem bouem ágito.

Inuitum ne me ſcutica, ſtimuliſque ſubactum
Vi ſtudeas vnquam ducendo inducere plauſtro.

Significatur his adagijs non ſat feliciter ſuccedere, quod à nolentibus extorquetur: neque eorum officio vtendum, qui non ex animo operam ſuas nobis commodant, Τῷ βοῒ τὸν λαγὼ κυνηγετεῖν, idest, *Boue venari leporem*, dicuntur, qui rem abſurdam, ſtultam ac præpoſteram aggrediuntur. Plutarchus in commentario de animi tranquillitate: Neque enim qui aratro velit iaculari, ac boue venari leporem, infortunatus eſt: neque eo qui piſcatorijs retibus ceruos non ceperit, vllus malus aduerſatur genius, ſed ſtultitia & peruerſitas aggrediuntur, quæ fieri non poſſunt. Non quiduis eſt accommodum ad omnia, veluti ſi quis homini ſtudijs & ocijs nato, bellum aut rempub. adminiſtrandam mandet, boue venatur leporem, aut ſi ſtupido & inſulſo iudicia committat. Ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν ἐλαύνει, idest, *currus bouem trahit*, de re quæ præpoſterè geritur: veluti ſi vxor præſcribat marito, ſi diſcipulus deprehendat præceptorem, ſi populus imperet principi, ſi ratio pareat affectui. Lucianus in Terpſione. *Nunc id euenit, quod vulgò dici ſolet: Plauſtrum ſæpenumero bouem ipſum aufert*. Translata metaphora à plauſtris per decliue retro labentibus, vnaque ſecum bouem auferentibus. In ſimilem ſenſum torqueri poteſt illud diuini poetæ:

Boue venari leporem.

Currus bouem trahit.

Ante lupos rapient hædi, vituli antè leones:

illudque Iuuenalis:

Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum.

Sed & Suidas, in res abſurdè geſtas hoc recitat prouerbium, Ἀλώπηξ τὸν βοῦν ἐλαύνει, idest, *Vulpes bouem agit*. Nihil enim vulpi cum agriculatione. Ait tamen licere etiam torquere ad eum, qui non ex animo, ſed alio ſpectans fingit ſe quippiam velle facere. Huc ſpectat & illud: Ne ſi bos quidem vocem edat: nec non & hoc: *Prius locuſta bouem pariet*. Βοῦς ἀλλότριος τὰ πόλλα ἔξω βλέπει, idest, *bos alienus ſubinde foras proſpectat*: de ijs qui apud alienos non ſatis ex animi ſententia tractantur, eoque ſæpius ſuos deſiderant. Vnicuique domi, ac velut in ſuis præſepibus iucundiſſima vita, peregrè multa ſunt, quæ lædant, plurima deſunt. Alluſiſſe videtur ad hoc prouerbium Plutarchus: *Verum nec ipſos contemnatis, neuè foras proſpiciatis*, idest, ne aliunde petatis, quod ab ipſis Platonis interpretibus ſumi poteſt. Proinde rectè dicetur, ἔξω βλέπειν, qui non contentus ſuis aliunde pendet. Sic & Satyricus:

Bos alienus foras ſpectat.

In Sympoſ. 8. 2.

Ne te quæſiueris extra.

Ταῦρος

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Ταῦρος ὑπερκύψας τὸ ταΰγετον ἀπὸ τοῦ εὐρώτα ἔπιεν, idest, *Taurus porrecto vltra Taygetum capite bibit ex Eurota,* de re vehementer absurda. Simillimum illud, *quid si cælum ruat?* Natum ex apophthegmate Geradæ Lacedæmonij: is ab hospite quodam interrogatus, quæ pœna foret adulteris apud Lacedæmonios, negauit esse vllos adulteros apud Lacedæmonios: at instens ille, quid si quis existeret, inquit, quam pœnam daret? is, inquit, taurum maximum dependeret, qui producto vltra Taygetum montem capite, biberet ex Eurota; cumque hospes arridens, & vnde taurus tam ingens? Lacedæmonius vicissim, at vnde apud Lacedæmonios adulteri? Refertur à Plutarcho in vita Lycurgi. *Ab asinis ad boues transcendere* dixit Plautus, cuius versus in procemio operis recitauimus, pro eo quod est, ex humiliore conditione additiorum partes transire. Εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἔλαυνε ὄνον, idest, *si bouem non possis asinum agito,* idest, si non potes, vt vis, vtcunque potes facito: Si fortuna splendidior non contingit, eam sortem quę contingit, boni consules: si quod optas, non licet, id quod est, proximum amplectere. Plutarchus in commentario, cui titulus de vitando ære alieno prouerbialem ait esse sententiam in hoc versu:

Si bouem nō possis, asinū agito.

B Οὐ δύναμαι τὴν ἦγα γέρειν, ἐπιτιθετέ μοι βοῦν, idest,

Tauro oneratis, cum nequeam portare capellam.

Vbi quis quod leuius est, recusat, & quod multò sit intolerabilibus, imponi sibi postulat: Veluti si quis impatientia paupertatis, nam ad id accommodat Plutarchus, vsuris inuoluat sese, quod onus vix diuitibus sit tolerabile. Βοῦς ἐφ' ἑαυτῷ κονιεῖται, idest, *Bos aduersus seipsum puluerem mouet,* siue festinat. Vbi quis ad suum ipsius malum volens lubensque ducitur. Nam boues, vt sunt mansueti, facilè se præbent vinciendos, neque grauatim obtemperant iugo. Quidam accommodant in eos, qui prudentes ac scientes semet in præuisum periculum inijciunt, bouis in morem, qui sibi patitur inijci vincula, quibus ad cædem ducatur. Refertur à Zenodoto. Huc facit & hoc, Ἐκ τοῦ βόος τοὺς ἱμάντας λαμβάνειν, *ex ipso boue lora sumere* dicuntur, qui quò lædant quempiam, id ab ipso quē lædunt accipiunt: veluti si quis versibus lacesseret eum, à quo carminis componendi rationem didicisset; aut tyrannus pecuniam extorqueat à ciuibus, qua satellitium ad opprimendam ciuitatem alat; aut si quis præsidijs rethoricis rethoricen oppugnaret. Metaphora sumpta ab agricolis, qui lora cædunt è boum tergoribus, quibus boues vinciunt. Vtitur adagio Plutarchus. Quid igitur, inquit, dixerit quispiam? satis est ipsa corporis natura, morborum materiam in se continens, ac iuxta quod ioco dici solet, tanquam ex ipso boue lora sumens, ita ex ipso corpore dolores. Hesiodi,

Bos aduersus seipsum puluerē mouet.

Ex ipso boue lora sumere.

C carmen,

Μήδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κάκος εἴη, idest,

Ne bos intereat, vicinus si improbus adsit.

Columella tanquam prouerbiale refert. Illud autem Aristophanis in Acharnensibus: Παρετίθει δ' ἡμῖν ὅλους ἐκ κριβάνου βοῦς, Καὶ τίς εἶδεν πώποτε βοῦς κριβανίτας, idest, *Deinde nobis præbuit, è clibano totos boues, & quis rogo, conspexit vnquam clibano coctos boues?* prouerbialis est hyperbole de barbarica rerum copia, siue de lautitijs affatim administratis. Antiquitus enim erant in delicijs cibi in clibano cocti. Vsus erit, quoties splendorem conuiuij efferemus, aut etiam insignem edacitatem. Cōsimili figura vocabant hecatomben. Παντα ἐκτραγὼν τὸν βοῦν, εἰς τὴν οὐραν ἀπέκαμεν, idest, *toto deuorato boue, in cauda defecit,* hoc est, reliquo negotio peracto, in extremo fine delassatus est. Videtur esse senarius, sed deprauatus. Βοῦς ἐπὶ πίνακος ἀργυροῦ, idest, *bos in quadra argentea*: in eos qui personam sustinent, officium aliquod egregium pollicentem, nec vlli tamen sunt vsui, nisi ad voluptatem aut factum. Author adagiorum ait simillimum esse ei, quod alibi retulimus, *bos septimus,* in cuius explicatione binos eius errores ex Gesnero detegimus. Sed & in huius adagij declaratio-

Boue toto deuorato in cauda defecit.

D ne rem acu non videtur attigisse. Citans enim hoc ex Suida epigramma non inelegans,

Πῶς βοῦς ὑπάρχων αὔλακας γῆς οὐ τέμνεις,
Ἀλλ' ὡς πάροινος ἀγρότης ἀνεκλίθης,
Πῶς οὐχὶ καὶ σὺ πρὸς νομὰς ἀποτρέχεις,
Ἀλλ' ἀργυροῦ εἴδωλον ἕστηκας Τράγε
Ἕστηκα τὴν σὴν ἐξελέγχων ἀργίαν. idest,
Quinam fit vt bos cum sies, aruum non ares
Sed ebrij in morem recumbis rustici?
Quin hirce tu quoque curris hinc in pascua,
Sed potius hic imago stas argentea?
Hic sto tuam redarguens inertiam.

Addensq; meminisse huius bouis Iulium Pollucem, sensum epigrammatis haud assecutus videtur fuisse, cùm bos ille, cuius eo loco meminit Pollux, sit genus placentæ, vt suo loco diximus, bos verò in hoc epigrammate, imago, siue pictura bouis in tabella (sic enim etiam rectius vertemus, quàm

in quadra) argentea: quare si ex hoc epigrammate siue apologo potius prouerbium facere libet, conueniet in otiosos & ignauos, quique externa specie tantùm, non re ipsa, munus suum exercent. Πάντα ἐκτραγὼν τὸν βοῦν, εἰς τὴν οὐρὰν ἀπέκαμεν, idest *toto boue deuorato, in cauda defecit*, hoc est, reliquo negocio peracto, in extremo fine delassatus est. Ἐπὶ βύρσης ἐκαθέζετο, idest, *In tergore bouis desedit*, idest, supplex implorat auxilia. Natum adagium à consuetudine vernacula Scythis, quemadmodum testatur Lucianus in Taxaride. Nam apud hos, si quis fortè læsus esset, neque suppeteret vlciscendi facultas, immolato boue carnes munitim sectas coquebat, ipse in tergore humi strato sedebat, manibus in tergum reductis: idque maximum supplicandi genus apud illos habebatur. Accedebat quicunque vellet opitulari, & carnium portione gustata, dextroque pede tergori imposito, pollicebatur pro viribus auxilio futurum: atque hoc fœdus sanctissimum apud Scythas habebatur. Plutarchus in cõmentario de his qui serò à numine puniuntur, prouerbialiter effert & hoc: *Boum extrema cornua inungere, quando eorum vngulæ mollitie tentantur*, ridiculum est. Conueniet in imperitos medicos, qui sæpe parti, cui non debetur, medicamentum applicant. D. Hieronymus ad Pammachium ait: *Oleum perdit & impensas, qui bouem mittit ad ceroma*. Ceroma dicitur vnguentum, quo olim inungebantur athletæ: bos autem ad certamina inutilis est. Itaque bouem ad ceroma mittere dici potest, qui docet indocilem, aut ad id muneris adsciscit aliquem, ad quod obeundum minimè sit idoneus. *Asinus ad Lyram*, prouerbium in asino recitauimus. cæterùm cum Cleon quispiam, cui nomen inditum Boui, scitè caneret voce, lyra verò non perinde vteretur: Stratonicus canentem audiens: *olim* (inquit) *asinus ad lyram dictus est, nunc verò bos ad lyram*. Βοῦς Κύπριος, *Bos Cyprius*, Suidas dici ait de homine futili & stupido; Aiunt enim (inquit) boues Cyprios vesci stercoribus. In eundem sensum torquet author adagiorum; cæterum cum Plinius scribat Cyprios boues hominum excrementa appetere, non pastus causa, sed vt hoc remedio torminibus medeantur, id ad eorum sagacitatem potius referendum esse suo loco antea annotauimus. Idem adagiorum author, ait Festum Pompeium, versum hunc Sotadicum citare ex Ennio: *Cyprio boui merendam*: ostendereque conuenire, quoties conuiua sordidus & insipidus sordido atque insipido accipitur conuiuio: sed cum adagij eandem referat originem, contrarium quoque sensum habebit, & fortè apud Ennium pro *merendam* legendum est, *merdam*. *Bos Arcadicus*, vt annotauit Lambertus Hortensius in octauum Lucani, de magnis dicitur & stupidis, sicuti & *Arcadicum germen*. Vide in priori tomo, *Asinus Arcadicus*. Λοκρικὸς βοῦς, *Locrensis bos*: de re nihili aut de munere leuiculo dici potest. Cùm aliquando Locrenses publicum sacrum facturi, bouem desiderarent, composito ex minutis lignis simulacro, dijs rem diuinam fecerunt: atq; hinc vulgus adagium arripuit. Ἄθως καλύπτει πλευρὰ Λημνίας βοός, idest, *Athos celat latera Lemniæ bouis*. Vbi quis officit, aut molestus est, aut gloriam cuiuspiã obscurat, aut alioquin obsistit. Tradunt in Lemno bouis fuisse simulachrum ingens, candido factum lapide. Id Athos mons quamuis longè dissitus, interuallo, tamen ob summam celsitudinem, obscurat vmbra sua. Est autem Athos Thraciæ mõs ingens, adeo vt vmbram iaceat ad stadia trecẽta, teste Stephano. Meminit huius Apollonius:

In tergore bouis desedit.

Boum extrema cornua inungere.

Bos Cyprius.

Lib. 28. cap. vlt.

Locrensis bos.

Argonaut. 1.

Ἠρι δὲ νισσομένοισιν ἄθω ἀνέτελλε κολώνη.
Θρηικίη, ἣ τόσσον ἀπόπροθι λῆμνον ἐοῦσαν,
Ὅσσον ἐς ἔνδειον κεν εὔστολος ὁλκὰς ἀνύσσαι,
Ἀκροτάτη κορυφῇ σκιάει, καὶ ἐς ἄχρι μυρίνης, idest,
Solis ad exortum vada salsa secantibus alto
Vertice se ostendit Athos, mons Thracius, is qui
Dissitus à sacra tanto discrimine Lemno,
Quantum alata die valeat transmittere nauis
Hanc tamen aerij contingit verticis vmbra
Quin longinquam etiam contingit ad vsque Myrinem.

Prouerbij meminit & Plutarchus in moralibus, tùm alias, tum in commentario quem inscripsit de facie apparente in orbe Lunæ, testans vmbram porrigi per septingenta ferme stadia. Βοῦς ὁ Μολοττῶν, idest, *bos Molossorum* dicebatur de ijs, inquit Suidas, qui multis negocijs implicantur, & distrahuntur. Nam Molossi fœdera inituri, bouem in multa minuta frusta dissecabant; eodem sensu interpretatur prouerbium prouerbiorum author, qui articulum ὁ imprudenter coniungit cùm μολοττῶν, & reddit bos Homolottorum, cum Homolotti dicti populi sint nulli: aitque posse & ad rem referri, vt si quis argumentum nimis minutatim diuidat, ita vt conscindere & concerpere magis quam diuidere videatur, quo posteriori sensu rectius, quàm priori vsurpabitur meo iudicio. Θυμὸς ἑπταβόειος, *Animus heptabœus*, de magno fortique & inuicto: Sumptum à clypeo Aiacis, quem Homerus heptaboeum appellat, quòd septem boum tergoribus esset obductus, atque ob id impenetrabilis: Βουδόρῳ νόμῳ, *Taurina lege*, de ijs, qui boum instar excoriatione digni sunt. Πρὶν ἐσφάχθαι δέρειν,

Bos Molossorum.

Animus heptabæus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A δέρεις, *Priusquam mactaris, excoriaris*. Dicendum vbi quid præposterè fieri videtur, videri potest sumptum ex Homero, apud quem sæpe excoriatur taurus, priusquam occiditur: finitimum illi, actũ agere. Ἀγαμέμνονος θύσια, idest, *Agamemnonis victima*. Quondam in duros & persuasu difficiles dicebatur. Inde natum quod Agamemnone rem diuinam in Troia facturo bos effugerit, vixque multo negocio comprehensus, reductus est. Tantum Zenodotus. Quadrabit etiam in eos, qui nolentes & adacti quippiam agunt. Olim in sacris spectabatur, vt hostia lenis & volens astaret; quod si refracto fune profugisset, infaustum omen habebatur. Nobis videtur & huc posse referri, quod Agamemnon in Aulide filiam Iphigeniam sacrificauit, sed inuitus. Recensetur a Zenodoto. *Mactata hostia lenior*, prouerbiali figura dixit Horatius in odis, *Mactata veniet lenior hostia*. De spontaneis ac mansuetis. Sumptum etiam est à sacrificijs, in quibus explorabatur hostia ducto per frontem cultro, idque mactare vocabant. Vnde qui spectata sunt virtute, eos mactos virtute vocant. Οὐδεὶς εὐεργέτῃ βοῦν ἔθυσεν, ἀλλ' ἢ πυῤῥίας, idest, *nemo benemerito bouem immolauit præter Pyrrhiam*. Hoc prouerbio quondam vtebantur, si quando quis extitisset homo insigniter gratus, qui beneficium acceptum ampliter repensaret. Plutarchus in quæstionibus Græcanicis, vnde sit na-

Agamemnonis victima.

B tum, enarrat, cuius verba in rubrica de vsu in sacrificijs recitauimus. Βοῦς ἐν πόλει, *bos in ciuitate*, Dicitur, vbi quis ad nouos honores euehitur. Lysias bouis imaginem æream in arce collocauit Athenis. Ea res in vulgi iocum cessit. Nam in agris boum vsus est, non in vrbibus. Quadrabit & in eos, qui præter meritum euehuntur ad summos honores Βουκολήσεις, idest, *Seruabis bouem*, aut *buculcus eris*. Hoc velut ænigmate significabãt exilium. Siquidem qui ostracismum per eijciebantur, in Arguam exulatum ibant. Ac illic bos erat æneus insigni magnitudine. Refertur in Plutarchi collectaneis. Hesichius testatur extitisse in Phasmate Menandri. Βοῦς ἐπὶ γλώττης, *Bos in lingua*, in eos qui non audent liberè quod sentiant dicere. Translatum vel a robore animantis, quasi linguam opprimens, non sinat eam eloqui: vel hinc quòd Atheniensium numisma quondam bouis obtinuit figuram: quare qui mulctæ pendendæ metu deterriti reticerent, aut qui pecunia corrupti loqui non auderent, bouem sub lingua habere dicebantur. De istiusmodi numo fusiùs suo loco dictum est. Qui scripsit Scholia in Homerum adagium effert ad hunc modum, βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν, idest, *bos in lingua incedit*, admonens id dici solitum, vbi quis pecuniæ causa taceret. Theognis, βοῦς μοι ἐπὶ γλώσσῃ, idest, in lingua mihi bos. Philostratus in vita Apollonij; γλῶτταν τε

Bos in ciuitate.

Seruabis bouem.

C ὡς πρῶτος ἀνθρώπων συνέσχε, βοῦν ἐπὶ αὐτῇ σιωπῆς εὑρὼν δόγμα, idest; *Linguam primus hominum coercuit, bouem in illa silentij inueniens decretum* de Pythagora loquitur silentij authore. Item in Scopeliano Sophista: καὶ οὐ χρὴ θαυμάζειν εἰ πεπεδημένοι τὴν γλῶτταν τινες καὶ βοῦν ἀφωνίας ἐπ' αὐτὴν βεβλημένοι, idest, *neque mirandum est, si quidam habentes linguam vinctam, boue silentij eam occupante*. Extat apud Aeschylum in Agamemnone: Τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, βοῦς ἐπὶ γλώττης μέγας βέβηκεν, *Cætera taceo, linguam occupauit bos quidem ingens*. Legitur verò etiam Demosthenes id sibi gloriæ vertisse, quod vt taceret plus accepisset, quam qui diù orauerat. Βοῦς ἐν γνάθοις φέρει, *bouem in maxillis fert*, de hominibus voracibus dici Suidas testatur, & Zenodotus. Natũ vt conijcimus (inquit adagiorum author) vel à Theagene athleta Thasio, vel à Milone Crotoniata, quorum alter bouem solidum solus comedit, teste etiam Græco epigrammate, tum auctore Posidippo apud Atheneum: alter vt narrat apud eundem Theodorus Hieropoli-es, in Olympijs taurum quadrimum humeris sustulit, ac stadij spatio gestauit eumque eodem die solus comedit. Cuius rei meminit & A. Gellius in Noctibus Atticis. Legimus item de Bithone, quod statuam apud Argiuos meruit, quia solus taurum humeris gestasset, & Polydamas, vt Pausanias refert, apprehẽsum è me-

D dio grege maximum, & ferocissimum taurum, posteriore pede altero subsultantem & contrà nitentem tam obnixè detinuit, vt vix & relictis quidem vngulis effugere potuerit. Seleucum Nicanorem Syriæ regem quoque tradunt taurum syluestrem sacrificio in Alexandria elapsum, cum sese ei opposuisset, vtraque manu tenuisse. Refert item Anton. Liberalis ex tertio alteratorum Nicandri Phylium amore Cygni Apollinis filium taurum ab armento manu ad Iouis aram pertraxisse: Buthus verò athleta vicit Pithijs ludis, & bouem integrum vno die deuorauit: & Hercules quoq; βουθοίνας vocabatur, quod aliquando esuriens bouem integrum deuorasset: de hoc Butho legitur in eundem sensum βοῦθος περιφοιτᾷ, idest, *Buthus obambulat*: Aiunt tamen etiam de leuibus dici ac stolidis. Prouerbialem porrò sensum habet illud Ouidij:

In Eliac. post.

Quid facis Oenoe? quid arenæ semina mandas?
Non profecturis littora bobus aras?

In epist. Oenoes ad Pãdem.

Simillimum ei hoc Iuuenalis:

Nos tamen hoc agimus, tenuique in littore sulcos
Ducimus, & sterili littus versamus aratro.

Lib. I.

Eleganter Martialis:

In Ste-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

In ſteriles campos nolunt iuga ferre iuuenci, A
Pingue ſolum laſſat, ſed iuuat ipſe labor.

2. de Arte. Poteſt & hoc eiuſdem Ouidij prouerbialiter efferri:
Quem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas.

Taurum tollet qui vitulum ſuſtulerit, adagium, in fornice natum, vt videtur, ſed quod ad vſum ve-
recundiorem, commodè torqueri poſſit, ſi quando ſignificabimus maiora peccaturum adultum,
qui puer vitijs minoribus aſſueuerit. Extat in fragmentis Arbitri Petronij, his quidem verbis: Ob-
„ ſtupui ego, & nec Gitonem verecundiſſimum puerum ſufficere huic petulantiæ affirmaui, nec puel-
„ lam eius ætatis eſſe, vt mulieris patientiæ legem poſſit accipere: Itaque, inquit, Quartilla, minor eſt
„ quam ego fui, cùm virum paſſa ſum? Iunonem meam iratam habeam, ſi me vnquam meminerim
„ virginem fuiſſe. Nam infans cum paribus inquinata ſum, & ſubinde prodeuntibus annis, maiori-
„ bus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perueni. Hinc etiam natum eſt prouerbium illud, vt
„ poſſe dicatur taurum tollere, qui vitulum ſuſtulerit. Non abſurdum videtur, adagium ad Milonis
Crotoniatæ factum referri, qui quotidie vitulum aliquot ſtadijs geſtare ſolitus, eũdem taurum fa- B
ctum, citra negociũ geſtaſſe legitur. Atq; ita quadrabit in eos, qui paulatim rebus etiam maximis
aſſueſcunt. Ἔβα χαὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν, ideſt, *Abijt & taurus in ſyluam*. Paſtorale prouerbium, allego-
ria ſubturpicula, ſignificans diuortium ac neglectum veteris amicæ. Tametſi licebit in vſum vere-
cundiorem trahere hoc modo, ſi per iocum accommodabitur ad eos, qui priſtinos amicos neglige-
re videntur, & à familiarium congerronumq; grege deſueſcere. Aut in illos etiam, qui à ſolitis de-
In Theonyche. ſciſcunt ſtudijs, diuerſumque vitæ ſequuntur inſtitutum. Theocritus nominatim etiam prouerbij
vice refert:

Αἶνος θὴν λέγεταί τις, ἔβα χαὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν, ideſt,
Fertur & hoc olim, in ſyluam ſecedere taurum.

Quæritur autem amans, ſe iam pridem ab amica relictum, plurimumque iam eſſe temporis oſten-
dit, quòd Cyniſca, ideſt, Catella (nam id erat nomen puellæ) ſe Lyco quodam oblectet, neque om-
nino curet ad priſtinam redire conſuetudinem; non magis quàm tauri, qui & ipſi nonnunquam à
vaccarum armentis ſecedunt, & aut reliquis aggregantur tauris, aut ſolitarij per nemora vagantur, C
nullo fęminarum deſiderio tacti. Eum ſeceſſum, eumque vaccarum neglectum, quaſiq; deuortium
paſtoribus peculiari verbo vocari ἀτιμαγελεῖν alicubi diximus. Non abhorret verò ab hac forma,
quod eſt apud Ariſtophanem in Lyſiſtrata:

Οἴκοι δὲ αταυρώτη διάξω τὸν βίον, ideſt,
Domi abſque tauro cœlibem vitam exigam.

Sic enim ſignificauit vitam cœlibem fæminæ negligentis taurum ideſt, amicum. Βλέπειν ταυρηδὸν,
Tueri taurinè. ideſt, *tueri taurinè* pro eo quod eſt torue. Pierius Valerianus in hieroglyphico obtutus amatorij,
Neq; tamen illud (inquit) omitti debet, obtutum amatorium, qui modeſtia ſeruata fiat, ad tauri
oculos referri ſolitum à peritiſſimis. Vnde illud βλέπειν ταυρηδὸν, quod tum in Platonis, tum in
Xenophontis conuiuijs & Phædone & alibi, eadem ferè ſententia poſitum inuenias: tametſi non-
nulli rem ad indignationis ſignificatum retraxere, toruumque tueri interpretantur: quo ſignifica-
to apud Ariſtophanem ſuper Aeſchylo dictum, ἔβλεψε γοῦν ταυρηδὸν ἐγκύψας κάτω: *Aſpexit igitur
tauricè ad humum lumina deiectus*. Hac enim facie iratus Aeſchylus inducitur ab Ariſtophane.
Neque ſum neſcius toruitatem à taurorum ferocia dictam, & etymologiarum authores tradunt,
qui toruitatem tauri acerbitatem interpretantur. Huic longè diſſimile eſt βοῶπις, quo quidẽ ocu- D
lorum pulchritudo atque gratia ſignificatur. In ijs tamen quos ſuperius citaui nimirum de amato-
rio obtutu intelligitur, in quo modeſtia primas obtinet, iſque plurimum fieri ſolet in obliquum, &
Pauperi vitulus caſtrũ. id toruum eſt. Sic Pierius. *Pauperi vitulus eſt caſtrum*, pro eo quod quiſque ſuis quantumuis exun-
dantibus fortunis grauetur, hiſce difficilibus temporibus. Suus enim morbus cuique difficillimus
eſt, inquit alicubi Plinius: Ne hoc hac tempeſtate vſurpandum apud afflictos, quod dici ſolet, *De
minimis non curat prætor. Ex turpi vacca turpis vitulus*, prouerbium ſimile videtur ei, *Mali corui,
malum ouum*: quare ſimiliter etiam aptè vſurpabitur, quoties à malo præceptore diſcipulus malus
proficiſcitur, ex improbo patre improbus filius, ex patria illaudata vir illaudatus, denique facinus
ſceleſtum à viro ſceleſto. Βασιλικὸν βοΐδιον, ideſt, *Regia bucula*, de prodigioſa fœcunditate fereba-
Regia bucula. tur, Natum è miraculo rei geſtæ. Aetate Ptolomæi iunioris vacca, quædam eodem partu ſex edi-
dit vitulos: author Diogenianus. Μόσχος ᾄδων Βοιώτιον, ideſt *Moſchus canens Bœoticum*, in multilo-
quos & inepte loquaces. Moſchus hic citharœdus fuit imperitus, qui citra reſpirationem vocem in
longum producebat. Bœoticum autem vocant cantionis genus veluti Phrygium aut Doricum.
Ariſtophanes in Acharnenſibus.

Ἀλλ' ἕτερον ἥσθην, ἡνίκ' ἐπὶ μόσχῳ ποτὲ

Δεξίθεος

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A
Δεξίθεος εἰσῆλθ' ἀσόμενος βοιώτιον, idest,
Sed aliud est quod me oblectauit, cùm scilicet ἐπὶ μόσχῳ
Dexitheus ingressus est, vt caneret Bœoticum.

Scholiastes ἐπὶ μόσχῳ exponit post Moschum, qui ineptus citharœdus Agregentinus fuerit: alij propter vitulum, eò quod victori præmium daretur vitulus. Bœoticum autem melos Terpandrum inuenisse ferunt, sicut & Phrygium: cæterum Dexitheus optimus fuit citharœdus, & victor in Pithijs: alij eundem frigidum & ineptum fuisse aiunt. Tantum Scholiastes. *Iumenta computruerunt in stercore suo:* Metaphora valdè prouerbialis à Ioel propheta vsurpata ad denunciandum tribubus Iudæ & Hierusalem vim futuræ cladis, cùm vel iumenta fame peritura essent. Eleganter hærebit, inquit Polydorus Virgilius, in homines sceleratos, quibus fœdè viuendo, mors turpis accidit. Ex eo figura deducta, quòd iumenta morbo vel fame debilitata, iacendo super suum stercus vitam finire soleant. *Octapedes,* ὀκτάποδες, Scythico prouerbio dicebantur, qui duos possiderent boues, & currum vnum, meminit Lucianus in Scytha. Dici poterit per iocum in hominem qui sibi locuples videatur, vel in eum cui rusticanæ sunt opes. *Fœnum habet in cornu, longe fuge,* inquit Horatius. B Conuenit in homines maledicos & feroces, inde trāslatum, vt Acroni placet, quod antiquitus bubus cornupetis fœnum pro signo in cornu appenderetur, quò sibi cauerent, qui fortè occurrissent. Reliqua vide in superius dictis. Rusticorum nostrorum adagium est, *Chi non hà buoi suoi, non può arare in lunedì,* in eos, qui magnum aliquid præstituri, quo id exequantur, non habent: vel conuenit, cum quis coactus aliena vti opera, se eius voluntati accommodat, etiam inuitus. Aliud eorundem: *Serraremo la stalla, quando sono robbati i buoui:* quod expressit Strozza pater:

Nunc sero medicina datur, nec inania post hac
Proderit amisso claudere septa boue.

Eiusdem penè est sententiæ cum eo, *Malo accepto stultus sapit*

DENOMINATA. COGNOMINATA.

C BOυ particula cum nominibus multis & verbalibus componitur, & nō bouem significat, sed potius significationem eiusmodi dictionum auget, Menas apud Varronē, Noui (inquit) maiestatem boum, & ab his dici pleraque magna. Nos ex Eustathio tauri nomine apud veteres omnia magna, & violenta significari diximus: Græci ἐπιτατικὸν μόριον vocant: eodem modo etiam equi nomen propter corporis magnitudinem in compositis vsurpari suo loco diximus, vt hipposelinum, hippolapathum, hippognomon. Hippolapathum Plinius eandem ob causam bulapathum vocare videtur his verbis: *Lapathorum generibus Solon bulaphatum adiecit, radicis tantum altitudine differens, & erga dysentericos effectu, potu ex vino.* Idem & buselinum dixit: *Buselinum* (inquit) *prodidere quidam differre breuitate caulis à satiuo, & radicis colore russo, eiusdem effectus praualere contra serpentes potum, & litum.* M. Varro bumammas vuas vocat, quas Macrobius circa finem libri tertij bumammias vocat, Plinius Græcè bumastos, *bumasti vuæ* (inquit) *tument mammarũ modo, in pergulis seruātur albæ, nigræque.* Sunt qui eas esse volunt, quas Zibibas in Italia, in Belgio vuas oblongas dicunt, quod non probo: nam sunt & aliæ & longiores & crassiores, papillisque vaccarum (has enim māmarum nomine intelligo) similiores, vulgus baccatus vocet, quo nomine alias tamen etiā intelligunt, D Theodorus Gaza pro bumelia bubulam fraxinum reddidit, fortassis rectius & significantius Græcam vocem seruaturus; nam & Plinius: *Fraxinum* (inquit) *amplissimam lentissimamque bumeliam vocant in Macedonia.* Busyca ficus sunt grandiores & fatuæ authore Festo: Ruellius putat vulgò ficus mariscas appellari: βούβοσις idem est Hesychio quod πολυφαγία, ingens voracitas, vt βούλιμος, siue βουλιμία, & βούβρωσις, & βούπεινα ingens fames, βουγάϊος magnus iactator, vel qui valde se iactat. βουκόρυζος valdè stultus, admodum mucosus. βούνεβρος magnus hinnulus, siue grandis & adultus hinnulus. βούπαις magnus puer: βούπαλις, certamen in quo maximè luctandum est: βούπαλος magnus luctator: quamuis Hesychius βούπαλον generalius exponat μέγα. Suidas verò βούπαλον interpretatur ὄνον in quodam loco apud Aristophanem, possis & bouis modò stupidum interpretari, vt βουβαράν. βούφαγος magnus vorator, heluo magnus. Sunt & alia fortè istiusmodi vocabula, aliaque effingi possunt, sed de denominatis verè à bobus hic dicendum, quorum cùm ferè propriũ sit arare, itaque quæ circa hoc munus occurrunt vocabula, & quę ad aratorem, vel saltem bubulcum pertinent, primò enumerabo. Quem autem nos bubulcum, Græci βουκόλον appellitant, vel tāquam βούκομον, (nam & ἱππόκομον dicimus, qui equos curat,) vel quoniam Græci cibum etiam colon vocant: vnde & colax, idest, adulator appellatus. Etymologo βουκόλος vocabulum non bubulcum

Cap. 1.
Bulapathũ.
Vuæ bumāmæ.
Bubulcus.

tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tantum ſignificat, ſed etiam animalia quædam. Ego huius nominis animal hactenus nullum reperio: niſi quod bucolinen Cinclum auem Varrinus interpretatur. Carmen bucolicum Seruius dictum ait eſſe à cuſtodia boum, ideſt, ἀπὸ τῶν βȣκόλων: præcipua enim ſunt (inquit) animalia apud ruſticos: de cuius carminis origine ſic Celius: Dianam Siculi Lyen cognominarunt, quoniam ab ea eſſent morbo ſoluti, vnde natum vt ruſtica multitudo theatrum ingreſſa victoriam caneret, quã de Syracuſanis mox adeptus eſt rex Hiero, quæ prima creditur bucolicorum origo, quæ omnium princeps carmine celebrarit Daphnis, mox Theocritus. Diomedes heroicum verſum, etiam hexametrum & bucolicum, alijſque nominibus dici teſtatur. Bucolici tamen propriè dicti verſus hoc ferè à cæteris heroicis differunt, quod quintum locum dactylus claudit abſoluta dictione, qualis eſt:

Cinclus auis.

Nos patriæ fines & dulcia linquimus arua.

Bucolicum, bucoliſcus, bucoli, bucoliaſtæ, inſcriptiones ſunt idylliorum apud Theocritum. Varinus bucoliſmum, genus ait eſſe molopœiæ, ideſt cantionis & ſaltationis: vtrumque ruſticorum, & à Theocrito deſcriptum eſſe βȣκολιάζω & βωκολιαζω Doricè, eſt carmen paſtoritium modulor. Bucolia in Aegypto apud Hieronymum, ceu bubulcorum loca intelligi Celius arbitratur. Βȣκολεῖν eſt boues paſcere, quod bubulcitarier Plautus dixit. Homerus:

Iliad. Θ.

Φοῖβε, συ δὲ εἰλίποδας ἕλικας βȣ̃ς βȣκολέεσκεις,

quod Ionicum eſt pro ἐβȣκόλεις, additumque habet βȣ̃ς κατα ταυτολογίαν, vt οἶνον οἰνοχοεῖν dicitur, additumque habet βȣ̃ς. Impropriè autem ſimpliciter accipitur pro paſco ſiue alo, ſic Philoſtratus dixit βȣκολεῖσθαι ἵππον αὐταῖς, equitatum ab eis paſci. Cui ſimile citat Varinus, ex quodam poeta, τρισχίλιαι ἵπποι ἐβȣκολȣ̃ντο, vnde compoſita voce ἱπποβȣκόλοι apud Euripidem, Dionyſius de Nomadibus Libyæ populis: Ἀλλ' αὔτως ἀτεθῆρες ἀνα δρύα βȣκολέονται, quod paulò antè dixerat βόσκονται σύν παισὶν ἀν' ἤπειρον τε καὶ ὕλην. Scholiaſtes Ariſtophanis in Veſpis βȣκολεῖς exponit etiam τρέφεις, vnde metaphoricè capitur etiam in ea ſignificatione, qua apud Latinos paſco & lacto. Quo pertinet id quod Heſychius annotat, βȣκολεῖσθαι χρισαῖς ἐλπίσιν, paſci bona ſpe, vt Ouidius dixit: *Spes eſt quæ paſcat amantes.* & Virgilius: *Vana ſpe lactat amantem*: Vſurpatur item pro demulceo, delinio, item & decipio veluti bouem ſtupidum: Lucianus: ἀλλότριοι κόσμοι τὸ τῆς φύσεως απρεπὲς βȣκολȣ̃σιν; hoc eſt, aſciſtitius ornatus naturæ dedecus & turpitudinem fallit, mitigat, lenit: vnde βȣκόλημα, lenimen, lenimentum, ſolatium, ideſt, θέλγητρον, vt Suidas in hoc loco exponit, ὅπως ἔχῃ τι βȣκόλημα τῆς λύπης, ἐνέθηκε τοῖς τοίχοις ποικίλας γραφὰς ζώων. Et βȣκόλησις, delenitio, deceptio, & βȣκολητὴς, deceptor. Sunt & compoſita in eadem ſignificatione, vt ἀποβȣκολω, & διαβȣκολεω, errorem induco, decipio, delineo, permulceo, antecedens verbum ſic exponitur à Varino ex incerto authore, φθάνει τις ταῖς ἐλπίσιν ἡμᾶς ἀποβȣκολων; poſteriori in eo ſenſu vtitur Lucianus, διαβȣκολεῖ αὐτὸς, καὶ ἐπελπίζει, ideſt, lactat ipſos, & vana ſpe paſcit. Ab ἀποβȣκολεῖν fit ἀποβȣκόλημα, impoſtura, deceptio, propriè tanquam abducendo ex alieno grege, ſed capitur etiam pro quolibet impoſturæ genere: alias ἀποβȣκολεῖν eſt abgrego, à grege abduco, aberrare, & euagari facio, propriè aberrare facio à grege: ſed capitur etiam generaliter pro aberrare facio. Volunt autem quidam ἀποβουκολεῖν propriè dici bubulcum ſcabioſos boues à grege, ſeu armento abducentem. Βυκολίζειν idem quod βȣκολεῖν. Multa in Lexicis Græcis bucoli leguntur ſynonyma, qualia ſunt βȣτρόφος, βȣφορβὸς, βȣπελάτης, βȣπόλος, βȣνομος, βοόσκος, βόοσσοος, βȣ́της Αττικως; βοσκος, βȣονομος, βȣνίτης, vel βȣνιτὴς, oxytonum: βωνίτης, βοίλατης. Horum poſtremum Pollux à bubulco diſtinguit, & exponit pro eo qui bouem iugo ſubmittit. Videtur autem pro aratore magis accipiendum, ſed poteſt pro vtroque, vt & bubulcus Latinis. Βȣκαιος arator, ὁ συν βȣ καινων τὴν γῆν, vel etiam bubulcus: quidam & meſſorem interpretantur. Βȣκινῆσαι interpretantur boues agere, ſed & Pollux ex Ariſtophane pro boues agere aut impellere citat βοηλατεῖν, & βοηλατικη, ars eſt agitandi boues ſeu bucolica, vt à Ficino exponi ſcribunt vulgaria Lexica, βοηλασια verò boum abactio, βοηλάτης qui boues abigit, item qui boues agitat: apud Homerum βοηλασίαν exponunt ἀπέλασιν, ideſt abactum, non boum ſolum, ſed quorumuis pecorum: alicubi pluribus vocabulis rem eandem exprimit poeta: ȣ̓ γὰρ ἐμας βȣ̃ς ἤλασαν, & alibi abigeum, vel abactorem ἐλατῆρα βοῶν appellat; Inuenio & βοηλάτης pro eo qui boues iungit, apud Pollucem, item pro bubulco. Μεσαβȣ̃ν autem propriè eſt boues iungere abuſiue verò etiam alia animalia, vt Varinus teſtatur, vnde Μεσόβοιον & μεσαβον medium inter boues iunctos lignum, vt Suidas exponit, vt verò alij, ἡ τȣ̃ ζύγȣ γλυφὴ ἔνθα αἱ αὐχένες τῶν βοῶν δέδενται, vt alij, λῶρον τὸ παρὰ τῷ ζύγῳ, ᾧ προς δέδεται ὁ ἰσοβοεὺς, lorum quo temo iugo alligatur. Polluci verò idem eſt cum ἐχέβοιον, ideſt lorum bouem aratro adiungens & applicans: verba eius ſunt: ὁ δὲ πλατὸς ἱμὰς ὁ τῷ ζύγῳ παρακαθαπτόμενος, ἐχέβοιον, ἢ μεσόβοιον καὶ μεσάβοιον καλεῖται. Ἰσοβὸν verò & ἰσοβοεὺς, lignum eſt aratri longius, quod inter vtrumq; bouem medium eſt, & cui boues quaſi aſſiſtunt, temo; quod enim in curru & ἀπήνη eſt ῥυμὸς,

Bubulcus.

Lib. 2.

A est ῥυμὸς, id in aratro est ἱςοβοεὺς, vt tradit Eustathius, addens, babarè dici ςαβάριον quasi ἱςοβοάριον. Polluci est τὸ μετὰ τὴν γυλιῶ ξυλον; at Tzetzi ἱςοβοεὺς, ἔνδρυον, & ῥυμὸς, idem sunt. Hesiodus distinguit: cùm enim docuisset πρίνινον γύην eligendum esse, cumque firmissimum atque solidissimum, addit:

Εὖτ' ἂν Ἀθηναίης δμῶος ἐν ἐλύματι πήξας,
Γόμφοισιν πελάσας προσαρήρεται ἱςοβοῆϊ.

Βοεὺς verò lorum est è bubulo corio factum, βόειος ἱμὰς, vt Homerus etiam vocat, dum canit: *Odyss. 8.*

Ἕλκον δ' ἱςία λευκὰ ἐϋςρέπτοισι βοεῦσι,

Idest, τοῖς ἐν βοείων δερμάτων κάλωσι, vt Eustathius declarat. Bura siue buris pars aratri posterior, quæ manu bubulci tenetur, ita dicta, quasi βοῦς οὐρὰ, quod ad similitudinem bubulæ caudæ sit incuruata. Varro: *Et sæpe fracta bura relinquunt vomeres in arno.* Virgilius:

Continuo in syluis magna vi flexa domatur.

Βυσσόον flagellum interpretatur Varinus, sed quia boues non flagellantur, aut flagello impellun-
B tur, flagellum intelligi debere videtur, quia ex bubulo fieret corio: stimulo enim punguntur boues, qui βουπλὴξ nominatur, quamuis & hac voce flagrum intelligatur ex loro bubulo; item securis qua bos occiditur. Βουπληγες, passiuè dicuntur à bobus icti, actiuè βουπλῆγες, quo feriunt boues, vt Suidas testatur. βούπληκτρον idem quod βουπλὴξ, citatum ex Epigrammate, idem & βούκεντρον est, vt ait Eustathius, πέλεκυς nimirum τῶν βοῶν ἀναιρετικὸς, ἢ μάςιξ γενομένη ἀπὸ τμήματος βύρσης. Βουκέντης qui stimulo boues impellit. Βούφαρος est à bobus aratus, Varino phares aratio est, & buphares terra quæ arari facilè potest. Βουςροφὴ in aratione est, vbi sulcus desinit & vnde alter incipit, à boum conuersione, Latini versuram dicunt. Βουβόσιον, locus vbi boues pascuntur, vt Callimachi Scholiastes exponit: Strabo vocat χώραν ἀρίςην βουβόσιοις, solum pascendis armentis peraccommodum: Similiter βουνόμον exponunt desertum, siue locum vbi boues pasci queunt, Homerus verò Ithacam quod bobus & capris pascendis esset apta βούβοτον & αἰγίβοτον nuncupauit. Βουλυτὸς tempus pomeridianum seu vespertinum, quo boues soluuntur, & à laborum onere liberantur, vt tradit Eustathius, seu vt Hesychius, δειλινὴ ὀψία. Βούδορα ἤματα ab Hesiodo dicun-
C tur frigidissimi dies, in quibus flante Aquilone tum boues, tum alia quadrupedes excoriantur: Boreas enim (inquit)

Καί τε διὰ ῥινοῦ βόος ἔρχεται, οὐδέ μιν ἴσχει.

Βουκάπηλος apud Pollucem is videtur, qui boues vendit. Βουκάπαι, τῶν βοῶν αἱ φάτναι Hesychio, idest boum præsepia. Βουθύτης qui boues mactat, at βούθυτος idem esse dicitur quod βουθύσιος, idest ad boum mactationem pertinens, vnde βουθυσία idest boum mactatio seu immolatio. Accipitur pro sacrificio magno & solenni, βουφόνος etiam est qui boues cædit, siue mactat, siue immolat. Hinc βουφόνια, boum cædes seu mactationes, festum apud Athenienses antiquum & celebre, sic dictum, vt Cælius annotauit, quod post mysteria celebraretur per bouis immolationem. De eo sic Suidas; Festum apud Athenienses perantiquum, quod post initia Cereris, in memoriam veteris euentus celebrari dicunt. Nam in festo Iouis ferunt taurum sacris placentas deuorasse, paratas ad sacrificium, quem Thaulon quidam arrepta securi, vt tradit Androtion, statim interfecerit. Alia sunt tauropolia sacrificia, quæ Dianæ fiebant & Marti apud Amazonas, vti Diodorus scribit. Alia etiam sunt taurilia, seu taurij ludi dijs inferis consecrati, quorum origo (inquit Alexander ab Ale-
D xandro fertur antiquissima. Cùm enim regnante Tarquinio Superbo vis morbi & insanabilis pernities per omnes vrbis regiones & compita peruagata esset, assiduisque funeribus exhausta ciuitas foret, atque ob esum carnium taurorum pestifer annus grauidas mulieres ita affecisset, vt sisti pestilentia nequiret, in deorum inferorum placamenta hos ludos concelebrarunt, qui taurij dicti, quòd ob taurinæ carnis morbum inuenti primum celebratique sunt, in quibus metas circumcurrere, velut in Circensibus seruatum est. Transtulit hæc Alexander ex Varrone & Festo Pompeio: cuius hæc sunt verba: Regnante Tarquinio Superbo cùm magna incidisset pestilentia in mulieres Rom. grauidas, quæ fuerat facta ex carne diu vendita taurorum, ludi ob hoc dijs inferis instituti, taurij sunt vocati. Ambrosius Calepinus ex Perotto etiam boalia & bupetias nuncupari ait quam (inquit) duobus hisce nominibus potius sacrificia quædam significentur, quę pro boum salute fieri solent. Aliàs boalia βουπονία interpretatur aitque apud Atticos antiquos ludos fuisse boum gratia institutos, bupetiasque, siue bupetios vocari: & in hoc festo solennem boum & taurorum venationem fieri solere, quemadmodum nunc quoque Venetijs & ferè per totam Italiam fieri solet eo die, qui quadragesimæ proximus est. Alia rursus sunt Solitaurilia, nempe quæ singulo perfecto lustro per Censores celebrari mos erat, ad lustrandum vrbem, sue, oue & tauro, aut verre, ariete & tauro, qui circum vrbem ducebantur, tumque multa religione lustrum condebatur. Festus ait Solitaurilia,

Lib. 10. c. 6. *Taurilia.* *Tauri ludi.* *Lib. 6. c. 19.* *Boalia.* *Solitaurilia*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

litaurilia,hoſtiarum trium generis diuerſi immolationẽ ſignificare,tauri, arietis, verris, quod omnes integri ſolidiq; corporis ſint : ſolum enim lingua Oſcorum ſignificat totum & ſolidum. Varro verò ait : Populus Romanus cùm luſtratur Solitaurilibus, circumaguntur, verres, aries, taurus.

De re ruſt. cap. 141. „ Quo pacto autem Solitaurilia fierent docet his verbis Cato: Agrum luſtrare ſic oportet : Impera
„ Suouitaurilia circumagi cum diuis volentibus, quodq; bene tibi eueniat mando tibi Mani, vti il-
„ lace Suouitaurilia fundum, agrum, terramq; meam quota ex parte ſiue circumagi, ſiue circumfe-
„ renda cenſeas,vti cures luſtrare. Ianum, Iouemq; vino præfamino, ſic dicito, Mars pater te pre-
„ cor,quæſoq; vti ſies volens propitius mihi,domo,familiæq; noſtræ,quoius rei ergò agrum,terram,
„ fundumq; meum Suouitaurilia circumagi iuſſi, vti tu morbos viſos inuiſoſque, viduertatem,vaſti-
„ tudinemque, calamitates intemperiaſque prohibeſcis, defendas,auerrunceſque:vti tu fruges,fru-
„ menta,vineta, virgultaque grandire beneque euenire ſinas.paſtores pecuaq; ſalua ſeruaſſis, duiſq;
„ bonam ſalutem valetudinemq; mihi,domo familiæque noſtræ. Harumce ergò fundi,terræ,agri
„ que mei luſtrandi, luſtrique faciendi ergò ſicuti dixi macte hiſce Suouitaurilibus lactentibus im-
„ molandis eſto. Mars pater eiuſdem rei ergò, macte hiſce ſuouitaurilibus lactentibus eſto. Item
„ cultro facito ſtruem, & fertum vti adſiet. Inde obmoueto. Vbi porcum immolabis, agnum,
„ vitulumque ſic oportet. Eiuſque rei ergò macte hiſce ſuouitaurilibus immolandis eſto, nomina-
„ re vetat Martem, neque agnum, vitulumque. Sin minus in omnes litabit, ſic verba concipi-
„ to. Mars pater, ſi quid tibi in hiſce ſuouitaurilibus lactentibus, neque ſatisfactum eſt, te hiſce
„ ſuouitaurilibus piaculo. Si vno duobuſque dubitauerit, ſic verba concipito. Mars pater, quod
„ tibi illic parco, neque ſatisfactum eſt, te hoc porco piaculo. Aliud rurſus ſacrificij genus erat

Trittys. trittys vel trias; non abſimile tamen; conſtabat ex hirco, ariete & tauro, vt Varinus annotauit. τριττύα ſacrificium à tribus animalibus dictum, ſed Epicharmus conſtaſſe ſcribit duabus ouibus & boue, vel boue, capra & oue, vel hirco, ariete & tauro. Hoc ſacrificij genus βούπρωρος etiam dicebatur, eò quod bos præcederet, vt prora nauem. Scholiaſtes Ariſtophanis in Pluto in hoc loco, Ἔνδον βουθυτεῖ ὗν καὶ τράγον καὶ κριὸν ἐστεφανώμενος, abutitur, inquit, buthytiæ vocabulo, vt ſacrificij magnatudinem & perfectionem indicaret, quod hecatomben vocant. Perfectum enim ſacrificium ſue, tauro hirco, & ariete conſtat, quod trittyn appellant: Athenienſes verò eodem nomine ſacrificium ex reliquis tribus, etiam abſq; boue. Videtur etiam trittyan quandam inſinuare Ariſtophanes, cùm chorus inquit in Chremylo inmolari ſuem, hircum & arietem. Apud Gyraldum τριττύα & τρύκτυα & τρίκτειρα legitur, quas omnes voces Geſnerus ineptè ſcribi putat, & ſemper trittys hoc oxytonum fœminini generis ſcribendum. Idem Gyraldus ex Heſychio annotat ſacrificium hoc Enyalij hoc eſt, Martis eſſe, quod tribus animalibus cum teſticulis id eſt non caſtratis fieret, vel vt alij tradunt (Callimachus apud Etymologum) ſue, ariete, tauro. Hoc ex Heſychio addendum triadem alio nomine dici hoc ſacrificium.

Trias. Iſter quidam, vt Etymologus habet, ex bubus, capris & ſuibus hoc ſacrificium perfici author eſt, quæ quidem omnia maſcula & trima eſſent. Apud Heſychium non rectè legitur, θύεται δὲ πάντα τρία pro τριετῆ. quanquam latinorum quidam nullam hoſtiam maiorem minoremuè bidente, id eſt, bima eſſe debuiſſe prodiderint. Βούπρωρον (inquit

Buproron. Varinus) ſacrificiũ ex centũ ouibus conſtabat & boue vno, οἱ δὲ τὴν ἥβασαν ἢ βουάρχην σημαίνει καὶ βουπρόσωπον. Ariſtophanis Scholiaſtes iã modo citato loco idẽ illud ſacrificiũ quod buthyſiam trittyn vocari diximus, hecatõben vocari ẽt tradit, ſed hecatomben (ἑκατόμβην) ſacrificiũ aiunt esse centum bouum (quale Conon Lacedæmonijs deuictis, dijs obtuliſſe ſcribitur) ſeu pecorum, (partem capiendo pro toto, Nam ἑκατόμβῃ Homerus complectitur etiam ἄρνας & αἶγας, id eſt, oues & capras) quomodo & Pindarus dixit πάντα ἑκατὸν θύειν. Alij intelligunt θυσίαν ἐξ ἑκατὸν βάσεων id eſt ποδῶν, in qua immolarentur animalia quadrupeda viginti quinque, quorum pedes centum numero. Alij finitũ numerum pro infinito acceperunt, vt ἑκατόνζυγον ναῦν pro πολύζυγον, & ſimilia. Vnde & Euſtathius χιλιότομβην fingit. Iulius Capitolinus in vita Maximi & Balbini paulo aliter deſcribit. Hecatombe autem (inquit) tale ſacrificium eſt;
„ Centum aræ vno in loco
„ ceſpititiæ extruuntur, & ad eas centum ſues, centum oues mactantur. Nam ſi imperatorium
„ ſacrificium ſit, centum leones, centum aquilæ & cætera huiuſmodi animalia centena feriuntur.
„ Quod quidem & Græci quondam feciſſe dicuntur, cùm peſtilentia laborarent, & à multis impera-
„ toribus id celebratum conſtat.

Ὠῶν ἑκατόμβη, id eſt ouorum hecatombe, per iocum apud veterem quendam legitur. Ab hecatombe fit ἑκατόμβοια, feſtum quo hecatombe peragebatur, celebrari ſolitum antiquitùs in Laconica ſingulis annis, eò quòd ἑκατόμπολις eſſet, vt Euſtathius author

Hecatombæus mẽſis eſt, & ἑκατομβαιὼν mẽſis cuiuſdam nomen ab iſtis ſacrificijs fieri tum ſolitis denominati, quẽ Hippodromium Bæotis, Macedonibus Loum vocari ſcribit Plutarchus. Etymologus κρονίωνα antea appellatum fuiſſe: Gaza verò ſolſtitium æſtiuum in hunc incidiſſe, primumq; Atticorum fuiſſe author eſt. Interpretum Plutarchi alij Maium & Aprilem, alij Iunium, quidam & Auguſtum dicunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A runt. Est verò etiam ἑκατόμβοιος centum boum pretio æstimabilis, ita scilicet dicta quædam mo-
neta, quam bouem vocatam fuisse diximus in principio operis. Budæus, vbi de βοῦς monetã eam
significante tractat, ἑκατόμβοιον dici ait quicquid duabus minis Atticis æstimabile esset, id est (in-
quit) ducentis drachmis. Plutarchus de eadem moneta sic scribit, ἔκοψε δὲ καὶ νόμισμα, βοῦν *Lib. de affe.*
ἐγχαράξας, ἢ διὰ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον, ἢ διὰ τὸν Μίνωος στρατηγὸν ἢ πρὸς γεωργίαν τοὺς πολί- *In Theseo.*
τας καλῶν. ἀπὸ ἐκείνου δὲ φασὶ τὸ ἑκατόμβοιον καὶ τὸ δεκάβοιον, id est, Nummum etiam incudit
boue insculpto, incertum propter Marethoniumnè taurum, an Minois ducem, an vt ciues ad agri-
culturam adhortaretur. Inde ductum asserunt, vt in æstimatione pretij rerum, valere centum aut
decem bobus dicatur. Inde hecatombæa arma apud Homerum, vt quidam volunt, vbi poeta per-
mutationem armorum Diomedis & Glauci descripsit, inquiens:

Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε᾽ ἄμειβε *Iliad. ζ.*
Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων,

id est, vt in Pandectis archetypis legitur, aurea æreis, centenaria nouenarijs. Βουτρόφος etsi propriè
sit bubulcus, vel saltem is qui boues alit, eodem tamen etiam nomine ordo quidam intelligitur sa-
B cerdotum, inde nomen habẽs, quòd boues dijs immolandos publicè nutriret, vt annotauit Etymo-
logus. cui ταυρία etiam festum est Neptuni. Apud Hesychium, Ταυρεῖν δᾶ, κέφαλη, ἢ παιδεία
(fortè παιδία, id est ludus) παρὰ ταραντίνοις, videtur sanè locus corruptus. Et in Bacchi honorẽ,
qui in Cyzico tauriformis colebatur, ταυροχολία dicebatur festum quoddam illic celebrari solitũ,
vt idem Hesychius & Varinus habent, forte ταυροπολία legendum, quanquam & Tauricæ Dianæ
festum sic nuncupetur. Apud Hesychium & Varinum mottophagia est sacrificiũ quoddam cele- *Mottophagia.*
bratũ in Salamine Cypri: Apud Suidam per τ simplex scribitur: dubitauerim sanè tamen, an μοσχο-
φαγία scribi debeat. Βούκερως, bubulis præditus cornibus, vt Βούκερον ἄγαλμα apud Herodotum, *Buceria greges.*
id est, statua siue simulacrum bubulis præditum cornibus. Poetæ eadem voce tanquã latina quo-
que vtuntur, Ouidius. *Armentaque bucera pauit,* id est, boues ipsos valdè cornutos: Lucretius bu-
cera secla dixit, pro ipsis bobus:

Lanigeræq; simul pecudes, & bucera secla. *Buceros.*

Idem & bucerias greges dixit in eodem significatu:

C *Sæpè itaq; ex vno tondentes gramina campo* *Metam. 6.*
Lanigeræ pecudes & equorum duellica proles,
Buceriæq; greges, sub eodem tegmine cæli:

Citat hunc versum Nonius in voce buceriæ, & in voce greges, docens greges reperiri etiam in ge-
nere fæmineo. *Bucerum* (inquit Festus) *de bobus dicimus. Est autem bucerum vox ducta è dua-
bus Græcis, βοῦ,* bos, & κέρας, *cornu.* Buceræ porrò, quod quidam putant, legi non potest; nam κέ-
ρας, vnde hoc nomen factum est, habet priorem syllabam breuem. Animas in mysterijs gentiliũ *Animæ apes dictæ.*
theologorum melissas, id est apes & βουγενεῖς appellatas, & Buclopum deum, qui generationem la-
tenter audiret Cælius Rhodiginus prodit: Apes verò ipsæ βουγενεῖς cognominantur, quòd ex bo- *Lib 22.c.3.*
bus oriantur: sed & Bacchum βουγενῆ tradit Plutarchus. Bubona dea etiam à bobus dicta, inuo-
cabatur, vt boues fortunaret. Meminit eius inter alios D. Augustinus. Vitula verò siue Vitulina *Bubona dea.*
dea à vitulis, quæ lætitiæ præerat, quare magno cultu eam habuere Romani. Hinc vitulari, quod *Vitula.*
verbum Pierius Valerianus interpretatur lætitiæ signum præbere & exultando gestire. Apud ve-
teres (inquit) vitulantes, gaudentes lætabundosq; dici comperias, vt non temerè apud coniecto-
res Hebræos legas, lasciuientem currentemque taurum per somnium imaginari, futuræ lætitiæ si-
D gnum esse. De Vitula seu Vitulina dea hæc legimus apud Macrobium. *Hyllus libro quem de dijs* *Li. 3. Satur.*
composuit, ait Vitulam (aliàs Vitulinam) *vocari deam quæ lætitiæ præest. Piso ait Vitulam Victoriã
nominari. Cuius rei hoc argumentum profert, quod postridie Non. Iulias re bene gesta, cum pridie po-
pulus à Tuscis in fuga versus sit (vnde populifugia dicuntur) post victoriam certis sacrificijs fiat vi-
tulatio. Quidam nomen eius animaduersum putant, quòd potens sit vitæ tolerandæ. Ideo huic deæ
pro frugibus fieri sacrificia dicuntur, quia frugibus vita humana toleratur. Vnde hoc esse animad-
uertimus, quòd ait Virgilius: Cum faciam vitula pro frugibus: Vt vitula dixerit pro vitulatione:
quòd nomen esse sacrificij ob lætitiam facti superius exposuimus: Meminimus tamen sic legendum per
ablatiuum: cùm faciam vitula, id est, cum faciam rem diuinam, non oue, non capra, sed vitula, tan-
quam dicat, cùm vitulam pro frugibus sacrificauero, quod est, cùm vitula rem diuinam fecero.*
Tantum Macrobius. Varro in libro Rerum diuinarum ait, quòd pontifex in sacris quibusdam vi-
tulari soleat, quod Græci παιανίζειν vocant. (Hinc illud Virgilij, *Lætumq; choro pæana canentes.*)
Titius verò vitulari interpretatus est voce lætari. Festus itẽ & Nonius testantur veteres pro lætari,
vitulari dixisse. Plautus in Persa: *Commodansq; lubens vituloq; meritò.* Πορτάζει, secundum
Hesychium & Varinum, est δαμαλίζεται. Ego neutrius huius verbi mentionem reperio: videtur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

autem idem ſignificare quod uitulari apud latinos, ideſt lætari, uel iuueniliter exultare, ut uituli: qui uerò ita exultant Heſychius & Suidas μοσχιναῖυς dici etiam tradunt. Μοσχηδὸν autem eſt in more vituli, ut ταυρηδὸν in morem tauri, Μοσχυδὰ apud Eſychium & Varinũ exponitur ἑξῆς καὶ ἀνελλιπῶς, id eſt continua deinceps ductu & ſine intermiſſione, qualis fortè & uitulorum ſuctus eſt ex uberibus matrum, ut propriè ad potum referatur, quo ſenſu tamen μοσχιδὸν libentius vſurpauerim. Μοσχίας

Moſchias. Euſtathio eſt aries triennis. De moſchijs leporibus dicam ſuo loco. Bucede Plauto, qui loris bubulis vapulat: *Illi, inquit, bucede erunt potius, quàm ego ſim reſtio*, id eſt, quàm ego me ſuſpendam. Boya,

In Muſtell. *Bucede.* *Lib 5.* *Boya.* *Bolitum.*

ut Iſidorus ait, eſt torques damnatorum, quaſi iugum boum, ex genere uinculorum. Tantum ille. Quærendum num inde boiam nos vulgo uocemus in Italia ipſum tortorem ſiue carnificem? Βουκάπη præſepè boum eſt, κάπτειν enim eſt edere. Βόλιτον Etymologus dictum ait eſſe quaſi βόος λιτὸν, quòd liquidiora ſint bouis excrementa, quàm reliquorum animalium. Citat autem Hipponactem, qui βολίτου κασιγνήτην dixerit, fœminam opinor extremè contemptam. Alij uerò βόλιτον aſellorũ retrimentum propriè dici uolunt Cælio teſte, nimirum ex Ariſtophanis ſcholiaſte, in Batrachos, ubi de Empuſa legitur, quod pedem alterum habeat βολβίτινον: & in Ranas, vbi Io θάτερον σκέλος βολβίτινον habere dicitur, hoc eſt, ut ille exponit, ὄνειον, id eſt, aſininum, dicens ideo à quibuſdam ὀνόκωλον appellari, cùm tamen alioqui tribus in locis apud Ariſtophanem (inquit Henricus Stephanus) βοῶν etiam mentio fiat, & ipſe alibi βοῶν σπέλετον eſſe dicat. Quod verò βόλιτον pronunciant Attici, reliqua Græcia βόλβιτον vocant. Propriè autem fimum bouis exponi Pollux etiam author eſt, & ex ueteri prouerbio notum eſt: βόλιτου δίκην in eos, qui ob minima delicta puniuntur: extabat

Butyrum. *lib. 10. de facul. med. ſimplic.*

enim Solonis lex etiam aduerſus fimi bubuli fures. Butyrũm fit ex lacte, & à boue nomen accepit. Quia ex lacte uaccino quod craſſum, ac cæteris pinguius eſt, butyrum præcipuè conficitur, unde Galenus: Miror autem quo pacto Dioſcorides ex ouillo & caprillo confici referat: namque ex bubulo fieri noui, ac proinde nuncupatum eſſe butyrum exiſtimo. Quibus uerbis Galenus nomen magis, quàm rei naturam contemplatus eſſe uidetur, nam & Plinius aliàs etiam ex omni lacte

Eliacor. 1.

butyrum fieri poſſe aſſerit. Βουστροφηδὸν vocant Græci genus quoddam ſcribendi, vt Pauſanias ait, arcam Cypſeli hoc modo inſcriptam fuiſſe tradens, quod quidem tale fuit, à fine videlicet prioris verſus, ſecundum verſum conuertere, vt in diaulo curſu fit. Dictum verò eſt ab arandi ratione, cùm in extremo ſulci in alterum ſulcum boues conuertuntur, ut Grammatici obſeruant Græci. De hac

lib. 6.

eadem re ſic Iſidorus: *Verſus autem vulgo vocati, quia ſic ſcribebant antiqui, ſicut aratur terra à ſiniſtra enim ad dextram primum deducebant ſtylum, deinde conuertebatur ab inferiore rurſus ad dextram verſus, quos & hodie ruſtici verſus appellant.* Hæc Iſidorus, vt Lil. Gregorius Gyraldus

Buccina. *Lib. 4. de milit. Rom. dialog. 10.*

obſeruauit. De buccina ita ſcribit Iuſtus Lipſius. Buccina initio fuit cornu bouillum, nec à boue malè deriues, ut inſtrumentum quod bubus canit, aut quod boues canit, aut uocat. Varro tamen buccinatorem à vocis ſimilitudine & cantu dictum mauult, quia bou bou canit: quod Iſidorus ineptè flexit, & buccinam à voce, quaſi vocinam deriuat, quod Pagani ea uocabantur. Βοὸς κέρας verò apud Homerum eſſe aiunt cornu, quod lineæ piſcatoriæ iuxta hamum circumponitur, alij pilum, ut Varinus refert. Qui ſint laſtauri & atauroti antea diximus.

Centauri.

Centauri uerò qui ſint & unde nomen traxerint, Ludouicus Viues in 18. D. Auguſtini librum de ciuitate Dei, cap. 13 ſic ſcribit: Quidam Theſſalus rex bobus œſtro exagitatis, ſatellites ſuos ad eos reuocandos ire cum iuſſiſſet, illique curſu non ſufficerent, aſcenderunt equos & eorum uelocitate boues ſecuti, eos ſtimulis ad tecta reuocarunt. Sed hi uiſi, aut cùm irent uelociter, aut eorum equi cùm circa flumen Peneon potarent capitibus inclinatis locum fabulæ dederunt, ut Centauri eſſe crederentur. Dictique ſunt Centari ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους. Seruius in tertium Georgicorum. At Palæphatus refert: Cum tauri præferoces Lariſſam & eam Theſſaliæ regionem vaſtarent, Ixion rex præmium propoſuit ijs, qui tauros arcerent. Iuuenes è Nephelo pago cùm equos manſuefactos & edoctos conſcendiſſent (nam prius curribus utebantur) tauros abegerunt. Accepta ob hoc pecunia, inſolentiores facti, iniurijs affecerunt & ipſum Ixiona & Lariſſæos, qui tum Lapathæ dicebantur, ita ut inuitati ad nuptias Perithoi mulieres eorum raperent. Quæ res præbuit occaſionem fabulæ, quòd Centauri dicantur, quòd ſemiequi, quod filij Ixionis (quia ab eo miſſi & donati) quod ex

Buſiris.

nubibus, nam nephele eſt nubes. Buſiris Aegypti rex (à quo ciuitati quoque nomen) ab auia Io in vaccam mutata hoc nomen fortè inditum habet, uel παρὰ τὸ βοῦς εἴρειν, ut Etymologici author conijcit, ideſt à conterendis & iungendis bobus, ut qui uel ſolus duos boues includere ſub iugum poſſet, aut quòd duos boues, quoquo uellet, ſolus traheret, παρὰ τὸ βοῦς καὶ τὴν σειρὰν. tanti roboris

Buthus.

fuiſſe enim fertur. Buthus, de quo prouerbium citauimus, *Buthus obambulat*, fuit athleta, quem aiunt viciſſe in Pythijs ludis. Meminit Heſychius. Author adagiorum, fieri (inquit) poteſt, ut ab edacitate id nominis ei inditum fuerit, ut etiam Herculi βουθοινία. Alij uerò arbitrantur Græcos à ſtultitia & ſimplici bouis ingenio, ut Butalionis, quod Etymologus alicubi ſcribit, ſic etiam Buthi nomen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A men finxisse : in qua significatione etiam reperitur βέδιος , Hesychius enim hoc in loco: Βέδιος,
παρὰ Λυσίππῳ τῶ ὄμμα, (legendum videtur ὄνομα) Κύων δὲ τις ἰβόα δεδιμένος ὥσπερ βέδιος,
Seleucus, inquit, insipientem & stultum exponit. Mœlibeus nomen pastoris apud Theocritum
& Virgilium, ita dictus, quòd haberet curam boum ; Alphesibœus verò & ipse pastor à boum in- *Melibœus.*
uentione nominatus. Alphesibœas item vocabant omnes puellas elegantioris formæ, quasi *Alphesibœus*
quæ reperirent procos, qui boues sibi darent dotis nomine. Eo enim pecore vti solere antiquis-
simos in æstimandis rebus nondum introducto vsu nummorum, non semel ostensum est. Sic,
inquam, dicebantur, quæ propter pulchritudinem reperirent magnam dotem (vxores enim à vi-
ris, non, vt nunc, viros ab vxoribus dotem accipere mos erat) Ita Euadne dicta est, quòd bene do-
tata esset à Capaneo coniuge, ἔδνα enim vocabant nuptialia munera. Tantum Muretus. Ale-
xandri equum bucephalum appellarunt teste Plinio, siue ab aspectu toruo, siue ab insigni taurini
capitis armo impressi. Nos plura de eo in equo diximus. Pierius Valerianus ita Thessalos equos
ait fuisse nominatos, fallique qui putant equum illum à bouillo capite, vel à cornibus, quibus ani-
mal id præditum fuisse dicitur, ita nuucupatum. Equos autem nonnullos apud Thessalos, bu-
B cephalos fuisse nuncupatos, ostendere Aristophanem ἀναγύρῳ. Ab equo illo vrbs quædam, Asi-
norum caput, Bucephala dicta fuit eodem Plinio teste, quia ibi esset sepultus: Stephanus βουκεφά-
λειαν vocat. De tauro siue botauro oue, & scarabeo diximus in æquiuocis. Ait item Plinius boas
in Italia serpentes, in tantam magnitudinem exire, ut Diuo Claudio principe occisæ in Vaticano *Boa serpens*
solidus in aluo spectatus sit infans. Ali primo bubuli lactis succo, vnde (inquit) nomen traxere. *lib.8.ca.14*
Isidorus de boa paulò aliter. *Boas* (inquit) *anguis Italiæ immensa mole persequitur greges ar-* *Lib. 12.*
*mentorum & bubalos & plurimo lacte irriguis vberibus se innectit & sugens interimit, itaque inde
à boum populatione boas nomen accepit*. Buprestis nomen est oleris, de quo mox, & animalculi ex *Buprestis.*
genere insectorum, id quòd cum Plinius vel non aduerteret, uel non caperet, Græcos inconstan-
ter de bupresti scripsisse tradit his verbis. *Buprestim herbam Græci, magna inconstantia laudibus
ciborum etiam habuere. Idemque remedium tanquam contra venenum prodiderunt. Et ipsum* *Lib.30.c.4.*
*nomen inditum est, boum certè venenum esse, quos dissilire degustata fatentur. Quapropter nec
de hac plura dicemus*. De ipso verò animali, alio loco sic scribit. *Rarum in Italia animal bupre-*
C *stis est, longipedi scarabæo simillimum. Fallit inter herbas bouem maximè, vnde & nomen inue-
nit: deuoratumque tacto felle ita inflammat, vt rumpat*. Non absimilem etymologiam habemus
in hisce Nicandri versibus:

Η καὶ που δαμάλεις ἐριγάστορας, ἄλλοτε μόσχους
Πίμπρᾶται, ὅππο τε θῆρα νομαζόμενοι θατέονται
Τούνεκα τὴν βούπρηστιν ἐπικλείουσι νομῆες. id est
Sæpe pigram hæc vaccam, vitulum quandoque salacem
Perdit, pascentes, sua quando armenta magistri
Discernunt, & ob id buprestim nomine dicunt.

Dici itaque videtur buprestin παρὰ τὸ τὸν βοῦν ἐμπιμπρᾶσθαι, quòd boues incendat & vrat.
Secus tamen docet Etymologiastes: dici enim ait, quòd summopere intumescere faciat homi-
nem. βούπρηστιν, inquit, φάσι λέγεσθαι διὰ τὸ τοὺς γευσαμένους αὐλῆς μεγάλως πιμπρᾶσθαι: τουτέστι
φύσασθαι, τὸ γὰρ βοῦς ἐπὶ τοῦ μεγάλου ἔτασσον οἱ ἀρχαῖοι, καὶ βούπαιδα τὸν μέγαν παῖδα: id est bupre-
stem dicunt nominari, quòd eos qui eam gustarunt, inflatos ac tumidos reddat multum, quod
D πιμπρᾶσθαι Græci dicunt. Βοῦς enim nomen magnum antiquis significabat, vnde βούπαιδα ma-
gnum puerum dicunt. Vtraque quidem etymologia tolerari potest, attamen prior videtur præ-
ferenda, vtpotè quam & Aelianus videtur sequi, dum ait: Buprestin insectum se bubulum pecus
deuorauerit, tantoperè inflammationibus torquetur, vt & rumpatur, & non ita multò post efflet
halitum extremum. Idem quoque animalculum βουδάκη quoque nuncupatur teste Hesychio;
fortè quod boues frequenti morsu sit infestum. Cretenses hodieque βουπρίστη dicunt. Marcel-
lus Virgilius in commentario suo ad caput de bupresti apud Dioscoridem asserit, Italiæ rura
nunc quoque nosse hoc malum, vidisseque se peremptum aliquando eo ueneno bouem, non satis
tamen ostendere rusticos eius animalis formam, diuersisque appellationibus diuersis locis, & di- *Bupresis.*
uersa forma describi, & appellari. In Græcis Geoponicis Paxami verba inscripta περὶ βουπρήσεως, *lib.17.c.17*
duo latini interpretes de bupresti uertunt. Gesnerus mauult de uentris boum inflatione, vt ni-
hil (inquit) referat, an βου particula hic intensiua sit, an ad boues propriè pertineat. Quan-
quam enim ex bupresti insecto vorato turgeat, & infletur uenter, idem tamen affectus alias
quoque ob causas interdum inuadit. Mulomedici in equis κενόπρησιν vocant, idest τοῦ κο-
λιῶνος καὶ λαγόνος πρῆσιν ἤτοι ἐμφύσησιν: fit autem talis inflammatio aliàs in ventriculo, aliàs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

in inteſtinis. Accedit quòd in Geoponicis caput iam citatum περὶ βυπρήστεως inſcribitur E
per σ non per ϛ in penultima: Et Columella tria in Geoponicis capita, de cruditate, bupre-
ſti, & torminibus inſcripta, ſub vno de cruditate comprehendit, nulla bupreſtis mentione
facta, ſonitum autem ventris & inflationem tanquam ſigna, & ſymptomata cruditatis non om-
mittit. Sed idem fortaſſis remedium vtrique malo conueniet, quod Paxamus ita præſcribit:
Aduerſus hanc noxam quidam olèum in nares infundunt bubus: alij caprifici groſſos aqua di-
luunt & naribus infundunt. Dioſcorides certè poſt vomitiones & clyſteres, caricas in cibo
prodeſſe docet & cum vino potum earum decoctum aduerſus bupreſtin inſectum. Cæterùm
oleum bubus per nares infundi, donec ructent ad inflationem ſedandam, in Plinio legitur: Nec
tamen negauerim oleum contra omnia venena bibi cùm aliàs, tum ad vomitum proritandum.
Tantum Geſnerus: & aliàs rurſus: Bupreſtis ſiue Scarabei genus boues inflantis, ſiue alia ven-
tris inflatio accipiatur, æquè ad ipſos boues ac morbi magnitudinem, vocabuli etymon refer-
Bucardia. ri poteſt. Bucardia Plinio gemma eſt, bubulo cordi ſimilis, Babylone tantùm naſcens. Iaco-
Lib. 37. ca. 10. bus Dalechampius ait eſſe genus Callaidis ſiue Turcicæ, ſeſeque uidiſſe hanc gemmam profite- F
tur. Græci, ut lexicographi exponunt βουκάρδιον & βουκάρδιον λίθον appellant. Bootes uel Bo
tus à boue ducto nomen, latinè bubulcus, cæleſte ſydus, quod arctophylax uocatur: Stellula
enim eſt iuxta urſam minorem quæ more bubulci plauſtrum ſequi uidetur: Cicero de natura
deorum:

Arctophylax vulgò qui dicitur eſſe Bootes,
Quòd quaſi temone adiunctam præ ſe quatit Arctum.

Ouidius: *Arctophylax formam terga ſequentis habet.*
Iuuenalis: *Frigida circumagunt pigri ſarraca Bootæ*
Aratus: *Tardus in occaſum ſequitur ſua plauſtra Bootes.*

Plantæ. Sunt qui Arcadem Iouis ex Caliſtone filium in Booten mutatum dicant: Pluribus tamen placet,
Areſta bouis Caliſtonem in Vrſam maiorem, Arcadem in minorem conuerſum. Areſtam bouis uel boum uo-
Roſtrum bouis. cat herbariorum uulgus, quam Græci anonidem, & ononidem, quòd in opere arantes boues ſi-
ſtat ac remoretur, radicum tenacitate uomeri non cedens. Bouis roſtri decoctum utile ad fluxum
uentris ſi eo lauentur pedes, legimus in Roſa Anglica. Sunt qui ſymphytum maius eſſe conij- G
ciant. Panaces quod è Macedonia affertur, bucolicon uocant, inquit Plinius; armentarijs ſpon-
Lib. 25. cap. 4 te erumpentem ſuccum excipientibus: hoc celerrimè euaneſcit. Dioſcorides hoc genus panacis
Heracleum ſiue Herculeum vocat ſine dubio, vt ab Aſclepio & Chironio diſtinguat: ex huius ra-
Panax Herculeum. dice liquor denſatus opopanax dictus nomen in officinis pharmacopolarum adhuc retinet. A quo
panace panax Herculeum Plinij, ne quis erret, planè diuerſum eſt, ait enim origanum eſſe Hera-
cleoticum. Differunt teſte Varino βούτυρον eſt βούτυρος, nàm βούτυρον eſt butyrum, βούτυρος her-
ba quædam Dionyſio. Coniecerem ita vocari, quia plurimum ex eius eſu butyrum vaccæ gene-
Bupreſtis. rent. Bupreſtis oleris genus apud Theophraſtum, ſed cùm eodem nomine inſecti intelligatur ge-
nus maleficæ naturæ, vt oſtendimus, Plinius id non aduertens, oſcitanter in hæc verba prorupit:
Lib. 7. Hiſt. cap. 8. *Bupreſtin magna inconſtantia Græci in laudibus ciborum habuere; ijdemque remedia tanquam contra*
venenum prodiderunt, &c. Heſychius ſic herbam ab inſecto diſtinguit. βούπρηστις olus, βούπρηστις
inſectum maleficum. Iacobus Dalechampius bupreſtin herbam quibuſdam eam eſſe ait, quæ vul-
gò auricula leporis vocatur, & à Dodonæo pro bupleuro oſtenditur. Varinò verò βούπρασις vel
Bupleuron. βούπρηστις potius, genus eſt oleris ſylueſtris ſimile ſinapi: Bupleuron quoque eidem genus eſt ole- H
ris. Deſcribitur à Plinio *herba ſponte naſcens, caule cubitali, folijs multis longiſque, capite ane-*
thi, laudata in cibis Hippocrati, & Nicandro in medicina. Cui deſcriptioni non malè videtur qua-
drare auricula illa leporis, cuius folia rectè dicemus longa, vt pote in herba vmbellifera, minus
verò rectè inter paſtinacas erraticas cenſeri debet, etſi ita iudicauerit Geſnerus. Syluaticus bupleu-
rum exponit coſtam bouis, aitque eſſe dulbub: quid autem ſit dulbub nec ipſe declarat, nec apud
Bugloſſum. quemquam huc vſque reperi. Bugloſſos boum linguæ ſimilis. Geſnerus ſimilitudinem iſtam
ad figuram pariter & ad aſperitatem refert, & vtrumque boragini noſtræ conuenire arbitratur,
quanquam & aliæ (inquit) quædam herbę ad bugloſſi deſcriptionem accedant, omnes ferè vi-
Cap. 4. ribus ijſdem præditæ. Ita poſtmodum cenſere alij. Cato de inſitione loquens: *Inſuper* (in-
Lib. 17. cap. 14. quit) *lingua bubula obtegito, ſi pluat, ne aqua in librum permeet; eam linguam inſuper librum*
alligato, ne cadat. Citat hunc locum etiam Plinius, & genus herbæ interpretatur: (cæterùm
Buphthalmus. mireris, cur herbam exponat, cùm Cato ligulam e corio bubulo factam intelligat, & alioqui ſit
abſurdum linguam bubulam herbam inſuper librum alligari, ne cadat, quod Cato ait. Buphthal-
Li. 25. ca. 8. mus ſimilis (inquit idē Plinius) boū oculis. Quæ ſimilitudo ad flores referri debet, ut oſtendit Dio-
lib. 3. c. 139 ſcorides,

A scorides, Flores (inquit) producit luteos maiores quàm anthemidis, oculis speciem referentes, *Lib. 3. cap. 139.* vnde nomen traxit, & Galenus buanthemon exponit buphtalmum. Varinus olim Romanis boariam vocatum fuisse ait, herbamque esse quæ apud suos in cibum veniat. Caules verò mandi, *In glossis.* etiam Plinius tradit, quamobrem nec Dodonæi, nec Matthioli buphthalmum probo, illius quia hellebori modo purgat, huius quia caulis durus est & esui ineptus. Cæterùm buphthalmus etiam quibusdam teste Plinio aizoon maius nuncupatur, alijs zoophthalmos, & apud Dioscoridem buphthalmos inter synonyma aizoi legitur: boephthalmos Osthani sideritis. Boanthemon Galenus libro præcitato buphthalmon exponit, quod & Chrysanthemon vocetur. βούπτινον Varino trifolium herba, & βόμανες & βόπασον herbarum genera. Butomum in paludibus *Butonum* nasci trudit Democritus in Geoponicis, folia ferre irinis proxima, quibus boues iucundè vescantur, vnde nomen ei datũ: vbicunq; prodierit, solum excauandis aquilegijs idoneũ fatetur. Theophrastus verò butomo folium ait esse arundinaceum, angulare, caulem inoffensissimum, qui malum magnitudine sidæ proximum producat in lacu: fœminam sterilem esse, ad nexus vtilem. Herbarij & officinæ, vt Ruellio placet, vocant hodie iuncum cabacinum, quòd folijs eius tegetes & spor- *Lib. 2. de*

B tulæ, sicut ex sparto texuntur: nanque corbulas, quibus ficus & vuas passas recondunt, corbas, vel *nat. stirp.* potius cabas (inquit) solent appellare. Andreas Cæsalpinus butomi nomine describit id genus iun *cap. 128.* ci, quod à florum eleganti specie, floridum herbarij cognominant. Sed butomus Theoprasto du- *Lib. & cap.* plex, mas nimirum & fæmina; Ego hucusque istius iunci vnicum tantum genus obseruaui, nec *17.* ille plura recenset. Scio tamen multis peritis herbarijs butonum idem esse cum Sparganio Dio- *Sparganiũ.* scoridis, & Dodonæus iuncum floridum pro Sparganio ostendit, binis in libris, in historia herbarum videlicet Gallica, & in compendio historiarum. Sparganium autem à Dioscoride delineatur folijs gladioli sed arctioribus & magis inclinatis: pilulis in summo caule, in quibus semen: pilulas vocans quod Theophrastus malum magnitudine sidæ proximum. Dodonæus tamen butonum à Sparganio distinguit: nam pro butomo in historia describit Sparganium ab alijs putatum, eam videlicet quam ipse in historia frumentorum platanariam à similitudine pilularum cum fructu platani nuncupat. Equidem Matthiolus dubitat, nunquid hæc reuera sit Sparganium, quandoquidem non in summo caule, sed infra eius summum multo & alibi quoque pilulæ exoriuntur: quare & Dalechampius hoc putatum Sparganium pro phlæo fæmina exhibuit: contrà

C Lobellius & Pena quin sit genuinum Sparganium, idemque cum Theophrasti butomo, non dubitant. Idemque Pena aliam quàm Democritus butomi etymologiam adducit. βούτομον enim interpretatur admodum scindens, quia eius herbæ folia acie sua manus arripientis sauciant. Sed plura hac de re in plantarum historia. Lappæ genus Plinio boarium cognominatur his verbis: *Lappa boaria.* *Lappæ boariæ radix pota articulis medetur.* Gesnerus hanc boariam lappam, arcion Dioscori- *ria.* dis esse iudicat, quam à Romanis personatiam, & lappam vocari scribit. Accedunt etiam (in- *Lib. 26. cap.* quit) vires similes. Radix enim eius, (eodem Dioscoride teste) concisa et emplastri modo im- *11.* posita, obortos membrorum fractis ossibus circa articulos dolores sedat. Vulgò lappam maiorem & bardanam appellant. Boariæ nomen factum ei credit, quòd cùm procera sit, bubus facile adhæreat; vt lappa canaria canibus, quæ à reliquis eiusdem nominis (Plinij verbis vtitur) sola humilitate differt. Alij tamen longè diuersam ostendunt, diuersa etiam ratione ducti, quod nempe prætereuntium vestibus pertinaciter adhæreat, quemadmodum aparine, quam lappam vertit Plinius. Herba est in agris pinguibus & stercoratis proueniens, radice apio hortensi non *Lib. 21. cap.*

D dissimili, odorata cum manditur, caule palmum alto, folijs coriandi aut potius caucalis, per *cap. 17.* obliquam valde & crebrò incisis, floribus in vmbella exalbo & subluteo subrubescẽtibus, fructu oblongo, spinoso, vt in caucali, semine nigro, ad figuram fructus formato. Rustici nostri istiusmodi echinato fructu herbas vulgò grappellas nuncupant. Quare cum hæc in agris nascatur, boaria dicta fuerit, quasi priuatim ad boues pertinens, cum propriè sit boarium, quod ad boues pertinet, vt arua boaria, teste Festo, quod in eis boues venderentur. Cunilæ bubulæ nomine duas species *Cunila bubula.* diuersas apud veteres celebratas fuisse apparet, ligusticum, & origanum syluestre. Crateuas enim ligusticum sic vocat sed falsò, vt Plinius scribit, & mox, cùm dixisset, cunilæ præter sa- *Lib. 16. cap.* tiuam plura esse genera: *quæ* (inquit) *bubula appellatur*, *semen pulegij habet, vtile ad vul-* *16.* *nera commanducatum impositumque &c.* Hanc cunilam bubulam, origanum syluestre Græco- *Lib. 3. cap.* rum esse Ruellius validissimis argumentis conuincit. Gesnerus bubulam appellatam conijcit, *cap. 25.* quod inter boum remedia fortè olim in vsu fuerit, quanquam apud scriptores in Hippiatrica solùm mentionem eius inueniat apud Columellam, qui sic scribit: *Si bilis molesta iumento est,* *Lib. 6. cap.* *venter intumescit, nec emittit ventos. Manus vncta inseritur aluo, & obsessi naturales exi-* *30.* *tus adaperiuntur, exemptoque stercore posita cunila bubula, & herba pedicularis cum sale trita & decocta, melli miscentur, atque ita facta collyria subijciuntur, quæ ventrem mouent, bi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

lemque omnem deducunt. Si verò inde, vt ille conijcit, bubula cunila dicta eſt, gallinaceam cunilã E
etiam à medendis gallinacei generis auibus cognominatam eſſe conijci poterit, quæ origanum eſt
Origanum butes. Heracleoticum. Eſt & butes origanum apud Cydoniatas, idem nimirum, vt idem Geſnerus indicat, bubulo, vt vel nomine proditur. *Femur bubulum.* Femur bubulum Plinio herba eſt, neruis vtilis, recens in aceto & ſale trita. Hæc quæ ſit, non ſatis conſtat. Videndum an eadem ſit, inquit Geſnerus, quam alibi ſcribit myriophyllon dici in Hetruria, qua boum nerui abſciſſi addito axungia ſolidantur. *Lib. 24. cap. 19.* Eodem teſte aliqui fœnogręcum buceras vocant, quoniam corniculis ſemen ſit ſimile: immò verò (inquit Dalechampius) quòd ſemen longis ſiliquis veluti corniculis includitur. ſimilibus ſcilicet bubulis aut capræ, vnde & ægoceras ibidem vocari dicitur. Alibi quoque buceros apud eundem legitur, nimirum βϰ́ϰερως: ſunt qui buceron ſcribant. Apud Varinum pro eodem ſemine, ſeu potius pro eadem ſiliqua βϰϰέρας legitur. Nicandro eſt βϰϰέραος in Alexipharmacis:

> Ἄλλοτε, βϰϰέραος σιτηγόνον ὄρρα κεραίας
> Ευκαμπὴς πετάλοισιν ὑπελωεμίοισιν ἀέξει.

Ex hoc autem βϰϰέραος per contractionem βϰ́ϰερως factum eſſe aiunt. Buceraon verò etiam apel- F
Bucranion. lari anagallidem Menetheus teſtis eſt, vt Galenus annotauit in Gloſſis. Vitem nigram aliqui bu-
Taurion. cranion vocant; quod nomen aliqui antirrhino tribuunt, vt Galenus, annotante Gorræo. Taurion inter lychnidis coronariæ nomenclaturas legitur in Dioſcoride, & taurus apocathemenes Magis
Herba tora. eodem referente, lychnis ſylueſtris eſt. Ab vtraque toto cælo differt, quam toram vulgò herbarij vocant, de qua ſuprà diximus, & in lupo dicemus, quia aconitum lycoctonon quibuſdam putatur. Hoc ſaltem in præſentia lectorem monet Geſnerus, lychnidi & aconito non ſolum nomina communia eſſe, cùm ille taurion, hæc tora vel taura vocetur: ſed etiam effectus; vtrauis enim admota ſcorpiones torpeſcere Dioſcorides tradit. De tora verò vulgò apud nos vocata, quòd vaccæ ea deuorata, vt paſtores facto periculo teſtantur, taurum ſtatim adeant, quam Dioſcorides orabanchen vocat, antea diximus. Eſt & alia taura, de qua Hermolai Barbari hæc ſunt verba: Sunt qui oxyn putent eſſe quam vulgus tauram & triada, id eſt, trinitatem, & ſphragida, hoc eſt, ſigillum Salamonis appellauit: folio triplici aut vno potius in terna diſpoſito, radice capillamentis multiplici: flore cum maculis quibuſdam candidis cæruleo. Aſtringit, ad ſtomachum diſſolutum & enterocelas in cibo datur. Tantum Barbarus. Heſychius tradit, Phanodemum hordeum ſcribere appellari ταῦ-
ρον, quoniam cornutum ſit. Fortè ariſtas quibus hordei ſpica armatur, cornua dixerit. Rectius G
tribulus tauroceros cognominatus eſt Dioſcoridi propter cornutos aculeos. Idem ait, Marrubiũ
Vaccaria rubra. ſanguinem tauri vocari. Inuenio & Roſmarinum tauri oculum nominari. Vaccariam rubrã vocant herbarij, (iſatim ſylueſtrem nonnullis dictam) quoniam vaccæ libenter eam depaſcantur.
Triticũ vaccinum. Quidam condurdum Plinij eſſe volunt. Inter vitia frugum eſt, quod triticum vaccinum vulgò appellatur, quia vaccis pabulo gratum eſt & innoxium. Germani ſimiliter kuuueyſsen vocant, & Galli blè de Vache & blè de beuf nuncupant quaſi trifolium vaccinum aut bubulum. Herba eſt caule pedali, vel altiore, folijs nigricantibus, binis, mucronatis: ſpicã florum purpuream ædit, folijs etiam inſertis eiuſdem ferè coloris, aſperſis maculis quibuſdam flauis: radice breui inutili, meſſis tempore poſtquam defloruit, in ſingulis conceptaculis bina ternauè ſemina, tritici ſimillima, colore tamen puniceo producit. Eodem colore panis, ſi fortè immiſceatur, infici ſolet. Prouenit in agris, qui triticum vel zeam alunt. Herbarij doctiores Galeno aiunt melampyrum vocari, à quo melampyrum Dioſcoridis, quod myagrum eſt, plurimum differat. Sunt qui Plinij, & Theophraſti ſte-
Lib. 18. cap. 17. lephiron eſſe volunt, alij verò alopecuron. Gaſpar Bauhinus credit apud eundem Plinium æram
vocari, quamuis hoc nomen etiam lolio tribuatur. Tabernemontanus triticum nigrum & bouinum appellat. H
Bœotia Bœotia vnde ſit dicta, alij aliter tradunt. Sunt qui ita dictam velint à rege eius loci Bœoto, quem Arne mater Aeolis enixa, vt patrem lateret, abiecerit εἰς βοῶνα, id eſt, boum ſtabulum. Euphorion.

> Τὸν ῥα Ποσειδάωνι δαμασσάμενη τέκε μήτηρ,
> Βοιοτὸν δ' ὀνόμηνε, τὸ γὰρ καλέουσι βοτῆρες,
> Ὅττι ῥα πατρώησι βόων ἀπεθήκατο κόπροις

Alij Bœotiam dictam malunt à boue, quam ex Apollinis oraculo Cadmus ſecutus eſſe legitur, & quo in loco illa moribunda procubuit, Thebas cõdidit; cum regio illa Aonia prius diceretur: quam
Metam. 3. ſententiam ſequitur Ouidius, cum ait:

> *Bos tibi Phœbus ait, ſolis occurret in aruis*
> *Nullam paſſa iugum, curuiq; immunis aratri:*
> *Hac duce carpe viam, & qua requieuerit herba,*
> *Mœnia fac condas, Bœotiaq; illa vocato.*

In eodem ſenſu Seneca:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Monituq; Phœbi iussus erranti* *In Oedipo.*
Comes ire vaccæ quam non flexerat
Vomer, aut tardi iuga curua plaustri
Deseruit fugas; nomenq; genti
Inauspitata de boue tradidit.

Sunt denique qui malint, inde vocatam fuisse Bœotiam, quia regionis illius tractus, crassiore (vt aiunt) & concretiore cælo, hebetiores producat homines & mente neque agili, neque vegeta, sed pingues & rudes. Legimus autem & Antimachum recitantem apud Thebanos librum Thebaidos, cùm vidisset attentum neminem, clauso codice dixisse, εἰκότως καλεῖσθε βοιώτοι, βοῶν γὰρ ὦτα ἔχετε, id est, *iure vocamini Bœoti, qui quidem aures habetis boum*, quasi ad etymologiam nominis alluderet, quæ ex βοῦς & ὦτα composita sit. Bouillæ sunt in Latio, vt meminit Plinius haud procul ab vrbe Roma, dictæ, vt existimat Nonius, quasi bouis hillæ, ab eo quòd bos illuc aduenerit, intestina ex vulnere trahens, quæ veteres dixerunt hillas. Erat autem vicus inter vrbem Romam & Ariciam in via Appia, in quo cæci & mutilati corporis homines mendicabant: vnde Persius: *Bouillæ. Lib. 3.*

B *Dic clarè, non audeo inquis* *Saty. 6.*
Exossatus ager iuxta est, age si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deq; auia nihilum superest, accedo Bouillas
Cliuumque ad Virbi.

Byrsa corium & tergus Græcis dicitur; vnde & βυρσεῖα coriarium appellitant. Hinc arcē in media Carthaginensium vrbe Byrsam appellatam fuisse aiunt; quod Dido cùm fratrem fugiens in Africam peruenisset, ab Iarba tantum soli emerit, quantum taurino tergore posset circundare, dissecto verò deinde tergore in minutissimas laminas, tantum loci eo circumdederit, quantum arci extruendæ satis esset. Ad hanc siue fabulam siue historiam alludit Virgilius, dum canit. *Byrsa.*

C *Vbi nunc ingentia cernes* *Aeneid. 1.*
Mœnia, surgentemq; noua Carthaginis arcem;
Mercatiq; solum facti de nomine Byrsam,
Taurino quanto possent circundare tergo.

Coniunxit poeta (inquit Nonius) hæc duo nomina, Carthaginem & Byrsam, vt res vicinas. βύρσα enim Græcè corium, Carthago à cartha deduci videtur, vtrobiq; vocabulo ex taurino tergo deriuato: postea tamen diuersa significata accepere. Byrsa enim teste Strabone, Carthaginis arx est, vt Athenis Acropolis, Thebis Cadmeia. Carthago autem vniuersa vrbs est, &c. Silius quoq; non longè ab operis sui exordio de Carthaginis loquens origine, inquit: *Lib. 7. cap. 5*

Tum pretio mercata solum, noua mœnia ponit,
Cingere qua secto permissum littora tauro.

Georgius Braum in theatro vrbium testatur, Ossenburgum Germaniæ vrbem similiter à bubula pelle nomen accepisse. Strabo ait in littore Eubœæ antrum quoddam fuisse in Aegeum vergens, quod aula bouis sit vocatum, quia Io Epaphum ibi peperisse dicatur. Booneta (Βοώνητα) Pausania teste locus siue via est Spartæ, quod idem est, ac si bobus empta dicas, ait & Polydori regis domum fuisse; quæ eo mortuo de dote vxoris empta sit. boues fuisse pretium. quoniam eo tēpore necdum essent nummi auro argentoue signati, sed quæ quisq; vellet, per commutationem, bubus seruitijs, rudi argento, & auro vltrò citroque datis & acceptis compararet. Βούβασις vicus Aegypti & dea, vt Etymologus declarat, inquiens: Nam Io Inachi filia in bouem mutata, & post multos terra marique errores Aegyptum ingressa; cùm per humidum agrum incederet, vestigia luto impressit: quæ cùm regi illius loci ab anterioribus pedibus iota literam, à posterioribus omega præferre viderentur, Io nomen vaccæ imposuit, & vicum à bouis gressu bubasin nominauit. Et rursus: Βόβαστος πόλις Αἰγύπτου καὶ βουβατίτης πόλις. gentile Bubastites. In hoc Dianæ quam Bubastin nominant, clarissimum fuit templum. Nominatur & Bubulcorum ciuitas in Aegypto, vt Strabo asserit. Bouis aurei templum locus est in Palæstina, vt citat Ortelius. Βουθόη, Illyriæ ciuitas sic dicta, vt Etymologus ait, quòd Cadmus è Thebis fugiens iugo boum inuectus, celerrimè illuc peruenerit & ciuitatem condiderit, ἀπὸ τῶν βοῶν καὶ τοῦ θοῶς φυγεῖν. Alij dictam volunt, ἀπὸ τοῦ βοηθόν παραγενέσθαι (addendū videtur αὐτῇ τὸν Κάδμον) vel a Buto viro t in th mutato. Sunt qui ineptè Buthye per y scribant. Βουθία verò Ioniæ ciuitas & regio est Stephano, haud scio cur sic dicta. Buthrotum vrbs est Epiri in Thesprotijs (prope Oricum portum, vt habet Eustathius in Dionysium, vel vt Strabo, Orchinum,) in qua regnauit Helenus Priami filius: vel Epiri colonia *Ossenburgū. Aula bouis. Booneta. Bubasis. Lib. 16. Buthoë. Buthia. Buthrotum.*

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

non longè ab Ambracio ſinu. Huic nominis cauſa, vt Teucer Cyzicenus ſcribit teſte Etymologico: quod cum Helenus ex patria in Epirum veniſset, & bouem pro felici ingreſſu immolari pararet, bos vulnere non lethali affectus aufugerit, & ſinu quodam Epiri illic traiecto, in terram egreſſus, mox collapſus obierit. Quo in loco Helenum aiunt religione motum vrbem condidiſse, & ab euentu Butrotum nominaſse. Plerique per θ ſcribunt, ſed ſi à boue vulnerato dictam velimus, per τ ſcribendum fuerit. [*Bucaa.*] Βέκαια, vrbs Phocidis in Parnaſo, ſic dicta, inde quòd cùm Deucalion & Pyrrha diluuio ingruente, illuc fugiſsent, ſeruatique eſsent, incolæ quotannis magnum bouem in ſtruem lignorum accenſam intrudant, patrio more ἔρπε βȣ̃ς acclamantes, inquit Etymologus, & comburant, ἀπὸ τȣ̃ καίειν τὸν βȣ̃ν. [*Bucærais.*] Βȣκεραῒς eodem teſtante fons eſt Platæis, ſic appellatus, quoniam Polybus poſt diluuium Deucalionis ſeculo ex Argis illuc veniſse fertur, bouem ex oraculo ducem ſecutus, qui cum procumbens terram feriret, fons emicuit, vt ſcribit (inquit) Theon in commentarijs in Callimachum. [*Bucheta.*] Βȣ́χετα τὰ (vel Βȣχέτιον τὸ, vt Strabo vocat,) vrbs Epiri, cuius meminit Demoſthenes in Philippicis: Hanc Philoſtephanus (aliàs Philochorus) ſic nominatam putat, eò quòd Themis in Deucalionis diluuio boue inuecta, ἐπὶ βόος ὀχȣμένη, illuc deuenerit. Hinc gentile Buchetius. Buplanoctiſtos apud Ilium tumulos vocat Lycophron in Alexandra, quòd ex Myſia bouem inſecutus Ilus, ibi demum vrbem condiderit Ilium, vbi interquieuiſset ea, vt Celius annotauit. [*Bura.*] Βȣ̃ρα, ciuitas Achaiæ mediterraneæ in ſinu Corynthio, hauſta à mari, aliàs Buris dicta. Cōdidit eã Hexadius Centaurus, & illic armentorum ſuorum ſtabula habuit: proinde Etymologus Buram dictam eſse aſserit, ἀπὸ τȣ̃ τὰς βȣ̃ς ὠρεῖν, ideſt, à cuſtodia boum, vt ex hoc veteris cuiuſdam verſu apparet:

Βȣ̃ρα τε Δεξαμένοιο βοόςασις Οἰκιάδαο.

[*Burina fons*] Ex quo verſu videtur etiam priori loco Dexamenus pro Hexadio legendum, vel contrà in verſu Ἑξαδίοιο pro Δεξαμένοιο. Βȣ́ρινα apud Theocritum fons eſt in Italia, à ſimilitudine cum naribus bouis, ſiue arte exciſo lapide a Chalcone quodam ad bouini capitis ſimilitudinẽ, ex cuius naribus aqua efflueret: ſiue loco ita ſponte formato: ſiue quòd magna aquæ copia inde manaret: nam alij [*Lib. 2. cap. 13.*] qui Βȣ́ρειαν ſcribunt, ἀπὸ τȣ̃ βȣ̃ ἐπιτατικȣ̃, καὶ τȣ̃ ῥεῖν, ſiue aliam ob cauſam: lege Varinum, quià nonnullis etiã Βȣ́ῤῥιν vocari ſcribit. Euagrius in hiſtoria Eccleſiaſtica agens de incendio quod Conſtantinopoli aliquando accidit, ait in ea vrbis parte qua mare tangit, incœpiſse, eamque Viam bouis appellari. Pars quoque Romæ à boue nomen habuit, vt oſtendit Ouidius, addita inſuper nominis ratione, agens de Hercule, & Caco:

[*Faſt. lib. 1.*]

Immolat ex illis taurum tibi Iuppiter vnum
Victor, & Euandrum ruricolaſq; vocat
Conſtituitq; ſibi quæ maxima dicitur ara,
Hic vbi pars vrbis de boue nomen habet.

Feſtus verò ſic dictam ſcribit, quòd boues ibi venderẽtur: alij ab æneo tauri ſimulacro, quod ut ſcribit Cornelius Tacitus, fuit in eo loco ſiue foro. Inſigne uerò etiam bouis habebat quidam caupo Patauij, in cuius loco poſtea ſcholæ publicæ ædificatæ fuere, inquit Antonius Ricobonus in opere ſuo de gymnaſio Patauino, & nomen bouis continuatum eſt, cum adhuc dicantur bouinæ domus, [*Domus bouina ſchola quæ dicta.*] & nouis ædificijs continuè auctæ ſunt. Pellã urbẽ Macedoniæ, boui nomen acceptum referre Etymologus ſcribit, quod ab eo ſit inuenta. πέλλαν quidẽ uocant rẽ coloris nigri, ut & peliam aſinũ. Βοὸς κοίτη, Helleſponti urbs, Germanicopolis poſtea dicta teſte Plinio. Boouſura, id eſt, bouis cauda urbs Cypri inſulæ Stephano, uicina Palępapho. Arabiæ deſertæ ſtagni cuiuſdam medietas aſphaltum plurimum annuatim gignit, quandoque ad tria iugera, quandoque ad duo: Vnde & ſi circunſtantes Barbari, inquit Diodorus Siculus, maiorem partem taurum, minorem uitulum appel[*Lib. 3. cap. 12.*]lant. Meroe Nili inſula à barbaris Albhon, ideſt bouum pecorumuè inſula dicitur, & Porphyrius [*Buſiris.*] ſcribit, quandam Aegypti partem à boue Buſiriten appellari: Diodorus uerò Buſiridem Aegypti [*Lib. de abſt. ab eſu carnium.*] ciuitatem ſic dictam tradit, quod Oſiride à Typhone interfecto, Apis eius membra collegerit, collecta in bouem ligneum corio bouis albo circumtectum coniecerit. Vrbs eſt ad Nilum Ptolomæo cui ibidem Buſiriticus fluuius eſt. [*Boſphorus.*] Boſphorus, Græci βοσπόρον ſine aſpiratione ſcribunt, à bubus meabili tranſitu dictus eſt, propter anguſtias freti, vt Plinius docet. Sunt autem duo Boſphori, alter iuxta Byzantium, qui Thracius dicitur, omnium anguſtiſſimus; cui nomen, ut Valerius Flaccus ſcribit, à traiectu Ionis in uaccam deformatæ: alter in introitu Mæotidis paludis, per quem ipſa palus in Pontum defluit, qui Cimmerius, & Mæoticus cognominatur, cum urbe eiuſdem nominis. Euſtathius ad hos Dionyſij Afri uerſus:

Τῇ δ' ἐπὶ Θρηϊκίȣ ςόμα Βοσπόρȣ, ἔν πάρος Ἰὼ
Ἤρης ἐννεσίῃσιν ἐνηξατο πόρτις ἐȣ̃σα,

præter cætera hoc fretum quatuor ſtadiorum eſse ſcribit, & aliquando Myſium appellatum a minoris

A noris Asiæ populis, qui è regione Thracum habitant: postea uerò Bosphorum Thracium dictum,
siue quòd Io vacca oestro percita illic tranauerit, siue ut alijs placet (Arriano teste) quòd alia quæ-
dam vacca, quam Phryges monente oraculo sequebantur, ut eam ducem itineris haberent, intrepi-
de angustias illas maris inter Chalcedonem & Byzantium traiecerit: qua & illi tutò secuti sunt,
ad cuius rei memoriam bos ænea apud Chalcedonios postea conflata est: & eandem fortassis ob cau
sam locus quidam illic Damalis etiamnum vocatur. Cæterùm Ionis vaccæ traiectus ad Bospho-
rum Cimmerium ab alijs refertur. Est & Indicus quidam Bosphorus. Et est præterea eiusdem
nominis portus iuxta Byzantium, qui literis quibusdam mutatis perperam ita vocatus est pro
φωσφόριον. Nam cum Philippus in obsidione cuniculis actis locum ex improuiso oppressurus esset,
Hecate φωσφόρος dicta, lumen a facibus, quæ per cuniculos lucebant, ciuibus ostendit, unde illi obsi
dione liberati Phosphorion ciuitatem appellarunt. Sed redeo ad vtrumque Bosphorum: Hæc lo-
ca ita fuisse ab Ione in uaccam immutata dicta significauit etiam Prometheus apud Aeschylum,
ubi omnia euentura Ioni puellæ uaticinatur, inter quæ hæc etiam sunt:

B
Σαφῶς ἐπίσασ' ἰόνιος κληθήσεται
Τῆς σῆς πορείας μνῆμα τοῖς πᾶσι βροτοῖς. idest
Scias apertè, Ionius vocabitur
Tuæ viæ monumentum is omnibus viris.
Ἔσαι δὲ θνητοῖς εἰσαεὶ λόγος μέγας
Τῆς σῆς πορείας, βόσπορός δ' ἐπώνυμος, idest
Semper viros inter vigebit de tuo
Cursu loquela, & Bosporus cognomine.

Alij appellatum malunt Bosphorum ab eo tauro, quem rex Aegyptiorum misit pro Ione ad Ina-
chum: Cùm uerò mortuus fuisset, hunc ostendentes circumtulerunt, quoniam illud animal non
erat antea notum, neque visum in Græcia, ut ait Sosiphantes in Meleagro: Cùm uerò apparuisset
longè existentibus supra undas natans taurus ille, quod erat super tabulatum, sinus ille ab incessu
bouis dictus fuit Bosporus. Varro inter boum laudes recenset, quòd Bosphorus unus Thracius, al-
ter Cimmerius ab eis dicti sint. Procopius Beosporon urbem esse ait ita dictam, quòd incolæ quo-
C tannis boues loco pecuniæ subministrarent. Idem Varro Italiam à uitulis dictam scribit, authorem
citans Pitonem. Vide suprà in Synonymis. Moschouitas quidam interpretantur populos illos,
qui a Ptolomæo Hamaxobij, à Pomponio Mela Hamaxobitæ dicuntur, populi Sarmatiæ in Euro
pa, qui ædium uice plaustris utebantur: hamaxa enim Græcis plaustrum est: quamuis alio hodie lo
co quam olim siti uideantur. Tauromenium Naxiorum Coloniam Goltzius à tauro nomen habe-
re ait. Collis enim (inquit) qui urbi condendæ imminebat, taurus à tauri similitudine dicebatur.
Romæ Exquilina vocata porta, etiam taurina uocabatur, ut Alexander ab Alexandro tradit; à ca- *Porta taurina.*
pite tauri insculpto. Extra eam de nocentibus sumebantur poenæ. De tauris populis & Tauro mon
te abundè etiam diximus in synonymia. Taurinum, ut hodie uocant, siue Augusta Taurinorum, *Lib. 4. c. 16.*
urbs Celtica est Massilientium Colonia, ταυρόεις Stephano dicta, & ciues eius Tauroentij. Apol- *Taurinum.*
lodorus scribit conditores huius urbis uectos esse naui ταυροφόρῳ idest, cuius insigne erat taurus: qui
à Phocensium classe reiecti, ad terram appellantes, urbem inde nominauerunt. Albertus ait esse *Peloponesus*
qui ædificatam uelint à Lamisone nepote Noæ, eamque à nomine suo appellasse Lamisonem qua- *cur bos di-*
si taurum, quia Lamison Hebrais sit taurus, indeque manasse postmodum, quòd à tauro hodieque *cta.*
nomen obtineat. Inuenio & Peloponnesum bouem fuisse cognominatam, indeque Demetrij Pha
D rij dictum extare, quo hortabatur Philippum, ut Messiniorum urbem & Corynthum præsidijs fir-
maret, si Pelopponesi cupidus esset: ambobus enim, inquiebat, cornibus Bouem tenebis, cornua uo-
cans Ithonem, & Acrocorynthum. De Tauro illo, ex quo Minotaurus natus fertur, dixi suprà in
fabulosis. Statilij Tauri bis consulis ac triumphalis meminere Varro, Suetonius, Dio, alij. Plinius *Lib. 34. cap.*
etiam Sex. Pacuuij Tauri ædilis plebis. Et Tauri cuiusdam Quæstoris ad Armeniam missi, memi- *5.*
nit Ammianus Marcellinus. Fuit & Taurus quidam in Creta medicus, ut Varinus citat; itē Tau- *Lib. 14.*
rus Berytius philosophus Platonicus, qui referente Suida, sub Antonino Pio uixit. Quærendum
etiam an Taureas, Tauriscus & Taurosthenes à Tauro dicti sint. Iuniorum familiæ Bubulcum no-
minarunt, inquit Plinius, qui bobus optimè utebatur. De Q. Voconio Vitulo quæstore designato *Buzygia fa*
diximus in numismatibus. Inuenio & Athenis fuisse familiam Buzygiam agnominatam à Buzy- *milia.*
ge quodam heroe (alij Herculi Buzygi idem attribuunt) qui omnium primus iunctis bobus terram *Lib. 4. ca. 3.*
arasse creditur. Diodorus Siculus ait Æthiopes Troglodytas parentum nomina minimè indere
filijs, sed tauri, arietis, ouis: & hos quidem patres, hos matres (quoniam ab his, non à parētibus quo-
tidianus præbeatur uictus) appellare. Cur uerò Cleontem citharoedum, bouem cognominaret, *D. Tho. bos*
Stratonicus, in prouebijs, ni fallor, declaratum est. D. Thomas Aquinas, cùm in coæquales pueros *mutus dict⁹*
esset

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

taciturnus eſſet, bos mutus, ut Marulus ſcribit & Surius in eius uita, à quibuſdam dicebatur: uerùm E magiſter cognito eius ingenio, bos, inquit, iſte mutus talem mox edet mugitum, ut uocem eius admiraturus ſit vniuerſus mundus. Attalum Pergami regem tauri filium fuiſſe uocatum tradit Pauſanias his uerbis. Gallorum exercitum ex Europa in Aſiam ad vrbium perniciem tranſmiſſurum prædixit in oraculis ſuis Phaennis ætate vna antequam res gereretur:

In Phocicis Attalus tauri filius dictus.

Hoſtilis Gallorum acies tunc milite multo
Littora complebit: tranſmiſſis fluctibus Helles
Vaſtabit populans Aſiam. Sed Dij grauiora
Intentant illis, pelagi propè cærula ſedes
Qui poſuere ſuas: ſed enim his quoq; Iuppiter ipſe
Auxilia clari mittet tauri generoſam
Progeniem, triſti quæ ſternet funere Gallos.

Tauri filium dixit Attalum Pergami regem, quem ipſum Tauricornem etiam idem Apollo nominauit. Neptunus autem cur ταῦρος, vel ταύρειος, & ταυρόκραγος ſit dictus, aliàs dictum eſt. Sed & Bacchus F Ταῦρος κερασφόρος dictus eſt, quoniam veteres cornibus potabant loco poculorum, vt meminit Euſtathius, quare & κερατοφυὴς dicebatur. Athenæus, Plato (inquit) ſecundo de legibus vini viſum ſanitatis gratia conceſſum ait: verùm ab ingenio hominum ebriorum, Dionyſium tauro & pardali conferunt, eò quod inebriati ſæpè quædam per violentiam agere conentur. Alcæus. Ἄλλοτε μὲν μειλιαδέος, ἄλλοτε δὲ ὀξυτέρου τριβολῶν (Geſnerus ad ſenſum legit ἀντιβολῶν) ἀῤῥητωμένος, fortè (inquit idem) ἀῤῥητου μένος) id eſt, *vino placidum aliquando ingenium contingit, aliquando vehemens & violentius quàm verbis exprimi poſſit:* Quidam etiam θυμικοὶ, id eſt, *feroces, & animoſi fiunt*, qualis nimirum taurus eſt. Euripides ταῦροι δ᾽ ὑβρισταὶ, κ᾽ ἐκ κέρως θυμούμενοι, id eſt, *Tauri proterui ſunt & cornibus ferociunt.* Sunt qui natura pugnaces prorſus efferantur, vt pardalis effigies eis conueniat. Hæc Athenæus. Sophocles in tragœdia, quæ inſcribitur Tyro (Tereus perperam ſecundum Varinum) taurophagum vocat Dionyſium, quoniam τοῖς τὸν διθύραμβον νικήσασι βοῦς ἐδίδοτο, vt tradit lexicum meum vetus (inquit Henricus Stephanus) & Etymologus, qui ταυροφάγον exponi poſſe etiam aiunt ὠμηστὴν, id eſt crudiuorum (Cælius crudelem & immitem vertit) Inde tranſlatum dicunt nomen id ad Cratinum, ut apud Plutarchum in libro, Vtrum Athenienſes litterarum, an rei bellicæ G peritia magis claruerint: Μηδὲ Κρατίνου τοῦ ταυροφάγου γλώσσης βακχεῖ ἐτελέσθη. Arnobius etiam, *Bacchanalia* (inquit) *prætermittemus inania, quibus nomen Onophagijs Græcum eſt, in quibus furore mentito & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atque vt vos plenos dei numinis ac maieſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis.* Βοῶπις cognominatur ſæpenumero Iuno apud Homerum, quòd boum inſtar excelſos & rotundos oculos habeat: vel vt alij, magnos, quod in muliebri facie laudabatur, & inde etiam Europæ nomen impoſitum eſſe videtur. Conuenit autem hæc appellatio aeri, quem ſub Iunonis nomine tegebant: ut qui longè latèque pellucidus & viſui peruius circumquaque pateat. Quidam à ſono & voce deducunt, παρὰ τὴν βοὴν καὶ ὄπα, propter ſonitus qui in aere reddi ſolent. Tantum Varinus: Etymologus verò in Iunone exponit, formoſam & pulchris decoram oculis: Credebantur enim boum oculi pulchri. Poeta idem epitheton alijs ſæpè etiam deabus tribuit. Idem Varinus Dianam βούσβατον appellari à Thracibus ſcribit. Eandem etiam Tauricam ſiue Taurionem dictam inuenias, eam nempè quæ à Tauris Scythica gente colebatur. Tauris enim eam etiam opitulari putant, & generalius cæterorum pecorum gregibus. Eadem & ταυροπόλος ſiue ταυροπόλη, & ταυροπὸς vocatur, tum ob eandem rationem, tùm quod eadem ſit cum Luna, quam tauris aut vaccis vehi fingunt, tùm ut alij referunt, quia taurum à Neptuno in Hippolytum immiſſum œſtro affixo per vniuerſam terram exagitauerit. Sed & alij dicunt, Iphigenia cùm è Scythia in Africam aufugiſſet, Deæque ſimulacrum dicaſſet, ταυροπόλον Dianam appellatam, propterea quod è Tauris populis eò allata eſſet. Alij H nomen ex hiſtoria ea deſumptum putant, quòd Nicander ait taurum à Diana ſuppoſitum loco Iphigeniæ, cùm eam in Aulide Græci eſſent immolaturi: quamuis Phanodemus vrſam eam fuiſſe dicat, plerique verò ceruam. Dionyſius Afer, non à gente tantùm ſed à tauro Dianam ita vocatam ait: quia vt Euſtathius, ea regio armentis abundet, quibus præſit dea. Alij denique Tauropolam dictam aiunt, διότι ἔβαλε, διὰ καὶ ταυροβόλος: inde quod telum immiſerit (tauro nimirum) unde & Taurobolos, inquit Suidas, eſt dicta. Tanta fuit in ea ſuperſtitione varietas & inconſtantia. Apparet autem & Apollinis cognomentum fuiſſe ſiquidem Euſtathius, explicans hoc Dionyſij Afri de ſitu orbis:

Lib. 2. *Li. 5. aduerſus Gentis.* *Iuno boopis dicta.* *Diana Taurica.* *Bacchus cur taurus dictus.*

Ἴκαρον εἰναλίην, ὅτι ταυροπόλοιο θεοῖο
Βωμοὶ κνισσήεντες ἀδευκέα καπνὸν ἔχουσι.

Lib. 5 ait vel Dianam intelligi vel Apollinem. Diana verò Tauropoliæ meminit etiam Diodorus Siculus:

Alius: qui insuper Tauropolia sacrificia Dianę & Martis apud Amazonas vocari scribit. Strabo quo- *Lib. 14.*
que ait in Icaria Insula templum Dianæ fuisse, quod Tauropolium à dea diceretur, id quod in deci-
mosexto repetit, vbi fuit & oraculum. Colebatur eadem dea hoc cognomine etiam ab alijs po-
pulis, vt ex his Liuij verbis liquet. *Amphipolim cum iam fama pugnæ peruenisset, concursusque ma-* *Lib. 4. dec. 5*
tronarum in templum Dianæ, quam Tauropolam vocant, ad opem exposcendam fieret, &c. Hesychio nõ
tantum Diana, sed & Minerua Tauropolos dicitur: ταυρόπλόαι (inquit) ἡ Ἄρθεμις καὶ ἡ Ἀθηνᾶ. & Sui- *Minerua*
das tradit Mineruam eo nomine in Andro venerari & τάυροβόλον ibidem etiam dici, idcirco quod *tauropolos.*
Anius taurum Atridis dederit, & vbicunque ille de naui exiliret, Mineruæ ædem condendam iusse-
rit, ita enim secundam fore nauigationem: taurus autem in Andrum exilijt, Memores ergo præ-
cepti reges, illi statuam erigendam curauere, quæ postea id cognomenti Mineruæ dederit. Alia
verò ratio est, cur eadem dea βοαρμία vocata sit, nimirum παρὰ τὸ συναρμόσαι καὶ ζεῦξαι, id est *Minerua bo*
quod coniuxerit in iugum & aratrum boues. Colebatur autem hoc cognomine, vt Varinus anno- *armia.*
tauit apud Boeotos. Cælius ait etiam βούδειαν cognominari, quia humana excogitatum prudentia
est, boum opera terram colere. Sed & Hercules βουζύγης, idest boum iunctor dicebatur teste Suida,
B & βουθοίνας, id est boum deuorator: quòd vnum ex bobus aratoribus, vt suprà dictum est, Theoda-
mantis mactarit ac deuorarit: quamobrem & buphagos & buthæna cognominatur. Athenæus *Lib. 10.*
indicat larum autem Herculi attributam à priscis, quod & ille fuerit ἀδδηφάγος, atq; itidẽ βουφάγον
esse vocatum. Idem Hercules βουτίδας dictus est, propterea quod Geryonis boues Ioui adduxe-
rit, vt Etymologus citat.

EPITHETA.

EPITHETA bouis & vaccæ isthæc corrasit Gesnerus: Arator, armosus, agrestis,
agricola. Æripes Ouidio, qui habeat pedes tanquam ex ære solidos: Albus, can-
dens, cerebrosus Columellæ, contumax, corniger, cornupeta, decorus Columellæ
ab aspectu, durus, durissimus eidem, formosa Ouidio primo de arte, ferus, hirsutus,
C immunis aratri eidem, incustodita eidem, Indigena eidem, Indomita Flacco, &
Porphyrio: Intacta, id est, iugum non passa, Lectus, Ouidio, Minax, eidem, Nitida, & niuea, eidem.
Omniuoræ in herbis, Plinio. Opimi, Varroni: Otiosus, Horatio: Passa iugum, Ouidio: pasti, Vir-
gilio; Patuli, quorum cornua in diuersum suprà modum patent. Pauidi, Claudiano, Perdomiti,
Columellæ, Piger, Horatio, Tolerantes laborum, Columellę, Ruricula, Ouidio. Boues perpetuo
epitheto (inquit Gesnerus) toruos poetæ vocant, quod præcipua frontis asperitas in hoc pecore ap-
paret. Tardi, Ouidio. Trux, tumidus, tutus, Horatio: Validus, vetulus, Iuuenali Armenti epithe- *Armenti epi*
ta, bucerum, validum, toruum, spumans, lanigerum, discolor. Iuuenci & iuuencæ epitheta, corni- *theta.*
geræ, formosæ, fortes, laborifer, lunata fronte, petulans, torua fronte, pulcher, rudes operum, toruus,
validus. Ἀργοὶ βόες apud Homerum, non albi, cùm nigri mortuis immolarentur, neque ueloces,
hos enim εἰλίποδας vocare solet poeta; sed qui iam excoriati propter pinguedinẽ albi apparẽt. Οἰνο-
πες, qui vini colorem referunt, nigri, quo sensu etiam Οἰνοπα πόντον poeta cognominat: βόες ὀρθο-
κραῖραι, quibus erecta sunt capita; nam κραιρα Atticè caput est. Εἰλίποδες βοῦς qui pedes inter am
bulandum conuoluunt. Pausanias mulieres etiam Εἰλίποδας vocat. Ἕλικες, eodem sensu, quo
D εἰλίποδες, vel quorum suffragines commodè voluuntur, aut flectuntur; vel nigri (vt & ἑλικὸν ὕδωρ
aquam nigram interpretantur,) vel qui cornua habent ἑλικοειδῆ; hoc est, intorta. Hæc omnia in Va
rini lexico legimus. Taurorum epitheta: Aeripedes: Ouid. idest, pedes ære solidos habentes. Agre-
stes differunt à syluestribus, Plinius: Alacres, Claud. Acer, Silio, Arator, Ouidio, Bellator, Statio, *Taurorum*
Corniger apud Ciceronem. Eximij præstanti corpore tauri, Virg. Iners, Statio. Ingens, Virgil. Ma- *epitheta.*
cer, eidem, & Nitens, Toruus, Ouid. & trux, eidem, & validus: & apud Græcos. πρηῦτένοντες, ἀροτρευ-
τῆρες ἀρώρης, ταλεεργοί, ὑψαύχενες ἤγουν ὑπερήφανοι: ἐρίμυκος, ἐρίγμηλος, κραταίπους, Pindaro: αἰ-
θωνες, κρατεροί, μεγαλήτορες, εὐρυμέτωποι, Ἄγραυλοι, σθεναροί, κερεαλκέες, ἀγριότυμοι, Μοκηταὶ,
βλοσυροί, ζηλήμονες, εὐρογένειοι. Quæ omnia licet ab Oppiano Syrijs priuatim tribuantur, de om *Vituli epi-*
ni tamen etiam genere taurorum dici possunt. Idem taurum vocat armenti κεραὸν μέγαν ἡγεμονῆα, *theta.*
& πόσιν ἀγελάοντα. Vituli epitheta. Ferox, Templis maturus, Iuuenali: Imbelles, Statio, la-
ctentes, Ouidio. Tener, Horat. Apud Græcos, ἀπαλὸς, νεαλὴς, Nicandro, ἄγραυλοι πόριες
Homero.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

VSVS IN CIBIS.

PRÆTER partes eſui aptas in hoc bubulo genere, etiam habemus ipſum lac, & ex hoc caſeum & butyrum. Partes quibus communiter veſcimur, ſunt caro, cerebrum, lingua, cor, iecur, lien, renes, omaſum, inteſtina, pedes, & medulla. Carnis præcipuus vſus eſt: & quamuis ſuperſtitioſè Aegyptij vaccina abſtinerent, taurina autem veſcerentur, illa tamen ſeu potius bubula apud omnes alias nationes erat nō ſolum prælata, ſed taurinam tanquam omnino abominandam non attingebant. Romanos ſuprà annotauimus taurios ludos dijs inferis inſtituiſſe, & prohibuiſſe, ne amplius venderetur caro iſtiuſmodi, quod ex eius eſu peſtilentia in grauidas mulieres regnante Tarquinio ſuperbo incidiſſet. Plautus, cum bubulam dicit abſolutè, ſubauditur caro. *Agninam caram, caram bubulam*: Et Varinò βούβελα eſt κρέα βόεια, caro bubula: Pollux verò βοεικὸν κρέας dixit eandem carnem, vt ſuillam ὑεικόν; rectiùs tamen βόειον dicamus, & ὕειον. Nunc planè plebeia eſt, olim etiam heroibus appoſita, vt in exordio operis demonſtratum eſt. Cuius rei rationem reddit Athenæus. Apud Homerum (inquit) inſignis eſt heroum vita. Nam cùm frugalitatem in iuuenibus virtutem eſſe primariam conuenientiſſimamque perſpiceret, & quæ maximè illam ætatem deceat, eandem præterea, quæ honeſta & bona ſunt omnia ſuppeditare, huius amorem illorum animis volens inſerere & principio ſtatim, & rurſum deinceps, vt omni conatu, & ſtudio ad res præclaras contenderent, & ſua cōmunicantes mutuis ſe beneficijs iuuarent, victum omnibus, paucis contectum & paratu facilem fuiſſe monſtrat, nimirum hoc reputans, voluptatum ac cupiditatum vim maximam circa potum & cibum verſari: qui verò à frugalitate nunquam recedunt, eos moderatos & in reliquis officijs vitæ continentes futuros. Itaque victum omnibus ſimplicem tribuit, eundemque regibus pariter ac priuatis iuuenibus, ſenibus, nempè carnes aſſas, eaſdemque vt plurimum bubulas, & diebus feſtis, & in nuptijs, & alio quouis heroum conuictu: non autem candylem, thria, ametas, & quæ melle parantur dulciaria, regibus ſeparatim exhibet, ſed ea promiſcuè, quorum vſu valerent & corpore & animo. Aiacem igitur poſt certamen cum Hectore ſuſceptum boum tergoribus Agamemnon, honorario ſcilicet præmio donat: idem Neſtori iam ætate prouecto ac Phœnici carnem aſſam dat: Alcinoum, quamuis delicatiori vitæ & voluptatibus addictum, bubula quoque veſci poeta narrat, abſterrens nos videlicet ab effræni cupiditate. Quin & Menelaus, cùm filiorum ſuorum nuptias celebrat, Telamacho bouis terga iuſſit apponi,

In Aulularia.

Lib. 1.

Bubula cur heroibus apposita.

Cibus antiquorum.

Aſſa, quæ honoris cauſa miniſtri attulere, &c.

Aeneid. 8.

Didicit hanc frugalitatem ab Homero ſuo Virgilius, vt neque varios neque conditos cibos, neque alias quàm bubulas eaſque aſſas & in ſacrificio ſolemni & Aeneæ hoſpiti apponeret:

Tum lecti iuuenes certatim, aræque ſacerdos
Viſcera tota ferunt taurorum, onerantq; caniſtris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque miniſtrant.
Veſcitur Aeneas ſimul & Troiana iuuentus
Perpetui tergo bouis, & luſtratibus extis.

Lib. 24. cap. 40.

Perpetui tergo bouis, quod eſt, (inquit Turnebus) totius bouis quàm longus erat. In quo tamen *perpetui*, pro perpetuo dixiſſe videri poteſt cuipiā, cùm præſertim Homerus dixerit νώτοισι διηνεκέεσσι, id eſt, *ſolidis, longis, porrectis, totis*. locus Homeri quem Virgilius imitatus eſt, in Odyſſea ξ. & Iliad. η.

Νώτοισι δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γεραίρει.

Quem verſum interpretum alius aliter transfert. Valla, *ſumptis bouis cum tergore carnibus, Aiacem donat honoris gratia*. Iuſtopolitanus, *doniſque Aiacem magnis honorauit*: niſi deprauatum eſt ſcriptum (inquit Iacobus Pontanus) indiligentia librarij, & ſuppoſitum donis, pro dorſis: Caſtalio, *tergoribus verò Aiacem longis*. Cæterùm vt clariſſimè uterque poeta intelligatur, addam exactam declarationem ex eodem Turnebo, qui alicubi more Græcorum declarato, cuius & Iliade Homeri eſt mentio, in ſacrificijs (inquit) primum hoſtia partem adolebant & exta coquebant, eiſque veſcebantur: deinde ex alijs viſceribus poſtea epulabantur, id quod ex Homero facilè perſpici poteſt, ita ſcribente.

Lib. 7. c. 13

Iliad. A.

Νέοι δὲ παρ' αὐτὸν ἔχον πεμπώβολα χερσί.

Veſcendi veſtimis mos.

Nam quintuplex illud veru craticulæ ſimile tenebant, exta torrentes. Sequitur enim.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μηρ' ἐκάη, καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο.

quo

A quo quidem ſignificat, exta tum cocta fuiſſe & comeſa eſſe, cùm coxæ decorum aris vrebantur. Reliqua poſtea viſcera aſſabant ad reſiduam dapem. Homerus:

Μίϛυλλον τ᾽ ἄρα τ᾽ ἄλλα, καὶ ἀμφ᾽ ὀβελοῖσιν ἔπειραν.

In Herculis ſacro Liuius idẽ declarat à Romanis fieri ſolitũ, cui Græca res diuina fiebat, his verbis; *Lib. 11.* *Fortè ita euenit, vt Potitij ad tempus præſto eſſent, ijſq; exta apponerentur, Pinarij extis adeſis ad cæteram venirent dapem.* Hæc tamen Maro de eodẽ Herculis ſacro loquens confudit, non tã, vt reor, voluntate, quàm carminis lege, qua coacti interdum poetæ, res & tempora nõ ſatis diſtinguunt. Cùm autẽ extorum Maro mentionẽ fecit, hoc ipſo participes ſacrificij intellexit & ſignificauit. *Quibus exta victimarũ prohibita.* Nam qui à ſacris arcebantur, ijs de extis guſtare nefas erat, vt homicidis. Ariſtophanes: Οὐκ ἐϛὶν ὅπως οὐχὶ τεθνεῶσι, κἄν χρὴ σπλάγχνων μὲ ἀπέχεσθαι. Sed cur luſtralia appellauit Maro? Vtrumnè quòd pinguia? cum peracto luſtro Cenſores, opimas & pingues, eximiaſque victimas immolarent? An verò quòd de quinquennali eſſent boue? *Exta luſtralia quæ.* Ego has interpretationes exquiſitiores, quàm veriores crediderim, ac luſtralia dicta putauerim, vel quòd primus Hercules poſt Caci cædem ad aram maximam, facto ſacro ſe purgauerit & luſtrauerit: vel potiùs, quòd cùm omnia nos ſacra luſtrent & ſe purgent, B extorum eſu id maximè conſequimur, & ſacrificiorum participes ſumus, à quibus impij arcentur. Itaque ſolemnia omnia exta eam vim habere putabantur: quæ autem hic luſtralia exta Maro dicit, Liuius ſolemnia nominat, ob ſolemne ſacrificium. Tantum Turnebus. Fuiſſe autem carnes de tergo victimæ immolatæ in maximo honore, neque proponi conſueuiſſe eas, niſi principibus & excellentibus viris, teſtatur Euſtathius: *Caro tergoris victimarum quibus propoſita.* νωτιαῖα κρέα παρατίθεσθαι ἔοικε τοῖς ἐν ὑπεροχῇ, καὶ ἡρόδοτος βεβαιοῖ ἐν γέρα. εἶναι τοῖς βασιλεῦσι σπάρτῃ, καὶ τοὺς θυομένων τὰ δέρματα, καὶ τὰ νῶτα λαμβάνειν, καὶ πρωτοὺς ἵζειν ἐν τῷ δείπνῳ, καὶ διπλάσια νέμειν αὐτοῖς τὰ πάντα. Magnos autem viros bubulæ eſu delectatos fuiſſe, ſpretis alijs gulæ cupedijs, Lyſandri Spartiatæ exemplo etiam oſtendit Aelianus; *Lib. 3. Var. cap. 20.* Cui videlicet in Ioniam proficiſcenti hoſpites, quos habebat in Ionia, cùm alijs multis etiam bouem & placentam dono miſerunt: ſed is placentam contemplatus, rogabat, quid nam illud cupediarum eſſet: cui *Lyſandri continentia.* cùm is qui attulerat, reſponderet, ex melle, caſeo, alijſque quibuſdam confectam eſſe: hoc (inquit Lyſander) ijs date, qui nouerunt: non enim hic eſt liberi & ingenui hominis cibus: bouem verò patrio ritu mactandum apparandumque curauit, & cum voluptate comedit. *Herculis.* Hercules apud Eubolum, vt Athenæus recitat, olera delicatiora, qualia ab Apitianæ ſectæ hominibus expeti ſolent, cuC iuſmodi erat in primis laſerpitij caulis, quæque Venerem ſtimulant, vt bulbus, recuſans, ait velle ſe ſatiari cibis, quibus vires roborantur, quique ad bonam valetudinem conducunt, qualis (inquit) eſt caro bubula elixa. Idem Athenæus & ex eo Cælius alijque, tradunt rem ſcitu non indignam, *Lib. 1.* ex Pythagoræ inſtituto propagatam, videlicet Empedoclem quòd animatis ex præſcripto, vt pote Pythagoricus abſtineret, cùm aliquando Olympia equis viciſſet, ex myrrha, thure, aromatibuſque alijs bouem concinnaſſe, *Empedoclis bos fictus.* eumque ad panagyrim conuenientibus diſtribuiſſe, quaſi, vt ego conijcio, ſignificare vellet, niſi animatis abſtineret, non alia quàm bubula carne ſe oblectandum iri. Id etiam parœmiæ quadam imagine (inquit Cælius) vſurpari à nobis poteſt, in ijs quæ ſaccharo paſſim cooptari conformarique animaduertimus. Inuenio etiamnum in regno Senega non alia quàm bubula carne incolas veſci. Apud Hebræos bos quoque lege Moſaica ſacrificijs & cibo erat conceſſus, quoniam ruminat, & vngulam habet bifidam. *Lib. 19. c. 7.* Bouem occidendi morem oſtendit Homerus: *Occidendi modus.*

D
Ὡς δ᾽ ὅταν ὀξὺν ἔχων πέλεκυν αἰζήϊος ἀνὴρ,
Κόψας ἐξόπιθεν κεράων βοὸς ἀγραύλοιο,
Ἴνα τάμῃ διὰ πᾶσαν, ὁ δὲ προθορὼν ἐρίπῃσιν.
Ὣς ἄρ᾽ ὅγε προθορὼν πέσεν ὕπτιος: idest,
Quemadmodum verò quando acutam habens ſecurim iuuenis vir
Cedens poſt cornua bouis agreſtis
Neruum incidat totum, hic verò proſiliens cadit:
Ita hic proſiliens cecidit ſupinus.

Nunc verò multis in locis malleus obtuſus inter cornua adigitur; quem morem antiquum quoque eſſe Virgilius indicare videtur ſub perſona Entelli, qui taurum certaminis quo vicerat, præmium, & qui, vt ipſe canit, *Aeneid. 5.*

Donum aſtabat pugnæ, duroſque reducta
Librauit dextra media inter cornua cæſtus,
Arduus; effractoque eliſit in oſſa cerebro.
Sternitur, exanimiſque tremens procumbit humi bos.

Prometheus autem teſte Plinio primus bouem occidit. *Lib. 7. c. 36.* Idem teſtatur Porphyrius: Veteres inconuiuijs lautis magnificiſque integros quoque boues appoſuiſſe teſtis inter alios eſt Ariſtophanes, in

Bb Achar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Boues integri appoſiti. Acharnenſibus: Παρετίθει δὲ ἡμῖν ὅλϐς ἐκ κριβάνϐ βϐς. Καὶ τίς εἶδεν πώποτε βϐς κριβανίτας. ideſt, *deinde nobis præbuit è clibano totos boues, & quis rogo, conſpexit vnquam clibano coctos boues?* Antipha-
Lib. 4. nes apud Athenæum facit quendam quærentem de frugalitate Græcorum, qui paullulum carnium
apponerent, cùm maiores (inquit) ſoleant totos boues, ceruos & arietes apponere. Quin & regi Per-
ſarum coquus, totum camelũ aſſum atq; etiamnũ calidũ appoſuit. Idem in eodem libro tradidit ex
Herodoto, apud Perſas diebus natalitijs fuiſſe morem, vt diuites bouẽ, aſinũ, equũ & camelũ appo-
Lib. 1. obſer. c. 60. nerẽt totos in clibano aut camino coctos. Refert Bellonius Turcas cùm in Aſia minore ſiue Natolia
puer aliquis circũciditur, cuius parentes re mediocriter lauta ſunt, integrũ bouẽ; immiſſo in eius al-
uum integro veruece, qui gallinã, cui ouum inſertũ ſit, etiã in aluo contineat, craſſa ſude infigere ſo-
lere & luculento magnoq; igne afflare, qui à pueri ſanguine iunctis abſumatur. Qui mos Turcarum
etiam antiquis eſt celeberrimus, ſed porcum, non bouẽ Troianũ vocant, quaſi alijs incluſis animali-
bus grauidũ, vt Troianus ille equus grauidus fuit armatis. Erãt ea animalia, vt eſt apud Athenæũ &
Lib. 9. c. 6. Macrobiũ, turdi aliæq; auiculæ, ſuminis vuluæq; fruſta, aliaq; cõplura. Cincius in ſuaſione legis Fã-
Lib. 3. c. 3. niæ obijcit ſæculo, quod porcũ Troianũ menſis inferat. Durauit mos torrendi integros boues ad no-
Lib. 1. antiq. conuiual. ſtram vſq; ferè ætatem: Io. Gulielmus Stuckius in deſcriptione epuli Cæſariani, nominatim quodã
Maximiliano II. exhibitum fuit, veteri etiã (inquit) cõſuetudine bos integer, multis alijs animalibus
Epulum Cæſarianum. fartus, ligneo veru in foro torrebatur, ex quo parte alia ad inauguratũ Romanorũ regem, reliquum
direptioni multitudinis ceſſit. Idẽ in Caroli V. coronatione factũ fuiſſe Iouius annotauit: *Is* (inquit)
Lib. 25. *dum Bononiæ coronabatur, è lacubus quæ in ſummo Prætorianæ porticus fornice fuerant fabrefacti, per*
ſiphones rubra & alba vina fundebantur, panes ab alto in ſubiectos milites ſpargebantur, torrebaturq;
in machina verſatili bos integer, ingens, hœdis, veruecibus ac omni ferè volucrum genere fartiſſimus,
vt in tanta feſta hilaritate milites ſub armis in acie ſtãtes, ad manũ paratis obſonijs cũ iucunditate ve-
ſcerentur. Hæc Iouius. Increſcẽte verò apud Romanos luxu quã maximè vileſcere cepit, eſus carnis
bubulę; piſciũ verò in honore haberi, hinc acris illa Catonis peroratio, *bouẽ minus quàm piſcẽ venun-*
dari. Et nunc quoq; plebi, & ijs quorũ robuſtus eſt ventriculus relinquitur: bona tamen pars à ditio-
ribus in coquinam trahitur, nõ vt edatur, ſed quia ius præbet quod vitulino alijſq; præfertur. Vtrum
tamen aſpernãdus ita ſit, vt ſit à noſtris medicis bubulæ eſus in diſputationẽ verti poteſt. Cornelius
Carnis qualitas. Celſus namq;, cuius non exigua inter medicos præcipuę authoritatis eſt authoritas; ex domeſticis
animalibus bubulam plurimi alimenti & ſtomacho aptiſſimi eſſe dicit, & inter ea connumerat, quæ
Lib. 2. de rat. vict. minimè corrumpuntur. E contrà Hippocrates bubulã carnẽ quidem validam eſſe teſtatur, ſiſtereq;
ſed difficulter cõcoqui, quoniã craſſi & multi ſanguinis (inquit) eſt hoc animal, caroq; lac & ſanguis
„ grauis eſt. Quorũ lac tenue, ſic & ſanguis & caro. Idẽ in eodẽ volumine Cholerã ſiccã maximè fieri
„ ait ex carnis bubulæ eſu: atrabiliariaſq; affectiones inde exacerbari: eſſe enim inſuperabilẽ eius natu-
Hippocrates explicatur. „ rã, & non cuiuſuis ventriculi ipſas cõcoquere: Addit verò mox: At optimè liberabũtur, qui per elixis
„ vtentur, & perquã vetuſtis: vbi tamẽ Galenus hanc appendit obſeruationem: Hæc ſermonis (inquit)
„ textura, vniuerſaliorẽ habet admonitionẽ nõ in melãcholicis. Nã bubulis carnibus & perlixis & ve-
„ tuſtis vti pręſtat, ſicut & alijs omnibus, quę difficulter cõcoquuntur. At improprię voce hac βέλιστα,
„ ideſt, optimè, eſt vſus. Neq; enim melancholico laborãtes morbo, neq; homo alius quiſpiã vel ſanus
„ vel æger, optimè liberatur, bubulas carnes & perelixas & vetuſtas ingerẽs, Nẽpe inter oĩa quę edun-
„ tur, hæ non bonã pręſtant alimoniã: bene tamen talia ingerentes cæteris minus lædũtur. Si verò pro
„ voce hac βέλιστα dixeris ἥκιστα, ideſt, minimè, ſermonem reddes integrum. Idem etiam Hippocrates
„ in volumine de internis affectibus de hepatico quodam morbo agens: dolores quidem (inquit) eodẽ
„ modo premunt in hepar & color differt à priore: malicorij enim formã habet. In tempore verò æſta-
„ tis maximè incidit. Fit autẽ à bubulæ carnis eſu & vini potu nimio. Hęc enim omnia iſto anni tẽpo-
Lib. de attenu. victu. „ re hepati ſunt infenſiſſima, & bilẽ maximè ad hepar adducunt. Galenus ait: Hirci & boues carnem
„ quidẽ habent minimè humidã, pituitoſam ac lentam, nocent tamẽ admodũ ob duritiẽ & in alteran-
„ do difficultatem. Idem aliàs, carnes bubulę (inquit) alimentũ corpori ſuggerunt non mediocre, neq;
3. de Alim. 1. „ diſſipatu facilè; ſanguinẽ tamen generant, quàm conueniat, craſſiorem. Quod ſi quis temperamento
„ naturali melancholicus magis fuerit, affectu aliquo melancholico præhendetur, ſi largius his ve-
Affectus melancholici. „ ſcatur. Affectus autem melancholici ſunt cancer, elephas, ſcabies, lepra, febris quartana, & quæ pe-
„ culiari nomine melancholia nominatur. Lien item quibuſdam à tali ſucco intumuit, quam rem
„ cachexia, ideſt, prauus habitus, & hydropes ſæpenumerò ſunt ſubſecuti. Cæterùm quantum
„ carnes bubulæ totius ſuæ ſubſtantiæ craſſitie ſuillam ſuperant, tanto ſuillæ bubulas lentore antece-
„ dunt. Porro quemadmodum ex ſuibus, qui ætate ſunt florenti, ijs iuuenibus qui bono corporis
„ ſunt habitu, conueniunt, ſic & boum qui nondum florentem ætatem attigerunt. Bos enim tem-
„ peramento quàm ſus, multò ſicciore, quemadmodum & vir ætate florens, quàm puer. Iure
„ igitur ijs animalibus, quæ natura temperamento ſunt ſicciore, adoleſcens ætas ad mediocri-
tatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tatem ipsam cõfert: humidiorũ verò natura, quod sibi ad probam & conuenientẽ temperiem deest, ab ætate florenti adsumit. Non modò itaq; vituli carnes habent ad conficiendum perfectis bubus præstantiores, sed etiam hœdi capris. Et paulò post: Animalia quæ herbas è terra emergentes, aut arborum surculos aut germina depascuntur; ea omnia cùm his abundant, habitiora sunt ac pinguia, nobisq; alendis accõmodatiora. Quamobrẽ illa quibus herbas densiores pasci est naturale, hyeme, vere primo & medio fiũt graciliora, ac praui succi; vt boues, qui procedente tẽpore manifestò fiunt obesiores, succiq; melioris, cùm herbę augentur & densescunt, & ad semen producendum festinant. Quæ verò exigua & gracili herba nutriri queunt, ea primo ac medio vere præstãt vt oues, æstate prima ac medio capræ, cùm fruticum germina sunt frequentissima. Et rursus eodem libro: Caro leporũ sanguinem quidem gignit crassiorẽ, sed melioris succi, quàm bubula & ouilla. Item in aphorismos: *Lib. 2. aph. 18.*
Caro bubula tardius, & paulatim alit, Isaac & ex eo fortè Platina inquiunt: frigidæ & siccæ naturæ hæc caro est, impurũ & atrabiliarium præstat alimentum, & morbos eiusdẽ humoris alumnos creat, quartanas, scabiem, lepram, splenis vitia & hydropem, in illis pręsertim, quorũ temperiem istis affectibus aptam inuenerit: tardè à ventriculo descendit, & aluum sistit. Quia aut frigidæ & siccæ temB peraturæ est, ideo Hesiodus eam calidissimo anni tempore pręscribit agricolis, sed ne siccitas sicco tempore perniciẽ adferat, non quamlibet, sed bouis nondum enixæ, quę humiditate adhuc abũdat:

Ἀλλὰ τότ᾽ ἤδη
Εἰη πετραίη τε σκιὴ καὶ βίβλινος οἶνος
Μᾶζα τ᾽ ἀμολγαίη, γάλα τ᾽ αἰγῶν σβεννυμενάων.
Καὶ βοὸς ὑλοφάγοιο κρέας μήπω τετοκυίης, idest,
Sed tunc iam (ardente nempe Sirio)
Sit petrosaque vmbra, & Biblinum vinum
Libumque lacteum, lacque caprarum non amplius lactantium,
Et bouis arboriuoræ caro nondum enixæ.

Cæterùm caro isthæc, vt Symeon Sethi ait, multum nutrit, & qui ab ea gignitur sanguis supra mensuram crassior est, propterea his qui temperamento sunt melancholico, diuersos & melancholicos morbos infert. Difficulter etiam concoquitur & redditur, sed si cõcoquatur, abundè & probè nutrit, & si cum ouilla carne comparetur, frigida est, sanguinemque melancholicum gignit. De nutrimenC ti eius copia dictum perquam elegans facetumq; apud Plutarchum est Euphranoris pictoris, Theseum a se pictum, Parrhasij Theseo comparantis, hunc videlicet rosas comedisse, à se pictum bubulas carnes. Reuera enim Parrhasij erat pictus effectusque nitidè, & similis nonnihil alterius; sed Euphranoris (inquit Plutarchus) videns aliquis, non inscitè diceret, *Euphranoris pictoris dictum.*

Ad ciues ingenti pectore prædito Erechthei
Quem Ioue nata Minerua aluit. *Iliad. β.*

Si quis modò bubulam comedere expetat, vel cogatur, eius lęsionem quę futura timetur, sic moderari iubet Symeon Sethi. Cũ aceto, allijs & ruta intingat. Nos vulgò intingimus, embammate facto ex petroselino, iure, pane, aceto, sapauè prout tempus anni postulat. Crebrò etiã ex condimento editur, quod iure, pipere & sapa paratur, piperatum vocatur lautioribus. Belgę ex sinapi intinctu. Platina ait elixã debere esse tum hanc, tũ & vaccinam. Diximus ex Plinio caules caprifici si addãtur magno ligni cõpendio eam percoquere. Apicius ita parat: *In vitulinã siue bubulam cum porris succedaneis vel cepis, vel colocasiis: liquamen, piper, laser & olei modicũ.* Belgę, ac potissimum Bataui & Frisij, *Ne bubula noceat.*
D vicinią; alij boues in frusta dissectos (quod fit mense potissimũ octobri & nouẽbri sale macerant, salsamentisq; istis toto ferè anno vescuntur, partem tamen etiam fumo torrent, palato gratissimã & in cupedijs habitam. Salsamẽtis eisdem vesci etiam Heluetios Gesnerus his verbis indicat. Qui bubulam carnem apud nos sale condiunt (quod ferè idibus Octobris, vel circa festũ D. Galli primum faciunt, & deinceps per hyemem tantũ) in plenilunio incipiendũ censent: sic enim maiorẽ vegetioremq; carnẽ permansurã: vt magis sapidã, si sub interlunium saliatur. Si diutius seruari velint (seruant autẽ multi integro anno) per dies circiter viginti in vase salitã relinquunt, ac infumandum postea in Camino suspendunt, vbi donec benè siccetur, dies plus minus duodecim relinquitur, prout altius aut humilius pependit, & plus minusuè ignis ac fumi passa est. Vbi primũ suspensa est, accensis iuniperi ramis & mox extinctis pleriq; fumigant. Nonnulli carnis colorem commendari putant, & rubescere magis, si aridis vrticæ fascibus suffiatur. Qui seruare nolunt, vno die cum sale relictam suspendunt, & mox post vnum & alterum diem elixant: sic enim plerisque tenerescere, ac in cibo sapidior fieri videtur. Antequam suspendatur, quæ diutius in vase salita fuit, muria sua, quę ex sale & carnis succo confluxit, diligenter abluunt: sunt qui frigida lauare malint. Optima quæ de iuuencis aut vitulis sumitur, vetulorum nimis dura & ingrata, certè difficillima concoctu fit, cùm fustis instar durescat. Hoc etiam obseruari solet, vt caro saliẹnda iuxta fornacem pius exposita aliquan- *Sale condita & fumo indurata qui vescantur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

diu incaleſcat: inde ſalita opertaq; in vaſe in penus collocatur. Carnes oſsibus adiunctæ cæteris ſu- E
perponuntur, vt ad uſum ſubinde auferantur: ſeruatæ enim deteriores fiunt. Hactenus Geſnerus.
Lib. 13. c. 8.
Improbat iſtiuſmodi carnem Bruyerinus Gallus in opere ſuo nunquam ſatis laudato de re cibaria: In amplis (inquit) familijs boues mares fœminæque ſale condiuntur ad cibaria annua famulorum operarumque, ſed ij non admodum pingueſcunt; deinde eximitur muria & penſilis ſeruatur: quæ adeo induratur, vt poſtea pertinaciſſimè coctura domctur, guſtatuque ſuauitatem nullam refert. Breſillum noſtrates cognominant; credo, à ſimilitudine illius ligni duri & rubentis, quod ex inſulis, Breſillis dictis, inuehitur ad nos: rubet enim quodammodo bubula penſilis diſſecta, inſignirerq; dura. Eximij potores acerrimum ſitis ſtimulum eſſe prædicant, æquè ac pernas ſuillas: parcius tamē attingendam eſſe præmonemus: quippe parum aut nihil alit, viuitq; diutiſſimè in ſtomacho, ac difficillimè perficitur, & confecta, peſſimū ſuccum præbet. Non negarim appetentiam quandoq; eius momento aſſumpro recreari, præſertim in ſenioribus & vini auidioribus. Elixa repoſita, in taleolas aut fruſtella conſciſſa ex aceto, apio inſperſo in commeſſationibus meridianis gratiſsimè manditur.

1. Prob. 52. & 2. 17.
Cur quidam dura concoquant.
Quærit Alexander Aphrodiſienſis: quam ob cauſam plerique cibos craſſos atque difficiles concoquere faciliùs poſſunt, vt carnes bubulas; faciles & ſucci cōpotes laudabilis, vt piſces ſaxatiles, ægrè F concoquunt? Rationē (inquit) alij ad conſuetudinem referunt; alij ad habitum quendam naturalem ingenio humano inexplicabilem: alij ventris calore immodico cibos concoctu faciles vltra modum pro ſua facilitate concoqui, atq; perfringi corrumpiq; cenſent: difficile verò & quod modicè immu-
„ tatur, concoqui tantū, non prætere quicquā vitiari. Nam & paleæ quoniam perquā facilè afficiun-
„ tur, in cinerem vertuntur ab igne largo & rapido, quod ligno querno accidere non poteſt. Materiam
„ enim patientem cauſæ reſpondere efficienti cōuenit; aliter fieri nō poteſt, vt effectus is prodeat, quē
„ vel natura, vel hominis ingeniū ſpectat. Tantū Alexander. Vide etiam Galenū in libro de conſuetu-

Aetas obſeruanda.
dine capite primo & ſecūdo. Eſt verò ætas in bubula carne omnino obſeruāda. Varro boues caſtrari vult ante bimatū, nec poſtea, quia duri ſunt. Horū caro, quoniā nondū laboribus fracti ſunt, medięq; ſunt ætatis, vtilior cenſetur: raro tamen macellum intrant niſi crure fracto, aut alia cauſa inutiles ad agriculturā facti fuerint. Robur in quimatu eſſe, prudentiſſimos rerum naturę tradere, viuereque ad quindecim annos, & ad viginti longiſsimè, atq; etiam plus viuere vſu exercitij & copia pabuli diximus; quare quo iuniores eò meliores eſſe & coctu faciliores, ratio dictat; ſed lanij qui ad cultrū boues emunt, non ſolent ea cōſiderare, ſed vt pingues tantū ſint & habitiori corpore; nam ætatē parùm G aut nihil morantur, cùm bene norint, vetulos potius, quàm iuuenes ſaginę aptos. Similiter de vaccis ſtatuendum; quę enim iam incipiunt parere, haud iugulantur, maius enim inde detrimentū ſentiretur, quàm vtilitas, quare vetulæ etiā ſolent ad laniū peruenire, quando aut ſenectute ſterileſcunt, aut alia de cauſa inutiles fiunt; verùm pauperum tantùm menſas aut ſordidorū ſubire debeant, & ad cibos elegantiores damnari, quoniam bubula inſalubrior multò earum caro eſt, magiſq; atræ bilis fecunda & craſsi ſanguinis, vnde fit quod lanij ſimul cum bubula permixtā venundent. Apud Gallos teſte Bruyerino nonnunquā lanij boues ad oſtentandum altilis ſaginę molē, per vrbium cōpita floribus herbarū ornatos circumferunt, etiam (ſi dijs placet) præeunte tibicine. Additq; ſe vidiſſe ex ijs, quos Auerni mittunt, tam inſigni obeſitate graues, vt non niſi plauſtro impoſitos, qui emerant, alio transferre poſſent.

Morboſos boues vbi mactare vetitum.
Morboſos boues præcipuis in vrbibus mactare lege cautū eſt. Qui contrà faciunt, deprehenſos mulcta graui mulctari: cognoſci morboſos quando fœno aut pabulo obiecto abſtinent; id euerare Heduis appellari, quaſi verum elicere. Quare minus laudāda noſtræ vrbis lex, quæ crure rupto boues, vel aliter ita læſos, vt pedibus ad macellum venire nequeant, aliàs ſaluberrimos, vendi H in macello vetat, macie cōtrà ſenioq; adeo confectos admittit, vt vix in pedes conſiſtere queant, nec valetudinis vllam habet rationem; illud tantum quęritur, vt pede iter ad macellum vſque perficiat: quamobrē haud dubitandū eſt, quin magnæ ſæpe populo clades accidāt. Vitiata enim caro vitiatos humores ſpirituſq; generat, & cùm bubula aliàs parum, vt oſtenſum eſt, ſit vtilis veſcentibus, tū præſertim incommodiſsima cenſeri debet. Bubulæ ac vaccinæ carni vitulina temperamēto opponitur.

Caro vitulina.
Lib. de cib. bon. & mal. ſuc.
In omni animalium genere (inquit Galenus) carnes vetulorum duræ, ſiccæ & cōcoctu difficiles ſunt: iuniorum contra, humidæ & molles, atq; idcirco commodius concoquuntur: his tamē exceptis, quæ vbi in lucem editæ ſunt, protinus in cibo ſumuntur: namque omnes huiuſmodi muccoſæ ſunt, & præcipuè quæ ſuapte natura humidiore ſint carne, vt agni & ſues: verū hœdi & vituli, vt qui natura ſunt ſicciores, multò melius concoquuntur nutriuntq;. Petrus Creſcentienſis, vitulos vaccarū illarū, quas lactis tantùm & caſei cauſa nutrimus, quindecim a partu diebus elapſis occidēdos eſſe monet, aitq; carnes eorum temperatas eſſe, & faciles concoctu ſalubrioreſque illis qui vitam ducunt ocioſam. Hanc itaque menſæ nobilium non iniuria crebro (inquit Platina) repetunt: & Baptiſta Fiera canit:

Aſſiduos habeant vitulos tua prandia in vſus,
Cui madida & ſapida iuncta tepore caro eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Nostri territorij rustici vix ante trigesimum ętatis diem matribus eripiunt, Trentinos vulgus laniorum vocat. Bruyerinus tradit in multis Galliarum tractibus mensem vnum & aliquando eo minus natos, aut sesquimensem lanijs tradi, testaturq; Romanos, aliorumq; Italorum permultos, semestri aut etiam anno toto à lacte eos nô depellere; cauereq; vt expertes herbarum, aliorumq; pabulorum id temporis degant: Sic enim & iucundiores, pretiosiores & salubriores ipsorum carnes fieri, persuasissimom habere: proinde Pontificias & Cardinalitias mensas lautissimas existimare, si vitulina apponatur: Galliarum proceres sic educare etiam tentasse, & eo cibo mirè delectatum Frācíscum Galliarum regem; huius nominis primum se vidisse: Cæterùm vitulinam carnem in splendidis vrbibus esse quidem vulgatissimi cibi, sed quę tamen facilè primas teneat inter grandiorum animalium carnes, siue elixetur, siue assetur; ruraque ita rem suam dispensare, vt nullo non tempore supersint; indeque sanè grande vectigal percipere. Mirum itaq; cur nostri rustici non similiter res suas disponant. Rara enim apud nos hyberno tempore ista caro est. Olim verò etiam oportunis locis saginabantur vituli, atque ad conuiuia paranda suauiores fiebant; erantque apud Hebræos in præcipuo honore. *Vituli saginati.* Pullum Gallinaceum, gallinamuè, hœdum aut arietem occidere (inquit Fr. Didacus Stella) solem-

B ne festum non faciebat: erat enim nimis tritum & vulgare: verùm vitulum occidere, pręsertim paschalem & saginatum apud Iudæos solemnissimum erat, quod in pascha illi, alijsque diebus festis maximis faciebant. Sic Abraham, cùm vidit illos tres angelos, vt eos lautiùs & opulentius hospitio exciperet, gregem adijt, & occidit vitulum tenerrimum. Idem mulier illa fecit pythonissa, quæ cùm regem Saulem domi susciperet, quod se tanto honore affectam videret, paschalem vitulum occidit. (Similiter pater perdito filio vitulum saginatum mactari & apponi curauit,) Hi enim vituli, ita molliter educati & in delicijs habiti, apud Iudæos non nisi solennissimis festiuitatibus mactabātur. Quare nihil aliud Christus Dominus voluit significare per hunc vitulum saginatum (quem cum peccatoribus murmurantibus Pharasæis, comedisse apud Lucam legitur) symphoniam & chorum, nisi quantum perciperet gaudium cum peccatoribus discumbens & manducans quod summam festiuitatem, summamque lætitiam & voluptatem, indicabat. Vt autem exaggeraret huius festiuitatis pretium & valorem, posuit vitulum saginatum & chorum, summaque alacritate dixit, manducemus & epulemur. Hactenus Stella. *Exarrat. in cap. 15. Lucæ.* Donatus Antonius Ferrus medicus & Philosophus Triuica-

C nus in enchiridio suo de podagra, de vitulinæ carnis bonitate hæc exarauit: *Tract. 3.* Vituli præsertim lactentes apprimè laudantur, cùm temperatæ sint complexionis, & propterea quocunque anni tempore comedi possunt. Verùm à partu tribus quatuoruè mensibus remoti sint, atque annum vnum non diù transeuntes, velut qui Surrentini nuncupantur: sunt enim gustui grati, optimi succi, ac facilis concoctionis, bonum generant sanguinem, ac temperatissimum nutrimentum. Et multi horum carnes hœdinis laudabiliores esse sentiunt, quoniam melioris sunt nutrimenti, cùm in hędinis quædam fit mucilago, quando decoquuntur. Et hoc est quod asserebat Auerroes, *Collect. 5.* *Et carnes vitulinæ sunt bonæ carnes, propterea quia non habent illam viscositatem, frigiditatem siccitatemque quàm bubulæ tenent: & eorum carnes sunt alijs magis odoriferæ, & quantum est in hoc hædinis meliores existunt.* Et hinc solui potest controuersia, quæ inter medicinæ authores in carnium electione reperitur: *Hædina an vitulina caro præstet.* Quam plurimi enim hœdinas extollunt, & ipsæ quidem sunt præstantiores alijs, si ex parte facilioris digestionis ac temperatæ complexionis considerentur: meliores porrò generant humores: si verò ex parte minoris viscositatis, ac melioris odoris earum, sic vitulinæ laudabiliores existunt: si denique ex parte maioris, robustioris ac irresolubilioris nutrimenti suillæ carnes cæteris sunt meliores. Hucusq; ille. Platina ait: *Lib. 6.* Elixum debet esse vituli pectus; dorsum tamen seu spinam malis appellare, assatu-

D ram requirit. (coqui nostri dorsum, vitello da rosto, hoc est assationi aptum, cęteram carnem, vitello da lesso, idest aptam elixationi vocant) coxas eiusdam in pulpamentum rediges. Qui varios eius apparatus petit, Bartholomæi Scappi Pij V. coqui primum & secundum de arte coquendi adeat. *Apparatus. Lib. 8. c. 5.* Apicius vitulinæ carnis varios etiam, sed quàm breuissimè apparatus pręscribit, quare verba eius recitabo: *Piper, ligusticum, apij semen, cuminum, origanum, cepam siccam, vuam passam: mel, acetum, vinum, liquamen, oleum, defrutum. In vitulinam siue bubulam cum porri succedaneis, vel cepis, vel colocasijs, liquamen, piper, laser & olei modicum. In vitulinam elixam: Teres piper, ligusticum, careum, apij semen: suffundes mel, acetum, liquamen, oleum: calefacies, amylo obligas & carnem perfundes. Aliter in vitulina elixa: Piper, ligusticum, fœniculi semen; origanum, nucleos, caryotam: mel, acetum, liquamen, sinapi, & oleum.* Apud nos elixatur, vt reliquorum pecorum caro: Gesnerus tradit, quosdam, vt appetitui consulant excitando, eodem ferè coquere modo quo pisces: in aqua (inquit) prius eliant despumantque & saliunt (parciùs autem saliri ea conuenit, in quibus ius magna ex parte ferendo consumi debet,) & cùm semicocta videtur, vinum affundunt, deinde cepas per transuersum concisas, postremò cum parum iuris iam superest, butyrum feruefactum, aliqui butyro in sartagine ... arinæ aliquid addunt, & aceti modicum, & croceum ex aromatibus pollinem, ipsasque cepas. De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

carne vitulina ſalienda paulò antè etiam ex eodem dixi:relinquitur autem,vt ipſe aliàs tradit, cum
Lib.8.c 36. ſale in vaſis ferè non vltra diem antequam ſuſpendatur in caminum. Artocreas quomodo paretur
Artocreas. ex carne vituli,&c. Platina docet his verbis: Aut vituli aut hœdi aut capi carnem elixabis,elixam,
& eneruatam, minutatim concides, & in mortario tundes: huic deinde parum caſei recentis, tantundem veteris & triti, parum petroſelini, & amarici,conciſa,oua quinque bene diffracta,abdomen porcinum,aut vber vitulinum conciſum,modicum piperis,pluſculum cinnami,minimum gingiberis,tantum croci,vt colorem concipiat,addes.Curabis coquatur eo modo,quo albam diximus.
Hoc edant Scaurus & Celius,qui nimiam macilentiam cum obeſitate libenter permutarent. Vehementer enim alit,corpus obeſat,hepar iuuat,obſtructionem tamen & calculum facit. Et aliàs. Pa-
Lib.6.c.9. ſtillum ex vitulo, alijſque cicuribus animantibus hunc in modum parat: Cicures (inquit) appello,
Paſtillus. omnia quæ domi aluntur, vt vitulum, capum, gallinam & ſimilia. Ex his paſtillum ſic facies: Carnis macræ quantum voles ſumito,minutatimque gladiolis concidito. Vitulinum adipem cum aromatibus huic carni bene miſceto,inuoluta cruſtillis in furno coquito. Cocta vbi probè fuerint,duo vitella(ſic non ſemel loquitur)ab albore ouorum excreta cum modico agreſte,cumque iure perpingui bene tudicula agitata, in paſtillum infundes.Sunt qui modicum croci ad ſpeciem addant.Fieri & hic paſtillus in patella bene vncta,etiam ſine cruſta poteſt.In hoc & multum alimenti ineſt:tardè concoquitur,pauca recrementa in ſe habet,cor,hepar & renes iuuat,obeſat,& ventrem ciet. Et mox
Cap. 12. ibidem: Paſtillum olla ſic facito. Carnem vitulinam cum adipe minutatim conciſam, in ollam ponito: pipiones, & pullos, ſi voles, adijcito. Ollam ipſam ad carbones longè à flamma,ne concitatè efferueat,ponito. Vbi ebullire cœperit deſpumato:paſſulas deinde imponito.Cepam poſtremò minutatim conciſam, cum larido frigito: frictam in ollam indito. Vbi omnia probè cocta exiſtimaueris, agreſtam & aromata ſuffundito. Sunt qui & duo vitella ouorum bene agitata cum agreſta infundant. Multum alet, tardè concoquetur,nauſeam faciet,ſtomacho nocebit,hepar & renes con-
Lib.6.c.18. calefaciet, ſperma augebit, caput & oculos lædet. Idem: In pulpam vitulinam: Ex coxa vitulina carnem macram abſcindito,in fruſta oblonga & ſubtilia concidito,batuitoque cum gladioli coſta, ita ne reſcindatur; ſtatimq; ſale & feniculo trito ſuffundito;amaricum deinde ac petroſelinum cum larido bene conciſum,& aromatibus ſparſum ſuper pulpas extendito:eaſque ſtatim inuolutas in veru ad ignem ponito: ne deſiccentur, caueto; coctas conuiuis ſtatim appones. Multum alet, corpus
Cap. 19. ſolidum reddet,pauca recrementa relinquet. Idem in pulpam Romanam:Carnem vitulinam in fruſta non maiora ouo ſic concidito, ne alterum ab altero reſcindatur:ſalemque ac coriandrum aut feniculum tritum ſtatim inſpergito: aſperſam, inter duas tabulas aliquantulum opprimito. Veru deinde traiecta cum teſſella laridi, ne ſe contingant, neuè nimium deſiccentur,ad ignem voluito, donec coquantur. Multi hoc eſt & groſſi nutrimenti: tardè etiam concoquitur & aluum aſtringit.
Cap. 20. Et mox ſubinde: Eſitium ex pulpa: Ex coxa vitulina pulpam accipito,eamque vel cum adipe eiuſdem, vel cum larido minutatim concidito: Amaracum & petroſelinum contundito, vitellum oui cum caſeo trito tudicula agitato,aromata inſpergito: corpus vnum facito,ac omnia cum ipſa carne miſceto. In omentum deinde vel porcinum, vel vitulinum teſſulatim inciſum,hoc pulmentum ad
Mortadella. oui magnitudinem inuoluito,ad focum in veru lento igne decoquito. Mortadellam vulgares hoc
Cap. 22. eſitium vocant,quod certè parum incoctum quàm nimium,ſuauius eſt. Tardè ob hanc rem concoquitur,obſtruit, calculum creat, cor tamen & hepar iuuat. Rurſus: Farcimina. Pulpæ vitulinæ atq; adipi ſuillæ benè tunſæ, tritum caſeum tum veterem, tum pinguem, aromata bene tunſa, duo aut tria oua tudicula agitata: ſalis tantum quantum res ipſa requiret, & croci quo crocea ſint, admiſcebis,admixtaque in inteſtinum bene lotum, & perquam tenuatim productum,inijcies. Cocturam in cacabo requirunt. Bona non niſi biduo durant. Seruari tamen in dies quindecim aut plures poterunt, ſi plus ſalis & aromatum addideris, ſiue ad fumum deſiccaueris: Et rurſus; Pulmentarium
Cap. 26. in carbone: Carnem macram ex coxa vitulina in buccellas non nimium ſubtiles conciſam,cultri coſta contundito; ſale deinde & feniculi ſemine bene trito vtrimque aſperſam inter duas tabulas per
Iuuencorum caro. dimidium horæ comprimito. Inde in craticula ad carbones concoquito, in vtramque partem crebrò vertendo, addendoque teſſellas laridi,ne igne inareſcat. Coqui non admodum hoc pulmentarium debet; calidum item conuiuis apponatur, quo magis appetentiam & deſiderium bibendi excitet. Hoc Bibulus vtatur, qui ſitim in ſe demortuam quærit. Non erit modo difficile de iuuencorum & iuuencarum carnibus rectè iudicare, ſi quæ de bubula & vaccina, & vitulina diximus,arctiſſimè memoria tenueris. Certum eſt enim ætate & duritiam & ſiccitatem augeri. Commodiores igitur ſunt, quàm quæ ab adultis & prouectioris ætatis quæruntur; inferiores verò authoritate, vitulinis. Bruyerinus tradit montanis gentibus Lugdunenſibus in cibis mirè placere ſemeſtres aut anniculas, bimas & trimas;item Matiſconenſi agro atque Heduenſi; eaſque tauras appellare, Lugdunenſes brauas; Iuuencos rarius mactare;Ipſe iuuencas quæ Venerem non ſunt expertæ, laudabiliores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A liores existimat. Tales dijs immortalibus ac potissimum Palladi mactari ex Homero diximus. Horatio maximè probatur vitulus, qui matri ereptus iam ipse læto se enutrit pabulo: *Lib. 4. car. Od. 1.*

Te decem tauri, totidemque vaccæ,
Me tener soluet vitulus relicta
Matre qui largis iuuenescit herbis
In mea vota.

Sed tempestiuum est, vt de alijs quoque partibus aliquid dicamus. Gesnerus ait lixari etiam vituli caput ad prima fercula prandiorum: certè apud nos in omni honesto conuiuio id elixatum infertur, palato quàm gratissimum, maximè illæ partes quæ auribus sunt proximæ, pingues nimirum, & teneritudine laudabiles. *Vituli caput.* Parandi modum non inelegantem nobis reliquit Iusius Alexandrinus, his verbis, esum eius summoperè commendans. Vituli caput depilatum (inquit) detersumque curiosè, vt candor maneat (miro candore apud nos inferuntur) elixabis aliquandiu, cum cute sua. Huic edendo non salubriter minus quàm voluptuosè apponi in scutella acerrimi semper aceti aliquid solet, cum zinzibere multo & cinnamomi modico, ob multarum inibi partium lętorem, ac crassitiem,
B quæ edi impunè non possent, non antea dissiccandi detergendique facultate munitis. Sin dequoquere in furno assareque placuerit: aromate replendum prius aliquo, allium alij herbasque odoriferas ingerunt ad eosdem vsus, incidendi nempe & abstergendi, vt crassi glutinosique humoris vitetur noxa. Et huic quoque tamen apponi acetum commodè pro intinctu poterit, quo simul incidendi vis efficacior accedat, simul exassatæ exustæque fortè partes refrigeratione aliqua temperentur. Caput vitulinum, inquit Platina, aut bubulum, aqua calida depilato, si elixum voles, vbi coctum fuerit, in alliatum mergito: si assum placuerit, repletum aromatibus allio ac plerisque odoriteris herbis, in furno decoquito. *Lib. 6. c. 30.* Licebit (inquit Iulius Alexandrinus) & cerebrum elixo capiti eximere vitellisque ouorum duorum cum piperis & omphacij modico, versatis diligēter tudicula, salis quod satis sit miscuisse, mixtaque hæc in sartagine frixisse. Edi calidum adhuc hoc debuerit: refrigeratum enim & insipidum reddetur & maiores vires nocendi sumet: actu nimirum, præter refrigerandi potestate vim, idipsum iam frigidum scilicet in præsenti, vt conduplicata ita frigefaciendi potentia, nocendi etiam vnà statim vires ingeminet. Gesnerus ait cerebrum capiti exemptum seorsim in aqua modicè coctum, mox tunicis liberatum, in vino coqui, & inspergi aromatibus.
C Esse qui cum lacte mixtum & cepis minutatim incisis, butyro frigunt & aromatibus condiunt. Platina ait: In cerebrum vitulinum: Ex capite elixo ac cocto cerebrum erues, cum quo duo vitella ouorum tudicula bene agitata, modicum piperis, parum agrestæ, salis quantum sat erit, miscebis. *Lib. 6. c. 31.* Mixta hæc omnia in sartagine cum liquamine tantisper friges, donec quod breui quidem fiet, concreta simul fuerint. De maxilla Cratinus teste Athenæo, vbi de foro cupediarum agit, mentionem facit in Plutis: *Ob bouinam maxillam pugnans.* *Maxilla. Lib. 3. c. 9.* Sophocles in Amyco: *Maxillas iam molles apponit*: Plato in Timæo: *Supremasque maxillas illis sub faciei natura colligauit*: Xenophon in libro de Hippice: *Maxillam contractam, longam.* In Belgio Germaniaque superiori lingua bubula in pretio habetur, maximè si bene fuerit apparata. *Linguæ bubulæ esus.* Apparandi modum recenset Gesnerus. Cùm enim dixisset vbera elixa, mox incisa torreri in craticula, & sale & aromatibus (pipere & caryophyllis maximè) inspergi. Similis (inquit) & linguæ apparatus est, & pedum & oris siue buccæ, vel si mauis rostri. Alij partes, pedes, inquam & buccas quæ in carnario elixa emuntur, ex aceto frigida edere malunt cum cepitio & pipere. Lingua etiam per medium incisa, saliri, vt reliqua caro, & infumari solet, cibo diuitibus etiā grato.
D Quibusdam in locis bubulas linguas principibus debent: tanta earum æstimatio. *Aestimatio.* Nouerunt nimirum etiam Mercurij olim sacerdotes hanc lautitiam, nec temerè Mercurio ex victimis deberi linguam dicebant, nimirum tanquam deorum præconi & sermonis deo. Nam & alioqui lingua in sacrificijs præconibus donabatur. Hinc iocus ille Aristophanis in Pluto: Ἡ γλῶτλα τῷ κήρυκι τυτων τίμνεται, iucunda amphibologia, cùm lingua tam præconis quàm bouis intelligi possit. Idem in Pace: Ἡ γλῶτλα χωρὶς τέμνεται, quod interpres admonet prouerbialiter dictum. Homerus Odyss. δ. Ἀλλ᾽ ἄγετε τέμνετε μὲν γλῶττας. Apud Plutarchum, Antipater, cùm incidisset mentio de Demade, iam senio imbecilli, fractoque, *velut*, inquit, *ex immolata victima, solus venter & lingua superest*. Apparet sanè linguam ceu profanum membrum sacris adhiberi non solitum, quod ego quidem ad gulam hominum, religionem prætexentium, retulerim. *Lingua cur sacris non adhibita.* Præfertur autem in cibo bubula cæteris & a nonnullis operosius paratur: nam condimentis farctam in veru assant. Aliarum pecudum quia minores sunt, cum suis capitibus relinqui solent. Hucusque ille. Ad vbera quod attinet, apud nos elixari solent, & mox addita pinguedine aut butyro frigi in sartagine, & aromatibus inspersa inferri. *Vbera.* Ventres (trippam vulgus vocat) elixantur, & cum supposito pane ex iure suo comeduntur. Cibus parum gratus, nisi aromatibus, caseoque condiatur, ideoque plebeius, nisi ventres sint vitulorum præpinguium. *Ventres.* Celebratur nihilominus ab antiquis, vt annotauit Athenęus: Ventris (inquit) in cibum *Lib. 3. c. 9.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

bum parati Ariſtophanem in Equitibus meminiſſe quiſpiam dixit: φήσω σ' ἀδεκατεύτους κοιλίας πωλεῖν, ideſt, *Accuſabo te quod ventres fraudato decimis populo vendas.* Et rurſus: Τί μ' ὦ 'γαθ' οὐκ ἐᾷς πλύνειν τὰς κοιλίας Πωλεῖν τε τοὺς ἀλλάντας, ἀλλὰ καταγελᾷς, ideſt, *Cur me bone vir, ventres lauare non ſinis? Hillaſque vendere? cur me derides?* Et rurſus: Ἐγὼ δέ γ' ἤνυστρον βοὸς, καὶ κοιλίαν ὑείαν καταβροχθίζας, κᾆτ' ἐκπιὼν τὸν ζωμὸν ἀναπόνιπτος Λαρυγγιῶ τοὺς ῥήτορας, καὶ Νικίαν ταράξω: ideſt: *Ego verò bouis omaſum & ventrem ſuis, cùm abliguero, ebiberoque ius, illotus ſonora voce exagitabo rhetoras ac perturbabo Niciam.* Et rurſum: Ἡ δ' ὀβριμοπάτρα γ' ἑφθὸν ἐκ ζωμοῦ κρέας, καὶ χόλικος ἤνυστρου τέ καὶ γαστρὸς τόμον. ideſt. *Hæc verò ſplendidi patris filia elixam è iure carnem, inteſtini, omaſi, ventris fruſtum.*

Omaſum.

Lib. 8. c. 45.

Omaſum autem inter gulæ cupedias olim, ſaltem apud Romanos fuiſſe, ex his Plinij verbis innoteſcit: *Hoc animal tantæ apud priores cura, vt ſit inter exempla damnatus à populo Romano, qui concubino procaci rure omaſum ſe ediſſe negante, occiderit bouem, actuſque in exilium, tanquam colono ſuo interempto.*

Lib. 8.

Meminit eiuſdem damnationis Valerius Maximus: *Non ſupprimenda* (inquit) *illius quoque damnatio, qui puerili ſui nimio amore corruptus, rogatus ab eo ruri, vt omaſum in cœnam fieri iuberet, cum bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas eſſet, domito boue occiſo deſiderium eius expleuit: eoque nomine publica quæſtione afflictus eſt.*

Inteſtina.

Lactes.

Inteſtina quoque elixa adferuntur quibuſdam in locis ex laniena, & domi modico vino affuſo, cum butyro, cepis, & aromatibus percoquuntur; Lactes verò in primis apud nos commendantur, & ditiorum magnatumq; menſas cohoneſtant. Sed video & ab antiquis celebrari. Τῶν χορδῶν enim, ideſt, vt Dalechampius vertit, lactium, inteſtinorum vt Natalis Comes, (quæ etſi communior vocis ſit ſignificatio, vnde χορδὴ etiam vocatur ipſa chorda ſeu fides ex inteſtino contorto & areſacto, quæ teſtudini lyræue aut alio inſtrumento muſico intenta ſonos melodicos edit pulſu; placet tamen altera verſio) meminit Epicharmus teſte Athenæo, eaſque ὀρύας (ὀρύνειν & ὀρυεῖν eſt cumulare (inquit idem Dalechampius

Hira quid.

hinc fortaſſis lactes ὀρύαι dicuntur, quòd cumulatis anfractibus flexuoſæ ſint. Hiras, nomine non abſimili Latini veteres authore Feſto, inteſtinum ieiunum appellarunt) vocauit, inſcripta quadam ex ſuis fabulis τῆς ὀρύας titulo. Ariſtophanes in Nubibus: Ἐκμοῦ χορδὴν τοῖς φροντισταῖς παραθέντων: ideſt, *impensè hæc mea contemplantibus lactes apponunto.* Alexis in Leucadia ſiue Fugitiuis: χορδαρίου τόμους ἥκειν, καὶ περικομματίων, ideſt, *Puſillarum lactium aduenit reſectamentum ac fruſtulum.* Ariſtophanes in Proagone: Ἐγευσάμην χορδῆς ὁ δύστηνος τέκνον. Πῶς εἰσίδω ῥύγχος περικεκαυμένον, ideſt: *Me miſerum lactes, ò gnate deguſtaui: Quo pacto ambuſtum roſtrum aſpicere potero?* Ad hæc fortaſſis etiam cupedias reſpexerit Perſius:

Saty. 2.

Aut quid nam eſt, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas, pulmone & lactibus vnctis?

Pulmo.

Illos enim irriſione proſequitur, qui deos capi muneribus exiſtimant, nec obſtat, quod ſimul pulmonem nominat. Nam & hodie pulmo non vbique locorum vt apud nos fit, qui feris eum relinquimus, reijcitur, imo verò Geſnerus inter exta eum nominans, parandi eius cum cæteris in cibum modum docet: Exta (inquit) ſic voco arteriam cum pulmone corde & iecore cohærentibus apponuntur aut ſimpliciter elixa, aut condimentario iure cum vino cocta: ſed ius relinquitur copioſum, & aromatibus cum croco adiectis pani ῥαφανηδὸν diſſecto in patinis infunditur, idq; inter lauta etiam primæ menſæ fercula numeratur.

Lactes vnde dictæ.

In Curcul.

Lib. 11. cap. 37.

In Vitellio.

Lactes apud nos corrupto nomine vocantur lattesine, quemadmodum & ipſæ à lacte, vt ſcribit Priſcianus, vel propter candorem, vel propter mollitiem, aut certè ab antiquo verbo lacio, ideſt, allicio, propterea quod cibum alliciant. Plautus: *Ita vacuitate cibi venio laxis lactibus.* Ita vocantur inteſtina graciliora per quæ labitur cibus, ex quibus & ieiunum eſt. Plinius videtur ſentire, lactes dici tantùm in homine & ouibus: ſic enim ſcribit: *Ab hoc ventriculo lactes in oue & homine, per quas labitur cibus.* Murænarum tamen lactes dixit Suetonius: & Spartianus ſcribit, Murænarum lactibus & Luporum in mediterraneis oris Heliogobalum pauiſſe ruſticos ſuos: Illud verò mirum Theodorum Gazam pro meſenterio lactes interpretari, cum vtriuſque linguæ fuerit conſultiſſimus, niſi quiſpiam ſuſpicetur, partem & id quod continetur, pro eo quod continet, acceptum. Etenim meſenterio lactes inuoluuntur, vt à ſpinæ contactu duro munitiores magiſque ſectos reddat.

Pedes.

Pedes etiam per ſe elixos proſtare in carnario ſuprà annotauimus, & vt vulgò parentur, indicauimus. Ab eorundum eſu minimè etiam abſtinuit antiquitas, quin & Athenæus præcitatis locis de foro cupediario eos celebrat ex Theophilo in Pancratiaſte: A. Ἑφθῶν μὲν χεδὸν τρεῖς μνᾶς. B. Λέγ' ἄλλο. A. Ῥυγχίον, κωλῆν, πόδας τέτταρας ὑείους. B. Ἡράκλεις. A. Βοὸς δὲ τρεῖς. ideſt. A. *Elixa carnis propemodum libras tres.* B. *Reliqua memora.* A. *Roſtrum, armum,* (κωλῆν: ſignificat & hæc vox anteriorem partem victimæ & pudenda) *pedes ſuillos quatuor.* B. *Proh Diue Hercules.* A. *bubulos tres.* Anaxilas in coquis: Τῶν Αἰσχύλου πολὺ μᾶλλον εἶναι μοι δοκεῖ Ἰχθύδι' ὀπτᾶν. τί σὺ λέγεις ἰχθύδια, Συσσίτιον μέλλεις νοσηλεύειν, ὅσον Ἀκροκώλι' ἕψειν ἐστὶ ῥύγχη, πόδας. ideſt, A. *Multò ſatius eſſe credo quàm Aeſchyli verſus ediſcere, Aſſare piſciculos.* B. *cur piſciculos ais? Conuiuas vt ægros tractaturus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *turus es; quantò potius est extremos artus elixare, rostra, pedes.* Obseruandum hic rectè à Dalechampio ἀκροκώλια verti extremos artus: Alicubi tamen ἀκροκώλιον γεννικὸν, simpliciter apud eũdem Athenæum traducit bouis masculi artus, quæ versio ab Isaaco Casaubono etiam notatur, quãdoquidem κῶλα dicuntur in homine brachia, & pedes; in brutis anteriores & posteriores pedes; ἀκροκώλια in macellis & culinis sunt, (inquit) extremi pedes mactatarum victimarum: quare Aristoteles & Heraclides Tarentinus ponunt illa inter cibos μυξώδεις, habentesque aliquid ὀλκιμον καὶ γλίσχρον. Possunt etiam ἀκροκώλιων appellatione intelligi, omnes vndeunde præcisæ τοῦ ἱερείου partes extremę, quibus vescuntur, vt aures, rostra, & similia. Galenus vocat τὰ ἀκρέα μόρια τῶν πεζῶν ζώων: ἀκρέα enim non ἄκρα. Solet enim Hippocratis vocem illam vsurpare: vt libro tertio de facultatibus alimentorum de pedibus ferè accipi videas: itaque vt pedes, sic ἀκροκώλια alia vocant ὀπίσθια, alia ἐμπρόσθια, quorum Hippocrates meminit tertio Διαίτης. Gaza apud Aristotelem primus vertit trunculos, Celsi imitatione. Glossarij author interpretatur κωλεὸν, de quo infrà lib. 9. In Glossis scribitur, Trungulus, κολοβὸς, ἐνκόλεος. Scribo, Trunculus, κολοβὸς, ἐν. κωλέος. illud ἐν valet ἔνιοι. sic alibi in illo libro. Deinde legerunt interpretes, cùm editis γεννικὸν, vel γεννητικὸν, quod ex uer-

Acrocolia. *Trunculus.*

B sione patet, *masculi.* Scripsimus nos verè γεννικὸν, generosum idest grande. Aristophanes, ὦ γεννικώτατον κρέας: Scholiastes exponit κρέας ἰσχυρὸν ὃ οὐ κατεργάζεται πυρί: firmæ carnes & difficile coctiles. Malim ad quantitatem referre, & magnas carnes intelligere. Sic apud eundem Comicum γεννάιαι μάζαι, sunt grandes mazæ. Eustathius quoque sic interpretatur: cuius doctissimi uiri authoritate suspitiones meas confirmatas uidi libenter. Sic ille, γεννάια σαφυλὴ, τάχα ἡ μεγάλη. Hæc omnia Casaubonus. Athenæus indicaturus heroas etiam elixam comedisse bubulam carnem, id ostendit pedis illius bubuli exemplo, quem Homerus scribit à procis in Vlyssem proiectum, quẽ (inquit) nemo assauerit. Diogenem Cynicum, quod pedem bouis crudum deuorasset, mortuum fuisse scribit Diogenes Laertius. Non inelegantem pedes uitulinos apparandi modum docet his uerbis Platina: Non displicuit, inquit, mihi Palelli hospitis nostri patina, qui pedes uitulinos bene lotos & coctos cum iusculo aromatibus insperso, in cænam more Romano attulit. Inditum quoque aliquid ex aceto putarim; adeo appetentiam excitabant. Apponi hæc patina prima mensa consueuit. Boni & facilis extat alimenti; pectori confert, tussim lenit, meatus urinæ exulceratos sanat, dysentericis prodest.

Lib. 1. *Mors Diogenis.* *Lib. 5. c. 15.* *Pedum apparatus.*

C A medicis tamen anteriores magis quàm posteriores, animalium partes probantur.

VSVS IN MEDICINA.

DE carnis bubulæ temperamento præcedente rubrica diximus. Hippocrates, si vlcerata ac pustulis plena fuerint summa vteri labra, carnem bubulam sumi iubet & butyrum siue adipem anserinum & anisum aut crocum aut spodium Cyprium: Hæc omnia vult teri & carni oblita apponi. Si feruido ac superficiario vlcere, pudenda laborent, sic curare eodem authore oportet. Carnem bubulam longitudine duorum palmorum paruorum, crassitudine verò ligni quod in foramen bipennis immittitur, pudendi videlicet virilis forma, vsque ad vesperam apponat; noctu verò auferet: postero autem die rursus apponat, vsque ad meridiem, & bibat vinum dulce, melle ad vinum admisto. Et aliàs rursus: Si vlcera fiant, ac mordeant, bubulam carnem adipe illinito: & si sordida fuerint, eluito & fomentum ex fici radice adhibeto, & postea de pinguedine in vino dulci bibat.

Lib. de morb. mulier. *Caro quibus conueniat.*

D *Aristolochia oblonga in summa* (inquit Plinius) *gloria est, si modò à conceptu admota vuluis in carne bubula, mares figurat, vt traditur.* Ad hominis morsus carnem bubulam decoctam imponi iubent referente eodem Plinio: sed efficacius uituli, si non ante quintum diem soluatur. Idem ait: *Bubula caro tumorem sanat:* Et alibi: *Calida imposita panos & apostemata discutit, vt sanguis quoque & fel eiusdem pecudis.* Marcellus Empiricus carnem uaccinam (Plinius habet bubulam) recentem ueretro impositam ulcera eius & epiphoras mire sanare: eandemque rancorem (Plinius rosionem uocat) stomachi temperare ex uini & aceti æqua portione discoctam & cibo sumptam. Testatur Symeon Sethi bubulæ carnis ius uentris fluxus ex flauabile compescere. Plinius deniq; ait ius è carne uaccina, vt medullam etiam, vlcera oris & rimas sanare. Idem alicubi carnem uituli tradit recentia ulcera non pati intumescere. Marcellus ait: Caro uitulina recens cum aceto cocta, madidaque alis imposita, fœtorem hirci teterrimum tollit. Cornelius Celsus agens de curatione communi aduersus omnes morsus serpentinum: si neq; qui exugat, est, neque cucurbitula, sorbere oportet (inquit) ius anserinum, uel ouillum, uel uitulinũ, & uomere. Plinius autẽ aduersus morsum canis rabidi id celebrat his uerbis: *Canis rabidi morsu facta vulnera circumcidunt ad viuas vsque partes quidam, carnemque vituli admouent & ius ex eodem carnis decocta dant potui, aut axungiam cum calce tusam,* scilicet admouent. Idem uituli ius uulgariter

1. de morb. mul. *Iuris vsus.* *Lib. 5. c. 27.*

riter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

riter datum, inter auxilia cœliacorum & dyſentericorum tradi aſſerit. Carnem verò vituli alicubi E quoque dicit, ſi cum ariſtolochia inaſſatam edant mulieres circa conceptum, mares parituras promitti: Feminum verò vituli cinerem ſordida vlcera, & quæ cacoethe vocant, è lacte mulieris ſanare. Raſis verò boum coxas vri ſcribit, bibique vt ſanguinem fluentem & menſes cohibeant: & Galenus tauri femora uſta ſanguinem ſiſtere teſtatur; & Auicenna dicit: vaccarum femora cremata ſanguinis & alui quoque profluuium compeſcunt. Sorbitio ex pedibus vituli Brudi Luſitani. Pedes vituli anteriores duos, aut arietis omnes in aqua plus ſatis coquito: radicum plantaginis, petroſelini, ſingulorum manipuli vnius tertiam, hepaticæ, hordei ab vno cortice exuti, prunorum & paſſularum, ſingulorum vnam: addito mali granati acidi tres, ius dato, vt oportet, ex reliquo fac ſorbitionem. Quod ſi coctionem pedum, antequam malum granatum adijcias, herbas abſtrahas, ius colans, tertiam ſui partem ſucci acidi mali granati immittas, pane & zucaro ſimul coquas, quouſque permixta ſint, cibum ijs valdè idoneum & plurimis alijs ægrotantium parabis. Quem vt conuenientiſſimum memoria dignum ducito. Nam multum nutrit, corpus refrigerat & humectat, particulas cogit, tenues humores inſpiſſat, bilis feruorem reprimit, ventriculum & iecur roborat, ſitim ſedat. De F

Lib. 3. de vict. feb. cap. 11.

Iecur.

iecore hoc reperio apud Plinium: *Iecur vaccinum cœliacis & dyſentericis medetur*. Haly verò non ſimpliciter, ſed vſtum præſcribit: Iecur (inquit) bouis vſtum potumque ventris & ſanguinis profluuium inhibet. Iecur vituli maſculi & tantundem foliorum ſaluiæ, minutatim pariter concidantur, collectus inde ſtillatitius liquor potui datur, vt ait Geſnerus, tum viris, tum mulieribus, qui durum tumorem tranſuerſum in imo ventre ſupra pudenda acceperint. De Liene hæc idem Plinius. *Lien bubulus in melle editur, ex vino datur ad lienem ſedandum: recens autem aſſus vel elixus in cibo.* Itē. *Eadem de cauſa emi lienem vituli, quanti indicatus ſit iubent Magi, nulla pretij contatione, quoniam hoc quoque religiosè pertineat, diuiſumque per longitudinem annecti vtrimque, & induentem pati decidere ad pedes, dein collectum in vmbra areſcere, cùm hoc fiat, ſimul reſidere lienem ægri vitiatum, liberarique eum morbo dicitur.* Sic ille, ſed nugaciſsimum ac nimis ſuperſtitioſum hoc medicamentum eſt. De omaſo ſic: *Linguæ exulcerationi & arteriarum prodeſt ius omaſi gargarizatum*: apparet enim de bubulo accipiendum eſſe, de illo enim lacte proximè dixerat, quanquam ſimul etiam de caprino: vel fortè conuenit vtrique: Item: *Omaſi quoque iure poto, venena expurgari putant priuatim verò aconita & cicutas.* A recentibus & calidis adhuc vituli extis (ideſt, arteria, pulmone, G corde & iecore) minutatim conciſis liquor in vaſis Chymiſticis elicitur, referente eodem Geſnero, cui æquales partes ſaluiæ & meliſſophylli liquorum ſimiliter extractorum, admiſcentur: inde membra frigida, vel reſoluta, vel tabida, manè & veſperi aliquando perfricantur, & mox calidis pannis inuoluuntur. Hippocrates ad faciem ornandam, hepar tauri teri iubet cum oleo, illini autem cum uino meraco: Idem & nyctylopem iubet medicamentum deorſum purgans bibere, & caput purgari, ceruicemque eius quàm maximè ſcarificari, & fame ad multum tempus premi: ubi uerò remiſerit, unum aut duo fruſta, prout maxima deuorare poteſt, de hepate bubulo crudo in melle tincta exhiberi. Membrum tauri in aceto maceratum & illitum, ſplendidam teſte Sexto, facit faciem: Raſis ait, genitale tauri rubri aridum tritum, & aurei pondere propinatum mulieri, faſtidium coitus afferre: è contrario quidam recentiores, vt in viris Venerem excitent, tauri membrum cæteris huius facultatis admiſcent. De medulla ſcribit Galenus in hæc verba: Medullæ animalium vim habent dura & ſcirrho affecta corpora molliendi, ſiue muſculi, ſiue tendines, ſiue ligamenta, ſiue denique viſcera indurerint. Semper autem optimam expertus ſum ceruinam, deinde iuuencorum, ſeu vitulinam: Hircorum verò & taurorum acrior eſt, magiſq; deſiccat, vnde fit, vt ſcirrhoſas duritias diſſoluere non valeat. Cæterùm ex ceruina & vitulina medullas peſſi etiam mollientes ad matricis H quadam vitia componuntur, & pharmaca ex medulla confecta, molliendique vi prædita foris quoque vtero imponuntur. Accipitur autem non ſolùm oſſium medulla, quæ verè medulla eſt, ſed ex ſpina quoque dorſi, quæ reliqua ſiccior ſquallidiorque eſt, & ob eam cauſam ſeorſim vtraſque repono. Hactenus Galenus. Dioſcorides breuiter, ἅμαντες δὲ εἰσι μαλακτικοὶ, ἀραιωτικοὶ, θεραπευτικοὶ, πληρωτικοὶ ἑλκων. ideſt, *Omnes* (medullæ) *molliunt, medicatæ ſunt, rarefaciunt, vlcera explent*: quo loco pro θεραπευτικοὶ legendum θερμαντικοὶ, quomodo legit Plinius, qui ſic habet. *Communis ratio medullarum eſt, omnes molliunt, explent, ſiccant, excalfaciunt.* Interpretes quidem Dioſcoridis ſequentes Plinium, excalfacere transferunt, textum tamen Græcum non reſtituunt. Ἀραιωτικοὶ ijdem etiam rarefacere vertunt, & rectè quidem meo iudicio (inquit Geſnerus) fecerunt, quòd non in hac etiam voce Plinium imitati ſint, qui ξηραντικοὶ legit. medullas autem ſiccare neque ratione, neque authoritate vlla niti opinor. Quanquam enim malactica, ideſt mollientia ea propriè dicantur, quæ calefaciunt & exiccant, ſed vtrumque moderatè omnino, magis tamen calfaciendo ea quàm ſiccando primi ordinis modum excedere poſſe ſcio. Nam Galenus mollientia conferens pus mouentibus: hæc æqualem calorem ei qui in homine ſecundum naturam eſt, efficere docet, illa multò maiorem:

Lien.

Lib. 28. cap. 13.

Omaſum.

Lib. 28. cap. 10.

2. de morb. mul.

Lib. de viſu.

Genitale.

11. de ſimpl. cap. 5.

Medulla.

Dioſcoridis locus corrigitur.

Mollientia propriè dicta quæ.

proinde,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A proinde vt mollientia pleraque, ita medullas maximè, calfacere absolutè dici potest, siccare non itẽ,
nisi cum additione, quod moderatè omnino & in primo ordine. Nihil enim eorum quæ scirrhi in-
modum indurata sunt, (inquit Galenus) vel validè siccantibus, vel excalfacientibus validè, curari
potest. Similiter ἀραιωτικὰ idest, rarefacientia Galenus calida moderatè & tenuium partium esse
scribit, καὶ ἥκιστα ξηραίνειν, idest, & minimè siccare; non quod non siccent, sed quod minimum siccẽt,
cuius generis chamæmalum esse ait, ordine primo calidum & siccum. Verùm Dioscorides, qui non
rarò Græcis vocabulis abutitur, quod ad secundas medicaminum facultates, hac etiam voce rarefa-
ciendi pro laxandi abusus mihi videtur in medullis: molliunt enim medullæ quæ dura sunt, laxant-
que intensa, magis quàm rarefaciant densa, aut obstructa aperiant, præsertim cùm pinguiusculę sint,
& emplasticæ facultatis nonnihil habeant, recentes præcipuè: accedunt enim medullæ natura in ru-
minantibus ad seuum, in cæteris ad adipem. Quamobrem rectè Galenus, vbi de medullis agit, non
calfacere, non siccare, non rarefacere, aut tale quid aliud præstare scribit, sed mollire tantum: quan-
quam & διαλύειν, idest, dissoluere obiter eis tribuit, non satis propria significatione. In translatione
Serapionis pro ἀραιωτικοὶ habetur resolutiuæ, & pro θεραπευτικοὶ, sedatiuæ: vnde hoc saltem constat,
B olim etiam hunc locum incertæ lectionis fuisse, vt minus mirum sit Plinium quoque & Dioscoridẽ,
qui ab alijs nimirum hæc descripsere, non eodem modo legisse. Porrò quod Plinius medullam ex-
plere, Dioscorides vlcera explere dixit, nec ipse rectè dictum existimo, nec apud vllum ex probatis
inuenio medicis. Nam quæ sarcotica, idest, carnem generare & vlcera explere propriè dicuntur,
siccare modicè & abstergere sine morsu debent: ego verò nullam in medullis abstersionem sentio.
Fieri quidem potest, vt per accidens aliquando carnem inducant, præsertim cum aliis mixtæ. Mul-
ta enim per se lædunt, aliis admista eundem affectum sanant: quod sarcoticis etiam contingit. Oleũ
sordes colligit, sic & cera: ærugo rodit: tria hæc mista carnem regenerant, magis etiam si quid sar-
cotici adiungas. Scio Plinium commendare medullam ceruinam aut vaccinam ad vlcera oris, sed
cum resina, item vituli vel bouis ad dysentericos, sed aliis admixtis; & vitulinam priuatim ad exul-
ceratas vuluas cum seuo, quibus tamen alia ratione, quàm sarcotica prodest, aut si illa quoq; inter-
dum, per accidens tamen. Hæc itaque omnia Gesnerus: nunc quæ de vitulina, taurinaque & bubula
medulla priuatim authores tradunt, prosequemur, illud tamen prius admonentes, Galeni (ex quo
præcipuè medullarum vires sunt discendæ) præcitatis de medullis verbis, addi posse, recentibus la-
C xando veteribus insuper discutiendo vtendum esse: calor enim paulatim augetur. Quia autem me-
dullarum, vt Dioscorides testatur, probatissima est ceruina, mox vitulina, post hanc taurina, de bu-
bula vltimo loco dicemus, primo autem de vitulina, mox de taurina dicam, vltimum de bubula.
Vsus omnium est vel internus, vel externus, *Vituli aut bouis medullæ* (inquit Plinius) *excoquuntur*
cum farina & cera, exiguoque oleo, vt sorberi possint, pro cœliacis & dysentericis. Addit & in pane su- *Medullæ vsus.*
bigi. Marcellus item vaccinam cum farina tenui subactam, & instar excocti panis in cibo datam,
mirè dysenteriam sanare scribit, maximè si & caseus bubulus recens manducetur. Vituli medulla
cum pari pondere ceræ & olei, vel rosacei, addito ouo, duritiæ genarum illinuntur, eodem annotan-
te Plinio: cæterùm Marcellus, *Medulla* (inquit) *cum cera & oleo rosaceo æquis ponderibus liquefacta*
& permixta, & ad emplastri modum imposita, duritiae palpebrarum, & si qua illic in modum pilularum
nascuntur, commollit & discutit. Idem Marcellus vituli medullam ait cum cymino contritam in-
fusamque quamuis magnos dolores auriculæ statim releuare, & intra triduum tollere. Breuiter vt
solet Plinius: *Vituli medulla admixto cumino trito infusa prodest in aurium dolore & grauitate.* Eadẽ,
vel etiam vaccina eodem testante vlcera oris ac rimas emendat, sanatque manantia verendorum
D vlcera, & in uino uel aqua decocta cum seuo exulcerationibus uuluarum imposita prodest. Compo-
nuntur ex eadem medicamenta ad molliendum uterum, tum foris applicanda, tum pessis inditis,
ut ex Galeno recitaui, ubi taurinam acriorem siccioremque esse ait. Marcellus hanc quoque ad au-
rium dolores celebrat: *Gliris* (inquit) *pingue, & gallinæ adeps & medulla bubulina* (bubula fortè)
vel taurina, liquefacta tepensque, infusa auribus plurimum prodest. Eadem tauri medulla in uino
trita & potata, torminosos emendat, ut testatur Sextus: sed Aesculapius non torminosos habet, sed
tremulos, quod fortè magis probandum esse arbitratur Gesnerus, cùm Rasis etiam ad neruorum
cõtractiones ea utatur, quamuis foris illita, his uerbis: Medulla tauri ad ignem liquata, si misceatur
quarta pars myrrhæ rubentis, & olei laurini tantundem, manusque ac pedes inungantur, diluculo
& uesperi, neruorum contractiones soluit, lenitque artus. Idem Rasis medullam bubulam, necnon
& seuum neruis commotis conferre & mollire testatur, si inungantur. Plinius medullam bubulam *Lib. 28. cap. 11.*
ex dextro crure priore tritam cum fuligine, pilis ac palpebrarum uitijs, angulorumq; occurrere ait:
calliphlebarique modo fuliginem in hoc usu temperari: optimè ellychnio papyraceo, oleoque sesa-
mino, fuligine in nouo uase pennis detersa: efficacissimè tamẽ euulsos ibi pilos coercere. Simile quid
etiam refert Marcellus, *Lucernam fictilem* (inquit) *de papyro & medulla vaccina concinnato, atq; eius*
fumo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

fumo ſiue fuligine, pro calliphlebaro vtere, quo palpebras exeſas & glabras ſæpius inungendo, decentiſ- E
ſimas facies. Aliàs Plinius ait: *Vlcera oris emendat ceruina vel vaccina medulla cum reſina.* Colu-
mella, ſi media boum ceruix intumuit, ait ſe comperiſſe, aureum eſſe medicamentum, ex pice liqui-
da & bibula medulla & hircino ſeuo & vetere oleo æquis ponderibus compoſitum atque incoctum.
Hippocrates deſcribens medicamenta emollientia & ad ciendum idonea, quo fortis purgatio fiat:
thapſiæ radicem, medullam bouis, adipem anſerinum, roſaceum, hæc trita ac feruefacta per quatri-
duum iubet, vt apponat, & bibat porri ſuccum, ac vinum dulce album. Marcellus verò medullam
vaccinam cum farina tenui ſubactam, & velut excoctum panem cibatui datam, mirè dyſentericum
ſanare profitetur, maximè ſi & caſeus bubulus recens manducetur. Idem ex Plinio quoque de vitu-
Seui vires. lina medulla recitaui. Nunc de pinguedine ſiue ſeuo dicendum. Quia autem taurinæ pinguedinis
frequens medicis vſus eſt, non fuerit præter noſtrum inſtitutum ex Dioſcoride docere, quomodo ea
Taurini adi- præparetur, & odoramentis imbuatur, præſertim cùm ad aliorum quoque animalium pinguedines
pis præpara- idem apparatus ex æquo pertineat. Priuatim (inquit) taurorum pingue ſic curari debet. Renibus
tio. euulſum pingue profluente amnis aqua abluito, detractiſque tunicis, fictili nouo, poſtquam exiguũ
ſalem inſperſeris, liquefacito: dein in nitentem aquam excolato, & vbi concreſcere cępit, manibus F
iterum confricando vehementer lauato, aqua ſæpius affuſa, refuſaque, donec quamoptimè elotum
videatur, rurſus in olla cum pari modo vini odorati decoquito, & cùm iterum efferbuerit, dempto
ab igni vaſe, ibidem ſinito pernoctare: poſtridie ſi grauiter adhuc oleat, noua olla repetitum, vino
odorato perfundatur: eadem quæ prius fiant, dum omne virus euaneſcat. Colliquatur & ſine ſale,
præſertim affectionum earum cauſa, quibus ſal aduerſari ſolet, ſed ita paratum non magnopere al-
beſcit. Eodem modo pardorum (παρδάλεων, ideſt, pantherarum, vt etiam Plinius habet, & capi-
tis in Dioſcoride titulus,) ac leonum pinguia curari oportet: (in Græco additur, & apri & cameli, &
equi & ſimilia: quæ verba interpretes omittunt, eam nimirum ob cauſam, quòd in titulo capitis nõ
habeantur: Plinius tamen cameli adipem ſimiliter curari teſtatur.) Hæc Dioſcorides, apud quem
bubuli ſeui curatio etiam legitur, quam modo recitabo: nunc de taurino adipe Plinium audiamus:
Quæ ratio adipis (inquit) *eadem in his quæ ruminant, ſeui eſt, alijs modis non minoris potentiæ. Perfici-*
tur omne, exemptis venis aqua marina vel ſalſa lotum, mox in pila tuſum, aſperſum marina. Crebrò po-
ſtea coquitur, donec odor omnis aboleatur. Mox aſſiduo ſale ad candorem reducitur. A renibus autem G
omne laudatiſſimum eſt. Si verò vetus reuocetur ad curam, liquefieri prius iubent, mox frigida aqua la-
uari ſæpius, dein liquefacere affuſo vino quam odoratiſſimo. Eodemque modo ac ſæpius coquunt, donec
virus euaneſcat. Multi priuatim ſic taurorum, leonumque ac pantherarum & camelorum pinguia cu-
rari iubent. Vſus dicetur ſuis locis. Tantum Plinius. Cæterùm odoramentis imbuendi taurinum
& vitulinum, nec non & ceruinum pingue, & eiuſdem animalis (cerui) medullam, hanc rationem
præſcribit Dioſcorides. Pingue quod odoratum reddi debet, demptis quo diximus, modo membra-
nis, elotum & vino quàm odoratiſſimo, nulla maris aqua diluto feruefactum, pernoctare ſinitur: al-
terum id genus vinum eadem menſura infunditur, colliquatur & exquiſitè colatur: nouemque eius
heminis, iunci Arabici ſeptem drachmæ adijciuntur. Quod ſi ipſum odoris fragrantioris fieri voles,
quadraginta floris eiuſdem, cinnamomi, cardamoni, & nardi ſingulæ vnciæ. Omnia exactius tun-
duntur, & affuſo vino odorato, in vaſe operto, quod ſuper carbones firmiter collocatum ſit, ter effer-
ueſcunt, & ſemoto ab igni vaſe inibi pernoctant: poſtridie vinum affunditur, aliudque generis eiuſ-
dem adijcitur: ter ſimili modo bene conferueſcat: deinde matutinis exempto adipe vinum effunda-
tur: & abluto vaſe, ſiquid imo ſubſidẽs hæſit, detergatur: poſtremò eliquatum pingue & excolatum, H
ad vſus reconditur. Hoc autem modo odoramentis imbuitur, quod antea curatum eſt: verùm ante-
dicta prius inſpiſſari ſolent, quò facilius ſibi odoramentorum vires adſciſcant. Itaq; aſſumens quod-
cunque horum voles, cum vino feruefacito, impoſitis vnà myrti ramulis, ſerpyllo, cypero, itẽ aſpa-
latho plenius tuſo: Aliqui tamen ad hunc vſum, vno duntaxat horum contenti ſunt: cùm autem ter
efferbuerit, exemptum leniter, & linteo colatum, aromatis vt expoſitum eſt, imbuitur. Hactenus
Lib. 11. de Dioſcorides. Nunc de adipis ſiue ſeui taurini facultatibus in genere prius agemus ex Galeno, de-
ſimpl. facul. inde particulatim ex diuerſis authoribus: Is igitur ſcribit in hæc verba: Taurinus adeps ſuillo multò
cap. 4. calidior eſt & ſiccior. Hoc interim addendum, marem fæmina eſſe tum calidiorem tum ſicciorem:
Seui tauri- marem autem caſtratum adſimilari fæminæ, velut quidquid iuuenilis eſt ætatis: Et inter iuuenilia
ni vires. fæmina mare humidior eſt & minus calida. Sic & adeps vitulinus taurino minus tum calidus eſt,
tum ſiccus: Cæterùm quanto calidior ſicciorque ſuillo eſt taurinus adeps, tanto ſuperaturà leoni-
no. Itaque tanquam in medio conſiſtens, meritò vtrique medicamentorum miſcetur generi, & ei
ſcilicet quod ſcirrhoſis medetur, & ei quod phlegmonas concoquit; cuiuſmodi eſt tetrapharmacum
quod vocant, ex cera, reſina, pice & adipe conſtans. Nam ſiue in hoc taurinum, ſiue vitulinum, ſiue
hircinum, ſiue caprinum, ſiue ſuillum indideris, ſemper puri mouendi aptum, & concoctorium me-
dicamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A dicamen effeceris: taurinus tamen fossoribus & messoribus, & omnibus carnem duram habentibus, siue ob naturalem temperiem, siue ex ratione ac forma vitæ magis conuenit. Hæc ille, & alia quędã de adipe in genere: quibus explicatis reprehendit illos, qui astringendi vocabulo apud Græcos abutuntur: ex quibus etiam Dioscorides non rectè caprinum adipẽ suillo magis astringere scribit, item taurinum, bubulum & vitulinum aliquantum astringere (quanquam posterioris huius dicti Galenus illic non meminit) cum potius aliquid caloris & acrimoniæ habere dicendum ei fuisset, & caprinum suillo acriorem esse, & calidiorem siccioremque. Quod modo ad particulares taurini adipes facultates: Sextus cum resina & creta Cimolia impositum, omnem duritiem discutere tradit: cęterum Aesculapius cum cera imponi iubet, & fortè melius, cum ad Galeni iam dictum tetra pharmacum accedat. Plinius ait: *Vincit maculas in facie taurinum seuum vitulinumuè fel, cum semine cunilæ, ac cinere è cornu ceruino, si canicula exoriente comburatur*. Et rursus. *Arborum resinæ panos & similia cum seuo taurino & melle sanant*. Item. *Parotides miro remedio comprimit adeps vrsinus, pari pondere cum seuo taurino & cera permixtus, atque appositus*. Item: *Ruta emendat vitiligines, verrucas, strumas & similia, cum strychno & adipe suillo ac taurino seuo*. Item: *Ad fœminarum strumas ci-*

Dioscorides notatur.

B *nis aspidum cum seuo taurino imponitur*. Item: *Podagris medetur vrsinus adeps, taurinumque seuum, pari pondere, & ceræ: addunt quidam hypocisthidem & gallam*. Rursus: *Medicorum aliqui axungia ad podagras vti iubent, admixto anseris adipe, taurorumque seuo & æsypo*. Vitulina pinguedo siue seuum quomodo odoramẽtis imbui debeat paulò ante dictum est ex Dioscoride, qui preterea docet, quomodo à putredine conseruetur: si quis (inquit) incuratum adipem anserinum, gallinaceum aut vitulinum à putredine tueri velit, ita faciendum est: Quemuis adipem diligenter elotum & siccatum in vmbra super cribrum, per lintea munda manibus vehementer exprimat, linoque consutum vmbroso in loco suspendat, & post multos dies noua charta inuolutum frigido loco reponat. Pinguia autem indito melle vindicantur à putredinis vitio. Apud Marcellum, vbi legitur: *Vituli adeps ex fœmina* (idest vitula) *sublata cum aqua cotylis tribus decocta & sorbitionis more sumpta, caliaco plurimum prodest*: pro fæmina legendum videtur femine, vt paulò post apud eundem ex inguinibus. Plinius etiam dysentericis & cœliacis seuum vitulinum aut bubulum dari meminit. Cæterùm vsus eius exterior, multò est frequentior, & vt à capite inchoemus, seuum hoc cum sale subactum vtilissimè adhiberi ptyrisiasi Marcellus asserit, & Plinius cum sale tritum capitis vlceribus vtilissimum

Vitulina pinguedo, vt à putredine cõseruetur.

C esse. Si eodem palpebras crassiores perunxeris, extenuabis eas (inquit Marcellus) & ad sanitatem perduces. Plinius verò ait: *seuum vituli cum anseris adipe & ocymi succo, genarum* (palpebrarum puto) *vitijs aptissimum est*. Idem remedium alibi ad aurium dolorem & grauitatem commendat, & Marcellus quoque, qui tepidum infundi iubet. Et rursus alibi in Plinio idẽ remedium (nisi quod nihil referre ait, vitulinè an bouis seuum capiatur) vlcera oris & rimas emendare docet. *Est & alia mixtura* (inquit) *seuo vituli cum medulla cerui & albæspinæ folijs vnà tritis: Idem præstat & medulla* (videlicet vitulina) *cum resina, vel si vaccina sit*. Marcellus promittit, si vituli adipem, ocimo adiecto pariter tepefactum, auriculæ infuderis, amarissimo incommodo laborantem continuò liberatum. Apud Plinium, vbi habet: *Cuminum syluestre auribus instillatur ad sonitus atque tinnitus, cum seuo vitulino atque melle*; quid si legas? vel medulla, vt suprà habuimus ex eodem authore & Plinio quoque. Idem ait. *Manantia verendorum vlcera sanat seuum cum medulla vituli in vino decoctum*: Item, *Inflationibus in sede seuum vituli auxiliatur, maximè ab inguinibus, cum ruta*. Itẽ. *Testium tumor cum seuo vituli addito nitro cohibetur*. De eodem remedio Marcellus, *Adeps vituli* (inquit) *& nitri modicum, vnà permixta & ceroti modo imposita testiculis, tumores omnes & dolores*

D *persanare dicuntur*. Bubulum modò seuum, siue taurinum, siue vitulinum aliquantum astringere Dioscorides tradidit; sed reprehendi à Galeno diximus, quòd astringendi vocabulo abutatur. Id vero renibus maximè detractum, exemptis membranis, aqua marina ex alto petita eluendum est, mox in pila tundẽdum diligenter, affusa maris aqua. Cum verò dissolutum fuerit, in fictilem ollam conijciendum, & marina aqua, quæ non minus quadrante superemineat, proluendum: decoquendum donec omnis aboleatur odor, additis seui Atticas minas quaternis, Tyrrhenicę ceræ drachmis: excolatumque detractis quæ pessum ierant sordibus, in nouo fictili reponendum, opertumque soli interdiu credendum, vt ad candorem reducatur, & odoris virus euanescat. Tantum Dioscorides. Plinius seuũ vitulinũ seu bubulum cõtra venena scribit, quæ exulceratione enecant, auxiliari. Idem ait diuersis locis: *Oculorum epiphoras bubulo seuo cũ oleo cocto illinunt: Cum adipe anserino tepefactũ in aurium grauitate infundunt. Vlcera oris ac rimas cum adipe anseris & ocimi succo emendat*. (Marcellus verò ait: *seuum vituli vel bouis cum adipe anserino impositum, rimas scissurasque oris optimè iungit*.) *Rigores ceruicum bubulo seuo optimè perfricantur, nam continuo mollescunt, & dolor omnis abscedit. Efficax est vitijs sedis. Clauos sanat cum thuris polline: lepras, furunculos, lichenes & psoras sal emendat cum passa vua exempto eius ligno, & seuo bubulo atque origano ac fermento vel pane*.

Seuum bubulum vt paretur.

Lib. 28. cap. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

In furunculis illinitur ſeuum bubulum cum ſale, ſimilique modo caprinum. Sole adusta ſeuo bubulo cum E
roſaceo aptiſſimè curantur. Raſis hoc ſeuum neruis commotis conferre aſſerit, & inuncta mollire.
Vlcera capitis ſubito ſanantur teſte Marcello, ſi aſini ſtercoris ſucco, & ſcillæ contritæ quantum ſa-
tis videbitur, & bubulæ adipis tantundem miſcueris, atque ad capitis vlcera veluti ceroto vſus fue-
1. de morb. mul. ris. Hippocrates ſi vlcera fiant in pudendis, bubulum adipem illini iubet, & myrtum in vino coqui
aut olea folia & rubi & mali punicæ. Nunc de felle dicendum. Auicenna vaccinum validius eſſe ait
Fel. quàm aliarum quadrupedum; ſed Dioſcorides taurinum ouillo, ſuillo, hircino atque vrſino præfert:
Lib. 10. de ſimpl. 12. & poſtea, Vrſinum (inquit) ouillumuè, eadem taurino poteſt, ſed minore efficacia. Galenus taurorũ
fel calidius ſicciuſque eſſe ait, quam boum caſtratorum: ſeque obſeruaſſe quorundam taurorum bi-
lem cæruleam, flaua, vt ait, nimirum ſuperaſſata, quod ob nimiam fatigationem ſitimque continge-
re arbitratur, quare medicamento præparando inijci vetuit. Facile autem eſſe ait ex colore conijce-
re, quodnam fel calidius acriuſque ſit, quod contrà. Alibi ait ſupra ouillum acre eſſe. Hippocrates
ait, tam acre eſſe, vt erodere etiam poſſit: ſi qua verò fellis bubuli acrimonia eſt, ea vino (inquit) albo
lenitur, quod frigidum eſt. Dioſcorides teſtatur fel taurinum miſceri cum melle vulnerarijs empla- F
ſtris, theriaciſque medicamentis, quæ foris inunguntur. Melle autem mixtum Raſis vlcera maligna
ſanare ſcribit. Plinius cum de vlceribus crurum & tibiarum paulò antè locutus eſſet, vlcera cætera
ſanare ait cum cyprino oleo, Dioſcorides cum melle vtiliter tradit inungi contra phagedænas; ſed
Plinius, *phagedænis & fiſtulis* (inquit) *immittitur cum ſucco porri aut lacte mulierum.* Ambuſtis te-
ſte eodem prodeſt; Sextus illitum ſuper Simiæ morſum, perſanare ait. Vlcera in capite tanquam
propius morbus præcipuè infantibus naſcuntur, ſed & viros & mulieres grauiter moleſtant: hæc fel-
le taurino cum aceto tepefacto illita, efficaci remedio ſanari Marcellus teſtatur. Mixtum autem cũ
nitro & vino & oleo quod ſatis ſit, vlcera capitis, vel ferueſcentem ſcabiem ſanare. Plinius ait: *Alo-
pecias felle taurino, cum Aegyptio alumine tepefactis illinunt:* Cum nitro cretaque Cimolia lepras
furfureſque efficaciſſimè exterit teſte Dioſcoride. Fel tauri vel aſini, vtrumque per ſeſe aqua infra-
ctum, euitatiſque ſolibus ac ventis poſt detractam cutem, maculas in facie vincit, vt refert Plinius,
& in faciem illitum, lentigines purgat: Comitialibus quoque dari ait ſeuum caprarum cum felle
taurino pari pondere decoctum, & in folliculo fellis reconditum, ita ne terram attingat, potum ve-
rò ſub limine ex aqua. Raſis verò duram lapidis inſtar ſubſtantiam, quæ in felle bubulo reperitur,
Alchenon quid. Alchenon vocat, comitialibus ait, prodeſſe, & aciem oculorum promouere, ac quid humoris colli- G
gatur, prohibere, & ſi deſit alcheron; ſubſtitui iubet ſeſquidenarium de felle tauri nigri. Collyria te-
ſte eodem Plinio fiunt felle taurino cum oui albo, aquaque diſſulata inunguntur per quatriduum:
& Aeſculapius ait, cum melle & balſamo oculorum vitia ſanare, Geſnerus, vt apud Sextum reperi-
tur, potius legit hoc modo: Cum mulſo & melle Attico inunctum, ſuffuſionem & caliginem oculo-
rum ſanat. Idem Sextus aſſerit, mulſo infuſum & auribus inſtillatum, ſanare earum dolorem. Sed &
Plinius ait; Aurium dolori & vitijs medetur præcipuè fel taurinum cum porri ſucco tepidum; vel
cum melle ſi ſuppurent: contraque dolorem grauem, per ſe tepefactum in mali corio: atqui Dioſco-
rides aliter: Sanat, inquit, purulentas aures, & in his rupta cum caprino humanouè lacte inſtillatũ.
Marcellus verò etiam ait: *Purulentæ & obtuſæ auriculæ & dolorem tolles, & auditum confirmatiſſimũ
reddes, ſi prius eluas eam laſere cum recenti caprino aut mulieris lacte permixto, deinde inſtilles tepi-
dum fel taurinum cum oleo cedrino æquis portionibus mixto.* Auicenna præterea teſtis eſt fel tauri
conferre recentibus aurium vlceribus, & Raſis, ſi duæ vel tres guttæ eius inſtillentur auri tinnienti
conducere: Dioſcorides porri ſuccum addens, cum porri (inquit) ſucco ſibilis aurium medetur: Idem H
ait, anginis cum melle inungi, quod & Plinius annotauit, qui & dentes eo efficaciter collui ait. Mar-
cellus ex felle iſthoc, ſale, aceto, melle, oleo veteri, æquali portione ſimul mixtis, cum opus fuerit,
pinna perfricare iubet fauces diutius laborãtes. Si tormina ſint dyſentericis cornus ceruini cinerem
aut fel taurinum cymino mixtum, & cucurbitæ carnes vmbilico imponi tradit Plinius. Ad lumbri-
cos egerendos felle taurino madefactam lanam vmbilico apponi iubet Marcellus. Dioſcorides ſe-
dis vitia ad cicatricem perducere ait, & Plinius, ſedis (inquit) vitijs præclarè medetur in linteolis
concerptis, rimaſque perducit ad cicatricem: Auicenna item ani vlceribus mederi ait. Qui occluſas
hæmorrhoidès taurino felle aperiunt, ijs interdum imbecillum, interdum verò ſuprà quàm conue-
niebat acre teſte Galeno apparuit; ſed facilè (inquit) ex colore quodnam fel vehementius, quod re-
miſſius ſit, diſcerni poteſt. Sextus fel taurinum in lana collectum & ſuppoſitum ano, ventrem teſta-
tur ſoluere: idemque facere infantibus ſuper vmbilicum poſitum, & lumbricos proijcere. Et Plinius
Malagma purgatoriũ. cum abſynthio tritum, ac ſubditum paſtillo, aluum ſoluere profitetur. Malagma purgatorium ad
paruulos, ſi ob infirmitatem potionem purgatoriam bibere non poſſunt, tale recenſet Marcellus:
*Lupinos crudos ſiccos in ollam nouam miſſos in furno torrebis, ſiccatoſque ac tonſos vel molitos cum felle
taurino vel vitulino miſcebis; at pro malagmate ad imum ventrem, ab vmbilico deorſum verſus impo-
nes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *ues. Nam si supra vmbilicum imposueris* (inquit) *stercus omne sursum vocabis: impositum autem deor-
sum versus, & bilem detrahet, & pituitam deducet*. Idem Marcellus, butyro & medulla ceruina &
felle taurino cum oleo cyprino aut laurino perfricta genua sanare memorat. Plinius contra genita-
lium & scroti dolores cum melle vtiliter inungi: pterygia digitorum leuare aqua calida dissolutum:
quosdam adijcere sulphur & alumen pari pondere omnium. Illinuntur & vuluæ in dolore felle tau-
rino, vt scribit Auicenna. Cum aqua colocynthidis recentis datum mulieri in partu laboranti, Ra-
sis citò partum educere promittit. Equidem Plinius mulierum purgationes adiuuare scribit lana
succida appositum: Olympiam Thebanam addidisse hyssopum & nitrum: Tauri fel trium dimidio-
rum obolorum Atticorum pondere, in vino ieiunæ bibendum dato, & efformato quoque ex ipso
catapotia deuoranda, vt menses detrahantur: præceptum hoc est Hippocratis. Si sterilitas ob par-
tus vexationem fiat, Olympias Thebana, vt idem Plinius refert affirmat felle taurino, & adipe ser-
pentium & ærugine, addito melle, medicatis locis ante coitus, emendari. Hippocrates, cum mu-
lier genituram suscipere non potest, fel tauri feruefieri iubet, & alumen Melium, & cornu cerui vstũ
teri, & permistis ac in glandulas efformatis vsurpari. Idem ad oscula vteri obdurata, fel taurinum
B & salem feruefieri vult & sulphure trito admisto in oblongam spinã & tractum efformari & ad duos
dies ac noctes nudam ad ipsos vteros apponi, & deinde rursus mercurialem: post hæc myrrham pu-
ram inspergi, & rosaceo & irino vnguento ammisto dilui, indeq; vteri osculum quàm penitissimè il-
lini. Nunc de bubulo dicamus. Hoc melli admixtum, ferrum infixum authore Rasi, vel spinam ex-
trahit: bdellium in eo dissolutum iuncto aceto & fistulæ infusum iuuat. Idem fel ad crassitudinem *Fel bubulũ.*
mellis subactum, & illitum permixto alumine & myrrha, ea quæ veretris serpunt, mira celeritate
persanare author est: suprà verò betam vino coctam rectè imponi. Apud Plinium verò sic legitur:
Vitia quæ in verendis serpunt, fel bubulum sanat, cum alumine Aegyptio ac muria ad crassitudinem *Lib. 28. cap. 15.*
mellis subactum, insuper beta ex vino cocta imposita, vt caro quoque bubula. Ait etiam: *Panos & apo-
stemata in quacunque parte fel bubulum discutit, vt sanguis etiam, & caro bouis calida imposita. Stru-
mas discutit tepidum illitum, vel aprinum*: Marcellus verò non aprinum, sed caprinum ad strumas
commendat his verbis: *Fel bubulum vel caprinum ad incipientes strumas optimè facere experimenta
docuerunt. Nam penitus crescere non sinentur, si eo assiduè tangantur*. Auicenna ait: Bubulum fel
cum nitro & cimolia furfures amolitur, si caput inde lauetur. Hippocrates ad vlcera inueterata, hoc
C recenset remedium: Fel bubulum siccum, mel quam optimum, vinum album, in quo cocta sint lo-
tiramenta, thus, myrrha æqualis, flos æris similiter: Ex liquidis autem vinum sit plurimum, deinde
mel, pauxillum verò fel. In vsu est etiam ad collyria contra vngues oculorum. Rasis, fel vaccæ ni-
græ (inquit) si eo illinantur oculi debiles, scripturam amilli non percipientes, prodest: quid sibi velit
vox amilli non assequor: sensus forsitan est (inquit Gesnerus) iuuari eos qui scripta remotiora lege-
re non possunt, quos Græci μύωπας vocant, lusciosos vel luscitiosos Latini. Plinius tamen nyctalo-
pas lusciosos interpretatur, eorumque oculos felle capræ inungi scribit. Tantum Gesnerus. Idem
Rasis in felle boum inueniri ait aliquid lapidi simile, figura annuli, quod philosophi vocent alche- *Lapis in felle bouis.*
ron: id autem tritum & naribus attractum, aciem oculorũ promouere, & prohibere, ne quis humor
descendens in oculis colligatur: item si magnitudine lentis inde capiatur cum succo betæ, & hau-
riatur naribus, comitialibus prodesse. Quod si autem desit id alcheron, iubet substitui sesquidena-
rium de felle tauri nigri, vt præcitauimus. Hunc lapidem aliqui etiam guers & massatum vocant,
vt Matthæus Syluaticus scribit, Arabica nimirum dialecto: Aduersus grauitatem audiendi fel bu-
bulum cum vrina hirci, auriculæ quæ molestiam surdiginis patitur, instillari iubet Marcellus, sta-
D timque auxilium pollicetur, & Plinius; *Si grauitas* (inquit) *sit audiendi, fel bubulum cum vrina ca-
præ vel hirci medetur, vel si pus sit*. Et rursus: *Fel testudinum cum vernatione anguium aceto admix-
to, vnicè purulentis auribus prodest: Quidam bubulum fel admiscent, decoctarumque carnium testudi-
nis succum, addita æquè vernatione anguium, sed diu in vino testudinem excoquunt* Et iterum: *Sene-
ctus serpentium* (quæ non vetustior anno sit) *feruente testa vsta instillatur auribus rosaceo admixto,
contra omnia quidem vitia efficax, sed contra grauecolentiam præcipuè. aut si purulenta sunt ex aceto,
melius cum felle caprino vel bubulo, vel testudinis marina*. Rursum: *Aurium dolori & vitijs medetur
fel apri vel suis vel bubulum, cum oleo cicino & rosaceo æquis portionibus: præcipuè verò taurinum, cum
porri succo tepidum, vel cum melle si suppurent*. Haly ait: Fel bouis tinnitui & sonis aurium intesti-
nis medetur, si cum gossypio imponatur; & si cum oleo instilletur, contractum ex frigiditate dolorẽ
lenit. Auicenna felle bouis palatum illini scribit ad prouocationem, quamnam verò, non explicat:
intelligit fortassis apophlegmatismum, idest, pituitæ à capite detractionem. Sunt qui morbum re-
gium pelli credant fascia linea in bubulo felle calido tincta, & corpori sub costis incincta: quod tri- *Lib. de nat.*
duo faciendum aiunt, ita vt quotidie renouetur medicamentum. Si mulier diù non concepit, men- *mul.*
sibus apparentibus tertia aut quarta die, Hippocrates alumen tritum vnguento dilutum, lana exce-

ptum apponere iubet, & per tres dies appoſitum haberi: tertia verò die fel bouis radi, & ramentum oleo dilutum ac ſubactum, linteo exceptum apponi, & tres dies appoſitum haberi: ſequenti verò cũ viro concũbere. Idem Hippocrates ad ducendos menſes iſtiuſmodi glandem componit: Pulegium, myrrham, thus, fel ſuis aut bouis cum melle ſubigito & glandem efformato. Induratam vuluam aperit fel iſtud teſte Plinio, roſaceo admixto, foris vellere cum reſina terebinthina impoſita. Mixtũ vino & medullæ colocynthidis ac melli, ano illito, aluum proritare Raſis ſcribit, Hippocrates vtitur ſimiliter in ſuppoſitorijs: Glãdulas (inquit) facito ex mellis, aniſi acetabulo, bituminis drachmis duabus, felle bouis, myrrhæ drachmis tribus, elaterij portione. Hæc in vaſe æneo coquito & anſeris adipem admiſceto, & vbi voles, glandulis anſerino aut ouillo adipe illinito, lana autem vtere molli. Auicenna ait hæmorrhoides aperire: in quẽ vſum Galenus & alij taurino præcipuè vtuntur. Mariſcę aut fici, vt quidam ſcribunt, ſi felle bubulo linantur, indubitanter abolentur. Genus etiam maligni & depaſcentis vlceris; in tibijs præcipuè, quod vulgus lupum vocat, ſanari quidam promittunt, impoſita cataplaſmate ex ſucco carlinæ (qui radice contuſa expreſſus ſit) & chelidonij maioris & felle bubulo, ita vt partes ſingulorum æquales miſceantur. Mirum videtur, quod ſcribit Proſper Alpinus libro tertio de medicina Aegyptiaca cap. 3. nonnullas mulieres in Aegypto, vt pingueſcant,

Fel vitulinum. in balneis accipere nouem diebus fellis vaccini chirat, in aqua cala f diſſoluti. Vitulinum modo fel lendes exterminat teſte Marcello, ſi caput eo perungatur: & Plinius ait: *alopecias ſanat vrina hominis vetus, ſi cyclaminum adijciatur, & ſulphur, efficacius tamen & vitulinum fel, quo cum aceto calefacto, tolluntur & lendes.* Ait item: *Vincit lepras ac furfures cum ſemine cunilæ, ac cinere è cornu cer-*

Lib. 28. cap. 18. *uino, ſi canicula exoriente comburatur.* Idem Plinius fel vituli calefactum cicatrices extenuare dicit: medicos autem adijcere myrrham & mel & crocum, æreaque pyxide condere; aliquos & florem æris admiſcere; cæterùm imprudenter ad cicatrices cutis refert, cùm ad oculorum cicatrices tantum pertineat, quod vel ipſa ocularium medicamentorum materia monere ipſum debuiſſet. Idem medicamentum Marcellus Empyricus inter oculorum remedia his verbis deſcribit: *Fel vituli diligenter collectum ad cotylæ menſuram in vas æreum mittitur, tenuiq; igne admoto ita excoquitur, vt ſpiſſetur, deinde mellis boni tantum mittitur, quantum fellis illius decocti remanſerit, adijciuntur poſtea myrrhæ tritæ drachmæ duæ, croci vna, & æris flos pauxillum, ac poſtea ſimul omnia diu coagitata, adtertias decoquuntur: quod medicamen in pyxide ærea debet reponi, ſatis vtile & leucomatis & cicatricibus, & omnibus vitijs oculorum, ſi aſſiduè inde & opportune inungantur.* Idem Marcellus ait: *Cum felle vitulino & aceto pari menſura ſerpentis ſenectus, ideſt, exuuiæ decoctæ, & lanula madefacta medicamentum auriculæ inſertum, maximæ vtilitatis eſſe creditur, ſi prius feruenti aqua de ſpongia aurem foueris.* Vitulinum fel ſi in purgationibus fuerit ſub coitu aſperſum vuluæ, etiam duritiam ventris teſte Plinio emollit, & profluuium minuit, vmbilico peruncto, atque in totum vuluæ prodeſſe: Modum ſtatuunt fellis pondere denarij ad apij tertiam, ammixto amygdalino oleo, quantum eſſe ſatis appareat, hoc in vellere imponunt. Maſculi fel vituli cum mellis dimidio tritum, ſeruatur ad vuluas. Inuenio & cimices eo fugari, ſi nimirum amurcam coctam, felle bubulo mixtam cum oleo eis inſperſeris. Author eſt Didynus.

Corium. Habet & corium, & quod ex eo fit glutinum, ſuum in medicina vſum. Plinius teſtatur perniones ſanari corio combuſto, melius ſi ſit ex veteri calceamento: eiuſdemque cinerem cum melle phagedænas in vlcerum genere abrodere: necnon etiam ait, veteris ſoleæ crematæ cinerem calceamentorum attritus ſanare: quod & Dioſcorides ſcriptum reliquit, qui inſuper ambuſtis & intertriginibus hunc cinerem mederi ait, ſi illinatur. Hermolaus Barbarus ex oleo illinendum tranſtulit. Coria vetera (inquit Galenus) quæ videlicet veteramentorum ſunt vſta, ad attritiones commodari calceamentorum ſcriptum à quibuſdam eſt: tãquam ſcilicet hoc faciant ex antipathia quadam. Certè quæ phlegmone obſidentur, haud quaquam iuuantur, nempe quia reſiccantur. Eſt enim talis cinis reſiccatorius. Ac nos ſanè quandoque in agro ad vlcus huiuſmodi ex attritione ſumus vſi. Curat autem talis cinis non abs re vlcera ambuſta, & quæ vocantur intertrigines in fœminibus exiſtentes.

Glutinum. Gluten ex corio bubulo Græci taurocollam vocant. *Ex corijs boum* (inquit Plinius) *excoquitur, taurorumque præcipuum. Præſtantiſſimum fit ex auribus taurorum, & genitalibus. Nec quicquam efficacius prodeſt ambuſtis. Sed adulteratur nihil æquè, quibuſuis pellibus inueteratis, calceamentisque etiam decoctis. Rhodiacum fideliſſimum, eoque pictores & medici vtuntur.* (Hodie à noſtris pharmacopolis præſtantius, colore ferè ſpadiceo, quam maximè durum, & vitrifere inſtar fragile, Germanicum cognominatur, & duplo carius vulgari quod ſubatrum eſt, venditur,) *Id quoque quo candidius, eò probatius. Nigrum & lignoſum damnatur.* Et alibi. *Ichthyocollam* (inquit) *quidam ex ventre piſcis eiuſdem nominis, non ex corio fieri dicunt, vt glutinum taurinum.* Plinio aſtipulatur Dioſcorides hoc modo ſcribens: Collan ideſt glutinum, aliqui xylocollan vocãt

Glutinis inuentio. quod in ligno ferruminando eius ſit vſus, alij taurocollan. Probatiſſimum Rhodium eſt. Ex boum corijs conficitur, colore candido, & lucem tranſmittit: nigrum deterius. Huius inuentionem Dædalo

dalo

A dalo teste Plinio debemus, quo tenaci nexu hærerent simul, quę alia ratione coniungi aptius non poterant. Inest corijs omnibus mucosus lentor, alijs minor, alijs copiosior, vt in bubus: ex quo glutinum faciunt: *Glutinis inuentio.* Fabri affirmant, vbi conglutinata sunt ligna, minus frangi, quàm vbi continua. Callopa Gręci vocant pellem taurinæ ceruicis, (vel partis inferioris in ceruice) vnà cum pinguedine adhærente, vnde prisci collabos faciebant. Alij suum & boum duriora coria circa collum interpretātur, vnde collabi fierent. Sunt autem κόλλαβοι fidium epitonia, idest clauiculi in cithara, quibus intenduntur & remittuntur fides. *Collabus quid.* Κόλλα τῦ βόος, est pellis in dorso bouis, vnde gluten conficiebant, & κόλλεα vertunt coriorum quędam segmenta, ex quibus glutinum coquitur. Alicubi Plinius, *Glutinum* (inquit) *vulgare è pollinis flore temperatur feruente aqua, minimo aceti aspersu. Nam fabrile gummisq; fragilia sunt.* Et alibi rursus optimum & electum scammonium, specie ait esse nitidum & taurino glutini simile. Nunc de medico eius dicamus vsu. Eo, vt dictum est, ambustis nihil quicquam efficacius habetur: Auicenna autem cum melle & aceto ijs illini iubet: Scabiem hominis teste Plinio abolet in aceto liquefactum, addita calce. Et Auicenna ait: Cum aceto illitum impetiginem tollit & scabiem si profunda non fuerit.
B Marcellus itidem aceto remissum, adiecto sulphure leni igne decoctum, ita vt ad mellis crassitudinem perducatur, surculoque ficulo dum coquitur, agitatum ac bis per diem impositum, impetigines agrias, idest feras, potentissimè sanare asserit. Sanat & recentes plagas ferro illatas, vt ait Plinius, liquefactum & tertio die solutum. Miscetur cum aceto & melle, eaque lotione lendes tolli author est Auicenna: Ait etiam Plinius: *Medetur dentibus fabrile glutinum in aquà decoctum illitumque, & mox paulo detractum, vt confestim colluantur vino, in quo decocti sunt cortices mali punici dulcis.* Item: *Glutinum taurinum cũ tribus obolis cum calida aqua bibitur in vetere sanguinis excreatione.* Ad eundem vsum Marcellus commendat glutinum quo charta glutinatur; *hoc enim* (inquit) *calidum in modum sorbitionis hauritur, vel ex aqua calida sanguinem excreantibus datur.* Idem ait; *Glus taurina aqua calida resoluta, cœliaci ventris inflationi vtiliter imponitur:* Ego (inquit Gesnerus) magis probo Plinij lectionem, quæ huiusmodi est: *Infundunt dysentericis & glutinum taurinum aqua calida resolutum.* Antispodij vires referre taurini glutinis cinerem leges apud Plinium, lib. 34. cap. 13. Cornus bubuli vsus medicos reperio istiusmodi. *Cornus bubuli facultas & vsus.* Ex cornu bubuli summis partibus cinis, tussim sanat, si Plinio credimus: Idem bubuli cornus mucronem exustum duorum cochlearium mensura, addito melle, pilulis deuoratis, phthisicis prodesse tradi ait.
C Rasis verò cinerem de cornu vaccæ cum aceto illitum, impetiginem curare testatur, & naribus immissum, sanguinem profluentem sistere. Marcellus cornu istud iubet comburi (ex ea parte, qua capiti hæret) & in puluerem tenuissimum redigi, atque ex eo puluere cochlearia duo cum aquæ calidæ cyathis tribus, & paululo aceti, ieiuno splenitico per triduum dari bibendum. Cæterùm & vngula suum habet vsum. *Vngulæ vsus.* Rasis author est, vngulam vaccæ vstam & potam à muliere cui lac defecerit: restituere lac, & corpus lactantis corroborare, nimirum si illis exhibeatur in iusculo, vino, vel liquore alio idoneo, ut Antonius Mizaldus addit. Eædem carbonibus impositæ mures suffitu, ut hic idem annotauit, enecant, uel alio abigunt. Vngulas vaccarum elixas, & cum sinapi comestas, resistere omni ueneno, tradit Santes Ardouinus ex Kyrando. Plinius ait: *Bouis vngulæ cinis ex aqua strumas discutit:* nimirum illitus. Scobs de talo bouis uino excepta, & dentibus mobilibus apposita, eos confirmat, teste Galeno: alij uerò non scobem tali, sed cremati cinerem, & dentes, gengiuasque laxas eo confricari iubent (vt Plinius, & Rasis, & Haly, quorum interpretes pro talo calcaneum, & os bouile imperitè verterunt) dentes ita firmandos, & mitigandos dolores polliciti.
D Alibi etiam Plinius ait, eundem cinerem cum myrrha dentifricium esse. Cum cera & medulla ceruina ambustis medetur. Scobs eius cum melle pota, lumbricum educit, si Galeno fidem habemus. Et Rasis ait. Cum vino, & melle perimit lumbricos cucurbitæ granis similes. Eadem Scobs eisdem authoribus cum aceto mulso splenem minuit turgidulum; & tollit præterea leucas, idest, impetiginem albam. Haly item lepræ testatur prodesse: Idem astipulante etiam Galeno, Venerem mediocriter stimulare ait. Friuolum licet videatur, (inquit Plinius (non tamen omittendum propter desyderia mulierum. Talum candidi iuuenci quadraginta diebus noctibusque, donec resoluatur in liquorem, decoctum, & illitum linteolo, candorem, cutisque erugationem præstare. De coxis vstis eandemque facultatibus ihstæc legimus. Coxæ boum vruntur, bibunturque, vt Rasis scribit, vt sanguinem fluentem, & menses cohibeant. *Coxæ vsus.* Galenus tauri femora vsta etiam sanguinem sistere scribit, & Auicenna: Vaccarum (inquit) femora cremata, sanguinis & alui quoq; profluuium compescunt. Celebratur inter omnia coagula potissimùm leporinum. Pares tamen illi vires habere tradit Dioscorides, hœdi, agni, hinniculi, dorcadis, capreæ, dorci, cerui, uituli & bubali coagula. *Coagulum.* Dixerat autem uenenatorum morsibus, cœliacis, & intestinorum torminibus, leporis coagulum utile esse potum in uino trium obulorum pondere: utile & fœminarum fluxionibus, concreto sanguini,

difficilibuſque pectoris excreationibus: conceptus item adiuuare, vuluæ cum butyro poſt menſtruas E purgationes appoſitum. Potum fœtus in vtero enecare, & à puerperio ſtatim ſterilitatem facere. *Lib. 32.* Apud Plinium, vbi ſcribitur: *Lethargicos coagulum vituli adiuuat in vino potum oboli pondere*, non de coagulo terreſtris vituli, ſed marini intelligi debet, cùm ſit liber trigeſimus ſecundus, in quo hoc recenſetur, de aquatilibus. Idem author eſt membranam è partu bouis madida vlcera in facie ſa-*Lib. 28. cap. 12.* nare: Scribit item in iuuencarum ſecundo ventre pilæ rotunditate nigricantem tophum reperiri, nullo pondere: ſingulare (vt putant) ægrè parientibus, ſi tellurem non attigerit. *Membrana è partu bouis.* Alibi quoque capiti bouis tradi teſtatur lapillum ineſſe, quem ab eo expui ſi necem timeat: inopinatis præciſo capite exemptum, adalligatumque mirè prodeſſe dentitioni: Item cerebrum eiuſdem ad eundem vſum adalligare iubere. Mirum quod ſcribit Marcellus, ex eadem aqua de qua bos, aut aſinus biberit, *Lib. 30. cap. 15.* paululum ſumptum & potatum, tollere efficaciter capitis dolorem. Inter genera lactis, quæ non ſolùm pro victu, ſed etiam pro medicinæ vſu, præcipuè celebrantur, bubulum haud poſtremum locum *Lac.* obtinet. Præcipuè autem celebrantur, mulieris, bouis, ouis, capræ, bubali, aſinæ, equæ, cameli. Primas aiunt obtinere humanum, caprinum ſecundas, ouillum craſſum eſſe & pingue, & parum ſeri F habere: vaccinum item craſſum & cæteris pinguius, exque hoc butyrum præcipuè confici: aſininum autem admodum aquoſum & ſeroſum, ſine vllo pingui, eaque de cauſa hecticis maximo iuuamento dari: ſuillum quoque lac crudum aqueumque eſſe, equinum & camelinum caſeoſum. Quo au-*3. de Aliment. fa.* tem lac liquidius, vt docet Galenus, magis, quo autem craſſius minus, aluum ſubducit: quippe quòd ſua caſeoſa, vt ita dicam ſubſtātia, vt ibidem ait, aluum ſiſtit, ſeri facultate ducit: proinde caprinum *2. de diæta.* lac magis per aluum ſecedit, ſed bubulum minus, ouillum verò ſiſtit. Doctrina hæc quoque eſt Hippocratis ita ſcribentis: Ouillum aluum ſiſtit, caprinum verò magis per aluum ſecedit, bubulum ve-*Lib. 28. c. 9.* rò minus. Equinum autem & aſininum magis ſecedunt. Legò tamen apud Plinium ſtomacho accommodatiſſimum eſſe caprinum, bubulum medicatius, eoque aluum ſolui quàm maximè. Idem ſcribit Arcades tradi non medicaminibus vti, ſed lacte circa ver, quoniam tunc maximè ſucciſturgeant, medicanturque vbera paſcuis. bibere aut vaccinum, quoniam omniuoræ ferè ſunt in herbis. Teſtaturque Dioſcorides lac bubulum per ver bibi purgandi cauſa, quoniam omnibus herbis, & multum paſcitur id animal. Cuncta venena expurgari eo tradunt Græci, (inquit idem Plinius, idem tamen etiam refert Dioſcorides) maximè ſupradicta (ideſt quæ roſiones, vſtioneſque inferunt) & ſi G ephemerum impactum ſit, aut ſi cantharides datæ, vomitione omnia egeri. Priuatim verò teſte eodem prodeſt his qui colchicon biberint, aut cicutam, aut dorycnium, aut leporem marinum. Cortex glandis (arboris, non fructus, vt Geſnerus exponit) decoctus lacte vaccino ſerpentis plagæ illinitur. Oris vulnera recentia ad ſanitatem reducit, vt quidam citat ex Dioſcoride. Apud Plinium, nitrum in facie exulcerationes ſanat cum melle & lacte bubulo, eodemque aut caprino tonſillæ aut arteriæ exulceratæ leuantur: gargarizatur tepidum, vt eſt expreſſum aut calefactum: caprinum vtilius cum malua decoctum & ſale exiguo. Idem remedium refertur a Marcello his verbis: *Lac caprinum vel bubulum vel ouillum recens mulſum, dum calet, vel etiam calefactum gargarizatum, tonſillarum dolores & tumores cito ſedat.* Idem Marcellus ait: *Lac bubulum recens mulſum & lento igne calefactum gargarizatumq; arteriam constrictam infuſo catarrho, & fauces exaſperatas priſtinæ ſanitati reſtituta perſanat.* Idem ad phthiſim: *Picem præcoquam ſiue quam viſcoſam vocant, & rubricam Scythicam, quam alij piſſaſphaltum vocant, cum ſeui ceruini remiſſi cyatho vno, & lactis bubuli vel ouilli pari menſura, ſi quis iam periclitanti phthiſico in potu vel in cibo quotidie dederit, mirè ei ſubuenit.* Ait item: *Lac bubulum tepidum incoctum ſubinde ſumptum, exulceratum quoque ſtomachum ſanabit.* Hoc & Plinius teſtatur inquiens: *Stomachum exulceratum lactis aſinini potus reficit, item bubuli:* Hippo- H crates alicubi lac vaccæ nigræ præſcribit & ſeſamum tritum, ad quadraginta dies, ex partu ſanguinem vomenti, donec probè habeat. Dioſcorides exulceratos alui fluores & teneſmos lacte ouillo bubuloue, aut caprino, ignitis calculis (interpres addit, marinis) de cocto ſiſti atteſtatur, & Marcellus ait, laborantibus teneſmo, ideſt, inquit, qui de perfrictione aſſidua ſedere cupiunt, & nihil deijciunt, lac bubulum decoctum, frequenter potum, maximè prodeſſe. Plinius etiam dicit: *Teneſmus ideſt crebra, & inanis voluntas egerendi, tollitur poto lacte aſinino, item bubulo.* Aetius in bilioſis fluxionibus lac bubulum aut caprinum, tepidum recens mulctum auxiliari ait in potu: aut ad ignem decoctum, aſſiduèque agitatum, donec ad tertias ſit reductum: quod ipſum & per fluuiales ſilices (καχληκας Græci vocant) ferrique laminas igni candefactas, ac in lacte extinctas fieri poteſt. Cæterùm in decoquendo (inquit) ſuperſtantem concretionem ſiue ſpumam cochliari aut penna auferre oportet. Hoc enim nullum compendioſius remedium ad fluxiones reperiri poſſe. Quandoquidem autem febricitantibus lac ipſum in nidorem aut etiam acorem conuerti conſueuit, maiuſque nocumentum quàm commoditatem inferre: tunc ſanè in præſens, ipſum non exhibendum. Idem Aetius eadem ferè in cœliacorum etiam diæta tradit, ita exhibitum ſimul ſiſtere ac temperare fluxiones

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A xiones inquiens. Sed & Galeno teste bubulum lac dysentericos iuuat; & Plinius: *Bubuli lactis deco-*
cti potus, inquit, *inter cęliacorum & dysentericorum remedia numeratur: dysentericis addi mellis exi-*
guum pręcipiunt: & si tormina sunt, cornus ceruini cinerem, aut fel taurinum cumino mixtum, &
cucurbitę carnes vmbilico imponere. Nostri quoque temporis medici vt dysenteriæ occurrant, in
vaccino lacte stomoma siue ferri aciem optimam nouies candefactam extinguunt, idque calidum
propinant ægro, vel per clysterem inijciunt. Nonnulli in aqua etiam ægro bibenda aciem simili-
ter extinguunt. Alij lac vaccinum in olla ad ignem ponunt, & duos lapides nigros fluuiatiles si-
mul & aciem candefaciunt, & lacti imponunt, ac ne exundet ebulliendo cauent: lac ita medicatum
quàm calidissimum bibi præcipiunt. Aetius, de suppuratis renibus tractans: lac cum melle post pu-
ris eruptionem eis præberi iubet, & primum quidem asininum aut equinum: ad vlcera enim expur-
ganda (inquit) conducit: cùm verò repurgatione amplius opus non habent, & morsus fiunt obtu-
siores, indigetque æger nutrimento, tum etiam bubulum lac eis exhiberi cupit duarum aut trium
heminarum mensura. Sunt qui aiunt referente Plinio vaccini lactis potu conceptus adiuuari. Hip- *Epidem. 2.*
B pocrates, cùm vulnerato intestino respiratio prodit infernè inconspicua iuxta vulnus, & euacuan- *sect. 6.*
tur pectora, dari lac & vinum iubet, pari aquæ mensura ammixta. Aitque alicubi: si capitis os do-
leat, fractumque sit, lac vinumque pari modo propinato. Gesnerus testatur aliquos nostro tempore
aduersus quartanam remedium prędicare, si ex vino & lacte confusis liquor in balneo Mariæ (vt vo-
cant) extractus per aliquot dies bibatur. Præterea Hippocrates, cum fluxus albus obortus fuerit *Lib. de nat.*
qui vel ventris mouet profluuium, vel ad vterum vertitur, &c. pharmacum bibi iubet, à quo superna *mul.*
purgentur, & lac asininum. Postquam autem (inquit) infra purgata fuerit, bubulum lac bibat ad
dies quadraginta, si poterit, meracum (vt Cornarius transfert, in Græco est, ἄκρητον οἶνȣ) sub dio
per noctem expositum, quarta aquæ parte ammixta, & quæ sequuntur: iubet autem aquam paula-
tim imminui, & eius loco plus lactis tepidi recens emulsi admisceri, donec rursus ferè merum lac
fiat. Nam ἄκρητον non de vino solùm dicitur, sed de quouis mero & non mixto. Totus sanè ille apud
Hippocratem locus, difficilis & obscurus videtur. Hoc saltem si non ex isto loco, ex superioribus ta-
men constat, vinum lacti permixtum inter remedia quondam fuisse. Sanos verò in cibo idem face-
re nostrates (inquit Gesnerus) metris huic argumento accommodatis reprehendunt; quorum hic
sensus est: *Lac non Lyæo de iecore. Est abluendum, sed liquidis Argenteisque nymphis Ei, qui diu frui*
C *volet, Dextra valitudine.* Nimirum quod facilè lac vino permixtum acescat, & simul in ventriculo
corrumpantur, aut etiam fortè cogulandi in eo lactis periculum sit: Auicenna certè Empiricos In-
dos aliosque docere scribit, lac cum acidis vel acetosis edendum non esse, quoniam diuturni morbi
inde oriantur, vt lepra & alij. Ex lacte habemus, butyrum, caseum, & serum. Dicam de vtrorumque
vsu, sed medico tantum. Postularent enim per se tractatum integrum, ac prolixum. Habuerunt
(inquit Hieronymus Mercurialis) veteres uaria butyri genera, sed pharmaci potius loco; præsertim *Lib. 1. Var.*
apud nobiles, quàm cibi, illis in usu erat, ut non immeritò Plinius butyrum gentium barbararum *lect. c. 16.*
laudatissimum cibum, quique diuites à plebe discerneret, appellarit. Hac namque ratione factum *Butyri vsus*
puto, vt Athenæus, qui in suo conuiuio nullum cibi genus præterijt, butyri nunquam mentionem *medicus.*
fecerit. Plinij verba quædam, vbi de butyri effectibus sermonem habet, mihi suspecta redduntur,
nimirum hæc: *Natura eius astringere, mollire, replere, purgare.* Nam præterquam quod duo ista
sibi aduersantur, mollire & astringere, à nullo quoque authore butyro astringendi facultatem at-
tributam legi: neque id rationi & eius temperaturæ consonum videtur. Quocirca pro astringere,
D digerere restituendum duco, cum præcipua quam butyro Galenus ascribit, facultas, sit digerendi
vis. Dioscorides ait, replere, purgare & carne vestire. Galenus facultatis ait esse concoquentis, *Lib. 10. de*
paululum habere etiam digerendi potentiæ, in medijs nimirum corporibus secundum duritiem & *simpl. med.*
mollitiem. Nam id semper (inquit) memoria tenere oportet, quicquid simpliciter ac sine addito *fa.*
profertur, de medijs temperatura corporibus intelligi. Nam corporum plane durorum tumores
præter naturam hoc nequit medicamen digerere. At quæ in mollibus sunt phlegmonę eas & conco-
quit & digerit perfacilè. Nam parotidas & bubonas & oris phlegmonas, aliasque partes complu-
res prorsum illo solo curauimus, nimirum puerilibus corporibus & mulieribus perpetientibus. Sed
& gingiuis puerorum dentientium assiduè illitum nihilo imbecillius melle gingiuas extenuat, per
quas exitus est dentibus: & alios omnes in ore affectus phlegmonosos, posteaquam fluxio restiterit,
digerit pariter & concoquit. Proinde cataplasmatis inditur, quæ extrinsecus imponuntur paroti-
dibus, hypochondrijs, & bubonibus. Sed & in ventrem deuoratum, & ex eo distributum, magni-
ficè confert expuitionibus ex pulmone, idque in pleuriticis & peripneumonicis affectibus, cum hoc
quod eos etiam concoquat. Atque si solùm lingatur, magis quidem concoquit, verum minus edu-
cit: sin cum melle & amygdalis amaris, plus educit, sed minus concoquit. Hactenus Galenus. Vita-
lis de Furno cardinalis & medicus eximius, de butyro eiusque natura scripsit in hæc verba: Buty- „ *Cap. 60.*
rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

rum naturaliter calidum eſt & humidum, cum dominio caliditatis viſcoſum & vnctuoſum. Idem E ſæpe comeſtum, ſtomachum humectat, ventrem ſoluit, pectus lenit; vlcera pectoris & inteſtinorum ſanat: maximè valet quando recens humanæ complexioni proximum. Valet etiam ad leniendum pectus & pulmonem, curandumque maximè ſi ibi fuerit apoſtema, quia propria eius uis maturare, humores & ſuperfluitates omnes pectoris diſſoluere & mundificare, maximè ſi cum melle, uel zucaro comedatur. Butyrum repugnat uenenis, membra humectat, aſperitatem oculorum eius litura mollificat & emendat, apoſtema diſſoluit & maturat, uulnera pectoris, pulmonis, inteſtinorũ morſus mitigat, neruos contractos emollit & laxat. Contra uenena interna ſingulare eſt remedium, ſi is qui uenenum potauit, in lacte calido ſolutum bibat abundè: nam ſua pinguitudine meatus obſtruit, ne uenenum ſubito ad cor ſurrepat. Recens autem eſt laudabile, uetuſtum uerò minus. Valet item, ut ait Conſtantinus, contra ictum Scorpionis, ob allatam nimirum rationem. Sua caliditate reſoluit, uiſcoſitate uerò & humiditate ſua mundificat & abſtergit. In magna tamen quantitate comeſtum, ſtomacho nocet, digeſtionem impedit, quia lubricat & ſupernatat; un de male digeritur. Clariſſimè uerò butyri uires tradidit Dioſcorides: Natura (inquit) eſt oleoſum & emolliens, unde largius epotum uentrem reſoluit: prodeſt, ubi oleum non adfuerit, contra uenena. Cum melle ſi F infricetur, dentitiones adiuuat, gingiuarum pruritus, & oris ulcera in infantibus emendat: Illitum foris capaciora alimentorum facit corpora, & ab albidis puſtulis per ſumma ſcatentibus aſſerit. Contra inflammationes & duritias uuluæ, quod nec uirus reſipet nec uetuſtatem ſentit, butyrum efficax eſt: dyſentericis & coli exulcerationibus infunditur: in medicamenta addi ſolet, quæ pus mouent, utile præſertim cùm nerui, aut cerebri membranæ, ueſicæ ceruix, uulnera acceperit. Id autem purgat, replet, carnem creat, ab aſpide percuſſis utiliſſimè imponitur. Recens obſonijs additum olei ui-

Fuligo butyri.

cem penſat, & adipis uice fungitur in bellarijs. Colligendæ ex eo fuliginis ratio hæc eſt: Butyrum in lucernam nouam ingeſtum accenditur, fictilique operculato quod ſupernè in ſiphunculi ſpeciem deſinat, & infima parte cuniculos clibani modo habeat, crematur, & ſubinde aliud in abſumpti locum ſufficitur, dum coaceruetur fuliginis modus quem facere inſtitueris: penna poſt deradicatur ad uſus. Eius effectus eſt in medicamentis oculorum, exiccare & aſtrinxere: fluxiones cohibet, & ulcera celeriter ad cicatricem perducit. Hæc itaque omnia Dioſcorides. Hippocrates non ſemel

2. de morb. mul.

butyro utitur. Poſtquam puris ſputum in ſuppuratis ex peripneumonia iam prodierit, urticæ ſemẽ, thus, origanum in uino albo, melleque ac oleo modico, ipſi infundi iubet, idque per triduum, poſteà G

Lib. de ſterilib.

uerò butyrum, & reſinam in melle eliquatã. Si cognoſcere uoles (inquit idem) an mulier prægnans fiat, butyrum & lac mulieris maſculum gerentis bibendũ dato, & ſi eructauerit, concipiet, ſi minus, non. Idem ait: Si mulier recens enixa fuerit, butyrum & alumen melle ſubactum in linteo ſubdito.

1. de morb. mul.

Cùm in purgatione puſtulæ circa oſculum uteri fuerint, ſic curare oportet: Carnem bubulam cum butyro, aut adipe anſerino & aniſo tritis illine, & ipſam carnem in pudendum inde. Ad inflammatum ex partu uterum: butyrum, thus, reſinam, mel ſimul liquefacito & affuſo uino tepida infundito. Si exulceratum fuerit os uterorum, butyrum, thus, myrrham, reſinam, medullam ceruinam, infundito. Et rurſus: Si quid in uteris fuerit exulceratum, butyrum, thus, myrrham, reſinæ parum in-

2. de morb. mul.

fundito. Item: Si uerò ulceratum fuerit pudendum, butyro colluito, deinde pharmacum bibendum dato, & ulcera butyro, reſina, myrrha, flore argenti illinito. Et rurſus alicubi: Si ex feruido & ſuper-

De nat. mulier.

ficiario ulcere pudẽda fuerint ulcerata, adipem bubulum & butyrum & anſeris adipem & ſuſinum unguentum miſceto, & ex his pudenda illinito, & aqua tepida colluito. Idem Hippocrates caſeo

Caſei vſus.

quoque aliquando utitur pro cibo medicamentoſo. Agens enim de tertia tabis ſpecie. Quarto au-

Lib. de inter. affect.

tem menſe, (inquit) quinto quoque die leuiter fomento utatur, & edat obſonium plurimum: ſint H autem obſonia caſeus & carnes ouillæ coctæ paucæ. Alibi etiam inquit: Caſeum acrem, & rutam,

2. de morb. mul.

uino nigro pari aqua temperato diluito, & poſt totius lotionem excepto capite, bibito ad uterorum futuros cancros. Minimè uerò etiam ſilentio inuoluendum quod ſcribit Donatus ab Altomari, caſei Siculi glandem melle illitum, puero aſcaridibus laboranti contuliſſe. Marcellus ad omnes epiphoras uentris, caſeũ uaccinũ mollem imponi iubet quo tempore dyſentericis potiones ferro candenti calefactas dari conuenit. Plinius item: *Caſeus recens vaccinus* (inquit) *cæliacis & dyſentericis immittitur: item butyrum heminis quatuor, cum reſinæ terebinthinæ ſextante, aut cum malua decocta, aut roſaceo.* Sextius eoſdem effectus caſeo equino, quos bubulo tradit. De ſero lactis uerò ſic

Serũ lactis.

ſcribit Aetius in cura melancholiæ: Vtile eſt lactis ſero uentrem ſubducere: ueruntamen id non ſit, quod ex caſeo fuerit expreſſum: melius enim eſt id, quod per decoctionem ex lacte ſeparatur, præſertim equino, uel bubulo &c. Marcellus, ut morantem aluum ſerum impellat, mel adijcit, & ſalis quantum ſit ſatis: quod probo: nam per ſe potum in multis per urinæ uias redditur. Cæterùm calidumnè ſit, an frigidum, diſputarunt nonnulli hactenus: quam quæſtionẽ Braſauolus in tertio aphoriſmorum diligenter, atque exactè pertractauit, præſertim commentans hæc Galeni uerba: *Hæc au-*
tem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *tem lactis pars, serosa dicta, vim habet abstergendi.* Inquit itaque Brasauolus: Serum abstersiuum dicitur: propterea dubitandum videtur, quam qualitatem obstersiuam habeat, & an serum tale sit, vimque exulcerandi habere possit. Videtur in primo statim disputationis vestibulo serum si abstersiuum sit, calidam qualitatem habere, imo Dioscorides serum non solùm abstergere dicit, sed etiam è corpore humores educere, quod est caliditatis inditium, vnde & Galenus, vbi de sero pertractat, inquit: Veteres ad aluum exonerandam creberrima hac potione vsi sunt, & de lacte ipso tractans, causamque cur soluat, assignans, inquit esse propter multum serum, quod habet admixtum. In fine etiam huius partis, in qua de lacte agit, lac triplicem substantiam habere docet; caseosam, serosam, & butyrosam: De serosa parte loquens: inquit, crassitiem humorum extenuat, & aluum subducit. Et in fine illius partis, in qua de acido lacte disserit, inquit: Tanto magis lac subducere, quanto plus habebit seri, hæc autem sunt caliditatis opera, nosque experientia docet, iecoris obstructionem sero aperiri, & singulis annis multi ex seri caprini potu ab obstructione liberantur. Mauritani quoque & Damasceni medici serum calidum esse testantur. Mesue etiam dicit, aquam lactis, calidam, & siccam esse in primo gradu, vsque ad secundum, & Auicenna de lacte tractans, inquit, quod

Serum vt abstergere dicitur.

Lib. 3. de facul. alim.

Lib. 2. cap. 444.

B natura eius aquositatis est calida: nosque idem hoc medio suadere possumus, quia nullus est, qui non concedat, vrinam esse calidam. Vrina autem est aquositas sanguinis: at simile est in lacte serum, quod in sanguine aquositas, ideo eandem qualitatem habebit: A natura enim aquositas ad hunc finem generatur, vt sanguis per omnes corporis venas deducatur. Deinde illa aquositas reuertitur, & ad vrinæ meatus transit, atque exit, quia nullum aliud officium habet, nec nutrire potest: in lacte serum est hæc aquositas, quæ lacti mixta est: lac enim nihil aliud est quàm sanguis in carne illa mãmillarum glandosa iterum coctus, quæ dum concoquit, rubrum colorem aufert & album inducit: talis autem glandusa caro frigida, & humida est, vnde hoc quod in lacte serum dicitur, est sanguinis aquositas, quæ cum per vias vrinarias exit, vrina nuncupatur, cùm verò vrina sit calida, & ipsa sit aquositas sanguinis, quæ serum dicitur, serum ipsum calidum esse oportet. Nec ad illud tanquam ad asylum fugiendum est, quòd vrina in renibus caliditatem acquisierit, per quos aquositas illa quæ serum dicitur, non transiuit, quoniam & in ipsis mammis altera coctio facta est. Nec ad illud tutò confugere poteris, quòd mammarum caro frigida sit, quia id opus concoctionis lactis per caliditatem fit. Adde quod in venarum dissectionibus, aquositas illa, quæ a sanguine separatur, ca-

C lorem, saporem & vrinæ substantiam habet, tamen ad renes adhuc non transiuit: nec tamen iremus inficias, illius aquositatis caliditatem in renibus magis intendi, quum & ipsa suapte natura calida sit: cùm verò ad renes profluit, & per meatum vrinarum exit, sanguinis dispositionem ostendere putatur: Ex his igitur inferendum videtur, serum calidę temperaturæ esse. At in oppositam sententiam Galeni verba facere videntur, qui vbi disputat, propter quid mel ob caliditatem validiorem amaritudinem contrahat: lac verò dulcius efficiatur: in illo capite dicit, lac ex tribus substantijs compositum esse, caseo, butyro, & sero: postea addit, at excrementum illud serosum, & frigidum & humidũ eit, & alicubi serum etiam frigidum facit, immo & ad hoc probandum ratio quædam philosophica in prompta est. Nam Aristoteles in quarto Meteorum, si is liber Aristotelis sit, docet, solum ea quæ frigida sunt, liquida, coagulari per frigus: At illa enumerans quæ frigore coagulantur, inquit: vt sunt quædam vina, acetum, lixiuium, serum, igitur serum frigidum est, tum ex Philosophi sententia, tum ex ratione ipsa, quæ ita esse demonstrat. In hac igitur ambiguitate, quid dicere oporteat, inexplicatum videtur, quoniam rationes, & magnorum virorum authoritates hinc inde tanquam instructæ acies militare videntur: immo si calidum sit, quia euacuat & abstergit, erit in Galeno con-

4. de simpl. med. facult. cap. 16.

Lib. 3. de arte curan. & lib. 7.

D tradictio, qui in tertio de alimentorum facultatibus, ipsum soluere dicit, in quarto autem de simpl. med. facultatibus, c. 16. frigidum & humidum iudicauit, immo & in decimo eiusdem operis, ipsum calidum ponit, quia & extergendi & subducendi vim habet. Nos igitur vt hanc controuersiã eo meliori modo quo fieri potest, conciliemus, aliquã caliditatẽ sero inesse dicamus, tamen non talem, tãtamuè, quin a frigidioribus partibus superetur, ratione huius caliditatis & acredinis cuiusdam, non multum manifesta, tamen quæ aliquo modo sentiatur, si quis pensiculatè gustet, in ipso vires sunt attenuandi, detergendi & subducendi per aluum, suapte autem natura & pro maiori parte frigidũ, & humidum est, ob maiorem mixtæ aquositatis copiam. Dioscorides propter hanc paruam caliditatẽ & acredinem dicit serum efficacius in purgando esse quàm lac, & quod his datur, quos sine acrimonia purgare volueris, quales sunt, atrabile laborantes, comitiales, lepræ, elephãtiases, & toto corpore papularũ eruptiones. Experientia verò frigidum esse docet, propterea vulgus nostrum mense Maij, vt bilis calorem supprimat, & erumpentibus pruriginosis pustulis succurrat, serum copiosè propinat: sed caprinum potissimum quærit, aut asininum, & intentum assequitur: adde quod id lac apud authores frigidius existimatur, in quo plus seri inuentum sit, vt de asinino Galenus refert. Serum igitur frigidum esse constat, quod eius quoque gustus, qui insipidus est, probare videtur. Nec

Lib. 2.

ratio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ratio illa te commoueat, vt ipſum calidum eſſe fatearis, quoniam abſtergat; etenim aqua hordei E
idem efficit, tamen frigidam eſſe conſtat: ſubducit verò ſerum ob modicam illam acredinem & cali-
ditatem, quam in ſe habet. Hæc de ſero dicta ſuperſint, in quo & caliditatem aliquam, & aliquam
acredinem ineſſe putamus, quæ abſtergit, & aphthas in puerorum ore facit: his autem modicis qua-
litatibus, Damaſceni & Mauritani illecti, ſerum calidum eſſe profeſſi ſunt, cùm tamen abſolutè non
ſit. Hæc omnia itaque Braſauolus, quibus tanquam pro corollario addo ex Plinio, ſerum ante om-
Vrinæ vſus. nia orthopnoicis prodeſſe cum naſturtio. Nunc de vrina dicendum. Inuenio apud Galenum in li-
bro de facilè parabilibus, ne cui penis arrigi poſſit, ſuccinum vſtum lotio bouis caſtrati extinguito:
Lib. de ſte- hoc in cibis aut potionibus vtitor, quod remanet in vaſe reponito. Hippocrates autem ad ſterilita-
rilib. tem, vbi (inquit) fomentum toti corpori adhibueris, medicamentum bibendum dato ſurſum, ac
deorſum purgans, deinde lacte aſinino poſtea in potu exhibito vterum per fiſtulam duobus diebus
Lib. de nat. foueto cum vrina muliebri putrida nitro iniecto, tertio verò die cum vrina bubula. Purgatorium ex
mul. eodem, ſi mulier non concipiat. Tauri vrinam collige trium heminarum menſura, deinde artemi-
ſiam herbam, aut parthenium, aut adiantum, aut laurum viridem, & cedri ramenta ſimul contun- F
de; deinde in effoſſa ſcrobe carbones accende & impoſita olla vrinam tauri infunde, & contuſa in
mortario adijce: poſtea ſellam circumpone, & artemiſiam herbam, aut hyſſopum, aut origanum im
pone, & muliere ſuper hæc collocata, donec ſudet, foue. Vbi verò ſudarit, laua cum calida, & in la-
uacrum artemiſiam & laurum immitte; deinde ſubdititium medicamẽtum adhibe: aut artemiſiam
aut bulbinum in vino albo tritum lanæ inuolutum ſubdat. Hæc ad tres dies faciat, & deinde cum
viro dormiat. Tantum Hippocrates. Bialcon autem, vt citat Plinius, ad Venerem ſtimulandam tau-
ri à coitu vrinam bibi iubet, lutoque ipſo illini pubem. Lepras ac furfures tollit vrina tauri, vel ad-
dito nitro aſini circa canis ortum, vt tradunt Plinius & Marcellus, qui etiam ait: *Lotio taurino ca-*
put ſi laueris, porriginem vetuſtiſſimam tollit. Et Plinius: *Ad porriginem* (inquit) *vtque non tædia*
animalium capillis increſcant, fel hircinum cum vrina tauri prodeſt. Capitis item vlcera manantia
eodem Plinio teſte vrina tauri efficaciter ſanat: ſi verò vetus ſit, etiã furfures adiecto ſulphure emen-
Sanguis bu- dat. Dioſcorides ait: Vrina tauri ſi cum myrrha inſtilletur, aurium dolores lenit. Sed Plinius: *Si*
bulus. *maior* (inquit) *ſit grauitas aurium, vrina capri, vel tauri, vel fullonia* (ideſt humana) *vetus calefa-*
cta prodeſt, vapore per lagenæ collum ſubeunte: admiſcent & aceti tertiam partem, & aliquid vrinæ vi- G
tuli, qui nondum herbam deguſtauerit. Si ſanguis reijciatur, efficacem tradunt, citante eodem Pli-
nio, bubulum ſanguinem, modicè & cum aceto ſumptum. *Nam de taurino* (inquit) *credere teme-*
rarium eſt: cuius nimirum internus vſus maleficus eſt, vt modò patebit. Haly ſanguinem vaccinum
vulneri infuſum, emanantem ſanguinem ſiſtere tradit: Raſis verò abſceſſus concoquere, ſi cum ſe-
uo ad ignem emplaſtrum fiat; emollire etiam tumores duros. Panos idem & apoſtemata curat, vt
ait Plinius, vt fel quoque & caro bouis ſi calida imponantur. Canum item ſcabies ſanatur eodem
ſanguine recenti, iterumque cùm inareſcat illito, & poſteto die abluto cinere lixiuio. Sanguis ve-
Sãguis tau- rò taurinus, authore Dioſcoride diſcutit, mollitque duritias cum polenta illitas; & Plinius ait: Pa-
rinus. nos & apoſtemata in quacunque parte hunc eundem ſanguinem aridum diſcutere: qui tamen, vt
Lib. 10. de oſtendimus, idem de bubulo ſimpliciter eodem ferè loco tradit. Galenus reprehendens curioſum
ſimpl. med. vſum ex ſanguine animalium quorundam, quorum loco faciliora paratu alia & præſtantiora medi-
fa. cap. 4. camenta habemus: Vrſorum (inquit) ſanguis ſi abſceſſibus imponatur, fieri poteſt, vt concoquat:
Adijciam verò etiam caprinum, hircinum, taurinum: licetque tibi, ſi voles, præteritis ſexcentis me-
dicaminum parabilium, quibus concoquuntur abſceſſus; vrſos, tauros, ac hircos mactare, quolibet H
ſcilicet vſu. Nec enim ſemel quiſpiam impoſito in partem medicamento, promiſſum eius exiget,
nec etiam ſi refrixerit, vt iam cogatur. Tantum Galenus. Aeſculapius ait: Sanguis tauri ſerpentes
necat: illitus verò maculas omnes de facie tollit: quæ poſterior facultas legitur quoque apud Sex-
tum. Aridus iſtiuſmodi ſanguis tritus contra parotidas prodeſt teſte Plinio, & quidam magnificant
eundem aduerſus podagras per ſe. Aridus verò cum cotyledone herba phagedænis, & fiſtulis im-
mittitur. Sequitur, vt de malignitate eiuſdem dicamus: eiuſque ſignis & antidotis, collatis authorũ
Sanguinis locis. *Celerrimè* (inquit Plinius) *coit, atque dureſcit, ideo peſtifer potu maximè.* Mirari autem ſubit,
taurini ma- cur aduerbium maximè addiderit, quaſi etiam aliter quàm potus lædere poſſit, id quod authorum
lignitas. nemo tradidit, nec ratio indicat. Neque enim tota ſubſtantia venenoſus eſt hic ſanguis, non magis
quàm lac; ſed ex accidenti cum coagulatur: quod fit in ſanguine priuatim, cum recens bibitur, non
aliàs: & ne tum quidem, exemptis fibris, quæ condenſationis cauſam habent. Plutarchus in libro de
ſuperſtitione ſcribit, Midam, antiquiſſimum illum Phrygiæ regem, contracta ex ſomniorum dirita-
te, animi ægritudine, cùm formidabilis affectio augeſceret indies, tauri ſanguine copioſius hauſto,
conceſſiſſe ab humanis. Idem leges apud Strabonem, & Euſebium, & Cælium Rhodiginum. Simi-
Lib. 8. liter Pſammenitus rex Aegyptiorum, victus à Cambyſe, cùm denuo ad defectionem ſolicitaſſet
Aegy-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Aegyptios, hausto sanguine taurino perijt, vt testatur Herodotus. Deprehenderunt etiam hoc venenum in diuina re mortales (inquit Marcellus Virgilius) cùm iugulatis ad sacrificium tauris, qui aderant superstitiosiores, calentem adhuc biberent, noua & indigna Deo ratione hac, sanctitatem incolumitatemq; suam se augere existimantes: nullus tamen clarius hoc genus mortis quàm Themistocles fecit, qui post pulsum è Græcia Xerxem exul à patria, accepto ab Artaxerce exercitu, siue volens, siue desperans, quæ illi contra Græcos pollicitus fuerat, præstare, in Ioniæ Magnesia decepto cultrario ipse taurum in sacrificio tenens, exceptum poculo sanguinem repentè hausit, vt esset eo tempore anteposita vitæ mors, perpetuum voluntatis honorisque sui testimonium, quod semper ciues sui meminissent: caneretque pro se in Helena Sophocles: Lib. 3.

Ἐμοὶ δὲ λῷστον αἷμα ταύρου γ' ἐκπιεῖν

Καὶ μή γε πλείω τῶν δ' ἔχειν δυσφημίαν.

Et Aristophanes in Equitibus suis.

Βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν

Ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος αἱρετώτερος.

B Frequentius quondam taurini sanguinis periculum hoc fuit: nostra ætate nulla id afferente religionis occasione, nullum aut rarissimum est. Hæc Virgilius: Et Natalis Comes scribit ex Diodoro Siculo, Aesonem Iasonis patrem, cum ob insperatum Argonautarum reditum Pelias eum obtruncare decreuisset, sacrificantem hausto taurino sanguine fatis concessisse. Est tamen, vbi sanguis iste minimè venenosus est, vt testatur Plinius his verbis: *Taurinus sanguis recens inter venena est, excepta Aegyra. Ibi enim sacerdos Terræ vaticinatura tauri sanguinem bibit, priusquam discendat in specus. Tantum potest sympathia illa de qua loquimur, vt aliquando religione vel loco fiat* Est autem Aegyra vrbs inter Aetolos & Peloponnesiacos, Plinio & Pomponio testibus: Est & Aegira insula apud Plinium. Αἴγειρα (inquit Stephanus) vrbs est Achaiæ ab Homero Hyperesia dicta: Philon Ciliciæ vrbem facit Aegiram. Quam autem Aegiram intelligat eo loco Plinius, constat ex Pausania, qui in Achaicis eiusdem rei meminit his verbis: Ab eo tumulo triginta circiter stadium via ad Gæum ducit. Telluris id fanum est, quam Eurysternon (idest lati deam pectoris) cognomento nuncupant. Signum deæ vetustissimum. Sacerdotium mulieri decernitur: quo statim suscepto, vitam illa agit cælibem omne ætatis reliquum tempus, quanquam & antè eam oportuit cum vno tantùm viro ma- *Lib. 6. Mythol. cap. 7.* *Lib. 28. c. 9.*

C trimonij causa fuisse. Taurini sanguinis haustu periculum faciunt: quo illa epoto, si legi fraudem fecerit, statim flagitium dicitur morte luere. De symptomatibus noxisque quæ sanguinis taurini potum subsequuntur, audiendus est Dioscorides. Tauri (inquit) recens iugulati sanguis epotus spirandi difficultatem strangulatumque concitat: faucium tonsillarumque meatus præcludit cum neruorum distentione, lingua rubescit: dentes inficiuntur: quædam concreti sanguinis vestigia, inter eorum commissuras restant Paulus Aegineta omnia quidem Dioscoridis verba super hoc veneno in suum codicem transcripsit; variat tamen in nonnullis, quæ vt hęc scribendo Gesnerus obseruauit, breuiter ex eodem annotabo: μετὰ πνιγμοῦ ἰσχυροῦ, Aegineta pro πνιγμοῦ habet σπασμοῦ, idque probè, nam πνιγμοῦ, idest suffocationis mentionem iam prius fecerat. Proinde etiam interpretes rectè non suffocationem, sed conuulsionem, vel neruorum distentionem verterunt: & Nicander in Alexipharmacis, vbi de hoc maleficio tractat, sic scribit: *Symptomata ex sang. taurino.*

Ὁ δὲ σπαδόνεσσιν ἀλύων

D Ἀνδάκας ἐν γαίῃ σπαίρει μεμορυγμένος ἀφρῷ. hoc est,

Ille verò conuulsionibus vexatus

Subinde humi spuma pollutus palpitat.

Posterius hoc signum de spuma, quam ore nimirum reddit, qui bibit, aliorum nullus commemorat. Sed non opus est, quod quis solicitus sit de signis huius veneni: neque enim ita latere potest, aut cibis potionibusuè immisceri, vt alia quædam venena: Euenire tamen posset, vt in stultis & insanis hominibus, qui vel sponte vel oblatum bibissent hunc sanguinem, aliquis horum signorum vsus esset. Rursus vbi in Dioscoride rectè legitur, ὀδόντες βεβαμμένοι, idest, cruento colore infecti dentes: Aegineta & Aetius perperam habent βεβρωμένοι, vtriusque interpretes quidam ineptissimè reddunt corrosi. Nicandri Scholiastes Aristotelem citat de sanguine taurino his verbis: Οὐ λανθάνει δὲ πινόμενον, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα δηλητήρια πολλάκις ἀγνοοῦνται: Ἔστι γὰρ ἀτονώτερον τοῦ τῶν ἄλλων ζώων αἵματος, ὡς Ἀριστοτέλης: διὸ καὶ ἀφρόνως εἶπε, τίνες ἀποκαρτεροῦντες πίνουσιν αὐτὸ καὶ τελευτῶσι. Et rursus paulò post: Ἀτονώτατον πάντων αἱμάτων Ἀριστοτέλης τοῦτό φησι. Ego apud Aristotelem ἄτονον uocem quæ infirmum significat, de taurino sanguine nusquam reperio. sed apud eum ita legimus, Παχύτατον δὲ καὶ μελάντατον τῶν ζωοτόκων αἷμα, ταῦρος καὶ ὄνος ἔχουσι: quamobrem in Nicandri etiã Scholiaste pro ἀτονώτερον, vel παχύτερον, vel μελάντερον leges, uel utrumque, & similiter pro ἀτονώτατον eadem vocabula in superlatiuo gradu. Hoc admisso, vt necesse est, verborum quæ ex scholijs *Lib. 3. Hist. animal cap. 19.*

cita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

citauimus, hic ſenſus erit: Cùm cætera venena ſæpe fallant, & lateant, vt vel ab inuitis cautiſq; ſu- E mantur: taurinus ſanguis eiuſmodi eſt, vtpote nigerrimus & craſſiſſimus in toto ſanguinis genere, Ariſtotele etiam teſte, vt latere non poſſit, nec niſi à volentibus ſumi, quibus ſtultitia, aut deſperatio hoc faciendum perſuaſerit: Quamobrem rectè Nicander dixit ſi quis hoc venenum biberit ἀφραδίῃ, ideſt, ſuapte ſtultitia, non fraude & dolo, & inſidijs.

Sanguinis taurini poti cura.

In cura huius veneni præcipui medicinę authores & quorum authoritate aliàs nobis ſtandum eſt, diſſentire videntur. Etenim Dioſcorides vomitum à ſanguinis iſtius hauſtu vitandum eſſe mouet: quandoquidem ſanguinis globi, ſeu grumi, attractu illo in ſublimè relati, magis gulæ inculcantur. Idem Aetius & Aegineta præcipiunt: Cæterùm Galenus, aduerſus ſanguinem taurinum epotum (inquit) remedium eſt acetum bibere, & vomere. Geſnerus mihi rectè ita conciliare videtur: Dioſcorides & alij vomitum rectè prohibere videntur, illum ſcilicet qualis poſt cætera venena moueri ſolet, nempe ab vſu dulcium pinguiumque, vt olei, hydrelęi, hydromelitis &c. Galenus probat, ſed à ſolo aceto, vt quod grumos diſſoluat, neq; ſimpliciter educat, & gulæ infarciat. Certè à lacte coagulato in ventriculo, ſimiliter vomitiones vitandas Dioſcorides, Aetius & Aegineta præcipiunt, ne hærens in gulæ anguſtijs coagulatum lac ad exitum eluctando ſuffocet. B

2. de Antid. cap. 42.

Hoc etiam obiter monet idem Geſnerus, eadem ferè omnia quę lac coagulatum in ventre diſſoluunt, & quæ ſanguinem ſuum cuiuſque in ventriculo, vel alibi concretum diſcutiunt, contra ſanguinem taurinum quoque antidoti locum obtinere. Statim autem (inquit Dioſcorides) exhibenda ſunt medicamenta, quæ concretum ſanguinem diſcutiunt, aluum ſubducunt: & rurſus paulò pòſt aluum reſoluendam conſulit, vt Galenus quoque loco iam citato, & Nicander hoc verſu:

Ἠ' ὲ καὶ ἐκφλόιοιο καταχθέος ἕρματα γάςρος, ideſt,

Vel etiam exprimas onerati excrementa ventris.

medicamento ſcilicet purgante. Nam quod Scholiaſtes illic addit, ἢ καὶ τῆς συκῆς φλοιᾶ, tanquam poeta de cortice fici hic aliquid dicat, id ita accipi, neque ſenſus, & conſtructio loci illius admittit, neque cum alijs ſcriptoribus conuenit. Ibidem Scholiaſtes ſcribit, Κλῦσον φησὶ τὸν γάςερα, ideſt, poeta aluum clyſtere vacuandam monet. Et Aetij interpres; Aluus (inquit) pinguibus & lubricis infuſis eluatur. Apparet verò clyſteris vſum inter huius veneni remedia, etſi non ſit reprehendendus, authores non præcepiſſe. Nam & Nicandri verba commodius de medicamento purgante per os ſumendo acceperis; & Aetij locus videtur corruptus. Dioſcorides enim, à quo is ſua tranſcripſit, C ſic habet. Δεῖ γὰρ τὴν κοιλίαν ὑπάγειν ἔωθε δὲ τοῖς σωζομένοις ἀποδίδοσθαι διὰ τῆς ἕδρας καὶ ῥοώδη (Aegineta melius, κοπρώδη καὶ δυσώδη,) ideſt, Aluum ſoluere oportet. Nam ijs qui ſeruantur ſtercoroſa & fœtida per ſedem egeri conſueuerunt: Ruellius legit κοπρώδη καὶ ῥύωδη, ideſt ſtercoroſa, fluida. Præterea ſtomachum & ventrem hordeacea farina ex aqua mulſa perungere (καταπλάσσειν, ideſt, in cataplaſmatis formam redacta fouere) oportet, vt idem addit Dioſcorides, Galenus verò profuturum etiam promittit, ventrem ſubducere, eundemque lupinorum farina & nitro ex oxymelite decoctis contegere; nimirum vt inde fluat, vt ſolet in epomphalijs dictis medicamentis. Forſan & apud Dioſcoridem (inquit Geſnerus) non κριθίνῳ, ſed θερμίνῳ legendum: Nam & ad aluum ciendam, & ad grumos diſſoluendos quantum Lupini hordeo præſtent, medici omnes ſciunt. Meminit huius veneni etiam Ferdinandus Ponzettus Cardinalis, ſed nihil adfert egregium, vt neque alij recentiores, quorum libros in præſentia adiui.

Remedia aduerſus ſanguinem taurinum. Acetum. Amaranthus.

Quare nunc remedia qua particulatim apud authores inueniuntur ordine literarum, ex Geſnero, qui diligenter ea collegit, ſubnectam, vt inuenire & cōferre facilius ſit. Acetum per ſe prodeſt ad vomitum ciendum, vt ex Galeno dixi: alij id nequaquam ad vomitum exhibent, ſed uel mero, uel aqua diluto (poſcam uocant) alia medicamenta quæ D ſanguinis grumos diſſoluere poſſunt, admiſcent. Ad lac quoque coagulatum acetum per ſe bibi Galenus conſulit, non tamen ad uomitionem. Amarantus celebratur ab Aetio: quam herbam Dioſcorides heliochryſon, uel helichryſon uocat. Sed quænam hæc ſit, uel quo nomine Geſneri tempore diceretur, medici contendebant. Eurycius Cordus, & Leonardus Fuchſius putant (inquit) eandem eſſe, quæ hodie vulgò ſtichas citrina nominatur, in qua ego folia abrotoni deſidero & potius ageraton Dioſcoridis eſſe conijcio. Io. Ruellius cotulam non fœtidam. Ego Matthæoli Senenſis ſententiæ magis acceſſerim, qui helichryſon apud Tuſcos abundè naſci ſcribit, locis incultis, & pratis ſiccioribus, collibus, & arenoſis fluminum ripis, altitudine cubiti, folijs abrotoni, per interualla digeſtis in caule quem rectum & ſolidum habet: vmbella in cacumine aurea, quæ vulgaris millefolij aut eupatorij. Meſuei ſpeciem referat: flores uel aridi duriſſimè uigent & ſeruant colorem: quamobrem initio ueris antequam alij proueniant, uſus eorum eſt ad corollas. Rara apud nos (inquit idem Geſnerus) hæc herba eſt, aut nulla: apparet autem athanaſiæ, uel tanaceti uulgò dicti generibus annumerandam eſſe, ut etiam Meſuei eupatorium quod Monſpeſſuli herbam D. Mariæ uocant: in Italia quidam herbam Iuliam, contra lumbricos utentes. Omnibus una florum ſpecies, umbellæ uidelicet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Adelicet aureæ florum corymbi ſicci, quod pulchrè cum Dioſcoride facit: & hæc cauſa eſt quod decerpti etiam longo tempore ſeruentur; nihil enim aut parum ſucci amittunt. Omnibus ſapor acris cum amaritudine quadam: Omnibus odor qaidam ſuus eſt, non ingratus, & qui vel moſchi aliquid reſipere videatur. Quare minimam in hoc genere iuam moſchatam nonnulli appellant, quam ex agro Meſauci oppidi vallis Tellinæ, vt vocant, amicus quidam ante annos aliquot ad me miſit. Illa quam deſcribit Matthæolus, aut certè congerer prorſus, Baſileæ proximè vrbem locis arenoſis emicat, qua torrens influit. Nos tanacetum noſtrum in aliorum locum non minore effectu, cum ad alia præſtanda, quæ de helichryſo veteres promittunt, tum ad ſanguinem vbicunque reſoluendum, ſubſtituemus. Helichryſi meminit Galenus in amaranto tantùm, vt Aetius quoque: Aegineta in amaranto primum ex Galeno, deinde in helichryſo ex Dioſcoride, quaſi vnam & eandem herbam eſſe neſciret. Amarantum (inquit Galenus) incidit & attenuat: coma eius cum vino pota menſes detrahit, (quod & Plinius ſcribit,) Creditur & ſanguinis grumos non in ventre ſolum, ſed etiam veſica liquefacere, in quem vſum cum vino mulſo bibendum eſt. In ſumma, fluxiones omnes potum exiccat, ſed B ſtomacho nocet. Helichryſum Dioſcorides etiam chryſanthemum, & amarantum vocari ſcribit, eoque ſimulacra deorum coronari: (quod diligentiſſimè ſeruaſſe Ptolomæum regem Aegypti Plinius teſtatur) Virga, inquit, eſt candida, virens, recta, firma vel ſolida. Folia habet ex interuallo anguſta, abrotono ſimilia: comam aureæ lucis, in orbem: vmbellam circinatam quæ ſiccis veluti corymbis conſtat, (ad Solis repercuſſum, aureæ lucis in orbem veluti corymbis dependentibus, qui nunquam marceſcunt, Plinius) radicem gracilem, (& in ſuperficie terræ, vt Theophraſtus addit) Naſcitur in aſperis & torrentium alueis (χαραδρώδεσιν, aquoſis conuallibus, vt Marcellus; Virgilius vertit, Plinius in frutetis naſci ſcribit,) Coma cum vino pota medetur anguſtijs vrinæ, ſerpentium morſibus, coxendicis doloribus (lumborum vitijs, Plinius,) & ruptis. Menſes eadem trahit, concretumque in grumos in veſica & ventre ſanguinem cum mulſo pota abſumit. Catharrum etiam ſiſtit, trium obolorum pondere ieiunis data in diluta vini albi potione. Miſcetur etiam veſtibus, vt integras ab eroſionum noxis tueatur, Hæc Dioſcorides. Duritias etiam & inflationes diſcutit, vt Plinius teſtatur. Marcellus Virgilius in ſua translatione virgam ei breuem non rectè attribuit, vbi nos in Græco ῥαβδίον λευ-C κὸν, ideſt, virgam albam legimus: Theophraſtus certè tribuit & φύλλον λευκὸν, καὶ τὸν καυλὸν δὲ λεπτὸν καὶ σκληρὸν, ideſt, folium candidum, caulem verò tenuem, & durum. Plinius Theophraſti verba ſic reddit. *Heliochryſos florem habet auro ſimilem, folium tenue; cauliculum quoque gracilem, ſed durum. Hoc coronare ſe Magi, ſi & vnguenta ſumantur ex auro, quod apyron vocant, ad gratiam quoque vitæ gloriamque pertinere arbitrantur.* Hinc patet Plinium in Theophraſto, neque caulem, neque folium λευκὸν, ideſt album, ſed vtrumque λεπτὸν, ideſt tenue, vel gracile legiſſe: Ipſe præterea loquendi modus, καὶ τὸν καυλὸν δὲ λεπτὸν, ideſt, caulem quoque tenuem (ſic enim potiùs vertendum, quàm caulem verò) aliam quoque partem, de qua prius dixerit, ſimiliter tenuem eſſe oportere admonet. Græci quidem ſæpenumerò λεπτὸν dicunt, non ſolùm quod craſſo opponitur, ſed ſimpliciter paruum. Conuenit etiam quod Dioſcorides στενὸν, ideſt, anguſtum dixit, à Theophraſto λεπτὸν appellari. Quod ad caulem, ſi legas in Dioſcoride, vt vulgata exemplaria habent, λευκὸν χλωρὸν, ideſt, candidum viridem, abſurdus erit ſenſus, niſi quis λευκόχλωρον, ideſt, ex viridi albicantem legi poſſe exiſtimet, ſicut μελάγχλωρον dicimus, ſed præſtiterit cum Theophraſto & Plinio λεπτὸν legere, quàm de noua lectione D diuinare. Non probo etiam Ruellium qui ῥαβδίον hic ex Dioſcoride ramulum tranſfert, cum virgam, aut caulem debuiſſet: nam Theophraſtus καυλὸν habet, Plinius coliculum: quamquam, capite vigeſimo quinto, libri vigeſimiprimi, quod totum de heliochryſo eſt, Plinius etiam ſibi diſſimilis, ita ſcribit: *Heliochryſum ramulos habet candidos, folia ſubalbida*, &cæt. Sed nec illud, quod reddit veluti ſiccis corymbis dependentibus, quanquam alium Plinij locum in hoc imitatus: neque enim in Græcis dependere eos legimus; & res ipſa declarat in tanaceto, & ſimilibus herbis, vmbellas ſiue corymbos (ambigunt enim ferè inter vtrunque) non pendulos, ſed rectos eſſe. Reprehendendus eſt etiam Theodorus, qui in Theophraſti loco iam citato, pro heliochryſo aureliam reddens, ſic vertit: Aurelia folium habet candidum, fructum tenuem, durumque: abſurdiſſimus hic error eſt, quo pro caule ſemen ſuppoſuit. Seminis enim ſcriptorum nullus mentionem facit: caulem verò huiuſmodi eſſe, omnibus conuenire ſatis ex antedictis conſtat. Venio ad vires amaranti. Vtuntur eo ad ſerpentium morſus vino: & ad ambuſta cremato, & melli mixto, vt Theophraſtus ſcribit: Plinius ſimpliciter ait: *ambuſtis cum melle imponitur*. Hę vires ad herbę ſuperficiem & comam, vel florem maximè pertinent: Theodorus verò ita tranſtulit, vt herbane an radix accipienda ſit, in dubio relinquatur.

Lib. 9. c. 21.

Lib. 21. cap. 11.

Amaranti vires.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Iam pro his verbis Dioſcoridis, ἴσχει δὲ καὶ κατάῤῥον, ideſt, ſiſtit etiam catarrhum, vel diſtillatio-
nem à capite, ab Hermolao redditur, profluuia mulierum ſiſtere. Legitur ſane in manuſcriptis
quibuſdam Græcis codicibus Dioſcoridis, vt Marcellus Virgilius obſeruauit, non κατάῤῥουν,
ſed ῥοῦν tantùm, ideſt profluuium: & ſic legit etiam Plinius, ſed fluxionis vocem ad muliebrem
tantùm contraxit: nam loco præcitato folia heliochryſi trium obolorum pondere mulierum
profluuia in vino albo ſiſtere ſcribit. Nec aliter fortè Galenus legit, ſcribens: καὶ πάντων ἐστὶν
ἁπλῶς ῥευμάτων ξηραντική: ſed melius quàm Plinius, ad quemuis fluxum, non muliebrem tan-
tùm, vim vocabuli extendit. Hoc etiam melius, quod fluxiones vſu eius, non ſimpliciter ſiſti,
vt Plinius, & Dioſcorides verbum ἴσχειν vſurpans (quod aſtringentium potius, & obſtruen-
tium eſt) ſed exiccari docet: memor ſcilicet incidendi, attenuandique, & menſes prouocandi
facultatem ei ſe attribuiſſe. Aegineta helichryſum catarrhis ſubuenire ſcribit. Quod ſi mu-
liebria profluuia exiccat, de pituitoſis præcipuè, & albis (vt vocant) intellexerim: ea enim &
diureticis, & menſes cientibus, vt aſaro & ſimilibus, ab initio præſertim adhibitis, multò feli-
cius quàm ſolis aſtringentibus curantur. Inter Dioſcoridis nomenclaturas, chryſocome etiam
& centaurium minus amaranti cognomen habent, & ocimaſtrum amarantis cognominatur:
nihilominus tamen, & inter ſe & ab heliochryſo diuerſæ ſunt omnes hæ plantæ; vt improban-
dus ſit Aeginetæ interpres Andernacus, qui amarantum Aeginetæ (quod & Galeni amaran-
tum, & heliochryſos Dioſcoridis eſt) centaurium minus interpretatur, de quo tamen Aegi-
Lib. 21. c. 11. neta alibi ſeorſum agit. Plinius alicubi heliochryſon inter vernos flores connumerat: *Sequi-
tur* (inquit) *œnanthe, melanion, ex ſylueſtribus heliochryſos*, quem locum ex Theophraſti hi-
ſtoriæ plantarum libro ſexto, capitulo ſeptimo tranſtulit. Eſt & alterum amaranti genus,
Lib. 21. c. 8. quod Plinius ita deſcribit: *Amaranto non dubiè ars à natura vincitur* (hoc eſt, nullum in ve-
ſtibus æquè formoſum purpuræ ſplendorem ars vlla effingere poteſt, ac in amaranto natura
nobis exhibuit.) *Eſt autem ſpica purpurea verius, quàm flos aliquis, & ipſe ſine odore. Mi-
rumque in eo gaudere decerpi, & lætius renaſci. Prouenit Auguſto menſe. Durat in autum-
num; Alexandrino palma, qui decerptus aſſeruatur. Mirumque poſtquam defecere cuncti flo-
res, madefactus aqua reuiuiſcit, & hybernas coronas facit. Summa eius natura in nomine eſt,
appellato, quoniam non marceſcat.* Hæc Plinius: Cuius poſtrema verba: *Summa in eius na-
tura nomine eſt*, ſic interpretor, quaſi medicinæ inutilem hunc amarantum dixiſſet, nec ob
aliud appetendum, quàm quia & elegans flos eſt, & non marceſſit: quæ ſumma eius laus, vel
ex nomine deprehenditur. Huius amaranti, (quem Plinij, vel purpureum amarantum, cogno-
minandum cenſeo, diſcriminis gratia,) nec alius quiſpiam veterum, nec ipſe Plinius, alibi,
mentionem facit. Recentiores quidam florem amoris vocant, Galli ialouſiam quaſi zeloty-
pam, & nobiles flores, & paſſeuolours, quod ſerici villoſi purpuram vincat: Itali fior di velluto,
& alij fior di grana, ideſt florem ſerici villoſi, & florem cocci. De quo pluribus ſcriberem ſi quid
ad medicinam faceret, etſi iam nimis longè digreſſum me video. Hoc ſaltem prætereundum
Matthæoli errores. non duxi, duplicem in eo Matthæoli errorem eſſe: primùm quod Aetij de amaranto verba, quæ
ille ex Galeno mutuatus eſt; non intelligit omnino ad aureum amaranthum, ideſt heliochryſum
pertinere, & tanquam de purpureo accipi debeant, confidenter aſſerit: deinde quod Ruellium,
& Fuchſium immeritò reprehendit, quòd amaranthi potione è vino fluxus omnes ſiſti ſcripſe-
rint, quæ quidem non illorum, ſed Galeni verba ſunt, vt ſuprà oſtendi. Accedit tertius error, quod
Aetium teſtem citat fluxiones omnes eo prouocare, cùm ille non prouocari, ſed contra ſiccari
Circea. ſcripſerit, Galenum in hoc ſecutus. Hieronymus Tragus amarantum purpureum Circeam eſ-
ſe ſuſpicatur, helichryſum verò linariæ quandam ſpeciem, quos errores in præſentia alij refellen-
dos relinquo. Mihi ſatis ſit in vnica planta tam multos varioſque veterum & recentiorum errores
aliud agendo indicaſſe. Hæc omnia itaque Geſnerus. Pergo tandem ex eodem vt cœperam, reme-
dia illa ordine alphabeti recenſere, quæ contra taurinum ſanguinem in ventre coagulatum à
Braſſica. veteribus commendantur. Braſſicæ ſemen conferre ait Dioſcorides. Nicander idem cum ace-
Caprificus. to copioſo propinat; & Plinius ait; *Braſſicæ ſylueſtris ſemen toſtum auxiliatur*. Caprifici fructus
(Latini groſſos, Græci olynthos vocant,) lacteo ſucco turgentes, ex poſca propinantur à Dioſcori-
de: vbi Marcellus Virgilius pro olynthis reddit, ficorum caprificorumuè groſſos: quoniam Græca
Lib. 1. vox (inquit) vtriuſque arboris immaturum adhuc pomum ſignificet, & Dioſcorides vtriuſque le-
æqualem habere poteſtatem tradiderit. Aegineta verò etiam groſſos caprifici cum poſca præbet
& nitro; Galenus aceto diluit, id quod & Nicander facit, qui groſſos caprifici ἐρινεὸς vocat: ar-
bor ipſa ἐρινεὸς dicitur: Scholia ἐρινεὸς exponunt olynthos, vel ramos fici, quod minus placet. Et
Plinius ait: *Groſſi caprifici potæ reſiſtunt ſanguini taurino poto & lacti coagulato*. Aetius groſſos
propinari iubet ex fico maximè ſylueſtri liquore plenas, cum nitro & poſca; aut fici ſuccum eodem
mo-

A modo: aut ramulos sici tritos cum nitro, & posca: At verò syluestris fici succum comestum, euestigio grumos dissoluere tradit. Aggregator citat ex Plinij libro vigesimotertio etiam lignum caprifici sumptum prodesse, ego eo in libro cap. 7. vbi de caprifico agit Plinius, ex grossis tantùm remedium inueni. Dioscorides, & Aetius lixiuium quoque commendant ex fici lignorum cinere. Prodest autem etiam contra lac coagulatum lixiuij genus, quod πηλοποιητικὸν vocant, Dioscoride teste: interpretes eam vocem relinquunt, quidam luto traiectum aut vino factum reddit. Idem sic nominat Aegineta multis in locis, & Galenus circa finem libri decimi de compositione medicamentorum secundum locos ὕδωρ πηλοποιητικὸν vocat. Item libro sexto secundum genera, & sæpè aliàs Græcis medicis hæc appellatio in vsu est. Est autem nihil aliud quàm lixiuium, quale figulis in vsu est. Galenus libro sexto methodi. Cum nullum medicamentum ad manum haberem, petiui coniam stacten, idest lixiuium liquidum, vbi vidissem pelopœon, idest figulum agro vicinum. Eadem est σακτὴ τῶν πηλωταρίων Aetio libro 12. capitulo 42. Hæc ex Iani Cornarij commentarijs in Galenum de compositione medicamentorum, secundum locos. Ego verò nullum lixiuij vsum apud nostros figulos reperio: quod si quem Cornarius nouerat, quale id lixiuium esset,

Lixiuium pilopoiticū quid.

B indicare debuerat: Sed quorsum esset? ad lutumnè lauandum? frustra nimirum, quod vel prouerbium monet, quo *laterem lauare*, pro inanem sumere operam, dicimus. Melius certè fecerunt, qui vocabulum hoc tanquam ignotum præterierunt, & aquam lixiuam nobis simpliciter reddiderunt. Decepit ipsum (vt Linacrum etiam, libro sexto Methodi vertendo) quòd passim omnes codices πηλοποιϊκὸν per η scribunt, cùm per iota deberent. Nam πηλὸς per η lutum significat, vnde πηλοπλάθον, & πηλουργὸν aliqui figulos interpretantur, πηλοποιὸν verò in ea significatione, nusquam hactenus legi. Πιλοποιὸς autem per iota, & inde formata vocabula πιλοποιϊκός, πιλοποιΐα, πιλοποιϊκὴ legimus apud Pollucem. Est autem pilopœus hic artifex, qui πίλους, vel πιλία, vel πιλίδια, idest pileos, vel pileolos conficit ex lana, illa præcipuè puto quam feltriam vocamus. Eundem artificem πιλίτην, συμπιλίτην, & πιλώτην vocari Pollux tradit: aliqui etiam πιλωτάριον. Illorum opera πιλωτὰ Græci vocant, quod lanæ inter se conferctæ constipatæque sint: πίλωσιν, & συμπίλησιν, densationem huiusmodi. Quamobrem non capitis solùm, sed etiam pedum tegmina, vel tibialia sic parata Græci πίλους nominant. Nam cùm reliqui ex lana panni, à textoribus contexi soleant, hoc genus constipando tantum fit. Pilotarij igitur isti, præsertim cum rubro viri-

Laterem lauare, prouerbium.

Lib. 7. c. 30.

C diuè colore lanas tingere voluerint, lixiuio vtuntur, ex cinere quem vulgo clauellatum vocant: qui combustis animalium ossibus fit. Audio alicubi pileos omnes iam factos, cuiuscunque coloris sint, tali lixiuio ab eis ablui. Vtuntur eo & alij tinctores, ad certa colorum genera. Sunt qui præferunt cinerem illum qui ex fæce vini in massas coacta cremataque fit. Hæc lixiuij genera, quoniam plus acrimoniæ habent, & dissecantis, abstergentisque facultatis sunt, vulgari lixiuio non solùm ad lactis, aut sanguinis grumos in ventriculo concretos, sed ad alios etiam vsus extra corpus, à medicis præferri debent, vt neruorum vlcera, scabiem malignam, &cæt. Hæc admonere operæpretium visum est, cum sex, aut septem Dioscoridis, Galeni & Aeginetæ interpretes, hac in re omnes hallucinati sint. Aduersus lac coagulatum quidem lixiuium pilotariorum auxilio esse solus Dioscorides, & imitatus eum Agineta, scripserunt. Galenus, Aetius, & Nicander, vbi de eodem veneno agunt, non meminere. Hoc omnino monendus est medicinæ tyro, non temerè lixiuium vllum, præsertim vehemens, intra corpus non propinandum esse, cùm erodendi & septicam vim propemodum habeat: Et si quando vsum eius necessitas postularit, recuratione vtendum per pinguia, & abluentia, vel obtundentia morsus, vt butyrum, &c. Omne coagulum cum aceto, ra-

D diceque sylphij, seu laseris, aut eiusdem liquore, taurini sanguinis grumos dissipat, teste Dioscoride. Sed Aegineta, cuius lectionem probari video, coagulum ex aceto seorsim commendat, & rursus sylphij radicem cum liquore seorsim. Sed & Dioscorides quoque aduersus lac coagulatum, coagulum quoduis cum aceto præbet, aut silphij radicem, liquoremuè cum posca. Galenus coagulum ex aqua propinat, vel laserpitij, & nitri æquas partes ex aceto mulso. Nicander probat coagulum capreæ (προκὸς ὅ ἐστι δορκάδος, vt Scholia exponunt,) Plinius verò coagulum hœdi fumi ait contra sanguinem taurinum, & leporis ex aceto. Calaminthæ, idest nepetæ arida folia, eorumque succum Dioscorides aduersus lac coagulatum auxiliari scribit, quamobrem coniecerim in sanguinis taurini periculo etiam prodesse, præsertim cùm remedia cætera pleraque vtrisque eadem sint. Conyzæ folia cum pipere prosunt, vt idem Dioscorides, & Aegineta scribunt: Aetius etiam lixiuium addit. In excuso Dioscoride Græco non bene legitur, κονύζης σπέρματα ριο φύλλα. Celebrat eandem facultatem in conyza etiam Nicander hoc versu: Ἄσαι δὴ ῥάδικα κακοφλοίοιο κονύζης. De fico diximus in caprifico, & de helichryso in amaranto. Laser, vel silphij radix ex aceto præscribitur ab Aetio, & eiusdem obolus semiobolúsuè à Galeno. Nitrum etiam per se prodesse tradit Dioscorides: Galenus nitri obolos duos in vino dissolutos ex-

Calamintha.

Conyza.

Laser.

Nitrum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

 E

hibet: Plinius verò cum laſere id dari ait, ex Nicandro fortè, qui ſic canit:

Ἠ' ὲ νίτρȣ ςήδην ὀδελȣ̃ πορε τρικλόον ἄχθος
Ευτριβέος; κρίνα δὲ ποτῷ ένι δεύκεῖ (lege ἐν ἀδευκεῖ, ex Scholiaſte, ideſt ſuaui, vel vetere & ſubamaro vino) βάκχȣ,
Ἐ' ν κα̃ὶ σιλφιόεσσαν ὁποῖό τε μοιρίδα λιτρην. ideſt,
Aequas portiones radicis laſeris eiuſque liquoris admiſceto.

Piper. Piper celebratur per ſe ab eodem poeta; Dioſcorides, vt citauimus, conyzæ folijs miſcet. Petro-
Petroleum. leum laudatur à quibuſdam recentioribus ad ſanguinis grumos diſſoluendos: nec dubitandum,
quin ad taurinum quoque ſit vtile. Agathocles, vt citat Plinius, contra ſanguinem tauri ſonchi
Sonchus niger. nigri ſuccum demonſtrat: Dioſcorides & Aegineta ſuccum rubi. Nicander verò rubi germina
conteri iubet, nimirum ad ſuccum quoque exprimendum, quo loco tranſlatio Loniceri ſemina
Rubus. habet pro germina, vitio fortè typographico. Thymus cùm & ſanguinem concretum diſcutere,
Thymus. & lac coagulatum diſſoluere prædicetur, in tauri quoque ſauguine reſoluendo non ignauus exi-
ſtimandus eſt. Atque hactenus de ſanguine taurino, & remedijs contra eundem: Supereſt mo- F
Fimi taurini vires. dò, vt de fimi viribus, vſuque medico dicamus. Fimus tauri tumores, & duritias ſoluit, vt pro-
didit Aeſculapius. Sextus verò, ſi cum aqua calida bibatur, omnes dolores ſanare profitetur.
Malas eodem rubeſcere aiunt, non crocodileam illini melius, ſed foueri frigida, & antè, & po-
ſtea iubent teſte Plinio. Sextus calidum alopecijs imponit. Multò frequentior vſus fimi eſt vi-
Fimus bubulus. tulini, ſed frequentiſſimus bubuli: de quo quæ generatim prodidit Galenus præuertemus, mox pe-
culiares facultates annexuri. Is itaque alicubi ſic ſcripſit: Stercus animalium vim habet maximè
Lib. 10. de ſimpl. c. 17. digerentem. Verùm ſtercus humanum ob fœtorem abominandum eſt. At bubulum, caprinum,
& ex alijs quibuſdam animalibus, neque grauiter olei, & multa experientia non tantùm nobis, ſed
" & alijs medicis me natu maioribus comprobatum eſt. Et mox rurſus: Stercus bubulum (inquit)
Cap. 22. " pro paſtu vario exiguam habet differentiam, eſtque & ipſum facultatis exiccatoriæ. Verùm at-
" tractoriam etiam obtinet, vt monſtrat, dum apum veſparumque morſus iuuat. Quanquam hæc
" vt à proprietate ſubſtantiæ totius iuuentur, fieri poteſt. Cæterùm medicus quidam medicamen-
" torum peritus, in Myſia quæ in Helleſponto eſt, aqua inter cutem laborantes, bubulo ſtercore
" oblinens, in Solem exponebat. Atque hic ipſe impoſuit, & partibus ruſticorum phlegmone ob-
" ſeſſis, humidum illud verò collectum, cum herbam boues paſcuntur. Manifeſtum autem eſt hoc G
" eſſe alio moderatioribus multò viribus: dico autem aliud, cum paleis veſcuntur. Nam hoc me-
" dium eſt inter id quod modò diximus; & quod prouenit ab erui paſtu. Liquet ergò quemadmo-
" dum id quod ex paſcuo herbaceo prouenit, ad phlegmonas accommodatur, ſic iſtud aqua infeſta-
" tis eſſe idoneum. Scire tamen oportet, omnia id genus medicamenta duris agreſtium hominum
" corporibus aptari, nempe foſſoribus & meſſoribus, & qui opus obeunt tam validum: in quibus vti-
" que Myſius ille medicus & ad cheradas adhibebat, & ad tumores omnes ſcirrhoſos, ex aceto in ca-
" taplaſmatis formam compoſitum imponens. Hæc Galenus; Plinius bubulum fimum in cinere ca-
lefactum, aut caprinum in vino, vel aceto decoctum, illini ſcribit in his, quæ rumpere opus eſt: re-
cens verò etiam illini igni ſacro. Auicenna ait: Omnes tumores, & abſceſſus calidos cum aceto
impoſitum ſedat. Idem ex Galeno iam dictum eſt. Armentariæ bouis fimum (inquit Dioſcori-
des) ſi recens admoueatur, uulnerum inflammationes mitigat: Folijs autem inuoluitur, & cale-
factum cinere feruenti ſuperponitur: illitum ex aceto duritias, panos & ſtrumas diſcutit. Craſſos
item abſceſſus diſſoluit, ut ait Haly. Cum melle recentia uulnera non patitur intumeſcere, teſte H
Plinio. Ad ulcera antiqua tibiarum quidem referente Geſnero hoc arido medicamento utuntur:
teſtæ ouorum, ueteres calceamentorum ſoleæ, & bubulum fimum de Menſe Maio, arida terun-
tur, & inſperguntur ulceri: ſuperinditur etiam typha paluſtris: ſic ulcus exiccari aiunt. Naribus
inflatum, ſanguinis profluuium cohibere tradit Raſis. Aliqui ad eundem uſum acetum addunt:
alij non ipſum fimum, ſed eius cinerem inflari iubent, ut Haly. Reperio fimum hoc cum melan-
thio carbonibus impoſitúm, ſi naribus hauriatur, mederi hemicraniæ. Conuenit etiam abſceſſibus,
qui poſt aures fiunt, ſi Auicennæ credimus. Plinius ait, bubulum fimum feruens ex aceto deco-
ctum ſtrumas diſcutere, eaſdemque & alios ſcirrhoſos tumores diſcutere modò ex Galeno quoque
diximus. Magi, ut idem Plinius refert; fimi bubuii fimo conſperſo puerorum urina illinunt digi-
tos pedum, manibuſque leporis cor adalligant, contra quartanam. Marcellus fimo iſto uſto ſuc-
cum betæ admiſceri, atque inde caput porriginoſum lauari oportere aſſerit. Phthiſicis prodeſſe
aiunt, inquit Plinius, fimi aridi, ſed pabulo uiridi paſto boue fumum arundine hauſtum: & Aui-
cenna teſtatur, ſtercus uaccinum eſſe ex medicamentis, quibus pulmoni, eiuſque tabi, & ſimilibus
noxijs medemur. Archigenes apud Galenum in octauo de compoſitione med. ſecundum loca,
Stercus armentariæ bouis aridum vino coctum, ad ſtomachum apponi iubet, quibus bilem atram
gene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A generantibus stomachus inflatur. Potum vel clystere infusum, ventri ob intestinorum vlcera fluenti salubre esse Rasis profitetur. Quidam recentiores morbum arquatum pelli ferunt, si è bubulo fimo recente siue viridi liquor in chymistico instrumento separatus potetur. Ad coli dolorem, Marcellus recitat hoc remedium: Stercus bubulum recens exprime per linteum mundum, & succum eius in qualibet potione colico da bibendum, statim subuenies: quod remedium efficacissimum esse multa experimenta docuerunt. Germani, præsertim Heluetij, vt refert Gesnerus, colicam etiam matricis nomine vocant, & quod absurdius est, in viris quoque: celebrant autem etiam medicamentum illud Marcelli iam dictum: Fimum vaccinum nempe vino permiscent, succumque linteo percolatum, ægroto calidum propinant. Alij hoc fimum oui dimidiati magnitudine quinque vncijs vini permixtum colant, & minutim incisa addunt aromata, zinziber, caryophyllos, macis, & cinnamum: Hoc ægrum, vbi primum noxam senserit, vna potione haurire, & insuper sudare præcipiunt. Veteres verò etiam hydropicis propinasse Galenus indicat his verbis: Bouis stercus aridum vstum, tribus cochlearijs potum, hydropicos iuuat. Et Plinius ait: *Hydropicis auxiliatur fimi ceruini, maximè subulonis, sed & bubuli (de armentinis loquor) quod bolbitum vocant, cinis cochlea-* (Lib. ad Pison. c. 12.)
B *riorum trium in mulsi hemina: bouis fœminæ in mulieribus, & ex altero sexu in viris, quod veluti mysterium occultarunt Magi.* Iuuat verò eosdem extrinsecus applicatum, si diutius ad Solem desiccetur, vti suprà ex Galeno recitaui; & Rasis ait: Hydropico plurimum prodest fimo bubulo inungi ad Solem, & confricari corpus totum. Idem rursus: Ex eodem arido, aceto optimo & aqua in mortario diligenter admixtis, cataplasma toti ventri calidum contra aquam citrinam (idest hydropem) vtilissimè imponitur. Inuenio etiam si stercus vaccæ, aut capræ addas emplastro de baccis lauri ad pondus omnium, ad hydropem fieri mirabile remedium. Heraclitum Ephesium tradit Diogenes Laertius, cùm aqua inter cutem laboraret, ad vrbem descendisse, medicosque per ænigmata sciscitatum fuisse, an possent ex imbre siccitatē facere: Illis non intelligentibus seipsum boum stabulo inclusisse, fimoque bubulo obruisse, quod eo calore noxium & abundantem humorem exhauriri posse crederet: vbi verò ne sic quidem se aliquid profecisse conspexerat, mortuum fuisse. Prodest & vituli fimum, vt modò patebit. Coxendicis cruciatus fotu bubulum fimum compescere Dioscorides author est. Et Plinius ait: Ischiadicis fimum bubulum imponunt, calfactum in foliis cinere feruenti. Similiter Marcellus, fimum bubulum (inquit) feruentem, quem in cinere
C ardente calefeceris, coxarum dolori imponito, plurimum prodest. Rasis verò testatur, recens cataplasmatis instar impositum podagram leuare. Dioscorides præterea ait priuatim eius suffitu, quod à masculo boue redditum est, procidentes vuluas reprimi. Reperio item apud antiquum quendam, maximum beneficium præstari fimo masculi bouis, histericis mulierum fumigatum propendentibus. Plinius non solum tali suffitu procidentes vuluas reprimi scribit, sed præterea partus adiuuari. Hippocrates in libro de natura muliebri, vbi medicamenta refert mensibus, & secundis detrahendis idonea, cùm odoramenta quædam (crocum, calamum, rosas, styracem, cneorum,) pauco melle subigenda recensuisset: hæc (inquit) suffiantur stercore bubulo: id velut acetabulum olearium formetur, habeatque fundum tenue, & sit siccum. Ignis autem sit sarmentitius, in quo stercus iaceat, & ex illo mulier insidens contecta suffiatur. Et paulò pòst: Stercus bubulum, cedri ramenta, & bitumen suffito. Et rursus: Stercus bubulum contusum, ac cribratum, aceti dimidia mensura, & decocti erui, leniter pro fomento adhibeto. Et paulò post initium eiusdem libri, aduersus aquam inter cutem vteri, pharmacum (inquit) deorsum purgans bibendum dare oportet; post pharmacum verò, vteros bubuli stercoris fomento fouere. Si dolores vteri re-
D pentini irruerint, & animi deliquia affuerint, in secundo de morbis mulierum, rosarum folia, cinnamomum, myrrham puram, metopum, papaueris succum: hæc in pastillos drachmales efformari iubet, & super frusto amphoræ candenti poni, & pro suffimento vti: aut styracis modicum in oleum mitti ac vti velut priore: omnia quæ in vnguenta inijciuntur, tondi, & cribrari, & super stercus bubulum mitti, itemque styracem, & metopum, rosaceum oleum quàm optimum, & Aegyptium album affundi, & post purgationes suffiri. Purgatorium quod sterilem purgare potest ex eiusdem libro primo, de morbis mulierum: Si os vteri non rectè habuerit, stercus bubulum tusum, & cribatum, quatuor chœnicum mensura, & aceti heminas decem, & vrinæ bubulæ tantundem, & salsuginis marinæ heminas viginti pro fomento adhibeto, & ad multum tempus hoc leuiter facito, deinde lota ubi lenticulæ decoctum, & mel ac acetum mista bibit, uomat: & farinam sorbendam dato, & uinum odoratum uetus sub dio per noctem expositum insuper bibendum. Cibum autem ea die ne gustet: sequenti verò granum gnidium deuorandum dato: tertio verò pharmacum vrinam ciens exhibeto, ita vt vuas passas, & cicer album duarum chœnicum mensura sumas, & aquæ semicongios tres affundas; deinde facta coctura excoles, & sub dio per noctem exponas, & postera die bibendum præbeas, & subdititijs pharmacis vtatur. Aliud purgatorium men-

ſium: Stercus bubulum vel conchę teſtam efformato, & cupreſſi ramenta ammiſceto ac ſubigito, & in Sole ſiccato, & in hoc ſuffimenta inijcito, ac ſuffito. Si vterus ad inguina incumbat & innitatur, inter alia remedia bubulum quoque ſtercus ſuffiri iubet, ac cornuum bouis ramenta. Et mox fomenta recitaturus, quibus diſcedit: Stercus (inquit) bubulum contuſum, aceti dimidia menſura, & decocti erui ex aqua marina aut dulci ſimiliter dimidia adiecta pro fomento adhibeto. Nunc de vitulino fimo dicamus. Suffiri eo percuſſos à Scorpione prodeſſe Plinius aſſerit, ignique ſacro recens illini: cinerem eius ex aceto verrucas auferre: cum oleo & gummi manu ſubactum, æſtates, & quæ diſcolorem faciunt cutem, emendare: Hydropicis auxiliari fimum vituli maſculi illitum: fimi vituli cinerem cum ſemine ſtaphylini, æqua portione ex vino: Inteſtinorum flatus diſcutere in vino decoctum: teſtium tumorem cohiberi ex aceto decocto: Melancholicis in vino decoctum remedio eſſe. Manantia verendorum vlcera ſeuum cum medulla vituli ſanare, in vino decoctum, vel caprinum cum melle rubique ſucco: vel ſi ſerpant, fimum etiam (vitulinum intelligo, quod ſupra etiam ad ſordida vlcera, & ignem ſacrum prodeſſe ex eodem oſtendi, quanquam & capræ ſtercus cancroſos cum melle mixtum ſanare apud Sextum legitur) prodeſſe cum melle dici, aut cum aceto: recens luxatis vtile eſſe. Articulorum attritis mederi fimum vituli qui nondum herbam guſtauerit: Fimi item vitulini cinerem, cum lilij bulbis decoctis addito melle modico, podagris prodeſſe, è maribus præcipuè vitulis. Marcellus quoque ſtatim ſubueniri ſcribit, ſi vitulinum fimum recens articulis laborantibus illinatur.

Vitulinum fimum.

VSVS IN AGRICVLTVRA:
Eiuſque Inuentio.

Lib. 2. de inuent. rer. cap. 2. Arationis inuentores.

BOVES ad aratrum (inquit Polydorus Virgilius) Diodorus libro quarto & quinto, ait Dionyſium ſecundum, ex Ioue & Proſerpina, vel vt alij ſentiunt, ex Cerere, primum iunxiſſe, cùm terra prius manibus hominum coleretur. Plinio verò libro ſeptimo teſte, aratrum Briges (aliàs Bizeſer) Athenienſis inuenit, vt alij tradunt, Triptolemus, de quo poeta in primo Georgicorum meminit, cùm dixit:

Vncique puer monſtrator aratri.

Quo in loco Seruius: Alij (inquit) Triptolemum, alij Oſirim, quod verius eſt: nam Triptolemus frumenta diuiſit. Tacuit autem de nomine, quia non vnus in orbe monſtrator aratri fuit, ſed diuerſi in diuerſis locis. Ex quo Trogus prodidit Habidem Hiſpaniæ regem barbarum populum primo docuiſſe boues aratro domare, frumentaque ſulco ſerere. De Oſiride vt oſtendimus, ſentit etiam Tibullus. Cæterùm omnia ferramenta ruſtica, quibus terra vertitur, ſimul, vt puto, cum aratro Cererem comperiſſe, Virgilius proculdubio hoc verſu demonſtrat:

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit.

Quod vel Seruius approbat, dicens; Ceres prima omne genus agriculturæ hominibus indicauit: Nam quamuis vel Oſirim, vel Triptolemum aratrum inueniſſe dicant, illa tamen omnem agriculturam docuit: quia ferrum dicendo omnia agriculturæ ferramenta expreſſit. Verùm aut illi quos commemorauimus, nouiſſimi, vel alij alibi hæc commonſtrarunt. Nam vt Euſebij, & Lactantij teſtimonio conſtat, ante multas tempeſtates quàm eſſet Ceres, frumenti vſus apud mortales erat, præſertim apud Hebræos & Aegyptios, vti ex Ioſepho cognoſcere licet, &c. Hæc Polydorus Virgilius, quæ ceu ſcholiolis quibuſdam illuſtrare non erit præter noſtrum inſtitutum: & quod ad Bacchum in primis attinet, eum quidam Sebaſim nominarunt: & quia primus boues iunxiſſe creditur, vetuſtas, cùm vellet eius rei argumentum reddere, cornua fronti eius affinxit, quamuis vt oſtendimus alio loco, cornua ei addantur, vt inuentorem vini indicent, eò quòd homines nimio vino truces fiunt. Plutarchus quærens cur Eleorum mulieres Bacchum in ſacro carmine hortantur, vt bubulo pede ad ipſas accedat? inter alias rationes, eam etiam reddit, quia multi hunc Deum aratri & ſationis inuentorem fuiſſe putant. Cornuti Bacchi meminit Horatius.

In quæſtionib. Græc. 36.

Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, & recedentis trilingui
Ore pedes, tetigitque crura.

Lib. 2. Car. Ode. 19.

Bacchus idē cum Noe.

Apparet autem Bacchum hunc, eundem eſſe cum Noe. Bacchus enim fertur ab inferis rediſſe ad ſuperos integer & illæſus à Cerbero, cæteriſque Orci monſtris: ita Noe poſt diluuium terra iam fugatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A gatis diuino nutu aquis delapsisque Sole illustrata exiccataque, arcam vnà cum vxore, & liberis egressus post multos menses quasi ab inferis redijsse creditus est posteris diuini iudicij ignaris. De Osyri verò ita scribit Iulius Pomponius, commentans illud poetæ, *Puer monstrator arator*, Traditur in Aegypto Osyris primus omnium mortalium arasse terram bubus, propterea illi duo boues ab Aegyptijs coluntur. Eorum nomina sunt Apis, qui colitur in Memphi vrbe; & Meuri, qui colitur in Heliopopoli. Et sacris Isidis præferuntur spicæ, & rustici messis tempore spicarum manipulos Isidi consecrant. Fuit autem Isis Osyridis soror. Hinc Ricardo Bartholino in vndecimo Austriados, siue de bello Norico Osyris frugifer cognominatur, imitatione nimirum Papinij, qui sic canit: *Osyris.*

Seu te roseum Titana vocari
Gentis Achemeniæ ritu, seu præstat Osyrim
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Siquidem Osyris, vt Diodorus author est, apud Aegyptios, vt & alibi retulisse me puto, Sol est existimatus, qui & Titan, & Mithra. B Osyris autem ideo frugifer dicitur, quòd aratri ferebatur inuentor, vt præ cæteris clarissimè indicauit septima primi Tibullus, dum canit:

Primus aratra manu sollerti fecit Osyris
Et teneram ferro sollicitauit humum,
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus,
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam.

Scribit Atheniensis Athenagorus Christianus Philosophus, acceptum Osyrim pro ipsa frumēti semente: & Eustathius in Dionysium poetam, refert Tauros populos ab animali quadrupede tauro cognominatos: propterea quòd ibi iunctis bobus Osyris terram arauerit. Cererem tanquam præcipuam huius rei inuentricem celebrat Naso: *Ceres.* *3. Amor.*

C
Prima Ceres docuit turgescere semen in agris,
Falce coloratas subsecuitque comas.
Prima iugis tauros supponere colla coegit,
Et veterem curuo dente reuellit humum.

Et alibi rursus:

Prima Ceres vnco glebam commouit aratro, *5. Metam.*
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.

Item aliàs.

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato *4. Fast.*
Mutauit glandes vtiliore cibo.
Illa iugo tauros collum præbere coegit,
Tunc primum soles eruta vidit humus.

Tibullus alicubi hanc inuentionem dijs rusticis ascribit, inquiens: *Lib. 2. eleg. prima.*

Illi etiam tauros primi docuisse feruntur,
Seruitium & plaustro supposuisse rotam.

Alij rursus ex veteribus iugare Iouis inuentum esse aiunt, indeque ζεῦξαι deductum à Græcis esse. *Dij rustici.* D Ipsum autem aiunt primum iumenta iunxisse, vt ea in frugum satu nobis operam præstarent; nam, vt Virgilius ait: *Iupiter.*

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni. *1. Georg.*

Apparet autem pacis tempore adinuentam fuisse hanc artem, nam & Propertius ait:

Pax candida primum *Aratio pacis opus.*
Duxit araturos sub iuga curua boues.

Hucque fortè referendum illud Ouidij de Augusto.

Grata deis, domuique tuæ religata cathenis
Iam pridem vestro sub pede bella iacent.
Sub iuga bos veniat, sub terras semen aratas,
Pax Cererem nutrit: pacis alumna Ceres.

Boues autem tanquam præ cæteris omnibus arationi aptissimos patres antiquissimi elegerunt. Prouerbiorum decimoquarto scriptum est: *Vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bouis.* Estque inter veterum adagia, *Equus in quadrigis, in aratro bos.* Cicero ad arandum natum esse hoc animal scribit his verbis: *Aristippum Cyrenaicosque omnes non est veritum in ea voluptate, quæ maxima dulcedine sensum moueret, summum bonum ponere, contemnentem istam vacuitatem doloris. Hi*

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

non viderunt, vt ad curſum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem; ſic hominem ad duas res, vt ait Ariſtoteles, intelligendum & agendum eſſe natum, quaſi mortalem deum. Inter leges Moſaicas apud Flauium Ioſephum legimus: *Bobus terra aranda eſt, & nulla cum eis altera animalia iungenda ſunt: ſed proprium hoc genus ſit ad arandum.* Apud antiquos etiam Græcos inuenias bouem, quod terræ laboribus exercendis ſit deſtinatus, γαῖον appellari: & Varro ait boues hinc armenta primum fuiſſe vocatos, poſtea verò eliſa litera armenta. Boues autem arationi cæteris alijs animãtibus cur ſint idoneores, abundè in exordio operis oſtenſum eſt. Plinius author eſt vno boum iugo cenſeri anno facilis ſoli quadragena iugera; difficilis tricena, iuſtum eſſe. Saſerna verò apud Varronem ad iugera ducenta arui, boum iuga duo ſatis eſſe ſcribit: Cato in oliuetis ducentorum quadraginta iugerum boues ternos, ita fit vt Saſerna dicat verum, ad centum iugera iugum opus eſſe, ſi Cato ad octogena. Sed ego neutrum horum (inquit Varro) ad omnem agrum conuenire puto, & vtrumque ad aliquem. Alia enim terra facilior, aut difficilior eſt alia. Terram duram proſcindere niſi boues magnis viribus non poſſunt, & ſæpe fracta bura (pars aratri poſterior, quæ manu bubulci tenetur, ita dicta quaſi βοὸς οὐρα, quod ad ſimilitudinem bubulæ caudæ ſit incuruata,) relinquunt vomeres in aruo. Similiter Plinius inquit: *Syria tenui ſulco arat, cùm multifariam in Italia octoni boues ad ſingulos vomeres anhelent.* Appellabatur autem iugerum, quod vno iugo boum in die exarari poſſet, vt Plinius ait; Actus, in quo boues agerentur, cum aratur, vno impetu iuſto. Hic erat centum uiginti pedum, duplicatuſque in longitudinem iugerum faciebat. Boum uerò in arando promptitudinem, atq; alacritatem perquam eleganter expreſſit Homerus, utrumque Aiacem lubenti animo concordique uoluntate Troianos inuadentes eis aſſimilans his uerſibus.

Lib. 4. antiq. Iud. — *Bos quãtum terræ arare poſſit.* — *Iugerum quid.* — *Boum in arando promptitudo.* — *Iliad. N.*

Ἀλλ᾽ ὥς ἐν νειῷ βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον
Ἶσον θυμὸν ἔχοντε τιταίνετον, ἀμφὶ δ᾽ ἄρα σφιν
Πρυμνοῖσιν κεράεσσι πολὺς ἀνακηκίει ἱδρώς,
Τὼ μέν τε ζυγὸν οἶον ἐΰξοον ἀμφὶς ἐέργει,
Ἱεμένω κατὰ ὦλκα, τέμνει δέ τε τέλσον ἀρούρης.
Ὣς τὼ παρβεβαῶτε μάλ᾽ ἕστασαν ἀλλήλοιιν: idest,

Sed ſicut in nauali boues nigri compactum aratrum
Aequalem animum habentes trahunt: circa autem ipſorum
Ima cornua multus erumpit ſudor:
Hos quidem iugum bene politum ſolum vtrinque diſtendit
Vadentes per ſulcum: inciditur autem fundus arui:
Sic hi congreſſi valde ſtabant inter ſe.

Statius etiam Acronis & Achemenidis robur in euertenda porta indicaturus eos comparat bobus inaratum ſolum arantibus.

Tandem humeris obnixus Acron, & pectore toto
Pronus Achemenides ferratæ robora portæ
Torſerunt, quanta pariter ceruice gerentes,
Profindunt inarata diu pangea iuuenci.

Requiri autem æqualitatem ætatis, magnitudinis, & roboris, indicat Dianira apud Ouidium, per ſimilitudinem probans inconuenientiam ſui amoris:

Quam malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

Sit autem & vterque æquè in arando doctus, domituſque; Aliàs enim alter alterius operam ludit, & valentioris robur alteri procurat exitium, ſiue vt Varro ait, *ne opere firmior, imbecilliorem conficiat:* Elegantiſſima hinc apud Statium comparatio de diſcordia duorum Germanorum:

Lib. 1 Syluar.

Sic vbi delectos per torua armenta iuuencos
Agricola impoſito ſociare affectat aratro:
Illi indignantes, quis nondum vomere multo
Ardua nodoſos ceruix deſcendit in armos,
In diuerſa trahunt, atque æquis vincula laxant
Viribus, & vario confundunt limite ſulcos.
Haud ſecus indomitos præceps diſcordia fratres
Aſperat, &c.

Idem poeta quàm ſignificanter iugum cur accipiatur pro pari boum, indicauit, dum oſtendit arationem vni tantùm boui non eſſe committendam.

Amiſſo qualis conſorte laborum,
Deſerit inceptum media inter iugera ſulcum

Taurus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Taurus iners, colloque iugum deforme remisso*
Parte trahit, partem lachrymans sustentat arator.

Iam verò, cùm vt dictum est, terra duritie uariat, boum quoque alij aliam arare sunt idonei. Boum vulgarium (inquit Crescentiensis) quidam sunt maiores, quorum vsus est in locis planis: alij minores, qui ferè ad montes remittuntur: mediocres vtrisque conueniunt locis: oportet autem adultos boues non iuniores laboribus destinare. Et Varro ait: *Vbi terra leuis, vt in Campania, ibi non bobus grauibus, sed vaccis & asinis quòd arant, eo faciliùs ad aratrum leue adduci possunt, & ad molas, & ad ea si qua sunt, quæ in fundo conuehuntur. In qua re alij asellis, alij vaccis ac mulis vtuntur, exinde ut pabuli facultas est. Nam facilius asellus quàm vacca alitur, sed fructuosior hæc. Canto agricolæ hoc spectandum quo fastigio sit fundus: in confragoso enim & difficili hæc valentiora parandum, & potius ea, quæ plus fructum reddere possunt, cum idem operis faciunt.* Hesiodus agriculturæ quoque consultissimus boues magnis laboribus destinatos nouennes esse vult, quod tunc robore præcipuè valeant: sed locum recitabo: *Boũ pro terræ qualitate varietas.* *Aetas.*

B Βόε δ᾽ ἐνναετήρω,
Ἄρσενε κεκτῆσθαι (τῶν δὲ σθένος οὐκ ἀλαπαδνὸν.)
Ἥβης μέτρον ἔχοντε, τὼ ἐργάζεσθαι ἀρίστω.
Οὐκ ἂν τώγ᾽ ἐρίσαντες ἐν αὔλακι καμμὲν ἄροτρον
Ἄξειαν, τὸ δ᾽ ἔργον ἐτώσιον αὖθι λίποιεν. idest,

Boues verò nouennes
Masculos comparato (hirum enim robur non imbecillum est)
Adolescentiæ mensuram habentes. Hi ad laborandum optimi
Non vtique hi contendentes in sulco laborando aratrum
Fregerint, opus verò imperfectum reliquerint.

Varro non minores trimos, neque maiores quadrimos comparandos ad arationem censet. Pares itẽ eligendos viribus, amplis cornibus & nigris potius eligendos suadet, lata item frõte, naribus simis, lato pectore, crassis coxendicibus. Sed & Homerus his versibus eleganter docet quales cùm natura, tum arte boues esse debeant. *Aequalitas.*

C Εἰ δ᾽ αὖ καὶ βόες εἶεν ἐλαυνέμεν οἵπερ ἄριστοι, *Odyss. Σ.*
Αἴθωνες, μεγάλοι, ἄμφω κεκορηότε ποίης,
Ἥλικες, ἰσοφόροι, τῶν δὲ σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν.
Si autem & rursus boues essent ad impellendum optimi,
Pingues (αἴθωνες, nigri) magni, ambo saturati herba
Aequales, æqualiter portantes, quorum robur non imbecillum.

Est tamen vbi idem poeta mulos bobus in arando præferre videtur: *Iliad. K.* *Muli vt bobus præferantur.*

Ἀλλ᾽ ὅτε δή ῥ᾽ ἀπέην ὅσσόν τ᾽ ἐπὶ οὖρα πέλονται
Ἡμιόνων (αἱ γάρ τε βοῶν προφερέστεραί εἰσιν
Ἑλκέμεναι νειοῖο βαθείης πηκτὸν ἄροτρον)
Τὼ μὲν ἐπεδραμέτην. idest,
Sed cùm iam aberat, quantum interualla sunt. s. longè
Mularum (hæ enim bobus præstantiores sunt
Ad trahendum in nouali profundo compactum aratrum)
Hi quidem accurrerunt.

D Quem poetæ locum ita interpretatus est Aristarchus referente Didymo. Quantum emisso simul ab aliquo tum mulorum, tum boum iugo anteuertuntur à mulis boues, tantum spatium sinentes isti Heroes Dolonem progredi in via, conuersi persecuti sunt. Præuertunt autem (inquit Gesnerus) muli boues arando, non quod robustiores sunt, sed quod celeriores, si pariter emittantur. Aduertit hoc etiam Laurentius Valla, qui sic latinè isthæc reddidit: *Qui vbi tantum processit, quantum muli in fine sulci boues præcessisse solent (muli enim quàm boues aratrum inducendo sulco celerius trahunt) post cum ambo currere cœperunt.* Sed & ipse Homerus alio in loco ceu seipsum explicans, celeritatem mulorum in arando, non fortitudinem aut robur celebrat, dum canit: Locus est de velocissimo Clytonei cursu: *Muli ut boues præuertere dicantur.*

Τῶν δὲ θέειν ὄχ᾽ ἄριστος ἔην Κλυτόνηος ἀμύμων, *Odyss. Θ.*
Ὅσσόν τ᾽ ἐν νειῷ οὖρον πέλει ἡμιόνοιιν
Τόσσον ὑπεκπροθέων λαοὺς ἵκεθ᾽, οἱ δ᾽ ἐλίποντο. idest,
Horum currendo longè optimus erat Clytoneus inculpatus,
Quantum in nouali terminus solet esse mularum
Tantum præcurrens ad populum venit: alij verò relinquebantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Vlyſſes etiam apud eundem ſtultitiam ſimulans, ne ad Troiæ excidium cum cæteris Græciæ heroibus traheretur, boue, & aſina iunctis, arat. Cranzius author eſt, aratrum Vandalicum bobus perſici binis, equiſque totidem: nimirum ad celeriorem arationem. Quanta autem boum in arando ſolo ſit neceſſitas, non obſcurè innuit Heſiodus:

Φράζεσθαι δ' εὖτ' ἂν φωνὴν γεράνου ἐπακούσῃς,
Ὑψόθεν ἐκ νεφέων ἐνιαύσια κεκληγυίης
Ἥ τ' ἀρότοιό τε σῆμα φέρει καὶ χείματος ὥρην
Δεικνύει ὀμβρηροῦ. κραδίην δ' ἔδακ' ἀνδρὸς ἀβούτεω. ideſt,

Boum in arando neceſſitas.

Conſidera vero cùm vocem gruis audieris
Altè ex nubibus quotannis clangentis,
Quæ & arationis ſignum affert, & hyemis tempus
Indicat pluuiæ, cor autem rodit viri bobus carentis.

1. de remed. Amor. *Lucrum ex aratione.*

Incredibile enim ex aratione expectatur lucrum. Ouidius:

Rura quoque oblectant animos, ſtudiumque colendi
Quælibet huic curæ cedere cura poteſt.
Colla iube domitos oneri ſupponere tauros,
Sauciet vt durum vomer aduncus humum.
Obrue verſata Cerealia ſemina terra
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.

Lib. 1. eleg. 9.

Propertius:

Lucra petens habili tauros adiungit aratro,
Et durum terræ ruſticus vrget opus.

Boues vt iungendi. *Lib. 18. cap. 19.* *Lib. 2.*

Araturos boues quàm arctiſſimè (inquit Plinius) *iungi oportet, vt capitibus ſublatis arent: ſic minimè colla contundunt.* Eiuſdem iunctionis boum ita meminit Columella, non minus ſcitè quàm feſtiuiter: *Igitur in opere boues arctè iunctos habere conuenit, quò ſpecioſius ingrediantur ſublimes & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, iugumque melius aptum ceruicibus inſidat, hoc enim iuncturæ genus maximè probatum eſt. Nam quod in quibuſdam prouinciјs vſurpatur, vt cornibus illigetur iugum, ferè repudiatum eſt ab omnibus, qui præcepta ruſticis ſcripſerunt. Plus enim queunt pecudes collo & pectore conari, quàm cornibus.* Hæc & multa id genus ille: Palladius quoque de his ita agit: *Boues melius collo, quàm cornibus, capite iunguntur, quos vbi ad verſuram venerint, arator retineat, & iugum propellat, vt eorum colla refrigerentur.* Cur verò collo, & pectore plus queant quam cornibus, ratio eſt, quantum iudicare poſſum, & Columella teſtatur, quod hoc modo tota mole, totoque corporis pondere nitantur: quamuis aliam rationem reddant alij his verbis: Fortiſſima bouis pars caput eſt, ideoque cornibus prædita, quæ iugo alligantur. Ceruix etiam ei firmæ robuſtæque carnis eſt, quamobrem non deſunt, qui iugum ceruici committant. In Italia collo trahebant. Horatius in Epodo. Od. 2.

Videre feſſos vomerem inuerſum boues
Collo trahentes languido.

Κερουλκὸς exponitur qui cornibus trahit aratrum, κερατεσσεῖς verò, vel κεραελκεῖς, vel κερουχοῦς dicunt, qui tauros cornibus trahunt. ζύγιος verò eſt iugatorius. Μέσαβα inciſuræ in iugo quibus ceruices iugo alligantur. Dolent autem cùm primò iugum imponitur, ceruici, vt indicat Phædra apud Ouidium ad Hippolytum ſcribens:

Venit amor grauius, quò ſerius vrimur intus,
Vrimur, & cæcum pectora vulnus habent.
Scilicet vt teneros lædunt iuga prima iuuencos
Frænaque vix patitur de grege captus equus.

Sed & in arando modus adhibendus eſt; nimio enim labori ſæpenumero ſuccumbit, aliquandoque

Epiſt. lib. 1.

etiam obit: quò ſpectat hoc Horatij:

Verùm vbi oues furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando,
Offenſus damnis, &c.

vnde etiam eſt, quod diebus feſtis, non aliter ac ipſi homines ferientur vt idem teſtatur poeta:

Ludit herboſo pecus omne campo
Cùm ſibi nonæ redeunt Decembris
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum boue pagus.

Ne laſſetur. Ne verò etiam nimium laſſentur, inuenta etiam ſua ſunt remedia. Democritus, oleo & terebinthina

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ana vnà coctis, vngit cornua. Plinius ait: *Securiculam inſitiuam pendere oportet, qua intercidantur radices. Hoc melius quàm conuelli aratro, boueſque luctari.* Securiculam illam Cato falculam ruſtariam vocat, (vt ait Turnebus). In qua ruri ſecantur rubi per agrum ſerpentes: Inſitiuam verò hic quidam exponunt, vruo aut clauo inſertam, vt ex eo pendeat. Quidam legunt inciſiuam ab incidendo, ſiue, vt ait, intercidendo. Columella idem quoque ait, aliaque inſuper præcepta addit, his verbis: *Boues cum ad arborem venerint, fortiter retinere ac retardare, ne in radicem maiore niſu vomis impactus colla commoueat, neue, aut cornu bos ad ſtipitem vehementius offendat, aut extremo iugo truncum delibet, ramumque deplantet, bubulcus voce potius quàm verberibus terreat: vltimaque ſint opus recuſantibus remedia, plagæ. Nunquam ſtimulo laceſſat iuuencum quod retrectantem, calcitroſumque eum reddit, nonnunquam tamen admoneat flagello. Sed nec in media parte verſuræ conſiſtat, detque requiem in ſumma, vt ſpe ceſſandi totum ſpatium bos agilius enitatur. Sulcum autem ducere longiorem quàm pedum centum viginti, contrarium pecori eſt, quoniam plus æquo fatigatur, vbi hunc modum exceſſit. Cùm ventum erit ad verſuram, in priorem partem iugum propellat, & boues inhibeat, vt colla eorum refrigeſcant, quæ celeriter conflagrant (niſi aſſiduè refrige-* B *rentur) & ex eo tumor, ac deinde vlcera inuadunt. Nec minus dolabra quàm vomere bubulcus vtatur, & præfractas ſtirpes, ſummaſque radices, quibus arbuſto conſitus implicatur, omnes refodiat, ac perſequatur.* Lib. 18. cap. 19. *Securicula quid.* Lib. 26. cap. 13.

VSVS AD EXCVTIENDA Frumenta.

POTIOR ruſticorum pars in Italia iunctis bobus grana in areis excutiunt: qui mos antiquiſſimus eſt. Varro: *E ſpicis in area excuti grana oportet, quod fit apud alios iumentis iunctis, & tribulo.* Columella paulò aliter: *Etſi pauca iuga ſunt, adijcere tribulam, & traham poſſis, quæ res vtraque culmos facillimè comminuit.* Quo poſtremo nomine noſtrorum ruſticorum inſtrumentum, quod boues iuncti retrò cum impoſito pondere trahunt, intelligere videtur: Batiturum ipſi vocant à batuendo, quod eo ſimi- C liter ac flagellis, ita voco baculos illos quorum ceu flagellorum vſus eſt, grana excutiantur: quamuis alias etiam traha ſit genus vehiculi ſine rotis, cuius brumali tempore, cum terra viue veſtitur, vſus eſt. Tribulus tamen, ſiue tribula id rectè dicetur, tribus enim conſtat lateribus vnde tribulum dictum volunt. Varro huic poſteriori opinioni aſtipulatur, inquiens: *Tribula vel tribulum eſt tabula ſaxo vel ferro* (ſic nunc ſit) *aſperata, qua frumẽta tererentur: in frequenti etiam nunc Italiæ vſu.* Eiuſdem boum in area vſus meminit Aelianus. *Ne boues* (inquit) *in area ad trituram accommodata ſpicas interim edant, dum proculcant, eorum bubulo fimo nares illinendæ ſunt, &c* Ipſi autem boues etiam ſine tribulo pedibus ſpicas terebant, quod inter cæteros meminit Homerus, Achillis equum tot pedibus ſuis cadauera calcare inquiens, quot ſolent in area boues contere ſpicas. Lib. 1. c. 52. Lib. 2. c. 21.

Ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους
Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ,
D Ῥίμφα τε λέπτ' ἐγένοντο βοῶν ὑπὸ πόσσ' ἐριμύκων.
Ὣς ὑπ' Ἀχιλλῆος μεγαθύμου μώνυχες ἵπποι
Στεῖβον ὁμοῦ νέκυάς τε καὶ ἀσπίδας. ideſt,
Vt autem quando quis ſubiugauit boues mares latifrontes,
Ad terendum hordeum album rotunda in area,
Citoque tenuia fiunt boum ſub pedibus vehementer mugientium.
Sic ſub Achille magnanimo vnica vngula equi
Calcabant ſimul mortuoſque & clypeos.

VSVS AD VECTVRAM.

NON ſolum etiam iugatorum boum ad plauſtrorum curruumque, vt nunc quoque fit, varijs rebus onuſtorum vecturam olim fuit vſus, verùm etiam ad naues per aduerſa flumina vehendas, vt modò patebit. Quomodo autem ad plauſtrorum currumq; vecturam inſtituantur, ſuo loco dictum eſt. De hoc vſu intelligendum eſt hoc Plauti:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ita te amabit sarculum
Vt ego me ruri hamaxari mauelim patalem bouem,
Cumque eo ita noctem in stramentis pernoctare perpetim.
Quam tuas centum cœnatas nocteis mihi dono dari.

Iusiurandum olim rustico consuetum, quasi sarculum esset illi carissimum, proinde enim inabendum est, ac si dixisset: Ita me amabit Iupiter, vt ego me tanquam bouem esse, & hamaxari, id est currum agere & trahere, cumque eo noctem in stramentis, id est straminibus traducere mallem perpetuo, quàm centum noctes saturam tecum cubare: cœnatas autem noctes dicit, quòd qui incœnati cum scortis cubant, ijs forte friget Venus.

Promptitudo ad trahendum.

Quanto autem conamine, affectuque ac promptitudine grauissima onera protrahant currui alligati, remigantium Græcorum exemplo indicat Q. Calaber his verbis: *Hi autem sudore distillantes, remum duxerunt, vt quando boues iugo pressi ligneum currum vltra semper nitentes trahunt, axe ob impositum onus stridorem edente, multus per ceruices & humeros sudor vtrisque diffluit ad solum vsque, sic tum magnis uiribus laborabãt iuuenes, &c.*

Lib. 1. de bello Gothor.

Boues naues trahũt.

Procopius de nauium vectura per boues scribit in hæc verba: *In portu hosti.e naues ex composito onerariæ astant, & boum vis ingens parata quàm proximè: nam mercatores cùm ex alto orbis tractu in portum hunc se nauibus conferunt, oneribus in actuarias naues, & ad fluminis naturam constructas depositis, per Tyberim Romam adnauigant, non velis usi aut remis, quandoquidem nullo vento impelli hæc possunt nauigia, circumflectente & crebrò quidem se flumine, & ad multum spatij tortuosis finibus dilabente, & remorum in eo nullus est vsus aduersis vndis innauigantibus, sed laqueis ad onerarias illigatis, & boum deinde ad colla suspensis veluti plaustra Romani via Portuensi has pertrahunt.*

Pisces ex aqua vbi bobus extracti.

Lib. 9. c. 15

Lib. 14. c. 25.

Mysorum mos in piscando Siluros.

Plinius agens de Attilo pisce, vt immensam eius indicaret molem, roburque, nisi à bobus, hamo alligatum extrahi ex aqua posse ait: *Sunt & in quibusdam amnibus haud minores thynnis, Silurus in Nilo, esox in Rheno, attilus in Pado, inertia pinguescens, & ad mille aliquando libras, catenato captus hamo, nec nisi iugis boum extractus.* Quod autem Plinius de Attilo, id de Siluro scribit Aelianus: Mysi, (inquit) non ij qui Telephi Pergamum incolunt, sed inferiores, qui ad Pontum, hi pescandi rationem obseruant huiusmodi. Istrianus natione piscator, ad Istri ripam boum par impellit, non ad arandum (nam quemadmodum in sermonem hominum venit: nullo boui communitas cum delphino intercedit, sic piscatoris manibus vnde amicitia cum aratro?) sed ad piscandum potius iugatos boues, aut equos in ea loca primùm impellit, (iugum ipse humeris gerens) vbi commodam sibi, & sedem & piscationem arbitratur; atque ad ripam iumentis pabulum apponit, vnde interea hęc complentur, dum ipse funis bene robusti alterum caput ad medium iugum alligat, ex altero capite hamum appendit validissimum illum acutissimumque, quem asso tauri pulmone instructum, ad illiciendum Silurum suauissimam ei escam deijcit, postquam ex linea, ad quam hamus alligatus est, quantum satis sit plumbi, ad moderandum tractum appendit: Vbi silurus bubulæ escæ sensum percepit, statim escam appetens, hamum incautè totis faucibus deuorat, & nimia gulæ auiditate transfixus imprudens, dum ex eo euadere cupit, omnibus viribus funem exagitat. Quod quidem ipsum animaduertens piscator, cum summo gaudio quàm mox à sessione exurgit, & boues equosuè admotis stimulis incitat, tanquam arator iam ex piscatore factus, vt qui in fabulis subitò per[illegible] fiunt: ac [illegible] ensis cum cetaceo pisce bene robusto luctatio est: Nam hic Istri alumnus omni vi, cum contentione in altitudinem se deprimit, illa contrà retrahunt: sed piscis vincitur, ex aratorum tractu, atque in ripam iugo extrahitur. Diceret sanè aliquis Homeri studiosus, mulos hoc pacto in Patrocli funere, quod poeta celebrat, quernos aduexisse truncos. Hæc itaque Aelianus.

VSVS GESTATORIVS.

Exercit. 90. & 217. 2.

Colloq. 7. dier. canicul.

QVAMVIS scriptum reliquerit M. Tullius, *boum terga declarare non esse ad onus accipiendum figurata: ceruices autem natus ad iugum, tum vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda,* & quamuis etiam in veteri prouerbio dicatur, *boui clitellæ impositæ sunt*, vbi mandatum est negocium parum apto, vt suo loco dictum est: est tamen vbi boues asinorum mulorumque more clitellati onerãtur. Scaliger [illegible] Aethiopas ait Troglodytas bobus ad sarcinas vti. Et alibi rursus: Ex Malabar ad Bisinagar (inquit) sarcinas vehunt asinis & pusillis equis; bobus etiam clitellarijs. Et Odoardus Barbosa in itinerario Indico Orientali, referente Simone Maiolo Episcopo Vulturiacensi tradit in Cambaiæ Cheul boues edoctos ferendo oneri clitellis adhibitis asinorum ac mulorum vicem referret; Quin addit (inquit) incerti nominis author in Itinerario ad Orientales Indos in vrbe Diu,

A Dia, quæ eiusdem prouinciæ est, boues exiguos quidem prægrandibus, ac rectis cornibus, sed prę- ter oneris ferendi industriam etiam sub freno currere, & equitare dociles esse equorum gradario- rum more. Rhamnusius id habet itinerationum tomo, post itinerarium Nearchi. Sed & Bello- nius ait: In planitie Antiochiæ rusticos obseruauimus lignorum fasces boum tergo imponentes & tritici saccos, aliaque huiuscemodi, interdum etiam, cùm defessi essent, ipsorum tergo insiden- tes: nam cùm iter non vrgeant, boum ministerio vtuntur, quemadmodum nos equorum. Sed quid oportet externa, adeoque remota reminisci? Tritenti vrbe Italiæ, vt ibidem Maiolus scribit, incolæ bobus vaccisque vtuntur mulorum, asinorumque vice, onerarijque equi munus implent: Cumque regionis illius iuga montium inaccessa ferè videantur, plaustra onusta ab ijs percom- modè in ipsa vsque iuga trahuntur nullo maiore labore quàm per campestina.

Lib. 2. Obseruat. cap. 106.

VSVS IN SPECTACVLIS.

B DE tauris siue taurilibus ludis, qui dijs inferis fiebant, (& de tauria Neptuni celebri- tate, iam antè dictum est) in quos æs quod consumebatur, taurium dicebatur, te- ste Festo. Vocabantur & boalia ijdem ludi. Fiebant autem cum bobus quem- admodum nunc quoq; fieri solet apud nonnullos Italos Septuagesimæ tempore, quod tempus quidam carnipriuium vocant, præsertim Venetijs eo potissimum die quem Giouedì grasso, quasi diem Iouis pinguem appellamus. Audio non carere periculo: quare vitandi sunt istiusmodi ludi. Morientes enim in agitatione taurorum carent Ecclesiastica sepultura, vt scribit Sebastianus Medicus in tractatu de sepulturis. Ludicrum hinc, puto, dima- nauit. Aquileienses ob dimissos olim Voldardicum Patriarcham, & duodecim eius canonicos quotannis pinguem opimumque taurum & duodecim porcos soluere coacti sunt à Vitale Mi- chaele Venetorum tunc principe, qui eos ceperat, & Venetias deduxerat. Dabantur ea ani- malia populo diripienda, vt annotauit Leander in sua Italia: Similiter babetiæ siue bubetij ludi, sic enim boalia quoq; appellantur, boum gratia teste Plinio instituti sunt. Strabo author est, Memphi in dromo taurorum certamina fieri solere inter se pugnantiũ, quos nonnulli dedita ope- ra ad hoc ipsum alant, quemadmodum nonnulli equos: nam diuisi (inquit) inrer se pugnam com- C mittũt, qui victor iudicatur, premium habet. Apud Romanos in Circo tauri diuersa quoq; edide- runt certaminum spectacula. Varro Circum ipsum caueam voçare videtur, dum inquit: *Ornitho- nis ostium debet esse humile & angustum, & potissimum eius generis quod cochleam appellant, vt solet esse cauea, in qua tauri pugnare solent.* Irritabantur ad pugnam fictis vt dicam hominibus, vt in- nuit Martialis in libro de spectaculis loquens de Rhinocerote:

Lib. 17. Geogr.

Tauri inuicem pugnantes.

Epig. 22.

Namque grauem geminu cornu sic extulit vrsum,
Iactat vt impositas taurus in astra pilas.

Erant siquidem vt Festus Pompeius scribit, pilæ viriles effigies, atque item muliebres ex lana, quę compitalibus suspendebantur in compitis, quod esse deorum inferorum putarent, quos vocãt la- res, quibus tot pilæ, quot capita liberorum, seruorum, mulierum circa compita habitabant, pone- bantur, vt essent ijs pilis & simulachris contenti, viuisque parcerent. Hisce verò imaginibus nul- lius omnino pretij vestes circumponebantur. Ab hac pilarum similitudine, vt scribit Martialis in- terpres, vestes quæ in spectaculo tauris obijcerentur irritandis, pilæ sunt nuncupatæ: quòd à tauris peterentur, tanquam effigies hominum: Vel (inquit) pilæ dicebantur, quòd in globum & lusoriæ D pilæ speciem conuolutæ iactabantur: Quanquam rudis antiquitas, vt Pædianus author est, ho- mines è stramine formaret ad eum vsum: postea (inquit) luxus in tantum auctus est, vt vestes etiam purpureæ obijcerentur; quod significasse Ouidius quoque videtur, dum ita canit:

Pilæ quæ.

Metam. 12.

Haud secus exarsit, quàm Circo taurus aperto,
Cum sua terribili petit irritamina cornu,
Phæniceas vestes, elusaque vulnera sensit.

Introducebantur etiam venatores, qui iaculo feras occidebant. Martialis id etiam docet de Car- pophoro scribens:

Dorica quàm certo venabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori:
Ille tulit geminos facili ceruice iuuencos:
Illi cessit atrox bubalus, atque bison &c.

Dicit poeta duos esse in arena tauros ab eo interfectos: sed vel iocosè (inquit Turnebus) facilè tu- lit hoc præmium cæsorum duorum iuuencorum, neq; eo ceruix eius laborauit facili nisu portan- tis: vel sine ioco, facilè sustulit & interfecit boues, eorum ceruice ad conficiendum minimè du-

Lib. 17. c. 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ra & repugnante, ſed facilè venabulorum ferro violata, quam quidem poſteriorem ſententiam veriorem puto, nihil tamen vetat diuerſos ſenſus ſcribere, quorum intelligentiæ verba repugnare non videantur. *Teridatis fortitudo.* In ijs ludis quos Nero in honorem Teridatis exhibuit, Teridates ſuperiore loco, in quo ſedebat, belluas iaculo traiecit, duoſque tauros vno ictu vulnerauit & confecit, vt teſtatur Tranquillus: apud quem etiam legimus in Claudio cap. 21. *Theſſalos equites exhibuit, qui feros tauros per ſpacia Circi agunt, inſiliuntque defeſſis & ad terram cornibus detrahunt.* *Tauri equis pugnantes.* Cæſar verò dictator edidit ſpectaculum taurorum cum equis Theſſalis, in quo certamine tauri ſuccubuere. *Lib. 8. c. 45.* Plinius verò Theſſalorum inuentum eſſe ſcribit, equo iuxtà quadrupedante cornu intorta ceruice tauros necare. Primum id ſpectaculum dediſſe Romæ Cæſarem dictatorem. *Pueri tauris inſidentes.* Fuit item ſpectaculum in quo tauri tam placidi, & manſueti exhibebantur, vt pueros ferrent, omni feritate depoſita. De quo hoc apud Martialem epigramma legitur:

Adſpice quàm placidis inſultet turba iuuencis,
Et ſua quàm facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pendet ſummis; vagus ille per armos
Currit, & in toto ventilat arma boue.
At feritas immota riget, non eſſet arena
Tutior, & poſſent fallere plana magis,
Nec trepidant greſſus, ſed de diſcrimine palmæ
Securus puer eſt, ſolicitumque pecus.

Rhinoceros tauros vincit. Quàm facilè autem taurus pugnans rhinoceroti in certamine ſuccumberet, indicat idem poeta in epigrammate de rhinocerote:

Præſtitit exhibitus tota tibi Cæſar arena,
Quæ non promiſit prælia rhinoceros.
O quàm terribiles exarſit pronus in iras,
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat?

Repetit verò idem ſpectaculum in apophoretis:

Nuper in Auſonia domini ſpectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Elephas. De elephanto & tauro in arena pugnantibus, eiuſdem habemus epigramma, in quo inſultat poeta tauro mortuo, qui tandem potitus certo obſtaculo, quòd cum pilas peteret, maximè quærere videbatur, occubuerit:

Qui modo per totum flammis ſtimulatus, arenam
Suſtulerat raptas taurus in aſtra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli ſic elephanta putat.

Idem certamen ſignificauerat paulò antè de ſupplice elephante loquens:

Quod pius & ſupplex elephas te Cæſar, adorat,
Hic modò qui tauro tam metuendus erat:
Non facit hoc iuſſus, nulloque docente magiſtro,
Crede mihi, numen ſentit & ille tuum.

Nec ad aliud quoque alludit hoc diſticho:

Grandia taurorum portant qui cornua, quæris
An Libycas poſſint ſuſtinuiſſe trabes?

Lib. 1. 52. *Leo.* Pugnaſſe item tauros leonibus diſcimus ex eodem poeta in carmine in leporem:

Non facit ad ſæuos ceruix, niſi prima, leones,
Quid fugis hos dentes ambitioſe lepus?
Scilicet à magnis ad te deſcendere tauris,
Et, quæ non cernunt, frangere colla velint,
Deſperanda ſibi eſt ingentis gloria fati,
Non potes hoc tenuis præda ſub hoſte mori.

Lib. 5. Meminit eiuſdem pugnæ etiam Silius,

Haud ſecus è ſpecula præceps delatus opaca
Subſidens campo, ſummiſſos contrahit artus.
Cum vicina trucis conſpexit cornua tauri
Quamuis longa fames ſtimulet, leo: nunc ferus alta
Surgentes ceruice toros, nunc torua ſub hirta
Lumina miratur fronte, & iam ſigna mouentem

Et ſpar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Et sparsa pugnas meditantem spectat arena.*

Nam in Circo, non aliter ac loco aperto sparsa arena pugnam meditabatur taurus: id quod etiam testatur Ouidius, inquiens: *Lib. 4. de Tristib.*

Iam furor in pugnas, at nondum cornua sumpsi,
Nec mihi sumendi, causa sit vlla velim.
Circus adhuc cessat, spargit tamen acer arenam
Taurus, & infesto iam pede pulsat humum.

De pugna verò taurorum & vrsorum elegantissimum habemus epigramma Sannazarij, scriptum de Borgia Alexandri Pontificis filio: quod tale est: *Vrsus.*

Qui modò prostratos iactarat cornibus vrsos,
In latebras taurus concitus ecce fugit,
Nec latebras putat esse satis sibi: Tybride toto
Cingitur, & notis vix bene fidit aquis.
B *Terruerat montes mugitibus, obuia nunc est*
Et facilis quiuis præda sine arte capi.
Sed tamen id magnum, nuper potuisse vel vrsos
Sternere, nunc omnes posse timere feras.
Ne tibi Roma nouæ desint spectacula pompæ,
Amphitheatrales reddit arena iocos.

Haud iniucundum quoque fuisse videtur spectaculum, in quo canes pugnabant, vel saltem molesti erant tauro: hincinde eum quidem inuadentes, sed remorari eum nequeuntes, quemadmodum venusta hac de Rolando in furorem acto similitudine ostẽdit Ludouicus Ariostus, dũ canit: *Canes.*

Chi hà visto toro, à cui si dia la caccia
E che à le orecchie habbia le Zanne fiere,
Correr muggiando, e trarre ouunque corre
I cani seco, & non potersi sciorre.
Imagini ch' Orlando fosse tale
Che tutti quei guerrier seco trahea.

C Meminit & Torquatus Tassus, sed paulò aliter.

Tal gran tauro talhor nel ampio Agone
Se volge il corno à i cani, ond' è seguito
S' arretrare essi, & s' à fugir si pone,
Ciascun ritorna à seguitarlo ardito.

Inter Pyrrhicarum argumenta, quas Nero edidit, taurus Pasiphaen ligneo iuuencæ simulacro abditam inijt, vt multi spectantium crediderunt, teste Suetonio.

VSVS IN BELLO.

APVD priscos diuersa animantia ad belli vsum traxisse, non ad vecturam eorum quæ ad belli vsum sunt necessaria, sed vt dimicando ipsos iuuarent milites discimus ex Lucretio, vbi ait: *Lib. 5.*

D *Tentarunt etiam tauros in munere belli.*

Et mox clarius:

Iactabantque sues, tauri, pedibusque terebant,
Et latera ac ventres hauribant subter aquarum
Cornibus, ad terramque minanti mente ruebant.

Inter verò stratagemata Hannibalis Barchini, quo nullus hostium sæpius vicit Romanos, quamuis punico astu potius quàm viribus, illud videtur fuisse vaferrimum, quo cùm ipse magna quidem arte à Fabio Maximo esset interclusus, Romanum præsidium, quod abire volenti fuerat obiectum, ludificatus per Cassinatem saltum euasit. Ludibrium dici possit, quod bobus sarmentis ad cornua incensis in aduersum montem ab hoste obscura nocte adactis, Romanus miles noua specie territus præsidio abscesserit. Liuius rem sic enarrat: *Inclusus inde videri Hannibal, & ad Casilinum obsessus: cùm Capua & Samnium, & tantum à tergo diuitum sociorũ Romanis commeatus subueheret: Pœnus contra intra Formiana saxa, ac Linterni arenas, stagnaq; per horrida situ hybernaturus esset. Nec Hannibalem fefellit, suis se artibus peti, itaque cum per Casilinum euadere non posset, petendique montes, & iugum Calliculæ superandum esset: nec vbi Romanus inclusum* *Hannibalis astus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vallibus agmen aggrederetur, ludibrium oculorum specie terribile, ad frustrandum hostem commentus, principio noctis furtim succedere ad montes statuit: Fallacis consilij talis apparatus fuit. Facies vndique ex agris collectæ, fascesque virgarum atque arida sarmenta, præligantur cornibus boũ, quos domitos, indomitosque multos inter cæteram agrestem prædam agebat. Ad duo millia fermè boum effecta: Asdrubalique negocium datum, vt primis tenebris noctis ad armentum accensis cornibus ad montes ageret, maximè si posset super saltus ab hoste insessos. Primis tenebris silentio mota castra, boues aliquanto ante signa acti. Vbi ad radices montium, viasque angustas ventum est, signum extemplò datur, vt accensis cornibus armenta in aduersos concitentur montes, & metus ipse relucentis flammæ ex capite, calorque iam ad viuum, ad imaque cornua adueniens, velut stimulatos furore agebat boues: quo repentè discursu haud secus quam syluis montibusque accensis, omnia circum virgulta ardere: capitumque inquietatio excitans flammam hominum passim discurrentium speciem præbebat. Qui ad saltus transitus locati erant, vbi in summis montibus ac super se quosdam ignes conspexerunt, circumuentos se esse rati, præsidio excessere: qua ingens emicabat flamma, velut tutissimum iter petentes summa montium iuga: tum in quosdam boues palantes à suis gregibus inciderunt: & primò cum procul cernerent, velut flammas spirantium miraculo attoniti constiterunt: deinde vt humana apparuit fraus, tum verò insidias rati esse, cum multo maximoque strepitu concitant se in fugam, leuibus armatura hostium incurrere. Cæterum nox æquato timore neutros pugnam incipientes, ad lucem tenuit. Apud Silium Italicum Hannibal sic loquitur:

Verùm age (nunc quoniam res arctę) percipe porrò
Quæ meditata mihi, latos correpta per agros
Armenta assueto belli de more sequuntur,
Cornibus arentes edicam innectere ramos,
Sarmentique leues fronti religare maniplos.
Admotus cùm feruorem dispersit ignis
Vt passim exultent stimulante dolore iuuenci,
Et vaga per colles ceruice incendia iactent.
Tum terrore nouo trepidus laxabit iniquas
Custos excubias, maioraque nocte timebit, &c.

Lib. 7. Et mox rursus:

Instant trepidi, stimulatque ruentes
Nauus abire timor, dum cæca silentia, dumque
Maiores vmbræ, rapida iam subdita peste
Virgulta, atque altis surgunt è cornibus ignes.
Hic verò, vt gliscente malo & quassantibus ægra
Armentis capita, adiutæ pinguescere flammæ
Cœpere, & vincens fumos erumpere vertex:
Per colles dumosque lues agit atra, per altos
Saxosi scopulos montis, lymphata feruntur
Corpora anhela boum, atque obsessis naribus igni
Luctantur frustra rabidi mugire iuuenci:
Per iuga, per valles errat Vulcania pestis,
Nusquam stante malo, vicinaque littora fulgent.
Hac facie subita volitantum in montibus altis
Flammarum, queis tunc cecidit custodia sorti,
Horrere, atque ipsos nullo spargente vagari
Credere, & indomitos pasci sub collibus ignes:
Iamque fugam Rutili media in formidine quærunt,
Atque abeunt, faucesque viæ citus occupat armis
Pœnus, & in patulos exultans emicat agros.

Lib. 2. Alicubi rursus idem Hannibal ita se euasisse gloriatur apud eundem poetam, & de seipso ita loquitur:

Non ita me experti Fabius, Fabioque magister
Turbarum expertor, cùm clausos milite colles
Euasi victor, sparsosque per arua iuuencos
Iactare accensis stimulaui cornibus ignes.

Hispanorũ status. *Lib. 2. c. 4.* Hispani verò contra Amilcarem boues vehiculis adiunctos in prima fronte constituerunt, vt tradit Frontinus: vehiculaque tedæ ac sæpi & sulphuris plena signo pugnæ dato, incenderunt: actis dein-

A deinde in hostem bobus consternatam aciem perruperunt. Idem testatum reliquit Valturius: *Ad-* *Lib.6.c.12.*
uersus (inquit) *Amilcarem Hispani boues vehiculis adiunctos in prima fronte locarunt, vehiculaq;*
resinę, sulphuris ac sępi plena, vbi æneatores pugnæ signum dedere, incenderunt: actis deinde ac exa-
gitatis sic bobus consternatam ac dissipatam hostium aciem reliquerunt. Præ cæteris verò vaferri- *Cnopi regis*
mum fuit Cnopi stratagema, quo absque vllo cùm suo, tum suorum discrimine superatis hosti- *stratagema.*
bus, vrbe quam cingebat potitus est. Refert id Poliænus his verbis: *Cnopus ex Codridarum ge-* *Lib. 8.*
nere, Ionicam coloniam in Asiam deducens, cum Erythræis bellum gerebat. Oraculo edoctus, ducem
itineris sacerdotē Hecates Chrysamen sibi adiunxit. Quę pharmacis sibi potionata taurum de grege
maximum & pulcherrimum, cornua eius inaurauit tanquam adductura ad sacrificium, in conspectu
hostium extructa ara. Taurus æstro percitus, exilijt, magnisque editis mugitibus fugit. Hostes in sua
castra taurum ferri videntes, quasi faustum omen suscipiebant, comprehensumq; dijs immolabant, ac
de mortuo quilibet partē arripiebāt. Quo facto omnes repente furore correpti, discurrere, exilire, salta
re, custodias relinquere. Cnopus in occasionē intētus, omnibus interfectis, vrbe florentissima potitus est.

B

VSVS AD POENAM ET VITVPERIVM.

CVM Nyctæi (inquit Georgius Cedrenus in compendio historiarum) qui Cadmo
in Bœotiæ regno succesit, filia Antiopa, sacerdote Solis Theobæus Bratonis F. à
Ioue genus ducens, ac frater Nyctæi corpus miscuit: indeque geminos ea est eni-
xa, Amphionem & Zethum, qui iussu fratris expositi sunt prope montem Cithœ-
ronem. Sed quidam rusticus Ordio nomine, cùm prole careret, sustulit eos, atque
educauit. Cùm autem Antiopa apud Dircen asseruaretur, vt propter flagitium commissum suo
tempore pœnas lueret, cùm in Argiuorum terra bellum extitisset, ibique Lycus moraretur, Dirce
Nyctæum blandè solicitauit de liberanda Antiopa. Is verò tauro eam potius fero alligandam, *Antiopa tau-*
itaque necandam profanatæ virginitatis causa imperauit. Hoc cùm inaudiuissent Amphion, & *ro alligata.*
Zethus, ab eo qui ipsos educauerat, Antiopæ se esse filios, cum manu rusticorum irruerunt, neca-
C tisque militibus, Dircen tauro alligatam interfecerunt, ipsi cum matre Antiopa in Bœotiam pro-
fecti, &c. Alij aliter hanc siue historiā siue fabulā narrant sic. Dircen Lycus Thebarum rex vxorem
duxit, repudiata Antiopa, sed hęc verita, ne Antiopā reuocaret, impetrauit à marito vt posset eam
in vinculis detinere. Antiopa verò tēpore partus soluta, quos vt fabulantur Poetæ ex Ioue conce-
perat, peperit, Amphionem videlicet & Zetum, qui postea Lycum interfecerunt, Dircen verò *Dirce tauro*
caudæ indomiti tauri alligarunt, quæ diu ita per terram raptata, tandem deorum commiseratio- *alligata.*
ne in sui nominis fontem conuersa est, non procul à Thebis. Meminit huius pœnæ ac fabulæ Pro- *Lib. 3.*
pertius hoc disticho:

Tu reddis pueris matrem, puerisque trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bouis.

Meminit & Plautus: *Cras quasi Dircen olim (vt memorant) duo gnati Iouis deuinxere ad taurum,* *In Pseudo-*
item stringam hodie carnarium, id tibi profectò taurus fiet. Macrinus Imper. cùm per frumenta- *lo.*
rium didicisset, duos milites ancillæ hospitis, pudorem violasse, geminos boues miræ magnitu- *Stupri pęna.*
dinis aperiri iussit, atque his milites singulos inseri, capitibus boum exsectis, quò faciliùs vnà col-
loqui possent, vt refert Iulius Capitolinus in Macrino. Guidonem Turrianum proditorem Guel-
D fum Mediolano exegerat Henricus VII. Imp. Cui cùm fauerent Cremonenses, Laudenses, &
Cremenses, missis clauibus Henrico, se & sua Cæsari subiecerunt. Brixiani in rebellione con-
tumaces (historia hæc legitur apud Cuspinianum) perseuerebant, quos Theobaldus Brussatus,
qui Spiræ militari parazonio à Cæsare donatus, eiusque beneficio in patriam receptus erat ab
auxilio, ad defectionem sollicitabat, in rebellioneque detinebat. Longa igitur obsidione Bri-
xiam premens, fame, ferro, flammisque tandem domuit. Cum aut Theobaldus in monte, qui
Brixiæ imminet, cum paucis militibus quotidie Cæsaris castra specularetur, tandem capta ru-
pe, & obsessa milites occiduntur & spoliantur. Inter cadauera Theobaldus, qui se mortuum
simulabat, vt hostium manus elaberetur, repertus, ad Cæsarem perducitur. Quem acerbissimis
verbis vt proditorem incesit, illumque diligentissimè curari iussit, ne morte superueniente, sup-
plicio eriperetur, sed vt diutius affligeretur: Crudelissima dehinc eiusdem audita sunt flagitia;
quæ in propinquos, in generum sæuissimus latro patrauerat. Sed cùm octo diebus corpus me-
dicinis esset firmatum (vulnus enim lethale habuit) equo alligatur perfidus, per exercitum ra-
ptatur, in quatuor dein partes dissectus. Tum ex aduerso vrbis perticæ defixæ sunt, in quarum *Brixiani bo-*
fastigio caput, pedes & manus deligantur: Brixiani etiam quatuor capti, bobus alligati dilace- *bus alligati*

In Ibin. *Acarnides tauro inſutus.*

rantur. Acarni filius in Oriente olim Tetrarcha, cùm à Memnone victus eſſet, iuuenci pelle fuit inſutus & ſub menſa detentus: ad quam hiſtoriam alludit Ouidius:

Aut, vt Acarnides inſutus pelle iuuenci,
Turpiter ad dominum prçda ferare tuum.

Lib. 9 c. 10.

Paulus Chuporus Sigiſmundi Imp. præfectus Eruoiam Spaletij ducem in aula Imperatoris, quia ipſius aſpectus moreſque ruſticum hominem præſeferebant, nunquam aliter quàm expreſſo bouis mugitu ſalutabat. Hinc factum, vt tradit Fulgoſus, vt cùm Eruoia a Sigiſmundo defeciſſet, multoſque ex ipſius ducibus ac præfectis cepiſſet, dimiſiſſetque omnes ſine pretio humanè, vnum Paulum detinuerit, eiq; nudo ſtatim pellem bouis aſſui iuſſerit, velle ſe, vt voci illi perſonę quoque imago reſponderet. Apud Armenos noſtro tempore (vt ſcribit Bartholomæus Georgeuits) mulier adultera ſuper aſinã vicatim ducitur, & nuda flagris cæditur, & tandem inteſtina bouis in collo geſtans lapidibus obruitur. Cæterùm vir adulter, iniectus carceribus, poſt aliquot menſes pecunia redimitur.

Adulterij pęna.

VARIVS CORNVVM VSVS.

Lib. 11. c. 8. *Pocula ex cornibus boum.*

PRISCOS fama eſt, inquit Athenæus interprete Iacobo Dalechampio, atque primos homines boum cornibus olim bibiſſe. Liquet hoc ex eo, quod adhuc dum aqua vinum permiſcent, κεράσαι dicunt (ἀπὸ τοῦ κέρατος, à cornu) & vas, in quo vinum miſcetur, craterem appellant, ἀπὸ τοῦ κέρατος, quaſi κερατῆρα, (ideſt corneum) quoniam in cornua potio fundatur. Manet etiam nunc cornuum ad hunc vſum fabrica. Quidam eiuſmodi pocula rhyta vocant. Poetarum quoque multi antiquos bibentes cornibus inducunt. Pindarus in Centauris ſic: *Poſteaquam indomitæ odorem vini ſuauem fere perceperunt, magno impetu concitati mox candidum lac menſis repulerunt, ac vltrò vinum bibentes argenteis cornibus petulanter laſciuierunt,* (ἐπλάζοντο, hallucinabantur, errabant vagi, vt temulenti ſolent,) Xenophon libro expeditionis, cùm exponit celebratum conuiuium apud Thracem Seuthen, ad hunc modum ſcribit: *Mutuò quidem ſe primò ſalutarunt, deinde vt Thracibus mos eſt, vini cornua protenderunt.* (Apud Xenophontem legitur, προὔπινον, ideſt, præbiberunt, quod annotauit etiam Leopardus cap. 3. Emendationum.) Idem libro ſexto, quo loco agit de Paphlagonibus, ait: *Decumbentes verò in lectis ex palea, fronde & gramine ſtratis, cęnabant ac potabant corneis poculis.* Aeſchylus in Perrhæbis, eos ſic oſtendit corneis poculis vti: *Cornibus argento ductili factis, quibus aurea fuerunt emiſſaria impoſita:* Sophocles in Pandora: *Aureum cùm aliquod plenum cornu ebiberet, ſub mollibus vlnis idem rurſus plenum teret.* Hermippus in vnguentis: *Scin quid agendum mihi ſit? hunc nunc calicem ne dato: Verum è cornu rurſum ſemel tantùm, quod bibam.* Lycurgus rhetor in oratione ſua contra Demadem, inquit Philippum regem cornu ſolitum ijs præbibere, quos exciperet amicè & benignè. Theopompus ſcribit in ſecunda Philippica reges Pœonum ex boum (Pannoniorum, Plinius) qui apud illos naſcuntur, cornibus, tam amplis, vt tres aut quatuor congios capiant, pocula facere, labris auro & argento circumtectis. Philoxenus Cytherius in opere quod cænam inſcripſit, ait: *Nectarea potio bibebatur è ſummis partibus aliorum cornuum quę aurea fuerunt: ſenſim verò ea ſeſe pitiſſantes irrorabant.* Athenienſes cornibus etiam argenteis bibebant. Palam hoc fit, ex eorum tabulis, quæ auctione publica veneunt, inciſum literis columnæ, quæ in arce poſita, donaria indicat, cornu, poculum nimirum argenteum, magno labore confectum, &c. Hæc itaque omnia Athenæus: qui eam ob cauſam Bacchum quoque cornutum fingi ſcribit, & taurum à compluribus poetis nuncupari, & taurina facie conſpici in Cyzico.

Bacchus cur cornutus. *Lib. 12.*

Mirum autem cur eundem cornuum vſum apud Romanos prætererit: ſed fortè id fecerit, quia ferè apud pauperes is eſſet, quemadmodum colligere eſt ex hoc Martialis, in quo recenſet ſupellectilem Vacerræ, qui cùm eſſet pauper, more tamen Senatorum ipſis Calendis Iulij rus ibat. Inquit itaque poeta:

Ibat tripes grabatus & bipes menſa
Et cum lucerna, corneoque cratere,
Matella curto rupta latere meiebat.

Hunc eundem morem hodieque in tota ferè Septentrionali plaga ſeruant. Ioannes Ferrerius Pedemontanus ſcribit in inſulis Orchadenſium, qui ſunt è nobilitate primi è cornibus bibere, quemadmodum ego (inquit) anno D. 1540. cum illic pręſens eſſem, in comitatu R. Do. Roberti Reid, earum inſularum vſque ad vltimam Tylem præſulis digniſſimi, vidi. Fiebant porro & alia vaſa ex cornibus. Martialis cornei gutti ſic meminit, vt tanto eum factum dicat artificio, vt cum ſit ex bubulo, ex rhinocerotis cornu effictus videatur:

Lib. 14. *Guttus corneus.*

Ce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Gestauit modò fronte me iuuencus
Verùm rhinocerota me putabis.

Habemus item hodie ex cornu cucurbitulæ quoddam genus, quo passim medici vtuntur, Cornettas à cornu nuncupant. Frequens earum vsus in scabie. Habent & Aegyptij corneas cucurbitulas, cæterùm à nostratibus figura diuersissimas, & vtendi modo, vt ostendit Prosper Alpinus in opere suo de medicina Aegyptiorum: Spiritus, inquit, siue oris attractione, siue ore attracta, vel etracta respiratione apponuntur. Igne enim vel calenti aqua ipsas cuti affigere nemo illorum ouit. Sed ore tantum attracta respiratione, moliuntur opus & sic cuti affigunt. Qui modus admouendi cucurbitulas planè ei similis videtur, quem Hero Alexandrinus in libro spiritualium nobis, prodidit. Cornua taurorum parua, perpolita & perforata existunt, quibus vtraque extremitas, latissima quippe & angustissima siue acutissima, meatu peruio constat. Cornu angustior extremitas est perforata, vt operator ore eam excipiendo, per ipsum spirationem intrò attractam, cucurbitulam altero ore expanso latiori, effigere cuti possit. Ea verò cuti eo modo affixa, angustioris extremi acuti meatus, vel foramen continuò ex ore detractum frustulo pellis ouilis saliua ma-
B defacta, & emollita clauditur, cuteque exinde in aliquem tumorem ducta, cucurbitulæ paruum foramen pelle obductum, & clausum detegitur, atque aperitur, quo aperto continuò cucurbitula à cute excidit, atque chyrurgo rursum eam cuti apponere volente, rursum os latum magnum cui applicitum, extremi cornus paruum foramen ore excipit, rursumque spiritum intra trahit, quousquousque probè affixam illam cuti adhærere viderit, quo viso continuò extremum pellicula nuper dicta lingua reuoluta claudit, ne flatus inde respirare queat. Hoc idem illi faciunt, volentes vna sanguinem mittere eadem cute scarificata: namque eodem modo cucurbitulam cuti annectunt vel affigunt: atque extremi cornus paruum foramen ore excipiunt, spiritumque in se trahentes sanguinem foras trahunt: quem etiam valenter trahit sola cucurbitula eo modo cuti affixa: quam non trahere, vt volunt, sanguinem, cùm viderint, opem ferunt, spiritum ore valenter per paruum extremi cornus foramen trahentes. Cæterùm sæpius chirurgis ore sanguinem, vt dictum est, trahentibus in cucurbitulam affixam illud incommoditatis afferunt, vt sanguis sæpius in trahentium chirurgorum ore trahatur, quando ipsæ rostrum, vel cornu acutum extremum, cuius per foramen fit attractio, non altiùs multum emineat à corpore cucurbitulæ, neque corpus est ita
C magnum, vt multum sanguinem contineat, quod sanguinem eductum suscipit, atque retinet. Tãtum Prosper Alpinus. Fuisse item apud veteres lucernas corneas, vt nunc quoque sunt, manifestè nos docet Plautus, dum ait:

Cucurbitulæ corneæ.
Lib.2.c.13.
Aegyptiorũ cucurbitulę.

Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?

Lucernæ corneæ.
In Amphit.

Cur cornua librorum olim essent ornamenta, rationem hanc reddit Adrianus Turnebus: vt in calce librorum (inquit) coronidem appingebant antiqui, similiter suspicor in fronte eorundem lunulam ad ornatum designasse: cuius suspitionis causam Ausonius præbet ita scribens:

Lib.22.cap. 10.

Quos legis à prima deductos menide libri
Doctores patriæ scio fuisse meæ.

Menis enim lunula est, quæ cùm corniculata sit, idcirco & cornua latini ea ornamenta librorum vocauere. Tibullus:

Cornua librorum ornamenta.
Lib.3.Eleg. 1.

Atque inter geminas pingantur cornua frontes.

Ouidius:

Fast.1.

Candida nec nigra cornua fronte geras.

D Sed & in fine cornua ponebantur, vt ex Martiale constat, dicente:

Lib.11.cap. 108.

Explicitum nobis vsque ad sua cornua librum
Et quasi perfectum Septiciane refers.

Quamuis modo M. Varro scribat; *Cornua dicebantur olim, quæ nunc tubæ, eò quòd ea quæ iam sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu:* Iustus Lipsius tamen apud Romanos alias docet fuisse tubas, alia cornua, diuersaque habuisse in militia munia, vt inde constet tubas postmodum esse inuentas, nam & classicum, quo consul ad concionem vocabat, idem esse quod cornu siue corneam tubam indicant Lucillius & Propertius. Ille enim inquit:

Lib.4.de milit. Rom. dial.10.
Cornua à tubis diuersa.

Rauco conuentionem sonitu & curuis cogant cornibus.

Lib.7.

At hic:

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.

nimirum Romulæo illo æuo. Idem Dionysius testatur, inquiens: *Plebem ministri quidam cornibus bouillis, (κέρασι βοείοις,) idest, buccinis, insonantes ad concionem cogebant.* Vterque de buccina, cui clasici nomen propriè etiam aptare Vegetius videtur. *Classicum* (inquit) *appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt.* Sed & Seneca in Oedipo:

Classicum.
Lib.11.cap. 22.

Sonuit reflexo classicum cornu:

Tamen

Cap.32. Tamen contra (inquit Lipſius) ſoli etiam tubæ Suetonius adſcribit in Cæſare: *Rapta ab vno tuba, ingenti ſtrepitu claſſicum exorſus eſt*. Sed in his talibus non aliud eſt, vt idem ait Lipſius, quàm τὸ πολεμικὸν ſiue τὸ παρακλετικὸν σημαίνειν, bellicum & incitatorium canerè, certis videlicet modis. Quod in pugna quidem legitima fiebat omni illo inſtrumento & cornuum & tubarum. *Lib.11.cap.18.* Fabius: *Quid autem aliud in noſtris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto eſt vehementior, tanto Romana in bellis gloria cæteris præſtat.* *Lib.11.cap.22.* Vegetius: *Quoties pugnatur & tubicines & cornicines pariter canunt.* Horatius quoque lituum à cornu diſtinguit:

Lib.2.Od.1. *Litúus:*

Iam iam minaci murmure cornuum
Præſtringis aures, iam litui ſonant.

Idem facit Seneca:

Sonuit reflexo claſſicum cornu
Lituuſque adunco ſtridulos cantus
Eliſit ære.

Et Lucanus item apertè ſeiungit:

Stridor lituum, clangorque tubarum.

Lituus quid. Quid autem ſit lituus indicat Feſtus: *Lituus* (inquit) *quod litis ſit teſtis. Eſt enim genus buccinæ incuruæ, quo qui cecinerit, dicitur Liticen.* Sonum dat acutum: Ennius:

Inde loci lituus ſonitus effudit acutos.

Statius:

Et Lituis aures circumpulſantur acutis.

Seneca verò ſtridulum tribuit in præcitato loco. Et alibi ait:

Iam tacet murmur graue claſſicorum
Iam ſilet ſtridor litui ſtrepentis.

E quibus colligit Lipſius grandem ac patulum canalem hunc non fuiſſe. Fuiſſe igitur medium aliquid inter tubam & cornu: non rectum prorſus, vt illa, nec totum incuruum, vt iſtud. Quin tamen confundant interim ſcriptores, haud abnuit, vt Ammianus, inquit, *Vocum, lituorumque intonante fragore cohorruit*: de claſſico ipſo & laxè & diffusè ea voce eſt vſus, vt idem alibi: *Litui itinerarium ſonant*: de tubis cornibuſque. *Tubæ figura.* Tubæ verò olim erat figura, cuius hodie ferè apud Europæos vides: Aere directo ducta eſt, canali ad exitum latiore: itaque Ouidius diſcriminat à cornibus:

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Et Iuuenalis:

Cornicini, ſiue hic recto cantauerit ære.

Lib.4. Neſcio, inquit, cornicinem hunc an tibicinem fuiſſe dicam: Hac cauſa cùm quidam in hoc Propertij verſu mutarent,

Et ſtruxit querulas rauca per oſſa tubas.

ipſe id non probat, quoniam ποιητικῶς per tubam cornu intelligere poteſt: poteſt dicere, primas tubas ab exemplo cornuum ſtructas: poteſt denique ſimpliciter capi, & aſſeri in ipſa tuba oſſeum aliquid fuiſſe quod inſitum aut impactum ad ſonorem. Euſtathius varia tubarum genera recenſet, & inter ea quarto loco, Paphlagonicum, cuius os effigie erat bouis, graui mugitu, ſurſum inflandum. Quamuis autem hæc ita ſe habeant, nihil tamen verius, quòd ex Varrone diximus, cornua dici, quod ea quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu: Prima enim origo fuit à *Tubarum origo.* boum cornibus, & paſtorum inſtituto. Nam illi ſic calabant pecus aut boues. Propertius:

Nunc intra muros paſtoris buccina lenti
Cantat.

Lib.4. Columella: *Ad ſonum buccinæ pecus ſepta repetere conſueſcat.* Et in Dionyſio ſuprà fuere κέρατα βοεία, cornua bubula, de conuocando populo per buccinam. Ergo olim nihil diſcriminis inter buccinam & cornu: poſtea fuit, & cornua iſta ex ære facta grandiora & magis reflexa. In lapidi- *Lib.11.c.7.* bus apparent. Diſtinguit & Vegetius apertè, Tubicines, cornicines, buccinatores, qui vel tuba, vel ære recuruo, vel buccina committere prælia ſolent. At olim, vt dixi, confundebant: nec aliter Dionyſij hæc exaudio, in claſſium deſcriptione σαλπιγκτὰς καὶ βουκανιστὰς recenſentis, qui Liuio ſunt tubicines & cornicines; ipſi, inquam, Dionyſio, tubicines, & buccinatores. Confundere etiā poſtea Vegetius videtur: *Buccina* (inquit) *quæ in ſemet æreo circulo reflectitur.* Sed vt rem dicam, implexa iſta in Vegetio, vti cum cornu etiam facit, quod ex vris agreſtibus argento nexum, temperato arte ſpiritu auditur. Inconſtans eſt, & antè ex ære recuruo id conflauit. Vnde autem Ro- *Buccina.* manis vrorum ea copia? ſed hæc inferioris æui ſunt, & à barbaris fortè deſumpta. Buccinam ſeiunctam à prioribus fuiſſe, etiam vigliæ oſtendunt. Nemo illic cornu aut tubam ſonuiſſe dixerit: ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ſed buccinam ſignanter plerique omnes. Exempla diſcimus ex ipſis vigilijs. Polybius: *Eius enim* Lib. 5.
Centurio curam habet ad quamquam vigiliam, buccina ſignum dandi: Laſcaris tuba dixit, ſed eſt
in Græco clarè βυκανᾶν, nec aliter factum (inquit Lipſius) Buccina huic rei ſeruijt. Liuius: *Vbi ſe-*
cunda vigiliæ buccina ſignum datum eſſet Idem. *Vt ad tertiam buccinam præſto eſſent.* Propertius:

Et iam quarta canit venturam buccina lucem. Silius:

Medium ſomni cum buccina noctem
Diuideret, iamque excubias ſortitus iniquas
Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.

Frontinus: *Sulla bello ſociali profectus, relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium diui-* Lib. 1. c. 5.
deret, & quarta vigilia commiſſa eum ſequeretur, incolumes ſuos perduxit. Cicero huc aſpexit:
Te gallorum, illum buccinarum cantus exuſcitat. Saluſtius communi verbo & multitudinis nu- In Iugurta.
mero eſt vſus: *Marius quàm maximum ſilentium haberi iuſſit, ne ſigna quidem, vt ſolent, per vigi-*
lias canere. An quia reuera plura, an quia pluries. Iſtud Auſonius ſignificat:

B

Ter clara inſtantis Eoi
Signa canit ſerus, deperſo Marte, ſatelles.

At illud è Vegetio firmes: *A tubicine* (inquit) *omnes vigiliæ committuntur, & finitis horis à corni-*
cine reuocantur. Itaque tubam adhibet ad initia, cornu ſiue buccinam ad finem. Et certum eſt
iam olim ſigna omnia ceciniſſe initio vigiliarum, aut potius paulò antè ipſas, cùm ſcilicet Præto-
rium dimitteretur, Polybius, de Scipionis ſtratagemate, quo caſtra Syphacis incendit: *Eſt enim*
mos Romanis, ſub tempus cœnæ buccinatores & tubicines omnes canere ad Prætoris tabernaculum,
vt tunc vigiliæ nocturnæ conſtituantur. Ambigit Lipſius an Liuius item eò reſpexerit, ſiue Aſdru-
bal apud Liuium: qui ſuſpitione iniecta de aduentu alterius conſulis in caſtra Liuij, attendi iu-
bet, ſemel biſuè ſignum canat in caſtris. Et ſtatim addit: *Illud veterem ducem & aſſuetum Ro-*
mano hoſti mouit, quod ſemel in Prætoris caſtris ſignum, bis in conſularibus referebāt ceciniſſe: Duos
profectò conſules eſſe. Putarem (inquit Lipſius) de ipſo iſto claſſico intelligendum: ſed Liuius ſin- Lib. 15.
gulariè ſignum dicit: & Silius ea in re buccinam nominat:

C

Bis clarum buccina ſignum
Prętere a gemino prodebat iuncta magiſtro
Caſtra regi.

Vt fortaſſis ad vigilias ipſas hæc ſint referenda, & in vnis caſtris buccinam vnam ſonuiſſe, niſi cū
duo prætoria & duo duces. In Tacito autem quod legitur, inter ſolennes militiæ ritus. Initia vi-
giliarum per centurionem nunciari, conuiuium buccina dimitti: referebat olim ad claſſicum: ſed
reſiſtit: quia ante cœnam videtur illud ceciniſſe: hæc buccina finit cænam. Sed & ea hic ſola: in
Polybio omnia ſigna. An non magis hic mos & ſenſus? Ante cęnam claſſicum ceciniſſe; eo ſigno
Prætorem alioſq; cænaſſe; tum centurionem nunciaſſe Vigilias incipere, & mox ad primam buc-
cinam conuiuium dimiſſum, vt quiſque ſcilicet ad ſe iret, nec vltra diſcurſu vllo caſtra inquieta-
rentur. Hoc nunc placet. Ex hiſce itaque vigilijs buccinam ſeiunctam à prioribus inſtrumentis
fuiſſe arguit. Nemo enim illic cornu, aut tubam ſonuiſſe dixerit, ſed buccinam ſignanter pleri-
que omnes. Nunc quid buccina ſit, dicendum: Cornu fuit bouillum initio vt dixi, nec à boue *Buccina*
malè deriues, vt inſtrumentum quod bubus canit, aut quod boues canit & vocat. Varro tamen *quid.*
buccinatorem à vocis ſimilitudine & cantu dictum mauult, quia bou bou canit; quod Iſidorus *Lib. 1. poet.*
ineptè flexit, & buccinam à voce quaſi vocinam deriuat, quòd Pagani ea vocabantur. Vt vt de *c. 20.*
verbo eſt, rem in re Romana teneo: an illud ipſum cornu? vix puto, ſed & hanc ex ære factam, ſi-
militudine tamen retenta & ſono. Hactenus ex Lipſio, qui pulcherrimum Quintiliani locum *Lib. 1. In-*
præterijt: *Duces maximos & fidibus & tibijs ceciniſſe traditum, & exercitus Lacedæmoniorum mu-* *ſtit. orat.*
ſicis accenſos modis. Quid autem aliud in noſtris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concen-
tus quanto eſt vehementior, tanto Romana in bello gloria cæteris præſtat. Athenæus cornua & tu-
bas ab Hetruſcis reperta eſſe tradit. Geſnerus refert Vriam Heluetiorum pagum nunc quoque
cornu in bello vti, mugitu terribili. Scaliger, cornu, inquit, pro tibia Tyrrhenos vſos & Cretas
legimus: Etiam Romani olim ad prælia, etiam Heluetij. Nunc Germani cornua è buxo effecta *Lib. 1. poet.*
multis foraminibus inflant magno ſpiritu, non ſine gratia ac decore, præſertim nocturnis feſtiui- *c. 20.*
tatibus. Vocem namque humanam in primis imitantur, eamque vehementer contentam. Ar-
cus quoque ex cornibus factos fuiſſe Statius innuit: *Arcus ex cor-*
nibus.

Depromit pharetra telum breue, quod neque flexis *Lib. 4.*
Cornibus, aut ſolito torquet ſtridore.

Et rurſus:

Et niſi curuato torſiſſem ſpicula cornu.

Vir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Virgilius in Cyri:

Gnoſia Naupacto contendens ſpicula cornu.

Idem in Gallo:

Iam mihi per rupes videor, lucoſque ſonantes
Ire, libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula.

Lib. 2. Et Virgilium imitatus Silius.

Crebra Cydaonio fundebat ſpicula cornu.

Cydon autem vrbs eſt in Creta, cuius habitatores arcu claruerunt. Qui bombardas vt vocant,
gerunt milites, puluerem accendendum in cornibus pulchrè adornatis reconditum habent. No-
ſtrates boum aliaque cornua ad multas delicias conferunt, atque inter cæteros Regienſes ad
quoduis opus ex auro, vel argento, vel ære formandum & expoliendum, mira quadam arte, reſe-
cant in laminas quam minutiſſimas, aut in truncos triquetræ figuræ, vnde modò pedites, duces,
reges, equos, turres, belliſſimè eum ad vſum effingunt, vt mortalium mentes eo genere luſus oble-
ctent, qui à luſu ciuitatum antiquiſſimo, mea quidem ſententia ductus eſſe videtur, modò curren-
te rota in ſphæras precatorias & figuras conglobatas rotundant: Interdum craſſiora cornua in
pectines denteſcunt, in fœminarum & puerorum vſum, aut excauantur feliciſſimè, in varia va-
Lib. 2. c. 20. ſcula, commoda cùm ſcribis, tum literatis viris. Scribit Herodotus, & ex eo Alexander ab Ale-
xandro Teucros, Myſos & Thraces ſuper æneas galeas bouis aures & cornua appoſuiſſe: Pyrrhum
verò & Philippum cornua hircina. Galatas partim cornua, partim animalium effigies. Habent
Lib. 4. Me- & Venatores ſuum cornu cuius mugitu palantes canes reuocant: Sed mirum quod bubulo cor-
morab. c. 41. nu annotauit Gaudentius Merula remedium aduerſus rubiginem: Vbi (inquit) rubiginem con-
globari vides in aere, bouis cornu ſiniſtrum vnà cum ſtercore eius vrito & fumum multum per
ambitum ſegetis facito.

VARIVS CORII VSVS.

Armorum tegmina.

VARIVS, ac multiplex bubuli corij in militia olim fuit vſus. Nam in primis om-
nia quæ ab aere infeſtari, rubiginemque, ſimileſque iniurias alias pati poſſunt,
tegumentis coriaceis ſeruabantur. Docet nos id inter cæteros Plutarchus in Lu-
cullo, qui cum exiguis copijs in Tigranem iens, cum rex ille faſtu cæcus fugere
eum putaret, & iter ingredi, Taxiles quidam Romanę militiæ gnarus, at ò rex, in-
quit, neque veſtem nitidam viri iſti capiunt, iter ingredientes, neque ſcutis ſplendentibus & nu-
dis galeis vtuntur, vti nunc, cùm coriacea detraxerunt armorum tegmina, ſed reuera pugnatu-
Lib. 4. Stra- rienſium hic ſplendor eſt, & in hoſtes ita euntium. Sic intellige Frontinum de Manio Curio:
teg. c. 1. *Quatuor legiones eduxit armatas & conſiſtere, omnibus detectis armis, velut in acie iuſſit.* Ioſephus
Lib. 5. Exci- etiam ait, cùm Romani iuſſu T. Veſpaſiani luſtrarentur, vt pecuniam acciperent: illi verò, vt mos
dij. eſt, arma ſua detegentes, thecis hactenus incluſa & tecta, vndique armati prodibant. Sic & Cæ-
Commen. 2. ſar: *Hoſtiumque iam paratus ad dimicandum animus, vt non modo ad inſignia accommodanda, ſed*
Scuta, lori- *etiam ad galeas induendas, ſcutiſque tegumenta detrahenda tempus defuerit.* Erant verò etiam
cæ & galeæ ipſa ſcuta, loricæque & parmæ, necnon & galeæ ex bubulo taurinouè corio: non tam apud Ro-
ex corio. manos, quàm alios etiam populos. Polybius de haſtatorum militum armis agens, in deſcriptio-
ne ſcuti ait: *Eſt ex duplici tabulatione, taurino glutino cum linteo compactum. dehinc vituli bouiſ-*
ve corio tegitur exterior ſuperficies. In Græco eſt μοσχίῳ δέρματι, ideſt vitulino corio, potius profecto
Lib. 3. de bouis, inquit Lipſius, quia id robuſtius; & Varinus ταυρείην ſcutum vocari ſcribit, à ſuperficie quæ
mil. Ro. taureo tergore operitur, per ſynecdochen. Homerus videtur præferre corium boum ſylueſtrium
Odyſſ. Π. ad hunc vſum. Scutum enim ſimpliciter βοάγριον appellat hoc verſu:

Καλλιπέειν καὶ δοῖα βοάγρια χερσὶν ἑλέσθαι. ideſt:

Relinquere, & duo ſcuta manibus capere.

Corij huius bubuli ſcutis inducti apud Græcos, Latinoſque frequens mentio eſt, & præcipuè poe-
tas, qui coria etiam multiplicant, & adaugent. Apud Homerum nominatim plurima reperies ſu-
Iliad. N. per hac re loca: Merionis cum Deiphobo pugnantis ſcutum taurinum inde cognominat: Sarpe-
donis verò ceu pulcherrimum, & aduerſus quoslibet ictus reſiſtens delineat, inquiens:

Αὐτίκα δ' ἀσπίδα μὲν πρόσθ' ἔσχετο πάντοσε ἴσην,
Καλὴν, χαλκείην, ἐξήλατον, ἣν ἄρα χαλκεὺς
Ἤλασεν, ἔντοσθεν δὲ βοείας ῥάψε θαμειὰς

Χρυσείοις

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Χρυσείοις ῥάβδοισι διηνεκέσιν περὶ κύκλον. idest,
Statim autem scutum antè tenebat vndique æquale,
Pulchrum, æneum, lamina ænea extrinsecus obductum, quod faber
Parauerat: intus autem pelles bouinas assuit spissas,
Aureis virgis longis circa orbem.

Dixit autem poeta pelles spissas, vt fortitudinem roburque Sarpedonis indicaret, nam quo robustiores, eò pluribus boum pellibus scuta tegebant, quod idem poeta Aiacis fortissimi herois exemplo ostendit, cuius scutum ἑπταβόειον fuisse tradit, hoc est ex septem bubulis pellibus factum. Inquit autem: *Iliad. H.*

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε, φέρων σάκος ἠΰτε πύργον,
Χάλκεον, ἑπταβόειον, ὅ οἱ Τυχίος κάμε τεύχων
Σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος Ὕλῃ ἔνι οἰκία ναίων.
Ὅς οἱ ἐποίησεν σάκος αἰόλον, ἑπταβόειον,
B *Ταύρων ζατρεφέων, ἐπὶ δ' ὄγδοον ἤλασε χαλκόν.* idest,
Aiax autem cominus accessit, ferens scutum instar turris
Aeream, è septem coriis boum factum, quod ei Tychius elaborauerat fabricans,
Coriariorum præstantissimus, in Hylæ ędes habitans,
Qui ei fecit scutum varium, septem bubulis pellibus constans
Taurorum saginatorum, octauum autem induxit æs.

Mox autem quam esset impenetrabile ostendit, cum hastam Hectoris omnium Troianorum fortissimi penetrare nequisse ait:

Καὶ ἀμπεπαλὼν προΐει δολιχόσκιον ἔγχος,
Καὶ βάλεν Αἴαντος δεινὸν, σάκος ἑπταβόειον,
Ακρότατον κατὰ χαλκὸν, ὃς ὄγδοος ἦεν ἐπ' αὐτῷ.
Ἓξ δὲ διὰ πτύχας ἦλθε δαΐζων χαλκὸς ἀτειρής.
Ἐν τῇ ἑβδομάτῃ ῥινῷ σχέτο. idest,
Et vibrans proiecit longam hastam
C *Et percussit Aiacis ingens scutum, ex septem pellibus boum factum,*
Summam iuxta laminam æream, quę octaua erat in ipso,
Sex autem pellium plicas penetrauit findens hasta indomita
In septima aut pelle hæsit.

Hinc apud Aristophanem θυμὸς ἑπταβόειος, animus heptaboeus, de forti, magnoque & inuicto dicitur. Aiacis scuti meminit & Ouidius: *Animus heptaboeus.*

Scilicet Aiaci coniux ornata veniret? *De arte lib. 3.*
Cui tegmen septem terga fuere boum?

Et alibi:

Dominus clypei septemplicis Aiax.

Statius imitatus Homerum: *Thebaid. 7.*

Sed potius celsos vmbrantem hunc aspice latè
Hipsea quadriiugos clypei septemplice tauro.

D Iustus Lipsius, vt in re nota exempla isthæc sponte omisit, Statium tamen quia propriè ad Polybium & ad verum accedit, citat testem; *Lib. 3.*

Nec pudor emerito clypeum vestisse iuuenco.

Idem.

Graues clypeos cæsis vestire iuuencis.

Sed & Liuius (inquit) testimonium in re miserabili, suggerit, de obsessis Casilini ab Annibale: *Postremò ad id ventum inopię est, vt lora detractasque scutis pelles, vbi feruida mollissent aqua, mandere conarentur.* Silius de Saguntinis. *Lib. 23.* *Lib. 2.*

Resolutaque nudos
Linquentes clypeos, armorum tegmina mandunt.

Hegesippus de Iudæis; qui in vrbe sacra à Vespasiano obsessi: *Et cum iam famis solatia non reperirent, detrahebant coria scutis, vt cibo essent sibi, quæ presidio non essent.* Addam ego exempla quædam ex Virgilio:

Procul Orphitus armis
Ignotis & equo venator Iapyge fertur,
Cui pellis latos humeros erepta iuuencos
Pugnatori operit.

Rursus de Bitia à Turno occiso.

Tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Tum Bitiam ardentem oculis, animisque frementem
Non iaculo (neque enim iaculo vitam ille dedisset)·
Sed magnum stridens contorta phalarica venit
Fulminis acta modo, quam nec duo taurea terga
Nec duplici squama lorica fidelis & auro
Sustinuit, collapsa ruunt immania membra.

Rursus de scuto Pallantis:

Dixerat, ac clypeum tot ferri terga, tot æris
Cum pellis toties obeat circundata tauri,
Vibranti cuspis medium transuerberat ictu,
Loricæque moras & pectus perforat ingens.

Et rursus:

Tum pius Aeneas hastam iacit, illa per orbem
Aere cauum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedet
Inguine.

Parmæ. Alicubi etiam Lipsius ad hæc Polybij verba de velitibus. *Parma autem & firmitatem habet à structura &c.* Firmitas ea (inquit) etiam è materia, vnde igitur ex ære? nugæ, nec honestiores tunc ipsi talia scuta habuerunt, nedum vt isti minimi. E corio? Video eruditos quosdam velle inductos à Suida: πάρμαι, δερματικοὶ θυρεοὶ παρὰ καρχηδόνιοις: *Parmæ, coriacea scuta apud Carthaginenses;* sed temerè fortasse inductos. Si talia apud Romanos, cur apud Carthaginenses restringit Suidas? Cur Polybius verbo non tangit & discriminat à legionariorum? Nam istorum è ligno fuerunt, corio saltem super ducto. Censeo idem de istis. Ipse Polybius alibi indicat, qui stabilitatem & δύναμιν Romanæ parmæ tribuit, non habuisset è corio mero. Quod ad Suidæ, certum est Atrorum pleraque scuta sic fuisse. *Equitum scuta.* Equites quoque scutum habebant ex bouillo corio, vmbilicatis placentis simillimum, quas in sacrificijs solent apponere: quibus neque in pugna commodè erat vti, quia firmitatem non haberent, & ab imbre corio soluto aut vitiato inutilia & olim & nunc fiant prorsus. Polybius: *Accipio corio mero & nulla materie subiecta aut ligno.* Si enim & ista, cur reijciat? cur non pedestre scutum bonitate æquipararet? Sed credo è corio solo fuisse, arte leuiter durato, quod tamen per pluuiam (vt addit) resolueret. Fuere igitur Afrorum olim scuta, de quibus Suidas, parmæ, coriacea scuta apud Carthaginenses. Salustius & Numidis tribuit: *Super terga gladij & scuta, verùm ea Numidica ex corijs, ponderis gratia simul & offensæ, quò leuius streperent.* Item Afris. Silius: (*Lib. 2.*)

Rudis tunc parma, breuique
Bellabant ense.

Nec aliam quàm hanc rudem è corio intelligit citram vel cetram propriè ijs dictam Isidorus: *Cetra, scutum loreum sine ligno, quo vtuntur Afri & Mauri.* (*Lib. 6. c. 22.*) Alexander ab Alexandro proprium esse tradit Sarmatarum ferreis laminis, aut præduro corio conserto muniri, qui cum turmis instructi vadunt, mirum dictu (inquit) quanti roboris, quantaque formidinis sint. (*Lib. 17.*) Transtulit autem hoc ex Tacito, cuius hæc sunt verba. *Namque dictu mirum, vt sit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipsos. Nihil ad pedestrem pugnam tam ignauum, vbi per turmas aduenere, vix vlla acies obstiterit. Id principibus & nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis, aut præduro corio consertum, vt aduersos ictus impenetrabile, ita impetu hostium prouolutis inhabile ad resurgendum.* (*Lib. 1.*) Aliter tamen armatos fuisse Sarmatas, ex Pausania in equi historia diximus. (*Lib. 4. c. 1.*) Diodorus ait Aethiopes ex bouis corio crudo scuta ferre: idem testatum reliquit Strabo. (*Lib. 17.*) Ex crudis boum corijs scutis, galeis & thoracibus, eodem teste Rhoxani vtuntur. Xenophon de Thracibus. (*Lib. 7.*) In capite galeæ è corio, inquit, sicut Paphlagonum. Sed & Macedones habuere. Dio Cassius ait M. Antonium Caracallam legionem Macedonum instituisse, & prisco ritu ornasse. Arma autem fuisse, galeam è crudo boue, loricam linteam &c. Cæterùm galeas ex pellibus aliorum etiam, quadrupedum, ac potissimum leonis fuisse ostendit Lipsius. (*Lib. 3. de milit. Rom.*) Hesychius tamen ταυρέῃ priuatim interpretatur galeam ex pelle taurina. Vsus cùm galearum istiusmodi, tum scutorum ideò cessauit, quod à pluuijs inutiles redderentur. Vaginas gladiorum etiam coriaceas fuisse vt nunc quoque sunt, ex allato Salustij loco, apparet. Erat igitur coriorum istiusmodi cura præcipua. Liuius tradit militibus in stipendia datam non solum pecuniam, sed etiam vestimenta, potissimum hyeme, & frumentum. (*Lib. 3. dec. 3*) Distributa & militibus boum tergora, vt innuit Cornelius Tacitus, dum ait Drusum Frisiis transrhenanis populis tributum iussisse, vt in stipendia militum tergora boum præberent. Facta quidem est mentio de eo fœdere, quod inter Gabios & Romanos actum est, Tarquinio Romanorum im-

A imperiū regente. Sed illud in primis notandum, quod in corio quidem bubulo eius capita & cōditiones exararunt (inquit Petr. Crinitus) priscis literis, vt refert Dionysius: cumque instar clypei foret, in templo Iouis locarunt. *Lib. 16. c. 3* Qua in re Pompeius Sextus, Dionysius accedit, vt in eius cômentarijs probatur, quos à Verrio Flacco collegit, etsi iuramentum Dionysius vocat, in quo sanciendo eximium bouem immolarunt: Clypeum (inquit Pompeius) ob rotunditatem veteres corium bouis appellarunt, in quo Romanorum fœdus cum Gabijs foret descriptum. *Lib. 3.* Iam verò militum tentoria pellibus eisdem obtegebantur: vnde sub pellibus esse dicebantur. *Tentoria ex boum corijs.* Liuius: *Militem Romanum in labore ac opere pruinisque obrutum sub pellibus durare.* *Lib. 5.* Rursus: *Aut sub pellibus habendos milites fore.* *Lib. 37.* Sed & Porphyrio explicans illud Horatij:

Quoniam in propria non pelle quiessem. *Lib. 1. serm.*

inde sumptum (inquit) quod ductores sub pellibus dormirent. Arrianus de gestis Alexandri: *Pelles sub quibus milites hybernabant leui & sicca herba compleuit.* *Lib. 1.* Huc pertinet illud Ciceronis: *Vt non multum imperatori sub ipsis pellibus ocij relinquatur.* *Academ. 2.* Pelles denique tentorias legimus apud Pollionem Trebellium, vbi Imperatori Claudio donatas scribit pellium tentoriarum decurias B triginta. E contra saucijs etiam substernebantur, *Pelles saucijs substratæ.* Homerus de Eurypylo: *Iliad. Δ.*

Ἦ καὶ στέρνοιο λαβὼν ἄγε ποιμένα λαῶν
Ἐς κλισίην. θεράπων δὲ ἰδὼν ὑπέχευε βοείας. idest.
Dixit, & sub pectore præhensum ducebat pastorem populorum
Ad tentorium. Famulus autem conspicatus, substrauit pelles bouinas.

Erant & in lecti vsum. Idem poeta de Vlysse: *Odyss. Υ.*

Χλαῖναν μὲν συνελὼν καὶ κώεα τοῖσιν ἐνεῦδεν,
Ἐς μέγαρον κατέθηκεν ἐπὶ θρόνου. ἐκ δὲ βοείην
Θῆκε θύραζε φέρων, idest,
Vestem autem simul capiens & pelles in quibus dormiebat
In domum deposuit in sede: extra autem bouinam
Posuit foras portans.

Diomedes quoque apud eundem dormit in bubulis pellibus.

C

Αὐτὰρ ὅγ᾽ ἥρως
Εὗδ᾽, ὑπὸ δ᾽ ἔστρωτο ῥινὸν βόος ἀγραύλοιο.
Αὐτὰρ ὑπὸ κράτεσφι τάπης τετάνυστο φαεινός. idest.
Sed hic heros
Dormiebat, substraueratque pellem bouis agrestis.
Sed sub capite stragulum extensum erat splendidum.

Meminit Clemens Alexandrinus, vbi docet quomodo se in somno gerere oportet. *Gloriæ vanæ Cynicæ* (inquit) *ad dormiendum est quemadmodum Diomedes se exercere,* *Lib. 2. Pædag. c. 9.*
Agrestisque bouis constrarat tergora subtus,
Nisi fortè cogat casus aliquis.

Quod autem maximè miror, etiam crudas pelles substernebant. Homerus de eodem Vlysse ostendens tamen id hominum fuisse pauperrimorum:

Αὐτὰρ ὅγ᾽, ὥς τις πάμπαν ὀϊζυρὸς καὶ ἄποτμος
D Οὐκ ἔθελ᾽ ἐν λέκτροισι καὶ ἐν ῥήγεσσι καθεύδειν,
Ἀλλ᾽ ἐν ἀδεψήτῳ βοέῃ καὶ κώεσιν οἰῶν
Ἔδραθεν ἐν προδόμῳ. idest:
At hic tanquam aliquis omnino ærumnosus, infortunatus,
Noluit in lectis & in cooperimentis dormire,
Sed in cruda bouina & pellibus ouium
Domiuit in vestibulo.

Apud Theocritum tales fuisse pastorum lectos Menalcas pastor indicat: *Eidyll. 9.* *Lecti pastorum.*

Αἴτνα μᾶτερ ἐμὰ, κἠγὼ καλὸν ἄντρον ἐνοικῶ
Κοίλαις ἐν πέτρῃσιν. ἔχω δέ τοι ὅσσ᾽ ἐν ὀνείρῳ
Φαίνονται, πολλὰς μὲν ὄϊς, πολλὰς δὲ χιμαίρας,
Ὧν μοι πρὸς κεφαλᾷ καὶ πὰρ ποσὶ κώεα κεῖνται. idest.
Aetna mihi mater est, & ego pulchrum antrum inhabito
Concauo in saxo, & possideo quæcunque in somnio
Apparent, multas quidem boues, multasque capras,
Quarum mihi ad pedes & caput vellera iacent.

Nauigia corio operta. Myoparo. Lib.4.

Ioannes Rauiſius Textor de diuerſis agens nauigiorum generibus, tradit naues antiquitus in
Oceano Britannico fieri ſolere ex corio circumſutas. Sed & alijs in locis idem corij fuit vſus:
Nam & myoparo Piratarum nauicula ex corio & viminibus erat contexta, vt Robertus Valturius
ſcribit. Lucanus item de Cæſare canit:

Vt habuit ripas Sicoris, campoſque reliquit,
Primum cana ſalix madefacto vimine, paruam
Texitur in puppim, cæſoque induta iuuenco
Vectoris patiens tumidum ſupereminet amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſoque Britannus
Nauigat Oceano ſic cum tenet omnia Nilus
Conſeritur bibula Memphytis cymba papyro.

Lib.48.

Dio Caſſius de Saluidieno, qui cymbas quaſdam contra Sextum Pompeium ridiculè inſtruxit:
Coriacea nauigia, vt ſolent ij, qui Oceanum nauigant, facere, eſt aggreſſus, introrſus ea virgis leui-
bus intexens, extrorſus verò bouis crudum corium in modum rotundioris clypei. Eiuſdem figuræ

Lib.2.de Aſia c.3. Lib.1. Armeniorum Nauigia.

nauigijs coriaceis vtuntur Aſſyrij, nimirum in ſpeciem clypei orbiculatis, non puppi, non prora
diſcretis, vt ſcribit Ioannes Bohemus addens in Armenia ſuper Aſſyrios texi crudo corio exterio-
ri parte obducto. Tranſtulit id ex Herodoto, qui ſic ſcribit. Nauigia illorum quæ ſuper flumen
,, commeant Babylonem, omnia ſunt orbiculata atque coriacea, quæ pecuarij Armenij, qui ſu-
,, pra Aſſyrios incolunt, ex cæſis ſalicibus faciunt, inſtruuntque pellibus, nudo illarum extrinſe-
,, cus poſito in modum ſoli: neque puppe diſcreta, neque prora acuminata, ſed in ſpeciem clypei
,, magis orbiculata. Tale nauigium ſtramentis ſtipatum fluuio deferendum permittunt, cùm
,, alijs rebus, tum verò dolijs è palmarum vino onuſtum, dirigentibus illud duobus, cum totidem
,, palis, quorum alter palum introrſum trahit: alter exterius pellit. Fiunt autem nauigia hæc &
,, magna admodum & minora, quorum maxima quæque ferunt pondus quinque millium ta-
,, lentorum, ſingula ſingulos aſinos viuos intus habentia, maiora etiam plures. Poſtquam igi-
,, tur nauigantes Babylonem peruenerunt, onuſque expoſuerunt, lignis nauigij atque omnibus
,, ſtramentis venundatis, pelles aſinis imponunt, eoſque in Armeniam agitant. Aduerſo enim
,, flumine nauigari præ illius rapiditate nullo pacto poteſt. Legimus item in relationibus eorum
qui ſuas in Indias nauigationes ediderunt; in Mozambica regione naues ex bubulo corio conſu-
tas haberi, quibus merces Zofalam deferunt, & inter alios Ioannes de Baros tradit talem eſſe
nauem Meliqueaz, & cur talis ſit, rationem adfert, ne igne offendatur, ſi fortè quibuſdam aſtu-
tijs eum inijcerent hoſtes: quamobrem recentibus potiſſimum pellibus vtebantur: quandoqui-
dem ob aqueam ſubſtantiam, vt ait Cardanus in opere de rerum varietate, prohibent ignem
accendi, ob leuitatem autem eliditur, nec ſubſiſtere poteſt. Rectè igitur Feſtus in Iambico ad
Probum;

Sed rei ad miraculum
Nauigia iunctis ſemper aptant pellibus,
Corioque vaſtum ſemper percurrunt fretum.

Eſt autem & in pellium vſu id animaduertendum, ſubſterni remigibus ſeſſionis gratia, ne

Coria fluminis vice.

pygas atterant: hypereſium vocat eam Thucidides. Eſt etiam vbi recentia boum coria flu-
minis vicem obierunt. Annibal enim intercluſas à Romanis ad Tarentum naues plauſtris
alijſque machinis per recentia lubrica boum tergora tranſuexit, vt Silius teſtatur his verſibus:

Hic (miranda) mouens claſſem quę condita portu
Aſtabat; namque anguſtis è faucibus æquor
Erumpit ſcopulos inter, patuloque receſſu
Effundit campis ſecretum gurgite pontum.
Incluſas igitur, quibus haud enare dabatur
Arce ſuperpoſita clauſtris maris extulit aſtu,
Perque auerſa tulit portus in arua carinas,
Lubrica roboreis aderant ſubſtramina plauſtris
Atque recens cæſi tergo prolapſa iuuenci
Aequoream rota ducebat per gramina puppim.

Idem alicubi feciſſe Auguſtum teſtatur Tzetzes pugnantem aduerſus Antonium. Cùm (inquit)
pugna inter vtroſque eſſet æqualis, neutro vincente Cæſar Octauius præpotentem victoriam Ro-
manis peperit militari induſtria: Pellibus boum ſternens faſtigia, recens excoriatorum, & per
ipſas ſua natura lubricas nauium multitudine immenſa tracta in mare, quod erat à tergo claſſis

Aegy-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Aegyptiorum, statim in fugam eos vertit attonitos. Maiorem verò admirationem habet, quod de Arabum rege quodam memoriæ prodidit Herodotus. Est (inquit) magnum in Arabia flumen nomine Corys exiens in mare, quod dicitur rubrum: Ab hoc flumine fertur Arabum Rex, canalem ex bouinis alijsque crudis corijs consitum, tanta longitudine produxisse, vt ad loca arida per illum aquam produceret, inque ipso arido solo ingentes cisternas fodisse, qua recepta aqua potum suppeditarent. Habet modò corium alios quoque in bello vsus. Fiunt enim etiam ex eo teste Hierone scalæ ad ascensum murorum in vrbium oppugnationibus. Magnum item in testudine bellica, quam sic describit Agathius: Est autem testudo viminibus intertexta concamerataque & in tecti speciem facta, firmior quidem præ densitate & ipso curuamine eodem contextu latera habet ad solum usque demissa & protegentia subeuntes ne à latere feriantur, coria desuper undiquaque super iniecta & obfirmata integunt machinam, ut maiori sint munimento, sagittarumq; & iaculorum ictus excutiant, intus milites sunt in tuto delitescentes, qui machinam trahunt, & quacunque uolunt, deportant, ubi uerò uel turri uel mœnibus hæc applicatur, tunc maiori ex parte milites adiacentem terram demoliuntur. Coriaca fuere etiam lora, ac in primis, B quibus galeæ ligantur sub mento. Homerus, de Paride.

Lib. 4.
Canalis ex corio.
Cap. 2.
Scalæ coriaceæ.
Testudo bellica.
Lorea coriacea.

Ἄγχε δέ μιν πολύκεστος ἱμὰς ἁπαλὴν ὑπὸ δειρὴν
Ὅς οἱ ὑπ' ἀνθερεῶνος ὀχεὺς τέτατο τρυφαλείης
Καί νύ κεν εἴρυσσέν τε, καὶ ἄσπετον ἤρατο κῦδος,
Εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη
Ἥ οἱ ῥῆξεν ἱμάντα βοὸς ἶφι κταμένοιο. idest,

Præfocabat autem ipsum acu pictum lorum teneram sub gulam
Quod ipsius sub mento retinaculum distensum erat galeæ,
Et quidem traxisset, & magnam tulisset gloriam
Nisi citò intellexisset Iouis filia Venus,
Quæ ipsi rupit lorum bouis fortiter occisi.

Ex bubulis loris Hectorem è curru suspendit Achilles, ijsdem trahebantur currus, sicuti apud nos nobilium pilenta: Idem Homerus de Nestore Antilochum filium monente, quomodo equos ad C metam flectere deberet.

Ὅς δέ κε κέρδεα εἰδῇ ἐλαύνων ἥσσονας ἵππους,
Αἰεὶ τέρμ' ὁρόων. στρέφει ἐγγύθεν, οὐδέ ἑ λήθει
Ὅππως τὸ πρῶτον τανύσῃ βοέοισιν ἱμᾶσιν. idest,

Qui autem & vtilia nouit agitans deteriores equos
Semper metam inspiciens flectit propè, neque eum latet
Quo pacto primum extendat bouinis loris.

Habenas, ex eodem corio quia constabant, ἱμάντες βόειους non semel vocat, idest lora bubula: & ἱμὰς ab Eustathio exponitur στρεπτός τις βοεὺς, funiculus ex loris bubulis tortus: & fortasſis omne lorum inde constabat, nam & retinacula nauium prisci ex corio faciebant, quod periti inquiunt docere Maronem, cùm inquit:

Sic fatur lachrymans, classique immittit habenas.

Habenas (inquiunt) dixit per metaphoram equorum, aut Homerũ secutus qui ait στρέπτοισι βοέοσι, idest *loris retortis*. Atque hinc fortè est quod ἱμαντες etiam uocent pugilum cæstus, quos nimirum Apollodorus eandem ob causam uocat ῥινὰς βοῶν τμηθείσας. Cæstus autem è bubulo corio fuisse habemus etiam apud Virgilium.

Pugilum cæstus.
Aeneid. 5.

Sic deinde locutus
In medium geminos immani pondere cæstus
Proiecit, quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi, tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto, ferroque rigebant.

Virgilius declaratus

Quo loco *tantorum* exponit Seruius, virorum fortium, cum subinde dicat: *Ante omnes stupet ipse Dares.* Nam sentire tantorum boum, cum septem dixerit, stultum est. Ita post tantorum ponenda est distinctionis nota. Et approbat hanc sententiam Nascimbenus. Ego tamen (inquit Pontanus Iesuita) ad boues puto pertinere posse *tantorum*, vt intelligamus cæstus non ex eo tantum commendari, quia è septem boum corijs compositi, sed etiam ingẽtium ac validorum boum, quo ponderosiores eos euadere necesse fuit. Cuius doctissimi viri sententia mihi non displicet: Lector interim sequatur, quam lubet. Quamuis autem Castor equorum domitor, Pollux pugil optimus passim vocetur, Castor tamen etiam in pugillatu celebratur à Theocrito, cuius versus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vel ideo recitabo, quia & ex ijs conſtat, cæſtus ex bubulo corio factos fuiſse:

> Οἱ δ᾽ ἐπεὶ οὖν σπείραισιν ἐκαρτύναντο βοείαις
> Χεῖρας, καὶ περὶ γυῖα μακροὺς εἵλιξαν ἱμάντας
> Ἐν μέσσον συνάγον, &c. ideſt,
> *Illi igitur ſpiris cùm muniuiſſent bubulis*
> *Manus, & circum membra inuexiſſent longa lora,*
> *In medium congreſſi ſunt.*

In Arcadicis. „ Idem habemus & apud Pauſaniam; Nondum (inquit) inſtituerant pugiles cæſtus, attenuato in „ acutum loro, ad vtriuſque manus articulum (quam Græci καρπὸν vocant) religari: ſed è crudo „ bouis corio implicatis arte quadam vetere inter ſe lorulis (milichas appellabant) & ad volas re- „ uinctis depugnabant, quo fiebat vt digiti nudi relinquerentur. Hæc ille. Sunt præterea noſtro-rum militum baltea ex bubulo ferè corio, qualia & olim fuiſſe, Varro indicat, dum ait: *Balteum* *Balthea.* *eſt cingulum è corio bullatum*: bubulo nimirum, teſtis eſt Propertius de veteribus loquens Roma- *Lib. 4. Eleg. 11.* nis:

> *Picta nec inducto fulgebat parma pyropo,*
> *Præbebant cæſi baltea lenta boues.*

Nummi coriacei. Apud rerum ſcriptores inuenias ſæpe imperatores exercituum rei pecuniariæ inopia, ſcortea perſoluiſſe ſtipendia, eorumdemque vſum in obſeſſis fuiſſe vrbibus, mox verò illatis pecunijs iuſtum vnicuique pretium reſtitutum. Præclara Venetijs eſt Michaelium familia, quæ aureos inſculptos clypeis geſtat, quod illi honori, vt aiunt, datum; quia bella quod contra Saracenos pro Hieroſolymis Balduino rege ſuſceptum fuerat, duce claſſis & Venetiarum Dominico Michaele, deficiente ſtipendiorum commeatu, qui remigibus & ſocijs naualibus exoluere-tur, excogitauit is corium ſignare minutioribus fruſtis, idque pro ſtipendio, alijs pro argenteorum, alijs pro aureorum pretio numeratis, imperauit promulgatione ſolenni, vt pro certi pretij denarijs à lixis, & cauponibus & cuiuſque mercis inſtitoribus acciperentur, multa indicta recuſantibus: ita occurſum exercitus neceſſitati: cumque domum reuerſus eſſet, publicam fidem perſoluturus, conuocatis omnibus, qui pecunias ſcorteas eas haberent, totidem argenteas ijs, alijs aureas repreſentauit. Lazius verò putat tale genus nummorum à Friderico Cæſare primo repetitum fuiſſe. Nummi iſti ſcortei erant ex corio, quorum inuentionem Numę tribuunt. Eum enim Plutarchus alijque populo Romano congiarium dediſſe tradunt, ſcorteos aſſes. Donatus etiam in hoc Virgilij:

Aeneid. 1.

> *Taurino quantum poſſent circundare tergo.*

tradit, pecuniam ex corio bubulo priſcis temporibus fuiſſe, hincque pecuniam dictam, quod ex pecore originem duceret. Vnde & illud D. Hieronymi ad Rufinum: *Vt cùm montes auri pollicitus fueris, ne ſcorteum quidem numum de theſauris tuis proferas.* Lacedemonij etiam ſcorteo *Collect. cap. 42.* numo vtebantur, vt tradit Nicolaus περὶ ἐθῶν, & ex eo Stobæus, & Seneca, cuius hæc verba ſunt: *Aes alienum habere dicitur, & qui aureos habet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud* *Lib. de benef. 5. c. 13.* *Lacedæmonios fuit, quod vſum numeratæ pecuniæ præſtat.* Pierius verò exiſtimat nummos illos ſcorteos à Numa diſtributos, teſſeræ potius vicem, quàm pecuniæ geſſiſſe: temporarius enim (in- *Burſæ.* quit) fuit. Vulgò hodie etiam burſas vocamus loculos, in quibus nummos reſeruamus, à βύρσα nimirum, quia prius ex bubulo corio fiebant, ſicut & equiperæ, & quas valiſias vulgus vocat: quæ ligno ſæpe fulciuntur, coriaceos riſcos videtur vocare Terentius, Græci ſimiliter δερματίνας θή- *Vtres.* κας: Vtres item quibus vinum & oleum deferri ſolet, ex bubulo corio fuiſſe Æoli exemplo poetę *Odyſſ. K.* indicant. Homerus:

> Δῶκε δέ μοι δείρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο:
> Ἔνθα δὲ βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα. ideſt,
> *Dedit mihi autem excoriatum vtrem bouis nouennis,*
> *In quo procelloſorum ventorum ligauit flatus.*

Metam. 14. Ouidius ſimiliter:

> *Aeolon Hippotaden cohibentem carcere ventos,*
> *Quos bouis incluſos tergo (memorabile munus)*
> *Dulichium ſuperaſſe ducem.*

Folles. Iſtiuſmodi autem Aeoli vtres non incongruè folles vocabimus: nam & Virgilius ait:

Georg. 4.

> *Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maſſis*
> *Cum properant, alij taurinis follibus auras*
> *Accipiunt, redduntque, alij ſtridentia tingunt*
> *AEra lacu, gemit impoſitis incudibus Aetna.*

quam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A quamuis reuera fabrorum folles, qui & nostro tempore ex eodem fiunt corio, intelligat. Videas
& scuticas hodieque ex bubulo corio factas, quales & olim erant, potissimum ad seruitia punien- *Scuticæ.*
da, Apud Iuuenalem, vbi ait: *Saty.6.*

Taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.

Scholiastæ scuticam ex corio bubulo exponunt. Seruus apud Plautum; *Vt enim vbi mihi vapu-* *In Pœnulo.*
landum est, tute corium sufferas. Aliàs rursus: *Faxo vt bubulis corijs onustus sis saturni hostia.* *In Amphy-*
Item. *Heri in tergo meo tres facile corios contriuisti bubulos.* Hinc *de corio satisfacere*, cùm *trione.*
quis ob illatam iniuriam flagris conciditur. Ipse autem ictus siue flagrum βυσανή dicitur, &
βυτάνη, & βωπλήξ. Zea verò, vel Zetion vocabatur locus, quo seruitia punienda mittebantur, *In Asina-*
ad quod idem Comicus allusit, cùm dixit: *Qui polentam pransitant, & vbi viuos homines mor-* *ria.*
tui incursant boues. Huc spectat illud eiusdem: *Abstinebit centione bubula.* Sedemus verò etiam *Sedes.*
in pellibus, non tam bubulis, quàm arietum. Proci apud eundem poetam in corijs sedent boum,
B quos ipsi occiderant.

Ἥμενοι ἐν ῥινοῖσι βοῶν ὡς ἔκτανον αὐτοί.

Gesnerus testatur suos, idest Heluetios hodie tergoribus bubulis vti etiam ad cõficiendum pulue-
rem tormentorum bellicorũ. Est vbi bubulo corio mensa sternitur. Hunc enim in modum de Tur-
carum mensa scribit Ioan. Bohemus: Scamnum aut sedile, aut aliud fulcimentum nemo cuius-
cunque dignitatis conditionisuè existet, requirit, sed decentissima quadam membrorum, & ve- *Lib. 2. de*
stium compositione super terram puerorum more recumbit. Mensa super quam vescuntur, vt *Asia.*
plurimum è corio bubulo parata est, aut ceruino non concinnato, & adhuc hirsuto, rotunditatem
habens, quatuor vel quinque palmarum latitudinis circulos multos per circuitum insutos fer-
reos, quibus cùm corrigiæ inductæ sunt, instar bursæ clauditur, expanditur & portatur. Ex eo-
dem corio lecticæ fiunt, more ab antiquis recepto, quoniam præ cæteris pellibus aeris iniurijs *Lecticæ.*
resistit: sed & coniugales lecti bubulo corio operiebantur, sicuti notum est ex Homero, apud
quem Vlysses, vt ab vxore recognosceretur lectum suum coniugalem diligentissimè delineat: *Odyss. Ψ.*
Truncus (inquit interprete Raphaelo Regio Volaterrano) erat ingens oleæ inter aream tha-
lami, vegetus valdè ac viridis, crassitudine columnæ, hunc ego pro fundamento thalami ie-
C ci, quem densis supra lapidibus construxi, ex ramis verò ipsius oleæ incisis portas aptè com-
pactas constitui. Germen denique radicis ipsius affabrè ferro expoliui, & ad perpendiculum di-
rexi, deinde terebra diligenter terebraui: ex hoc itaque lectum lectique fulcra extruxi, auroque
& argento & ebore variè ornaui: loris postmodum bubulis purpureis subtus constraui: Andreas
Diuus Iustinopolitanus hoc postremum vertit sic: Extrà autem extendi psllem bouis purpurè
splendidam: & sic quoque vertit Ioannes Spondanus: Græcè legitur,

Ἐκ δ' ἐτάνυσσα ἱμάντα βοὸς φοίνικι φαεινόν.

Rursus similiter ac nostro æuo calcei ex bubulo fiebant corio. Alutam vocant pellem concinna-
tam ad calceos, sed potissimùm molliorem, ex qua nimirum superior eorum pars conficeretur, *Calcei.*
quod non obscurè innuit Iuuenalis, dum canit: *Aluta.*

Appositum nigræ Lunam subtexit alutæ. *Saty.7.*

Nobiles enim Romani Lunæ imaginem in calceis depictam gerebant. Hinc & illud Martialis.
Lunata nusquam pellis, & nusquam toga: idest, nusquam videbis nobiles. Accipitur verò etiam *Lib. I. 50.*
D aluta pro alijs coriaceis rebus, vt pro subligaculo, vt apud eundem Martialem: *Lib. 7. 39.*

Inguina succinctus nigra tibi seruus aluta,
Stat, quoties calidis tota foueris aquis.

Hieronymus Vida calceos non inuenustè tegmina taurea nominabat:

Taurea nudatis circumdat tegmina plantis.

Hesiodus ad calceorum vsum pellas probat boum, qui fortiter sunt occisi:

Ἀμφὶ δὲ ποσσὶ πέδιλα βοὸς ἶφι κταμένοιο
Ἄρμενα δησασθαι, πίλοις ἔντοσθε πυκάσας, idest,
Circum verò pedes calceos bouis fortiter occisi
Aptos ligato, pilis intus condensans.

Soleis autem calceamentorum, coria adultorum boum conueniunt. Carbinatas Græci vocant, vt
Xenophon, calceos factos ex rudi corio bubulo, ἐκ τῶν νεοδάρτων βοῶν, vt Varinus habet. Hermo-
laus Barbarus in Corollario ad saxifragam Dioscoridis, Carbatinis (inquit) legendum in secundo
historia animalium volumine Aristotelis cap. I. (vbi camelos quæ per exercitum longiore itinere
fatiscunt, carbatinis calceari scribit) non carbasinis est. Sunt autem carbatinæ, quas Catullus
ad Victium carpatinas crepidas vocauit, calceamenti genus è Caria translatum, quod hodieque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vulgò ſic vocatur, detractis vtique poſterioribus ſyllabis & ſ, litera principio adiecta, vt aſſolet. Nam & carpiſculus calceamenti genus eſt, vt Fl. Vopiſcus ait in Aureliani Cæſaris vita. Quidam tamen carbaſa etiamnum vocant boum coria, quæ Cæſar alutas appellauit: nam, vt Suidas agit, vbi defeciſſent calcei, carbatinis vtebantur ex crudis boum tergoribus recens detractis, vt illud Virgilianum:

Veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituere pedis, nudus tegit altera pero.

Sunt verò & ſculponeæ apud Plautum & Varronem calceamenti genus, a fictitia voce ſonum ſignificante, vt Turnebo videtur, quem certè ſonum repræſentant ferè calcei lignei, quibus tenuiores vtuntur hyberno tempore, è ſolido ligno conſculptis. Has verò ex bubulo corio conſtitiſſe

Cap. 28. oſtendere ſatagit Franciſcus Ferdinandius in ſua Didaſcalia multiplici: Quare cùm non facilè ſit diiudicare, quid ſculponearum nomine intellexerint veteres, cùm ſit ſingularium & parum viſitatarum vocum comes hallucinatio, non fuerit præter noſtrum inſtitutum, aliorum etiam ſuper eis, ac in primis Ferdinandij ſententiam in medium afferre. Fabius Plantiades Fulgentius in libello de ſermonum antiquorum expoſitione, quem citat & ſequitur Alciatus in Plautinarum vocum Lexico, Sculponeas dici ait: ceſtus plumbo ligatos. Contrà verò Robertus Stephanus in ſuo theſauro, & Calepinus diligentes viri ſculponeas eſſe volunt calceos lana confectos, & quo magis mirer, pro ſua vtrique opinione eoſdem afferunt authores, Næuium imprimis, qui iuxta Fulgentium in Philemporo comœdia ſic ait;

Sculponeis batuenda ſunt huic latera probè.

Plautum deinde, qui ita in Caſina;

Qui quæſo potius quàm ſculponeas,
Quis batuatur tibi os ſenex nequiſſimè?

Quæ fermè verba prouerbij loco vſurpauit Scaliger filius in commentarijs ad librū Manilij primum. Sed, vt verum ingenuè fatear, neutra mihi videtur verò conſentanea opinio, non Fulgentij, tum ex inferius dicendis, tum quia, cur quæſo laborioſum ceſtorum pondus deſideraret Chalinus, vt os aut latus batueret ſenis, cùm longè facilius id fuſtes, lora, flagra, quæ frequenter ad manus habentur, præſtare poſſent: Non Roberti & Ambroſij, & qui nullo teſtimonio probant, ſculponeas fuiſſe ex lana confectos calceos, & quia nullo quempiam afficere poſſent dolore, ſi lanei eſſent calcei, contra quàm ſuperius adducta poetarum loca intendunt. Quare ſculponeas ego calceos eſſe credo ruſticanos ex duriſſimos confectos bouino corio, illos nimirum, quos abarcas, vel quos capatos bacunos vulgus noſtrum (in Hiſpania) vocat: Et hoc Catonis teſtimonio: is enim in libris de re ruſtica, de veſtimentis ruſticanæ familiæ præſtādis agens: *Sculponeas* (inquit) *bonas alternis annis dare oportet*. Familiæ autem ruſticanæ calceos non ex lana, ſed ex duriſſimo potius bouino corio conuenire quis non videt? Quod etiam Varronis confirmatur authoritate, quam pro ſua opinione, imo contra ipſam adduxit Robertus Stephanus;

Aſpicio ſculponeatam bigas ſequi cornutas.

Non enim veriſimile eſt peditem aut ceſtorum onuſtam pondere, aut laneis calceis bigas alicubi ſecuturam. Iam verò ad Plautinum locum, vt noſtram comprobet ſententiam, accedamus. Parat Stalino ſenex conuiuium, Olympio villico imperat, vt varia piſcium genera coemat:

Emito ſepiolas, lepadas, lingulacas
Hordeias.

Tunc Chalinus ſeruus herum ſenem illudens, quod hordeias afferri iuſſiſſet: *Immo triticeias ſi ſapis*, inquit. Iubet etiam ſenex villico, vt emat ſoleas, piſcium nempe genus aliud à Plinio inter non illaudata connumeratum: tunc ludens in ambiguo Chalinus ac hero illudens, quia ſoleæ

Lib. 8. c. 11. plura ſignificant, vt docet Quintilianus, ſolearum piſcium loco calceos intelligit, hoc enim ex ſo-

In Moſtellaria. leæ ſignificatis vnum. Idem Plautus:

Cedo ſoleas mihi, vt arma capiam, pol ego occidam patrem.

tunc inquam ſoleas intelligens calceos, non ſoleas, quin potius ſculponeas, vtpotè duriores in eodem calceamenti genere, quibus ſenis os batuatur, importari deſiderat. Ab his ſcalponeis fortaſ-

Veſtes coriaceæ. ſis originem traxit Italorum ſcarpa, ſcarpone, & ſcalfarone. Iam verò & integras ex corio veſtes confici inuenio. D. Auguſtinus, & ex eo Petrus Crinitus tradunt, Sarabitas ſacerdotes, qui in Ae-

Lib. 3. cap. vlt. gypto poſiti ſunt, in foraminibus petrarum habitantes, indui boum & porcorum pellibus, cingi funibus palmarum, ſpinas ad calcanea portare ad cingulum ligatas, diſcalceatos, &c. cauernis exeuntes ad feſtum Scænophegiæ pergere Hieroſolymam, & Sancta Sanctorum intrantes paupertatem & abſtinentiam à ſe prædicare ſeruari. Si quis verò ad humilitatem eorum id referat, vt videtur referendum, eſſe tamen alios populos intelliget, qui bubulis tantum corijs induuntur. In-

colæ

A colæ nimirum Capitis bonæ spei ex pellibus bubulis amiculos sibi faciunt, exteriori parte nudafouentes corpora, vt apud scriptores de nauigationibus suis in Indias legimus. Sed & in omni fere Europa videas peregrè eũtes coriaceis indui pallijs, & vmbraculis etiam vti ex eodo corio cùm ad Solis ardorem, tum ad arcendas pluuias, aliasque aeris iniurias: Illud verò summa dignum est admiratione, quod de nautis, qui per mare, per quod nauigatur in regionem Sin, narrat Beniaminus Tudelensis in suo itinerario, quod ex Hebræo Latinum fecit Benedictus Aria Montanus, quomodo nimirum aliquando pellibus inuoluti bubulis auium ope ex ineuitabili aliàs naufragio euadant. Aiunt (inquit) mare illud interdum æstuosissimum esse astro Chesil subiectum, cuius vi tantus nonnunquam excitetur ventus, vt nulli mortalium nauigando superari possit, aut effugi: Intrudit enim nauigia in ipsas maris angustias, vnde extricari & effugere non possunt: hærentque diutius, quoad commeatu omni absumpto homines pereant: neque verò rarò naues hoc modo periclitantur; Verùm huic incommodo hominum industria prospectum est, atque euadendi ratio est adinuenta, quam cognoscere non fuerit iniucundum. Sic autem res habet. Boum coria integra quamplurima in nauibus imponuntur, nauigantium hominum numero paria, qui

Nautæ pellibus induti ex naufragio euadãt

B cùm vento acti in illas angustias intruduntur, singuli singula subeunt, atque collo introrsum complicato, ita colligant, vt aquæ aditus obcludatur, tum sese rotantes & mouentes in mare è nauigio deijciunt, quos cùm maximæ aquilæ illis regionibus familiares gryphes dictæ prospiciunt, boues aut animalia alia esse putantes, aduolantes eripiunt, atque in aridam exportant, vt ipsis disruptis pascantur; verùm opportuna celeritate vsus qui intra corium includitur homo, feram ipsam gladio confossam vulnerat & occidit, atque hoc pacto plures euadunt. Tantum ferè ille. Est preterea præsegminum huius corij non pretereundus vsus, maximè in agris ad letificandum eos fimi loco, cui ab agricolis omnino præferuntur, quoniam non minus lætificet, & longè diutius eius pingue vt vocãt, perduret. Nostri agricolæ ad cannabis culturam, ex qua summum nobis lucrum est, summoperè commendant. Io. Bapt. Porta in suo pomario, poma ijs saturari gaudere tradit, nominatim citriam arborem. Quid sit casia Theophrasti & Plinij suo loco indicabo. Confectos eius surculos, corio bubulo præsuere Theophrastus testatur, vt eo putrescente enati vermes lignum erosdant. Iam verò cum de scutis esset sermo, eò sæpè in militia peruentum esse diximus, vt miles ad tolerandam famem pellibus scutis detractis vescerentur. Vbi erat addendum, Pyræum cùm obsi-

Præsegminũ corij vsus.

C deret Sylla, incolas teste Appiano absumptis omnibus iumentis, coria elixasse, & in alimentum vertisse. Idem ait de Numantinis; Haud multò post deficiente omni comeatu, cum neque fructus iam vllos, aut pecora, aut herbas haberent, coria primum macerata, aquaque mollitia esitare, vt quondam alij in belli necessitate cœperunt. Cambysi per inuia & arentia trahenti exercitum, cùm deessent necessaria, nec quicquam subministraret sterilis & inculta humanisq; vestigijs destituta regio, tenerrima primum frondium cacumina, deinde coria igne mollita necessitas cibum fecit, vt scribit Robertus Valturius in septimo de re militari. Cum verò multa de corio dixerimus, necessarium fuerit, vt quomodo id præparetur, indicemus. Præparandi non vna est ratio. Bellonius refert Illyrios myrti folijs sua coria densare, Macedones rhoe, Aegyptios siliquis acaciæ, Asiæ minoris incolas glandium esculi calicibus, Gallos quercus libro, Phrygios corticibus pini syluestris. Antiquos parasse etiam oliuo discimus ex hoc Valerij Flacci:

Coria esitata.

,, de bell. Mitrid.
,, De bell. Hisp.

Corij præparandi.

Lib. 1. obser. cap. 52.

Vt bouis exuuias multo qui frangit oliuo,
Dat famulis, tendunt illi, tractuque vicissim
Taurea terga domant, pingui fluit vndique tellus.

D Sed hoc puto factum, vt aquæ melius resistat. Fit id apud nos seuo. Postremò suprà ex Plinio & Dioscoride indicauimus, quale sit optimum gluten, nunc dicamus parandi eius rationem, quæ legitur in libro Seruitoris vulgò nominato; Accipe de extremitatibus, boum aut pecudum, idest (inquit) coria manuum & pedum & capitum, & ablue bene, ab omni sorde eorum & à terra & imple ex eis ollam magnam & cooperi coria cum aqua, & pone ollam in furno panis à principio noctis vsque mane, deinde extrahe & cola, & si aqua coagulatur, benè: si non, oportet, quod iterum ponas in furno secunda vice, vel plus, donec aqua illa incrassetur: Et quando erit refrigerata, coaguletur; deinde incide in frusta, & dimitte siccari, in loco ventoso non humido, vel calido, donec fiat, sicut vitrum. Tantum ille. Vsus eius ad agglutinandum. Lucretius:

Gluten vt fiat.

Lib. 6.

Glutine materies taurino ita iungitur vnà,
Vt vitio venæ tabularum sæpius hiscant,
Quàm laxare queant compages taurea vincla.

VARIVS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

VARIVS QVARVMDAM
Aliarum partium vſus.

Neruorum vſus. *Tom. 2.*

EX bubulis neruis flagella fiebant fractu contumaciſſima, & quàm maximè flexibilia, vnde etiam factum eſt, quòd inter tormenta recenſeantur, quibus ſancti Martyres torquebantur. His Diocletianus, vt teſtatur Surius, Diuum Georgium vapulare iuſſit, donec eius caro terræ ſanguine effluente ex plagis agglutinaretur. Iiſdem Niceta Martyr acerrimè flagellatus eſt, cùm deos argenteos domi ſublatos confregiſſet, vt legimus apud Marulum. Similiter S. Iſidorus Alexandrinus teſte eodem Surio vapulauit ſub Decio, cùm nollet idolis ſacrificare, & ſic fortè martyres alij flagellati ſunt. Ob eandem verò etiam cauſam, quia videlicet propter mollitiem in quamuis partem nullo negocio torqueri poſſint, optimè nerui in arcu vſum præbent, de quo ſic Claudianus:

Lib. 15. c. 5. *De hiſtrice.*

Quis labor humanus tantum ratione ſagaci
Proficit? eripiunt trucibus cortinia capris
Cornua ſubiectis eadem lenteſcere cogunt
Ignibus, intendunt taurinos mittere neruos,
Inſtruitur pinnis ferroque armatur arundo.

Cap. 18. de machinis.

Eliguntur ad iſtiuſmodi, aliaque inſtrumenta quæ fracturæ contumaciſſimè reſiſtere volumus, nerui qui ſunt in humeris, id quod oſtendit Hieron, de conſtructione monangonis agens; *Huius* (inquit) *contextionem ex robuſtioribus & quam plurimum exercitatis neruis animalis fieri dicunt, verbi gratia, cerui quidem ex ijs, qui in cruribus pedibuſque: tauri ex ijs qui in humero ſunt.* Apud paſtores bubuli nerui, filorum quibus veſtes conſuuntur, vſum habuiſſe videntur: ſiquidem Heſiodus pelles hœdorum cum iam frigus inchoat, bubulo neruo conſui iubet, dum canit:

Πρωτογόνων δ᾽ ἐρίφων, ὁπόταν κρύος ὥριον ἔλθῃ,
Δέρματα συῤῥάπτειν νεύρῳ βοός. ideſt,
Primogenitorum verò hædorum, cùm frigus tempeſtiuum venerit,
Pelles conſuito neruo bouis.

Dentium vſus. *Oſſium.* *Lib. 12. cap. 21.*

Dentium bubulorum vſus eſt ad poliendam chartam, more ab antiquis recepto. Plinius: *Scabritia chartarum leuigatur dente conchaue, ſed caducæ literæ fiunt.* Noſtro æuo oſſium nullus quod equidem noui, vſus eſt. Eorum in vitium ſatione ſic meminit Plinius: *Eſt & luxurioſa ratio vitis ſerendi, vt quatuor malleoli vehementi vinculo colligentur in parte luxurioſa; atque ita vel per oſſa bubuli cruris, vel per colla fictilia traiecti obruantur, binis eminentibus gemmis, &c.* Tradunt Cleanthem philoſophum, quæ à Zenone audierat, oſſibus boum & teſtis fictilibus perſcribere ſolitum, cùm pecunia non ſuppeteret ad chartas emendas. Sanguis verò bubulis malthis faciendis eſt perquam idoneus, quòd quàm cæterorum animalium craſſior ſit, & citò coeat, dureturque: præcipuè taurinus, quem eo nomine etiam inter venena eſſe diximus, ideoque is calidaria malthe, vbi craſſior & firmior materia requiritur, frigidariæ autem bubulus ſimpliciter additur à Palladio. *Malthæ calidariæ*, inquit, *ad balnea compoſitio huiuſmodi eſt: Sanguini taurino & oleo florem calcis admiſce, & rimas coniunctionis obducito: item ficum & picem duram & oſtrei teſtas ſiccas ſimul tundes. His omnibus iuncturas diligenter adlines. Malthæ verò frigidariæ compoſitio talis eſt; ſanguinem bubulum, florem calcis, ſcoriam ferri, pilo vniuerſa contundes & ceroti inſtar efficies & curabis adlinire, ſicubi frigida balnei inter rimas labetur.* Sic ille. Sanguis verò vituli & carnes vitulinæ valde conciſæ in vas fictile miſſæ, ibique per decem dies relictæ, ineſcationis piſcium aptiſsima eſt materia, vt docet Tarentinus. Ex ſeuo laudatiſsimas fieri candelas, præcipuè ex iuuencis, & circa trimatum, in omni Europa notiſsimum eſt. Felle bubulo aſſerit Apuleius ſemina macceranda, antequam ſpargas, aduerſus mures agreſtes. Laudat hoc remedium Plinius: *Mures* (inquit) *abiguntur cinere muſtelæ vel felis diluto & ſemine ſparſo, vel decoctarum aqua: ſed redolet* (frumentum) *virus animaliam eorum, etiam in pane: ob id felle bubulo ſemina attingi vtilius putant.* Raſis præterea ait. Si radici arboris fel vaccinum illinatur, non accedent ad eam formicæ. Sed & cimices teſte Palladio extinguuntur amurca & felle bubulo, lectis aut locis perunctis. Alij tauri, vel hirci fel aceto diluunt, indeque lectum & parietes illinendo cimices necari affirmant. Lycium adulterari etiam amurca & felle bubulo Plinius tradit: De Indico verò Lycio ſimpliciter ſcribit aliquos felle bubulo vitiare. Teſte item eodem felle taurorum aureus ducitur color, Hermolaus addit, æramentis atque pellibus, qualia cholobaphina cognominant: ſed & ipſe Plinius alicubi ait:

Sanguinis. *Maltha calidaria, & frigidaria.* *Lib. 1. tit. 41.* *Seuum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ait: *Taurino præcipua potentia, etiam in ære pellibuſque colore aureo ducendis*: & apud Pollucem
legimus: Χολοβάφος, χολοβαφίνη, ὅτω γὰρ ἐπὶ τῶν πλασμάτων οἱ Ἀττικοὶ τὸν χρυσοειδῆ ἐκάλεσαν.
Ex ſetis equinis noſtro æuo lineæ fiunt piſcatoriæ, quas olim ex bubulis etiam fieri ſolere ab Ho- *Setæ.*
mero indicari, nonnulli volunt, ita canente de Iride:

> Ἡ δὲ μολυβδαίνῃ ἰκέλη ἐς βυσσὸν ὄρουσεν,
> Ἥ τε κατ᾽ ἀγραύλοιο βοὸς κέρας ἐμβεβαυῖα,
> Ἔρχεται ὠμηστῇσιν ἐπ᾽ ἰχθύσι κῆρα φέρουσα, ideſt,
> *Ipſa autem glandulæ plumbeæ ſimilis in profundum dilapſa eſt*
> *Quæ in agreſtis bouis cornu poſita*
> *Deſcendit crudiuoris piſcibus mortem ferens.*

Opinionem ſuam ſtabiliunt, quoniam κέρας, quod aliàs cornu ſignificat, hic ſignificat crinem, vn-
de κείρασθαι tondere, & κουρὰ tonſura, & κεροπλάστης ille apud Archilochum, ſtudioſus comæ or-
nandæ. Cæterùm hallucinari eos ait Plutarchus. Nam ſetis (inquit) equinis vtebantur, ijſdem-
que maſculis, quòd equarum caudæ vrina manefactæ ſetas habeant inualidas: funiculo verò ante
B hamum apponitur corniculum, quod piſces peruorant, ſi quid aliud attingant. Alius verò erat ſe-
tarum bubularum apud veteres vſus, nimirum ad ſcopas veſtiarias ad puluerem excutiendum,
ſordeſque detergendas. Meminit Martialis in Apophoretis;

> *Sordida ſi flauo fuerit tibi puluere veſtis*
> *Colligat hunc tenui verbere cauda leuis.*

ideſt, cauda bouis in ſpeciem muſcarij Pauonini excutiendo pulueri delegata, quemadmodum
Pauonis cauda abigendis muſcis. Aelianus verò muſcaria olim facta ait ex boum ſylueſtrium
caudis: Adhæc penicillos & peniculos vocabant, quod ex cauda conſtarent, quæ etiam penis, pe-
niculus, penicillus, & peniculamentum dicebatur. Iiſdem menſas tergebant & ſoleas. Erat præ-
terea earundem ſetarum apud pictores vſus, nam & hi ſuos inde habebant peniculos, vt notum
eſt ex hoc Afranij:

> *Lares ludentes peni pinxit bubulo.*

Troglodytę, vt refert Diodorus Siculus, ſenio confecti, nec armenta ſequi valentes, gutture bouis
cauda adſtricto, finiunt vitam. Qui mortem differunt, licet nolentes, eodem modo, admonitos
C tamen antea vita priuant; idque habent beneficij loco. Vngulis bouillis beſtiolas à vitibus arceri
aiunt, idque annotauit Gaudentius Merula in quarto memorabilium. Fimi bubuli vſus ad læti- *Vngularum vſus & fimi.*
ficandos agros nulli non notus, ei tamen multorum aliorum animantium fimum Theophraſtus
præfert, inquiens: Acerrimus hominis fimus eſt, vt & Chartodras omnium optimum eum eſſe aſ-
ſeuerat; ſecundum ſuillum, tertium caprarum, quartum ouium, quintum boum, ſextum iumento- ”
rum. Idem ferè tradit Plinius, qui tamen his omnibus à Varrone præferri ſcribit turdorum fimum ”
ex auiarijs: cui proximum (inquit) Columella è columbarijs facit, mox gallinarijs. Apparet ta-
men falli Theophraſtum, præcipuè cum ſuillo fimo ſecundum gradum bonitatis aſcribit, quod
nimirum viliſſimum ab omnibus agriculis haberi ſolet, imo quod maiorem nocendi quàm iuuan-
di vim habere exiſtimatur. Caprinum item anne ouillo etiam præferendum ſit, dubitari non te-
merè poteſt, ſiquidem capræ frondes & virgulta carpunt, quæ ſunt aridiora, quàm herbæ pingues
quibus veſcuntur oues. Iumentorum item bubulo præferendum fuerat, præcipuè aſinorum, qui
nimirum cibum ſubtiliter terunt, egregieque conficiunt, quicquid ore aſſumunt. Vnde aliorum
apud antiquos aliam fuiſſe ſententiam Plinius in [illegible]cat, dum ait: *Quidam etiam bubulo iumento-*
D *rum fimum præferunt, ouillumque caprino.* Eſt tamen, vt ait Creſcentius, bubulum ſtercus ſterco- *Lib. 17. c. 9.*
randis agris, & arboribus, ac vineis vtile: & idem Plinius alibi boum fimum iumentorum præfer-
ri ſcribit. In Phryſiorum agris videre eſt domos bolitinis parietibus, ideſt fimo bubulo calcis vice
oblitis, in alijs ad ignis materiam ob ligni inopiam ſiccari, quod de Tartaris quoque ſcribunt coſ-
mographi. Eodem fimo aſperguntur folia arborum, teſte Plinio, ne animal paſtu maleficum ea *Lib. 17. cap. 28.*
decerpat. Ad diuertendas pruinas ſtercus bouillum (inquit Gaudentius Merula) in vinea per lo-
ca diuerſa depones, & ipſam ſub auroram pruinis imminentibus accēde: cinerem alij per vineam *Lib. 4. Memoráb. cap. 40.*
diuentillant, alij ſerò vites in ordinem redigunt. Periculum pruinarum imminet, ſi circa finem
menſis Aprilis, aut exordia ſequentis Maij luna decreuerit ventis perflantibus. Idem Gaudentius
profitetur aridum bouis ſtercus frumento inſpergi, vt melius conſeruetur. Plinius iubet eo inun- *Lib. 21. cap. 14.*
gi aluearea hyeme: aitque vtiliſſimum eſſe alueos apum circumlini eo. (Varro intus & extra cir-
cumlinit) hyemeque ſtramento operiri conducere, & crebrò ſuffiri, maximè hoc fimo: cognatum
hoc ijs innaſcentes beſtiolas necare, araneos, papiliones, teredines, apeſque ipſas excitare. Idem
ſcribit Columella his verbis: *Per vernos dies, vt Higinius ait,* (circa calendas Aprilis, Palladius)
curandæ ſunt apes adapertis alueis, vt omnia purgamenta, quæ ſunt hyberno tempore congeſta, exi-
man-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

mantur, & araneis qui fauos corrumpunt detractis, fumus immittatur incenſo bubulo fimo. Is enim quaſi quadam cognatione generis maximè eſt apibus aptus. Tantum ille, & rurſus: *Tineę & papiliones plerumque fauis adhærentes decidunt, ſi fimo medullam bubulam miſceas, & his incenſis nidorem admoueas.* Palladius verò ait: *Caſtrandis aluearijs fumus admouetur ex arido fimo bubulo, quem in pultario factis carbonibus conuenit excitare.* Chinenſes eodem fimo, vt in Ieſuitarum literis legimus, piſces alũt, vt pingues euadant, & Ioannes Hugonis Hagenſis, in Goa tradit vaccarum fimo caſas inungi aduerſus pulices, & Vveckerus ex innominato, ex bubulo fimo fumigium fieri ad fugandos cimices. **Vrinæ vſus.** De vrina bubula ex Higinio ſcribit Palladius: *Quidam ægris examinibus apum, ne intereant, bubulam vel hominis vrinam alueis apponunt. Campas nonnulli ficulneo cinere perſequuntur: ſi permanſerint, vrina bubula aut amurca æqualiter miſta conferueant, & vbi refrixerint olera omnia hoc imbre conſperge.*

DE BOBVS FERIS, ET PRIMVM De Vro. Cap. II.

Bouis nomẽ varium. SVPRA in bouis manſueti ſiue domeſtici hiſtoria, multa admodum diuerſa boum genera enumeraui, quorum aliquot fera eſſe, non dubito; eos tamen ab alijs non ſeparaui, quoniam authores ferine an manſueti eſſent, non ſatis declararunt. Bouis verò etiam nomine multa peregrina & ſylueſtria animalia, magna & cornuta præcipuè, quorum propria nomina ignorabant, appellauerunt, vt elephantes, boues lucas: rhinocerotes, Aethiopicos boues: Cæſar etiam alces & rangiferos boum nomine comprehendere videtur, nimirum propter animalium illorum magnitudinẽ & lactis vſum. Ego alces & rangiferos à bobus feris ſeparabo. Boues feri etiam dicuntur ſylueſtres: nam ſylueſtres ab agreſtibus differunt, vt indicat Plinius, inquiens: *Tauri agreſtes differunt à ſylueſtribus:* agreſtes intelligens quos Græci ἀγραύλους nominant, qui quanquam manſueti ſint, & ex manſuetis nati, liberi tamen ſolutique in agrorum, ſyluarum, aut montium paſcuis relinquuntur, nec ad ſtabula reuocantur: ſylueſtres verò feros, vt ſunt, vri, biſontes, & alij, quos Græci vocant ἀγρίους, non tam à locis ab hominum conſuetudine remotis, quàm natura ſiue ingenio fero & ſylueſtri.

NOMENCLATVRA EIVSQVE RATIO.

Vri etymũ. VRVS authore Macrobio Gallica (Germanica potius) vox eſt, qua feri (inquit) boues ſignificantur. Seruius Græcam vult originem ab ὀρῶν, ideſt, à montibus, vbi potiſſimum verſantur. Apud Germanos hodieque vrochs nuncupatur, compoſita voce ex Vr & ochs, Belgis Vros, vnde Latini haud dubio vrum conformarunt. Vr autem Germanis eſt ſylueſtre, aut vetus, aut principale. Ochs autem bos eſt. Geſnerus Vr ſylueſtre hic interpretatur, ſimiliter gallum ſylueſtrem Germanis Vrhan vocari aſſerens. Poteſt tamen Vr pro principali ſiue potenti interpretari vt ſit vros, ſiue vrochs, bos potens, magnus, vaſtus, maximarum virium, quales vro aſcribuntur. Apud Sueuos & Bauaros & **Exec. 206. 3.** alios quoſdam Germanos, qui u, in au mutare ſolent, auverochs appellatur. Scaliger pater Polonis, ſaltem in Samogithia & Mazouia, quorum ait animal eſſe populare, tradit vocari thur: Geſnerus verò Tur, vel Turonem Polonis nominari ait bouem ſylueſtrem domeſtico maiorem, minorem verò uro, quem ipſe ueterum Tarandum eſſe contendit, ut dicemus in Tarandi hiſtoria. Et Sigiſmundus Baro in ſuis rerum Moſcouiticarum commentarijs urum quidem ſcribit in ſola Mazouia reperiri, & indigenis thur uocari, ſed cùm Germanis idem animal dicat uocari biſontẽ, biſontem autem Germanicè aurox, non ſatis clarè ac diſtinctè loquitur, cum biſontem Germani, ut modò patebit, Viſent dicant. Ego Scaligero ſubſcripſerim, præcipuè cùm & Martinus Cromerus in ſua Polonia dicat: Vri, ideſt, ſylueſtres boues quos nos thuros dicimus, in ſolis Maſouiticis ſyluis apud Viskitcos extant. Eliota Anglus vros Anglicè exponit bugles, vel buffes, tanquam hoc nomen à bubalo diuerſum ſit, quem alibi à bugill interpretatur. Sic Eraſmus Stella in libro de origine Bruſſorum, Buffelus (inquit) quadrupes habet barbam, veluti capra, ſimilis alioqui boui per omnia, non alium quàm vrum intelligens. Iacobus Zieglerus in Schondia ſua tradit in Angermannia ducatu Europæ maximè Septentrionali & confini Laponiæ inter præcipuas feras, venari vros & biſontes, quos patria lingua dicant elg, ideſt aſinos ſylueſtres: ſed elg Germanis eſt alce,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A alce, vt dicetur poſtea: Idem Scaliger vrum Lituanis Zumbronem nominari, ſe inueniſſe ſcribit: eodemque nomine Illyrica lingua dici Geſnerus intellexiſſet: Atqui Sigiſmundus Baro Zumbronem Lituanorum biſontem eſſe profitetur, id quod Martinus Cromerus quoque facit, ſed his biſons veterum vrus eſt, & Albertus Zubronis nomine bonaſum delineat circa finem libri vigeſimi ſecundi. Quærendum num Rhizes vocatæ Iphricrati teſte Strabone belluæ forma tauris perſimiles; vita verò & magnitudine & pugnãdi viribus elephantes referẽtes, apud Heſperios Aethiopes naſcentes, vri ſint. *Rhizes.* Non enim rhinocerotes eſſe, quod Geſnerus credit, arbitror, cùm quòd Strabo rhinocerotem ſibi viſum dicat aliàs, tùm quod Iphicrates cornu è naribus enaſcẽs, quod rhinoceroti proprium eſt, non tacuiſſet. *Lib. 16.* Probè interim noui a Plinio ſcriptum eſſe, Vros & biſontes Græcos in experimentis non habuiſſe: addit tamen boue fero refertas fuiſſe Indiæ ſyluas: cur non itaque & in ea Aethiopia? D. Hieronymus bubulum ſcribens eſſe bouem ſylueſtrem tam indomitum, vt iugum ceruicibus non recipiat, & cum ſylueſtris bos ſit, propter feritatem nolit terram ſcindere, non alium intelligit quàm vel biſontem, vel vrum, ſed vrum potius, quem vulgus Romanum olim, & ipſe etiam Martialis hoc verſu, *Lib. 3. comment. in Amos c. 3.* *Bubalus.*

B

Illi ceſſit atrox bubalus atque biſon.

bubalum appellabat, vt teſtatur Plinius his verbis: *Scythia animalia gignit pauciſſima, inopia fructuum: pauca contermina illi Germania, inſignia tamen boum ferorum genera, iubatos biſontes, excellentique & vi & velocitate vros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, &c.* Non enim Raphaeli Volaterrano, nonnulliſque alijs aſſentior, qui pronomen quibus, non ad vros ſolum referunt, ſed etiam ad biſontes. Iis enim non ſolum aduerſatur allatus Martialis verſus, ſed imprimis Solinus, qui ſua omnia ex Plinio tranſcripſit, cuius hæc ſunt verba: *In tractu ſaltus Hercinÿ & in omni ſeptentrionali plaga biſontes frequentiſſimi ſunt, &c. Sunt & vri, quos imperitum vulgus vocat bubalos.* *Cap. 25.* Neque etiam ab Hieronymo bubalum vulgo dictum intelligi poſſe reor, vt Franciſcus Ribera Ieſuita credidit, quod bubalus olim Italis foret incognitus. Nam probandũ erat, bubalum olim ad arationem ineptum fuiſſe propter nimiam feritatem, ſicuti adhuc ineptus eſt vrus: Apud Virgilium in Georgicis, vbi agit de vitium cultura, & inquit: *Lib. 2.*

Texendæ ſæpes etiam, & pecus omne tenendum,
C *Præcipuè cum frons tenera, imprudenſque laborum,*
Cui ſuper indigenas hyemes, ſolemque potentem
Sylueſtres vri aſſiduè, capreæque ſequaces
Illudunt:

Et rurſus, vbi de boum peſtilentia: *Lib. 3.*

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boues Iunonis, & vris
Imparibus ductos alta ad donaria currus,

Seruius alijque interpretes, vros interpretantur boues ſylueſtres, cùm potius pro quibuſuis magnis & egregijs bubus ibi acceperis, vt tauri nomen quandoque etiam vſurpatur: nam & in Græcorum ſcriptis Argiuæ Iunoni, de qua hic mentio eſt, ſimpliciter boues albos, ſacros fuiſſe legimus apud Palæphatum,

D

GENVS, DIFFERENTIÆ, Forma, Deſcriptio.

VRVM ex bubus feris eſſe, profitenter omnes, cæterùm quis reuera is ſit, niſi diligenter aduertas, difficillimè ex authoribus, qui de eo ſcribunt, diſces: pleriq; enim vel cum biſonte, vel cum bonaſo, vel bubalo, alijſuè confundunt. Ego ex collatis veterum & recentiorum ſcriptis ſpero me qui verus ac genuinus ſit vrus, doctũrum. Cæſar itaque in ſexto commentariorum ſuorum de bello Gallico, *In ſylua Hercynia* (inquit) *naſcuntur qui appellantur vri. Ii ſunt magnitudine paulò infra elephantos, ſpecie & colore & figura tauri. Magna vis eſt eorum, & magna velocitas: neq; homini, neque feræ quàm conſpexerunt, parcunt. Hos ſtudioſè foueis captos interficiunt. Hoc ſe labore durant adoleſcentes, atq; hoc genere venationis exercent: & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ ſint teſtimonio, magnam ferunt laudem. Sed aſſueſcere ad homines, & manſuefieri, ne paruuli quidem excepti poſſunt. Amplitudo cornuum & figura & ſpecies multum à noſtrorum boum cornibus differt. Hæc ſtudioſè conquiſita ab labris argento circuncludunt, atque in ampliſſimis epulis pro poculis vtuntur.* *Vrus à veteribut deſcriptus.* Hæc itaque Cæſar. Plinius ait: *Pauciſſima animalia Scythia gignit inopia fruticum,*

pau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

pauca contermina illi Germania, inſignia tamen boum ferorum genera, iubatos biſontes, excellentique & vi & velocitate vros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cùm id gignat Africa vituli potius ceruiuè quadam ſimilitudine. Et rurſus: *Vrorum cornibus barbari Septentrionales potant, vrnaſque binas capitis vnius cornua implent. Alÿs præfixa his pila cuſpidant. Apud nos in laminas ſecta tranſlucent, atque etiam lumen incluſum latius fundunt, multaſque ad delicias conſeruntur, nunc tincta, nunc ſublita, nunc quæ ceroſtrata picturæ genere dicuntur.* Sic ille, ex quo Solinus: *In tractu Hercyniæ ſyluæ & in omni Septentrionali plaga ſunt etiam vri, quos imperitum vulgus vocat bubalos, cùm bubali penè ad ceruinam faciem in Africa procreentur. Iſtis porrò quos vros dicimus, taurino cornua in tantum modum protenduntur, vt dempta ob inſignem capacitatem inter regias menſas potuum gerula fiant.* Ad hanc cornuum magnitudinem & capacitatem reſpiciens Seneca, vri cornua lata vocat, inquiens,

In Hippoly-to.

Tibi dant variæ pectora tigres,
Tibi villoſi terga biſontes
Latiſque feri cornibus vri.

Latos

A Latos enim expono capaces. Atque hæc ferè sunt, quæ apud veteres de vro legimus, ex quibus constat, animal esse, tauro quidem simile, sed multò maius, robustius, velocissimum, cornibusque quàm taurus, multò amplioribus. Gesnerus vrum nobis depingit ex tabula Moscouiæ Antonij Vueid, sicuti ipse tradit in paralippomenis sui operis de quadrupedibus, tauri genus barbatum, cætera tauro simillimum, quemadmodum icon ipsa docet: Barbatum esse vrum etiam Erasmus Stella in libro præcitato profitetur, inquiens: Buffelus quadrupes habet barbam veluti capra, similis alioqui boui per omnia, & est in Brussia quidem ferocissimus. Caligula hos primus Romæ exhibuit in theatro, quos populus putauit esse tauros syluestres. Et rursus: Vrus sub mento villos longiusculos habet in arunci speciē, cæteris tauro persimilis. Idem omnino videtur, cuius in appendice à Sebastiano Munstero missam ait iconem, & sic de eo scribit: Vri quoque effigiem ad viuum expressam Sebastianus Munsterus nobis communicauit, à nostra, idest priori, nonnihil diuersam. Corpus vri, quem pictura illa repræsentat, perquam crassum est, tergo summo ferè gibboso, (hoc icon minus exprimit) Longitudo ei è capite ad caudam breuior, quàm proceritas &

B

ventris, laterumque & dorſi craſſitudo poſtulet. Cornua denſa, nigra, breuia, oculi verſus exteriorem canthum rubicundi: os latum, craſſus & ſimus naſus. Craſſum & amplum caput: facies, vt ſic vocem, lata. Tempora villoſa (icon villos in medio temporum potius oſtendit) Mentum barbatum, ſed breuibus villis nigris: Color ferè niger, maximè in temporibus, mento, collo, &c. in facie, lateribus, cruribus, cauda ad puniceum vergit. Tacuit fortaſſis vterque, nimirum Eraſmus & Munſterus cornuum vaſtitatem, quoniam & hæc biſonti conuenit, id quod tamen Sigiſmundus Baro, qui vrum cũ biſonte videtur confundere, his verbis negat. In Lituania reperitur biſons, qui patrio nomine Suber vocatur, Germanice aurox. Vri etiam quos indigine Thur, Germani biſontes vocant, in ſola Mazouia reperiuntur. Vrus autem eſt forma bouis nigri, habet longiora cornua quàm biſons. Nec te moueat dictio Germanica, quę vrum biſontem vocat, & biſontem aurox. Nam ex commentarijs Cæſaris habes, Germanos vrorum cornibus pro inſignioribus poculis quondam vſos fuiſſe, quem vſum etiam hodie Samogithæ obſeruant. Vrorum porrò cornua, quæ etiam noſtro tempore in quibuſdam templis auro & argento exornata, veluti rara quædam monumenta reperiuntur, & longitudine & colore à biſontis cornibus aliquanto breuioribus poculiſque minimè aptis, facilè diſcernuntur.

Biſon & vrus cornibus differunt.

Icon autem vri, quam eiuſdem nobiliſſimi baronis cura Geſnero communicauit Vuolfangus Lazius, à præcedenti in eo potiſſimùm differt, quod minimè barbata eſt. Quamobrem hæcnè an illa genuina ſit, in præſenti ego, qui animal ipſum nunquam vidi, certò ſtatuere nequeo, gratiam habiturus alicui, qui oculatus teſtis veritatem ſit dicturus, hoc interim non tacebo, villorum eorum apud veteres nullam eſſe mentionem. Equidem & Iulius Scaliger rerum exoticarum ſtudioſiſſimus illorum quoque non meminit: Vrus (inquit) à vulgari tauro nihil differt, niſi magnitudine & viribus, quibus illum ſuperat. Cornua vaſtiſſima, non ſolùm, vt refert Cæſar, olim ad vſum paterarum, ſed etiam nunc in Samogithia & Mazouia, quorum eſt animal populare. Neque etiam meminit Martinus Cromerus, cui item biſon vrus eſt, vt patet ex deſcriptione, quæ talis eſt. Biſontium Pruſſia ducalis eiq; finitima Mazouia ferax eſt, & imprimis Podolia: vbi agminatim in campis non modò hæ feræ, verùm etiam feri equi paſcuntur. Eſt autem biſons prægrandis, verùm perniciſſima fera, magnis & introrſus leuiter incuruis cornibus nigris armata, quibus equum cum ſeſſore correptum in ſublime identidem iactat; & arbores mediocri craſsitudine euertit. Magnitudinis eius illud quoque eſt argumentum, quod in capite eius inter cornua tres (duo, Munſterus) homines poſsint conſidere. Habet villoſum & hiſpidum corium, & ſub mento palearia. Caro eius condita in delicijs eſt magnatibus & principibus. Cornu ſonorum, & ob id venatoribus in vſu eſt, zubrum ſeu zambrum vocant noſtrates: Imo & Græci recentiores: Sic ille.

Exerc. 206, 3.

Lib. 1, Poloniæ.

Iconem iſtiuſmodi cornu ad edendum ſonum concinnatum aliquando mihi communicauit Ioacchinus Camerarius Norimbergenſis reipub. archiater. Id totum totum erat aterrimum, & quibuſdam lineis per longitudinem ſtriatis. Neque barbæ quoque mentionem facit Albertus Magnus, qui & ipſe urum cum biſonte confundit; *Vri* (inquit, in excuſis codicibus legitur vrni ſine vllo ſenſu) *quos nos Germanicè Viſent vocamus, cornua ingentia duo geſtant, quæ capaciſſima ſunt, ita vt multi potum in ea infundant & reſeruent etiam in eis.* Idē alibi inueniri ſcribit in genere boum, nigros, magnos, *qui à quibuſdam* (inquit) *vocantur bubali, & apud Germanos Vuoſent* (legendum Vuiſent, vt aliàs habet, quanquam hac voce biſontem indicari ex eodem ſuo loco probatur) *hi perquam robuſti ſunt, adeo vt irritati equum ſimul & equitem cornibus ventilent, magnitudine æquant magnum dextrarium* (ſic nos inſignem & egregium equum vocamus) *& facies illorum boum* (vtor ipſius verbis quanquam barbaris, quoniam non ſatis clara videntur) *aliquantulum declinat inferius: ita quod habent eminentiam ſuper mediam lineam deſcendentem inter oculos: & declinatio artus illius eſt verſus os & verſus frontem declinatio alia, & eleuatio in medio. Cornua eis maxima & ad dorſum recurua, vt faciliùs cum eis eleuare & ventilare ſeu reijcere poſſint quod inuaſerint. Plura eorum genera ſunt, quibuſdam alta & longa cornua: alijs breuia craſſa & robuſta. Nota hæc genera ſunt Sclauis & Vngaris & finitimis Germanis.* Quę Alberti verba Sigiſmundum Baronem, & Cromerum fortaſsè deceperunt, vt vrum Germanis biſontem appellari ſcriberent. Ego his poſterioribus Alberti verbis, quibus Viſent, in maiores & minores diſtinguit, minores biſontes dixerim, maiores verò vros, & ad hos priuatim omnia pertinere priora: ad Bonaſum autem neutra referri poſſunt, quandoquidem bonaſi huius cornua ad pugnam ſunt inutilia. Non potuit tamen effugere Albertus, quin & bonaſum cum zubronibus quos vros eſſe diximus, implicaret. *Zubrones* (inquit) *vt fertur, boum ſunt generis longitudine aliquando quindecim cubitorum: cornibus maximis, trium cubitorum longitudine, colore ſubnigris: tanta velocitate, vt reiectam alui proluuiem conuerſum animal cornibus quandoque excipiat, antequam in terram cadat.* (Hoc pertinet ad bonaſum) *In ſyluis maximè Septentrionalibus degit, tanto robore, vt equum cum equite cornibus in altum proijciat, iterumq; excipiat,*

Lib. 22. de Animal.

Lib. 2. c. 2.

Lib. 22. circa finem.

Bonaſus cũ vro confuſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6



piat, donec enecauerit. Capi aliter non poteſt quàm foueis aut venatore circa craſſiſſimi trunci arbo- E
rem circumeunte, & feræ infeſtantis latera interim venabulo perforantis, (Hęc pertinent ad vrum.)
Alui excrementum tanto cum flatu eiaculatur, vt in ſequentem canem aut venatorem inquinatum
inutilem reddat, vel vt alij excæcet. Hoc rurſus Bonaſo tribuit Ariſtoteles. Taurus ille ſylue-
ſtris qui Macedoniam vaſtabat ad pedem Orbeli montis Macedonię à Philippo rege iaculo,
Taurus à Philippo occiſus qui. (αἰγανέᾳ κυναγέτιδι) confoſſus, cuius pellem & cornua ὀργυιαῖα, vel τεσσαρακαιδεκάδωρα, ideſt
quatuordecim palmorum, in veſtibulo templi Herculis conſecrauit, fortaſſis vrus fuerit: in quem
extant epigrammata doctiſſima, Simmiæ duo, & Antipatri vnum: quali quoque non indignum
Lib. 6. Anthol. eſt vri illud cornu ab Heluetijs diligentiſſimè conſeruatum, & annotauit Sabellicus ex Iouio,
nam ad Mediolanum cum Gallis congreſſi, cùm in noctem vſque prælium protractum eſſet, du-
In ſupplemen. lib. 5. ces, vt reliquias exercitus colligerent, ſignum ingenti claſſico propoſuerunt, quo ſparſi errabun-
dique milites ad vexilla vocarentur. Id erat ampliſſimum cornu ſylueſtris vri, operoſo argento in
labris exornatum, quod à maioribus per manus traditum apud Vranienſes Heluetiæ libertatis
authores cum magna cura ac religione cuſtoditur. Eius itaque beneficio plurimi cum ſint conſer- F
uati, quod æuiternam ei pariat gloriæ memoriam, carmen meretur. Geſnerus aſſerit ſe Mogun-
tiæ & Vuormatiæ, Germaniæ ad rhenum ciuitatibus ingentia ſylueſtrium boum capita duplo (vt
ei videbantur) domeſticis maiora, cum reliquijs quibuſdam cornuum ędificijs publicis affixa (an-
te ſecula aliquot, vt fertur) olim cum admiratione inſpexiſſe. Ex ijs autem quæ hactenus dicta
ſunt, ſatis puto clarum eſt, vrum Septentrionalis plagæ feram eſſe, (vt mirum ſit, ſcripſiſſe Serui-
uium in Pyrenæis habitare montibus, qui Galliam ab Hiſpania diuidunt:) ferocia item, viribuſ-
Lib. 7. Auſtriad. que & mole corporis præſtantem, vnde ab Auguſtino Richardo Bartholino Peruſino non incon-
gruè monſtrum appellatur, dum canit:

Dum repetit Sueuos, dirum & mirabile monſtrum
Apparet ſylua in media, quo non fuit vlla
Importuna magis labes, quam Sarmata telis
Et niue durati nequeunt ſuperare Geloni,
Hunc veteres dixere vrum, qui per memora alta
Taurinis crudeſcit cornibus, & ferit aſtra.

CAPIENDI RATIO.

EX Cæſaris commentarijs dictum eſt, vrum foueis capi: idque Alberti Magni teſti-
monio etiam confirmauimus, qui etiam addit capi uenatore circa craſſiſſimi trun-
ci arborem circumeunte, & feræ infeſtantis latera interim venabulo perforante:
quem poſteriorem capiendi modum hodieque obſeruari teſtatur Eraſmus Stel-
la: Soliti erant *(inquit)* antiquitus caueis ad hoc ex opera (foueis ad hoc in terra)
factis eos capere, captoſque iugulare: fortè quòd ea tempeſtate ferro caruere Boruſſi: Poſteriori-
bus uerò, lectis ad hoc præcipuæ virtutis & audaciæ iuuenibus, canibus eos inſequi placuit, vena-
buliſque cominus & eminus petere, arboribus ſeſe robuſtioribus ſemper condendo, ne à fera im-
petantur, quæ cornibus arbori inſertis, vindictæ auida inhæret, donec inſequentium telis ſaucia
Lib. 3. Geog. concidat. Similiter ait Munſterus in deſcriptione Pruſſiæ, perquam atroces eſſe, nec homini nec
feris parcere, etſi à venatoribus, qui inter arbores (inquit) ſe cōtinent, telis & iaculis petātur, adeo
exardeſcere & efferari, vbi ſe cruentos vident, nec vlciſci ſe poſſe hoſtem, vt crebrò in ipſas arbo-
res impetu ſe ipſi conficiant. Cæterùm multò iucundior eorum eſt venatio, non abſimilis tamen,
apud Lituanos, quam exactiſſimè nobis refert Martinus Cromerus præcitato loco: De biſontium
(ita vros vocat) venatione ſcire operæpretium eſt, quòd in campis Podolicis ſegregati ex agmine
ſinguli ab equitibus ſagittarijs ordine in gyrū diſpoſitis conficiuntur. Vnus.n. poſt alium ferę ade-
quitantes, iaculantur, citatiſque equis refugiunt. Efferata autem illa ictu & vulnere, refugien-
tem inſequitur. Interim ferit etiam alius: quem illa rurſus priore dimiſſo inſequitur, donec de-
fatigata labore & vulneribus concidat. In ſyluis verò ij deprehenſi opportuno aliquo loco deie-
ctu arborum à ruſticanis hominibus ad id coactis, quaſi intra ſepes includuntur, plures etiam
quàm ſinguli, ita vt effugere inde non poſſint. Deinde extructa ex tempore principi & magna-
tibus, ac fœminis cauea ſiue tabulato editiori, ex quo tutò ſpectare poſſint, venatores cum ve-
nabulis ad ſuam quiſque arborem diſponuntur. Mox ab equitibus ſtrepitu & clamore, ad-
miſſuque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A missuque canum fera excitata è vepretis in medium propellitur: quæ à venatore post arborem latente, vt cuiq; maximè appropinquarit, venabulo petitur, efferataq; ictu, arborem, cuius obiectu ille se tegit, cornibus petit, & cum arbor sit gracilior, quàm vt ambobus cornibus in eam possit impingere, fronte ac toto corporis nisu in eam incumbit, cornibus vtrimque prominentibus. Vrget interim semel adactum in præcordia ferrum venator sensim cedens appetenti se feræ, ac circum arborem girãti: nec desunt canes grandiores morsibus adiuuantes, donec ea examinata vel defatigata prorsus concidat. Quod si venator ictum frustratus sit, aut minus opportunè intulerit, aut à fera etiam correptus & proculcatus fuerit, aliquis è vicinioribus rubrum pannum feræ obiectat. Hoc enim colore maximè efferatur. Ibi ea dimisso priori, hunc petit recipientem se ad suam arborem, & ab eo feritur & conficitur. Linguæ eius contactus vitatur, qua longius exerta attrahit ad se hominem, si vel extremam vestis eius oram contingat. Est enim ea scabra. Hactenus Cromerus. *Vt efferatur.*

B

MYSTICA.

BVBALVS (vrum intelligit) D. Hieronymo est populus Iudaicus superbus pertinax & indomitus, explicanti nimirum hæc prophetæ Amos verba. *Nunquid currere queunt in petris equi & arari potest in bubalis?* Vtriusque (inquit) domus Iuda in qua erat templum, ruinas, & scissiones, equis & bubalis comparat, quarum priores in petris currere nequeunt: posteriores tam indomiti sunt, vt iugum ceruicibus non recipiant, & cum syluestres boues sint, propter feritatem nolint terram vomere scindere. Vos autem cum equi & bubali naturam suam mutare non possint, mutastis naturam dei, vt dulcem amarum faceretis, & fructum iustitiæ eius in absynthium verteretis, quæ est herba amarissima, &cæt. Similiter Rupertus Abbas in declaratione eiusdem sententiæ, ad superbiam Iudæorum eam refert. Quod dicit (inquit) *aut nunquid arari potest in bubalis*, quod subsequitur, qui dicitis: nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua, nihilominus iocum in verbis habet amarum & ad illum pertinentem risum, de C quo sapientia. *Ego quoque* (inquit) *in interitu vestro ridebo*: idest, ac si dicat: Quoniam estis superbi, qua propter iuraui in anima mea, dicens: *Detestor ego superbiam Iacob, & domum eius odi*: quoniam (inquam) in fortitudine vestra cornua vos assumpsisse dicitis, eritis ergo mihi sicut bubali, qui tam indomiti sunt, vt iugum ceruicibus non recipiant, & cum syluestres boues sint, nolint propter feritatem vomere scindere terram. Ita vos mihi eritis vtique inutiles operi vel regno Dei, vobisque euagantibus & dispersis, adhibebo mihi boues alios domitos, dicamque eis, *tollite iugum meum super vos, & regno Dei fructum operabuntur*, iuxta illud; *Amen dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius, &c.*

3. Comm. in Amos c. 6. Iudæi cur vri dicti.

Matth. 11. Ibid. 21. Rom. 10.

DE BISONTE. CAP. III.

D

NOMENCLATVRA, DESCRIPTIO, Historia denique tota.

BISON vt pote animal Septentrionalis plagæ proprium, & olim etiam Germaniæ in saltu Hercyniæ syluæ, non Thraciæ quæ alio nomine Bistonia vocatur, vt Oppianus arbitratur, nomenclaturam debet, sed Germanis quibus Visent nominatur. A Visent enim u, in b, conuerso, quod non tam Latini, quam Græci, facere solent, bison & βίσων dimanauit quanquam excusi Oppiani codices βίσων habent, carminis nimirum ratione. Dion in historia Augusta βίσσωνες vocat. Irenicus in septimo exiges, cap. 11. contendit Vizontes dici debere. Albertus vt præmonuimus Visent nomine æquè vrum ac bisontem intelligit. *Plura* (inquit) *eorum genera sunt, quibusdam alta & longa cornua, alijs breuia, crassa & robusta*: ex quibus maiores, vros, minores, bisontes, intelligi dixi. Ipse etiam hoc nomine (Visent, quanquam apud ipsum in u, litera, vbi quadrupedes literarum ordine enumerat, corruptè legatur pro Visontes, vel potius bisontes,) bisontem exactissimè & ad mentem veterum deli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

delineauit. *Animal* (inquit) *eſt boui ſimile, collo ſetoſo & iubis, vt equus, ſed pernicius & truculentius, vt captum domari haud vnquam poſſit.* Hæc enim eum ex Solino tranſcripſiſſe apparet, qui *Cap. 23.* nimirum de biſonte ſic ſcripſit: *In tractu ſaltus Hercynij & in omni Septentrionali plaga, biſontes frequentiſſimi ſunt, boues feris ſimiles, ſetoſi, colla iubis horridi, vltra tauros pernicitate vigentes, capti aſſueſcere manu nequeunt.* Plinius etiam iubatos tantùm dicit biſontes. Seneca, cuius verſus *Biſontes iubati & barbati.* in vro recitauimus, villoſos, cum barbatum inſuper Oppianus delineet, & icon priori loco poſita talem etiam oſtendat. χαίτην enim eis tribuit non ſolum circa ceruicem, ſed etiam ἀμφ' ἀταλοῖσι γενείοις. Et Pauſanias boues Pœonicos circa pectus & γένυν maximè piloſos facit: biſontes autem *Lib. 2. de Venation.* ex Pœonicorum boum genere eſſe alibi dixerat. Verſus Oppiani ſunt:

Ἔστιν ἀμαιμάκετον φονίοις ταύροισι γένετλον
Τοὺς καλέουσι βίσωνας· ἐπεὶ πάτρης τελέθουσι
Βιστονίδος Θρῄκης. ἀτὰρ ἔλλαχον εἴδεα τοῖα.
Φρικαλέην χαίτην μὲν ἐπωμαδὸν αἰθύσσουσιν
Αὐχέσι πιαλέοισι, καὶ ἀμφ' ἀταλοῖσι γενείοις·
Οἷά τε λαχνήεντες ἀριπρεπὲς εἶδος ἔχουσι
Ξανθόκομοι, βλοσυροὶ, θηρῶν μεδέοντε λέοντες.
Ὀξεῖαι κεράων δὲ πυριγλώχινες ἀκωκαὶ
Χαλκείοις γναμπτοῖσιν ἐπείκελοι ἀγκίστροισιν·
Ἀλλ' οὐχ ὡς ἑτέροισιν ἐναντίον ἀλλήλοισιν
Νεύουσι συγερῶν κεράων ἐπικάρσιον αἰχμήν·
Ὕπτια δ' εἰσορόωντα πρὸς αἰθέρα φοίνια κέντρα,

Gyllius hæc ita reddidit: Biſtones ad faciendas cædes prompti, horribili ceruice & pingui, rubro *Gylli errores.* pilo & oculis terribilibus: cornuum mucronibus aduncis & hamatis, non inter ſe reflexis, ſed furſum verſus ſurgentibus. Eos cum impegerunt vel in hominem, vel feram in ſublime tollunt. Eorum lingua quidem anguſta, ſed aſperrima, tanquam ferrum limare poteſt, vt cùm lingit, ſanguinem eliciat. Hæc qui cum Græcis (inquit Geſnerus) conferet, facilè deprehendet, primùm omiſſa poetæ verba, quibus biſontem iubam circa armos terribilem in craſſa ceruice quatere ait, nec non circa maxillas aut mentum, vt ita vocem, vt barbatus videatur; deinde vbi iubatis ſiue hirſutis & fuluis & terribili aſpectu leonibus biſontem comparat, hoc totum à Gyllio in biſontem congeri nulla interim leonis mentione; cùm poeta præter iubam, reliqua non conferat. Ego certè biſontes non ξανθοὺς ideſt fuluos & multò minus rubros, vt Gyllius reddidit, eſſe puto, ſed nigrican- *Cornua.* tes. Quod ad cornua, Oppiani verborum ſenſus hic mihi videtur, ea non eſſe patula vel extenſa, vt in cæteris bubus, nec è regione in diuerſum ad latera abire vel extendi (epicarſion enim tranſuerſum eſt) ſed rectà ſurgere, ita tamen vt ὕπτια ſint, ideſt, dorſum verſus inclinent: & circa finem hami inſtar tum recurua, tum acuta eſſe, vnde & κέντρα vocat ab acumine. Gyllij verba, *non inter ſe reflexis,* nullam in Græcis rationem habent. Ad hæc linguam biſontis Oppianus propter aſperitatem limæ confert, non autem inſtar ferri limare poſſe dicit: ne quis fortè intelligat eam limarum quoque vſum præſtare. Ego me ante paucos annos biſontis cornu videre memini, quod aurifaber quidam habebat, vt labra argento includeret ad vſum poculi: nigredine ſplendebat, duos dodrantes longum, aduncum inſtar vnguium in rapacium auium genere, vnde imperiti quidam gryphis pedem eſſe conijciebant: capiebat vini plus quàm duas libras. Hæc omnia Geſnerus. Addam etiam verſionem Bodini, ne quis temerè Gyllium à Geſnero reprehenſum exiſtimet:

Eſt aliud vaſtum membris & ſanguine gaudens
Taurorum genus: hi nomen gentile ferentes,
Biſtoniæ latos populantur Biſtones agros
Extrema Thracum regione: figura decoras
Pendentes ceruice iubas palearibus atque
Nodoſis quaſſant humeris, capitique ſuperbo,
Non ſecus ac freti magna virtute leones,
Effera colla iubis feriunt, ceruicis honorem,
Cornuaque effulgent ignita cuſpide acuta
Aureus vt curuo mucrone reflectitur hamus.
Non tamen hæc apices ſummos in ſeipſa retorquent
Vt reliquis, verùm reſupina feruntur ad aſtra.
Quare ſi fortè inuadant hominemue feramuè,
Sublimes validis attollunt cornibus: arcta
His etiam lingua eſt, ſed acutis aſpera ſpinis,

parti

A

Ferriuoram dicas planè te cernere limam,
Namque cutem rigida lingua lambendo cruentant.

Idem Gyllius bisontem cerui speciem similitudinemque gerere scribit, & à media fronte inter aures vnum cornu in excelsitatem magis dirigi, quàm ea quæ nobis nota sunt cornua; quæ descriptio neutiquam bisonti quadrat; sed Gyllius ex Cæsaris lib. 6 transcripsit, nulla authoris, vt solet, facta mentione, vbi tamen bisontem Cæsar non nominat, sed simpliciter ait: *Est* (in Hercynia sylua) *bos cerui figura, cuius à media fronte inter aures vnum cornu existit excelsius, magisq; directum his, quæ nobis nota sunt cornibus: ab eius summo sicut palma, ramique latè diffunduntur: eadem est feminæ marisque natura, eadem forma magnitudoque cornuum.* Hęc Cęsar: quibus vt suo loco patefiet, diuersissimum à bisonte animal describit. Nam quod non sit bison, vel quilibet ex superioribus iudicet. Bisontem verò etsi non nominet, pulcherrimè delineauit Calphurnius; *Aeglog. 7.*

Vidimus & tauros, quibus aut ceruice leuata
Deformis scapulis torus eminet, aut quibus hirta
B
Iactantur per colla iubæ, quibus aspera mento
Barba iacet, tremulisque rigent palearia setis.

Laurentius Surius Carthusianus in commentario rerum suo tempore gestarum scribit in Lithuania, vros esse, bisontes item & alces; errare qui vros vocant bisontes, cùm bisontes (inquit) ab vris bouinam formam habentibus differant, quando bisontes iubati sunt, & villosi circa collum, & in armos barba à mento propendente, pilis moschum redolentibus, capite breui, oculis grandioribus & toruis, quasi ardentibus, fronte lata, cornibus plerumq; adeo deductis & porrectis, vt in ijs tres benè corpulenti homines insidere queant. In tergo extat gibbus elatior priore, & posteriore *Bison vt ab vro differat.*

C

D

corporis parte humiliore. Cum hac descriptione icon hæc, quam Vuolfgangus Lazius, Gesnero communicauit, vt in appendice historiæ quadrupedum (ex qua eam mutuo accepimus) testatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tur, exactè conuenit. Huius fortasse generis fuerint tauri floridæ noui orbis Insulæ, quos butrones barbari sua lingua nuncupant vti scribit Ambrosius Paræus Chirurgus Regius, qui istiusmodi tauros nobis depinxit, & nos ex eo lectoribus etiam communicamus. Cornua, inquit, gerunt pedalia, & gibbum in dorso, Camelino similem: pilo est promisso, & fuluo, cauda leonina. Nunquam cicuratur, ex pellibus fiunt tegmina, quibus barbari aduersus hyemis uehementiam utuntur. Cornibus uerò, quibus alexiteriam uim inesse sibi persuadent, aduersus uenena se muniunt. Idem uerò Gesnerus præterea bisontem album Scoticum siue calydonium non male credit uocari, syluestrem ferumque illum bouem, quem in Calidonia sylua reperiri in bouis historia diximus. Candidissimum esse aiunt in formam leonis iubam ferre, cætera mansuetis simillimum, uerùm adeo ferum & indomitum, atque humani consortij hostem, ut quas herbas aut frutices humana contrectatas manu senserit, plurimos deinceps fugiat: captum autem arte quadam mox paulò præ mæstitia mori. Cum uerò se peti senserit, in obuium quemcunque magno impetu irruere, & prosternere; non canes, non uenabula, nec ferrum ullum metuere.

B

CAPIENDI RATIO.

QVOMODO olim bisontes caperentur, Pausanias docet his verbis. *[In Phocicis.]* Bisontis Pæonici caput ex ære fabrefactum, Dropion Deontis filius, Pæoniorum rex Delphos misit. Bisontes belluarum omnium viui difficillimè capiuntur: nullæ enim sunt adeo validæ plagæ, quæ irruentis feræ impetum sustineant. Eius venatio ita comparatur. Supinum deligunt locum, & in conuallem decliuem: cum præualido septo vndique muniunt: cliuum deinde & proximam cliuo planitiem recentibus boum corijs insternunt: recentium si non suppeditarit copia, arida aspersione olei lubricant; Ibi in equis exercitatissimi homines, bisontes intra illum ambitum cogunt, qui per vncta coria delapsis in præceps, ad imam vsque planitiem deuoluuntur. Illic ad quartum aut quintum diem neglecti relinquuntur lassitudine & fame debilitati, cadentibus iam animis facilè conficiuntur. Sunt qui ad eos mansuefaciendos artem adhibeant, & iacentibus adhuc pineæ nucis nucleos interioribus exemptos testulis apponant: alium enim cibum nullum bellua tunc appeteret: postremò vinculis districtos abigunt: & ad hunc bisontes modum capiuntur. Tantum Pausanias. *[Bison captus quo cibo gaudeat.]*

VSVS IN MEDICINA.

QVEMADMODVM plantæ siue stirpes syluestres domesticis & quæ in hortis aluntur, viribus sunt efficacioribus, ita de animalibus quoque iudicasse apparet Plinium his verbis: *Vros & bisontes Græci in experimentis non habuerunt, quanquam boue fero refertis Indiæ syluis: portione tamen eadem efficaciora omnia* (quàm ex domesticis vel gregarijs bubus) *ex his credi par est*, videlicet quod ad medendi vim.

D

VSVS IN SPECTACVLIS.

QVAMVIS autem tam feræ, indomitæque naturæ sit bison, erant tamen olim qui non solum ipsum, sed & alia similiter effera domarunt, domitisque equorum loco ad currus, essedaq; vti docuerunt in spectaculis, sicuti Martialis hisce endecasyllabis testatur: *[Lib. 1. Epig. 105.]*

Picta quod iuga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello,
Mordent aurea quod Lupata cerui,
Quod frenis Lybici domantur vrsi,
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris
Turpes esseda quòd trahunt bisontes,
Et molles dare iussa quod choreas
Nigra bellua nil negat magistro

Quis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Quis ſpectacula non putet deorum?

Ex eiuſdem poetæ libello de ſpectaculis conſtat Vrum & biſontem in theatris etiam iaculis confixos eſſe: Carpophorum enim laudans, quod ſtantes feras ſuperaret dexteritate iaculandi præcipua, ait:

Dorica quàm certo venabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori:
Ille tulit geminos facili ceruice iuuencos:
Illi ceſſit atrox bubalus, atque biſon.
Hunc leo cum fugeret, præceps in tela cucurit,
I nunc, & lentas corripe turba moras.

Conſueuerunt ſpectatores in theatro Circoque pugnantes feras excitare ad fugam. Nunc autem monet eos poeta, nullum eſſe remedium feræ Carpophoro pugnanti: nam & ſtantem ſternit, fugientem adeo perterret, vt ruat in tela aliorum.

DE BONASO CAP. IV.

NOMENCLATVRA, EIVSQ RATIO.

BONASVS Pæonia fera, Ariſtoteli libro ſecundo hiſtoriæ animalium capite primo βονασσος vocatur; quæ tamen vox apud ipſum non vno modo ſcribitur, quandoquidem eſt vbi per n ſimplex, eſt vbi per n duplex, eſtque vbi per σ ſimplex, eſtque vbi per σ duplex legitur. In libro verò mirabilium narrationum βόλινθον *Bolinthus.* appellat: & in nono hiſtoriæ animalium à Pæonibus lingua vernacul. μονάπον, *Monapus.* ſiue, vt alij ſcribunt, μόνεπον vocari teſtatur. Cur autem iſtiuſmodi fera bonaſus ſiue bonaſſus vocetur, hactenus apud neminẽ reperio: μόνεπος verò ſiue μόναπος forte dicetur Pæonibus, quorum lingua cum Illyrica ferè eadem eſt, à iubis, quas Angli mane, Germani mone appellant. Auguſtinus Niphus bonaſum ſcribit à recentioribus vaccam Indam vocari: *Vacca Inda.* in quo decepit eum Albertus Magnus, qui Solini de tauris Indicis & bonaſo diuerſis in locis ſcripta, confundit. Idem Albertus bonaſum cum zubrone ſiue vro implicat, vt in vro oſtenſum eſt. Apud eundem etiã lib. 22. bonachos pro bonaſo corruptè ſcribitur: *Bonachos.* & rurſus in eodem libro in E litera, enchytos, *Enchytos.* vbi totam bonaſi hiſtoriam ex Ariſtotele recitat: alijs enchires ſcribunt, neſcio quibus tam barbarè & abſurdè ſcribendi occaſionibus, niſi quod ex Arabicis tranſlationibus ſumpta videntur, qui Græcorum dictiones pleraſque abſurdiſſimè corrumpunt, adeo vt originem amplius non agnoſcas. Raphael Volaterranus bonaſos eodem modo capi ſcribens, quo nos biſontes diximus ex Pauſania, *Lib. 7.* bonaſum quoque haud agnouiſſe videtur.

GENVS, FORMA, DESCRIPTIO, Hiſtoria, denique tota.

ARISTOTELES, qui ſolus certè bonaſi meminit, (nam Aelianus & Plinius ſua proculdubio ex eo deſcripſerunt, Solinus ex Plinio,) agens de quadrupedibus quæ *Lib. 2. Hiſt. c. 1.* pilis integuntur, bonaſum aſſerit ex capronatis eſſe. „ Ipſorum (inquit) quadrupedũ „ pilis intectorum, alijs corpus totum eſt hirtum, vt ſui, vrſo, cani: alijs collum hir„ tius pari vndique modo, vt leoni & reliquis iubatis: alijs prona tantum ceruicis, „ à capite ad ſummos armos villi geruntur, vt equo, vt mulo & reliquis capronatis, quo in genere „ bonaſus quoque è ſylueſtribus cornigeris enumerandus eſt. *Cap. 16.* Mox verò ex boum genere eſſe videtur indicare, quando interiora omnia bubus ſimilia continere dicit: ſed & in deſcribendo ipſo, tantamque hiſtoriam referendo tauro ipſum aſſimilat. *Lib. 9. c. 45.* „ Bonaſus (inquit) gignitur in terra Pæonia, „ monte Meſſapo, qui Pæoniæ & Mediæ terræ collimitium eſt, & monapios (μόναπος) appellatur, magnitudine tauri, ſed corpore quàm bos latiore (ὀγκωδέστερος, οὐ γὰρ προμήκης ἐστὶν) breuior enim & in latera auctior eſt. Tergus diſtentum eius locum ſeptem accubantium occupat. Cætera forma bouis ſimilis eſt, niſi quod ceruix iubata armorum tenus (μέχρι τῆς ἀκρωμίας) vt equi eſt, ſed villo molliore, quàm iuba equina, & compoſitiore: color pili totius corporis flauus; iuba prolixa, & ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A & ad oculos vsque demissa, & frequens (πυκνὴ, idest, densa) colore inter cinereum & ruffum: non ,,
qualis equorum quos partos vocant, est, sed villo supra squalidiore, subter lanario, nigri aut ad- ,,
modum ruffi nulli sunt, vocem similem boui emittunt: cornua adunca in se flexa & pugnæ inuti- ,,
lia gerunt, magnitudine palmari, aut paulò maiora, amplitudine non multò auctiore, quàm vt ,,
singula semisextarium capiant, nigritie proba, antiæ (προκόμιον) ad oculos vsque demissæ, ita vt ,,
in latus potius quàm antè pendeant. Caret superiore dentium ordine, vt bos & reliqua cornigera ,,
omnia: crura hirsuta, atque bisulca habet, caudam minorem quàm pro sui corporis magnitudine, ,,
similem bubulæ: excitat puluerem, & fodit, vt taurus: tergore contra ictus præualido est. Carnem ,, *Caro qualis.*
habet gustu suauem, quamobrem in vsu venandi est. Cum percussus est, fugit: nisi defatigatus ,,
nusquam consistit (καὶ ὑπομένει ὅταν ἐξα δυνατῇ) repugnat calcitrans, & proluuiem alui, vel ad ,, *Vt se defendant.*
quatuor passus (ὀργυίας) proijciens: quo præsidio facilè vtitur, & plerumque ita adurit, vt pili in- ,,
sectantium canum absumantur: sed tunc ea vis est in fimo, cùm bellua excitatur, & metuit: nam si ,, *Vbi pariant, & quomodo.*
quiescit, nihil vrere potest. Talis natura & species huius animalis est. Tempore pariendi vniuer- ,,
si (ἀθρόοι) in montibus enituntur: sed priusquam fœtum ædant, excremento alui circiter cum lo- ,,
B cum, in quo pariant, se quasi vallo circundant & muniunt: largam enim quandam eius excremen- ,,
ti copiam hæc bellua egerit. Hactenus Aristoteles interprete Gaza. Describit autem rursus hoc
animal ab initio libri Mirabilium narrationum: nonnullis tamen immutatis. Ipsa enim fera *Alia descriptio & historia.*
non magnitudine tauri, sed boue maior, & robustior describitur: pro bonaso legitur bolinthus: pro
Messapo monte Hessæus: pro μόναπον, μόνεπον; pro ἑπ7άκλινον, ὀκ7άκλινον. Iuba prolixa ad ocu-
los, additur à vertice. Cornua adunca, κατεστραμμένα, idest deorsum versa, καὶ τὸ ὀξὺ κάτω παρὰ
τὰ ὦτα, ita ut mucro infernè iuxta aures sit: contrà quàm in hoc poetæ versu, *Patulæ camuris sub
cornibus aures*, etsi tum infra tum supra aures eis habeantur. Et pro μελανία καλὴ καὶ λιπαρὰ,
μέλαν σφόδρα εἶναι, διαστίλβειν δὲ ὡς εἶναι λελεπισμένα, hoc sensu, cornua aiunt nigro colore adeo
saturata esse, vt tanquam per vncta splendeant. Quod modò ad Gazæ translationem: in ea non *Gazæ errores.*
pauca Gesnerus aduertit, quæ bonasi historiam non solum obscuram reddunt, verùm etiam eam
corrumpunt. Equidem mirum est Gazam in comparatione bonasi coloris ad ἵππους παρώας Græ-
cam vocem reliquisse (quamuis partos in versione corruptè legitur pro paroos,) cùm alibi sem-
C per, etiamsi desint, latina fingere soleat. In Hesychio & Varino legimus, παρωαὶ λέγονται ἵπποι
τίνες τὸ χρῶμα πύρροι: Paroi dicuntur equi quidam colore ruffi. Mihi (inquit Gesnerus) animus *Equi paroi.*
inclinat, paroos dici qui inter ruffum & cinereum sint equi, vt οὐχ negatio abundet: sic enim mul-
tò commodius cohærebit sensus, hoc pacto: Iuba bonasi inter cinereum & ruffum colore est, qua- *Iuba.*
lis in parois equis conspicitur: hoc tamen interest, quod squalidior bonasis pilus est iubę (Gaza re-
ctè addit supra idest foris) infrà verò idest, intus, lanæ instar mollis. Vetus translatio pro κάτωθεν
vertit, pili eius in alijs membris lanæ assimilantur, & pro cruribus hirsutis, rari pili, contrario sen-
su, quod cum negatione legerit οὐ δασέα. Item pro Græcis verbis, μεταξὺ τέφρου καὶ πυῤῥοῦ, idest, *Color.*
inter cinereum & ruffum, vt Gaza vertit, habet inter nigrum & ruffum, quod fortè probari potest *Cornuũ magnitudo.*
propter sequentia, vbi neque nigros admodum neque ruffos inueniri bonasos Aristoteles scribit:
quasi eosdem colores semper in eis misceri innuat. Iam quod τῷ μεγέθει σπιθαμιαῖα transfert ma- *Dodrans ut à palmo differat.*
gnitudine palmari, melius dodrantali transtulisset, nam per spithamen eruditi dodrantem intel-
ligunt: Et licet triplicem palmum faciunt nonnulli, paruum, quatuor digitorum, quem παλαι-
στὴν masculino, vel παλαιστίδα fœminino genere Græci vocant, Polluce teste; maiorem, quinque, *Spithame quid.*
doron Græcè dictum, etsi Pollux doron & palæsten pro eodem accipit: maximum octo digito-
D rum: dodrans tamen tres minores & propriè dictos palmos continet, idest, digitos duodecim.
Polluci spithame extensio est à pollice ad minimi digiti finem, lichas verò ad finem lichani, idest,
indicis. Quamobrem partim uitandæ gratiæ homonymiæ præstiterit spithamiæon reddere do-
drantale: partim, ut propriè loquamur. Nam pro duodecim digitorum mensura, palmi nomen
rarissimum est, pro quatuor usitatissimum. Iam uerò dubitauerit aliquis, quonam modo cornua
magnitudine dodrantalia sint, & ad quam dimensionem mensura ea pertineat, longitudinemnè
an circumferentiam, an circumferentiæ diametrum: quod si quis capacitatem consideret, quæ di-
midiati congij est, omnino ad imæ circumferentiæ diametrum, qua cauitas orbicularis maximè
patet, dodrantis mensuram pertinere intelliget. Neque enim alijs duobus modis bonasi cōmu-
nes boues excedunt; cùm illis plerumque tum longiora dodrante, tum ambitu etiam ampliora
cornua sint, diametro autem imæ circumferentiæ dodrantali nunquam. Cæterùm in eadem cor-
nuum capacitate pro Græca uoce ἡμιχοῦν, quę dimidium congij significat, Gaza imperitissimè se-
misextarium uertit; cum chus, idest congius sextarium sexies capiat, unde & sextario nomē apud *Congius. Sextarium.*
Latinos. In mirabilibus narrationibus legitur, ἡμιχόου πλεῖον, idest, plus quàm dimidium congij.
Est autem congius mensura liquidorum, quæ vini uel aquæ libras decem capit, teste Paulo Aegi-
neta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

neta, qui etiam ξέϛῃ ſextario uncias uiginti attribuit. Alius eſt aridorum ſextarius, ἐκ7εὺς apud
Græcos, cuius dimidium ἡμιέκτον. Huic nomen quod medimni Attici pars ſexta ſit: chenices ca-
pit octo: conſtituunt autem chœnices octo modium Aegyptium, vel Italicum. Chœnix xeſtas, id-
eſt ſextarios liquidorum, duas capit. Quod ſi quis de illo intelligat, ſemiſextarius chœnices qua-
tuor capiet, ideſt ſextarios liquidorum octo, qui vini vel aquæ libras tredecim & vncias quatuor
caperent. Ita ſemiſextarius aridorum ad ſemicongium liquidorum, duplus erit, & ſuper tripartiés
quintus, vt vncias quatuor omittam. Sed chus liquidorum eſt menſura, & Ariſtotelem de liquidis
intellexiſſe veriſimilius eſt, quoniam cornibus huiuſmodi pro poculis vtebantur. Sed fortè Ga-
zam defenderit aliquis D. Hieronymi authoritate, qui commentariorum in Ezechielem libro pri
mo, choa Atticum, ſextarium Italicum eſſe ſcribit. At hoc authorum alius nemo ſcribit, & aduer-
ſus Alciatum Hieronymo patrocinãtem, Georgius Agricola doctiſſimè differit, vbi Plinium etiã
erroris incuſat, qui in vini nectaritis apparatu, vbi Dioſcorides choas ideſt congios ſex habet, ipſe
ſiue ex Dioſcoride, ſiue alio Græco authore transferens, totidem ſextarios reddit, quod itidem,
vel ipſius vel librariorum negligentia factum conſtat, cùm alibi ſemper pro Græcorum ſextario
congium reponat. Sed Gazam fortaſſis offendebat nimia capacitas, ſi dimidiũ congij reddidiſſet.
Atqui alia legimus longè capaciora cornua qualia Plinius vrorum eſſe ſcribit, ex quibus barbari
Septentrionales potant, vrnaſque binas capitis vnius cornua implent. Amphora duas capit vr-
nas, vrna congios quatuor Volutio teſte, & approbante Georgio Agricola. Vnum igitur vri bouis
Amphora. Vrna. cornu congios quatuor capere poterat. Aelianus Ptolomæo ſecundo ex India cornu allatum ſcri-
bit, quod tres amphoras caperet. Tres amphoræ congios vigintiquatuor efficiunt. De corij modò
Corij magnitudo. magnitudine non ſatis clarè loqui apparet Ariſtotelem, qui id ἑπ7άκλινον eſſe ait, Gaza vertit,
quod diſtentum, locum ſeptem accubantium occupat: in Mirabilibus verò narrationibus, de eo-
dem dicitur, excoriatum κατέχειν τόπον ὀκ7ακλίνȣ, quod locum occupet octo accumbentium:
Oſtendit itaque Geſnerus iſtiuſmodi vocabula ex cline compoſita non ſolum accipi pro loco, in
quibus accumbebant veteres, nimirum pro ipſis cænaculis, ſed item pro ſpatio, quod locum illum
continebat, quod inter cæteros idem Ariſtoteles non obſcurè docet, cum in eodem libro fontem
in Siciliæ Paliſcis eſſe ait, ὡς δεκάκλινον, ideſt, qui circiter decem accumbentium obtinet locum.
Cum verò veriſimile ſit, ſingulorum accumbentium locum, non vltra duos cum dimidio pedes
latitudinem extendiſſe, cùm amplitudo iſta diſcumbenti ſufficiat, ſeptem iſtiuſmodi ſpatia longi-
tudinem ferè efficient pedum XVII. cum dimidio, talemque pellis bonaſi longitudinem Ariſto-
teles intelligere videre poteſt, cum longè, vt indicauimus, longiores deſcribantur vri. Cæterùm
obijcere quiſpiam queat, iſtiuſmodi longitudinem Ariſtoteli aduerſari, vtpote qui bonaſum τὸ
μέγεθος ἡλίκον ταῦρος, ideſt magnitudine tauro æqualem deſcribit. Cui obiectioni reſpondet
Geſnerus, in hoc erratum videri: nam in Mirabilibus idem animal multò maius, ſimul & robu-
ſtius facit, fierique poteſt, vt caudæ quoque longitudo ſuperiori menſuræ adiungenda ſit. Hepta-
clinos igitur bonaſi longitudo non erit pedibus ſeptendecim: quæ verò latitudo ſit, ex proportio-
ne longitudinis, in communium boum pellibus deprehendetur: necnon ex Vitruuio, qui triclinia
propriè ſic dicta longiora duplo quàm latiora eſſe vult: lata itaque fuerit pedes octo cum dimi-
dio, ſed quia Ariſtoteles latitudinem eius admirari quodammodo videtur, etiam latior. Nõ pla-
cet porrò quod Gaza vbi Ariſtoteles ait, proluuiem alui vel ad quatuor orgyias proijciens, pro
orgyias vertit paſſus: quanquam & vetus Ariſtotelis translatio, vt apparet apud Albertum in En-
Paſſus quid. chyto lib. 22. ita verterit. Licet enim paſſus dictus videatur à paſſis, ideſt extenſis manibus, ſecun-
dum Grammaticos: apud authores tamen in hac ſignificatione, nuſquam reperiri puto: proindeà
pedibus paſſis, ideſt quàm maximè ſine periculo poſſunt, diuaricatis extenſiſque, nomen hoc po-
tius factum crediderim. Eſt enim ea menſura circiter pedes quinque vel paulò maior. Quod au-
tem paſſum pro quinque pedibus veteres dixerint, facile eſt calculare ex Plinij hiſce verbis: *Sta-
dium CXXV. noſtros efficit paſſus, hoc eſt pedes ſexcentos XXV.* Eſt igitur paſſus duorum greſſuum
Orgyia quid. vt ſit greſſus cubitus vnius & pedis, hoc eſt pedum duorum ſemis: Orgyia verò Græcis eſt τὸ μετὰ
τῶν ἰδίων χειρῶν μέτρον, ut Suidas docet, ideſt menſura quæ manibus extenſis fit, quæ ſua cuique
Lib. 2. etiam ſtatura uel proceritas eſſe ſolet. Eſt autem cubitorum quatuor, ideſt, pedum ſex. Varinus
Vlna. Orguian manuum ait eſſe extenſionem unà cum pectoris latitudine (quod & Pollux ſcribit) di-
ctam παρὰ τὸ ὀρέγειν καὶ ἐκ7είνειν τὰ γυῖα, ὅ ἐϛὶ τὰς χεῖρας. Nos (inquit Geſnerus) ulnam potius in-
terpretabimur. Eſt enim ulna ſpatium, ut Seruius inquit, quantum utraque extenditur manus: at-
que ita exponit maior lexicographorum pars teſte Henrico Stephano: equidem ὀργυὰ Heſychio
etiam eſt ἡ τῆς ἀμφοτέρων χειρων ἔκτασις, ambarum manuum extenſio. Vnde conſtat orgyiam
Iugerum quid. excedere menſuram paſſus. Multo uerò maior grauiorque lapſus eſt Plinij, qui iugerum reddi-
dit. *Tradunt* (inquit) *in Pæonia feram, quæ bonaſus vocetur, equina iuba, cætera tauro ſimilem, cor-*

nibus

A *nibus ita in se inflexis, ut non sint utilia pugnæ, quapropter fuga sibi auxiliari, reddentem ea fimũ, interdum & trium iugerum longitudine: cuius contactus sequentes, ut ignis aliquis amburat.* Quis autem tam insanæ fuerit mentis, ut inducat in animum, ad tantum spatium proluuiem

B

C



D

alui à bonaso eiaculari? cùm sit iugerum, ut superiùs ex eo diximus, quod uno die boum iugo uno exarari potest: id quod Columella etiam testatur, & M. Varro: In eo tamen Plinium secutus est Solinus, qui statim post Phrygię, & Lydiæ mentionem. *In his locis* (inquit) *animal na-*

ſcitur, quod bonaſum dicunt, cui taurinum caput, ac deinceps corpus omne, tantùm iuba equina: cornua autem multiplici flexu in ſe recurrentia, vt ſi quis in ea offendat, non vulneretur. Sed quicquid præſidij monſtro illi frons negat, aluus ſufficit. Nam cùm in fugam vertitur, proluuie citiventris fimum egerit per longitudinem trium iugerum: cuius ardor, quicquid attigerit, adurit. Ita egregiè noxia ſummouet inſequentes. Tantùm Solinus, qui præterea non rectè uidetur ſcribere, cornua bonaſi multiplici flexu in ſe recurrere, nam ex Ariſtotele, & Plinio conſtat, ita tantum in ſe inflexa eſſe, ut pugnæ ſint inutilia. Equidem icon, quam Geſnero debemus, Norimberga miſſam à Cornelio Sittardo medico, cornua in vnum ſolum circulum imperfectum cõuerti oſtendit: & eiuſdem ferè figuræ ſunt, quæ hic ex eiuſdem appendice ſubieci, priori loco picta, apparetq; in bonaſo euenire, quod in vulgaribus bobus, in quibus figura cornuum plerumq; variare ſolet.

Cornuũ bonaſi deſcriptio.

Deſcriptionem ad ſceleton factam trium harum, quas damus figurarum, Geſnero ex Anglia miſit præſtantiſſimus medicus Ioannes Caius his verbis. Mitto ad te caput vaſti cuiuſdam animalis, cui nudum os capitis vnà cum oſſibus, quę cornua ſuſtinebant, grauiſſimi ponderis ſunt, & iuſtum ferè attollentis onus. Quarum curuatura ita ſe promittit, vt non rectà deorſum vergat, ſed obliquè antrorſum. Quod quia videri nequit in facie proſpiciente, F curaui vt appareret in auertente in latus. Spatium frontis inter cornua palmorum Romanor. trium eſt cum ſemiſſe. Longitudo cornuum, pedum duorum, palmorum trium, & digiti ſemiſſis eſt. In ambitu vbi capiti iunguntur, pedis vnius & palmi ſemiſſis ſunt. Huius generis caput aliud Varuici in caſtello vidi, quo loco magni, & robuſti Guidonis, comitis olim Varuicenſis, arma ſunt: cuius cornuum oſſibus ſi ipſa cornua addas, multò fierent longiora, & alia figura atq; curuatura.

Vertebra.

Eò in loco etiam vertebra colli eiuſdem animalis eſt, tanta magnitudine, vt niſi longitudine trium pedum Rom. & duorum palmorum cum ſemiſſe circumdari poſſit. Aequè

Omoplata.

& ad id animal pertinere exiſtimo omoplatam illam quæ viſitur catenis ſuſpenſa è porta Septentrionali Couentriæ, cui vt nulla ſpina eſt (ſi bene memini) ita lata eſt vna ſua parte pedes tres, digitos duos: longa pedes quatuor, palmos duos. Ambitus acetabuli, quod armum excepit, pedum trium eſt, & palmi vnius. Circumdat os integrum, non niſi pedum vndecim, palmi vnius longitudo & ſemiſſis. In ſacello magni Guidonis, quod poſitum eſt, non amplius mille

Coſta.

paſs. à Varuico oppido, ſuſpenditur coſta huius item animalis (vt ego quidem reor) cuius ambitus quo loco minima eſt, palmorum trium eſt: longitudo ſex pedum cum dimidio. Sicca ea G eſt, & in extima ſuperficie carioſa, pendit tamen libras nouem cum ſemiſſe. Ex vulgo, apri eſſe coſtam putant, à Guidone occiſi: pars vaccæ, quæ prope Couentriam in foſſa quadam commorabatur, multis infeſta: Quæ poſterior opinio ad verum potius accedit puto, cum bonaſi forſan eſſe poſſit. Vri eſſe dicere vetant cornua recurua. Hæc forſan superuacua ſunt, quod in libro tuo bonaſi faciem depinxiſti: tamen quia dubitauerim de animali hoc, volui cogitandi materiam tibi miniſtrare, vt ſi fortè alius animalis oſſa eſſent, tu per otium nomen nobis aperires. Hæc ille: cuius coniecturis ipſe etiam cum Geſnero aſſentiar, donec aliquando fortaſſis aliquid certius exploratum nobis fuerit. Bonaſum quidem boum ferorum omnium longè ma-

Lib. 7.

ximum veteres faciunt. Aelianus interprete Gyllio Bonaſum ſcribit magnitudine ſimilem eſſe tauro piloſo, (hoc eſt, vt ego conijciò biſonti, cum quo, vt oſtendi Albertus bonaſum etiam confudit,) & ſtercus eius quo præ vexatione acre (inquit) & igneum reddit, ſi in venatorem quempiam inſequentem inciderit, mortem afferre, cum alij veteres, vt præmonuimus, adurere tantùm ſcripſerint. In eiuſdẽ Aeliani Græci codicis manuſcripti coronide quadam teſte Geſnero legitur, de bonaſo: Propter capronas viſum impedientes, non rectè ſed obliquè intuetur: H Color eius ſimilis eſt terræ, & locis in quibus moratur, & cornua gerit διὰ τὸ ἀντινεύειν ἀλλήλοις μὴ βλάπτοντα, ideſt innoxia quòd ad ſe inuicem conuertantur: Vbi notandum eſt, quod de coloris mutatione dicit, non ad bonaſum, ſed ad tarandum, vt ſuo loco monſtrabitur, pertinere: & num capronæ etiam tam ſint proceræ, vt viſum impediant, inquirendum eſt: ſecus

Lib. 3. de partib. c. 2.

enim ferè icon noſtra indicat, & Ariſtoteli id aduerſari videtur. Notandum etiam apud Ariſtotelem, vbi rurſus bonaſi meminit his verbis: „Bonaſis quoniam cornua eis ad ſeſe reflexa ſunt „excrementi profuſionem natura pro auxilio dedit: hoc enim cùm metuunt, ſe tuentur. Hac „eadẽ profuſione alia quoq; ſeruari certum eſt: obſcuriùs à Gaza verſum eſſe, quibus pari adun-

Gazę alij errores.

citate cornua reflexa inter ſe orbem colligunt: Poſſent. n. accipi hæc verba, tanquã de alijs quoque, ſimiliter aduncorum cornuum animalib. eo in loco tractaſſet Ariſtoteles, quod tamen non apparet. Nam bubalis & capreis, de quibus proximè dixerat, licet adunca, & parũ vtilia pugnę cornua fortè ſint, nõ pari tamen aduncitate, ſed longè alia, quàm bonaſorum ſunt. Alijs item in locis, bonaſum Ariſtoteles ſcribit ſylueſtrem eſſe, biſulcum, capronatum equorum inſtar, iubam habere, & cornua bina orbem inflexu mutuo colligentia, vt idem Gaza vertit pro Græcis ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A verbis, γαμψὰ πρὸς ἄλληλα: quæ itidem translatio obscurior est. Intelligi enim potest, ac si cornua pariter incuruata ambo in orbem colligantur, vt si quis brachia ante pectus extensa in gyrum vertat: cùm per se vtrumque subtus aures curuatum γαμψὸν, idest aduncũ potius quàm orbiculare sit. Postremò ad alui profusionem quod attinet, siue stercoris reiectionem, id in cursu, prolixiore præsertim, feruidius fit, & longius reijcitur, intestinis videlicet cursu calefactis, & ob calorem flatibus excitatis, vt fit in humore: quibus inclusis violẽta per angustum, magno impetu eruptio fit: accedit & locorum compressio ex vehementi motu.

Proluuies cur longius proijciatur.

DE BVBALO VETERVM. CAP. V.

BVBALI nomen (inquit Gesnerus) omnino incertum est, non hodie solùm, sed Plinij sæculo etiam confusum. Alius enim Græcorum bubalus est, cui nullum
B aliud apud Latinos nomen contigit, vt peregrinis plerisq;: de hoc nomine inter capreas, quibus adnumeratur, docebo: Alius quem vulgò bubalum vocant qui de boum syluestrium genere est, nec vllum peculiare apud Græcos, quod sciam, nomen habet. Cùm inter syluestres alij quidam certa habeant nomina siue propria, siue à regionibus sumpta, vt bonasi, bisontes, indici, &c. Accedit hoc etiam difficultatis, quod diuersos syluestres boues, (vt Plinij tempore olim vros) hodiè multi, præsertim in illis regionibus ad quas aliundè adducuntur, vulgus bubalos appellat. Sic ille, & rursus. Apud Græcos, vbicũque mentio fit bubali, de Africano semper intelligimus, & similiter apud Latinos veteres: nam recentiores omnes pro bouis syluestris genere hoc nomen vsurpant. Ego quidem in hoc assentior Gesnero, quod bubalus veterum planè sit diuersus à vulgari, quem scilicet Romæ, & Florentiæ nunc buffelum vulgò vocant, non assentior tamen, quod ex caprarum genere sit, cùm caprarum illud genus non βούβαλος, sed βουβαλὶς nuncupetur. Non me latet interim in Græcis Oppiani codicibus de venatione βούβαλος legi pro specie capreæ, cæterùm cum locum corruptum, vel ab amanuensi, vel à librario non dubito, quandoquidem opere de piscibus idem genus capreæ βουβαλὶς ipsi nominatur, vt suo loco apparebit. Fefellit fortassis Gesnerum Ari-
C stoteles, qui βούβαλον cum dorcade, idest caprea simul nominat, & Hesychius, qui βούβαλον interpretatur δορκαδίον; idest capreolum, deceptus nimirum depreuatis Oppiani exemplaribus. Ex Aristotelis locis, quæ sunt de bubalo nihil ipse certi expiscari potuit, quo opinionem suam possit stabilire. Citato enim loco ait: Bubalis capreisque interdum cornua inutilia sunt: nam etsi contra nonnulla resistunt, & cornibus se defendunt, tamen feroces pugnacesque fugiunt. Ex quibus verbis nihil aliud habemus, quàm bubalorum & caprearum æqualem timiditatem. Timida autem esse animalia, non obscurè idem Aristoteles aliàs etiam indicat, cùm timidissimis, & imbellibus alijs bubalos rursus annumerat, vt dum inquit Bubalorum, & ceruorum sanguini fibræ nullæ insunt: quare sanguis eorum non similiter, vt aliorum concrescit. Et rursus: Bubali sanguis aliquanto amplius spissatur, quàm leporis & cerui, quippe qui proximè ouillo, aut paulò minus consistat. Dioscorides etiam clarissimè à capreis videtur distinguere, agens de leporino coagulo. Pares (inquit) ille vires habent, hædi, agni, hinnuli, dorcades, capreæ quam à latitudine cornuum platycerota dicunt, dorci, cerui, vituli, & bubali coagula. Quamobrem Scaligero potius assentior, qui bubalim (bubalum malim, vt ipse aliàs etiam vocat) par-
D uum bouis genus esse credit cursu celerrimum, & his verbis perpulchrè delineat. Bubalin (inquit,) cuius sanguis, & instrumentum pugnæ cornua tantùm ab Aristotele descripta sunt, Plinius ait esse vitulo similiorem (ceruoue:) Quid igitur ea sit? An Gazella? non sane. Quare quod ex Africanis historijs percipere potui, tibi libenter impertitum curabimus. Africanorum boum paruitas tanta est, vt nostratium vitulorum bimulorum vix æquent magnitudinẽ. Multi tamen roboris, ac laboris patientissimi sunt. Dant autem, & Lant, & Elant inuenio appellatũ. Facie bubula est, sed vt minor, ita multò agilior, atque expeditior. Eiusmodi fertur esse celeritate, vt cursu feras omnes anteuertat. Corium adeò firmum, vt cuiuis telorum ferreo generi sit impenetrabile. Sclopi tamen globulo peruium. Pilus eis albet. Aestate capiuntur; quòd arenæ feruore vngulæ moueantur, ac vacillent. Hoc quoque loco subtilitas est in philosophia. Aristoteles bisulcis talũ ad robur datum scribit: Cæteris quibus esset celeritas destinata non itẽ. Arbitror enim, huic feræ omnium celerrimæ, quę sit adeo boui similis, ne bubulũ quidẽ deesse talum. Equos suos Arabes, qui in Africa sedes posuere, ita demũ probant, si eorũ cursus cum huiusce bestiæ velocitate conferri possit. Fortasse Lant, bubalis (bubalus) est. Nam Plinius

Bubali nominis diuersitas.

Bubalus, & bubalis differunt.

Lib. 3. de par. cap. 2.

Bubalũ animal esse timidum.

Bubalus quid.

Boum Africanorũ pernicitas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ambiguè, vitulo, ceruouè ſimilẽ facit. Plinij verba ſunt: *Vris imperitum vulgus bubalorũ nomen imponit, cum id gignat Africa vituli potius ceruivè quadam ſimilitudine.* Quę Plinij verba ego ita accipio, vt ijs bubalum cum bubali confundat. Arbitror enim ſimilitudinem cerui ad bubali pertinere, Pliniumque nominis vicinitate deceptum; Cerui autem, & caprea corporis ſpecie non male conueniũt. Et Oppianus ſubinde à ceruo agit de eurycerote, ab hoc de bubali, & ab hac de dorcadibus. Bellonius alium fortaſſis bubalum Africanum deſcribit in ſuis per Orientem obſeruationibus. Alterius enim coloris pilum facit, neque velocitatis tantæ omnino meminit: In eo tamen cum Scaligero nobiſque conuenit, quod paruum eſſe inquiat, & Plinij bubalum. Summa (inquit) voluptas eſt homini ſtudioſo, & rerum antiquarum ſcrutatori ſi in peregrinum aliquod, & rarum animal incidit, vt illud veteri nomine exprimere norit: nam ſi deſcribere aliquam rem aggreditur, non expreſſa propria appellatione, næ is operam ludere videtur. Itaque cum exiguum Africanum bouem primùm conſpiceremus quadrato, & bene habito corpore, & expolito: ſubitò nobis ſuſpitio incidit, id animal eſſe, quod veteres Græci bubalon nuncuparunt: Animaduertendum tamen eſt, ne vocabulorum affinitas nobis imponat, nec pro hoc animali vulgarem buffalum intelligamus. Nos porro in eo omnes bubali notas reperimus: ſed & ex Aſamia in Cairum deuectus fuetat, licet in Africa etiam inueniantur. Iam ætate grandis erat, corpore minor ceruo, ſed habitiore, & maiore quàm caprea, tam quadrato, & bene formato corpore, vt oculis gratus eſſet eius aſpectus: nam eius pilus flauus adeo ſplendens, & læuis erat, vt expolitus videretur. Aluum magis ruffum ad flauum colorem tendentem habet quàm dorſum, quòd ad fuſcum accedit. Bubuli pedes, breuiaque & firma illi ſunt crura, collum craſſum, & breue, exiguis præditum palearibus: caput bubulo ſimile: cuius vertici inſident cornua nigra, & admodum incurua, vt Gazellæ, lunæque creſcentis in modum inflexa, quibus haud multum ſe tueri poteſt, cum in ſeſe ſint recurua: Bubulis auribus præditus eſt, armos ſubleuatos, & plenos habet: caudam, vt Chamelopardalis vſque ad poplites promiſſam, nigris pilis fultam, duplo quàm equini craſſioribus. Bouis mugitum habet, ſed non adeò ſonorum. Breuiter ſi quis imaginetur ſe conſpicere puſillum bouem, quadrato corpore, pilo fuluo, & ſplendente, cornibuſque lunatis, ſurrectis, & in ſe recuruis, bubali idæam habebit. Hæc Bellonius addita hac icone. Iſidorus etiam bubalos vocatos eſſe ſcribit, eò quòd ſunt ſimiles boum, ſed cum addit adeo eſſe indomitos, vt præ feritate iugum ceruicibus non recipiant, veterum bubalum cum vulgari, ideſt, buffelo implicat. Cęterum Horatius Fontana cognatus meus eques Hieroſolymitanus, qui non ſemel Africæ oras, ſed & aliarum regionum Turcæ ſubiectarum perluſtrauit, longè ab hoc bubalo

Lib. 2. c. 50.

Bubali Bellonij deſcriptio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Alo diuersam mihi iconem ad viuum, vt affirmabat, expressam Beneuento transmisit: capite nimirum, colloque longè procerioribus, atque exilioribus: cornibus item retrò inflexis, & vt in rupicapra incuruis. Aures pro capitis portione habet maiusculas, iuxta colli initium: facies ceruina, aut capreolum potius quàm bouem referens, quare quibusdam capreolum Africanum dici inquiebat ex capreolis tamen esse, caudæ proceritas negat, etsi quàm in boum genere longè sit breuior. Totum animal excepto rostro & cornibus, quæ nigricant, flauescit. Pilo est longiusculo.

B



C

DE BVFFELO, SIVE BVBALO VVLGARI. Cap. VI.

D

BVFFELVM etiam ex boum (ferorum potissimum) genere esse, tota ipsius corporis figura loquitur: quo verò nomine à veteribus appelletur, hucusque me latet; Quamuis enim per Græciã & Asiam, vt testatur Pet. Bellonius, tam sint frequentes, vt nullum animal frequentius conspiciatur, ideoque mirum prorsus videatur, Aristotelem, qui in animalium perquisitione septies centena quinquaginta coronarorum millia, expensas faciente Alexandro, insumpsit, illius non meminisse: falluntur equidem, qui βέβαλον Aristoteli memoratum, buffelum esse suspicantur. Illius enim bubalus cornibus quidem se defendit, ea' tamen non semel ei inutilia sunt, præsertim aduersus feras pugnaces, timidumque animal est: è contrario buffelus audax, ferusque & infestus homini; Adhęc calcibus pugnans teste Scaligero; quoniam inepta ad pugnam sunt cornua, quia retrorsum auersa ac demissa cuspide. Videtur autẽ Aristoteles buffelum, nullo expresso nomine inter syluestres boues enumerasse; vbi nimirũ scribit apud Arachotos (Indiæ ciuitatem,) boues syluestres esse, qui differunt ab vrbanis, quantũ inter sues vrbanos & syluestres inter est: colore atro, corpore robusto,

Lib. 2. Obs. c. 50.

Buffelus Aristotelizatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

rictu leuiter adũco,cornua gerunt reſupinatiora. Conſentiunt. n.color,robur,& cornuum figura. E
Fueritque fortè etiam iſte noſter buffelus bos ille ſyluestris niger, ex quo ſi ſanguine ricini lumbi perunguntur, mulieri tœdium Veneris fieri dicit Oſthanes apud Plinium. Quis ſit bubalus apud Martialem etiam oſtenſum eſt. Cum itaque antiqua huius quadrupedis nomenclatura lateat, ego vulgari nomine clarioris doctrina gratia buffelum appellabo cum & Germanis omnibus ſimiliter appelletur: & Gallis beuffle, Hiſpanis bufano. Anglis verò bugill, Illyrijs bauvuol.

F

G

H

FORMA. DESCRIPTIO.

BVFFELVS animal eſt boui ſimile, ſed maius altiuſque, corpore valdè craſſo, cute duriſſima, membris macilentis: pilos habet nigros, paucos, & paruos, & in cauda ferè nullos. Frons eſt aſpera, criſpa, & intricata pilis: Caput vt plurimum pronum ad terram, paruum pro portione totius corporis. Cornua & longa, intorta, nigra. Albertus alicubi vallicoſa barbarica dictione eis cornua tribuit & nigra ſicut capræ: Et alicubi parua ſicut capræ domeſticæ, & aliàs (inquit) interius iuxta collum dependent verſus internam pectoris partem: aliàs erecta ſunt. Collum eſt craſſum, longumque. Inferior dorſi pars caudam verſus decliuis. Cauda breuis, parua, & nullis ferè (vt diximus) pilis: Crura craſſa robuſta, & reliqui corporis reſpectu breuia.

LOCVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

LOCVS. VOX. MORES. INGENIVM.

BVFFELOS gaudere morari in aquis tradit Petrus Crescentiensis. Romæ, Florentiæ, & in alijs quibusdam Italiæ vrbibus animal est frequentissimum, cęterum vnde locorum, huc peruenerit, omnino ignoro. Asiam, Græciamque eisdem abundare ex Bellonio indicatum est. Idem & apud Aegyptios haberi etiã testatur, sed qui magnitudine alios vincant. Eisdem scatere Bornay insulam tradit Franciscus Lopez. Neque desunt in Sian, vt Boterus ait in suis relationibus. Mugitus eis terribilis. Lac habet buffela & tempore coitus & in principio partus, vt annotauit Augustinus Niphus. Intuitu simplicitatem & mansuetudinem præ se ferunt, suntque remissi alias, & satis mansueti: vbi tamen contingit irritari, perquam iracundi & indomiti euadunt. B Irritantur autem prouocanturque colore præcipuè rubro, adeo vt in Cardinales quandoque impetum faciant. Albertus author est pugnare pręcipuè pedibus & vngulis (ex Scaligero etiam diximus calcibus pugnare,) quas (inquit) magno nisu defigit, & iterum iterumque conculcat ea quibus irascitur. Persequendo rectà fertur, neque declinat. Tradit Crescentiensis, vbi irascitur, aquam ingredi & se mergere ad os vsque vt sanguis æstuans restinguatur. In hoc eodem genere, vt idem Albertus refert, vacca alterius quàm sui generis vaccæ vitulum non admittit vberibus, sed odore agnitum reijcit: sin autem vitulus vaccino stercore illinatur, odore decepta lactat & pro suo educat. Laboris similiter ac bos vulgaris est patiens, & perquam robustus. Ferreus aut æneus circulus per nares ei traijcitur, cui alligato fune, vel habena ducitur ac regitur, quo minus homini repugnare possit. Tradunt cùm nimium sit onus, quod ipsi trahendum est, in terram decumbere, & ne verberibus quidem facilè ad surgendum cogi, nisi leuato prius onere. Auicenna scribit bubalum crocodilo infestum esse, eumque extra aquam repertum conculcarè. Quod Gesnerus de Africano bubalo intelligendum existimat, duabus motus rationibus, cùm quod pleraque sua ex Græcis descripserit, tum quod crocodilus Africæ sit peculiaris. Cæterùm buffelorum in Aegypto etiam copiam esse, iam ex Bellonio dictum est, eosque vbi irascuntur, pedibus hostem conculcare C ex Alberto.

Lib. 2. obs. cap. 26.

Mugitus.

Vt irritentur.

Vt pugnēt.

Antipathia.

VSVS IN CIBIS.

CARNES bubalinæ (inquit Crescentiensis) nimium melancholicæ sunt, & ne boni quidem saporis, quare & parum probantur: crudæ adhuc forma & colore non adeo indecoræ sunt, coctæ verò omnino. Testantur Romæ venales prostare, Iudæisque gratissimo esse in cibatu, verùm tanto lentore præditas, vt in parietem adactæ, tenacissimè adhęreant: quamobrem nitidioris vitæ epulis abdicantur. Rectè Baptista Fiera.

Bubalus hinc abeat, neuè intret prandia nostra,
Non edat hunc quisquam: sub iuga semper eat.

Casei vero bubalini quos Pistoriensis ager copiosè subministrat, Marzolinorum nomine, vt scribit Ioannes Bruyzinus Gallus in volumine de re cibaria. figura ferè ouali, bubulis longè præfe- D runtur, vtpote palato gratiores grata illud acrimonia pungentes, sed salubritate puto inferiores.

Caro qualis.

Caseus Marzolinus.

VSVS IN MEDICINA.

EX vngulis vel cornibus buffelorum annuli fiunt, qui si in digitis vel manuum vel pedum subinde gestentur, mirificè à quibusdam laudantur aduersus neruorum conuulsiones seu spasmos. Sunt qui ijsdem quaterna fila ex totidem metallis, auro, argento, ære, & ferro fabricata innectant; tanquam efficaciores sic fiant, tum ad spasmos, tum ad alia quædam vitia. Aliqui tandem sperant ex annulo confecto de solis istis filis inter se contortis. Non desunt teste Gesnero, qui insuper mentiantur annulos ex cornu vel vngula bubali in coitu dissilire, quod alioqui puto chrysolithis & smaragdis tribuitur. Adamus Lonicerus bubali vrinam cum myrrha & oleo auribus instillatam, dolorem ex frigore natum lenire scribit, & excrementa pascentis lenire tumores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

VSVS IN COLENDIS AGRIS. & ad Vecturam.

BVFFELVS quoniam robuſtus eſt,& patiens laboris,ducendo currui,& vehendis oneribus,ac etiam terræ arandæ eo vtuntur. Petrus Creſcentienſis ad plauſtra & aratra non ſatis idoneos eſſe aſſerit, ſed in trahendis per terram magnis ponderibus exerceri, ligatos arteficialiter quibuſdam catenis. Et Albertus ait, maximo conatu onera trahere, adeo vt ad primi impetus niſum maiorem in genua ſe demittant, & rurſus erecti pergant: teſtaturque vnum tantumdem ponderis,quantum equi duo fermè,trahere valere.

VSVS CORNV, ET CORII.

FIVNT paſſim ex buffelorum corio veſtes, ac præcipuè thoraces:duriſſimum enim id, ac craſſiſſimum eſt,ictibuſque reſiſtens: præfertur tamen bubulum ad calceos. In Narſinga equorum ornamenta eo tegunt. Siani verò regni incolæ ex cornibus eorum arcus ſuos conficiunt. In lege, *Argumento ſunt: Sed ſtragulas & bubo-lonicas quæ equis insterni ſolent*: ſunt qui ſentiant hoc in loco legendum, bubalinas, vt ſubintelligatur pelles eſſe, non veſtes, tanquam ex bubalorum pellibus ſtragulis ad equos fieri ſolitis. Ego (inquit Bayſius) legendum puto Babylonicas, quam lectionẽ mox teſtimonijs fulcit.

Bubalonicæ.

Lib. de cauſis.

PROVERBIA.

VVLGARE per omnem Europam conuitium eſt, vt craſſi & inepti homines, iuniores præſertim, ſerui item & tenuioris fortunę alij, prouerbialiter vocentur buffeli. Ad vulgare noſtratum adagium: *Si laſcia menare per il naſo come vn buffelo,* alludit Ludouicus Arioſtus, dum ait:

Non vo più che colei, che fù del vaſo
Dell'incauto Epimetheo à fuggir lenta,
Mi tiri come buffelo per il naſo.

DE BOVE STREPTICEROTE. Caput VII.

ANTE aliquot annos ex aula Imperatoris Rodulphi II. miſſæ mihi fuere exoticorum aliquot animantium icones diligenter admodum, & pulcherrimè expreſſæ, atque inter eas huius quoque quod hic exprimitur animantis, quod non incongruè bouem dicemus ſtrepticerotem, à cornuum conſtitutione ſunt, enim turbinata, quemadmodum figura ipſa oſtendit: Ipſi capreoli genus eſſe exiſtimabant, quoniam facie capreolo potius, quàm boui ſimilis eſt: Sed capreolis cauda breuiſſima, huic bubula, quamuis breiuſcula, totum animal colore ceruo ferè ſimile. Sed quid de natura eius dicam non habeo. Velocitate valere ex crurum exilitate conijci poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

DE OVE. CAP. VIII.

ORDINIS RATIO.

PECVNIAM, & peculium pecori debere suam nomenclaturam: principio huius operis indicatum est, quòd in eo apud priscos illos pa- rentes, omnes collocatę essent diuitiæ, ideoque vbique terrarum, qui di- tissimi erant, pecora pauisse, honestissimumq; fuisse studium rei pecua- riæ docent satis veterum exempla (vt sacræ paginæ Heroas illustris- simos in præsentiarum non commemoremus) vt meminit M. Varro, vbi de rei pastoritiæ dignitate disputatur. *De antiquissimis* (ait) *illustris- simus quisque pastor erat, vt ostendit græca, & latina lingua, & veteres poetæ: qui alios vocant πολυάρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuis- se pelles tradiderunt, vt Argis Atreus, quam sibi Thyesten subduxisse queritur: vt in Colchide, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ, vt in Libya ad Hesperidas, vn- de aurea mala, id est, secũdum antiquam consuetudinem, capras, & oues, quas Hercules, ex Afri- ca in Græciam exportauit, ea enim græci sua voce appellarunt μῆλα.* Et paulo post: *Romanorum verò,* inquit, *populum à pastoribus esse ortum quis non dicit? Quis Faustulum nescit pastorem fuis- se nutritium, qui Romulum, & Remum educauit? Non ipsos quoque fuisse pastores obtinebit, quod Parilibus potissimum condiderunt Vrbem?* &c. Fuisse porro antiquam quoque rem pastoritiam, idem author eodem loco docet, vbi de eius origine dicit. *Tres enim gradus humanæ vitæ con- stituit, primum naturalem, cum* (inquit) *viuerent homines ex ijs, quæ inuiolata vltrò ferret ter- ra. Ex hac vita in secundam descenderunt, pastoritiam, è feris, atque agrestibus, vt ex arboribus, atque virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomaq; colligerent ad vsum: Sic ex animali- bus, cùm propter eandem vtilitatem, quæ possent, syluestria deprehenderent, ac concluderent, & mansuescerent. Tertiò denique gradu à vita pastorali ad agriculturam descenderunt:* Hæc ille. Scribit tamen Ouidius Romulo populi vicini affinitatem contrahere cupienti nocuisse, quod à Faustulo inter pastores educatus esset, & aliquando oues pauisse crederetur, inquit enim;

Lib. 2. de re rustic. c. 2.
Pastoritiæ rei nobilitas.
Tres vitæ gradus.
Fastor. 3.
Romanos pastores fuisse.

> *In stabulis habitasse, & oues pauisse nocebat;*

Cùm tamen antè dixisset:

Fastor. 1.

> *Pascebatq; suas ipse senator oues.*

Sed & Plinius testatur, pecus aliquando vnicum Romanis fuisse vectigal; durauitque hoc pa- storitium studium apud Romanos diutissimè, sed increscente luxu, pecus illis pascendum tri- buebant, qui nimirum tenuioris essent fortunæ, testis est Iuuenalis de Coruino, inquiens;

Satyr. 1.

> *quid confert purpura maius*
> *Optandum, si Laurenti custodit in agro*
> *Conductas Coruinus opes?*

Idest, si in paupertatem prolapsus est, vt pascendæ sint illi oues alienæ? Habebantque qui opu- lentiores erant pascendo suo pecori saltus hybernos, & æstiuos, quod non obscurè indicat Ho- ratius, sese prædicans libenter militaturum, nullius latifundii, nullorumque saltuum mercede, nec opũm vlla spe, sed in solius Mecænatis gratiam:

In Epod. od. 1.

> *Pecusuè Calabris ante sydus feruidum*
> *Lucana mutet pascua.*

At in Græcia hoc pastoritium studium ita viguisse ex Homero, alijsque antiquissimis scripto- ribus, poetisque constat, vt non Reges tantum, sed ipsos etiam Deos immortales, pastores fuis- se tradant: Pastor apud Homerum est Apollo, Mercurius, Dij alij, & apud eundem Minerua Vlyssi apparet habitu pastoris; quales, inquit, regum filij sunt. Similiter apud Apollonium Orpheus Nymphas vocat, οἰοπόλους, hoc est, vt interpretatur Scholiastes, quæ ouium curam gerunt, atque inde etiam ἐπιμηλίδες dicuntur. Sol itidem filio suo apud Theocritum eximium hoc donum præbuisse legitur, vt diuitijs rei pecuariæ abundaret præ omnibus hominibus. Tã numerosum autem pecus possidebant, vt vel numerum ipsum vix callerent, uel saltem nume- rare pauperis esse iudicarent, testatur id Polyphemus apud Ouidium, de suo pecore inquiens:

Græci pastoritiæ rei studiosi.
Odyss. N.
Lib. 4. Argon.
Eid. 32.
Metam. 13.

> *Nec si fortè roges possum tibi dicere, quot sunt*
> *Pauperis est numerare pecus.*

Eid. 8.

Idque innuit Menalcas apud Theocritum, Daphnidi, qui in certamine de cantus præstantia vitu-

A vitulum se depositurum, præmium victoriæ dicenti, dummodo Menalcas agnum matri æqualem deponeret, respondet, id se præstare non posse, quoniam parentes quotidiè numerum pecudis recenserent.

ὐ θησῶ πόκα ἀμνόν. ἐπεὶ χαλεπός θ᾽ ὁ πατήρ μευ,
Χ᾽ ἁ μάτηρ. τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ᾽ ἀριθμεῦντι. idest,
Nunquam deponam agnum. Nam pater meus difficilis est,
Et mater. numerant verò vesperè semper oues omnes.

Similiter ait Virgilius:

Est mihi namque domi pater, est iniusta nouerca,
Bisque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

In omni autem pecore genus bubulum humano generi vtilissimum esse, suo loco rationibus *Ouilli pecoris vtilitas.*
euidentissimis ostensum est. Ab hoc ouillum pecus reliquis vtilius esse, ideoque secundas partes ei tribuendas esse, & ratio ipsa suadet, & veterum authoritatibus conuincitur; Quandoquidem, vt ait Columella: *Post maiores quadrupedes ouilli pecoris secunda ratio est, quæ prima sit, si*
B *ad vtilitatis magnitudinem referas. Nam id præcipuè nos contra frigoris violentiam protegit, corporibusque nostris liberaliora præbet velamina.* Ita, & Plinius: *Magna* (inquit) *pecori gratia in vsu vellerum, vt boues victum hominum excolunt, ita corporum tutela pecori debetur,* vnde Homerus κατ᾽ ἐξοχὴν oues vocat præ cæteris animalibus εἰροπόκους, quòd earum tantùm lanæ tonderi soleant. Et Varro scribit, quadrupedum syluestrium, quas vtilitatis causa deprehensas homines incluserunt, vt mansuescerent, primas non sine causa putari oues assumptas, & propter vtilitatem & propter placiditatem. *Maximè enim,* inquit, *naturæ quietæ, & aptissimæ sunt ad vitam hominum: Ad cibum enim lac, & caseum adhibitum, ad corpus vestitum, & pelles attulerunt.* Idem ait: *fructuum ex pecore,* (idest, ex oue) *species sunt duæ, vna est tonsura, altera, quæ latiùs patet, de lacte, & caseo, quam scriptores græci separatim τυροποιΐαν appellarunt, atque scripserunt ea de re permulta.* Sic & Ouidius: *Metam. 15.*

inque tuendos
C *Natum homines* (pecus) *pleno quæ fertis in vbere nectar,*
Mollia quæ nobis vestras velamina lanas
Præbetis, vitaque magis, quàm morte iuuatis.

Ne quis verò casei, lactisq; vsum & esum rusticas tantùm mensas exornare putet, is Columellam audiat dicentem: *Ex ouillo pecore, casei lactisque abundantia, non solùm agrestes saturat, sed etiam elegantium mensas iucundis, & numerosis dapibus ornat. Quibusdam verò nationibus frumenti expertibus victum commodat, ex quo Nomadum, Getarumque plurimi γαλακτοπόται dicuntur;* Id quod minùs mirabitur, qui Aristotelem consulit dicentem: *Ouium omnium maximè quadrupedum lac diu edurare, quippe quibus mulctra mensium octo spacio continuetur.* Ad hæc ex hoc ouium lacte, quod bubulo, alijsque comparatum, pinguissimum est, probatum fieri butyrum, testatur Dioscorides. Ob quas tam singulares commoditates, ouem aiunt apud Aegyptios fuisse sacram, vt scribit Plutarchus, & meminit Iuuenalis: *Ouis cur Aegyptijs sacra. Lib. de Iside, & Osyride.*

lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa.

Videlicet apud Aegyptios. Sed & in Genesi legimus Aegyptios omnes ouium pastores detestatos fuisse. *Cap. 46.*
D Quæ verba nos monere scribit Thomas Bosius, iam tum colendarum ouium superstitionem inhæsisse Aegyptijs, & ob id abaminandos fuisse illis pastores ouium, qui nimirum illas sine honore, ad esumque humanum reseruant, cùm contrà Aegyptij honorificentissimè custodiant, habeantque oues, & veluti ipsos Deos venerentur, quod testatur Diodorus Siculus, quocirca non omnes Aegyptijs fuisse detestandos pastores, sed ouium duntaxat, testaturque Plutarchus libro præcitato, solos ex Aegyptijs Lycopolitas ouibus vesci, quia idem λύκος, idest, lupus facit, quem pro Deo habent. Cæterùm Strabo scribit vltra Momemphim, vbi nitrariæ duæ, à quibus Nitriotica Præfectura dicta est, coli Serapin, & apud hos solos in Aegypto ouem occidi. At verò Troglodytæ pecorum nomina filijs suis indunt, vt tauri, arietis, ouis, propterea quod ab ijs, non à parentibus alantur. Iam & Apolloniæ, quæ in sinu Ionico est, sacras Soli oues fuisse, græci scribunt, quæ interdin secundum fluuium pascerentur, noctu verò stabulantes in antro quodam ab Vrbe non procul custodirent delecti viri, diuitijs, & genere inter populares splendidissimi, singulis annis singuli. Quod ex oraculo quodam Apolloniatæ oues eas permagni facerent. Proinde Euenio (vt fertur) vaticino vigilias edormiente contrucidatis ouium plerisque, lupis grassantibus, publico Apolloniatarum decreto, cùm se is minùs tueri quiuisset, exoculatum fuisse, aiunt: Et apud Plutarchum habemus Athenis lege

Lib. 12. Lib. 1. c. 4. Lib. 17. Geograph. Troglodytarũ nomina. Oues Soli sacra. Atheniensiũ edictum.

cau-

cautum fuisse, vt si quis viuum excoriaret arietem, actio contra ipsum institueretur, Ἀθηναῖοι, A
Plutarch. in orat. de esu carnium lib. 9. cap. 5.
inquit, τῷ ζῶντα τὸν κριὸν ἐκδείραντι, δίκην ἐπέθηκαν. Androtion verò, referente Athenæo, apud Athenienses antiqua lege statutum ait, ne quis ex grege centum capita habente, pecudem intonsam, aut quæ nondum peperisset, iugularet: quòd gregis augendi gratia seruaretur, & idcirco eas quæ iam adultæ essent, comedere licuisse, additque Athenæus suo etiam tempore in Palladis sacrificijs, neque agnam mactari, neque gustari caseum solere. Quo loco ἄπεκτον ἄρνα (vt id obiter annotemus) cùm rectè essent interpretati agnum intonsum, mirum cur addiderint ineptam appendicem, *impexumve*: diuerso enim sensu τὸ πέκειν de pecude, & de lana; ἄπεκτος agnus dicitur tenellus, anniculo minor, nondum ποκιχθεὶς, vt loquitur Theocritus, hoc est, cui neque vulsa, neque tonsa lana est; lana ἄπεκτος, non pectita, non carminata.
Athenæi locus restitutus.
Apud Romanos quoque non nisi ouium, boumq; impendio mulctacia olim dicebatur, quemadmodum in boue dictum est pluribus, quibus adde ex Gellio; *Mulcta, quæ suprema appellatur, vtpotè qua nulla maior instituta fuit, in singulos dies duarum ouium, triginta boum, pro boum scilicet copia, proque ouium penuria. Sed cum huiusmodi mulcta pecoris, armentique à magistratibus dicta erat, adigebantur boues, ouesque, aliàs precij parui, alias maioris: Eaque res faciebat inæqualem mulctæ punitionem. Idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oues singulos æris deni, in boues æris centeni: Minima autem mulcta est ouis vnius. Nunc quoque quando a Magistratibus populi Romani more maiorum mulcta dicitur, vel minima, vel suprema, obseruari solet, vt oues genere virili appellentur: Ac nisi in eo genere diceretur, negauerunt iustam videri mulctam:* Varronis verba quibus minima mulcta dicebatur à Prætore, sunt hæc: *Quando citatus neque respondit, neq; excusatus est, ego ei vnũ ouẽ mulctã dico. Ouibus duabus mulctabatur apud antiquos* (inquit Festus) *minoribus criminibus: In maioribus autem bobus, nec vltra hunc numerum excedebat mulctatio, quæ posteaquam ære signato vti ciuitas cœpit, pecoraque mulctitia, aut incuria corrumpebantur, vnde etiam peculatus crimen vsurpari cœptum est, facta est æstimatio pecoralis mulctæ, & boues centenis assibus, oues denis æstimatæ. Inde suprema mulcta, idest, maxima, appellatur tria millia æris: Item vicessis minoribus delictis: Et rursus peculatus furtum dici cœptum est à pecore, quia ab eo initium fraudis esse cœpit. Siquidem ante æs, aut argentum signatum, ob delicta, pœna grauissima erat duarum ouium, & triginta boum. Ea lege sanxire T. Menenius Lanatus, & P. Septius Capitolinus Coss. Quæ pecudes, postquam ære signato vti populus Romanus cœpit, Tarpeia lege cautum est, vt bos centussis, ouis decussis æstimarentur:* huc vsque Festus. Varro verò etiam ait, suo æuo mulctam ex vetere instituto bobus, & ouibus dici solitam. Tradit etiam Seruius apud maiores homicidij noxium pænam arietis damno luisse, idque in Regum legibus tradi; Et Sabellicus refert, quod Germanis olim homicidium certo pecorum numero lueretur, atque ita vniuersam domum satisfactionem cepisse. Troglodytis verò vxores, cùm sint communes, nisi quæ Tyrannorum sunt, ex quibus, qui vnam corruperit, is teste Strabone, oue mulctabatur.
Mulcta qualis olim apud Romanos.
Lib. 11. cap. 1.
Homicidij pœna.
Lib. 2. Aen. 6.
Adulterij.
Vt verò ad huius pecoris vtilitatem, quam nobis affert, reuertatur oratio, scire conuenit oues non vno in loco tributi nomine persolutas esse: siquidem apud Strabonem legimus Cappadoces Persis pendere præter cætera, ouium quinquaginta millia, Medos duplo ferè; & Mesa Maobitarum Rex, vt sacra testatur pagina, Ioramo Achabi filio Israelitarũ Regi, pendebat centena agnorum millia, & totidem lanatorum arietum: Item Iosaphat Iudæorum Regi Sanctissimo pendebant Arabes singulis annis, arietum 7700. & capros totidem, & alibi. Et ne longius abeamus: Scribit Ambrosius Leo Nolanus à Stabijs quotannis magnum, & album agnum cum cornibus auratis Nolam ad Præsulem tributi, honorisq; nomine mitti. Erat etiam, quod minimè prætereundum est, agnina caro præmium eis, qui gryphos enodabant, nec non & poetis: vnde Ἀρνωδῶοι dicebantur, qui agni præmia canebãt, vt annotauit Iosephus Scaliger, addens, huius rei meminisse Ausonium in epistola ad Theonem his versibus:
Oues vbi pro tributo.
4. Regũ c. 3.
2. paralipom. cap. 17.
Odyss. Φ.

Verùm protinus ede quod requiro
Nil quæro, nisi quod libris tenetur,
Et quod non opicę legunt papyri.
Quas si solueris ò poeta nugas
Tostam tibi trado, simulq; & agnam.

Vbi in omnibus exemplaribus legitur: tostam tibi trado simul vacunam. Apud Homerum verò Vlysses à Laerte patre, & senioribus totius Ithacæ ad Messenios legatus mittitur ad repetendas oues, quas illi agrum Ithacensem depopulati vnà cum pastoribus abstulerant. Nec alium ob finem lanam veteres Romani religiosè colebant, quòd inter cæteros testatum reliquit Plinius de lanarum medicinis tractaturus. *Lanis authoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes à nubentibus attingi iubentes:* Alludit scilicet ad veterum illum morem quo
Lana honor apud Romanos.
Lib. 28. c. 2.

A quo ædium, in quas accedebat ſponſa, ianua, marito illam operiente, lana cingebatur, & coronabatur, multaque lauro ornabatur: Poſtes etiam vittis laneis contegebantur, quas ab ingreſſa tangi mos erat, & adipe ſuillo, oleoque, vel lupino vngi, ne quid veneficum, aut peſtilens noceret, ſed & ſponſæ, cùm ex domo patris ad maritum prodibant, colum lana comptam & fuſum cum ſtamine geſtabat, quod teſtatur Plutarchus: ἡ νύμφη, inquiens, εἰσφέρει μὲν ἠλακάτην, καὶ τὴν ἄτρακτον, additque, quod propius huic loco eſt, ἐρίῳ δὲ τὴν θύραν περιστρέφει τοῦ ἀνδρὸς, ideſt, *Sponſa quidem infert colum, & fuſum: lana verò ianuam circumdat viri*. Nec prætereundum, quod tradit Rhodiginus Cælius: In lanata pelle nouas nuptas ſedere ſolitas, vel more vetuſto, quòd priſcis temporibus in pellium ſtratis dormirent, vel quòd lanificium viro præſtituras ſe, eo ſymbolo pollicerentur, habebantque ex ouis lana cingulum, quod, vt apud Verrium Flaccum legimus, vir in lecto ſoluebat: erat enim lanificium eo tempore in ſummo precio, & honore, adeò, vt id etiam præcipuæ Heroinæ exercerent. Plinius de Tanaquili Romanorum Regina. *Lanam cum colo, & fuſo Tanaquilis, quæ eadem Caia Cæcilia vocata eſt, in templo Sangi duraſſe, prodente ſe, author eſt Marcus Varro: factamque ab ea togam*
B *Regiam vndulatam in æde Fortunæ, qua Seruius Tullius fuerat vſus. Inde factum, vt nübentes virgines comitaretur colus, & fuſus cum ſtamine &c.* Fertur autem Tanaquilis, ſiue Caia Cæcilia Tarquinij Priſci Regis vxor optima lanifica fuiſſe, ideoque in eius memoriam ſempiternam inſtitutum fuit, vt nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogatæ, quænam vocarentur, Caiam ſe eſſe dicerent. Præter autem cultum, & tutelam contra frigora, lanæ ſuccidæ plurima præſtant homini remedia ſaluberrima, de quibus ſuo loco. Quid mirum itaque ſi in ouium tonſura cùm alibi, tùm potiſſimum apud Hebræos liberalia, atque honeſta, magnificaque celebrarenrur conuiuia. Equidem Abſalonus, eò tempore, quo oues ſuas in Baalhaſor Ephraimiticæ ditionis loco, tonderi curauit, ſplendidum ſeruis ſuis conuiuium adornaſſe, & ad illud Dauidem patrem, fratreſque ſuos omnes inuitaſſe legitur. Similis conuiuij mentio fit in Samuele. Nabal enim Ziphæus vir diues, cui tria ouium millia, & mille capræ fuiſſe dicuntur, oues ſuas, quas in Carmelo (qui locus fuit Tribus Iudæ) habebat, totondiſſe legitur. Id cùm Dauid in deſerto fame, ſitique grauiter conflictatus reſciuiſſet, ſeruos ſuos ad illum miſit, qui commemoratis ſuis in illum, eiuſque paſtores beneficijs collatis, humaniſſimis verbis ab
C illo peterent, vt, ſe quoque nunc feſtiuitatis illius, atque conuiuij participem faceret. In die bono inquiunt illi, hoc eſt, læto feſtiuoque ad te venimus. At verò Nabal, & re, & nomine ſtultus, iuſtæ huic Dauidis petitioni ſatisfacere noluit, ſimulque durum illius nuncijs, & inhumanum reſponſum dedit: Tollamne, inquit, panem meum, & aquam meam, & victimam meam, quam mactaui tonſoribus meis, vt dem illam viris, quos non noui, vnde nam illi ſint? &c. Ex quibus autem omnibus colligimus id quod noſtri eſt propoſiti, conuiuia huiuſmodi tonſoria, vt ita loquar, magnifica fuiſſe; Sequitur enim eodem in capite conuiuium hoc Nabalis quaſi regium fuiſſe, hoc eſt valde luxurioſum, in quo videlicet ipſe ſe nimio vino obruit. Sic Iudas, vt in libro Geneſis ſcriptum eſt, animi ſui ex dolore, ob amiſſam vxorem, reficiendi, recreandique cauſa, vnà cum quodam amico ſuo ad ouium tonſuram iuiſſe dicitur. Sed & apud Latinos oues tondere, vt & ſementem facere, omninò non fuit licitum, priuſquam Catulatio (græcis eſt περισκυλακισμὸς) hoc eſt ex cane ſacrum fieret, vt Gyraldus teſtatur de Dijs gentium. Ex his ergo omnibus conſtat, illam ouium tonſuram magna cum feſtiuitate, lętitia, atque conuiuijs fuiſſe celebratam, id quod mirum non eſt, quando quidem, vt dictum eſt, priſci illi He-
D bræi, vt ex multis ſacræ Scripturæ locis conſtat, paſtoritiæ rei mirum in modum fuerunt dediti, ſuaſque opes, atque diuitias, tum in alio pecore, tum in primis in ouibus habebant, quarum nimirum maxima eſt fœcunditas, atque vtilitas. Itaque cùm in illis tot præſertim numero tondendis plurimum paſtoribus, atq; famulis eſſet laboris exantlandum, iuſta profectò de cauſa, patres familias, atque domini illos conuiuiali huiuſmodi lætitia recreare rurſus, atque exhilarare voluerunt. Adde quòd illa ouium tonſura typus videtur fuiſſe atque figura futuræ illius tonſuræ, hoc eſt mortis, atque paſſionis ſalutiferæ Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ceu ouis puræ, atque immaculatæ, quæ cùm tonderetur, atque mactaretur, nullam vel minimam vocem impatientiæ teſtem edidit, ſecundum illud Eſaiæ vaticinium: *Ouis inſtar ductus eſt ad victimam, & quaſi agnus coram tonſoribus obmutuit*, ad hominum ſcilicet conuitia; *& os ſuum non aperuit*, ad conuitia ſcilicet regerendum.

Spŭſa noua cur lanam, & fuſum marito ferret.

Lib. 27. c. 14.

Lanificij honor.

Conuiuia in ouium tōſura.

Lib. 1. c. 25.

Catulatio.

Paſſionis Chriſti typus.

Cap. 53.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

SYNONYMA ÆQVIVOCA.

Ouis. IDEM hic euenit in oue, quod diximus de boue, mutat enim hoc quoque animal nomenclaturam pro ſexus, & ętatis diuerſitate; fœminam enim, ouem, marem, arietem dicunt, agnum verò, qui nec dum annum exceſſit. Nam quamuis Feſtus ouem ab antiquis maſculino genere dictam ſcribat, vt ouibus duobus, non duabus; Et quamuis etiam ex Varrone apud Nonium legamus, *vt etiam putantibus, qui oues duos, non duas dicunt, Homerum ſecutos, qui ait,* Μῆλ' ὄϊες τε. Item, *quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, tum ego vnum ouem mulctam dico:* tamen extra mulctam, de qua ibi loquitur, ouis fœminam in hoc genere denotat: Plinius, *Arietis dextro teſte prœligato, oues tantum gigni quidam ſcripſerunt,* ideſt, fœmellas, atque ita apud omnes paſſim ſumitur, vt & ouicula pro parua oue. Ouiaria verò eſt ouium multitudo, à qua & ouiarium pecus dicitur. Adaſia vocatur, teſte Feſto, vetula recentis partus: Matrices, quæ agnos nutriunt Palladio, quas Florentinus τοκάδες dixit paſcales, quæ paſſim paſcuntur à paſco, ſiue à paſcuis, quaſi paſcuales, vt ait Feſtus: Minæ quæ ventre ſunt glabro, Apicæ verò, quæ non amplo corpore ſunt, nec multam lanam habent circa totum corpus: Lanata, & bidens, epitheta quidem ſunt ouium, ſæpe tamen abſolutè pro oue capiuntur. Plinius. *Quanquam ſtultiſſima animalia lanata.* Iuuenalis:

Aries.
Agnus.
Rerum human. lib. 27.
In Terētio.
Adaſia. F
Minæ.
Apicæ.
Lanata.
Bidens.

> *Interea dum lanatas, toruumque iuuencum*
> *Cedit.*

Bidentes verò, qui ideo oues dici docuerat Grammaticus, quod duos tantùm dentes haberēt,
Lib.7.ſa- » ridetur apud Macrobium. Atqui hoc, inquit Auienus, vel nunquam contingere, vel ſi contin-
turn.c.9. » gat, oſtentum eſſe, & factis piaculis procurandum. Tum Seruius citato Pomponij ex Atta-
» linis verſu, in hoc verrem bidentem legimus, oſtendit, non proprium hoc Epithetum eſſe ouis.
» Et Nigidius (inquit) in libro de extis, bidentes appellari ait, non oues ſolas, ſed omnes beſtias
» bimas. Et in commentarijs ad ius Pontificum pertinentibus, legi bidennes primò dictas, d,
» litera ex ſuperfluo (vt ſæpe aſſolet) interiecta, ſicut pro reire, reamare, rearguere, dicitur redi- G
» re, redamare, redarguere. Ergo bidentes primùm dictæ ſunt, quaſi biennes. Quamuis Higinus
» qui ius Pontificum non ignorauit, bidentes appellari ſcripſit hoſtias, quæ per ætatem duos
» dentes altiores haberent, per quos ex minore in maiorem tranſcendiſſe conſtat ætatem. Hæc Macrobius. Et Nonius Marcellus ſcribit: *bidentes qui exiſtimant ob eam cauſam oues à Virgilio dictas, quod duos dentes habeant, peſſimè, ac vitioſè intelligunt. Nam nec duos dentes habent, & hoc quidem & genus monſtri eſt, & melius intelligi poteſt, ſi biennis dixerit authoritate Pomponij in Attalana. Mars tibi voueo facturum, ſi vnquam redierit, bidenti verre. Luberius paupertate, viſus hac nocte bidentes propter vitam facere: Et Nigidius Figulus dicit bidental, quod bimæ pecudes immolentur.* Idem legere eſt apud Aulum Gellium, cuius verba breuitatis cauſa omitto. Illud tantum notabo, quod ait, Higini opinionem, an vera ſit, non argumentis, ſed oculis indicari oportere. Higini ſententiam ceu veram amplectitur Ioſephus Scaliger in ſuis doctiſſimis coniectaneis, in explicatione iſtius Varronis: *Et in Pontificalibus libris bidentes*, vbi non ſine graui errore ſcriptum erat videntes: Certè, inquit, bidentes erant hoſtiæ, quæ & cornigeræ eſſent, & duos dentes eminulos haberent; citatque teſtimonium Feſti: *Bidentes* H *ſunt oues duos dentes longiores cæteris habentes*, additque hoc etiam Heſychij: Κεραίδες τῶν προβάτων τὰ θήλεα τὰ ἔνδον ὄδοντας ἔχοντα. Aliter, vt credit, ſi carerent illis, ἀτελεῖς erant, & ad ſacrificia ineptæ. Nam ſi bidens, inquit, dicta eſt quaſi biens, cur bidentis, non bidennis, aut biennis dicitur? Atqui magis aperit etymum, quod & ambidentes apud veteres vocarentur. Sed id requirebatur in hoſtia, vt duos dentes haberet cæteris longiores, quemadmodum & in tauro τελείῳ, vt diuerſa cornua haberet, & patentia hæc ille. Inuenio tamen etiam apud eundē Feſtum ouem appellari ambidentem, ſiue bidentem, quæ ſuperioribus, & inferioribus eſt dentibus; Eiq; duidens hoſtia eſt bidens. Quia modo balare, de ouis voce propriè dicitur, Cicero, oues, vel agnos hoſtias balantes nuncupauit: Et Virgilius gregem balantum, pro ouium, dixit: Et quãuis pecus dicatur, omne id, quod humana lingua, & effigie caret, & propriè teſte Iſidoro, pecorum nomen ijs animalibus accommodari ſoleat, quę ſunt aut ad veſcendum apta, vt oues, & ſues; aut vſui hominũ accõmoda, vt equi, & boues, differatq; inter pecora, & pecudes, vt idē ait, veteres inquiēs cõmuniter in ſignificatione omnium animaliũ, pecora dixiſſe; pecudes verò tantũ illa, quæ eduntur, quaſi pecuedes? Plinius tamen pecudē ſæpiſſimè pro oue ponit, quēadmodum

Bidental.
Ambidētes.
Duidens.
1. de diuin.
Hoſtiæ balantes.
Georg. 1.
Lib. 12. c. 1.
Pecus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A admodum in primis clarum fiet, vbi agemus de vsu in medicina; & alibi inquit: *Elephantē tanta narratur clementia. contra minus valida, vt in grege pecudum*, (ideſt ouium) *occurrentia manu dimoueat*, ſed & idem pecus pecoris genere neutro, peculiariter pro oue dixit: *Eſt & in Hiſpania non maximè abſimile pecori* (ideſt oui) *genus muſimonum caprino villo, quam pecoris velleri propius*. Marcellus etiam Empiricus pulmonem pecudis exponit pulmonem ouis. Dicitur & pecu genere neutro in ſingulari, & pecua in plurali, in eadem ſignificatione, & ſimiliter pro ouibus aliquando abſolutè. *Pecu.* Actius: *paſſimq; præda pecua balabant agris*. Plautus: *Paſtor harum dormit, cùm hæ eunt, ſic à pecu balitantes*: *In Bacchid.* hinc Dionyſius Lambinus apud Lucretium, vbi in vulgatis pleriſq; ſcribitur codicibus. *Lib. 6.*

Conſimili ratione venit bubus quoque ſæpe
Peſtilitas, etiam pecudum balatibus ægris.

In nonnullis, *pecudum talaribus ægrè*, & in manuſcriptis, *pigris halatibus ægror*, non indoctè reſtituit, *pecubus balantibus ægror*. Iuuenalis addidit epithetum balans,

B *pecudem ſpondere ſacello*
Balantem. (ideſt ouem)

Et Lucretius, eaſdem *lanigeras pecudes* dixit. Martialis, *pecoriſq; maritum lanigeri*, ipſum arietem. *Lib. 2.* Virgilius, *lanigaros agitare greges*, pro totū pecus ouillum. Apud quem, vbi ait Corydon: *Egl. 2.*

Quàm diues pecoris niuei quàm lactis abundans:

illud *niuei* ad vtrumque, ad pecus, inquam, & ad lac referri poteſt: ſi ad pecus, tum quiddam maius, & glorioſius dicit: eſſe videlicet ſe diuitem pecoris, quod magnum erat, neque id tantū, ſed quod miræ cuiuſdam felicitatis eſt, candidiſſimi. Vrſinus, vocem niuei ad lactis referri malè exiſtimat iudicio Iacobi Pontani: Nititur autem Vrſinus aliquot aliorum teſtimonijs, ac inprimis Tibulli:

Et niuei lactis pocula miſta mero.

Et Athenæi: Κλέαρχός φησι τὸ μὲν ὕδωρ, ὥσπερ καὶ τὸ γάλα, λευκὸν λέγεσθαι, οἶνον δὲ, καθάπερ καὶ τὸ νέκταρ, ἐρυθρόν; ideſt, *Clearchus ait, aquam ſicut & lac album dici, vinum verò ſicut & nectar, rubrum*. *Lib. 2.* Cratinus ἐν Ὀδυσσεῦσιν, ἐςὶ πανημέριος χορταζόμενος γάλα λευκὸν, ideſt, *Toto die album paſcens lac*. Varro in Satyra Andabata, ſeu Andabatæ, ſi modo illa inſcriptio C mendo vacat:

Candidum lacte papilla cum fluit, ſignum putant partus
Quod hic ſequatur mulierem è partu liquor.

Ego verò Vrſino ſubſcripſerim, cùm Polyphemus apud Ouidium, inquiat: *Metam. 13.*

Lac mihi ſemper adeſt niueum.

Quem locum ipſemet Pontanus, Ouidium ex Virgilio tranſtuliſſe profitetur. Apud Græcos longè plura, quam apud latinos, reperio ſynonyma, quæ ordine nunc recenſebo alphabetico. *Αμνόα.* Ἀμνόα Heſychio annotante, ouis eſt, aut ſecundum alios, agnus, qui alias ἀμνὸς eſt, vt ſuo loco docebitur. βάρα eidē eſt grauedo capitis, νόσημά τι καρηβαρικόν, ſed addit Laconibus ita vocari θρέμματα, ideſt, pecora, vt modò patebit. Idem tradit Varinus, & vtriq; βαρακάκαι (fortè βαρανάκαι, vt Geſnerus iudicat) pelles caprinæ apud Celtas. βηκίοις apud Hippocratē, interpretatur Varinus προβατίοις, ſimiliterq; exponit Galenus in Exegeſi Hippoc. apud quē in multis exēplaribus ſcribitur βηκέοις. Apparet autē diminutiuū eſſe à βηκη, quę Heſychio eſt χίμαιρα, ideſt, capra, appareтq; ita dici per onomatopæiam, talē enim vocē ouium, caprarumq; eſſe ſuo D loco patebit: Et Heſychius teſtatur manifeſtè τὰ πρόβατα, (ideſt oues) dicta quoq; βῆκα, παρὰ τὸ βῆ βῆ. Hinc fortè Lacones, vt annotauit Heſychius, βεικάδες appellāt pelles pecorū quę morbo perierunt, ſed & Varinus βάιτην exponit μήλωτην diphtheram, ſiſyram. Βόσκημα idē quod pecus, ſiue animal omne, quod paſcitur. Xenophon ἔλαβεν παμπληθῆ, καὶ βουκόλια, καὶ ἱπποφόρβια, καὶ ἄλλα παντοδαπὰ βοσκήματα, ideſt, *accepit permulta, & boum, & equorum armenta, & alia pleraq; pecora*. *4. Hellen.* *Βόσκημα.* Sic & βοσκήματα θαλάσσης apud quēdam poetam legimus, pro, piſces. Eſt & βοτὸν idem, quod βόσκημα: Heſychius enim βοτὸν ait, ad omnia animalia terreſtria, volucria, aquatica, ſyluestriaq; extendi, & ſic dici ἀπὸ τοῦ βόσκεσθαι. Etymologus tamen βοτὰ exponit, πρόβατα & βοσκήματα, & Bottion ipſi Macedonū gēs eſt, & Bottia regia dicta ἀπὸ τῶν βοτῶν. i. à pecoribus, quibus abūdat, & εὔβοτος γῆ, exponitur terra paſcēdis ouibus apta. *Βοτόν.* γλωσσαὶ ἱερῶν βοτῶν, apud Cratinū, ac ouib. teſte Scholiaſte Ariſtophanis, dicitur. Γοῖτα Heſychio, & Var. eſt οἶς cū dēſo ſpiritu. Διδόης in theſauro linguę latinę exponitur bidēs, diciturq; de oue. Δίκυμα Suidæ ſunt τὰ διδυμοτόκα πρόβατα, oues quæ gemellos pariunt, vel pepererunt. *Γοῖτα.* Varinus verò ſimiliter quidem exponit, ſed mediam circumflectit. Ἔγγαλον, πρόβατον γάλα ἔχον; ideſt, ouis lac habens; quidam pro adiectiuo illud ſumentes, adijciunt ſubſtantiuum πρό-

βατον. Apud Heſychium tamen tanquam diſtincta, ſeparantur commate. Dicitur autem ἔγ- E
γαλον pro ἐγγάλακτον ea forma, qua γαλȣχεῖν, pro γαλακτȣχεῖν. Ἔρσαι Heſychio ſunt non
modò δρόσοι, verùm & οἱ ἐν τῷ χειμῶνι γινόμενοι ἔριφοι, & τὰ ἀπαλὰ τῶν προβάτων: quo mo-
do Homerus accepit, cuius verba poſtea in μέτασσαι citabimus; quo in loco Scholiaſtes quoq;
αἱ νεογναί, καὶ ἀπαλαί, ac veluti δροσώδεις, tenellæ agnæ, ac recentes adhuc à partu. Ἔυιρον Va-
rino eſt ouis mollis, fortè à bonitate lanæ, inquit Geſnerus, quaſi ἐυέριον, vt ſunt Tarentinæ, vel
Græcæ, & Scholiaſtes Ariſtophanis Ἔυερον, exponit μαλακὴν ὥσπερ σισύραν ἐυέριον, ideſt,
Θρέμμα. mollem, vt ſtragulum, è bona, & laudata lana. Θρέμμα exponitur quidem omne illud, quod
nutritur, alitur, atque educatur, veluti eſt animalium ſoboles, hominum nimirum, & beſtia-
rum; de homine Plato: Δύσκολον τὸ θρέμμα ἄνθρωπος, ideſt, *homo omnium eorum, quæ nu-
triuntur, maximo cum labore nutritur*; & aliàs dixit νεογενῆ θρέμματα παιδῶν, ideſt, *infantes,
qui recens nati, nutriuntur, & educantur*: Quo loco notandum, θρέμματα παιδῶν, dicere pro
παῖδας τρεφομένȣς. Sic & Plutarchus dixit θρέμματα παλλακῶν, pro παλλακὰς τρεφομένας, vt
rurſum Plato dicit τρέφȣσιν ὀρνίθων θρέμματα, pro τρέφȣσιν ὀρνίθας τȣ̀ς τρέφεσθαι εἰωθότας. So- F
lent enim aues quædam nutriri, & ſaginari, quæ nimirum eſui ſunt. Verùm θρέμμα de alijs
etiam beſtijs dicitur, quas homines in ſuos vſus alunt, & redditur pecus: ſic Etymologus Bœo-
tiam regionem πολυθρέμματον vocat, ideſt pecoribus abundantem: Nonnunquam & ſpeciali
Lib. 9. nomine bos, equus, ouis. Athenæus: ἦν δὲ καὶ παλαιὸς νόμος τῆς ἐπιγονῆς ἕνεκα τῶν ἑκατὸν θρεμ-
μάτων, μὴ σφάττειν πρόβατον ἄπεκτον, ἢ ἀτόκον. ideſt, *Erat lex antiqua, quæ ouem vetabat occidi
intonſam, & quæ nondum pepererat*, in eos qui centum oues poſſidebant, ſobolis gratia. Et apud
Plutarchum in Apophthegmatib. τῇ νήσῳ προσβαλόντες, τῶν θρεμμάτων τινὰ ἀπέσπασαν, di-
citur de ouibus Polyphemi: Quomodo & Chryſoſtomus de ſacerdote pro ouibus hoc vocabu-
Lib. 7. lum vſurpauit. At θρέμμα Σελινȣ̃ντος σεμνȣ̃ Archeſtr. apud Athenæum vocauit χρυσόφρυν pi-
Ἴαρειον. ſcem, ſiue auratam. Ἴαρειον Heſychius, & Varinus exponunt ouē, aut bouē: Quā vocem in alijs
Lexicis non reperio: Geſnerus rectè meo iuditio ab ἱερεῖον factam tradit: quo nomine vocatur
quoduis animal immolandum, per excellentiam verò bos, vt Euſtathius annotat: Ouem verò
etiam ſignificare conſtat, nō ob id tantùm, quòd ex præcipuis eſſet victimis, verùm etiam quia
etiam pro pelle ouilla ſumitur, vt ijdem oſtendunt his verbis: ἱερεῖον, & poeticè ἱερήϊον, κώδιον,
Iliad. χ. ideſt, pellis ouina, in qua ſignificatione etiā vtitur Homerus ἐπεὶ ȣ̓χ ἱερήϊον ȣ̓δὲ βοείην, ἀρνυσθην,
ideſt non enim ouillam, aut bouillam pellem curſus præmium capiebant. Κώδιον autem, pel- G
Κώδιον. lem ouinam eſſe etiam Pollux teſtatur, apud quem etiam κώδων, κωδάριον, ἀρνακὶς (ideſt pellis
agnina) ſynonyma ſunt; & Heſychius κώδιον interpretatur σκύλλον (fortè σκύλον) ἢ δέρμα
προβάτȣ χωρὶς σώματος hoc eſt pellem corporis exteriorem, alias κωδία ſiue κωδεία, & κώδυα
Κὰρ. Hippocrati pro capite papaueris accipiuntur. Κὰρ, Varino ouis eſt, eidemq; ac Heſychio κὰρ
φθεὶρ, eſt προβάτȣ εἶδος, hoc eſt, ouis genus, quam vocem corruptam eſſe conſtat, & poſt κὰρ
diſtinguendum, vt ſcilicet ea vox ab alijs φθεὶρ, ideſt pediculus, ab alijs ouis interpretetur, id
quod ex ſequentibus etiam confirmatur in Heſychio rurſus exponēte κὰρ: κὰρ, θάνατος, φθεῖ-
ρον (φθεὶρ potius) πρόβατον, γένος καρικὸν; eſt enim etiam κὰρ nomen gentile, Cares enim ſunt
populi Ionibus, & Doribus finitimi, quorum regio dicitur καρία, accipiturque rurſus κὰρ, pro
Carico mancipio, ſeu pro homine nauci, & nihili, qualis Carum gens, quæ alijs ſeſe mancipa-
bat, vnde etiam Heſychius καρὸς αἴσῃ exponit non ſolum θανάτȣ μοίρᾳ, ſed etiam μισθοφόρȣ
μοίρᾳ, quoniam primi Cares fuerint μισθοφόροι, ideſt, mercenarij. Apud eundem Heſychium H
κὰρ etiam eſt μεγάλη ἀκρίς, ideſt, magna locuſta, vt annotat Henricus Stephanus in appen-
Iliad. π. dice. Apud Homerum verò κὰρ ponitur pro κάρη per apocopen, ῥέȣσαι ἐξ ὀρέων ἐπὶ κὰρ, ideſt,
ex montibus in caput deuoluuntur; vbi alij ſcribunt ἐπίκαρ Heſychius tamen habet ἐπὶ κὰρ,
exponens ἐπὶ κεφαλὴν, & addens per hoc indicari τὸ κατωφερὲς τȣ̃ ῥεύματος. Contrà apud
Hippocratem ἀνάκαρ, exponitur, ſurſum verſus, in accliue; quidam tamen ἀνάκαρ in ſuperio-
rem partem, vt ἐπικὰρ in inferiorem, interpretantur. Pro ἐπίκαρ dicitur etiam κατωκάρα, quā
vocem Budæus ſcribit apud Philonem, indicare τὰ φυτὰ, quòd capita habeant humi defixa.
Κὰρ autem cùm accipitur pro oue, vox eſſe videtur ab Hebræis deſumpta, quibus Car, vt modò
Κάρα. patebit, hoc animantium genus denotat. Κάρα verò Heſychio, & Varino eſt, αἲξ ἥμερος, πολ-
λυῤῥήνιος ὑπὸ Γορτυνίων, ἄλλοις δὲ ἡ συκῆ. Ἴωνες τὰ πρόβατα καὶ τὴν κεφαλὴν λέγȣσι; Ideſt, capra
domeſtica, & ſecundum Gortynios (Cretæ populos) ouibus abundans, ſecundum alios, ficus;
Κάραννος. ſecundum Iones, oues, & caput. Eiſdemq; Heſychio, & Varino κάραννος eſt hædus, & καρανὼ
Κάρνος. capra Cretenſibus: Κάρνος verò, φθεὶρ, βόσκημα, πρόβατον, ideſt, pediculus, pecus, & ouis.
Καρὸς. Καρὸς, βοσκημα, φθορὰ, pecus, corruptio. A Καρνός fit καρνοστάσιον, idem quod ouile, cau-
la, ſtabulum ouium, nimirum, σάβλος ὅπȣ τὸ κάρνον ἵσαται, vbi notandum monet Hen-
ricus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ricus Stephanus, Hesychium mutato genere, dicere, τὸ κάρνον, (qui & paulò ante à Galatis,
seu Gallis καρνὸν vocari dixerat τὴν σάλπιγγα, idest, tubam, pro quo Eustathius habet κάρνυξ: *Tuba Galatica.*
Nam pagina 1139. recensens aliquot tubarum species, tertiam dicit esse Galaticam, quæ à
Celtis vocetur κάρνυξ.) Idem & κάρκαρα exponit μάνδρας. μάνδραι autem ipsi sunt ἕρκη, φραγμοί, ὗλαι συκὼι βοῶν, καὶ ἵππων, idest, stabulum, septum, claustrum boum, & equorum. Κεραΐδες *Κεραΐδες.*
Hesychius, & Varinus exponunt τῶν προβάτων τὰ ἔνδον ὀδόντας ἔχοντα, hoc est oues intus dẽtes habentes: Quidam verò teste Henrico Stephano peculiariter κεραΐδας esse volebant, vermes cornu infestantes, qui nempe sic legebant apud Homerum: *Odyss. Φ.*

τόξον ἔνωμα
Πάντη ἀναστρωφῶν πειρώμενος ἔνθα, καὶ ἔνθα
Μὴ κεραΐδες ἔδοιεν. Idest,

Arcum mouebat,
Penitus reuoluens experiens huc, & illuc
Ne cornua vermes edissent.

B Vbi pro κεραΐδες rectiùs fortassis legetur, quemadmodum etiam legit Spondanus κέρα ἶπες,
& nos etiam in opere de insectis; Est enim ἴψ vermiculus peculiariter cornibus infestus, quamuis Theophrastus ἶπα in vitibus noxium vermem faciat: Nam cum Alcæo rectiùs puto distinguemus, vt ἶπες sint, qui cornua rodunt, ἶκες verò qui vites. Est item κεραῒς salacissima quædam *Ips.*
auicula, à qua Medeam κεραΐδα vocat Lycophron, vt vulgaria Lexica tradunt ex eius Scholiaste. In loco autem Homerico, quem modò citaui, nonnulli, vt Henricus Stephanus ex Eustathio notauit, pro κέρα ἶπες; legebant κεραΐπες, à κεραΐψ, vt κεραΐπες (inquit) essent vermes cornua redentes. Apud Hesychium, vbi legitur, ἴψ, εἶδος σκώληκος κρεατοφάγον, legendum κερατοφάγον. Μὰ Varinus Phrygibus dicit esse πρόβατα, idest, oues. Vox ficta videtur à voce, *Μὰ.*
à qua nimirum apud Latinos mamma, apud Græcos μαμμᾶν puerorum balbutiẽtium sonum
edere, & μάμμη, idest, auia. μέτασσαι Suidæ sunt τὰ ὕπαρνα πρόβατα, idest, oues agnos sub *Μέτασσαι.*
vberibus habentes. Rectius Eustathio μεσήλικες per Epenthesin syllabæ τὰ, pro μέσαι, idest,
mediæ ætatis inter agnos, & iam grandiores natu oues; Vtitur autem eo vocabulo Homerus:
C *Odyss. I.*

Χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι
Χωρὶς δ' αὖ ἕρσαι. Idest:

Separatim quidem natu maiores, separatim minores,
Separatim agni recens nati.

Μῆλα communiter omnes sunt quadrupedes, propriè verò pecora minora, &, vt ait Hesychius *Μῆλα.*
κατ' ἐπικράτειαν, τὰ πρόβατα, καὶ αἶγες; & Homerus μῆλα etiam vocat capras, vt hoc in
versu:

Μῆλ' ὄϊές τε καὶ αἶγις ἰαύεσκον.

Et nos, inquit Varinus, Melotam quoq; vocamus pellem caprinam (alij quamuis pellem me- *Melota.*
lotam dici aiunt,) & rursus μῆλα, inquit, Homerus, vocat omnes quadrupedes, ὡς ἀπὸ μέ- *Odyss. P.*
ρους, idest, per Synecdochen partis pro toto: non enim solas oues mactabant proci, sed sues
etiam pingues, & capras, & boues armentinos. At verò Henricus Stephanus in hoc Home- *Odyss. Ξ.*
ri loco:

ἕκαστος ἐπ' ἤματι μῆλον ἀγινεῖ
Ζατρεφέων αἰγῶν, ὅς τις φαίνηται ἄριστος.

vnusquisq; in die pecudem fert
Saginatarum caprarum quæcunque appareat optima.

Per excellentiam verò dicitur de ouibus absolutè; vnde μηλόβαι, & μηλοβάται Hesychio sunt
D ποιμένες, idest, ouium pastores, quas voces mendæ suspicione non carere, putat Henricus Stephanus. In quo significatu legimus apud Homerum μηλοβοτῆρας; & in Epigrammatibus μηλοβότας: μηλόβοτος verò ab ouibus depastus, & apud Hesychium, & Varinum, μηλόβοτον πεδίον, campus est, in quos benè pascuntur. μηλονομεὺς, & μηλονόμος, opilio siue pastor ouium. μηλονομεὺς etiã accipitur pro quodã bruchi genere; est & μηλάτης ouiũ pastor, & μήλατα sunt oues: Vnde μηλάτων ἀπάργματα, quę verba Eustathius in exemplũ affert, authoris nomẽ subticẽs, sed vidẽtur ex quopiã Tragico sumpta. Affert autẽ genitiuũ hũc μηλάτων in exemplũ Metaplasmi. At in Lexico habetur nominatiuus singularis μήλατον: quẽ ego, inquit Henr. Stephanus, testimonio quopiã idoneo posse confirmari nõ puto: sed temerè potius ascriptũ ab aliquo fuisse, tanquã nimirũ μήλατον necesse esset dici, si μήλατα diceretur: Varro τοῦ μήλου Etymologiam tradit his verbis: *Ad Oetæ arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ, vt in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Libya ad Heſperidas, vnde aurea mala, id eſt ſecundum antiquam conſuetudinem capras & oues, quas Hercules ex Africa in Græciam exportauit. Ea enim ſua voce Græci appellarunt μῆλα. Nec multo ſecus noſtri ab eadem voce, ſed ab alia litera Bela vocarunt. Non enim me (Mee) ſed bee ſonare videntur oues vocem efferentes, à quo poſt belare dicunt, extrita ε litera, vt fit in multis.

Bela.

Οἶς.

Lib. 4. de generat. animal. cap. 3.

Οἴς duabus ſyllabis à Varino vertitur ouis fœmina, aitq; ab Atticis etiam οἶς proferri monoſyllabum, & in maſculino quoq; genere; Ita certe Ariſtoteles τὸν οἶν dixit, τὸν κριὸν, id eſt, arietem, vt οἰὶ κηρύττοντι, id eſt, arieti arietanti. Apud Suidam locus in vocabulo ὄϊς à librarijs corruptus eſt, idem tamen rurſus ait, ὄϊς ὄϊος ſine diphthongo poeticum eſt, ὄϊς verò contractum commune, cuius genitiuus οἰὸς vltimam acuit, vt differat ab οἶος, id eſt ſolus. Apud Homerum quidem nunquam reperias οἶς monoſyllabum in recto caſu, ſed ὄϊς diſſyllabum: In obliquis etiam niſi carmen impediat, diphthongũ nõ facit, vt ἐϋστρόφῳ οἰὸς ἀώτῳ: & ſanè aptius ſcribitur diſſyllabum, neq; enim vllum tale monoſyllabum reperitur, præter hoc ipſum οἶς Atticum & φθοῖς. Homerus: Τοῖσι δ' ὄϊς λάσιος, & rurſus Νῶτον ἔθηκ' ὄϊος. Apud Heſychium, vbi ſcribitur οἷς, πρόβατον, ἢ τοῖς ἑαυτοῦ, ἢ τοῖς σοῖς, Geſnerus monet ſine ſpiritu ſcribendum eſſe, ſi ita interpreteris, nam cum tenui ſpiritu inquit ſignificat ouem, cum denſo, tuis, vel ſuis, ſine ſpiritu vtrumuis: ſic οἰῶν etiam in genitiuo plurali idem Heſychius exponit μόνων, προβάτων. αἰγῶν, quod vt rectè fiat, οιων ſine accentu ſcribi oportebit, & hoc quidem animaduerſo multę in græcorum lexicis interpretationes alioqui ineptæ excuſabuntur: Sic apud Hebræos ſine punctis ſcripta diuerſis exponuntur modis. Tantum Geſnerus. Ὄϊς diſſyllaba vox Ionica eſt, ſed Attici vnica ſyllaba dicunt τὰς οἶς, & in ſingulari τὸν οἶν, Iones ὄϊν, vt author eſt Scholiaſtes Ariſtophanis. Eſt & οἰὶ Atticus datiuus, ὄϊ Ionicus datiuus, vt patet Ariſtophanis Pace, vbi pro ſtatua pacis conſecranda ſacra faciunt ὄϊ; Et cum Trygeus moneret, hanc vocem eſſe Ionicam, chorus ſubijcit: Melius ita quadrare, ἵν' ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ὡς χρὴ πολεμεῖν λέγῃ τις, οἱ καθήμενοι ὑπὸ τοῦ δέους λέγωσ' Ἰωνικῶς, οἴ &c. Vbi Scholiaſtes οἴ vocem ſcribit eſſe lugentium & indignãtium. Et Varinus ait ab οἶς accuſatiuus Atticus eſt οἶν, monoſyllabus itidem, & maſculinus, Communis verò ὄϊν, poeticus ὄιδα ab ὄϊς (ſic legit Geſnerus, non ὄυς ὄϊδος) aſſumpto ι, vnde & caſus plurales ὄϊδες, οἶς; ὄϊδας οἶς. At verò Henricus Stephanus, cùm diſſyllabi exempla primo loco poſuiſſet ex Homero, Theocrito, Xenophonte, & Ariſtotele, ſubdit. Triſyllabum autem Ionicum eſſe, idq; ait teſtari etiam Ariſtophanem in Pace; οἶς & οἶν alioſq; caſus biſyllabos eſſe Attica, vt, inquit, Heſychius & alij teſtantur, adducens Homeri multorumq; aliorum authoritates. Vtcũq; eſt à Græco ὄϊς, ouem antiquos dixiſſe teſtatur Varro, quoniam ouis ipſis ita vocaretur, non vt nunc, πρόβατον. Atqui Ioannes Goropius Becanus tradit græcorum ὄϊν, & latinorũ ouem dici à Cimbricorũ Oi, quo ouis vocabulo apud illos audire ait. Audio tamen apud Belgas, & potiſſimum Batauos Oi pṛdicari priuatim de ariete. Iam verò quemadmodum μηλωτὴ pellis eſt ouilla, nimirum παρὰ τῶν μήλων; ita etiam ὄα ab Heſychio exponũtur μηλωτή, καὶ ἡ σὺν τοῖς ἐρίοις δορὰ, ἡ δὲ ἐν τοῖς ἱματίοις ὦα id eſt, ouilla pellis, & corium ſimul cum ipſa lana, aut etiam fimbria ſiue ora in ipſis veſtibus. Varinus ὄα rectè ſcribi ait per ο, ὦα verò cum ω per ectaſin vtrumq; pro melota ſiue diphthera. Et Suidas etiam ὦα interpretatur melotam diphtheram, & fimbriam veſtis. Ὤιαι Heſychio, & Varino ſunt μηλωταὶ, λάγναι, ἄκραι, ἔσχατα, id eſt, pelles ouillæ, oræ. Apud Heſychium ὦα ſcribitur paroxytonum. ὦα verò circumflexum apud veteres Atticos per ſynalæphen pro οἰέα, qua voce vtitur Hermippus apud Varinum in μῆλα, & in ὄα. ὥρα μάττειν ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς, καὶ τὴν ὦαν περιδεῖσθαι περὶ τὴν ὀσφύν. Hoc obiter ſe animaduertiſſe ſcribit Geſnerus, ὦαν à pleriſq; ſcribi ſine ι. quod tamen orthographia ſubſcribendum monet: Legitur & ὤϊα. Et Heſychius, & Varinus ὠεὰ exponũt μηλωτὴ, ὦες, κώδια, ὠεσχαὶ, μηλωταὶ, βαῖται, ἤγουν δερματῖναι; Et apud Varinum ὄιαι tribus ſyllabis ſunt diphtheræ, melotæ; ſed Heſychius habet ὦιαι biſyllabum (vt Suidas quoq;) Idem & Varinus ὀϊὰς interpretantur τῶν προβάτων τὰ σκεπαστήρια δέρματα, hoc eſt, pelles quibus oues propter pretium lanæ teguntur, vt puriorem eam conſeruent, vnde & pellitæ nuncupantur. Eademq; pellis apud eoſdem ἑώα (Heſychius aſpirat) uocatur, ἡ τοῖς προβάτοις παρατιθεμένη διφθέρα. Cælius ait ſeſe inueniſſe, pellẽ qua ſuccingebantur mulieres in balneis, uel qui illas abluebant, uocatam fuiſſe ὦα lutrida, nũc verò oam per ſe, ſic verè dici ſolere Melotam, hoc eſt, pellem ouillam, indeque probabile eſſe fluxiſſe nomen, hoc eſt ἀπὸ τῆς ὄϊος, id eſt, ab oue. At Pherecrates inſtrumẽta pædotribices enumerans, ait: ἤδη μὲν ὦαν λουμένῳ προζώννυται, id eſt, iam oam præcingit ei, qui lauaretur, vt nõ ſolùm mulieres, ſed etiam viros ὦας pudendis adhibuiſſe appareat. Deſumpſit hæc Cælius ex Polluce libro 7. cap. 13. & lib. 10. cap. 47. Cæterùm militibus, inquit ibidem Pollux, ὦα etiam pro mactra ſeruit, quod Hermippus inſinuat, in militibus dicens. Νικᾷ δὲ ὦα λιθίνην μάκτραν, hoc eſt, præſtat autem oa (ſcilicet pellicea mactra) lapideæ mactræ. Grammatici μάκτραν interpre-

Ouis vnde dicta.

Lib. 4. Hermat.

Ὄα.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A terpretantur vas idoneum subigēdæ farinæ Pollucis verò verba sunt: ὦα τὸ ἐξωτάτω τοῦ χιτῶνος ἑκατέρωθεν. λίγνα δὲ (λεγνα potius) τὰ ἐν τῷ ἱματίῳ ἑκατέρου μέρους, οὐχ ὥσπερ ᾤα. τὴν ὤαν δὲ καὶ ὤαν λέγουσιν. Quibus verbis hic sensus constitui videtur, ὦα vocatur extrema pars tunicæ vtrimque, superior scilicet circa collum, & inferior, vbi fimbriæ aliquando assuuntur. Apud Suidam οἶξ exponitur αἴξ ἤ, πρόβατον, & apud Hesychium, & Varinum ὄρεσι, προβάτοις. Ποίμνη non quidem ouem, sed ouium gregem significat, vt apud Homerum de Insula quadam Cyclopea: Οἶξ. Ποίμνη. Iliad. I.

> οὔτ' ἄρα ποίμνῃσι καταΐσχεται, οὔτ' ἀρότοισιν, idest,
>
> *Neque tamen gregibus continebatur, neque arationibus.*

Attamen ait etiam βόσκειν μηκάδας αἶγας, idest, *pascere capras mugientes*. Sophocles in Aiace: ἐν ποίμναις πιτνῶν, idest, in ouium greges irruens Diuus Paulus: τίς ποιμαίνει ποίμνην, καὶ ἐκ τοῦ γάλακτος τῆς ποίμνης οὐκ ἐσθίει; Idest, *Quis gregem pascit, & ex lacte gregis non edit* Sic ποίμνας ποιμαίνειν, idest, *ouium greges pascere*, Apollonius dixit, quod Plato ποιμαίνειν τὰ πρόβατα, Herodianus autem id verbum sine adiectione casus loquens de Maximino, posuit, B pro oues pasco, vel opilio sum. ποιμαίνων ἐν τοῖς θρακίης ὄρεσι, idest, *pascens in Thraciæ montibus*. ποίμνιον idem quod ποίμνη, nimirum grex ouium, aliquando tamen etiam alios quoque greges sub se comprehendit, ut testatur Eustathius, & indicat Plato inquiens ποίμνια, καὶ πρόβατα. Vtraque item uox allegoricè accipitur de grege ouium Christi. Lucas. μὴ φοβηθῆτε τὸ μικρὸν ποίμνιον. Petrus: Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον. Sic ποίμνη apud Matthæum: Διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης, *dispergentur oues gregis*, nimirum percusso pastore Ioannes γενήσεται μία ποίμνη, καὶ εἷς ποιμήν, idest, *fiet vnus grex & vnus pastor*. Sunt etiam, qui interpretentur ouile, ut idem sit cum ποιμνήιος σταθμός, & ποιμνήιος σηκός, idest, stabulum ouili gregis. Inuenio etiam apud Heliodorum ποίμνας προβάτων. Oppianus uerò ποιμενίων καὶ αἰπολίων ὀλετῆρα, lupum cognominat. Poetæ autem pro ποίμνην ποιμνήιον, dicunt. Πρόβατα quasuis pecudes, & pecora significant, cùm alioquin oues peculiariter eo designentur. Sic Gal. cõm. 1. in lib. de art. πρόβατα dici Hippoc. scribit, ἅπαντα τά βοσκήματα, pecudes, aut pecora omnia, ut & apud Hom. πολλὰ δὲ οἱ πρόβατ' ἔσκε, i. *multa sunt illi pecora*. Vbi Gal. πρόβατα indicari uult ἀγέλας βοσκημάτων, hoc est pecudū gregē, armentū, eaq; notione, hanc uocē priscis C vsurpari. Et Scholiastes ibidē scribit, priscos omnes quadrupedes πρόβατα, vt & Hesych. τετράποδα, i. quadrupedes exponit: quod & Suidas facit, & apud Herodotū πρόβατον usurpatur pro omni pecore, ita, ut etiā uaccas cõprehendat, & idē Scholiastes Hom. Quadrupedes oēs, inquit, prisci πρόβατα nominabant διὰ τὸ πρὸ τῶν οπισθίων βάσεων, ἑτέρας ἐμπροσθίους ἔχειν (forte πρὸ τῆς τῶν οπισθίων βάσεως, ἑτέραν τῶν ἐμπροσθίων) Hinc & Hesiodus ait, χαλεπὸς προβάτοις, χαλεπὸς δ' ἀνθρώποις. Plerię; uerò etiam πρόβατον interpretantur, quasi πρόβασιν, quod rerum earum quæ ad victum faciunt, opulentiam significat. Scholiastes verò Homeri etiam exponit πρόσοδον, ἀπὸ τοῦ προβαίνειν, vnde peculiariter πρόβατα dicta videntur. πρόβασις quoque pecorum, aut armentorum possessionem, aut gregem indicat, & τὰ διὰ ποδῶν προβαίνοντα, vt scribit Eustathius. Homeri Scholiastes τῶν τετραπόδων κτῆσιν exponit, vt & Hesychius, τὴν τῶν βοσκημάτων κτῆσιν Πρόβατα etiam apud Hippocratem, Erotianus quadrupedes omnes exponit, cùm scribit: πρόβατα, οὕτω κοινῶς καλεῖ πάντα τὰ τετράποδα νῦν, idest, πρόβατα nunc communiter vocat quadrupedia omnia: quam certè dictionem ea in notione multis in locis vsurpat Hippocrates, vt libro περὶ φύσεως παιδίου ὁμοίως δέ καὶ τὰ πρόβατα, & θηρία τε, καὶ τὰ ὄρνεα, D idest, *Eodem modo se habent pecudes, & feræ, & volucres*: Hic enim pecudum genus indicat, vt & libro περὶ σαρκῶν: καὶ ἀποπατέει ἐπειδὰν γένηται τάχιστα, καὶ οἱ ἄνθρωποι, καὶ τὰ πρόβατα, idest, *Celerrimè tum homines, tum pecudes, vbi natæ sunt, aluum exonerant*. Et in libro de aere, locis, & aquis: ἕπονται δὲ αὐτέοις, καὶ τὰ πρόβατα ἐόντα, καὶ αἱ βόες, καὶ οἱ ἵπποι, idest, *eos autem sequuntur, & pecora, & boues, & equi*. Vbi oues tamen accipiunt interpretes. Sic libro de morbo sacro: οὐ γάρ ἐστιν αὐτοῖς ἄλλο πρόβατον οὐδὲν ἢ αἶγες, καὶ βόες, idest, *neque enim vlla alia ipsis sunt pecora præter capras & boues*, (sic enim legit Gal comm. 1. in lib. de artic. cum προβάτιον passim legatur) Etsi ibidē πρόβατα oues significare vidētur, γνοίη δ' ἄν τις τόδε μάλιστα τοῖσι προβάτοισι, τοῖς καταλήπτοισι γινομένοισιν ὑπὸ τῆς νόσου ταύτης. i. *Id ipsum autē quā maxime cognoscet ex ouibus hoc morbo correptis*: Vbi tamen pecudes etiam intelligi possunt, libri quoq; περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν (pag. 199. 43.) δοκέει δὲ καὶ ἐν ἀνθρώπῳ γένεσθαι τοιαῦτα πολλῷ μᾶλλον, ἢ ἐν προβάτοισιν. Idest, *videntur autem talia potius hominibus contingere, quàm pecudibus*. de tuberculis pulmonis agitur, quæ pecudibus, & quadrupedibus fiunt, vt illic scribitur, vnde hydrops nascitur. Libro de artic. (pag. 587. 15.) ὅτι πάντων τῶν προβάτων βόες ὅτι μάλιστα πονέουσι ταύτην τὴν ὥρην, idest, *quod ex omnibus pecudibus boues, hoc tempore quàm maximè laborant*. At ve-

Epist. 1. ad Corinth. c. 9.
Lib. 2. Argon.
Lib. 1. de Rep.
Lib. 7.
Ποίμνιον.
Cap. 12.
Epist. 1. c. 5.
Cap. 26.
Cap. 10.
Πρόβατα.
Iliad. ζ.
Iliad. M.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

rò ibidem (pag. 608.23.) Ἐγὼ δέ ποτε πνεύμονος προβάτου ἀπότμημα ἐνέθηκα. ideſt, *Ego ve-*
rò aliquando pulmonis ouilli fruſtulum reſectum impoſui. Sic enim de pulmone ouillo in nares
fractas immittendo ſumpſerunt interpretes, cùm de alijs pecudibus etiam accipi queat. Velut
libro περί αἱμοῤῥοΐδων (pag. 520.41.) οὐδὲν γὰρ χαλεπώτερον, ἤπερ προβάτου δειρομένου τὸν δάκ-
τυλον μεταξὺ τοῦ δέρματος, καὶ τῆς σαρκὸς περαίνειν. Ideſt, *Neq; enim maiore negotio id fiet, quàm*
ſi dum pellis oui detrahitur, digitum inter pellem, & carnem medium immittas. Etſi de quauis
pecude intelligi poteſt. Similiter etiam libro 2. περὶ γυναικ. (pag. 267.12.) in fluore muliebri
albo. καταῤῥέεται ὁκοῖον προβάτου οὖρον, ideſt, *defluit velut vrina ouilla*, dixit Cornarius, cùm
de alia pecude etiam accipi poſſit. Et in principio Leuitici legimus oues, & capras pecorum
nomine demonſtrari: Si obtuleris de pecoribus (ἀπὸ προβάτων) agnum vel hædum, vel ouem,
ſiue capram. Et nos deniq; ſuprà ex Varrone diximus πρόβατον cùm pro oue accipitur vocem
non eſſe antiquam, ſed antiquos οἶν dixiſſe. Nihilominus poſtmodum πρόβατον pro oue per
excellentiam poſitum eſt, quia ouis pacis tempore immolabatur, tanquam quieta, & ſimplex,
tamque frequens ea vox facta eſt, ut etiam latini, quamuis pro pecore potius, quàm oue; ea
vterentur. Plinius, *In eadem Africa familias quaſdam effaſcinantium Iſogonus, & Nymphodo-*
rus tradunt, quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes. No-
Probatum. tandum verò etiam apud Pindarum vſurpari de equis; quandoquidem præſepe equorũ Dio-
medis vocat προβάτων τράπεζαν, vt teſtatur Ariſtophanes Grammaticus apud Euſtathium:
Ἀπρόβατον diminutiuum eſt προβάτιον, vt ab oue ouicula. προβάτιον verò atticum eſt. He-
Probatũ piſcis. ſychio, & Varino προβατήματα ſunt πρόβατα. Eſt item πρόβατον nomen piſcis marini apud
Aelianum, de quo ſic ſcribit: *In latebris abditæ latent maris incolæ oues* (τὸ πρόβατον) *& hepati,*
Lib. 9. c. 38. de animal. *& à piſcatoribus Propentis nominari ſoliti: ij quidem quamuis natura maximi videantur, tamen*
ad natandum ſegnes ſunt. Non enim à ſuis latibulis longè aberrant: Imò verò circum ea ipſa ſem-
Πῶϋ. *per volutantur. Infirmioribus piſcibus adnatantibus inſidias faciunt.* Πῶϋ, quam vocem Hen-
ricus Stephanus deducit à πάω, πῶ, quod eſt poſſideo, apud Homerum paſſim ſignificat gre-
gem, vt πῶϋ οἰῶν, & πώεα οἰῶν, vt Iliad. Ο' πῶϋ μέγ' οἰῶν. & Iliad. γ. Ο'ς' οἰῶν μέγα πῶϋ. Et
Heſychius, & Varinus exponunt πώεα, βοσκήματα, ποίμνια, alioqui etiam per ſe exiſtimatur
Ῥῆνες. dici, vt Henricus Stephanus annotauit, de grege ouium, ſeu ouili. Ῥῆνες Heſychius exponit, ἄρ-
νες, πρόβατα, & Ρήνεα, πρόβατα, οἶα. Geſnerus ῥῆνες propriè ait eſſe agnos, Synecdochicè ve-
rò oues, vnde compoſita πολλύῤῥηνες, hoc eſt, vt in theſauro exponitur, qui multas poſſident
oues, aut generaliùs, etiam multa pecora. Item εὔῤῥην Etymologo eſt ὁ καλλιπρόβατος, ideſt,
pulchras ferens oues, ſeu pulchras agnas. Pro ῥῆνες legitur etiam ἀρῆνες, vnde apud Pauſaniam
ἀρηνοβοσκὸς vt citat Varinus, apud Sophoclem, vt Heſychius, eſt ὁ προβατοβοσκὸς, additque
Varinus etiam reperiri ἐρενοβοσκὸς & apud eundem inuenitur etiam, ἀρενοβοσκὸς, & ἀμφί-
Hippocrates correctus, & expoſitus. βοσκὸς, ſed neutrum probat Geſnerus. Apud Hippocratem vbi legitur, καὶ εἰρηνικὰς ἀμφὶ τὰ
σκέλεα ἑλίσσειν, Cornarius vertit, *tegumenta cruribus circundato:* Caluus, *faſcia lanea crura*
munire, ita vt hic εἰρινέους δεσμοὺς legiſſe videatur. Fortaſſe (inquit Anutius Fœſius) εἰρινέας κνη-
μῖδες intelligi poſſint, vt ſint tibialia lanea ad arcendum tibiarum frigus. Aut certè εἰρινέας le-
giſſe videntur, ab ἔριον vel εἰρίον, quod lanam ſignificat, vnde tegumenta aut faſcias laneas ſub-
audiunt: Verùm mihi non parum ſuſpecta eſt hæc lectio, ac vereor, ne ῥήνικας legendum ſit, ita
locus à Galeno exprimatur in Exegeſi, cùm ῥήνικας ἀρνακίδας, hoc eſt, pelles agninas exponit.
Quæ certè commodùm ad prohibendum frigus cruribus circundabuntur, velut braccæ femo-
ra muniunt: quemadmodum libro περὶ ἐπικυήσιος, ἀρνακίδας προστιθέναι θερμὰς, hoc eſt, pel-
les agninas cum villis & lana ventri in ſuffitu muliebri admouere iubet, ad arcendum frigus, &
fumum ne exſpiret, continendum. Sed & alibi in eodem opere (lib. 5.) apud Hippocratem pro-
νικοῖσι pro ῥηνικαῖσι, vitiosè legitur, vt repoſuimus ex manuſcriptis codicibus: ἐπικαταδεῖν δὲ
εἰρίοισιν οἰσυπηροῖσι καὶ ῥηνικαῖσι, *Lanis verò ſuccidis, & pellibus agninis circundare oportet:* ſic ῥη-
νέσι, ἄρνασι exponit Galenus in Exegeſi: pro quo ῥημέσιν & ῥίνεσιν vitiosè legũt exemplaria quæ-
Σφάγιον. dam. Idem & ῥηνὸς, ἀρνὸς exponit. Hæc omnia Fœſius. Σφάγιον Heſychio, & Varino eſt, πρό-
βατον, θῦμα, ἢ ἐν ᾧ τὸ τῶν ἱερείων ὑποδέχεται αἷμα τόπος, ideſt, ouis, victima, aut etiam locus, in
Lib. 10. quo victimarum ſanguis excipitur: in qua poſteriori ſignificatione vſurpat etiam Pollux, vbi
Cap. 18. coquinaria quædam vaſa recenſet, καὶ σφάγιον, inquit, ὃ ὑποδέχεται τὸ αἷμα τῶν ἱερείων: & rur-
ſus de libatorijs vaſis loquens καὶ σφάγιον, εἰ θύεις, ὃ ὑφέξεις τῷ τῶν ἱερείων αἵματι. Aliàs & σφα-
γεῖον dicitur, & à Suida itidem exponitur, τὸ τοῦ αἵματος δεκτικὸν ἀγγεῖον; additque à poeta vo-
cari ἀμνίον. Frequentiùs tamen σφάγιον accipitur pro victima, ſiue pro omni beſtia, quæ immo-
labatur: Thucidides, Μάντες σφάγια πρῦ ὲφερον τὰ νομιζόμενα, ideſt, *Aruſpices ante expeditio-*
Lib. 6. *nem victimas mactabant.* Σφαγία verò Heſychio, & Varino eſt ἡ τῆς ἱερουργίας ἡμέρα, dies quâ
ſacra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A sacra fiunt iugulatis mactatisq; victimis: vnde & σφαγιάζομαι, idest, victimas iugulo, siue sa-
crifico. Iisdem ὕπαρνος est ποίμνη ἄρνας ἔχουσα, quo loco, vel ποίμνη priuatim ouem significat, *Ὕπαρνος.*
vel ἀρνὸς latiùs patet. Lexica vulgaria ὕπαρνος exponunt ouem, idque ex Euripide, vt annota-
uit Henricus Stephanus. Petrus Victorius asserit suos Agricolas in uillaticis gregibus oues quę *Lib. 3. var.*
non conceperunt, χέρσους appellare, nimirum μεταφορικῶς, quo etiam modo Sophocles, ubi *lect. c. 11.*
calamitosum illum regem facit, de aduersis suis rebus queri, filias suas similiter χέρσους nuncu- *Χέρσος.*
pat, cum aliàs χέρσος sit inculta terra. Hebræi quoque uaria, ac diuersa nomina habent, qui- *In Oedip.*
bus ouem, aut genus ouillum intelligunt. Zon scribitur, inquit, Pagninus, aleph quiescente: cō- *Tyr.*
muniter hæc dictio, & legitur cum vau; & significat communiter minuta animalia, ut oues, & *Hebraica.*
capras. Et ut inquit Rabbi Dauid, capitur interdum pro particulari aliqua specie, ut puta pro *Zon.*
oue tantum, aut solum pro capra, quandoq; complectitur utrumque: Interdum est commune *In libro ra-*
uocabulum omnium minutorum animalium: Quandoq; & de grandioribus, ut puta de bobus *dic.*
dicitur, vt exemplis commonstraturum Pagninus sese ait. Inuenitur pro eodem Zoneeh, psal-
mo 18. Septuaginta pro Zon sæpe transferunt πρόβατα, Hieronymus oues, Amos 7. In prin-
B cipio Leuitici legimus oues, & capras pecorum nomine demonstrari. *Si obtuleris de pecoribus*
(ἀπὸ προβάτων) *agnum, vel hædum, & ouem, vel capram*, Geneseos 4. Chaldæus, Ana transfert,
(vertunt enim Syri aliquoties Zade in Ain) Arabs Genas, Persæ Gospand. Seh nostri inter-
pretes plerumque ouem reddiderunt: Significat autem pecora minora, nempe oues, & capras,
tum fæminas, tū mares; Inuenitur & in masculino, & in fæminino genere. In masculino, Exod.
12. Seh tamim redditur agnus integer: In fæminino Ieremiæ 50. Seh phesura, vertitur grex *Seh.*
dispersus, vnde conijci potest, in fæminino esse nomen generale, in masculino verò priuatum.
Rachel, vnde plurale Rachelim, Rabbi Isaac, interpretatur Kapsah, idest, vt vertunt, agnam,
& Dauid Kimhi similiter; aiunt tamen propriè esse ouem fæminam, vt Kebesch marem, à quo
tamen fæmininum Kipsah. Esaiæ 53. legimus Rachel nee, Lamah, quod interpretantur ouis *Rachel.*
obmutescens. Geneseos 31. Septuaginta pro Rachel vertūt πρόβατα, Hieronymus oues, Chal-
dæus rachlak, idest oues tuas: Arabs akalak. Persa chomeschan thu. Kesithah septuaginta,
Genes. 33. & Iob 42. interpretantur ἀμνάς, Hieronymus agnus, & ouis, Abraham Esra, agnus,
vel ouis parua, author concordantiarum, moneta quædam, Augustinus Steuchus, denarius, vel
C obobus: Nicolaus Lyranus, obobus, & D. Kimki, & R. Salomon ex sententia R. Akiba, qui te-
statur se profectum in Arabiam, audiuisseque quòd nummum, vel potius denarium, & Siclum
vocarint Kesithah. Taisch plurale Teiaschim Abraham Esra Genes. 30. exponit pecus macu- *Kesithah.*
losum, & varium, septuaginta τράγους, idest, hircos; vt & D. Hieronymus, Geneseos 32. om-
nino pro hircis accipitur, vt ait Gesnerus, qui scribit quosdam sese audiuisse arietes, vel totum
genus ouium interpretari, quod tamen non probat, vt in hirco dicetur. Et Munsterus ait, Tai-
schi esse arietem, vel secundum alios, hircum minorem, qui antecedit gregem ouium; & facilè
ascendit rupes & loca alta, Prouerbior. 30. Plurale esse Teiaschim hædos, Geneseos 30. Bel-
lunensis aldan exponit ouium in vtroque sexu (videtur autem Dan à Syris pro Zon Hebraico. *Aldan.*
Sade mutato in Daled) Alliat caudarum ouium; Hara garien stercus pecorum, & Syluaticus
garien pecora, Gesnerus verò ait sese meminisse, quod legerit oues hodie à Saracenis Ganame *Ganame.*
dici. Albertus, alijque nonnulli à nabis quo nomine Aethyopes Camelopardalin intelligunt,
Anabula vocem detorsisse videntur, pro eodem animali, quamobtem non benè audiunt apud
eruditos, quāquā etiā eos defenderit aliquis, quoniā Ana Chaldaicè vt puto, ouē significat, cùm
D Camelopardalis ouis fera à Plinio etiā appelletur, est tamē Alberto Ana longè aliud animal, de
quo sic scribit: *Ana animal dicunt esse orientis validissimis dentibus, acutis & longis, & vngui-* *Ana Alber-*
bus acutis perquàm sæuum gregarium, & valde amans quæ sui generis sunt, animalium, alienis *to quale ani*
infestum. Si quod enim alterius generis accesserit animal, gregatim resistunt, & vel fugant, vel pe- *mal.*
rimunt; dentibus & vnguibus se defendit ita, vt solitarium etiam ab aliquo robustiori deprehen-
sum plerumque euadat. Sed prosequor synonyma. Ouis Hispanis est oueia, Gallis brebis, voce *Synonyma*
mutuata, vt scribit Perionius, à Græcorum πρόβατον, mutato π. in suam mediam b. Ait autem *vulgaria.*
hoc nomen ferè fæminas significare, nam mares (inquit) montons, & eas quibus testes execti *Oueia.*
sunt, beliers nuncupant; & primum à membro dictum est; vnde mutonatos veteres dixere eos, *Lib. de orig.*
quibus insigne erat membrum. Illud autem à latino verbo arietis ortum est. Colon, & merca- *ling. Gall.*
tores totum genus ouium vno appellant nomine, nempe omaille, à nomine Græco μάλλος, *Bribis.*
quod vellus significat, vel à μῆλος, idest, ab oue. Idem testatur ouem Gallis oueille appellari, *Omaille.*
seu potius ouegli à diminutiuo eius, nempe ab ouicula mutato c, in g. Germani schaaff dicunt;
& in quibusdam Germaniæ locis referente Gesnero oues fæminas maecherling: lactarias, hoc
est quæ lactis gratia aluntur, taeschle: in Sueuia & fæminam quæ agnos & reliquas oues ad
pascua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

paſcua ducit, ein ouvv, cuius plurale euvv. Inferiores verò Germani, ſiue Belgæ Schaepdi-
cunt, Angli Scheepe, Scoti priſca lingua teſte Hectore Boethio in deſcriptione Scotiæ heirth,
(quo nomine Germani ferè ceruum intelligunt) Illyr. ouuczt, vel skop. Incolæ Madagaſcar,
Aries vnde dictus. vt ſcribunt Bataui in diario nautico, agarone. Atque hactenus de oue, ſequuntur Syno-
nyma maris, hoc eſt arietis, quem ab aris Iſidorus dicit ait, propterea quod hoc pecus à
Lib. 4. de lingua lat. Gentilibus primò mactatum, atque in aris immolatum ſit. At Varro arietem dictum ſcribit,
quòd eum dicerent veteres ares, noſtri aruiga, inquit, *hinc aruigus, hæ ſunt, quarum in ſacrifi-
ciјs exta in olla, non in veru coquuntur, quas & Actius ſcribit, & in pontificalibus libris videmus
in hoſtijs eam aruigem, quæ cornua habet, quoniam is cui oui mari teſticuli dempti, & ideo vt na-
tura verſa veruex declinatum*. Hæc Varro. Sed, vt ait Turnebus, addere debuit Varro, vtrum
Romani, an Græci ſcilicet ares dicerent, & veteres, inquit, latinos intelligere videtur, quia
veteribus græcis erat ἄρην. Et Ioſephus Scaliger eodem loco pro aruiga ſcribendum putat
Aringa. aringa, citatque hoc Heſychij: Ἄριχα ἀῤῥεν πρόβατον, quæ ſcriptura, inquit, reponenda in Fe-
ſto, & Donato, apud quos mendoſè aruga, & Haruga legitur. Græci κριόν vocant, ἀπὸ τοῦ κέρως
Κριὸς. (aliàs κάρα) vt Macrobius ſcribit, quoniam maximè cornibus valet. Suidas verò & Varinus
aiunt: Κριὸς ὁ τὸ κάρα ἱέμενος, ὡς ὁ δὲ κορύπτων Ἤλαυν' ὀπίσω, hoc eſt, aries qui capite irruit ve-
luti qui arietans, aut ſimiliter capite irruens inuaſit à tergo. Aliqui verò deriuant παρὰ τὸ κε-
κρίσθαι τὰς τρίχας, quod in eo ſeligantur pili, Διαφέρουσι γὰρ αἱ τρίχες τοῦ κριοῦ τῶν ἄλλων, hoc eſt,
differunt autem crines arietis ab alijs, vt addit Etymologus. Deduxeris verò etiam, quæ eiuſdē
Etymologi coniectura eſt, παρὰ τὸ κρείειν καὶ ἡγεμονεύειν τῶν προβάτων, hoc eſt, quod regat, &
ducat oues. Equidem Aratus primam producit, ſicut & Homerus bis odyſſæa 9. & Diony-
ſius Afer.

Ἄλλοι δ' ἐξ ἀγέλης κριοὶ, ἄλλοι δὲ καὶ ἀμνοὶ, hoc eſt,
Alij verò ex grege arietes, alij verò agni.

Quam etymologiam non obſcurè corroborare apparet Theophylactum in epiſtolis dum ait:
ὁ ταξίαρχος τῶν προβάτων, ὁ θαυμαςός μοι κριὸς ἀπόλωλε, καὶ ποιμαντικῆς ἡγεμονίας χηρεύει τὰ
θρέμματα: Ideſt, *Dux ouium mirabilis aries, mihi perijt, & pecora paſtorali imperio orbanit.*
Probatur, & Cælio etiam prius allatum etymum: Nam & inde κριὸς ἀσελγόκερως nuncupa-
tur, hoc eſt, non vt Suidas, μεγαλοκερώς, ſed vt Heſychius, ὁ ἐξυβρίζων τοῖς κέρασι, cognomina-
tur. Atque hinc etiam Græci κριὸν, & Latini arietem nuncupant machinamentum bellicum,
Aries, machina bellica. quod in oppidorum muros, quemadmodum ipſum animal vel in homines, vel in ſui generis
alium, arietabat, de quo etſi paſſim multa apud authores diuerſos legantur, non fuerit tamen
præter noſtrum inſtitutum, de eo paulò fuſiùs agere, nimirum ex Iuſto Lipſio, apud quē Ora-
Lib. 3. Poliorcet. dial. nus; arietis, inquit, origo vetus, ſed parum certa: Cum pars ad Græcos & Epeum referant, in-
ter quos Plinius: *equum qui nunc aries dicitur, in muralibus machinis, Epeum inueniſſe ad Tro-
iam*; pars ad Tyrios, ideſt, Carthaginenſes, inter quos Vitruuius: *Primùm ad oppugnationem
arïes ſic inuentus memoratur. Carthaginenſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt: cùm
autem caſtellum antè cepiſſent, id demoliri ſunt conati: poſteaquam non habuerunt ferramenta
ad demolitionem, ſumpſerunt tignum, idque manibus ſuſtinentes, capiteque eius ſummum mu-
rum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines deijciebant, & ita ex ordine totam munitio-
nem diſſipauerunt.* Ego ſi quis arbitrum petat, Vitruuio magis accedam, quàm Plinio; Si enim
Græcorum res, & iam inde à Troiano bello, cur Homerus non meminit, ille fons, & theſaurus
rerum artiumque? Cur multis ſeculis nemo poſtea? Nec probabile eſt rem tam præſentanei
vſus ſemel repertam, ſubito deperiſſe. Vbicunque autem ſic dixere à ſimilitudine, & recipro-
Carcamuſa. catione ictus arietini: Dixit deterior ætas Carcamuſas opinor à ſono. In obſidione Pariſienſi
Abbo: *Arietes, Carcamuſas vulgo reſonatos*: eadem, aut ſequens etiam cancrum, neſcio an à ſi-
Cancer. militudine aliqua fabricæ, aut quia itentidem retroiret, ſed aries iſte non vniformis, aut ſim-
plex: triplicem reperio, eſt rudis, & à prima inuentione, quem manibus lacertiſq; validi homi-
nes ſuſtinent & agunt, talis in columna Traiani ſic pictus extat, & Daci eo vtuntur. Poſſet
Lib. 1. huc duci illud Lucani, apud quem miles iactat:

Tu quoſcumque voles in planum effundere muros
His aries actus diſperget ſaxa lacertis.

Et hoc Sidonij:

Nec Pharij nunc regna precor, nec vt hiſce lacertis
Frangat hydaſpeas aries impactus eritras.

Aries compoſitus. Lacertorum vtrobique mentio, & ſi hi quoq; in ariete compoſiti adhibiti, de quo addo: Cōpo-
ſitus enim mihi eſt, qui trabem quoq; alteram iungit & ſtatuit, à qua pendulus vi maiore, co-

natu

A natu leuiore, vibratur. Hunc quoq; Pœnis suis Tertullianus primitùs repertum asserit: *& Arie-*
tem (inquit) *nemini adhuc libratum illa dicitur Carthago, studijs asperrima belli, prima omnium*
armasse in oscillum penduli impetus, commenta vim tormenti de bile pecoris capite vindicantis.
Cùm enim oscillationem ei tribuit, manifestè compositum hunc demonstrat. Sed & Vitruuius
idem cum eo, qui vult statim à rudi illa inuentione, fabrum quẽdam Tyrium nomine Pephas-
menon hac ratione inductum, malo statuto altero ex eo vti trutinam suspendisse, & reducẽdo,
& impellendo vehementibus plagis Gaditanorum murum deiecisse. Hic in plurimo vsu, &
inter Romanorum opera ex professo Iosephus Flauius descripsit tertio Excidij: *Est*, inquit,
aries, trabs prægrandis, quæ malum nauis adsimilat. Is solidatur in capite graui ferro, in arietis
formam, vnde & nomen adsumpsit. Dependet medius funibus suspensus ex alia trabe velut truti-
na, quæ trabs tignis vtrimq; firmis munita est, & fulta. Repulsus porro magna virorum manu re-
trorsum, ijsdemque antrorsum statim, & cum impetu reflectentibus, quatit muros prominulo fer-
ro. Neque est vlla turris tam valida, aut mœnia tam lata, quæ, vt primas maximè plagas tulerint,
sustinere, & subsistere assiduas eas possint. Hæc Iosephus. Nec pigebit per verba eius ambulare,
B & lucem, aut fidem ijs dare: Ait, *trabs prægrandis quæ malum nauis adsimilat*, imò ex ipsis na-
uium malis interdũ lecta & adsumpta. In Agellio, P. Crassus, cùm opus esset firma, ac procera *Lib. 1. c. 13.*
trabe, qua arietem faceret, scripsit ad magistrum architectona Moleatensium, vti ut ex duobus
malis, quos apud eos uidisset, uter maior esset, eum mittendum curaret. Ammianus genus ar- *Lib. 23.*
boris materiemq; distinxit, *Eligitur abies, vel ornus excelsa.* Sane excelsa. Et Plutarchus inter
Antonij machinas bello Partico memorat arietem longitudine pedum LXXX. At Vitruuius,
ac Græci formant & pedum CVI. imò, & CXX. quos ex vno ligno fuisse vix putem Porrò hæc
prima Iosephi, Hegesippus laxè ita reddit: *Magnitudo arboris in modum mali naualis quam non*
ventorum procella, non velorum sinus flectant. Pergit Iosephus. *Graui ferro in arietis formam.*
Ita & Ammianus: *Cuius summitas duro ferro concluditur, & prolixo arietis efficiens prominu-*
lam speciem, quæ forma huic machinamento vocabulum indidit. Hegesippus diffusiùs; *nomen*
hoc species dedit, eò quòd validæ, ac nodosæ arboris caput ferro vestitur, & quod vt frons arietis
prætenditur, quæ obductis laminis turgescit, & prominet. E cuius medio quasi cornu procedit ferri
solidioris. Notate. Primum caput arboris ferro tegitur, & affigitur laminis paulò longiùs: An-
C trorsus in acumen producitur, quod cornu Hegesippus dixit. Nec enim aliter eius verba ca-
pienda censeo, neque res fuit. Ammianus alibi hoc acumen vocat: *Vicit* (inquit) *omne prohi-* *Lib. 20.*
bendi commentum acumen arietis, coagmenta fodiens lapidum. Atque is finis, & opus præcipuũ
arietis fuit, cum grandiores, firmioresque lapides, more prisco muris inderentur, iuncturas pe-
netrare, & findere, & lapides emoliri. Lucanus:

Nunc aries suspenso fortior ictu
Incussus, densi compagem soluere muri
Tentat, & impositis vnum subducere saxis.

Hoc acumen, & ferrum, ἐμβολὴν siue rostrum etiam Græci dixerunt, notante Suida: Et fuit *Lib. 3.*
interdum trifidum, quadrifidum in mucrone, vti solent nauium rostra. Ijdem communius, &
κεφαλὴν siue caput, sicut latini. In Iosepho historiala huic rei est. *Quidam* (inquit) *Iudæus Elea-*
zarus nomine, periculum imminens ab ariete iam admoto muris videns, lapidem prægrandem ita
violente iecit, vt caput machinæ diffringeret (ὥστε ἀπορράξαι τὴν κεφαλὴν τοῦ μηχανήματος) *quod*
cùm vidisset, descendit etiam de muris, & magno stupore hostium, id secum in mœnia tulerat, nisi
quod quinque sagittis confixus vnà cum ipso capite iterum decidit. Quod ita legendum, exau-
diendumq; est, non vt totum caput (graue id fuit) sed decussam anteriorem eius partem, tule-
rit sic raptim in Vrbem. At Iosephus: *Dependet medius funibus suspensus ex alio trabe.* Quę sic
Hegesippus; *Ea arbor suspensa funibus, ad superiora, atq; robusta arborum nexis multorum ma-*
D *nu validè in murum impellebatur*; Sed variat à Iosepho, quod ab arboribus nectit, ille ab vna
arbore: Sensus tamen est, vel ab vna media, transuersaq; arbore pependisse, quam duæ aliæ su-
stinerent, vt in iugo, aut patibulo, siue à duabus reclinatis, & vtroque capite coniunctis. Quod
dicere ita putatur: *Suspensis vtrimque transuersis asseribus, & ferratis quasi ex lance vinculis*
trabis alterius continetur. Vbi ferratis etiam vinculis, siue catenis cum nectit: ad funes tamen
Iosephus, & Hegesippus dixerunt; sed quid vetat ad firmitudinem catenas etiam fuisse: Has
trabes, & ligaturam Lucanus intellexit:

-unc coniunctas astringere nodis
Instadat, ferroque trabes, quo frangeret altos
I' tarum postes, quateretq; morantia claustra.

An non e..dem Ammianus, dum scribit, arietem vetustum dissolutum fuisse, vt facilius vehe- *Lib. 20.*
retur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

retur, iterumque inſtructum? magis hoc eſt, quàm vt ipſum trabem ſolutilem intelligamus. E
Pergit Flauius: *Repulſus magna virorum manu*. Quantum manum ſcilicet admittebat longi-
tudo. Nec enim niſi ordo virorum vnus vtrimque admoueri potuit: Et ſingulis ad ingreſſum,
& motum, minimùm dandi duo pedes: Sed recens ſcilicet manus manui ſuccedebat, eratque
perpetuus hic ictus: Ita arietes non ita multi inſtructi, etiam in magna obſidione, & plures ta-
men adhibiti ad miniſteria, aut tutelam, Appianus in Punico: *Oppugnandæ Carthagini duos
vaſtos arietes admouet, quorum alter à ſex mille peditibus impelleretur, alter à ſociorum nau-
lium multitudine.* Titus ad Hieroſolyma tres arietes habuit, ex Ioſepho, tot quot legiones. Nō
quia tota legio in dirigendo, aut impellendo occupata, ſed intuendo, curando, per vices admi-
niſtrando; Denique claudit Ioſephus: *Neque eſt vlla turris tum valida, aut mœnia tam lata, &*
Obſeruate vim machinæ, quæ magis elucеſcat, ſi cogitentur veterum muri, validi hercules ſu-
pra noſtram fidem. Atqui aries tamen tractu, & tempore diſcuſſit. Ideo exterminatorium in-
Inſtrumentum exterminatoriū. ſtrumentum Paulus Diaconus dixit. *Exterminatorio inſtrumento facto, quod arietem vocant,
ciuitatem adeptus eſt.* Sed & alio latere, exterminatorium, quia his admotum ſignum perden-
dæ Vrbis, vbi hodie mos aut lex eſt durius in eos conſuli, qui tormenta expectarint, ſic olim
Lib. 17. qui arietem. Cicero in offic. *Et cum ijs quos deuiceris, conſulendum eſt, tum hi qui armis poſitis
ad imperatoris fidem confugiunt, quamuis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt.* Cæſar: *Re-*
Lib. 2. de bello gall. *ſpondit ſe magis conſuetudine ſua, quàm merito eorum Ciuitatem conſeruaturum, ſi priuſquam
aries murum attigiſſet, ſe dedidiſſent, ſed deditionis nullam eſſe occaſionem, niſi armis traditis.*
Lib. 3. Atque hic eſt compoſitus aries, quod ſic in Ioſepho: προσῆγον κριὸν γέῤῥοις τε διηνεχέσι, καὶ κα-
θύπερθε πεφραγμένον δέῤῥει, πρός τε αὐτῶν καὶ τοῦ μηχανήματος ἀσφάλειαν. Ideſt, *Produxere
Arietem vineis tectum, & supernè corio munitum, ad ſuam, machinæ tutelam.* De vineis apud
Lib. 4. Propertium etiam eſt,

Dumque aries cornu murum pulſabat aheno
Vineaq; inductum longa tegebat opus.

Teſtudo arietaria. Longa, inquit, vinea, & in Ioſepho διηνεχῆ γέῤῥα, ideſt, *perpetuæ crates*. Etſi pro hiſce tegu-
gumentis receptum etiam, vt ſolida teſtudine totus aries tegeretur; teſtudo arietaria, vel teſtu-
Lib. 10. do aries dictus. Hunc quoq; Carthago reperit. Et Vitruuius ita: *Cetras Charcedonius de ma-
teria primùm baſin ſubiectis rotis fecit, ſupraque compegit arrectarijs, & iugis varas, & in his
ſuſpendit arietem, corijſque bubulis texit, vbi tutiores eſſent, qui in ea machinatione ad pulſandum
murum eſſent collocati, id autem quia tardos conatus habuerat, teſtudinem arietariam capit ap-
pellare.* Totam ipſe eam deformat, & minutè, ac menſurate, vt architecti videatur, de eadem
Vegetius: *De materia, ac tabulatis teſtudo contexitur, quæ ne exuratur incendio corijs, vel cili-
cijs, centonibuſque veſtitur, hæc intrinſecus accipit trabem, quæ aut adunco præfigitur ferro, &
falx vocatur: aut certè ipſius caput veſtitur ferro, & appellatur aries. Teſtudo autem à ſimilitu-
dine veræ teſtudinis nomen ſumpſit: quia ſicut illa modò reducit, modò profert caput, ita machina-
mentum trabem.* Intelligi à Claudiano aliquis dixerit.

Tum tua murali libretur machina pulſu,
Saxa rotet præceps aries, protectaque portas
Teſtudo feriat, ruat euerſura iuuentus.

Lib. 1. Gothicon. Nam potius à teſtudine ferire facit, quod non niſi ab iſta poteſt; niſi ſynecdochicè hi capiendi,
qui ſub ea latent. At certò eam adhibet & deſcribit Procopius in rebus Vitigis; & poſteriore
Cancer. æuo Colmarienſe Chronicon, in quo Cancer appellatur. *Poſt hæc Cancrum ad ciuitatem per-
duxerunt. Fuit cancer inſtrumentum magnum, fortè pariter, & ponderoſum. In eo trabs ma-
gna, pariter longa in vna parte groſſa, in altera parte parua. In groſſiori parte, ſiue in capite fuit
ferro forti circumdata, & in fronte ipſius Cancri fortiſſimè colligata. Trabs hæc ſupra quædam
inſtrumenta iacuit, quo faciliter moueretur.* Poſtrema verba de Cylindris intelligenda viden-
Cap. 11. tur, de quibus & in Vitruuio legitis, atque etiam in Herone: Illum eundem videte alijs etiam
Cap. 15. 16. & 17. in locis apud eundem, vbi ſimul plures arietes etiam ſuſpendit: Cancri nomen habuit à regreſ-
ſione, & reciprocatione in ictu: An & quia in obliquum moueretur, & peteret?, an quia teſtu-
do ignota Germaniæ ipſi finitimum, & teſtaceum animal ſuppoſuere? Iam verò & Helepolis
Helepolis. Lib. 23. arietis quædam etiam ſpecies videtur ex Ammiani deſcriptione: *Pro* his, inquit, *arietum ma-
chinamentis, crebritate iam deſpectis conditur machina ſcriptoribus hiſtoricis nota, quam Hele-
polin græcè cognominamus. Cuius opera diuturna Demetrius Antigoni filius, Rhodo, alijſque vr-
bibus oppugnatis, Poliercetes eſt oppugnatus: ædificatur autem hoc modo. Teſtudo compaginatur
immanis axibus roborata longiſſimis, ferreiſque clauis aptata, & contegitur corijs bubalis, virga-
rumque recenti textura, atque limo aſperguntur eius ſuprema, vt flammeos detrudet, & miſſilis
caſus.*

casus. Conseruntur autem eius frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ, ponderibus ferreis granes, qualia nobis pictores ostendunt fulmina, vel fictores, vt quicquid petierit, aculeis exsertis abrumpat; Hanc ita validam molem; rotis, & funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admouei concitis, & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes. Quamuis autem hæc machina testudo videatur arietaria; Ex Vitruuio tamē, Plutarcho, & Diodoro constat (etsi inter se varient, & dissideant,) turrim fuisse, sed multipliciter & magno opere instructam, quinimò disertè ab testudine arietaria separat Appianus in Mithridatico: Χώματα δὲ πολλὰ ἤγειρε, καὶ μηχανὰς ἐπήγνυτο, πύργους καὶ χελώνας κριοφόρους, ἑλέπολιν ἑκατὸν πήχεων, ἐξ ἧς ἕτερος πύργος ἐπῆρτο, καταπέλτας, καὶ λίθους καὶ βέλη ποικίλα ἀφιείς. Idest, *Aggeres multos struxit.* (Rex Mithridates ad Cyzicum) *& machinas confixit, turres, & testudines arietarias, & helepolin centum cubitorum è qua & alia turris surgebat, catapultas, lapides, & varia tela emittens.* Lubet modò etiam verba Heronis, quibus arietem in testudine describit & suspendit, obiterq; alia genera adiungit, & tangit, hic addere, ne quid ad clariorem doctrinam deesse videatur, quod lector de ariete desiderare possit. Ea autem sunt à Barocio ita versa: Verùm principis Bisantij familiares arietem cubitorum centum, & viginti iuxta longitudinem faciebant: Ab ipsius autem calce iuxta crassitiem quidem pedalem, in latitudinem ferè palmorum quinque: In anteriori autem parte coarctabant ipsum in pedalem latitudinem, & trium palmorum crassitiem: Helicas ferreas quatuor qui sese in longitudinem ad decem cubitos extendant, in anteriori parte clauis affigentes: totumque arietem tribus funibus, octo iuxta crassitudinem, circumquaq; digitorum existentibus, succingentes: ac loris eum circulariter ligantes, iuxta medium tribus quidem interuallis, quatuor verò sustentaculis constringebant. Funes verò, qui ab alijs cãnabinis funibus ab arietaria machina pendentibus, arietem ipsum sustinent, atque inferunt, à ferreis contextis catenis initium sumebant: At scalam etiam nauticam faciebant assere in arietis elatione anterius clauis affixo, habenteque rete contextum iuxta crassitiem sufficiens, & iuxta distantiam quatuor, vel etiam plurium digitorum foramina habens, vt facilè supra murum ascendatur. Appendebant autem ipsum, & mouebant in testudine rotis octo prædita: quippe quæ iuxta quidem internam pauimenti longitudinem quadraginta duo: Iuxta verò latitudinem viginti octo cubitos habeat. Ipsa præterea quatuor crura, quę in pauimento ad altitudinē iuxta angulos affigũtur, ex duobus simul iunctis lignis singula faciebant, longitudinē habentia singula cubitorum viginti quatuor, & in crassitiem palmorum quinque, iuxta verò latitudinem vnius cubiti existentia; In superiori verò arietariæ machinæ parte, thoraceum tanquam sepimentum struebãt, vt in ea tutè stare possent spectantes ea, quæ aduersus arietem ab aduersarijs mittuntur. Eiusmodi autem arietem sexies mouebant destruentes à septuaginta cubitis altitudinis, rursusq; ad latera ad septuaginta cubitos peruertentes: à centum autem viris allatus mouebatur. Totum verò quod mouebatur pondus, talentorum ferè quadringentorum erat. Sciendum autem est, quod arietum alij quidam à virorum multitudine reguntur, iuxta quorundam antiquorum mechanicorum opinionem: Alij verò à contra nitentibus lignis distenduntur, alijq; demum funibus per cylindros propelluntur: Possunt autem quandoq; etiam funibus circumuolutis adductionem, & reuersionem facientes, percussionem efficere. Verùm ad artificem spectat iuxta magnitudines arietum decentem quoque operationis vsum, at motionem excogitare. Hæc itaque omnia ex Lipsio. Hoc idem instrumentũ bellicum Torquatus Tassus latino nomine meminit: *Cant. 11.*

Cosi la torre soura, e più di sotto
L'impetuoso il batte aspro Ariete,
Onde comincia homai forato, e rotto
A discroprir le interne vie secrete.

Alicubi tamen Italica voce vtitur, montone; *Cant. 18.*

E in numero infinito anco son viste
Catapulte, Monton, Gatti, e Balliste.

Metaphoricè autē hæc eadē machina accipitur pro oppugnatione argumentorum. Cicero: *Nã iacere telum voluntatis est, ferire quē nolueris fortunę: Ex quo aries ille subijcitur in vestris actionibus.* *In Topic.* Sic affectionum titillatus arietes D. Hieronymus, vt annotauit Cælius, quibus quatitur fides, quos Euangelij retundēdos astruit muro. *Lib. 27. cap. 24.* Eleganter etiam Theodoricus Rex apud Cassiodorum, ait: *Atq; ideo sociata debetis præparatione contendere, vt præsenti diligentia futuri laboris euadatis incommoda. Hæc est.n. ciuilis euersio, sine oppugnatione dissidium, aries, vt ita dixerim, fabricarum.* *Epist. 38.* Est etiam κριὸς siue Aries, signum cæleste, ideo positum, vt ait Honorius in libro de imagine mundi, & Macrobius, quia sicut aries tota æstate in dextro latere, ac to- *Aries signũ cęleste.* *Lib. 28. c. 2.*

ta hyeme in ſiniſtro cubat: Sic Sol ſub iſto ſigno gradiens dextram cęli partē perambulat. Cæ- E
Lib.1.c.9. lius verò arietem cæleſtem ideò κριὸν dici tradit, quia cùm in eo fuerit Sol, inter diem, &
noctem quodammodo indicat, quod κρίνειν, inquit, nuncupant: & quòd in eo ſigno inter hye-
mem poſitus, & æſtatem, ipſe rurſus indicetur. Idem Cęlius cùm oſtendiſſet mundum verno
tempore potiùs quàm autumnali fuiſſe conditum, proindeq; factum eſſe ait, vt principem in
ſignorum duodecim limbo locum aries habere credatur: Quippe in genituris omnibus, inquit,
cælum medium, principem habet locum: Nam & ex hoc totius genituræ fundamenta colli-
gunt. Inde concinnè admodum ex hoc ſigno reliquis omnibus initium factum, præſertim cum
ſtellarum pars maxima, ſed & lumina vtraque, Sol, ac Luna radios ſuos in hoc collimarint.
Lib. 1. Aſtron. Aſtipulatur & Manilius.

Vt ſit idem mundi primum quod continet arcem.

Et mox: *Aurato princeps aries in vellere fulgens.*

Author tamen eſt Theon, ab ariete ordiri Aegyptios, quod ſigna omnia cum membris reſpon-
ſum habeant, ac analogum: quippe eſſe caput arietem, cōiectant, quoniam in capite ſit animæ
principatus, & ouium dux ſit aries. Porrò quia in eo ſigno æquinoctium contingit, quo argu- F
mento mundanæ originis coniectant pleriq;, aſtrologos ad Solis in arietem introitu de totius
anni fato pronuntiare; At verò etiam Ioannes Stæflerus Iuſtingenſis Mathematicus, quare in
ſignorum ordinatione, Aries ſit primum ſignum circuli Zodiaci, rationem adducit Ptolomæi
in quadripartito; *Quapropter* inquientis, *cum circulus ſignorum naturali careat principio, velut*
Tract.1.capit.10. *& omnis circulus; illius principium ſignum vernalis æquinoctij, quod eſt Aries, poſuere: Ab illo ſit-*
licet initium ſumpſere à quo complexio creſcit humida: Sicut & in animatis prima pars annorum
vitæ eſt tempus, in quo eorum complexio exiſtit humidior. Vbi commentator Hali Heben Rho-
dan ſic ſcribit: *Ptolomæus vult dicere, quod circulus non habet punctum ſpecialem, vt ſit principij*
naturale, poſuerunt tamē antiqui principium à principio æquinoctij veris, & hoc eſt ſignum Arie-
tis. Et infra. *Antiqui ſecuti ſunt naturam, & inuenerunt quod humiditas temperata in ani-*
malibus eſt in principio, & propter hoc dixerunt conuenire, & naturale principium firmamenti ſit
conueniens ætati eidem, quod eſt principium veris. Et hoc quia natura facit res terrenas ſequi
corpora cæleſtia, & ſic ſemper ſunt ea ſequentes: Hæc commentator. Aliam rationem & luci-
Lib.2.c.5. diorem affert Albumaſar in ſuo introductorio, quem legito, habet enim pulchram materiam,
vnde hæc paucis extrahitur oratio: Ex quo in rebus naturalibus primò eſt generatio, & vltimò G
eſt corruptio: Et generatio longè præſtantior eſt corruptione, cùm per illam res acquirant eſ-
ſe, per hanc nō eſſe. Sed quia calidum temperatum eſt principium generationis, & motus ani-
matorum: frigidum autem contra, principium corruptionis, & diminutionis rerum: Idcirco
iuſtè ab ariete ſumpſit Zodiacus principium, & non à Libra: Cum enim Sol arietem peram-
bulat, accedit tempus temperatè calidum, & incipiunt res generari, augmentari, renouari, ve-
1.Faſtor. getabilia pullulare, teſte Ouidio:

Omnia tunc florent, tunc eſt noua temporis ætas,
Et noua de grauido palmite gemma nitet.

Contra in libra propter ſiccitatem, & frigus corrumpi, diminui, & areſcere, ſed quia generari,
augmentari, renouari, & pullulare, ſunt res nobiles, & amicæ naturæ, cōtra corruptio, detectio,
& diminutio res ignobiles, & naturæ inimicę. Pierius etiam ſcribit apud Aſtronomos arietem
pro anni principio capi, & eo notari hieroglyphico, variamque eſſe ingeniorum ſedulitatem H
iſtius rei rationem afferre conantium: Hebræis præſertim nonnullis Libram potius caput af-
ferentibus, quòd par fuerit omnia perfecta & ſeminibus fœta ſummo ab opifice creari, eo verò
tempore fruges omnes maximè maturuiſſe. Quòd verò aries inde locū occupauerit, ex lege fa-
ctum ad illius temporis ſolennitatem celebrandam, quo liberati ſunt ex Aegypto. Sed quòd
aiunt tunc temporis nonnulli, quo mundus eſt genitus, Arietem cæli medium tenuiſſe, in mun-
Vide Macrob. 1. de ſom. Scipion. 21. di quippe vertice conſtitiſſe, quiſnā id potuerit coniectare, non videre, ſe cùm in ſphærica cæli
figura, neque vertex, neque imum, neque ortus, neque occaſus, qui eodem temporis articulo
ſint ijdem, eodem momento gentibus omnibus dari potuerit. Nam niſi omnibus ea ratio gen-
tibus, inſeruiat, admittenda (inquit) non eſt. Solem verò qui dicat in hoc vel illo ſigno fuiſſe,
nemo non intelligat. Aſtronimi quidem in ariete volunt, & Virgilij doctrina non paruam his
authoritatem adiungit, dum ita ſuper verni temporis amœnitate canit:

Non alios primæ creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumuè habuiſſe tenorem
Crediderim: Ver illud erat, ver magnus habebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri,

Cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Cum primùm lucem pecudes hausere, virùmque*
Terrea progenies duris caput extulit aruis,
Immissæque feræ syluis, & sydera cælo,
Nec res hunc teneræ possunt perferre laborem,
Si non tanta quies iret, frigusque caloremque
Inter, & exciperet cæli indulgentia terras.

Arietem cæleste signum (inquit Sipontinus) aliqui putant esse illum, quo vectus est Phryxus; alij verò hunc esse arietem dicunt, qui Libero patri per deserta Libyæ exercitum ducenti, & siti laboranti apparuit, fontemque amœnissimum ostendit; quapropter Liber pater templum Ioui Ammoni eo in loco constituit, & simulachrum cum arietinis cornibus fecit, arietem inter sydera figurauit, ita vt cùm sol in eo signo foret, omnia nascentia recrearentur, quod veris tempore fit, ea maximè ratione, quod per eum Liber siti pereuntem exercitum liberauerat. Duodecim præterea signorum principem tradunt hunc esse voluisse, quòd optimus exercitus sui ductor fuisset. Sunt etiam qui scribant, quo tempore Bacchus Aegyptum tenebat, Ammonem B quendam ex Africa venisse, & pecudum multitudinem ad Liberum duxisse, quò faciliùs, & illius gratiam sibi conciliaret, & ipse aliquid inuenisse diceretur. Itaque pro beneficio agnum cia Baccho datum, qui est contra Thebas Aegyptias: & qui simulacra eius fecerunt, cornuto capite ea figurasse, vt homines memoria tenerent, hunc primùm pecus ostendisse, Bacchum verò memoriæ gratia arietem in cælum transtulisse. Hæc Sipontinus, ex Hygino; cuius verba recitabimus inter fabulosa. Ad priorem verò sententiam à Sipontino recitatam accedit Martialis, inquiens: *Lib. 10. epigr. 51.*

Sydera iam Tyrius Phryxæi respicit agni
Taurus, & alternum Castora fugit hyems.
Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbos
Ismarium Pellex Attica plorat Itin.

Quod modò spectat ad vires huius syderis, & effectus, calidæ, humidæq; est complexionis, idcirco Sol ad eum progressus ab Australi declinatione ad cliuum Septentrionalem vapores, *Arietis syderis vires.* aspirationesque vehementes, quadam vi edúcit è terra, quo fit ut pluuiæ excitentur aliquanto C frequentiores, quàm in Piscibus aut Aquario constitutus. Quo tempore aer ipse propter Solis radiorum ualdè obliquam imbecillitatem, in niuem potiùs, quàm in pluuiam resolui consueuit; Sole igitur arietem permeante, imbres & grandines excitantur, quod aer eo tempore sic afficitur, ut licet calor crescat in dies, repentino subinde frigore cōgelescat, qua ratione, qui uapor erat exhalaturus, in pluuiam frigore contractus rigescat mox in grandinem. Idcirco Ptolomæus arietem tonitruosum uocat, & grandinosum propter Solis accessum. Aiunt, qui natus est arietis facie prima, futurum ruffum, simum, uentre paruo, & stricto; habiturumque supra pedem sinistrum signum, & in cubito, manus sinistræ amicis abundaturum, & ipsum fore tenacē; sub secunda facie natos, nigredinem cum pulchritudine coniunctam habituros, habitudinem corporis futuram temperatam, iram præter modum præcipitem, malæ uoluntatis simulatores, pluribusque abundaturos hostibus. Qui ultima facie nascuntur arietis, futuros iterum ruffos, colore croceo, solitudine gaudere, aiunt autem arietem in tres facies deduci, sicut & in Zodiaco signo, primam Martem obtinere, secundam Solem, tertiam Venerem; sed & arietē in quinque partes astronomi diuidūt, & primas Ioui assignant, idcirco salutares, & beneuolas, fæcun-D das, multi feminis esse aiunt, & in his nasci probati moris homines: Secundæ partes Veneri tribuuntur; Vnde hilaritudo, inquiunt, splendor, integritas, & elegantia. Tertias dant Mercurio, vnde fit ingenij bonitas, & acumen: Quartas Marti, vnde petulantia, proteruitas, impotentia. Quintas sub Saturni tutela esse credunt, vnde dimanat sterilitas, inuidia, & nocendi studium. Cum stella Iouis in Ariete steterit, Martis domo, annum aiunt futurum Boreæ flatibus obnoxium, cum aliquantula parte Euri, hyemem frigidam, & niuosam. Post æquinoctium vernum, aerem in aquas molles, & densas mutari. Aestatem suo procedere ordine, & salubri, timendam esse ne bellorum tumultus insurgat: Futuram volucrium penuriam; Luna in ariete existēte, si primùm tonitru euenerit, consternatos, & dubię rationis quosdam in regione futuros, prognosticatur. Item futuros hostes hominumque fugam, postea verò quietum statum, vt author est Zoroastes. Est porrò Aries mobile signum, sicut & Cancer, Libra, & Capricornus, &c. Sol *Aries Solis exaltatio.* in decimonono gradu arietis suam habet exaltationem. Ptolomæus autem posuit totum arietem esse Solis exaltationem, cuius opinioni subscripsit, quicquid Philosophorū fuit, post eum. Et quemadmodum membra quædam humani corporis signis addicta sunt suis, sic etiam orbis terrarum regiones, quæ orbis ipsius membra sunt, signis fouentur suis, vt ab Ariete, sicut Pto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

lomæus affirmat, Britannia Inſula, Gallia, Germania, Baſtarnia. Ea Syriæ pars inferior, quæ κοίλη dicitur, cuius partes ſunt Palæſtina, Idumæa, Iudæa. Cum Luna arietem ſubit, balnea, & lauacra fiunt ſalubria. Hieronymus Cardanus in commentario Aphor. 15. ſection. 4. In quo Hipp. Cum volueris magis ducere helleborum, moueri iubet corpus, cùm verò ſiſti, ſomnum fieri, & non moueri: Septem dicit eſſe, quæ hoc faciunt: Et inter ea primum aſtrorum diſpoſitionem: Nam ſi Luna, inquit, fuerit in ruminantibus ſignis, quæ ſunt aries, taurus, & capricornus, facilè Medicina euometur, aut nauſeam magnam mouebit: Et ſi vomitoria ſit, per vomitum melius educet. Si in ſignis fixis, maximè Tauro, vel Leone, vel Saturno, & Ioui iuncta, aut oppoſita, vel in radijs trigonis eorum, vel quadratis, vel cum planetis ſtatibus, maximè ſiccioribus, vt ſunt Saturnus, Mars, & Mercurius occidentalis, parum, aut nihil educet. Contra applicata velocibus, & maximè humidis, vt ſunt Iupiter, & Venus, & ſtellæ ex earum natura, ac in ſignis mobilibus, quæ ſunt Aries, Libra, Cancer, & Capricornus, augebitur opus medicinæ purgantis, & ſimiliter planetæ aſcendentes, ad abſidem, & retrocedentes, ſi Luna eis applicet, aut in angulis ſint, vomitum prouocant, nauſeamque excitant.

Quæ corpus moueant.

Naues quæ arietes dictæ.

Videntur præterea κριοὶ naues quædam dictæ, quod arietis haberent inſigne, vt Lexica vulgaria annotant ex Bayfio, ſed & Pollux ait, naues quędam Libycæ (Λίβια, fortè Λιβυκὰ, vt Calcagninus etiam legit, & Rhodiginus) quas arietes, & hircos vocant: vnde Taurum etiam, qui Europam auexit, tale nauigium fuiſſe conijcimus, & Varinus in κριὸς, aliquos ſcribit Phryxum non in ariete per mare vectum dicere, ſed in naui, cuius prora arietis imaginem inſigne præferebat, ἐπὶ κριοπρώρου σκάφης. Inuenio etiam arietis ſimulacro inſignes naues apud Romanos fuiſſe, indeque arietes nuncupari.

Vas aries dictum.

Idem Varinus, & Suidas κριὸν vaſis vinarij genus faciunt: ἐν ταῖς οἰνικαῖς ἀποστάσεσι κριὸς καλεῖται τὸ κεράμιον τὸ πρῶτον, ᾧ τὰ λοιπὰ ἐπιτηρεῖται; Erant autem Ceramia vinaria vaſa teſtacea, quæ nimirum certa ad diuerſas menſuras, magnitudine fiebant, aut capacitatis ſuis notis quibuſdam, & veluti punctis interius ſignabantur, per interualla, quæ ἀποστάσεις dixerim, inquit Geſnerus, qui in hoc forſan genere vas, quod ſemel iuſta magnitudine, & iuſtis interuallis, paratum veluti regula, & archetypum aliorum obſeruabatur, κριὸν dictum arbitratur, quòd primarium, & præcipuum eſſet, & reliquæ menſuram eius ſequi deberent, vt oues ſuum ducem.

Aries ornamentum columnæ.

Eſt item κριὸς vocabulum architecturæ, authore Heſychio, quo ſignificatur ornamentum quoddam inſtar tortilis pampini, & clauicularum, ſiue capreolorum, in capitulis columnæ Corinthiæ, & Ionicæ: Volutam, & Helicen vocat Vitruuius, vt vulgaria Lexica exponunt. Heſychio eſt μέρος τι τῦ κορινθίυ κίονος.

Arietes marini.

Lib. 32. cap. 11.

Porrò arietis nomine animalia deſignantur marina: Plinius: *Vt à belluis ordiamur, arbores, phyſeteres, balænæ, priſtes, tritones, Nereides, Elephanti, homines, qui marini vocantur, rotę, orſæ, arietes, muſculi, & alij piſcium forma, arietes, delphini, celebreſq; Homero vituli.* Quo loco, quidam teſte Iacobo Dalechampio in ſuis ſcholijs, primùm à Plinio appellatum eſſe volunt animal arieti, bellicæ machinæ ſimile: Secundò verò aliud, quod ſimile ſit arieti, & cornibus, & capite.

Lib. 9. c. 44.

Idem Plinius aliàs *arietem graſſari*, ait, *more latronis, & nunc grandiorum nauium in Salo ſtantium, occultatum vmbra, ſi quem nandi voluptas inuitet, expectare, nunc elato extra aquam capite, piſcantium cymbas ſpeculari, occultumque adnatantem mergere.* Quem marinum arietem belluam marinam eſſe Rondeletius arbitratur, ſed nomine tantùm cognitam.

Lib. 9 c. 5.

Atque alibi idem Plinius ſcripſerat, *Tiberio Principe contra Lugdunenſis prouinciæ littus in Inſula ſimul trecentas amplius belluas reciprocãs, deſtituit Oceanus miræ varietatis, & magnitudinis; nec pauciores in Santonum littore, interque reliquas Elephantos, & arietes candore tantum cornibus adſimilatis, &c.* Quo loco Franciſcus Maſſarius ſcribendum eſſe arbitratur *aſſimulatis*.

Arietes marini.

Dentes elephanti cornua dicti.

Et quoniam de ambabus belluis, ſcilicet Elephantis, & arietibus ſimul loquitur Plinius, dentes, inquit idem Maſſarius, Elephanti marini hic Plinius videtur cornua appellaſſe, ne ſi dentes dixiſſet, arietes, de quorum cornibus, non dentibus ſermo eſt, ab appellatione cornuum excluſiſſe videretur. Nam ſi dentes elephantorum dixiſſet, opus fuiſſet, arietum quoque cornua vt expreſſiſſet: Sed tolerabilius Plinio viſum, vtriſque animalibus ſeruiendo, cornua appellare. Nam authores ſunt, vt Iuba, & Pauſanias (vide etiam hiſtoriam noſtram de Elephante quadrupede) qui elephanti dentes, cornua appellarunt: quod alibi etiam hac de cauſa feciſſe videtur, dentes elephanti cornua impropriè nuncupando, vt libro 18. quando ait: *Atque cùm in arbores exacuant, limentque cornua, elephanti, & duro ſaxo rhinocerotes;* ne ſi dentes elephanti dixiſſet, rhinocerotes, quod cornua, non dentes exacuunt, ſimiliter excluſiſſet. Sit ergo ſenſus, cornua harum belluarum, hoc eſt, elephantorum, & arietum, non in effigie ſiue forma, ſed in candore tantum inter ſe ſimilia ſunt, vtraque enim cornua eboris candorem præferunt. Ex quo facilè redarguuntur, qui elephantos marinos candidam promuſcida habere, prodiderunt. Poſſes, & aliter interpretari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Atari, vt cornua harum belluarum non eodem, modo, quo diximus, assimulata à Plinio fuisse credas, sed quòd cornua elephanti marini sint candore similia cornibus, siue dentibus elephanti terrestris, & ea quæ sunt marini arietis, sint cornibus arietis quadrupedis candore similia: arietis namque quadrupedis cornua sunt magna ex parte candida. Aelianus de hisce puto arietibus marinis hunc in modum scribit: *Lib. 15. c. 2.*

Marini arietes, quorum quidem nomen ,,
apud multos peruagatum est, sed non tamen historia omnino explicata, nisi quatenus à picto- ,,
ribus, ac fictoribus ostenditur. Circa Corsicum & Sardonum fretum hybernant, atque ex sum- ,,
ma aqua eminentes spectantur: Simul & maximi delphini circum eos natant. Mas aries fron- ,,
tem alba vitta redimitam habet, vt hanc vel Lysimachi, vel Antigoni, vel alterius cuiuspiam ,,
regum Macedonum diadema dicas. Aries verò fęmina, quemadmodum barbæ appendiculas ,,
gallinaceæ quasdam possident, sic ipsa cirros ex imò collo pendentes habet. Neque modo eo- ,,
rum vterq; mortua, sed & viua corpora exest, & conficit. In natando magnos fluctus facit: ,,
tempestate quam ex sua agitatione ciet, naues funditus euertit. Ac eos qui secundum mare ,,
versantur, rapit, nam qui Corsicam incolunt, dicunt virum, qui ex tempestate naufragium fe- ,,
E cisset, natandi benè peritum, vbi per multum maris natando transmisisset, circa Corsicam. ,,
Crepidinem quandam assecutum, ascendisse, ibique constitisse, tanquam periculo iam omni ,,
exemptum, atque securum; post verò quàm aries famelicus eum oculis comprehendisset, con- ,,
uolutum, agitatumq; posteriore sui parte plurimum mare concitasse, deinde ab intumescente ,,
æstu elatum, instar procellæ & turbinis hominem corripuisse. Hæc de ariete circa Corsicam. ,,
Cæterùm Oceani accolæ fabulantur veteres Atlantidis reges, qui genus ad Neptunum refe- ,,
runt, in capitibus suis arietum marium tænias gestasse, imperij insigne & reginas similiter cir- ,,
ros, quos diximus, fœminarum arietum. Tanto narium robore prædita est huiusmodi bellua, ,,
spiritum vt vehementer, & permultum anhelet, & immensum aera respiratione ad se attrahat, ,,
eaque aspiratione marinos vitulos ad hanc rationem comprehendat. Cùm enim arietem illi ,, *Vituli ma-*
nouerunt vicinum esse, ad moliendas ipsis insidias, in terram celerrimè enatantes, in specus sa- ,, *rini vt ab*
xorum conduntur. Is cognita fuga insequitur: & contra antrum stans, ex corporis odore præ- ,, *arietibus*
dam intus esse percipit, & narium illecebra quadam acri inter se, & vitulos aerem inter me- ,, *marinis*
dium attrahit. Hi tanquam vel sagittam, vel spiculum, sic sanè spirationis ipsius aduentum ,, *cõprehen-*
C declinant, & refugiunt; Tandem tamen violentissimo anhelitus ductu inuiti, & tanquam ,, *datur.*
loris quibusdam, aut funibus constricti, ex latebra extrahuntur, & strident, & ab ariete de- ,,
uorantur. Ex earum naribus enatos pilos, harum rerum periti magnos vsus afferre testantur: ,,
Hactenus Aelianus. ,,

Oppianus, ni fallor, etiam easdem belluas intelligit hoc versu:

Κριοί τ᾽ ἀργαλέοι, καὶ ἀπάσιον ἄχθος ὑαίνης, hoc est, vt vertit Laurentius Lippius. *Lib. I. ἁλιευτικ.*

Cornu aries pugnax, & sacrum pondus hyænæ.

Cæterùm etsi cornibus hanc belluam infestam esse existimem, authores tamen, qui hoc prodiderunt, habeo nullos, quare forsitan, rectiùs simpliciter vertetur, molestus, siue infestus, quo modo, nimirum idem Oppianus aliàs vsurpauit. *Lib. 3. de venat.*

Τρίγγων δ᾽ οὔτω τι πέλει κατὰ δάσκιον ὕλην
Ῥίγιον εἰσιδέειν οὔτ᾽ ἀργαλεώτερον ἄλλο.

Idest, neque infestius quicquam. Aliàs eidem Oppiano κριὸς siue piscis est, siue bellua, placidissimis moribus, vt patet ex hisce eius verbis: *Aries animal marinũ placidum.*

D

οἱ μὲν, ἔασιν
Κριοὶ μηλονόμων τιθασὸν βοτὸν, οὐδὲ θαλάσσης
Κριοῖς μειλιχίοισι συνοίσεται, ὅς κε πελάσσῃ.

Vertit Laurentius Lippius:

Est aries terræ mitis, natat æquore vasto
Mitior, vt nequeas hunc assimilare priori.

Hesychius apud Athenienses conchas asperas (nimirum murices, & purpuras, in quarum testis mucrones tanquam cornicula eminent) κριοὺς nominari tradit. Supra Pellenen, iuxta Aegiras fluuius è monte delabitur κριὸς dictus, vt ferunt ἀπὸ τινὸς κριοῦ, vt ait Pausanias in fine Achaicorum. Suidæ verò, & Varino κριὸς est Vicus Atticæ. Est & Cretæ ad occidentem, promontorium Sirenas versus eodem nomine, teste Plinio, & κριοῦ μέτωπον, idest, arietis aspectus: Eidem Plinio promontorium est in Taurica, aduersum Carambico Asiæ promontorio, per medium Euxinum procurrens CLXX. millia passuum interuallo: Et aliàs grues pontum trãsuolare scribit inter duo promontoria κριοῦ μέτωπον & Carãbin. Legimus item Thyestis sepulchrum κριὸς vocatũ. i. arietes in agro Archiuo prope quod visebatur regio Mysia, vt citat Cælius ex Corinthiacis Pausaniæ: Hic verò in agro Archiuo, inquit, Thyestis sepulchro appositus

Aries fluuius.

Aries Cretę promontorium.

Sepulchrũ Thyestæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ſpectatur lapideus aries. Thyeſtes enim inceſtu cum fratris vxore commiſſo agnam auream
Faſcia, quæ aries dicta. habuit. Eſt denique κριὸς, ſiue aries Galeno, vel quiſquis ille tandem eſt, libri de faſcijs, autho-
ri, genus faſciæ, dicenti; vinciendi rationem quandam ſimplicem eſſe, & quandam variam,
atq; hanc modo nomen inuenire à ſede, cui adhibetur, modò ab euentis, nonnunquam tran-
ſlato vocabulo à ſimilitudine animalium: à ſede, quæ vincitur, nomen trahere, oculum, naſum,
inguen, cæteraque huius generis: Ab animalibus Cancrum, accipitrem, arietem, leporem, te-
ſtudinem: Sed ab euentis vallum, ſeu coniunctum, ſeu diſiunctum, operculum, habenam, & quę
his ſimilia ſunt. Modò cætera ſynonyma proſequamur, occurrit autem primò, ſi præcedenti or-
Ἀρνειὸς. dini inhæreamus ἀρνειὸς: (nam ἄρνειος eſt agninus, vt ἄρνεια κρέα, agninæ carnes, ἄρνειος φόνος
agnina cædes: Didymus quidem in Geoponicis, ἀρνειὸς ponit ſimpliciter pro agnis, ſed doctio-
res id reprehendunt;) quam vocem Varinus ouem marem ſignificare ſcribit, vti & τράγος ca-
pram marem. Idem author, atque etiam Euſtathius Iſtrum in dictionibus atticis, ouem in pri-
ma ætate vocare ἄρνα, deinde ἀμνὸν, deinde ἀρνειὸν, poſtremò λειπογνώμονα, hoc eſt, quem
deficiunt γνώμονες (ita dicuntur dentes pullini, quòd ætatis ſint in iumentis index) ſiue deſtitu-
tum dentibus, qui gnomones dicuntur. Sed & Pollux λειπογνώμονα ſimiliter vſurpari vult πε-
ρὶ ἀρνὸς, ita enim ſcribit: τὸν δὲ ἔτειον ἄρνα, εἴποις ἂν ἀμνὸν, ἢ ἄρνιον. εἶτα εἴποις ἀρνὸν (ὅς καὶ ἀρὴν
παρὰ ποιηταῖς) εἶτα λειπογνώμονα. Heſychio pariter ἀρνειὸς, eſt aries trimus: At verò idem
Varinus in τράγοι, ait ἄρνες adultas oues græcis vocari ὄϊες, καὶ κριὸς ἀρνειὸς. Idem facit & Am-
monius in de differ. vocum; Et Euſtathius quoque in Homerum ſcribens teſtatur ἀρνειὸν non
agnum, ſed arietem eſſe: Item & Varinus, ἀρνειὸς non eſt ἀρνίον, ideſt agnus, ſed prouectæ iam
ætatis aries: vt conſtat ex ariete, quo ſeruatus eſt Vlyſſes, qui cum adultus, & maturæ ætatis eſ-
ſet, à poeta indifferentur ἀρνειὸς, & κριὸς nominatur, à Polyphemo κριὸς πέπων, ideſt, aries mi-
tis. Locus eſt Odyſſ. 9. vbi poeta.

Ἀρνειὸς γὰρ ἔην μήλων ὄχ᾽ ἄριςος ἁπάντων.

Et alibi: Ἀρνειῷ μιν ἐγώγε ἐΐσκω πηγεσιμάλλῳ
Ὅςε οἰῶν μέγα πῶϋ.

Fit autem, inquit, ἀρνειὸς ἀπὸ τοῦ ἀρνὸς, vt ἀδελφειὸς, ἀφνειὸς. Porrò ἀρνεῖος penumflexum nomen
eſt menſis, vt tradit Euſtathius. Eſt vbi Homerus arietes vocat ἄρσενες ὄϊες, ideſt, oues mares,
& ἄρσενα μῆλα, ideſt, pecudes maſculas: Mas item ouis, Heſychio, & Varino eſt ἄριχα, quæ
vox, Ioſephum Scaligerum induxit, vt apud Varronem, vbi noſtris ouem aruiga dici ait, ſcri-
Varro, & Feſtus emẽdati. bendum putet aringa, eandemque ſcripturam reponendam in Feſto, & Donato, apud quos,
inquit, aruga, & Haruga legitur. Eiſdem Heſychio, & Varino δεδμάων eſt κριὸς, ideſt, aries, &
ἡγεμὼν, ideſt, dux, & ἴριον, aries, hircus. Eſt & ἐθρὶς Heſychio κριὸς τομίας, aries exſectus, ſed
Δερμάων. perperam apud illum legitur τολμίας. Κτίλος Polluci, & Suidæ, vt annotauit Geſnerus, græcis
Κτίλος. idem eſt, quod κριὸς, ideſt, aries, ouium dux, ſed κριὸς quidem, vt ipſe iudicat, arietem ſimplici-
tes ſignificat, κτίλος ſemper gregis ducem, hinc etiam, inquit, adiectiuè capitur, & exponitur
ab Heſychio, & alijs τεθασσὸς, πρᾶος, συνήθης ἡγεμὼν, hoc eſt, manſuetus, mitis, familiaris, dux.
Fauet Geſnero Etymologus, cui κτίλος eſt ὁ προηγούμενος τῶν προβάτων, καὶ προεξέρχων τῆς
ποίμνης κριὸς, aries dux gregis, quaſi κίλος à verbo κίω, quod eſt πορεύομαι, quod eſt eo, ſiue
Iliad. γ. vado: Seù, vt Homeri Scholiaſtes vult, quaſi ἀκτίλος, ἀπὸ τοῦ ἄγειν τὰ λοιπὰ θρέμματα, quod
præeat, & ducat cæteras pecudes: In quo ſignificatu Homerus de Agamemnone.

Αὐτὸς δὲ κτίλος ὣς ἐπιπωλεῖται ςίχας ἀνδρῶν. ideſt,
Ipſe autem ſicut aries luſtrat ordines virorum.

Iliad. N. Et rurſus. αὐτὰρ ἔπειτα
Λαοὶ ἕπονθ᾽ ὡσεί τε μετὰ κτίλον ἕσπετο μῆλα
Πιόμεν᾽ ἐκ βοτάνης. Ideſt. *At deinde,*
Copiæ ſequebantur, & poſt arietem ſequuntur pecudes
Bibituræ, ex herba.

Fortè κτίλος non ſimpliciter fuerit aries, & ductor ouium, ſed mitis, manſuetus, & minimè pro-
Lib. 28. cap. 24. teruus, quo ſenſu apud Herodotum extat perelegans verbum κτιλοῦσθαι, quod ſignificat, puellã
demulcere, (vt ait Cælius) atque ita demum conciliare, vt vxorem ducas; Ratio, inquit, voca-
buli eſt, quod κτίλος, aries eſt, manſuetus, atque mitis. Hinc apud Pauſaniam ἐκτιλώμενος di-
citur, qui cuipiam familiaris eſt factus, Cinyram Pindarus ἱερέα dicit κτίλον ἀφροδίτης connu-
tritum ſignificans, & familiarem, & manui aſſuetum à verbo (vti ſcientiſſimis quoque placet)
κτίσαι, quo alimentum indicatur, vnde ὀρικτιτὸν dicimus educatum in montibus. Certè etiam
κτιλεύεσθαι, cicurare eſt. Hinc Nicandri interpres κτίλας dici oues arbitratur pingues, atque
mites, quamuis & gregis ductor, inquit, ſic dicatur quandoq;: Tantum Cælius. Tradit & Hen-
ricus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ricus Stephanus authores velle dici etiam κτίλον de alio quouis cicure animali, & nos iam ab Hesychio actiuè exponi diximus πρᾶος, τιθασσὸς, idest, mansuetus, cicur, vt sanè etiam apud Nicandri Scholiasten ex Empedocle: ἦσαν γὰρ κτίλα πάντα, καὶ ἀνθρώποισι προσηνῆ θῆρές τ' οἰωνοί τε φιλοφροσύνη τε δεδήει: Nec non, & Hesiodo χρὴ δέ σε πατρὶ κτίλον ἔμμεναι, idest, oportet te patri ctilon permanere: Nam & his locis κτίλα esse vult, τὰ ἥμερα, καὶ πρᾶα; Quin & Nicandrum ὠὰ κτίλα ἥμερα καὶ τιθασσὰ, vel λιπαρὰ dixisse vult idem Scholiastes in hoc loco θηριακῶν de dracone aduersario aquilæ:

ἠρήμωσε καλιὰς,
Αὐτῶς ὀρνίθων τε τόκον κτίλα τ' ὠεὰ βρύκων. idest:
inuasit nidos,
Sic & auium (aquilarum) *partum, & oua mitia deuorans.*

Vbi non solùm ex iudicio Henrici Stephani mitia, sed & tenera reddere queas. Apud Varinum pro κτίλος, scribitur etiam κτῆλος, & σίλος, sed neutrum eruditis probatur, quamuis postremum reperiatur quoque apud Hesychium, cui, vti & Eustathio aries trimus μοσχίας nuncupatur. *Κτῆλος.* *Μοσχίας.*
B Μοσχίας autem aliàs est, quasi ad vitulum accedens. Et apud Pollucem οἱ μοσχίαι sunt catuli τῶν λαγωῶν, siue, vt vulgare lexicon interpretatur, lepusculi. Sed & μοσχίον idem pro agno nouello accipit, adeo vt μοσχίαι, & μοσχία ad plurium animalium catulos referantur, quàm ad boum fœtus, hoc est, vitulos. Ὀκρίβας Suidæ, & Varino, est ἄγριος κριὸς, aries syluaticus, forsan, inquit Henricus Stephanus, παρὰ τὸ τὰς ἄκριας βαίνειν, quod per vertices montium eat. Item κλίμαξ, idest, scala, vtpote qua vtamur ad conscendenda loca prærupta, & edita. Sed propriè ita, inquit, nominatur τὸ λόγιον, ἐφ' οὗ οἱ τραγῳδοὶ ἠγωνίζοντο, locus in quo Tragœdi decertabant, seu vt alij volunt, κιλλίβας τρισκελὴς ἐφ' οὗ ἵσταντο οἱ ὑποκριταὶ, καὶ τὰ ἐκ μετεώρου ἔλεγον, mensa tripes, supra quam stabant histriones, & ex alto dicebant. Vulgariter verò hodie κριὸς, siue aries nunc in græcia κριάρη dicitur, quamuis Petrus Bellonius, modernis græcis Striphocheri dici scribat. At fieri potest, quod nomenclatura secundum gentium varietatem variet. Sextus Pompeius Festus veteres scribit arietes dixisse nefrendes, additque rationem, quod dẽtibus frendere non possint: Atqui Gesnerus conijcit, arietes eo nomine non castratos vocari, ad veruecum differentiam. Nam, vt idem, inquit, scribit: Sunt qui nefrendes testiculos dici putẽt, *Lib. 5. c. 15.* *Ὀκρίβας.* *Lib. 1. obseruat.* *Nefrendes.*
C quos Lanuuini appellant Nebrundines (alij legunt nefrundines) Græci νεφροὺς, Prenestini Nefrones; Aut fortè arietes adhuc teneri: nefrendes enim infantes sunt nondum frendentes, idest, frangentes. Varro, & Fulgentius, porcos propriè nefrendes vocati aiunt, qui non amplius lactent, necdum tamen fabam frendere possunt. Apud Martialem, pecoris maritus lanigeri, portitor Helles, maritus Phryxæus, pro quouis ariete sumuntur; & Ouidio, aries coniunx lanigeræ ouis, & laniger absolutè etiam appellatur. Hispani carnero dicunt, Itali montone. Scoppa Grammaticus verò veruecem rectè quidem Italicè interpretatur castrone, & castrato, sed non rectè montone, etsi Gesnerus arietem ideo montonem nuncupari putet, quasi mutilum, propter testes ademptos, cùm montone videatur dici, vel à montibus, in quibus plerumque colitur, vel ab Italico, montare, quod est, ascendere, quia oues in coitu ascendit. Galli belier, vel ran dicunt, quam posteriorem vocem imitantes Belgæ, ram dicunt, & forsan etiam Illyri, qui Beran. Angli etiam rañ dicunt, vel tap. Germani vvider. Tradit Gesnerus suis, idest, Heluetijs, arietem vocari hermannum, idest gregis maritum, aitque vsurpari etiam pro viri nomine proprio per baptismum imponendo. Kar, à quo plurale Karim, D. Kimhi exponit Kebes, idest, *Synonyma Hebraica.*
D agnum, item eelim, & athudim, idest, arietes, & hircos. Accipitur hæc vox etiam pro oue, vt dictum est; ail verò & eel (quæ vox scribitur etiam sine iod) Geneseos 15. septuaginta vertunt κριὸς, Chaldæus dikerin, arietes, Arabs kapsa (kapsah cum aspiratione in fine, ouem etiam vel agnam significare diximus) Persa nerameisch. Andreas Bellunensis lesan alhamel, interpretatur linguam arietis, siue plantaginem, quæ græcis ἀρνόγλωσσον est. Hamel autem quibusdam Germanis etiam aries est, alij tamen hammel, vocant veruecem. Vetus verò quidam γλωσσόγραφος pro lingua arietis habet asel alkame, quas voces corruptas esse indicat Gesnerus. Sectarium arietem, siue exsectum, quomodo græci vocent apud solos Hesychium, & Varinum reperio, quibus ἔθρις nuncupatur, latini veruecem dicunt, quamuis Isidorus & alij quidam recentiores pro ariete, idest, oue non castrata vsurpent, & si Dijs placet, veruecis etymologiam deducãt à viribus, quod scilicet cæteris ouibus sit fortior, vel quod sit vir, idest, mas, vel quod vermes in capite habeat, quorum pruritu ad pugnam, & impetum feriendi excitetur, cum veruex, teste Varrone, dicatur à natura versa, cui oui mari testiculi dempti sunt: hinc alijs veruex mas est inter oues, cui inuersi, vel adempti sunt testiculi; Apud Festum in solitaurilium mentione verbices, pro verueces corruptè legi conijcit Gesnerus. Sectarius ueruex, qui gregem agnorum *Kar.* *Ἔθρις.* *Veruex.* *Veruex sectarius.*

præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

præcedens ducit, inquit, idem Feſtus, tanquam ſcilicet verucces agnis ducendis præficiantur, E
vt capi aliquando pullos ducunt: Arietes verò ouibus, cùm agnos ſpernant. Apparet ſectarium
à Feſto dici, quòd eum ſequantur agni, ſic apud Catonem capite 100. porcos quoque ſectarios
legimus, & Hermolaus ait, aries veruexuè, κριὸς & κτίλος præcipuè ſectarius, (ſed κτίλον ſim-
pliciter grecis, gregis ducem ſignificare, dictum eſt) & VVilichius veruex, inquit, aries caſtra-
tus, qui ſubinde ſectarius eſt. Veruex Italis ab exſectis teſtibus vulgò caſtrone nuncupatur, ipſa
verò caro, caſtrato: Germani hammel dicunt, qua voce item vtuntur Belgæ, frequentius ta-
men vveren vocant, Angli vvether shepe. Germani verò vvider vocant arietem, & vtraq; voce
1. Faſtor. Belgica ſcilicet, & Germanica ſignificatur repetitio. Ouidius non ineleganter, ſeminaris ouis
viſcera dixit, pro veruecis. Diſtincto modò hoc pecore, quo ad nomenclaturas, earumque
æquiuocationes ſecundum ſexum, ſupereſt, vt indicemus, quæ ad ætatem pertinent: In his au-
tem explicandis, enumerandiſque ſatisfactum fuerit, ſi illæ tantum afferantur, quibus ætas te-
Agnus. nerior indicatur, reliquæ enim ex ſuperioribus peti poſſunt. Agnum itaque dicunt ouis fœtum,
In aſinaria. qui annum nondum egreſſus eſt; Recens enim natum agnellum videntur dixiſſe, ſic nimirum F
Plautus: *Dic igitur me tuum paſſerculum, gallinam, coturnicem, agnellum, hædillum;* ſumitur ta-
men etiam agnus non ſemel, vt patebit, pro omni illa ætate, quæ intra annum conſiſtit, vti &
agna de fæmella. Feſtus verò auillas agnas dici, ait recentis partus, fortè quaſi ouillas, forma
diminutiua. Apud Pompeium Feſtum duas habemus agni etymologias, quarum prima eſt,
agnus dicitur à græco ἀγνὸς, quod ſignificat caſtum: Eò quòd ſit hoſtia pura, & immolationi apta.
Altera, *agnus ex græco ἀμνὸς deducitur; quod nomen apud maiores communis erat generis, ſicut
Agnus fru- & lupus.* Priori loco pro ἀγνὸς rectius ſcribetur ἁγνὸς cum aſpiratione, vnde nimirum etiã ali-
tex. qui latini agnum aſpirant hagnum ſcribentes. Similiter & ἁγνὸς, hoc eſt, caſtus, frutex, quem
perperam agnum caſtum vulgus herbariorum vocat, dicitur ſic Galeno authore, quòd caſtita-
tẽ conſeruet ijs, à quibus, aut eſtur, aut bibitur, aut ſubſternitur, vel vt Dioſcorides tradit, quo-
niam matronæ in Theſmophorijs Athenienſium caſtitatem cuſtodientes, folijs huius cubitus
ſibi ſternebant. Non ſatis itaq; probanda eſt etymologia Iſidori dum ait, *agnus dicitur à græ-
Herba viua co vocabulo, quaſi pius: nam inter omnia terræ animantia maximè inuenitur innocens, & manſue-
agnus di- tus: nullum enim lædit dente, aut cornu, aut vngue,* rectius enim hagnum caſtum fuiſſet inter-
cta. pretatus, quàm pium. Aliàs etiam latinam adferens etymologiam, & latinis *agnum putari* G
Exercit. *dictum,* inquiens, *quod agnoſcat matrem ſuam præcæteris animalibus*, à Varrone diſſentit, qui
CLXXXI. agnum dictum putat, quòd agnatus ſit pecori ouillo: Eſt præterea agnus, præter memoratum
n. XXIX. fruticem, herba Scythica admirandæ planè naturæ, de qua ſic Iulius Cæſar Scaliger in exerci-
„ tationibus ſuis aduerſus Cardanum. Tartarum horda primaria Zauolha eſt vetuſtiſſimæ nobi-
„ litatis commendatione. In eo agro ſerunt ſemen, ſeminis melonum ſimilimum, ſed minus ob-
Borametz. „ longum. Ex eo ſatu planta exit, quam borametz, ideſt; agnum vocant: Creſcit enim agni figu-
„ ra ad pedum ferè ternum altitudinem: quem pedibus, vngulis, auribus, totò capite, prætérquã
„ cornibus repræſentat. Pro cornibus pilos gerit ſingularis cornu ſpecie; Obducitur corio tenuiſ-
„ ſimo, cuius detracti vſus ad tegmina capitis incolis. Ferunt internam pulpam gammari referre
„ carnes. Cæterùm è vulnere quoque ſanguinem manare. Dulcedine eſſe admirabili, radicem
„ humo exertam ſurrigere ad vmbilicum vſque. Illud miraculi fouet magnitudinem. Quamdiù
„ vicinis obſidetur herbulis, tamdiù viuere, quaſi agnum in læto paſcuo: abſumptis illis, tabeſce-
„ re, atque interire. Idq; non ſolùm vel caſu, vel tractu temporis, ſed etiam experiundi gratia, H
„ ſubtractis, atque ablatis euenire. Quin illud auget admirationem, appeti à lupis eam, non ita
„ ab alijs beſtijs, quæ carne veſcantur. Hoc quaſi condimentum, atque intritum ad fabulæ &
„ agni alluſionem. Illud ſcire velim, inquit Scaliger, ab vno ſtipite quatuor diſſita crura cum ſuis
„ pedibus, qui poſſint prouenire, atque produci. Eadem Sigiſmundus Liber Baro in ſuis com-
„ mentarijs de rebus Moſcoiticis refert. Sed verba eius, vt huic admirandæ rei fides à lectore ha-
„ beatur Scaligero, adſcribam: Inter VVolgam, & Iack fluuios circa mare Caſpium habitabant
„ quondam Sauuolhenſes reges. Apud hos Tartaros rem admirandam, & vix credibilem De-
„ metrius Danielis, vir (vt inter barbaros) grauis, ac fide ſingulari, nobis narrauit: patrem ſuum
„ aliquando à Principe Moſcouiæ ad Sauuolhenſem regem miſſum fuiſſe: In qua dum eſſet le-
„ gatione, ſemen quoddam in ea inſula, melonum ſemini, paulò maius, & rotundius, alioqui
„ haud diſſimile, vidiſſe: Ex quo in terram condito, quiddam agno perſimile, quinque palmarũ
„ altitudine ſuccreſceret: Idque eorum lingua boranetz (Scaliger habet borametz:) quaſi agnel-
„ lum dicas, vocaretur: Nam & caput, oculos, aures, cæteraq; omnia in formam agni recens edi-
„ ti, pellem præterea ſubtiliſſimam habere, qua plurimi in eis regionibus ad ſubducenda capitis
„ tegumenta, vterentur. Eiuſmodi pelles vidiſſe ſe, multi coram nobis teſtabantur, aiebat inſu-
per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A per plantam illam, si tamen plantam vocari, fas est, sanguinem quidem habere, carnem tamen ,,
nullam, verùm carnis loco, materiam quandam Cancrorum carni persimilem. Vugulas porrò ,,
non vt agni, corneas, sed pilis quibusdam ad cornu similitudinem vestitas: radicem illi ad vm- ,,
bilicum, seu ventris medium esse; viuere autem tamdiu, donec depastis circum se herbis, radix ,,
ipsa inopia pabuli arescat. Miram huius plantæ dulcedinem esse propter quam à lupis, cæteris- ,,
que animalibus rapacibus appeteretur. Ego quamuis hoc de semine, & planta pro commento ,,
habuerim, tamen & antea tanquam à viris minimè vanis auditum retuli: Et nunc tanto liben- ,,
tiùs refero, quòd mihi vir multæ doctrinæ Guilelmus Postellus narrauit, se audiuisse à quodam ,,
Michaele apud Rempub. Venetam publico Turcicæ & Arabicæ linguæ interprete, quod vide- ,,
rit a finibus Samarcandæ Ciuitatis Tartaricæ, cæterarumque regionum, quæ ad Euroaquilo- ,,
nem mare Caspium respiciunt, vsque in Chalibontidem, deferri quasdam pelles delicatissi- ,,
mas, plantæ cuiusdam in regionibus illis nascentis, quæ aliqui Mussulmani ad capita sua rasa ,,
fouenda pileis medijs inserere, ac pectori quoque nudo applicare soleant. Plantam tamen non ,,
sibi visam esse, nec nomen se scire, nisi quod illic Samarcandios vocetur, eamque esse ex anima- ,,
B li instar plantæ in terram defixo, quæ cùm ab aliorum narratione non dissideant, mihi (inquit ,,
Postellus) penè persuadent, vt hanc rem minus fabulosam putem, ad gloriam Creatoris, cui om ,,
nia sunt possibilia. Hæc itaque omnia Sigismundus. Refert verò etiam hanc historiam ceu ,,
veram Ioannes Khuuenius Breidbachius Archiducatus Carinthiæ Physicus: *Lib. 1. Zodiaci.*

Sauromatas iuxta memorant florescere plantam,
Cuius lanigerum fructus tibi pendulus agnum
Efformet penitus, referatq; per omnia, molli
Obductus corio, capiti velamina vulgò
Vnde parant. carnem decocti albissima cancri
Pulpa refert: dulcisque è vulnere sanguinis instar
Punicei manat succus: se subrigit ipsa
Pube tenus radix tellure exerta virenti.
C *Graminibus septus (dictu mirabile) fructus*
Latus, vt agnus, agri per pinguia pascua viuit:
Graminibus verò euulsis tabescit, & ager
Occidit. Estque illud magis admirabile, prędo
Quòd truculentus eum lupus appetat ore cruento,
Dilanietque auidus, rapiatque, trahatque, voretque
Faucibus, vt veros solitus crudelibus agnos.

Est verò agna etiam genus mensuræ in agrorum dimensione, de qua sic Columella: *Actus quadratus finitur vndique pedibus centum viginti. Hoc duplicatum facit iugerum, hunc actum prouinciæ Baticæ rustici agnam vocant.* Estque etiam meretricis nomen apud Horatium putidis naribus: *Lib. 5. Agna mensura genus. 1. Serm. satyr. 3. Agna meretrix.*

amatorem quod amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant: veluti Balbinum polypus agnæ.

Ἄρς vertitur agnus, vel agna: apud Homerum, vbi habet, *Ἄρς. Iliad. α.*

D Αἴκέν πως ἀρνῶν κνίσσας αἰγῶντε τελείων
Βὔλεται ἀντιάσας. idest,
Si fortè agnorum aruinam, caprarumque perfectarum
Vult assecutus

Quo loco Eustathius dicit addi τελείων, vt poeta significet agnos grandiores, cum ἄρνες sint adhuc immaturiores, ac minores. Certè & Polluci ἄρνες sunt τὰ τῶν προβάτων νέα, & Varinus in τράγοι, oues, inquit in tenera ætate, ἄρνες, & ἀμνοὶ dicuntur; aliàs tamen Varinus ἄρνες interpretatur similiter πρόβατα, rectè additurus μικρὰ, quod fecit Hesychius. Apud Aratum legimus ἄρνασι in datiuo plurali, & de eisdem in recto ἀμνοὶ, & Festo arne caput est agni. Communis autem esse generis hanc vocem manifestatur ex hoc Homeri: *Iliad. γ.*

Οἴσετε ἄρν' ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν,
Γῇ τε, καὶ ἠελίῳ. Idest:
Adferte autem agnos alterum album, alterum verò nigrum
Tellurique & Soli.

Scholia notant eo loco ἄρν' esse numeri dualis. Quidam teste Varino, ἄρνας deriuant παρὰ τὴν ἀρὰν, ὅ ἐστι τὴν εὐχὴν, quod ad vota & supplicationes agnus hostia adhiberetur. Notandum

verò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

verò etiam, tradere Euſtathium ἄρνες non habere nominatiuum monoſyllabum, ſed ἀρὴν, ἀρέ- E
νος, & per ſyncopen ἀρνὸς: eumque vel ab ἀρὰ eſſe, quod in votis precibuſque faciendis agni ſa-
crificarentur: vel à ῥὴν vt à ςαφὶς ἀςαφὶς & ſimilia. Apparet tamen etiam ἄρς accipi pro peco-
re, nam πολύαρς non ſolùm eſt multos habens agnos, verùm etiam pecore abundans, diues, à
Iliad. β. parte nimirum totum intelligendo, vt docet Euſtathius, atque ita accipit Homerus hoc verſu:

Ατρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπε πολύαρνι θυέςῃ. id eſt,

Atreus autem moriens reliquit diuiti pecudum Thyeſtæ.

Aliud autem planè ſunt ἄρνες Heſychio, οἱ nempe κάπηλοι, κάπηλος autem exponit ipſe, με-
ταπράτης, ὁ τὰ πρὸς τὴν κάπην πιπράσκων. κάπη δὲ ἡ τροφή. ideſt, *qui cibos vendunt:* alij verò
κάπηλον exponunt, qui vinum venale habet, cauponem: Et ipſi etiam Heſychio πηλὸς ſecun-
Lib. 8. Hiſt. cap. 7. dum Iones eſt οἶνος, ideſt, vinum. Aliud denique ἄρνες Theophraſto, de ijs loquenti ſeminibus,
quæ multorum pedibus conculcata niſi proximo anno pullulant. Βλαςάνουσι δὲ τῷ ὑςέρῳ ἔτει
καὶ ἀπὸ τῶν καταπατουμένων, καὶ συμπατουμένων, ὥςε μηδὲν εἶναι δῆλον, ὡς εἰπεῖν. οἷον ὅταν διέλθῃ
ςρατόπεδον, καὶ οἱ ςάχυες μικροὶ, καὶ τούτους οὓς καλοῦσιν ἄρνας. Quæ Theodorus ſic reddidit: Exeūt F
ſequenti anno etiam, ſeminibus depreſſis, conculcatiſque; vt nihil quaſi appareat, videlicet
cùm tranſeunte exercitu, ſemina concuſſa in terram corruerint: nec non & eorum, quos agnos
Theophraſtus reſtitutus. vocitant. Quid autem hic Theophraſto ἄρνες ſint, difficile eſt iudicare, tamen ſi coniecturę lo-
cus detur, crediderim hęc non ſatis exactè à Theodoro reddita. Senſus enim videtur eſſe, quòd
triticum, de quo author egerat, ita ab exercitu conculcatum, terræque firmiter impreſſum, vt
ſequenti tantùm anno erumpere poſſit, propter temporis breuitatem, & ſpicas producat exi-
guas, & quæ ἄρνες, ideſt, agni nuncupantur, quare ἄρνας ſiue agnos interpretor triticum exi-
guum, & quod ob eandem temporis breuitatem ad iuſtam magnitudinem peruenire non po-
tuit, adeo, vt eiuſdem generis tritico inculcato comparatum, velut agnus videatur in adultis
Lib. 7. ouibus. Heſychius & Varinus ἀρνάπον exponunt τὸν ἄρνα, & ab ijſdem ἀρίον exponitur πρό-
βατον, & ἀμνός: ἀρνὸς verò agnus eſt qui annum exceſſit, ſcribitur enim apud Pollucem. Τὸ δ᾽
ἔτειον ἄρνα εἴποις ἂν ἀμνὸν ἢ ἀρνίον, εἶτα εἴποις ἀρνὸν, ὡς καὶ ἀρὴν παρὰ ποιηταῖς, hoc eſt agnum
vnius anni diceres ἀμνὸν, aut ἀρνίον, poſtea ἀρνὸν, qui & ἀρὴν apud poetas dicitur, vbi tamen
ἀρνειὸν aliquis fortaſſe, inquit Henricus Stephanus, legere malit, quamuis apud Etymologum
Horus ex Herodiano dicat ει in ἀρνειὸς prorſus πλεονάζειν. Moderni græci agnum ἀρνὶ dicunt. G
Α᾽μνος. Α᾽μνὸς vulgò exponitur agnus, quam vocem atticè aſpirari ſcribit Euſtathius, vſitatum eſt vo-
cabulum, vt & ἀμνὴ, id eſt, agna pro quo etiam inuenitur ſcriptum ἄμνη, cum tamen paſſim
ſcribatur ἀμνὸς. Scribitur & ἀμνὶς, & ἀμνὰς in eadem ſignificatione. Theocritus in principio,
ειδυλ᾽ 5.

οὐκ ἀπὸ τᾶς κράνας σῖττ᾽ ἀμνίδες; ideſt,

An non à fonte fugitis agni?

Interpres vertit oues, ſed Scholiaſtes annotat ἀμνίδες ibi dici τὰ μικρὰ προβάτια, tanquam
ἀμενηνά, quaſi ſine robore; ita & Varino, & Etymologo ἀμνὸς dictus eſt quaſi ἀμένος ideſt, in-
firmus; μένος enim robur ſonat: Iidem tamen etiam deducunt à voce μνοῦς, quæ primam, & te-
neram agni lanam ſignificat, vt ſit ἀμνὸς, ὁ ἐςερημένος τῶν νηπίων τριχῶν, qui iam exuit primam
lanuginem. Apud Suidam ſcribitur cum aſpiratione ἁμνὸς, & atticè ἁμνὼς, & fœmininum
ἁμνὴ, ſed improbatur viris doctis. A Varino ἄμνις exponitur ὁ ἀμνὸς, vbi Geſnerus mauult oxy-
tonum, vt, inquit, Etymologus habet, diminutiuum eſſe ſcribens. Eidem Varino, ac etiam He- H
Αμνέα. ſychio ἀμνόα eſt πρόβατον, quibuſdam verò ἀμνὸς, & Heſychius ἀμνὸν etiam exponit μαλλὸν,
ideſt lanam, aut ouem nuper natam, ἀμνάδας verò virgines, aut oues. ἄμναμοι οἱ ἀπόγονοι κυ-
ρηναϊκῶς, κυρίως δὲ οἱ τῶν ἀρνῶν ἀπόγονοι, ἢ παῖδες, vt ait Varinus, ideſt, Secundum Cyrenai-
cos poſterius geniti, propriè verò agnorum vltimi, ſiue pueri, dici autem παρὰ τὸ ἀμνὸς ſcribit
Suidas. Accipitur verò etiam ἀμνὸς pro alijs animalibus: Nam Oppianus imprimis fœtus ſyl-
ueſtrium caprarum, ἀμνοὺς dixit: & Ariſtoph. in auibus ἀμνὸν καμήλου per iocum protulit. Et
apud Theocritum Cerua grauida ἀμνοφόρος dicitur, quaſi gerens in vtero ἀμνοὺς, vel vt Scho-
liaſtes ἀμνίδας καὶ βρέφη φεροῦσας, hoc eſt, agnellos, vel catulos ferentes, accipiendo inquit He-
ricus Stephanus ἀμνοὺς latius pro fœtibus ceruæ, ideſt, hinnuleis; tanquam videlicet ἀμνὸς ge-
nerale ſit nomen ſignificans cuiuslibet animalis catulum. Locus habetur εἰδυλ᾽ 11.

Τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεφρὼς

Πάσας ἀμνοφόρως. ideſt,

Alo tibi vndecim hinnulos

Omnes fœtos.

Addit Scholiaſtes aliam eſſe lectionem μαννοφόρους, μάννον autem eſſe τὸν περιτραχήλιον κόσ-
μον,

A μον, τὸ λεγόμενον μαννάκιον, ideſt, ornamentum quod collum cingit, & μαννάκιον nuncupatur.
Βάριχοι Heſychio ſunt ἄρνες. Ἔρση ſiue ἕρση eſt ros: plurale ἕρσαι, quod nõ ſolum δρόσοι, verùm
etiam οἱ ἐν τῷ χειμῶνι γινόμενοι ἔριφοι, & τὰ ἀπαλὰ τῶν προβάτων iudicantur: ideſt rores & hæ-
di geniti in hyeme, & oues tenellæ, ideſt, agnæ: Quo ſenſu Homerus accepit his verbis: *Odyſſ. α.*

διακεκριμέναι δ᾽ ἕκασται
Ἔρχατο. χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι
Χωρὶς δ᾽ αὖθ᾽ ἕρσαι.

Vbi Scholiaſtes quoque exponit αἱ νεογναὶ καὶ ἁπαλαί, ac veluti δροσώδεις, tenellæ agnæ, & re-
centes à partu. Varinus etiam alibi ex Ariſtophane Grammatico, caprilli pecoris nomina pro
ætate diuerſa enumerans, ἰσσῆνες etiam inquit in ætate quadam dicuntur, & ἐπιπρηθῆνες. ἡδύ-
πνυν (ſub audi πρόβατον) Heſychius, & idem Varinus exponunt nouellam, & teneram ouem
lactentem, quæ nondum guſtauit herbam, ideſt agnum, vel agnam. Idulis, hoc eſt, teſte Feſto, *Idulis.*
agna alba, idibus enim à Flamine Iouis cædebatur. Κάθετος genere maſculino dicebatur etiã
agnus, qui in mare demittebatur, ὁ καθιέμενος, εἰς τὸ πέλαγος ἀμνὸς, vt Harpocrates, & Suidas
B exponunt. Citat autem Suidas ex Lyſia, & Melitone; aliàs κάθετος eſt ſurrogatus, vt apud Sy-
neſ. ἐπειδὲ σπάταλον εἶναί τινα φησὶ παρά σου τὸν καταχθέντα κάθετον ἐξειργάσθαι τὸν φόνον. Id *Epiſt. 44.*
eſt, vt vertit Cornarius: Quando quidem Spatalum eſſe quendam aiunt, à te inductum, ac im-
miſſum ad perpetrandam cædem: Ita & Budæus interpretatur ſubmiſſum percuſſorem. At κά-
θετος in fæminino genere eſt perpendiculum, vt κατὰ κάθετον apud Lucianum, ad perpendi-
culum, vt Vitruuius loquitur, ad lineam, vt Cicero. Eſt enim & linea perpendicularis; Item al-
titudo rectis lineis ſubuecta, ſiue altitudo perpendiculariter ardua, vt Budæus interpretatur
apud Strabonem: accipiturq; etiam pro linea piſcatoria, quæ velut perpendiculum in aquam
demittitur, item pro reti in epigrammate quodam, vt teſtantur vulgaria lexica. Κίλλιξ Heſy- *Κίλλιξ.*
chio eſt ἀμνὸς (in eius codice perperam legitur σάμνος) ἢ βοῦς τὸ ἓν κέρας ἔχων διεστραμμένον, id
eſt agnus aut bos, cui alterum cornu diſtortum eſt; (In theſauro ſcribitur etiam per vnum λ)
Κίλλαι verò ipſi ſunt ὄνοι id eſt aſinæ, & Dores etiam κίλλον τὸν ὄνον dicunt, aliàs κιλλὸς eſt aſi-
nus, & τέττιξ, πρωϊνὸς ὑπὸ κυπρίων, id eſt, cicada matutina à Cyprijs; Μέθλην, τὸν ἄρνα expo-
nunt Heſych. & Varinus; μέτασσαι vt ſuperior Homeri verſus docet, intelliguntur oues mediç
C ætatis. Vnde apud Varinum vbi ait: Homerus ouium, & caprarum ætatem diſcriminans adul-
tas προγόνους vocauit, mediæ ætatis μεσάτας, & ἕρσας adhuc teneras, pro μεσάτας lege μέτασ-
σας. Μοσχίον quamuis propriè eſt vitulus, Pollux tamen etiam pro agno nouello accipit, vt ſu-
perius dictum. Ὀρσὸς eſt agnus ſerotinus, nam Heſychio ὀρσοὶ ſunt τῶν ἀρνῶν οἱ ἔσχατοι γινόμε-
νοι, id eſt, agni vltimò nati, nimirum qui latinis cordi dicuntur. Ῥὴν ὁ. agnus, Ῥὴν agna eſt
Varino in φρὴν. Agni autem non ſolum ῥῆνες dicuntur, ſed etiam ἀρῆνες, vnde per ſyncopen
ἄρνες, hinc ἀρνοβοσκὸς, id eſt opilio, vt idem tradit. Reperitur & ῥάνα apud eundem, & Heſy-
chium pro ἄρνα, Doricè fortaſſe pro ῥῆνα, & pro eodem Cypri, eiſdem teſtibus, ῥυῆνα dicunt.
Πρατίνιον ijdem dicunt eſſe ouem teneram, vel nuper natam, vel agniculam, vel quæ primum
coire incipit. Πρητῆνες verò agnos anniculos, & nos paulò antè ex eodem Varino, ita etiam ca-
pras in quadam ætate vocari diximus. Σηκίτης pro quo Doricè σακίτης, vt apud Theocritum: *Idyl. α.*

Ἀρνά τυ σακίτην λαψῇ γέρας, ideſt,
Agnum tu ſtabularium accipies pro præmio.

Vbi Scholiaſtes, σακῖται δὲ ἄρνες οὓς ἔτι γάλακτος δεομένους οἱ νομεῖς τῶν μητέρων χωρίζοντες, ἰδίᾳ
D βόσκουσι καὶ ἐν ἰδίῳ σηκῷ κλείουσι. Dicuntur igitur σηκῖται ἄρνες agni adhuc lactentes, tamen ob
teneriorem ætatem ſtabulo incluſi, diuerſi ab ijs qui cum matribus ad paſcua ducuntur, ſeu
agni ſubrumi, qui intra ſepta adhuc cohibentur. Vitus verò Vinſemius in eodem loco inter-
pretatur agnum ablactatum, qui iam factus eſt pars gregis. Τρανὸν Heſychio, & Vari- *Τρανὸν.*
no, ouis ſex menſium. Φάγιλον Ariſtoteles, vt citat Plutarchus, agnum eſſe dicit; & He- *Probl. Græc.*
ſychio φάνασι agni ſunt, & Suidæ denique ψαίκαλον τὸ ἀρνίον, quod tamen Heſychius fœ- *14.*
tum, & infantem interpretatur. Apud Hebræos Se accipi, & pro agno, & pro oue, & pro *Hebraica.*
pecore ſuprà dictum eſt. Kebes agnus eſt anniculus, & per metatheſin Keſeb. Gedi D.
Kimhi putat tam ex ouium, quàm ex caprarum genere dici hędum, & agnum, propterea
quòd ſæpe adiungitur uox haiſſim, id eſt, caprarum: Rabbi Abraham ſolis capris nomen at-
tribuit, ut ſolet etiam Arabica lingua. Carim agnos, & campos ſignificat: hinc etiam non-
nulli pſalmo 64. ubi ſcribitur; *arietes ouium*, vertunt, ut ſcribit Gilbertus Genebrardus Theo-
logus Pariſienſis, induti ſunt campi ouibus, ſed fortaſsè, inquit, Septuaginta rectius, quoniam
non campi Iudææ alebant greges magna copia, ſed montes Ita enim ſcriptura ſolet illam re-
gionem diſtinguere, ut plana, & campeſtria eſſent frugifera, montana compaſcua, & arborum
veſcarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ueſcarum feracia. Nec obſtat Carim eſſe abſolutum. Nam apud poetas & Prophetas abſolutū E
pro ſyntactico crebrò occurrit, uel iunxerunt cum ſequenti, legeruntque Care mehatſon. Ge-
neſeos 31. pro eo quod nos poſuimus, inquit Hieronymus, *mutauit mercedem meam decem vi-
cibus*, Septuaginta interpretes poſuerunt, decem agnis, neſcio qua opinionę ducti, cùm uerbū
Hebraicum monim numerum magis, quàm agnum ſonet. Geſnerus uerò conijcit in tranſla-
tione Septuaginta interpretum non Δέκα ἀμνῶν legendum, ut uulgati codices habent, ſed δέκα
μνῶν, ideſt, decem minis: Mana enim, unde plurale manim, minam, inquit, uel libram hebræis
ſignificat. Hiſpanis agnus eſt Cornero, Italis agnello, Gallis agneau, & diminutè agnelet, Ger-
manis lamb, lamblin, Belgis lam, nomine à naturali ſtultitia, uel etiam ab infirmitate inapoſi-
to, ſiquidem lam eiſdem eſt, aliqua parte mutilum eſſe, ſolentque plerumq; ſuas dictiones in-
uertere, quomodo ex lam, ſit mal, hoc eſt, ſtultū. Angli in prima ętate à lambe, ſecunda à hogg.

GENVS. DESCRIPTIO.

Differentiæ.

2. Histor. c. 1. OVem ex genere eſſe biſulcorum, non ſolùm αὐτοψία ipſa loquitur, ſed Ariſtote-
les etiam ſcripto publicauit, inquiens: *Ouis biſulca eſt, forcipem enim pro vngu-
la habet.* Inanem autem ſumpturus videretur operam, qui vel in agno, vel in
ariete, vel in oue animantibus ſcilicet planè domeſticis, & quæ nobiſcum ferè
degunt, deſcribendo laboraret. Quare ea tantum repetam, quæ veteres ceu an-
notatu digna, de hoc pecore prodiderunt, ad formam eius pertinentia, & vt à capite exordia-
Caput. mur, ſcire conuenit id infirmiſſimum ei à natura conceſſum, ſi fides habenda eſt Plinio. Cere-
brum in eo αὐχμηρὸν, hoc eſt, vt Theodorus vertit, ſqualidiuſculū, hoc eſt, minus pingue, quale
3. Histor. quidem eſſe ratio ſuadet, cæterùm de oue in gręco textu nihil, ſic enim Philoſophus: οἱ δ' ἐγκέ-
cap. 17. φαλοι, τῶν μὲν πιμελωδῶν, λιπαρόι οἷον ὑὸς, τῶν δὲ ϛεατωδῶν αὐχμηρόι. Ipſe tamen Theodorus
ſic vertit: Cerebrum, vt adipe pingueſcentium pinguiuſculum eſt, uelut ſuis: Sic ſebo obeſorū,
Cornua. ſquallidiuſculum ſentitur, vt ouis: Cornua tenuiora fęminis plerumque ſunt, ſcilicet in cęteris
2. de plantis animantibus cornutis, aut vt ait Plinius, vt in pecore, pecoris, vt apparet, nomine omnia cor-
Arist. nuta intelligens, vel ſaltem quę in paſcuis aluntur, additque multis ouium nulla eſſe, nec cer-
uarum; quare neſcio quàm bene à Scaligero ſit ſcriptum, arietes noſtrates cornutos eſſe, fœmi-
nas verò cornibus carere, niſi forte in Gallia omnes oues ſint excornes. Eſt vbi arietes, agniue
ab ipſo partu cornuti naſcantur, ut ſubinde in ſubſequenti rubrica, in qua de huius pecoris ſe-
Lib. de natu cundum locorum diuerſitatem, differentijs agetur. Sunt autem arietis cornua ſemper ferè con-
ra Deor. torta. Cicero:

Ex incontortis aries cum cornibus hæret.

5. Metamor. Ouidius de Ioue Ammone:

Duxque gregis dixit ſit Iupiter, vnde recuruis
Nunc quoque formatus Lybis eſt cum cornibus Ammon.

3. amorum, Idem: *Duxque gregis cornu per tempora dura recuruo.*

Eleg. 13. Plinius: *Conuoluta in anfractum cornua arietum generi, ceu cæſtus, natura dedit.* Quidam ob-
ſcurus in modum circuli replicari ſcribit. Sæpius etiam plura, quàm bina gerunt. Cardanus
enim verueces quatuor cornibus inſigne ſe vidiſſe ſcribit. Habebis hic iconē arietis ſex corni-
bus præditi, quem, neſcio, vnde acceptum, mihi communicabat Magnificus, rerumq; mearum
admodum ſtudioſus Iaſon Vizanius noſter popularis. Item alterius tricornis. Fit verò etiam
in hoc pecude, quod in tauro, quod ſcilicet vbi fuerint euirati, ſitum cornuum mutent, quem-
admodum teſtatur Ariſtoteles, inquiens: Homines ita commutantur, vt etiam cæterorum ani-
10. probl. 38. mantium, quæcunque caſtrata. Nam & tauri, & verueces ſua cornua è contrario gerunt: quod
fæmina quoque eorum, contrà quàm mares armantur cornibus. Itaque illi maiora excifi ge-
runt, hi minora. Oculorum ſitus, vt in cæteris animantibus, quæ manibus carent: quę vt prorſus in latera deſpiciant, neceſſe fuit, ideoque plus eorum oculi, quam in ijs qui manus habent,
inter ſeſe diſtant, ſed maximè inter ſe diſtant oculi ouium, eo quod maximè prono capite in-
5. de gener. grediantur præ cęteris: eorum color, teſte Philoſopho, ὑδαρὴς, ideſt aquinus, hoc eſt fuſcus, aut
anim. cap. 1. ſubniger. Sunt prætcrea ijs quemadmodum & bobus, & alijs ſimplicis ingenij animalibus ma-
Labra. gis patuli, quàm ijs, quę ſua natura ſunt inſidioſa & maligna, annotante Adamantio. Labra
in ſuo genere tenuia contra ac in bobus, quorum labrorum prominentia craſſa eſt. Teſtatur
id ex

A

B

C

D

id ex Homero Hippocrates, his verbis: Rectè enim ſcripſit Homerus ex omni pecore (πάντων τῶν προβάτων) boues hoc tempore maximè pati, atque inter boues qui arant, cum hyeme laborent: his igitur maximè articulus excidit, quoniam maximè extenuantur. Namq; aliud pecus (τὰ ἄλλα βοσκήματα) paſcere exiguas herbas poteſt, bos non item, priuſquam grandiores fiant. Aliud enim pecus tenuem labrorum prominentiam, tenues item malas: bobus contra labrorum prominentia craſſa eſt, malæ item hebetes & craſſæ, atque idcirco exiguis herbis non poſſunt eas ſubijcere: Quo loco annotauit Galenus πρόβατα ab Hipp. dici pecus, ſignificare nimirum volente vniuerſum pecus, quemadmodum, inquit, & in libro de comitiali morbo, vbi ad verbum legitur οὐκ ἔστιν ἄλλο πρόβατον, οὐδὲν ἢ βόες καὶ αἶγες. Simul (inquit) apud poetam legitur, vbi ait, πολλά τε οἱ πρόβατα ἐστί: uult enim ſignificare gregem pecudum, armentumq;, quam uocem è maioribus multi ſimiliter uſurparunt. Tantum Galenus. βοσκήματα autem hoc eodem loco potiſſimum oues, & capras denotant, quoniam horum potiſſimum labra amputationi exiguarum herbarum, & recenter erumpentium propter tenuitatem apta

Dentes. ſunt. *Dentes poſſidet continuos*, vt ait Plinius: Et alibi, *continui*, inquit, *aut vtraque parte oris ſunt, vt equo, aut in ſuperiore primores non ſunt, vt bobus, omnibuſque quæ ruminant: matribus plures quàm feminis dentes in homine, pecude, capriſve*: lego, capriſq;, nam ſic Ariſtoteles: *Oui pauciores ſunt dentes, quàm arieti*. Cur uerò bidentes nuncupentur inter ſynonyma diximus.

2. Hiſt. c. 3. Petrus Creſcentienſis ſcribit ouium dentes mutari poſt annum unum, & dimidium, nempe duos anteriores, & poſtea per ſex menſes, duos proximos, deinde cæteros, ita ut tribus annis, uel ad ſummum quatuor eijciantur omnes: eſſe autem iunioribus dentes inęquales, in ſtatu ęquales, ętate prouectis diſcalceari (ſic loquitur) hoc eſt à carne denudari, minui, & corrumpi. Ventres, ut in reliquis ruminantibus plures, uidelicet, ut cum officium oris non ſatis in molendo cibo adhibetur propter inopiam dentium, uentres munus expleant. Difficilis itaque intellectu locus hic Plinianus, *à vētriculo lactes ſunt in homine & oue, per quas labitur cibus, in caeris ile, à quibus capaciora inteſtina ad aluum*. Habes hic agni ventres apertos: A, Ventriculum: B, Reticulum. C, Omaſum. D, Obomaſum, denotat. Idē Plinius pecori, & armēto teſtes ait eſſe

Teſtes.

ad

A ad crura deciduos, ouibusque & capris in fęminibus mammas binas: addit Aristoteles totidē
papillas. Est ubi fel habent, est ubi non. Ouium & caprarum, inquit Aristoteles, pars maxima habet fel, & quidem terris quibusdam adeo largè, ut exuperantia prodigii loco habeatur, ut in Naxo. Sed aliis quibusdam locis omninò carent, ut apud Chalcidem Euboicam, parte quadā agri: Quod sic repetit Plinius: *In iecore est fel non omnibus datum animalibus: In Eubœæ Chalcide nullum pecori: in Naxo prægrande geminumq; vt prodigij loco vtrumque habeatur aduenis:* Idem ait: *absynthium Ponticum appellatur à Ponto, vbi pecora pinguescant illo, & ob id siue felle reperiuntur*. Id quod etiam testatur Aelianus: Oues, inquit in Ponto, siue felle esse dicunt: Contra in Naxo insula duplici felle pręditas. Idem Aelianus ait in regionibus perfrigidis cum niue, & hyeme vehementi anni tempus infestum est, fellis expers esse ouillum pecus, intraque ouilia compulsum, nouo pabulo non vti: Deinde ineunte uere cum ad pastiones proficiscitur felle impleri, quod ipsum Scythicis ouibus usu maximè euenire solere dici. Inuenio etiā apud Plinium, ni fallor, in Scepsi Asię regione lienes minimos esse pecori tradi, & inde ad lienem inuenta remedia. Aristoteles oui lienem tribuit rotundum; idem, ouium, cęterarumque qua-
B drupedum renes æquabiles esse scribit, non sicut bouum, qui tanquam ex multis exiguis renibus compositi videntur. Densius item seuum ouibus circa renes nasci, quàm cæteris animalibus. Et alibi tradit, renibus pingui vndiquè obductis, eas interire, idquè vbertate pabuli fieri, vt in Sicilia agro Leontino, vnde sero dici agere oues ad pascua pastores loci illius solere, quo minus capiant pabuli. Testatur Bellunensis in arietibus castratis in Syria adipem inter cutem, & carnem abundare, vt in porcis. De talo, siuè astragalo ipsius pecoris hunc in modum differit Scaliger. Talus in alijs est ad poplitem, in hominibus ad pedem, quia datus est ob firmitudinem. Firmitas autem debebatur homini in pede, ad quē pertinebat onus totius corporis, quòd per lineam rectam incumberet, & firmaret talus pedis flexionem. In quadrupede autem fibulā illam esse oportuit ad angulum, in quem os cruris superius, & inferius sinuantur, vt quod deesset roboris in rectitudine, supplementum acciperet à fibula in obliquitate &c. Ouillis pedibus anterioribus, ac posterioribus concretio quædam inhæret, parte, qua terram calcant (vt refert Leuinus Lemnius) vermiculi sub rotunda forma, lanuginosa intus, ac crinita congerie, qualis est in rosarum spongiolis, ac calicibus, quibus semen includitur, molli, tenuique lanugine im-
C plicitum: Exemi autem, inquit, tale quiddam sæpius ex decoctis eius pecudis pedibus, teredini qui vermiculanti, ac carioso ligno inesse solet, aut nucibus auellanis prorsus affine, atq; assimile. Quod si quis aut incuria, aut huius rei ignorantia pedes ouillos ederit, quibus illa concretio non sit exempta, confestim nausea, ac stomachi dolore afficitur, omniquè momēto ad ructus ac vomitationes incitatur. Persuasum autem promiscua multitudo, venenosum quid subesse huic concretioni, quod vt non ausim certò asseuerare, aut ijs assentiri: Ita facilè crediderim, capillatam illam congeriem, pilosamquè lanuginem, quę bisulcis fissisq; vngulis inhæret, concoctioni officere, atq; ventriculo negotium facessere. Opilliones autem pastoresq; ouium ea sunt opinione imbuti, nullum hoc animante in cursu fore velocius, omniaq; quadrupedia pernicitate superaturum, nisi tale quiddam articulis, quibus se fulciunt, subesset. Qua de re quid statui debeat, non ausim ex arte pronuntiare: hoc tantùm testatus obseruasse me has pecudes fugitantes, vbi canes ac lupi prædæ inhiantes, illas insectantur, celerrimo quidem cursu se subducere, sed non longius progredi, ac mox respectantes subsistere, ea vt opinor ratione, quod præter pauidum animum, & meticulosum aliquid eas remoretur pedibus subditum, & quod anhelosæ
D sint, ac pulmonis vitijs obnoxiæ &c. Caulis caudæ villosus est, quemadmodum vulpibus, & lupis, sed ouibus procerior, sed de latitudine, & longitudine ouium in diuersis regionibus. Pellis densitatem insignem esse indicat Hesiodus, penetrari eam à Boreæ vi negans, cùm aliàs penetret pellem bouis, & caprarum, redditque rationem, quod ipsarum villi sint annui; postquam enim venti illius vim delineasset, sic canit:

Θῆρες δὲ φρίσσουσ' οὐρὰς δ' ὑπὸ μέζε' ἔθεντο
Τῶν καὶ λάχνῃ δέρμα κατάσκιον· ἀλλά νυ, καὶ τῶν
ψυχρὸς ἐὼν διάησι δασυστέρνων περ ἐόντων
Καί τε διὰ ῥινοῦ βοὸς ἔρχεται, οὐδέ μιν ἴσχει
Καί τε δι' αἶγα ἄησι τανύτριχα. πώεα δ' οὔτι,
Οὕνεκ' ἐπηεταναὶ τρίχες αὐτῶν, οὐ διάησιν.
Ἲς ἀνέμου Βορέου. idest.

Feræ autem horrent caudasque sub pudenda ponunt
Eę etiam quarum vellere cutis densa est, & quas
Frigidius existens perflat, hirsuta, licet pectora habentes

Marginalia: *Fel.* — *Lib. 4. de part. c. 2.* — *Lib. 11. cap. 37.* — *3. de part. c. 12.* — *Lien.* — *Seuum. Renes.* — *3. hist. c. 10.* — *Talus.* — *Exerc. 124. 21.* — *Pedes.* — *Lib. 3. de occult. nat. miraculis.* — *Oues cur nō veloces.* — *Caulis caudæ pellis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Quin etiam bouis pellem penetrat, neque ipſum cohibet,
Etiamque per capram flat hirſutam: ouium autem greges non item,
Eo quod annui ipſarum villi ſunt non perflat
Vis venti boreæ.

Probl. ſect. 10.38. Ariſtoteles id non pelli, ſed pilis, ſiue lanis tribuit, his verbis: Sues hybernum pilum non amittunt, cùm cæteræ quadrupedes, vt canes, & boues amittere ſoleant. Nimirum quoniam cæteræ quadrupedes magis obnoxiam frigori cutem habent, & pili refrigerati defluunt. Sus verò calidiſſimus eſt, & pilos habet pingui infixos, &c. Oues etiam, ac homines propter ſui pili tum denſitatem, tum copiam non ita affici appulſu frigoris poſſunt, non enim altius refrigerationi ſubire licet, vt poſſit vel humorem gelare, vel calorem concoquendo ſeuocare. Qualis autem ouium pilus ſit aliàs idem Ariſtoteles oſtendit, ſunt quæ mollem quidem, inquit, habeant pilum, ſed minus tenuem, vt lepores, contra quàm oues: Et rurſus timida animalia ferè molles pilos habent, vt ceruus, lepus, & oues. Cæterùm ſecundum pilum, lanamue, mirum eſt, quantum variet hoc pecus. Ariſtoteles author eſt, oues frigidi tractus contrà quàm homines affici. F Scythas enim molli eſſe pilo; at oues Sauromaticas duro. Horatius oues Tarentinas pellitas cognominat:

Pilus.

Oues pellitæ cur dictę.

Dulce pellitis ouibus Galeſi.

Non vt Glareanus (à quo immeritò vapulat Porphyrio) quaſi crediderit aliquas oues eſſe abſque pellibus, ſed vt oſtenderet differentiam lanæ, nam quæ lanam habent duriorem, non ſunt pellitæ, ideſt, non teguntur pellibus, quales ſunt montoſæ, paſcales, hirtæ, ſoloces, vt habet Lucilius:

Paſcali pecore, ac montano hirco, atque ſoloce.

Sed & lana etiam ſolox vocatur, & ſolocia Titinnio: *Ego ab lana ſolocia ad puram data.* At Tarentinæ, de quibus loquitur poeta, quod mollioris ſint velleris, dicuntur pellitæ, teguntur enim contra aeris incommoda; Et Polybio dicuntur μαλακὰ πρόβατα, de quibus quoque Varro libro 2. cap. 2. *Peræquè*, inquit, *faciendum in ouibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, vt ſunt* G

H

Ta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

C

Tarentinæ, & Altinates, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici rectè, vel lauari, ac parari possit: Harum præsepia, ac stabula, vt sint pura, maiorem adhibeant diligentiam quàm hirtis. Dicuntur eædem etiam Græcæ & tectæ, & Asianæ, quod sub tecto maiore ex parte alerentur, vel quod propter velleris precium integerentur, sed prior fortè etymologia verior: Nam quæ hirsutæ sunt, Colonicæ dicebantur, quia in agris colebantur: Plinius: *Ouium summa genera duo, tectum & colonicum; illud mollius, hoc in pascuo delicatius, quippe, cum tectum rubis pascatur.* Beroaldus vir eruditus fretus his Columellæ verbis, *dissimilem rationem postulat; hirtum, atque Tarentinum;* putat idem esse Tarentinum & hirtum, magno sanè errore, quis nescit ita loqui latinos, dissimilem naturam pecus habet, atque homo? Plautus: *Illi sunt alio ingenio atq; tu.* Dicebantur, & apud Rhodios hæ pellitæ oues πρόβατα δέρμασιν ἐσκεπασμένα. Colonicæ etiam montanæ dicuntur, vnde ὀρεινὸν ἱμάτιον, idest montanũ vestimentum, ex lana squalida, & non pectinata. Pollux: τὸ δὲ ἄκναμπτον ἱμάτιον ἐπ[illegible] κωμικοί, ὥσπερ ἐν ὄρει εἰργασμένον, ἤτοι οὐκ ἐγναμμένον καλοῦσι. Quanta verò sit lanæ diuersitas penes regionum varietatem, mox ostendetur, vbi etiam de partium quarundam, ac potissimum caudæ varietate sermo fiet: Apposui iconem arietis nostratis hirsuti, longissimis pilis tecti; nec non alterius, in quo hoc potissimum memorabile, quòd caput tantùm & pedes haberet aterrimi coloris, & caudam lõgissimam. Nostrates autẽ non omnes fæcundę sunt, nam, vt ait Aristoteles, sunt in equorũ, itemq; in ouium genere, quę nullam faciant prolem, sed multorum genus totum sterile est. Estq; & in moribus differentia; reperiũtur enim, eodem Aristotele teste, oues ferę, & Dionysius Afer, Οἶς ἀγραύλους vocat oues non feras, sed in agris pascentes, & manẽtes sub dio: Ipsę autem ferę nullo ferè negotio mansuescunt, author est Columella inquiens: *Cùm in municipium Gaditanum ex vicino Africæ miri coloris syluestres, ac feri arietes, sicut aliæ bestiæ munerarys deportarentur, patruus meus quosdam mercatus in agros transtulit, & mansuefactos tectis ouibus admisit:* Et apud Varronem legimus, oues quas pascimus, ortas esse ab ouibus feris, & capras, quas alimus, à capris feris: Idemque alibi ait: *etiam nunc in locis multis genera pecudum ferarum sunt aliquot, vt in Phrygia ex ouibus, vbi greges videntur quam plures;* ait item Quintum Fuluium Leporarium dici habere, in quo preter cætera animalia inclusa sunt oues ferę:

Colonicę.

Oues feræ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

& Iulius Capitolinus teſtatur ſuo tempore extitiſſe Gordiani ſyluam memorabilem, in qua E
picta tunc continerentur tum alia diuerſa animalia, tum oues feræ centum, quæ omnia popu-
lo diripienda conceſſerat, die muneris, quod ſextum edebat: Et Aelianus ait montes eſſe dici
in intimis regionibus Indiæ, vbi quæ apud nos beſtiæ domeſticæ ſunt, feræ ſint, vt oues, capræ,
boues: Sunt autẽ oues feræ, vt ex Oppiano Gillius tradit, nõ multò quidẽ noſtris ouibus dome-
ſticis maiores, ſed certè ad currendũ velociores, & ad pugnandum fortiores, tum retortis corni-
bus, tum infeſtis, & robuſtis frontibus armatæ, ſæpe in ſyluis apros impetuoſos ad terram abij-
ciunt, & proſternunt, interdum impetu facto inter ſe pugnãt, neque vbi ſemel pugna commiſ-
ſa eſt, fas putant fugere, imò frontibus conſertis alterutram eſt neceſſe, aut victoriam referre,
aut ſtratam iacere mortuam.

L O C V S.

NON hic quibus locis, hoc eſt, montanisne an campeſtribus, paluſtribuſve gau- F
deant hæ pecudes ſum recitaturus, ſed loca recitabo, in quibus vel à noſtrati-
bus euariant, vel copioſius, vel minus abundant. Abidenas itaque oues nullas
Oues Abidenæ. videri albas, ſed nigras omnes dici Aelianus prodidit, & alibi inquit; Ariſtote-
Lib. 3. c. 32. lis filius Nicomachus in Budianorum regione ait albam ouem nullam naſci,
Lib. 11. c. 29. & lib. 16. cap. 31. ſed nigras omnes eſſe, quo vltimo loco fortaſſe pro Budiani legẽdum eſt Abi-
deni, vel contrà primo Budiani pro Abideni. Vtcumq; eſt, id forſan, aut à cæli, aut aquarum
temperie eſt. In Adimain Libyæ ſolitudinibus Iulius Cæſar Scaliger: animal ait eſſe forma
Exerc. 217. nu 8. arietina, aſelli magnitudine, ſeſſoris patiens, tametſi non ad eum vſum, ſed propter lac habea-
tur. Contrà quàm noſtratibus, fœminis cornua, maribus nulla: Ipſe hoc animal, arietem nuncu-
Aries Adimain. pat Adimain. De eodem Adimain ſic ſcribit Ioannes Leo Africanus: Adimain animal dome-
Lib. 7. ſticum, arietem forma refert, ſtatura aſinum. Aures habet oblongas & pendulas. Libyci his
animalibus pecoris vice vtuntur, quorum lacte maximam caſei, & butyri copiam conficiunt:
lanam tametſi curtam gerant, habent mediocrem: fęminæ ſaltem cornua geſtant: Ego quan-
dam iuuenili feruore ductus, horum animalium dorſo inſidens, ad quartam milliarij partem
delatus fui. In deſertis Libyæ frequenter reperiuntur, alioquin rari, licèt plerumque in agris G
Numidiæ videantur, quod prodigij loco habent; hæc ille. In Aegypto lana ouium pilo pro-
pior, quàm lanæ, teſte Plinio, ex qua veſtis detrita vſu tingitur, rurſuſque æuo durat; Hæc re-
8. hiſt. c. 28. gio, vt tradunt Aelianus, & Diodorus tam abundè herbida eſt, vt bis anno oues ex ſeſe pariãt,
biſque tondeantur: Sed & Ariſtoteles ait in Aegypto oues maiores eſſe quàm in Græcia, eiuſq;
rei cauſam attribui cibo, qui alijs largè, alijs parcè ſit. At verò Italus quidam in libro de itine-
re ex Venetijs Hieroſolymam, referente Geſnero, ait in Aegypto circa vrbem Damia, tam ver-
ueces rotundis, & amplis caudis ſpectari tanti interdum ponderis, vt vix eas ſuſtineant. Et Leo
Afer hiſtoricus ſe vidiſſe affirmat, ouium Aegyptiacarum caudas, quæ pondere libras quin-
quaginta, interdum verò centum viginti æquarent. Idem & Bellonius aſſerit, & Cardanus. Eſ- H

fc

A ſe tamen etiam in Aegypto vulgare noſtrum ouium genus ex adiecta arietis imagine, quam
ex antiquo lapide Aegyptioue obeliſco excerpſi, manifeſtatur. In Aethiopia oues non habent *Lib 4. .1.*
lanam, quod teſtatur Diodorus Siculus & Dinon, referente Aeliano, ouillum ibi pecus à lana *Lib. 17. c. 10.*
quidem inops eſſe ait, veruntamen pilis camelorum hirſutum eſſe: & Strabo aſſerit, oues apud *Lib. 7.*
Aethiopes lanam habere caprinam. Ioannes Bohemus, oues Aethiopum paruas eſſet ſcribit, *Lib. 1. c. 5.*
additq; incolas huius pecudis cauda pudenda ſua obtegere, & apud Ariſtotelem legimus eiuſ-
dem huius regionis oues, vel ad duodecim, vel ad tredecim annos vitam agere, Capras etiam *Lib 7. hiſtor.*
ad decem, & vndecim. In Africa arietes ipſi ſtatim gignuntur cornuti, id enim Ariſtoteles tra- *cap. 18.*
didit, his verbis: In Africa ſtatim arietes cornigeri generantur, nec ſolum mares, vt Homerus *Lib. 7 tract.*
ſcribit, ſed etiam fœminæ, quod Albertus Magnus Nubiæ peculiariter tribuit inquiens: in Nu- *2. c. 4.*
bia regione Africæ oues pariunt agnos cornutos, ibique non modò mares, ſed & ipſæ oues cor-
nua gerunt: Cui miraculo æquandum eſt, quod in eadem Africa oues, teſte Plinio, quarto tan-
tùm die bibant. Paulò verò antè diximus ex Columella, in municipium Gaditanum ex vicino *10. probl. 46.*
Africæ miri coloris, ac feros arietes cùm deportarentur à patruo eius fuiſſe mercatos. Agreſtes *Lib. 1.*
B autem in Africa arietes in magna copia parere ſcribit Ioannes Bohemus in opere de moribus *Aries Africanus.*
diuerſarum gentium. Bis verò ibi oues parere ſcribit Ariſtoteles. Cornelius Celſus rationem
reddit, quia lautè & voluptuariè viuunt, ſatietatis ita venerem comitem inquit eſſe, vt ibi oues *Lib. 9. de*
bis in ſingulos annos pariant. Ioannes Leo Africanus arietem Africanum delineat in hęc ver- *ſcript. Afr.*
ba: Neque his arietibus ullum ab alijs diſcrimen, præterquam in cauda, quam latiſſimam cir-
cumferunt, quæ cuique quò opimior eſt, eò craſſior obtigit, adeo vt nonnullis decem aut uigin-
ti pendeat libras, cùm ſua ſpōte impinguantur: Verùm in Aegypto farciendis veruecibus plu-
rimi intenti, furfure, hordeoq; ſaginant, quibus adeo craſſeſcit cauda, ut ſeipſos dimouere non
poſſint: Verùm qui eorum curam gerunt, caudam exiguis uehiculis alligantes gradum pro-
mouere faciunt. Vidi in Aſiota Aegypti ad Nilum Ciuitate, centum & quinquaginta millibus
paſſuum ab Alcairo ſita, huiuſmodi caudas libras octuaginta ponderare, alijs ſe uidiſſe affir-
mantibus, quæ ſemiducentas (ſic loquitur) libras expendiſſent. Omnis itaque horum anima-
lium pinguedo in cauda, nec uſquam niſi Tuneti, & in Aegypto reperiuntur. Agrigentum Pin-
darus μηλόβοτον vocat, quaſi pecudes paſcens, huius Vrbis nomine totam intelligēs Siciliam,
C quæ hac pecude abundat. Anglia cur præſtantiſſimam ſuppeditet lanam, Cardanus hanc af- *Angliæ lana.*
fert rationem: pabula, inquit, ſterilia ſubtilitatem lanæ augent, ideoque Anglica lana nunc, vt
olim, Mileſia, celebratur. Nec mirum cum nullum animal venenatum mittat Anglia, & ſine
luporum metu (nulli enim hodie in Anglia lupi reperiuntur) pecus uagetur. Rore cæli ſitim ſe-
dant greges, ab omni alio potu arcentur, quòd aquæ ibi ouibus ſint exitiales. Alij uerò ouium
lanam molliorem, & ſubtiliorem reddi aiunt, ſi depaſcantur agros uel nouales, antequam are-
tur; & relictos frumenti culmos ſtatim à meſſe: Idque non ſolùm lanam reddere meliorem, ſed
eadem opera agros fimo ouium ſtercorari, & hoc præcipuè in Anglia à diligentioribus obſer- *Lib. 1. hiſt.*
uari. Atqui Cardano adſtipulatur Polydorus Vergilius his uerbis: Colles paſſim multi, nullis *Anglic.*
arboribus conſiti, nulliſque aquarum fontibus irrigui, in Anglia, qui herbam tenuiſſimam, at-
que breuiſſimam producunt, & tamen abundè ouibus pabulum ſuppeditant per eos ouium
greges candidiſſimi uagantur, quæ ſiuè cæli, ſiuè bonitate terræ, mollia & longè omnium alia-
rum tenuiſſima ferunt uellera, ſed terræ ſterilitati id comprimis teſte Virgilio aſſignandum
D eſt, qui ea de re ſic docet: *Georgic. 3.*

Si tibi lanitium curæ, primum aſpera ſylua,
Lappæque tribulique abſint; fuge pabula læta.

Etſi uerò nunc Anglicana lana multò eſt precioſiſſima, ueteres tamen Scriptores de ea nihil
meminerunt: nam Virgilius Mileſiam ut optimam celebrat: alij alias (recitat hic Polydorus *Georgic. 4.*
multa loca, de quibus nos ſuis quibuſque locis:) Hinc igitur cognoſcere licet nullam olim Bri-
tannis, Anglisue lanigeri pecoris curam fuiſſe. Sed illos poſt ætatem Plinij, uel omninò tar-
diſſimè eam ſuſcepiſſe, ac lanam per Francos Mercatores, ut uiciniores, ad alias gentes dela-
tam, quo factum eſt, ut Itali etiam nunc Anglicam lanam uocent Franciſcam, perindè, qua-
ſi eam Francia ferat, & ſic homines paulatim magis effecti ſunt induſtrij. Eſt uerò illud *Lana Franciſca.*
admiratione dignum, quod oues iſtæ præter rorem cæleſtem nullum bibunt potum, adeò vt
etiam à paſtoribus de induſtria à fontibus arceantur, quando experientia cognitum, dare bi-
bere illis eſſe exitiale: nunquam autem oues Anglicanas bibere teſtatur etiam Bellonius. In
Antandria, teſte Ariſtotele, duo ſunt fluuij, quorum alter candorem, alter nigriciem pecori- *Lib. 2. obſer.*
bus facit, id quod Aelianus etiam memoria prodidit, ad diuerſam potionem, inquiens, colo- *c. 60.*
rum mutationem faciunt oues, quod quidem ipſum ex natura & ui amnium uſu eis euenire eo

anni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

anni tempore,cùm incuntur,ſolet. Itaq; ex albis commutatio in nigras fit,contraque ex nigris E
in albas conuertuntur. Hæc cum ad Antandrum amnem accidunt, tum ad Thraciæ fluuium,
cuius nomen Thraces accolæ tibi dicent,tum verò ad Troiam Scamander ex aqua ſua potan-
tes oues fuluas facit,&c. In Apollonia,quæ regio eſt in ſinu maris Ionij,oues tradidit Herodo-
Oues Solis. tus fuiſſe ſacras Soli, quæ per diem ſecundum eum fluuium paſcerentur,qui è Lacmone Apol-
In Calliope. loniæ monte ad Oricum portum olim vocatum, in mare defluebat; Has per noctem,qui diui-
tijs,& nobilitate inter illos præſtant ſingulari,per anni ſpacium domi ſeruare ſoliti fuerunt,cu-
Lana Apula. ius rei nos in exordio rationem reddidimus. Apula lana,vt ait Plinius,laudatiſſima, & quæ in
Italia Græci pecoris appellatur,alibi Italica,albus in ea color nobilis, vt ait Martialis:

Velleribus primis Apulia,Parma ſecundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ouis.

Lib.2.de Sale.c.36. Ipſæ autem oues, villo breues, vt ait Plinius, nec niſi penulis celebres. Alit autem hæc regio
plurimas oues,laudatiſſimas propterea quòd, vt ſcribit Bernardinus Gomeſius,maritima cùm
fit ſalſuginoſum ſolum, habeat,ideoque omnium in alendis pecoribus longè ſit fæcundiſſima, F
eſt enim (inquit) ſumma dignũ admiratione,quod cum terra inibi leuis,ac ſabuloſa ſit,ideoq;
eius paſcua haud frequenti, ſed rara admodum, & perpuſilla herba vireſcant, tantoperè pro-
pagando gregi ſufficiant. Tanta quippe herbulis illis ineſt vis,vt quamuis tenui ex paſtu,à ſal-
ſugine tamen cùm impinguato, tum ad excitandum paſcendi appetitum optimè condito, in-
credibilis ea pecudum multitudo creſcat, quæ non modo Neapolitanis,ſed Venetis,atque Il-
Lib.4. hiſt. lyricis populis ſuſtentãdis ſuppetat. Verùm de numero pecoris,& ex paſcuis eorum reddituan-
„ nuo clariùs his verbis Iouius: Verno tempore armenta, quæ niuoſis Præcutinorum Peligno-
„ rumque montibus deducta,in herbidis apricis Apuliæ campis hyemem abſumpſere,à paſtori-
„ bus reducuntur, qui non procul à Gargano monte cùm tranſeunt, portorium regijs Neapoli-
„ tanis publicanis perſoluere conſueuerunt. Ex eo vectigali ſupra centum millia aureorum num-
„ mum quotannis penduntur: Quod Galli,recepto iam à Neapolitanis Ferdinando II. Arago-
„ nio, occupaturi, ad ſanctum Seuerum, innumerabilem pecoris multitudinem coegerunt; Ve-
„ rùm cùm pecuniam ex vectigali ſe exacturos ſperarent, Ferdinãdus vniuerſum equitatum no-
„ ctu Foglia Apuliæ vrbe emiſit;accerſitaque leui armatura Franciſci Gonzagæ Mantuani, & G
„ tumultuario prælio pluribus ſimul locis inito, magnam pecoris partem auertit, & abripuit, eo
„ euentu, vt Galli gregibus in vtriuſque partis militum prædam conuerſis,& captis,diſperſiſque
„ paſtoribus,fugatiſque demum publicanis,omnem denique præoccupãdæ pecuniæ facultatem
„ amiſerint. Erant, quod vix dictu credibile eſt, ſupra ſexcenta millia minoris pecoris, maioris
„ verò circiter ducenta millia. Fuit eius editi facinoris ſpectaculum valde deforme, & miſerabi-
„ le,cùm eo tumultu innocentiſſimorum populorum opes inexpectata clade conciderint: Vide-
„ re enim erat milites inter ſe latronum more de præda decertare, armenta ipſa aſpectu arma-
„ torum,& concurſu rapientium,metu conſternata vndique diffugere: paſtores vinctos trahi tu-
„ multuoſoque cõtentionis genere cuncta permiſcere,& quod propè ridiculum erat, milites de-
„ ſperatione maioris lucri, oues raptim detondere, alias iugulatas excoriare, vt lana,ac pellibus
potirentur: hactenus Iouius. At verò Scipio Mazella Neapolitanus in deſcriptione regni Nea-
politani,de eiuſdem loci diuitijs,& redditibus ſcribens,teſtatur,anno milleſimo quingẽteſimo
octuageſimo ſecundo ex hoc pecoris vectigali, ſoluta fuiſſe aureorum ſexcenta, viginti duo
millia,& centum ſexaginta tres; minoris verò pecoris eo anno fuiſſe quadraginta ſeptem,& ſe-
xaginta vnum millia; maioris verò nouem millia,& ſexcenta. Arabia ita pecorum fertilis eſt,
Lib.2. c.10. teſte Diodoro, vt nationes plurimas vitam paſtorum agentes innutriat. Herodotus duo ibi ait
Arabicæ oues. eſſe ouium genera admiratione digna,quæ nuſquam alibi viſuntur: Vnum quod caudas habet
tam longas, vt non ſint tribus breuiores cubitis,ſi quis trahi ſinat, vlcera contracturas cùm per
Lib. 3. terram atteruntur. Nunc, inquit, vnuſquiſq; paſtorum hactenus eſt doctus arte fabrili, vt plo-
ſtella faciant,quæ ſingularum caudis ſubligent,ſuper quæ ploſtella caudas ipſas alligent. Alte-
rum genus ad cubitalem latitudinem caudas gerere, quæ omnia tanquam admiratione digna
ex Herodoto recitat Aelianus. Vltra Peluſiacum Oſtium,vbi Arabia ad rubrum mare pertin-
git,quod Erythæum ab Erythro rege Perſei & Andromadę filio,non ſolum à colore Varro di-
Cap.46. cit appellari,in ipſo littore maris fontem eſſe idem Varro ſcribit, teſte Solino,quem ſi oues bi-
berint, mutent vellerum qualitatem, & antea candidæ amittant, quod fuerint vſque ad hau-
ſtum, ac fuluo poſtmodum nigreſcant colore. In Arabia Petræa tanta eſt pecorum,& camelo-
rum multitudo, vt incolæ eorum lacte potiſſimum viuant,vt ſcribit Chriſtianus Adrichomius
Lib.2.c.5. in opere de terra Sancta. Vertomannus ſcribit in ædibus regis Arabum fuiſſe perpinguem ver-
uecem, cuius cauda, adeo obeſa fuerit,vt libras quadraginta appenderet. In Arabia Felici, te-
ſte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A



B

C

ſte Diodoro oues ſunt, quæ pingues, & magnas habent caudas, & Vertomannus, prope Reame vrbem Arabiæ Felicis veruecum ait, reperiri genera, quorum cauda pondo eſſet librarum quadraginta quatuor, carere cornibus, adeoque eſſe obeſos & pingues, vt uix incedere poſſint; Sed & Ludouicus Bertema in Arabia Felici oues eſſe ait, quarum cauda uiginti ſex ſit librarum, additque ibidem arietes eſſe crinitos, uſque in terram, Aries, cuius hic imago exhibetur, falsò quibuſdam Indicus cognominatus ex Arabia felici delatus perhibetur. Cornibus omninò caret, lanam habet promiſſam, cauda terram contingit. Arcadia montem habet Menalum ouibus refertum, ſed & tota Arcadia, Homero atque etiam Orpheo πολύμηλος cognominatur ab ouium copia, unde, & Homerus Mercurium ſcribit in hymno de Pane, oues pauiſſe in Arcadia; & Virgilius ibidem optima eſſa pecuaria propter montes, atque ideò etiam optimos paſtores Thyrſum, & Corydonem Arcades fingit, *Lib.3.c.12.* *Cap.15.*

D *Ecloga 7.*

Fortè ſub arguta conſederat Ilice Daphnis
Compuleruntq; greges Corydon, & Thyrſus in vnum.
Thyrſus oues, Corydon diſtentas lacte capellas,
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Argiuorum agri hoc eodem pecore olim abundabant, quemadmodum apud Homerum oſtēdit Diomedes genus ſuum exponens. Armenij etiam qui genus ſuum à Phrygibus deducunt, Herodoto teſte, πολυπρόβατοι ſunt. In Aſia rubram habent lanam. Aſiat vrbs Aethiopica, oues habet, ut ſe uidiſſe teſtatur Leonius, cauda ad octuaginta pondo, ſed & centum quinquaginta extitiſſe refert, tantæq; amplitudinis, ut huiuſmodi oues reliquum corpus ob ſolius caudæ pondus loco mouere nequeant. Atticam lanam Athenæus tanquam pręcipuam commendat, & πεδικὰ, teſte Suida, Atticæ pars eſt apud Lyſiam, & alios Rhetores, ſic dicta, quoniam habebat ouium paſcua, uidentur ſanè eædem oues pedicæ, uel pediacæ græcis dici, quæ hirtæ, uel colonicæ latinis, uel paſcales, ut Cato, & Lucilius nominant, quaſi paſcuales, quòd paſſim paſcantur. Bæticis ouibus ſuus ex pabulo color, potu & aere natura fit, non arte, ad quod reſpexit Iuuenalis de Catullo loquens timente naufragium, eiecturoque ueſtes: *Iliad.ξ.* *Lana Aſiatica.* *Attica.* *Lib.12.* *Bætica.* *Satyr.12.*

Qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adiuuat aer.

Sunt autem ibi rubræ: Martialis de Corduba.

Albi quæ superas oues Galesi
Nullo murice, nec cruore mendax
Sed tinctis gregibus colore viuo.

Lib.9.epigr. 62. Et rursus de Platano Cordubensi.

In Tartessiacis domus est notissima terris,
Qua diues placidum Corduba Bætin amat:
Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo,
Et linit Hesperium bractea viua pecus.

Belgica lana. *Lib.4.* Belgis tam copiosos & ouium & porcorum greges esse Strabo asserit, vt hinc & saporum, & salsamentorum abundantia, non solùm Romæ, sed & pluribus Italiæ partibus suppeditet: lanam autem asperam quidem esse, ceterùm oblongis villis; vnde & hirsuta texant sagula quę lanas appellant. Gesnerus tamen oues quasdam ex inferiori Germania mollem, & crispam lanã gerere ait, & suis Flemmingh nuncupari, idest, Flandricam. In Bæotia duo esse flumina opinatur Varro, referente Solino, natura licèt separi, miraculo tamen non discrepante, quorum alterum inquit, si ouillum pecus debibat, pullum fieri coloris, quem induerit (videtur locus corruptus: Gesnerus legit, pullum fieri colorem vellerum) alterius haustu quæcumque vellerum fusca sunt, in candidum verti. De Budianorum regione suprà dictum, vbi de Abidenis. In Cæuola prouincia arietes grandia gerunt cornua, ipsique sunt equinæ proceritatis, vt scribit Petrus Hispalensis, caudã nihilominus perexiguam habent, vt refert Frãciscus Vasquez apud Ramusium. *par.5.tract. 24.* *Arietes magnitudine asinorum.* Camandu regio sic dicta ab vrbe nominis eiusdem, arietes habet non minores asinis, & caudam ferentes tam longam, & latam vt triginta librarum pondus habeant, suntq; pulcherrimi, & pingues, atq; ad esum optimi, vt tradit M.Paulus Venetus. Canusinis ouibus lana fulua est, teste Plinio, siuè ruffa, vt Martialis habet, *Roma magis fuscis, vestitur Gallia ruffis.* Et Canusinatum Syrum dicit, pro Canusina veste ornato, vt, *Canusinatus nostri Syrus assere sudet.* Lanas istiusmodi erythras vocari inuenio. *Lib.1.c.22.* *Lib. 11.* *Lana Canusina.* Cappadoces quantoperè hoc pecore abundant Strabo innuit; Persis qninquaginta millia ouium quotannis pendere scribens. Apud Chalcidem Euboicam quadam agri parte oues felle omninò carere ex Aristotele, & Plinio suprà dictum est; *Lib. 16. c. 32.* In Chio insula oues esse minutissimas inopia pabuli, sed caseum tamen ex ijs laudatissimum fieri tradit apud Aelianũ Aeschylides in libro de agricultura; Cytisum enim folia fici, & oleæ decidua ijs obijcere, & variorum leguminum paleas, quibus illæ in pabulo acquiescant, sed & spinas quasdam ab ijs seri ait, è quibus quod emanarit, lac coagulari, & in optimum caseum conuerti, quem Cynthium nominant, eiusque talentum vænire drachmis centum & nonaginta. Addit & agnos huius Insulæ egregios haberi, & maiore cæteris precio vendi: hęc Aelianus *Caseus Cynthius.* sed pro Cynthius fortassis legendum acanthius, nam hodieque spinam albam nouimus, cuius semine, nec non & succo lac coagulatur, nullam verò spinam quę lac caseo aptum præbeat, & si talem alicubi extare non negarim. *Lib.6. c.6.* In Cirno, siuè Corsica oues signaculis distinctæ, vt refert Diodorus, etiam nullo custode, patrono seruãtur. In Clazomeniorum agris pecora, teste Hermolao, procreári aiunt, alijs locis leucophæa, aliis pulla, aliis coracino colore. D *Coraxorum lantium.* *Lib. 3.* Coraxorum lanitium omnium pulcherrimum esse Strabo profitetur, ideoque admissarios arietes talẽto emi. Crathim fluuium candorem facere in lanis, Theophrastus tradidit, teste Plinio. Cretenses, vt apud Bellonium legimus, arietum & caprarum tàm numerosos greges habent, vt ex eorum caseo & lana magnam pecuniæ vim colligant. *Lib.1.c.14.* *Cretenses arietes.* Idem asserit arietum ibidem genus esse, cuius magni greges aliis haud minores vulgò conspiciantur, pręsertim in monte Ida, quos pastores Strephoceri nominent, nostris in hoc dissimiles, quòd nostri cornua inflexa, & contorta gestant, hi verò omninò erecta, vt vnicornu, in ambitu caniculata cocleæ in modum contorta. Cùm primùm tantos eorum greges conspiceret, ignarus veteres eius meminisse, in mentem (inquit) subijt inquirere, si quid cum vnicornu commune haberet. Arietem nostratem magnitudine non superat. Illius effigiem hic subiecimus, non quod eam ab aliquo authore desumpserimus: nemo etenim de eo quidquam tradidit (præter eius nomen, quod in Plinio legimus) eiusue iconem præbuit: Hactenus Bellonius. Cynocephali alunt ouillum, & caprinum pecus, ex lac bibunt, teste Aeliano. Erythræa Insula Straboni tantæ est fæcunditatis, vt pecudes pabuli copia sit necesse exscreatione sanguinis purgari, additque inde fingi, quę de Gerionis armentis proditur, & Eustathius in Dionysium Afrum Erythæam insulam esse ait, vel eandem quæ Gades, vel pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

C

proximam freto vnius stadij discernente, eam pabuli vbertate ita gliscere, vt ouium lac, serum
non habeat, & insuper ad conficiendū caseū multam aquam admiscere oporteat propter pin-
guedinē, quin & intra triginta dies suffocari illic pecus dici, nisi aliquid sanguinis detrahatur.
In Erethriæorum agris pecora, teste Hermolao, procreari aiunt, alijs locis leucophæa, alijs pul-
la, alijs coracino colore. De Gadibus eadem quæ de Erythæa diximus, Strabo scribit: Phere-
cides inquit, Gades Erytheam videtur appellasse, in qua Gerionem habitasse volunt extra co- *Lib. 3.*
lumnas Herculis: alij verò adiectam huic vrbi insulam, quam stadij interuallo Euripus inter-
labens segregat. Lætitia pabuli summa: pecudum lac serum non efficit, caseumq; multum im-
miscentes aquam conficiunt; tantum exuberat pingue; trigesimo die animal suffocatur, nisi
D quicquam cruoris exhauriatur, herba quam pascuntur oues sicca quidem est, sed incredibilem
gignit aruinam. Quibus ex rebus fabulam de Gerionis armentis confictam esse aiunt. Idem
Strabo Gadiloneticam regionem esse scribit post Halyos ostia vsque ad Armeniam, felicem *Lib. 12.*
quidem, & totam campestrem, & omnium feracem, oues habere mollis pellis, & lanæ, id quod
in tota Cappadocia, atque Ponto rarum (inquit) est. De Galeso fluuio dicetur, vbi de Taren- *Galliçoues.*
to. Gallicas oues suo tempore earumq; pręcipuas Altinates precisiores habitas tradit Columel- *Lib. 24. cap. 11.*
la, Milesijs scilicet, Calabris, Apulisq;. Scribit verò etiam Turnebus in Gallia Narbonensi la-
pideos campos thymo abundare, eoque infinita pecudum millia conuenisse, meminit, inquit,
Plautus: *Vetulæ sunt Thymianæ*; propter scilicet longinquitatem viæ macrescentes, ideoq; ma-
læ. Thymianiæ in veteribus libris reperisse scribit Ioachimus vtriusque linguæ hodie princeps,
quæ vox quid significet, consulendum Apollinis oraculum, inquit, ibidem Turnebus, nisi thy-
mum amantes explices, & hic etiam ait, se vidisse, quæ Thymiania defenderent, vt rei diuinæ
aptas, quales emebantur à parcioribus, viliores, & macriores, additque etiam se & minæ legē-
dū esse existimasse, sed quin thymianæ tueamur, & defendamus, nihil esse videri causæ. Apud
Garamantas ouillum pecus carne, & lacte alitur, teste Aeliano. In Gariata Scotiæ regione est
mons

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

mons quidam Dounder, aureus ab incolis appellatus, inquit Hector Boethius in deſcriptione A
Scotiæ, quod oues in eo flauæ ſint, habentes dentes coloris aurei planè, carnes verò velut croco
Lib. 2. de ve tinctas, pauloq; plus quàm ea eſt, quam ferunt lanam. In Gortynide Oppianus, vt refert Ae-
nat. lianus, tradit, & ruffas, & quadricornes eſſe oues. De Gotlandiæ, ideſt, bonæ terræ, arietibus,
Lib. 17. ,, & agnis in hæc verba ſcribit Olaus magnus: Inſula eſt in Gothico mari, regno Gothorum, ſeu
c. 1. ,, Sueciæ ſubiecta, Gothlandiá, ideſt, bona terra ab omnibus eam frequentantibus ſic nominata,
,, eo quod inter aquilonares inſulas meritò felix, & abundans, ob plures naturæ dotes computa-
,, ri, & magnificari debeat. Hæc arietes, ſiue verueces cæteris robuſtiores, & proceriores produ-
cit, quibus quaterna, vel octona cornua creſcunt, tantumq; ferocię à cornibus mutuant, vt tem-
pore coitus, niſi ſerra, vel lima demantur, cæteris animantibus ſint nocumento, ipſique paſtori
rebelles, lanam habent longam, & mollem, quam aliquando Romæ exigua veſte reſolutam
artifices bireta facientes, mirè commendarunt. Heluetia, teſtante Geſnero, cum alibi, tum etiã
in ſummis Alpibus oues alit, idque altius quàm capras, capræ enim frutices ſequuntur, qui ex-
celſis cacuminibus deſunt. In Heſtiæotide (vetus lectio Heſtià quæ vox nuſquam reperitur, B
Hermolaus Heſtiæam mauult legere, quæ pars fuit Theſſaliæ, Straboni, Ptolomæo, & cæteris,
Homero verò & Thucididi, oppidum Eubœę: Stephanus & in Acarnania vrbem huius nomi-
nis eſſe dicit) fontes duos eſſe tradit Eudicus, referente Plinio, Ceronem, ex quo bibentes oues
nigræ fiant: Mellan, ex quo albæ; ex vtroque verò variæ. Hirta inſula Hebridum vna ab ouibus
quas priſca lingua hirt Scoti vocant dicta, vt habet Hector Boethius in deſcript. Scotiæ, fert
enim, inquit, oues, vel maximos hircos altitudine ſuperantes, cornua bubulis craſſitudine ęqua,
ſed longitudine aliquanto etiam ſuperantia, præterea caudas in terram vſq; prominentes ha-
bentes; cincta eſt hæc inſula rupibus vndiq; altiſſimis, niſi qua anguſto difficiliq; portu vix na-
uem recipit, olim haud ſine diſcrimine, nunc tantum Solſtitio æſtiuo ad eam acceſſus patet,
quo tempore Sacerdos à Leuiſſa vicina inſula nauigio ad eos accedit, infantes eo anno natos
baptiſmatis ſacro tincturus, atque aliquot exinde dies illic remanẽs ſacra adminiſtrat, quibus
peractis, ac receptis ex bona fide omnium rerum eo anno natarum decimis, ad ſuos reuertitur.
Hiſpaniæ Hiſpania, vt teſtatur Plinius, lanas nigri velleris habet pręcipuas, quod & Strabo meminit, in C
oues. Hiſpania lanitium coracino colore naſci tradens. Marineus verò in Hiſpania oues innumeras
Lib. 1. de haberi ſcribit, multos ſe ibi paſtores nouiſſe inquiens, quorum vnuſquiſque ouium triginta
reb. Hiſpan. millia poſſidebat, ideoq; lanas molliſſimas earum non Hiſpaniæ ſolùm populis, ſed externis
etiam gentibus abundantiſſimè ſuggeri: Et Damianus à Goes, eques Luſitanus tradit, hac etiã
In Hiſtor. tempeſtate in Hiſpania regulos multos, quos paſtores, inquit, Hiſpani vocant, tricena, & qua-
Hiſpan. dragena millia ouium poſſidere, & magnam boum, mulorumque multitudinem. Ex quo appa-
ret, aut fruſtra iactari à Strabone, in Hiſpania talẽtari precio arietes admiſſarios emi, & aſinos
quoque admiſſarios, & aſinas ad fęturam quadragenis ſeſtertijs: Strabonis verò verba ſunt pe-
,, culiariter de Bætica, nimirum iſthæc latinè expreſſa; multa autem veſtis antea inde veniebat,
,, nunc autem lanæ magis quàm à Coraxis, pulchritudine eximia, ſiquidem propter hoc arietes
,, talentari precio emuntur ad admiſſuram. In eadem regione agnos largius quàm alicubi nutri-
re, aſſerit Iulius Alexandrinus. Icaria inſula nunc Nicaria appellata, non admodum montibus
prædita, atq; raris ſyluis, ſed frumentis, & optimis paſcuis pro ouibus abundat, è quibus ingen-
Lib. 2. obſer. tem caſeorum numerum colligi, teſtis eſt Bellonius. Ida mons μαλλωτὴς à græcis appellatur, D
c. 8. ab ouium multitudine quaſi πολυπρόβατος, nam μαλλωτὴ apud eos ſignificat vellus, ſeu pel-
Lib. 5. lem lanatam. Ager ad Illyrium ſpectans, paſcendis ouibus perquam idoneus, vt tradit Strabo.
Libr. mira- Ferunt apud Illyrios pecora (τὰ βοσκήματα, capras & oues intelligo) bis anno parere, & qui-
bil. dem plerumque geminos, inquit Ariſtoteles, multa verò etiam ternos, & quaternos, quandoq;
Oues Indi- etiam quinos & plures. Item lactis ſexqui congium in diem ab eis emulgeri. Indorum oues
cæ. alicubi caudas cubitum latas habere Cteſias tradit, teſte Aeliano, qui aliàs etiam ſcribit, oues
Lib. 3. c. 3. Indiæ & capras ad maximorum magnitudinem aſinorum accedere audiuiſſe ſe, quatuor fetus
Lib. 4. c. 32. cum plerumq; pariunt, tres verò cùm minimum: nunquam enim ibi, inquit, neque ouillum pe-
cus, neque caprinum tribus minus edit. Caudæ ouillæ longitudo ad pedes vſque pertinet, ca-
prinæ verò ad eam procedit longitudinem, vt terram ferè contingat, idcirco eas paſtores oui-
bus matricibus abſcindunt, quod tum ſic facilius ineantur, tum ex earũ adipe oleum exprima-
tur. Arietum quoq; diſſecant caudas, atq; adipem extrahunt, & iterum conſuunt. Eatenuſque
deinde ſectio coniunctiſſimè committitur, cicatricis, vt ne tenue quidem veſtigium appareat.
Hæc itaq; Aelianus, quorum præcipua ex eodem Cteſia deſcripta ſunt. Idem Aelianus mon-
tes eſſe dici ait in intimis regionibus Indiæ, vbi quæ apud nos beſtiæ domeſticæ ſunt, feras eſſe
aiunt, vt oues, boues, & capras. Nos paulò antè cùm ageremus de Arabia Felici, arietis, ſeu
verue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

C

D

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

cis peregrini imaginem exhibuimus, cuius cauda ad terram vsque pertingit, at Iulianus Gry- E
phonius sororis meę filius Roma ex pontificia ne, an ex Cardinalis, vel alterius Principis aula,
aliud mihi comunicauit genus arietis planè sine cornibus & cauda, loco eius nescio quid ha-
bens extuberans, & sub mento veluti palearia; totus candicat præter caput, & extremas vngu-
las, quæ sunt nigra. Indici arietis nomine etiam missus alter iste, insigniter mutonatus, refle-
xis, & conuolutis cornibus, quę vt & totum caput, excepto rostro, coloris est cornei; rostrum au-
tem pedes, & testes, caudæq; pars inferior candicant, cætera ruffus. Istriæ, seu potius Histriæ,
Liburniæque lana pilo propior quàm lanæ, vt ait Plinius. In Italia genus quoddam arietum
esse tradit Gesnerus ex relatione cuiusdam sui amici, quod natura & ab ineunte ætate quater-
na, aut sena cornua aliquando gerat, sed hos imbelles esse, tenui, ac infirmo corpore, lana inuti-
Lib. 12. li. Laodicea oues in Asia breues villo summam nobilitatem habent, teste Plinio. Strabo Lao-
dicensis, inquit, ager, qui ad Lycum amnem cognominatur, oues gignit præstantissimas, non
non solùm mollitie lanæ, sed etiam colore coracino, itaq; magnum inde faciũt quæstum. Her-
molaus tamen ait alijs locis in illis agris pecora esse leucophæa, alijs pullo, alijs coracino colo- F
re; de eodem vellere meminit Plinius in octauo, vbi & pulliginem coloris genus facit, vt idem
annotat Hermolaus. Liburniæ lana propior est pilo, quàm lanæ, pexis aliena vestibus, vt lo-
quitur Plinius, & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania. Liguria, vt me-
minit Strabo, lanam habet τραχεῖαν, idest, hirtam, ex qua τὸ πλέον τῆς οἰκείας τῶν Ἰταλιωτῶν,
idest, vt vertit interpres, bona pars seruitiorum vestitur. Ex eadem Liguria Cebanum cogno-
mento caseum mitti ouium maximè lactis, author est Plinius. Lipara insula quæ hodieque
nomen retinet, nisi fallat Leander, antea dicebatur μηλογενὶς ab ouium prouentu, quamuis
Lib 8. c. 1. Ortelius ab initio scribat per ε. Inter Lusitaniæ fertilitatem, quam pluribus describit Athe-
næus ex Polybio agnis trium vel quatuor obolorum precium esse consueuisse ait, suem, quæ ad
centum librarum pondus accedat, quinque drachmis in cęnam emi, ouem duabus. In Libya vt
Libyæ oues. citat quidam tanquam ex Aristotele, citò apparent cornua in capitibus arietum, & secundum
Homerum, arietum etiam fæminæ cornutæ sunt, sed Gesnerus arbitratur pro ceruis falsò in-
terpretem trãstulisse arietes, ex Hebraica scilicet, vel Arabica lingua, quoniam eel, vel ail arie-
tem significat, aial ceruum, eoq; maximè cum vtraque vox eisdem scribatur literis, vt nisi pun- G
cta accesserint, non sit discernere præterquam ex sensu: Ipse tamen Gesnerus in historia de bo-
Lib. 4. ue citat hoc Herodoti. In Scythia maximum frigus mihi videtur esse causa, cur omnino cor-
nua bouino generi non succrescant, sententiæ meæ adstipulante Homeri carmine, quod ita
Odyss. 4. habet:

Et Libyen vbi sunt cornuti protinus agni.

Quod rectè, dicunt in locis calidis maturè cornua existere, nam in vehemẽtibus frigoribus aut
non oriuntur statim pecoribus cornua, aut si oriuntur; vix oriuntur. In Lycaonia vicum esse in
Lib. 12. vrbis modum prope Garszabora, scribit Strabo, eamque regionem quamquam sit sicca oues

ta:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tamen mirificè nutrire, sed asperas producere lanas, ex quibus maximas nonnulli comparent
diuitias. Amyntam autem suprà trecentos ouium greges in his locis habuisse. Lydiæ & Mace-
donicæ oues ex piscibus pinguescere dicuntur, vt meminit Aelianus. Theophrastus verò tra- *Lib.* 12.
dit, teste Plinio, in Macedonia, qui candida sibi nasci pecora velint, ad Aliacmonẽ ducere: qui
nigra aut fusca ad Axium. In Madagascar insula, tanta est ouium copia, vt tres vel quatuor co- *Lib.* 15. *cap.*
chleari stanneo commutarint, reperiri etiã ibi oues caudis maximi ponderis, vt icon ipsa osten- 25.
dit, testantur Bataui in prima parte descriptionis itineris sui naualis in Indiam Orientalem. In
Magnesia oues, teste Aristotele, bis pariunt. Massagetarum montani habent oues, non tamen
multas, quas minimè occidunt, lactis, & lanæ gratia parcentes, ex qua vestes sibi campestres
conficiunt, & quamuis regionem culturæ aptam habeant, eam tamen nõ colunt, sed ex ouibus
piscibusque, Scytharum, Nomadumq; more viuunt. Mediolanensis lana, teste Strabone, eius- *Lana Me-*
dẽ cũ Ligustica bonitatis, atq; vsus. In Mesopotamia bis parere oues tradidit Albertus: In ter- *diolanensis.*
ris calidis, inquit, & humidis, bis oues concipiũt sicut in Mesopotamia, & D. Hieronymus scri-
bit, ouiũ Mesopotanicarũ, & Italicarũ vnã esse naturã, vt bis pariãt, vnde inquit in Virgilio: *Bis* *Mesopota-*
B *grauidæ pecudes, bis pomis vtilis arbos.* At verò Q. Curtius Mesopotamiæ agri, inquit, tã vberi, & *miæ fertili-*
pingui solo sunt, vt à pastu repelli dicantur, ne satietas perimat: Causa fertilitatis est humor, *tas.*
qui ex vtroq; amne manat, nimirum Euphrate, & Tigri, toto ferè solo per venas aquarum resu-
dante. Oues ex Mileto tanquam præcipuas commendat Athenæus, his verbis: Clitus Aristo- ,, *Lib.* 12.
telicus in ijs quæ scripsit de Mileto asserit, Polycratem samium illum Tyrannum, omnia quæ ,, *cap.* 19.
erant ob delitias, congregasse, atq; inter ea oues ex Mileto, & ex Attica. Meloessa (μηλόεσσα) ,,
Insula est ex Syrenusis è regione Lacinij extremi Italiæ promontorij, non tam à pomorum
quàm a pecoris abundantia dicta. Milesiæ oues tertium bonitatis locum obtinent, Columellæ *Milesiæ o-*
iudicio. Apud Moscos, siue Moscouitas in desertis cãpis circa Boristhenen, Tanain, & Rha, ouis *ues.*
est syluestris, quam ipsi Seigach, Poloni Solhac appellant, narrante Sigismundo Barone, ma-
gnitudine capreolæ, breuioribus tamen pedibus, cornibus in altum porrectis, & quibusdam
circulis notatis, (ex quibus Mosci manubria cultellorum transparentia faciunt) velocissimi cur-
sus, & altissimorum saltuum. In Mutinensi agro lana, vt meminit Strabo, est mollis, & ea potis- *Lib.* 5.
C simum regio, quæ ad fluuium Scutanam pertinet, fert omnium longè optimam. Nabathæi, eo- *Mutinensis*
dem Strabone teste, oues habent albas. In Naxo insula oues duplici esse felle Aelianus, & Pli- *lana.*
nius testantur. Apud Nomades præsertim in locis Aethiopiæ vicinis, oues carne, & lacte nu- *Lib.* 16.
triunt, vt refert idem Strabo. In Orcadibus insulis oues penè omnes geminos, imò pleræq; tri- *Lib.* 17.
geminos partus edunt, vt scribit Hector Boethius in descript. Scothiæ. Ormenium Homerus *Lib.* i. *Iliad.*
πολύμηλον vocat, quia hoc pecudis genere abundat. Apud Pancheam oues plurimum ab alijs *Lib.* 9. *c.* 10.
differunt mollitie, teste Diodoro. Circa Patauium oues lanam habent mediocrem, vt ex Stra-
bone scribit Bayphius, ex qua preciosissima tapeta, & gausapinæ fiunt. Iuuenalis ibi etiam pel-
les agninas olim commendatas fuisse indicat, cum ait:

Euganea quantumuis mollior agna.

Parmenses lanas veteres post Tarentinas commendarunt. Non procul à Patrensium ciuitate *In Achai-*
fluuium esse, memorat Pausanias, Miligum, & post illum, alium Charadrum, ex quo pecora tẽ *cis.*
pore veris bibentia, vt plurimum mares parere dicantur, eamq; ob causam pastores in diuer- *Lib.* 7. *c.* 31.
sam à flumine partem ea abigant, bubus tantum exceptis, quoniam tauri eis ad sacrificia, & la-
bores, vaccis vtiliores sint, inter reliqua verò pecora fœminæ maribus præferantur. In Perù re-
D gione, quod sit calida, oues ad asellorum magnitudinem crescere, asserit Cardanus in opere
de rerum varietate, longis cruribus, crasso corpore, capite longo, collo, & effigie quasi Cameli,
carne optima, agnorum maximè, castratos aratum ducere & dorso ferre ligna, & alia, non cla-
mare, nec molestos esse, colore esse albo, nigro, & cinereo. Et Leuinus Apollonius Gandobru- *Lib.* 1.
ganus Middelburgensis in opere de Peruuiæ regionis inuentione, & rebus in ea gestis de hisce *Oues equo-*
ouibus diligenter in hæc verba scribit: Equorum egentiã quamquam imparibus, & ineptis ad *rum vicem*
bellum viribus, ouiũ copia supplet, quę equis magnitudine pares, & cętera forma pręter torosi *supplentes.*
pectoris strumam camelis persimiles, quinquaginta onerũ pondo sustinẽt, & virũ in terga sub-
latum ad aliquot passuũ millia vehunt, vesci tamen si vrgeantur, sedentes ore conuerso ringẽ-
tes fœdo odore conspurcant si onustæ sint, tum humi se acclinant, nec inde vlla verberum ve-
hemẽtia, ipsis asinis contumaciores, nisi penitus clitellis exonerẽtur, propelli possunt, vtile pro-
fectò animantiũ genus non ad supplendã modò absentiã equorum in sarcinis, virisq; vehendis
commoditatem, sed ad alimoniam etiam, & optimi lucri vsum: lanæ enim tenuitate, longitu-
dineq; & copia facilè nostras superant, & ipsius carnis suaui gratitudine veruecium, atq; iuuẽ-
corum nostratium delectabilẽ saporem adęquant, frumẽto vescuntur, sed paucissimi cibi sunt,

vsque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vſque adeo ferè exigui potus, vt illo triduo, quatriduove abſtineant: Barbari ſi quando vulgari epulo ſolemne feſtum celebrare decreuerint, ad ferinæ carnis apparatum mirificam venationem inſtituunt, quinque quatuorve hominum millia latum aliquot iugerorum ambitum complectuntur, gradatimque ad cantici ſtrepitum propinquantes in continentem pedetentim coronam ſubeant, ita deinde horribili clamore excitas luſtris feras, & pauido diſcurſu effugere conantes, ſed arcta corona circumcluſas magna multitudine rapiunt, cæduntque. In Hispania ouium ferarum greges videri, ſuprà ex Varrone diximus. Circa Piſcenas prouinciæ Narbonenſis lana Iſtricæ, & Liburnicæ ſimilis teſte Plinio, ideſt pilo propior, quàm lanæ. Piſtorium ad Pratum in Hetruria agnorum pelles ſubminiſtrat nigras, atque optimas, quæ hodie maioris fiunt quàm olim Cuniculi Anglici, vt ſcribit Ioannes Laurẽtius de Anania in ſua Coſmographia. Polentia iuxta Alpes, oues habet cani velleris, vnde apud Martialem lanæ Pollentinæ ſic de ſe loquuntur: — *Lib. 14. epigram. 157.*

Non tantùm pullo lugentes vellere lanas,
Sed ſolet & calices hæc dare terra ſuos.
Lana quidem triſtis, ſed tonſis apta miniſtris,
Quales non primo de grege menſa vocat.

Lib. 12. In Ponto atque Cappadocia, vt memorat Strabo, perrarum eſt vt oues mollem pellem, & lanam habeant. Dicunt autem oues ibi ſine felle eſſe, Plinius id teſtatur his verbis: *abſynthium Ponticum appellatur à Ponto, vbi pecora pingueſcunt illo, & ob id ſine felle reperiuntur.* Apud Pſyllos Indos (nam ſunt etiam alij in Africa) oues, teſte Aeliano, agnos noſtros magnitudine non ſuperant. Idem de Pygmæorum ouibus memoria prodidit Cteſias. Pyrrhicas oues in Epyro prouenire, tradit Ariſtoteles, egregia magnitudine à Pyrrho rege ita cognominatas. Apud Rhetos, vt ex amici cuiuſdam literis ſe accepiſſe tradit Geſnerus, arietes prouectæ ætatis, puta ſex, aut ſeptem annorum ad priora cornua producunt alia veluti adnata parua, bina vel terna, vel etiam plura, illa autem non ante quintum, aut ſextum annum adnaſci, primis interim proficientibus robore, & craſſitie: eoſdem robuſtos, ac feroces eſſe, & à paſtoribus aliquando ad pugnam hoſtiliter concurrentes inequitari. — *Oues Rheticæ.*

Lib. 4. c. 3. Sabæorum mare albo colore eſſe videtur, cui inſulæ Felices ſunt propinquæ, & in ijs pecora, teſte Diodoro, etiam omnino alba, cornua fæminis natura deſunt. Sardiniam Aelianus optimam pecorum parentem nuncupat. Sauromaticæ oues duro ſunt pilo, vt ait Ariſtoteles, contrà ac Scythæ, quibus pilus eſt mollis. Scamander amnis, vt idem Ariſtoteles ait, oues flauas reddere creditur, ideoque Xanthum nuncupatum pro Scamandro ab Homero. Scepſis Aſiæ regio appellatur, in qua lienes minimos eſſe pecori tradunt, & inde ad lienem inuenta remedia. Apud Scothos in parte quadam Anguſtæ regionis, cui nomen vallis eſke oues tam mollem, candidam, delicatamque & tam ſubtili villo lanam ferre aſſerit Hector Boethius in Scothiæ deſcriptione, vt vix ſimilis in tota reperiatur Albione. In Scythia oues, equos, & mulos ſæpe præ frigore mori Dionyſius Afer annotauit; Aelianus verò in regionibus perfrigidis, inquit, cùm niue, & hyeme vehementi, anni tempus infeſtum eſt, fellis expers eſt ouillum pecus; intra enim ouilia compulſum nouo pabulo nõ vtitur, deinde ineunte vere cùm ad paſtiones proficiſcitur, felle impletur, quod ipſum Scythicis ouibus vſu maximè euenire ſolere aiunt. Paulò ſuperius diximus in Scythia, Herodotum ſcribere agnos naſci excornes. Sunt & in Septentrione alicubi arietes mutili. Siciliam laudatas ſubminiſtrare oues diſcimus ex hoc Virgilij:

Mille meæ Siculis arant in montibus agnæ
Lac mihi non æſtate nouum, non frigore deſit.

Imitatus enim eſt poeta Theocritum, cuius verſus de pecoris præſtantia, atq; fructibus inſulæ huius pabulo vberrimæ ſunt hi:

Ἀλλ᾽ ὠυτὸς τοιοῦτος ἐὼν, βοτὰ χίλια βόσκω,
Κ᾽ ἠκ τούτων τὸ κράτιστον ἀμελγόμενον γάλα πίνω.
Τυρὸς δ᾽ οὐ λείπει μ᾽ οὔτ᾽ ἐν θέρει, οὔτ᾽ ἐν ὀπώρῃ
Οὐ χειμῶνος ἄκρω. ταρσοὶ δ᾽ ὑπεραχθέες αἰεί. ideſt,

Verùm ego ille, qui talis ſum, oues mille paſco:
Et lac optimum, quod ex illis mulgetur, bibo:
Nec caſeus mihi deſit in æſtate, neque in autumno,
Neque ſumma etiam hyeme: fiſcellæ enim ſunt oneratæ ſemper.

Oues Syriacæ. Sybarim fluuium nigritiam bobus, ac pecoribus præſtare, Theophraſtus, teſte Plinio, ſcriptum reliquit. In Syria Ariſtoteles, ait oues eſſe cauda lata ad cubiti menſuram. Plinius paulò aliter: *Syriæ*, inquit, *cubitales ouium caudæ plurimumque in ea parte lanitij.* Varro verò & Creſcen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Crescentiensis in caudis obseruare iubent, vt sint in Syria breuibus, in Italia prolixis. Tarentinam lanam prędicat Plinius, inquiens habere oues suæ puliginis, & circa id oues summam nobilitatem habere, & Varro ait; *oues pellitæ propter lanæ bonitatem, vt sunt Tarentinę, & Altinates: pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus, vel infici rectè possit, vel lauari, ac parari.* Et Palladius, Tarentinas oues, siue græcas moris esse stabulo potius quàm campo nutrire, & pertusis stabulis solum, in quo clauduntur, insternere, vt sic tuta cubilia propter iniuriam preciosi velleris, humor reddat elabens, tribusque per annum totum diebus aprico die oues vngere oportere oleo, & vino, nec non & propter serpentes, qui plerumque sub præsepibus latent, cedrum, vel galbanum vel mulieris capillos, aut ceruina cornua frequenter vri oportere: Scribit & Columella hoc pecus Tarētinum vel græcum, nisi cum Domini pręsentia est, vix expedire haberi, quod & curã & cibum maiorem desiderat, nam cum sit vniuersum genus lanigerum, cæteris pecudibus mollius tum ex omnibus Tarentinum est mollissimum, quod nullam Domini, aut magistri inertiam sustinet, multoq; minus auaritiã, nec æstus, nec frigoris patiens. Raró foris, plerumq; domi alitur, & est auidissimum cibi, cui si detrahitur fraude villici, clades sequi-

Lana Tarētina.

Oues Tarētinæ quales, & vt alēdæ.

B tur gregem. Singula capita per hyemem rectè pascuntur ad præsepia tribus hordei, vel fresę cũ suis valuulis fabæ, aut cicerculæ quatuor sextarijs, ita vt & aridam frõdem præbeat, aut siccam vel viridem medicam, cytisumve, tum etiam cordi fæni septena pondo, aut leguminum paleas affatim. Minimus agnis vendundis in hac pecude, nec vllus lactis reditus haberi potest, nam qui & submoueri debent, paucissimos post dies, quàm editi sunt, immaturi ferè mactantur, orbæque nati suis matres alienæ soboli præbent vbera, quippe singuli agni binis nutricibus submittuntur, nec quicquam subtrahi submissis expedit, quo saturior lactis agnus celeriter confirmetur, & parta nutriti consociata minus laboret in educatione fœtus sui, quam ob causam diligenti cura seruandum est, vt & suis quotidie matribus, & alienis non amantibus agni subrumentur. Plures autem in eiusmodi gregibus, quàm in hirtis masculos enutrire oportet, nam priusquam fœminas inire possint mares castrati cum bimatum expleuerint, enecantur, & pelles eorum propter pulchritudinem lanæ maiori precio, quàm alia vellera, mercantibus traduntur. Liberis autem campis & omni surculo, ruboque vacantibus ouem græcam pascere meminerimus, ne & lana carpatur, & tegumen. Nec tamen ea minus sedulam curam foris, quia non quo-

C tidie procedit in pascua, sed maiorem domesticam postulat; nam sæpius detergenda, & refrigeranda est, sæpius eius lana diducenda, vinoq; & oleo insuccãda, nonnunquam à toto est eluenda, si diei permittit apricitas, idque ter anno fieri sat est &c. Tarentina itidem pascua celebrat Virgilius, inquiens:

2. Georgic.

Sin armenta magis studium, vitulosque tueri
Aut fœtus ouium, aut vrentes culta capellas,
Saltus, & saturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niueos herboso flumine Cycnos,
Non liquidi gregibus fontes, non gramina desunt
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.

Oues verò etiam Calphurnianus pastor prædicat:

Egl. 2.

D
Mille sub vberibus balantes pascimus agnos,
Totque Tarentinę præstant mihi vellera matres.

Maximè verò iuxta Tarentum Galesus fluuius mollitie lanæ propter pasturæ copiam, & dulcedinem commendatur, vnde illud Horatij:

Vnde si parcæ prohibent iniquæ
Dulce pellitis ouibus Galesi
Flumen, & regnata petam laconi
Rura Phalantho.

Meminit, & Martialis, de Erotio puella loquens:

Puella senibus dulcior mihi cycnis
Agna Galesi mollior Phalanini.

Quo loco alij legunt Phalantini, à Phalante conditore Tarenti. Idem Horatius Tarentum molle cùm dixit, si Macrobio credimus, errasse videri potest, qui etymologiam respiciens idem esse Terentum, & Tarentum crediderit, nam quæ dicuntur oues Tarentinæ, eas Terentinas debere dici credit, quod Terentum Sabinorum sit molle: Sed Flaccus, inquit Turnebus potius ad populi fortassis mores, quàm vocis mutationem respexit. Faborinus

Tarentum molle cur dictum.
Lib. 2. Satyr. 4.
Lib. 1. c. 24.
Lib. 3. c. 18.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

verò apud Macrobium. Tarentinas oues, inquit, & nuces dicunt, quæ ſunt Terentinæ à Tere- E
no, quod eſt Sabinorum lingua molle, vnde Terentios quoque dictos putat Varro, hinc molle
Tarentum dixit Horatius, & apud Varinum legimus, τέρενα græci vocant τὰ ἁπαλὰ, id eſt, te-
Lib. 6. c. 7. nera, & mollia. Circa Tarnaſari vrbem Indiæ tanta eſt pecudum copia, referente Vertoman-
no, vt duodeni verueces ſingulo aureo veneant, additque conſpici illic verueces alios cornua
haud abſimilia damis habentes, noſtris longè maiores, ferocioreſque. In Tartariæ regione Ca-
mandu arietes ſunt non minores aſinis, vt tradit Paulus Venetus, caudæ tam longæ & latę, vt
Lib. 1. cap. 22. triginta librarum pondus æquens, pulcherrimæ & cibi optimi. Tegea oppidum eſt Arcadiæ,
quia pecoribus abundat, ἔυμηλος dicta à Simonide poeta in Tegeatas, hoc eſt, eius vrbis inco-
Lib. 3. epigr. las, qui contra vim Lacedæmoniorum patriam ſuam defenderunt, ſcribens hoc epigramma,
quo eos ἐυθυμάχους, quaſi fortes, ſiue rectà in faciem pugnantes vocat, ne ſi ipſi debellentur, to-
tius Græciæ libertas pereat, deſtruaturque:

> Ε'υθυμάχων ἀνδρῶν μνησώμεθα, τῶν ὅδε τύμβος F
> Oἳ θάνον, ἔυμηλον ῥυόμενοι Τέγεαν.
> Aἰχμηταὶ πρὸ πόλιος. ἵνα σφίσι μὴ καθέληται
> Ε'λλὰς ἀποφθιμένοις, κάρτος ἐλευθερίας.

Tibareni populi ſunt Trapezonti imminentes, Chalybibus vicini, ouium præſtantiſſimi culto-
res, vt dicit Priſcianus, ſeu Rhemnius in Dionyſiij Geographia, vbi ponitur hic verſus:

> *Hic pecorum eſt diues nimirum gens Tibarenum.*

Euſtathius in Dionyſium iuxtà minorem Armeniam habitare ſcribit, & πολύῤῥηνες dici. In
Odyſſ. M. Trinacria, ſicuti recenſuit Homerus, veteres fabulati ſunt Solem habuiſſe proprios ouium gre-
ges & boum armenta, quæ Horę, & Nymphæ paſcerent. Hæc non procul à Tænaro fuiſſe ſcri-
Lib. 3. bit idem Homerus. Ex Turditania Hiſpaniæ frequens olim veſtitus veniebat, teſte Strabone,
nũc verò Coraxorum, inquit, amplius lanitium omnium pulcherrimum, vnde admiſſarij arie-
tes talento emuntur. telarum exuperans tenuitas, atq. copia, quas Saltiatæ conſtruunt. Apud
In mirabilibus. Vmbricos pecora (τὰ βοσκήματα) ter anno parere dici tradit Ariſtoteles.

E L E C T I O. G

Lib. 3. de re ruſtic. VARRO cenſet, inquit Conradus Heresbachius, prius ætatis rationem haben-
dam, oues comparaturo, vt neque vetulæ, neque meræ agnæ ſint, quod alteræ
iam nondum, alteræ iam non poſſunt dare fructum, ſed ea melior ætas, quam
ſequitur ſpes, quam ea quàm mors; bimæ igitur eligendæ; quæ trimatum ex-
ceſſerint, reijciẽdæ. Aetas in dentibus cognoſcitur, nam vetulis ambeſi. Deinde
ouem quærendam amplo corpore, lana multa & molli, villis altis, ac denſis toto corpore, ma-
ximè circum ceruicem, & collum, ventrem quoque vt habeat lanoſum (quæ collo, & ventre nõ
ſunt piloſæ, apicas vocatas fuiſſe antea dictum eſt, quas reijciebant) ceruice prolixa, ampli vte-
ri, cruribus humilibus. Si non niſi lanatas, & intonſas comparaueris, melius coloris vnitas ap-
parebit. Color albus cum ſit optimus, tum etiam vtiliſſimus, quod ex eo alij plurimi fiant colo-
res, ipſe verò non ex alio, tametſi non deſit precium apud quoſdam fuſco, & pullo, atque etiam
rutilo, quem vocãt ἐρυθρὸν, canam comã improbabis, quod ſit incerti coloris. Neſtor Iliados K, H
exploratori adituro Troianorũ caſtra promittit donandã à ſingulis optimatib. gręcis ὄιν μέλαι-
ναν θῆλυν ὑπόῤῥηνον, ouẽ nigrã, & grauidã, teſte Columella: Florẽtinus, interprete Andrea à La-
cuna, optimas oues eſſe ait, quæ tenuem, fluidamq; poſſident lanam: quæ enim incriſpantur la-
nugine, eæ quidem natura languida haberi: græcè legitur, ἄριςα δὲ εἰσι πρόβατα, τὰ ἔχοντα ἐρία
ἡπλωμένα. Τὰ δὲ παρελότριχα σαθρὰ ἐιναι τῇ φύσει διαβεβαιοῦνται. Quę Geſnerus ſic vertit: Ma-
ximè probantur oues, quibus rectæ, & extẽſæ ſunt lanæ, nam criſpas (lanas) facilius natura cor-
rumpi affirmant. Si quis autem non lanas, ſed oues ipſas, quarum criſpæ ſunt lanæ, citius corrũ-
pi aſſerat, huic, inquit, non aliter reſponderim, quàm expectare me ſentẽtiam opilionis, aut ho-
minis, qui oues, aut poſſederit, aut curauerit. Ariſtoteles aſſerit inter oues frigoris patientiores
Oues quæ frigoris patientiores. eſſe, quibus cauda amplior, quàm quibus porrectior, & glabras exutiores quàm veſtitiores, criſ-
pas etiam algoris impatientes eſſe, & alibi ait, iudicant paſtores ouem validiorem, cùm hyber-
nis temporibus pruinam, quam ſuſceperit, ſeruat: nam quibus virium minus, parum prę ſua im-
becillitate conſtantes, diſcutiunt ſuo motu, quantum ſuſceperint. Quæ Albertus longè aliter
ſiue vertit, ſiue peruertit, his verbis: Oues excutientes à caudis glaciem, ferociores ſunt, & me-
lius, ac diutius durant, non excutientes autem, citò moriuntur. Eſt item macilentiæ, & obeſita-
tis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tis ratio habenda, nam vt macilentas nemo probauerit, ita obesæ nimium, difficulter pariunt, quædam etiam in ipso partu moriuntur, antequam absoluant. Cæterùm empturo oues, sanitas earum perspecta exactè esse debet, quæ de re sic Petrus Crescentiensis: Sanitas, & infirmitas ouium, inquit, certis signis cognoscitur; nam si aperiantur earum oculi, & venæ sint rubicundę, & subtiles, sanæ sunt: Sin albæ, vel rubicundæ, & crassæ apparuerint, infirmæ. Item si manu apprehensæ in schina prope anchas (in spina dorsi prope coxendices) comprimuntur, nec flectuntur, sanæ, & validæ sunt: Si verò flectuntur, infirmæ. Item si capite in pelle colli, & antè tractæ vix trahi possunt, sunt sanæ, & robustæ; Si facilè sequuntur, infirmę. Item sanę per viam animosius incedunt, imbecilles molestiùs, & capite inclinato. De arietum electione sic breuiter Varro: *Quos arietes submittere volunt, potissimum eligunt ex matribus, quæ geminos parere solent.* Et rursus; *imprimis videndum, vt boni seminis pecus habeas: Id ferè ex duabus rebus potest aduerti, ex forma, & ex progenie: Ex forma, si arietes sint fronte lana vestiti benè, intortis cornibus, pronis ad rostrum; rauis oculis, lana opertis, auribus amplis, pectore, & scapulis, & clunibus latis, cauda lata & longa. Animaduertendum quoque lingua ne nigra, aut varia sit, quòd ferè, qui talem habent, nigros aut varios procreant agnos: Ex progenie autem animaduertitur, si agnos procreāt formosos:* Quod ait Varro de lingua, idem testatur Plinius his verbis: *Arietum maximè spectantur ora, quia cuius coloris sub lingua habuere venas, eius & lanitium est in fœtu, variumque si plures fuere, & mutatio aquarum potusque variat.* Et ante Plinium Virgilius, cuius authoritatem citans Columella, inquit; *non solum ea ratio est probandi arietis, si vellere candido vestitur, sed etiā si palatum, atque lingua concolor lanæ est. Nam cum hæ corporis partes nigræ, aut maculosæ sunt, pulla vel etiam varia nascitur proles, idque inter cætera eximia talibus numeris significauit Virgilius:*

Illum autem (quamuis aries sit candidus ipse)
Nigra subest vdo tantum cui lingua palato
Reijce, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum.

Vna eademq; ratio est in erythręis, ac nigris arietibus, quorum similiter neutra pars debet esse discolor lanæ, multoque minus ipsa vniuersitas tergoris maculis variet: Ideo nisi lanatas oues emi nō oportet, quo melius vnitas coloris appareat, quæ nisi præcipua est in arietibus paternæ notę plerumque natis inhærent; Habitus autem maximè probatur, cùm est altus, atque procerus, ventre promisso, atque lanato, cauda longissima, densique velleris, fronte lata, testibus amplis, intortis cornibus, non quia magis hic sit vtilis (nam est melior mutilus aries) sed quia minimè nocent; intorta potius quàm surrecta, & patula cornua; quibusdam tamen regionibus, vbi cæli status vuidus, ventosusque est, capros, & arietes optauerimus, vel amplissimis cornibus, quod ea porrecta, altaque maximam partem capitis à tempestate defendant. Itaque si plerumque est atrocior hyems, hoc genus eligemus: Si clementior, mutilum probabimus marem, quoniam est illùd incommodum in cornuto, quòd cum sentiat se velut quodam naturæ loco, capitis armatum, frequenter in pugnam procurrit, & fit in fœminas quoque procacior. Nam riualem (quamuis solus admissuræ non sufficit) violentissimè persequitur. Nec ab alio tempestiuum patitur iniri gregem, nisi cum est fatigatus libidine: Mutilus autem cùm se tanquam exarmatum intelligat, nec ad rixam promptus est, & in venere mitior. Hęc itaque Columella. Si verò agnos comparaueris, vitabis, qui ex ouibus primiparis nati sunt, harum enim fętus minores esse, Plinius asserit, sciendumque quo anni tempore nati sunt, nam verno tempore nati, maiores, robustiores, pinguioresque esse, quàm autūno, ac hyeme, quidam citant ex Aristotele, & Auicenna. At verò Plinius ait, *coeūt oues à tertio Idus Maias ad 13. Calendas Augusti. Gerunt partus diebus centum quinquaginta, postea concepti inualidi. Cordos vocabant antiqui post id tempus* (fortè simpliciter post tempus, legendum vt etiam Varro habet) *natos*. Multi hybernos agnos præferunt uernis, quoniam magis intersit ante solstitium, quàm ante brumam firmos esse, solumque hoc animal utiliter bruma nasci.

Arietis electio.

Agnorum electio.

NATVRA, MORES, INGENIVM.

QVILLVM pecus inter cetera animantia omnia maximè indiget pastore: quia nec uires habet, quibus se defendat, nec arma, quibus repugnet, nec uelocitatē, ut fugere possit, nec industriam, qua se abscondat. Equidem Aristoteles scribēs animalia differre timiditate, mansuetudineque & ferocia, placiditateque, addit genus ouile amens esse, & moribus stultissimis, quippe quod omnium quadrupedum

Oues cur pastore egeāt. Lib. 9. hist.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ouium ſtultitia & ſimplicitas.

drupedum ineptiſſimum ſit, repit, inquit, in deſerta ſine cauſa: hyeme obſtante ſæpe egreditur E
ſtabulo, occupatum à niue, niſi paſtor compulerit, abire non vult, ſed perit deſiſtens, niſi mares
à paſtore ducantur, ita enim reliquus grex conſequitur: Et vetus etiam prouerbium eſt, προ-
βάτων ὐδὲν ὄφελος ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῆ, *ouium nulla vtilitas, ſi paſtor abſit*. Sed eſt præcipuè famo-
ſa eius ſtoliditas, atque ſimplicitas, qua aſino nequaquam inferior eſſe videtur, cùm & Ælia-
nus inquiat; Ouis, & aſinus ineptiſſimis ſunt moribus, & animis degeneribus; & Adamantius
inquit, in ouis ingenio ſe prodit τὸ εὔηθες, ideſt ſimplicitas, vel ſtultitia, hinc προβατώδης dici-
tur homo ſtolidus, & fatuus, & quaſi ouis ingenium referens, queamdmodum & ἀμνοκῶν, qui
refert agnum, ſiue agni mentem habens. Ariſtophanes:

In Equitib.

Καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅσις ἐςὶν ἀμνοκῶν; ideſt,
Et vides ciuem ſimplicem.

Vbi Scholiaſtes οἷον προβατώδης, τυτέςι μῶρος, καὶ εὐήθης. Videtur autem, vt obiter hoc dicam,
ἀμνοκῶν dici pro ἀμνοκοῶν; ἀμνοκοῶν, quaſi ἀμνονοῶν; ſcribit enim Euſtathius, ἀμνοκῶν, ἀμνὸς
τὰ ἐς νῦν παρὰ τὸ κοεῖν (ὅ ἐςι νοεῖν) ὡς ἀμνός; quod & Varinus ſcribit in βῦς. Idem Ariſtophanes F
taxans vecordiam populi Athenienſis, oues illos vocat, ἐκκλησιάζειν πρόβατα συγκαθήμενα,
ideſt, *in concione ouillum ſedet pecus*. Similiter Nicobulus ſenex apud Plautum, filium ſuum &
Philoxeni agnos vocat, nõ tam, vt in allegoria perſeueret, nam à Bacchidibus meretricibus ſe-
nes illi etiam oues vocati fuerant, verùm etiam, vt iuuenes illos tanquã ſimplices facilè à ſcor-
tis decipi, ac in amore detineri oſtenderet; & perquam lepidè apud eundem Plautum Strato-
phylax ſeruus aſtaphium ancillam Cluſinum pecus nuncupat; quemadmodum & nos vulgò
mulierculas inertes, & fatuas, pecoras, quaſi pecudes nuncupamus, & Scaliger Ariſtotelis ca-
lumniatores, pecora. Aliàs hominem amentem, veruecem vocauit, & rurſus alicubi inquit; *Ego
ex hac ſtatua Veruecia volo erogitare meo minore quid ſit factum filio*. ideſt, ex ſeruo qui velut
imago veruecis eſt, hoc eſt ſine ratione & prudentia non aliter ac veruex: Non inlepidè etiam
Diogenes Cynicus virum quendam indoctum, ſed ſplendidè veſtitum χρυσόμηλον appellauit;
Facetiſſimè item Cercidas poeta, vt quidam in lexico græcolatino citant, ἄνδρας κριομύξης di-
cebat inſulſos, & vt ille loquitur, veruecum in patria natos, & Galenus κριομύξης appellat vi-
ros, ni fallor, nullius iudicij, hoc eſt, vt dici ſolet, naris minimè emunctę, oues enim ſemper mu- G
corem habent in naribus. Similiter etiam diuinæ literæ pleriſq; locis homines diuinæ inſtitu-
tionis expertes, indocileſq; nunc oues, nunc pecora nuncupant, de quibus ſcilicet olim dictum
eſt: *homines, & pecora ſaluabis Domine*. Antidamus in moralibus, vt Mart. Anton. Delrius ci-
tat, quæritur hominem pecudum potius vitam viuere, & quaſi belluina ei mens foret, ſtupidũ
& vagum, huc illuc circa terram rapi, ſolo inhærere, nec aſſurgere, aut erigi in cælum: Eius ver-
ba hęc ſunt. *Fabrè compactum animal, hominem, quis ferat ſic eſſe pecuatum? Quis auerruncaſſit
tam aretinas hominum mentes?* Sic vulgati libri Placiadis hoc fragmentum contribuunt, &
ipſe aretinas interpretatur teſteas, uel argillaceas. Veteres tamen libri habent, aricinas: forſan
ſcripſerat Antidamus arietinas, hoc eſt, ſtolidas, & fatuas, euincit uocula pecuatum, ſed uereor
ne cui petulco hædo in hanc coniecturam lubeat arietarier. Vlyſſes apud Plutarchum in Gryl-
lo, quærit, nunquid etiam oui, atque aſino ſit ratio tribuenda. Id quidem affirmat Gryllus, ſed
imbecillam eam eſſe, inquit, reſpectu aliorum animantium, ſtupiditatem nimirum, ac fatuita-
tem quarundam beſtiarum acumine, & verſutia aliarum demonſtrari, uerbi gratia ſi conferas
cum uulpe, lupo, aut ape, aſinum, aut ouem, perinde inquit, eſt, ac ſi tecum cõponas Polyphe-
mum, aut cum auo Autolyco Glaucum illum Corinthium, de quo eſt apud Homerum. Sed & H
Cicero, oſtendens in priuatione viſus nihil eſſe mali, Homerumq; qui & ipſe cæcus fuiſſe per-
hibetur, ſuę ſententiæ minimè aduerſari, cum inducto eodem Polyphemo arietis fortunas lau-
dare videatur, quòd, quò vellet ingredi poſſet, & quę vellet, attingeret; rectè nimirum id à poe-
ta ſcriptum fuiſſe, cùm ipſe Cyclops, quem immanem ferumque finxerat, ipſo ariete ſapientior
non eſſet. Verba Ciceronis ſunt: *At verò Polyphemum Homerus cum immanem ferumque finxiſ-
ſet, cùm ariete etiam colloquentem facit, eiuſq; laudare fortunas, quod quò vellet ingredi poſſet,
& quæ vellet, attingeret: Recte hic quidem, nihilo enim erat, quàm aries ille prudentior.* Ab hac
ſtolida huius pecoris natura perquam eruditè Syneſius Cyrenęus in Caluicici laude, homines
quo ſunt nudiores, hoc eſt, minus piloſi, eò ſapientiores, & quò hirſutiores ad pecuinam natu-
ram magis accedere, oſtendit; Animalia, inquit, bruta per totum corpus pilis magis intecta
ſunt. Homo autem quoniam particeps eſt euidentioris vitæ, nudus eſt plurimo congenito one-
re; quo verò nõ ſuperbiret, ſi nihil communionis ad mortalia haberet, paucis locis pilos habet.
Quiſquis igitur neque paucos pilos habet, hic eſt ad alium hominem, quod homo ad beſtiam.
Quemadmodum autem homo animalium in terra ſapientiſſimum eſt, ſimulque nudiſſimum,
ſic ia-

In Veſpis.
In Bacchidibus.
In Mercatore.
In Captiuis.
6. Meth. c. 3.
In 5. Tuſcul. quaſt.
Homines piloſos inertes eſſe & ſtupidos.

A sic in confesso est, omnium pecorum stolidissimam esse ouem (*quàm stultissima animàlia lana-*
ta, qua timuere ingredi, vnum cornu rapto sequuntur: Plinius) Hæc autem est, quæ non discre-
tos, sed in globum coactos pilos emittit. Quare efficitur hanc ipsam pilorum rem bellum ha-
bere aduersus prudentiam: nulli enim simul conuenire volunt. Si verò oportet etiam quid con-
ferre venatoribus, sunt enim amici viri, & ars, quam tractant, illi canes sapientissimi sunt, quo-
rum aures, & ventres nudi sunt. Hirsuti verò stolidi sunt, & temerarij, præstatque ipsos à vena-
tione abesse. Si verò etiam Plato sapiens eius bigæ quam anima agitat, iniustum equum circa
aures hirsutum, & surdum dicit. Quid etiam pulchri de pilis præsignat? Imò etiam non dicente
Platone, necesse est surdum esse eum, qui hac parte hirsutus est, qua audimus. Sicut cęcum, qui
ea parte hirsutus est, qua videmus. Visus autem omnium animæ facultatum diuinissimus est,
at verò etiam nudissimus, qui Dionysij vidit mystèria, quicquid in tripudio est, hirsutum pilo
est, partim proprio, partim alieno comosum, nihil enim ita Bacchicum est, vt pellis ceruina,
hos quidem omnes videas concuti, & se iactare, & indecoris saltationibus velut ebrietate cor-
reptos, eoq; delatos, vt à natura deerrent. Iam verò ipsius arietis non castrati medullam ita hu- *Măsuetudo.*
B manæ naturę contrariam esse Aristoteles testatur, citante Baptista Porta, vt memoriæ functio- *Lib. 7. Phy-*
nem aboleat. Sunt modò oues semper mansuetę, & innocentes, & cùm cætera animalia in par- *tognomon 2.*
tu, vel à partu sæuire soleant, hæ eodem Philosopho teste, non sæuiunt, sicuti postmodum in- *10. probl. 37.*
ter problemata dicemus, & ex Varrone diximus ad hominum vitam aptissimas esse, & ad nu-
triendum ab ijs assumptas, non solùm propter utilitatem, uerùm etiam propter placiditatem,
cùm sint naturæ maximè quietæ, & ut Textor ait, omnium quadrupedum mitissimæ, maximè
in infantia, hinc illud Plauti: *Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem, agnellum,* *In asinaria.*
hœdillum. Aelianus author est, oues omnium maximè animalium ad parendum faciles esse: »
etenim ad uerba pastoribus obedire, & canibus obtemperare, & capras sequi simul, & inter se » *Iliad. K.*
amare: Habent nimirum oues præter pastorem suum pro custode etiam canem, unde est quod »
Homerus uigiles castrorum, canibus, & pastoribus assimilet; ubi ad locum, inquit, excubiarum »
uentum est, reperiunt præfectos excubiarum, & ipsos excubitores nusquam dormientes, nus- »
quam stratos, nusquam curam remittentes, sed vigilantes sub armis omnes, sedentesq; ex ad- »
C uerso Troianorum, intensis oculis in hostium castra, semper speculantes, si quando illi se mo- »
ueant: non aliter insomnem, ac solicitam noctem agentes, quàm custodes ouium canes, audito »
rapacis ferę sono, quam ex montano saltu venientem ad rapinam pecoris, ipsi, ac pastores ma- »
gno cum fremitu ab ouili arcere laborant. Et rursus de Sarpedone: Sarpedon clypeum sinistra » *Iliad. M.*
præferens, & duo iacula dextera quatiens, ire perrexit tanquam leo montium alumnus, qui »
diutina efferatus inedia, hortante fame ad rapinam in caulas ouium se, quamuis munitas in-
tendit, ubi si custodiam cum lanceis canibusq; ad tutelam gregis offenderit, nihil tamen minus
securus periculi sui insilijt in oues, aut rapina potiturus, aut vulnus pro rapina accepturus, tali
Sarpedon animo ad inuadendum murum, euertendaque propugnacula rapiebatur. Additur
autem canis quasi satelles corporisque custos, ac potissimum aduersus lupos. Varro: *Canis ita*
custos est pecoris, vt eius quod eo comite indiget ad se difendendum, in quo genere sunt maximè
oues, deinde capræ: has enim lupus captare solet, cui opponimus canes defensores. Hinc & Vir-
gilius inquit:

D *Nec tibi cura canum, fuerit postrema, sed vnà*
Veloces Spartæ catulos, acremq; molossum
Pasce sero pingui, nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, incursusque luporum
Haud impacatos à tergo horrebis Iberos.

Idest, abactores, latrones, prædones, quoniam Iberi quondam latrocinijs viuentes pecora abi-
gebant. Pollux huiusmodi canes ποιμνίτας vocat. Rectè autem canum additur custodia, nam
non solùm oues imbelles sunt, inuicemq; tueri ac protegere ignorant, imò verò nequeunt, sed
etiam sua natura meticulosæ & timidæ, idque teste Aristotele cum omnibus, quorum mollis-
simus est pilus, commune habent. Quintus Calaber vel quolibet repentino, atque inopinato *Lib. 2. para-*
casu perhorrescere facta isthac similitudine indicat. Memnoni bonam exercitus Græci partem *lyp.*
delenti, Græci terga vertunt, perinde ac saxo aliquo ab arduo monte præcipitato, quod cælitus *Timiditas.*
indefessus Iupiter suspirioso fulmine in præceps egit, hoc nimirum per loca syluis obsita, &
longas valles diuulso, subtus resonant, si quæ illo voluto per syluas pascantur oues aut boues,
aut quicquam aliud formidine implentur, & exiliunt, accipientes horridum ac tristem illum *Iliad. Ω.*
sonitum: sic Græci horrendam Memnonis hastam magno impetu fugiunt. Homericus verò
Priamus comparaturus fortitudini Hectoris cæteros, filios ignauiamque, mollitiē, & timidita-
temq;

temque exprobraturus, eos agnorum, hædorumque publicos nuncupat raptores, ceu aptiores, magiſq; idoneos pugnare cum agnis, atq; hædis animalibus ſcilicet imbellibus, timidiſſimiſq; & quæ illatam ſibi iniuriam vindicare nequeunt, quàm cum Græcis. Sed quid eſt igitur, quod
3. carm. od. 18. Horatius agnos audaces vocet? reſpondet Acron, non ſemper audaces dici agnos, ſed illa tantùm die, qua celebrantur Faunalia feſta, quaſi qui numinis interuentu nõ timeant lupos, quod
Agni cur audaces dicti. honori Fauni applicat, feſtiuitatis ſuæ tempore lupos agnis nocere non ſinentis. Preter canem, & paſtorem itineris ducem habent etiam arietẽ, quem tamen paſtor primò inſtituit, atque docuit: Singulis ouilibus, inquit Ariſtoteles, ſinguli duces conſtituuntur, qui quoties ſuo nomine à paſtore vocantur, antecedunt, quod ab ineunte ætate facere aſſueſcũt. Imò vel ſolos ſibilos pa-
7. Sympoſ. q. 8. ſtoris intelligunt, quemadmodum tradit Plutarchus, diſputãs, quænam potiſſimum acroamata cænæ ſint adhibenda, hanc adferens ſimilitudinem: Tibiam ne ſi velimus quidem, à menſa arcere licet, nam libationes eam exigunt vnà cum corona, & vbi pæani accinens diuinum cultum abſoluit, ſuaui cantu deſinens per aures tranſit, iucunda eos perfundens voce, quæ tranquillitatem ad animum penetrantem efficit, vt ſi quid triſtitiæ, & curarum mero non ſit diſcuſſum, id venuſtate & manſuetudine cantilenæ circumuentum conquieſcat, ſiquidem modum tibia non excedat, neque nimios animo afferat motus, eumq; exagitet, atq; extra ſe rapiat multitudine ſonorum, atq; modulorum emollitum, & ad errandum procliuem redditum. Nam ſicut pecora orationem hominis non intelligunt, ſibilis autem, atque palpitationibus accuratis & fiſtulis, aut conchis excitantur, ac ſopiuntur à paſtoribus; Ita quod anima habet pecoris, gregiſque naturam reſipiens, rationiſq; non capax, neque eius dicto obtemperans, cantilenis, & rhythmis incantantes componere ſolent, ac pacare. Sed & Albertus ſcribit, cùm muſicis ſonis oblectantur, melius paſcere. Et Aelianus teſtatur Arabes dicere apud ſe ouium greges muſica plus ſanè quàm cibo pingueſcere. Sed vt ad ducem eorum reuertamur. Videres manè cùm exeunt è ſtabulis ad paſtum, militari, ac bellico veluti ordine incedere, præcipuè ſi à paſtore di-
Lib. 1. ſpoſiti fuerint, non aliter atq; milites diſponuntur à ſuo duce; Calaber de Troianis. Cæterùm
Lib. 8. multi Troiani circumfuſi turmatim ſequebantur Penteſileam in propudioſam pugnam, vt
Thebaid. oues arietem, qui paſtoris induſtria, omnibus impulſis præcurrit. In eodem ſenſu Statius:

ſic fatus, & omnia ritè
Diſponit, qui bella gerant, qui mænia ſeruent,
Quas in fronte manus, medio quas robore ſiſtat.
Perſpicuas ſic luce fores, & virgea paſtor
Clauſtra leuat, dum terra recens iubet ordine primos
Ire duces, media ſtipantur plebe maritæ,
Ipſe leuat grauidas, & humum tactura parentum
Iliad. 3. *Vbera, ſucciduaſque adportat matribus agnas.*

Vlyſſes arieti comparatus. Talem arietem Vlyſſem fuiſſe ait Homerus:

Αὐτὸς δὲ κτίλος ὣς ἐπιπωλεῖται στίχας ἀνδρῶν.
Ἀρνειῷ μὶν ἐγώγε ἐίσκω πηγεσιμάλλῳ,
Ὅς᾽ οἰῶν μέγα πῶϋ διέρχεται ἀργεννάων. ideſt;
Ipſe autem ſicut aries luſtrat ordines virorum
Arieti ipſum ego aſſimilo villoſo,
Qui ouium magnum gregem percurrit albarum.

Iliad. 13. Talis & Aeneas apud eundem:
Aeneas.

Αἰνείας δ᾽ ἑτέρωθεν ἐκέκλετο οἷς ἑτάροισι,
Δηΐφοβόν τε, Πάριν τ᾽ ἐσορῶν, καὶ Ἀγήνορα δῖον,
Οἵ οἱ ἅμ᾽ ἡγεμόνες Τρώων ἔσαν. αὐτὰρ ἔπειτα
Λαοὶ ἕπονθ᾽ ὡσείτε μετὰ κτίλον ἕσπετο μῆλα
Πιόμεν᾽ ἐκ βοτάνης, γάνυται δ᾽ ἄρα τε φρένα ποιμὴν
Ὣς Αἰνείᾳ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γεγήθει
Ὡς ἴδε λαῶν ἔθνος ἐπισπόμενον ἑοῖ αὐτῷ. ideſt,
Aeneas autem ex altera parte hortatus eſt ſuos ſocios,
Deiphobumque, Parimque aſpiciens, & Agenorem diuinum
Qui cum eo duces Troianorum erant: At deinde
Copiæ ſequebantur, vt poſt arietem ſequuntur pecudes
Bibituræ ex herba: lætatur autem mente paſtor;
Sic Aeneæ animus in pectoribus lætatus eſt
Vt vidit copiarum agmen ſequens ipſum.

Apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Odyss. 1.

A Apud eundem Homerum Vlysses socios, ne à Polyphemo agnoscerentur, ouibus reconditos summo mane primò emittit, ipse verò sub ariete latens subsequitur, quod cum contra naturam esset arietis, præcedentium temporum, quibus solebat gregem antecedere, siue exeundo in pascua, siue in stabula redeundo, miratus Cyclops hanc nouitatem eum alloquitur, causamq; huius insolitæ ignauiæ diligenter inquirit. Est nihilominus quando sine pastore, duceq; vesperi ad stabula reuertuntur, cum scilicet pastor tardius, quàm solet eas cogere intendit, id quod Theocritus eiusdem Cyclopis exemplo ostendit, cuius scilicet oues, cùm diutius quàm solebat remoraretur, Galateam suam expectans, sua sponte domum redijsse tradit:

Πολλάκι ταὶ ὄϊες ποτὶ ταὔλιον αὐταὶ ἀπῆνθον
Χλωρᾶς ἐκ βοτάνης. idest,
Sæpe oues ad ouile sine duce sua sponte redibant
Ex viridi gramine.

Sic & Ouidius ait:

Lanigeræ pecudes nullo ducente secutæ.

B Iam verò quamuis exeundo, redeundoque ordinem præeunte ariete seruent, pascentes tamen per pascua sine ordine vagantur, quod errare latini vocant, & metaphoricè etiam de hominibus prædicant, maximè de mulieribus. Virgilius de mulierculis Troianis capta Troia:

Tum pauidæ tectis matres ingentibus errant.

Arietis pugnacitas.

Et quamuis alias oues sint animalia placidissima, aries tamen pugnacissimus est, nam simul ac ipsi cornua increscere incipiunt, nullam non petulantiam, lasciuiamque & ferocitatem præ se ferre videtur, nec tantum in sui genere similes lacessere, incursitareque, verùm homines ipsos impetere nemo non quotidie cernit, atque inter alios, ipsos etiam dominos, quorum opera nutritur, ac nutritus est, cornibus lacessit. Qua fortè de causa Marti cælestis aries dicatus legitur, & si Astrologis credimus, à Marte in humano corpore regere dicitur, in quo iracundiæ & bilis sedem Philosophi collocant: Vnde Adamantius immolatos apud Hebræos arietes apud nos iracundiam iugulari debere intelligi voluit, cùm scilicet hoc animal pugnacissimum perhibeatur, hinc Feciales illos apud Romanos bellũ hostibus indicturos, arietem pręse egisse existimo, C (quamuis alij alias rationes adducant, vt suo loco dicetur) Id quod à Fonteo quoq; animaduersum video, vt verò commodius & fortius aduersarium cornibus impetat, retrocedit, ac resiliens impetu renouato, in hostem fertur. Huc respiciẽtes Nicobulus, & Philoxenus senes apud Plautum Bacchidibus meretricibus minantur sese, nisi filios suos restituant, in eas instar arietis, impetum facturos:

In Bacchid.

Qui nisi nobis producuntur, iamque emittuntur foras,
Arietes truces nos erimus, iam in vos incursabimus.

A cuius similitudine bellica illa machina, de qua suprà fusiùs dictum, aries appellari meruit: Item verbum arieto, quod idem est quod percutio, & deijcio, quo sensu Plautus:

Quis proteruè meas ædes arietat?

In Truculento.

Item Curtius: *Macedo gladium cæperat stringere, quẽ occupatum complexu, pedibus repente subductis Dioxippus arietauit in terram.* Inuenio arietem naturali feritate, quando irascitur, aut etiam stupet, aut timet, dextro pede terram percutere, & hoc maximè libidinis tempore, quo scilicet creberrimè in pugnam procurrit, & fit in fæminas quoque procacior, nec non riualem violentissimè prosequitur. Aristoteles: Arietes, tauri, & hirci per libinem, inquit, efferãtur. Qui D enim superiore tempore socij iugi concordia pascerentur, coitus tempore dissident, & alter alterum libidinis rabie inuadit. Ouidius:

4. Fastor.

Cum mare trux aries cornu decertat: at idem
Frontem dilectæ lędere parcit ouis.

Arietis sæuitia vt corrigatur.

Quomodo autem hæc sæuitia corrigatur docet Columella his verbis: *Capri, vel arietis petulci sæuitiam, hac astutia repellunt, mensuræ pedalis tabubulam robustam configunt aculeis, & aduersam fronti cornibus religant: Ea res ferum prohibet à rixa, cum stimulatum suo ictu se sauciet.* Epicharmus autem Syracusanus qui pecudum medicinas diligentissimè conscripsit, affirmat, pugnacem arietem mitigari, terebra secundum auriculas foratis cornibus, qua curuantur inflexu. Quod postremum remedium præter Plinium, meminit etiam Albertus, & Florentinus. Cessat verò etiam pugnacitas castratione, ad quod alludit Apuleius, *Denique nisi vobis suadeo nolentibus, possum spacio modico interiecto, quo mercatum proximum obire statui, petitis è domo ferramentis, huic curæ præparatis ad vos actutum redire, trucemque amatorem istum, atque insuauem dissitis femoribus emasculare, & quouis veruece mitiorem efficere.* Hucque pertinet illud Luciani: καὶ σοὶ τοῦτον σωφρονέστερον προβατίου παρέξω τῇ τομῇ, idest, *hunc ego tibi modestio-*

Lib. 7. de asino aur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

deſtiorem ouicula reddam exſectione. Vt modò reliqua proſequamur, ſuprà ex Macrobio dictum
eſt, arietem per ſex menſes hybernales ſiniſtro incubare lateri, ab ęquinoctio verno ſuper dex-
Lib. 10. cap. 18. trum latus, quo modo ſcilicet Sol ab eodem tempore dextrum hemiſphęrium, reliquo ambit
ſiniſtrum, & quamuis idem etiam ſcribat Aelianus, id tamen falſum videtur noſtris lanijs, cum
3. carm. 13. ode. ab vtroque latere maculati arietes, & ex incubitu ſordidati nunquam nõ ſint. Amat hoc etiam
Amant fontes frigidos. pecus fontes frigidos, Horatius de fonte Blanduſiano:

Tu frigus amabile
Feſſis vomere tauris
Prębes, & pecori vago.

Vt paſcant. Radicitùs herbas carpunt, & arbores deſtruunt, & plurimis plantis morſus earũ exitialis, vt ait
Albertus: Sedulo verò etiam & ſtabiliter paſcere ſolẽt, contrà ac caprę, quę crebrò loca permu-
tant, teſte Ariſtotele. Idem Ariſtoteles ait, ouem inter omnia animalia diu lac prębere; habere
enim lac per octo menſes: Et quamuis ingenio nihil vel parum ſaltem valeant, cum tamen in
montibus & ſyluis paſcere ſoleant, ſi quæ fortè ſit eis fouea expoſitá, ſi præcipitium appareat,
obeunt, vt circumeunt, nec ſibimet mortem accerſunt, nam quaſi quadam pędagogia docen-
tur, lege à natura tributa, oportere ſuam ſe tueri, & curare vitam, inquit D. Cyrillus. Sunt item
Lib. 1. c. 3. in Eſaiam. natura prouidę de cibo, nam, vt ſcribit D. Baſilius in Hexamero Diuin. offic. Et oues antecedẽ-
te hyeme pabulum copioſius, auidiuſq; ventri ingerunt, proinde quaſi ſibi viaticum prouidẽ-
Homil. 9. tes pro indigentia cibi futura. Idem etiam ſcribit in oratione vigeſima de principatu, & potẽ-
Prouidẽtia. tia, vbi addit inſuper, inde oſtendi apud animantia rationis expertia quendam futurarum ſen-
ſum ineſſe, noſq; pręterea ijs admoneri, ne in hac vita hęreamus, ſed in futura omnem curam,
Frigoris impatientes ſunt. ſtudiumque ponamus. Quamuis modò ex omnibus animalibus ſint veſtitiſſimę, frigoris ta-
men ſunt impatientiſſimę, ait tamen Ariſtoteles, capras frigoris eſſe impatientiores, quàm
oues, & inter ipſas oues illas minus id perhorreſcere, quibus cauda amplior, quam quibus por-
rectior, & glabras exutiores, quàm veſtitiores, criſpas tamen etiam algoris impatientes eſſe,
Iliad. ρ. meminit huius etiam rei Homerus loquens de Iride vel belli, vel tempeſtatis nuncia:

Δὴ γὰρ νόος ἐτράπετ' αὐτȣ̃
Η'ύτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ ȣ̓ρανόθεν, τέρας ἔμμεναι ἢ πολέμοιο
Η" καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος, ὅς ῥά τε ἔργων
Ανθρώπȣς ἀνέπαυσεν ἐπὶ χθονὶ, μῆλα δὲ κήδει. ideſt,

Namque mens mutata eſt eius,
Veluti purpuream Irim mortalibus cùm extenderit
Iupiter cælitus, ſignum, vt ſit, vel belli;
Vel etiam tempeſtatis frigidæ, quæ quidem ab operibus
Homines quieſcere facit in terra, pecoribus verò nocet.

Amor mutuus. Aiunt nec minus æſtiui vaporis patientes eſſe, amant ſe inuicem, & vnà, vt teſtatur Albertus,
condolet alteri, nam ſi alteram viderit ſana imbecillem, ſoli pro ea ſe obijcit, & vmbram, ei ob-
tendit: nec minus mirum etiam videri poteſt, quod ſcripſit Didymus referente Mizaldo, quod
Centuria 9. aphor. 55. oues eum ſequi ſoleant, qui vellere ipſarum aures obturauerit. Equidem apparet quàm maxi-
Chiliad. 4. mè ſe inuicem amare, author enim eſt Ioannes Tetzes, oues agreſtes cùm conſenuerint à pro-
Iliad. Δ. prijs liberis enutriri, & cantatiſſimus apud omnes eſt amor matris erga fętus: Homerus:

Τρῶες δ' ὥς' ὄϊες πολυπάμμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ
Μυρίαι ἑςήκασιν ἀμελγόμεναι γάλα λευκὸν
Α'ζηχὲς μεμακυ̃ιαι, ἀκȣ́σασαι ὄπα ἀρνω̃ν.
Troiani verò ſicut oues locupletis viri in aula
Innumeræ ſtant, dum mulgentur lac album,
Continuò balantes, audita voce agnorum.

Lib. 5. Similiter Quintus Calaber eiuſdem poetę ſimia, die illa, qua Aiax Telamonius ſeipſum iugu-
lauit, totis caſtris tantum gemitum exortum ſcribit, qualis exaudiri ſolet, cùm ouibus ſui ſub-
ducuntur agni, quę frequentiſſimo balatu teſtantur maximam ſibi iniectam perturbationem
Vt liberos agnoſcant. quòd ſtabula ſuis prolibus ſpoliata ſint. Noſcere autem ſuos agnos odore poſteriorum aſſerit
Albertus. Non minor amor eſt agnorum erga parẽtes, nam, vt ait Aelianus, ſimul, vt in lucem
ſunt ſuſcepti, circum matres ſtatim concurſant erratico ſaltu. *Agnus ſimpliciſſimus*, inquit D.
Ambroſius, *cùm à matre quandoque aberrat, frequenter eam balatu abſentem excitat, multiſq;*
licet verſetur in millibus ouium, recognoſcit vocem parentis & feſtinat ad eam. Nam quamuis ci-
bi, & potus deſiderio teneatur, tranſcurrit tamen aliena vbera, licet humore lactis grauida exun-
dent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *dent, soliusque materni lactis fontes requirit*. Et rursus: *Quid agniculos simplicius, quos minusculæ paruulorum comparamus infantiæ? Sæpe ex his in magno grege agniculus per ouilia tota vagatur, errat à matre, & cum eam reperire non possit, balatu frequenti absentem citat, vt responsura vocem excitet, quo ab eius sono errabunda replicet vestigia, multis licet versetur in millibus ouium, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem, lactis quoque materni sibi notos fontes requirit, quamuis cibi desiderio teneatur, & potus: transcurrit tamen aliena vbera grauida, licet humore lactis exundent, solam matrem requirit, solius sibi materni vberis pauperes succos significat abundare. Illa quoque inter multa agniculorum millia solum filium nouit, vnus quamuis plurimorum balatus, eadem species, sed illa tamen fœtum suum discernit à cæteris, & solum filium tacito pietatis testimonio recognoscit, pastor errat in discretione ouium, agniculus in agnitione matris nescit errare, pastor fallitur specie, sed ouis pietate non fallitur. Vnus odor omnibus, sed habet tamen natura odorem suum domesticum, quem soboles chara, speciali quadam videtur proprietate redolere*. Et Basilius præcitatis locis ait: Agnus inter sexcentas oues matris vocem internoscit, atque ad eam properat, ipsosque lactis fontes requirit: Ac sanè macilentis conten-
B tus esse solet maternis mammis, etiamsi aliarum mammas graues, plenasque percurrerit. Mater quoq; inter innumerabiles suum agnoscit, quamuis vna sit vox omnium, idem color, odor similis, quantum nostro olfactu iudicare possumus. Inuenta matre lactat & cùm lactat caudam, teste Alberto, velocissimè agitat, lætitiam puto indicans eandem quam canis in aduentu heri sui. Celebrat hanc eandem agni intelligentiam Lucretius, dum canit: *Lib. 2.*

Prætérea teneri tremulis in vocibus hędi
Cornigeras norunt matres, agnique petulci
Balantum pecudes, ita quod Natura reposcit
Ad sua quisq; ferè decurrunt vbera lactis.

Theocritus item in Epithalamio Helenæ, vbi sic puellæ loquuntur: *Idyl. 18.*

Ἄμμες δ' ἐς δρόμον ἦρι, καὶ ἐς λειμώνια φύλλα
Ἕρψεῦμες, στεφάνως δρεψεύμεναι, ἁδὺ πνέοντας
Πολλὰ τεῦ ὦ Ἑλένα μεμναμέναι, ὡς γαλαθηναὶ
C Ἄρνες γειναμένης ὄιος μαστὸν ποθέοισαι. idest,

Nos autem ad cursum in vere (v. manè) *& ad folia in pratis nascentia*
Ibimus, vt colligamus serta suauiter redolentia,
Sępe de te cogitantes ò Helena: sicut lactantes
Agnę, quæ matris ouiculę vbera desiderant.

Vnde latini, vt scribit Isidorus, agnum ab agnoscendo dictum putant, eò quòd præ cæteris animalibus matrem suam noscat. Qua in re homine felicior est, qui, vt scribit Aelianus, suos serò admodum parentes agnoscere incipit. Sunt verò etiam humani generis amantes: Scribit enim Plutarchus arietem quendam Aegyptium, cithaeristriam Glauciam deperisse; in quo amore, teste Aeliano, Ptolomæi Philadelphi riualis fuit. Id quod, & Plinius videtur indicasse his verbis, *Glaucen Ptolemęo regi cithara canentem eodem tempore ab ansere, & ariete amatam proditur*: Magis tamen homini familiares sunt capræ, vt testatur Aristoteles his verbis: Cubant difficiliùs oues, quàm capræ, magis enim capræ quiescunt, acceduntq; ad hominem familiarius, & quod ad cubandi modum attinet, oues caprasq; vniuersas cubare ait, per cognationem. Idem ait oues crassiorem reddere vrinam, quàm sui sexus, mares: Menses verò & D ipsis, & capris tempore coeundi indicari, idemque post coitum etiam fieri ad tempus, mox desistere, donec parturiant: tum denuò indicari; Itaque pastores proximum esse partum intelligere: à partu autem purgationem sequi abundè, primùm leuiter cruentam, postmodum valde. Dicique possit sanguine lento præditum esse hoc pecus, in quo spiritus tardius extinguuntur, scribit enim Auerroes se vidisse arietem, qui amputato capite huc, atque illuc ambularet. Aristoteles tradit oues etiam somniare; idem Plinius quoque scribit.

Agnus vt homine felicior. *Lib. 4. c. 25.* *Lib. 1. c. 6. & lib. 5. cap. 29. et 8. cap. 11.* *Vt cubent.* *Vrina.* *7. physicor.*

COITVS, PARTVS.

IPSÆ quidem oues, atque etiam capræ anniculæ, teste Aristotele, coeunt, atque vterum ferunt, sed capræ potius: & mares quoque in ijs ipsis generibus eodem illo tempore ineunt; sed proles, inquit, differt, quatenus præstantior ea est, quàm senescentes mares, & fœminæ procrearint. Vnde istiusmodi precox *Coitus initium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

coitus improbatur, ſed quo ætatis anno ad procreationem ſint admittendę, alij aliter tradunt. E

Quo ætatis anno ad ſobolis propagationem aptæ.

Columella vult fæminam debere bimam ſubmitti, aitque vſque ad quinquennium fęturę neceſſariam eſſe, anno verò ſeptimo deficere, curandumq; eſſe, ne minori quadrima, ne verò ei quę exceſſit annos octo, proles ſubmittatur, neutram enim ętatem ad educandum eſſe idoneá: tum etiam, quod ex vetere materia naſcitur, plerumq; congeneratum parentis ſenium referre, nam vel ſterile, vel imbecille eſſe. Idem ferè tradit Creſcentienſis: Florentinus verò & ipſe arietes, & oues fætas, hoc eſt, matrices ad prolem probari debere ait, cùm in tertio anno conſiſtunt, Ariſtoteles verò, parere vſque ad annum octauum, inquit, poſſunt, & ſi benè curentur vel in vndecimum pariendi facultas protrahitur, & quidem fieri poteſt, vt etiam per totam ferè vitam coeant, tam mares, quàm fæminę. Cùm autem dicit in vndecimum vſq; annum parere, idem eſt, quaſi dicat, ad mortem vſq;, unde & alibi inquit; coeunt & oues, & capræ quamdiu uiuunt. Cæterùm Albertus ouem ſcribit decem uel duodecim annis uiuere, parere verò annis octo; ait tamen etiam, in quibuſdam terris marinis, ubi ſicca, & ſalſa habent paſcua, uiuere per annos uiginti, & per totidem etiam annos parere. Marcus Varro ſcribit non pati oportere F

5. hiſt. c. 14.

Coeundi tempus.

minores quàm trimas ſaliri, quòd, ut eius uerbis utar, neque natum ex his idoneum eſt, nec non ipſæ fiunt etiam deteriores; docetque deinceps, quomodo quæ minores ſunt trimis, à coitu impediantur, minores, inquiens, quàm trimæ deterrent à ſaliendo fiſcellis è iunco, aliaue qua re, quam alligant ad naturam, ſed commodiùs ſeruantur, ſi ſecretas paſcunt. Atqui Didymus, cùm dixiſſet commodiſſimam ad coitum in arietibus ætatem, à ſecundo vſque ad octauum eſſe; Similiter in ouibus contingere aſſerit. Columella, & Palladius ætatem arietis ad progenerandum optimam eſſe volunt trimam, nec tamen inhabilem eſſe vſque ad annos octo; habent autem arietes, & capri, ſicut & cætera propriam vocem tempore libidinis, qua vocant & alliciunt fœminas, ſi Iſaaco credimus in opere de diætis particularibus; Notandum verò etiam arieti naturale eſſe agnas faſtidire, ſenectam ouium conſectari, vt ait Plinius, addens & ipſum ſenecta meliorem eſſe, illiſque vtiliorem: Vnde apud Albertum, vbi legitur, naturale eſſe arieti, agnas & prouectiores diligere, legendum eſt, non agnas ſed prouectiores, ſiquidem Plinio ſubſcribit Didymus; perſequuntur, inquit, oues ſeniores, vtpotè coeuntes citius, iuniores verò poſt illas, ſed & Ariſtoteles, primùm inquit vetuſtiores fæminas ineunt, nouellas enim minus perſequuntur. Quod ad tempus coeundi attinet, Varro ait, tempus eſſe coire ab arcturi occaſu vſque ad Aquilæ occaſum. Similiter Plinius: *Coitus omnibus*, inquit, *ad arcturi occaſum, quod eſt à tertio Idus Maias ab Aquilę occaſum, ideſt, decimum tertium Calend. Auguſti*. Varro rationem addit, quod, quæ poſtea concipiunt, fiunt vegrandes, atque imbecillæ. Verùm Columella inter authores ferè conſtare ait, primum eſſe admiſſuræ tempus vernum Parilibus, ſi ſit ouis matura, ſin verò fæta, circa Iulium menſem. Prius tamen haud dubio probabilius, inquit, vt meſſem vindemia, fructum deinde vineaticum, fætura pecoris excipiat, & totius autumni pabulo ſatiatus agnus ante mæſtitiam frigorum, atque hyemis ieiunium confirmetur. Nam melius eſt autumnalis verno, ſicut ait veriſſimè Celſus: quia magis ad rem pertinet, vt ante æſtiuum, quàm hybernum ſolſtitium conualeſcat, ſoluſque ex omnibus animalibus bruma commodè naſcitur, ac ſi res exigit vt plurimi mares progenerandi ſint. Tantum ille. Cui videtur ſubſcribere Palladius, admittendos inquiens eſſe arietes, menſe Iulio, vt nati ante hyemem conualeſcant agni. Idem etiam monet, vt ſerotini fætus menſe aprili ſignentur, excellereque primam admiſſuram, vt agnos iam maturos hybernum tempus inueniat. Creſcentienſis itidem primam admiſſuram menſe Aprili fieri ait, aut etiam Iulio: Secundam verò poſt medium Octobris, vt pariant circa principium veris, naſcentibus herbis. Quamobrem & in autumno parere Varro voluit: *fit partus*, inquit, *exitu autumnali cùm aer eſt modicè temperatus, ac primitus oritur herba imbribus primoribus euocata*. Ferunt autem, teſte Ariſtotele, quinque menſibus, quemadmo-

Quamdiù ferant.

dum & capræ, indeq; fieri ait, vt locis nonnullis, quibus cæli clementia, & pabuli abundantia eſt, bis pariant. Quinq; autem menſibus vterum ferre, etiam Plinius, & Varro, alijque tradunt. Pariunt teſte eodem Philoſopho, maxima ex parte ſingulos, ſed aliquando, & binos, & ternos,

Quot pariant.

& quaternos & alicubi, inquit, pariũt geminos, tum pabuli beneficio, tũ ſi pater, aut mater vim eam geminandi per naturam obtineant. Sunt & loca, vbi bis, terue quotannis pariant, vt ſupra oſtenſum eſt. Non implentur autem vnico coitu, ſed vt idem Ariſtoteles ait, terno, aut quaterno, quamuis Plinius intra quartum coitum impleri dicat, impletur tamen totus grex vno ab ariete, vt ſcribit Lucianus. Eſt autem partus huius pecoris non aliter quàm in homine

In dialogo de amore.

Partus qualis.

moleſtus, quod ſignificauit Columella his verbis: *Partus incipientis pecoris non ſecus quàm obſte-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *obstetricum more custodiri debet, neque enim aliter hoc animal quam muliebris sexus enititur,*
sæpiusque etiam quantam est omnis rationis ignarum, laborat in partu: quare veterinariæ me-
dicinæ prudens esse debet pecoris magister, vt si res exigat, vel integrum conceptum, cùm trans-
uersus hæret, locis genitalibus extrahat, vel ferro diuisum citrà matris perniciem partum edu-
cat, quod græci vocant ἐμβρὺ ἄκος: Gesnerus fortè legendum existimat ἐμβρυυλκόν. Pa-
riunt etiam nonnunquam monstra, nosque aliquot inter prodigia depingemus, eaq; partim *Monstra.*
ex sui generis mare, partim ex alio pecore concipiunt. Albertus cinirum vocari scribit, qui
ex oue, & hirco nascitur, & Gesnerus testatur apud Rhetos Heluetijs confæderatos alpibus *Lib. 22.*
confines, audiuisse se, aliquando nasci capras posteriore parte, anteriore oues vel arietes, *Cinirus Alberti.*
sed viuere non posse, & paulò pòst mori. Arietes enim cùm senescunt, validos, & libidi-
nosos fieri, & capras aliquando superuenire: at Albertus Magnus præcitato loco Musmo- *Musmo.*
nem nasci ait, ex capra, & ariete; & nos suprà ex Columella retulimus, ex ouibus & arie-
tum ferorum coitu fætum conceptum paternum colorem retulisse, cumque similiter durasse
per sobolem, & nepotes deinceps: lanam verò in primo quidem fætu hirtam, sed in nepoti-
B bus & deinceps mollem fuisse. Quod si verò quis prænosse cupit, cuius coloris futurus sit *Color fætus vt prænoscatur.*
fætus in vtero hærens, is linguam fætæ inspiciet: Nam, vt scribit Democritus, ouis aperto
ore si inueneris nigricantem linguam, nigrum emittet fætum, sin albam, candidum: Sin di-
stinctam coloribus, partus similiter variabit. Idem videntur testari Aristoteles, & Albertus,
in eo tamen euariantes, quod non simpliciter linguam, sed linguæ venas inspici iubeant, id-
que in ariete candidi, nigriue efficiuntur fætus, inquiunt, si sub lingua arietis venæ nigræ,
aut candidæ habentur. Cuius enim coloris sunt venæ, eiusdem & vellus est, varium etiam
si plures venarum colores sunt. Idem Aristoteles, vir vt vtar verbis Columellæ, callidissimus *Vt mares, vel fæmina generentur.*
rerum naturæ, præcipit admissuræ tempore obseruare siccis diebus halitus Septentrionales,
vt contra ventum gregem pascamus, & eum spectans admittatur pecus: At si fæminæ gene-
randæ sunt, austrinos flatus captare, vt eadem ratione matrices ineantur. Idem ex Colu-
mella Palladius repetit, nec aliter Aelianus: Verba Aristotelis sunt: Mares, aut fæminæ ge-
nerantur vi tum aquarum, tum admissariorum. Nam & aquę faciunt, vt fæminę, maresue
concipiantur. Ad hęc Aquilonis flatu mares potius concipiuntur, austri fæminæ. Vis tan-
C ta est Aquilonis, vt, vel ea, quę non nisi fæminas pariant, immutet ad prolis masculæ pro-
creationem. Spectare ad Aquilonem oportet, cùm coeunt fæminæ: quæ manè iniri solent,
marem: Si sero diei admiseris, non patiuntur. Et Plinius ait, *Aquilonis flatu concipi mares*
dicunt, austri feminas. Idem etiam legere est apud Didymum, qui tamen ait, flatus Se-
ptentrionales, cum grex die existente tranquilla, pascitur, vt κατ' ἀντικρὺ, idest, antè, esse ac-
cipiendos, sin verò fæminam velimus, austrum ὄπισθεν, idest, retro. Quod verò de aqua ait *In Achaicis.*
Aristoteles, exemplo probat Pausanias: Non procul à Patrensium, inquit, ciuitate, fluuius est
Milichus, & post illum alius nomine Charadrus: Ex hoc pecora veris tempore bibentia,
vt plurimum mares parere aiunt. Quam ob causam pastores in diuersam à flumine partem
eas abigunt, bubus tantùm exceptis, tauri enim eis ad sacrificia, & labores, vaccis vtiliores
sunt, inter reliqua verò pecora, fæminæ maribus præferuntur. Vt verò generentur vel mares
vel fæminæ aliud documentum habemus apud Plinium, *dextro arietis testiculo præligato, in-*
quit, feminas generant, læuo mares; Et rursus, *arietis dextro testiculo præligato oues tantùm* *Vt varij coloris fiant fætus.*
gigni quidam scripsere. Albertus verò pro præligato, habet exciso. Est & alia ars, vt fæ-
D tus generentur varij coloris, quam excogitauit Iacobus Abrahami nepos, vt legimus in Ge-
nesi, qui cum impetrasset à socero suo Labano, vt pecora omnia varia, & maculosa ouilli, *Cap. 30.*
caprillique generis sibi haberet, virgas populeas virides, sed & amygdalinas, atque etiam ex
platanis, atque ex parte detractis corticibus, vt ligni candor partim appareret, partim ma-
nentis corticis viriditas, in canalibus vbi biberent oues, & arietes permisti etiam coirent, vir- *Iacobi subtilitas.*
gas illas dicolores ob oculos ouium coeuntium exposuerat, quarum conspectu, fætus quoque
varius inuentus est. Diuus Hieronymus hoc in loco geneseos tam in hebræo textu, quàm in
translatione græca, & latina perobscuram sententiam esse indicans, ipse satis boni commen-
tarij vicem, vt scribit Benedictus Pererius Valentinus, præstare lectori potest; Ad hunc au-
tem modum scribit: *Multum apud septuaginta interpretes confusus est sensus, & vsq; in præsentē* *Cōmentar. in Genes. cap. 30.*
diem, nullum potui inuenire nostrorum, qui ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, exponeret. Hęc
autem videtur esse sententia: Vis, inquit, Iacob me tibi seruire etiam alios septem annos? fac quod
postulo. Separa omnes discolores, & varios, tam oues, quàm capras, & trade in manus filiorum tuo-
rum, rursumq; ex vtroq; grege, alba, et nigra pecora, idest, vnius coloris, da mihi. Siquid ex albis &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nigris, quæ vnius coloris ſunt, varium natum fuerit, meum erit: Si quid verò vnius coloris, tuum.
Rem non difficilem poſtulo, tecum facit natura pecorum, vt alba ex albis, & nigra naſcantur ex ni-
gris: Mecum erit iuſtitia mea, dum Deus humilitatem meam reſpicit, & laborem. Optionem da-
tam Laban libenter arripuit, & trium dierum iter, inter Iacob, & filios ſuos ſeparauit, ne quis ex
vicinitate pecoris, naſceretur dolus; Iacob porro nouam ſtropham commentus eſt, & contra natu-
ram albi & nigri pecoris, naturali arte pugnauit; tres enim virgas populeas, amygdalinas, & ma-
li granati (quamquam Septuaginta Styracinas, & nucinas, & plataninas habeant) ex parte decor-
ticatas, varium virgarum fecit colorem: Vt vbicumque in virga corticem reliquiſſet, antiquus
permaneret viridis color: vbi verò tolleret corticem, color candidus panderetur. Obſeruabat ergo
Iacob, quo tempore aſcendebantur pecora, & poſt calorem diei ad potandum auida pergebant, & eo
tempore diſcolores virgas ponebat in canalibus, & admiſſis arietibus, & hircis in ipſa potandi
auiditate, oues & capras faciebat aſcendi: vt ex duplici deſiderio, dum & auidè bibunt, & aſcen-
duntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales vmbras arietum, & hircorum deſuper aſcen-
dentium, in aquarum ſpeculo contemplabantur: Ex virgis enim in canalibus poſitis, varius etiam
erat imaginum color; poſtquam autem nati fuerant hœdi, & agni, varij & diſcolores, ex albis &
vnius coloris gregibus, ſeparabat illos Iacob, & procul eſſe faciebat à priſtino grege. Si qui autem
naſcebantur vnius coloris, ideſt, albi, ſiue nigri, tradebat in manus filiorum Laban. Sic Hiero-
nymus. Ergo pacti inter Iacob, & Laban, & item artis, & induſtriæ, qua vſus dicitur Iacob,
vt breuiter, & ſummatim dicatur, inquit idem Benedictus Pererius, hæc eſt ſententia: Propo-
ſuit Iacob Socero ſuo Laban conditionem hanc, vt mercedis loco acciperet è grege, quem
paſturus erat, partus omnes verſicolores, & varios. Laban accepta libenter conditione ſe-
parauit à grege quicquid erat varium, & diuerſi coloris, tradens curæ filiorum ſuorum: vni-
colorem autem gregem reliquit Iacob paſcendum. Hoc artificio vſus eſt Iacob, vt è grege
vnicolore ſibi tradito, verſicoloria naſcerentur. Nam virgas partim detracto cortice, partim in-
tegras, ac proinde partim albas, partim virides, & ſubnigras, ouibus potatum venientibus in
canalibus propoſuit, vt diuerſum virgarum colorem oculis haurientes, diuerſos itidem fœtus
conciperent, & parerent. Quod etiam euenit, & præter opinionem Laban mirandum in mo-
dum ditatus eſt Iacob. Affert idem Pererius alia quædam ad iſtius loci explicationem, quæ
nos in eorum potiſſimùm gratiam, qui ſacræ lectione oblectantur, tum etiam, quia ad præſen-
tem locum pertinere videntur, adducemus. Sanctus Hieronymus, (inquit) in traditionibus
hebraicis in Geneſin, talem ex hebræo citat huius loci lectionem: *Tranſibo in vniuerſo pe-*
core tuo hodie: ſepara inde omne pecus varium, & diſcolor: & omne pecus vnius coloris in agnis,
& varium, & diſcolor in capris erit merces mea: Sed procul dubio illud: *Omne pecus vnius*
coloris in agnis, menda non caret, cùm pugnet cum ipſa ſententia, & ſit contra pactum,
quod Iacob inire voluit cum Laban. Quare pro illo: *vnius coloris*, legi potiùs deberet, *va-*
rij coloris. Pagninus ad hebraicæ lectionis ſententiam ſic eſt hunc locum interpretatus: *Tran-*
ſibo per omnes pecudes tuas hodie, remouendo inde omne pecus punctis paruis reſperſum, &
aſperſum maculis latis, & reſperſum punctis in capris, erit merces mea. Græca tranſlatio ſic
ad verbum habet hoc loco: *Tranſeant omnes oues tuæ hodie, & ſepara inde omnem ouem, fu-*
ſcam in agnis: & omne ſubalbum & ſparſum in capris, erit mihi merces. Miror cur ſolùm
in tranſlatione græca mentio facta ſit caprarum verſicolorum, quaſi hæ tantùm & non
item oues peruenerint ad mercedem Iacob, & ad pactum, quod fecit cum Laban, cùm
hoc manifeſtè contrarium ſit, narrationi ſcripturæ tam iuxtà lectionem latinam, quàm
juxtà Hebraicam, & Chaldaicam. Cæterùm quo planior, & apertior ſit ſententia, per par-
tes verba hæc pertractemus. *Separa cunctas oues*: Hic nomine ouium intelligere oportet,
tam fæminas quàm mares, ideſt, etiam arietes, vt ex ſubſequenti narratione manifeſtum
eſt. Nimirum eadem cauſa eſt, quin etiam maior, vt color paternus ſit in prole quàm ma-
ternus: Siquidem paternum ſemen principalius eſt in generatione prolis, & vis actiua, quæ
format fœtum, & fingit ad omnem figuram, & colorem in ſemen virile deriuatur potiùs,
quàm in muliebre, quod vicem gerit materiæ magis, quàm agentis, & mobilis potiùs, quàm
mouentis. Quatuor autem ponuntur hic nomina diuerſorum colorum gregis, videlicet eſſe
uarias, & ſparſo uellere, & maculatas, & furuas, ſiue fuluas. Variæ oues dicuntur, quæ habe-
Colorũ nomina. bant quaſi uirgulas quaſdam albi coloris, uel nigri, ita ut totum fermè corpus circumdarent,
& quaſi cingerent. Dicuntur ſparſo vellere, ideſt, pleno vellere, maculis paruis diuerſorum co-
Oues variæ. lorum, & hoc differt à vario, quod varium habet diuerſitatem colorum, vt diximus, in modum
lineæ per tranſuerſum circumdantis: Sparſo autem vellere eſt, quod multifariam paruis quaſi
macu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A maculis notatum est, quamquã apud Ieremiam variũ ponitur pro multigenis coloribus, quasi maculis varijs distinctum in illis verbis: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut Pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere cum didiceritis malè.* Varietates enim pardi sunt diuersa genera colorum, quasi paruis maculis similia. Furuum idem est ac nigrum, nam furuæ hostiæ dicebantur Ethnicis Romanis, quæ erant nigri coloris, sed quæ furuum ponitur pro eo, quod est distinctum à perfectè albo, vel nigro, necesse est intelligere nomine furui, non perfectè nigrum: Non enim tantùm voluit Iacob separari à grege, & tradi in potestatem Laban pecora varij coloris, sed etiam quæ non erant tota perfectè vel alba, vel nigra. Alij codices habent fuluum, & sic legit Tostatus. Fuluus autem color, vt est apud Gellium, videtur de ruffo atque viridi mixtus, in alijs plus viridis, in alijs plus ruffi habere. Sic poeta verborum diligentissimus, *fuluam Aquilam* dixit, & *Iaspidem fuluum, & fuluos galeros, & aurum, & arenam, & leonem, & æs fulua.* Septuaginta fuscum dixerunt, quod est, subnigrum. In hebræo sunt tres voces, Nachod, Talu, & Hum. Nichud punctum, siue stigma, siue paruam maculam diuersi coloris significat: Vnde Nachod dicitur animal album, habens veluti paruas maculas nigri

Cap. 1.

Lib. 2. c. 26.

Nachod.

B coloris: vel contrà animal nigrum, habens quasi maculas & velut puncta quadam alba. Talu dicitur animal maculosum, sed quod maculas habet latas, & tanquam frusta quædam diuersi coloris. Hum poni solet pro fuluo, & rufo & fusco, interdùm etiam pro nigro: descendit enim ab Hom, quod calorem significat, quia calor, & nigrum & rufum, & nigrum declinans ad rufum, solet facere. Paulò aliter Oleaster: *Dicunt* (inquit) *tam Hebræi quàm nostri, Nachod significare punctatum, & maculis paruis respersum: Talu verò, magnis maculis notatum. Sed si radices istarum vocum spectes, deprehendes oppositum esse: Nachod enim significat maculosum, siue paruis, siue magnis maculis: Talu verò punctatum, seu paruis punctis respersum.* Et hoc probat ipse ex multis Scripturæ locis. *Potest etiam,* inquit, *Nachod, significare cinctum, seu cingulo maculæ circundatum.* Ergo sensus huius loci, tam secundum latinam, quàm Hebraicam lectionem, hic est: *Separa à cuncto grege pecora varijs coloribus, vel tanquam punctis, & paruis maculis notata, vel tanquam latis maculis & frustis distincta siue circundata: & item subnigra & subrufa: hæc omnia trade pascendo tuis filijs & seruis; mihi autem solum relinque, quæ fuerint tota perfectè, vel alba vel nigra. Ex his porrò quæ nascentur similiter alba, vel nigra, tua erunt:*

Talu.

Hum.

C *quæ verò diuersi coloris, mihi erunt loco mercedis.* Diodorus præceptor S. Chrysostomi, adnotauit, (vt citatur in catena) in Mesopotamia candidas oues, & nigras capras, potissimùm exquiri, & magni fieri consueuisse: in Palæstina verò versicolores: quare quod contigit Iacob, Deo operante factum est in emolumentum eius, qui mox rediturus erat in Palæstinam. Verùm dicet aliquis, cur hic ouium tantùm & caprarum fiat mentio, quasi hæc tantùm pasceret & custodiret Iacob, non autem boues, equos & camelos nominet: cùm tamen hæc Iacob habuisse, in extremis verbis huius capitis proditum sit. Verùm Iacob non accepit pascenda & custodienda à Laban, nisi supradicta animalia, oues, dico, & arietes, capras & hircos: cætera verò animalia, quæ habuisse dicitur Iacob, non à Laban accepit: sed ipse sibi comparauit. Nam venditis animalibus, quæ sibi ex pacto, mercedis loco, incredibili copia obuenerant, emit boues, asinos & camelos: quæ postmodum eius industria, sed potissimùm Dei benignitate, mirandum in modum propagata sunt. Hæc itaque omnia Pererius. Cæterùm Tostatus ideo hic solùm oues & capras Iacob pauisse dici ait, quia album & nigrum, quæ conueniebant huic experimento, inquit, pacti, non ita leuiter reperiuntur in bobus & vaccis, quemadmodum in oui-

D bus & capris. Vt modò ad coitum, & partum reuertamur, fit vt aliquando coitus in ipsis accelerandus sit, atq; etiã additis remedijs procurãdus, vbi scilicet ad venerẽ segnis est, ac ignauus. Aristoteles author est, oues quę aquã salsiusculã bibunt, maturius coire, additq; nõ solùm antè coitum, sed etiã à coitu, atq; etiã verno tempore saliendũ esse, hoc est, salẽ eis prębendũ. Et Aelianus scribit, vt plus veneri indulgeãt animalia, pastores ouiũ, caprarũ, & equarũ tempore coitus, genitalia delibutis sale & nitro manibus perfricare, vt ijs vehemẽtior coitus appetitus oriatur, alios alijs mordicantibus pharmacis ea perungere, ut pipere, uel nitro, uel urticæ fructu; alios myrrha, & nitro, quoniam ex ea fricatione fœminæ libido suscitetur, & mares sustineat. Didymus ad initum validos arietes reddere, esum cæparum & polyphori & herbæ polygoni: Plinius verò cæpas pecori obijcit, vt vim coeundi pecori augeat, non minus quàm homini eruca. Arietém autem, quo sis vsurus ad fœturam, Varro & Didymus, bimestri tempore antè secerni, & largius pabulo expleri præcipiunt. Alij etiam, vt ait Palladius, duobus antè mensibus à coitu reuocant, vt facem libidinis augeat dilatio voluptatis. Quidam etiam coire sine discretione permittunt, vt hoc eis genere per annum totum fœtura non desit. Idem Didymus testatur, esse qui toto anno lac & agnos habere studentes, coeundi tempus, in singulas anni partes

Aries vt ad coitum incitetur.

Lib. 9. c. 48.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

digerunt multifariam. Varro vult, vt ante admiſſuram diebus triginta arietibus ac tauris detur E
plus cibi, vt vires habeant: Et alicubi ait, cùm redierint arietes nimirum admittendi, ad ſtabu-
la è paſtu, hordeum ſi eſt datum, fiunt firmiores ad laborem ſuſtinendum: Satyrij genus ery-
thraicon arietibus quoque & hircis ad venerem ſegnioribus in potu datur, teſte Plinio. Notan-
Conceptus impedimenta. dum etiam non omnes oues conceptioni æquè aptas eſſe, ſiquidem pinguedo, vt teſtatur Al-
bertus, nimia impedit, quo minus concipiant. Fit etiam, vt aliquando poſt coeundi pręſcriptũ
tempus coeant, & concipiant, ſed iſtiuſmodi fætus improbantur, & cordi ideſt, ſerotini nuncu-
Agni cordi. pantur, vt meminit Plinius his verbis: *Poſtea concepti inualidi, Cordos vocabant antiqui, poſt id*
Lib. 9. c. 47. *tempus natos*, Vulgus, inde vocabulo deducto, Cordiſcos nominat, dicuntur etiam Gordiani,
Lib. 7. c. 3. & Gordiſci, & opſigoni. Ita & cordum fænum dicitur illud, quod autumno ſecatur teſte Co-
lumella: *Aluntur, inquit, autumnali fæno quod cordum vocatur*: Sic item corda frumenta dicun-
tur, quæ ſerò matureſcunt, diciturque & de hominibus vltra tempus debitum in vtero geſtatis,
vnde apud Suetonium Cordi Cremeti nomen legitur; quo nomine etiam dictus eſt ſcriptor
hiſtoriarum, quem ſequi ſe ait Iulius Capitolinus in vita Gordianorum, & noſtro tẽpore me- F
dicus egregius Valerius Cordus. Eſt & Cordi cuiuſdam honorifica mentio, in quodam Epi-
taphio, quod eſt in columna D. Petronij, quæ verſus gymnaſium ad orientem ſita eſt extra
Lib. 2. c. 1. de re ruſtic. Eccleſiam cum his verbis: P. MANILIO C. F. CORDO, ideſt, vltimo. Varro per aſpi-
rationem ſcribit Chordus, & ἀπὸ τοῦ χορίου deriuat, quod ſignificat vltimum inuolucrum, quo
fętus in vtero clauditur.

CIBVS. POTVS.

8. hiſt. c. 10. OVES, & capræ, teſte Ariſtotele, ſunt ποηφάγα, ideſt, vt Gaza vertit, veſcuntur
herba, vbi τῆς πόας, ideſt, herbæ nomen intelligit nullum non plantarum ge-
nus quod veſcum eſt, quamuis interim certum ſit herbis potius, quàm frondi-
bus veſci, vnde etiam eſt, quod oues per ſumma montium cacumina, libentius
quàm capræ verſentur, quæ frutices potiùs perſequuntur, qui in cacuminibus G
deſunt; vnde Homericus Cyclops multo cum ſtrepitu pecudes ad pingues montes vertit; fron-
dem tamen etiam minimè aſpernantur, imo verò Cato agriculturæ callidiſſimus, *ouibus*, in-
quit, *frondem viridem vſque dum habebis præbeto. Vbi ſementim facturus eris, ibi oues delegato,*
& frondem vſque ad pabula matura dato. Et Nonius Marcellus, ex primo Varronis de re ruſti-
ca citat hæc: *Cogit aliquot corbulas vuarum, & frondem iucundiſſimam miniſtrat ouibus.* De ge-
nere pabuli, inquit Columella, vt & antè diximus, & nunc eorum, quæ omiſſa ſunt, memineri-
mus, iucundiſſimas herbas eſſe, quæ aratro proſciſſis aruis naſcantur, deinde quæ pratis vligi-
ne carentibus, paluſtres, ſylueſtreſq; minimè idoneas haberi: nec tamen vlla ſunt tam blanda
pabula, aut etiam paſcua, quorum gratia non exoleſcat vſu continuo, niſi pecudum faſtidio
paſtor occurrerit præbito ſale, quod velut ad pabuli condimentum per æſtatem canalibus li-
Salis eſus vt ouibus proſit. gneis impoſitum, cùm è paſtu redierint oues, lambunt atque eo ſapore cupidinem bibendi, pa-
ſcendique concipiunt: At contrà penuriæ hyemis occurritur obiectis intra tectum per præſepia
cibis: Aluntur autem commodiſſimè repoſitis vlmeis, vel ex fraxino frondibus, vel autumnali
fæno, quod Cordum vocatur: Nam id mollius, & ob hoc iucundius eſt, quàm maturum: Cyti- H
ſo quoque & ſatiua vicia pulcherrimè paſcuntur: Neceſſariæ tamen vbi cætera defecerunt, etiã
ex leguminibus paleę: Nam per ſe hordeum, vel freſa cum ſuis valuulis faba, vel cicercula ſum-
ptuoſior eſt, quàm vt ſuburbanis exiguo precio poſsit præberi: Sed ſi vtilitas permittit, haud
dubiè ſunt optima. Tantum ille. Sic & Varro oues pellitas, (quæ propter lanæ bonitatem ſub
tecto aluntur) quæcunque iubentur, veſci ſcribit, vt folia ficulnea, & palea, & vinacea inquit, &
furfures obijciuntur modicè, ne parum aut nimium ſaturentur, vtrumq; enim ad corpus alen-
dum inimicum, at maximè amicum Cytiſum, & Medica, nam & pingues facit citiſsimè, & gi-
gnit lac. Virgilius etiam, vt plurimum generent lactis, ſalſas herbas præbendas eſſe ait, lotum
itidem, & cytiſum, dum ſic canit:

At cui lactis amor, cytiſum, lotoſq; frequentes
Ipſe manu, ſalſaſq; ferat præſepibus herbas,
Hinc & amant fluuios magis, & magis vbera tendunt
Et ſalis occultum referunt in lacte ſaporem.

Herbæ marinæ quæ. Nam, quę in locis maritimis, aut ſalſuginoſis, compaſcunt pecudes, largiore lacte, & caſeo gra-
tiore abundant, multoque fæcundiores euadunt, multoq; ſuauiores, ac teneriores carnes pro-
ferunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ferunt, quales oues suauissimas, atque præpingues in Ostiensi agro, eique finitimo Portuensi,
decimo ab vrbe lapide, qui Tyberi fluuio interfluente, multis hinc inde paludibus atque etiam
salinis sunt circumfusi, sese reperisse, atque etiam gustasse tradit Bernardinus Gomesius, affir- *Lib. 1. de sale.*
matque se nusquam vidisse aliàs pinguiores, ac neque gustui gratiores comedisse, easdemque
copia salis, ac pastu soli salsuginosi tales fieri, tum multis rationibus, tum ex hac potissimum
liquere iudicat, quòd cùm pecus omne potu, quàm maximè pinguescat, ad continuam huius
appetentiam pecudi excitandam, ac etiam fouendam, nihil sit ęque aptum, ac sal. Quę Plutar- „
chi sententię ex asse competunt; hic enim in quęstionibus naturalibus quęrens, cur pecori pa- „
stores salem proponunt? An, vt plerique putant, inquit, vt eo amplius alantur, & crassescant? „
Nam & appetitum cibi acuit salis acrimonia, & meatus referando cibum facilius ad digestio- „
nem deducit. Itaque etiam graciles, & qui parum nutrirentur, Herophili discipulus Apollo- „
nius, dulcibus vesci, & alica nolebat, sed salsamentis, & salsuginem habentibus pro cibo vti iu- „
bebat: quorum tenuitas tanquam in fricationis locum succedens alimentum per meatus cor- „
pori apponeret. Aut valetudinis potius gratia, & vt abundantia incideretur nutrimēti, ad lin- „
B gendum salem oues assuefaciunt? ęgrotant enim pinguedine nimia contracta, eam verò sales „
colliquant, & diffundunt; Idque adeo obseruant, vt facilius possint eas cute exuere. Quę enim „
agglutinat, atque constringit cutim pinguedo, tenuis, infirmaque redditur ab acrimonia. Te- „
nuatur etiam sanguis salem lingentium: neque coeunt quæ intus sunt, salibus admixtis. Quin, „
& hoc considera, num magis fęcundum inde fiat pecus, & ad coitum pronius. Nam & canes
salsamento eso celerius concipiunt: & naues, quibus sal vehitur, plures alunt mures ob frequē-
tem coitum. Sic ille. Et nos paulo antè ex Aristotele dicebamus, oues quę aquam salsiusculam
bibunt, maturius coire, sępiusque eas saliendum esse, quod gręci ἀλίζεσθαι dicunt. Idemq; Ari-
stoteles oues à partu (πρὸς τὺς τόκυς: Albertus legit πρὸ τῦ τόκυ, vertit enim, ante partum, sed
vtroque tempore dari conuenit) sale fruentes vbera magis distenta lacte demitti, author est.
Et cum eodem authore oues potissimum pinguescant ex potu, ęstate salem dare die quinto pa-
stores solere ait, singulis centenis singulos modios; sic enim pecus incolume, atque pinguius
reddi; frequentem igitur salis usum eo pertinere, quando & paleis copiam salis admiscent, vt
C sitibundæ plus aquæ hauriant, & autumno cucurbitam sale contactam afferunt, quod lac, in-
quit, etiam auget, & agitatę quoque meridie plus pomeridianis bibunt, fętis distenta vbera
pendent, quibus salis abundè est. Palladius verò salis crebra conspersio, inquit, vel pascuis mi-
sta, vel canalibus frequenter oblata debet pecoris leuare fastidium; nam per hyemem, si penu-
ria est, fænum vel palea, vel vitia, vel facilior victus, seruatis vlmi frondibus præbeatur, aut fra-
xini, facit item sal ad vitæ diuturnitatem; scribit enim Albertus in quibusdam terris marinis,
in quibus sicca, & salsa habent pascua, viuere oues per viginti annos, atque etiam parere. Vita-
lis de Furno Cardinalis esse, ait, qui in autumno dant eis cucurbitas cum sale paratas ad multi-
plicationem lactis, ipsasque sic vberius lac præbere. Hector Boethius in descriptione Scotiæ
tradit in Scotia per loca inculta, & sterilia sponte nasci cytisum cùm ouibus, capris, & omni pe-
cudum generi vtilissimum, tum apibus imprimis gratissimam, florem ferre mense Iulio purpu-
rei coloris mellitissimum, vnde Picti olim potus genus conficere sint soliti, non minus salubre
quàm delectabile. Cæterùm qui eius faciendi artem celauerunt, ipsis, postea à Scotis, deletis,
eius potus eundem finem qui & gentis, extitisse. Et Columella quoque cytisum in agro esse *Cytisi vsus.*
quam plurimum referre scribit, idque bubus, & omni generi pecudum vtilissimum esse, quia ex
D eo citò pinguescat, & lactis plurimum tribuat ouibus. Africanus item, omnia pecora cytisum
depasta, lac multum habitura, & simul embryum nutritura pollicetur. Plinius verò etiam cyti-
sum fruticem esse ait, ab Aristomacho Atheniensi miris prædicatum laudibus, pabulo ouium,
sunt verò etiam cytisi folia satis tenera, & mollia, & succum præbent suauem, maluæ instar, vt
& agnis in cibo aptus & gratus esse possit, atque hinc fortè Hesychius, & Varinus ἀρνόφυλλον
interpretantur cytisum. Idem Plinius insuper fabæ siliquas, caulesque gratissimo pabulo pe-
cori esse tradit, ex Aristotele fortasse, qui ouibus fabas largius datas copiam efficere lactis, asse-
rit, interprete Gaza. Sed græcè sic legitur: πολὺ γάλα ποιεῖ κυαμῶν πλῆθος ὀλίγον προσφερό-
μενον ὗ, idest lac copiosum reddit fabarum etiam parua copia in pabulo. Pastores sæpenume-
ro ex Alpibus ad plana descendunt, ut luxuriantē segetem pecus depascat, more scilicet ab an- *Lib. 18. cap.*
tiquis recepto, ut constat ex his Plinij uerbis: *Luxuria segetum castigatur dente pecoris in her-* *17.*
ba duntaxat, & depastæ quidem, vel sępius nullam in spica iniuriam sentiunt. Retonsarum verò
etiam semel, omninò certum est, granum longius fieri, sed inane, cassumque non nasci Babylone ta- *Lib. 8. hist.*
men bis secant, tertio depascunt, alioqui folia tantùm fierent; hæc ille ex Theophrasto. Gaudent *c. 7.*
uerò maximè herbis rore adhuc madentibus, potissimum quę crescunt in collibus. Lucretius: *Lib. 2.*

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Nam ſæpe in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes, quo quamque vocantes
Inuitent herbæ, gemmantes rore recenti
Et ſatiati agni ludunt, blandèque coruſcant.

Aelianus tradit in India & maximè in Praſſiorum regione liquido melle pluere, idq; in herbas & paluſtrium arundinum comas decidens, mirificas paſtiones ouillo, & bubulo pecori præſtare: atq; ipſum quidem à paſtoribus eò, vbi plus dulcis roris de cælo delapſum eſt, agi, & ſic illis paſtionibus tanquam epulis iucundè accipi, paſtoreſq; viciſſim prolixo epulo compẽſare; nam ex pecore ſuauiſſimum lac exprimere, neque ſicut græci, inquit, faciunt, mel miſcere, & temperare, habere neceſſe. Tantum Aelianus, indicans ouium lac apud græcos amarùm eſſe, vel ſaltem haud omninò dulce, cùm tamen eodem, Aeliano authote, Alexander Myndius dicat oues in Ponto amariſſimo abſynthio pingues fieri, idque etiam Plinius affirmat: *Abſynthium Ponticum*, inquit, *appellatur à Ponto, vbi pecota pingueſcunt illo, & ob id ſine felle reperiuntur.* Neuter autem lac inde amarum reddi tradit. De Laſerpitio idem Plinius hæc prodidit: *Laſerpitium & circumfodi ſolitum prodidere: Nec purgari pecora, ſed ægra ſanari, aut protinus mori, quod in paucis accidere Perſico Silphio prior opinio congruit.* Et rurſus: *Laſerpitio veſci ſolita pecora primoque purgari, mox pingueſcere carne mirabilem in modum iucunda.* Et rurſus alibi: *Laſer multis iam annis in Cyrenaica prouincia non inuenitur; quoniam publicani qui paſcua conducunt, maius ita lucrum ſentientes, depopulantur pecorum pabulo, ſi quando incidit pecus in ſpem naſcentis hoc deprehenditur ſigno, oue cum comederit, dormiente protinus, capra ſternutante.* Coluthæa etiam mirum in modum ſaginat oues, teſte Theophraſto. Strabo verò etiam apud Iudæos ouibus in pabulum dari ſcribit nucleos palmarum, aiuntq; iſtiuſmodi nucleos fabris ferrarijs pro carbonibus in vſu eſſe apud Babylonios, moxque in aqua maceratos, bubus, & ouibus in pabulo dari. Seminatur & aphace propter oues, teſte Athenæo. Herba lanaria ouibus ieiuna data, vt ait Plinius, lactis abundantiam facit, qui etiam ſcribit, lanatum pecus maximè arcendum eſſe à vitibus, quia gemmas, inquit, aufert. Quare & Virgilius iubet, vt ſepes texantur, vineæ nimirum tutandæ gratia, ne pecus præſertim lanatum, & ætate luxurians, nullique operi aſſuetum, irrumpere poſſit; Nam non ſolùm gemmante vite procul arcendæ ſunt pecudes, quoniam facillimè gemmas auferunt, verùm etiam plus vitibus damni datur ab iſtiuſmodi pecude, quam à frigore hyberno prægelido, aut æſtiuo calore præferuido. Neque enim vel pruinoſa hyemis frigora vel calidiſſimæ æſtatis feruores tantùm nocere poſſunt vitibus, quantum illis nocens pecudũ venenati morſus, & impreſſa dente pecuino vulnera, verſus poetę ſunt:

Lib. 3. c. 17. Lib. 15. Lib. 9. Lib. 17. cap. 22. 2. Georg.

Texendę ſepes etiam, & pecus omne tenendum eſt,
Pręcipuè dum frons tenera, imprudenſque laborum:
Cui ſuper indignas hyemes, ſolemque potentem,
Syluestres vri aſſiduè, capręque ſequaces
Illudunt: paſcuntur oues, auidęque iuuencę.
Frigora nec tantùm cana concreta pruina
Aut grauis incumbens ſcopulis arentibus ęſtas
Quantum illi nocuere greges, duriq; venenum
Dentis, & admorſo ſignata in ſtirpe cicatrix,

Lib. 4. Georgic. Et rurſus deſcripturus locum idoneum apibus, ad mellificandum oſtendit, quantopere floribus inſidientur, ex quibus apibus mel erat colligendum, canit:

Principio ſedes apibus, ſtatioque petenda
Quo neq; ſit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oues, hędique petulci
Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.

Lib. 1. c. 27. Similiter, & Palladius; ſedes, inquit, apibus collocanda eſt contrà brumalem meridiem, procul à tumultu, & cętu hominum ac pecudum, nec calido loco, nec frigido, nam vtraque re infeſtatur. Dioſcorides & Plinius adianta circum ouilia ſata vtiliſſima eſſe ſcribunt; Caput gallinaceum Belgis nuncupata herba, à ſeminis cum galli criſta ſimilitudine, multis uera polygala credita, nonnullis onobrychis dicta, Dienſibus Allobrogibus, qui eam diligẽter ſerunt, Sparſetem vulgò uocata, pecori pabulum eſt gratiſsimum, indeque lacte abundare ſi uel uiridi, uel ſiccâ paſcantur, certiſsimum eſt, vt ait Dalechampius, vel quicunque author eſt vniuerſalis ſtirpium hiſtorię. Nos autem paulò ſuperiùs ex Didymo diximus, arietes validos reddi ad coitum ſi eorum nutrimento cæpę miſceantur, nec non & Polyphoros, & polygonos herba, Polyſporiau-

Lib. 4. c. 59. Polyphorus herba.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tem herbæ alicubi in geoponicis in capite de piscinis fit mentio his verbis: *Vbique autem plures habebis pisces, si polysporum, polygono similem herbã contusam aquis pisces nutrientibus inieceris.* Andreas à Lacuna Polysporum & polyphorum eandem putat esse herbam, quæ verò sit, non explicat. Quintilij in Geoponicis loquentes de tauris, polyspermos etiam, inquit, & quæ poly- *Lib. 18. cap. 4.*
gonos vocatur herba, animalia ipsa reddent multis modis fæcundiora. Quibus verbis specie differre indicant, & polygonos quidem altera mas est, quæ vulgo centumnodia vocatur, altera fæmina, caudæ equinæ similis. Galenus marem nonnihil adstringere ait, præcellere verò in ea aqueam frigiditatem, ita vt in secundo gradu, vel principio tertij refrigeret. Ad eadem facere fæminam, sed ignauiùs, qua forsitan ratione fæmina etiam in genere hoc dicitur. Polygoni verò nomen vtraque habet à frequentibus geniculis, quamquam gonos etiam semen significat, quo plurimum abundat mas. Cęterùm quomodo herba adeo refrigerans & adstringens, nonnihil mouere coitum possit, non video; contrarium enim ratio ostendit. Videtur sanè vulgo superstitiosum, arrepto omine vocis, quasi polygonos ab augenda genitura, fęturave diceretur, stolidam illam de eius facultate opinionem propagasse. Gesnerus polygonato potius,
B quod vulgo sigillum Salomonis vocant, vim libidinem citandi tribuendam arbitratur, polygonis verò sistendi, & polycritum aut polycarpon (vt aliàs legitur) Hippocrates vocat, quod Dioscorides Cratęogonon, cui ad conciliandam in homine fæcunditatem, mares etiam generandi, vim esse, alij etiam authores literis mandauerunt. Habet & Cassianus Bassus suum polyspermon, siue polysporon, quod esse Anguilara arbitratur, bliti, seu potius atriplicis illud genus, quod atriplex syluestris Fuchsio, Blitum syluestre Camerario, Caspari Bauhino blitum polyspermon nũcupatur à seminis copia, qua cauliculi eius onerantur, sed nec hoc propter frigidam eius naturam Didymus intelligere potuit. Quantum verò ipsę pecudes etiam thymi esu *Lib. 21. cap. 10.*
oblectentur, Plinius indicat his verbis: *Thymos quidem nunc etiam lapideos campos in prouincia Narbonensi refertos scimus, hoc penè solo reditu è longinquis regionibus pecudum millibus conuenientibus, vt thymo vescantur.* Nos suprà ex Turnebo harum pecudum mentionem fieri diximus à Plauto, his verbis: *Vetulæ sunt thymianæ:* improbari autem à Comico, quia propter lon- *In Bacchid.*
ginquitatem vię Romam vsque perlatę iam macrę euaserant. Apud Brabantos Belgij populos erica ingentes ouium greges saluberrimo pabulo nutrit, & à pulmonis, lienis, iecorisq; obstru-
C ctionibus pręseruat. Quartum si carnes Galenus gustasset, inter laudatissimas eas numerasset, tum ob delicatissimum saporem, tum ob facilem coctionem, & probum nutrimentum, quod omni humore superfluo caret, non ob loci modò, & herbę siccitatem, sed propter vires etiam ericę. Theocritus pro ouium cibo etiam celebrat apiastrum, & hederam, quam tamen capram *Idyl. 6.*
potius prosequi verisimile est:

Ταῖσι δ' ἐμαῖς ὀΐεσσι πάρεστι μὲν ἁ μελίτεια
Φέρβεσθαι, πολλὸς δὲ καὶ ὡς ῥόδα, κισσὸς ἐπανθεῖ. idest,
Ouibus verò meis adest apiastrum
Ad pascendum, & copiosa hædera effloret sicut rosa.

Apparet etiam spinis vesci, vel saltem spinosis herbis, nam de Eryngio scribunt veteres, vt suo loco patebit, si ex ouium grege quępiam eam herbam ore sumpserit, illam primò, ac mox reliquum gregem tam diu à progrediendo subsistere, quo ad ex eius ore herbam pastor detraxerit. Est etiam glans pecori nocuus, saltem cùm vterum fert, ait enim Aristoteles, si oues graui-
D dę glandem copiosius ederint, abortum facere, vt sues etiam, ouibus tamen constantius hoc glandibus esitatis contingere. Est vbi plantarum fructuumque inopia piscibus aluntur. Arria- *Piscibus vbi alantur.*
nus enim author est circa Calamos vicum Indię maritimum Nearchum referre ouium carnes piscem resipere, vt auium marinarum; piscibus enim uesci, quòd regio gramen non ferat. Et rursus non multò pòst, apud Ichthyophagos, inquit, prata non sunt, neque gramen nascitur, quamobrem pecora eorum etiam piscibus siccis vescuntur. Et apud Philostratum legimus, *Lib. 3.*
Apollonium circa Indiam attigisse ferri, etiam Pedagem Oritarum regionem, ubi pecudes sint pisciuorę, ea comedentes, quę minimè naturę suę conueniunt. Pastores enim piscibus illas alere consueuisse; Indos enim Carmanos cognominatos mirè piscosum mare accolere: Et Paulus Venetus testatur in prouincia Aden non solum oues, sed boues etiam & camelos piscibus vesci, quorum ingens illic sit copia, & libentius quidem siccis quàm recentibus, nam propter immensum calorem herbis, & frugibus carere. Aelianus verò etiam oues Lydiæ, & Macedonicas ex piscibus pinguescere, dici tradit, & Ennius cùm dicit, *propter stagna ibi lanigerum genus piscibus vescitur*, paludem esse demonstrat, inquit Festus, in qua nascuntur pisces similes ranunculis, quos oues consectantur. De plantis, quę in cibo ab ouibus sumptę noxię sunt, atq; etiam salubres, dicam postea. Quod modò ad potum attinet, alij aliam laudant aquam, siqui- *Potus.*
dem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Quæſt.2.

dem Albertus obeſiores oues plerumque fieri ſcribit, ſi aquam multam, & turbulentam bibe-rint. Plutarchus verò in quæſtion. naturalibus pecus libenter, ſcribit, bibere aquam imbris, vbi ſtatim à vento immittitur, quia dulcis ſit, & mitis, ſed alia alia melior pro diuerſitate tẽporis. Vitalis de Furno, inquit, in æſtate præſtare aquam ſeptentrionalem frigidam, in autumno verò aquam meridionalem tepidam: Ariſtoteles tamen aquam, ſcribit, ouibus commodiorem eſſe autumno aquiloniam, quàm auſtrinam. Atqui authore Varrone aquæ mutatio huic pecori nocet ſaltem eo tempore, quo fit admiſſura inquit: enim, quamdiu admiſſura ſit, eadem aqua vti oportet, quod commutatio, & lanam facit variam, & vterum corrumpit.

PASTORIS, SIVE CVRATORIS Officium.

Paſtor. Opilio.

QVOMODO curandum ſit hoc pecus, edocturis nobis, non præter noſtrum inſtitutum fuerit à nomine eius, cui cura committitur, exordiri; is voce à paſcendo deducta, latinis paſtor dicitur, quo tamen nomine non ſolùm opilio (ſic priuatim vocatur, qui oues cuſtodit, aut curat, quaſi ouilio) ſed etiam bucolicus, qui boues, & æpolus, ideſt, caprarius, qui capras, vt Aelius Donatus ſcribit, curat, intelligitur. Græci plura vocabula habent; Νομεὺς, Varino, propriè eſt is, qui vel capras, vel boues, vel oues, vel equos, vel aliud animalis genus paſcit. Idem puto qui βόσκων, ſiue βοτὴρ, aut βώστηρ; ποιμὴν verò priuatim ouium paſtor, παρὰ τὸ ὄϊς, καὶ τὸ μῶ, τὸ ζητῶ, quaſi ὀιμητήρ, aitque ποιμαίνειν propriè etiam dici de ouibus, quaſi oues paſcere. Aeſchylo tamen paſtor ποιμάνωρ eſt, & ipſe grex ποιμανόριον eodem Varino teſte, ποιμάντωρ poeticum eſt. Idem & μηλόνομεῖς exponit ποιμένες, & μηλόβαι & μηλοβάται, eidem ποιμένες, quæ tamen vocabula quemlibet indicare paſtorem τοῦ μήλου ſignificatio indicat; Tum etiam teſtatur Heſychius, qui μηλοβοτεῖ exponit, paſcit: Προβατεὺς Suidæ etiam opilio eſt, & οἰονόμος & μηλόβοτος pro eodem προβατοβοσκὸς leguntur apud Etymologum: Eſt & ἀρνοβοσκὸς idem qui προβατεὺς, ſiue προβατοβοσκὸς, ſiue opilio, quemadmodum & inter ſynonyma dictum eſt. Qualis modò iſtiuſmodi paſtor, ſiue opilio, cuſtos eſſe debeat tradidit Columella;

Opilio qualis eſſe debeat.

Qui ſequitur, inquit, *gregem circumſpectus & vigilans* (id quod omnibus, & omnium quadrupedum cuſtodibus præcipitur) *magna clementia moderetur: idemque duci propior, quam domino, & in cogendis, recipiendiſque ouibus acclamatione, ac baculo minetur, nec vnquam tela emittat in eas, neque ab his longius recedat, nec aut recubet, aut conſidat: nam niſi procedit, ſtare debet: quoniam grex quidem cuſtodis officium, ſublimem, celſiſſimamque oculorum veluti ſpeculam deſiderat, vt neque tardiores, & grauidas, dum cunctantur, neque agiles, & fetas, dum procurrunt, ſeparari à cęteris ſinat, ne fur, aut beſtia hallucinantem paſtorem decipiat.* Habet idem paſtor baculum incuruum ad comprehendendas oues, aut capras pedibus; pedum vocant, cuius etiam meminit Virgilius, dum ait:

Pedũ quid. Egloga 5.

At tu ſume pedum, quod, me cum ſępe rogaret
Non tulit Antigenes, &c.

Numerus opilionum.

Obſeruandum autem pro pecoris diuerſitate, etiam cuſtodum numerum variare; Non enim vnus opilio magnum numerum cuſtodire poteſt, qua de re agens Marcus Varro; *relinquitur*, inquit, *de numero, quem faciunt alij maiorem, alij minorem: nulli enim huius moduli naturales. Illud ferè omnes in Epiro facimus, vt minus habeamus in centenas, oues hirtas ſingulos homines, in pellitas binos. De numero paſtorum alij anguſtius, alij laxius conſtituere ſolent. Ego in octogenas hirtas oues ſingulos paſtores conſtitui, Atticus in cẽtenas. In gregibus ouium, ſed magnos quos milliarios faciunt quidam, facilius de ſumma hominum detrahere poſſunt, quàm de minoribus, vt ſunt Attici.* Tremelius. *Septingenarij enim mei, vt opinor, tu octingenarios habuiſti, nec tamen, vt nos, arietum decimam partem.* Idem Varro ait, non multum aliter tuendum eſſe pecus caprillum in paſtu, atque ouillum, hoc tamen habere ſua propria quædam. Idem etiam monet, vt primùm prouideamus, vt totum annum, rectè paſcantur intus, & foris. Palladius verò docet, quæ paſcua ſint eligenda: paſcua, inquit, ouillo generi vtilia ſunt, quæ vel in noualibus, vel in pratis ſiccioribus excitantur, paluſtria verò noxia ſunt, ſylueſtria damnoſa lanatis; & Columella ait: *ſequeris autem noualia non ſolùm herbida, ſed quę plerumque vidua ſunt ſpinis. Vtimurq; ſępius authoritate diuini carminis:*

Paſcuorum electio.

Si tibi lanitium curę eſt, primùm aſpera ſylua
Lappęque tribulique abſint, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Quoniam ea res, vt idem ait, scabras oues reddit; cùm tonsis illotis adhæsit*

Sudor: & hirsuti secuerunt corpora vepres:

Tum etiam quotidie minuitur lana, quæ quanto prolixior in hoc pecore concrescit, tanto magis obnoxia est rubis, quibus velut hamis inuncata à pascentium tergis auellitur: Molle verò pecus etiam velamen, quo protegitur amittit, atque id non paruo sumptu reparatur. Tantum Columella. Et rursus: *Hoc pecus quamuis mollissimum valetudinis tutissimæ est, minimèque pestilentia laborat. Verum tamen eligendum est ad naturam loci: quod semper obseruari, non solùm in hoc, sed etiam in tota ruris disciplina, Virgilius præcipit cùm ait:*

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt.

Pinguis, & campestris situs proceras oues tolerat, gracilis, & collinus quadratas: syluestris, & montosus, exiguas: pratis, planisque noualibus tectum pecus commodissimè pascitur. Idque non solum generibus, sed etiam coloribus plurimum refert. Similiter rursus Varro, ait: *Non eadem loca æstiua, & hyberna, idonea omnibus ad pascendum. Itaque greges ouium longè abiguntur ex Apulia in Samnium æstiuatum, atque ad publicanum profitentur, ne si inscriptum pecus pauerint, lege* B *censoria committant mulietos, & à campestri æstate exiguntur in Gurgures altos montes;* Quanta porrò diligentia hoc pecus sit pascendum, declarat idem Virgilius latinorum poetarum princeps, qui itidem tempora pascendi, & ad aquam ducendi non negligenda putauit, dum canit: *Pascendi & ad aquā ducendi tempora.*

At verò Zephyris cùm leta vocantibus estas,
In saltus vtrumque gregem, (idest oues & capras) *atque in pascua mittes,*
Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum manè nouum, dum gramina canent,
Et ros in tenero pecori gratissimus herba.
Inde vbi quarta sitim cæli collegerit hora,
Et cantu querule rumpent arbusta cicade
Ad puteos, aut alta greges ad stagna iubeto
Currentem ilignis potare canalibus vndam.

Et alibi ait:

C
Iam medias operum partes euectus erat sol
Cùm densas pastor pecudes cogebat in vmbras
Vt procul aspexit luco residere virenti
Delia diua tuum.

Medio autem die, ad vallem, vt idem canit, mox subdens:

Æstibus at medijs vmbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris, sacra nemus accubet vmbra.

Rursus deinde mitigatæ vapore cogentur ad aquam, id quod per æstatem etiam faciendum est, atque iterum ad pascua perducendum:

Tum tenues dare rursus aquas, & pascere rursus
Solis ad occasum cùm frigidus aera vesper
Temperat, & saltus reficit iam roscida luna.
Littoraque alcyonem resonant & acanthida dumi.

D Quæ omnia sic imitatus est Calphurnius: *Ecloga 5.*

Nec tu longinquas procul à præsepibus herbas,
Nec nimis admotæ sectabere pabula syluæ,
Dum peragit vernum Iouis inconstantia tempus
(Veris enim dubitanda fides) modò fortè serena
Blandius arrisit, modò cum caligine nimbos
Intulit, & miseras torrentibus abstulit agnas.
At cum longa dies sitientes afferet æstus,
Nec fuerit variante Deo mutabile cælum
Iam syluis committe greges, iam longius herbas
Quære, sed ante diem pecus exeat, humida dulces
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturna tinguntur pascua rore:
Et matutinæ lucent in gramine guttæ,
Vt simul argutæ nemus increpuere cicadæ,

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ad fontem compelle greges, nec protinus herbas
Vel campos permitte sequi, sine protegat illos
Interea veteres, quæ porrigit esculus vmbras.
Verùm vbi decliui iam nona tepescere Sole
Incipiet, seraque videbitur hora merendę,
Rursus pasce greges, & opacos desere lucos,
Nec prius æstiuo pecus includatur ouili,
Quàm leuibus nidis somnos captare volucris
Cogitet.

Quo loco Diomedes Guidalottus noster Bononiensis per hanc volucrem intelligit vel Alcyo-
nem, vel acanthidem, quia scilicet Calphurnius Virgilium esset imitatus; mihi verò potius in-
clinat animus, vt sit quælibet auicula montium accola, tardissimè enim, & nisi post Solis oc-
casum ad dormiendum se recipiunt. Eiusdem Virgilij sententiam approbans Columella de
temporibus, inquit, pascendi, & ad aquas ducendi per æstatem, non aliter sentio, quàm vt Ma-
ro prodidit:

Luciferi primo cum sidere, &c.

Deinde circa quartam diei horam, & cum æstus viget, ad puteos, stagna, valles, aut aliam vm-
bram perducemus gregem. Rursus deinde iam mitigato vapore compellantur ad aquam, etiá
per æstatem id faciendum, & iterum ad pascua producendum ad occasum Solis. Sed obserua-
dum est sidus æstatis per emersum caniculæ, vt ante meridiem grex in occidentem spectans
agatur, & in eam partem progrediatur, post meridiem in orientem: Si quidem plurimum re-
Sol quando fert, vt pascentium capita sint auersa Soli, qui plerumque animalibus nocet prædicto oriente
pecori no- sidere. Sic item Palladius æstiuis mensibus pasci pecus iubet sub lucis initio, cùm graminis te-
xius. neri suauitatem roris mistura commendat. Quarta hora calescente, potus puri fluminis, aut
putei præbeatur, aut fontis. Medios Solis calores valles, aut arbor vmbrosa declinet. Deinde
vbi flexo iam die, ardor infringitur, & solum primo imbre vespertini roris humescit, gregem
reuocemus ad pascua. Sed canicularibus, & æstiuis diebus ita pascędæ sunt oues, vt capita gre-
gis semper auertantur à Solis obiectu. Clarissimè etiam Plinius idem docet: *Cum meridiem*
Lib. 18. cap. *adesse senties*, inquit, *pastor, æstate, contrahente se vmbra, pecudem à Sole in opaca cogito. Cùm*
23. *ęstate pasces, in occidentem specta ante meridiem, post meridiem in orientem. Aliter noxium, sicut*
hyeme, & vere si in rorulentum duceres. Nec contra Septentrionem paueris. Clodunt ita, lippiunt-
ue ab afflatu, & aluo cita pereunt. Varro verò pastiones temporibus distingui scribit in Apu-
lia, vt æstate prima luce exeant in pastum, & tum herba roscida meridianam, quæ est aridior,
iucunditate superet, Sole exorto propelli, vt redintegrantes rursus ad pastum alacriores fiant.
Circiter meridianos æstus, dum deferuescunt, sub vmbriferas rupes & arbores patulas subijci,
quoad refrigerato aere vespertino rursus pascant ad Solis occasum, atq; ita agendum, vt auer-
sum sit Soli caput, nam caput illi molle. Ab occasu paruo interuallo interposito ad bibendum
appellant, & rursus pascunt, quo ad contenebrauit; iterum enim tunc in herba iucunditas: Hæc
ab Vergiliarum, ac Caniculæ exortu ad æquinoctium autumnale obseruare. At verò Floren-
tinus, æstate quidem oues sub dio nutriri, stabularique ait, cęterùm inualescente Sole in vm-
bram subducendas, alioqui nequaquam: siquidem maximè, inquit, lęduntur frigore. Addit &
Quando alia pręcepta Petrus Crescentiensis. Per totam ęstatem aurora, inquit, surgente festinàter mul-
mulgendę. geantur, ne solitum pastum perdant, & cùm dies incaluerit, sic ducantur, vt calor Solis, aut vé-
tus vrens non possit eis nocere. Cęterùm vesperi tamdiu foris sint, donec recuperent pastum,
quem perdiderunt in die. Cum redierint, semper curandum, ne sint calidę, cùm in ouilia inclu-
duntur. Quod si magnus feruor fuerit, eant in proxima pascua, ne si longius abierint, non pos-
sint recurrere ad vmbracula: Nec pastores sinant eas importunè aggregari, cùm cęlum feruet:
quin semper moderatè dispergant. Cum adducuntur calidę, non mulgeantur. Cùm aurora ap-
paruerit, mox agniculi ducantur ex vmbraculis, vbi sollicitè custodiantur. Cum videant mane
telas aranearum oneratas aqua, non permittant pascere. Si feruor fuerit, & pluuia ceciderit,
non sinantur iacere, sed ad altiora ducantur, vbi expositæ sint vento, semperque moueantur.
Cauendę autem sunt ab herbis, quibus permixta est arena. Mensibus Aprili, Maio, Iunio, & Iu-
lio non sunt permittendę multum pasci, vt peritus quidam pastor monet, ne nimium impin-
Lanæ ratio guentur: Sed mense Septembri, Octobri, & Nouembri, post mediam tertiam sunt tota die di-
habenda. mittendę in pascuis, vt impinguentur, quantum poterunt. Huc vsque Crescentiensis. Vt verò,
Sicca ouibus & lanę habeatur ratio, pręcipit Albertus, oues licet in pascuis uberibus lánam acquirant mol-
amica. liorem, secundum rationem pascuorum, tamen quia animalia sunt humidi temperamen-
ti,

A ti, meliorem inquit, & molliorem lanam faciunt ex pascuis tenuibus & salsibus, quàm ex vberibus, & dulcibus, & melius conualescunt in tenuibus, & salsis pascuis: Et rursus; oues, inquit, locis aridis pastæ conualescunt, & in locis palustribus morbidæ efficiuntur. Testatur & Cardanus sterilia pascua subtilitatem lanæ augere. Quibus in locis messes sunt factæ, interest duplici de causa vtile, vt habet M. Varro, quod & caduca spica saturantur, & obtritis stramentis, & stercoratione faciunt in futurum annum segetes meliores: Attamen nostris rusticis non placet oues spicam legere, sed vtile indicant, si teneantur in stipulis. Reliquæ pastiones hyberno, ac verno tempore hoc mutant, quod pruina iam exhalata propellunt in pabulum, & pascunt diem totũ, ac meridiano tempore semel potum agere, satis existimant: Cõradus Heresbachius scribit suis obseruari, neque ante ex orentiem Solem, neque post occasum pasci oues foris æstate propter roris noxiam. Qui itaq; oues alere vult, hic necesse habet, vt agri conditionem metiatur, proq; illius amplitudine, & natura greges instituat. Nec satis est, si camporum spacia suppetant æstiuis pastionibus, verùm etiam hybernis pabulis sufficiant oportet. Larga enim præbenda sunt alimenta, præstatque exiguum numerum benè alere, (id quod plus etiam emolumenti domi-

Sicca ouibus amica.

B no reddet) quàm maximum gregem pabuli inopia laborantem. Hyeme modo & vere matutinis temporibus intra septum contineri iubet Columella, dum dies aruis gelicidia (inquit) detrahat: Nam pruinosa ijs diebus herba pecudi grauedinem creat, ventremque proluit: quare etiam frigidis; humidisque temporibus anni semel tantùm ei potestatem aquæ fieri cupit. Eadem planè monet Palladius. Addit Virgilius cauendum esse, ne talis pruinosa herba etiam eis substernatur:

Incipiens stabulis edico in mollibus herbam
Carpere oues, dum mox frondosa reducitur æstas:
Et multa duram stipula, filicumque maniplis
Sternere subter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemque ferat, turpesque podagras.

Idem dicere voluit Calphurnius:

Præcipue gelidum stipulis & fronde caduca
C *Sterne solum, ne fortè rigor penetrabile corpus*
Vrat, & interno vastet pecuaria morbo.

Ad stabula verò quod attinet, ea Florentinus satis ampla, & lata esse iubet, curandumque vt calida, & sicca permaneant: pauimentum, vt sit decliue, lapidibusque stratũ, & complanatum, & denique ad partem eius accliuiorem præsepia, vt collocentur, & super ea etiam perticæ infigantur, vt oues dum pascuntur supersilire prohibeantur. Sed & Columella, ait, humilia oportere fieri stabula, & in longitudinem potius, quam in latitudinem porrecta, vt simul hyeme calida sint, nec angustiæ fœtus oblidant. Ea poni debere contra meridiem, quoniã id pecus, quãuis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est, nec minus æstiui vaporis. Itaque cohortem clausam sublimi macerie præponi vestibulo debere, vt sit in eam tutus exitus æstiuandi, deturque opera, ne quis humor subsistat, vt semper quàm aridissimis filicibus, vel culmis stabula constrata sint, quo puriùs, & molliùs incubent fœtæ, iubentq; vt sint mundissima, ne qua earum valetudo, quæ præcipuè custodienda est, infestetur vligine. Docet & Varro, qualia, & quo loco exstrui debeant stabula, his verbis: *Stabula idoneo loco, vt sint, ne*
D *ventosa, quæ spectent magis ad orientem, quàm ad meridianum tempus, vbi stent, solum oportet esse eruderatum, & procliuum, vt euerri facilè possit, ac fieri purum; non enim solùm ea vligo lanã corrumpit ouium, sed etiam vngulas, ac eas scabras fieri cogit. Cùmque aliquot dies ita steterint, subijcere oportet virgulta, & alia, quo mollius requiescant, purioresq; sint: Libentius enim ita pascuntur. Faciendum quoque septa secreta ab alijs, quo enitentes secludere possit: item quo corpore agro: Hæc magis ad villaticos greges animaduertanda. Contrà illæ, quæ in saltibus pascuntur, & à tectis absunt longe, portant secum crates, aut retia, quibus cohortes in solitudine faciant, cęteraq; vtensilia. Longè enim, & latè in diuersis locis pasci solent, vt multa millia absint sæpe hybernæ pastiones ab æstiuis. Ego verò scio, inquam, nam mihi greges in Apulia hybernabant, qui in Rheatinis montibus æstiuabant, cùm inter hæc bina loca, vt iugum continet scirpiculos, sic colles publicę distãtes pastiones*: hæc ille. Similiter & nostri opiliones, vt id obiter dicamus, qui in nostris alpibus æstiuauerint, hyberno tempore, maritima Senensia petunt, ibique tota hyeme pecus suum pascant: Et Virgilius de pastoribus Libycis canit:

Stabula qualia esse oporteat.

Quid tibi pastores Libyę, quid pascua versa
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sępe diem nocteroque & totum ex ordine mensem

Pascitur, itque pecus longè in deserta sine vllis
Hospitijs, tantum campi iacet: omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque laremque
Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram.

Idem in Bructeris, & alijs aliquot Germaniæ locis, non rarum esse Heresbachius testatur, vbi cum grege in agris pernoctantes pastores, gregem cingunt, alligatis canibus excubitoribus: Ipse opilio in carruca, aut cisio biroto, cui tectum impositum, tanquam amaxobios, iuxta gregem quiescit. Nostri verò pastores in alpibus paruum aliquod ædificant tugurium, in quo dormiunt, pecudem verò cingunt retibus. Stabula autem à frigore tuta esse debere etiam docuit Virgilius præcitato loco:

Et stabula à ventis hyberno apponere soli
Ad medium conuersa diem, cùm frigidus olim
Iam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno:
Ergo omni studio glaciem, ventósque niuales
Quo minus est illis curæ mortalis egestas,
Auertes: victumque feres, & virgea lætus
Pabula, nec tota claudes fenilia bruma.

Columella priuatim agens de ouibus Tarentinis, (quę, vt regantur, suprà ex eo dictum est) stabula scribit frequenter esse euerrenda, & expurganda, humoremq; omnis vrinæ deuerrendum, commodissimè autem hunc siccari perforatis tabulis, quibus ouilia consternuntur, vt grex supercubet, nec tantùm cæno, aut stercore, sed exitiosis quoq; serpentibus, tecta liberari, ꝙ vt fiat:

Disce & odoratam stabulis incendere cedrum,
Galbaneoque agitare graues nidore Chelydros,
Sæpe sub immotis præsepibus, aut mala tactu
Vipera delituit, cælumque exterrita fugit
Aut tecto assuetus coluber.

Quare, vt idem monet:

Cape saxa manu, cape robora pastor:
Tollentem & minas & sibila colla tumentem
Deijce.

In mulsione quæ obseruanda.

Quomodo fiat caseus.

Vel ne istud cum periculo facere necesse sit, muliebres capillos, aut ceruina sæpius vri cornua iubet, quorum odor maximè non patitur stabulis prædictam pestem consistere. Docet modò Petrus Crescentiensis aliquot præcepta, quæ in mulsione sunt obseruanda. *Vsque ad festum S. Michaelis,* inquit, *ne importuno tempore fœtus emittant, sed post cōiunctionem arietum, vt pinguescant, custodiantur, vt horis opportunis ducantur ad pascua, & custodiātur per totam æstatem. Festinanter mulgeantur, aurora surgente, vt tempestiuè educantur ad pascua. Dum mulgentur, quotquot adsunt silentium præstent, excepto magistro, qui tātùm necessaria loquatur. Caseum coagulamus syncero lacte, coagulis agni, vel hædi, ac pellicula, quæ solet pullorum ventribus adhærere, vel agrestis cardui floribus, vel lacte ficulneo, cui serum debet omne deduci, & ponderibus premi: Vbi cœperit solidari, opaco loco ponatur, aut frigido: Et pressus subinde adiectis pro acquisita soliditate ponderibus, trito, & torrefacto sale debet aspergi: Iam durior vehementius premi potest. Post aliquos dies solidatæ iam formulæ statuantur, ita per crates, ne inuicem se vnaquæque contingat: sit autem loco clauso, & à ventis remoto, vt teneritudinem, & pinguedinem seruet. Vitia caseis sunt, si aut siccus, aut fistulosus est, quod euenit, si aut parum prematur, aut nimium salis accipiat, aut calore Solis vratur. Recenti caseo conficiendo aliqui virides nucleos pineos terunt, atque sic lacte mixto congelant, aliqui cuminum tritum frequenter colatum, congelant. Qualecumque etiam sapore velis efficere, poteris adiecto, quod elegeris condimento, vel pipere alioue pigmento, id præstare:* hæc ille. Virgilius ait ex lacte, quod interdiù emulsere, vesperi in caseum exprimere.

Quod surgente die mulsere, horisque diurnis
Nocte premunt, quo iam tenebris, & Sole cadente
Sub lucem exportant calathis (adit oppida pastor)
Aut parco sale contingunt, hyemeque reponunt.

Sic legitur passim, sed si pro exportant, legis exportans, non opus fuerit parenthesi; hancque genuinam & germanam esse lectionem existimat Scaliger filius in annotationibus in Catullum. Idem poeta nobis significauit, vix in fœcundis ouibus fieri posse, vt per totum diem mulgeantur, quanto minus bis in hora, nam qui id faciunt, furti arguit, dum inquit:

Hic alienus oues custos bis mulget in hora.

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Quid verò sequatur incommodi ex gemina emulsione in hora, statim ipse subijcit:

Et succus pecori, & lac subducitur agnis:

Quoties, & quando mulgenda.

Macerantur nimirum oues, macrescuntque. Varro quoque vetat, dum nutriuntur agni, matres mulgeri, quia plus lanæ ferunt, & agnos plures: Et lex Iustiniani est: *Si fuerit deprehensus opiliones mulgere clam Domino suo, & vendere scilicet lac, verberatus priuetur mercede*, vt annotauit Seruius. Virgilio Varronique subscribit Calphurnius, dum canit:

At si fortè vaces dum matutina relaxat
Frigora Sol, tumidis spument tibi mulctra papillis,
Implebit quod messe fluat, rursusque premetur
Mane, quod occiduæ mulsura redegerit hora,
Parce tamen fœtis, neu sint compendia tanti
Destruat vt niueos venalis caseus agnos,
Nam tibi præcipuo fœtura colatur amore.

Virgilius explicatur.

Quidam vir doctus annotatione quadam in Calphurnium, referente Iacobo Pontano, asserit B lac emulsum manè, vel interdiu caseum tantùm præstare, nēpe qui arescat, solidescat, & durus perduret; lac verò emulsum vesperi non modò caseum item durum, & ad ferēdam vetustatem idoneum præbere, sed dare præterea nobis facultatem efficiendi lactea diuersi generis edulia, quæ postridie manè diuendantur. Hoc præsentis pecuniæ emolumentum, dare non posse matutinum, quia dum coaguli tempus expectatur, æstus, inquit, increbrescit, ipsum arescit, lucem crastinam videre non quit. Ergo quod dicit poeta, *lac manè mulsum, nocte premit*, intelligendum esse, aptum fore ad integram pressuram, vt inde caseus aridus, & asseruandus euadat: lacteas enim illas delicias, quæ subitò venundentur, integrum, & solidum pressum non ferre; lac autem vespertinum ad vtrumque vsum valere: Nam vel summo manè in vimineis, aut iunceis vasis in oppida portari coagulatum tantummodò, vel saliri, si iubet, perinde atq; matutinum, & pressari, vt inde caseus solidus, & diuturnus euadat. Tantum ille. Cuius quidem ratio vera est brumali tempore; nam alioqui in magnis sæpe æstibus lac vesperi emulsum manè acorem contraxit. Solent autem villici teneros agnos dū adhuc herbę sunt expertes, lanio tradere, quoniam & paruo sumptu, (vt vtar verbis Columellę) deuehuntur; ijs summotis, fructus lactis ex C matribus non minor percipitur. Summitti tamen etiam in vicinia vrbis quandoq; oportere asserit; nam vernaculum pecus longè peregrino vtilius esse. Nec verò cōmitti vult, vt totus grex effętus senectute dominum destituat: cum pręsertim boni pastoris, vel cura prima sit annis omnibus in demortuarum, vitiosarumq; ouium totidem, vel etiam plura capita substituere: Quoniam sæpe frigorum, atque hyemis sęuitia pastorem decipit, & eas oues interimit, quas ille tēpore autumni ratus adhuc esse tolerabiles, non submouerat: Quo magis etiam propter hos casus, nisi validissima, quę nō comprehendatur hyeme, nouaq; progenie repleatur numerus. Idē pręcipit Palladius his verbis: *Curandum est, vt mortuarum, vel vitiosarum numerus, nouella sobola reparetur. Autumno debiles quoque precio mutentur, ne eas imbecillas hybernum frigus absumat.* Et ad numerum quod attinet, Florentinus tradit, numerum imparem esse debere, vt qui naturalem quādam vim ad gregis salutem, ac durabilitatem habere credatur. Sed hoc superstitiosum mihi videtur. Arbitratur itidem Columella non minorē quadrima, neq; quę excessit annos octo alendam, tum quod neutra ętas ad educandum idonea, tum etiam quia, quod ex vetere materia generatur, plerumq; congeneratum parentis seniū refert, & vel sterile est, vel D imbecille. Quamobrem partus pecoris, si id laudabile est, diligēs debet adhiberi custodia, vt in maternum, paternumq; locum submitti possint: Nam iuxta Columellę præceptum, agnus cùm est editus, erigi debet, atq; vberibus admoueri, tū etiā eius diductū os pressis humectari papillis, vt condiscat maternum trahere alimentū: Sed prius quàm hoc fiat, exiguū emulgēdum est, quod pastores colostrā vocant, ea nisi aliquatenus emittitur, nocet agno: qui biduo, cùm natus est, cum matre clauditur, vt & ea partum suū foueat, & ille matrē cognoscere condiscat (sic Columella: alij agnos naturaliter matrem suā aiunt cognoscere, vt suprà dictum est) mox deinde quandiù non lasciuit, obscuro, & calido septo custodiatur: postea luxuriantē virgea cum cōparibus area claudi oportebit, ne velut puerili nimia exultatione macescat, cauendumq; est, vt tenerior separetur à validioribus, quia robustus angit imbecillū, satisq; est manè, prius quā grex procedat in pascua: deinde etiā crepusculo redeuntibus saturis ouibus admiscere agnos, qui cū firmi esse cęperint, pascēdi sunt nitra stabulū cytiso, uel medica, tum etiā furfuribus, aut si permittit annona, farina hordei, uel erui: Deinde ubi conualuerint, circa meridiē pratis, aut noualibus uillę cōtiguis matres admouendę sunt, & à septo emittendi agni, ut condiscat foris pasci. Similiter ferè & Varro ait: *In nutricatu cùm parere cœperint, inijciunt in ea stabula, quæ habent*

Numerum amissum esse restituendū.

Ouium alendarum numerus.

Agnus vt educandus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ad eam rem ſecluſa, ibique nata recentia ad ignem propè ponunt: & quo ad conualuerint, biduum, aut triduum retinent, dum agnoſcant matrem agni, & pabulo ſe ſaturent. Deinde cùm matres cum grege in paſtum prodeunt, retinent agnos: Qui, cum reductæ ſunt ad veſperum, aluntur lacte, & rurſus diſcernuntur, ne noctu à matribus conculcentur. Hoc idem faciunt manè antequam matres in pabulum exeant; vt agni ſaturi fiant lacte. Circiter decem dies cùm præterierunt, palos affigunt, & ad eos alligant libro, aut qua alia re leui diſtātes, ne tota die curſantes inter ſe teneri delibent aliquid membrorum. Si ad matris mammam nō accedit, admouere oportet, & labra agni vngere butyro, aut adipe ſuillo, & olfacere labra lacte. Diebus poſt paucis obijcere viciam mollitā, aut herbam teneram antequam exeant in paſtum, & cùm reuerterunt. Et ſic nutricantur quoad facti ſunt quadrimeſtres. Interea matres eorum, his temporibus non mulgent quidam, qui melius omninò perpetuo, quod lanæ plus ferunt, & agnos plures. Cùm depulſi ſunt agni à matribus, adhibenda diligentia eſt; ne deſiderio ſeneſcant. Itaque deliniendum in nutricatu pabuli bonitate, & à frigore, & æſtu ne quid laborent, curandum. Cum obliuione iā lactis non deſiderant matrem, tum denique compellendum in gregem ouium. Hæc Varro, & ab eo mutuatus Creſcentienſis. Et Didymus etiam ait partus ipſos, vbi lacte fuerint expleti, ſeparatim ſeruare oportet, conculcantur enim vnà relicti cum matribus. Ante duos menſes lac emulgendum non eſt: melius autem erit ſi nūquam, ſic quippe agni corpulentiores euadent. Cæterùm fœtus ex primiparis quibus nutrire operæprecium eſt, cùm ſint infirmiores, quàm vt durent diutius. Creſcentienſis præterea tradit, agnis editis ſingula ſeptimana per menſem ſal dari debere, & impoſterum decimo quinto ſemper die: Quando autem ſeparantur à matribus, mox tonderi propter pediculos, vel quia melius creſcunt, & vnaquaque hebdomada ſal eis obijci. Circa natiuitatem Domini iungicū matribus, vt de agnis, inquit Palladius ſcribit: Cùm ad mammam admouentur, ſubrumari dicuntur. Ferè autem ad quatuor menſes à mamma non disiunguntur, vt teſtatur idem Varro. Quomodo autem Tarentini agni, quorum delicata, & precioſa lana eſt, ſint nutriendi ſuprà ex Columella docuimus, cùm de ouibus ageremus Tarentinis. Succurrendum eſt quoque agnis, vt idem author docet, vel febricitantibus, vel ægritudine alia affectis: qui vbi morbo laborant admitti, inquit, ad matres non debent, ne in eas perniciem transferant. Itaque ſeparatim mulgeri iubet oues, & cæleſtem aquam pari menſura lacti miſceri, atque eam potionem febricitantibus dari: Multos lacte caprino iiſdem mederi ait, idque per corniculum infundi faucibus. Democritus aſſerit agnos morbo non laboraturos, ſi hæderam in paſtu appones curriculo ſeptem dierum. Sed de affectibus agni, & ouis poſtmodum. Altera modo vtilitas eſt ex tonſura ipſius lanæ, quæ apud priſcos dicebatur, vellus nimirum à vellendo, quia non tondebantur oues, ſed lana vellebatur, quod tamen poſtmodum tondere etiam dixerunt: Varro: *Tonſura vocatur cum oues, & capras detondent, & vellunt.* Palladius locis calidis tonderi oues iubet menſe Aprili, locis verò temperatis, menſe Maio tonſuram celebrandam eſſe ſcribit: Iunio verò menſe in frigida regione. Rauiſius Textor tempus tondendarum ouium, ait, eſſe in Iulio, Gallus ſcilicet in Gallia, quę tamen regio præcociorem tonſuram exigere videtur. Columella, atque etiam Palladius, vt ex pręcitatis conſtat, certum tempus anni per omnes regiones hoc in negotio ſeruari non poſſe aſſerunt, quoniam nec vbiq; tarde, nec celeriter ęſtas ingruit, & eſt, inquiunt, modus optimus conſiderare tempeſtates, quibus ouis non frigus, ſi lanam detraxeris, neq; ęſtum, ſi nondum detonderis, ſentiat. Verùm eam, quandocunq; detonſa fuerit, vngi volunt tali medicamine: Succus excocti lupini, veteriſque vini fęx, & amurca pari menſura miſcentur, eoq; liquamine tōſa ouis imbuitur, atq; vbi per triduum delibuto tergore, medicamina perbiberit, quarto die, ſi eſt in vicinia maris, ad littus deducta merſatur: Si minùs eſt, celeſtis aqua ſub dio in hunc vſum duratura paulumque decoquitur, eaque grex perluitur. Hoc modo curatum pecus anno ſcabrum fieri non poſſe, Celſum affirmare, inquit idem Columella: nec dubium eſſe, quin etiam ob eam rem lana quoque mollior, & prolixior renaſcatur. *De tonſura ouium, inquit Marcus Varro, primùm animaduerto antequam incipiant facere. Tonſuram ſcabiem, vel vlcera habeant, vt ſi opus eſt, antea curentur, quàm tondeantur. Tonſurae tempus inter æquinoctium vernum, & ſolſtitium, cùm ſudare cœperint oues, à quo ſudore recens lana tonſa ſuccida eſt appellata. Tonſas recentes eodem die perungunt oleo, & vino, admiſta cera alba, & adipe ſuillo. Et ſi ea tecta eſſe ſolet, quam habeat pellem iniectam, eam intrinſecus eadem re perungunt, teguntque rurſus. Si qua in tonſura plagam accepit, eum locum oblinunt pice liquida. Oues hirtas tondent circiter hordeaceam meſſem, in alijs locis ante fœniſicia. Quidam has bis tondent in anno, vt in Hiſpania citeriore, ac ſemeſtres faciunt tonſuras: duplicem impendunt operam, quod ſic putant plus facere lanæ, quo nomine quidam bis ſecant prata. Diligentiores tegeticulis ſubiectis oues tondere ſolent, ne flocci intereant. Dies*

Sal quando, & qua re agnis dandū.

Subrumari quid.

Agnorum ægrorum cura.

Tonſura ouium.

Inunctio tōſa ouis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Dies ad eam rem sumuntur sereni, & in ijs id faciunt ferè à quarta ad decimam horam, quoniam Sole calidiore tonsa, ex sudore eius lana fit mollior, & ponderosior, & colore meliore; Quam demptā, & conglobatam alij vellera, alij velumina appellant: Ex quorum vocabulo animaduerti licet, prius lanæ vulsuram, quàm tonsuram inuentam. Qui etiam nunc vellunt, antè triduo ieiunas habent, quod languidæ minus radices lanæ retinent. Omninò tonsores in Italia primum venisse ex Sicilia dicuntur post Romam conditam anno quadringentesimo quinquagesimo quarto, vt scriptum in publico Ardeæ in literis exstat, eosque adduxisse Publium Ticinium Menam. Olim tonsores non fuisse adsignificant antiquorum statuæ, quod plerèque habent capillum, & barbam magnam:* Huc vsque Varro. Plinius etiam non vbique oues tonderi scribit, sed quibusdam in locis vellendi morem durare. Variant itaque tonsuræ tempora, quia non vbique idem cæli status, neque pecoris, pabulique ratio eadem. Quibusdam locis bis tondentur, inquit Heresbachius, nempe ad initium Maij, aut finiente Aprili, temperatis diebus, prima tonsura, & iterum circa Septembris initium, secunda vsurpatur. Nostri bis tondent, primum circa festum S. Crucis, quod est tertio Maij, & rursus circa festum S. Crucis, quod est 14. Septembris. Quibus semel duntaxat tondere
B consuetum, hi circa solstitium æstiuum vellere pecus liberant. Quo tempore & ij, qui gemina vtuntur tonsura, agnos quoque tondere consueuerunt. Antè triduum quàm tondeantur, benè lauandæ, atque vbi exsiccatæ tondendæ. Tantum Heresbachius. Calphurnius præterea monet, vt coloris lanæ, & longitudinis, mollitieque, & duritiei habeatur ratio, ne scilicet alba nigræ, vel longa breui, vel mollis duræ misceatur: *Ante tonsionem quid faciendum.*

Cùm iam tempus erit, maternas demere lanas
Hircorumque iubas, & olentes cædere barbas,
Antè tamen secerne pecus, gregibusque notatis
Consimiles include comas, ne longa minutis,
Mollia ne duris coeant, ne candida fuscis.

Iubet item obseruari, ne inter tondendum à ferro vulnus inferatur:

Sed tibi cùm vacuas posito velamine costas
C *Denudabit ouis, circumspice, ne sit acuta*
Forfice læsa cutis: tacitum ne pustula virus
Texerit occulto sub vulnere, quæ nisi ferro
Rumpitur, in miserum fragili rubigine corpus
Corrodet sanies, & putrida contrahet ossa.

AFFECTVS CORPORIS,
Eorumque curatio.

OVILLVM pecus quamuis mollissimum sit, valetudinis tamen tutissimæ esse, minimèque pestilentia laborare Columella profitetur, idque ex sententia Celsi, quem prudentissimum hac parte vult haberi. Contra Aristoteles peritos tradere scribit, ouem, equum & hominem ijsdem ferè, totidemque morbis tentari. Et Nonius reiculas oues interpretatur, ætate aut morbo graues, citans illud
D Varronis ex libro de liberis educandis. *Et vt in grege opilio oues minus idoneas remouere solet, quas reiculas appellat:* Cato eiusmodi oues reijculas vocat. Petrus Crescentiensis ouium sanitatem, & infirmitatem certis signis cognosci docuit: Nam si aperiantur earum oculi, & venæ sint rubicundæ, & subtiles, sanas esse ait: sin albę, vel rubicundę, & crassæ apparuerint, infirmas. Item si manu apprehensæ in schina prope anchas (in spina dorsi prope coxendices) comprimũtur, nec flectuntur, sanas & validas esse, si verò flectuntur, infirmas. Item si capite in pelle colli, & antè tractæ vix trahi possunt, esse sanas, & robustas; si facilè sequuntur, infirmas. Item sanas per viam animosiùs incedere, imbecilles molestiùs, & capite inclinato. Idem tradit, oues in febres incidere, easque & cognosci, & curari posse, & quomodo curentur, se in tractatu boum edocuisse. Accidere autem febres ouibus testatur Virgilius, dum ait: *Oues reiculæ quæ.* *Febris eiusque cura.* *3. Georgic.*

Quin etiam ima dolor balantum lapsus ad ossa
Cum furit, atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos æstus auertere, & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam.

Prudenter Virgilius, inquit Columella, ouibus febricitantibus consulit de talo, vel inter duas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Febris signa. vngulas sanguinem emitti oportere, nos etiam sub oculis, & de auribus sanguinem detrahimus. Addit Virgilius signa febricitantis. A

Quam procul aut molli succedere sæpius vmbræ
Videris; aut summas carpentem ignauius herbas,
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo
Pascentem, & seræ solam decedere nocti,
Continuò ferro culpam compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.

Pestis. Quomodo autem agnis febricitantibus sit medendum, præcedenti rubrica dictum est. Africanus monet in Geoponicis Græcis, vt quàm maximè in ipso principio prospiciamus, ne in morbum pestilentem incidant oues. Vere igitur aduentante elelisphacum montanum, prasiumq; herbas, inquit, contundes, & per dies quatuordecim in potu ijs temperabis: Idem & autumno diebus totidem faciendum. Quod si iam eas occupauerit morbus, ijsdem remedijs vti conueniet: Iuuat etiam ex cytiso pabulum, arundinisque durissimæ radices teneræ madefactæ, atque in affectam partem admotæ (vt Andreas à Lacuna, vertit, sed melius Cornarius, arundinis durissimæ radices tenerrimæ. Græcè enim non τόπον, sed ποτὸν legendum.) Oportet autem infectas in aliam regionem transferre, ne contagione sua sanas etiam vitient: quin & ipsæ dum alia aqua, spirituque alio fruuntur, roborantur, & conualescunt. Haud satis itaque accipio, cur dixerit Columella, hoc pecus quamuis mollissimum, valetudinis tutissimæ esse, minimèque pestilentia laborare; cum id ante ipsum non pauci fuerint attestati, ac in primis, quem sæpe citat, Virgilius, his versibus: B

Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes
Arentesque sonant ripæ, collesque supini
Iamque cateruatim dat stragem, atque aggerat ipsis
In stabulis, turpi dilapsa cadauera tabo,
Donec humo tegere, ac foueis abscondere discunt:
Nam neque erat corijs vsus, nec viscera quisquam C
Aut vndis abolere potest, aut vincere flamma.
Nec tondere quidem morbo, illuuieque peresa
Vellera, nec telas possunt attingere putres.
Verùm etiam inuisos si quis tentarat amictus;
Ardentes papulæ, atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur, nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat:

Innuit poeta nullum locum ab hoc pestifero malo immunem, omnesque fluuios, omnesque ripas, omnes colles pecudum morientium balatu, & taurorum (de quibus prius erat locutus) subita peste cadentium horribili mugitu personasse. In ipsis stabulis tantam pecudum stragem editam, vt cadauera interemptorum illic cateruatim aggesta iacerent; donec tandem fossis latissimis, in altitudinem quindecim pedum eductis, humarentur, & terra contegerentur: Greges peste consumptos, humandos esse, quia corium, vellusque pestiferum est, etsi enim corium detrahi poterat, non esse tamen vsus; nec potuisse ablui intestina, nec concremari, nec tonderi vellera, erosa videlicet, vi pestis, lana. Quod si quid etiam telæ inde factum esset, attingi sine pernicie non potuisse. Papulas ardentes, & pustulas in toto corpore repēte extitisse, & dolorem membrorum deterrimum, sudoremque immundissimum cōtinuò insecutum fuisse. Paulò post D

Pusula. insanabilem sacrum ignem, quem pusulam vocāt pastores, sic hominem, & pecudem obruisse, vt illo omnes ægrotantis artus absumerentur, neque medicamentorum, neque ferri remedijs

Lib. 6. natural. 99. cap. 27. morbum vlla ex parte passum, ac penè ad omnem contactum excanduisse. De hoc igne sacro, quem vulgo dicimus ignem Sancti Antonij, infra ex Columella. Seneca de peste, quæ in Pompeis celebri Campaniæ vrbe oues inuasit, in hæc verba tradit, *Aiunt sexcentarum ouium gregem exanimatum in Pompeanæ regionis motu.* (Ab initio dixerat, eam vrbem Regulo, & Virginio Consulibus desidisse terræ motu, & quidem diebus hybernis.) *Nec est quare hoc ouibus illis putes timore accidisse. Diximus solere post magnas terrarum motus pestilentiam fieri. Multa enim mortifera (tum aer, tum aquæ) in alto latent. Quæ cùm extra superficiem terræ erumpunt sua halitu, & vapore, facilius pecora sentiunt, in quæ pestilentia incurrere solet, quo auidiora sunt, & aperto cælo plurimum vtuntur, & aquis, quarum maxima in pestilentia culpa est. Oues verò mollioris naturæ, quo propiora terris ferunt capita, corruptas esse non miror, cùm afflatum diri aeris circa ipsam humum exceperint. Nocuisset ille & hominibus, si maior exijsset, sed illum copia aeris sin-*

Oues cur facile peste tenentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *synceri extinxit, antequam vt ab homine posset trahi, surgeret*. Hactenus Seneca. Ouidius simi- *7. Metam.*
liter describens calamitatem magnæ illius pestis, quam Iuno Aeginæ insulæ immisisse fingi-
tur, inquit;

Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros
Sponte sua, planique cadunt, & corpora tabent.

Vierus in opere de præstigijs Dæmonum scribit anno Christi M D. L I I. in Lucensium agro *Lib. 7. c. 28.*
circa pagum Menapiam in fine Maij, pestilentem morbum pecora inuasisse, vt mortua repentè
conciderent. Sanguinem eorum, si hominem nudum contingeret, anthraces generasse, qui nõ
aperti essent innoxij, aperti verò latissimè serperent: carnem eorundem pecorum recens mor-
tuorum coctam, & comestam fuisse innoxiam: At ius carnis potanti lethale. Vitalis de Furno: *Cap. 251.*
Si vis, inquit, *morbum pestilentem remouere ab ouibus, accipe ventrem arietis, & coque cum vino,*
& aqua, & postmodum pone illud cum aqua, quam dabis ouibus ad bibendum, & sanabuntur. Est
autem hoc remedium, vt videtur Rhasis, & Alberti; aiunt enim: Aduersus morbum ouibus le-
thalem, ventrem arietis cum vino coques, & aqua dilues, dabisque ouibus in potum. Et ipse
B etiam Columella inquit, *si ægrotat vniuersum pecus, vt & antè præcepimus, & nunc, (quod re-*
mur esse maximè salutare) iterum adseueramus in hoc casu, quod est remedium præsentissimum:
pabula mutemus & aquationes totius regionis, & alium quæramus statum cæli, curemusque si ex
calore, & æstu concepta, pestis inuasit, vt opaca rura: si inuasit frigore, vt eligantur aprica, sed mo-
dicè, ac sine festinatione persequi pecus oportebit, ne imbecillitas eius longis itineribus aggraue-
tur, nec tamen in totum pigrè, ac segniter agere. Nam quemadmodum fessas morbo pecudes vehe-
menter agitare, & extendere non conuenit, ita conducit mediocriter exercere, & quasi torpentes
excitare, nec pati veterno consenescere, atque extingui. Cum deinde grex ad locum fuerit perdu-
ctus in lacinias, Colonis distribuatur, nam particulatim facilius, quàm vniuersim conualescit, siue
quia ipsius morbi halitus minor est in exiguo numero, seu quia expeditius cura maior adhibetur *A Sole læsæ,*
paucioribus. Fit quandoque, vt ab ardente Sole labefactentur, cadantque assiduè, nec edant: *vt curandæ.*
Quod si fiat, Anatolius agrestis betæ, idest, lapathi succum eis infundi iubet, cogendasque esse,
ait, ipsas etiam betas comedere. Si verò æstuantes biberint, & sic refrigeratæ fuerint, quod tum *Ad bilem.*
aliàs, tum circa omentum præcipuè fieri lanij asserunt, auriculæ eis dimidia ferè parte abscin-
C duntur, & si sanguis è vulnere manet, benè habere aiunt, sin minus, mactandas esse. Columella
asserit, bilem, æstiuo tempore non minimam perniciem, potione depelli humanæ veteris vrinæ, *Ad pituitã.*
eandemque etiam remedio esse pecori arcuato. Idem author est Cunilam bubulam, vel nepe-
tæ syluestris surculos lana inuolutos naribus inseri, versarique donec sternuat ouis, si pituita
molesta est. Plinius verò veratrum nigrum, pecorum, iumentorumq; pituitas sanare, ait, sur-
culo per aurem traiecto, & postera die, eadem hora, exempto. Quamuis modò Aristoteles pro- *Morbus comitialis.*
blemate, cur homini soli peruertũtur oculi; solum hominem morbo comitiali affici scribat, alia
tamen etiam animalia similiter conuelli legimus. Plinius coturnicem auem hoc morbo affici
scribit; Absyrtus equos; ex recentioribus Brodæus etiam accipitres, & graculos. Cælius idem *Lib. 10. cap. 13.*
scribit de canibus, & felibus, vidisseq; se arietem, qui hoc eodem morbo perierit, sed & capra,
teste Hippocrate, & Plutarcho, epileptica est, atque ouis etiam, vt his verbis testatur Hippo- *Lib. 3. c. 23.*
crates: *In morbo comitiali cerebrum nimis humidum est. Cognouerit autem hoc ipsum quis maxi-* *Lib. 6. c. 9.*
mè ex ouibus, & præsertim capris. Hæ enim frequentissimè corripiuntur. Quod si caput ipsarum *Lib. de morbo sacro.*
dissecueris, reperies cerebrum humidum, & sudore refertum, ac malè olens; Sed & ipse etiam Ari-
D stoteles, ouem, equum, & hominem eisdem ferè morbis tentari peritos tradere, dum ait, comi-
tiali morbo etiam ouem obnoxiam esse, negare non potest. Rusius tradit militem quendam
narrauisse sibi, quòd viderit ouem, quæ in rabiem inciderat, cùm vacca quædam rabiosa cornu *Rabies.*
eam impetijsset. Suspiriosè laborantibus Columella auriculas ferro rescindi præcipit, muta- *Asthma.*
rique regiones, quod in omnibus, inquit, morbis, ac pestibus fieri debere censemus. Si tussiant, *Tussis.*
Anatolius amygdalas repurgatas, contusasque, & cum tribus vini cyathis distemperatas per
nares infundi debere ait. Pastores verò in Heluetia iuxta Tigurum, vt refert Gesnerus, ouibus
ægris, in tussi præsertim pseudochamædry medentur, indeque illam, herbam ouium appellãt,
similis est (inquit) chamædryi, sed fatua, & inodora, floribus cæruleis spicatim per agnatos ra-
mulos, digestis, in medij caulis cacumine nunquam se aperientibus: Alicubi etiam in Germa-
nia, vt refert Hieronymus Tragus, opiliones, asari radicis pollinem sali mixtum ouibus lingẽ-
dum præbent ad pulmonis præcipuè vitia, & tussim. Si laborent dyspnæa, ex præcepto Anato- *Dyspnæa.*
lij ferro illis aures τέμνειν, idest, amputare (forare vertit Andreas à Lacuna, Cornarius incidere,
ego inquit Gesnerus, summas auricularum partes resecandas intelligo) oportet, ipsasque oues
alio traducere, sed fortè Lacuna Plinium secutus fuerit, qui de cõsiliginis radice sic scribit; *Ra-*
dix

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dix herbę conſiliginis ſuum quidem, & pecoris omnis remedium præſens eſt pulmonum vitio, vel E
traiecta tantùm in auricula, bibique debet ex aqua, haberique in ore aſſiduè ſub lingua. Ita & Co-
lumella; *Ouem pulmonariam*, inquit, *ſimiliter vt ſuem curari conuenit, inſerta per auriculam,*
quam veterinarij conſiliginem vocant. De ea iam diximus, cum maioris pecoris medicinam
tradidimus, ſed is morbus æſtate plerumque concipitur, ſi defuit aqua, propter quod vaporibus
omni quadrupedi largiùs bibendi poteſtas danda eſt. Celſo placet, ſi eſt in pulmonibus vitiũ,
acris aceti tantum dare, quantum ouis ſuſtinere poſſit, vel humanæ veteris vrinæ tepefactæ, triũ
heminarum inſtar, per ſiniſtram narem corniculo infundere, atque axungiæ ſextantem fauci-
bus inſerere. Fiunt itaque potiſſimum pulmonariæ, vt eiuſdem authoris verbo vtar, niſi ſæpius
lauentur, æſtate præſertim plurimùm ſicca exiſtente. Forſan eò reſpexit Virgilius etiam, quan-
do inter reliqua opera, quæ feſtis exerceri diebus permittit, lotionem quoque & mundationem

1. Georgic. Lotio. ouium concedit his verſibus:

> *Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus;*
> *Fas, & iura ſinunt, riuos deducere nulla*
> *Relligio vetuit; ſegeti prætendere ſepem;*
> *Inſidias auibus moliri, incendere vepres;*
> *Balantumque gregem fluuio verſare ſalubri:* F

Salubritatis enim ille, & commodorum ibi voluit curam habendam, minus illic ſuperſtitioſus
ethnicus poeta, vt in re ſaltem vtili, quàm olim gens Iudæa in neceſſarijs caſibus. E contrario

Lienis affectus: in Anglia cùm æſtates pluuiæ ſunt, & cùm paſcuntur in locis vliginoſis, & cùm lingunt manè
rorem, aiunt putreſcere, & contabeſcere ijs viſcera. Lien aliquando craſſis humoribus, vt ait
Creſcentienſis, impletur, inflaturque, idque ſępius menſe Maio, & Aprili præ copia lenti, craſ-
ſique ſanguinis, vnde ſæpe ſubitò moriuntur, prodeſt eis, inquit, ſteccum vt vulgò vocant, (ſty-
lum ligneum intelligit) duorum digitorum poni inter nares, & operam dare, vt multum detra-
hatur ſanguinis. Quædam enim ſic liberantur, aliæ nihilominus moriuntur. Fit etiam vt reni-
bus pingui vndique obductis intereant, teſte Ariſtotele, quod vbertate pabuli fieri, ait, vt in Si-
cilia, agro Leontino. Quocirca ſero diei agere oues ad paſcua paſtores loci illius ſolere, quo

Lib. 3. de part. c. 9. Sideratio ouium vnde. minus capiant pabuli. Idem alicubi, ouibus ſolis animalium renes totos obeſos habere, lethale G
eſſe aſſerit; ideoque fieri, vt quamquam pingues admodùm ſint, tamen aliquid deſit, etſi non
vtrique dextro quidem. Cauſam eſſe cur hoc ſolis, aut maximè ouibus accidat, quod ijs, quæ
adipe pingueſcere ſolent, pingue humidum ſit: Itaque non æquè flatus interclusos dolorem fa-
cere, idq; cauſam ſiderationis eſſe. Et rurſus: Copia, inquit, etiam ſeui genus ouium longè ex-
cedit; omnium enim animalium oues, celeri renum obeſitate opplentur. Itaque humore, fla-
tuque intercluſo, celeriter præ ſideratione intereunt. Nam per venam aortam, & maiorem, ſta-
tim vitium ad cordis ſedem tranſuehitur. Meatus etiam alimenti ſicci, ouibus, & quibuſdam

Profluuium ventris. alijs beſtijs coaluiſſe legimus apud Ariſtotelem. Laborant item ventris profluuio, traditque
Albertus, in ſua regione, vt venter eis ſiſtatur, ſalem præberi, & ſic excitata ſiti, vinum nigrum.
Tormentilla vulgo dicta dyſenteriam, & alia ventris profluuia ſiſtit, quare opiliones, vt refert

Argema. Tragus, ea vtuntur ouibus curandis. Argema in ouibus tolli ſcripſit Theophraſtus folio papa-
ueris cornuti, ſed Dioſcorides eo inuncto, argema, & nubeculas κτηνῶν, ideſt, pecudum & iu-
mentorum, emendari ait; ſed & chamælæam quoquo modo collectam, teſte Plinio iumento-
rum, pecorumque oculis, ſalutarem eſſe aiunt. Ad tonſillas pix liquida illinitur, vt mox dicetur H
intra remedia contra ſcabiem. Creſcentienſis naſci ſcribit ouibus ſub gula goſſum ex fluxu hu-
morum à capite deſcendentium, & perforata ibi pelle humorem aqueum paulatim exſtillare,

Strumas. curarique. Geſnerus aſſerit ſuis hoc vitium vocari kropff, ideſt, inquit, ſtrumas; contingere au-
tem aliquando cum vitę periculo; Exoriri præcipuè in initio veris, & poſtea cùm iam gramine
paſcuntur, inclinatis capitibus curari. Eſſe qui ſic affectarum pabulo, vel ſali potius medicamẽ-
ta miſceãt, pręcipuè autem iuniperi baccas, & linguę ceruinę folia trita: nos autem goſſum vul-
go nuncupamus tumorem illum aqueum, qui euenit ad iugulum, & pręcipuè in mulierculis

Tumor ventris. monticulis ex frigidę potu. Si ob paſtum inſalubriorem venter eis tumeat, ſanguinis detractio-
ne, inquit Anatolius, curabis illas, tondens ſcilicet eas venas, quę ſupra labrum, & quę ſub cau-
da, circa ſedem ſunt. Infundere etiam conuenit ſeſquiheminam humani lotij. Idem; aut ſimilis
morbus eſſe videtur, quo; (vt à Gallo quodam non indocto, ſe accepiſſe refert Geſnerus) oues
dicuntur venenum in paſtu cum herbis ſumpſiſſe, quod fieri aiunt, cùm aer craſſus, lentus, &
noxius cum rore concretus in herbas decumbit, qualis etiam aliquando plantis, & arboribus
exitialis eſt: Ouibus inde ſtatim inflatis, păſtores ſummas auriculas abſcindunt, vt ſanguis
emanet, & baculis percutiunt latera. Alij aquę permiſcent inulam, & ori aperto infundunt, aut
ſi deſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A si desit aqua, vrinæ permiscent, quam in vas aliquod, aut etiam calceum emiserint; sic oues statim melius habere aiunt. Columellæ forsan istiusmodi affectus est mentigo, quam pastoribus ostiginem vocari asserit, & lactentibus mortiferam esse; plerumque autem eam fieri, si per imprudentiam pastoris emissi agni, vel etiam hædi roscidas herbas depauerint, quod minimè committi, inquit, oportet: sed cùm id factum est, velut ignis sacer, os atque labra fœdis vlceribus obsidet. Remedio esse hyssopum, & sal æquis ponderibus contrita: nam ea mistura palatū, atque linguam, totumque os perfricari, mox vlcera lauari aceto, & tunc pice liquida cum adipe suillo perlini. Quibusdam placere æruginis tertiam portem, duabus veteris axungiæ portionibus commiscere, tepefactoque vti medicamine; Nonnullos folia cupressi trita miscere aquæ, atque ita vlcera, atque palatum perfricare. Fracta harum pecudum crura, non aliter, quàm hominum sanari, ait Columella, inuoluta lanis oleo, atque vino insuccatis, & mox circumdatis ferulis conligata. Si abscessus corporis superficiem obsideat, aperiundus est, vulnerique torrefactus sal, atque tenuissimus ex liquida pice imponendus ex præcepto Anatolij. Quę inter tondendum excitantur vulnera, pice liquida inungere conuenit: At vniuersum corpus oleo, aut vino, aut succo coctorum lupinorum amarorum, vt Didymus asserit, qui, tamen multò præstantius fore, ait, ex vini amurcæque portionibus paribus, aut ex oleo, & vino albo, cera, & adipe mistis inungere. Hoc siquidem efficere lanam innocuam, scabiei resistere, vlceraque prohibere, ne fiant. Et Calphurnius, cùm dixisset cautè in tondendis ouibus vtendum esse forfice, subiungit:

Mentigo. *Fracturæ crurum.* *Abscessus.* *Vulnera.*

B

tacitum ne pustula virus
Texerit occulto sub vulnere, quæ nisi ferro
Rumpitur, in miserum fragili rubigine corpus
Corrodet sanies, & putrida contrahet ossa,
Prouidus (hoc moneo) viuentia sulphura tecum
Et scyllæ caput, atque intacta bitumina porta,
Vlceribus laturus opem, nec brutia desit
Dura tibi, liquido picis vngere terga memento
Si sint rasa, linas.

C Infestant præterea etiam oues claui, &, vt ait Columella, dupliciter, siue cùm subluuies, atque intertrigo in ipso discrimine vngulę nascitur, seu, cùm idem locus tuberculum habet, cuius media ferè parte canino similis exstat, inquit, pilus, eique subest vermiculus. Subluuies, & intertrigo pice per se liquida, vel alumine, & sulphure atque aceto mistis, ritè eruentur: vel tenero punico malo, prius quàm grana faciat, cùm alumine pinsito, superfusoque aceto, vel æris ęrugine infriata, vel combusta galla, cum austero vino lęuigata, & superposita tuberculū, cui subest vermiculus, ferro quàm cautissimè circumsecari oportet, nedum amputatur, etiam quod infra est animal, vulneremus: Id enim cùm sauciatur, venenatam saniem mittit, qua respersum vulnus ita insanabile facit, vt totus pes amputandus sit, & cùm tuberculnm diligenter circumcideris, candens seuum vulneri per ardentem tędam instillato. Hęc itaque omnia Columella. Philippus Beroaldus mentiginem in agnis & hędis id ferè malum esse conijcit, quod in hominibus mentagram appellant, aitque vtriusque vocabuli etymon esse à mento, quoniam ab ea parte ferè oriebatur, fœdisque vlceribus mentum, os labra, obsidebat. Equidem videtur, vt mentigo, menti malum, sic ouis ostigo dictum. Idem Columella, esse etiam in hoc pecore

Claui. *Mentigo.*

D insanabilem, ait sacrum ignem, pusulam vocatum pastoribus. Ea nisi compescitur, intra primam pecudem, quę tali malo correpta est, vniuersum gregem, contagione, inquit, prosternit: Sic quidem, quod nec medicamentorum, nec ferri remedia patitur, nam penè ad omnem tactum excandescit: sola tamen ea fomenta non aspernatur, lactis caprini, quod infusum tantum valet, vt & blandiatur igneam sęuitiam, differens magis occidionem gregis, quàm prohibens. Sed Aegyptię gentis author memorabilis Dolus Mendesius, cuius commenta, quę appellātur gręcę ὑπομνήματα sub nomine Democriti falsò produntur, censet, propter hanc sępius, ac diligenter ouium terga perspicere, vt si fortè sit in aliqua tale vitium deprehensum, confestim scrobem defodiamus in limine stabuli, & viuam pecudem, quę fuerit pusulosa, resupinam obruamus, patiamurque totum gregem super obrutam, meiere, quod, eo facto, morbus propulsetur. Nos antea ex Virgilio de hoc sacro igne etiam aliquid diximus. Frequentius item oues eodem attestante Columella, quàm vllum aliud animal, infestantur scabie, quæ ferè nascitur, vt noster, inquit, memorat poeta:

Sacer ignis. *Scabies.*

cùm frigidus imber
Altius ad viuum persedit, & horrida cano

Bru-

Bruma gelu.

Cauſa ſcabiei. Vel poſt tonſuram ſi remedium prædicti medicaminis non adhibeas, ſi æſtiuum ſudorē mari, vel flumine non abluas, ſi tonſum gregem patiaris ſyluestribus rubis, aut ſpinis ſauciari; ſi ſtabulo vtaris, in quo muli, aut equi, aut aſini ſteterunt, præcipuè tamen exiguitas cibi maciem, macies autem ſcabiem facit. Hæc vbi cæpit irrepere, ſic intelligitur; vitioſum locum pecudes, aut morſu ſcalpunt, aut cornu, vel vngula tundunt, aut arbori affricant, parietibusve detergent: quod vbi aliquam facientem videris, comprehendere oportebit, & lanam diducere: Nam ſubeſt aſpera cutis, & velut quædam prurigo, cui primo quoque tempore occurrendum eſt, ne totam progeniem coinquinet, & quidem celeriter, cùm & alia pecora, tum præcipuè oues contagione vexentur. *Curatio.* Sunt autem complura medicamina, quæ idcirco enumerabimus, non quia cunctis vti neceſſe ſit, ſed quoniam nonnullis regionibus quædam reperiri nequeunt, ex pluribus aliquod inuentum remedium ſit. Facit autem commodè primùm ea compoſitio, quam paulo antè demonſtrauimus, ſi ad fæcem, & amurcam, ſuccumque decocti lupini miſceas portione æqua detritum album helleborum: Poteſt etiam ſcabritiem tollere ſuccus viridis cicutæ, quæ verno tempore, cum iam caulem, nec adhuc ſemina facit, deciſa contunditur, atq; expreſſus humor eius fictili vaſi recōditur, duabus vrnis liquoris, admiſto ſalis torridi ſemodio: Quod vbi factum eſt, oblitum vas in ſterquilinio defoditur, ac toto anno fimi vapore cōcoctum, mox promitur, tepefactumque medicamentum linitur ſcabræ parti, quæ prius aſpera teſta, vel pumice defricta redulceratur. Eidem remedio eſt amurca duabus partibus decocta; item vetus hominis vrina, teſtis candentibus inuſta: Quidam tamen hanc ipſam ſubiectis ignibus quinta parte minuunt, admiſcentque pari menſura ſuccum viridis cicutæ. Deinde figularibus triti, & picis liquidæ, & fricti ſalis ſingulos ſextarios infundunt. Facit etiam ſulphuris triti, & picis liquidæ modus æqualis igne lento coactus. Sed Georgicum carmen affirmat, nullam eſſe præſtantiorem medicinam:

Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum
Vlceris os, alitur vitium, viuitque tegendo.

Itaque reſerandum eſt, & vlcera medicamentis curandum. Hæc itaque omnia ille, qui cùm citet Virgilium, nos etiam eiuſdem ex georgicis eadem de re verſus apponemus omnes:

Turpis oues tentat ſcabies, vbi frigidus imber
Altius ad viuum perſedit, & horrida cano
Bruma gelu, vel cum tonſis illotus adhæſit
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluuijs pecus omne magiſtri
Perfundunt, vdiſque aries in gurgite villis
Merſatur, miſſuſque ſecundo defluit amni.
Aut tonſum triſti contingunt corpus amurca,
Aut ſpumas miſcent argenti, viuaque ſulphura
Idæaſque pices, & pingues vnguine ceras
Scyllamque helleboroſque graues, nigrumque bitumen.
Non tamen vlla magis præſens fortuna laborum eſt;
Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum
Vlceris os: alitur vitium viuitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcens.

Frigus autem ſcabiei cauſam eſſe iam antè etiam dixerat, cùm de ſtabulis ouium loqueretur.

glacies ne frigida lædat
Molle pecus ſcabiemque ferat, turpeſque podagras.

Diophanes teſtatur, oues nunquam ſcabie infeſtas iri, ſi ijs, quæ prædicta ſunt, quiſpiam tonſas inunxerit. Sin autem ob negligentiam, inquit, tuam, ſcabie fœdentur, eas curabis hoc modo: Amurcæ ſine ſale, aquæ in qua amari lupini maduerint, fæciſque vini albi ſingulorum æquas portiones in vaſe aliquo miſcens, & calefaciens, ouem inde perungito, eamque in vnam, & alteram diem ſic relinquito. Tertia verò die aqua marina, aut muria calida lauanda eſt: ac poſt id, aqua potabili; Quidam cupreſſi ſphærulas aqua maceratas affundunt. Alij ex ſulphure, cypero, ceruſa, atque butyro miſtis, ſcabras oues inungunt. Sunt qui ex luto orto ab vrina, quam aſinus in via excreuit, illinant oues, nonnulli autem rectiùs facientes, non priùs admouent aliquod remediorum dictorum, quàm totonderint partem ſcabidam, eamque lotio antiquo perfuderint. In Arabia porrò vel ſola cedriæ inunctione ſcabiem diſcutiunt, vt in camelis, & elephantis

A phantis quoque. Scabiem ouium compesces, si lotio præluens sulphure, atque oleo inunxeris. Eadem ferè præcipit Cato: *Oues*, inquit, *ne scabræ fiant, amurcam puram, & aquam, vbi lupinus deferbuerit, & fæcem de vino bono, inter se pariter omnia sumito, & benè commisceto. Postea cum detonderis oues, vngito totas, finito, triduum, aut biduum consudent, deinde in mari lauent, & lanæ plus, & meliorem habebunt, & vicini non erunt molesti. Eodẽ modo in omnes quadrupedes vtitor, si scabræ erunt.* Maro insuper sciens, teste Macrobio, lauari ouem, aut lanæ purgandæ, aut scabiei curandæ gratia pronunciauit, tunc ouem per ferias licere mersari, si hoc remedij causa fieret: *Cap. 96.* *1. Saturnal. cap. 16.*

Balantumque gregem fluuio mersare salubri.

Adijciendo enim salubri, ostendit, inquit, auertendi morbi gratia tantummodo, non etiam ob lucrum purgandæ lanæ gratia fieri concessum. De eiusdem lotionis vtilitate in hæc verba Plinius Secundus disserit: *Pecorum scabiem sanant, lanasque emolliunt piscinæ maris. Mediterranei marinam aquam imitabũtur, quam salsissimam, si quatuor sextarijs aquæ, vnum salis addiderint: Nam si quis amplius addere conetur, vinci aquam, salemque non liquari aiunt: Moderatissimam* B *fieri putant, si aquæ sextarijs quatuor octonos salis cyathos misceant. Sunt qui dicunt illam demum aquam salsam respondere marinæ, in qua ouum fluitet, nec subsidat.* Quod cùm experirentur nõnulli, inuenere eiusdem ponderis aquam, & salem esse oportere, vt ouum innataret. Sed idem Plinius apud Marcellum, duos salis sextarios in quatuor aquæ sextarios, missos, temperatissimam marini liquoris copiam facere, author est, aitque alicubi, lupinos cum chamæleonte herba decoctos, aqua in potum colata, sanare etiam scabiem quadrupedum omnium in amurca decoctos, vel vtroque liquore postea mixto; & apud Dioscoridem habemus, lupinos cum chamæleontis nigri radicibus decoctos ouium scabies sanare, & in eundem vsum, tepido illo decocto ablui. Hieronymus Tragus ex hoc opinor loco, quadrupedum, & ouium scabiem sanari scribit lupinis cum radicibus Carlinæ vulgò dictę, decoctis in vino, quod à dolijs dum hauritur destillans, vasculis excipitur, vel etiam in aqua. Atqui Carlina albi potius, quàm nigri Chamæleontis genus est. Idem Tragus, ouium, boum, equorum, hominumque scabiem, & impetigines sanari scribit aqua, quæ in cauis fagis reperitur, idque se in pecoribus, & hominibus fuisse expertum. Inuenio denique ad pecorum, & canum scabiem, picis liquidæ genus, nigrum vi- *Lib. 31. c. 6.* *Ouum vt aquæ innatet.*

C delicet, & fætidum ex oxycedri lignis assulatim concisis, toto Massiliensi agro pastores elicere præstantissimum. Porrò lanij affirmant sępe in ouium iecore reperiri hirudines, folliculis quibusdam inclusas, longitudine sesquidigiti, latitudine ad lõgitudinem ferè dimidia, prætenues: Id vitium contrahi aquę palustris potu; in ventriculo verò nunquàm vllas reperiri, sed & hauriunt nõnunquam easdem, quod vbi contigerit, Anatolius acetum acre, & calidum, aut oleum infundi iubet. Quod si vermes (σκώληκας) vnà cum herbis vorauerint, idem faciendum est, quod de ventris tumore ex insalubri pastu dictum est. Testatur item Crescentiensis, agnos aliquando infestari pediculis. Et Diophanes, si pediculi, riciniue molestẽt ouem, radicem sphendamni, idest, aceris tundi iubet, & in aqua elixari. Vbi autem à capite vsque ad extremam spinę partem, lanam totonderis (ἀναξανῃς, Cornarius reddit diuulseris) tepidam ipsam aquam infundi, donec penetret vniuersum corpus. Nonnulli quoque in tali affectu cedria tantùm, eodem teste, vtuntur. Alijs etiam in vsu est radix mandragorę, sed cauendum est, ne hęc gustetur: est enim periculosa. Alij cyperi radices coquunt, eoque decocto oues abluunt. Atqui Plinius pediculos in ouibus gigni negat his verbis: *In ouibus, & in capris, ricini solùm gignuntur,* *Hirudines in ouium iecore reperiri.* *Phthiriasis, seu pediculatio.* *Curatio.*

D *pediculi, & pulices nulli.* Et alibi inquit: *pilos habentium asinum tantùm immunem pediculis credunt, & oues*: Ego à pastoribus alpigenis non semel intellexi se ouium pediculos albo detergere helleboro. Si qua reptilium bestiarum momorderit, percusseritve, Anatolius melanthium ex vino illis offert, ac breuiter ea omnia facienda, adhibendaque esse ait, quęcunque in historia horum, aliorumque animalium tradidit. Et nos pręcedenti rubrica primo, & ante omnia diligenter curandum esse diximus ex Columella, & Virgilio, vt serpentibus tecta liberentur, videlicet ne veneno illarum afflatę pecudes intra septa moriantur; hoc vt ne fiat, pręceperunt cedrum, aut galbanum in stabulis incendere; Nam horum odor non patitur stabulis serpentiũ pestem consistere; Sępe enim vt ibidem dictum est, viperę, & colubri tenebris assueti, & lucem exosi, in stabulis pecudum delitescunt, & cubilia sub pręsepibus diu non motis, sibi deligunt. Vnde grauissima pecudibus existunt mala, & sępe ex serpentibus contrahũtur cęci morbi, quorum causas ne medici quidem perspicere queunt; Nam venenatę bestię postquam semel latebras, in quibus se sustentare queant, repererunt, gregem impresso morsu lędere, eique lethale virus solent aspergere. Quare lapides, & sudes prehendendę, vt illarum iactu & ictu noxij serpentes è medio tollantur, neque prius à cęde, & internecione abstinendum (vtcumque illi sibilis, *Morsus reptilium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

lis, & linguis exſertis iram comminentur) quàm caput enectum ſit, & cauda à reliquo corporis nexu auulſa, tardius iam moueri incipiat, aut etiam conuolui prorſus deſinat. Sed quia ſaxis, & ſudibus aduerſus ſequentes pugnando periculum magnum aditur, præſtiterit prius remedium à Virgilio recitatum de galbano, & cedro vſurpare, aut, vt Columella addit muliebres capillos, aut ceruina cornua vſta. Id quod & Calphurnius præcipit his verſibus, quos ſupra omiſſos, hic recitabimus:

Lurida conueniet ſuccendere galbana ſeptis,
Et tua ceruino lustrare mapalia fumo.
Obfuit iſte malis odor anguibus, ipſe videbis
Serpentum cecidiſſe minas, non ſtringere dentes
Vlla poteſt vncos, ſed inani debilis ore
Marcet, & obtuſo iacet exarmata veneno.

3. Symposia-con.
Celebrantur modò aliquot remedia, quæ peculiari quadam facultate partim pecudes iſtas ab affectibus præſeruant, partim etiam, ſi inciderint, curant. Plutarchus author eſt, Alyſſon ſi circa ſtabula plantetur, ouium & caprarum gregibus ſalubre eſſe, perhiberi. Paſtores, & opiliones, referente Trago, abſynthij flores aridos contritos, cum ſale, ouibus, & bobus præbent, quotidiana experientia edocti, omne genus interiores morbos abſynthio curari, dolores ſedari, & excrementa purgari. Plinius aſſerit ſuccum decoctæ radicis centaureæ mederi ouium morbis. Theophraſtus inquit hyphear ad ſaginanda pecora viſco vtilius. Vitia modo purgat primo, dein ea pinguefacit, quæ ſuffecere purgationi. Quibus ſit aliqua tabes intus, negant durare. Et medendi ratio æſtatis quadragenis diebus. Quid autem hyphear ſit, alicubi docet his verbis:

Hyphear quid.
2. de causis cap. 33.
Ilex fructus aliquando quaternos habet, binos proprios, glandem, & granum quoddam puniceum, & binos alienos, viſcum, atque hyphear, hoc à meridie, illud à Septentrione. Aliqui viſcum ſtelin & hyphear non aliter differre putant, niſi quod in diuerſis arboribus naſcuntur. Alij verò ſpecie differre aiunt, cùm & fructus edant diuerſos, & in eadem arbore aliquãdo pars vna ſtelin, altera viſcum, vel hyphear proferat; Et paulò poſt: ſtelis vocabulum eſt Euboenſium, hyphear Arcadum, viſcum commune.

Stelis.
Blondus tradit cani nonnunquam offerendum eſſe decoctum hederæ, eoque exhibito ſaltem per ſeptem dies ſeruari canis incolumitatem, propterea quod ouem quoque paſtus hederæ ſeruet. Habemus & à Dioſcoride, ouibus vtile eſſe adiantum circa ouilia earum ſeri, & Plinius tradit pecori vtiliſſimos eſſe dici adianti ramulos in cibo. Nos verò in hiſtoria de boue diximus aſplenum herbã pecorum lienem conſumere. Quintilij affirmant nec capras, nec oues peſte infici, ſi ex ciconiæ ventriculo aqua intrito, ſingulis cochleare vnum infuderis. Merula denique ventriculum arietis ex vino, & aqua coctum plerosque ouium morbos exhibitum leuare indubitatè affirmat.

Lib. 3. c. 55. in margine.

CASTRANDI RATIO.

COLVMELLA non aliam in agnis, caſtrandi rationem ſeruari ſcribit, quàm in maiore pecude; Quomodo autem vituli caſtrentur, copioſè dictum eſt proprio loco. Varro duo obſeruat, vt non minores quinque menſium, neque antequam calores, aut frigora ſe exegerint, agni caſtrẽtur. Et Plinius niſi caſtrentur quinquemeſtres, præmaturum exiſtimari ſcribit, ex quo Platina; quos in numerum veruecum, inquit, referre volunt, eoſdem non minores quinque menſium caſtrare oportet. Atqui Conradus Heresbachius ſcribit experientiam docere, quo citiùs, hoc meliùs ſuccedere caſtraturam. Nam in adultioribus, inquit, periculoſior eſt, ſicut & in alijs animalibus caſtrandis. Apud Rhætos referente Geſnero Italicè ſanari pro caſtrari dicuntur arietes, qui funibus radices teſticulorum in ijs abrumpunt, aut ligno impoſitas malleo contundunt: ſed prior modus præſtat: poſteriore verò modo caſtratorum teſticuli cùm mactantur, ceu ſugillati, & parui abijciuntur. De ſimili caſtrandi modo etiam in vitulo diximus, ſimiliſque quædam olim hominibus, vt eunuchi fierent, caſtratio adhibebatur: Indeque θλασίαι, & θλιβίαι dicebantur à contuſis contritiſq; coleis.

Quando castrandi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ADMIRANDA. SYMPATHIA.
Antipathia.

OCCVLTA quædam inter oues, & capras colitur amicitia, & simul libenter pascuntur, obediuntq; eodem ferè modo pastoribus, & canibus quos ita vtriusq; pecoris custodes esse diximus ex Aeliano, vt ijs aduersus luporum rapinas vtãtur defensoribus. *Oues & capræ amicæ.* Quod verò de vespertilione traditur, si ter circumlatus domui viuus per fenestram inuerso capite infigatur, amuletum esse: priuatimque ouilibus circumlatum toties, & pedibus suspensum sursum in superliminari, magicæ vanitatis videri arbitratur Plinius, *Vespertilio.* qui alicubi scribit, arietis cornibus tusis, atque defossis nasci asparagũ sylueſtrem, quod tamen falsum esse scribit Dioscorides. *Lib. 19. c. 8.* B Sed Cardanus, inquit; arietis cornu in asparagos verti, si sepeliatur, ac putrescat, tametsi non sum expertus, multorum tamen testimonio concredam: putredo enim mater est multarum rerum. *Asparagus.* Et Albertus ait; Si cornua arietis sepeliantur ad radicem fici arboris, fructus in ea citiùs maturescere. *Ficus.* Et Antonius Mizaldus, ficus, ne fructus amittat, arietis cornua circa radices obrui iubet. *Lib. 19. c. 3.* Sed quid hoc, quod Plinius scribit de Laserpitio? Oues videlicet dormire protinus sumpto pabulo cùm inciderint in locum vbi oriturum sit Laserpitium. Horrent verò omnes sanguinarias feras; hinc comparationem hanc sumpsit Quintus Calaber: Troiani supra modum timuerunt Achillem occisum animo perpendentes suum hostem, non secus, atque oues horrore contremiscunt cernẽtes sanguinariam aliquam feram circa stabulum à iuuenibus prostratam, nec propius se conferre audẽt, sed horrent mortuam non secus, ac viuam: *Lib. 3.* *Lib. de paradiso c. 5.* Aiunt verò eam esse cum lupo antipathiæ vim, vt plerumque agni recenter nati neque vllius animalis extra caulas effigiem intuiti, audito repẽtè luporum vlulatu exanimascant, subitarioque eo perculsi metu, mortui concidant. Scribit & Albertus arietem lupum fugere, etiamsi numquam viderit. Est enim natura insitum, vt ait D. C Ambrosius, omnibus animantibus, vt etiam quæ necdum sibi nocere experta sunt, quasi noxia reformident, vnde enim columbæ, inquit, in ipso sui ortu, non visi terror accipitris? vnde lupi ouibus formidabiles? pullis milui? Quod si in ijs, quæ irrationalia sunt animantia, quidam de aduerso animantium genere naturalis est terror, vt etiam irrationabilia sensum fugiẽdæ mortis accipiant, quanto magis in primo homine rationis vtique plenissimo, naturalis quædam opinio debuit esse vitandę. Doctè item, ac perquam eleganter, hanc antipathiã expressit Achilles apud Homerum Hectori secum congressuro, & pacta dimicationis proponenti, his verbis respondens; *Iliad. π.* Hector erras, noli quicquam mecum pacisci, sicut enim nullum inter leones, hominesque sanctum est iusiurandum, & nunquam lupi & agni in sententia conueniunt, sed inuicem semper sibi malè optant; Sic inter nos nullus neque amor erit, neque iusiurandum, nisi prius alterius sanguine alter funestum Martem expleat;

Ἕκτορ μή μοι ἄλαστε συνημοσύνας ἀγόρευε,
Ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
D Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.
Ὡς οὐκ ἔστ' ἐμὲ καὶ σὲ φιλήμεναι, οὔτε τι νῶϊ
Ὅρκια ἔσσονται πρίν γ' ἢ ἕτερόν γε πεσόντα
Αἵματος ἆσαι Ἄρηα ταλαύρινον πολεμιστήν.

Quem locum, forsitan imitatus est Virgilius de Turno loquens occidente Lycum: *Aeneid. 9.*

Nostras ne euadere demens
Sperasti te posse manus? simul arripit ipsum
Pendentem, & magna muri cum parte reuellit,
Qualis vbi leporem, aut candenti corpore cygnum
Sustulit alta petens pedibus Iouis armiger vncis,
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius è stabulis rapuit lupus.

Alicubi etiam eundem Turnum lupo, Troianos ouibus stabulis inclusis comparans, quanta sit luporum agnos inuadendi auiditas, indicat;

Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili
Cùm fremit ad caulas, ventos perpessus, & imbres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Nocte ſuper media: tuti ſub matribus agni
Balatum exercent: ille aſper, & improbus ira
Sæuit in abſentes, collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.

4.Georgic. Et alibi idem inquit:

Ipſe (velut ſtabuli cuſtos in montibus olim
Veſper vbi è paſtu vitulos ad tecta reducit,
Auditiſque lupos acuunt balatibus agni)

Epodon. ode 2. Horatius pariter demonſtraturus, quantopere deteſtaretur amorem Canidiæ, inquit:

O ego non felix, quam tu fugis, vt pauet acres
Agna lupos, capræque leones.

Epod. od. 4. Sed & odium ſuum in Menam Libertum Pompei Magni, hinc etiam ſumpta ſimilitudine, indicat:

Lupis & agnis quanta ſortitò obtigit,
Tecum mihi diſcordia eſt.

Lib. 3. carmin. od. 18. Huc quoq; pertinet, quod agnos in feſtiuitate Fauni tam audaces eſſe ait, vt lupũ non timeant:

Ludit herboſo pecus omne campo
Cum tibi (Faune) nonæ redeunt decembres
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum boue pagus.
Inter audaces lupus errat agnos,
Spargit agreſtis tibi ſylua frondes,
Gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor
Ter pede terram.

Apud Theocritum Cyclops ſic ſe Galatheam fugere dicit, vt ſolet ouis conſpicata lupum:

Φεύγεις δ' ὥσπερ ὄις πόλιον λύκον ἀθρήσασα, ideſt,
Fugiſque velut ouis canum lupum conſpicata.

1. de arte. Ita & Ouidius de raptu virginum Sabinarum loquens, inquit:

Vt fugiunt aquilas timidiſſima turba columbæ
Vtque fugit viſos agna nouella lupos:
Sic illæ timuere viros ſine lege ruentes, &c.

2. Faſtor. Et de Lucretia à Sexto Tarquinio compreſſa:

Vtque thorum preſſit, ferrum Lucretia mecum eſt,
Natus, ait regis, Tarquiniuſque vocor.
Illa nihil, neque enim voces vireſque loquendi,
Aut aliquid toto pectore mentis habet.
Sed tremuit quondam ſtabulis deprenſa relictis,
Parua ſub infeſto cùm iacet agna lupo.

5. Metam. Ipſa verò Arethuſa apud eundem de ſe, recitans nimirum perſecutionem Alphæi amnis:

Quid mihi tunc animi miſeræ fuit? anne quod agnæ
Si qua lupos audit circa ſtabula alta frementes?

6. Metam. Philomela verò etiam à Thereo vitiata;

Tremit velut agna tremens, quæ ſaucia cani
Ore excuſſa lupi, nondum ſibi tuta videtur.

Huc etiam reſpiciens Euphorion de Pauſania puero, qui interfecit Philippum Amynthæ filium, Macedoniæ regem, ait:

Ac velut agna lupos, viſos fugit vrſa leones,
Sic puer ignarus veneris, fugiebat amores.

Videtur hoc acceptum ex Phædro Platonis, vbi ſimiliter legitur:

Vt lupus ipſe agnos, puerumſic ardet amator.

In Truculento. Lepidè autem M. Tullius de Antonio dicebat. *Cuſtos ouium præclarus.* Ita & Plautus:

Fuit ædipol Mars meo periratus patri,
Nam oues illius haud longè abſunt à lupis.

In Pœnulo. Quàm verò difficile ſit agnum lupo eripere, idem indicat alicubi:

Lupo agnum eripere, inquit, poſtulant, nugas agunt.

2. Faſtor. Quàm ſuauis igitur fuerit cantus Orionis, hoc modo ſignificat Ouidius:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Sæpe sequens agnam lupus est à voce retentus
Sæpe auidum fugiens restitit agna lupum.

Prægnantibus magis fortassis, quàm alijs insidiatur lupus; sic enim pastor quidem apud Theocritum: *Eid.8.*

Φείδευ τῶν ἐρίφων, φείδευ λύκε τῶν τοκάδων μευ. idest,
Parce meis hædis, lupe, parce fœto meo pecori.

Vtitur & astu quodam in raptu lupus; quandoquidem raptam ouem, vt scribit Albertus, dum persequentes audit, illęsam portat, ne balatu ei faciat cursus impedimentum. Inuadit & palantes potiùs, quàm si simul degant, quod indicat Homerus de Græcis loquens Troianos insequẽtibus, hos agnis atque ouibus palantibus, illos lupis assimilans, vt voraces natura, inquit, lupi ouium, caprarumque greges pastoris vecordia palantes in collibus nacti protinus inuadunt, sed hædos agnosque pręcipuè, quos inter miseras matres, queꝛunt, atque subter illas sese occultantes, trepidosque inueniunt, rapiunt, laniant: sic Græci in Troianos ingruentes perterritos, lymphatos, ac fugę magis memores, quàm virtutis, &c. *Iliad.π.*

Οὗτοι ἄρ' ἡγεμόνες Δαναῶν ἕλον ἄνδρα ἕκαστος
Ὡς δὲ λύκοι ἄρνεσσιν ἐπέχραον ἢ ἐρίφοισι
Σίνται, ὑπ' ἐκ μήλων αἱρεύμενοι, ἅτ' ἐν ὄρεσσι
Ποιμένος ἀφραδίῃσι διέτμαγεν. οἱ δὲ ἰδόντες
Αἶψα διαρπάζουσιν ἀνάλκιδα θυμὸν ἐχούσας.
Ὣς Δαναοὶ Τρώεσσιν, &c.

Quem locum puto imitatus noster Ariostus, canit:

Deh doue senza me, dolce mia vita
Rimasa sei si giouene, e si bella?
Come poi, che la luce è dipartita
Riman trà boschi la smarrita agnella:
Che dal pastor sperando esser vdita
Si va lagnando in questa parte, e in quella
Tanto, che'l lupo l'ode da lontano
E'l misero pastor ne piange in vano.

Hinc Fabium Maximum, quod commilitones suos in castris ab onmibus Hannibalis insidijs tutos contineret, optimo, & diligenti pastori; illum verò lupo comparat Silius Italicus, dum canit:

Solers cunctandi Fabius, ceu nocte sub atra
Munitis pastor stabulis per ouilia clausum
Impauidus somni seruat pecus: Effera sæuit
Atque impasta truces vlulatus turba luporum
Exercet, morsuque quatit restantia claustra.

Quod si enim stabula reperiant reserata, maximo impetu sęuitiaque in ea irruunt, maximamque ouium stragem edunt, sicut hac comparatione meminit Quintus Calaber: Gręci ad Hellesponti littora appellentes, nauibus egressi impetu ad Ilium ferebantur, nullo pręrediente metu, perindè ac oues se è nemorosis pascuis ad stabula corripiunt sub noctem autumnalem: Sic illi omni voce suppressa vi bem petebant proceribus suis opem ferre cupientes, vt lupi qui acerba fame exciti, in stabulum impetum faciunt, per montes, & syluas, pastore quippe ducente, alias ad alias mactant intra septum, & quacumque omnia sanguine & cadaueribus miscentur, magnaque patratur strages &c. Præterea vbi caulas intrauerunt, vel aliàs inciderunt in greges ouium, non solùm, vt dictum est, interficiunt, quot satis essent ad ventrem explendum, sed totum gregem, si possunt, passim iugulant, vt testatur Albertus, imò verò nisi clamore pastorum, custodumve, aut aliter impediantur, omnes occidunt, antequam attingant aliquam ad comedendum, quod meminit author de natura rerum, atque ego etiam à pastoribus intellexi. Glossa in D. Lucam ait, lupum ouibus insidiantem circuire ouile, vt canis somnum, & pastoris desidiam, vel absentiam exploret. Atqui Plutarchus in volumine de solertia animalium scribit, ouem stultam grauiore pedis sonitu lupum vocare, excitaturque lupus, vt dictum est, agni balatibus, atque eo modo pastori non semel fit prędę, qui matres ab agnis separans, horum balatibus lupos ad prędam excitans, in laqueos, eos deducit: Sic Regulus apud Silium Italicum simulans fugam comparatur pastori, qui lupos eo modo, nimirum agni balatibus decipit: *Lib.13.* *Ouis lupum vt vocet.* *Lib.6.*

Vertit equum, simulatque fugam grauiore ruina

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Et dat terga celer, ficta formidine ductor
Haud ſecus ac ſtabulis procurans ocia paſtor
In foueam parco tectam velamine frondis
Ducit nocte lupos poſita balatibus agnæ,
Arripuit, traxitque virum, fax mentis honeſtæ
Gloria, & incerti fallax fiducia Martis.

Odium poſt martem.

Sed vt ad odij interni ſiue innatæ inimicitiæ magnitudinem reuertamur, ea in lupi, ouiſque mortuorum partibus, ac potiſſimum pelle, lana, & chordis non minor eſt, vt aiunt, quàm in ipſis animantibus viuis; & quod ad pellem attinet, Pythagoras author eſt, ſi pellis ouis lupinæ apponatur, defluituram lanam ouillæ. Similis planè antipathia eſt inter pennas aquilæ, & aliarum auium, præſertim anſeris, ſi Alberto credimus, qui tamen de pennis id expertus ſcribit; ſed vulgo de pilis lupi, & lana ouis id ferri, ſed verè non expertum. Alias tamen ipſe atq; etiam Rhaſis citans Ariſtotelem, odium inter lupum, & oues omnibus eorum membris inhærere inquiunt, ita quod chordæ, ſiue neruis de inteſtinis ouium cum chordis de inteſtinis lupi factis permixtæ, non ſonent. Verùm apud Ariſtotelem nihil tale reperio, ſed inter alios Pythagoras inquit, ſi intendatur chorda de inteſtinis lupi cum ouium chordis, rumpit eas, & aufert omne temperamentum ab eis, & apud Oppianum legimus, ſi ex lupina pelle feceris tympanum, id inter cætera pulſatum, ſolum reſonabit, ſilentibus cæteris vtcumque prius ſonoris, & mox addit:

Καὶ φθίμενοι γὰρ ὄϊς φθίμενον λύκον ἐρρίγασιν:

Vnde tympana illa, quibus adimitur ſonus, lupini tympani pulſu, ouilla præcipuè intelligimus. Cæterùm, quæ de chordis, & tympanis dicuntur, eruditorum optimi ſuperſtitioſa eſſe putant; quamquam enim lupina pellis cum durior ſolidiorque ſit ouillis, ſonum procul dubio in tympanis longè clariorem edet, vt ſonus reliquorum longè inferior minus animaduertatur, vt lux candelæ iuxta ignem magnum poſitæ (eadem & in chordis ratio fuerit) rumpi tamen, vel prorſus obtumeſcere quis credat? Cæterùm pellem ouillam lupinæ coniunctam, abſumi citius, non mirum eſt, vt neque anſeris pennas priùs quàm aquilæ, ſi coniunxeris; Sicciorum enim animalium partes etiam ſicciores, minuſque excrementitiæ ſunt, & eandem ob cauſam, diuturniores. Sunt autem ſylueſtria manſuetis ſicciora, tum exercitij, tum pabuli ratione: nam & exercentur amplius, & pabulo tum ſicciore, tum minùs copioſo fruuntur. Quòd verò anſeris pennas plures ab vna aquilina adiecta conſumptas, expertum ſe profitetur, nō propterea, quia citius natura anſerinæ pereunt, verè ac propriè ab aquilinis conſumi putant. Vtcumque eſt experiri poterunt curioſi. Hoc interim maius adhuc admirandum eſt, quod de funiculo ex inteſtino lupi facto tradit idem Albertus, videlicet ſi illum ſub arena, vel terra ſepelieris, equos, & ouile pecus tranſire eò prohibebis etiamſi fuſte adigantur. Non minus etiam mirum eſt, ſi verum, quod tradit Aelianus: Audiui etiam, inquit, factam ex lana detonſæ ouis, quam lupus laniauit, moleſtiam, & pruritum excitare in eius corpore, qui induerit. Cardanus, haud debere, ait, mirum videri, quandoquidem ob vehementem metum, tum etiam ob contrariam naturam malè afficitur; etſi mors enim, vltimum, inquit, ſit ſupplicium, magis tamen afficitur corpus in vno quàm alio genere: Sic metuit homo magis in mari fluctuans, quàm coram hoſtibus. Idem Cardanus, mirum eſſe ait, & tamen verum, fidibus lupi agninas malè obſtrepere, ſed & Alciatus ait:

Funiculus inteſtini.

Lib. 1. c. 38.

Cætera muteſcunt, coriumque ſilebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle ſonent.

2. ſympoſiac. quæſt. 9.

Caro à lupo occiſi.

Ait præterea Zoroaſtes in Geoponicis, occiſas à lupo, & adeſas carnes teneriores fieri, & proinde ſuauiores. Sed Plutarchus quærit, non ſolùm cur oues à lupo dilaniatæ carnem ſuauiorem, verùm lanam etiam tabidam, flaccidamq; & pediculoſam habeant: Caro, inquit, ouis à lupo adeſæ dulcior fieri videtur, quod lupus ſuo morſu carnem flaccidam, teneramq; ventriculo tabefaciat, & liquet: Atq; hanc ob cauſam facilius etiam putreſcere, quę à lupis tactæ fuerint. Quod verò ad pediculorum in lanis procreationem, conijciat aliquis non tam ab ijs pediculos generari, quàm elici, per inſitam ipſis quandam caliditatem, aut exaſperandæ diuellendæque cutis facultatem; ineſſe ἐγίνεσθαι, Geſnerus legit ἐγγίνεσθαι) autem vim lanis huiuſmodi, toto ſcilicet pecudis corpore à lupi morſu, ſpirituq; ad ſuperficiem vſque, & pilos alterato. Atqui varijs modis animalia, quæ iugulātur (nimirum propter diuerſos iugulationis modos) affici, argumento ſunt venatores, & coqui: Horum enim aliquos ſcimus vnico ictu animalia proſtrauiſſe, ita vt icta ſtatim immota iacerent: Alios verò vix multis tandem ictibus confeciſſe. Et quod magis mireris, aliquos ex vulnere ferri talem in animante iugulata vim reliquiſſe

A liquisse, vt mox putresceret, & neque vno die integra duraret: Alios verò non tardius illis ,,
interemisse, sed nullam in carnibus iugulatorum huiusmodi qualitatem relictam, & aliquam- ,,
diu eam permansisse. Porrò quod vis quædam cùm iugulantur, aut moriuntur animalia, ad ,,
pelles etiam, pilosque & vngues pertingat, ne Homerum quidem latuit, qui de pellibus & loris ,,
scribens his verbis vtitur. ἱμὰς βοὸς ἶφι κταμένοιο, hoc est, *lorum bouis per vim occisi*: Validior ,,
enim & tenacior eorum pellis est animalium, quæ non morbo, aut senectute, sed iugulata ,,
obierint; Contrà quæ morsu animalium intereunt, illis vngues nigrescunt, defluunt pili, & pel- ,,
les marcidæ, flaccidæ fiunt. Huc vsque Plutarchus. Sed hæc etiam falsa putat Ioannes Baptista Porta, negans se sat intelligere, quomodo ex spiritu lupi caro tenerescat: Nam & alia, inquit, animalia, quæ à suis inimicis occisa sunt, & contrariæ naturæ etiam carnes tenerescunt, quæ non calidi sunt spiritus. Conijcit itaque sanguinis absentiam carnes in animali teneras reddere, conijcit, inquam, his argumentis: Coturnices & phasiani à falconibus, vel accipitribus occisi, tenerrimi fiunt: sed cor in ijs reperitur sanguinosum, & durum, cerui, & apri à canibus occisi teneriores, à sclopis verò duriores, & circa cor partes durissimæ, vt vix coqui pos-
B sint, mortis metus sanguinem ad cor amandat, reliquæ partes exangues, vide etiam Pierium. Quod si modò quis sua pecora à lupo tuta reddere volet, is ex præcepto Anatolij, ductori dicto squillam appendet. Atque hactenus de ouium cum lupo antipathia, cæterùm addam hoc Arnobij: *Nunquid in culpa Natura est, quod lanicijs extulit importunissimam belluam?* lupum intellige infestum ouibus. Leo quoque inter cætera pecora, cogente fame, oues appetit, sicuti indicat Martialis, dum canit:

de Magia lib. 14. Cap. 1.

Vt à lupo sint tutæ. Lib. 1.

Leo. Lib. 8. epigr. 55.

Auditur quantum Massyla per auia murmur,
Innumero quoties sylua leone furit.
Pallidus attonitos ad plena mapalia pastor
Cum reuocat tauros, & sine mente pecus.

Idest, oues. Sed & Vlysses apud Homerum naufragus exire dicitur è sylua leonis more, qui in monte nutritus, viribus fidens, minitans, spiransque, ac oculis ardentibus ingreditur, in boues, aut oues inuasurus, fame suadente in domum frequentem irruit, & in pecudes grassatur:

Odyss. ζ.

C
Βῆ δ' ἴμεν ὥς τε λέων ὀρεσίτροφος, ἀλκὶ πεποιθὼς
Ὅς τ' εἶσ' ὑόμενος καὶ ἀήμενος, ἐν δέ οἱ ὄσσε
Δαίεται. αὐτὰρ ὁ βουσὶν ἐπέρχεται, ἢ ὀΐεσσιν,
Ἠὲ μετ' ἀγροτέρας ἐλάφους. Κέλεται δέ ἑ γαστὴρ
Μήλων πειρήσοντα καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν.
Ὥς Ὀδυσεὺς κούρῃσιν ἐϋπλοκάμοισιν ἔμελλε, &c.

Sed & Aeneæ manibus Crithona, & Orsilochum interemptos esse scribit, vt duo leones in arduis nemorosisq; montibus sub matre leæna educati confici ab his pastoribus solent, quorum stabulantes tauros, ouesq; ipsi dirupuerunt:

Odyss. ε.

Οἵω τώγε λέοντε δύω ὄρεος κορυφῇσιν
Ἐτραφέτην ὑπὸ μητρὶ βαθείης τάρφεσιν ὕλης.
Τὼ μὲν ἄρ' ἁρπάζοντε βόας, καὶ ἴφια μῆλα
D
Σταθμοὺς ἀνθρώπων κεραΐζετον, ὄφρα καὶ αὐτὼ
Ἀνδρῶν ἐν παλάμῃσι κατέκταθεν ὀξέϊ χαλκῷ.
Τοίω τὼ χείρεσσιν ὑπ' Αἰνείαο δαμέντε. &c.

Ita & Apollo apud eundem in oratione ad Deos immortales, de inoxorabilis Achillis sæuitia, ac crudelitate inquit, neque laudabile esse eius ingenium, neque lene consilium, sed sæuitiam meditari more leonis, qui & vi & superbia fretus, prædæ auidus gregem inuadit.

Iliad. ω.

Ἀλλ' ὀλοῷ Ἀχιλῆϊ θεοὶ βούλεσθ' ἐπαρήγειν,
Ὧ οὔτ' ἄρ φρένες εἰσὶν ἐναίσιμαι, οὔτε γόημα
Γναμπτὸν ἐνὶ στήθεσσι λέων δ' ὣς ἄγρια οἶδεν,
Ὅς τ' ἐπεὶ ἄρ μεγάλῃ τε βίῃ καὶ Ἀγήνορι θυμῷ
Εἴξας εἶσ' ἐπὶ μῆλα βροτῶν, ἵνα δαῖτα λάβῃσιν.
Ὥς Ἀχιλεὺς ἔλεον. &c.

De famelico leone semper intelige, nam & Virgilius ait:

Aeneid. 9.

Impastus, ceu plena leo per ouilia turbans
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu fremit ore cruento.

Sic & Silius Italicus clarissimè.

Lib. 3.

Ceu ſtimulante fame cum victor ouilia tandem
Faucibus inuadit ſiccis leo, mandit hiantis
Ore fremens imbelle pecus: patuloque redundat
Gutture ructatus largè cruor: incubat atris
Semeſæ ſtragis cumulis: aut murmure anhelo
Infrendens laceros inter ſpatiatur aceruos,
Latè fuſa iacent, pecudes, cuſtoſque Moloſſus
Paſtorumque cohors, ſtabulique gregiſque magiſter.

Thebaid. 8. Aliàs leo viribus & ætate valens agnorum, imbelliumque aliorum pecorum prædam planè aſpernatur, & niſi in infantia ea captat, vti Craſſati Ducis exemplo luculẽter oſtendit Statius:

Talibus heu fidens vocat vltro in prælia Graios,
At primùm faciles Craßatus cuſpide turmas
Arma refert ſocijs, & in agmina fida, peracta
Cade redit: ſic Hircana leo Caſpius vmbra
Nudus adhuc, nulloque iuba flauentis honore
Terribilis, magnique etiamnum ſanguinis inſons
Haud procul à ſtabulis captat cuſtode remoto
Segne pecus, teneraque famem conſumit in agna, &c.

Tygris. Haud abſimilem inter tygridem ac ouillum pecus inimicitiam eſſe meminit idem Statius, de
Lib. 8. Tydeo loquens:

Inde velut primo tygris gauiſa cruore,
Per totum cupit ire pecus.

Meminit & Horatius de poetarum, pictorumq; licentia agens:

Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas:
Scimus & hanc veniam petimusq; damuſque viciſſim:
Sed non vt placidis coeant immitia: non vt
Serpentes auibus geminentur, tygribus agni:

In Epod. od. 10. Idem poeta indicaturus felicitatem aruorum Oceani, beatitudinemq; ac fertilitatẽ, non ſolùm eam dimetitur à vini, frugum, fructuumque copia, verùm etiam quod nullos ferant vrſos, ac
Vrſus. ſerpentes, qui pecori infeſti eſſe aſſolent:

Illic iniuſſæ veniunt ad mulctra capellæ
Refertque tenta grex amicus vbera:
Nec veſpertinus circumgemit vrſus ouile
Nec intumeſcit alta viperis humus.

Elephas. De elephanto ſcribit etiam Plutarchus in ſympoſiacis, quod viſo ariete, dum furit, quieſcat, furoremque & impetum remittat. Aelianus id ad arietis cornua refert, & alibi, inquit, Romanos, quoniam non cornua modò arietis, ſed & ſuilli pecoris grunitum oderunt, Pyrrhi Epirotarum Regis elephantos in fugam vertiſſe, homines dicunt, victoriamque amplam ex eo bello retuliſſe: quare Volaterranus, dum ſcribit, elephantos ex animalibus maximè exhorrere hircũ, ceraſtem, porcum, eiſdemque machinamentis elephantos Pyrrhi regis à Romanis primùm conuerſos, pro ariete cornuto perperam hircum ceraſten reddidiſſe videtur; vide etiam hiſto-
Coruus. riam de elephanto. Inter aues coruus agnellos, & porcellos etiam proſequitur, ſicuti hac hi-
Lib. 4. c. 15. ſtoria teſtatur Olaus Magnus: Lege cautum eſt in Islandia inſula, vt quicumque noxiam beſtiam occiderit, à fiſco, vel regio præfecto mercedem accipiat. Cùm itaque corui albi ibidem plus quàm in alijs regionibus, agnellos & porcellos rapiant, pueri in ijs configendis operam ſuam ponunt, ſolaque roſtra funibus alligata præſidibus pro ſigno mercedem petituri, demonſtrant, quam pari ſagittarum numero, vt beſtię fuerint interemptæ, compenſant. Rapit, &
Aquila. aquila agnellos, idque cum maximo ſæpe impetu, quali Druſum hoſtes Vindelicos inuaſiſſe Horatius canit:

Qualem miniſtrum fulminis alitem
Cui rex Deorum regnum in aues vagas
Permiſit, expertus fidelem
Iupiter in Ganymede flauo
Olim iuuentus, & patrius vigor
Nido laborum propulit inſcium.
Vernique iam nimbis remotis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Insolitos docuere nisus*
Venti pauentem: mox in ouilia
Dimisit hostem viuidus impetus
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor, dapis, atque pugnæ.

Hirundo, teste Aeliano, ex ouium tergis floccos lanarum euellit, indeque suis pullis nidum quàm mollissimè substernit. Draco item infestus est ouibus, sicuti de dracone illo, ab Apolline interempto, tradit his versibus Homerus: *Hymno in Apoll.* *Draco.*

Ἀγχοῦ δὲ κρήνη καλλίρροος, ἔνθα δράκαιναν
Κτεῖνεν ἄναξ Διὸς υἱὸς ἀπὸ κρατεροῖο βιοῖο,
Ζατρεφέα μεγάλην, τέρας ἄγριον, ἣ κακὰ πολλὰ
Ἀνθρώπους ἔρδεσκεν ἐπὶ χθονί, πολλὰ μὲν αὐτοὺς,
Πολλὰ δὲ μῆλα τανύποδ᾽ ἐπεὶ πέλε πῆμα δαφοινὸν,
B Καί ποτε δεξαμένη χρυσοθρόνου ἔτρεφεν ἥρης. &c. idest,

Propè autem fons pulchrifluens, vbi draconem
Necauit rex Iouis filius ex forti corda arcus,
Valde nutritum magnum monstrum horrendum, qui mala multa
Hominibus faciebat super terram, multa quidem illis,
Multa autem ouibus pandis pedibus, quoniam fuit nocumentum cruentum
Et olim cum suscepisset auream sedem habentis nutriebat Iunonis &c.

Et nos quoque antea ex præcepto Columellæ, ac Virgilij, aliorumque, propter serpentes, qui plerumque sub præsepibus latent, cedrum, vel galbanum, vel mulieris capillos frequenter vri iussimus. Plinius oues etiã apibus inimicas esse scribit, difficile se, vt eius verbis vtar, à lanis earũ explicantibus. *Apes.* Erucæ verò (Ruellius non benè blattas vertit) quas prasocurides, quasi porricidas, græci vocant, vt Diophanes scriptum reliquit, hortis solent nocere. *Erucæ.* Ergo ventriculũ ouis statim occisæ non elotum, sed sordibus suis plenum, spatio quo abundant, non altè, sed superficie tenus debebis operire. Post biduum reperies animalia ipsa congesta ventrem hunc replere: hoc cum iterum, vel tertiò feceris, genus omne, quod nocebit, extingues. Maiorem adhuc ha-
C bet admirationem, quod de lana ex cauda ouis euulsa, legimus apud Plinium: *Cauda ouis, inquit, quàm arctissimè præligata, euulsa inde lana præ fastidio, qua non pascebatur ouis, statim vescitur: traduntque quod extra nodum sit è cauda præmori.* Stirpes item nonnullæ ouibus noxiæ sunt: *Stirpes ouibus noxiæ.* Aconitum imprimis neque ipsæ neque vllum animal, teste Theophrasto, tutò assumit, necat easdem Nerion, idest, rhododendron, vt Dioscorides ait, cùm aliàs homini non sit venenũ. *Aconitum.* *Nerion.* Plinius verò cùm folia eius homini contra serpentes addita ruta in vino pota, præsidio esse dixisset, subiungit; Pecus etiam, & capræ, si aquam biberint, in qua folia ea maduerint, mori dicuntur. *Lib. 24. cap. 11.* Quæ sit reuera euonymus, inter herbarios non satis conuenit; hæc quoque oues, & capras perdit, sicuti etiam de Conyza tradunt. *Euonymus.* Sed & Sabina iisdem pecudibus venenum est, si Plinio credimus. *Lib. 16.* *Sabina.* Columella asserit esse etiam grauem perniciem herbæ sanguinariæ, quam si pasta est ouis, toto, inquit, ventre distenditur contrahiturque & spumam quandam tenuem tetri odoris exspuit. *Sanguinaria herba.* Celeriter sanguinem mitti oportet sub cauda in ea parte, quæ proxima est, clunibus, nec minus in labro superiori vena soluenda est: Easdem venas solui iubet Anatolius, si ob pastum insalubriorem venter eis tumeat, & verisimile est, ipsum ex Columella transtulis-
D se, quæ verò sanguinaria herba esset, non cognouisse, ac ideo quod de ea priuatim dictum erat, communius protulisse. Gesnerus etiam profitetur, sanguinariam herbam dici nullam se nouisse, præter polygonum græcòrum, cui tamen vim venenatam nemo, inquit, attribuit: sed ouibus venenum esse posse, ait, non item alijs animalibus, astricta nimirum aluo intumescente, qua facultate alia etiam adstringens herbula, binis & rotundis ferè numi instar folijs humi repens, pulegio non dissimilis, locis opacis, vt circa sepes, & alibi præsertim humidis, Fuchsius numulariam vocat, ouibus exitio esse creditur. *Polygonum.* Itaque à Gallis per circumscriptionem vocatur herba oues necans; at homini innoxia, & persæpe salutaris est; *Numularia.* sed fortè sanguinaria herba fuerit inter gramina; nam calamogrosti, Lobelio dicta neque veterina, neque greges alij vescuntur, nisi multum esuriant, & magna melioris alimenti penuria laborent, non solùm quod ingratissimum sit, & aridum, sed etiam quod sitim, maciem, & tabem inuehere credatur, linguam & œsophagum vulneret, & constringat, sanguinem in ventriculum eliciat, vnde tumor, inflammatio, & mors plerumque. *Calamogrostis.* Qualem naturam Babylonio gramini veteres adscribunt, quare etiam Petrus Pæna illud huius descriptioni quadrare existimat. Nascitur etiam inter frumenta, teste Plinio, herba alba panico similis, occupans arua, pecori quoque mortifera, quæ fortè

vel

vel cum ſuperiori eadem, vel panicum ſylueſtre fuerit. Apud Gallos referente eodem Geſne-
ro ex relatu cuiuſdam Galli, duua vocatur herba quædam in Normania præcipuè, ſimilis lapa-
tho, ſed anguſtioribus folijs, & ſemper erectis, neruo medio ferè rubente, cauſticis; naſcitur iux-
ta aquas. Hanc ſi comederint oues, innaſcuntur in iecore parua quædam animalia nigra, quæ
ſimiliter duuæ vocantur, & morbus itidem duua incurabilis. Itaque mox mactanda, & come-
denda ſunt animalia. Herba quoniam hyems erat, demonſtrari, inquit, mihi non potuit: Quæ-
Anagallis. rent diligentiores, num aliqua hydrolapathi ſpecies ſit, an potius plantago aquatica, cui folia
Lib. 25. cap. 13. ſemper ſurriguntur, quamuis neutra cauſtica ſit, & forſan, qui mihi hac dictauit, hanc ei facul-
tatem eſſe, falsò credidit. Mirum verò, quod anagallidem fæminam pecora vitant, vt ait Pli-
Aſyla. nius: At ſi decepta ſimilitudine (fęminæ ſcilicet ad marem anagallidem) deguſtauere, ſtatim
Ferus oculus. eam, quæ aſyla vocatur, in remedio quærunt: Ea à noſtris ferus oculus nuncupatur. Anagallis
quidem herbula nitroſo, acri & inſuaui ſapore eſt, ferè quo betæ radix cruda, ſed cum eodem
tum fæmina, tum mas, ſapore & facultate ſit, cur illum guſtent, hanc auerſentur, ſummam ha-
bet admirationem. Cæterùm aſylæ herbæ hoc vno tantum in loco, niſi fallor, Plinius meminit,
Eruum. nec vel ipſe alibi, vel aliorum quiſpiam. Inuenio denique eruum, de quo tamen tanquam gra-
to ipſis, & vtili, ſuprà meminimus, pecori & præcipuè bobus noxium eſſe, quod martio menſe
Glans. ſeritur: negareque agricolas hunc menſem eruo conuenire. Adhęc diximus ex Ariſtotele oues
ſi grauidæ glandem copioſius ederint, abortum facere. Horrent verò etiam, quàm maximè to-
nitru: Nam vt tradit Plinius, & eum ſecutus Albertus, ijs ſolitarijs abortum ab eo inferri, ſed re-
Lib 4. ſympoſ q. 2. medium eſſe congregare eas, vt cætu iuuentur; Et apud Plutarchum legimus paſtores oborto
tonitru condocęfacere pecus, in vnum vt concurrant, ſeque inuicem applicent: Nam quę palàt
Tonitru. à reliquis auulſę oues, abortum, inquit, faciunt. Sęd & ipſe Ariſtoteles hanc eandem antipa-
thiam celebrauit inquiens: Docent paſtores oues ſuas gregari, facto ſtrepitu: Nam ſi, cùm to-
nuerit, aliqua relinquatur, quę non concurrerit, abortum, ſi eſt grauida, facit, vnde fit, vt, ſi quę
Lib. 18. c. 3. domi ſtrepitum moueris, omnes concurrant propter conſuetudinem. Mirum verò etiam quod
Stellæ ouib. noxiæ. Tentyritę populi Nili, teſte Plinio, pecorum fętus abortu vitiant. Eſſe etiam aiunt in Thracia
binas ſtellas pecori ouillo maximè noxias, ſuper qua re in hęc verba ſcribit Petrus Bellonius:
Lib. 3. obſer. cap. 51. Certo quodam anni tempore ouium greges in agris paſci, nec noctu ſub dio relinquere audent
Turcę, quoniam, vt ipſi aſſerunt, binę ſunt ſtellę, quas proprio nomine indigitare norunt, Iulio
& Auguſto, noctu apparentes, illis planè verticales, quarum ſplendorem ſi oues caput attollen-
tes conſpiciunt, ipſę intereunt: Sin eo tempore ſub tecto aſſeruentur noctu, nullam noxam pa-
tiuntur. Rem ita ſe habere experimento indubitato ſe didiciſſe affirmant. At hæc per vniuer-
ſum Turcę dominium non accidunt, verùm nonnullis duntaxat Thracię locis, eam ob cauſam,
nunquam niſi eo tempore ouium greges noctu ſub tectum agunt, ne hyeme quidem. Plerǽque
alię prouincię harum obſeruationum imperitę, quęque maximo interdum damno afficiuntur
ex gregis interitu. Cauſam ignorantes veneficarum pręſtigijs ſe id damnum accipere exiſti-
mant: Quod Virgilius in ſuis Eclogis innuere videtur. Nos verò id primùm Conſtantinopoli
intelleximus ab his, qui certo quodam precio lanionibus oues prębere ſolent, quique ea de re
conquerebantur. Quod poſtea verum eſſe deprehendimus; Etenim cum viperario Turca ſecū-
dum Ponti littus iter faciens, ouium greges ſub tectis deliteſcere conſpexi, cauſamque ſciſcita-
tus, tametſi paſtores ignorarent, reſponderunt tamen, reliquo tempore ſub dio verſari ſolere:
Verùm ſi tum temporis noctu foris relinquerentur, eas morituras. Hęc itaque Bellonius inter-
prete Carolo Cluſio. In eadem Thracia flumen eſſe tradunt ad Chalcidicam, nomine Co-
Cochrynna fluuius. chrynnam, qui ſi ab ouibus potetur, nigros faciat fętus: & Pauſanias tradit, paulò lõgius ab ip-
ſo Patrenſium oppido progreſſis eſſe amnem, charadrum nuncupatum, è quo quę verno tem-
In Achaicis. pore, potarint pecudes, mares gignere creduntur, fętuum partem maximam, eaque de cauſa
Charadrus. paſtores aliorſum greges agere, pręter bouillum tamen pecus. Id ab eo flumine non reijcere,
quod mares & ad vſum ſacrorum, & ęgrorum cultum magis idoneos eſſe arbitrãtur; cęteri pe-
Thapſia. coris fęminas maiori multò æſtimatione dignari. Non minori quoq; admiratione dignum eſt,
Lib. 9. hiſt. cap. 22. quod pecudes, vt refert Theophraſtus, in terra Attica Thapſię radicem non tangunt, peregri-
nę verò depaſcunt, & aut aluus ſoluitur, aut intereunt. Idem Theophraſtus ait; Quod autem
Lib. 9. hiſt. cap. 18. plurimum conſuetudo valeat, multis ſanè rationibus conſtat: Nam & abſynthium pecora hu-
ius tractus, paſcere negant, Pontica autem nimirum paſcunt, vt pinguiora, ac pulchriora red-
Abſynthiũ. dantur, ac vt quidem volunt, ſine felle. Quanta verò vis ſit conſuetudinis tam in bonam, quàm
malam partem, plurimis ſententijs veterum, ac etiam exemplis propè infinitis probari poſſet,
ſed non ſunt huius loci. Illud verò pręcipuam habet in hac pecude admirationem, quod de in-
teſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A testinis eius refertur ab Antigono Liberali in libro de mirabilibus, videlicet peculiare hoc esse, quod arietum non edunt sonum, sed fœmellarum tantùm sunt vocalia.

VOX.

OVES, inquit Festus, dicimus balare, vtique à sono ipso vocis. Hinc *hostias balantes* eas dixit Cicero, *gregem balantum* Virgilius, qui & ipsam vocem balatum nuncupat: *Balare. Lib. 1. de diuinat.*

Quæsitus matri multis balatibus agnus.

Græci βλῆχην dicunt, & ipsum verbum balare βληχᾶσθαι. Vnde Dioscorides, vbi γλήχωνα, idest, pulegium, sic dictum scribit, quoniam gustatum à pecore cùm floret, βλῆχην in eis excitat, quibusdam βλήχωνα asserit vocari. Pro βληχᾶσθαι apud Hesychium βληχήσασθαι legitur, & apud eundem βληχήματα sunt βοαὶ προβατώδεις; aliàs βλῆχημα (Varinus habet βλήχημος) exponitur ab eodem μωρὸς, προβατώδης. Cæterùm βῆ, Suida teste, est τὸ μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς apud Atticos non autem βαὶ, vt apud Cratinum in Dionysalexandro: ὁδ' ἠλίθεος ὥσπερ πρόβατον, βῆ βῆ λέγων βαδίζει. Bee autem vocem esse ouium, & bela inde vocari oues, indeque esse verbum belare, præstantissimus linguæ latinæ author Marcus Varro ait, his verbis, *Bela oues nominauerunt antiqui latini, vnde belare.* Henricus Stephanus à βῆ, putat esse verbum βήζει, quod Hesychius exponit φωνεῖ, vt idem sit quod βῆ βῆ λέγει, sed & βηβῆν idem Hesychius dici testatur πρόβατον, forsan ab hoc βῆ βῆ, quod balando sonat. Quin & βήλγει, ac βηλήσσει, quod idem Hesychius exponit βληχᾶται, ab eadem profectum esse origine existimo, quemadmodum quoque ipsum βληχᾶσθαι, & balare apud latinos videntur eadem vocis μιμήσει ficta esse. Vnde etiam colligi posse, idem Henricus asserit, quæ vera fuerit τοῦ η pronunciatio, medium nimirum sonum habens inter α clarum, & ε proximè accedentem ad αι. Idem asserit Adolphus Mekerchus Brugensis in commentario de veteri & recta pronunciatione linguæ græcæ, his verbis: Illud quoque argumento est β nunc vitiosè per u efferi, quod cum muta sit, labijs comprimi debuit, & hoc etiam, quod ipsum β collocatur medium inter π & φ aspiratum, u verò consonans labijs vallo dentium diductis efflatur; debetq; omninò inter aspiratas numerari. Deinde τοῦ δίγαμμα sonum, ac proinde literam, qua is sonus exprimitur, solos Aeoles vsurpasse, nemo est opinor, qui nesciat. Itaq; omnium optimè sonum τοῦ β. declarat βῆ ouium balatus, quas bee, siue be sonare sentimus, non vi, vt luce clarius testatur in Homerum Eustathius: Βῆ (inquit) μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς. Et alio loco βῆ βῆ φωνῆς προβάτων σημαντικὸν, citatque Cratini versum (nimirum illum quem suprà citauimus) Addit & authoritatem Pierij Valeriani, de literis septem loquentis. Fortè β, inquit per pictam pecudem figurari possit, aut membrum, statumque eius aliquem, qui ouem saperet, quod proprium est illi literam eiusmodi articulato proferre sono. Atqui ita nonnulli η tertiæ apud Græcos vocali sonum, per e granem pronunciant, quod latini receperunt, Penelope, Anchises, Aristoteles, naturæ quidem in oue sonum imitati. Tantum Pierius. Neque verò reijcienda omnino sunt inarticulatarum vocum, quæ naturales animalium sunt, exempla, quoniam eæ semper, & vbique sunt eædem, constantes, sui similes, nec μερόπων ἀνθρώπων more, idest, hominum, quibus lingua est in omnem partem volubilis, in horas mutantur. Hucusque Mekerchus. Sed D & Romanos non vita, sed beta pronunciasse, cãdidæ betæ etymologiæ exemplo pulchrè ostendit Columella, scriptor Romanus, dum canit: *Pulegium.* *Bela.* *Lingua græcæ vera pronunciatio.* *Lib. 47.*

Nomine tum Graio ceu litera proxima primæ
Pangitur in cera docti mucrone magistri:
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur folio viridis pede candida beta.

Indicat betam dictam esse; quod β literæ, cùm semine turget, figuram referre videatur: Nam summitatem in cacumine reflexam habet. Μήκη, vel, vt alij scribunt, μηκὴ, etsi propriè sit vox caprarum, vt suo loco dicemus, Homerus tamen μεμακυίας, siue μηκώμενας dixit agnos: *Beta vnde dicta. Μήκη.*

Α'ζηχὲς μεμακυῖαι ἀκουσάμεναι ὄπα ἀρνῶν. idest, *Iliad. Δ.*
Indesinenter balantes postquam audiuerunt vocem agnorum.

Et alicubi etiam de ouibus dicebat:

Θήλειαι δ' ἐμέμηκον ἀνήμελκτοι περὶ σηκοὺς. idest, *Odyss I.*
Fœminæ autem balabant nondum mulctæ circa stabula.

Author Philomelæ ouis vocem ab arietis distinguit, hoc pentametro;

Bla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Blaterat hinc aries, & pia balat ouis.

Grundire. Lib. 15. Annal. Grundire cùm ſit propriè ſuum, vt Laberius in ſue dicit, *Grundientẽ aſpexi ſcropham*, & Claudius; *Grundibat grauiter pecus ſuillum.* Hic tamen libro 16. *agni grundibant* dixit: Etiam hominum eſſe grunditum ex Cæcilio Diomedes deſignauit, *Cruento ita ore grundibat miſer.* Hinc Ioſephus Scaliger in ſuis in Varronem coniectaneis. Vbi Varro ait, *ita trude, neque in re, neque in iudicium Aeſopi, nec theatrales*; pro ita trude legendum putat, ita rudebat, & ſuſpicatur Varronem, rudebat, pro grundibat in Cæcilio legiſſe. Petrus Victorius ex hoc Plauti in prologo Pœnuli, quo abſterret nutrices à theatro: *Lib. 17. var. lect. c. 1.*

Nutrices pueros infantes minutulos
Domi procurent, neue inſpectatum afferant,
Ne & ipſæ ſitiant, & pueri fame pereant,
Neve eſurientes hic quaſi hædi obuagiant.

Vagire quid. Vagire proprium eſſe contendit agnorum, conuenireque hanc vocem infantium ploratui. Ego vero vagitum tantùm de infantium ploratu inuenio, neque mihi hic Plautus vagitum hædis tribuere videtur, ſed illud dicere, infantes ſi in theatro diutius detineãtur, idem facturos, quod ſolent hædi, qui continuò balant abſentibus matribus.

ÆTAS.

Sect. 10. probl. 62. Cur parum viuant. ARISTOTELES quærens, cur vnus omnium animantium homo caneſcat, ſcribit oues breue tempus viuere, propterea quòd pilum gerunt non deciduum. Vitam autẽ earum ad denos annos eſſe, ſed magna ex parte ad pauciores, alicubi ſcriptum reliquit. Sed clariùs Creſcentienſis inquit: Oues in bono ſtatu manent vſque ad octo annos, & quędam vſque ad decem, ſi copioſè paſcantur, ſed quæ famem patiuntur, neceſſariò citò ſeneſcunt. Quantum autem pabulum ad vitæ productionem faciat, oſtendit etiam Albertus Magnus, quamuis ſine authore, inquiens, in quibuſdã terris marinis, in quibus ſicca, & ſalſa habent paſcua, viuere per viginti annos, & parere; Et ipſe etiam Ariſtoteles huc fortaſſe reſpiciens duces pecoris ad quindenos interdum annos vitam producere aſſerit, & clariſſimè alibi, ouium, & boum duces, inquit, plus temporis, quàm cæteri viuunt, vſu exercitij, & copia pabuli. Cæterùm & loci diuerſitas ad vitæ longitudinem facit: *Oues vbi diù viuant.* Nam, vt idem teſtatur, oues Aethiopicæ, vel ad duodecim, & tredecim annos vitam agunt.

PRÆSAGIA.

Hyemis diuturnæ præſagium. THEOPHRASTVS author eſt, oues vel etiam capras, cùm rurſus coeunt, longæ hyemis indicium præbere. Pertinere autem hoc ſignum, non ad diei vnius ſtatum, ſed ad totam hyemem, Federicus Bonauentura Vrbinas in ſuis ſcholijs aſſerit, ac ſimpliciter quidem ſumptum, falſum eſſe, vt videatur, inquit, aliquid in contextu deeſſe: oues enim ſi maturent venerem, vt idem author inter tempeſtatum ſigna dixit, maturam etiam hyemem oſtendunt: Et ſi remorẽtur, tardæ, ac lenis hyemis indicium afferunt. Quamobrem verba, vt ſunt in græco exemplari, nimirum, oues & capras cùm coeunt, longæ hyemis indicium dare, plurimum à veritate aberrabunt. Itaque ſuſpicor ego ſignum illud, hoc in loco explicari, quod ſic tetigit Aratus: *text. 21.*

Θήλειαι δὲ σύες. θήλεια δὲ μῆλα, καὶ αἶγες,
Ὀππότ' ἀναστραφῶσιν ὀχῆς, τὰ δὲ γ' ἄῤῥενα πάντα
Δεξάμεναι πάλιν αὖτις ἀναβλήδην ὀχέωνται
Αὐτῷ καὶ σφήκεσσι μέγαν χειμῶνα λέγοιεν. ideſt,

Fœminæ item ſues, fœminæque oues & capræ
Cum redeunt ex paſtu, maribus omnibus
Admiſſis rurſus mutuo coeunt,
Ex hoc, & veſpis multam hyemem prædicere ſolent.

Ex his enim perſpicuum eſt aduerbium πάλιν deeſſe in contextu: & quod μακροῦ χειμῶνος dixit Theophraſtus, dixiſſe Aratum μέγαν χειμῶνα, vt conſenſio hæc non leue ſit argumentum, ambo hæc loca eandem ſententiam continere. Hoc igitur verba Theophraſti accipiens ego, ſic propterea illa interpretatus ſum; *Cùm oues vel capræ rurſus coeunt*, &c. Et cauſa profectò in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A in promptu est: Oues enim, & capræ mirificè commouentur ab aeris alteratione, vnde cùm ex-
citantur ad coitum, ocyus quàm soleant, iam frigidam qualitatem dominari in aere ostendũt,
licet nobis ignotam, & insensibilem; quæ calorem illarum introrsum pellens, ad coitum mouet
illas, ac robustiores reddit: Nam & hoc est, quod subobscurè docet Aristoteles, quærens, cur ani- *Sect. 10. probl. 46.*
malium alia sæpe coeant, alia semel, idque totum propter pabulum, calorem, & laborem pro-
uenire docens; vnde & oues in Magnesia, & Africa bis parere scribit. Enim verò cùm neque
fortasse pabulum, multoque minus labor, quod ad hanc rem pertinet, possit accidentis huius
esse causa, relinquitur, vt calor internus sit, qui oues ad coitum excitet: Eadem namque causa
est, quæ facit, vt coitum maturẽt, & vt bis coeant: Cùm enim circa autumni finem ferè marem
soleant admittere, si maturant, id interdum faciunt, quia frigus iam ambientis aeris sentiẽtes,
coaceruato calore interno, ad venerem excitantur, ex quo & hyemes, & frigora indicant: Fri-
gida enim aeris qualitas, & aquilonius status maximè ouibus ad coitum conducit, vt idem tra- *6. Histor. cap. 19.*
dit Aristoteles, quamobrem non solùm venti huius flatum pastores obseruant, sed & pabula &
aquas ad aquilonem sitas: Nec alia quidem de causa, vt reor, nisi quia aquilonia tempestas in-
B situm earum calorem reddit efficaciorem, vt propterea, & semen perfectius, & abundantius ha- *Salsæ potus coitum excitat.*
beant. Hinc citato loco notat Philosophus, quæ oues aquam salsiusculam bibunt, maturius
coire. Calidiores enim eas reddit aquæ ille potus, ex quo & coitũ accelerant; habet enim aqua
salsa, nescio quid caloris & siccitatis, vt ex problemate 39. sect. 23 & ex problem. 29. sect. 20.
elicimus. Quod enim salsius est, calidius est, vt ibidem docet Aristoteles. Meritò igitur oues si
coitum maturent, aut rursus coeant, ostendunt multò antea, quàm soleant, qualitates hyemem
constituentes, idest, frigoris semina in aere dominari, licet occultè, vt iure dixerit Theophra-
stus, signum hoc longæ; Aratus magnæ hyemis esse argumentum. Hæc omnia ille. Addit idem
Aratus: *Si contrà tardiores sint ad coitum solito eadem oues, gaudio exultaturum virum pauperẽ,
quod ei vestibus indigenti satis temperatum anni tempus futurum præsagiant.* Ait item, *si boues,
& pecora* (μῆλα idest, oues, vt Scholiastes exponit) *declinante iam autumno, terram* (Aelianus
addit, pedibus) *foderint, & capita versus boream protenderint, magnam, & rigidam hyemem cir- Lib. 7. c. 8.*
*ca occasum pleiadum expectandam esse, eoq; maiorem, quo pecudes illæ maius foderint, secuturam
enim multam niuem frugibus, & plantis noxiam.* Tradit item agnos ad pabula festinantius per-
C gentes tempus frigidum (χειμῶνα, idest, hyemem) indicare. Sed hoc Theophrastus paulò ali-
ter, *si oues, vel boues*, inquit, *autumno terram fodiant, corporaq; gregatim ad somnum componant,
capita vicissim conuersa habentes, asperam hyemem portendunt. Ac in Ponto quidem huius rei in-
dicium esse inquiunt, cùm post Arcturi exortum, ad Aquilonem spectantes auidè, ac festinanter
depascunt.* Aratus tradit, arietes item, & agnos, cùm in via se inuicem cornibus petunt, col-
ludendo, vel saltantis similes, pedibus exiliunt, agnos quidem ceu leuiores, quaternis, arietes
verò binis tantùm anterioribus: Item cùm vesperi à pastoribus ad stabula vix reduci, & ab her-
bis depascendis, lapidibus vix abigi possunt, tempestatis imminentis nuncios existere. Siqui-
dem animalia sunt admodum pituitosa, excrementosaque, cuius rei pulmonarij eorum catar-
rhi, quos hæreditarios habent, satis superque fidem faciunt: Auctum itaque pituitosum cum
succum, quia per vaporosum aeris statum caput cum partibus thoracis (vìa oculis non ita per-
uia) grauat, saltu, corniculatione, attritu mutuo, & calorificis alijs causis, excoquere, tenuare, &
ad fluendum habilem reddere aggrediuntur: Quibus si videbitur addes, quòd cornua cum vn-
D guibus exanguia, per aerem in pluuias se apparantem, frigidiora reddita de consensu, vicinia,
& cõtinuarum partium attactu, corpus vniuersum perfrigerare possunt. Nam aliquod malum,
propter vicinum malum. Quod congregalia hæc animantia præsentiunt, quibus à natura da-
tum est modis, oportunè sibi prospicere, & se, suamque vitam tueri meditantur. Plinius pecora *Lib. 18. cap. 25.*
exultantia, & indecora lasciuia ludentia hyemis significationem habere, author est. Contrà
Aelianus, agnos, & hædos lasciuientes, & inter se saltantes, lætos asserit dies promittere. Et
Gaudentius Merula, nescio an proprio experimento doctus, refert, oues & capras à maritis suis *Lib. 2.*
initas, si denuò coitum petunt, fructus abundantiam denotare. Reperio denique oues senes, *Fructus abũdantia.*
quando tempore aliquo determinato ad coitum mouentur; pastores id signum iudicare, boni-
tatis in eis: Sin iuuenes ita mouentur, ferri signum esse pestis illo anno in ouibus. Sed Albertus *Pestis.*
ait sic; Si minores natu prius coierint, pestem anno illo futuram portendunt, si maiores natu
tardiùs ad coitum mouentur, idem præsagiunt.

AVGV-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

AVGVRIA. PRODIGIA.

Lib. 3. Saturn.

Aries inſoliti coloris quid portendat.

IN libro Hetruſcorum, teſte Macrobio, traditur, ſi aries inſolito colore fuerit indutus, portendi imperatori rerum omnium felicitatem; & Tarquinius in Epytona, oſtentarij Thuſci, inquit, purpureo, aureoue colore ouis ariesve ſi aſpergetur, principi ordinis, & generis ſumma cum felicitate largitatem auget, genus, progeniemque propagat in claritate, lætioremque efficit. Haud igitur mirum eſt, ſi Phryxus, & Helle ab aureo ariete ſeruati feruntur, & qui agnum aurea clarum coma poſſideret, Argis eum imperaturum, reſponſum fuerit: Auream enim agnam Atreo puero natam & Pauſanias, & Plato, meminerunt, quæ principium diſcordiarum illi, ac Thyeſti fuit, fratre ſcilicet inuidia fraternæ felicitatis exulcerato. Quò ſpectant illa à Cicerone recitata ex antiqua Tragædia Atreo:

3. de natur. Deor.

Addo huc quod mihi portentum Cœleſtum pater,
Prodigium miſit, regni ſtabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma,
Quondam Thyeſtem clepere auſum eſſe è regia
Qua in re adiutricem coniugem cepit ſibi.

In Thyeſte.

Spectant eodem hæc Senecæ:

Eſt Pelopis altis nobile in ſtabulis pecus
Arcanus aries, ductor opulenti gregis
Huius per omne corpus effuſo coma
Dependet auro: cuius è tergo, noui
Aurata reges ſceptra Tantalici gerunt:
Poſſeſſor huius regnat, hunc tantæ domus
Fortuna ſequitur: tuta ſepoſita ſacer
In parte carpit prata, quæ cludit lapis
Fatale ſacro paſcuum muro tegens.

In Bœotic.

Sceptrum fuiſſe haſtã.

Lib. 43.

Quod autem Seneca ait, huius arietis aurea lana ſolitos Pelopidas ſceptrum ornare, de eodem Pauſanias ſcriptum reliquit, Deorum omnium maximè conſueuiſſe Cheronenſes illud ſceptrum colere, quod Ioui fabricaſſe Vulcanum Homerus cecinit, à Ioue acceptum Mercurium dedisse Pelopi, Pelopem Atreo reliquiſſe, Atreum Thyeſti, à Thyeſte per manus traditum tenuiſſe Agamemnonem, & hoc illos præcipuè ſceptrum veneratos, & haſtam nominaſſe. Plura deinde de huius ſceptri cultu, & ſacris ſubiungit. Vnde manifeſtum fit, hoc ſceptrum, haſtæ ſimile fuiſſe, nec mentitum Iuſtinum, cùm tradidit adhuc Romulo regnante, reges haſtas pro diademate habuiſſe, eaſque Græcos ſceptra nominaſſe. Quod intelligendum puto de haſtis breuioribus, qualia ſunt pila Romanorum, vel venabula Theſſalorum, ferro tamen minus lato, non de oblongis illis Macedonum ſariſſis, quibus hodie pedites vtuntur. Sed reuertor ad auguria. Felicia talia portendere purpureum illum pecoris colorem ex euentis comprobatum legimus, tunc præcipuè cum agnus natus eſſet, vellere in fronte iſtiuſmodi coloris. In villa Antonini cuiuſdam plebei viri, inquit Pierius Valerianus, eo die, atque hora, qua Geta, Antoninus inde nuncupatus Mediolani natus eſt. Verùm is, in cuius ędibus agnus editus fuerat, cum imperium Antonino ex hoc portendi audiſſet ab aruſpice, de ſe dictum putans, ne fatum propalaretur, agnum ſtatim occidit. Quod omen fuit, Getam, qui & Antoninus vocabatur, vt ſubſecutum eſt, ab Antonino fratre necandum eſſe, quod apud Aelium Spartianum, & alios habetur. Eadem oues Diadumeno naſcenti imperium portendere cùm in agris patris oues purpureæ duodecim natæ eſſent, quarum vna tantùm varia fuerat. Sed forſan eiuſmodi omina non ipſis animantibus, ſed colori purpureo adſcribenda fuerint, quandoquidem Aelius Lampridius, oui palumbini purpurei, Vopiſcus vituli, & roſarum; Tacitus vini, & vitis albę ſubitò purpuraſcentium; Iulius Capitolinus in Maximo Iuniore, vitis, & loricæ meminerũt; & huius quidem verba adſcribam, ſed emendata: *Poſita ab eo vitis intra annum ingentes vuas purpureas attulit. Item lorica patris eius non, vt ſolet, ferrugine, ſed tota purpureo colore infecta à plurimis viſa ſit. Cum Grammatico daretur quondam, parens ſua libros Homericos omnes purpureos dedit, literis aureis ſcriptos.* Referri tamen ad ipſam etiam pecudem, ſi purpureo aureove colore naſcetur, tum ex antè dictis, tum ex his etiam Martialis de Domitiani filio verſibus innoteſcit:

Getæ augurium.

Coloris purpurei ſignificatio.

In vita Seueri.

In Aureliano.

Lib. 6. epigram. 3.

Naſcere Dardanio promiſſum nomine Iulo

Vera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Vera Deum soboles, nascere magne puer:
Cui pater æternas post secula tradat habenas,
Quique regas orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niueo trahet aurea pollice fila
Et totam Phryxi Iulia nebit ouem.

Hucque pertinere videtur hoc Virgilij:

Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera succo.

Præterea Cælius Rhodiginus: Legimus, inquit, arietis caput monocerotis, ideſt cornu vnius, *Lib. 30. c. 1.*
Pericli ex agris esse allatum, quod intuitus Lampon vates, robustum, & solidum in frontis *Aries vnicornis quid protenderit.*
meditullio situm, respondit, ex duabus, quæ in vrbe vigerent, factionibus, Thucididis, ac Pe-
riclis, fore vt altera obscurata ad vnum Periclem, apud quem visum foret portentum, recide-
ret ciuitatis potentia. Erat & ouis prægnans felicitatis prodigium: Siquidem Nestor apud *Ouis prægnans.*
Homerum, exploratori adituro Troianorum castra, promittit à singulis optimatibus Græcis
B singula dona danda, nempe ouem nigram, & grauidam; Ibi Scholia, nigram inquiunt, quia *Iliad. K.*
nocte ibat; grauidam verò per symbolum boni ominis, vt fructuosum ei iter foret. M. Anto- *Ouis lupum occidens.*
nius Baucius in epistola ad Petrum Toletum ex professo medicum de oue lupum occidente
istiusmodi lætum recitat siue augurium siue ostentum: Nonne hoc monstrum est, inquit, hor-
rendum, & nulla prorsus fide dignum? Cui spectaculo nisi ego ipse interfuissem, mentiri quos-
cumque referentes dicerem. Reducebat oues pastas in caulam opilio, & fortè accidit, vt pecus,
quædam macilentissima, ac penè scabie confecta longo interuallo (pastor inconsultòne, an da-
ta opera eam à reliquis segregasset, mihi incertum) reliquas sequeretur, eam lupus prægran-
dis, & cui cilia iam canescebant, conspicatus, velocissimè insequi cępit. Ego illac transiens, oui-
culam miseratus, quam maximè poteram clamore, & cursu, lupi vim ab innoxia arcere cona-
bar. Sed antequam appropinquarem pecudi (Dij boni quale prodigium) ouis ipsa macie ma-
cilentior hostili & rabido animo lupum aggressa, eum strangulauit. Quid ominis hæc porten-
dant, ignoro. Tu velim opinionem tuam ad me rescribas. Oedipum enim te mihi iam pridem
constitui. Respondet Petrus Toletus in hæc verba: Occisus est lupus iam canus & senex ab oue
C neglecta & scabie infecta. Occidetur certè, occidetur lupus, & humani generis pro dolor
iam diù in ouem Christi, & terra, & mari grassans, nihil nisi ferociam, iram, & persecutionem
dans. Quare deprehendetur, pænasque celeriter dabit miser ille, quisquis est, cuius ego nomi-
ni parco: Nam bestia est multorum capitum, moreque soricis peribit, qui dum rositat, seipsum
prodit, etsi plagis ouis onerata sit, victura tamen est illum, qui delictum haud multum feret,
malèque illum mulctabit per Christum, qui omnis vitę perfectissimum exemplar est. Cæte-
rùm vt non infelix omen est, si ouis lupum occiderit, ita etiam, felix est si lupus ouem rapuerit, *Ouis à lupo occisa.*
sicuti clarum est ex oraculo Eurystheni, & Procleæ dato, illic videlicet eis ducendas esse vxo- *Lib. 12. cap. 31.*
res, vbi efferatissimum animal ferens mitissimum eis occurrisset, refertur id ab Aeliano his ver-
bis: Animalium vim & naturam ne Dij quidem à sua cognitione, scientiaque aspernantur. Si-
quidem Eurysthenem, & Procleam (*Aristomachi filios, cui pater fuit Cleadas, Hyllus auus,*
proauus Hercules) audio cùm in matrimonium fæminas ducere constitutum haberent, profe-
ctos ad Delphicum oraculum, Deum consuluisse, quo cum Gręcorum Barbarorumque affini-
tate deuincti pulchrè, & prudenter nuptijs alligati viderentur: ijs Deum respondisse, quà ve-
D nissent, in Lacedæmoniam reuerterentur. Vbicunque porrò terrarum summè ferum animal
ferens mitissimum eis occurreret, inde ducendas esse vxores. Sic enim feliciter ipsis, & prosperè
processurum esse. Cui oraculo obtemperantes, cùm in Cleonæorum regionem venissent, ipsis
occurrit lupus, agnum quem ex aliquo grege diripuerat, portans: Ex eo illi conieccrunt Apol-
linem de ijs animalibus oraculo significationem dedisse: Proinde ipsos Thesandri (filij Cleo-
nymi) probi viri filias vxores duxisse. Sic ille. Iasoni quoque lætum obuenit augurium naufra- *Aquila agnũ rapiens.*
gio periclitanti, cùm aquila agnum cæpisset, vt refert Valerius Flaccus his versibus: *1. Argonau.*

Talia cantanti læuum Iouis armiger æthra
Ad•enit, & validis fixam erigit vnguibus agnam,
At procul è stabulis trepidi clamore sequuntur
Pastores, fremitusque canum, citus occupat auras
Raptor, & Agæi supereffugit alta profundi.
Accipit augurium Aesonides, lætusque superbi
Tecta petit Peliæ.

Fuere item oues, quæ dira, atque infausta portenderunt, sicuti Clito, quem sacrificia peragen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Auguria infelicia In Alexandro. tem,vt refert Plutarchus, cum à rege vocaretur,& omiſsis ijs,regem adiret. Tres oues ex im-
molandis hoſtijs conſequebantur. Id enim prodigium conſpicatus Alexander, cùm accitis
ariolis Ariſtandro, & Cleomanti Spartano aperuiſſet, diraque portendi audiſſet, ilicet pro
Clito ſacrificium inſtaurari iuſſit. Subijcit autem hiſtoriam Cliti ab Alexandro occiſi, cum
ſtatim poſt ſacrificium non perlitatum, vino largius hauſto, multa in Alexandrum, nimis li-
In Bœotic. center, dixiſſet. Pauſanias etiam, Cleombroti Lacedæmoniorum regi in Leuctris Bæotijs di-
rum prodigium eueniſſe ſcribit, quod tale eſt: Mos fuit regibus Spartanis ad bellum profici-
ſcentibus, ouium greges in extremo agmine habere, quo & ad ſacra, & antequam ſigna con-
ferrent, ad litandum hoſtiæ in promptu eſſent. Earum pecudum duces itineris erant capræ,
Catœadas(κατοιάδας) nominant paſtores, tunc quidẽ gregẽ inuadentes lupi, ouibus ſanè nul-
lã noxam intulerunt, ſolas ferè catæadas necarunt. Dicuntur etiã Lacedæmonij filiarum Sce-
daſi diras clade illa luiſſe. Idem Pauſanias inter prodigia, quæ Meſſenijs acciderunt, hoc etiam
recenſet: Cùm Ariſtodemus Ioui Itoniatæ immolaturus hoſtias adduxiſſet, arietes ſponte in- B
Bos agnum pariens. cuſſis in aras cornibus, moribundi cecidere. Inter prodigia, quæ cladem Hieroſolymæ præceſ-
ſerunt, feſto azymorum die, quo populus cõuenerat, vacca cùm ad hoſtiam duceretur, agnum
Lib. 3. hiſt. eccleſ. c. 8. in medio fano peperit, vt teſtatur Euſebius, & Ioſephus. In Coo inſula rarum dictu, inquit Cę-
lius, apud veterem authorem fidei integræ, & grauitatis non dilutæ, legimus monſtrifica, &
Lib. de bello Iud. c. 12. ideo mira præcipuè, vt vix non ficta videatur, & de ingeniorum Gręciæ afflatu producta ratio-
ne: De grege ouiarico Nicippi, ouem non ritu naturæ agnum, ſed leonem peperiſſe. Prodi-
Lib. 13. c. 14. giale id(vt erat) viſum multis, ſiquidem Nicippo tyrannidem portendit, quam mox is eſt cõ-
Ouis leonem pariens. ſecutus, cum edito monſtro priuatum adhuc ageret. Ego hoc apud Aelianum tantùm reperio.
Referente eodem Cælio memoriæ proditur ſub Bocchoro, qui Aegyptijs iura conſtituit, & Al-
Lib. 1. var. hiſt. c. 29. ex eorum dynaſtis vnus fuit, agnum fuiſſe locutum, ijs autem temporibus, quibus apud Al-
bam Romulus & Remus editi ſunt: Euſebius verò tradit, nec non & Fulgoſus, non ſimplici-
Lib. 16. c. 3. ter fuiſſe locutum agnum, ſed apertis verbis in Aegypto Bocchorum regem futurum opti-
Agnum fuiſſe locutum. mum. Sed & Aelianus hoc rurſus aliter narrat, fidemque adimit, inquiens. Aegyptij ferunt
in volumine de prodig. (quod mihi quidem non perſuaſerint) quo tempore decãtatus ille Bocchoris regnauit, agnum C
pedibus octonis, & cauda gemina eſſe natum, ac eundem fuiſſe bicipitem, & quadricornem, &
Lib. 13. c. 3. humano ſermone locutum, veniam merentur poetæ, vt Homerus, qui Xantho equo ſermo-
Agni monſtrifici. nem attribuit, & imitatus eum hac in re Aleman, cùm id poſt tantum authorem (qui pri-
mus id fingere fuit auſus) Homerum fecerit, non eſt accuſandus. Aegyptijs verò talia ia-
4. de gener. animal. 3. ctantibus quis credat? Volui tamen hæc de agno, licet fabuloſa, non præterire. Ariſtoteles
agens de cauſis, ob quas nati vel parentibus, vel alijs ſint aut ſimiles, aut diſſimiles, & ob
Puer capite anſerino. quas item monſtra quandoque fiant, tradit puerum dici aliquando fuiſſe natum, capite arie-
tis, aut bouis, vitulumque capite pueri, & ouem capite bouis. Quæ omnia, inquit, acci-
dunt quidem cauſis ſupradictis: Sed nihil ex ijs, quæ nominant, eſt, quamuis ſimilitudo
quædam generatur. Quod euenit etiam non in monſtrum peruerſis. Quamobrem ſæpenu-
mero per conuitium nonnulli deformes aſſimilantur, aut capræ ignem efflanti, aut arieti pe-
tulco. Franciſcus Valeriola teſtatur ſe vidiſſe Aralatę anno M. D. LIIII. agnum vno
capite, & ceruice, reliqua bicorporeum totum, quatuor vtrimque cruribus, duplici ven- D
tre. Anno centeſimo nonageſimo ſeptimo, ante natum Chriſtum, agnus natus fuit Fruſino-
ne cum ſuillo capite, aliorumque animalium obſcęni fœtus pluribus locis nunciati, quo nimi-
rum tempore bellum Macedonicum cum Philippo ortum; Galli, Inſubres, Cenomani, &
Boij, duce Amilcare Pæno irruptione in agros proximos fecerunt. Et anno centeſimo nona-
geſimo quinto, Sueſſæ agnus natus eſt cum duobus capitibus. Item alius Aſculi, anno inſe-
quenti cum quinque pedibus. Flaminius feliciter contra Philippum Macedonię regem pu-
gnauit, & Minutius Genuam exercitu abducto multa oppida in deditionem accepit. Agni
illius icon hic ex Lycoſthene apponitur. Anno item centeſimo ſecundo, ante ſalutiferum
partum, inter alia prodigia in Lucanis duo agni nati ſunt equinis pedibus, quorum alter ca-
pite erat quodammodo ſimię, eorum figura hic ex eodem Lycoſthene adijcitur. Eo anno in
Macedonia Thraces ſubacti ſunt. Halberſtadij 18. Februarij anni M. D. L V. accidit, vt
idem Lycoſthenes ex Iobo Vincelio ſcribit, vt agnus naſceretur prorſus rotundo capite, tribus
oculis, trigemino ore, gemino naſo, auribus in tergo pendulis inſtar caninarum, ſed quod ma-
ximi prodigij loco habendum eſt, in tertio ore magnum oculum habuit, maiorem alijs, ibique
linguam prolixam proſeruit, vt imago oſtẽdit, vixit vnum diem continuo clamore. Anno Do-
mini M. D. LXXVII. in pago Blandio tribus à Meloduno milliarib. natus eſt agnus tricepſ.
Medium caput reliquis craſſius erat, balante vno reliqua pariter balabãt capita. Id monſtrum
ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A sibi visum affirmauit Ioannes Bellangerius chirurgus Melodunensis, sculpendumq; curauit: Paræus postmodum publicauit. Alter, cuius figura hic etiam exprimitur, totus niger, dorso duplici simul coniuncto, binis caudis, auribus tribus, pedibus octo, quorum tamen duo ex principio dorsi enascebantur, natus in agro patauino, & à D. Francisco Riccio Patauino mihi publicandus donatus. Gesnerus asserit sese intellexisse monstrum fuisse in Aula regis Galliarum anno 1549. ex Italia missum, quod anteriore parte asini, posteriori ouis speciem haberet. *Lib. 17. c. 1.* Hoc denique commemorabile ex Olao Magno recitat Simon Maiolus Episcopus Vulturariensis videlicet veruecem compertum octo cornuum. Commemorabile autem id esse putat, quoniam Albertus Magnus, quod quatuor cornua aries habuisset, pro admiranda re tenuerit, qui tamen etiam alia duo in cruribus eundem habuisse tradit, referente eodem; Sed & in Italia quadricornes frequentissimi sunt arietes. *Lib. 18. animal. tract. 1. c. 6.*

B

S O M N I A.

LEGIMVS Daunijs, & Calabris in more fuisse, pellibus incubare, quas melotas, idest, ouillas dicunt, in Podalirij sepulchro, sicque per quietem, oraculis instrui solere, qui Amphiarao sacrificabant, sacris peractis, arietis pellem substrauisse, atque ita dormijsse captantes somnia, author est Pausanias. Ad quod allusisse volunt Virgilium ita de Latino canentem: *In pelle arietis cur dormirent.* *Aeneid. 7.*

Pellibus incubuit, stratis, somnosque petiuit.

Meminit huius rei Lycophron in Cassandra his verbis ex interpretatione Iosephi Scaligeri:

Calchantis atqui busta propter Itala
Fratrum duum mendacis alter cespitis,
Tumulum sepultis excitabit ossibus:
Bustumque ouillo vellere incubantibus
C *Veram in quiete dictionem proferet:*
Salutiferque Daunijs vocabitur
Cùm fluminis gens lota Iuturnis aquis,
Gnatum inuocabunt opitulum Aesculapij
Gregi benignum, ciuibusque accedere.

Cæterùm videamus, quid hæ pecudes in somno visę significent. Actius antiquus poeta in Bruto, ponit in somnis ouilem fætum in Tarquinium citatum, tantoque impetu arietantem, vt regiam solo prosternat; Quod Brutum denotabat, quem Tarquinius hebetem æquè ac pecus esse putabat, nomine etiam ex re, quæ simulabatur, indito, cum tamen is pectus egregiè sapientia munitum gereret. Verba Accij sunt: *Oues in somno visæ quid portendant.*

Cùm iam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, sopore placans artus languidos,
Visum est in somnis pastorem ad me appellere,
Duos consanguineos arietes inde eligi,
D *Pecus lanigerum eximia pulchritudine*
Præclarioremque alterum inuolare me:
Deinde eius germanum cornibus connitier
In me arietare, eoque ictu me ad casum dari:
Exin prostratum terra grauiter saucium
Resupinum, in cælo contueri maximum
Ac mirificum facinus, dextrorsum
Radiatum Solis liquier cursu nouo.

Cicero somnium explicans, addit: *Lib. 1. de diuinat.*

Rex, quæ in vita vsurpant homines, cogitant, curant, vident
Quæque agunt vigilantes, agitantque, ea si cui in somno accidunt,
Minus mirum est: sed in re tanta, haud temerè visa offerunt.
Proin vide ne, quem tu esse hebetem deputes ęquè ac pecus,
Is sapientia munitum pectus egregium gerat,
Teque regno expellat. Nam id quod de Sole, ostentum est tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore.
Per propinqua hæc benè verruncent populo, nam quod ad dexteram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Cæpit curſum ab læua, ſignum præpotens, pulcherrimè
Auguratum eſt, rem Romanam publicam ſummam fore.

Lib. de ſomnijs.
Iacobi ſomnium de ouibus varijs explicatum.
Sermones perfecti.

Philo Iudæus ſomnium Iacobi de coitu, & generatione ouium variarum, quod legitur Geneſeos 31. his verbis: *Poſtquam enim conceptus ouium tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi in ſomnis aſcendentes mares, ſuper fœminas, varios & maculoſos, & diuerſorum colorum. Dixitque angelus Dei in ſomnis ad me, Iacob, & ego reſpondi, adſum; qui ait, leua oculos tuos, & vide vniuerſos maſculos ſuper fœminas aſcendentes, varios, maculoſos, atque reſperſos* &c. ſic myſticè explicat: Hircus caprarum gregis dux eſt; aries autem ouium. Hæc animalia duos ſermones perfectos ſignificant, quorum alter purificat animam, & facit peccatis vacuam; alter eam nutrit, & replet bonis operibus. Tales ſunt in nobis duces gregum ſermones Greges autem, vt oues, capræque, quarum gerunt nomina, currentes, properanteſque ad iuſtitiam. Tunc igitur leuatis mentis oculis, quos priùs clauſerat, vidit ſimiles hircis, arietibuſque perfectos ſermones paratos ad minuendas iniquitates, & augenda officia. At quomodo? Dum ſuper oues, capraſq; videlicet iuuenes adhuc teneraſq; animas, pubentes, & vigente ætate ſaliunt, non propter brutam voluptatem, ſed propter inuiſibilem genituram ſapientium dogmatum. Fæcundum enim hoc eſt connubium, non amplexus concilians corporum, ſed benè natas animas iungens perfectis virtutibus, &c.

HIEROGLYPHICA, ICONES.
Simulachra.

QVÆ ſit huius pecudis cùm lupo diſcordia, innataq; inimicitia, abundè eſt dictum. Inde Aegyptij diſcordiam & mores maximè diſſimiles, ſignificare cùm volebant, lupum & agnum aut ouem pingebant. Diximus etiam elephantis exoſum eſſe arietem, & Calcagninus, vtriuſque animantis imagine regem indicari tradit, qui moriones auerſatur. Ante alia autem tam ouis quàm agnus hieroglyphicum eſt innocentię; & qui hominem imbellem, purum, ſimplicem, ac egregiè manſuetum, eundemq; immaculatum, ac pectore candidiſſimo præditum hieroglyphicè ſignificare volunt, agnum ſimiliter pingere conſueuerunt; Id enim manſuetiſſimum eius ingenium expoſcere videtur. Nam & ipſo vocabulo ἄγνος, puritatem caſtitatemque ſignificat, vt ſuo loco dictum eſt. Sunt qui porrò riualitatem hieroglyphicè expreſſuri, duos pingunt arietes cornibus ſe inuicem laceſſentes: quandoquidem in eiuſmodi certationē amoris cauſa ferri eos prohibent: quippe qui offenſionem intelligant ſibi fieri, ſi quas amant oues, ab alijs ſaliri conſpexerint: quod hirci, vt vulgò fertur, plurimùm negligentes, ſuſque deque ferre ſolent. In huiuſmodi autem Venerei affectus hieroglyphicum, aries eſt multis veterum monumentis impoſitus. Nam qui ante Corynthi vrbem intra priores pedes Leænæ, quæ Laidis tumulo impoſita erat, viſebatur, libidinem nimirū eius meretricis indicabat. Meminit huius tumuli Pauſanias, cuius verba hæc ſunt: Ante vrbem (Corynthum) cupreſſorum nemus viret, quod Cranion vocant, in quo eſt Bellerophontis lucus, & Veneris Melanidis templum, ac Laidis monumentum, quod inſculpta Læena, quæ prioribus pedibus arietem complectitur: Alterum in Theſſalia eſt, quod Laidis exiſtimant. In Theſſaliam enim acceſſit Hippoſtratis amore capta, &c. In agro Argiuo, teſte eodem Pauſania Thyeſtis ſepulchro appoſitus ſpectatur lapideus aries. Thyeſtes autem, vt ſubiungit, inceſto cum fratris vxore commiſſo, agnam auream habuit. Fortè & hic aries laſciuiæ typus eſt: Nec aliam, credo, ob cauſam Dædalus, vt legitur apud Diodorum, Veneri Eryci aureum poſuit arietem, ea ingenij arte ſculptum, vt viuus exiſtimaretur. Verùm & in arce Palladis aries erat repoſitus æneus, idemque ſacratus, quem propter magnitudinem Plato Comicus ἀσελγόκερον cognominat, non tam ob laſciuiam, quem ob ingentem molem: Conferturenim cū equo Durateo: Veteres enim non ſolùm ἀσελγὲς dixiſſe tradit Heſychius, quod eſſet laſciuum & indomitum, verùm etiam quod eſſet prægrande; ſic Eupolis ἄνεμον ἀσελγῆ dixit. Sed præſtiterit, inquit idem Heſychius ἀσελγόκερον interpretari τὸ κρείττονα (fortè κυρίττοντα) καὶ οἱονεὶ ἐξυβρίζοντα τοῖς κέρασιν, ideſt petulcum & cornibus petentem. Cęterùm quod ad arietis libidinem attinet, per eum ita in nequitiam concitatum, Pierius, hominem, qui vetulorum concubitum affectaretur, nonnullos ait, notandum cenſuiſſe, quòd is primum veterum minimè ſtiores fœminas, vt ſuo loco dictum eſt, inire conſueuerit, quarum facta copia, nouellas bragmatis perſequatur. Iam verò Iulius Iacobinus in ſua de priſca Cæſiorum gente, appendice,

Riualitas.
Laidis ſepulchrum.
In Corynthijs.
Thyeſtis.
Lib. 5. c. 13.
Aries aureus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tis illis contortis cornibus (arictina esse iudicat) quibus in ipsius Cæsij Cordi monumento
myrtea, vt opinatur, serta distinguuntur, sacra manibus peracta, aut ibi peragi solita ostendi
autumat. Non raró enim (inquit) in sepulchrorum lapidibus, inferorumq;, vt superiorum deo-
rum aris conspicamur, vel instrumenta ipsis sacrificiorum mysterijs apta, vel res ipsas, quibus
sacrificantes operari consueuerant, vel ipsas hostiarum reliquias, quibus manes ipsi placaban-
tur. Neque hoc loco piget referre, quod scriptum quoque de arietinis capitibus lego. Cùm ve-
terum mos esset in mortuorum conditorijs benè, vita functis ominari, eos dijs manibus com-
mendabant: Et columnas, quæ sepulchris erigebantur, inscriptionis loco arietinis capitibus,
hinc inde adsculptis exornabant, Corymborum intercapedine interpendentium, qui foliorũ,
& fructuum varietate lasciuirent: Factum id putant, quòd scilicet salutis Deum Hammonem
Aegyptij, vt Iouem Latini habuerunt, ac proin Saloninæ nummo arietis simulachrum inscul-
ptum fuisse, non indocti homines putarunt: Verùm non huiusmodi semiusta atque excarnifi- *Arietis ca-*
cata arietina caluaria comprehendi illorum opinione, qui isthæc existimant, sed integra, sed *pita cur in*
viuorum arietum capitibus adsimilia intelligi crediderim: Vt in non paucis monumentis, & *sepulchris.*
B Romæ, & alibi obseruo. Quin etiam ita mos ipse arietinis capitibus (quibus fortè Hammonem
significare volebant) sepulchra exornandi inualuit, vt sæpissimè humana capita, cornibus adhi-
bitis, in cippis ipsis, arisque sepulchralibus insculpta spectantibus appareant. Atque ne longius
exempla petantur, ex Cæsij nepotis monumento, quod adpictum ad caput quartum libri secũ-
di apud Fonteium, quisque potest facillimè conijcere: Vbi Hammonis reciprocicorni, vt La-
berij vtar verbis, vel vt apud Afros vocatur, κριοπρόσωπος, hoc est, arietino vultu, quem saluta- *Deus salu-*
rem deum antiquitas opinabatur, capitis simulachra duo conspiciuntur. Id quoque videre est, *ris.*
in multis alijs lapidibus, nummisque, quos minimè adscribo. Hæc Iacobinus. Atqui Mercurius
κριοφόρος apud Tanagræos, vt Pausanias tradit, appellabatur, & vt Gyraldus addit, hoc nomi- *Mercurius*
ne colebatur, cognominisque ratio est ista. Simulachrum eius erat arietem in humeris ferens, *Criophorus.*
quod Calamis antiquus artifex effecerat; tradũt enim, quod circa vrbis muros Mercurius arie-
tem gestans, Tanagræos pestilentia liberauit: eamq; gestandi arietis consuetudinem, postmo-
dum in eius celebritate seruatam esse: Nam formosissimus iuuenis, vt idem Pausanias author
est, circum vrbis mænia agnum humeris ferebat. Hammonem verò propter Iouem arietem *Iuppiter*
C cælestem nomen accepisse volunt, ideoque & in eius simulachro, arietis cornua fingi: Alij verò *Hammõ vn-*
etiam ideo sic pingi arbitrantur, quod responsa illius incerta, & obscurissima fuisse perhibean- *de dictus.*
tur, plerique verò propterea quod Libero patri cum toto exercitu in illius regionis deserto si-
tienti, & oranti, vt Iupiter opem ferret, Deus arietis specie aquas ostenderit. Idem Iacobinus,
arietes posteriori parte in serpentes degenerantes, depictos esse tradit in sepulchro Cæsiæ Da-
phnæ Dianę Iuuentianæ de prisca Cęsiorum gente, eosdemq; addita icone lectori ob oculos
ponit. Tradit idem Pausanias Corinthi in via, quæ recta ad Legæum nauale deducit, æ-
neum Mercurium sedentem spectari, cui aries astat, quoniam præter reliquos deos Mercurius
maximè videtur curare, & augere greges; ideoque & Homerum in Iliade cecinisse credit:

Υἱὸν φόρβαντος πολυμήλου, τὸν ῥα μάλιστα
Ἑρμείας Τρώων ἐφίλει, καὶ κτῆσιν ὄπασσε. idest, vt vertit Romulus Amasæus;
Hic tibi natus erat pecoris ditissime Phorba
Quem sibi præ cunctis charum Celenia proles
Ditarat Teucris.

D Sed enim cum item Mercurio facundiæ Deo præsidi aries, inquit Pierius, apponatur, maxi-
mumque humanæ vitæ sit præsidium oratio, vt Comici Gręci dicterium est, minimè mirum
si Isocratis rhetoris sepulchro aries triginta cubitorum adsculptus fuit, in quo Siren cubito-
rum septem insideret: Nam ea quoque orationis suauitatem indicabat. Et ferunt astrolo-
gi Mercurium in ariete collocatum, orationis promptitudinem, & ex tempore dicendi facul-
tatem dare; hęc Pierius. Fuisse autem Isocratis sepulchro insculptum talem arietem cum Sire- *Mandrabu-*
ne, legere est apud Plutarchum in vitis decem rhetorum. Mandrabulus quidam cùm inuenis- *li ouis au-*
set thesaurum, primùm auream ouem posuit Iunoni Samię, proximo anno argenteam, tertio *rea.*
gream, postremò nullam, vt scribit Ephorus, quę res tandem in prouerbium cessit, vt annotauit
Suidas, ἐπὶ μανδραβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα: idest, res Mãdrabuli ordine succedit: hoc est, indies
in peius labitur. Vtitur prouerbio Lucianus, & Alciphron in epistola quadam. In Bacchi sepul-
chro ex porphyrio marmore, aries villosus sculptus conspicitur, vt refert Fabricius, vnà cum *Simulachra*
pueris vuas colligentibus, ibidemque in ędibus Ascanij Celsi, non procul à splendidissimo Cę- *aliquot arie*
sarianorum palatio, obseruaui eiusdem Liberi patris caput cum toto pectore, quod arietina *tina Romæ.*
pelle contegebatur, nec non in ędibus Francisci Liscę Panis & Fauni, statuam sine capite, cui
& si-

& ſine capite aries aſtat. Vidi item apud Iulium Porcium agricolę ſtatuam, qui ouem tonde-
bat. Aliam item ſtatuam apud Carolum Fanenſem, humanam, arieti inſidentem, tergoq; eius
veſtimenta ferentem, puto Phryxum eſſe, iram patris cum Hellę ſorore fugientem, cuius ni-
mirum imago Athenis in arce, vt refert Pauſanias, cernebatur, qui immolans arietem, quo ve-
In Atticis. ctus erat, ſiue alteri cuidam deorum, ſiue, vt conijcimus, inquit, Laphyſtio apud Orchomenios
dicto, femora pro more Græcorum exciſa vri ſpectat. Lego autem apud Plinium Naucidem
ſtatuarium Mercurio, & Diſcobolo arietem immolante cenſeri. In ea tabula itidem, in qua
Ocnus apud Phocenſes depictus videbatur, etiam conſpiciebantur ſocij Vlyſſis Perimedes, &
Eurylochus hoſtias offerentes, nigros ſcilicet arietes. Videntur item Romæ in templo Agne-
tis in candelabris antiquis arietum capita ſculpta, & ipſi etiam Virgini ſanctiſſimæ agnus ap-
pingi ſolet. Mediolani verò in eccleſia D. Ambroſij, referente Paulo Morigia in hiſtoria Me-
diolani, agnus in marmore ſculptus, magna cum veneratione oſtenditur. Fiunt item quotan-
Agni cerei nis in paraſceue paſchali Romę, à ſummo Pontifice agni cerei, quos venerationis ergo ex collo
cur fiant, & vnde. ſuſpendimus: Quid autem denotēt, quomodo, & quare de cera fiant, in hæc verba docet Gui-
lhelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus: In primis hac die Acolythi eccleſiæ Romanæ fa-
Lib. 7. c. 79. ciunt agnos de cera noua benedicta, vel de cerea Cerei paſchalis anni præcedentis, admiſto
chriſmate, qui in Sabatho in albis in eccleſia per Dominum Papam populo diſtribuuntur.
Agni iſti ſignificant agnum iſtum immaculatum, qui tollit peccata mūdi. Cera ſignificat eius
humanitatem, ſicut B. Gregorius dicit; mel in cera, diuinitatē in humanitate. Apis quidē, quæ
operatur ceram cum melle, nulla reſoluitur libidine: & Beata Virgo eum, qui eſt Deus, & ho-
Miſericordiæ typus. mo, concepit ſine virili ſemine. In cera admiſcetur oleum ſeu chriſma, quia Dominus noſter
eſt plenus miſericordia, quæ per oleum deſignatur. In octaua diſtribuuntur, quia in octaua re-
ſurrectionis dominus ſuis præmia diſtribuit. Rurſus agnus in agno cereo præfiguratus, & in
paſcha immolatus ad memoriam reducitur: Cui B. Gregorius oleum infundi inſtituit, quando
paſchalis agni myſteria reſerauit. Hi etiam cerei agni figurant agnos nouellos, de quibus
cantat eccleſia in Sabatho in albis, & ideo quandoque in illo ſabatho fiunt, quod etiam vſus
apoſtolicus docet, quoniam in dominica tunc ſequenti, domino Papa menſam intrante, &
agnos cereos capellanis, & familiaribus ſuis diſtribuere volente, vnus acolythus ſolemniter
portans, & præſentans ſibi agnos ipſos, dicit ter alta voce: *Domine D. D. Iſti ſunt agni nouel-
li, qui annunciauerunt alleluia, modò venerunt ad fontes,* &c. Hi agni à fulgure, & tempeſtate
fideles, & credentes defendunt, propter virtutem conſecrationis, & benedictionis. Sanè ſecun-
dum quarundam eccleſiarum conſuetudinem, cereus diſtribuitur in octauo paſchæ populo ad
ſuffumigandas domos, quod in vltima reſurrectione Chriſtus fidelibus in præmio tribuetur.
Ad quod expreſſiùs ſignificandum Romana Eccleſia agnos facit ſupraſcriptos. Hucuſque Du-
randus. Stephanus Vinandus Pichius in ſuo Hercule Prodicio, ſeu principis iuuentutis vita, ac
peregrinatione, de ſexto principis iuuentutis clypeo, eiuſdemque ſignificatione his verbis diſ-
Clypeus ſextus principis iuuentutis. ſerit: Reſtat ſextus clypeus ouata item forma, non tamen ad argumentum pompæ iam deſcri-
ptæ pertinens, ſed ſolummodò principi in vſum gladiatorij ludi, vel duelli pedeſtris ordinatus:
cuius vmbo tegitur cordibus humanis ſummo ordine, & congruentia, ſepis in modum contex-
tis: quorum ſingula eijciant flammulas aureas ſcintillantes; circumſcribantur hæc elogia:

Hic. Murus. Aheneus. Eſto.

BeniuolenZa. Buoniſſima. Guardia.

Beneuolentiæ vis, & typus. Non poteſt eſſe tutius ſcutum, non magis fida in terris cuſtodia, nec fortius propugnaculum
ad principem defendendum, quàm amor, beneuolētia ciuium, prouincialiumq; ſuorum: quo-
rum corda ſi demereri, ac obligare ſibi, ſuæque reipub. poterit, atque phalangis, ſiue teſtudinis
militaris in modum connectere, & in pace vnita conſeruare, ſemet reperiet ſecuriſſimum, pro-
uinciaſque ſuas feliciſſimas, ideoq; clypei limbum adornabimus pulchra corona variæ fecun-
ditatis florum, ac fructuum extenſa, & ſuſpenſa ex cornibus aureis arietum. Per arietem enim
antiqui intelligebant ipſam ſæpiſſimè benignitatem principis, cum appelletur dux gregis, &
ſuos ipſe nunquam deſerat, ſed ducatum ſemper exeuntibus in paſcua à caulis, rurſuſque re-
deuntibus ad caulas præbeat.

NV-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

NVMISMATA.

IN vetustissimis nummis, vt scribit Plutarchus in Publicola, bouis, aut pecudis, aut suis, signum incisum apparet. Plinius autem Seruium regem scribit, ouium boumque effigie æs signauisse; primò, hoc autem ęs, quod pecore erat notatum antiquissimum fuisse Varro testatur; vnde etiam sunt, qui inde pecuniam dictã esse arbitrantur. Istiusmodi nummum depingit Fuluius Vrsinus de Rustia Familia agens, nummus ab vno latere caput ostendit galeatum, & cristatum, ab altero arietem cum literis L. RVSTI. fuit is sub Augusto Triumvir, cudendæque monetæ præses. Fuere item alij nummi cum eiusdem pecudis imagine, sed cùm significatione symbolica, ac in primis in Saloninæ nummo aries erat cum inscriptione, HAMMONI CONS. AVG. Hammonem hunc, vulgus Iouem, Aegyptij Solem esse contendebant, cornuaque radios ostentare, veteres etiam salutis Deum, vti Latini Iouem à iuuando dictum, interpretabantur, exque arietino ca-

B pite eundem Deum, qui omnium saluti prospiceret, hieroglyphicè intelligebant. Hecatæus Abderita Aegyptios ait, Hammonis voce vsos, cùm se inuicem, salute præposita, compellarẽt, allocutoriamque esse vocem, qua boni ominis causa Deum in primis ita venerarentur. Scriptores rerum, paruula quædam cornua in vtroque tempore eum habuisse ferunt. Qui verò peritiorem doctrinam perscrutati sunt, proprium id Iouis nomen apud Aegyptios fuisse tradũt. Alij dicunt arietinum caput ideo Hammonis esse signum, quod is Aegypti rex præclaris admodum rebus à se gestis in galea vsus sit arietini capitis insigni. Aiunt & cùm Herculi illi vetustissimo ad eum visendi studio profecto, se olim ostentaret, arietis capite, quem mactauerat, vertici suo imposito, & pelle ea villosa circumdatum alia pelle amictum Heroem admisisse. Et Saporis regis gestamen celebrat Ammianus, aureo capitis arietini figmento elaboratũ. Quod & insigne militiæ, & quasi sodalitatis cuiusdam suæ recentissima memoria (inquit Pierius Valerianus ex quo hęc omnia) Carolus fortissimus Burgundionum Dux, Caroli Quinti Imperatoris auus, adsciuit, aureum arietis caput, singulis pro gestamine imponendo, & arietini capitis cognomento sodalitatem vocando: eam Tottionis auri vulgò appellarunt (l'ordine del Toso-

Nummus Saloninæ.

Hammon cur cornutus pingeretur.

Saporis tegmen.

C ne) quod ea locutio caput arietinum, lingua patria designaret. Sed, vt ad nummum reuertamur, alium reperire est, Gallieni Imperatoris, in quo aries expressus cernitur, inscriptione addita, IOVI CONS. AVG. Sebastianus Eritius alium depingit nummum Antinoi magnum, Græcum, æreum, & ab excellenti quodam sculptore factum, cum istiusmodi literis ANTINOOC. HPΩC. idest, Antinous Heros. Ostendit ab altera parte arietem pulcherrimè expressum, cum quibusdam literis, quæ tamen propter temporis iniuriam erosæ, legi nõ possunt. Hic, inquit, nummus à Græcis fuit excusus honoris, ac memoriæ gratia, post mortem Antinoi, ac fortasse, vt Adriano Imperatori, cui ille erat in delitijs, abblandirentur, qui vbique terrarum statuas ei erigebat. Cęterùm aries, vt idem Eritius iudicat, veneream indicat lasciuiam, quam hoc animante exprimi, nos quoque paulo ante, adductis aliquot monumentis antiquis, diximus. Constantinus Landus, esse ait elogium Lucconis, & Billienæ coniugum dextras inuicem iungentium, quibus adstet, & catulus, & taurus, nec non & leones arietinis capitibus insidentes: Elogij verba esse hæc: L. SVLPITIVS GN. F. SEVERVS. T. F. I. SIBI. ET GN. SVLPITIO LVCCONI PATRI BILLIENÆ SAL. F. SECVNDÆ MATRI. Iunctæ

Ordo capitis arietini.

Gallieni Nummus.

Antinoi.

Leones arietinis capitibus.

D illæ manus, & catulus summa illos fide inuicem vixisse ostendunt. Moderationem autem semper obseruasse, argumento est taurus, qui semper pro temperantia apud Orum Apollinem in hieroglyphicis habetur, cùm id animal fæminã, postquam coitum concepit, auersetur; leones autem arietinis capitibus insidentes, mulieribus pudicitiæ custodiam adhibendam indicant: Est enim aries leuitatis, stultitiæque signum, & ideo fæminis congruit: Leo verò custodiæ typum gerit, quoniam id animal apertis oculis dormit.

EMBLEMATA.

EMBLEMA Alciati inscriptum, TVMVLVS MERETRICIS. ex Pausania, cuius verba superius citauimus.

Quis tumulus? cuia vrna? Ephyrææ est Laidos, ah non
Erubuit tantum perdere parca decus.
Nulla fuit tum forma, illam iam carpserat ætas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Iam ſpeculum veneri cautâ dicarat anus.
Quid ſculptus ſibi vult aries, quem parte leæna
Vnguibus apprehenſum poſteriore tenet?
Non aliter captos, quod & ipſa teneret amantes,
Vir gregis eſt aries, clune tenetur amans.

Aliud emblema Ioachimi Camerarij Norimbergenſis Reip. archiatri inſcriptum DVLCESCIT AMARVM.

Felle carent Ponti pecudes abſynthia paſtæ,
Ferre mala aſſuetus non malè ferre ſolet.

Conſuetudinis vis.

Oſtendit pictura oues abſynthium depaſcentes, & quanta ſit conſuetudinis, tam in bonam, quàm malam partem, vis, & potentia: Hinc etiam colligi poteſt, quòd ſit cõſuetudo veluti ipſa natura. Aliud eiuſdem, in quo depingitur elephas promuſcide oues ſibi occurrentes ſeparans, ne conculcet, aut vllo alio modo lædat cum his verbis, MANSVETIS GRANDIA CEDVNT:

Præterit, haud elephas animalia paruula lædit;
Nempe quod hic clemens rex imitetur habet.

Lib. 15. geograph.
Manſuetudinis & clementiæ ſymbolum.

deſumptum eſt emblema, ſiue ſymbolum ex natura elephantorum, & ouium: ſiquidem Strabo de Indiæ loquens elephantis, hoc encomium illis tribuit, quod ſint natura mites, & manſueti, atque ad animal ratione præditum accedant propius. Sic & nos ex Ariſtotele elephantem diximus eſſe animal placidiſſimum, & mitiſſimum omnium ferarum. Addit Camerarius, dici tantam illius eſſe manſuetudinem erga debiliora animalia, vt gregatim occurrentia pecora (pingit autem oues, quas nos ſua natura animantia eſſe oſtendimus præ cæteris debilia) proboſcide paulatim remoueat, atque ſegreget, ne forſitan imprudens illa conculcet, atque proterat. Addunt præterea, inquit, phyſiologi, illum niſi laceſſitum non facilè iraſci, vel ſæuire; vnde

Sabaudiæ Ducis ſymbolum.

Sereniſſimus Dux Sabaudiæ Emanuel Philibertus, occaſionem ſymboli ſumens, addidit: INFESTVS INFESTIS. Sed prior nobis magis arridet ſententia, quamuis & hæc altera, interdum locum habere debeat. Idque vtrumque breuiter admodum Cicero exponit, hiſce verbis:

Offic. lib. 1.

Nihil laudabilius, nihil magno, ac præclaro viro dignius, placabilitate, ac clementia. Addit tamẽ & hoc quoque non minus prudenter. *Et tamen ita eſt probanda manſuetudo, vt adhibeatur Reipub. cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt.* Et Homerus eandem virtutem commendans ait: ἀκεσταὶ δὲ φρένες ἐσθλῶν; ideſt, *placabiles ſunt animi bonorum.* Ac noti ſunt verſus Ouidiani:

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ
Et faciles motus mens generoſa capit.

Cuius generis multa præclara dicta leguntur apud Senecam in duobus libris de clementia ad Neronem. Et alibi adſcriptum reperitur: REGNI CLEMENTIA. deſumptum ex Claudiani hemiſtichio, *Mundi clementia cuſtos.* Emblema, ſiue ſymbolum ex eodem aliud, in quo ouis pingitur, regiam coronam cum ſceptro deijciens, cũ lemmate: NVNC NOSCITO VIRES:

Hoſtem quid ſpernis? quamuis abiectior ille.
Sæpe irritatus maxima damna dedit.

Ab imbellibus etiam timendum.

Ouis pecus alioquin imbelle, quod tamen inſtar validi arietis, ſceptrum & coronam regiam deijcit, typus eſt illius, qui à potentiori non leui affectus iniuria, fert quidem ad tempus patienter, ſe contemni, interea tamen obſeruans occaſionem aliquam, vt ſe tandem quoque virum oſtendat, & aduerſarium ſuum proſternat. Nam, vt ait P. Syrus; *Furor fit læſa ſæpius patientia.* Eſt autem hoc deſumptum ex tragœdia Accij antiqui poetæ Bruto, cuius verſus, & citauimus, & explicauimus ex Cicerone. Nullum itaque hoſtem, quantumuis infirmum, contemnendum eſſe, admonemur, cum ſecundum prouerbialem verſum:

Sæpe aquilam ad pœnas, vel ſcarabæus agit.

In Arcadic.

Et Pauſanias, rectè ait: *At enim vilioribus, & abiectioribus plerumque rebus vim eam indidit Deus, vt ea ſuperarent, quæ maximæ eſſent inter homines exiſtimationis:* quo in loca plura huius rei exempla commemorat. Aliud, in quo ouis medio in prato decumbens pingitur cum lemmate; VNDIQVE IN ARMIS.

Commoda plurima ouis præbet, nocumentaque nulla:
Sic quoque fac cunctis, nemini obeſſe velis.

Nulli nocẽdum.

Quæ ſit ouis vtilitas, morumque ſimplicitas, ſatis ſuperque ſuo loco dictum eſt. Quadrat optimè hoc ſymbolum in hominem pium, innocentem, qui, quamuis ſit deſtitutus aliorum auxilio, atque ſubſidio, nihilominus omnibus inſeruire, & gratum facere ſtudeat, quemque innocentia

centia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A centia inter medios hostes sæpe tutum, & incolumem seruet: Vnde Nazianzenus præclarè hoc quoque scripsit, ἀφύλακτον ἡ ἁπλότης, καὶ ἥκιστα κακίαν ὑφορᾶται τὰ κακίας ἐλεύθερον, idest, *expers custodiæ est simplicitas, & minimè mali quidquam suspicatur is, qui à malo est immunis.* Quali in sua simplicitate, & innocentia acquiescenti semper debet esse ante oculos sententia versuum horum: *Simplicitas expers custodiæ.*

Hic scopus vnus erit, cunctis prodesse, nocere
Nulli, & amare bonos, ac tolerare malos.

Itemque hoc alterum:

Iuuare cunctos, at nocere nemini
Est summa vitæ christianæ regula.

Quemadmodum & Cicero: *Virum bonum esse* dicit *eum, qui prosit omnibus, noceat nemini, nisi lacessitus iniuria.* Alibi additur ex Claudiano in epistola ad Adrianum MENS IGNARA NOCENDI. Pingit denique idem Camerarius, ouem, siue agnum, quem lupus mordicus B prehensum tenet, cum verbis: FIT SVAVIOR. *Lib. 1. de off.* *Vir bonus qui.*

Dum premitur iustus, fit gratior hostia olympo;
Sic quoque fit morsu suauior agna lupi.

Rationem, cur agni à lupo morsi caro suauior reddatur, supra retulimus. Conuenit symbolum hominibus pijs, & probis, qui in hoc mundo propter innocentiam vitæ, ac veritatis studium varijs periculis, & tormentis sunt subiecti, ac sæpe ideo ab impijs extrema omnia patiuntur, tandemque Deo acceptam hostiam sese offerunt, quo in numero omnes Sancti Martyres sunt ponendi. Sic legimus apud Eusebium ex Irenæo, quod Sanctus Ignatius ante martyrium hæc verba protulerit: ὅτι σῖτός εἰμι θεοῦ, καὶ δι᾽ ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ, idest, *Dei frumentum sum, & bestiarum dentibus molor, vt purus, & syncerus panis reperiar.* Et B. Polycarpi apud eundem, inter alias ipsius religiosissimas preces, hæc verba leguntur: προσδεχθείην ἐνώπιόν σου σήμερον ἐν θυσίᾳ πίονι, καὶ προσδεκτῇ, idest, *quæso, vt hodie in conspectu tuo pro hostia pingui, & accepta admittar.* *Martyrum symbolum.* *Lib. 3. c. 36. hist. Eccles.* *Lib. 4. c. 15.*

C

EPIGRAMMATA.

EPIGRAMMA Martialis de leone, & ariete, qui adeo conuenerant, vt terroris aries, & feritatis leo obliti eodem vescerentur cibo, magno vtrumque dignum merito ait poeta, vt hic pro leone Nemeo, inter astra sit, ille pro ariete Phryxi. *Lib. 9. epig. 77.* *Aries, et leo amici quid indicent.*

Massili leo fama iugi pecorisque maritus
Lanigeri, mirum qua posuere fide.
Ipse licet videas, cauea stabulantur in vna
Et pariter socias carpit vterque dapes.
Nec fœtu nemorum gaudent, nec mitibus herbis,
D *Concordem satiat, sed rudis agna feram.*
Quid meruit Nemees, meruit quid portitor Helles,
Vt niteant celsi lucida signa poli?
Sidera si possent pecudesque, feræque mereri,
Hic aries astris, hic leo dignus erat.

Aliud ex Aulo Gellio Porcij Licinij, apud quem loquitur amator, qui toto pectore ardebat: *Lib. 19. c. 9.* *Lib. 12. var. lect. c. 11.*

Custodes ouium, teneræque propaginis agnum
Quæritis ignem, ite huc, quæritis? ignis homo est.
Si digito attigero, incendam syluam simul omnem
Omne pecus flamma est: Omnia, quæ video.

Ita sese hos versus correxisse tradit Petrus Victorius, in libris excusis vulgò legi asserens, nullo idoneo sensu, aptoque sententiæ poetæ:

Pastores ouium videre propaginis agnum.

Nam postremum verbum, inquit, contrahi solitum, authoritate Plauti cognoscimus, qui hoc modo dixit in Aulularia:

Tace nunc iam tu: atque agnum horum vter est pinguior

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Licet, tu Congrio eum ſume.

Atqui in textus ipſius Gellij, Venetijs impreſſo anno 1544. ita legitur, vt ipſe corrigit, & eodem modo eoſdem verſus ex eodem Gellio recitat Fuluius Vrſinus de Licinia gente ſcribens. Aliud epigramma elegantiuſculum ἀδέσποτον ſuper oue lupi catulum nutriente, quo ſignificatur præſens tantùm beneficium ſpectari;

Τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρεφω ȣ̓κ ἐθέλȣσα.
  Α᾿λλά με ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.
Α᾿υξηθεὶς δ᾽ ὑπ᾽ ἐμȣ̃, κατ᾽ ἐμȣ̃ πάλι θηρίον ἔσαι
  Η῾ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν ȣ̓ δύναται. ideſt, vt vertit Obſopæus:

Agna lupum proprijs nutrire coacta papillis
Hoc me paſtoris nubila cura iubet.
Sæuiet ille meis rurſum in me ſanguine fortis,
Ruſticitas nullo flectitur obſequio.

In Ocioſos. Rectè quidem hoc epigramma oui quærenti adſcribitur, licet etiam nulla eius in ipſo græco epigrammate fiat mentio. Aliud Α᾿δήλȣ in ocioſam vitam cupientes:

Αἴθε πατήρ μ᾽ ἐδίδαξε δασύτριχα μῆλα νομεύειν.
Ω῞σκεν ὑπὸ πτελέῃσι καθήμενος, ἢ ὑπὸ πέτραις,
Συρίσσων καλάμοισιν ἐμὰς τέρπευκον ἀνίας.
Πιερίδες φεύγωμεν ἐϋκτιμένην πόλιν. ἄλλην
Πατρίδα μαστεύσωμεν. ἀπαγγελέω δ᾽ ἄρα πᾶσιν,
Ω῞ς ὀλοοὶ κηφῆνες ἐδηλήσαντο μελίσσας.

Hoc ita ad verbum quaſi expreſſit Vincentius Obſopæus:

Paſcere oues vtinam didiciſſem patre magiſtro,
Sub petra, vt recubans, vmbroſis ſiue ſub vlmis,
Triſtia compactis ſolarer corda cicutis.
Vrbis periuræ fugiamus mœnia Muſæ:
Quæremus patriam, populis annuncio cunctis,
Florilegas quod apes, fuci læſere maligni.

Ex 1. lib. epigram. græc. Puer ab ariete preſeruatus. Aliud Philippi de quodam capro, qui puerum ab ariete eripuit parum errabundum, atque à matris gremio diſcedentem:

Βαιὸν ἀποπλανίην λιπομήτορα παῖδα κορύπτων
  Κριὸς ἑλιξόκερως, θεῖνε θρασυνόμενος.
Κάπρος δ᾽ ἡράκλειος, ἀπορρήξας ἀπὸ δεσμῶν,
  Ε᾿ς νήδην κριȣ̃ πᾶσαν ἔβαψε γένυν.
Ζωὴν νηπιάχῳ δ᾽ ἐχαρίσατο. ἆρ᾽ ἀπὸ Ἥρης
  Η῾ρακλέης βρεφέων ᾤκτισεν ἡλικίην. ideſt,

Parum vagantem, relicta matre, puerum impetens
Aries tortis cornibus inſignis, percuſſit audax.
Caper verò Herculeus diſrumpens vincula
In ventrem arietis omnem tinxit genam.
Vitam infanti donauit. Anne à Iunone
Herculis infantilis miſertus ætatis.

Deſperationis exemplar Ariſtides. Aliud Antipatri de Ariſtide, qui præter ouiculam, & buculam nihil habuit, quibus amiſſis, & ipſe laqueum induit:

Εἶχεν Α᾿ριστείδης ὁ βοκέῤῥιος, ȣ̓κ ἀπὸ πολλῶν
  Πολλὰ, μιῆς δ᾽ ὄϊος, καὶ βοὸς εὐπορίην.
Αλλὰ γὰρ ȣ̓δ᾽ ὁ πένης ἔφυγε φθόνον, ἤματι δ᾽ αὐτῷ
  Θῆρες, ὄϊν, τὴν βȣ̃ν δ᾽ ὤλεσε δυστοκίη.
Μισήσας δ᾽ ἀβληχὲς ἐπαύλιον ἅμματι πήρης
Ε᾿κ ταύτης βιοτὴν ἀχράδος ἐκρέμασεν.

Eiuſdem in eundem aliud eiuſdem argumenti:

Πλȣ̃τος Α᾿ριστείδῃ δάμαλις μία, καὶ τριχόμαλλος
  Η῏ν ὄϊς. ἐκ τȣ́των λιμὸν ἔλαυνε θύρης.
Η῎μβροτε δ᾽ ἀμφοτέρων. ἀμνὴν, λύκος ἔκτανεν. ὠδὶς,
  Τὴν δάμαλιν. πενίης δ᾽ ὤλετο βȣκόλιον.
Πηροδέτῳ δ᾽ ὅγ᾽ ἱμάντι κατ᾽ αὐχένος ἅμμα λυγώσας
  Οἰκτρὸς ἀμυκήτῳ κάτθανε πὰρ κολύβῃ.

A Quæ duo epigrammata sic reddere ad verbum quasi, placuit:

Habuit Aristides Bocerrhius, non ex multis,
Multa, vnius quidem ouis, & buculæ facultatem.
Enimuero neque pauper effugit inuidiam: die namque eodem
Feræ ouem; buculam verò perdidit partus difficilis.
Exosus verò carens balatu stabulum, vinculo peræ
Ex eodem, vitam, pyrastro suspensus, finijt.

Aliud:

Diuitiæ Aristidi bucula vna, & velleribus referta
Erat ouis. Ex his famem abarcebat à ianua.
Aberrauit autem ab vtroque; ouem lupus occidit, difficultas partus
Buculam: Paupertatis verò perijt armentum.
Vinculo, quo pera ligata erat collum constringens
Miser non mugiens expirauit apud stabulum.

B Aliud Leonidi continens testamentum pastorale pulchrum, & elegans, quo ostendit, quid sibi vita defuncto à pastoribus fieri velit: *Testamentum pastorale.*

Ποιμένες, οἱ ταύτην ὄρεος ῥάχιν οἰοπολεῖτε,
Αἶγας κεὐμάλλυς ἐμβατέοντες ὄϊς.
Κλειταγόρῃ πρὸς γῆς ὀλίγην χάριν, ἀλλὰ προσηνῆ
Τίνοιτε, χθονίης εἵνεκα φερσεφόνης.
Βληχήσαιντ' ὄϊές μοι. Ἐπ' ἀξέστοιο δὲ ποιμὴν
Πέτρης συρίζοι πρήεα βοσκομέναις.
Εἴαρι δὲ πρώτῳ λειμώνειον ἄνθος ἀμέρσας
Χωρίτης, στεφέτω τύμβον ἐμὸν στεφάνῳ.
Καί τις ἀπ' εὐάρνοιο καταχραίνοιτο γάλακτος
Οἰὸς ἀμολγαῖον μαστὸν ἀνασχόμενος.
C Κρηπῖδ' ὑγραίνων ἐπιτύμβιον. Εἰσὶ θανόντων,
Εἰσὶν ἀμοιβαῖαι κἀν φθιμένοις χάριτες.

Pastores, qui hoc montis dorsum peruagamini
Capras, & hirsutas ineuntes oues.
Clitagoræ per terram (scilicet vos rogo) modicam gratiam, sed gratam
Impendite, terrenæ gratia Proserpinæ.
Vtinam balent oues mihi, in impolita autem pastor
Petra moduletur leuiter pascentibus.
Vere autem primo pratensem florem decerpens
Colonus, coronet sepulchrum meum corona.
Atque aliquis agnino coinquinetur lacte
Ouis emunctilem mamillam, sustinens,
Fundamentum madefaciens sepulchrale. Sunt mortuorum
Sunt remunerationes, & inter defunctos gratiæ.

Aliud perelegans Myrini in Thyrsin pastorem somno vinoque sepultum, cuius gregem Amor D pastoris subiens munus, pascere fingitur: *Amor pascens oues.*

Θύρσις ὁ Κωμίτης, ὁ τὰ νυμφικὰ μῆλα νομεύων,
Θύρσις ὁ συρίζων Πανὸς ἴσον δόνακι.
Ἔνδιος, οἰνοπότης, σκιερὰν ὑπὸ τὴν Πίτυν εὕδει.
Φρουρεῖ δ' αὐτὸς ἑλὼν ποίμνια βάκτρον ἔρως.
Ὦ νύμφαι, νύμφαι. διεγείρατε τὸν λυκοθαρσῆ
Βοσκὸν, μὴ θηρῶν κύρμα γένηθ' ὁ ἔρως.

Quod Vincentius Obsopæus ita latinis transtulit carminibus non infeliciter:

Thyrsis oues pingui pascens in gramine, Thyrsis
Pana potens calamis æquiparare Deum,
Ebrius vmbrosa sub pinu dormit: opimum
Ipse gregem sumpto munere seruat amor.
Thyrsidis ò nymphæ, nymphæ citò rumpite somnum,
Ne fiat rapidis præda, cupido, lupis.

Aliud occurrit epigramma, breuitatis sinu, plurimum circumdans & elegantiæ, & artificij, in *In paruos, sed garrulos.*

R 2 Mo-

Molyten, hominem puſillum, loquacem, & garrulitate gaudentem, & aſſiduè in hominum frequentia ſeſe iactantem:

Τίς δ' οὗτος κτίλος, ὧς ἐπιπωτεῖται ςίχας ἀνδρῶν
Μωλύτης, ἐπέων φίλος ἄσσιος, ὅλμος ἄτολμος. id eſt,
Quis verò hic aries ita luſtrat ordines virorum
Molytes verboſus, Aſſius, mortarium timidum.

In inhumaniter hoſpites excipientes. Ammianus acutiſſimo quodam epigrammate ſuo Apellæ inſulſos taxat mores, qui ſuos conuiuas tantùm herbis hortenſibus, & inemptis dapibus excepit tanquam hortum immolaſſet, & non agnum, & vitulum.

Ὡς κῆπον τεθυκὼς, δεῖπνον παρέθηκεν Ἀπέλλης,
Οἰόμενος βόσκειν ἀντὶ φίλων πρόβατα.
Ἦν ῥαφανίς. σέρις ἦν, τῆλυς. θρίδακες. πράσα. βολβοί.
Ὤκιμον. ἡδύοσμον. πήγανον. ἀσπάραγος.
Δείσας δ' ἐκ τούτων, μὴ καὶ χόρτον παραθῇ μοι,
Δειπνήσας θέρμους ἡμιβρεχεῖς, ἔφυγον. id eſt,
Tanquam hortum immolaſſet, cænam appoſuit Apella
Exiſtimans paſcere ſe pro amicis, oues.
Erat rhaphanus, intybus erat, fœnugræcum, lactuca, porra, bulbi,
Ocymum, mentha, ruta, aſparagus.
Veritus verò præter hæc ne etiam gramen apponeret mihi,
Cænatus lupinos ſemimadidos, aufugi.

Reſtat aliud, quo Herculis inter deos relati, in victimis eligendis inclemens duraque quædam auaritia notatur:

Εὔχολος Ἑρμείας, ὦ ποιμένες, ἐν δὲ γάλακτι
Χαίρων, καὶ δρυΐνῳ σπενδόμενος μέλιτι.
Ἀλλ' οὐχ Ἡρακλέης, ἕνα δὲ κτίλον, ἢ παχὺν ἄρνα
Αἰτεῖ, καὶ πάντως ἓν δύο ἐκλέγεται.
Ἀλλὰ λύκους εἴργει. Τί δὲ τὸ πλέον, εἰ τὸ φυλαχθὲν
Ὄλλυται, εἴτε λύκοις, εἴθ' ὑπὸ τοῦ φύλακος. ideſt.
Facilis eſt Mercurius, ò paſtores, qui lacte
Gaudet, & quercino placatur melle.
Sed non Hercules: integrum enim arietem, aut craſſum agnum
Poſtulat, & omnino vnam victimam eliget.
Sed lupos arcet. Quid inde, ſi ſeruatum
Perit aut à lupis, aut ab ipſo cuſtode?

APOPHTHEGMATA.

Lib. 8. c. 6. Diocles. DIOCLES, referente Athenæo, cùm agnum in opſonio liguriſſet, ac calidum piſcem deuoraſſet, cælum ſibi dixit eſſe combuſtum, cui Theocritus Chius facetiſſimè reſpondit, reliquum eſſe, inquiens, vt mare ebibas, tunc tria maxima abſumpſeris, terram, mare, & cælum. Ithacenſibus verò, vt ſcribit Plutarchus in volumine de his, qui ſerò à numine puniuntur, expoſtulantibus, quòd milites Agathoclis Syracuſanorum tyranni, eorum oues auferrent, reſpondit: At veſter rex cùm ad nos veniſſet, præterea excæcauit paſtorem. Cùm aliquando Cleomenes Spartiatarum rex Æginetas perdere conaretur, quod crederet eos hoſtili in Athenienſes animo terram & aquam dediſſe, vt vna cum Perſa, aduerſus
Lib. 6. Athenas militarent: inter alios Æginetas Crius (vt prodidit Herodorus) Polycriti filius negabat ſe paſſurum, vt aliquem Æginetarum abduceret; Nam id eum facere ſine communi conſilio Spartiatarum, ſed ab Athenienſibus pecunia corruptum. Eum Cleomenes ab Ægina diſcedēs, interrogauit, quod ei nomen eſſet? reſpondit ille, quod erat Crius, ideſt, aries: Cui Cleomenes: Crie, inquit, iam nunc præferrato cornua, tanquam occurſurus magno malo. Tra-
Lib. 7. dit Laertius Diogenem cùm apud Megarenſes oues intueretur pellibus tectas, illorum verò filios nudos, dixiſſe; præſtat Megarenſium arietem eſſe, quàm filium. Cùm Græci nollent reſcindere pacta, quæ cùm Antigono, & Cratero pepigerant, & amplecti libertatem, quam offe-
In Apophthegm. rebat Archidamus, veriti ne grauiores eſſent habituri Lacedæmonios, quàm Macedones; Archidamus

chidamus dixisse fertur, referente Plutarcho; ouis semper eandem edit vocem; cæterum homo multas, ac varias emittit voces, donec, quod decreuit, confecerit. Nullum autem est animal, cui tam varia vox sit, quàm homo. Videri autem possit hoc apophthegma indignum Lacone, nisi pòst integritas eius gentis, Barbarorum commercio degenerasset: dicique potest aliquis honestus vsus esse, veluti si quis admoneat, pro tempore, proque re nata variandum esse sermonis habitum. Est enim vbi loquendum sit seuerius, est vbi blandius, est vbi magnificentius, est vbi submissius, est vbi iucundius, est vbi durius. Id si fiat citra perfidiam, prudentia est. Porrò ouilli mores dicitur hominum stupidorum, qui se nesciunt rebus, ac personis accommodare. Græcorum igitur constantiam Archidamus stultitiæ tribuit, qui proposita libertate, nollent mutare vocem. Scipio Iunior cùm adortus Numantinos in fugam vertisset, ideoque seniores Numantini pulsos suos culparent, vtpotè quòd eos fugissent, quos toties in fugam conuertissent; Ferunt quendam Numantinorum dixisse, oues quidem easdem esse, quę antea, sed alium habere pastorem. Honestissimum longè, ac pientissimum dictum Tiberij Imperatoris, qui neminem pecuniæ causa occidit, nullaque vi, aut violentia exegit, passum apud Romanos scriptores legitur; Tonderi oues meas volo, non deglubi. In hæc enim verba rescripsit Aemilio Recto, qui ad eum aliquando miserat maiorem summam pecuniæ ex Aegypto, cui præerat, quàm imperata fuerat.

Sermonis habitus quando variandi.

Tiberij dictum.

PROBLEMATA.

PROBLEMA Plutarchi, cur oues à lupo demorsæ, carnem gignant dulcissimam, lanam verò habeant pediculis obnoxiam, supra recitaui, vbi de antipathia ouis cum lupo. Quærit Aristoteles cur ouibus, & capris lac plurimum demulgetur, quæ corpore non maximo sunt, homini autem & boui minus, scilicet ad corporis proportionem. Vtrum, inquit, quòd his copia in corpus absumitur, cæteris in excrementum se confert; ouibus autem, & capris, quantum excrementi accesserit, omne in lac transit. An quod plura gignunt, quàm quæ magno sunt corpore, itaque plus attrahunt excrementi, quoniam plura alendum sit. An his grauidis plus excrementi propter corporis imbecillitatem redundat, lac autem excremento consistere, certum est. Idem philosophus quærit, cur homo inter animantes oculorum minimum pro sua magnitudine, habet interuallum? an, ait, quod omnium maximè naturali solertia homo constat. Sensus autem contuendi partem versus priora natura posuit; id enim conspicere oportet, in quod nos ducit ratio mouendi. Quanto autem oculorum plus discriminis sit, tanto magis conspectus vergent in latus, qui si secundum naturam, sedem debeant obtinere, quàm minimo esse interuallo, certè oportet: sic enim partem versus priorem ingredi maximè possumus. Ad hæc, cætera animantia, cùm careant manibus, despiciant prorsus in latera, necesse est, itaque plus eorum oculi distant inter sese, & maximè ouium, eò quod maximè prono capite ingrediuntur. Quærit item, cur ouibus expilatis mollior pilus subnascitur, homini durior? Et ait, an quod ouium pili summæ cuti cohærent, euellique ob eam rem sine vllo labore possunt, cum initium alimenti integrum maneat, quod carni iunctum est. Meatibus itaque patefactis, excrementa respirare melius possunt, vellus enim proprio carnis vescitur alimento. Caro autem molli, dulcique alitur pabulo. Hominum contrà, quòd altius pili inhærent, per vim, summoque cum dolore euelluntur. Constat id, quando quidem sanguinem secum detrahunt. Corpore igitur saucio euenit, vt tandem cicatrix obducatur. Vnde fit, vt vel finem pili amplius promendi faciant, qui euulsi fuerint, vel quamdiu præterea promere possint, duri extrudantur, eò quòd omne valens alimentum carnis exhaustum est, nec nisi materia inutili, & superuacua pilus prouenit. Indicium quod hominum omnium plagam inhabitantium meridianam, pili duriciem præ se ferunt, quoniam calor exterior altius corpus subiens, alimentum concoctu facilè absumat in vaporem, contra eorum, qui sub aquilonem incolunt, molles lasciuiq; effunduntur, quod his sanguis, dulcisq; sapor per summam potius fluitat formam, quamobrem his color quoq; hilarior est. Præcedenti verò problemate, in quo quærit, cur sues hybernum pilum amittere non solent, cùm cætera quadrupedes soleant? Ait, an quod sus omnium calidissimus est, partique calenti eius pili adhærent, quippe cum pinguem talem esse necesse sit. Cæteris itaque vel quia humor refrigescit, pili defluunt, vel quia suus calor alimentum concoquere non potest.

Sect. 10. probl. 6. Ouibus cur plurimum lactis.

Sect. 10. probl. 17. Homo cur minimum oculorum habeat interuallum. Ouiū oculi cur longius à se distent. Sect. 10. prob. 24.

Pili vbi duriores, & vbi molles. Cur sues hybernum pilum non amittant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Suibus verò non idem incidit, vel quia nihil humor interior effici poteſt, vel quia benè alimentum concoquitur: Nam etſi quando cauſa, cur defluant, ſit, tamen pinguedo vetare poteſt. Oues ac homines propter ſui pili, tum denſitatem, tum copiam, non ita affici pulſu frigoris poſſunt: Non enim altius refrigerationi ſubire licet, vt poſſit, vel humorem, vel gelare, vel calorem concoquendo ſeuocare. Ad hæc, quęrit, cur ouium pili eo duriores ſunt, quò prolixiores; hominum contrà molliores, quo prolixiores? An quòd ouium pili, inquit, qui, quale diximus, capiunt alimentum, vbi procul ſe ab ſuo deduxerunt initio, ieiuniùs veſcuntur, & alimentum, quod ineſt, vi caloris, facilè pro ſua inconcoctione, euaporatur. Itaque ſiccati duriores redduntur, molle namque humidum eſt. Hominum verò pili, minus alimenti, ſed plus ſuo initio hauriunt. Concoquitur autem plenius, quoniam minus eſt. Concoctum autem pilum efficit molliorem: Concocta etenim quæque molliora incoctis redduntur. Indicium, quod oues recentes vellera molliora gerunt, quàm vetulę: Copia namque excrementi pilum, & hominis, & ouis procreat.

EPITHETA.

A CORPORIS tegumento ouis Homero λάσιος dicitur, ideſt, hirſuta ſiue lanigera, vt vocat Virgilius, & καλλίτριχος, ideſt, pulchras lanas ferens. Βαθύτριχος, longam portans lanam. Ψαφαρότριχος, tenuem habens lanam. Dicitur item in epigrammatibus δασύτριχος, denſam, ſeu ſpiſſam lanam tenens, τριχόμαλλος, villoſa, ἔυμαλλος bene lanata. εἰρόπoκος apud eundem Homerum, & Heſiodum, nec non etiam Nonnum, idem eſt, quod lanigera latinis. Cęterùm huius compoſiti vocabuli duas eſſe expoſitiones, tradit Henricus Stephanus, quoſdam enim putare, ei ineſſe duo eiuſdem ſignificationis nomina, εἶρος & πόκος, idq; ἐκ παραλλήλου: alios autem ex εἶρος, & πέκω eſſe dixiſſe. Quin etiam deductionem afferri poſſe, ad quam reſpexerunt, inquit, qui εἰρόπoκος expoſuerunt, habens vellera innexa. Si enim hanc expoſitionem ſequamur, ex πόκος, & verbo εἴρω deductum dicemus illud vocabulum, conuenietque huic verbi ἔρω ſignificatio, cum illa quam habet, cùm εἶρος ab eo deducitur. Sed minimè dubium eſt, quin optima omnium deductio ſit ea, quę ex εἶρος, & verbo πέκειν deducit. Pro qua voce, ſiue ἡ πέκεται εἰς εἶρος, ſiue actiua tamen, afferenda potius paſſiua fuerit, vt εἰροπόκος ſit ἡ πέκεται εἰς εἶρος, ſiue εἰροπόκοις exponere maluit πεκομένη. Heſychius quoque paſſiuo verbo in hac expoſitione vtitur: Cum εἰροπόκοι exponere maluit ἐρία κειρόμενα ἔχουσι. At verò Heſiodi Scholiaſtes Tzetzes εἰροπόκοι exponit εἰριπόκοι, quod ἐρίων τρέφοντες. Εἰροπόκος eſt etiam ἐριουργὸς Heſychio: apud eum enim legitur εἰριπόκῳ, quod exponit εἰρουργῷ, pro quo εἰρουργῷ cum ſcripſiſſe ἐριουργῷ, aut illi nomini ſignificationem huius dare voluiſſe, perſuaſum habeo. Sed quid ſi aliquis hanc expoſitionem non datiuo εἰροπόκῳ, ſed datiuo εἰροπόνῳ Heſychio dediſſe ſuſpicetur, is certè facilè in ſuam ſententiam vel potius ſuſpicionem me pertrahet. Hactenus Henricus Stephanus. At Varinus oues εἰροπόκους per excellentiam prę cæteris animalibus vocari aſſerit, quod lanę earum tonderi ſoleant, ἀπὸ τοῦ πέκεσθαι εἰς εἶρος, ἤγουν ἐρίον. A colore idem Homerus τὰ μῆλα, ideſt, oues, ἀργύφα dixit, ideſt, argenteas, propter videlicet lanę candorem, ſimiliterque ἀργεννά. Idem & μέλαιναν dixit τὴν ὄιν, ideſt, nigram. Et apud Theocritum ouem pellam interpretantur nigram, vt ſcribit Cęlius, propterea, quod corporum ſuperficiem, vbi ſanguis affluxus, nigreſcit, pellama, vel pelidnoma vocant. Eſt etiam vbi ἄιολα μῆλα vocat Calaber, ideſt, oues varias. A moribus Plautus, oues vocat parperas, ideſt, ſtolidas ſiue ſtultas, & minas, ideſt, lacte minutas, vel, vt Varro interpretatur, ventre glabro. Verba Plauti ſunt: *Ego parras minas oueis in crumena hac properè in vrbem detuli*. Apud Textorem dicitur ouis placida, blanda, manſueta, mitis, mollis, pauida, imbellis, & infirma, quo poſteriori epitheto vtitur Horatius, vbi commentator: *proprium*, inquit, *epithetum ouium, quæ neq; ſui curam gerere, neq; ſaluti ſuæ prouidere ſciunt, præcipuè cùm velleribus ſuis onuſtæ ſunt, & grauatæ: niſi voluerit naturaliter dicere infirmas, .i. delicatas, quia natura oues ſunt infirmæ, & morbis obnoxiæ.* Oues mites, ac pingues, ctilas dici arbitratur interpres Nicādri, teſte Cęlio, qui inſuper ex etymologo, puto, per εὐφημισμὸν oues à Gręcis iphias dici, inueniri tradit, quę debiles ſint, καὶ οὐκ ἰσχυραί, ideſt, inualidę. Verùm idem etiam Etymologus annotat, ἴφια μῆλα dici τὰ εὔτραφῆ, ἐπεὶ χρέας ἰσχυροποιὰ θρέμματα exponit, ἐπεὶ ὑπὸ νόσου, ideſt, ἰσχυροποιὰ τῶν ἐσθιόντων. Sed & Varinus, τὰ ἰσχυροποιὰ θρέμματα exponit, τὰ μὴ ἀσθενῆ ὑπὸ νόσου, ἢ καὶ ἄλλως ἴφια, ἐξ αὐτῶν παρὰ τὸ κρατύνειν τὰ σώματα λέγεται: ἢ καὶ ἄλλως ἴφια, τὰ μὴ ἀσθενῆ ὑπὸ νόσου, eſt,

Εἰρόπoκος varys interpretatur modis.

A colore.

Lib. 28. c. 6.

Lib. 3.

A moribus.

In truculēto.

Ἴφια μῆλα qua.

A est, validæ pecudes, siue quod carnes earum in cibo validos, & robustos homines reddunt, siue ipsæ validæ ad sui corporis modum, & obesæ. Hesychio ἶφις, siue ἴφιος etiam est ταχὺς, celer; velox, affert, & ἶφιν pro καλὴν, affert item ἴφιον pro λιπαρὸν. Suidas verò exponit ἰσχυρῶς βαδίζοντα, id est, fortiter currentem. Cæterùm apud Homerum ἴφια μῆλα, oues reddunt benè habitas pingues, & lætas. Idem Homerus ταναύποδα μῆλα vocauit, ideſt quæ recto pede stant, *ταναύποδα.* seu protentis, diuaricatisque pedibus incedunt: dixit & τανύποδα, hoc est, vt Spondanus, & *Odyss. α.* alij interpretantur pandos habentes pedes, vel extentos, componitur enim ἐκ τοῦ τανύειν, id est, εἰς τὸ μῆκος ἐκτείνειν, quod est extendere, & πὺς, ideſt pes Ὑπὤρνος, etsi communiter significet gregem, in quo sunt agno, vel etiam ouem, quæ sub se agnum habet, vsurpatur tamen etiam pro epitheto à Callimacho hoc loco: οὐδ' ἀνάδαλτοι.

Ὄϊες, οὐς ἄκυδοι, πᾶσαι δέ κεν εἶεν ὕπαρνοι.

Vbi etiam ἄκυδοι dicuntur, id est, steriles, & ἀγάλακτοι, id est, nihil præbentes lactis. A forma, vel totius, vel partis alicuius, epitheta sunt εὔβοτος Apollinari id est, benè pasta, id est pinguis, & apud Festum legimus, ouem pascalem dici, quæ passim pascitur, a pasco, vel pascuis B quasi pascualem. Ita dicatur & εὐτρεφὴς, id est, benè nutrita apud Homerum, qui & *Arietis epitheta.* πίονα μῆλα vocat, & τανύποδα, hoc est, rectipeda apud Oppianum ὄϊας εὐκραίρους legimus, id est, cornutas, quomodo & latini cornigeras dicunt. A voce balans dicitur, quæ vox ponitur & absolute apud Virgilium pro oue, vt videns quoque sicuti supra in synonymis est dictum. Porrò arietis à natura moribusque epitheta sunt, petulcus, petulans, pugnax, bellator, trux, ἀθαμβὴς, id est, audax, siue nihil formidans, præceps, persultans, celer, τέρην, id est, mollis, siue tener, πέπων, ignauus. A forma cornuum potissimum ἑλιξόκερως, quasi conuoluta habens cornua, quomodo fortè latini tortum dicunt. Laberius poeta arietes vocabat re- *A forma cornuum.* ciprocicornes, quod reciproca habeant cornua. Alij & cornigerum dicunt, & Plato concioris ἀσελγόκερωτα, id est, magnis cornibus præditum. Nam ἀσελγὲς, vt scribit Alcidas & Varinus non ad intemperantiam solùm apud veteres refertur, sed quoque ad magnitudinem dicitur & πηγεσίμαλλος apud Homerum: Grammatici interpretantur, εὐπαγῆ, εὐτραφῆ, hoc est corpulentum, & solido corpore; Alij vero nigro vellere vestitum, alij altum. Vide de hoc vocabulo plura apud Varinum, & Hesychium. Laberius poeta præcitatus etiam lanicutem vocat, *A colore.* C hoc est cutem habentem lana coopertam, alij poetæ lanigerum dicunt. A colore Aristophanes λευκότριχα dixit, Sophocles ἀργίποδα, id est, albi pili, & alborum pedum Pontanus, Nepheleium à Nephele matre Phryxi, quem aries velleris aurei per mare Colchos detulit. Agni epitheta sũt νεόθηλεὶς, hornus, ὑπομάριος, lactẽs, γαλατινὸς, νεογηλος, πρωτόγονος, primogenitus, *Agni epitheta.* ἀπαλὸς, ἄμαλις, ἀπαλόκρως, imbecill⁹, lactẽs, lacteolus, subrum⁹, mollis, incuriosus, mitis, molliculus, pauidus, blandus: Item lasciuus, alacer: dicitur & Καλλιπλόκαμος, ideſt mollis, & pulchræ lanæ. κεράσυς, corniger cornupeta, petulcus, lanicutis, laniger, λασιόθριξ, σαχίτης, *In aulularia.* hirsutus, stabularius: ἰσομάτωρ, æqualis matri balans, expers herbæ, εὔβοτος, corpulentus, *In floridis* pinguis. Plauto, agnus curio, est macilentus, tanquam ob curam maceratur, confectusque: Vnde etiam à contrario Apuleius in floridis, agnum opimum, & pinguem dicere volens, appellabat incuriosum. Verba Plauti sunt.

Me. *Etiam agnum misi.* Ev. *Quo quidem agno sat scio.*
D *Magis curiosum esse est vllam beluam.*
Me. *Volo ex te ego scire, quis sit agnus curio,*
Ev. *Qui ossa, atque pellis totus est, ita cura macet.*
Quin exta inspicere in sole etiam viuo licet,
Ita is pellucet quasi laterna Punita.

Agnæ epitheta sunt muta niuea, nitida, nouella, pauens, tenera, pulla, id est, nigra, balans, ci- *Agnæ epitheta.* curi, humilis, mollis, tenera, lanigera.

SIMILITVDINES.

"APVD Epictetum similitudine isthac ostenditur nihil temere esse effutiendũ: Si *Cap. 69.* "apud imperitos, inquit, de præcepto aliquo sermo inciderit, maxima ex parte *Nil temere* "taceto; magni.n. periculi est, statim euomere, quod nondũ concoxeris. Quod si *dicendum.* "quis dixerit, te nihil scire, tuq; cõmotus non fueris, tũ scito rẽ esse inchoatã. Nã "& oues non fænũ afferũt opilionibus, ac demonstrant quantũ comederint, sed "pastu intra se cõcocto, extra ferũt lanã, & lac. Et tu igit̃ ne verba celeriter ostẽdas imperitis, sed "opera q̃ verborũ concoctionẽ sequũtur. Elegãs pariter, & docta de leonis, & ouis antipathia, si-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

[*Monaſticos nõ debere eſſe ſuperbos.*] militudo moralis, legitur apud S. Iſidorum Peluſiotam in epiſtola ad Seuerum, quæ talis eſt: Quemadmodum hoc natura minimè conceſſit, vt ouis cum leæna pabuletur: Sic nullo omninò modo fieri poteſt, vt faſtus idem cum monaſtica vita domicilium habeat. Nam ille beluinus eſt, frenique impatiens: Hæc autem bona omnia obſequenti animo excipit, reſque moleſtas, & acerbas toleranter admodum, ac fortiter admittit. Quamobrẽ ſi te ad huius ſtudium, atque exercitium accinxiſti, ab illo abcede, ne te per eum malo aliquo is mulctet, qui aduerſus dominum ceruicem erexit, atque id agit, & ſtudet, vt omnes ſuperbiæ ſuæ, & ruinæ imitatores habeat. D. Chryſoſtomus, volumine de ſacerdotio ſecundo, quàm clementer cum Chriſtianis ſit agendum, eleganter iſtiuſmodi ſimilitudinibus oſtendit: [*Clemẽter cum Chriſtianis agendum.*] Exteri quidem iudices, cùm facinoroſos homines legis tranſgreſſores fuiſſe deprehenderint, magna præditos authoritate, ac poteſtate oſtendunt, eoſdemque vel inuitos ſuos ipſorum mores mutare cogunt. Chriſtiano verò non vim afferre, ſed ſuadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quæ emendandum ſuſceperit: Etenim qui oues perdiderit, vel lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, vel lue aliqua aut alio id genus caſu ſæuiente, fortaſſe veniam nonnullam à Domino gregis impetret, ſui & pænas ille exiget, damnum niſi pecunia conſtat. At verò oui homines ipſi rationalis Chriſti grex concrediti ſunt, hunc primùm ouibus perditis, non pecuniarum, ſed animæ propriæ iacturam oportet, tum verò, & certamen longè maius, ac multo moleſtius ſuſtinere. Quemadmodum verò ouium paſtor gregem habet è veſtigio ſubſequentem, quocumque præierit, & ſi quæ de recta via oues deflectant, ac feraci pabulo poſthabito, ſterilia, atque abrupta loca depaſcantur, ſatis habet altius aliquantulum inclamare, vt palantes, atq; diſperſas reducat, & in gregem cogat. Contrà ſi à vero chriſtianæ fidei tramite aberrauerit quis, hic paſtori magnum certè onus incumbit, magnum negotium, magna tolerantia. Apud eundem Chryſoſtomum de oue, & lupo ſimilitudo legitur talis: [*Lupus ouilla pelle tectus.*] Si quis lupum cooperiat pelle ouina, quomodo cognoſcet illum, niſi aut per vocem, aut per actum? Ouis inchinata deorſum balat, lupus in aera conuertit caput ſuum contra cælum, & ſic vlulat. Qui ergo ſecundum Deum vocem humilitatis, & confeſſionis emittit, ouis eſt; qui verò aduerſus veritatem turpiter blaſphemijs vlulat contra Deum, lupus eſt. Apud Ieremiam legitur: *Sicut paſtor viſitat gregem ſuum in die, quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum: Sic viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant, in die nubis, & caliginis.* Gregorius Nazianzenus, inquit, ſe indicaturus magnum quid eſſe docere, verum diſcere, periculo carere, *cur te ipſum, inquit, ducere quæris paſtorem cùm ſis ouis? Cur caput eſſe contendis cùm pes exiſtas? Cur exercitum ducere, cùm inter milites adhuc cenſearis?* Gratulandum verò tunc eſſe, tradit Cyprianus, cùm lupi, & venenatæ aliæque noxiæ beſtiæ de Eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oues Chriſti ſæua, & venenata ſua contagione prędentur: [*Contraria inuicem non cohærere.*] Nam vt cohęrere, & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fęcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas, cum lupo ouis, cum accipitre columba; ſic nemo putet bonos poſſe de eccleſia diſcedere. [*Cap. 30. Monaſticos non debere aſſociatos eſſe.*] D. Baſilius in opere de conſtitutionibus monaſticis, docturus quod nequaquam permittẽdum ſit, vt in conuentu virorum religioſorum, duorum, triumve fratrum ſeorſim ſodalitas conſpiret, ſtudioſè operam dandam eſſe tradit, ne vllus violata caritatis obſeruatione ſocietatem cum fratre aliquo iungat, qui improbè agere, & communis diſciplinæ iura velit peruertere, firmatamque iam vetuſtate diſciplinam labefactare in animo habeat, ac alios etiam de fratribus ſecum comites trahat; hunc primùm quidem ab eo, qui ſanus ſit, ſecretò admoneri tanquam parum ſanum, aſſerit: Sin arcano curari noluerit, adhibendos eſſe de fratribus etiam, qui cęteris intelligentia videantur pręſtare. Quod ſi ne ipſis quidem auſcultauerit, tum demum ad antiſtitem ipſum, animi ipſius morbum deferri oportere. Si verò ne antiſtitem quidem audire voluerit, perinde vt gentilem, & publicanum habendum eſſe, &, vt ouis peſtilentia contacta ab reliquo oculi ſegregandum, ne in reliquos quoque morbi contagionem transfundat &c. [*Lib. 1. ſtromat.*] Præ cęteris perquam eleganter, ac doctè Clemens Alexandrinus, ſententias gręcorum in diuerſos ſenſus trahi, iſthac ſimilitudine indicat: [*Alia aliter, ab alijs cõſiderari.*] Omnes quidem qui viſu vtimur, ea, quę cadunt in ipſum contemplamur, ſed alij aliorum gratia. Iam non ſimiliter ouem contemplatur coquus, & paſtor. Ille quidem an ſit pinguis, diligenter ſcrutatnr: hic verò lac ouis obſeruat, an ſit generoſum. Mulgeat quidem aliquis, ſi cibo egeat. Vellus tondeat, ſi ei tegumento opus ſit. Sic mihi etiam procedat fructus bonæ gręcorum doctrinę. Nullam enim exiſtimo ſcripturam adeo fortunatam pręcedere, cui nullus omnino contradicat, ſed illam exiſtimandum eſt, eſſe rationi conſentaneam, cui nemo iure contradicit &c.

HISTORICA.

IOSEPH moribundus fratres suos adiurauit his verbis: *Scio quod Deus visitauit populum suum, & vos hinc educet ad terram vestram, ideo tunc asportabitis hinc ossa mea vobiscum, vt non hic, sed cum patribus meis sim sepultus in terra promissionis.* Quod cùm postmodum facere vellent filij Israel, quando exierũt de Aegypto, sepulchrum Ioseph propter inundationem Nili inuenire non potuisse dicuntur, sed apparuisse tunc eis quandam ouem ferunt, quæ ductu angelico natauerit vsque ad locum sepulchri, ad ostendendum ijs locum, vt inde ossa Ioseph acciperent. Itaque Moysen ea accipientem secum asportasse, vt habetur in Exodo, hucque pertinere illud Psalmistæ: *Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ouem Ioseph,* scilicet populum Israel per angelum præcedentem castra eorum, velut ouem Ioseph, quæ similiter ductu angelico ducta fuit B ad sepulchrũ Ioseph. Cùm ex Traiani sententia D. Clemens ab inuito licet vrbis præfecto ad locum exilij amandaretur, pluresque Christianorum eadem pæna mulctatos, ijsdem ærumnis afflictatos, nactus esset, illud illis præstitit solatij, inquit Baronius, vt diuina ope implorata, vberrimum aquæ fontem ad potum necessarium (nam illa insuper molestia vrgebantur, vt humeris aquam sex millibus passuum, procul positam, iugiter ferrent) è terra in loco diuinitus agni signo monstrato, fecerit erumpere: quo miraculo edito Christi fidem loci accolis annunciante Clemente, mirificè Christiana religio fuit propagata, adeo vt idololatria, quæ in ea regione antea vigebat, extincta propemodum fuerit. Sanctus Bonauentura scribit fuisse ouiculã S. Francisco, quæ soleret ingredi ecclesiam, cùmque in sacratissima Missa attollitur eucharistia à præsentibus cunctis adoranda, pecus, dictu mirum, caput inclinabat, genua flectebat, aliaque signa exhibendi cultus præstabat, vt cuncti id conspicati obstupescerent, & ad omnem reuerentiam maximè inflammarentur. Recitat ex S. Bonauentura hanc historiam Thomas Bosius. Calistus verò scribit Gennadio episcopatum gerente pictorem quẽdam cum Seruatorem habitu, & forma ouis (aliàs Iouis) pingere ausus esset, facinoris eius mercedem tulisse: Nam ma- C nus eius exaruisse, sed eam, cum ille id crimen publicè cõfiteretur, à Gennadio restitutã fuisse.

Genes. 50.

Incognitus in psalm.

Sepulchrum Iacob vt inuentum.

Psalm. 79.

Aqua agni signo demõstrata.

APOLOGI.

ARISTARCHI sorores, neptes, & consobrinæ ipsum accusabant, quod solus ociosus vnà comederet; Id cùm Aristarchus Socrati narraret, cur ait, non dicis eis canis responsionem (Dicitur namque cùm animantia essent vocalia, ouem domino suo dixisse; mirum facis, inquit, profecto, qui cùm nobis, à quibus lanam, agnos, caseumque habes, nil des, nisi quod à terra capiamus, canem, qui nil tale tibi præbet, de quo tu comedis, pane participem facis: Canis verò cùm hæc audisset; non immeritò per Iouem dixit; ego namque ille sum, qui & vos ipsas saluas facio, atque custodio, vt nec homines vos furentur, nec lupi rapiant: quod si vos non custodiam, nec ad pascua vobis proficisci licebit timentibus, ne pereatis. His ab eo dictis, oues quoque fertur cani con- D cessisse. Et tu itaque dic illis, Socrates ait, quod tu custos earum, vt canis, ac procurator es, per quem à nullo iniuriatæ securè, ac suauiter operando viuunt. Alius de oue, & lupo, quo ostenditur viros magnos exleges esse, quem refert Plutarchus in conuiuio his verbis: *Aesopus talem narrauit fabulam: lupus cùm videret pastores in tabernaculo ouem comedere, proprius accedens, quãtus, inquit, tumultus exortus esset, si hoc ego fecissem? Tum Chilo, rectè ait, Aesopus sese vltus est, cui paulo antè cùm os obturauerimus, nunc videt à nobis Mnescphilo praripi facultatem respondendi,* &c. Maximus Tyrius philosophus Platonicus de Socratis loquens modo, quem inuenit aduersus ægros adolescentium animos, hunc, istiusmodi fingens fabulam Aesopi Phrygis in morem indicare sese aĩt; Pastor, & coquus cùm iter vna facerent, agnum opimum conspicati, longè ab ouili errãtem, relictumq; à socio grege, ad eũ ambo accedunt. Et quoniam ea tempestate brutę animantes, cum hominibus linguæ societatem habebant, vt continent fabulę, agnus eos interrogat, qualis vterq; esset, qui sibi manũ inijcere, atq; abducere ad se vellet: postquam verò de vtriusque arte certior factus est, libens seipsum pastori committit, coquum sic allocutus. Tu quidem carnifex es, ouilisque agnorum parricida, huic verò mores nostri perquam bellè satisfaciunt. Confer, si placet amatores illos cum multitudine coquorum. Socra-

Puellas qui ab imminẽti iniuria tuetur, laudandum esse.

Lex vulgaribus præscribitur.

Meliora, & salubriora eligenda esse.

tem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tem verò vnum fac eſſe paſtorem : Adoleſcentulos Atticos dic eſſe inerrantia pecora, veræ vo- E
cis conuenientiam habentia, aliter ac pro fabellæ figmento, &c. Paſtor apud Aeſopum nuper
natum lupi catulum reperiens, ſuſtulit, vnaq; cum canibus nutriuit. At cùm adoleuiſſet, ſi
quando lupus ouem rapuiſſet, cum canibus & ipſe perſequebatur. Cùm canes verò aliquando
non poſſent aſſequi lupum, atque ideo reuerterentur, ille ſequebatur, vt cum ipſum aſſecutus
eſſet, vt lupus, particeps foret, venationis inde redibat: Sin autē lupus extra nō rapuiſſet ouem,
ipſe clam occidens vnà cum canibus comedebat, donec paſtor, cùm coniectaſſet, & intellexiſſet
rem, de arbore ipſum ſuſpendit, & occidit. Monet fabula, naturam prauam non nutrire bonos
mores. Lupus à canibus morſus, & malè affectus abiectus iacebat; Sil cibi verò indigens, viſa
oue, rogabat vt potum ex præterfluente flumine ſibi afferret : Si enim, inquit, tu mihi dederis
potum, ego cibum mihi ipſi inueniam, illa recognita ait; Sed ſi ego potum do tibi, tu & cibo me
vteris. Conuenit fabula in virum maleficum, qui per ſimulationem inſidiatur. Paſtor actis in
quercetum quoddam ouibus, ſtrata ſub quercu veſte aſcendit, & fructum decutiebat, oues ve-
rò inter edendum glandes, neſciæ & veſtes vnà deuorarunt : At cùm paſtor deſcendiſſet, vt, F
quod erat actum, vidit: O peſſima, ait, animalia, vos cæteris vellera, ac veſtes præbetis, à me ve-
rò, qui vos nutrio, veſtem ſurripitis. Fabula ſignificat, pleroſque homines ob dementiam eos,
qui nihil ad ſe attinent, beneficia afficere, in domeſticos verò mala operari. Lupus ouis pelle
indutus ouium ſe immiſcuit gregi, quotidieque aliquam ex eis occidebat. Quod cum paſtor
animaduertiſset, illum in altiſſima arbore ſuſpendit: Interrogantibus autem cęteris paſtoribus
cur ouem ſuſpendiſſet, aiebat: pellis quidem vt videtis eſt ouis, opera autem erant lupi. Hæc fa-
bula indicat homines non ex habitu, ſed ex operibus iudicandos, quoniam multi ſub veſtimé-
tis ouium ſupina faciunt opera. Aries quidam inter lanigeros, greges erat tanta cornuum &
capitis firmitate, vt cæteros arietes ſtatim, facilèque ſuperaret. Quare quum nullum amplius
arietem inueniret, qui occurſanti ſibi auderet obſiſtere, crebris elatus victorijs Taurum auſus
ad certamen prouocare. Sed primo congreſſu quum in taurinam frontem arietaſſet, tam atro-
ci ictu repercuſſus eſt, vt ferè moriens hæc diceret. Stultus ego quid ego? cur tam potentem ad-
uerſarium auſus ſum laceſſere, cui me imparem creauit natura? Fabula docet cum potentiori-
bus non eſſe decertandum. Ouis conuiciabatur paſtori quòd nō contentus lacte, quod in vſum G
ſuum, filiorumque ab ea mulgebat, inſuper illam vellere denudaret. Tunc paſtor iratus filium
eius trahebat ad mortem. Ecquid, inquit ouis, peius mihi facere potes? Vt te, inquit paſtor, oc-
cidam, & lupis, canibuſque proijciam deuorandam. Siluit ouis maiora adhuc mala formidás.
Hæc monet fabula non debere homines in Deum excādeſcere, ſi diuitias, ſi filios ipſis permit-
tat auferri, quam etiam maiora, & viuentibus, & mortuis poſſit infligere ſupplicia. Paſtor qui-
dam cani oues ſuas dederat cuſtodiendas, optimis illum paſcens cibis. At ille ſæpe aliquam
ouem occidebat. Quod cùm paſtor animaduertiſſet, canem capiens eum volebat occidere. Cui
canis: quid me, inquit, perdere cupis, ſum vnus ex domeſticis tuis : interfice potius lupum, qui
continuè tuo inſidiatur ouili. Immò, inquit paſtor, te quam lupum morte dignum magis puto:
Ille enim palam meum hoſtem ſe profitetur. Tu verò ſub amicitiæ ſpecie quotidie meum im-
minuis gregem. Hæc innuit fabula longè magis, qui ſub amicitiæ ſpecie nos lædunt, quam qui
apertè ſe noſtros inimicos profitentur.

Lupus cum agnis altus.

Simulator īſidians occultè.

Beneficia in incognitos non cōferenda.

PHYSIOGNOMONICA.

ADAMANTIVS tradit eos, qui vocem emittunt ſimilem ouillæ, ingenio quo-
que oues referre. Videntur etiā arietem petulcum, & ictus minantem referre
ij, quibus frons, & ſynciputplus iuſta protuberant.

Oues & arietes qui referant.

L E G E S.

QVEMADMODVM quamq; pecudem emi oporteret ciuili iure, Varro ſe dictu-
rum profitetur : *Neque in omnibus*, inquit, *ſatis eſt ſtipulatio, aut ſolutio nummo-
rum ad mutationem dominij. In emptione aliàs ſtipulandum ſtatim eſſe è valitu-
dinario, aliàs è ſano pecore, aliàs è neutro.* Idem hęc eadem de ouium emptioni-
bus tradit. *In emptionibus iure vtimur eo, quod lex præſcripſit : In ea enim alij
plura, alij pauciora excipiunt. Quidam enim precio facto in ſingulas oues,* VT AGNI CHOR-

Lib. 2. de re ruſt. c. 1.

Pecus vt emendum.

Lib. 2. de re ruſtic. c. 11.

A DI DVO PRO VNA OVE ANNVMERENTVR, ET SI CVI VETVSTATE DENTES ABSVNT, ITEM BINÆ PRO SINGVLIS VT PROCEDANT. *De reliquo antiqua ferè formula vtuntur. Cùm emptor dixit.* TANTI SVNT MI EMPTÆ? *Et ille respondit,* SVNT? *Et expromisit nummos: emptor stipulatur prisca formula sic,* ILLASCE OVES, QVA DE RE AGITVR, SANAS RECTE ESSE, VTI PECVS OVILLVM, QVOD RECTE SANVM EST EXTRA LVSCAM, SVRDAM, MINAM, ID EST, VENTRE GLABRO, NEQVE DE PECORE MORBOSO ESSE, HABEREQVE RECTE LICERE. HÆC SIC RECTE FIERI SPONDES? *Fructum verò ouium hac lege venire oportuisse Cato tradit,* IN SINGVLAS CASEI P. I. S. DIMIDIVM ARIDVM, LACTE FERIIS QVOD MVLSERIT DIMIDIVM, ET PRÆTEREA LACTIS VRNAM I. HISCE LEGIBVS AGNVS DIEM, ET NOCTEM QVI VIXERIT IN FRVCTVM, ET KAL. IVN. EMPTOR FRVCTV DECEDAT: SI INTERCALATVM ERIT K. MAIIS AGNOS XXX. NE AMPLIVS PROMITTAT. OVES QVAE NON PEPERERINT BINAE PRO SINGVLIS IN FRVCTV CE-

Lex de fructu ouium. De re rusti. cap. 150.

B DENT. DIE LANAM ET AGNOS VENDAT. MENSES X. AB COACTORE RELEGET PORCOS SERARIOS. IN OVES DENAS SINGVLOS PASCAT, CONDVCTOR II. MENSES PASTOREM PRAEBEAT. DONEC DOMINO SATISFECERIT, AVT SOLVERIT, PIGNORI ESTO. Cur apud Heracleotas lex scripta sit, ne quis colligatas postmodum ouiculas exigeret Parthen. in opere de amatorijs ex Phania Eresso istiusmodi narrat historiam. In Italiæ vrbe Heraclea excellentem forma puerum, Hipparinum nomine, celebri familia ortum, Antileon amabat, sed nullo modo eum sibi poterat conciliare. Circa gymnasia autem versanti, vt plurimum puero se accommodans, tanto eius desiderio se teneri adfirmauit, vt eius gratia omnem laborem subire vellet, & quicquid iuberet, effectum dare. Puer ergo per ludibrium mandauit ei, vt ex munito quodam loco, qui magna custodia ab Archelao Heracleotarum Tyranno seruabatur, tintinnabula deturbaret, confisus nunquam ipsum hoc perfecturum. Verùm Antileon ex insidijs custodem tintinnabuli occidit, atque inde ad adolescentem reuersus, in magna apud eum gratia fuit. Interea cùm tyrannus puerum de stupro sollicitaret, Antileon quidem propter periculum vi-

Heracleotarum lex de ouibus colligatis.

C tandum admonuit, ne contradiceret. Ipse verò è domo exeuntem tyrannum occidit. Sed in ouiculas colligatas obuiam sibi factas, incidens captus fuit, & occisus. Ciuitate autem in pristinum statum, & libertatem restituta, vtriusque apud Heracleotas imagines æreæ sunt erectæ, ac lex scripta est. *Ne quis colligatas in posterum ouiculas exigeret.* Lex Numæ de Paricidis. SI QVIS HOMINEM LIBERVM, DOLO SCIENS MORTI DVIT PAREICIDA ESTO. SEI INPRVDENS SE DOLO MALO OCCISIT, PRO CAPITE OCCISEI, ET NATEIS EIVS IN CONCIONE ARIETEM SVBICITO. *Subjici aries dicitur,* inquit Festus, *quem quis agit, vt pro se cædatur, vt ait in eodem libro Antistius: quod fit vt ait Cincius libro de officio Iurisconsulti exemplo Atheniensium, apud quos expiandi gratia aries inigitur, qui scelus admisit, pœnæ pendendæ loco.* Idem Festus ex hac lege probat antiquitus paricidam dictum fuisse, non eum, qui parentem occidisset, sed qui qualemcumque hominem, extatque apud eum huius legis fragmentum in voce *Parici quæstores,* quod tamen ab altera parte auxit Iosephus Scaliger ex cedis Seruianis, in quibus etiam ait huius legis mentionem ita fieri: *Vt si quis imprudens hominem occidisset, pro capite occisi, & na-*

Lex de Paricidio.

Paricida quis antiquis.

D *tis eius in concione arietem offerret,* Alia eiusdem Numæ lex de Pellice. PELLEX ARAM IVNONIS NE TANGITO. SI TANGET, IVNONI, CRINIBVS DEMISSIS, AGNVM FAEMINAM CAEDITO. Iacobus Ræuardus libro singulari de authoritate prudentum scribit, ex toto iure Papiriano huius vnius legis reliquias extare in libris Iurisconsultorum apud Paulum, vbi sic scriptum sit: Granius Flaccus in libro de iure Papiriano scribit, pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo, cui vxor sit, corpus misceat. Et hanc legem sic interpretatur, *Pellex aram Iunonis ne tangito* (vel quemadmodum Ræuardo placet, & veteres loquebantur, tagito) id est Pellex nulla viro vxorem habenti, nubito; si nupserit, crinibus demissis, quod tristitiæ signum erat, Iunoni agnum fæminam cædito, siue mactato. Lex alia eiusdem Numæ de opimis spolijs, quam in Boue omissam, huc referemus. QVOD IVS AVSPICIO CLASSE PROCINCTA OPEIMA SPOLIA CAPIVNTVR. IOVEI FERETRIO BOVEM CAEDITO. QVEI CEPIT, ÆRIS DVCENTA DARIER OPORTETO. SECVNDA SPOLIA IN MARTIS ARAM IN CAMPO, SOLITAVRILIA VTRA VOLVERIT, CAEDITO. TERTIA SPOLIA IANO QVIRINO AGNVM MAREM CAEDITO, CENTVM QVEI CEPERIT EX AERE DATO.

Lex de pellice.

Pellex quæ.

Lex de spolijs opimis.

Lex

Lex non paſcendum in alieno agro. Lex alia in eum, qui pecora ſua in fęcundos vicinorum agros paſcendi gratia immittit, Exod. 22. & 23. Deuteron. 22. cum Pomponij reſponſo in L. Quintius Mutius, & L. Quamuis §. ad L. Aquil. Seuerius ad huc lege illa ripuaria. Si quis peculium aliena in meſſe deprehenſum ad parricum minare non permiſerit, is ſolid. culpabilis iudicetur. Quin etiam Scotico edicto Kenneti regis antiquiſſimi, ſuam ſegetem edentem, aut grunno cultum ſubruentem agrum, licuit impune occidere. Cætera item animalia, quæ quis in agro ſuo deprehendiſſet, fructum terræ depaſcentia, iure is includebat, donec pecorum dominus damnum reſarſiſſet. *Lib. 10. hiſt. Scolor.* Cuius rei Hector Boethus teſtis eſt. Hoc amplius Sabaudis ius eſt, animal quodcumque in vitibus deprehenſum, interficere. Allobrogici ſanatus decreto 7. Calend. Septem. An. 1559. ex lib. edictor. Duc. Sabaud. *Seruitus ruſtica paſcendi.* De ruſtica verò ſeruitute iuris paſcendi iſthæc collegit Petrus Gregorius Toloſanus: Citra ius ſeruitutis in aliena non licet paſcua pecus paſcendi cauſa immittere; prohibente lege duodecim tabularum, quæ eſt de paſtu pecoris; prohibet & lex Aquilia. Et ex Varrone habemus pecuarios, qui non poſſidebunt ſaltus, tamen pecus profitentes lege cenſoria in alienis æſtiuis, & hybernis pecus paſcere fuiſſe vetitos, niſi publicano ſoluerent: Eius verba ſunt. *Itaque greges ouium longè abiguntur ex Apulia in Samnium æſtiuatum, atque ad publicanum profitentur, ne ſi inſcriptum pecus pauerint, lege cenſoria committant.* Sunt & aliæ actiones proditę, inquit idem Gregorius, pro reſarciendo damno, ſi quis aliena depaſci fecerit, vt ſi alienos fructus in ſuum prædium decidentes, immiſſo pecore depaſcat in factam aget. Si dolo malo autem id ipſum faciet, ad exhibendum: vel ſi in alieno aliena iniuria matura depaſtus eſt, datur actio vtilis legis Aquiliæ, id eſt, non ex verbis, ſed ex ſententia legis Aquiliæ; hic propria tractatio paſcuorum: *Paſcua quæ.* Paſcua namque dicuntur, vbi animalia paſci ſolent, ſicque ſaltus, ſyluæ, paſcua. Sunt & huiuſmodi prata vel campi paſcua, & dumeta, loca videlicet dumis, vel vepribus, & ſentibus obſita. *Pecora quæ.* Ait autem pecoris etiam appellatione contineri (ne quis hæc priuatim ad oues tantum pertinere exiſtimet) oues, boues, capras, equos, mulos, aſinos, ſues, item elephantes, & camelos; proinde in hac ſeruitute, quemadmodum, & in ſeruitute appellandi pecoris ad aquam, omnia iſthæc animalia, quæ pecoris nomine venire diximus, contineri aſſerit. *Pecoris appulſus ad aquam.* Pecoris autem ad aquam appulſus, ſimiliter inter ſeruitutes prædiales ruſticas ponitur, quæ nihil aliud eſt, eodem authore, quàm ius appellendi, vel ducendi pecudes ad aquas vicini, & eſt ſeruitus realis quando, inquit, prædium vnde pecus appellitur, paſcuale eſt, & fructum ex pecudibus dominus accipit. Aliter & ius aliud perſonale eſſe poteſt cum perſona, cui conceditur extinguibile. Porrò hic conſiderat tantùm prædium, cui conceditur ſeruitus, quod paſtionibus deputatum eſt, qualia ſunt macra loca, prout innuere videtur M. Varro ad Nigrum Turranium ſcribens: *Tibi*, inquit, *Niger Turrani noſter liber, ſcilicet dicatur de re pecuaria, qui vehementer delectaris pecore propterea quod te empturientem in campos macros ad mercatum adducunt crebro pedes, quo facilius ſumptibus multa poſcentibus miniſtris &c.* *Lib. 2. de re ruſt.* Quemadmodum & eſt ruris genus, in quo nec pecora, nec aues haberi poſsint, ita & aliud eſt, in quo nihil aliud, quam armenta, & ouilia ſunt, ob locorum infrugiferam naturam, obque crebros montes, & ſyluas, & non aliter ex ſaltu fructus percipi poſſit, niſi per greges. Proſunt & agris ſterilibus pecoris ſtercorationes, & caules, ita vt videantur fundi eſſe, quia & agri fructus in pecore conſiſtere dicitur. Et Vlpianus inſtrumenta fundi exiſtimauit, quæ fructus quærendi, cogendi, & conſeruandi gratia parata ſunt, inter cætera, & boues domitos, & pecora ſtercorandi cauſa parata, & ſi fundus, ſaltus, paſtioneſque habeat greges pecorum, paſtores, ſaltuarios. Atque in hac ſeruitute conſideramus quoque modum impoſitum, vt ſi numerus certus eſt pecudũ adiectus, quæ appelli debeant, plures non liceat appellere: & ſi plures appellantur, liceat non quidem non vniuerſum gregem, ſed vltra numerum appoſitas repellere. Leges ad hanc ſeruitutem pertinentes ſic collegit Barnabas Briſſonius. *Lib 6. de formul.* Ius PECORIS AD AQVAM APPELLENDI L. 1. §. Trebatius, D. de aq. cottid. L. pecoris, & L. veluti, §. vlt. D. de ſeruitut. præd. ruſtic. ſiue PECORIS AD AQVAM APPVLSVS L. I. & L. ergo D. eo. tit. §. inter inſtit. de ſeruit. præd. ruſtic. Item HAVSTVS AQVAE ex fonte priuato, L. item: ſic §. vlt. D. de ſeruitut. præd. ruſtic. D. eo. eamq; quam AQVAE HAVRIENDAE SERVITVTEM vocat Paul. in l. ſeruitus. D. eo. vt ait, olim non niſi ex capite, vel fonte conſtitui potuiſſe; obtinuiſſe tamen, & vſu receptum, vt ex quocunque loco conſtitueretur. Sed & ſi hauſtus aquæ ſufficiens eſſet pluribus per eundem locum cedi poterat L. 11. §. vlt. D. eo. tit. HAVSTV autem relicto, iter quoque ad hauriendum præſtari debebat, L. Gaurus. D. de ſeruitut. vrb. præd. Proinde ſiue ei ius hauriendi, & adeundi ceſſum eſſet, vtrumque habebat. Siue tantum HAVRIENDI, inerat ADITVS, ſiue tantùm ADEVNDI AD FONTEM, inerat, & HAVSTVS. L, item ſic. §. vlt. D. de ſeruitut. præd. ruſtic. *Leges aliæ de pratis.* Recitat etiam leges de paſcuis, ſiue IVS PASCENDI, d. L. 1. & d. §. inter. ſiue PECORIS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A PECORIS PASCENDI, L. pecoris. D. seruit.præd.rust. Erant & COMPASCVI iura,& AGRI COMPASCVI, idest, vt Festus explicat, communiter ad pascendum vicinis relicti: Cuiusmodi agrorum in Ciceronis Topicis fit mentio. Et ita Scæuola in L. testatrix §.1. D. si seruit.vind.plures ex municipibus, qui diuersa prædia possidebant, saltum communem, VT IVS COMPASCENDI haberent, mercatos esse proponit. De pecoribus verò, quæ pascenda locabantur, collegit has leges. Vlpian. in L. si quis domum, §.celsus D.locati. Si quis VITVLOS PASCENDOS, vel sarciendum quid, poluendumve conduxit. Ea nonnunquam partiaria dabantur, Imp.Antonin.in L.si pascenda C.de pact. Si PASCENDA PECORA PARTIARIA, idest, vt fœtus eorum portionibus, quibus placuit inter dominum, & pastorem diuidantur, Apollinarem suscepisse probabitur. Addo etiam, quæ de pascuis scribit Renatus Choppinus: PRIVILEGIARIA quadam lege, inquit, vetitum est, non tantùm ne in alienis pratis armenta pascant inuito domino, sed ne proprietarij quidem in sua prata pecus immittãt ilico post primam illorum herbam exectam, neque omninò ante diem D. Remigio festum. *Lib. 2. de priuileg. rustic. cap. 3.*

B Constitutione Francica Henrici II. 18.calend. Quintiles, seu die 14. Iunij an. 1554. subinde promulgata in foro præfecturæ Parisiensis. Ac tempus quidem illud de pratis non intrandis haud temerè legibus statutum est, quia ijsdem alioqui damnum daretur eo tempore daretur grauissimum: Quod prudenter sanè animaduertit Columella, & Plinius. Diuersa pascuorum conditio est, in quibus nimirum pecuascere tãtùm quis soleat L. insignis Cod. de pascuis publ. sed hoc vtrique generi pascuorum, ac pratorum commune est, quod huiusmodi loci rigui sine impensa fructum reddunt: Eamque primam fundorum rationem M. Porcius esse dicebat, qui maximè reditum pratorum cæteris anteponebat. Callidi quoque rerum æstimatores ideo prata, & areas magno æstimabant, quia ei generi possessionum nemo nocere posset. *Lib. 2. de re rust. c. 17. Lib. 18. hist. nat. cap. 28.* *Pascuorum diuersitas.*

De furtis pecoris, & abigeatu, Petrus Gregorius Tolosanus, ex diuersis legibus Iurisperitorumque placitis, scribit in hæc verba: Furtum animalium fit abigeatu, & sine illo; Abigei illi propriè dicuntur, qui pecora ex pascuis, vel armentis subtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi studium, quasi artem exercent, equos de armentis, vel oues gregibus abducentes. At is, qui ouẽ errantem, vel equum in solitudine existentem abducit, non arte abigendi, sed retinendi tamen, fur est, non abigeus. *Lex de furto pecoris & abigeatu.* *Abigei qui.*

C Callistratus numerum ouium decem, porcorum quinque, aut quatuor, equum vnum, aut bouem abigeatum facere, ait, nõ minorem ouium, & porcorum numerum, sed furem. Idem respondit Claudianus, nisi sæpius vnum, aut alterum pecus surripuerit quis. Melius erit, si abigeos dicamus eos, quibus est cura alienis insidiari animalibus, aut iumentis, & ea transponere alibi; Sic enim tradit Iustinianus. Hoc crimen publici iudicij non est, quia furtum magis, vt ait Marcellus; Ideo & sine inscriptione, & cum ea intẽtari potest. Si ferro tamen vtantur, qui abigunt, solent durius puniri. Augetur & pæna, si ab stabulis abigant, estque maior, quàm si à sylua vel pascuis, & si sæpius abegerunt. Et eo loci, quo frequẽtius hoc crimen committitur ad exemplum seuerius coercetur, interdum gladio, & in opus publicum damnatione, & si honestiores personæ sunt, vel ordinis amotione, vel relegatione. Et si gladio abigunt, feris aliquando obijciuntur. Receptatores verò abigeorum Adrianus in decennium extra Italiam relegari iussit. De abigeis duæ leges græcæ Iustiniani, vna, ἐάν τις κλέψῃ βοῦν, ἢ ὄνον, καὶ ἐλέγχθῃ, ἐν διπλῇ ποσότητι παρεχέτω, αὐτῶν μαστιγωθεὶς ἀλλὰ καὶ τὴν ἐργασίαν αὐτοῦ πᾶσαν. idest, *si quis bouem, aut asinum furto abduxisse conuictus fuerit, flagris cæsus, in duplum*

D *reponito æstimationem, simulque operæ deperditæ damnum præstato.* Alia, ἐάν τις κλέψαι θέλων βοῦν ἐξ ἀγέλης, ἀπελαθεῖσα δὲ ἀγέλη θηριόβρωτος γένηται, τυφλούσθω. idest, *Si quis, dum bouem ex armento abigere parat, hac occasione armentum dissipalarit, vt à feris dilaniaretur, luminibus priuator.* Lege Langobardorum, qui animal, quod itinerantem se sequitur, acceperit, & vincierit palamque habuerit, reus non est furti, vel abigeatus, paratus domino reddere, si requirat. Nec si animal, quod sequitur itinerantem, se à via auerterit, reus furti, vel amissionis est, Si tamen animal, quod sequutum est eum, absconsè tenuerit, vel vendiderit, debet componere pro octogili. Extat hac de re lex diuina; *Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, & prateribis, sed reduces fratri tuo, etiam si non est propinquus frater tuus, nec nosti eum, & erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat.* Animal quippe quod errat, quamdiu est spes illud inquirendi, in possessione ciuili, non naturali domini est. Proinde si quis animo interuertendi dominium, celauerit, vel habuerit, furtum committit: Sicut & qui rem iacentem lucri faciendi causa sustulit, neque libellum proposuit se inuenisse, & redditurum ei, qui desiderauerit; quæ rectè tractat Vlpianus. Iterum in Leuitico: *Qui rem perditam inuenerit, & inficiatus insuper peierauerit, reddet, quæ per fraudem retinere voluit, integra: Insuper & quintam partem domino, cui damnum intulerat.* Eo enim ipso, quòd reposcenti domino, res suas non reddiderit habens, *Deuter. 22.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

bens,surripere,& intercipere videtur: Quare & furti,& ad exhibendum tenetur, inquit, Pomponius,& si animo furandi antè nostra non acceperit. Lege Gothorum prospectum est rectè etiam aduersus eos, qui se dicunt vagantia animalia reperisse, vt furti suspicionem elidant, in hunc modum. Caballos,vel animantia errantia liceat occupare, ita, vt qui inuenerit, denunciet,aut Episcopo,aut Comiti, aut Iudici, aut Senioribus loci, aut etiam in conuentu publico vicinorum. Quòd si non denunciauerit,furis damnum habuerit. Et postea datur præmium ei, qui inuentum animal domino non interuerterit, & quantum expenderit, & si euerterit, inquit,restituere duplum domino cogitur; Iterumque cauetur, ne animal inuentum liceat ton- *Lib.3.c.15.* dere,vel vendere,vel characteres infligere; Hæc, & alia ille. Idem de bonis patrimonialibus principis à fisco colligendis, & de pascuis loquens, tot species patrimonij principis posse esse ait,quot & priuati,ideoque iure qui immisit in pascua animalia, vel syluam, vel saltum principis,si ius non habeat pascendi,illa amittere & fisco dari. Atque saltuum,vel pascuorum procuratorem,id est qui curam gerit eorum,si conniueat, & precio venalem gratiam fecerit, gra- *Saltus qui.* uissimo subdi supplicio. Saltus esse propriè pascua loca inculta, crebris syluis repleta, vt in- *lib.3.Georg.* nuit,inquit, Virgilius:

> *Saltibus in vacuis pascuntur plena secundum*
> *Flumina.*

li.4.de ling. lat. Et Varro, *quos agros non colebant propter syluas aut id genus,vbi pecus pasci solet, & possidebant ab vsu suo saltus antiqui nominabant,Græci νόμας, Latini nemora.* Saltus atque pascua, aut esse priuatorum, aut publica, seu vniuersitatis alicuius generaliter non licere in pascua alterius, siue ea sint fiscalia, siue priuata pecus pascendi gratia immittere, nec militibus quidem: quia nec liceat fundos alienos, inuito domino ingredi, sine iure seruitutis,maximè si prohibeat do- *Pecus vt prohibeatur ab alienis pascuis.* minus. Porrò prohiberi videtur, inquit,ingressus duobus modis, vel expressa voce,vel signo. Quid vocalis expressa prohibitio sit,palam est: Signo verò fit prohibitio, si in ingressu, vel limitibus,seu terminis fundi,seu prati crux, vel aliud simile, quod dicitur bannum,ponatur, vel figatur authoritate iudicis ordinarij,vel territorij,vel ciuitatis habentis imperium merum, seu *Bannũ quid* aliam iurisdictionem, cuius indictæ pænæ aduersus scientes, & violantes bannum, habent executionem. Secundò fit inhibitio si pascua, prata, vel nemora, cingantur fossa,aggere,vel maceria. Hoc singulare in pascuis principis, vt animalia inibi inuenta aliena, fisco adiudicentur pro noxa. In alijs aliorum nequaquam receptum; Nam tantum dominus animalium, quæ damnum dedere,tenetur illud resarcire, nec domino fundi læsi ius retentionis animalium datur, sed actio ad damni repetitionem. Quinimò si quis durius,aut aliter quàm suum animal, fundo suo alienum expellendo, & abigendo, lædat,vt si abortum equa abacta fecerit, pro dãno tenetur. Habet enim actionem paratam contra dominum animalis, vt de pastu pecoris, cũ in suo alienum pecus depascitur. Fuere tamen, qui defendunt posse à domino fundi detineri inuentum alienum animal,donec fuerit damnum datum reparatum,vel de eo cautum. Quod & obseruatur ex consuetudine diuersorum pagorum, potissimùm iuxta Tolosam, & approbatum Neracij videtur authoritate,& Vlpiani. Suntque expensæ,quæ in hac detentione fiunt, resarciendæ quoque à domino animalis. Et pro damno dato, electio domini animalis est, vel damnum reparare, vel dare animal pro noxa. Receptum quoque est,vt testandi damni causa, quis possit hominem repertum in crimine,etiam retinere per viginti horas. Et ita probo posse retineri animal nocens, & recludi testationis causa,& vt damnum restituatur. Nec pugnat L. Quamuis ad L. Aquil.in P. quæ dicit non licere includere. Etenim hoc verum est, si dominus damnum offerat, vel non licebit ei concludere, vt suum pecus faciat, vel domino interuertat. Hoc enim ad pascua principis solùm pertinet, non priuatorum. Item non licere puto diutius animal includere,sine monitione domini,vt suum recipiat,si sciatur, cuius sit animal. Quod si quis ignoret,vtetur consilio Vlpiani,vt proponat palam libellum, se inuenisse tale animal in suo prędio,quod sit restituturus domino damnum soluenti. Quo inuento,& de damno cauenti, id restituere debet,vt aliàs fuit iudicatum. Cautione quippe recepta probare debet damnum testibus,vel per relationem,seu censuram expertorum, qui damna iudicant. Sic tuto ad petitionem condemnationis damni accedit. Alioquin enim deficiente in probatione damni capiente aduersarius recte de occupatione illegitima, vt de furto, aduersus eum conqueri poterit. Inutile tamen hîc non erit annotasse duos casus,in quibus in suo depascentia animalia pro dãno non potest retinere, vel damnum repetere à domino eius: Primus in viatore, si necessitate compulsus equum in itinere,vel in vicinis pratis pauit, puta equo deficiente ob penuriam alimenti,vel ob morbum,& necessitas faciet licitum, quod alioquin prohibitum. Alius casus notatur ab Alberico, vt dominus animalis non teneatur de damno ab eo dato, quando animal deperditum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A deperditum fuisset, sine domini culpa, & depopulatur aliena. Verùm ego non subscribo, sed arbitror teneri damnum resarcire, liberari tamen à pœna, quæ vltra damnum domino, imponitur fisco, vel domino rei læsæ addicenda: Neque enim æquum esset euasisse saturum, vel nutritum animal, cum alterius iactura, & ita ditari alterius malo dominum. Excipitur tamen alius casus à reparatione damni dati in prædijs alienis ab animalibus nostris, si in illis seruitutem pascendi pecoris habeamus, quæ ius tribuit impunè, & acquiritur interdum in rebus dominorum clientelarium ex cautione traditionis in emphyteosin, nominatim facta vel alio titulo, seu præscriptione longissimi temporis, quæ vicem legis obtineat, etiam sine titulo. Cum titulo tamen decem annorum possessione vel quasi inter præsentes, & viginti inter absentes. Et contra dominum etiam directum, si modò ei tributum, seu census eo nomine præstetur, & ita iudicatum. Nam census eius præstatio arguit titulum, vt vsurarum præstatio præcedentem obligationem. Quæ vera sunt quatenus modus concessus pascendi seruatur. Nam pascendi modi duo, viridis, inquam, pascui, & vacui. Viride pascuum est, quod tempore fru- *Pascendi duo modi.*
ctuum conceditur: Vt in pratis tempore, quo herbæ virent, in fænumque crescunt. Et in syl-
B uis tempore, quo glans est, ita vacuum, quod exsciso fæno, & collectis glandibus tantùm permissum est. Pascua viuentia, & virentia intelliguntur in nemoribus & saltibus à die festi S. Michaelis, vsque ad diem S. Andreæ, quare hæc tempora inhibentur his, qui tantùm vacuum habent pascuum. Ex consuetudine Biturigum pascua virentia inhibentur in pratis à die annunciationis Deiparæ, qui est 25. Martij vsque ad 29. Septembris. Quod, & alibi seruatur. Mar- *Cap. 149.*
cus Cato in hæc verba ita scribit: *Qua lege pabulum hybernum vendere oporteat, qua vendas, finis dicito. Pabulum fini accipito. Ex Kal. Septemb. prato sicco decedat, vbi pyrus florere cæperit, prato irriguo: vbi super, inferque vicinus permittet, tum decedito, vel diem certam vtrique facito. Cætero pabulo Kal. Mart. cedito.* Et istis legibus vti licet pascuis etiam iure vicinitatis extra tempora prohibita, & dummodo prædia vicina non sint circumdata, quæ ita excipi videntur, & dummodò, tempore aliquo porci non immittantur, quia isti rostro radices herbarum exarant, & eruunt. Neque enim hoc modo, vel alio licet, etiamsi concessa sit pascendi facultas abuti rebus, seu nemoribus, seu pascuis: Alioquin abutentes priuantur iure, vt iudicatum fuit 3. Non. Iulij an. 1530. teste Ioanne Lucio. Erant etiam Romæ pascua publica, ex quibus etiam *Pascua publica.*
C vectigalia perueniebant ad ærarium publicum, vocabanturque agri illi scripturarij, in quibus vt pecora pascerentur, certum æs erat: ita dicti quia publicanus scribendo conficit rationem, *Agri scripturarij.*
vt ait Sextus Pompeius. Et eorum, qui pascua publica conducebant, ratio, scriptura dicebatur, vt ait Asconius Pedianus. Eratque lex Thoria, quæ animaduertebat in eos, quorum pecus agros publicos depascerent. Ouidius Florales ludos olim curatos, & exhibitos tradit ex pe- *Lib. 5. Fast.*
cunia, quæ ex mulctatione eorum, qui pascua depascerentur, colligebatur. Refertque pri- *Ludi florales.*
mùm libera fuisse pascua, postea in publicum redacta aliqua, & inde vectigalia exhibita, his verbis:

Dic Dea, respondi, ludorum quæ sit origo,
Vix benè desieram, rettulit illa mihi.
Cætera luxuriæ nondum instrumenta vigebant:
Aut pecus, aut latam diues habebat humum.
D *Hinc, hinc, est locuples, hinc ipsa pecunia dicta est,*
Sed iam de vetito quisque parabat opes.
Venerat in morem populi, depascere saltus
Idque diu licuit, pœnaque nulla fuit.
Vindice seruabat nullo sua publica vulgus,
Iamque in priuato pascere inertis erat.
Plebis ad ædiles perducta licentia, talis
Publicios, animus defuit antè viris.
Rem populus recipit, mulctam subiere nocentes
Vindicibus laudi publica cura fuit.
Mulcta data est ea parte mihi, magnoque fauore
Victores ludos instituere nouos.
Parte locant cliui, qui tunc erat ardua rupes,
Vtile nunc iter est, publiciumque vocant.

Scribit & Plinius: etiam nunc id, *suo tempore in tabulis censorijs pascua dicuntur om-* *Lib. 18. c. 3.*
nia, ex quibus populus reditus habet, quia hoc diù solum vectigal fuerat. Pascua vniuersitatis cuiusdam, vel pagi, vel ciuitatis, illis tantùm communia sunt, qui eiusdem sunt muni-

cipij, vel qui ius alio modo quæſierint: ſic enim fuiſſe communia in diuiſionem agrorum, paſcendi cauſa, tradunt Agennius, Flaccus, & Frontinus. Quæ tamen poſtea priuati ſibi aliquando vſurparunt, & inuaſerunt per potentiã data, & compaſcua à dominis directis, aliquando colonis agrorum, & clientibus ſenſualibus ſub cenſu certo annuo, certis legibus, & conditionibus, quæ placuerunt in traditione. Hæc itaque omnia Petrus Gregorius.

Lex de furto ouium.

Legem diuinam, ſi quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro boue, & quatuor oues pro oue, reſtituet. Item aliam: Si inuentum fuerit apud eum, quod furatus eſt, viuens ſiue bos, ſiue aſinus, ſiue ouis, duplum reſtituet, explicauimus in hiſtoria bouis.

Lex de carne vendẽda.

Georgius Fabricius Chemnicenſis inter cætera antiquitatis monumenta de vendenda pecoris carne, hoc recitat ex authoritate Turci Aproniani V. C. Præf. Vrbis. Ratio docuit, vtilitate ſuadente, conſuetudine micandi ſubmota, ſub exagio potiùs pecora vendere, quàm digitis colludentibus tradere, vt appenſo pecore, capite, pedibus, & ſeuo lactente, & ſubgulari lanio cedentibus, reliqua caro cum interaneis proficiat venditori, ſub conſpectu publico, fide ponderis comprobata, vt quantum caro occiſi pecoris adpendat, & emptor norit, & venditor commodis omnibus, & præda damnata, quam tribunus, officium, cancellarius, & ſcriba de pecuarijs capere conſueuerant. Quæ forma interdicti, & diſpoſitionis ſub gladij periculo perpetuò cuſtodienda mandatur.

Ouium lotio.

Habemus inſuper apud Macrobium de ouium lotione: Feſtis diebus eas purgandæ lanæ gratia lauari non licere; licere autem ſi curatione ſcabies abluẽda ſit, ideoque Virgilium non ſimpliciter feſtis diebus, oues *fluuio merſare conceſſum* ſcripſiſſe, ſed *fluuio ſalubri*, qua de re etiam ſupra diximus, vbi de ouium ſalubritate tractauimus.

VSVS IN SACRIFICIIS Hebræorum.

Cap. 12.

DE ritu immolandi, & comedendi agnum paſchalem, legitur in Exodo in hæc verba: *Dixit quoque Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra Aegypti: Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni, loquimini ad vniuerſum cætum filiorum Iſrael, & dicite eis, decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familiam, & domos ſuas, ſin autem minor eſt numerus, vt ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum, qui coniunctus eſt domui ſuæ, iuxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque macula maſculus, anniculus: Iuxta quem ritum tolletis, & hædum. Et ſeruabitis eum vſque ad decimam quartam diem menſis huius, immolabitque illum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael.*

Agnus paſchalis qualis.

Vocaui hunc tantum, vſum in ſacrificijs, non autem in feſtis Hebræorum; ſiquidem phaſe, ſiue dies paſchæ non erat dies feſtus, vt dies azymorum, vt à veſpera vſque ad veſperam celebraretur, ſed eius tantùm finis, hoc eſt, veſper agno immolando dicatus erat, & paſcha vocabatur:

Paſcha non fuiſſe feſtũ.

Lib. 4. de ſacro altaris myſterio capit. 4.

Non fuiſſe autem feſtum, clariſſimè docet Innocentius tertius his verbis: *Dies autem feſtus paſchalis erat quinta decima luna ſecundum illud: & in quinta decima ſolemnitatem celebrabitis altiſſimo domino. Nam quarta decima non erat ſolemnis, niſi tantùm à veſpera. Ante diem feſtum hunc dominus Paſcha cum Apoſtolis celebrauit.* Quibus verbis, vt & in toto capite, ſatis indicat, de veſpera, quam dies paſſionis ſecuta eſt, loqui ſe. Hoc idem ſenſit Toſtatus quæſt. 11. in capitulo 9. Num. ſed latiùs & apertiùs in ſecunda parte Defenſorij cap. 8. Cuius etiam libenter verba ſubſcribam. *Nunc autem ſciendum eſt,* (inquit) *quod dies quartus decimus menſis, quamquàm eſſet paſcha, tamen non erat dies feſtus, quia non vacabatur à laboribus, ſed fiebant die illa opera ſeruilia, ſicut cæteris diebus: & nihil aliud erat, quod ſpecialiter pertineret ad iſtum diem, niſi quod immolabatur agnus ante Solis occaſum, & comedebatur.*

Feſtũ Azymorum.

Exod. 12.

Feſtum autem Azymorum, quod incipiebat die ſequenti, & durabat ſeptem diebus, habebat duos dies ſolennes, in quibus ceſſabatur ab omni opera ſeruili. Ideo dies quartus decimus poterat vocari Paſcha propter agnũ paſchalem, ſed non poterat propriè vocari feſtum. Dies autem quintus decimus poterat vocari dies Azymorum, & etiam dies feſtus propter celebrationem eius. Idem præterea ſacræ ſcripturæ authoritate confirmatur.

Cap. 13.

Innocentius & Toſtatus proferunt illud Ioannis: *Ante diem feſtum Paſchæ, &cæt.* Quo in loco veſpera decimi quarti diei, qua agnus cædebatur, intelligitur, cùm dicitur: *Ante diem feſtum Paſchæ*: Ipſa enim Paſcha vocabatur, non dies feſtus Paſchæ. Si itaque at primus dies Azymorum, quia feſtus erat, iure dictus eſt dies feſtus Paſchæ. ſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A scripturæ verba obseruemus atque examinemus, inueniemus diem Azymorum solennem & festum, & solennitatem vocari: diem verò decimum quartum solennem non dici, nec festum, nec solennitatem, quoniam simpliciter non erat solennis, sed secundum extremam partem: Leuit. 23. Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis. Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam Phase domini est, & quintadecima die mensis huius solennitas Azymorum Domini est. Eodem modo loquitur capitulo 9. & 28. Numer. & Deut. 16. & alibi sæpe. Quod enim in allato Exodi loco scriptum est: *Habebitis autem hunc diem in monumentum & celebrabitis eum solennem Domino in generationibus cultu sempiterno:* aut de die Azymorum dictum est, aut certè de Pascha cum illo coniuncto, quasi vnus dies aut vna solennitas sit. Hoc sequentia verba declarant: *Septem diebus Azyma comedetis: In die primo non erit fermentum:* Cùm enim Azyma ab ipsa vespera Paschæ incipiant, & continuò dies sequantur Azymorum, quasi pro eadem solennitate numerantur. Apud LXX. hoc manifestius est, qui vertunt. *Et erit dies hæc vobis in memoriale, & celebrabitis eam festum Domino in generationes vestras legitimum sempiternum, celebrate eam septem dies.* Hoc etiam videbimus
B in ijsdem locis nunquam Hebræis præcipi, vt in eo ab opere seruili ferientur, vt in primo, atque vltimo die Azymorum & in alijs. Cui obseruationi si alteram adiungas, quam tradidit Iosephus his verbis: *Nullum autem festum ducitur absque holocautomate & laborum vacatione, sed in omnibus omnino hæc duo lex obseruari iubet,* perspicuum fiet diem hunc non fuisse festum. Lib 3. Ant. cap. 10.
Quod facilè intelligitur ex Marco: *Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis; Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, &c.* Si enim dies festus esset, nec Apostoli parare possent, nec homo ille lagenam aquæ ferret in ciuitatem. Cap. 14.
Obseruandum denique in alijs diebus festis mentionem vesperæ non fieri, nisi in Pascha, quoniam totus dies profestus erat, eius tantùm extremum sacrum erat, quia tunc agnus immolatur, quare Pascha non duas vesperas habebat, vt festi dies, sed eam quæ decimum quartum diē claudebat. Quod autem ad ipsam vocem Pascha attinet, eā si propriè accipiamus, neq; agnum significat, neq; immolationem agni, sed transitum: quoniam autem in memoriam huius trāsitus solennitas fiebat & agnus immolabatur, paulatim ipse agnus qui immolabatur, Pascha di- Pascha qd. Cap. 22.
C ctus est, vt à Luca: *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Et iterum: *Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis manducem?* Ipsa etiam solēnitas Pascha dicitur, vt apud eundem: *Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* Nec tantùm ipse dies immolationis agni, sed tota solennitas Azymorum illi adiuncta, vt in Actis: *Apposuit vt apprehenderet & Petrum: Erant autem dies Azymorum. Quem cū apprehendisset, misit in carcerem tradens quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo,* idest, post dies Azymorum. Cap. 12.
Quæ cùm ita sint, nunc de sacrificij ritu, modoq; edendi Paschalē agnum nobis agendum; in quo non pauca nobis obseruanda veniunt, ac in primis ipsum tempus, hocque mensis & diei; Ex Mose dictum est, decima primi mensis die iuberi quemq; tollere agnum, seruareque vsque ad quartam decimam diem mensis eiusdem, immolareque ad vesperam. Conuenit itaq; scire, quis sit primus ille mensis quidq; per vesperam intelligatur. Mēsis primus apud Hebræos fuit duplex, quia & duplex erat annus, videlicet sacer vnus, alter vulgaris. Sacer initium habebat eo tēpore, quo ex Aegypto egressi sunt, & quo in fastis vtebantur. Vulgaris erat, quo vtebantur ad commertia, antequam egrederētur ex Aegypto, & postquam Tempus immolandi agnum paschalem. Mensis qui apud Hebreos primus.
D egressi sunt. Prior ipsis Nisan, Macedonibus Xanthicus dicebatur, vt testatur Iosephus, inquiēs; *Moses autem Nisan, qui est Xanthicus, mensem primum in suis fastis ordinauit, quod per hūc Hebreos ex Aegypto eduxisset. Eundem etiam omnium, quæ ad rē diuinam pertinerent, exordium fecit: alioqui quod ad nundinationes rerum venalium reliquamque anni attinet, nihil de pristino ritu innouauit, &c.* Lib. 1. Antiq. cap. 4.
Sacri anni initij partem incidere plerumque in Martium nostrum, partem in Aprilem periti aiunt; alterius initium Septembrem multi esse credunt, Hieronymus verò affirmat apud omnes Orientales primum mensem esse Octobrem: at vtrumque verum est, nam pars eius incidit in Septembrem & pars in Octobrem, cùm sint menses omnes lunares. Notandum enim, quod non idem erat mensium initium aut finis, apud Hebræos ac apud Romanos, siue apud nos. Menses namque Hebræorum cum luna incipiebant, & cum eadē terminabātur, & dies primus lunæ idem erat & primus dies mensis. Habebat itaque eorum annus duodecim menses lunares; & vnus mensis habebat triginta dies, alter vigintinouem, quoniam luna vigintinouem diebus & duodecim horis conficit cursum suum, quæ horæ ne pereant, secundo quoq; mense computātur addito vno die, qui trigesimus est. Ita eorū annus habebat nisi 354. dies, desuntq; ad rationē anni solaris vndecim dies; quare vt eum æqualē anno solari redderet, Cap. 3. in Ezech. Annus Iudæorum.

nunc ſecundo, nunc tertio cuique anno ſepties intercalato intra decem & nouem annorum ſpatium anni lunares æquabantur ſolaribus. Super qua re inter alios conſulendus eſt Beda. Ex quo intelligimus vni menſi Hebræorum non reſpondere apud nos menſem alterum integrum, ſed partem vnius menſis cum parte alterius, & perſpicuum erit ortus lunæ nouæ obſeruanti, verbi gratia, primo eorum menſi, qui dicitur Niſan, reſpondet pars Martij & pars Aprilis, atque ita in reliquis. Huius menſis initium eſt prima luna, quæ propinquior eſt æquinoctio verno, quod iuxta Toſtatum fit decimoquarto die menſis Martij, cùm Sol ingreditur primum gradum arietis, & ideo nunquam poteſt menſis Niſan celerius incipere, quàm primo die Martij, nec tardiùs, quàm vigeſimo octauo, aut vigeſimo nono, ſi æquinoctiũ ponamus in die decimo quarto Martij, vt ipſe ponit, quia noua luna non poteſt ab æquinoctio diſtare plus quàm quatuordecim diebus. Ex quo etiam ſequitur, quando primus menſis Hebræorum incipit ante æquinoctium, maiorem eius partem incidere in Martium: quando autem incipit poſt æquinoctium, maiorem eius partem continere Aprilem. De ſacro itaque iſto anno, ſiue de primo ſacri Hebræorum anni menſe ſcriptura loquitur, cuius dies erat decimus quartus, ſiue decima quarta luna agnus paſchalis ſacrificabatur, non tamen quolibet diei tempore, ſed duntaxat ad veſperam: pro quo in Hebræo eſt ben haharbaim, ideſt, inter duas veſperas, quod ſimiliter verterunt LXX. ἀναμέσον τῶν σπερινῶν, ideſt, inter veſperas, ſiue inter veſpertina. Et Lyranus verba Exodi interpretans ait: *Veſpera ſecundum Doctores Hebræos, prout hic accipitur, incipit à ſeptima decimæ quartæ (ideſt, ab hora prima à meridie) quia ex tunc Sol incipit tendere ad occaſum, & ab illa hora vſque ad principium noctis poteſt immolari Phaſe ſecundum eos.* Idem Toſtato & alijs placuit: cæterùm huic ſententiæ aduerſum videtur illud Deuteronomij; *Immolabiſque Phaſe veſpere ad Solis occaſum, quando egreſſus es de Aegypto.* Egreſſus autem eſt nocte, ſicut eſt in principio eiuſdem capitis. *Quoniam in iſto menſe eduxit te Deus de Aegypto nocte.* Atqui in hoc loco non eſt in Hebræo, *inter veſperas*, ſed veſpere cùm Sol occidit. Et in verbis Exodi præcitatis ſcriptum eſt: *Et edent carnes nocte illa aſſas igne, & cæt.* Non ergo inter veſperas, ſed omninò veſpere, aut ad Solis occaſum immolabatur agnus. Vera autem eſt Hebræorum ſententia, agnuſque potuit immolari & comedi inter duas veſperas, vt dictum eſt; Non enim omnes eadem hora poterant. Poterant etiam veſpera ipſa immolari, vt docent verba quæ recitauimus ex Deuteronomio. Et in Ioſue ſimiliter legimus: *Et fecerunt Phaſe decima quarta die menſis ad veſperam*, bahereb, ideſt, in veſpera. Sed hoc intelligitur, in occaſu Solis, hoc eſt, antequam Stella oriretur, quæ veſper ſiue heſperus dicitur (quod tempus iam nox cenſetur) quoniam ab ortu ſtellæ incipiebat dies decimus quintus, & lex præcipiebat, vt die decimo quarto agnus immolaretur. Poſtquam tamen die decimo quarto immolatus erat, comedi poterat nocte, quæ iam ad decimum quintum pertinebat. Iam verò definiendum eſt, vtra decimæ quartæ lunæ veſpera agnus eſſet immolandus, priori ne, qua dies decimus quartus incipere putatur, an poſteriori, quæ initio decimi quinti adiuncta erat. Quæ res nec facilè, nec paucis poteſt explicari, quamuis enim poſteriori immolari debere diximus, multa ad tuendam, & confirmandam veritatem dicenda ſunt, quæ prætermitti nec debent, nec poſſunt. Id ergo dicimus, quod diximus, neq; enim ab ea re nobis decedendum eſt, quæ vetuſtiſſimorum quorumque patrum, ac doctiſſimorum concors ſententia eſt: Poſteriori veſpera, quæ diei decimi quarti finis erat, agnum lege immolari debuiſſe. Sunt tamen eorum verba diligenter attendenda, non enim diſertè dicunt, vt nos, poſteriori veſpera, ſed id alijs verbis ſignificant, docentes huic veſperæ adiunctum initium eſſe quintæ decimæ lunæ, ſiue quinti decimi diei. Ita Hugo à Sancto Victore in annotationibus in Exodum interpretatus eſt; & Lyranus, & Toſtatus quæſt. 10. & 19. in idem caput, & in ſecunda parte defenſorij cap. 7. & 8. & in 2. paralipom. cap. 2. quæſt. 15. & 16. & in Deuteron. capitulo 16. quæſt. 1. & Caietanus. Atque vt Bedam, Anſelmum, Hieronymum, Ambroſium, aliosque omittam, ex quibus hoc idem facilè colligitur, Ioſephum grauem, ac domeſticum teſtem citabo. Sed quæram prius, ſi priori veſpera diei decimi quarti agnus immolabatur, cur lex dicat: *Nec remanebit ex eo quicquam vſque mane*, hoc mane vtrum decimi quarti, an decimi quinti erit diei? planè decimi quarti, non enim finitur dies ille vſq; ad veſperam ſequentem. Si igitur dicat Ioſephus, ſequens mane eſſe decimi quinti, non erit dubiũ eũ ſenſiſſe agnum immolandum eſſe poſteriori veſpera, atq; ita omnes Iudæos facere. Verba Ioſephi ſunt: Mẽſe autem Xanthico, qui noſtris niſan vocatur, & annũ exorditur luna quarta decima ſole arietẽ obtinente, quandoquidẽ hoc mẽſe ab Aegyptiaca ſeruitute liberati ſumus, ſacrificiũ, quod tũc exeuntes feciſſe diximus, paſcha nominatũ, quotãnis inſtaurare lege iubemur, celebramuſq; id per ſodalitia, nihil è victimis in ſequentẽ diẽ relinquẽtes, quę eſt quintadecima, & azymorũ feſtiuitatis prima.

Lib. de tẽp. rat. cap. 43.

Leuit. 23.

Veſpera quid.

Cap. 16.

Cap. 5.

Lib. 3. antiq. cap. 10.

Quid

A Quid dici potuit apertius? Nec verò græca aliter sunt interpretanda, quæ ita habent: Μηδενὸς
τῶν τεθυμένων εἰς τὴν ἐπιοῦσαν τηρουμένου. Πέμπτη δὲ καὶ δεκάτη διαδέχεται τὴν τοῦ πάσχα ἡ τῶν ἀζύ-
μων ἑορτή. hoc est, *Nihil eorum, quæ immolantur in posterum diem seruato;* Quintus autem, &
decimus excipit diem paschæ, qui azymorum solemnitas est. Est enim sensus: Decimus quin-
tus dies est, qui consequitur diem paschæ, idest, vesperam, qua immolatum est pascha. Alio-
qui cui dubium erat, decimam quartam diem excipi decima quinta? Sed cùm dixisset, *in po-
sterum diem*, neque quis fortè putaret esse decimum quartum, vt in alijs solemnitatibus, deci-
mum quintum esse dixit. Quod si vim græci nominis inspiciamus, εἰς τὴν ἐπιοῦσαν, nihil mani-
festius; est enim, si de diebus sermo sit, proximè insequens dies: fac igitur eos immolasse agnum
prima vespera diei decimiquarti, ἐπιοῦσα erit mane diei decimiquinti; docet autem esse mane
decimi quinti, nam dies decimus quintus διαδέχεται, idest, excipit continuè diem paschæ: Ea
ergo, quam vocauit ἐπιοῦσαν, idest, posteram, est quæ excipit diem paschæ; Nam dies posterus,
siue superueniens, est idem, qui & excipiens, sed posterus dicitur, cùm nondum venit, excipiens
autem cùm iam venit, nec potest diem præteritum excipere, nisi qui posterus erat. Cæterùm
B quid attinet Iosephi, aut aliorum testimonium adferre, cùm omnium gentium, atque etiam
scripturæ vsu vesper, aut vespera finis eius diei, cuius vespera dicitur, semper intelligatur, nun-
quam principium. Cùm ergo dicit decima quarta die ad vesperam, finis decimi quarti diei
sine dubio intelligitur. Si verò priori vespera decimæ quartæ diei agnus immolabatur, non
poterat immolari inter duas vesperas, sicut in hebræo legitur; Nam dies à vespera incipit, &
tempus illud inter duas vesperas interiectum non est decimi quarti diei, qui nondum incepit,
sed decimi tertij. Aut igitur decimo tertio die immolabitur contra legis præceptum, aut si die
decimo quarto immolandus est inter vesperas, necesse est, vt prope posteriorem vesperam im-
moletur. Dicet contrà quis, vespera erat initium diei, sicuti indicare videtur Moses, dum
inquit; *Factumque est vespere & mane dies vnus.* Si verò eruditis credendum est, res longè ali- *Genes. 1.*
ter se habet: siquidem diem à mane vsque ad alterum mane numerabant, vt docet Beda in eo *Vespera an*
volumine, quod de temporum ratione conscripsit, his verbis; Moses proprium diem ita descri- *initiũ diei.*
psit; Et factum est (inquiens) vespere, & factum est mane dies vnus. Quem Hebræi & Chaldæi
& Persæ sequentes iuxta primæ conditionis ordinem, diei cursum à mane ad mane deducunt,
C vmbrarum videlicet tempus luci supponentes; at contra Aegyptij ab occasu ad occasum; Ro-
mani à medio noctis ad medium; Vmbri & Athenienses à meridie ad meridiem dies suos cõ-
putare maluerunt, &c. Similiter exponit D. Basilius, & Ambrosius; Fauet itidem nobis He- *Varia dierũ*
bræorum consuetudo, qui nimirum eodem die, atque eodem tempore agnum immolabant, *initia.*
Illi autem ex Aegypto exituri posteriori decimi quarti diei vespera immolarunt, & decimo
quinto exierunt; vt scriptura testatur. Exierunt (inquam) eo mane, quod proximè immolatio- *Homil. 2. in*
nem agni consecutum est. *Profecti de Ramesse* (inquit ibidem scriptura) *in mense primo in quin- Hex.*
tadecima die mensis primi altera die à Phase filij Israel in manu excelsa. Atque vbi nos habe- *Lib. 1. Hex.*
mus, *altera die à Phase.* LXX. verterunt τῇ ἐπαύριον τοῦ πάσχα, idest, ea die, quæ paschæ immo- *cap. 10.*
lationem sequebatur. Sufficerent itaque quæ hucusque diximus, de tempore mensis & diei, *Numer. 33.*
quo pascha siue agnus immolabatur, nisi prius Iosephus, cuius vtpotè Iudæorum præsulis au-
thoritas hac in re magna est, declarandus occurreret. Hic enim manifestissimè nobis aduersa-
tur, inquiens; *Illucescente verò quartadecima omnes ad exitum animati sacrificabant, & sangui-*
D *ne domos lustrabant.* Initio ergo decimi quarti, idest, priori vespera, non posteriori, vt nos dixi- *2. Antiq. 3.*
mus, agnum immolarunt Hebręi. Obseruandum itaq; non hanc Iosephi sententiam esse, sed in
interpretem referendam culpam, qui vel imprudenter, vel vitiato codice vsus pro ἐνστάσης,
quod præteriti significationem habet, ἐνιστάσης, quod præsentis temporis est, legit; quare ver-
tendum ipsi erat; *Postquam adfuit dies decimus quartus, omnes sacrificabant,* tempore scilicet,
quod illis præscriprum fuerat, idest, posteriori vespera, sicuti ipsemet aliàs innuit Iosephus, *3. Antiq. 10.*
cùm sequentem lucem à vespera immolationis agni decimum quintum diem esse, nihilque ex
agno in eã relinqui licere dixit, q̃ falsum esset, nisi posteriori vespera agnus mactaretur; eumq;
de prima agni immolatione scripserit in hoc ipso loco, quẽ nobis obiecimus; *Et peracta cæna re-
liquias carniũ exusserunt tanquã exituri*: quod perinde est, ac si diceret; Nõ seruauerunt eas in
lucem sequentem, antequam exituri erant, quis non videat eum palã dicere, posteriori vespera
mactatum esse Pascha. Perseueremus itaq; in nostra sentẽtia, & pro epilogo eorum, quę fortas-
sis prolixiùs quàm oportuit, diximus, Bedę viri grauissimi verba, quib. illi albus additur calcu-
lus, recitemus; *Vna quippe dies Paschæ, idest, transitus est quarta decima videlicet primi mensis,* *Lib. de tẽp.*
in qua vesperascente agnus immolari iussus est, & mox sequenti nocte transiuit eo minus Aegy- rat. c. 61.
ptiorum primogenita percutiens, & signatas agni sanguine domos filiorum Israel liberans.

Sequentes verò dies ſeptem, id eſt, à decimoquinto vſque ad vigeſimum primum menſis eiuſdem, Azymorum propriè vocantur. Quod modò agnum Dominus Deus decimo die tolli, ideſt, apparare iuſſerit, vt decimoquarto immolaretur, illius tantùm temporis præceptum fuiſſe aiunt, quo Iudæi exituri erant de Aegypto, non vt poſtea fieret, vt docet Toſtatus, quoniam cùm ſæpe de agni immolatione verba fiant in lege, nuſquam hoc præcipitur, nuſquam hoc in alia immolatione factum legimus in ſacris literis: Tunc autem fieri oportuit, quia cùm Hebræi petituri eſſent vaſa aurea & argentea ab Aegyptijs, & paraturi, quæ erant ad tam longum iter neceſſaria, & tanta cum feſtinatione exituri, non poſſent agnos habere, cùm facienda erat immolatio, præſertim cùm iam multi eſſent quærendi, & quidem anniculi, & ſine macula. Et cum dicit; *Tollat vnuſquiſque*, de dominis mediocrium familiarum loquitur, inquit Franciſcus Ribera, pauperioris enim ditioribus adiungebantur, ſicut ait: *Si autem minor eſt numerus, vt ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum, qui coniunctus eſt domui eius*. Vbi LXX. vt ait Auguſtinus: Si pauci ſunt in domo, itaut non ſint idonei ad ouem conſumendam, aſſumet ſecum vicinum proximum ſuum, hoc eſt, ipſa domus aſſumet vicinum. Singularem pro plurali poſuit, non enim vnum, ſed quot ſufficiunt, intelligit. Si verò domus erat magna, cui agnus vnus ſufficere non poſſe videretur, non debebat tollere duos agnos, vt aſſerit Toſtatus, quoniam lex ait: *Tollat vnuſquiſque agnum pe familias, & domus ſuas*. Atque ideo paruas familias maioribus adiungi voluit, idque lex præcepit: de maioribus autem nihil dixit, quia idem de illis, atque de mediocribus intelligi voluit. Nec refert, (quod obijci poterat) non poſſe agnum tot hominibus ſufficere, neque enim ad ſatietatem comedere oportebat, ſed ſatis erat parum ex illo ſumere, cùm poſtea cœnare ſolerent, vt factum videmus, Iob 13. Si autem quis agnum habere non poterat, licebat pro eo hœdum accipere, modo & maſculus eſſet, & ſine macula, atque anniculus: Propterea dixit: *Iuxta quem ritum accipietis & hœdum*. Nec licebat vllum aliud animal immolari pro agno, vt ibidem docet Toſtatus. Quare quod in Deuteronomio ſcriptum eſt. *Immolabiſque phaſe domino tuo de ouibus & de bobus:* non de phaſe propriè dicto intelligendum eſt; ſed de hoſtijs pacificis, quas in diebus Azymorum quotidiè immolabant, vt eſt in capitulo 29. Numeror. Ita etiam Toſtatus, & Lyranus ſentiunt. Etenim vt agnus, ita etiam cæteræ victimæ illius ſolemnitatis appellabantur Phaſe. Ex quo locus perdifficilis intelligitur Ioan. 18. *Et ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha*, ideſt, victimas illas Azymorum, quas niſi mundi, edere non poterant: nam agnum ſuperiore nocte manducauerant. Ceterùm cum legis ſint verba: *Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum, &cæt. Iuxta quem ritum tollet is & hœdum, & ſeruabitis vſque ad decimam quartam diem &c.* Nonnulli, vt ait Toſtatus, duas immolationes eſſe arbitrati ſunt, vnam ex agno die decima, alteram hœdi decimaquarta: quorum opinionem refutat, primò ſi agnus decima die immolaretur, fruſtra id fieret, cùm is in veſpera decimæquartæ, hoc eſt eius diei qua Hebræis ex Aegypto erat exeundum, edi præcipiuntur: ſecundò quia Dominus Deus agnum edendi decima die nullum recitat ritum. Tertio quia vſus aliter etiam docet, quod patet ex 23. Leuit. vbi ponitur catalogus feriarum, ideſt, omnium feſtorum: *Hæ ſunt feriæ Domini, quas celebrare debetis mense primo quartodecimo die menſis ad veſperum Phaſe Domini eſt, & quintodecimo menſis huius ſolemnitas Azymorum*. Quarto quia immolatio iſta vocatur Phaſe, ideſt, tranſitus, nam ex aſperſione iſtius hoſtiæ ad vtrumque poſtem & in ſuperliminari, quæ fiebat decimaquarta die ad veſperam, angelus Hebræorum ædes ab Aegyptiacis diſtinguebat, ideoque ſi aliqua fiebat victima die decima, ea neutiquam Phaſe nuncupari poterat. Quinto quia legiſlator ait; *Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe*. Sextò quia litera Hebraica id clariſſimè docet, iubens vt id animal de arietibus aut capris tollatur. *Cùm verò dicitur & ſeruabitis eum vſque ad decimamquartam diem:* hoc refertur æquè ad hœdum ac ad agnum; quia vterq; die decima tolli debebat & decimaquarta immolari, vt ex huius vel illius ſanguinis aſperſione id quod dictum eſt, angelus intelligeret. Similiter cùm additur, *immolabit eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael*, id quoq; refertur ad vtrumq;, ſed non intelligitur, quod vniuerſa multitudo immolaret vnũ ſiue agnũ, ſiue hœdũ, ſed quod quilibet de multitudine, dũmodo domus illa ſufficeret ad eum abſumendum, vt ſuprà dictum eſt. Lyranus ideo agnũ potius quã quodlibet aliud animal in Phaſe ſacrificatũ fuiſſe arbitratur, quoniã Aegyptij Iouem colebant figura arietis; ne ſcilicet Hebræi agnũ quid numinis poſſidere arbitrarentur, ideo occidere eum à Deo iuſſos. Quam quoq; ſententiam Toſtatus refutat, cùm quod Iouem Hammonem non ſpecie agni, ſed arietis colerent, quem tamen Deus ab hoc ſacrificio excluſit dum anniculum agnum tolli iuſſerit, tùm quia ſi Deus ad iſtiuſmodi idolatriam reſpexiſſet, taurum, aut bouem, potiùs quàm

Cur decimo die tolli & decimũ quartum ſeruari iubeatur.

Lib. 5. de feſt. Heb. c. 3.

Cap. 16.

In cap. 16. Deuter.

Cur agnus potius quam aliud animal.

A quàm quodlibet aliud enim animal occidi voluisset, propter Apim, qui apud illos Deorum pre-
cipuus bouis figura colebatur: agnum itaq; immolari voluisse asserit, quod Hebræorum sacri-
ficia, aliæque ceremoniæ duplicem habebant finem: vel enim respiciebant ad illum tantum-
modo populum, cui præscribebantur, vel ad tempora venturi Messiæ. Priori modo fiebat sacrifi-
cium in memoriam beneficiorum, ac eius potissimum, quod erat propter liberationem à serui-
tute Aegyptiorum, vt dicitur in textu: *Et cùm dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dice-*
tis eis, victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Aegypto per- Cap. 16.
cutiens Aegyptios, & domos nostros liberans. Et in Deuteron. etiam dicitur, quod fieret ad recor-
dationem exitus de Aegypto. Huius aũt finis gratia non magis conueniebat agnus quàm ca-
per, quàm taurus: Altero modo magis agnus conueniebat, quia vt ait Esaias; *Sicut ouis ad oc-* Cap. 53.
cisionem ducetur, & tanquam agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.
Sic & Rupertus ad ea verba: *iuxta quem ritum* &c. Hoc per anticipationem, inquit, dictum
est, necdum enim ipsum tollendi agnum dixerat ritum, & iam dicit, *iuxta quem ritum tolletis,*
& hædum: & est sensus, siue hædum tollat quis siue agnum, pro causa benè erit, dummodo in
B tollendo immolando, vescendo ritum eundem obseruet. Sed & Hugo de Sancto Victore: Qui
non habebit agnum, inquit, saltem hædum immolet secundum ritum agni. Caietanus etiam
ait iuxta Hebræum haberi ex agnis, & capris accipietis, hincque clarè patere, quod dictio su-
perius interpretata, agnus communis est tam agno, quàm hædo, ex eo, quòd iubetur accipi ex
agnis, & capris, nam ex vtrisque simul impossibile fuisse ipsum sumi, nisi medius sumeretur ex
ouibus, & medius ex capris, quod manifestè repugnat præcepto, quod acceptus seruetur viuus,
vsque ad quartamdecimam diem. Author Catenæ hebraicè legi ait: *ex ouibus & capris tolletis*
& poni & pro *aut*, idque frequentissimum esse apud hebræos, aliquosque inde vertisse; quem
ex ouibus, aut ex capris accipietis. Chaldaicam litteram esse, de agnis, & de filijs caprarum ac-
cipietis. Posse ergo pascha occidi, aut ex agnis, aut ex capris. Porrò agnus debebat esse absque *Qualis debuerit esse agnus.*
macula, masculus, & anniculus. Macula non vocatur hic varietas coloris, quam communiter
maculam nominare solemus, sed aliqua monstruositas, aut defectus alicuius membri, aut de-
formitas, aut morbus, vt patet ex Leuiticor. cap. 33. vbi dicitur: *Omnis macula non erit in eo si cæ-* *Esse sine macula quomodo intelligẽdum.*
cum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, vel impetiginem, non offeretis
C *ea domino, bouem, & ouem cauda amputata voluntariè offerre potes, votum autem ex eis solui non*
potest: omne animal, quod vel attritis, vel attonsis, vel sectis, ablatisq; testiculis est, non offeretis do-
mino. Fęminam etiam offerri, aut immolari in his nolebat, quia ea, quæ ad Dei cultum sunt, de
melioribus, de perfectioribusque esse debent, Sexus autem perfectus est masculinus, fœmini-
nus autem valde deficit, quia, vt dicit philosophus, fæmina est masculus occasionatus: Immo-
labantur tamen aliquando capra pro peccato, & oues pro hostijs pacificis, vt dicetur. Ratio ta-
men potissima, cur hic requiratur agnus masculus, erat ad designandum; Christum passurum
pro nobis immolandum: Sed quæritur, inquit Tostatus, cùm hic dicatur, agnus erat immolã- *Masculus cur, & quomodo.*
dus, quare adiungitur masculus, quia dicendo agnus satis apparet quod masculus esse debebat,
quia agnus nunquam fæmella est. Respondet glossa ordinaria, & Andreas, qui eam maximè se-
quitur, hoc adiunctum esse, quia in græco ponitur πρόβατον, quasi vox ea possit extendi ad ma-
sculum & fæminam; quorum sententiam refutans Tostatus: non solùm, inquit, in græco habe-
tur agnus masculus, sed etiam in hebræo. Adde quod D. Hieronymus non ex græco, sed ex
hebræo biblia transtulit. Putat itaque Tostatus, sexum addi, quia istiusmodi nomina aliquan-
D do ponuntur ad designandam speciem, & aliquando ad sexum designandum, nam cùm dici-
mus aliquem habere oues, & vaccas, non solùm indicamus oues tantum possidere fæmellas, sed
etiam arietes, & agnos, nec vaccas tantùm, sed boues etiam & tauros. Similiter agnus sumi po-
test, non solùm pro specie, sed etiam pro sexu; itaque nomen speciei non distinguit sexum, sed
indifferenter conuenit masculo, & fęminæ. *Anniculus*, id est, vnius anni, non quod integrum
annum haberet, sed quod infra annum esset, vel saltem annum non excederet, quia agnus qui *Anniculus quomodo.*
excedit annum iam aries est: poterat autem iste agnus accipi, post octauam diem natiuitatis
suæ, vsque ad ætatem anni vnius, sic enim erat quantum ad oblationem: quia animalia immo-
labilia, non immolabantur vsque ad octo dies suæ natiuitatis, sicuti patet ex Leuitic. cap. 22.
Bos ouis & capra cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris suæ, die autem
octauo, & deinceps offerri poterunt domino. Super est modò, vt dicamus, de ritu sacrifi-
candi, de quo sic legislator: *& sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque po-*
stem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum, & edent carnes nocte illa assas
igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua *Sacrificandi ritus.*
sed assum tantùm igni, caput cum pedibus & intestinis eius vorabitis, nec remanebit quicquam ex

eo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

eo vſque mane. Si quid reſiduum fuerit, igni combu[r]etis. Sic autem comedetis illum: Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinã-ter: Eſt enim phaſe, id eſt tranſitus domini. Iubet autem altiſſimus ſumi de ſanguine agni, & poni ſupra vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedebatur, id eſt, Hebræorum, quia vt ſubinde addit, pro ſigno ſit ibi Hebræos, non Aegyptios habitare: inquit itaque. *Et tranſibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamq; omne primogenitum in terra Aegy-pti, ab homine vſque ad pecus, & in cunctis Dijs Aegypti faciam iudicia ego Dominus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum, in ædibus, in quibus eritis, & videbo ſanguinem, & tranſibo vos, nec erit in nobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Aegypti.* Monet Caietanus, non liniri debuiſſe ſanguine poſtes, & ſuperum limen aulæ, in qua comedebatur agnus, ſed poſtes, & ſuperum li-men externæ portæ domus, in qua comedebatur agnus, quoniam aliàs non fuiſſet ſignum viſi-bile exterminatori tranſeunti per vicos ad occidendum primogenitos in domibus non ſignatis ſanguine agni, quod tamen fuiſſe ſcriptura docet. *Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus &c.* Carnes aſſæ comedebantur, quia citius ita parabantur ad ci-bum; quàm ſi elixarentur, & plus nutriebant: Vtrumque autem feſtinantibus, & iter facturis conueniebat. Panes azymi comedebantur tam decimo quarto die cùm agnus comedebatur, quàm ſeptem diebus ſequentibus, qui vocabantur azymorum, vnde intelligitur reuera fuiſſe octo dies azymorum, id quod etiam teſtatur Ioſephus ſeptem videlicet qui pertinent ad ſolem-nitatem azymorum, quæ incipiebat decimo quinto die vſque ad diem vigeſimum primum, & diem paſchæ, qui erat, decimus quartus, non enim agnus comedi poterat niſi cum pane azy-mo, quare rectè etiam dies paſchæ dicitur primus dies azymorum Matth. 26. & Marc. 14. qui ait: *Et primò die azymorum, quando paſcha immolabant &c.* Et Luc. cap. 22. *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha.* Quod verò apud nos eſt, *cùm lactucis agreſtibus,* in Hebræo eſt, al merorim, id eſt, *cum amaritudinibus,* vt recentiores interpretantur. Quamob-rem volunt hoc eſſe de omnibus herbis amaris, & acribus, & aſpero ſucco madentibus intelli-gendum. Cui ſenſui fauet & Chaldaica, vt citat author catenæ, habens, *cum amaris herbis.* lxx. quoque non vertunt lactucas, quæ Græcè appellantur θρίδαξ ſiue θριδάκη, ſed quemadmodum habent Hebraica, ἐπὶ πικρίδων, hoc eſt, *cum amarulentis,* ſiue *ſub acerbis herbis.* Idem ſentit Lyranus: *In Hebræo* (inquit) *habetur, cum amaritudinibus. & per hoc intelliguntur herbæ ama-ræ indifferenter, nec plus fuit præceptum de lactucis, quam alijs herbis, vt dicunt Hebræi.* Quam-opinionem improbat Ribera, quoniam ſi lex tantùm diceret, *cum amaritudinibus,* ſimiliter quiduis aliud amarum, etiam ſi herba non eſſet, accipi poterat: quod non videtur conſonum rationi. Nam non videtur æquum, vt cum cætera omnia minutiſſimè præſcribat, hac tantum in re ſuum Iudæis iudicium relinqueret, vt vel quiduis aliud, vel hanc, vel illam herbam adhibe-rent, ſed eundem ab omnibus ritum obſeruari oportuit. Et quamuis hoc nomine amaritudines etiam ſignificentur, vt Thren. 3. *Repleuit mè amaritudinibus*: contendit commune hoc vocabu-lum vſu Hebræorum ad herbam quandam amaram accommodatum eſſe, id eſt, ad lactucam ſylueſtrem, & ita Moſem accepiſſe, ne quiuis pro arbitrio in re tanta hanc, vel illam acciperet. Confirmat autem etiam opinionem ſuam Ribera ex verſione lxx. qui, vt eſt dictum, reddiderunt ἐπὶ πικρίδων: quoniam πικρίδα Theodorus Gaza, vir linguæ Græcæ, id eſt, ſuæ peritiſſimus, lactucam agreſtem vertit in Ariſtotele. Eodem etiam modo lxx. verterunt Numer. 9. vbi nos etiam habemus: *Cum azymis & lactucis agreſtibus comedent illud.* Cæterùm videndum eſſet, num ea Theodori verſio ſit approbanda, nam etſi Plinius de lactucæ generibus agens dicat. Pẽ-*ſimum autem genus cum exprobratione amaritudinis appellauere picrida,* & Dioſcorides etiam ſcribat lactucam agreſtem eſſe πίκραν τῆ γεύσει: huic tamen πικρὶς cichorij ſiue intubi genus eſt, & Theophraſtus πικρίδα inter κιχωριώδη enumerat: vnde & Plinius ait: *Amara aphace, quæ & picris nominatur, & ipſa toto anno florens: nomen ei amaritudo impoſuit.* Quo loco Theodo-rus πικρίδα reddidit amaraginem, qui apud Ariſtotelem reddiderat lactucam agreſtem. Qua-re ni fallor, æquè ſylueſtre cichorium cum agno comedi poterat: id eſt vulgare noſtrum cicho-rium, vbique obuium floribus cæruleis, vulgo radicchio nuncupatum cum ſit lactuca agreſtis Ruellio ea, quæ vulgò in officinis dicitur Endiuia, recentioribus quibuſdam endiuia ſylueſtris & ſcariola vulgò. Leuinus Lemnius in eo opere, in quo herbarum, atque arborum, quæ in ſacris biblijs paſſim obuiæ occurrunt, & nomina & vſum non inuenuſtè explicat, eiuſdem quidem fer-mè eſt ſententiæ, ſed quia ideò vulgaris endiuiæ, quæ ipſi quoque eſt vera, at genuina lactuca ſylueſtris vſum improbet, quia adulta nimiam acquirit amaritudinem, nec probo, nec probare debeo, cùm quia ſumma ibi amaritudo requiritur, tum quia adulta cum paſchali agno ſumi tempus anni, quod erat decima quarta Aprilis, non permittit, quia tunc omnes tenerrimæ ſunt herbæ.

Carnes aſſæ cur eſſe debuerint.

Panes azymi quando comederentur.

lib. 2. antiq. cap. 2.

Lactuca agreſtis.

9. Hiſt. 6.

Lib 19. c. 8.

Picris quid.

Li. 2. c. 166.

lib 7. Hiſt. cap. 11.

lib. 21. c. 7.

Amarago.

Lemnij de lactuca ſyl. ſententia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A herbæ. Ad hæc lactuca illa cum agno condimenti vice, vt ipse credit, non elixabatur; assus enim comedebatur, & elixum lex ipsa vetabat, vt ex superioribus constat. Sed verba eius afferam. Cùm itaque esse dixisset, qui hoc loco lactucæ nomine, seridis species designari credunt, & intyba, idest, cichoreum, & quæ corrupta voce scariola dicitur, mox ait: Cæterùm lactucam illam syluestrem, quæ endiuiæ nomine insignita est, in edendi agni paschalis vsum adhibitam velut condimenti loco, non facilè mihi persuadere possum, cùm ob insignem, vrentemque amaritudinem, quæ linguam vellicat, non sit esculenta, nisi cùm primùm emergit, nec adhuc spinis in dorso, parteque auersa armata sit: Vincit enim endiuia vulgaris, quæ germana est lactuca syluestris amaritudine reliquas stirpes, quæ succo lacteo madescunt. Quocirca Medici nouellam, ac teneram in vsum medicamenti adhibent, non adultam, quæ aculeata est, ac spinulis horret, tum vetustate amarescit. Intybi verò species cocto, elixoque agniculo condimenti vice adhibitam prorsus crediderim, nempe cichoreum, & seriolam, ex quorum non solùm folijs, sed radicibus etiam acetaria conficere Belgæ didicere. Deinde dicit lex. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni.* Rationem reddit Tostatus:
B Quia cibus (inquit) crudus indigestibilis est: additque non hoc ideo dici, quasi aliàs Hebræi crudum voluissent deuorare, sed dici ex superabbundantia, cùm omnia voluerit Deus explicare, tam illa, de quibus posset esse error, quàm illa, in quibus non posset errari. Lyranus verò aliam assignat rationem, videlicet illud fuisse vetitum in detestationem idolatriæ, quia aliqui idolatræ (inquit) in honorem deorum suorum, carnes aut crudas aut semicoctas comedebant. Sed fieri potest (inquit Tostatus) quod id Lyranus à quopiam Hebræo intellexerit, nam alioqui, id diligenter apud veteres, nominatim apud Ouidium in Fastis, reperire mihi non licuit.

Agnus cur coctus edi dicatur.

Nec coctum aqua. Duplici ratione, vt idem Tostatus ait, primò, quia carnes expeditiùs assantur, quàm coquuntur: omnia autem ista, quæ fiebant, quandam portendebant velocitatem exeuntium de Aegypto: Secundò quia carnes elixatæ resoluuntur ex humiditate, aqua scilicet subintrante, & calore aperiente porositates, quo modo, propter teneritudinem, etsi faciliùs vẽtriculo obediant, minus tamen nutriunt, ideoque magnos labores exercituris minus conueniebant. Cæterùm cum hisce pugnare videtur, quod dictum est Deuteron. 16. *Immolabis phase*
C *vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Aegypto, & coques, & comedes in loco, quem elegerit dominus Deus tuus.* Idem Tostatus locum vtrumque concilians ait verbum hebraicum significare assare, & coquere, nec posse ambiguitatem tolli, nisi ex adiuncto: ac propterea tam in nostra translatione, quàm in hebræo, non dici, vt nihil coctum comedatur, sed, vt nihil coctum aqua: Ambiguitas enim vocabuli, causa fuit, vt adderetur aqua, quasi aliter rectè intelligi non posset, vtrum assum diceret, an coctum. Sententiam eius veram esse asserit Ribera, quia basal significat id facere, quo cibus aptus fit, vt edatur, siue assatio sit, siue decoctio, siue maturitas in fructibus. Confirmare hoc nostram translationem, 2. paralip. 25. *Et assauerunt phase super ignẽ sicut in lege scriptum est.* Similiter verterunt septuaginta, cùm sit in hebræo hoc ipsum verbum quod coquere, & assare significat. Sequitur, *Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis:* Quo loco, vt testatur Caietanus, superfluit, *vorabitis*, non enim idest in hebræo, nec apud Septuaginta, sed Hieronymus perspicuitatis causa addidit: pendet igitur ex præcedentibus: *non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igni, caput cum pedibus eius, & intestinis*, idest, ne pedes abscindatis, aut caput, vt fieri solet, aut aliquam eorum partem pro-
D ijciatis, aut aliter hæc ad escam paretis, sed assa similiter igni, comedite. Intestina autem educebantur, & abluta ipsi agno imponebantur, vt simul torrerentur, & cum reliquo corpore comederentur. Author catenæ ait hebraicè esse cherahaf, idest, cum cruribus eius, sed idem esse. Monet etiam, intestina intelligi præter fel, & ilea fęces continentia, quę sint abijcienda, significare enim per partes totum, immundam scilicet extorum partem, & esui aptam. Tostatus tradit ideò etiã intestina, & pedes addi, quia istiusmodi victima solius erat domini Dei, ideoque nihil, cùm omnia eius essent sacra perire debebat, vt patet ex cap. 9. numeror. vbi dicitur: *Si quis autem mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium domino non obtulit tempore suo.* In alijs verò carnibus, quas Hebræi comedebant, non requirebatur, vt essent mundę, vt constat ex 12. Deuteron. distinguiturque in hoc esus agni paschalis ab alijs carnibus, quia sicut ad carnes aliorum sacrificiorum, sic etiam in esu agni paschalis requirebatur munditia: habemus enim Leuitic. 7. *Qui fuerit mundus, vescetur ex ea: anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est domino, peribit de populis suis &c.* Sic requirebatur munditia in comedentibus phase, vt patet ex allato Numeror. loco, vbi insuper immundi conquesti sunt, quare non comedebant phase sicut alij, mandatque Deus, quod nullus immundus comedat phase, sed id faciat in mense secundo, quan-

Carnes assæ cur præcepta.

Quid per intestina intelligẽdum.

Immundi phase comedere non poterant.

quando iam mundus fuerit. Diſtinguitur præterea eſus agni (paſchalis) ab alijs carnibus; quia E cæteris carnibus veſci licebat in qualibet vrbe filiorum Iſrael, vt habetur Deuteron. 12. Comedere autem, & immolare phaſe non licebat in qualibet vrbe, ſed ſolùm in loco, vbi eſſet tabernaculum domini, & arca, vt dicitur 17. Deuter. *Non poteris immolare phaſe in qualibet vrbium tuarum, quas dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ſed in loco, quem elegerit dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi immolabis phaſe*; Et in hoc etiam phaſe æquiparatur alijs ſacrificijs, quia & ipſa non poterant in omni loco offerri, ſed ſolùm in loco tabernaculi, vt patet Leuit. 17. & Deuteron. 12. Hoc autem inter victimas pacificorum, & agni paſchalis, etſi vtræque ad eoſdem populares pertinebant, intererat, quod de victima pacificorum etiam ſequenti die comedi licebat, de agno verò immolato, nequaquam, ſed veſpera tantùm diei decimi quinti ſubſequentis; & ratio eſt, quia agni immolatio erat ex præcepto; oblatio verò victimarum pacificarum, erat ex voluntate ſola, & votiua; In his itaque quæ ad neceſſitatem pertinent, vel quæ ſunt ex neceſſitate, ſtrictior regula ponitur, quàm in his, quæ ſolùm voluntaria ſunt. Immolatio autem agni paſchalis non ſolùm non erat ſpontanea, nec votiua, ſed ſub magna præcepti obligatione, vt ſi quis obſeruare negligeret, mereretur mortem, quia dicitur, quod *peribit de populo* F *ſuo*, vt habetur Numeror. cap. 9. De reliquo verò continuò ait lex: *Nec remanebit ex eo quicquam vſque mane; ſi quid reſiduum fuerit, igni comburetis*. Poſteriori huic præcepto; *ſi quid reſiduum fuerit*, addendum eſſet ex hebræo, vt ait author catenæ, *had boker*, ideſt, *vſque mane*. Sed conſultò verborum repetitionem prudens vitauit interpres, cùm neceſſariò ſubaudiretur. Fiebat autem hoc etiam in quibuſdam alijs ſacrificijs: Nam & Leuitic. 7. habemus: *Cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eo quicquam vſque mane*: Eſt autem ſenſus; oſſa, & neruos, & carnem illis inhærentem continuò igne conſumite, nec reſeruentur in diem ſequentem. Si verò, caſu aliquo, in diem ſequentem reſeruata fuerint, ſine mora comburantur. Rupertus idcirco, inquit, ſecundum literam debet intelligi, quia videlicet qui comedat hoc ſacrum mane, Hebræus nullus erit, media nocte cogentibus exire Aegyptijs. Fuere, teſte Toſtato, qui dicerent, oſſa agni immolati, quæ non comeduntur, quia non franguntur, comburi debere, ſed id falſum eſſe ait, quia in litera dicitur, *ſi quid reſidui fuerit*, ſi enim voluiſſet de oſſibus priuatim intelligi, non poſuiſſet ſub dubitationem, quia certum eſt, oſſa propter duritiem eſui eſſe inepta: Rationem itaque, cur nihil de ſacrificio aliquo ſupereſſe debebat, eſſe, quia carnes ſa- G crificiorum erant ſacræ: De ſacris autem cùm ne homini quidem non circumciſo dare licebat, tantùm abeſt vt concederentur canibus, aut alijs animantibus; igne vrebantur, quia & ſic Deus honorabatur, quia holocauſtum fiebat de illis carnibus. *Sic autem comedetis illum; renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes, eſt enim phaſe, ideſt, tranſitus domini*: Hæc omnia feſtinationem indicant, quoniam tunc profecturi erant ex Aegypto, & in memoriam huius feſtinationis omnia codē modo fiebant, renes accingunt, qui properare volunt, ne laxis, & demiſſis veſtibus impediantur: Calceamenta in pedibus habere iubentur, quoniam in cænis ſine calceamentis diſcumbebāt, ne thororum ſtragula polluerentur. Baculi etiam ſunt iter facientium. Vnde autem nonnulli dixerint illos ſtantes comedere agnum ſolitos eſſe, neſcio. Dixit id quidem (vt apparet) Philo in libello de ſacrificijs Abelis & Caini, in medio ferè; ſed ſi id verè ſenſit, ne ille errauit: nam neque ex Græco id colligi patet. In eo verò quod ait: *Eſt enim Phaſe domini*: cauſam primam huius feſtinationis indicat, quæ fuit imitatio velocitatis angeli percutientis Aegyptios, & tranſeuntis Hebræos. His autem ſolis, neutiquam alienigenis, niſi prius circumciderētur, edere paſchalem agnum licuiſſe, ipſe quoque legiſlator ait his verbis: *Hæc eſt religio Phaſe: Omnis alienigena nec comedet ex eo: Omnis aut ſeruus emptitius circumcidetur, & ſic comedet. Aduena, & mercenarius non comedent ex eo.* Mercenarium autem intelligit alienigenam, qui mercedis & lucri cauſa aſſiduè inter Hebræos verſabatur. Et paulo pòſt; *Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe domini, circumcidatur prius omne maſculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ*. Accedo modò ad alia ſacrificia, in quibus vſus erat huius etiam pecoris. Dixi autē in hiſtoria præcedenti de boue, tria fuiſſe apud Hebræos ſacrificiorum genera, holocauſtum, hoſtiam pacificam, & ſacrificium pro peccato; In holocauſto ſecundum animalium genus fuiſſe ex pecoribus; ſic enim ait legiſlator; *Quod ſi de pecoribus oblatio eſt, de ouibus, ſiue capris in holocauſtum: maſculum abſque macula offeret, immolabitque ad latus altaris, quod reſpicit ad aquilonem, coram domino. Sanguinem illius fundent ſuper altare filiarum per circuitum, diuidentque membra, caput, & omnia, quæ adhærent iecori; & imponent ſuper ligna, quibus ſubijciendus eſt ignis. Inteſtina verò, & pedes lauabunt aqua: Et oblata omnia adolebit Sacerdos ſuper altare in holocauſtum, & odorem ſuauiſſimum domino.* In qui-

Quomodo differat agni paſchalis oblatio à victimis pacificis.

Cur de ſacrificijs nihil ſupereſſe debuerit.

Comedendi modus.

Quibus edere conceſſū.

Sacrificiorū genera.

Holocauſtū.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A quibus ea tantùm aduotemus, quæ à priori holocausto, in quo sacrificabatur vitulus, differunt. In primis agnum, & hædum anniculos esse oportebat, cum vitulum grandiorem etiam mactare liceret, vt testatur Iosephus. *3. antiq.* Legitur & in nonnullis codicibus, *agnum masculum anniculum, & absque macula offerret*, cùm in hebræo, & in translatione Septuaginta, & in Chaldaica paraphrasi hoc tantùm sit, quod posuimus, *masculum absque macula offeret*. *Agnus anniculus.* Anniculus autem intelligitur, sicut etiam suprà diximus, qui annum non excesserit, licet totum minimè expleuerit. Illud etiam peculiare huius holocausti, immolari ad latus altaris aquilonare, non super altare, sed iuxta, cauum enim erat altare, nec eiusmodi, vt super illud animalia immolarentur. Cur autem ad latus aquilonare, dicetur in mystica significatione, sunt enim permulta in his, quæ significationis tantùm causa præcepta sunt. *Hostia pacifica.* Poterat, & hostia pacifica ex ouibus offerri, atque etiam ex capris, eodem prorsus ritu, quo cùm erat ex bobus, nisi quod cùm erat ex ouibus, & offerebatur agnus, cauda etiam tota incendebatur domino. Porrò sacrificium pro peccato non semper eodem modo fieri solere, in boue etiam dictum est, sed variari personis, & hostiarum genere, & causis offerendi; Personis, quia aut pro peccato pōtificis offerri, aut pro pec-
B cato populi, aut principis, aut plebei hominis. Hostiarum genere, quia aut vitulū, aut hircum, aut capram, aut vaccam, aut agnam. Causis offerendi, quia aliter offerebant, qui per ignorantiam peccabant, aliter qui scientes, & volentes. De omnibus sigillatim diximus, hic tamen priuatim dicturi, quæ peculiariter ad huius pecoris historiam pertinent. *Peccatum plebis per ignorantiā.* De peccato itaque plebei per ignorantiam dico ex 4 Leuit. Plebeius homo, qui more scripturæ vocatur de populo terræ, offerre iubetur capram, aut etiam ouem. Fit autem sacrificium eodem ritu, quo cùm offertur hircus pro peccato principis. *Peccatum principis per ignorātiam, & eius holocaustum.* Princeps autem per ignorantiam peccans offerens domino hostiam hircum &c. ponere iubebatur manum super caput eius, cùmque immolauerat eum, vbi mactari solet, holocaustum coram domino, quia pro peccato erat, Sacerdos tingere iubebatur digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundēs ad basin eius. Adipem verò adolebat suprà, sicut in victimis pacificorum fieri solet, rogabatque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittebatur ei. Plebeium autem hic vocant quemlibet de populo, qui princeps non sit. Et quia minus digna persona est, quàm principis, minorem etiam victimam offert, nec marem, sed fæminam; huic enim fæmina conueuit, sicut mas magi-
C stratui, vt ait Philo in libello de victimis: Minus quippe virilitatis, vt ita dicam, sapientiæque habet priuatus homo, quàm princeps. *Peccatum per ignorātiam.* Si quis cæremonias sacrorum per ignorantiam violarat, vt si oleo sacræ vnctionis, aut thymiamate Deo dicato vteretur, aut ederet sacros cibos, quos solis Sacerdotibus edere licebat, arietem offerre iubebatur, Leuit. 5. propter cultū Deo, rebusque sacris debitum. *De peccato sine ignorātia comisso.* *Iam verò anima, si peccauerit per ignorantiam, feceritque vnum ex his, quæ domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offerre iubetur arietē immaculatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram æstimationemque peccati, qui orabat pro illo quod nesciens fecerat & dimittebatur illi, quia per errorem deliquit in domino. Item anima quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit proximo suo depositum &c. & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines. Pro peccato suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti iuxta mensuram, æstimationemque delicti, qui rogabit pro eo coram domino, & dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccauit. Arietem immaculatum de grege*, id est tenerum, & optimum, *iuxta mensuram æstimationemque delicti* Ita hoc intelligendum est, vt pro maiori peccato melior, & preciosior aries offeratur, vilior & deterior pro minori, vt iu-
D dicauerit Sacerdos: Sic interpretatur Ribera: Sed Tostatus, *4. de sacrificijs c. 6.* mauult arietem hic exigi emptum duobus siclis, quoniam paulo ante dixit de eo, qui per errorem in cæremonias peccauerat: *Offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis.* Quare cùm nunc ait: *Iuxta mensuram, æstimationemq; delicti*, ipse ita interpretatur: Tantus erit valor istius arietis, qui offertur, quanta æstimatio, vel mensura posita in ariete pro peccato, idest, duorum siclorum. At non animaduertit, inquit Ribera, vbi precium duorum siclorum constituitur, non addi; *iuxta mensuram æstimationemque delicti*, quia iam certum precium definiebatur: vbi verò dicit: *Iuxta mensuram æstimationemque delicti*, non constitui precium duorum siclorum, quoniam constitui non poterat, cum precium arietis immolandi, arbitrio Sacerdotis relinqueretur. Verba ergo ipsa Tostati expositionem refutant, quomodo enim erit aries iuxta mensuram, æstimationemque delicti, si eiusdem precij sit, qui pro peccatis omnibus offertur. *Cōfessionis sacramentalis typus.* Itaque haud obscurè hic vmbram, & figuram confessionis nostræ videmus, quandoquidem & de occultis peccatis hic agitur, vt apertè docuit Iosephus, *3. antiq. capit. 10.* dicens; *Qui autem sciēs peccauit, nemine conscio, arietem offeret, lege ita iubente &c.* Et is qui peccaret, iubetur adire Sacerdotem, & peccatum illi detegere, vt pro eius arbitrio aries eligatur, & ipse pro peccatore oret. Est verò explicatu dignissi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

gniſſimum,cur in peccatis per ignorantiam admiſſis pontificis,& totius populi, principumque E
meminerit, in ijs autem,quæ conſultò admittuntur, vnam omnibus legem ſtatuerit,& ſine vl-
lo delectu de omnibus dixerit: *Anima quæ peccauerit,& contempto domino, &c.* Nec maiorem
hoſtiã à pontifice,aut à toto populo,aut à principe offerri iubeat, quàm à plebeio homine,cùm
ſecus in peccatis ex ignorantia ſtatuerit. Deinde cùm conſtet,grauiora eſſe peccata,quæ ſcien-
tes facimus,quàm quæ per ignorantiam fiunt,cur in his vitulum offerri pręcepit maiorem ho-
ſtiam,& meliorem,in illis verò arietem? Mihi quidem,inquit Ribera, videtur Moyſes in pec-
catis, quæ homines ſcientes admittunt, non meminiſſe pontificis,aut principis, aut populi to-
tius, vt doceret hos quidem inſcientes peccare poſſe,vt homines; à ſcientibus verò longiſſimè
abeſſe debere omne peccatum. Maiores autem, ac precioſiores victimas offerre iubebantur,
qui ſcientes peccant, quàm qui inſcientes, quoniam homo de populo terræ per ignorantiam
peccans, capram offert, aut ouem; ſi prudens, & ſciens peccet, offert arietem; pontifexque aut
princeps,aut totus populus,ſi ſciens peccet,quaſi quiſpiam de media plebe,iudicatur. Magnũ
autem eſt totius populi peccatum, ideoque magna etiam hoſtia indiget,vitulo ſcilicet, eſtque
eadem de peccato principis interpretatio, minor tamen in illo hoſtia offertur, quia minus eſt F
peccatum principis,quàm totius populi: Offertur autem pro maiori eius peccato aries, qui pre-
cioſior eſt capra,& oue. At qui ouem,aut arietem offerunt,tacitè admonentur, vt impoſterum
innocentiæ ſtudeant, dentque operam, vt quibus aut iniuria aliqua, aut exemplo nocebant,
omni ratione proſint. Sed de priori præcepto mox in myſticis. Porrò immolabantur etiã agni
in ſacrificio iugi,quod quale ſit,& cur iuge dicatur,lex ipſa docet Numeri 28. *Hæc ſunt ſacrifi-
cia,quæ offerre debetis, agnos anniculos immaculatos duos,quotidie in holocauſtum ſempiternum.
Vnum offeretis manè, & alterum ad veſperum in decimam partem æphi ſimilæ, quæ conſperſa ſit
oleo puriſſimo,& habeat quartam partem hin. Holocauſtum iuge eſt, quod obtuliſtis in monte Si-
nai in odorem ſuauiſſimum incenſi domini,& libabitis vini quartam partem hin per agnos ſingu-
los in Sanctuario domini. Alterumque agnum offeretis ſimiliter ad veſperam iuxta omnem ritum
ſacrificij matutini & libamentorum eius,oblationem odoris ſuauiſſimi domino.* De eodem eadem
dixerat Exodi 29. Sed de hoc ſacrificio etiam in boue dictum eſt. Huius initium fuiſſe matuti-
num ſacrificium teſtatur litera,appellando,vt ait Caietanus,agnum ſacrificij veſpertini,agnũ
ſecundum;& quia non expectandus erat occaſus Solis pro hora ſacrificij veſpertini, ideo dici- G
tur inter veſperas,hoc eſt,inter occaſum Solis, & Solem propinquum occaſui: Nec verò men-
ſura ſimilæ,nec menſura vini,nec modus,quo res iſtæ adhibentur agno,qui cremebatur, inno-
tuit,inquit,nobis(nos quid hin,& æpha ſit,in boue ex Ribera diximus) ſcimus duntaxat, quod
agnus tam matutinus,quàm veſpertinus cremebatur,adhibitis ei tribus iſtis rebus ſimila, oleo,
& vino,vt in his quatuor vniuerſis, fructus terræ Deo iugiter ſacrificarentur. De Sacerdotum
conſecratione,rituque oblationis pro illis habemus præceptum Dei in principio eiuſdem loci:
*Sed & hoc facies, vt mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos
immaculatos,paneſque azymos,& cruſtulam abſque fermento,quæ conſperſa ſint oleo, lagana quo-
que azyma,oleo lita. De ſimila triticea cuncta facies,& poſita in caniſtro offeret. Vitulum autem
& duos arietes,& Aaron & filios eius applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonij. Cumque laueris
patrem cum filijs ſuis aqua,indues Aaron veſtimentis ſuis, ideſt, linea & tunica & ſuper hume-
rali & rationali,quod conſtringes baltheo,& pones tiaram in capite eius,& laminam ſanctam ſu-
per tiaram,& oleum vnctionis fundes ſuper caput eius,atque hoc ritu conſecrabitur. Filios quoque
illius applicabis & indues tunicis lineis,cingeſque baltheo, Aaron ſcilicet & liberos eius: & impo- H
nes eis mitras,eruntq; ſacerdotes mihi religione perpetua.* In Hebræo legitur Lekack par echad
ben bakar, *Accipe ſeu tolle vitulum vel iuuencum vnum filium bouis,ſiue vaccæ,* ſed hoc paruire-
ferre ait Author catenæ,eſſeq; Hebraiſmum pro nondum adulta: additque alios vertere, *Tol-
le iuuencum vnum ex bubus.* Lxx. λήψῃ μοσχάριον ἐκ βοῶν ἕν, *Accipies vitulum ex bobus vnum.*
Chaldaica, *tolle vitulum de armento.* Hęc autem omnia idem dicere. *De ſimila triticea cuncta
facies,& poſita in caniſtro offeres,vitulum autem & duos arietes,&c.* In Hebræo eſt, *Poneſque
in caniſtrum vnum,& offeres ea in caniſtro vnà cum iuuenco,& duobus arietibus.* Alij, *Poneſque
hæc in ſporta vna cum vitulo & duobus arietibus.* Septuaginta autem & Chaldaica videntur eo-
dem modo legere,quo & Latinus interpres, videlicet, *poneſque ea in caniſtro vno, & offeres ea
in caniſtro,& vitulum & duos arietes,&c.* Verùm & hoc per exiguum eſt,in idem enim tandem
hæc omnia redeunt; Cuncta ſiquidem iſta deo offerenda erãt,etiam homines ipſi. Quia autem
omnis conſecratio, emundatio quædam habebatur, qua de prophano quiſpiam, ſacer & ſan-
ctus reddebatur, ideo pecorum mactatio (inquit idem author) interueniebat, quod tunc nihil
emundabatur,niſi in ſanguine,non humano,qui lege naturę & diuina effundi prohibitus erat,
ſed

Victimæ diuerſitas pro magnitudine.

Sacrificium iugi.

Conſecrationis Sacerdotũ ritus.

Pecorũ vſus cur in conſecratione Sacerdotis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A sed animalium mundorum,& sine defectu existentium. Igitur pro consecratione summi Sacerdotis Aaron, offerri iubetur iuuencus, hoc est, vitulus iã adultus, fortis & elegans, ex multis electus, cui adduntur arietes duo, & ipsi immaculati, nam nullũ animal maculosum immolari debebat, præcipuè in Sacerdotis summi consecratione. Et quia etiam gentilium ritus erat, multi generis panes dijs suis offerre, & in excelsis solenniter edere, sed omnia cũ fermento, iubet Dominus Moysi omnibus sacrificijs istis abesse omne fermentum, vt sint azyma & oleo plus minusuè oblita. Sunt qui, teste Tostato, immolari in hac sacerdotum cõsecratione vitulum velint, in memoriam illius vituli, quem fabricauit Aaron, & adorauit populus, quod tamen ille refutat, ideo hic immolari arbitratus, quia cùm sit hostia maior, etiã pro maiori peccato, quale est sacerdotis, immolandus erat. Pro peccato autẽ hic offerri patet ex subsequentibus vbi dicitur: *Carnes verò vituli, & corium, & fimum combures foris extra castra, eo quòd pro peccato sit*. Offerebantur verò duo arietes, vt ait Lyranus, vnus ad memoriam arietis, quem immolauit Abraham pro filio suo Isaac, quia ibi obediẽs valde fuit, cuius imitatores esse debent sacerdotes; & alterum, ad memoriam agni immolati in exitu de Aegypto. Sed & hæc sententia nõ probatur Tostato, quia cùm fit aliquid ad memoriam alicuius rei, id debeat fieri congruenter, atque ita

Vitulus cur in consecratione sacerdotum immoletur.

B deberet offerri vnus aries, & vnus agnus, vt scilicet agnus agno responderet. Dicendũ itaq; putat, duos à Deo iuberi offerri arietes, quia solennitas consecrationis sacerdotũ, inquit, erat valdè magna, ideò debebant in ea omnia sacrificiorũ genera offerri: Genera autem sacrificiorum sunt tria, scilicet holocaustum, hostia pro peccato, & hostia pacifica: In quibus omnibus hic offertur, vitulus enim pro peccato vt dictum est: vnus aries in holocaustũ, vt patet ex his verbis: *Ipsum autem arietem cõcides in frusta, lotaq; intestina eius, & pedes pones super concisas carnes, & caput illius, & offeres totum arietẽ incensum super altare*. Alter aries erat in hostiam pacificam, vt patet, quia infra mandatur, vt coquerentur partes carnium eius, & comederent eas Aaron, & filij eius in loco sancto, & sunt partes, quas accipiebant de hostijs pacificis, vt constat ex 8. Leuit. *Arietes immaculatos*. Hoc adiectiuum licet immediate coniungatur substantiuo, arietes, nihilominus etiã ad vitulũ coniungendũ est, quia nec vituli, nec arietes maculati esse debebant; nullũ namq; animal Deo offerri poterat, in quo vlla esset macula. Positis sacrificijs, quæ fiebãt ex rebus animatis, subiunguntur sacrificia de reb. inanimatis, vt nimirum solẽnitas tantę consecrationis totaliter impleretur, & ex omni genere sacrificiorũ offerretur. *Et crustulã absq;*

Arietes duo cur.

Sacrificiorũ genera quot.

C *fermento*. Crustula secundum Tostatũ est quoddã genus panis tenuissimi, ita vt totũ crusta esse videatur: In hebręo dicitur simila, quod inquit idem est, nam illa crustula de simila fiebat. Erat autem sine fermento, quia fermentum malitiam conscientiæ denotat, quæ à sacerdotib. procul abesse debebat, sicut declarat Apostolus 1. Corint. 5. inquiẽs: *Non in fermẽto malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis synceritatis, & veritatis*. Adde etiam, quod sacerdotes idolorũ panẽ pollutũ, & fermentatum offerebant. Sequitur Scriptura: *Postquam initiaueris manus eorũ, applicabis & vitulũ corã tabernaculo testimonij. Imponentq; Aaron & filij eius manus super caput illius, & mactabis eũ in conspectu domini iuxta ostiũ tabernaculi testimonij. Sumptumq; de sanguine vituli pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autẽ sanguinẽ fundes iuxta basin eius. Sumes & adipem totum, qui operit intestina, & reticulũ iecoris, ac duos renes, & adipẽ, qui super eos est, & offeres incensum super altare. Carnes verò vituli, & corium, & fimum combures foris extra castra, eo quòd pro peccato sit. Vnum quoq; arietem sumes super cuius caput ponẽt Aaron & filij eius manus, quem cùm mactaueris, tolles de sanguine eius et fundes circa altare, ipsum autem arietem*

D *secabis in frusta, lotaq; intestina eius, ac pedes, pones super concisas carnes, & super caput illius, & offeres totum arietem incensum super altare. Oblatio est domino, odor suauissimus victimę domini. Tolles quoque arietum alterum, super cuius caput Aaron, & filij eius ponent manus. Quem cùm immolaueris, sumes de sanguine ipsius, & pones super extremum auriculæ dextrę Aaron, & filiorum eius, & super pollices manus eorum, ac pedes dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum. Cùmque tuleris de sanguine, qui est super altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron, & vestes eius, filios, & vestimenta eorum, consecratisque ipsis, & vestibus, tolles adipem de ariete, & caudam & aruinam, quę operit vitalia, ac reticulum iecoris, & duos renes atq; adipem, qui super eos est, armumq; dexterum, eo quod sit aries consecrationis, tortamq; panis vnius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu domini, ponesque omnia super manus Aaron, & filiorum eius, & sanctificabis eos eleuans coram domino. Suscipiesque vniuersa de manibus eorum, & incendes super altare in holocaustum odorem suauissimum in conspectu Domini quia oblatio eius est sumes quoq; pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisq; illud eleuatum corã domino, & cedet in partem tuam. Sanctificabisq; & pectusculum consecratum, et armũ, quem de ariete separasti, quo initiatus est Aaron, & filij eius, cedentq; in partem Aaron, & filiorũ eius iure perpetuo à filijs Israel. Quia primitiua sunt, &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

initia de victimis eorũ pacificis,quæ offerunt domino. Veſtem autem ſanctam,qua vtatur Aaron, E
habebunt filij eius poſt eum,vt vngantur in ea,& conſecrentur manus eorũ. Septem diebus vtetur
illa,qui pontifex pro eo fuerit cõſtitutus de filijs eius,& qui ingredietur tabernaculũ teſtimonij,vt
miniſtret in Sanctuario. Arietem autem conſecrationis tolles,& coques carnes eius in loco ſancto,
quibus veſcetur Aaron,& filij eius: Panes quoque qui ſunt in caniſtro in veſtibulo tabernaculi te-
ſtimonij comedent,vt ſit placabile ſacrificium,& ſanctificentur offerentium manus. Alienigena nõ
veſcetur ex eis,quia ſancti ſunt,quodſi remanſerit de carnibus conſecratis,ſiue de panibus vſque
mane;combures reliquias igni: non comedentur, quia ſanctificata ſunt. Cùm Moyſes miniſter
Domini fratrem Aaron inprimis vngere,& conſecrare debebat, vt ipſe iam pontifex creatus,
alios poſtea ſacerdotes ordinaret,prout dominus iuſſerat, ipſe prius ſacrificio confirmari habe
bat,iam omnibus præſentibus & paratis,proſequendo à Moyſe ritu,de quo hic fit ſermo. *Poſt-*

Immolationis in conſecratione exordium.

quam initiaueris. Hic exordium eſt ipſius immolationis,quæ diuiditur in quatuor partes,ſcili-
cet in ſacrificium pro peccato,oblationem in holocauſtum, nempe ibi : *Vnum quoque arietem:*
Sacrificium pacificum, ibi: *alterum quoque* : & in replicationem ritus iſtius conſecrationis per
dies ſeptem,ibi:*omnia quæ præcepi tibi. Applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonij.* Su- F
prà dixerat,quod Aaron,& filij eius, & vitulus,atq; arietes duo applicarentur coram oſtio ta-
bernaculi,antequam Aaron,& filij eius lauarentur & inducerentur , hic autem mandat iterum
applicari. Pro quo ſciendum,inquit Toſtatus,quòd vitulus , & arietes duo ducebantur ad im-
molandum,& immolatio,& concrematio ſacrificiorum fiebat in altari holocauſtorum, quod
erat circa oſtium tabernaculi , vt patet infra in litera ; Applicabantur igitur iſta animalia ad
oſtium tabernaculi, quia applicabantur ad altare holocauſtorum , ſed facta illa conſecratione
corum,vitulus qui primò immolandus erat,magis applicabatur ad altare,vt ibi immolaretur,
& de ſecunda applicatione hic loquitur. *Imponentq; Aarõ,& filij eius manus ſuper caput illius,*
ideſt,poſtquam applicaretur vitulus ad altare holocauſtorum,Aaron , & quilibet de filijs eius

Cur hoſtijs manus impoſita à conſecrandis.

imponebant vtramq; manum ſuper caput eius,& ſic immolabatur. Cur verò id fieret,quæſtio
eſt. Aliqui,teſte Toſtato,volunt impoſitionem iſtam manuum fuiſſe ad ſuſcipiẽdam poteſta-
tem,hoc eſt,quòd imponendo manus ſuper caput illius vituli immolãdi pro peccato, ſuſcipie-
bant poteſtatẽ immolandi hoſtias pro peccato. Quod ipſe redarguit, quoniã nõ ſolùm id fiebat
in ſacerdotibus, ſed etiam in omnibus vulgaribus offerẽtibus holocauſta,vt patet ex 1. Leuit. G
vbi dicitur:*Si holocauſtum fuerit eius oblatio,de armento maſculum immaculatum offeret ad oſtiũ*
tabernaculi,ponetq; manum ſuper caput hoſtię .Idẽ legitur de hoſtia pacifica Leu. 3 Atqui clarũ
eſt,homines vulgares per iſtiuſmodi impoſitionem manuum non accepiſſe poteſtatẽ immolã-
di aliquod genus ſacrificij. Dicendum itaq; iudicat,iſtiuſmodi impoſitionẽ factã fuiſſe dupli-
cem ob cauſam ; primò quia cùm animal immolandum eſſet offerentis, imponendo manus il-
lud quaſi de manibus emitteret,& ad vſum diuini cultus trãſferret,ne deinceps eſſet in ſua po-
teſtate. Secundò,quia hęc eadem manuum impoſitio erat quaſi quædam imprecatio maximè
in hac immolatione,quę erat pro peccato . Offerebant n. ſacerdotes iſta animalia pro peccato
ſuo, vt remitteretur. Imponendo ergo manus videbãtur iſta imprecari, videlicet, vt Deus trãſ-
ferret pænas debitas peccatis illorum in caput animalis immolãdi,& mors, quam ipſi pro pec-
cato ſuo meruerant,inferretur capiti illius pecoris. Eo enim modo Deus placabatur & remit-
tebatur peccatum offerentium; Idq; non ſolùm fiebat in ſacrificijs pro peccato,ſed etiã in ho-
locauſtis,quæ licet directè offerrentur ad laudẽ Dei,tamen etiam proficiebant ad remiſſionem
peccatorum,quod ſatis innuitur 1.Leuit.cùm dicitur: *Ponetq; manus ſuper caput hoſtię, & ac-* H
ceptabilis erit,atq; in expiationem proficiens eius,ideſt,per iſtam manus impoſitionem, iſta ho-
ſtia erit ad remiſſionem peccatorum eius,qui offerebat , & hoc modo intelligebant hic ſacer-
dotes. *Sumptumq; de ſanguine vituli,pones ſuper cornua altaris:* Sẽſus eſt;Sacerdos,ſiue Moy-
ſes,qui habebat hic locum ſacerdotis , ponet ſuper cornua altaris ſanguinem ſumptum de ſan-
guine vituli,ideſt,aliquam partem ipſius. Cornua altaris dicuntur extremitates eius,quo ſen-
ſu & nos dicimus in noſtro altari,cornu dextrum,& ſiniſtrum,ideſt,extremitatem dextram, &
ſiniſtram. *Combures foris extra caſtra.* Ipſe Moyſes curabat primò ligari vitulum, & occide-
bat eum,fundebatque ſanguinem vt dictum eſt:deinde aperto ventre , detrahebatur tota pin-
guedo cum vtroq; renunculo,mox etiam cadauer non decoriatum,& cum inteſtinis,cornibuſ-
que , & cæteris partibus ducebatur extra caſtra in locum mundum , vbi comburebantur car-

Extra caſtra quid.

nes ipſæ,fimum, & omnia alia . Additur autem , *foris extra caſtra* , quia modus iſte loquen-
di conueniebat illo tempore , quo totus Iſrael erat in deſerto , & vitulus ad comburendum
extra caſtra . Deinceps huiuſmodi ſacrificia pro peccato in terra promiſſionis ducebantur
extra ciuitatem . Ratio autem quare carnes iſtius vituli , & fimus, & omnia combu-
ri

A ri debebant extra castra, est, vt ait Lyranus, vt signetur, quòd peccata, & circumstantiæ pecca-
torum debent longè esse à Sacerdotibus, qui pro peccatis suis, & totius populi orant. Per car-
nes vituli ipsum peccatum intelligi vult; per fimum, & pellem, &c. peccatorum circumstantias;
Sed & hanc sententiam redarguit Tostatus, quia hoc nõ solùm fit in sacrificio oblato pro pec-
catis Sacerdotum, sed etiam in eo, quod offertur pro peccato totius populi: Nam cùm totus
populus peccaret, immolabatur pro peccato eius vitulus, & carnes eius cum fimo, & pelle com-
burebantur extra castra, vt patet 7. Leuitic. Et si fortè dicas, non solùm debere peccatum, &
peccatorum circumstantias non cadere in Sacerdotes, sed etiam in populum, ideo in sacrificio
vtrorumque pro peccato debere carnes vituli efferri extra castra, hoc etiam refellitur, quia non
efferebantur in quolibet sacrificio pro peccato carnes extra castra, nam licet id fieret in sacri-
ficio pro peccato Sacerdotis, & totius populi, tamen in sacrificio pro peccato principis terræ,
vel alicuius personæ priuatæ, non efferebantur carnes extra castra, vt patet 4. & 5. Leuitic. sed
efferebantur adipes earum, sicut in sacrificijs pacificis, & carnes comedebantur à Sacerdoti-
bus, vt habemus Leuit. 6. Causa ergo, cur carnes vituli immolati pro peccato Sacerdotũ, quod
B magnũ est, & per se, & per accidens, cũ peccata principis, & personarum priuatarum non sint
ita magna per se, aut per accidẽs. *Eo quod pro peccato sit*: Ecce hæc est illa causa, cur extra castra
carnes comburerentur; monet tamen Tostatus non rectè causam istam reddi vniuersaliter; sci-
licet quòd ideo comburebãtur carnes vituli extra castra, quia pro peccato est. Nam, sic, inquit,
oporteret vt omnia sacrificia pro peccato comburentur extra castra, quod falsum est, quia in
sacrificio pro peccato principis, vel personarum priuatarum, id neutiquam fiebat. Dicendum
ergo, ait, sic debere hoc intelligi, quia carnes sunt vituli immolati pro peccato, sic enim causa
reddetur vniuersalis: Nam licet vniuersaliter non sit verum, quod carnes, quę immolantur pro
peccato, debeant extra castra comburi, tamen vniuersaliter verum est, carnes omnium vitulo-
rum immolatorum pro peccato, debere extra castra comburi, nã vitulus solùm immolatur pro
Sacerdote, qui vnctus est, & pro peccato totius populi: Pro peccatis principis, aut priuatarum
personarum capræ. Redditur ergo illa causa in carnibus vituli pro peccato immolati, & non in
carnibus simpliciter pro peccato immolatis. Et est sensus: Istæ carnes vituli cum fimo, & corio
debent comburi extra castra, quia pro peccato est vitulus iste immolatus, quasi dicat, si iste vi-
C tulus immolatus esset pro holocausto, aut pacificis victimis, non cremarentur carnes eius extra
castra, sed quia pro peccato sunt, extra castra comburi debent. *Vnum quoque arietem*, idest, non
solùm immolabis vnum vitulum pro peccato secundum cæremonias suprà positas, sed etiam
offeres vnum arietem, sed non pro peccato, sed in holocaustum, quod, vt dictum est, fit potissi-
mum ad laudem, & gloriam Dei. *Super cuius caput ponent Aaron, & filij eius manum.* Sicut po-
nebant manus super vitulum antequam offerretur; similiter ponebant super caput arietis. Si- *Tollere de*
militerq; dicendum, quòd dum imponebant manus, quodãmodo indicarent, se trãsferre arie- *sanguine*
tem illum ad cultum Dei, sicuti antea erat ad vsum humanum, vel ponebant manus super ca- *quid.*
put eius, imprecantes ei peccata sua, vt Deus trãsferret pęnas debitas illis pro peccato in caput
arietis, & licet hoc magis conueniret in vitulo, qui nimirum nõ erat pro peccato, quã in ariete,
qui immolabatur in holocaustum: Conueniebat tamen etiam quodammodo in ariete quate-
nus holocaustum proficit ad expiationem peccatorum, vt suprà dictum est. *Tolles de sanguine
eius.* Idem supra de sanguine vituli dixerat, & de omnibus alijs hostijs dicitur, ne scilicet, cùm
eiusmodi pecora immolarentur, quicquam sanguinis eorum deperiret; sciendum tamen, quod
D iste non est proprius modus loquẽdi: nam tollere de sanguine, est tollere aliquam partem san-
guinis, & non totum, debebat tamen Moyses tollere totum sanguinem huius arietis, & effun-
dere circa basin altaris, nimirum circa eius circuitum. Quod autẽ totus sanguis ibi funderetur,
inde innotescit, quod in sacrificijs pro peccato, vt suprà de vitulo dictum est, tollebat Moyses
modicum de sanguine in digito suo, & tingebat cornua altaris, reliquũ autem sanguinem fun-
debat ad basin altaris, siue per circuitũ eiusdem: Hic autem nihil accipitur de sanguine ad tin-
gendũ cornua altaris; totus igitur sanguis fundendus erat, aliàs enim dicendũ foret, quòd quę-
dam tantùm pars sanguinis funderetur ibi, alia verò in alio quodã loco, quod nõ quadrat scri-
pturę, quandoquidem hostiarum omnium sanguis totus pertinebat ad altare, vt patet in cæte-
ris alijs sacrificijs, diligenter Leuitici librũ inspicientibus: Cur autem in hoc de ariete sacrificio
non tingerentur cornua altaris digito Sacerdotis tincto in eius sanguine, sicut fieri dictũ est de
vitulo, nonnulli hanc attulerunt rationem, quòd sanguis tingeret altaris cornua ad expiationẽ,
quę fit pro peccato; Quam sententiam adstruunt ex sequenti capite, vbi dicitur: *Et deprecabi-
tur Aaron super altare semel per annum in sanguine quod oblatum est pro peccato, & placabit su-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

per eo in generationibus veſtris. Iſta autem placatio, inquiunt, in ſanguine fiebat tingendo E
cornua altaris thymiamatum, vt dicitur Leuitici 16. Sacrificia autem arietum iſta non erant
pro peccato, ſed in holocauſtum, & hoſtiæ pacificæ: Ergo non oportuiſſe, aiunt, tingi alta-
re, ſed fundi ſanguinem circa baſin eius. Cæterùm iſtiuſmodi homines multipliciter erra-
re Toſtatus aſſerit, primò quia eorum ſententia nititur ſuper hoc, quod in ſacrificijs holo-
cauſtorum non tingeretur altare ſanguine, quod, inquit, falſum eſt, quemadmodum cla-
rum eſt ex præcitatis, & eodem modo ſcribitur de victimis pacificis Leuitic. 3. Sin con-
cedant illi in quolibet ſacrificio altare ſanguine tingi, aut in cornibus, aut in parietibus ſo-
lùm; Id quoque nullum eſt, quia ſic cogentur concedere, in quolibet ſacrificio fieri expia-
tionem, quod tamen ex eorum argumentis non colliges; neque etiam verum eſt, ſolummo-
do fieri expiationem in ſacrificio pro peccato, facto, quod ipſi volunt, quia in omni ſacri-
ficio peccatorum fit expiatio, licet diuerſimodè; nam in ſacrificijs pro peccato fit expiatio
directa, hoc eſt, iſte eſt finis, ad quem iſta ſacrificia fiunt, vt peccata remittantur; alia au-
tem ſacrificia directè fiunt ad laudem, & honorem Dei, vt holocauſtum; & ad gratia-
rum actiones, vt hoſtiæ pacificæ, faciunt tamen iſta etiam aliquo modo ad expiationem. F
De holocauſto id docemur, Leuitic. 1. De hoſtia pacifica 7. vt quilibet per ſe videre pote-
rit. Rurſus quæret aliquis; Cur primò offerebatur ſacrificium vituli, quod erat pro pecca-
to, quàm ſacrificium arietum, quorum alter erat in holocauſtum, alter in victimas paci-
ficas? Reſpondet Toſtatus, hanc eſſe rationem, quia licet omnia ſacrificia ſint quodam-
modo ad expiationem peccatorum, quædam tamen ad eam pertineant directè, quædam
indirectè, vt paulò antè dictum eſt. Vt itaque Deo accepta ſint poſteriora ſacrificia, ne-
ceſſe eſt, vt illud primùm præmittatur tanquam diſpoſitio quædam ad alia, ſicut in ſacra-
mentis noui teſtamenti ſit, vt exempli cauſa, ſacramentum pœnitentiæ diſponit nos ad ſa-
cramentum Euchariſtiæ, & ſic Leuitici decimi ſexti, in die propitiationis, quando Sacerdos
magnus orabat pro peccatis totius populi, prius orabat pro peccatis proprijs, & vt ſacri-
ficium, quod faciebat pro peccato populi, acceptabile eſſet, prius orabat, vt peccatum
ſuum remitteretur, offerens pro illo hoſtias. Quod ſi verò contrà quis arguat, quoniam
ſicut holocauſta facta in peccato, grata non ſunt, ita & ſacrificia facta in peccato pro
peccato, non erunt accepta, quoniam orationes peccatorum non exaudit Dominus, vt eſt
apud Ioannem capitulo nono. Non igitur maior erit ratio, cur ſacrificium pro peccato de- G
beat fieri ante ſacrificium holocauſti. Reſpondet Toſtatus, quod quando fiunt ſacrificia
pacifica; & pro peccato, & holocauſta pro aliquo, aut idem facit iſta pro ſeipſo, aut pro
alio: Si pro alio faciat ſacrificium quodcumque, oportet ſit à peccato mundus, alioquin
ſacrificium eius immundum eſt, & nihil proficit ei, pro quo fit, & non refert, vtrum ſacrifi-
cium ſit pro peccato, an pro pacificis, an pro holocauſtis, & ideo Sacerdos magnus, quan-
do oraturus erat pro peccatis populi, & ſacrificium facturus pro ijs, vt ſacrificium ſuum, &
preces acceptabiles eſſent, prius faciebat pro ſe ſacrificium, vt remitterentur peccata ſua, &
ſic tandem remitterentur peccata aliorum orationibus ſuis. Si autem aliquis pro ſe ipſo oret,
& faciat ſacrificia, differentia eſt, quia aut facit ſacrificia holocauſtorum, & pacificarum ho-
ſtiarum, aut ſacrificia pro peccato. Si autem faciat holocauſta, & victimas pacificas, non to-
taliter emundatus ab inquinamentis ſuis, ſacrificia ſua irrita ſunt, & in peccato fiunt, nec
quemquam finem optatum aſſequuntur. Si autem faciat pro ſeipſo ſacrificium pro peccato
ſuo, etiamſi non ſit emundatus totaliter ab inquinamentis ſuis, ſacrificium illud conſequi-
tur finem ſuum, ſcilicet quia remittuntur peccata. Confirmatur hoc per exempla: Nam ſi ſi
aliquis ſit in peccato, & oret, vt peccata alterius remittantur, non exaudit Deus talem ora-
tionem: Si tamen aliquis ſit in peccato, & oret, vt dimittatur ſibi, confeſtim remitte-
tur. *Ipſum autem arietem*, ideſt, cadauer arietis, poſt immolationem, & decoriationem,
ſecabis in fruſtra; hoc enim erat magis in holocauſto, quàm in ſacrificio pro peccato, quod
ſuprà ponebatur: Nam ibi non decoriabatur vitulus, ſed carnes cum fimo, & pelle, omni-
buſque alijs comburebantur extra caſtra, ita tamen, quod prius pinguedo interior, & duo
renunculi tollerentur ad incendendum ſuper altare: In omnibus autem holocauſtis, & paci-
ficis victimis tollebantur prius pelles à Sacerdote immolante: In pacificis autem pertinebat
ad eum, qui dabat animal immolandum. *Secabis in fruſtra.* quoniam non ponebatur to-
tum cadauer holocauſti, vel pacifici ſacrificij ſimul, ſed fruſtatim, & hoc, quia melius coa-
ctabantur partes diuiſæ, vt cremarentur, quàm ſi corpus animalis integrum poneretur.
Vel fortè, vt hoc fieret per ſucceſſionem, ſcilicet, vt quædam partes primò comburerentur, de-
inde

Cur primò vitulus, de in arietes offerrentur.

Cur ſecaretur in partes vitulus, & nō aries.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A inde aliæ. *Et offeres totum arietem in incensum super altare.* Ideſt, totum offeres ſuper al-
tare, & pones in incenſum, ideſt, ad hoc, vt incendatur, & in hoc, quod dicitur totum arie-
tem, differt hoc ſacrificium ab alijs, quoniam in ſacrificio pro peccato non offerebatur totum
animal in altari, vt incenderetur, ſed adeps, & renunculi, ſi erat vitulus, vt patet Leuit. 4. Si
autem erat aries, vel hircus, offerebatur adeps cum renunculis & cauda, Leuit. 7. In ſacrifi-
cio pro pacificis, adeps, & renunculi, & duo renes, ideſt lumbi, Leuitic. 3. Non ergo offereba-
tur in aliquo iſtorum totum animal, vt fit in hoc, quod rectè holocauſtum dictum eſt, quaſi
totum incenſum, quicquid ſcilicet in ipſo animali erat de carnibus eius. *Oblatio eſt domini.* *Oblatio domini quæ.*
ſcilicet iſte aries ſic poſitus totus in altari, vt cremetur, eſt oblatio Domini, quia Domino of-
fertur, & licet omnes aliæ oblationes domini ſint, iſta tamen propriè vocatur oblatio, quia aliæ
fiunt ad alias cauſas principaliter, quæ reſpiciunt nos: Iſtud autem ſacrificium fiebat princi-
paliter, & directè propter Deum, nam ſacrificium pro peccato, vt ipſum nomen indicat, pri-
uatum erat pro peccato, licet alium quendam finem habeat. Pacificum potiſſimùm eſt ad
placandum nobis Deum, quod bonum quoddam noſtrum eſt. Sacrificium autem holocau-
B ſti, de quo hic dicimus, priuatim eſt ad laudem Dei, vnde magis propriè vocatur oblatio
Dei. *Tolles quoque arietem alterum.* Hic ponitur tertium, ſcilicet ſacrificij pacifici immo-
latio. Fit autem iſta oblatio ad gratiarum actiones pro Deo nobis pacificato, vel vt eum no-
bis pacificemus: quando enim aliquid petere volumus, vt à Deo illud impetremus, quod non
contingit, niſi ſit nobis placatus, hoſtiam pacificam, quaſi pro pace impetranda offerimus.
Aliquando hoſtia iſtiuſmodi pacifica eſt gratiarum actio, vt ſi beneficia aliqua acceperimus
de manu Domini, & pro illis gratias referre volumus, hoſtias pacificas mactamus, quaſi pro
Deo placato, vel pro pace impetrata gratias referentes. Aaron autem & filij eius, vtroque
modo victimas pacificas immolare tenebantur: primùm ad placandum ſibi Deum, nimirum
vt eis propitiaretur, felixque & fauſtum quo initiabantur, ſuccederet ſacerdotium, cùm alias
honores, vt dici ſolet, mutent mores, & multa ſæpe ſecum ferant infortunia; de quibus placato
Deo cùm non ſit metuendum, meritò in rerum honorumque immutationibus hoſtiæ pacifi-
cæ immolabantur: ſecundùm ad referendum Deo gratias, quòd ex homine vulgari in ſum-
mum euaſiſſet Sacerdotem. *Super cuius caput Aaron & filij eius ponent manus ſuas.* Huius
C cæremoniæ ſuprà ratio eſt reddita, vbi dicebatur de poſitione manus ſuper arietem holocau-
ſti, & ſuper vitulum pro peccato; etſi contrà Lyranus ideo manus poni voluerit ſuper hoſtiam
pacificam, ideſt alterum arietem, vt acciperent poteſtatem offerendi eam: ſed & hoc impro-
bauimus ex eodem Toſtato. *Quem cùm immolaueris*, hoc eſt, vt idem interpretatur, cùm iu-
gulaueris, refutans eos qui hoc verbo totam ſacrificiorum celebrationem intelligi credebant.
Sumes de ſanguine eius. Iugulabatur enim aries iſte ad latus Aquilonare altaris, & crateris ex-
cipiebatur, ne per pauimenta efflueret, omniaque inquinaret. *Et pones ſuper extremum au-
riculæ dexteræ Aaron.* Iſtiuſmodi tinctiones, quæ fiebant in peculiari quadam corporis par-
te, inditio erant, eam à Deo purificari, vt conſtat exemplo Iſaiæ, cuius labia, quæ cùm mittere-
tur ad prædicandum, polluta eſſe conquerebatur, vnus de Seraphin accepto ex altari ignito
carbone expurgauit. Similiter igitur Sacerdotes iſti, qui aures pollutas habebant, manuſ-
que, & pedes, per iſtiuſmodi tinctionem ſanguinis purificabantur: vel ſignificat etiam, quod *Iſaiæ 6.*
Sacerdotes promptas habeant aures ad audiendum præcepta Dei, & ad obediendum ijſdem. *Purificatio*
D Tingebatur autem extremum auriculæ dextræ, quia id molle eſt, qualis & verus obediens, qui *Sacerdotũ.*
præceptis non reſiſtit, ſed aures molles, teneraſque reddit ad quodlibet præceptum: dextræ
autem, quia dextra ſignat bonum ſcilicet, quòd ſit homo obediens in bono, ad malum au-
tem nemo. *Et filiorum eius.* Eædem cæremoniæ fiebant etiam in filijs Aaron, nam & ita
Sacerdotes minores ſe obedientes exhibere debebant mandatis Dei. *Cùmq; tuleris ex ſangui-
ne, qui eſt ſuper altare.* Sanguis iſte arietis, vt dictum eſt, excipiebatur crateris, & pars eius ſpar-
gebatur per parietes altaris, pars in crateris relinquebatur, ad futurũ vſum ſacrificij. *Tolles adi-
pem de ariete, & caudam, & aruinam &c.* Quo loco Toſtato adeps eſt reticulũ iecoris, aitq; hic
diſtingui adipem, & aruinam, quia licet vtrumq; ſignificet pinguedinem, alia tamẽ pinguedo
eſt, quæ ſignatur per adipem, alia quæ per aruinam, aliquando tamen adipem accipi vniuerſa-
liter pro omni pinguedine interiore, ſiue ſit adeps, ſiue aruina, vt patet Leuit. 3. vbi dicitur: *Om- Adipis &*
nis adeps domini erit iure perpetuo, hic tamen melius eſſe dicendum, quod adeps accipiatur *aruinæ diſtinctio.*
generaliter pro omni pinguedine arietis, cùm immediatè ponantur ſpecialiter omnes pingue-
dines, niſi fortè dicatur, inquit, accipi hic adipem pro pinguedine, quæ eſt inter inteſtina: prio-
rem tamen ſententiam magis approbat, quia pro reticulo, vt quidam dicebant, accipi poſſe ne-
gat, cùm immediatè ponatur de reticulo iecoris: Aruina autem dicitur eidem quædam pin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

guedo cooperiens omaſum,(ſic antea vocabat inteſtina) quæ apparet aperto ventre animalis,
& vocantur, inquit, vitalia inteſtina, ſiue omaſi, quia conſiſtit vita in omnibus inteſtinis. Au-
thor catenæ; Interpres, inquit, aruinam hic vertit, ne idem verbum tam citò replicaret, vt dice-
ret, *tolles adipem de ariete, & caudam, & adipem, qui operit inteſtina*, ſicut Chaldaica, & omnes
recentiores fecerunt: Eſt ergo ſenſus, ne quis dubitet, de quo adipe locutus fuerim, eum adi-
pem intelligo, qui arietis inteſtina operit; *Et caudam*, pertinebat etiam cauda ad ſacrificium,
iſtud pacificum, quia pinguis eſt: Deus autem volebat in ſacrificijs ea, quæ pinguia ſunt, ſibi
dari; licet Septuaginta hoc in loco nullam de cauda mentionem fecerint. *Et reticulum iecoris.*
Ideſt pinguedo facta ad modum retis iecori ſuperextenſa. *Et duos renes*, ideſt, ipſi renuncu-
li, non autem lumbi, qui pinguedine carent. *Et armum dextrum*, quo loco Septuaginta βρα-
χίονα, ideſt, brachium dixerunt; Comburi armum peculiare eſt in hoc ſacrificio: nam aliàs ar-
mus cedebat in ius Sacerdotum: ſic Leuit. 8. vbi de hoſtia pacificorum dantur duæ partes Sa-
cerdotibus, videlicet pectuſculum eleuationis dabatur Aaron, & filijs eius, ideſt, pertinebat ad
Sacerdotem primarium, & cæteros minores, & armus dexter priuatim pertinebat ad ſolum il-
lum Sacerdotem, qui offerebat ſanguinem, & adipem: ſic habemus Numeror. 18. in catalogo

Reticulum iecoris.

iurium Sacerdotalium, hic autem crematur armus dexter, & ratio eſt, quia armus dexter perti-
nebat ad Sacerdotem, qui offerebat adipem, & ſanguinem: cæterùm quia tunc adhuc nullus
erat Sacerdos; Aaron enim, & filij eius non erant adhuc Sacerdotes, ſed conſecrabantur, ideo
nihil eis dari debebat; Moyſes autem etſi tanquam Sacerdos operaretur, nulla tamen iura Sa-
cerdotij habebat, quæ tamen Toſtati ſententia ab alijs, vt ſubinde patebit, refellitur. *Eo quod*
ſit aries conſecrationis. Hebraicè habetur, milluim, ideſt, *repletionum*, quod, vt ait Author ca-
tenæ, aliter non eſt intelligendum, quàm vt vertit interpres. Implere enim hoc capite pro con-
ſecrare ſumitur, ſicut & paulò antè eſt poſitum, *& implebis manum eorum*; Aries ergò repletio-
num dicitur, ideſt, quo repletur, & cōſecratur Sacerdos, ſic & Septuaginta ſenſerunt, qui vt vox
ſonabat, verterunt: ἐςὶ γὰρ τελείωσις ἀυτὴ. *eſt enim conſecratio, ſiue conſummatio hæc*. Chaldaica
legit; *quoniam aries oblationum eſt*. Subditur autem hic cauſa diuerſitatis in hoc ariete pacifi-
corum, & in alijs, quia in alijs, vt dictum eſt, armus dabatur Sacerdoti, hic autem cremabatur.
Sumes quoque pectuſculum de ariete, quo initiatus eſt Aaron, ſanctificabiſque illud, & eleuabis
coram domino, & cedet in partem tuam. Sanctificabiſq; & pectuſculum conſecratum, & armum,
quem de ariete ſeparaſti, quo initiatus eſt Aaron, & filij eius, cedentque in partem Aaron, & filio-
rum eius &c. Vbi notandum, pectuſculum hoc ſecundi arietis ſecundum præſcriptas partes in-
cendendum, nunc quidem Conſecratori Moyſi cedere, ſemper deinde ſummo Sacerdoti ceſ-
ſurum, & nulli filiorum, vel minori Sacerdoti ſub ſummo, & ex hoc loco validiſſimum ſumitur

Aries repletionum.

argumentum, inquit Author catenæ ad quæſtionem diſputatam, an Moyſes ſummus Sacer-
dos fuerit, nam præter id quod ipſe ſummum conſecrauit Sacerdotem, hic pectuſculum Dei
iuſſu ſuſcipere mandatur, quod ſolius ſummi Sacerdotis erat portio, nam & ſubditur; *Sanctifi-*
cabiſque & pectuſculum conſecratum & armum, quem de ariete ſeparaſti, &c. Huc vſque quæ
dicit, (inquit Hugo de ſancto Victore) ad præſentem pertinent conſecrationem Aaron & filio-
rum eius, quæ verò ſequuntur, ad futuram deinceps conſuetudinem: vt ſcilicet quia Sacerdo-
tis in conſecratione ſua obtulerunt pectus & armum, hæc eadem accipiant à filijs Iſrael de pa-
cificis eorum lege perpetua. Et nota quòd primus aries fuit oblatus in holocauſtum, ſecundus
in pacifica; vnde domiuus habuit ſuam partem armum & adipem, & Moyſes qui obtulit, pe-
ctus, Aaron cuius erat oblatio, reliquas carnes, quas cepit, & comedit cum filijs ſuis in atrio ta-
bernaculi, ſicut deinceps facturi erant filij Iſrael. *Pectuſculum conſecratum*. Vocatur pectu-

Moyſē fuiſſe ſummum Sacerdotē.

ſculum conſecratum, quod erat de ariete conſecrationis Aaron, & filiorum eius. *Et armum de*
ariete quem ſeparaſti. Iſte armus arietis fuit ſeparatus, vt cremaretur coram domino, quia erat
aries conſecrationis. *Quo initiatus eſt Aaron, & filij eius*. Quia omnes eandem conſecrationem
acceperunt. Dicuntur autem conſecrati iſto ariete, quia ſanguine eius tam ipſi, quàm veſtes
eorum auriculæ, & pollices manuum, atque pedum aſperſi ſunt. Quod ſi quis itaq; leuiter hæc
omnia legat, apparebit ſenſum eſſe, quòd de iſto ariete pacificorum oblato in conſecratione
Aaron, & filiorum eius, daretur eis pectuſculum arietis conſecratum, & armus, qui ſeparatus
eſt de conſecrato illo ariete, quod tamen fieri non potuit, quia includit contradictionem; di-
ctum enim fuerat, quod armus arietis illius cremaretur in altari, quia erat aries conſecrationis,
neque poterat eis dari pectuſculum conſecratum eiuſdem arietis; quia iam mandatum fuit, vt
daretur Moyſi in partem ſuam, quia operabatur in iſta oblatione ſacrificantium, & conſecran-
dorum Sacerdotum. Dicendum igitur exiſtimat Toſtatus id intelligendum de arietibus, ſiue
alijſque hoſtijs pacificis, quæ in futurum erant offerendæ, ſiue eſſent boues, ſiue arietes, ſiue
quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A quid aliud. Dici tamen, quod daretur pectusculum consecratum, & armus, qui separatus est de ariete consecrationis, idest, ista duo, quæ in hoc ariete separata sunt, & non fuerunt data Aaron, & filijs eius, in alijs hostijs pacificis dari debuisse; patere autem putat, quòd de alijs intelligatur & non de isto ariete, qui immolatus fuit in eorum consecratione, quia dicatur in litera, *Cedent in partem Aaron, & filiorum eius iure perpetuo*: Hinc enim colligit ad futura extẽdi, & non ad illum arietem, qui iam fuerat immolatus, & partes eius distributæ: Item quia, inquit, dicitur in litera, *à filijs Israel*, idest, quod ista iura debent accipere Aaron, & filij eius à filijs Israel, idest, à popularibus, quando ipsi offerunt. Ergo non debuisse iura ista accipere de sacrificijs, quæ fiebant pro ipsis. *Cedent in partem Aaron, & filiorum eius*. De quolibet sacrificio habebant Sacerdotes aliquod ius peculiare præ cæteris, quæ habebant. De holocaustis habebant solam pellem; de hostijs pro peccato, quæ erant de animalibus magnis, vtpote de bobus, nihil, quoniam hostia cuius sanguis ferebatur intra Sancta Sanctorum, non comedebatur, sed igne comburebatur, adeps scilicet, & renunculi coram domino, cæteræ autem carnes cum fimo extra castra. Si verò sacrificia pro peccato essent de capris, vel arietibus, oblato
B adipe renunculis, & cauda cætera cedebãt in ius Sacerdotum, sed in sacrificio pacifico, de quo hic agitur, pertinebant ad ius Sacerdotum, duo illa quæ diximus, armus scilicet dexter, & pectusculum eleuationis, cedebantque hoc modo in ius Sacerdotum, quia armus dexter specialiter cedebat in sortem eius, qui obtulisset sanguinem, & adipem. Pectusculum de victima pacificorum pertinebat ad omnes simul tam ad Sacerdotem primariũ, quàm ad inferiores alios. *Arietem autem consecrationis tolles, & coques carnes eius in loco sancto, quibus vescetur Aaron, & filij eius*. Quo loco Caietanus non dixit, inquit, elixabis carnes arietis in altari, sed in loco sancto, crediderim ego in altari tantummodo holocausta, & ea, quæ per modum holocausti cremabantur, sacrificari, reliqua autem in loco quidem sancto, & igni ex altari sumpto, sed non in altari sacrificari, vt hæc insinuat litera. Et verè sic fuisse, reuerentia altari debita confirmat; nam si victimæ pacificorum in altari coctæ fuissent, cùm ab offerentibus coquerentur, licitum fuisset cuilibet offerenti ministrare in altari, quod absurdum est. Notat Tostatus, non omnes carnes iuberi hic coqui, quia iam pars earum consumpta fuerat, sed illæ tantùm, quæ supererant, nam de isto ariete hostiæ pacificę totus adeps cum renunculis, & cauda, nec non & armus
C dexter igne erant absumpta, & pectusculum etiam Moysi in partem suam cesserat. *In loco sancto*. Non poterant coqui istæ carnes extra atrium tabernaculi, quia ibi non erat locus sanctus, & non solùm carnes istius arietis pacifici coquebantur in loco sancto, sed carnes etiam omnium pacificarum hostiarum, quas offerebant populares. Simili ferè ritu, cærimonijsque duo agni immaculati, & ouis annicula itidem absque macula immolabantur in leprosi mundificatione, die scilicet octauo post priorem purificationem, in qua offerre iubebatur binos passeres viuos pro se, quorum alterum immolabat in vase fictili super aquas viuentes; alium autem tinctum in præcedentis passeris sanguine Sacerdos, cùm mundandum septies aspersisset, dimittebat viuum (cæteras cærimonias lector per se videre poterit): Die verò octauo homo ille sumere iubebatur duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, vt dictum est, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsim olei sextarium. Cùmque Sacerdos purificans hominem statuisset eum, & hæc omnia coram domino in ostio tabernaculi testimonij, iubebatur tollere agnum, & offerre eum pro delicto, oleique sextarium, & oblatis ante dominum omnibus immolare agnum, vbi solet immolari hostia pro peccato, & holocau-
D stum, idest, in loco sancto; Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad Sacerdotem pertinebat hostia: Assumens autem Sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolabatur pro delicto, ponebat supremum auriculæ dextræ eius, qui mundabatur, & super pollices manus dextræ, & pedis, & de olei sextario mittebat in manum suam sinistram, tingebatq; digitum dextrum in eo, aspergebatque coram domino septies. Quod autem reliquum erat olei in læua manu, fundebat super extremum auriculæ dextræ eius, qui mundabatur, & super pollices manus dextræ, & pedis dextri, & super sanguinem, qui effusus est pro delicto, & super caput eius, rogabatq; pro eo coram domino, & faciebat sacrificium pro peccato. Dein immolabat holocaustũ, & ponebat illud in altare cum libamentis suis, & homo ritè mundabatur. Quod si pauper esset, & non posset manus eius inuenire, quę dicta sunt, pro delicto assumere tenebatur agnum ad oblationem, vt rogaret pro eo Sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, & olei sextarium, duosque turtures, siue duos pullos columbæ, quorum vnus esset pro peccato, & alter in holocaustum, offerretque ea die octauo purificationis suæ Sacerdoti ad ostium tabernaculi testimonij coram domino: qui suscipiens agnum pro delicto, & sextarium olei leuabat simul immolatoque agno de sanguine eius ponebat super extremum auriculæ dextræ eius, qui mundabatur,

Cærimoniæ in purificatione leprosi.

Leuit. 14.

Officium Sacerdotis in purificando leproso.

Si pauper esset leprosus, quanã offerret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dabatur, & ſuper pollices manus eius, ac pedis dextri, olei verò partem mittebat in manum ſuam ſiniſtram, in quo tingens digitum dextræ manus aſpergebat ſepties contra dominum, tangebatque extremum auriculæ dextræ illius, qui mundatur &c. Toſtatus ſacrificia iſthęc diuidi ait in duas partes, videlicet in ſacrificiũ diuitum, de quo loquitur primum, & in ſacrificiũ pauperum: Debuiſſe autem die octauo ire illum, qui leproſus fuerat, ad ſanctuariũ, & in oſtio tabernaculi omnia, quæ hic dicuntur, offerre. *Et ouem anniculam abſque macula:* Offerebatur etiam cum agnis illis duobus ouis annicula, propterea quod tria hic fieri debebant ſacrificiorum genera, ſcilicet pro peccato, pro delicto, & in holocauſtum. Addit autem animalia iſthæc debere eſſe immaculata, quia in omnibus ſacrificijs obſeruanda erat munditia. *Tollet agnum, & offeret eum pro delicto.* Hoc non refertur ad laicum, ſed ad ſacerdotem; nam laicus iam obtulerat omnia iſta ſimul, ipſe verò ſacerdos purificans hominem, tollebat vnum ex iſtis duobus agnis: Et offerebat coram domino omnia iſta, quod erat offerre, & tunc incipiebat immolare, ideſt iugulare oblata animalia, & prima oblatio erat ex iſto agno, qui offerebatur pro delicto. *Quod ſi pauper eſt, pro delicto aſſumet agnum ad oblationem.* In paupere diminuebatur quantitas oblationis ad purificationem, nam ſi diues eſſet, offerre cogebatur duos agnos anniculos, & vnam ouem anniculam, pauper verò agnum vnum anniculum, & alterius agni & ouis loco duos offerebat turtures, vt ſuprà patet. Iſte autem agnus anniculus pauperis offerebatur pro delicto, quia turturum alter erat in holocauſtum, alter pro peccato. Sed quęret aliquis, cur, cùm Deus pauperis ſacrificium precio diminuerit, pro altero agno, ſicuti pro primo, & oue, turturem, vel pullum columbæ offerri ſibi non iuſſerit? Reſpondet Toſtatus, neceſſe fuiſſe, vt vnus agnus tantùm acciperetur, quoniam cum ad purificationem leproſi, auricula, & pollices, manus, & pedis ſanguine tingi deberent, id ſanguine turturis fieri non potuerit. Sed nos myſticam ſuo loco reddemus rationem. *Vt roget pro eo Sacerdos.* Ideſt, offeret iſtum agnum anniculum, vt Sacerdos oret pro illo, nõ eſt tamẽ ſenſus, inquit Toſtatus, quod daretur iſte agnus anniculus Sacerdoti, vt oraret pro eo, qui mundaretur, ſicut dicimus, quod dantur Sacerdotibus noſtris aliqua, vt orent pro defunctis, aut viuentibus, ſed eſt ſenſus, quòd offerebatur agnus iſte anniculus, vt Sacerdos oraret pro eo, qui mundatur, ideſt, vt faceret cæremonias purificationis in illo agno anniculo, & faciendo eas, rogabit pro eo, qui mundatur. *Immolatoque agno de ſanguine eius ponet ſuper extremum auriculæ dextræ &c.* Hic ponuntur cæremoniæ, quæ fiebant in eo, qui mundabatur à lepra, & licet ſolùm dicatur de pauperibus, ſunt tamen eædem, quæ obſeruabantur in diuitibus. Habemus item ritum purificationis vniuerſalis omnium perſonarum, in quo deſcribendo ſacra pagina, primò adfert modum præparationis ad iſtiuſmodi purificationem; ſecũdò actum immolationis; tertiò cultum celebrationis; quarto, & poſtremò ritum expiationis. Verba eius ſunt: *Loquere ad Aaron fratrem tuum ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod eſt intra velum coram propitiatorio, quod tegitur arca, vt non moriatur, quia in nube apparebo ſuper oraculum, niſi hæc antè fecerit, vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocauſtum. Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verenda velabit, accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti. Hæc enim veſtimenta ſunt ſancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur. Suſcipietque ab vniuerſa multitudine filiorum Iſrael duos hircos pro peccato, & vnum arietem in holocauſtum. Cùmq; obtulerit vitulum, & orauerit pro ſe, & pro domo ſua, duos hircos ſtare faciet coram domino in oſtio tabernaculi teſtimonij, mittens ſuper vtrumque ſortem, vnam domino, & alteram capro emiſſario. Cuius exierit ſors domino, offeret illum pro peccato. Cuius autem in caprum emiſſarium, ſtatuet eum viuum coram domino, vt fundat preces ſuper eo, & emittat eum in ſolitudinem.* Sacerdos itaque in die propitiationis, eo tempore, quo cæteris diebus fiebat ſacrificium matutinum, veniebat in Sanctuarium, lotiſque manibus, & pedibus, adducenſque ſecum vitulum vnum, vnumque arietem, quos de pecunijs ſuis emerat, quia pro ſe, & tota domo ſua oblaturus erat, moxque induebatur quatuor veſtibus illis, quas diximus, offerebatque vitulum, & arietem coram domino ad oſtium tabernaculi, ibique manebat, donec aliqui ex nobilioribus totius populi offerrent duos hircos pro peccato, & vnum arietem nomine totius multitudiuis. Hoc vbi factum eſſet, Sacerdos acceptos illos hircos pro peccato à populo oblatos mittebat ſuper eos ſortem, vter ſcilicet eorum offerretur domino, aut eſſet emiſſarius. Mox completa ſorte relinquebatur hircus emiſſarius ad oſtium tabernaculi cum alijs holocauſtis, iugulabatque Sacerdos vitulum, quem obtulerat pro peccato ſuo, hircorumque alterum oblatorum pro peccato populi. Aſſumpto autem de ſanguine eorum in vaſe aliquo, ſiue craterula, introibat ſummus ille Sacerdos intra Sancta Sanctorum, aſpergebatque ſepties cõtra propitiatorium de ſanguine vituli, & hirci, quoniam ex his commixtio facta erat: Exiens autem veniebat ad exteriorem partem tabernaculi, quæ vocatur Sanctum, in quo erat altare thy-

Cur animalia debuerint eſſe immaculata.

Cur in pauperis leproſi ad minus vnus agnus fuerit oblatus.

Purificatio omnium perſonarũ vniuerſalis, & eius ſitus. Leuit. 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A thymiamatum, ibique faciebat expiationem tingendo cornua altaris, deinde exibat ad ostium tabernaculi, mittebatque caprum emissarium in desertum cum quodam homine, cùm tamen prius ei peccata confessus esset, imprecatusque capiti eius omnia peccata Israelitarum. Deponebat vestimenta, lauabatque carnem suam, & mox proprijs indutus vestibus complebat holocaustum suum, & populi, itaque finiebantur omnes cærimoniæ diei propitiationis. Iam verò, si quis cum muliere, quæ esset ancilla, etiam nobilis, & tamen precio non redempta, nec libertate donata, coiuisset, ambo quidem vapulabant, sed non moriebantur, quia non esset libera, sed pro delicto suo offerebat domino ad ostium tabernaculi testimonij arietem: orabatq; pro eo Sacerdos, & pro peccato eius coram domino, & dimittebatur ei peccatum. In oblatione nouarum frugum præter agnos etiam immolabatur vitulus eo vt dicetur modo. *Cum messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem, qui leuabit fasciculum coram domino, vt acceptabile sit pro vobis, altero die Sabati: & sanctificabit illum; Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus anniculus immaculatus in holocaustum domini,* B *& libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ in incensum domini, odoremque suauissimum: Liba quoque, vini quarta pars hin, panem, & polentam, & pultes non comedetis ex segete vsque ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus cunctisque habitaculis vestris.* Hæc de primitiarum oblatione, quas quia necesse est messis sequi plenitudinem, hinc ad illam accedit inquiens: *Numerabitis ergo ab altero die Sabati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, idest, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium nouum domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias domini, offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis suis in odorem suauissimum domino. Facietis & hircum pro peccato, duosq; agnos anniculos hostias pacificorum, cumque eleuauerit eos Sacerdos cum panibus primitiarum coram domino, cedent in vsum eius, & vocabitis hunc diem celeberrimum, & sanctissimum &c.* Inter decimas itidem, quæ erant domini Dei, etiam legimus de decimis bouis, & ouis, & capræ in hæc verba: *Omnium decimarum bouis, & ouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum* C *venerit, sanctificabitur domino. Non eligetur nec bonum, nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutauerit, & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur domino, & non redimetur.* Dixit autem legislator de istis tribus animalibus solummodo, non quod de istis tantum soluerentur decimæ, sed quia inter alia sunt principalia pecora, cùm ex his tribus tantùm fiat immolatio: nam aliàs decimas etiam soluebant alia animalia munda, vt patet Deuter. 14. necnon etiam immunda ad cibum, puta iumenta, vt equi, muli, asini; canes verò nequaquam, vt legimus Deuter. 24. *Quę sub pastoris virga transeunt.* Hic declaratur modus soluendi primitias de prædictis animantibus, nam cùm pastor reduxisset ea in stabula, mox per vnicum ostium exire singulatim virga sinebat, itaque quod decimum exibat, siue pingue, siue macilentum, siue salubre, siue insalubre, cedebat in decimam. *Non eligetur nec bonum, nec malum.* His verbis tollitur causa controuersiæ, quæ oriri poterat inter Leuitam, & pastorem: siquidem ille electurus videbatur pinguiora, ac meliora, hic soluturus macilenta, & peiora.

Leuit. 19.

Pæna adulteri, & ancillę.

Leuit. 23.

Decimæ ex animalibus.

Leuit. c. 27.

D

MYSTICA.

PRÆMITTAM mysticam paschæ, prædictorumque aliorum sacrificiorum significationem, quia iam proximè de ijs actum est, subnexurus postea reliqua, vt deinceps de vsu huius pecoris in ethnicorum sacrificijs, transigere liceat. Communis ferè Theologorum sententia est, per hanc agni paschalis immolationem Saluatorem nostrum Iesum Christum intelligi, vti ex subiungendis eorum verbis clarissimè constat: Immolatio agni, inquit Rupertus, quam eadem nocte subsecuta est mors primogenitorum Aegypti, & ortus est clamor magnus, quid significet iam dudum nouit totus Israel Dei, quia passionem significauit Christi filij Dei, per quam & originale peccatum, & omnia deleta sunt peccata mundi. Itaque iam hinc narratio tanti operis Dei, prosequenda est in laudem, & gloriam eiusdem agni Dei, Sancti, & immaculati, qui solus tulit peccata mundi, vna tantùm plaga crucis suæ spiritalem tangendo Pharaonem, vt salutem perficeret populi sui, quam lex decem præceptorum decretis ad perfectum adducere non potuit. Phase ergo siue pascha nostrum immolatus est Christus. Illic figura, hic autem veritas. Illic vm-

Christũ per agnum paschalem intelligi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vmbra,hic autem corpus eſt. At verò(inquis)per eandem fidem ſaluati ſunt illi,per quam ſal- E
uamur,& nos. Acquieſcimus, quia per eandem fidem,ſed non per eandem fidei ſcientiam,nõ
per eandem fidei confeſſionem. Hodie palam exigitur,vt corde credas ad iuſtitiam,& ore cõ-
fitearis ad ſalutem,quia verus eſt agnus Chriſtus filius Dei, qui nos morte ſua redemit de mor-
te,qui nos ſanguine ſuo conſecrauit,& reſurrectione ſua in vitam reparauit. Et hoc præfigura-
tum fuiſſe in illa immolatione paſchalis agni, in illo tranſitu filiorum Iſrael, in illa ſubmerſio-
ne curruum,& exercitus Pharaonis,filijs Iſrael per rubrum mare tranſeuntibus,manifeſtũ eſt.
Nunquid iam illi habebant fidei ſcientiam? Et quidem Moyſes, & prophetæ alij plus alij mi-
nus ſecundum placitum Spiritus Sancti diuidentis ſingulis prout vult,ſacramenti habuere no-
titiam,ſed qualiter hoc à populo ſubtegere deberent,in vno Moyſe omnibus ſignificatum eſt;
Vbi enim cognitionem cæleſtium ſecretorum accepit, facies eius ſecundum ſimilitudinem
mentis refulſit, ſed ſplendorem eundem, non valentibus ſuſtinere filijs Iſrael, velamine ope-
ruit. Nunquid ſplendidam faciem tantùm operuit,& ſplendoris cauſam ſcilicet ſacramento-
rum Chriſti filij Dei cognitionem,publica cunctis prædicatione aperuit? non vtique,ſed ſicut
faciem tantùm operuit ſub velamine, ſic ſecretum Spiritus abſcondit ſub tegmine literæ, ſed F
& prophetæ palam annunciare prohibiti ſunt. Vnde vni illorum dicitur, *liga teſtimonium, ſigna*
legem in diſcipulis meis. Et alij dictum eſt: *Tu ergo ſigna viſionem, quia poſt dies multos erit*. Itẽ,
Vade Daniel, quia clauſi, ſignatique ſunt ſermones vſque ad tempus præfinitum. Igitur fides qui-
dem exigebatur,à populo Iſrael,ſcilicet vt crederent,quod Deus patrum ſuorum,Deus Abra-
am, Deus Iſaac & Deus Iacob,vnus & ſolus verus Deus eſſet,& quod in ſemine Abrahæ bene-
dicendæ eſſent omnes gentes. Sed illud ab ijs exigi non poterat, quod non eis erat annuncia-
tum,vt crederent ſcilicet,quod hoc modo,vel tali ordine benedictione illæ implendæ forent in
Chriſto: Si enim cognouiſſent, inquit Apoſtolus, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent.
1. Corinth. 2. Quid cognouiſſent? Sapientiam,inquit,quam loquimur inter perfectos. Sapientiam verò non
huius ſeculi,neque principum huius ſeculi,qui deſtruuntur, ſed loquimur ſapientiam Dei in
myſterio,quæ abſcondita eſt,quam prędeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram,quam
nemo principum huius ſeculi nouit. Si enim cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifi-
xiſſent. Itaque ad hanc immolationem agni paſchalis, & cætera quæcunque, vt ait idem apo-
ſtolus,in figura contingebant illis,ſic accipimus,& ſic legimus,tanquam actuales prophetias, G
vel promiſſiones Chriſti venturi, clauſas ſub ſigillis, quę ſolis aperire poſſet idem agnus Dei,
quod & fecit poſtquam reſurrexit à mortuis dicente Euangeliſta: *Quia tunc aperuit illis ſen-*
Luc. 24. *ſum, vt intelligerent ſcripturas*. Idcirco verò paſſionis eius myſterium in huiuſmodi figuris
præfiguratum eſt,quia non caperet mundus,vt ſibi iam tunc dictis manifeſtis prænuntiaretur,
nec huiuſmodi manifeſtatio Spiritus eo tempore ad vtilitatem daretur. Et in hac quidem fi-
gura agni (qualis res indita ſit) eo maximè clareſcit, quod Ioannes Chriſtum digito demon-
ſtrans, *Ecce*,inquit,*agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Cùm enim hæc dicit, profectò vt
eſt lucerna ardens,& lucens,illam nobis illuſtrat veſperam, qua omnis multitudo filiorum Iſ-
rael iſtum,de quo diximus agnum tali ritu immolauit,& cuncta,quæ illic acta ſunt in tenebris,
hic in vero lumine manifeſta dicit. Cuncta ſplendida, cuncta diuinæ rationis ſunt plena. Pri-
Pleniluniũ quid myſticè. mum ipſum, quo immolatur agnus,plenilunium,myſticè illa plenitudo temporis eſt,de qua
dicit apoſtolus: *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, fa-*
ctum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. In pleni-
Galat. 4. tudine namque temporis, ideſt, quando multis iam impletus erat electorum numerus ad in-
fernalem Aegyptum,redemptionem ſuam expectantiũ,tunc venit filius Dei,tunc venit agnus
Dei, tollere peccata mundi. Quid illud,quod non ante,ſed poſt vernum immolatur æquino-
ctium? Nempe ab æquinoctio verno ſuperare incipit dies noctem,nam ante illud tempus pro-
lixiores tenebras,breuioremque habemus lucem. Ergo & in hoc myſterium eſt,quia videlicet
ab immolatione agni incontaminati,& immaculati Chriſti, cepit lux iuſtitiæ peccatorum te-
nebras ſuperare. Nam antea longa,& profunda peccatorum nox,breuis autem,& nubiloſa le-
galis iuſtitiæ lux erat. Sed & ipſa menſis Niſan,ideſt,aprilis verna temperies,cùm tellus reflo-
reſcit,totuſque poſt hyemem,quaſi poſt ſenium,rurſum iuueneſcit orbis. Nonne ſenſatum ho-
minem docet, quatenus renouatus ſpiritu mentis ſuæ, fide viridis, ſpe lætus, & charitate flori-
dus, paſchalis agni epulis interſit ſpiritualibus? Benè ergo verus iſte agnus immolationi ſuæ
tempus ipſum,quod typico præſcripſerat agno,per omnia prouidit. Menſe primo decima die
menſis, quo ſecundum legem agnus in domos Iudæorum tollebatur,intrauit in ſanctam ciui-
tatem Ieruſalem,turbis deducentibus,& quamdiù item ſecundum legem ſeruatus eſt, tamdiù
& iſte circa ciuitatem eandem,& circa templum demoratus eſt,ideſt,vſque ad decimam quar-
tam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tam diem mensis eiusdem sanctæ Scripturæ herbam ruminans, & ad vitæ æternæ pascua interim suos auditores iugi balatu inuitans. Tandem quarta decima die ad vesperam, vbi illum paschæ veteris agnum comedit cum discipulis suis, tunc ipse noui sacrificij agnus, continuò capiēdus, & ducendus ad immolandum, iam in angustia passionis agonizās prius proprijs manibus Deo patri semetipsum immolauit, accipiens panem, & vinum, & mira, atque ineffabili sanctificationis potentia transferens hæc in corporis, & sanguinis sui sacramentum. Nam quod deinde manibus peccatorum crucifixus, & mortuus est idem agnus, præteritorum, atque præsentium salus omnium continuò fuit, & ad illos, qui in inferiori Aegypto, idest, in infernalibus detinebantur tenebris, descendit, quiq; per quinq; retroactas mundi ætates ibidem fuerant collecti. Vnde & constat, rectè quinque diebus, à decima scilicet ad quartam decimam mensis agnum seruari, quia videlicet, ex quo in typum eiusdem filij Dei, primus Abel agnum obtulit, quinque fluxerunt ætates mundi, quarum in fine immolandus erat hic verus agnus Dei. Continuò inquam manibus impiorum occisus est filius Dei, destructum est regnum mortis, & soluta captiuitas populi Dei, non valentibus eos tenere Aegyptijs, quos ita cum principe eorum
B Diabolo mortis prępposito, virtus sanguinis Christi obruit, quomodo illos Aegyptios homines, regemq; eorum Pharaonem cum curribus eius profundum maris inuoluit. Quod verò manibus suis, vt iam dictum fuit, corpus, & sanguinem suum sub specie panis ipse summus pontifex obtulit, & *hoc facite in meam commemorationem* dixit, eorum salus est, qui in ista vita detinentur, quibus Aegyptus hic mundus est, quibus verò captiuitas sub diabolo mūdi principe, ignoratio Dei est. Nisi enim hoc sacramentum Corporis, & Sanguinis sui, cum mysterio baptismi, in quo similitudo est mortis eius, instituisset nobis omnibus, quicunque nondum eramus, siue omnibus, qui tunc erant gentes, & ad simulachra muta, prout tunc ducebantur, euntes, quādo Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, mors eius nihil profuisset. Solos enim illos in illa hora lauit a peccatis, quos siue mortuos, siue viuos, mors eius fideles inuenit Ritum ergò legitimum manducandi corpus, & bibendi sanguinem Domini nostri Iesu Christi, de ritu spiritualiter metiamur illius typici agni in gloriam, & honorē huius veri agni Dei, qui tollit peccata mundi. Hactenus Rupertus, & rursus ad ea verba: *Decima die mensis tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas, & seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem, & immo-*
C *labit eum omnis multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Hoc agit, inquit, solemni ritu omnis Israel, idest, Ecclesia Dei, cùm redeunte anni tempore, quo Christus passus est, ante quinq; dies Sacrosanctæ eius passionis illum eius ingressum in sanctam ciuitatem, atque occursum puerorum cum ramis palmarum, religiosa exceptione vel deductione laudes canendo imitatur. Ea sola distantia, vt qualecumque feriarum luna eueniat decima, quæ est secundum Hebræos decima dies mensis, siue luna quarta decima, quæ est quarta decima dies mensis, semper tamen in prima hebdomade, idest, dominica die, hunc processionis occursum, & in sexta mortē, item in prima celebret resurrectionem eiusdem, vt qui morte, & qui resurrectione eius semel sacratus est dies, is mortis, & is resurrectionis memoria per omnes annos sacer perseueret. Cæterùm ad immolationem, vel esum agni, non vna vespera, sed totus annus sanctæ Ecclesiæ acceptus est. Quocunque die, quacunque in domo Israel immolare, vel edere libet, scripturę huius mysterium obseruandum est. D. Hieronymus ait; Qui igitur oblatus est Pilato, quia ipse voluit, & *In Esaiam*
non respondit, vt patibulum pro nobis damnatus ascenderet, ipse sicut ouis ad occisionem du- *cap. 53.*
ctus est, & quasi agnus coram tōdente obmutuit. Etenim pascha nostrum immolatus est Chri- *1. Corinth.*
D stus, quem Ioannes Baptista monstrabat dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* *5.*
Qui & in apocalypsi Ioannis Euangelistæ, agnus occisus sæpe memoratur. Qui de seipso loquitur in Ieremia: *Ego autem sicut agnus innocens, & ductus ad victimam nesciebam,* cùm enim *Cap. 11.*
nesciret peccatum, pro nobis peccatum factus est. Et sicut agnus cùm ducitur ad victimam nō *Christus cur*
repugnat, sic ille passus est voluntate, vt destrueret eum, qui mortis habebat imperium, humi- *agno comparatus.*
lians ad mortem, & mortē crucis, hic agnus est, in cuius typo immolabatur agnus, cuius cruor linitus in postibus exterminatorem fugabat Aegypti, qui nō solùm sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit, vt algentes infidelitate, sua veste calefaceret, & audiremus apostolum nobis loquentem: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis;* & in alio loco; *induimini Christo Iesu.* Author interlinearis, singulariter hic agnum nominari ait, quia cùm vnusquis- *Galat. 3.*
que tolleret, omnes tamen eum significabant, qui singularis hostia futurus erat. Rabanus asse- *Rom. 13.*
rit, quod dicitur, *decima die mensis agnum quidem tolli, sed non immolari vsque ad quartam decimam diem,* significare, quod per legem quidem Christi passio præfigurabatur, tamen non nisi Euangelij coruscante gratia completur. Denarius enim numerus, inquit, propter decalagum ad legem pertinet, & quaternarius propter quatuor Euangelia nouū exprimit Testamentum.

D. Tho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Cap. 1. lect. 2. D. Thomas verò etiam ſuper primam epiſtolam ad Corinthios ait: Inter cætera ſacramenta le- E
galia celeberrimus erat agnus paſchalis, qui vt præcipitur Exodi 12. immolabatur ab vniuerſa
multitudine populi Iſrael in memoriam illius beneficij, quo angelus percutiens primogenita
Aegypti pertranſiuit domos Iudæorum, quorum fores liniti eſſent ſanguine, vnde nomen pa-
ſchæ ſumitur, ſecundum quod ibi dicitur, *eſt enim paſcha ideſt, tranſitus Domini:* Et vltimò vir-
tute huius beneficij tranſiuit populus mare rubrum, vt dicitur exodi 14. Ille enim agnus figu-
ra fuit Chriſti innocentis, de quo dicitur Ioannis 1. Ecce agnus Dei. Sicut ergo ille agnus fi-
guralis immolabatur à filijs Iſrael, vt populus Dei liberaretur ab angelo percutiente, & vt tra-
ſirent mare rubrum, liberati de ſeruitute Aegypti: Ita Chriſtus eſt occiſus à filijs Iſrael per cu-
ius ſanguinem populus Dei liberatur à Diaboli impugnatione, & ſeruitute peccati, per baptiſ-
mum quaſi per mare rubrum. Ille autem agnus figuralis paſcha Iudæorum dicebatur, quia in
ſignum tranſitus immolabatur, vnde dicitur Mathæi 26. *Vbi vis paremus tibi comedere paſcha?*
Pſalm. 38. id eſt agnum paſchalem. Sequitur lex: *Si autem minor numerus eſt vt ſufficiat ad veſcendum*
agnum, aſſumet vicinum ſuum &c. Numerum hic myſticè ſic penè oportet intelligi, inquit Ru-
pertus, quomodo & in pſalmo cùm propheta dicit: *Notum fac mihi finem meum Domine, & nu-* F
merum dierum meorum, quis eſt vt ſciam, quid deſit mihi? Numerus enim hominis, (vt ſecũdum
In eſu agni cur vicinus aſſumatur. præſentem cauſam loquamur) tunc ſufficiens eſt, quando is, qui agnum manducat, myſteria
eius penetrare præualet. Sed ad hæc quis tam idoneus? Quis infantiam tantum ſupergreſſus
eſt, tantamque dierum bonorum multitudinem collegit, vt ad capiendum totum cibum tam
ſolidum nihil ſibi deſit? Ergo quoties hunc agnum immolamus rectè paucitatem confitentes
in nobis, quia totum eius myſterium capere non poſſumus. Aſſumimus vicinum, qui coniun-
ctus eſt domui noſtræ, ſcilicet apoſtolorum, & martyrum chorum, qui per eandem fidem pro-
pinqui ſunt familiæ Chriſtianæ. Denique ſine illorum inuitatione nunquam comedere præſu-
mimus. Dicimus enim communicantes, & memoriam venerantes, inprimis glorioſæ ſemper
Virginis Dei genitricis Mariæ, ſed & Beatorum apoſtolorum, & Martyrum tuorum. Quod idẽ
eſt, ac ſi dicamus, in eadem fide nos immolare, & comedere agnum Dei, in qua Virgo conce-
pit, & peperit, quam apoſtoli ſancti prędicauerunt, pro qua beati Martyres paſſi ſunt, ita vicinis
aſſumptis, nos per Dei gratiam ad eſum agni ſufficimus. Quia videlicet etſi totum eius myſte-
rium comprehendere non valemus, ſatis tamen eſt, quia nihil de illo, quod apoſtolicæ fidei ſit G
contrarium, ſentimus. Tãtum Rupertus. Rabanus verò, quod vicinum, vt dictum eſt, eſurus iu-
betur aſſumere, typicè deſignare aſſerit, quod non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus con-
uocandi erant ad fidem Chriſti, & ad veri agni immolationem, non enim ſolam ſuffeciſſe gen-
tem Iudæam ad ſpirituale paſcha celebrandum, verùm etiam gentes, quæ vicinæ erant domui
Iudæ, adhibendas eſſe, quatenus domus Dei conuiuantium numero impleretur, & agni carnes
dignè comeſtæ, fidelibus in paſtum vitæ æternæ cõuerterentur. *Erit autem agnus abſq; macula*
Eſaiæ 53. *maſculus, anniculus.* Macula peccatũ eſt, vt idem Rupertus exponit. *At ille peccatum non fecit,*
nec inuentus eſt dolus in ore eius; Erit ergo, inquit, abſque macula, ideſt, ſanctus, innocẽs, impol-
lutus, ſegregatus à peccatoribus, in quo nulla eſt iniquitas. Sed parum haberet gloriæ ſola in-
nocentia, ſi non adeſſet fortitudo quoque ad agenda perfectæ iuſtitiæ opera. Erit ergo, & ma-
Cap. 10. ſculus, maſculus enim, hoc eſt, fortis, quia nihil fæmineum, hoc eſt, molle, vel fluxum admittit:
Vnde & in apocalypſi dicitur de muliere magna, quia peperit filium maſculum, qui recturus
Eſaię 61. erat gentem in virga ferrea. Additur adhuc, quia erit anniculus. Anniculus, ideſt, perfectus,
perfectionem enim ab illo conſequimur, quemadmodum & ipſe in propheta teſtatur: *Spiritus* H
domini ſuper me, eo quod vnxerit me ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis
corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, vt prædicarem annum placa-
bilem domini, & diem vltionis Deo noſtro. Annum, inquit, placabilem pro his, quos ad gloriam
Annus placabilis. præparauit, & diem vltionis pro his, quos in iram deſtinauit: Annum quippe placabilem, ſiue
acceptabilem, plenam acceptionem dicit; & apoſtolus prædicat his verbis: *Ecce nunc tempus*
Dies vltionis. *acceptabile, ecce nunc dies ſalutis &c.* Sed & Zeno Epiſcopus Veronẽſis: Hic eſt agnus, inquit,
fratres, de quo litare, paſcha eſt domini, apoſtolus quoque Paulus: *Paſcha,* inquit, *noſtrum im-*
2. Serm. 10. *molatus eſt Chriſtus.* Cur autem dignatus fuerit immolari, Ioannes Baptiſta prædicauit antè
his verbis: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hic itaque dictus eſt primitiuus, quia
paternę antiquitatis ſolus eſt conſcius; hic maturus, quia poſt illum eſt nullus; hic ſempiternus,
quia occiſus eſt, & inuentus eſt viuus; hic immaculatus à peccato, quia ſolus eſt mundus; hic ſa-
lutaris quia per ipſum vincimus mortem; Hic maſculus, quia Dei eſt virtus, hic inquam agnus
perfectus, quia in ipſo magnus ille Sacerdos pio myſterio ſua victima incluſus, hodie Deo red-
didit hominem, quem litauit. Quod verò ab agnis & hædis ſimiliter aſſumi iubetur, non im-
merito,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A merito,vt ſcribit D. Auguſtinus,in quæſt. ſuper Exodum,in incarnationis Chriſti myſterio ac-
cipitur,quid enim opus erat,inquit,vel agnũ ab ouibus, vel hædum à capris accipiendũ mone-
ri,niſi ille figuraretur, cuius caro nõ ſolùm ex iuſtis,verùm etiã ex peccatoribus propagata eſt?
Sic & Gregorius Nazianzenus eligi,inquit,non ſolùm ex agnis,verùm etiã peioris ſpecie,& ex *Cur hædus*
ſiniſtra,quæ hædis tribuitur in Euangelio,quia non ſolũ pro iuſtis, ſed etiã peccatoribus ſacri- *addatur.*
ficatur. Rupertus tradit dici in lege,*iuxta quẽ ritum tolletis & hædũ*,quia is, qui ſua nõ habuit,
aliena peccata portauit,ſicut enim propter ſuã innocẽtiam in agno, ſic propter iniquitates om-
niũ noſtrorũ,quas Deus poſuit in eo,rectè idẽ figurari in hędo.Siue ergo agnus, ſiue ſit hędus,
qui apud illã,& illũ immolatur,vnus ideq; eſt in myſterio Chriſtus,à ſuis,quia nulla ſunt, mũ-
dus,pro alienis peccatis offerẽdus. Vel malè extimatione hominũ,hędus,i.peccator;vera autẽ
veriſſimè ſimilitudine,innocẽtię agnus erit. Quod vtrumq; propheta conſiderãs;*Et nos*,inquit, *Eſaiæ 53.*
putauimus illũ quaſi leproſum,& percuſſum à Deo,& humiliatũ. Ipſe autẽ vulneratus eſt propter
delicta noſtra,attritus eſt propter ſcelera noſtra. Beda verò eodẽ ritu hædũ quoq; tolli voluit,tũ
quia in illo Chriſtus etiã ſignificabatur,qui cũ agnus eſſet innocẽs, tamẽ inter iniquos reputa-
B tus eſt,& quaſi peccator cũ peccatoribus crucifixus;hędũ.n. peccatorẽ ſignificare:Tũ etiã,quia
ipſe hoſtia pro peccato fuit;deniq; quia peccata noſtra ſuſcepit, vnde Iacob Chriſtũ ſignificãs
hędinis pellibus ſe contexit. *Et immolabit eũ vniuerſa multitudo filiorũ Iſrael ad veſperã.* Veſpe *Geneſ. 27.*
ra,inquit Rupertus,præſens ſæculi ætas nouiſſima,in qua nos ſumus, in quos, vt ait apoſtolus, *Veſpera*
fines ſęculorũ deuenerũt,rectè dicitur. Veſpere autẽ,vt ait Ribera,immolatur agnus,q̃a diu ex- *quæ.*
pectatus,tãdẽ in cõſummatione ſęculorũ,quę Deus ſaluti hominũ pręfinierat,oblatus eſt,hinc, *1. Corinth.*
inquit,videmus multos ſanatos à Domino eſſe veſpere,i.poſt Solis occaſũ,qua hora agnus im- *10.*
molabatur,& qua dominus paſſus exſpirauerat Math. 8.*Veſpere autẽ facto obtulerunt ei multos*
dæmonia habẽtes,& eijciebat Spiritus verbo,& omnes malè habẽtes curauit. Marci 1. *Veſpere au-*
tem facto,cùm occidiſſet ſol,afferebant ad eũ omnes malè habentes & dæmonia habẽtes. Porrò vni-
uerſa multitudo filiorũ Iſrael,ſecundũ Rupertũ,vniuerſitas credentiũ eſt, quæ quãtacunq; ſit,
inquit,per orbem terrarũ diffuſa,vnus eſt agnus,quẽ in tot locis immolat,vnus eſt panis,quem
frãgit,vnus eſt Chriſtus,cuius mãducat carnẽ,& ſanguinẽ bibit. Ribera verò totã multitudinẽ
filiorũ Iſrael eũ,ait,immolare,quia oẽs Iudæi corã Pilato petierũt,vt crucifigeretur. *Et ſument*
C *de ſanguine eius,et ponẽt ſuper vtrumq; poſtẽ &c.* Iſidorus ſanguine agni liniri Iſraelitarũ poſtes *Cur poſtes*
dicit,ne vaſtator angelus,audeat inferre perniciẽ, ſignari ſigno dominicæ paſſionis in frõtibus *ſanguine li-*
fideles populi ad tutelã ſalutis,vt hi ſoli ab interitu liberẽtur,q̃ cruore dominicæ paſſionis cor- *nantur.*
de & frõte ſignati ſunt,qui etiã opere loquũtur,*ſignatũ eſt ſuper nos lumẽ vultus tui domine.* Vel
aliter notandũ,vt ait Rupertus,quia prius oportet domũ ſignari ſanguine agni, & tũc demum
carnes eius in illa manducari. Hoc verè legitimũ,ac neceſſariũ eſt,nec aliter dignè fieri poteſt.
Etenim prius oportet quẽq; baptizari in morte'agni.i.Chriſti,prius inquã cõplãtatũ fieri ſimi
litudini mortis eius,vt ſit reſurrectionis,atq; ita cõſecrata domo, tũc demũ intus mẽſę viuificæ
participari. Sũt aũt notę ſanguinis tres,duę ſcilicet in vtroq; poſte,tertia in ſuperliminari,in no *Sanguinis*
mine.n.Patris, Filij,& Spiritus ſancti baptizemur,q̃ tria nomina,ſiue tres perſonę sũt,ſed vnus *notæ.*
Deus. Cui⁹ videlicet trini nominis cõfeſſio,dũ fide paſſionis Chriſti perornatur,vnius oſtij duo
poſtes cũ ſuperliminari,agni ſanguine titulãtur; ſed verò author Catenę,quẽadmodũ etiã ſan-
guis ille,inquit,memoriale erat primi agni in poſtibus,ſicut literę legis in veſtib. Iudęorũ,fidei
quędã atteſtatio tã foris aſpicientibus,quàm intra incluſis cordibus; Sic ſemper nobis eſt paſſio
D Chriſti memorãda,& charitatis maximę beneficium,quo liberamur à captiuitate vitiorũ, ſiue
domũ ingrediamur,ſiue exeamus,pręcipuũ ſtudiũ noſtrũ ſit Dei erga nos beneficia ruminãdi,
maximè autẽ redemptionis per agnũ Dei,qui tollit peccata mundi. De fide tali in ipſum,no-
bis minimè eſt erubeſcendũ,ideo ad ſuperliminare,& vtrumq; poſtẽ ſanguis agni ponẽdus eſt.
D. Chryſoſtomus ait,quòd ſine ſanguine ſalus eſſe nõ poterat,neq; ijs,q̃ per id tẽpus, neq; ijs,
qui in nouiſſimis tẽporibus extiterunt. Nã quemadmodũ regiæ ſtatuę,inquit,quãuis inanima- *Statuæ re-*
tę ſint,eos tñ,qui ad ſe confugiũt,ſeruare ſolent,nõ quia ſtatuę ſunt,ſed quia regẽ repræſentãt: *giæ.*
Similiter & agni sãguis homines ſaluos faciebat,nõ quia ſanguis erat,ſed q̃a ſanguinẽ Chriſti
referebat. Doctè ẽt D. Gregor. in homilijs: Sed quę eſt iſta ſolẽnitas,inquit,quę inferni clauſtra *Homil. 22.*
deſtruxit,& ianuas nobis regni cęleſtis aperuit? Inquiramus ſubtiliùs nomẽ ei⁹. Requiratẽ egre-
gius pręedicator. Videamus,q̃d de eius ęſtimatione denũtiet. Ait ſiquidẽ: *Etenim paſcha noſtrũ*
immolatus eſt Chriſtus. Si ergo paſcha Chriſtus,pẽſandũ nobis eſt,q̃d de paſcha lex loquitur,vt
indagemus ſubtiliùs,an de Xp̃o dicta videãtur. Moyſes quippe ait: *Et ſumẽt de sãguine agni,&*
ponẽt ſup vtrũq; poſtẽ,& in ſuper liminaribus,&c. Quid ſit sãguis agni nõ iã audiẽdo,ſed bibẽdo
didicimus. Qui sãguis ſuper vtrumq; poſtẽ ponitur,qñ nõ ſolũ ore corporis,ſed etiã ore cordis

Vu hau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

hauritur. In vtroq; etenim poste sanguis agni est positus, quando sacramentū passionis illius cū E ore ad redemptionē sumitur, ad imitationē quoq; intenta mēte cogitatur, nā qui sic redēptoris sui sanguinē accipit, vt imitari passionē illius, necdum velit, in vno poste sanguinem posuit, qui etiam in superliminaribus domorū ponendus est, quid enim spiritualiter domus, nisi mētes nostras accipimus, in quib. per cogitationē inhabitamus, cuius domus superliminare est ipsa intētio, quæ præeminet actioni. Qui ergo intentionē cogitationis suę ad imitationē dominicæ passionis dirigit, in superliminari domus agni sanguinē ponit. Vel certè domus nostrę ipsa sunt corpora, in quib., quousq; viuimus, habitamus Et in superliminari domus agni sanguinē ponimus quia crucē passionis illius in frōte portamus. Idē Gregorius addit, de quo adhuc agno subditur. *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cū lactucis agrestibus*. In nocte quippe agnū

Nocte cur comedi dicatur.

comedimus, quia in sacramento modo dominicū corpus accipimus, quādo adhuc ad inuicē nostras conscientias nō videmus. Quę tamen carnes agni assę sunt, quia nimirū dissoluit ignis carnes, quas aqua coxerit; quas verò ignis sine aqua excoquit, roborat; Carnes itaq; agni nostri ignis excoxit, quia eū ipsa vis passionis illius ad resurrectionē valentiorē reddidit, atq; ad incorruptionem roborauit. Qui.n. ex morte conualuit, profectò carnes illius ab igne duruerūt. Vnde F etiam per psalmistam dicit: *Exaruit velut testa virtus mea*. Quid namq; est testa ante ignē nisi

Psalm. 21.

molle lutum, sed ei ex igne agitur, vt solidetur, virtus ergo humanitatis eius velut testa exaruit, quia ab igne passionis, ad virtutē incorruptionis creuit. Sed sola redēptoris nostri percepta sacramenta ad veram solemnitatē mentis non sufficiūt, nisi eis quoq; bona opera iungātur. Quid enim prodest corpus, & sanguinē illius ore percipere, & ei peruersis moribus cōtraire: vnde benè adhuc ad comedendū subditur: *& azymos panes cū lactucis agrestibus*, panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanę gloriæ exercet, qui mādata misericordię sine admixtione peccati exhibet, ne peruersè diripiat, quod quasi rectè dispēsat. Hoc quoq; peccati fermentū bonæ suæ actioni miscuerāt, quibus prophetę voce per increpationē dominus dicebat: *Venite ad bethel, & impiè agite*. Atq; post pauca: *Et sacrificato de fermētato laudē*. De fer-

Panes sine fermento.
Amos 4.

mētato namq; laudem immolat, qui Deo sacrificiū de rapina parat. Lactucę verò agrestes valdè amaræ sunt. Carnes ergo agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, vt cū corpus redēptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pęnitentiæ abstergat amentis stomacho peruersę humorē vitæ. Similiter Beda: Quod autē azymos panes G

Lactucæ agrestes.

cū lactucis agrestib. māducare iubentur, significare ait, quod vitā ab omni fermēto malitię, reparatā ducētes amaritudinē cōpunctionis cordis semper habere debeamus, idq; significare lactucam. Cùm.n. manducantur, sic esse salsas, & amaras, vt producant comedētis lacrymas. Sic nimirum & cęlestē panem accipientes, irrigare faciem nos debere &c. At verò Rupertus carnes agni edi in nocte assas igni, asseuerat, quia de Spiritu sancto, qui æternus est ignis, virgo dominū concepit, & ipse per eundem Spiritū sanctū, vt apostolus ait, obtulit semetipsum hostiā viuā

Ephes. 5.

Deo viuenti. Eodē igne assari in altari, quoniā operatione Spiritus sancti panis corpus, & vinū fit sanguis Christi: Signata ergo domo nos comedere, q̃a videlicet ꝑ baptismū cōsecrato cuiq; & à macula veteris cibi, per quē perijt humanū genus, emūdato, sanguis & corpus Christi traditur, quo cibo nō superbè fieri velit sicut Deus, sed humiliter in gratiā filiorū Dei adoptari mereatur. Quod verò de azymis panibus cū lactucis agrestib. dicitur, duo annotat, inquiēs, alterū horum.s. quod de azymis iubetur tā in re, quàm in mysterio obseruamus, vt videlicet azymum panē ad conficiendū Christi corpus habeamus, & mysticè vetus fermentū à nobis, s. fermētum malitiæ, & nequitiæ secundū apostoli præceptū expurgemus. Alterum verò. i. quod de lactucis H agrestib. præcipitur, tantùm spiritualiter attendimus, quia videlicet author huius sacramēti, nō eas corporaliter adhibuit, sed solūmodo panē, & vinū benedicēs dedit discipulis suis, vnde mirandū quo græcorū consuetudo authore tradita inoleuerit, qui fermentatū panē quærunt, & à sacramento Christi azymū reijciunt, cùm nulli dubium esse debeat, quod Dominus noster nō nisi de azymo illud primitus effecerit. Etenim neq; fermentatū nocte illa secundum legis edictū inueniri licebat in cunctis domibus Israel, neque ipse apud se habēdo fermentatū, legitimā porrigere debebat occasionē inimicis suis, cū diceret lex: *Qui comederit fermentatū, peribit anima eius de cœtu Israel tā de aduenis, quā de indigenis terrę*. Sed de hoc aduersum illos abūdeq; à Romana Sede disputatū est. Porrò azyma, & lactucas agrestes, vt spiritualiter comedamus, ab ipsis, qui primi hoc egerūt, apostolis euidens exemplū habemus: Etenim in eo vetus fermētū expurgauerunt, & erāt noua cōspersio epulādo in azymis synceritatis, & veritatis, quia præsens passio Christi mūdabat illos ab omnib. peccatis, quib. corruptus homo primus, totā generis sui massam fermentauit. Dixit.n. illis in illa cœna sacrosancta, hic verus agnus Dei; *iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, nisi enim quia sermonem meum audistis,*

Ioann. 13.

& cæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *& credidistis, nequaquam per hanc passionem meam mundaremini.* Quasi præteritum dixit, *mū-*
diestis, eo videlicet modo, quo postea ibidem ait ad patrem: *Et iam non sum in mundo, cum* *Ioann. 17.*
nondum peractum, sed agere cepisset, vt transiret ex hoc mundo. Lactucas verò agrestes, quæ val-
dè amaræ sunt, simul comederunt, quia profectò propter illa, quæ dicebantur, iam in summa
tristitia erant, & per totum triduum amaritudini passionis eius satis molestè communicauerūt.
Eorum ergo exemplo nos carnes agni cum lactucis agrestibus comedimus cum corpus redem-
ptoris accipientes, nosmet ipsos, vt dignum est, pro peccatis affligimus. Catenæ author itidem *Agni carnes*
agni carnes igni assas, illos, ait comedere, qui charitatis diuinæ liberalitatem, qua in æternum *assas qui e-*
sese redemptos, piè quotidie memorantur, agnoscunt, dedicant, & toto appretiantur affectu. *dant.*
Panem addere citò parabilem, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum repræsentantem viati-
cum pro inopinato, festinatoque recessu, semper ad pietatis opera promptos ex fide, & sine fer-
mento malitiæ, ac nequitiæ, post hac viuere cupientes. Cum picridibus, siue amaritudinibus,
hoc est, vehementi dolore suorum peccatorum, perpetuaque eorum detestatione, siue iugi me-
B ditatione, quia vita fidelium mixta sit aduersitatibus, & persecutionibus, & cruce continua
exercenda. Gaudia siquidem huius vitæ, etiam honestissima, cum timore Dei moderanda esse
exemplo omnium Sanctorum, & Christi. Subditur autem: *Nō comedetis ex eo crudum quid, nec*
coctum aqua, sed assum tantùm igni. Ad quæ verba D. Gregorius. Ecce, inquit, iam nos ipsa ver-
ba historiæ ab intellectu historico repellunt. Nunquid fratres charissimi, Israeliticus ille popu-
lus in Aegypto constitutus comedere agnum crudum consueuerat, vt ei lex dicat, *non comede-*
tis ex eo crudum quid? vbi & additur, *nec coctum aqua.* Sed quid aqua nisi humanam scientiam
designat, iuxta hoc quod per Salamonem sub hæreticorum voce dicitur: *Aquæ furtiuæ dulcio-* *Aqua quid*
res sunt? Quid crudæ agni carnes, nisi inconsideratam ac sine reuerentia cogitationis relictam *signet.*
illius bonitatem significat? Omne enim quod subtiliter cogitamus, quasi mēte coquimus. Sed *Prouerb. 9.*
agni caro, nec cruda edenda est, nec aqua cocta, quia redemptor noster nec purus homo æsti-
mandus est, neque per humanam sapientiam, qualiter Deus incarnari potuit, cogitandus: Om-
nis enim qui redemptorem nostrum purum hominem credit, quid iste aliud quàm crudas agni
carnes comedit, quas videlicet coquere per diuinitatis eius intelligentiam noluit? Omnis ve-
rò, qui incarnationis eius mysteria, iuxta humanam sapientiam discutere conatur, carnes agni
C aqua vult coquere, id est, dispensationis eius mysterium, per dissolutam vult scientiam penetra-
re. Quia ergo paschalis gaudij solemnitatem celebrare desiderat, agnum neque aqua coquat,
nec crudum comedat, vt neque per humanam sapientiam profunditatem illius incarnationis
penetrare appetat, neq; in eum tanquam in purum hominem credat, sed assas igni carnes co-
medat, vt dispensari omnia per Sancti Spiritus potentiam sciat. Idem Gregorius alicubi: cru- *In 1. Reg.*
dum Iudęos comedere tradit, aqua coctum hæreticos, quia illi eius diuinitatem negant, isti per *cap. 2.*
humanam sapientiam, & diuinitatis, & humanitatis eius sacramenta euacuant: Rupertus ait,
quia ergo ista non capit humana sapientia, repellitur illa non tam sapientia, quàm curiositas
dum repetendo dicit, *non comedetis ex eo crudum quid, sed assum igni.* Subiungitur: *Caput cum* *1. Corinth.*
pedibus eius, & intestinis vorabitis. Quo loco Gregorius inquit, sicut iam prædiximus fratres, *11.*
Paulo attestante didicimus, quod caput Christi Deus est, quia redemptor est α & ω, Deus ni- *Caput agni*
mirum ante sæcula, & homo in fine sæculorum. Caput ergo agni vorare, est diuinitatem illius *vorare quid*
fide percipere. Pedes verò agni vorare, est vestigia eius humanitatis amando, & imitando per- *& quid pe-*
D quirere. Quid verò sunt intestina, nisi verborum illius occulta, & mystica mandata? Quę tunc *des.*
voramus, cùm verba vitę cum auiditate sumimus. In quo deuorationis verbo quid aliud quàm
pigritię nostræ torpor reprehenditur, qui eius verba, ac mysteria, & per nosmet ipsos nō requi-
rimus, & dicta ab alijs audimus inuiti? Rupertus; Caput cū intestinis vorare omnes communi-
ter posse asserit, singulatim verè quosq; adimplere nō posse, in parua nāq; & magna domo esse
& perfectos, quorum sit solidus cibus, quale est ossium caput: Esse & paruulos, quorū infirmo
dente vix intestina mollia terantur. Deniq; caput agni vorare esse alta diuinitatis Christi elo-
quia viriliter capere, verbi gratia quale est: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deū.*
Pedes vorare esse, nec illud ignorare, *quia verbum caro factum est.* Intestina verò cum pedi-
bus vorare esse singulas infirmitatis eius actiones, siue passiones in vsum virtutis assumere, ver-
bi gratia, quod esurijt, quod fleuit, quod contristatus est, ad summum, quod tentatus est pro
similitudine absq; peccato. In eo autem, quod dicitur: *nō remanebit ex eo quicquam vsq; mane,* *Mane quid.*
Gregorius, & Beda, mane interpretantur diem resurrectionis omniū, siue diem iudicij. Sed cū
sensus verborū sit, vt iam ostendimus, si quid reseruatū fuerit vsq; mane, qui cōburatur, nescio
inquit Ribera, quomodo in die iudicij, quod reseruatum fuerit, igne comburendum sit, propte-
rea ita potius explicarem. Si comedere in nocte agnū, est comedere, & accipere in obscuritate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

fidei, ille vſq; ad mane aliquid reſeruabit, qui paſſionis,& ſacræ Euchariſtiæ myſteria aperta
rationis naturalis luce cognoſcere,& comprehendere cogitat. At poſtquam id fruſtra tentaue-
rit,videritq; humanam intelligentiam tanto ſplendore perſtringi, id quod reſiduũ fuerat vſq;
mane,ideſt,quod ratione naturali cognoſcere tentauerat,non contentus ijs,quæ per fidem di-
dicerat,igne comburet. Author Catenę,totum etiam agnũ in ſolemnitate edi,ait,eſſe,nihil ne-

Agnum ſolũ edere quid.

gligenter agere,diuinis pręceptis ad vnguem obſequi,ſacroſanctum myſterium,quod deſigna-
tum huiuſmodi Dei cærimonijs cum reuerentia, & gratitudine in animum cogitando traijce-
re. Totum Chriſti fide complecti,corpus ſcilicet, & animam, humanitatem, & Deitatem cum
doctrina verborum,& vitæ ac miraculorum ſignis,in profectum animi ſuſcipere per fidẽ,& ſpi-
ritum incorporare. Sed quia difficile eſt,inquit Gregorius,vt omne ſacrum eloquium poſſit in-
telligi,& omne eius myſteriũ penetrari,rectè ſubiungitur: *Si quid autem remanſerit, igne cõbu-*

Igni combu-ri,agni reliquias, quid myſticè.

retis; Quod ex agno remanet,igne comburimus,quando hoc, quod de myſterio incarnationis
eius intelligere,& penetrare nũ poſſumus,poteſtati Spiritus ſancti humiliter reſeruamus,vt nõ
ſuperbè quis audeat,vel contemnere,vel denuntiare,quod nõ intelligit,ſed hoc igni tradit,cũ
S. Spiritui reſeruat. Similiter Author catenę: Igne ergo cõburenda,quę reliqua fuerint, ſignifi-
cat nihil calcandũ,vel contẽnendũ relinquere de myſterijs agni,vel Chriſti, nihil verborũ Dei
ſpernere,quod non intelligimus,ſed ſacrificare Deo ignorantiã noſtram. Atqui Ribera,quoniã
ignem,quo carnes aſſandę erant,interpretatus erat ſummũ Dei amorem erga nos,igne ſcilicet

Ioann. 3.

aſſas comedere,qui conſiderat diuinam erga nos charitatẽ (*ſic. n. Deus dilexit mundũ,vt filium*
ſuũ vnigenitũ daret,vt omnis,qui credit in ipſũ nõ pereat, ſed habeat vitã ęternã) creditq; Chri-
ſtũ verũ Deum,& hominem,pro nobis paſſum eſſe,& ſeſe nobis in cibũ prę nimia charitate re-
liquiſſe: Sic & hic,inquit,dicere poterimus,quod reliquum fuerit,igni eſſe comburendũ,ideſt,
conſumendum,vt nihil remaneat,conſiderando amorẽ eximiũ Dei plura,ac maiora in his my-
ſterijs feciſſe,quàm nos,aut intelligentia cõſequi,aut etiã cogitatione fingere poſſumus. Quia
verò,qualiter edendum ſit paſcha,cognouimus,nũc à qualibus edi debeat agnoſcamus: *Sic au-*

A qualibus edi debeat.

tem,inquit,*comedetis illum,renes veſtros accingetis*: Quid in renibus,inquit Gregorius,niſi de-

Pſalm. 52.

lectatio carnis,accipitur; vnde & pſalmiſta poſtulat dicens: *Vre renes meos*. Si enim voluptatem

Quid per renes intelligatur.

libidinis in renibus eſſe neſciret,eos vri, minimè petijſſet, vnde quia poteſtas diaboli in huma-
no genere,maximè per luxuriam pręualuit,de illo,voce dominica, dicitur: *poteſtas eius,in lum-*
bis eius. Quia ergo paſcha comedit, habere renes accinctos debet, vt qui ſolemnitatem re-

Iob. 40.

ſurrectionis, atque incorruptionis agit; Corruptioni iam per vitia nulla ſubiaceat, voluptates
edomet,carnem à luxuria reſtringat,neque enim cognouit,quæ ſit ſolemnitas incorruptionis,
qui adhuc per incontinẽtiam corruptioni ſubiacet,hæc quibuſdam dura ſunt, ſed anguſta por-
ta eſt,quæ ducit ad vitam,& habemus iam multa exempla continentium. Hæc Gregorius. Sed
quia accingere renes,diximus,eſſe parantis ſeſe ad feſtinandum, ita etiam interpretari poſſu-
mus ex ſententia Riberæ, eum qui paſcha celebrat,ideſt, qui dominicæ paſſionis memoriam
agit,& qui corpore eius veſcitur, tantis beneficijs deuinctum terrena contemnere, & in cæle-
ſtem patriam feſtinare debere,vt iam nihil illi placeat,niſi regnum, quod ſanguine illo paratũ
eſt,& quod in ſacramento illo ſignificatur. Calceamenta habere debebant in pedibus, vt per

Cur calceamenta debuerint induere.

lapides etiam,& ſpinas properare poſſent,quod nudis pedibus non fit,ideſt,vt ſignificarent,ad
patriam cæleſtem per omnes difficultates fortiter eſſe properandum. Simile eſt,quod ait Apo-
ſtolus, *Calceati pedes in pręparationem euangelÿ pacis*, ideſt,vt parati ſimus ire quocunque nos
beatitudo in euangelio permiſſa,vocabit,placet etiam Riberæ expoſitio Gregorij,pedes eſſe
opera,calceamenta,quibus pedes muniuntur, & quæ ex pellibus mortuorum animalium fiũt,

Quid per pedes.

eſſe Sanctorum patrum exempla, quibus noſtri operis pedes munimus: Verba Gregorij ſunt:
Qui ſunt etenim pedes noſtri niſi opera? quid verò calceamenta,niſi mortuorum animalium
pelles? Calceamenta autem pedes muniunt. Quæ verò ſunt mortua animalia,ex quorum pel-
libus noſtri muniuntur pedes, niſi antiqui patres,qui nos ad æternam patriam præceſſerunt?
Quorum dum exempla conſpicimus, noſtri operis pedes munimus. Calceamenta ergo in
pedibus habere,eſt mortuorum vitam conſpicere, & noſtra veſtigia à peccati vulnere cuſto-

Renes accingi quid.

dire. Authori Catenæ, renes accingi etiam eſt libidini frena imponere, ne dominetur ratio-
ni,& ſenſibus, cum domino fuerit agenda ſolemnitas pro omni virili incumbere, & alacriter
inſtare cum cultui diuino fuerit inſeruiendum; veris autem Iſraelitis ſolemnitas iugis, & ſa-
batum ex ſabato fide, ſpe, ac charitate ſine ceſſatione ſacrificare, ſemper proficiſci ex Aegy-
pto tenebrarum, & perfidiæ ad patriam promiſſionis. Calceamenta in pedibus eidem eſt
non habere hic locum manentem,ſed futurum inquirere, procedere ſemper ſine impedimen-
to carnalium affectionum, quibus alioqui nimium deferre conſueuimus, & incunctanter in
via

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A via domini ambulare. *Tenentes baculos in manibus*. Baculus iste in manibus eidem est sub- *Baculus in*
sidium laboris amplecti,fragilitate non remorari,occasiones, retardationes post ponere. Gre- *manibus qd.*
gorius verò, quid lex,inquit, per baculum nisi pastoralem custodiam designat,additq; notan-
dum esse, quod prius præcipimur renes accingere,postmodum baculos tenere,quia illi debent
curam pastoralem suscipere, qui iam in suo corpore sciunt fluxa luxuriæ domare, vt cùm alijs
fortia prædicant,ipsi desiderijs mollibus eneruiter non succumbant. Ribera ait:Baculus labo-
rem subleuat iter facientibus,& canes, & nocentia animalia abigit,significat ergo baculus in
manibus, labores cælestis itineris esse fortiter ferendos, nec vnquam in eo deficiendum esse,
sed festinandum,& obstantes tentationes baculo crucis repelli, ac fugari debere. Bene etiam
subditur: *Et comedetis festinanter*. Cum festinatione comeditur agnus, vt idem habet Ribe- *Quid, come-*
ra,vt comedendo non tam voluptas,quàm vires ad iter faciendum quærantur,& nos in medi- *dere festinā-*
tatione passionis Christi, & in sumptione sacræ Eucharistiæ non tam consolationum spiritua- *ter, signifi-*
lium delectationem appetamus, quàm vires ad labores in via Dei perferendos, & ad festi- *cet.*
nandum in patriam cælestem. D.Gregorius festinanter comedi dicit,quo mandata Dei,my-
B steria redemptoris, cælestis patriæ gaudia, cum festinatione cognoscere admonemur, & præ-
cepta vitæ cum festinatione vitæ implere. Quia enim adhuc hodie,inquit,licet bene agere,sci-
mus;vtrum cras liceat,ignoramus;festinãtes ergo pascha comedamus, idest, ad solemnitatem
patriæ cælestis anhelemus: Nemo in huius vitæ itinere torpeat,ne in patria locum perdat,ne-
mo moras ad appetenda studia innectat, sed cepta perficiat, ne liceat minimè implere, quod
inchoat. Cæterùm Author catenæ,comedi cum festinatione pascha asserit,quæ ex pauore,&
solicitudine proueniat,nihilque in via Dei negligenter,sed studiosè agendum, interim tamen
semper pauidum esse,ne præsumptione periclitemur,& securitate remoremur. Porrò quod ip- *Ad Fabiolā.*
sa solemnitas vocatur phase,idest,transitus,id nobis authore Hieronymo indicat,quod de pe-
ioribus ad meliora pergentes, tenebrosam Aegyptum derelinquamus. Sic & Rupertus: Tran-
situs,inquit, ille Hebræorum alium nobis transitum præfigurauit, de quo dicit Euangelista
sanctus: *Ante diem festum paschæ sciens Iesus, quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo* *Ioann. 13.*
ad patrem. Ille enim ferè transitus domini,imò omnium nostrum transitus est. Nam illo tran-
seunte ex hoc mundo,ad patrem, transiuimus & nos, eiusdem patris gratia de vinculis ad ab-
C solutionem,de tenebris ad oculorum nostrorum reuelationem. Transiuit ille de hoc quidem *Quid per*
mundo, quia & ipse quodammodo dicitur Aegyptus,transiuit per Aegyptum inferiorem, id *Aegyptum*
est,infernum,qui secundum nomen Aegypti verè tam tenebrosa est,& locus horridus,& quos- *significetur.*
cunque ibi inuenit dignos filios Israel,signatos fide sanguinis sui,à iusto Abel, qui primùm in
typum illius obtulit agnum,vsque ad latronem,quem sanguine suo signauit in ipsa hora tran-
situs sui,cunctos liberauit,percutiendo primogenitum Pharaonis, idest, peccatum primæ præ-
uaricationis,quod originale dicitur,quod persuasio diaboli generauit. Igitur postes certatim
signandi, & carnes agni festinanter edendæ sunt, transit enim dominus vltra non reuersurus.
Mortuus enim semel resurrexit,& iam non moritur,mors illi vltra non dominatur,isto transitu
eius contenti estote,& postes signate omnes filij Israel; alium enim transitum sperare nõ licet.
Veniet quidem idem dominus,sed per Aegyptum non transibit amplius,nõ vltra pro illis,qui *Cur sangui-*
nunc è tenebris exire iussi sunt,morietur. *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus,in qui-* *ne agni po-*
bus eritis. Sicut ergo quotiescunque Iudæi domum intrantes aspiciebant sanguinem agni in *stes signa-*
postibus,meminisse debebant, cum gratiarum actione beneficij redemptoris patrum suorum *rentur.*
D de Aegypto,sic Christianis recordatio sanguinis Christi effusi pro peccatis nostris, indelebili-
ter imprimenda est cordibus, vt semper recens sit redemptionis nostræ memoria. Theodore-
tus ait,omnia hæc nostrorũ mysteriorũ esse ænigmata, vngimus namque & nos, inquit, san-
guine agni nostri,non tantùm limen, sed & duos postes, quantum ad id, quod oculis cernitur,
patet, linguam,ac labia purgantes,& sanctificantes. Quantum verò ad id, quod mente tan-
tùm comprehenditur,attinet,pro duobus postibus, vim illam, quæ irascitur,& concupiscit. *Quid duo*
Illud quoque nobis admodum conuenit,quod non elixas carnes,sed igni tostas comedere præ- *postes notēt.*
cipit, neque enim literæ tantùm studium nostrum impendimus, sed scriptoris sensa inuesti-
gamus, neque humanas cogitationes diuinis eloquijs offerimus, nam & Esaias quosdam re-
prehendit,quod vinum aqua miscerent, sed solo igne diuino vtimur, sancti videlicet Spiritus
gratia. Quod autem scriptum est,vt nihil carnium in posterum diem relinqueretur, ita intel-
ligendum est, quòd futura illa vita signis vllis non indiget, in illa enim res ipsas contem- *Quid oues,*
plabimur. Ouium verò ossa ij conterunt, qui perperam diuina eloquia interpretantur, at- *& quid hæ-*
que ad suam propriam imbecillitatem illa transferre conantur. Quod autem ait, non ex *di immola-*
ouibus modò, sed etiam hædis immolandum, diuinam rursus bonitatem commendat. Ne- *ti.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

que enim pro iuſtis tantùm, verùm etiam pro peccatoribus ſalutarem ſuſtinuit paſſionem. E
Hunc autem ſenſum nos ipſe docuit. Sanctorum enim cõgregationem agnis comparauit, peccatorum verò cœtum hædis. Nam & lex hædum pro peccato offerebat, atque etiam ex ijs, qui diuinorum myſteriorum participes ſunt, nonnulli vtpote perfecta virtute præditi, tanquam ouem ſumunt, alij verò, vt hædum per ſuorum peccatorum recognitionem, delictorum ſuorum maculas eluentes. Eadem ratione & Seruator noſter, non ex triticeis tantùm, ſed etiam hordeaceis panibus eos, qui ad ſe conuenerunt, ſatiauit; nobis quoq; idem dominus præcepit, ſuccinctos lumbos habere, & pedes calceatos, & lucernas accenſas, vt domeſticos ſuos, qui dominum ſuum præſtolantur. Sed Hebræi tãquam ab Aegyptijs liberati, atque in terram Chanaan introducti, habitum hunc, ac ſpeciem habuerunt; nos verò, vt hinc in aliam, atque diuerſam vitam tranſlati &c. Diſſerit etiam de tantis myſterijs Gregorius Nyſſenus in hæc verba: Quid ergo hac hiſtoriæ figura docemur? quòd oporteat primas cogitationes, & prima peccandi initia, & vias primas radicitus tollere. Nam qui principia deſtruxit, is totum nequaquam admiſit. Sic & Dominus ipſe magna voce per euangelium clamat, primogenita iubens Aegyptiorũ interimere, cùm apertè imperet nos expaueſcere adulterij maculam, ac cædis ſcelus, cupiditate, ac ira penitus extinctis: nunquam enim aliquid horum oriri poteſt, niſi alterum ex ira, alterum ex cupiditate naſcatur. F Qui primogenitum interimit, is partum quoque, qui ex primogenito naſcitur, ſimul interimit. Sicut in occidendo ſerpente, qui caput oppreſſit, atq; percuſſit, is totum, quod à capite trahitur, corpus mortificauit; quod minimè vnquam fieri poterit, niſi ſanguis in oſtijs infundatur, qui percuſſorem facilè repellit: Id ergo vtrumque in vnum complectamur; Sic enim rectiùs, ac exquiſitiùs exponitur. Primogenitorum nece, ac poſtium cum ſanguine cuſtodia diſcimus, & illinc primas vitiorum appetitiones tollendas, & hinc primum vitiorum aduerſus nos aditum, per verum agnum repellendum eſſe intelligamus, non enim ingreſſum percuſſorem eijcere, ſed ne omnino ſubingrediatur, cauere lex iubet. Cautio autem, & cuſtodia tuta eſt, vt agni ſanguine ſuperliminare, ſimul, & poſtes inungamus: Ita per ænigmata nos ea lex inſtruit, ſęculi quoque doctrina philoſophatur. Nam animam in rationale, concupiſcibile, ac iraſcibile philoſophi partiuntur, quorum duo poſtrema iraſcibile dico, & concupiſcibile, ſubeſſe aiunt, ac vtrimque rationale ſuſtinere: Rationale verò vtriſque innixum vtraq; continere, & ab vtriſque ſuſtineri, vt ad fortiter quidem agendum, per iram excitetur, ac roboretur; G ad boni autem fruitionem, concupiſcentia efferatur. Quouſque igitur anima hoc ordine ſeipſam tutatur, rectis cogitationibus, quaſi quibuſdam clauis hunc iſtorum trium ordiné conſeruans alterum ab altero quoad virtutis cultum coadiuuatur: Ratio enim iraſcendi, & cupiendi vim ad bonum dirigit, & ab illis, vt diximus, corroboratur. Si verò is ordo cõuerſus fuerit, & quod ſupereſſe debet, ſubijciatur, ac cupiendi, ac iraſcendi vis rationem de loco ſuo deiectam conculcet, tunc percuſſor ingreditur, tunc nulla ſanguinis vis illi reſiſtit: Nihil enim fides in Chriſtum his prodeſt, qui peruerſione huius ordinis corrumpuntur. Primò enim ſuperliminare inungendum, deinde vtrumque poſtem tingendum ſanguine iubet; quomodo igitur poteris rationem primùm fide Chriſti communire; cùm eum ſupra quærere iubearis, ſi eam in loco ſuo non inuenies? nullo certè modo; nec te turbet, quod primogenitorum cædem Aegyptijs illatam, & ſanguinis effuſionem, atq, inunctionem à Iudæis factam in vnum contulimus; vnus enim atq; idem homo, & Aegyptius, & Iudæus varietate viuendi, & varia volũtate, ac electione intelligitur. Itaque ſi virtutem poſſidere velit, vitiorũ radices enecet, neceſſe eſt, & aditum ſanguine, ideſt, Chriſti fide inungat, vt tuta virtus perficiatur, ad quem quidem ſpiritualem legis ſenſum, quæ ſequuntur, mirificè congruunt. H Iubent enim nutrimentum aſſumendum eſſe, ideſt, corpus, vnde ſanguis effuſus eſt, quo repellitur Aegyptiorũ percuſſor, ſi auditus noſtros, ideſt, tres illas animæ vires illo ſignatas perſpexerit. Accedit quod edendi modum non remiſſum quendam tradit, vt in conuiuijs fieri ſolet, vbi conuiuæ ſedent manibus liberis, & pedibus non ad iter calceatis, & ad hæc effuſis induti veſtibus. Sed contra quaſi ad iter pedes iuſſit comedendo habere duris calceis calceatos, cingulo ſuſtineri, ac comprimi, veſtem, ne effundatur, ac in manibus baculum teneri, quo canes arceantur. In hac itaq; diſpoſitione feſtinanter agnũ comedere iubentur, non operoſa coquorum arte præparatũ, ſed igni, vt contingit, aſſum, quod verò comedere non poſſunt, id quoniam oſſeum eſt, igni tradere iubentur. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt altiùs quoddam, hoc comedendi modo voluiſſe legiſlatorem nobis oſtendere. Quid enim ſi rectus, an ſedens? Si vt ad iter calceatus, an aliter? Si feſtinanter, an maturè? Si baculum manibus teneas, an non? Quid, inquam, ad virtutem colendam, aut fugiẽda vitia, quod maximè latores legum reſpiciũt, hæc afferunt? Profectò nihil: Cur igitur iuſſit ita fieri? niſi ſpiritalem ſenſum ſequamur, nullam idoneam, ſufficientemque cauſam, poterimus vnquam inuenire.

Primogenitorũ nece quid innuatur.

Sanguine inũgi quid.

A nire. Quare patet etiam à nomine (transitum enim comestionem illam appellauit) quid illis
rerum inuolucris voluerit significare, monet enim per hæc ænigmata, vt considerare, ac intelli-
gere velimus, transitum quendam esse hanc vitam nostram. Nam posteaquam ingressi sumus
ad eam, necessitate quadam ad exitum semper compellimur, ad quem præparatos nos esse vult
pedibus, & manibus, reliquoque ad iter apparatu. Ne igitur spinis in hoc arduo viuendi itine-
re pedes lædantur, non nudis pedibus, sed durioribus calceis communiti itinerare debemus.
Spinæ autem, quæ pedibus infixæ non solùm retinent, retardantque, verùm etiam enecāt, pec- *Quid per*
cata sunt, à quibus durities calceorum defendit, continentissima videlicet, tenuis, ac dura vita, *calceamēta*
quæ debilitat, atque frangit spinarum acumina, quibus à paruo, tenuique principio ad ante- *intelliga-*
riora vsque peccata sic ingrediuntur, vt penitus occidant. Ad hanc vitam faciendam talaris *tur.*
vestis, & effusa, idest, voluptuosa, & vitiosa viuendi ratio, quæ latissimè patet, nimiumque ef-
funditur, impedimento est. Quare cingulo quodam sursum trahēda est, & coarctanda, ne huc,
atque illuc circumfluat. Cingulum verò est diligens, ac modesta viuendi ratio, quæ nos monet
ad necessitatem, non ad voluptatem rebus vti. Quod autem pro modestia cingulum capiatur,
B etiam membra corporis, quæ cingulo connectuntur, testimonio sunt. Baculus verò, quo & *Quid per*
feras repellimus, & nonnunquam sustentamur, spes est. Hac enim sola inducimur, vt labores *cingulum,*
simul, & dolores feramus, hac fessos animos recreamus. Hac fit, vt ardentius plerumque in la- *& baculum.*
trantes canes, alienas videlicet à veritate bestias, insurgamus; hac armati longè illas ab ouibus
nostris arcemus. Ex igne autem solùm cibus nobis propositus est, quoniam fides, quæ per cibū *Quid per*
illum significatur, ardentissima esse debet, nihil humidum, aut labile, ac fluens possidens, sed *ignem.*
firma, ac stabilis, ex qua comedemus, quantum nobis possibile. Ossium autem, ac durum nobis,
igni tradimus, quod, vt quale sit, inspiciatur. Illud teneamus duo esse præceptorum diuinorum
genera. Nam alia huiusmodi sunt, vt possibile nobis sit, ea plenè intelligere, probabilemque de
ipsis reddere rationem. Hæc non ignauiter, nec quasi coacti pertractare debemus, sed, vt fame-
scentes, comedunt, cum desiderio scilicet, & libenter, vt ad bonam nobis hic cibus valetudinem
animæ possit prodesse. Alia sic latent, vt duriora sint, quàm vt vel plenè intelligere, vel redde-
re rationem queamus, vt si quis quæreret, quænam sit substantia Dei, quæ sit necessitas eorū,
C quæ fiunt, aliaque quàm plurima, quæ curiosi multi quærunt, hæc omnia Spiritui sancto relin-
quimus, qui Dei profunda inuestigat, & scit, vt apostolus ait. Nam ignem pro spiritu capi ple-
rumque in sacris literis, nemo, lacte nutritus earum, negabit. Sic educet de Aegypto populum
Moyses, & quicunque eius vestigia sequitur; hoc modo ab Aegyptiaci peccati tyrannide libe-
rat, qui ei parent. *Vocauit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, & dixit ad eos, ite tollen-*
tes animal per familias vestras, & immolate phase, fasciculumque hyssopi tingite sanguine, qui est
in limine, &c. Vbi author interlinearis, possumus igitur, inquit, quod de agno per familias acci-
piendo, & immolando, ac de sanguine, qui in limine fasciculo hyssopi super vtrumque postem,
& superliminare intingendo dicitur, per omnes ecclesias, vel diuersos gradus, fide (quæ com-
paratur grano sinapis, quæque humili deuotione suscepta, omnes animæ affectus purgat) pas-
sionem Christi suscipiendam intelligere, cuius quidem sanguis est nobis ianua vitæ, eoque uel
intentionem mentis, uel frontem corporis esse liniendam. Similiter & Rupertus: Quid autem
in spiritu, inquit, aliud hic de agni sanguine mandatur, quàm de ueri agni, idest, Christi filij
Dei sanguine, qui non in abscondito, uel intus repositus, sed omni modo palam expositus est,
ut quicunque domum suam signare velit, vt liberatur de manu percussoris diaboli, citò inue-
D niat, citò, & velociter salus illi occurrat, dummodo sic faciat? Tollat fasciculum hyssopi, & in- *Quid fasci-*
tingat in sanguine, idest, recitet symbolum, spem totam constituens in sola salutifera Christi *culus hyssopi*
passione, & inde tres notulas faciat in vtroque poste, & in superliminari baptizatus scilicet in *tinctus san-*
nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Significat enim hyssopus fidem, & humilitatem pas- *guine.*
sionis Christi, per quam superbiæ tumor deponitur, quo primus homo corruptus contra suum
Creatorem intumuit, quod sperans Psalmista dicebat: *Asperges me domine hyssopo, & munda-*
bor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Igitur hyssopus tinctus agni sanguine, quo domus
signatur, humilitas mentis est, cum passionis Christi fide, in quo quisque credentium baptiza-
tur. Authori catenæ, fasciculus iste hyssopi est humilitas, amaritudo, salubritas, coadunatio,
& charitas, quæ omnia iungenda sint solemnijs paschalibus; Qui præterea ad hæc sequentia
verba, *Cùmque viderit sanguinem in superliminari &c. transcendet domus ostium: &c.* Ad crucis
figuram insinuandam formari, inquit, mādat situm, & positionem sanguinis eius, qui se ostium
dixit ouilis ecclesiastici, per quod intrant fideles, & exeunt, vt pascha inueniant. Custodi ver-
bum istud legitimum tibi, & filijs tuis vsq; in æternum. Benè vtique & veraciter, nam Iudæi
vmbram, & figuram; nos autem illius Dei veri, & solius veram recolimus, & celebramus, &
vsque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vſque in æternum celebrabimus agni immolationem, & vniuerſalem redemptionem omnium filiorum Dei; *Cumq; introieritis terram, quam Dominus Deus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt obſeruabitis carimonias iſtas, & cùm dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio? Dicetis eis victima tranſitus domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in Aegypto percutiens Aegyptios, & domos noſtras liberans.* O magnum, & admirabile Saramentum! Nonne tibi videtur Chriſtus Dominus ſub his verbis, cùm venit hora eius, vt tranſiret ex hoc mundo ad patrem, & paſcha vetus cum dilectis diſcipulis celebrabat, contineri, ſimilique ſermone ſtatim ſubinde nouum paſcha inſtituere? Sicut enim dixerat, hoc eſt ſacrificium phaſe domino, ſic dixit, ſacroſancta corporis, & ſanguinis inſtituens myſteria, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, &, hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcunque biberitis in meam commemorationem:* Quaſi dicat, nunc vobis nouum inſtituo ſacramentum, non carnem agni, ſed meam oblaturus, non ſanguinem pecuinum, ſed proprium corporis mei effuſurus. *Dixitq; Dominus ad Moyſen, & Aaron, hæc eſt religio phaſe, omnis alienigena non comedat ex eo:* Alienigenam, vt exponit Rabanus, dicit gentilem, qui needum ſacro baptiſmate renatus eſt, cui nullo modo corporis dominicum, & ſanguis tribuendus eſt, quia ſicut extra eſt religione, ſic debet eſſe, & communione: ſeruum verò empticium mandat circumcidi, vt liceat ei paſcha comedere. F

Quid per alienigenã intelligatur.

Quis eſt ſeruus empticius, niſi qui emptus eſt ſanguine Chriſti? qui primùm debet circumcidi, ſpirituali vtiquè circumciſione, non carnis, ſed cordis, & ſic agni immaculati corpus comedere: nam talibus dicit Petrus Apoſtolus: *Scientes quod non corruptibilibus, auro, & argento redempti eſtis, de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati, & incontaminati Chriſti, præcogniti ſiquidem ante conſtitutionem mundi, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus propter vos, qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo, animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis, &c.*

Seruus empticius quis

Aduena quoque, & mercenarius paſcha edere non poſſunt. Quis eſt aduena, niſi is, qui nuper venit ad fidem, & needum firmus eſt in fide Catholica: Mercenarius autem ille eſt, qui pro terrenis tantum laborat, & nullum in futuro præmium requirit, Iſti ſanè non ſunt digni accipere corpus Chriſti, quia, aut eum non firmiter credunt, aut non veraciter amant, ac ideo indigni eius participatione ſunt. Rupertus, nullum admitti ait, niſi ſeruum empticium, quem eum tantùm interpretatur, qui ſuſceperit per baptiſmum emptionis; imò redemptionis Chriſti ſacramentum, additque etiam ſi iam ſit catechumenus non veſcetur, ſed tan- G quam mercenarius à cætu veſcentium ſegregabitur, vt nec ſaltem conſiſtat in domo, dum hoc phaſe immolatur, dum à domeſticis fidei comeditur, ſed & in alterius ſectæ homines in quoſcunque hæreticos, vel ſchiſmaticos hoc phaſe diſtribuere nefarium eſt, etiamſi ſanguine agni ſignatos ſe habere dicant ſuarum frontium poſtes. Soli itaque Hebræi ex eo comedunt, quia hoc ſacramentum non datur niſi fidelibus, nec paſſio prodeſt, niſi credentibus. Si quis autem ex eo edere velit, prius circumcidatur oportet, id eſt, baptizetur. Et qui per peccatum à Deo alienus factus eſt, vt comedat, circumcidere debet cor ſuum, & auferre quicquid in eo eſt, immundum. Aliter etiam hæc ad allegoriam conuertẽtes, dicere poſſumus, vernaculos eſſe innatas, atque inſitas nobis ſcientias; emptos verò argento diſciplinas quas audiendo, legendoque comparauimus. Vernaculos tamen, ac argento emptos circumcidere, & purgare debemus; alienigenam verò nulla ratione admittere iubet, vt pote qui alienum dogma recipiat, Præterea ſi in eccleſia verba Dei comedis, & poſtmodum, aut ad Iudæos, aut hæreticos accedis, iam non in domo vna paſcha domini, vti iuſſus es, agis: *In vna namque domo*, inquit lex, *comedetur, nec auferatis de carnibus eius foras:* In vna autem domo agni caro comedi iubetur, quia in vna Ec- H cleſia Catholica myſterium paſſionis eius ritè celebratur, nec efferri licet de carnibus eius foras, quia nec pagani, nec Iudæi, nec hæretici, nec illi omnino qui extra eccleſiam ſunt, ad hanc communionem admittuntur, quorum fides, doctrina, & conuerſatio aliena eſt à regula eccleſiaſticæ diſciplinæ. Sic & Rupertus in hoc etiam ſecundum ſpiritum, vnitatem ſanctæ eccleſiæ ſcribit commendari attentius, ſcilicet, vt manducaturi menſam dominicam ſimus domus vna, id eſt, idipſum dicamus omnes, & non ſint hæreſes in nobis, & ſchiſmata: Tunc enim non in vna domo comedi agnum, ſed foras carnes eius efferri, quando indiſcretè tribuitur ſcindentibus vnitatem fidei, cùm in ſciſſura menſium Deus non ſit. Ergo cum præſenti teſtimonio ſcripturæ licere confidenter dicere, quia non eſt verum ſacrificium, quod fit extra eccleſiæ vnitatem: At verò etiam author catenæ: in vna ergo domo comedendum eſſe ait paſcha, ſiue agnum, in vna azymorum congregatione vnanimi voto, ſimili fide, concordi charitate, etiamſi ſecundum loca, & tempora diuidantur. Non exportandas carnes agni paſchalis, nihil indigenis, & canibus illius myſterij proijciendum, ſed ardore fidei cum gratiarum actione ruminandum, & igne

Aduena, & mercenarius quis.

In vna domo comedi agnũ quid.

charitatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A charitatis absumendum, Deoque dicandum, à quo omne bonum. *Neque os illius confringetis.* Hoc testimonio, vt ait Rupertus, Sanctus Euangelista sic vsus est: *Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuũ, non fregerunt eius crura.* [*Cur non frãgeretur os agni. Ioann. 19.*] Et subinde: *facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur, os nõ comminuetis ex eo.* Ergo & iuxta proprias vocum significationes, prophetia manifesta est, & nihilominus tamen quotidie nobis mysticè obseruandum est, vt os eius non comminuamus, idest, verbum per quod subsistit, cibi & potus huius sacramentum, non confringamus, sed integrum, atque illibatum custodiamus: Qui enim quidpiam de diuinitate agni huius peruersum sentit, ipse sibi os illius confringit. Authori catenæ; os non confringere significat spẽ futuræ resurrectionis in istis fidelibus, qui dignè phase domini celebrauerint. Rabano verò: os agni non comminuere, est, in dispensatione incarnationis Christi, robur diuinitatis per blasphemiam non corrumpere, quia Deus, & homo, vnus, inquit, est Christus, comminuit ergo ossa agni, qui Christum dicit de Maria Virgine purum hominem natũ, & non verum Christum. D. Bernardus in sermonibus de cute, carne, & ossibus animæ: Ossa iustorum omnino integra, atque illæsa custodiri, ait, à domino, vt nunquam frangatur proposi- B tum cordis eorum, nunquam salubris intentio conteratur, &c. *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire Coloniam, & facere phase domini, circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ.* [*Peregrinus quis.*] Quod est apertè dicere, secundum Rabanum, veris Israelitis, & populo ecclesiastico, verum pascha celebrantibus; Si quis infidelis, & externus à cultu Christiano ad hanc communionem se sociare voluerit, expoliet prius veterem hominem cum actibus eius, & induat nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Sicque dignè sociabitur conuiuis cælestibus, vescetur que ritè epulis spiritualibus. Et Rupertus ait: Quisquis adhuc peregrinus, & nondum domesticus fidei est, siue ille paganus, siue sit hæreticus, aut certè falsò Iudæus, circumcidatur domino circumcisione cordis, & aurium, quod est in Israelitarum transire coloniam, & tunc vescetur carnibus agni quæ non debent extra vnam Catholicam ecclesiam efferri. *Eadem lex erit indigenæ, & colono qui peregrinatur apud vos.* [*Indigena, & colonus quis.*] Possumus etiam per indigenam, & colonum, quorum lex eadem sit, & eũ qui ex circumcisione, & cum qui ex præputio est, intelligere populum, quorũ alter, qui ex circumcisione est, indigena rectè dicitur, alter qui ex præputio, colonus; hospes enim testamento- C rum, & alienus olim erat à conuersatione Israel. Vtriusque populi eadem lex est, vt tam hic, quàm ille, omissis cunctis superstitionibus, vel iustitijs carnis solam Christi quærant gratiam. Cùm igitur tanta sit misericordia Dei, vt etiam de Iudæorum populo multos per fidem iustificare dignatus sit, & nos sub veteri quondam ignorantiæ profunda nocte pereũtes in patriarcharum societatem, & in sortem electi generis adoptauerit; amplectamur purificatis mentibus, atque corporibus hoc salutis nostræ mirabile sacramentum, & ab omni fermento malitiæ veteris emundati pascha domini cum digna obseruatione celebremus, vt regente nos Spiritu sancto à charitate Christi nullis tentationibus separemur, qui in sanguine suo pacificãs omnia in altitudinem paternæ gloriæ se recepit, & humilitatem sibi seruientium non reliquit. Atque hæc de ritu immolandi, edendique agnum paschalem, venio modo ad holocaustum, cuius secundum genus dictum est, fuisse de pecoribus, siue de ouibus, aut capris. [*Holocaustũ. Lib. 1. in Leuit.*] In cuius sacrificij explicatione illud intelligere oportet, vt asserit Isychius, eum, qui subtiliter verba legis inuestigat, quia non solùm de bubus, sed etiam de ouibus præcepit Israelitam offerre holocausta. Ergo non solùm, qui legis mandata operatur, hũc enim esse bouem, vtpote operatorem diximus, D sed & quilibet simplex & sine malitia, cui comparatur ouis dicente Ieremia: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui;* Ergo & ipse semetipsum holocaustum Deo offerre poterit; Veruntamen cùm ouium memoriam fecisset, ait enim: Si autem de ouibus est oblatio, subintulit aliud animal, idest, capram, dicit enim sic: *de ouibus, & de capris.* Quanta autem inter capras, & oues differentia sit; apertissimè nos dominus Iesus docuit, dum de consummatione sæculi narraret, qui dum oues à dextris cõstituit, benedictionem iustorum [*Math. 25.*] ijs subdidit; hædos autem à sinistris, contra quos sententiam illam terribilem peccatorum protulit. Sicut ergo licet non solùm de ouibus, sed & de capris offerri, & oblatio de pecoribus dicitur: Sic & eum, qui ex peccatoribus est, possibile est simplicitati operam dare, & quasi ouem factum, conuersationem suam in holocaustum offerre Deo: Quia enim nihil impedit ad adipiscendam iustificationem peccatorem quempiam fuisse, quamuis hoc Iudæi non putarent. Audi qualia per Ezechielis prophetiam dixit: Cùm enim in multis inuectus fuisset contra iniustum, & dixisset, morte moriatur, sanguis eius super ipsum erit; hęc etiam subdidit; [*Cap. 18.*] Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, non fecerit simile eis super montes non comederit, & oculos suos non leuauerit ad Idola domus Israel, & vxorem proximi non

vio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

violauerit,& alia his ſimilia,in quibus finem hunc addidit, hic non morietur in iniquitate pa- E
tris ſui,ſed vita viuet. Et dicitis, quare non portabit filius iniquitatem patris? Sic Iudæi neceſ-
ſe eſſe filium, quaſi hæreditario iure, in patris ſuccedere peccato arbitrabantur. Sed quamob-
rem oues,& capras ad latus altaris, quod reſpicit ad aquilonem coram domino præcipit occi-
di,cùm non ita de bubus pręcepiſſet,ſed coram domino ſanxiſſet immolari? Vidētur enim ver-
ba contrarietatem quandam habere,atque differentiam; quia cùm ſit ſacrificium holocauſto-
matis vtrumque,differentia his diſtribuit loca. Non eſt ergo ignorandum, quia quantum ad
ſuperficiem literæ,eundem in vtriſque locum legiſlator ſignificauit. Holocauſtomatum enim
altare ante tabernaculum conſtitutum ex latere erat ianuæ, vt non ſanctorum miniſtranti-
Cap.31. bus obſtrueretur introitus, ſicuti in Exodo de eodem dicitur; Et impoſuit velum ianuæ ta-
bernaculi teſtimonij, & aram holocauſtomatum poſuit circa oſtium tabernaculi teſtimo-
nij. Quæcunque ergo ad ſacrificium offerebantur ex latere altaris ab aquilone ſtabant, &
ſic coram domino ſacrificium celebrabatur, ideſt, in conſpectu ſanctorum, faciem enim do-
mini appellat Sancta ſanctorum, quia in ipſis Dei habitabat gloria. Vnde nec frequenter in
ipſa intrare ſacerdotem,niſi ſemel in anno iubebat. His ergo ita ſe habentibus,differentiam di-
ci verborum ſicut neceſſaria contemplationi erat,oportuit,quia enim altare diximus eſſe Chri F
ſtum, ouium autem ſacrificium ſimplicitatem ſtudentium,nō abſolutè autem etiam iuſtitiam
operantium,non in directum intelligibilis altaris,ſed ex latere offertur. In directum enim eſt,
quia mandata perficit. Ex latere autem quia à malis abſtinet. Quare? quia ſicut in aulam, ver-
bi gratia, regiam melius eſt per oſtium quidem rectum ingredi;cùm autem hoc non eſt facile,
bonum ſit etiam per illud,quod ex latere eſt,introire: Sic melius quidem eſt Deo per manda-
Latus altaris aquilonē verſus quid notet. torum offerri perfectionem,bonum eſt tamen, etſi per malorum ſe quis offerat abſtinentiam,
Deo quippe quomodolibet offerri bonum eſt. Ad latus autem altaris ad aquilonem neceſſa-
riò addidit; nebuloſa enim penè ſemper hæc pars eſt,obtinentur ſiquidem nebula,ideſt, igno-
rantia hi,qui ex toto ſe innocentiæ tradunt,propterea,& holocauſtum dicitur etiam ſine ope-
ratione Iuſtitiæ. Idem Iſychius in explicatione primi holocauſtomatis,de bubus, vel de oui-
bus offerre,inquit,præcepit ex vtroque animali,vel iumento,ſimilem deſignans hominem,qui
nihil acuminis,neque ad virtutem,neq; ad malitiam habet,ſed trahitur ab alio, tales ſunt bo-
ues,& oues,nimis enim ad manum ſunt conſueta animalia,& eos,qui ita trahunt facilè ſequē-
tia. Et propterea non omnium hæc munera,ſed Iudæorum ſolummodo eſſe poſſunt: Illi enim G
Pſalm.35. etiamſi virtutis aliquid non operantur, ſufficit eis minimè inique operari,de quibus Dauid di-
cebat: *Homines, & iumenta ſaluos facies domine:* Primum ordinem hominibus cuſtodiens,
deinde cuſtodiens etiam reliquis ſalutem: Quod autem hominem iſtum,de quo ſermo eſt, le-
giſlator appellauit,ait enim: *Homo ex vobis;* non hoc admireris, poſſibile enim eſt eundem &
hominem appellari,& quæ iumentorum ſunt,agere. Demonſtrat hoc idem Dauid propheta
dicens: *Et homo cùm in honore eſſet comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus
eſt illis.* Sed reuertor ad ſecundum holocauſtum, quod eſt de oue, vbi etiam Radulphus Fla-
Per capram & hædum in ſacris literis intelligitur peccator. uiacenſis notandum monet,quod lex oui capram coniungit,quoniam ſcilicet capra,aut hędus
genus ſit animantis olidum & luxurioſum,ideoque in ſcriptura ſacra peccatorum imaginem
gerat,inde,inquit,eſt,quod agnus paſchalis iuxta Septuaginta de ouibus, & capris ſumi iube-
tur,quia Chriſtus,qui paſcha noſtrum eſt,ex iuſtis,& peccatoribus carnem aſſumpſit Sed &
Daniel in quadam viſione Alexandrum Macedonum regem, hircum caprarum nominauit,
Græcorum ſcilicet luxuriam notans, à quibus ille originem duxit; ſed & in iudicio oues à dex-
tris,hædi autem à ſiniſtris ſtatuendi ſunt. Cùm igitur capra peccati, aut peccatoris typum te- H
neat,quid eſt, quod in holocauſtum Deo offerri iubetur? Nunquid acceptum fieri poteſt Deo
peccatum noſtrum? Sed ſciendum eſt,quod cuius non placet executio,placet mactatio. Offer-
tur ergo Deo capra,non viua,ſed mortua,quādo quem offendimus peccati perpetratione, pla-
camus abolitione. Idem verò computatur ouis,& capræ holocauſtum,quia in eodem, vbi prio-
ris malitiæ vetuſtatem deponimus,innocentiæ nouitatem domino conſecramus. Quæri ergo
poteſt,cum bos,& ouis ſanctitatis ſpeciem gerant, cur in ſacrificio mactentur, cur non potius
1. Corinth. 25. viua offerantur. Neque enim vt peccati,ita & Iuſtitiæ acceptabilis Deo eſt exterminatio. Ad
quod ipſe reſpondet,bouis,& ouis immolatione non ſancti laboris, ſeu innocentiæ exterminiū
deſignari,ſed quia nemo iuſtus naſcitur: Non enim prius,quod ſpirituale eſt,ſed quod anima-
le,deinde quod ſpirituale: Ad hoc etiam ea,quæ iuſtitiæ formam habent,immolata Deo, non
viua offeruntur,vt exinde aduertere liceat,nullum per ſanctitatem poſſe conſecrari, qui non
carnis concupiſcentiam mactauerit prius,quam cum carnis origine traxit. Vbicunque tamen
in hoſtijs, Chriſti typus agitur, per mortem victimæ, non vitij, ſed carnis mors in eo monſtra-
tur.

A tur. Tantum Radulphus. Ribera verò hoc secundum holocaustum ab ijs offerri solere ait, qui vitulum non habebāt, qui offerebatur in primo, & quemadmodum hoc primum holocaustum esse Christi dixerat, seipsum in cruce patri offerentis, ita hoc secundum esse minus diuitū, idest, martyrum, qui Christum imitantes seipsos obtulerunt: Hoc holocaustum verò, vt dictum est, agni est, aut hædi, qui masculus sit, & immaculatus, agnus martyr est propter innocentiam, & mansuetudinem, qua inimicis minimè resistit, sicut ait Ieremias; *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam:* & Esaias. *Sicut ouis ad occisionem ducetur, quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Masculus propter fortitudinem; immaculatus propter sanctitatem. Idem in hædo intelligitur, quia natura filius iræ erat, & ad vitia procliuis, vt virtutes, quibus anima ornatur, & vitia, quibus caruerit, non naturæ bonitati, sed gratiæ Dei tribuat, natura enim non agnus erat, sed hędus. Immolatur ad latus altaris, quod respicit aquilonem, quod de vitulo dictum non est, quia pars aquilonaris frigidior est, & obscurior, & martyres, quamuis sancti sint, habent tamen ignorantiam, & peccata minima, quæ illa sanguinis effusione delcantur. Christus tamen neutrum habuit, & omnino pro alienis peccatis mortuus
B est. Altare, in quo se offerunt Deo martyres, sancta ecclesia est; vt enim Deo placere non potest hostia, quæ ad altare non offerretur, ita nullum sacrificium extra ecclesiam illi gratum est. Et quia vestigia sanguinis martyrum manēt in ecclesia, & ad Dei, ac martyrum ipsorum gloriam atq; ad exhortationem nostram, magna omnium fidelium exultatione celebrantur, rectè sanguis per circuitum altaris à filijs Aaron fundi iubetur, sacerdotum enim opera tota, hos triumphos ecclesia cognoscit, & colit. Membra diuiduntur, quia libenter pro Deo se martyres à parentibus, cognatis, amicis, & ab omni possessione, & voluptate separant, & diuidunt, vt Deo offerant. Quare non iniuria ea, quæ iecori adhærent, commemorata sunt, quibus intimi affectus, & quæ maximè cordi adhærebant, intelliguntur. Ignis, quo hoc holocaustum crematur, idem est, quo & nobilius illud holocaustum Christi crematum est, idest, ardēs Dei amor; ligna, exēpla passionum Christi, & aliorum martyrum memoriaque insignium Dei beneficiorum, quibus amor ille in horas in illis augetur, & latiùs sese diffundit. Intestina reliquijs concoctorum ciborum, pedes puluere sordidantur. Ita intestinorum sordes immoderatum affectum rerum huius sæculi, cordi adhærentem indicant, puluis autem affectus quasi cutem animæ solum te-
C gentes, & qui facilè excuti possunt, significant: Et quia si quid tunc est amoris rerum huius mūdi, quod vel in corde inhæreat, vel animam quodammodo fædet, pænitentiæ dolore diluunt martyres sancti. Bene intestina, & pedes, antequam crementur, aqua lauantur. Huc vsque Ribera, ex quo etiam de ouis significatione in hostia pacifica, in boue dictum est. Liceat hic deliramentum Mahumetis addere, quod inter alia, quæ de extremo iudicio scripsit, absurda, ferè est absurdissimum, arietes scilicet, qui die paschæ, bairan à Turcis appellati mactantur, paradisum in extremo iudicio ingressuros asserens, eiusque rei testem citans Zunam: eumq; arietem, qui ab Abrahamo filij sui Isaac loco immolatus est, per quadraginta annos in paradiso educatum, nigrumq;, & ab angelo Gabriele delatum fuisse. Hinc fit, inquit Bellonius, vt Turcę multos arietes iugulent, quos die paschæ sacrificent, tametsi vnicus ex præscripto, & obligatione sufficiat. Nam liber Zunæ dicit omnes arietes à Turcis propter paschæ sacrificium iugulatos in extremo iudicio pro ijs, qui ipsos iugulandos curarunt, oraturos. Offerebatur pręterea ouis pro peccato plebei hominis per ignorātiam, ouis scilicet immaculata eodem ferè ritu, quo alię hostiæ immolabantur, cum pro peccato principis offerri iuberetur hircus. Post hirci autem seu ca-
D præ oblationem, etiam ouem conuersos offerre præceptum fuisse asserit Radulphus, quoniam necesse sit, vt si veram de malis nostris pænitentiam agimus, vitæ de cætero innocentiam Deo consecremus, vnde psalmista Domino, inquit, loquitur dicens: *Iudicium, & iustitiam in Iacob tu fecisti*, iudicium scilicet, vt electi pro malis suis seipsos iudicent, iustitiam verò vt mala eadē in reliquum emendent. Esaias quoque per vitæ correctionem peccata aboleri ostendit, dicēs: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite benè facere: Si fuerint peccata vestra sicut coccynum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Cùm verò in hac legislatione eadem, quæ supra repetita sint, hoc solùm notādum existimat, quod sicut hirci, & capræ, sic etiam ouis cornua altaris tangi, & basis illius infundi præcipiuntur: hinc enim nos colligere, quia & ipsa innocentia post peccati abrenunciationem, si non pro præsentibus, tamen pro præteritis luctū habere debet, & afflictionem, per quam Deus, & ministri eius ad passionē flectantur; non enim sufficit peccata deseruisse, nisi congrua satisfactione, quod iniquè perpetratum est aboleatur. Iusta igitur legis decretum sanguine ouis, quæ pro peccato offertur, & cornua altaris tangendæ sunt, & basis illius infundenda, quia etiam vitæ innocentia, quæ pro redemptione veterum deli-

Martyrum sacrificium.

Intestinorū sordes mysticè quid notent.

Hostia pro peccato plebei hominis, per ignorantiam.

Psalm. 98.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

delictorum Deo conſecratur, ſua afflictione, & diuinam indulgentiam, & humanam debet ac- E
quirere compaſſionem. Iſychius verò, capræ, quæ ab his, qui ſunt de populo, & qui non occu-
pantur in meditatione legis, offerebatur, ouem quoq; coniungi aſſerit, quoniam in populo, &
idiotis poſſibile eſt eſſe aliquos etiam ſimplices, quibus conueniat ouis ſacrificium, quod tam
in holocauſtomatis, quàm ſacrificijs hoſtiæ pacificorum demonſtratur; apertè ergo legiſlatorē
approbare cupientem, quia non ſolùm princeps, ideſt, ſcientia ſublimior, nec tantùm popula-
ris, ſed, & ſi quis eſt in popularibus ſimplex, ſi fortè peccauerit, quod & hic ad redemptionem
peccatorum, debeat pænitentiam, ouis ſacrificium, introduxiſſe. Ideo autem non arietem, ſed
ouem, ideſt, fæminam, & non maſculum præcepiſſe offerri, quia popularibus fæminarum ſacri-
ficium deputarit, eos hic, qui legem accipiunt, euidenter conteſtans, vt quicumq; principatum
ſortitus eſt, & eſt alijs ſublimior ſciētia, non ſolùm exhibeat ſimplicitatem, cùm oporteat eum
eriam prudentem eſſe ſicut ſerpentem, quemadmodum dominus ait. Qui verò non eſt talis,
ideſt, qui non abundat ſcientia, & propterea in populo degit, hic, quamuis ſit ſimplex, ſi con-
tingat, vt peccet, nec ipſi peccatum ignoſci, niſi per oblationem pænitentiæ, peccatum diluerit.
Idem Iſychius ſequentis capitis legem; *anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis vt vel ma-* F
lè quid facere vellet, vel benè, & id ipſum iuramento, & ſermone firmauerit, oblitaque poſtea intel-
lexerit delictum ſuum, agat pænitentiam pro peccato, & offerat agnam de gregibus, ſiue capram,
orabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius. Hic agnam de gregibus, ſiue capram offerri exiſti-
mat, quia de aliquo, qui de populo eſt, videlicet de vulgo, loqu tur hoc loco, inter quos poſſibi-
le eſt ſimplicem quampiam inueniri agnam de gregibus, vtpotè aptam ſimplici, quemadmo-
dum, inquit, ſuperiùs diximus. Radulphus verò: *& offerat agnam de gregibus, ſiue capram,* ex-
ponens ait, tanquam diceret, quod prius vouerat, & nondum reddiderat, reddat, malè, & benè
faciat, carnem affligens, & bonis operibus inſiſtens. Hæc namque eſt ouis, & capra, bonorum
operum executio, & malorum pænitentia. Nec contrarium videatur, quod ſiue ouis, ſiue capra
offerri iubetur, cùm nos vtrumq; offerendum dixerimus. Siue enim aliquando copulatiuum
eſt; & vtraque hic iniungitur. Quod verò agnam de gregibus ponit, hoc fortaſſe aduertendum
eſt, quoniam infirmioribus, & his maximè, qui adeo negligētes ſunt, vt votorum ſuorum obli-
uionem admittant, ardua, & quæ paucorum ſit, non eſt intelligenda conuerſatio, ſed vulgaris,
& quæ cuiuſlibet etiam inualidi vires non opprimat. In ſubſequenti verò lege, vbi *anima ſi præ-* G
uaricans cærimonias per errorem, in his, quæ domino ſunt ſanctificata, peccauerit, offerre iubetur
pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis iuxta pondus ſan-
ctuarij, per arietem Chriſtum intelligi ſcribit: huncq; pro delicto ſuo offerre debere, qui in ſan-
ctificatis delinquit: ſed quærendum eſſe, cum ipſe idem ſuprà per vitulum expreſſus ſit, profe-
cto tam ſuo quàm populi hoſtia factus, cur hic per arietem deſignetur. Manifeſtam patere ra-
tionem. Quicunque (inquit) fidei catholicæ veritatem temerare præſumunt, doctrinæ Chri-
ſti contrarij exiſtunt Non ergo iſti Chriſtum ducem ſed aduerſarium. De quibus Ioannes in
epiſtola ſua: *Omnis* (inquit) *qui præcedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet.*
Præcedunt enim qui Chriſto docenti non obedire, ſed doctrinam eius quaſi corrigere moliun-
tur. Si igitur tanti reatus propitiationem quærunt, Chriſtum ſibi ducem cōſtituant, & eius ma-
giſterio humiliter ſe ſubdentes, errorem priſtinum corrigant. Sic fiet vt quem prius aduerſa-
rium habebant, iam arietem factum, propitiatorem inueniant. Horum forma in decem illis le-
proſis apparuit, qui medelam illius ſuppliciter poſtulantes, ſteterunt à longè, & exclamaue-
runt, dicentes: *Ieſu præceptor miſerere noſtri.* Ecce cùm à Chriſto ſanari deſiderant, quaſi arie-
tem ſibi conſtituentes, præceptorem vocant. Qui ergò in ſanctificatis delinquit, arietem pro ſe
offerat, ideſt, quiſquis dogmatibus Eccleſiaſticis refragari auſus eſt, per Chriſti doctrinam ſe
corrigat; vt ipſum iam habens doctorem fidei, per ipſum mereatur reconciliari. Sed quid eſt
quod huic arieti duorum ſiclorum pretium ponitur? *Offeret arietem*, inquit, *qui emi poteſt duo-*
bus ſiclis iuxta pondus ſanctuarij. Notum eſt omnibus, argenti metallum ſonorum eſſe. Siclus
itaque qui argenteus eſt, veræ fidei confeſſionem inſinuat. *Quiſquis enim* (ait Ioannes) *confeſ-*
ſus fuerit, quoniam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet. Aries ergo iſte Sicli pretio emitur, quia
Chriſtus per veræ fidei confeſſionem acquiritur. Sicli tamen in pretio duo ſunt, quia Chriſtus
& corde credendus, & ore confitendus eſt. *Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & cre-*
dideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, ſaluus eris. Confitere igitur in corde,
tuo, vt Deus vocem tuam audiat: confitere & ore, vt fides tua hominibus innoteſcat: & vtriuſ-
que ſicli pretium perſoluiſti. Siclus tamen ille ſanctuarij pondus habere præcipitur, vt fidei tuæ
profeſſio, ecclesiaſticæ traditionis formam imitetur. Si enim Chriſtum nominans, aliud de illo
ſentias, quàm Catholica tradit fides, ſiclum quidem habes, ſed quia pondus in illo ſanctuarij
non

Capra à quibus offerretur.

Popularium ſacrificium quod.

Aries Chriſtum notat.

Lucæ 17.

1. Ioan. 4.

Roman. 10.

Eorly Europeon Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A non inuenitur, aries ille tali commertio minimè tibi confertur. Iſychius quoque in eodem ferè ſenſu arietem hic Chriſti typum eſſe aſſerit: Bonum quidem (inquit) eſt, ab omni peccato abſtinere, maximè tamen ab eo, quod contra ſancta committitur, quia Deus per illud iniuriatur. Quantum autem hoc & quàm terribile ſit, præſens, quam legiſlator expoſuit, demonſtrat oblatio. Cernis quippe, quia dum tot præcepiſſet ſacrificia celebrari, nuſquam de arietis ſacrificio in principio libri huius domini ad Moyſen loquentis, niſi tantum in hoc loco mentionem fecit, volens neceſſitatem & vtilitatem ſacrificij huius oſtendere. Cernis etiam, quia non hircũ neque capram aut ouem, aut par columbarum, ſed arietem præcepit offerri, ex oblatione docens, quale ſit hoc peccatum. In figura enim Saluatoris aries accipitur. Cognoſcis autem hoc modo, quando Deus Abraham ab vnigenito immolando cohibuit: quoniam & Iſaac viuere propter promiſſam ex eo ſucceſſionem & figuram ſacrificij Saluatoris impleri oportebat, propter hanc Iſaac in ſacrificium aſſumpto, vidit arietem in vepribus hærentem cornibus, vel ſicut Septuaginta in arbore Sabech patriarcha teneri. Arbor autem Sabech crux eſt, lignum remiſſionis, in quo aries ex cornibus figuram gerens confixi manibus in cruce Chriſti, tenebatur.

Arbor Sabech quæ.

B Non ſolum autem immaculatum eum eſſe præcepit, ſed & qui pretij ſit, ſiue emi poſſit duobus ſiclis, vel ſecundum Lxx. argenti quinquaginta ſiclis, ſiclo ſanctuarij. Nemo quippe ſibi conquirere domini ſacrificium, niſi per Spiritum ſanctum poteſt, ſi enim nemo poteſt dicere, dominus Ieſus Chriſtus, niſi in Spiritu ſancto, multo magis nec ſacrificium eius poteſt aſſequi ſine operatione Spiritus. Vnde non ſimpliciter dictum eſt, quinquaginta ſiclorum, oſtendit quippe hic numerus ſancti Spiritus aduentum ex eo, quod die pentecoſte, ideſt, quinquageſima ad apoſtolos venit. Sed & pondere ſanctuarij, ſiue ſecundum Septuaginta ſiclo ſancto, vt per hoc, quod dixit ſancto, oſtenderet ſancti Spiritus virtutem, & operationem. Siclo autem quare? quia ſiclus viginti obolorum eſt, hic autem vicenarius numerus non eſt peccatis obnoxius. Vnde hi, qui de Aegypto exierunt, cùm viginti annorum eſſent, peccati populi pænam non ſuſceperunt: Mundus quippe ab omni peccato eſt ſpiritalis homo. Non ſolùm autem arietem offerri, ſed & quintam addere præcepit. Si quis fortè ſancto vaſe, vel cibo, aut vnguento tali illicitè abuſus eſt, hoc appellauit commiſſum peccatum in Sancta; hic ergo ipſum reddet & inſuper quintam, ideſt, quintam eius partem tradet ſacerdoti.

Quinquaginta ſicli quid notent.

Sicli preciũ.

Vicenarij numeri vis.

Quintam dare ſacerdoti quid.

C Hoc autem ſignificat, vt quoniam quinque ſenſus habemus, ſi per vnum ſenſum peccauerimus, veluti ſi oculum ad adulterium in tempore, & loco ſancto occupauerimus, aut linguam in detrahendo, vel aures ad malam locutionem, aut odoratum ad perceptionem odoramentorum meretriciorum, aut manum ad tactum prophanum, & iniuſtum: Primum quidem à peccato illo abſtineamus, & pœnitentiam per arietem pro eo offeramus, ideſt, Chriſtum rogemus, vt peccati in ſe commiſſi ipſe fiat ereptio, deinde quintam, ideſt vnum prædictorum ſenſuum, per quod peccatum commiſſum eſt, offeramus ſacerdoti Chriſto, videlicet, vt nequaquam vltra ad actionem prauam illum occupemus ſenſum, ſed conſecremus illum Deo. Sic enim pro peccato noſtro deprecabitur. Quomodo autem peccati aries per ſacerdotem offeratur in alia parte libri ſcriptum eſt, vbi ſacrificium pro peccato æquale eſſe ſacrificio, quod pro delicto fit, prędicauit. Hoc autem nunc adijciendum eſt, quia, delictum legiſlator duobus modis vti ſolens, & delictum appellare, nunc quidem peccatum, quod ad ſcientiam peruenit, & nequaquam iam ignotum eſt peccanti; nunc autem, quod in Deo ipſo commiſſum eſt veluti iureiurando, aut etiam in ſanctis; non ſine cauſa hoc appellat delictum, ſed vt tu cognoſcas

D similiter in Deum extendi peccatum, quod in ſcientia, & quod in iureiurando, & quod in ſanctis committitur. Idem author in explicatione præcepti de peccato per ignorantiam, & ſi quis fecerit vnum ex his, quæ domini lege prohibētur, & peccati intellexerit iniquitatem ſuam, quo offerre iubetur arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti mēſuram peccati, habere ait pręſentem locum quæſtionem non modicam conſideratione dignam, quia pro peccatis, pro quibus capram pridem offerri, aut ouem præcepit; Ait enim: *Quod ſi peccauerit de populo terræ per ignorantiã, vt faciat quicquam ex his, quæ domini lege prohibentur, atq; delinquat, & cognouerit peccatum ſuũ, offeret capram immaculatam.* Nunc tanquam oblitus ea, quæ pręceperat: *Si anima (ait) peccauerit per ignorantiam, feceritq; vnum ex his, quæ domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti.* Et multum videtur differre inter hoc ſacrificium, & illud, quod dudum præcepit, ſed neque oblitus eſt anteriora, nec contraria ijs præcepit. Quia enim nomine animæ, gentilem diximus ſignificari, hic autem forſitan ignorans mandata legis tranſgredi poterat. Propter quod dixit, *Et per ignorantiam,* rectè intelligibilis aries, Chriſtus videlicet, huius peccatum in ſacrificio pro eo oblatus diluit; ſed & illud oſtenditur, atq; in his euidenter demõſtrat, quia in vnoquoq; quidē

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

peccato, pro remittendo eo egemus pænitentia, cum non ſimus idonei per noſmetipſos ſine E
Chriſti ſacrificio conſequi veniam. Ergo ſi quis extra fidem Chriſti cōſtitutus eſt Iudæus for-
tè, aut paganus, licet ſe pænitere de peccatis ſuis per conuerſationem, & vitam demonſtret,
remiſſionem non merebitur, quia arietem offerre, ideſt, Chriſti ſacrificium non poteſt. Quam-
obrem generaliter de omnibus ſancire cupiens non dixit, ſi anima de populo, ſed ſimpliciter,
ſi anima peccauerit, & fecerit vnum ex his, quæ domini lege prohibentur. Ergo & indocto, &
de ſcientiam habente, nec non de omni peccato rectè hoc, quod dicitur, accipitur. Quia au-
tem arietem pro delicto iubet offerri, apertiſſimum eſt, quia delictum hic legiſlator, intelle-
ctum peccatum poſuit, propter quod dicens *per ignorantiam*, ſubdidit, *Et peccata rea intellexe-*
rit iniquitatem ſuam. Sic & Radulphus, varietatem hoſtiarum pro perſonarum varietate, hic

Variandæ hoſtiæ pro varietate perſonarum.

diſtinxiſſe aſſerit, & quia non ſolùm peccantium, ſed peccatorum diuerſitas conſideranda eſt,
vt iuxta menſuram culpæ, extendatur mēſura vindictæ, hoc eſſe, quod hic diſcernitur. Qui reus
eſt, inquit, iubetur, vt ad ſacerdotem accedat, & peccati ſui æſtimationem illi committēs, quod
ille iudicauerit, hoc iſte deuotus implere contendat. Offeret itaque ſacerdoti arietem imma-
culatum iuxta menſuram, æſtimationemq; peccati, ſi eum quaſi ducem, & præuium ſibi con-
ſtituens, hanc poteſtatē illi conceſſerit, vt dignæ pęnitentiæ reatus ſui modum ipſe ęſtimauerit,
pondus ſibi imponat, vt immaculatę vitę viam oſtendat, ſi ſe deniq; promiſerit ſecuturum, quo
ſacerdotis documentum pręceſſerit. Iuge modò ſacrificium legis: In quo duo agni, vnus mane,

Iuge ſacrificium.

alter veſpere offerebatur, ſignificare iuge ſacrificium euangelij, quod omnibus diebus offertur
in Eccleſia, ex Ribera dictum eſt, itaq; agnum, qui quotidie offerebatur, Chriſtū ſine dubio ſi-
gnificaſſe in cruce patri offerendo. Manè ſignificare tempus legis, & prophetarū, & legis natu-
rę, veſperū finem tēporum eſſe, quo Chriſtus venit in mundum, & omne, quod vſq; ad cōſum-
mationem ſeculi ſupereſt. Vt ergo ſciremus qui ſalui facti ſunt, ac fient ab initio mundi vſq; ad
aduentū Chriſti, & ab eo vſq; ad finē ſeculi, per ſanguinem agni in cruce occiſi ſeruari, agnum
mane, ac veſpere immolatū fuiſſe. Similiter author Catenę iuge duorum agnorum ſacrificiū,
qui mane, & veſperi domino offerebantur, Chriſtum dominū redemptorem noſtrū ſignificaſſe

Chriſti typus.

agnū ęternum immaculatū, perpetuam, & vnicam propitiationē pro omniū peccatis à conſti-
tutione hominū vſq; ad finē mundi. D. Bernardus in ſermonib. de purificatione B. Marię duos
illos agnos, qui ſingulis diebus mane & veſpere domino offeruntur, duas nobis indicare ait do-

Serm. 2. & 3.

mini Ieſu oblationes. Primā eſſe, quā hodierna die celebramus. Hodie nāq;, inquit, ſiſtitur crea- G
tori terræ fructus ſublimis, hodie placabilis Deo, & placens Deo virgineis manibus offertur in
tēplo, portatur à parentibus, à ſenibus expectatur. Offerunt Ioſeph, & Maria ſacrificium laudis,
ſacrificium matutinum, Simeon & Anna ſuſcipiunt, ſed oblatio iſta fratres ſatis delicata vide-
tur, vbi tantum ſiſtitur domino, redimitur auibus, & ilico reportatur. Veniet quando non in
tēplo offeretur, nec inter brachia Simeonis, ſed extra ciuitatē inter brachia crucis, veniet quā-
do non redimetur alieno, ſed alios redimet ſanguine proprio, quia redemptionem eum miſit
Deus pater populo ſuo. Illud erit ſacrificium veſpertinum, iſtud eſt matutinum. Iſtud quidem
iucundius, ſed iſtud plenius. Iſtud enim tempore natiuitatis, illud iam in plenitudine ætatis.
De vtroq; enim potes accipere, quod propheta prædixit: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Nam &
modò oblatus eſt, non quia opus habuit, non quia ſub legis edicto fuit, ſed quia voluit: Et in
cruce nihilominus oblatus eſt, non quia meruit, non quia Iudæus præualuit, ſed quia ipſe vo-
luit. Voluntariè ſacrificabo tibi, quia voluntariè oblatus es pro mea ſalute, non pro tua ne-
ceſſitate. Cyprianus, Chriſtum, ait, oportuiſſe offerri circa veſperam diei, vt hora ipſa ſacri-

Chriſtū circa veſperam debuiſſe offerri.

ficij oſtenderet occaſum, & veſperam mundi, ſicut in exodo ſcriptum eſt; *& occident illum om-*
ne vulgus Synagogæ filiorum Iſrael ad veſperam. Et iterum in pſalmis: *Eleuatio manuum mearū*
ſacrificium veſpertinum. Et author Catenæ: Quod ſi agnus veſpertinus, inquit, dominum mo-
rientem præfigurat, agnus matutinus meritò eundem nobis de morte reſurgentem adumbra-
bit, cui ſententiæ applicat hoc pſalmiſtæ dictum: *ad veſperam demorabitur fletus, & ad matu-*
tinum lætitia. Nec non hoc alterum: *In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus*,
indeque & pſalmos aliquot titulum habere pro cerua matutina, hoc eſt, pro domino reſur-
gente. Nam mortem, inquit, noſtram Saluator moriendo deſtruxit, & ad vitam reſurgen-
do reparauit. Quod autem cum agnis anniculis ſimul offerebatur panis ex ſimila conſperſa
oleo factus, & vinum iam tum ſacroſancta corporis, & ſanguinis eius myſteria ſub ſpecie pa-
nis, & vini iugiter in eccleſia immolanda, ſicut & nunc indeſinenter immolantur, præſignaſſe
ait, virtute Spiritus ſancti complenda, per quem & ipſe ſe obtulit immaculatum Deo. Vi-
de etiam de hoc eodem ſacrificio in hiſtoria de boue. Quod modò ad ſacerdotum conſecra-
tionem attinet, in qua vitulus de armento, & duo arietes immaculati offerebantur, & cetera.
Idem

A Idem author Catenæ, & interlinearis spiritualiter hanc consecrationem manus Aaron, &
filiorum eius id nobis præferre, testantur, quod sacerdotes ecclesiæ omnia bona opera ope-
rari debent, nulla autem mala. Vitulo autem sacrificando imponere Aaron, & filios eius
manus super caput, & postmodum in conspectu tabernaculi mactari, quia vera hostia Chri-
stus Dominus, qui peccata nostra portauit, in cruce erat pro salute mundi offerendus, cuius
sanguine, & iusti quatuor virtutibus nitentes, per quatuor cornua altaris, & inferiores in
ecclesia, per basin eius significati, & demum omnes à reatu omnium peccatorum emundari
debèbant, non, vt sine omni prorsus peccato viuerent, sed, vt non imputarentur eis pecca-
ta, & rei non haberentur apud iustitiam Dei, cui satisfactum esset per Christi mortem, &
sanguinem eius redimentem fideles, & electos, si illis applicata fuerit per fidem, & sacra-
menta. Vel cornua altaris, & basis sanguine vituli liniri, quia Christus, qui sacerdos ec-
clesiæ Dei est, altare, & hostia pro nostris criminibus peccatum fit, hoc est, sacrificium pro
peccato, vt nos à peccatis liberaret. Sed & cum adeps offertur incensum domino, nil nobis
indicare aliud, quàm Saluatoris nostri passionem ex virtute gratiæ eius in fine sæculorum
B celebrandam, acceptissimam Deo futuram. Quod verò vituli carnes extra castra combu-
runtur, quia pro peccato sunt, Dominum Iesum Christum extra Ierusalem pro peccatis
mundi in cruce offerendum. Sed & duos arietes, super quorum capita Aaron, & filij ma-
nus imponunt, domino mactandos, ipsum eundem dominum Iesum propter eminentissi-
mam Dei, & proximi dilectionem, exprimere ducem, & pastorem ouium, quem morti sa-
cerdotes, & pontifices Iudæorum tradiderunt. Nec ab re secundi arietis sanguine aures dex-
tras, pollices manuum, ac pedum Aaron, & filiorum eius tingi, quoniam immolatione Chri-
sti purgatus, & innouatus simplicium Iudaici populi auditus, opera correcta, & incessus dex-
tri, & puri redditi. Aspersionem autem sanguinis eiusdem super Aaron, & filios, si non vo-
ce, signo saltem tibi clamare videri, quod scelerati illi Iudaici populi sacerdotes in die pa-
rasceues spurcissimis labijs protulerunt; *Sanguis eius super nos, & filios nostros*. Theodore-
tus verò, sacerdotes, inquit, non omnibus hostijs manus imponebant, sed ijs, quæ pro ipsis
immolabantur, maximèque pro peccato, cæteris verò ipsi illi, qui offerebant, manus suas
supponebant: Id verò declarabat hostium locum offerentis tenere, ac supplere. Illud au-
C tem sciendum est, quod pro pontifice vitulus offerebatur, itemque pro omni populo. At ve-
rò pro principe hircus: pro vtroque verò capra; principi namque masculus, subiectis verò fæ-
mina congruit, propterea quod mulierem Adam subiectam esse Deus voluerit. Præterea
vitulus, qui pro peccato offerebatur, extra castra comburebatur. Ob id Christus quoque do-
minus noster, vt ait Apostolus, extra portam passus est, veritatemque figuræ imposuit. Al-
tari quoque omentum imponebatur, offerebatur similiter adeps ventriculi, duo renes, ipsius-
que iecoris fibræ. Quæ quidem omnia tantùm, quæ in nobis sunt, affectionum ænigmata
esse, existimarim, adeps namque, qui ventriculum operit, gulæ, atque abdominis vitium in-
dicat, renes verò voluptates illas, quæ ventrem maximè oblectant, fibræ autem iecoris irasci-
bilem animæ vim declarant, hinc enim pars illa, quæ bilem ipsam continet, copulatur. Hæc
autem omnia consecrari iubet, ac quodammodo malas ipsorum efficacias mortuas esse signi-
ficare. Brachium quoque dextrum arietis pro consummatione offerri præcipit, hoc est, vir-
tutem, quæ sese operibus exerit, dexteram, ac gratam Deo offerendam esse. Ita & author
Catenæ, obseruandum esse tradit, dominum potissimùm exigere pro suo sacrificio anima-
D lia illa, & membra illa, quæ concupiscentijs subijciuntur. Nolle habere animal infirmum,
aut quod testiculis sit priuatum, requirere renes, qui concupiscentiæ prima sunt officia: Vel-
le habere hepar, quod roborat libidines, & adipes, qui effrenem faciunt concupiscentiam.
Hæc omnia dominum in suo velle habere sacrificio, non quod illum delectent renes, aut adi-
pes pecudum, sed quòd hæc mysticè significent, quòd homo debet mortificare membra sua
super terram. Non vacat denique mysterio, quod per Moysen cauda hostiæ in altari domi-
no offerri præcipitur, vt videlicet omne bonum quod incipimus, etiam perseuerantiæ fine
compleamus. Repeti autem videtur eadem consecratio Aaron, & filiorum eius in Leuit. his
verbis: *Locutus est dominus ad Moysen dicens, tolle Aaron cum filijs suis, vestes eorum, & vn-
ctionis oleum, vitulum pro peccato, & duos arietes.* Quo loco Radulphus istū ait esse vitulum, cu-
ius immolationem inter hostias, quæ pro peccato offeruntur, primam suprà posuerat, Christū
scilicet, dominum, qui pro generis humani reatu seipsum in ara crucis immolatum obtulit.
Sed quoniam eius passio non solùm opere complenda, sed etiam populo prędicanda fuerat,
eligi ministros, quibus hoc officium iniungatur, vt morte illius audita, & credita à sua mundus
morte saluetur: Sicut enim Moyses exaltauit serpentem, ita exaltari oportere filium homi-

Adeps quid notet.

Quibus hostijs sacerdotes imponerent manus.

Brachium dextrū arietis quid notet.

Qualia animalia in sacrificijs fuerint requisita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Moyſen itaque vi- E
tulum hunc offerre, cùm diuina pagina Chriſtum pro nobis ſe ipſum obtuliſſe docet. Hac lo-
cutione in parabola Euangelica, redeunte illo adoleſcente filio, patrem ſeruis ſuis de hoc codē
vitulo præcepiſſe dicentem: *Adducite vitulum ſaginatum, & occidite:* occidite, dicit B. Augu-
ſtinus, ideſt, occiſum prædicate. Legem itaq; coram Aaron, filijſque eius vitulum pro peccato
mactare, cùm doctorum ſcientiam de Chriſti paſſione informat; ſed quia per eorum prædica-
tionem eadem paſſio populis intimanda erat, ideo ſubiungi. *Cumque ſuper caput eius poſuiſ-
ſent Aaron, & filij eius manus ſuas, immolauit eum hauriens ſanguinem.* Huius itaque vituli
Aaron, & filios eius manus ſuas capiti imponere, vt intelligant ſuæ illum fidei committi, qua-
tenus, qui pro mundi ſalute paſſus eſt, eorum labore, atq; inſtantia, mundo innoteſcat. Et quia
poſt documenta fidei, etiam conuerſationis fidelium paſtoribus cura habēda eſt, lex, eiuſdem
Radulphi iudicio, poſtquam vitulum pro peccato obtulit, quem Aaron, filijſque ipſius prædi-
candum commiſit, iterum arietem offert in holocauſtum, quia monet eos, vt ſi fidei ſunt docto-
res, auditoribus ſuis in bonis operibus ſtudeant eſſe duces. Offert holocauſtum coram eis, non F
hoſtiam pacificam, cùm eos hortatur, vt ſi magiſtri ſunt, non popularem, ſed perfectam arri-
piant conuerſationem. Offert, inquam, quia offerre eos docet. Huic autem arieti Aaron, filij-
que ipſius ſuper caput manus imponunt, cum paſtores eccleſiæ, quòd ſacra lex ijs ſuggerit, ſe
obſeruare promittunt. Cùm verò Moyſes obtulerit & arietem ſecundum in conſecrationem
ſacerdotum. Nonne prioris oblatio ſanctificat offerentes? qui enim in ſua conuerſatione per-
Ieremiæ 17. fectum religionis fidelibus præbet exemplum, nonne ſanctus dicendus eſt? *Scriptum tamen
eſt. Maledictus qui ſpem ſuam ponit in homine; omnis enim homo mendax, Deus ſolus verax eſt.*
Et reuera in tantis tenebris humanæ ignorantiæ, quis homo, cui error non ſit timendus, niſi
ſolus ille qui Deus, & homo eſt? Quicunque ergo in populo Dei duces conſtituuntur, ne
errent, quia homines ſunt, & poſt ſe in perditionem etiam alios trahant, neceſſe eſt, vt eum,
qui errare non poteſt, ſibi ducem proponant, hoc eſt, ſi in grege fidelium arietes ipſi ſunt, ex-
pedit eis, vt Chriſtum, cuius ducatu conſecrentur, & ab errore liberentur, arietem ſibi conſti-
tuant. Inde B. Apoſtolus cùm diſcipulos ſuos ad ſuam imitationem prouocaſſet dicens: *Imi-
1. Corint. 4. tatores mei eſtote:* ne de eius errore timere deberent, cuius veſtigijs ipſe inhæreret, ſtatim
ſubdidit dicens: *Sicut & ego Chriſti.* Hinc ipſe Dominus ei, quem totius eccleſiæ ducem G
Ioann. 21. conſtituerat, poſt reſurrectionem ſuam præcepit, dicens: *Sequere me.* Moyſes itaque poſt
Aries alter vituli hoſtiam, poſt arietem primum, ſecundum quoque offert in conſecrationem ſacerdo-
cur oblatus. tum, quia Scriptura ſacra, quæ doctores inſtruit, quid de Chriſto populis prædicent, quæ
monet eos, vt ſuo exemplo ad religionem fideles excitent: eadem ne à iuſtitiæ exorbitent tra-
mite, eius, quem prædicant, Chriſti formam illis imitandam proponit. Huic quoque arie-
ti Aaron, filijque eius ſuper caput manus imponunt, cùm iuxta legis monita, eius regulam ſe
obſeruare promittunt. Iſychius itidem per arietem, quem in holocauſtum Sacerdos offert,
hoc abſolutè lege ſignificari aſſerit, vt quia conuerſatio perfecta, per holocauſtomatis obla-
tionem cognoſcitur, aries neceſſariò in ſacrificium offeratur; hic quippe ducatum præbere,
inquit ouibus exeuntibus in paſcua, & ad egreſſum, ingreſſumque à caulis, & in caulas ſoleti
ſicut & Chriſtus dux perfectæ conuerſationis eſt, à quo videlicet ſumpſit exordium, atque
ideo intrare per ſe, & exire, ouibus præcipiebat. Sed per ſecundi arietis. Oblationem in con-
ſecrationem ſacerdotum, aſſerit apertè eorum, quæ circa nos aguntur, myſteriorum exponi
traditionem, & paſcha myſticum, quod Chriſtus cum diſcipulis ſuis comedit, ſignificari,
idque docere, quæ per partes in ſacrificio peragi præcipiuntur. *Obtulit ei arietem ſecundum
in conſecrationem ſacerdotum.* Septuaginta autem ponunt, obtulit Moyſes arietem ſecun-
dum explicationis. Rectè eorum, quod in nos celebratum eſt, myſterium, ſacrificium ex-
plicationis appellari ait, quoniam ipſum nos perfecit, cùm prius fuiſſemus infirmi, & ab
imperfecta lactis educatione produxit, ideſt, ab ea, quæ in lege eſt, de qua Paulus dicit:
Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Cur au-
tem aries, ſecundus hic aries nunc nominatur? quia videlicet prius figuratam ouem cum
Apoſtolis cænans Dominus, poſtea ſuum obtulit ſacrificium, & ſecundo, ſicut ouem ſe-
metipſum occidit, quod demonſtrant ſequentia. *Poſueruntque Aaron, & filij eius manus
ſuas ſuper caput eius; Quem cùm immolaſſet Moyſes.* Neceſſariò ſimul Aaron, & filij
eius manus ſuper caput eius imponunt, quia communem cænam feſtiuitatis paſchalis cum
ſuis Chriſtus diſcipulis celebrauit. Cùm enim quoſdam diſcipulorum ad præparationem
domus, in qua paſcha celebraturus erat, dirigeret ſic ait: *Dicite patri familias, quia magi-
ſter dicit, vbi eſt diuerſorium, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem?* Sed Moyſes hoc
ſacri-

A ſacrificium celebrat, quia magis ab alijs Chriſti figuram ipſe gerit: Tunc autem maxi-
mè ſacrificium ſuum Chriſtus celebrauit. Accedo ad ſacrificium, quod fiebat pro leproſo,
quoque die octauo immolabantur agni duo &c. Deſignat hic ex ſententia Radulphi dies octa-
uus, nouam vitam; octonarius quippe numerus reſurrectioni conſecratus eſt propter reſurre-
ctionem dominicam, quæ octaua die cōpleta eſt. Eſt autē reſurrectio prima, de qua dicit apo-
ſtolus: *Sicut Chriſtus reſurrexit per gloriā Patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus.* Octaua
igitur dies intelligitur, poſtquam homo & mente, & corpore renouatur. In hac autem octaua
die offerri iubentur agni duo immaculati, & ouis annicula abſq; macula: Si in agno innocen-
tia, quid in duobus agnis niſi eiuſdem innocentiæ geminatio accipienda eſt, vt à læſione proxi-
mi non ſolas manus homo contineat, ſed nec huiuſmodi deſideriū, vt vel ab alio lædatur pro-
ximus, admittat? Ouis verò annicula abſq; macula, munditia carnis eſt, cōſuetudine longa ad
perfectionē perducta, & quæ aliorum criminū admixtione non ſit deprauata; Sunt.n. nonnulli
caſtitate præditi, qui aut ſuperbia, aut auaritia, aut aliquo ſimili corrumpuntur. Hi licet ouem
B offerant non tamen ouis ipſa, vt abſq; macula ſit, obſeruant, dum ex alio latere ſecū gerunt, vn-
de diſpliceant. Iubentur quoq; cum agnis, & oue tres ſimilæ decimæ offerri in ſacrificiū. Quid
in tribus decimis ſimilæ niſi fides trinitatis accipitur? Simila namq; quia ſubtilis eſt, cogitatio-
nibus noſtris aſſimilatur, quę cùm ſpirituale ſint, corporalibus ſenſibus ſubtrahuntur. Huius au-
tē ſimilæ trina & æqua menſura in ſacrificiū offertur, quia quicunq; de Patre, & Filio, & Spiri-
tu ſancto paria ſenſerit, fidei ſuæ rectitudine ſanctificatur. Notandū enim, quod eadē præcipi-
tur ſimila, vt conſperſa ſit oleo. Non humanis quippe traditionibus, ſed Spiritus ſancti dogma-
tibus, fidei nobis formanda eſt integritas. Additur quoq; olei ſextarius in oblatione iſtius, grę-
cè verò ἔλεος, vt ait Papa Gregorius, miſericordia vocatur, & quaſi oliuæ liquor ante Dei om-
nipotentis oculos miſericordiæ fructus lucet. Homo igitur iſte, qui à lepra ſua purgatur, cum
duplici innocentia voluntatis, & operis, ſi iam cōſeruat corporis caſtitatem, ſi fidei tenet recti-
tudinem, etiam miſericordię operibus iubetur inſiſtere, quia ſcriptum eſt: *Sicut aqua extinguit
ignem, ita eleemoſina extinguit peccatum.* Quia verò eadem miſericordia diſcretione moderanda
eſt, oleum, quod offertur ſub ſextarij menſura redigitur. Sed quoniam remedia lepræ ſunt, quę
C tractamus, diligentiæ lectori iniungimus, vt ſingula ſingulis opponat, & qualiter ſibi inuicem
obuient, conſiderare non negligat. Nam contra lepram combuſturæ, ſeu etiā ruffę maculę agni
geminatur oblatio, contra lepram vlceris annicula ouis offertur. Quod autem domino in oſtio
tabernaculi cum oblatione ſua leproſus ſtatuitur, intelligendum eſſe ait idem Radulphus, quia
diuinæ reſpectum gratiæ tabernaculi cæleſtis ingreſſum, in omnibus, quæ agimus cogitare de-
bemus. De agnis verò quod vnus pro delicto offerri pręcipitur, primo ad memoriam reuocan-
dum, quod peccatū à delicto diſtinguitur, peccatū ſcilicet cum ſit operi, delictum conſcientiæ
deputatum; Secundò aduertendū eſſe de ijſdem agnis, quod licet in octauo die, cū iam homo
totus exterius, interiuſq; renouatus eſt, ſimul offerantur, non tamē ſimul vtraq; innocētia mu-
nere diuino confertur: Primum eſt enim vt nec ſermone, nec actu proximis moleſtus exiſtas,
dehinc illa animi manſuetudo, quæ non ſub contumelioſiorum conuitijs, nō ſub violentia rap-
toris, nec etiā ſub manu percuſſoris tranquillitatis ſuæ tenorē deſerens, impatiētię ſtimulis agi-
tetur multo labore, longa cōſuetudine, magno etiā perfectionis amore cōquiritur. Diuerſis igi-
tur tēporibus hæ duæ acquiruntur virtutes, & vna aliā præcedit tempore, ſed tamen nō imme-
D rito cōiungitur in oblatione. Prima.n. perfici non poteſt, niſi ſequatur & ſecunda: quia non eſt
corā Deo plena tranquillitas operis, quam decolorat in conſpectu ipſius perturbatio mētis. In
octaua ergo quę ſeptimā ſequitur, vterq; agnus offertur, quia tunc iure diuinis obtutib. innocē-
tia exterior præſentatur, cū adiuncta cordis manſuetudine ad legitimum modū perducitur. Ip-
ſa tamen quaſi primus agnus dū adhuc ſola eſt pro delicto offertur: Delictū enim, vt prædixi-
mus in cōſcientia perpetratur. Delinquit itaq;, qui licet proximū non lædat, ruinam tamē eius,
aut optat, aut in eius ruina exultat. Sed cū perturbatione aliqua vel iniuria, ſibi à proximo illa-
ta in hunc affectū ad tempus inciderit, poſtquā ad ſe fuerit reuerſus, & agnouerit delictū ſuum
nihil habet quod veniam petens, domino, prætendat, niſi quod malū pro malo non reddidit,
quamuis per impatientiam, à dilectionis regula exorbitauerit. Innocentia ergo operis dum
adhuc mente delinquimus, ad placandum interim præſumitur, quoniam ipſa impetrat, vt, &
quod deeſt, quandoque perficiatur, & quod nondum ſine offenſa eſt, non ſit etiam ſine miſe-
ricordia. Offeret ergo, inquit, agnum pro delicto, oleiq; ſextarium &c. Iſychius verò etiam
octauam iſtam diem eiuſdem cum prima virtutis eſſe aſſerit, & efficaciæ, quia omne tempus
præſens in hebdomadibus conciditur: octaua primę virtutem gerit, vel omnino ipſam renouat:
eſſe autem hanc ipſam diem in qua Saluator noſter reſurrexit, in qua in caſtra ingrediemur.

Sacrificium pro leproſo, eiuſq; partium myſtica explicatio.

Octonarij numeri myſtica vis.

Roman. 6.

Similæ myſtica ſignificatio.

Eccleſ. 3.

Peccati, & delicti diſtinctio.

Poſt dies enim ſeptem eum, qui mundatus eſt leproſus, die videlicet octaua in caſtris ingredi, E
inquit, præcepit, ſed qualia caſtra? vtique illa, quæ Iacob Patriarcha vidit, quando angelis ſibi
locum caſtra Dei appellauit. Ad hæc mundatum leproſum, vtpotè olim iuſtificatum, tempo-
re reſurrectionis venire, in cuius figuram diem octauam à legislatore accipi. Quæ autem in
octaua die agi præcepta ſunt, imaginem eius, quod ſecundũ nos eſt, myſterij gerere. Pręcepiſſe
ſiquidem duos agnos immaculatos anniculos ſumi, & ouem immaculatam vnam, eorumque
quidem vnum pro peccato, alium autem in holocauſtum immolari præcepiſſe. Omnia autem
hæc figuram gerere ſacrificij Saluatoris; ipſum enim præter noſtra peccata, & delicta, hoſtiam
in holocauſtum fuiſſe. Ex vtroque autem genere ſacrificium offerri præcepiſſe, vt oſtenderet
quia Chriſtus pro nobis occiſus, ſimul maſculum, fœminamq; ſaluabit. Nõ fruſtra autem agni-
culum in vtroque præcepiſſe, ſed perfectum per hoc ſacrificium figurauiſſe, eiuſq; ſacrificij iſta
figuram gerere. Perfecta enim in prædictis animalibus eſſe annicula animalia, ita vt ad filios
generãdos ſint idonea, ſed quia eum, qui mundatur ſuper ſacrificium vnigeniti, etiam fide to-
tius Trinitatis ſignari oportet, tres decimas ſimilæ, ideſt, trinitatem Patris, & Filij, & Spiritus F
ſancti habentem in vnaquaq; perſona perfectionem. Perfectum quippe eſſe ternarium nume-
Lucæ 13. rum, propter quod & dominus dicebat: *Simile eſt regnum cælorum mulieri, quæ accipiens fermẽ-
tum abſcondit in farina tria ſata vſq; dum perfermentaretur totum.* Sumi autem hæc conſperſa
oleo in ſacrificium iubere, ſacrificium autẽ dicere vnigeniti, quod in oleo conſperſum eſt, quia
Trinitatis ſymbolum. ob compaſſionem noſtram geſtum eſt. Tres autem dici offerri ſimilę decimas, aut quia, etſi vni-
geniti paſſione, tamen totius trinitatis hoc, quod ex illo ſacrificio actum eſt, myſterium fuiſſe;
præcepiſſe item ſextarium olei ſumi, quia fide intelligitur, & agitur vnumquodque eorum, quę
Fides ad certam menſuram datur. prędicta ſunt; iuſtè autem ſextarium nominari, quia quemadmodum ſextarius menſura eſt, vel
ſi cotylam ſecundum Septuaginta dicamus, eadem menſura vniuſcuiuſq; minus, & plus non
capit. Quòd enim plus eſt, effunditur: minus autem propterea non ſuſcipit, quia hoc, quod mi-
nuitur, nequaquam iam ſextarius, vel cotyla poterit appellari. Sic & fides ad mẽtis noſtrę mẽ-
ſuram datur, quæ non capit amplius, aut minus, quàm vnicuique à Deo eſt diſpertita cognitio:
Quod ergo minus eſt, aut amplius ad infidelitatem tendit. Sextarium porrò olei, vel cotylam
dixiſſe, quia miſeratus, inquit, Deus humanum, genus cum illud ad explenda Legis opera in-
firmatum vidiſſet, iam nõ ex operibus ſaluari, ſed per gratiam hominem voluit; gratia verò ex G
miſericordia, ac compaſſione prębetur, & fide comprehenditur ſola, non ex operibus, vt Paulus
Ephes. 3. dicit, nam gratia iam non erit gratia. His ergo acceptis, ad oſtium tabernaculi teſtimonij ad
ingreſſum videlicet ſcientiæ Dei, qui mundatus eſt, adduci. Sacerdotem autem agnum vnum
pro delicto immolare. Atqui ſi de corporali paſſione eſſet hæc ſanctio, ſicut quibuſdam vide-
tur, quid erat neceſſe, inquit Iſychius, agnum pro peccato immolari; Sed quia adumbrat pro-
pter infirmitatem Iudæorum myſteria, atque ſpiritalem intellectum, abſcõdi in litera, ſic enim
dare quaſdam occaſiones contemplationis per literam, & verba quæ ſignificent intellectum
Spiritus: Vnde & nunc, cùm agnum vnum pro peccato præcepiſſet immolari, qualem non di-
cere, quia ipſe eſt procul dubio tam pro delicto, quàm illius, cuius aures à lepra detinebantur.
Propter quid ergo ſic facit, niſi fortè vt auditum muniat, & cautum reddat? Quia ipſe à draco-
ne ſeductus, peccatum vt ſeduxit. Per actiones autem manuum ſignificare; per pedem verò
omnes noſtros motus, & vias comprehendere, & præuenire voluit; his enim cuſtoditis per ſan-
guinem intelligibilis agni, & fidem, quæ in eum eſt, quæ nobis per miſericordiam, & compaſ-
ſionem eius donata eſt, intelligibilis lepra nequaquam poterit hominem penetrare, quãquam
& oleum ſextarij, ſeu cotylæ, quam fidem eſſe dicimus, in manum mittere ſacerdotem vult, vt
ſacerdotis fides, per quam & nos proficimus, in operibus oſtendatur. Nec enim aliter vim ſuã
exerit, niſi manu aſſumpta fuerit, ideſt, actione confirmata, & ſignata operibus. Mittit autem
Dextræ, & ſiniſtrę manus myſterium. oleum in ſiniſtram manum, & intingit digitum dextrum in oleo, ſicut ait Paulus: Per arma iu-
ſtitiæ à dextris, & ſiniſtris conuerſatus per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam
famam, & quæ his ſimilia ſunt. Radulphus ait, oleum quod in manum ſiniſtram mittitur, ſigni-
ficare, quod opera miſericordiæ non niſi in præſenti vita, neceſſaria habebuntur, nam & Gre-
gorius, per ſiniſtram præſentem vitam intelligit, per dextram verò, perpetuam. In ſiniſtram
itaque manum ſacerdotis, oleum poni, quia hæc mortalitas noſtra, ſicut ſola nouit miſeriam,
ſic ſolam à nobis mutuam expectat miſericordiam; Sed licet ſiniſtra manus oleũ habeat, dex-
trum tamen, non ſiniſtrum digitum in eo tingi, quia miſericordia, quæ in præſenti indigenti-
bus exhibetur, in ſiniſtra quidem materiam, & tempus accipit operandi, ſed dextrum eſt om-
ne, quod laborat, quia non præſentem ſed futuram retributionem expectat. Cæterùm legisla-
tor erga eos, qui legem accipiunt admirabili condeſcenſione vtitur; ecce enim veniam pauper-
tati

A tati dat, & moderata pauperi esse sacrificia præcepit, ne fortè obstupescat. dũ maiora ei, quàm virtus est, præcipiuntur. *Quodsi pauper est*, inquit, *sumet agnum pro delicto ad oblationem &c.* Pauper, vt exponit Radulphus, cuius mens à domesticis opibus inanis est, licet à fructu vini, & frumenti multiplicetur: Diues verò contra: Diuitẽ ergo illum intelligi vult, qui ad duos agnos, idest, ad vtriusque innocentiæ mentis, & corporis oblationem sufficiẽs est: Pauperem verò, qui nisi vnum offerre non præualet, quia licet à proximi læsione manus contineat, diuersis tamen perturbationibus & seipsum lædit, & aliorum læsiones affectat. Ibi & illud satis apertè declarari, quod supra dictum est, duos illos agnos non eiusdem ordinis esse, vel meriti. Ad primum siquidem, nec paupertatem sufficientem esse, ad secundum verò nisi diuitem sufficientem non esse, vnde & diues secundum in holocaustum obtulit: Pauperem autem, qui holocaustum faceret, non inuenit. Iste itaque quia mente adhuc delinquit, pro delicto suo saltem vnum offert agnum, ait roget pro eo sacerdos. Nam si nec vnum habeat, vt scilicet nec actu, nec affectu innocentiam custodiat, quis orabit pro eo? quomodo propitiari illi poterit Deus? Offerri autem à paupere etiam agnus iubetur ante omnia, quia oportebat vnumquemq; pænitentiam agen-
B tem, quæ per emundationem lepræ indicatur, ad benignitatem ante omnia migrare, & hanc studere, vt ait Isychius, quia hæc etiam cuilibet facilis ad adipiscendum est, quàm à malis abstinuerit. Porrò vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum offerre Aaron mandabatur, antequam ingrederetur sanctuarium. Allegoria est ad Christi mysteriũ referenda, in ipso nãque, quod hic dicitur, impletum est, ipse enim priusquam sanctuarium intraret, idest, antequã cælo corpus suum inueheret, vitulum obtulit pro peccato, quia seipsum obtulit immaculatum Deo pro peccatis nostris in odorem suauitatis. Ipse est vitulus Libani, vitulus candidus Sanctitatis suæ excellentia omnem humanam excedens altitudinem, qui cornibus crucis suæ potestates aereas debellauit, de quo etiã in psalmo; Cùm de cedris libani, idest, de principibus huius mundi, qui nitore gloriæ temporalis superbiunt, propheta loquitur. *Comminuet*, inquit, *eas tanquam vitulum Libani;* cùm videlicet ad humilitatem Christi deponet eas. De hac autem eius oblatione, aliàs etiam diximus, vbi Sacerdos, qui vnctus est, pro peccato suo vitulum immaculatum iubetur offerre. Arietem autem Christus obtulit in holocaustum, quia dux optimus gregis sui, dum adhuc esset nobiscum, perfectam sequi volentibus sanctitatis viam osten-
C dit. Septuaginta hoc loco habent, de vitulis ex bubus illis operatoribus iustitiæ secundum carnem factus est, verbi gratia Abraham, Isaac, Iacob, Dauid: Nam boues lex eos, qui iustitiam operantur, nouit sicut nobis Paulus tradidit, illud interpretatus mandatum: *Non alligabis os boui trituranti;* deinde subiecit, *nunquid de bubus cura est Deo?* An propter nos vtique dicit, quia debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi; quia autem & vitulus rectè propter sacrificium, & virtutem appellatur, euangelica explanat parabola, in qua prodigo filio pater reuertenti, primam stolam dans baptismatis, & annulum, idest, signaculum Spiritus, vitulum ei sacrificium vnigeniti immolauit, ipse & aries in holocaustum est. Hoc enim ea, quæ de Isaac est, historia explanauit, quando per arietem secundum Septuaginta in virgulto Sabec, idest, in virgulto veniæ, per quod absolutè crucem intelligimus, in qua nostrorũ peccatorum peracta est venia, ex cornibus conligatum videns Abraham immolauit eum, & sacrificij Christi compleuit imaginem, vnde & de eo dominus dicebat; *Abraham exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est.* Quia ergo aries ex genere ouium est, veruntamẽ est præcipuus, & gregis dux, rectè significat Christum, quia est ex massa nostra, sed præcipuus, & ex-
D cellens nos, & dux generis humani, atque rex est. In hoc, idest, in Christo vult nos ingredi in sancta, initium enim de Deo loquendi Christus est, & eius passio, quæ si nõ apta fuisset, & tam paganorum nos errore, quàm ab vmbra legis, & caligine liberasset, nos de patris diuinitate minimè loqui potuissemus; *nemo enim scit patrẽ nisi filius, & cui voluerit filius reuelare:* Sed quia is, qui de Deo locuturus est, & intueri Deum, in quantum possibile est hominibus, vult, necesse est, vt omnibus virtutibus armetur, quæ quatuor sunt generales, Iustitia, quæ per tunicam lineam; Castitas, quæ per feminalia; Fortitudo, quæ per zonam; Sapientia, quæ denique per cidarim significatur. Parato hoc ab Aaron sacrificio quod ad Christum solùm respicere, dictum est, ipse ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos suscipiebat hircos pro peccato, & vnum arietem in holocaustum. Suscipit ergo Aaron ab vniuersa multitudine filiorum Israel arietem vnum in holocaustum, cùm Christus duces populi sui, eosque qui perfectionis desiderio omnibus quæ sunt mundi renuntiauerunt, in hoc tempore tanquam aurum in fornace probatos, in holocausti hostiam accipit, & postmodum consessu sui honore sublimans ad iudicandum secũ assumit. De hoc ariete, siue de his arietibus, nam & vnus, & multi sunt: vnus, si fidei vnitatem, charitatisque concordiam in illis attendas; multi, si personarum proprietatem respicias, de his

Pauper quis hic, et diues.

Sanctuariũ intrare qd.

Psalm. 28.

Ioann. 8.

Præmium omnium diuinorum sermonum est passio Christi.

ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ergo arietibus loquitur per Psalmistam ecclesia dicens: *Holocausta medullata offeram tibi cum* E
incenso, & arietibus. Sic enim antiqua habet trãslatio. Sed nec hircos prętermisit, quos lex arie-
ti copulauit; cùm protinus adiũxit: *Offeram tibi boues cum hircis.* Inde beatus Augustinus, cùm
super hac ecclesiæ oblatione dissereret: Magni (inquit) arietes, magni boues. Quid illi qui fortè
conscij sunt aliquorum peccatorum, qui fortè in ipso itinere lapsi & sauciati, per pœnitentiam
sanantur? Nunquid ipsi remanebunt? Ne ipsi timeant, addidit & hircos. Adiunctione ipsi la-

Hirci à sinistris qui.

uantur hirci. Per se non possunt: adiuncti boues accipiuntur. Fecerunt eos sibi amicos de ma-
mnona iniquitatis, vt & ipsi recipiant illos in æterna tabernacula. Ergo isti hirci non erunt à si-
nistris, quia fecerunt sibi amicos de mamnona iniquitatis. Qui erunt hirci à sinistris? Quibus
dicetur: Esuriui & non dedistis mihi manducare: non qui peccata sua eleemosynis redemerũt.
Habes euidenter duo hircorum genera, idest, duos hircos, quos lex cum ariete dixerat offeren-
dos. Post iudicium namq; ordinem, reliqua multitudo, quæ eorum spectat sentẽtiam, diuersam
sortem suscipiet: vt pars quę peccatis suis renunciauit, & eleemosynis redemit, dexterã teneat,
regnum post iudicium perceptura: pars quæ in peccatis perseuerauit, quæ pro eorum oblatione
nunquam solicita fuit, in sinistram transeat, cum diabolo, & angelis eius in exterminium abi- F
tura. Vtraque tamen Christo offertur illa, vt coronetur; ista, vt damnetur. Illa regi suo præsen-
tatur, vt laboris peracti mercedem suscipiat: ista iudici exhibetur, vt tormentis adiudicata, cõ-
gruam sibi vindictam sustineat. Suscipit ergò duos hircos pro peccato, cùm ab vno pro trans-
gressionibus suis recipit satisfactionem, ab alio expetit damnationem. Hæc est Radulphi de-
claratio. Sed & Isychius inquit: Quia ad ipsum Christum ea de quibus locutus est legislator, in
præsenti euidenter referuntur, manifestare species sacrificiorum & effectus, sed & hos, à quibus
sacrificia accipiuntur. A synagoga enim vel vniuersa multitudine filiorum Israel accipi sacrifi-
cia præcepisse: quia Christus qui pro nobis immolatus est, ex filijs Israel secũdum carnem fuit:
dein sacrificiorum alia quidem pro peccatis, alia in holocaustum iubere offerri, vt figuraret, si-
cut oportebat, Christi sacrificio virtutem, qui pro nostris peccatis offertur; Quia autem ad ho-
locaustum & ad perfectionem videlicet, & ad profectum vitæ, atque virtutum vnigeniti sacri-
ficium factum est: sic perfectionem & omnimodam nostram salũtem, filium per sacrificium fa-
ctum esse. Propriè autem in effectibus sacrificiorum accepisse legislatorem ea quæ immola-

Hircus pro pænitentia.

bantur: cùm enim dixisset hircos pro peccato offerri, quoniam hoc animal in peccatorum ge-
nus diuina scriptura accipere consueuit, nullatenus immemores, quia quando sacrificiorũ hæc G
pænitentiæ rationem significabant, occasionem ex legali hoc codice sumentes (inquit) expo-
suimus, hœdum qui Græce chymargus dicitur, rectè immolari ab eo, qui pœnitentiam agit,
ostendimus: vtpotè in tempestate & fluctu constituti, vsque dum pœnitentiæ eius suscipiatur
sacrificium. Aries autem vtpotè ducatum gregi præbens, deputatus rectè in holocaustũ, idest,
in virtute, & perfectione vitæ accipitur, quorum est enim nisi præpositorum dicere perfecta?
His ita se habentibus omnimodo dicis, cur si hircos pro peccato lex præcepit offerri, nũc etiam
vitulum offerre præcepit? Vna autem ratione, breuique explanari potest, quia non vnius gene-
ris, sed tam peccatorum, quàm iustorum est vnigeniti sacrificium. Et propterea hirci pro gene-

Bos pro iusto.

re quodammodo peccatorum offerri præcipiuntur, vitulus autem pro iustis, quia bos cùm sit
ad operandum aptum animal, in persona iusti secundum legem accipitur. Vnde & in vitulo
ait, *orabit pro se, & pro domo sua.* Notanda autem est diuersitas hostiarum, primò enim decer-
nitur, quas Aaron offerre debeat, vitulum scilicet, ac arietem; deinde subiungitur vt alias à ple-
be accipiat. A principali itaque hostia, quæ alias sanctificat, quæ alijs meritum præstat, à vitu-
lo videlicet pontificis ordinem sumit: ad illam redit, ac deinde aliorum dispositionem subne-
ctit, *cùm obtulerit,* inquit, *vitulum, & orauerit pro se, & pro domo sua.* Res est non ignota fideli-
bus, Christum cùm passioni appropinquaret, tam pro se quàm pro familia sua preces patri ob-
tulisse. Nam subleuatis oculis in cælum: *Pater,* inquit, *venit hora, clarifica filium, vt filius tuus*

Ioann. 17.

clarificet te. Hæc forma pietatis, hoc sacramentum dominicæ dilectionis in Aaron exprimeba-
tur cum oblato vitulo, idest, ad altare applicito, & ad mactandum parato, orabat pro se, & pro
domo sua, Christus autem pro suis agens, à mundo eos discreuit dicens: *Ego pro eis rogo non pro*
mundo: Sunt verò inter suos quàm plures speciem habentes pietatis, sed veritatem illius abne-
gantes, qui dicunt ei domine domine, sed quæ dicit non faciũt, quos ipse in fine negaturus est.

Duo hirci in ostio tabernaculi quid.

Horum ergò lex quoque diuisionem faciens, oblato vitulo pontificis, qui pro peccato videba-
tur offerri, docet alios esse, quibus hæc hostia veniam acquirat alios verò quibus ob duritiem
suam, & cor impænitens nil remedij conferat. Post principalem namque illam victimam, duos
hircos in ostio tabernaculi statuit: Omnes siquidem, qui in Ecclesia sunt, ingressum regni cele-
stis expectare videntur, sed ille, qui in synagoga Deorum stat, etiam inter Deos dijudicat. In-

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A de est, quòd duo hirci coram domino in tabernaculi introitu stare dicuntur. Mittitur ergò sors
super vtrumque, vt sorte discernente vnus domino reseruetur, alter emissarius deputatus in ex-
terminium eijciatur: Sortis autem interpositio, manifesta est diuinæ gratiæ commendatio. Si-
cut enim vbi sors discernit, hominis deliberatio ociosa est, dum pars vtraque non sibi spectat,
sed sortis examen expectat: Sic in nobis omnibus, qui natura sumus filij iræ, qui sub iugo dæ-
moniacę nascimur seruitutis, non expectatur quis velit exire, sed quem superna clementia velit
liberare. *Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, nec hoc dicentes humani
arbitrij destruimus libertatem. Libertas namque est hominis si cælitus adiuuetur, alioquin *Sors cur super hircos mittatur.*
nulla est, si gratia destituatur. Iubetur ergo sors super hircos mitti, ac deinde subiungitur, *Cuius
sors exierit domino, offeret illum pro peccato, cuius autem in caprum emissarium, statuet eum vi-
uum coram domino, vt fundat preces super eum, & emittat illum in solitudinem.* Hic quoque no-
tandum monet Radulphus, quia hircus, qui domino cedit, moritur cùm pro peccato mactatur.
Hircus autem qui viuus coram domino statuitur, emittitur in solitudinem. Quicunque enim
B in partem domini transierit, deliberat, necesse est, vt peccandi voluntas in illo occumbat, alio-
qui si peccato viuit, si concupiscentias carnis suę mortificare contemnit, viuus iudici pręsenta-
bitur, vt in solitudinem, quam merita illius exigunt, emittatur. Solitudo namque est terra te- *Solitudo quid.*
nebrosa, pro qua precatur iustus dicens, *ne vadam ad terram tenebrosam, in qua sempiternus
horror inhabitat*; In hanc quippe terram exterminij à facie Dei eiectus, à bonorum omnium *Iob. 10.*
consortio segregatus, solus cum corpore suo diabolus exiliabitur. Sicut enim Christus solus in
cęlo, sic diabolus in inferno. Ad hanc ergò solitudinem hircus iste mittetur, cùm reprobis di-
cetur in fine, *ite reprobi in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius*. Quod autem
dicitur, *statuet eum viuum coram domino, vt fundat preces super eum*, preces istę imprecationes
intelligendę sunt, sicut sequentia declarabunt: notandum verò, quòd necdum aut domini ca-
per immolatur, aut emissarius eijcitur, sed stantibus vtrisque in tabernaculi introitu sorte su-
per eos missa, quid postea fieri debeat, inuestigatur. Oblato itaque vitulo pontificis, idest, ad
altare admoto, & de hircis vno dominicę victimę deputato, rectè subiungitur. *His ritè celebra-
tis, offeret vitulum, & rogans pro se, & domo sua immolabit eum.* Isychius verò in eos inuehitur,
qui emissarium hūc caprum interpretātur diabolum, quoniā haud sit credibile, quod Deus ip-
C se sacrificium diabolo offerre pręcipiat, qui aliàs per ipsum Moysen, & fratrem, & filium, & fi-
liam, & ciuitatem integram, quę ad Idola conuertit, disperdi pręcepit, & dicit, *non erunt tibi* *Exod. 20.*
Dij alij absque me. Hic ergo qui hęc pręcepit, pro eo quod suam gloriam, ac sacerdotium, & cul- *Caper emissarius quis debeat intelligi contra alios.*
tum æquaturi, & cum eo diuisuri erant, hoc iubet, inquit, vt duobus hircis oblatis vnum pręci-
peret sibi applicari, alium autem aduersario suo, quem emissarium putant dici. Sed nō cogno-
uerunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: Emissarium enim eum hircum, qui mittitur
in desertum, legislator appellauit. Nos autem ex his quę ad literę legalis traditionē pertinent,
quemadmodum non esset verisimile hoc pręcipere legislatorem demonstremus, deinde intē-
tionem sanctionis ex spiritus cōsideratione exerceamus; duos ergo hircos statuere coram do-
mino in ostio tabernaculi testimonij pręcepit, non autem eos oblaturos esse Deo, hoc est enim
coram domino, ne ad ostium Dei ea, quę diabolo mittebātur, sed & sortem mittere, vnam do-
mino, & vnam lustrationis pręcepit. Si autem in alicuius maligni personam emissarium acce-
pisset, nequaquam de eo, cum eo, qui decrat, sors mitteretur, quia nec cum quolibet malo, quē-
D libet bonum sortem habere, in diuinis scripturis inuenies. Sed quoties sors mittebatur, ęquales
cum ęqualibus mittebant sortes, sicut & tribus Israel diuidebant: Nam quando pro Iuda ad *Sortem tantum mitti quādo aqualitas nullam reliquit discernēdi notam.*
Apostolatum alium eligere necesse habebant, super duos viros ęquales virtutibus, & doctrina,
Mathiam videlicet, & Ioseph iustum, sortes missę sunt, ita vt Petrus concionando diceret. *Tu
Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus* &c. Non solùm autem an-
tequam sors mitteretur super duos hircos, coram domino eos sisti pręcipit, sed & illum, in quo
sors emissionis venit, postquam eadem sors super eum ceciderit, & manifestū fuerit, statui co-
ram domino præcepit, & effundi super eo preces. Quomodo ergo qui ante faciem Dei statutus
est, eique quodammodo consecratus, ipse rursus diabolo mittitur? Vel quomodo propitiatio-
nem peccatorum, hoc quod iniquo transmittitur, sacrificium peragit? Si enim eius intētio etiā
iustos peccatores efficere, quomodo peccatoribus propitiationem poterit profligare? quomo-
do autem is ipse peccator, de quo agit Dauid: *Constitue peccatorem aduersus eum, & diabolus* *Psalm. 108.*
stet à dextris eius, propitiationem potest conquirere peccatorum? Solius quippe hoc Dei est,
ad quem idem Dauid dicebat: *Et propitiare peccato meo, copiosum est enim.* His ergo ita se habē-
tibus, & vndique incongruo hoc ostenso intellectu, non ignoremus nos, quia de Christi sacrifi-
cio procul dubio hęc legislator dixerit. Vnde ęstimo, mali intellectus zizaniam disseminare

inimici

inimici veritatis volunt, gloriæ myſterijs inuidentes, clarumque eius teſtimonium ex lege con-
ſiderantes. Quia enim Deus, & homo erat, qui pro nobis incarnatus eſt Chriſtus Ieſus, impaſ-
ſibilem diuinitatem cuſtodiens, ſolam paſſionibus humanitatem præbuit. Effectus autem paſ-
ſionis eius, ideſt, nos propitiatio, non ſolum paſſæ carnis, ſed multo magis impaſſibilis diuini-
Hebraor. 1. tatis fuit, quod teſtatur Paulus dicens: *Qui cùm eſset ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*
portanſque omnia verbo virtutis ſuæ. Demonſtrans autem quòd hæc omnia de vnigeniti diui-
nitate dicantur, ſubdidit: *Purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in ex-*
celſis, ipſi Deo verbo etiam ea, quæ propriè eius erant carnis, coniungens. Si ergo hæc apta dicta
Hircorum duorum myſterium. ſunt, propterea duo hirci ſumuntur, & ſtatuuntur coram domino in oſtio tabernaculi teſtimo-
nij, vt ad imaginem Chriſti hæc in eis agerentur: Ipſe eſt enim oſtium verum, quod ad oſtium
tabernaculi teſtimonij, quod eſt in cælis, ducit. Et mittit Aaron ſuper vtrumque hircum ſortè,
vnum quidem, vt virtute, & ſignificatione ſortium diuidi diſpenſationem diuinitatis Chriſti,
& humanitatis intelligamus. Diuidi verò, tam huic, quam illi ſunt propria, vt hæc quidem pa-
tiatur, illa autem confortet patientem, & per paſſiones, quæ in ea operantur tam contrariæ no-
bis moderarentur paſſiones, quàm ſuam manifeſtaret impaſſibilitatem. Deinde ſortem vnam
ait Domino, & aliam capro emiſſario, non alij niſi Chriſto, ſicut ſuperiùs diximus. Si inimico
cuidam & malignò ſors, aut hircus daretur, non ſortiretur cum Deo, ſed nec ad oſtium taber-
naculi teſtimonij deduceretur, nec preces ſuper eum funderentur; vel propitiatio in eo agere-
Caper emiſſarius quis. tur. Caper ergo emiſſarius, vtpote qui emiſſus eſt, & non immolatur, dicitur. Cuius autem rei
gratia non immolatur, qui ad confirmatum deputatus eſt, ſicut Aquila ædidit? Quis autem ſit
confirmatus, ſiue fortis, audi Iob dicentem: *Scio quia potens es, & nulla latet te cogitatio*. Ergo
vna quidem ſors immolatæ carni Chriſti, quæ cùm vnita ſit Deo verbo, rectè dominus nomi-
natur in confirmatum autem Deitas accipitur. *Sorti ſubijciet*. Sors iſta in hac accipitur, hæc
enim omnia obtinens etiam propriam carnem paſſione rectè confirmauit. Propterea offeret
Aaron caprum, in quo venerit ei ſors domino, & offeret eum pro peccato. Intelligibilis enim
Aaron is, qui ſacerdotio noſtro præeſt, de quo Paulus dicit: *Sicut Aaron, ſic & Chriſtus ſemetip-*
ſum glorificauit, vt ſacerdos fieret. Hic ſuam carnem offeret patri, & in ipſa offeret pro peccato,
de quo Paulus Hebræis ſcripſit. *Hic vnam pro peccato offerens hoſtiam in perpetuum ſedet in*
dextra Dei. Caprum verò ſuper quem venerit emiſſionis ſors ſtatuat viuũ ante dominum, vt fun-
dat preces ſuper eo, quia enim ſortem emiſſarij diximus figuratè referri ad Chriſti diuinitatem,
ſtatuet hanc viuam, impaſſibilem cuſtodiens, vt per eam deprecetur: nemo enim poteſt dimit-
Capri emiſſarij ſors ad Chriſti diuinitatem. tere peccata, niſi ſolus Deus. Dimittit autem eum in ſolitudine, & ſicut aiunt Septuaginta, &
portabit hircus ſuper ſe nomina eorum, in terram ſolitariam, ſiue inuiam. Deſertam terram, neque
ſolitariam, ſiue inuiam nullatenus exiſtimemus nunc in quolibet malo oportere accipi, neque
per hoc piorum aures hi, qui ad impietatem, legem trahunt, conturbent, deſertam enim à ma-
Terra ſolitaria quæ. lo dicit, & ſolitariam ſiue inuiam, quæ ab intelligibilibus hoſtibus ambulari non poteſt, in qua
Deus habitat, & apparet, quod manifeſtat Dauid dicens: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.*
Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. In deſerto, & inuio, & in aquoſo, ſic in
Sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Ergo deſertum & inuium, ſan-
ctum eſt, & Sancti Sanctorum habitaculum, vbi in cælum tempore paſſionis diuinitas abiiſſe
Deũ aliquo abire, quomodo intelligẽdum. dicitur, non de loco ad locum migrans, ſed cohibens propriam virtutem ex humanitate, vt ced-
ret ſpatium paſſioni, in loco digno ſibi, in ſinu patris videlicet manens. Atque nullus accedit,
niſi ipſe & ſanctus Spiritus, & quia ipſe in patre eſt, & Spiritus ſanctus ſicut euangelicis didici-
mus literis, ergo abire, cohibere intellige: Sic enim Deus abire, qui vbique præſens, cum ſuam
cohibet operationem, dicitur: Portat etiam iniquitates noſtras, quia ignis proprium eſt fœnum
conſumere, & diuinitatis, peccatum perimere: vnde & ignis conſumens Deus dicitur. Hæc ita-
que circa caprum emiſſarium ſententia eſt Iſychij. *Cùmque mactauerit hircum pro peccato po-*
puli inferet ſanguinem eius intra velum ſicut præceptum eſt de ſanguine vituli. O ineſtimabilis
gratia, ò gratia ſuperabundans! Vbi enim ſuperabundauit peccatum, ſuperabundauit & gra-
tia: Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quid peccatis cum iuſtitia? quid ſanguis hirci cum ſangui-
ne vituli? Sed fidelis eſt ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc
mundum peccatores ſaluos facere. Alioqui vnde ſanguini hircino tanta dignitas, vt ſanctuario
Sanguinem hirci intra velum inferre quid. inferatur, vt aſperſione illius ſanctuarium expietur? Sed quid miraris ò homo, ſi tu aſcendiſti,
ſi in honorem aſſumptus es, qui contemptibilis iacebas cùm propter te cedrus illa Libani ſe de-
poſuerit, cùm propter te ſummus ad ima deſcenderit. Si verbum caro factum eſt, ſi Deus in ter-
ra natus eſt, & humiliauit ſe vſque ad mortem crucis, nunquid tanta res ſine cauſa fieri potuit?
nunquid ſine fructu? Nequaquam, inquit Radulphus, ſed quotquot receperũt eum, data eſt eis

pote-

A potestas, vt filij Dei efficiantur, & habemus iam fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine Christi. O rex tantæ memor es gratiæ, tantæ, inquam, memor es gratiæ; memor es, quia reparatur reus homo Dei morte: ecce sanguis hirci, qui pro peccato mactatur, infertur intra velum, & cum sanguine vituli pariter offertur: Magna gratia, magna dignatio. Sanguis enim hirci, vt in hostijs pro peccatis tractatum est, cruciatum pænitentiæ designat, quo vnusquisque iniquitatis suæ memor coram Deo se macerat, vnde scriptum est: *quia iustus cùm viderit vindictam manus suas lauabat in sanguine peccatoris.* Cùm ergo peccator reatus sui conscientia stimulatus pænitentię dolore torquetur, hircus iste manat sanguine, & spiritus contribulati victimam immolat, quã humilitatis amator Deus non spernat. Gaudiũ est maius enim angelis Dei super vno peccatore pænitentiã agente, quã super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pænitẽtia. Postquam ergo sanguis vituli contra propitiatorium aspersus est, postquam pater morte filij sui peccatoribus est reconciliatus, iam sanguinis nostri oblatio apud eum inefficax esse non potest. Infertur intra velum, quia ingreditur in conspectu Dei gemitus afflictorum. Aspergitur è regione oraculi, & sanctuarium expiatur, quia futuræ vitæ sanctificatio præsenti contri-

Pænitentiæ cruciatus.

B tione acquiritur, non enim sanguinis huius aspersione sanctuarium mundari dicitur, quia sordes aliquæ ibi sint, quæ per hunc sanguinem expientur, sed emundatio eius est perfecta per humilitatem præsentem acquisita sanctificatio. Isychius verò etiam in explicatione eorundem verborum, Christum asserit, quia de Iudęis secundum carnem, qui sub iugo legis viuebant, ortus est, rectè vituli sacrificium nominari, quia legali iugo, & pertinenti ad id operationi, & iustitiæ vitulus comparatur, iugum consuetus trahere, atq; ita terram operari. Quia autem secundum quod incarnatus erat, de communi hominum massa factus est; propterea rursus hircũ appellari, asperum ergo hoc animal pilorum indumẽtum gerere. Asperum autem vtpotè peccato refertum, omne viuentiũ genus, quia nihil est peccato asperius; vnde hoc approbare apertè legislator cùm vellet, dixerit: *Cùmque mactauerit hircum pro peccato populi*: totum hic intelligens humanum genus, quod quondam non populus, nunc autem populus, ex quo primitias ex nobis Iesus suscepit. Ergo vt demonstraret de Iudęis principaliter Christum, propter Abraham, cognationem esse, sed tamen omnis nostræ naturę, quę in peccato est, primitias portare, propter quod Adam appellatus est, vitulum simul, & hircum, lex, inquit, ad figuram eius as-

Christus cur vituli sacrificium dicatur, & hircus.

Hirci asperi pili quid.

C sumpsit. Cùm autem vnum sit sacrificium, siue vitulus, siue hircus nominetur, effectusq; vnus in vtrumque sit; peccatorum enim in eo profligatur absolutio, necessariò communia sunt ea, quę in hirco aguntur, & vitulo. Cernis enim, quia etiam hircum occidens, ante dominum videlicet patrem, & sanguinem inferens in interiora velaminis, idest, ad patrem. Rursus ergo hunc interius intelligibilis velaminis, visibilis videlicet domini carnis intelligis, vtpotè inuisibilem inferens sanguinem eius, intra velum, sicut pręceptum est. *Et sumptum sanguinem vituli, atq; hirci fundet super cornua eius per gyrum, &c.* Cùm autem promisisset nobis dominus se nobiscum futurum omnibus diebus vsque ad consummationem sęculi, hic vt misericordia eius in progenies, & progenies fieret, & passionis illius vtilitas ad posteros vsque in finem transiret, sanguis vituli super cornua altaris funditur, quia doctoribus ecclesię crucis Christi prędicatio traditur. Hi namque inter cęteros quasi cornua sunt, quia sanctitate vitę, & doctrinę meritò excellunt. Per hos ergo & nobis vtinam vituli huius sanguis infundatur, vt simus terra illa, quę os suum aperuit, & sanguinem iusti de manu fratriscidę suscepit. Sed cum sanguine vituli, etiam hirci sanguis super cornua altaris fundi iubetur. Doctores quippe cùm fidem prędicant, etiam

Math. 28.

Doctores ecclesiæ cur cornua dicti.

D pęnitentiam gentibus annuntiant, iuxta quod scriptum est: *Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pænitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes.* Suscipiunt itaque sanguinem hirci, cùm vel sua, vel proximorum peccata attentiùs plangunt, & verbis salutaribus alios ad idem studium accendunt. Funditur verò sanguis iste super cornua altaris per gyrum, quia Dei gratia per orbem vniuersum multi inuenti sunt, qui hoc officium implere potuerunt. *Aspergensq;*, inquit, *digito septies expiet, & sanctificet illud ab immunditia filiorum Israel.* Res est manifesta, ecclesiam ab immunditijs suis tum fidei virtute, tum pęnitẽtię suę satisfactione mundari. Aspergitur verò sanguis septies propter septiformem spiritum, per quem peccatorum remissio condonatur. Aspergitur digito pontificis, vt intelligas Christi potestate veniam peccatoribus tribui. *Et posita vtraque manu super caput eius confitebitur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta, atque peccato eorum.* Quod pręcipitur his verbis Aaron manum suam super caput hirci ponere; Radulphus, per manum Aaron animaduersionem diuinam intelligendam esse astruit, hancq; esse manum sub cuius pondere quidam peccator gemens dicebat: *Quoniam die ac nocte super me grauata est manut tua.* Nahum quoque propheta contra Assur loquens; *non est*, inquit, *obscura contritio tua; pessima plaga tua.*

Lucæ 14.

Sanguis cur septies aspergatur.

Manus Aaron quid.

Psalm. 31.

Om-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Omnes, qui auditionem tuam audierunt, compresserunt manum ſuper te: quoniam ſuper quem non E
transijt malitia tua ſemper? Tanquam diceret, omnibus infeſtus fuiſti, idcirco audientes de
contritione tua gauiſi ſunt, compreſſeruntque manum ſuper te, quia perditioni tuæ conſenſe-
runt. Ponere ergo Aaron dicitur manum ſuam ſuper caput hirci, vt diuini diſtrictione iudicij
conuertatur dolor eius in caput illius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendat. Ponere
verò manum vtramque, vt & præſentes, & futuras eius pœnas inſinuet. Quã interpretationem
Iſychius refutat; Probari enim, ait, quòd nulli iniquo, vel maligno, ſed ipſi Deo efficiuntur ea,
quæ nunc in hoc hirco viuo ſanciuntur. Primum quidem, quia vtramque manum capiti hirci
Per hircum viuum non intelligi iniquum. ſacerdos imponit; manuum autem impoſitio, in ſacrificio miniſtraret benedictionem, aut pec-
catorum remiſſionem, aut ſancti Spiritus aduentum, aut expiationes intelligibiles. Quomodo
ergo, inquit, in hunc, in quo ſors inimici, & eius, qui contra Deum militat, ſicut aiunt hi, qui il-
lius partis ſunt, hæc quæ dicta ſunt, ſacerdos acturus erat? Vel quomodo in ipſo filiorum Iſrael
iniquitates, & iniuſtitias, & peccata redemit? Confiteri quippe inimicus peccata non ſinit, ſed
imò ſuggerit, vt occultemus animæ vulnera, vt non inueniamus medicum, qui medicamẽtum
poſſit imponere, ſalutemque præſtare. Propterea mox, vt increpatus eſt Dauid à Nathan, *pec-* F
caui domino, exclamauit: Et illicò propheta ſubdidit, *Et dominus tranſtulit peccatum tuum, ve-*
2. Reg. 12. *runtamen non morieris, quia blaſphemare feciſti inimicos domini.* Vnde & per hominem paratũ, ſiue
emitti legislator hircum in ſolitudinem dixit: præparatum autem, ideſt, accedentem, ſiue
adeuntem. Et nec dignitatem huius dicit, vtrum Leuita, an ſacerdos, aut quiſpiam de populo
eſſet, qui hoc ageret. Ergo cum omnibus Chriſtum præſentem eſſe ſignificat hircus: Quem-
admodum enim per carnem in primo immolabatur, ſi nunc viuens propter diuinitatem dici-
tur. Sed quia vnus, & impaſſibilis, & paſſibilis eſt, neceſſariè & viuenti manus ſacerdos impo-
nit, vt manus impoſitione oſtendatur, quia viuens verbum Dei impaſſibile, immortale hoc pro
nobis carnem ſuſcipiens ſacrificium ſuſcepit. Rectè ergo in ipſo iniquitates, & iniuſtitias, &
Brachium Dei qui. peccata ſacerdos pronunciabit. Hic eſt de quo Eſaias propheta dicebat: *Domine quis credidit*
auditui noſtro? & brachium domini cui reuelatum eſt? Brachium domini filium appellans, patri
conſubſtantiale, de quo & ea, quæ ſequuntur ſubdidit: *Languores noſtros ipſe tulit, & dolores*
noſtros ipſe portauit. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter no-
ſtra ſcelera. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Sic apertè peccata G
noſtra ſuper ſe, & iniuſtitias, & iniquitates portauit, & propterea ſecundum Septuaginta ait:
Imponet eas ſuper caput hædi viui. Huius enim figura eſt, quod & ex ſpinis coronam imponi
Spinæ peccatorũ typus. capiti ſuo permiſit, quia in ſpinis peccata ſolent accipi, propter quod & Adam ſpinas germina-
re terra præcipitur, ſiquidem & ipſe ex inobedientia peccata germinauit. Sed & Salomon ait:
Spinæ naſcuntur in manu temulenti, peccatis plenas eſſe actiones eius, ſignificans. Sic ergo legis
accipiens verba, non ignorabis intentionem eius, atque virtutem, ſed & inuenies paratum ho-
minem, per cuius manum hircus viuens in eremum mittitur. Chriſtus enim ipſe, omne ſui ſa-
crificij factus eſt, & ſacerdos, & ſacrificium, & culter, & altare. Ipſe eſt & præparatus homo, pa-
ratus pro nobis ad paſſionem, ita vt ipſe per Eſaiam dicat: *Ego verò non contradicam, retrorſum*
Eſaiæ 71. *non abij, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti*
ab increpantibus, & conſpuentibus. Ad quem & Dauid dicit, incarnationis eius myſterium ſi-
Pſalm. 42. gnificans, per quod noſtrum adeptus eſt regnum: *Dominus regnauit, decorem induit, induit do-*
minus fortitudinem, & præcinxit ſe. Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur: parata
ſedes tua ex tunc. Chriſtus ergo intelligibilis Aaron, ſemetipſum etiam nunc per hædum im- H
molãs, ipſe per hominem paratum, ſiue in manu hominis parati, ideſt, per propriam virtutem,
ipſe enim cùm ſit & homo, paratus oſtenſus eſt. Et emittit hircum viuentem in ſolitudinem,
ſiue in terram inuiam, & deſertam viam ſuam, & immortalem, & impaſſibilem diuinitatẽ, ad
inuia nobis loca, & ab omni malitia deſerta, ſecundum quod Ioannes ait: *Videns Ieſus quia*
Ioann. 13. *omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit. Vitulum autem, & hircum,*
qui pro peccato fuerant immolati, & quorum ſanguis illatus eſt, vt in ſanctuario expiatio comple-
retur, aſportabunt foras caſtra, & comburent igni tam pelles eorum quam carnes & fimum. Sicut
autem vituli huius immolatio Chriſti paſſionem ſignificat, ſic concrematio ſecundum eũdem
Vituli concrematio quid. Radulphum, reſurrectionem eiuſdem. In ignis enim ſplendore claritas reſurrectionis eius, in-
quit, aduertitur, velut abſorbens mortem victoria, de qua claritate ante paſſionem patrem ro-
gans ait: *Pater venit hora clarifica filium tuum.* Vitulus ergo in caſtris occiditur, ſed extra ca-
ſtra comburitur, quia Chriſtus in Iudæa paſſus à gentibus creditur reſuſcitatus. In pelle verò, &
carnibus corpus eius comprehenſum intelligamus. Nam ſuperius hoc aperitur, vbi ſic poſitum
Leuit. 4. eſt: *pellem verò, & omnes carnes cum capite, & pedibus, & inteſtinis, & fimo, & reliquo corpore ef-*
feret

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *feret extra castra*. Quod autem fimus concremandis membris annumeratur, fimus vituli, crucis est igominia, contumeliæ, & improperia, quæ omnia in Christi gloriam conuersa sunt. Sed quid est, quòd hircus pro peccato populi oblatus cum vitulo pontificis comburi præcipitur? Nonne hac de causa Moyses contra Aaron octauo die vnctionis illius iratus fuisse legitur, quod hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, exustum reperit? Siquidem de hostijs pro peccato, hoc supra statutum est, vt comedantur: *Omnis*, inquit, *qui est de genere sacerdotali, vescetur carnibus eius, qui sanctum sanctorum est*. Hunc tamen hircum videtur excepisse cum vitulo pontificis, ita subiungens; *Hostia enim, quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum in sanctuario non comedetur, sed comburetur igni*. Ergo hircus pro peccato populi, si alio tempore offeratur, comedi iubetur à sacerdotibus, cùm verò in hac die expiationis cum vitulo pontificis immolatur, eadem lege qua & vitulus extra castra comburitur. Vtrumque sine causa non fit. In holocausto itaque arietis Aaron, quod simul cum holocausto plebis oblatum est, sanctus ille Sanctorum principibus populi sui, qui & ipse sanctitate cæteris præeminet, coniunctus est, nunc interim peccatoribus se conformans

Crucis ignominię typus.

Hircus cur extra castra cõburatur.

B & peccatores in alia sua hostia sibi, sicut primum in ariete resurrectionis suæ gloriam exprimens, eandem spem pænitentibus tribuit, dum eorum hircum suo vitulo in combustione coniungit. Quod verò extra castra comburi præcipiuntur, præter illud, quod paulo antè notauimus, quod Christus scilicet extra Synagogam in gentibus glorificatus est, quia nunc & hircus adiungitur; extra castra intelligendum est, extra eam, quam nunc in vsu habemus, consuetudinem. Christus itaque caput omnium, & cum omnibus vnus tam arietem, quàm hircum populi sui ad immortalitatem præcessit, in combustione tamen sua vtrosque sibi consociat, spe interim illos adiungens, postea verò rei ipsius consortes efficiens. Dicamus modò de mysterio coitus hominis cum ancilla nobili, quæ precio non est redempta, & cur ambo vapulent, & non moriantur. Super qua re sic Radulphus. Nunquid, inquit, personarum acceptor est Deus, vt libertas, seruitusque sęculi huius, diuersum apud illum meritum sortiatur, grauiusque sub eius iudicio liberæ concubitus, ancillæ autem remissius vindicetur? Nequaquam: siue seruus enim siue liber, pares apud illud meriti sumus; in hoc solùm discernimur, si in timore illius præceptorumque eius obedientia alter alterum præcedamus.

Extra castra quid.

Coitus hominis cum ancilla mysterium.

C In populo itaque illo cui omnia penè sub figura præcipiebantur, vbi de ancilla decernitur, cum qua quispiam concubuerit, vt etiam si non nobilis fuerit, tamen precio non redempta, nec libertate donata, vapulent pariter, & non moriantur, forma eius traditur sacramenti nobis, si intellexerimus, abundantius profutura; ancilla enim nobilis anima est humana, ingenuitatis suæ prærogatiuam trahens ab ipso Deo, sicut & paulo antè tractatum est, quia ipsius genus sumus, non quidem de substantia eius nati, sed ad eius imaginem, similitudinem creati. Quia verò per peccatum captiuata, & in seruitutem redacta est nobilis ista, quid nisi ancilla est, donec Christi sanguine redimatur, baptizata in morte eius, & gratuita eius gratia, libertate donata? Corrumpitur autem anima humana cùm maligna cuiusdam persuasione trahitur ad peccatum. Lex igitur pro ancillæ concubitu hominem plagis subdit, apertè docens quanto grauiori pęna plectendus sit, qui animam Christi iam morte liberatam iterum peccare persuaserit, & seruitutis pristinæ iugum recipere, quàm si cum ancilla aliqua peccandi fædus suscipiens, non nisi, quod fædum est, fædare voluerit. Peccator autem pro delicto suo offerre iubebatur domino ad ostium tabernaculi testimonij arietem, vt pro eo oraret sacerdos, & cætera; est

Ancilla nobis anima humana.

Arietem offerre quid.

D enim arietem Deo offerre ex sententia eiusdem Radulphi humiliter præceptis eius se subdere, & itineris agendi ducem eum constituere. Hunc arietem illi obtulit, qui de cælo prostratus clamauit dicens: *Domine quid me vis facere?* Rectè igitur, qui ancillæ & ipse seruus peccati contagionem adhæsit, pro delicti sui satisfactione offerre iubetur arietem, vt qui dudum alienus à Deo extiterat, præcepta illius contemnens, nunc audiat eum quasi magistrum; & qui à seruitute illius alios abduxerat, nunc vestigia eius ipse sequatur, hocque ad ostium tabernaculi testimonij, vt per hanc scilicet humilitatem, cælestis tabernaculi introitum mereatur. Quod denique pertinet ad manipulos primitiarum, quos post messem segetum ad sacerdotem ferre Hebræi iubebantur, in eodem die, quo manipuli consecrabantur, cędebatur agnus anniculus immaculatus in holocaustũ Domino, id quod ideò voluit Deus ex sententia Isychij, vt in ea die, in qua celebramus domini resurrectionem, & manipuli intelligibilem oblationẽ, non obliuisceremur dominici sacrificij, ex quo nobis, inquit, est oblatio manipuli (verum manipulum nostrę messis Christum esse iam ostẽderat,) sed cædere agnum immaculatũ anniculũ in holocaustũ domino. Intelligibilẽ agnũ, domini traditionẽ immolantes mysticè, & offerẽtes, ipsius autẽ vt sacrificiũ cędentes, memoriam fecit, neq; enim aliter, sed per eius meditationem,

Primitiarũ manipuli cur offerrentur.

Agni immolatio ad Christi memoriam pertinet.

& virtutem à ſenſibilibus ad intelligibilia transferuntur ea, quæ in illo ſacrificio peraguntur. Radulpho verò hoc hac lege doceri videtur, cùm in eadem die, quia manipulus conſecratur, cædi iubet agnum immaculatum, vt, cùm gloriam reſurrectionis Chriſti attendimus, ſciamus ipſum, non alium à patre exaltatum, quem vſque ad mortem nouimus patri fuiſſe ſubiectum. Iuſſit autem etiam legiſlator, vt poſt ſeptem ab hoc ſacrificio hebdomadas, ideſt, quinquaginta dies nouum domino offerrent ſacrificium agnos ſeptem cum duobus primitiarum panibus, immaculatos, anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes duos. Offerre autem eos ſeptem agnos, anniculos, immaculatos, præcipit, inquit Iſychius, dona ſignificans, quæ ſunt ſpiritus, de quibus Salomon in prouerbijs dicebat: *Sapientia ædificabit ſibi domum, erexit columnas ſeptem*: Nec tacuit, quæ, vel cuius numeri eſſent dona, ſubintulit

Agni cur dona Spiritus ſancti. enim, *Spiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & implebit eũ ſpiritus timoris domini.* Agnos autem hæc appellat donaad, oſtenſionem, quia Spiritus ſanctus vnũ eſt in Chriſto, de quo dictum eſt: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; vnde nemo poteſt dicere: Chriſtus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Ergo non extra rationem cum ſeptem agnis vitulum de armento præſenti contineri oblatione, aſſerit idem Iſychius, ſed euidenter ſignificare illum ex armento Abraham, Iſaac, Iacob, & Dauid ſecundum carnem factum, huicque duos arietes immaculatos coniunxiſſe, excellentia mandata, & virtutes, quas ſequi aliàs, velut oues, oporteat: In his enim vtpotè viſibilem inimicum ventilantibus, munimem & indemnitatem, inquit, habent; quæ ſunt autem hæc? *Si vis perfectus*

Chriſtũ ſequi quid. *eſſe, vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Maximum quippe

Arietes mãdata dicti. mandatum eſt, vendere, quæ habet, & dare pauperibus; Maximum autem, ſequi Chriſtum, vt cum deſpectu quippiam poſſidendi etiam omnia agere ſecundum voluntatem Dei ſtudeamus. Hoc eſt enim eum ſequi. Hæc ergo mandata, vtpotè propter immaculatum vitam, & perfectam conſtituta, arietes appellantur, quia arietes omni grege excellentiores ſunt, horum ſacrificium, & libatio, ſcientia videlicet, & correctio, odor ſuauitatis eſt

Boues labores ſanctorum. domino. Aliter verò Radulphus, in bobus, paſtorum laborem ſanctorum, qui ſua ſollicitudine ſanctam eccleſiam, dominicam videlicet excolunt agrum; in arietibus verò doctrinæ dicatum intelligendum eſſe aſſerens, additque & tertium, quia qui paſtores & doctores ſunt, tanquam boues, & arietes ſunt, ipſi & agni propter innocentiam reperiuntur habes, inquit, paſtorum paſtorem, qui agnus Dei dictus eſt, qui & paſtores doctoreſque cæteros agnos vocat dicens;

Lucæ 10. *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*: Sunt tamen agni multi in grege Chriſti, quibus nec pondus regiminis, nec officium doctoris imponitur. Hi verò ſi holocauſtum ſe Deo offerunt, iubetur vt anniculi ſint, ideſt, vnius anni, vt non pueriliter, aut ſine conſilio arduum quis arripiat iter, niſi prius Sol ſancti deſiderij in corde illius compleat curſum ſuum, & ad roboris ſui veniat plenitudinem, *deliberandum enim eſt diu*, vt ait Seneca, *quod ſemel ſtatuendum eſt*, ne fortè mittens manum ſuam in aratrum, retro reſpiciat, & votum non reddat, cùm melius vtique ſit non vouere, quàm pòſt votum non reddere. Septem autem eſſe agniculos iſtos ait, quia ſeruant vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Huius enim numeri

Numer. 28. 29. ſacramentum, in agnorum holocauſtis ſcripturam nobis commendare in Numerorum libro,

Agni ſeptẽ quid. cùm penè vbicunque agni offeruntur, in ſolemnitatibus, ſeptem iubentur offerri, aut certè quatuordecim, duplicato ſeptenario propter duos populos, ex quibus eccleſia congregata eſt. Reperiri quoque eundem numerum ad maiorem ſui commendationem, quaſi ex ſuperfluo, poſtquam dictum eſt, agnos ſeptem immolandos eſſe in libaminibus, dicitur in vna decima per agnos ſingulos offeratur, & ſubditur, qui ſunt ſimul agni ſeptẽ, vel qui ſunt ſimul agni quatuordecim.

Vitulus cur vnus offeratur. Vitulum verò vnum offerri hic tradit, quia licet ad primum gregem aliæ oues adductæ ſint, ex vtriſque tamen factus eſt vnus grex, & ex vno grege paſtor vnus. Omnes enim in ſummo paſtore vnum eſſe, quicunque tradente ipſo curam ouium ſuſceperunt. Quod dicitur; *Vitulum de armento*, teſte Beato Auguſtino, hebræam locutionem eſſe, ſicut cùm dicitur, agnus de grege, hircus caprarum, agni ouium, & ſi qua ſimilia. Vitulo autem

Arietes duo cur vni vitulo copulẽtur. vno arietes duos iungi, vt ſaltem in arietibus populorum diuerſitas intimetur, quorum in vno vitulo fidei, charitatiſque concordia commendatur. Sed ſi dixerit fortè aliquis, hac ratione etiam duos vitulos, arietemque vnum aptè potuiſſe offerri, cùm & in vtroque populo paſtores ſint conſtituti, & doctorum omnium Catholicorum vniformis prædicatio valeat reperiri; Reſpondet ſe quoque hoc concedere, imò addere, non tantùm fieri potuiſſe, ſed etiam vt fieret, legem alibi præcepiſſe. In Numeris enim cùm de his tractatur ſolemnitatibus, venit

Numer. 28. ri ad Pentecoſten, quæ nunc in manibus eſt, eius holocauſta decerni his verbis; *Dies primitiuorum, quando offeretis nouas fruges domino, expletis hebdomadibus, venerabilis, & ſancta*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Acta erit. Omne opus seruile non facietis in ea: Offeretisque holocaustum in odorem suauissimum domino vitulos de armento duos, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos septem. Videat itaque, inquit Radulphus, Iudæus qualiter literæ suæ scissuras resarciat? apertè namq; multis sese in locis impugnat, & sibi contraria est, vt in præsenti apparet, cùm eiusdem diei cærimonias instituens, hic vitulum vnum cum duobus arietibus, illic quasi oblitus, quod dixerat, vitulos duos cum vno ariete holocaustis assignat: Videat ergo, vt dixi Iudæus, quomodo hanc literæ contrarietatem euadat, Christianus enim intellectus liberum inuenit transitum, cùm animaduertit legislatorem ob id scripturæ superficiem frãgere, vt ad interiorem medullam, etiam rebelles compellat intrare. Attende namque hæc duo decreta, nescio vtrum literæ consonantiam valeas reperire. Transi ad mysterium, videbis iam nihil interesse, vtrum duo vituli cum ariete vno, an vitulus vnus cum duobus arietibus in holocaustis esse dicatur, cùm tam pastores, quàm doctores, & vnum sint propter fidei, pacisq; cõcordiam, & duo intelligantur, si duorum populorum, quibus prælati sunt, respiciamus distantiam. Notãdum autem etiam monet, quia sicut die, qua manipulus oblatus est, cædi agnum præcepit lex, vt per agni doceremur im-

Scripturę diuersitas in eadem lege.

B molationem, quoniam ille mortalis erat futurus, cuius secuturam immortalitatem manipulus designabat; sic in die plenæ messis cùm offeruntur panes primitiarum, immolatur & diuersitas hostiarum, quibus innuitur, inquit, quales in hac vita fuerint, quosque gradus in religione habuerint hi, quorum per panes consummata, in resurrectione iustitia designatur: Nam & hircus pro peccato, & hostiæ pacificę protinus adiunguntur, vt omnis electorum multitudo, cuiuscumq; ordinis fuerit, in victimis istis comprehendatur. Sed prius de holocaustis videndũ est, quid sit, quod cum libamentis suis offerri iubentur, libamenta enim hæc liber Numerorum plenius exponit, in quo sic legitur: *In sacrificiorum eorum similæ oleo conspersa tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas, per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem:* & antè: *Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: Media pars hin per vitulos singulos, tertia per arietem, quarta per agnum.* Quia verò & ipsius olei, quo simila conspergitur, requirenda est mensura, hoc totum alibi, in eodem tamen volumine, plenius inuenitur. *Offeret*, inquit, *quicunque immolauerit victimam, sacrificium similæ. Decimam partem ephi conspersam oleo, quod mensuram habebit partem hin: & vinum ad liba fundenda eius-*

Holocausta cur cum libamẽtis offerrentur.

Num. 15.

C *dem mensuræ, dabit in holocaustum, siue in victimam per agnos singulos. Et arietis erit sacrificium similæ duarum decimarum, quę conspersa sit oleo tertiæ partis hin, & vinum, & libamentum tertiæ partis hin, eiusdem mensuræ offeret in odorem suauitatis domino. Quando verò de bobus feceris holocaustum, aut hostiam, dabis per singulos boues similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin, & vinum ad liba fundenda eiusdem mensurę, in oblationem suauissimi odoris domino.* Omnia igitur in libamentis his per diuersas victimas certis gradibus augmentantur. Nam similæ in vitulis tres decimæ reperiuntur, in arietibus duæ, in agnis vna decima, vel decima decimæ. Sic etiam olei, vel vini media pars mensuræ hin, per vitulos singulos, minus autem per arietes, idest, pars tertia, minus quoque per agnos, idest, quarta pars, offertur. Quia igitur per similam, quæ pura farina est, mentis puritatem intelligimus, agnis singulis in sacrificio decima similæ coniungitur, cùm omnes, qui per veram innocentiam domino placere desiderant, mentis perficiunt sanctitatem, dum eam nullius criminis consensu contaminant. Quod decima decimæ in holocaustis plerumq; poni iubetur, munditia mundo renunciantium, à sęcularium puritate discernitur. Qui enim in sæculari con-

Simila mentis purę typus.

D uersatione Deo deseruiunt, quasi perfecti sibi videntur, si criminalia quæq; non solùm ab actu, sed etiam à consensu suo repellant. Nonnunquam decima indeterminata dicitur, vt cuiusmodi sit illa perfectio, non discernatur. In agnis tamen holocaustorum decima decimę semper intelligenda est, quia mos est scripturæ, vt quędam locis competentibus exponat, eademque alijs in locis prætermittens subintelligenda relinquat. In arietibus verò similæ decima geminatur. Qui enim sibi viuit, & quasi agnus spiritualis sua innocentia contentus est, sufficit ei ad propriam puritatem, si iniquitati nec affectum, nec cogitatum appónit. Cùm autem docendi officium susceperit, maiori periculo vrgetur, ne fortè qui virtute animi carnis suæ presserat incentiuum, iam in multorum notitiam delatus, alienis laudibus se præbeat corrumpendum. Tutius quippe auditur veritas, vt ait Augustinus, quàm prędicatur. Cùm enim auditur, humilitas custoditur, cùm autem prædicatur, vix non subrepit cuiuis hominum quantulacumque iactantia, in qua vtique maculatur conscientia. Duæ ergo decimæ sunt Doctori, si & viuendo nullam prauitatem affectet, & docẽdo ab inanis glorię contagione conscientiam mundam seruet: Qui verò non solùm doctoris officium, sed & regiminis munus suscipiunt, tertiam & hanc quidem vehementiorem sui lapsus occasionem reperiunt. Suscepta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

quippe cura regiminis cor per diuersa diuerberat, & impar quisq; inuenitur ad singula, dũ con- E
fusa mente diuiditur ad multa. Fit mens in exteriorum dispositione solicita, & sui solummodo
ignara, scit multa cogitare, se nesciens, ita fit vt à studio suę inquisitionis aliena, ne ipsa, quę pa-
titur, damna cõsideret, & per quanta delinquat, ignoret. In bouis itaq; holocausto duabus de-
cimis tertia iungitur, cũ pastores sanctę ecclesię post conuersationis suæ puritatem, post doctri-
næ simplicitatẽ, etiam in dispensatione sibi tradita, per cordis synceritatem Deo placere conã-
tur. Sicut autem per hostias supradictas similæ mensura variè distribuitur, sic & olei vinique
per easdem hostias distributio variatur, media pars quippe hin per boues singulos, tertia per
arietes, quarta per agnos offertur. Per oleum autem spiritus vnctio, per vinum lætitia designa-
tur: ijs igitur, qui propter Deum amplius laborant, abundantior sine dubio sancti Spiritus con-
solatio ministratur. Ex vberiore autem gratia, vberior & lætitia generatur; quia ergo, vt dixi-
mus, maius est pondus regiminis, quàm solius prædicationis, qui tamen suæ tantum innocen-
tiæ custodes sunt, minori solicitudine vrgentur, quàm quibus cum suorum actuum custodia,
alienæ insuper instructionis labor iniungitur, non immeritò maior olei, vinique mensura, bo- F
bus quàm arietibus, arietibus quàm agnis tribuitur, vt qui amplius laborat, etiam in præsenti
plus mercedis accipiat, & ditior fiat muneribus, qui ad seruiendum promptior est inuẽtus. *Fa-*
cietis, & hircum pro peccato, duosq; agnos anniculos hostias pacificorum. Hircus pro peccato, qui
domino immolatur, eos designat ex sententia eiusdem Radulphi, qui vitia sua mortificant, &
per dignos pænitentiæ fructus veniam merentur. Pacificæ verò hostiæ mediocris conuersatio-
nis typum tenent, eorum scilicet, qui nec in flagitiorum gurgitem lapsi sunt, nec tamen ad per-
fectionis culmen tendunt. Cùm ergo holocaustis hircus pro peccato & agni pacificorum ad-
duntur, omnis electorum numerus, qui in cælesti patria congregandus est, adimpletur. Omnes
hæ victimæ nouo illi sacrificio, panibus videlicet primitiarum, coniunguntur, quia iustis omni-
bus, & in mente virtutum perfectio, & in carne dabitur incorruptio. Offerent igitur sacrificium
nouum, offerent quod accipient. Innouati enim tam mente, quàm corpore, illius in sempiter-
num vacabunt laudibus, cuius inæstimabilibus fruentur muneribus. Inde est quod de agnis
pacificorum statim subiungitur: *Cùmq; eleuauerit eos sacerdos, cum panibus primitiarum coram*
domino, cedent in vsum eius. Si legem vniuersam percurras, puto quod vix, aut nunquam am-
plius super pacificis hostijs hoc decretum reperias. Superius namq; pluribus in locis hæc pa- G
cificorum lex fuerat constituta, vt mactatis victimis, earum sanguis funderetur, adipes crema-
rentur, armus dexter cum pectusculo in partem sacerdotis sequestraretur. Dicat igitur mihi Iu-
dęus, cur in hoc loco constitutio illa soluatur: Cur quod generaliter decretum est, nõ vbiq; ser-
uetur? Non enim agni isti iubentur occidi, non eorum sanguis effundi: non cremantur adipes,
nec sacerdoti portiones aliquę sequestrantur: sed integros coram domino leuare pręcipitur, in-
tegros suis vsibus applicare. Vt igitur nouitatis huius mysterium inuestigemus, in die siquidẽ
noui sacrificij dignum est, vt veteris consuetudinis frangatur lex: Sacerdos noster Christus est,
& sacerdos maximus inter fratres suos, sicut iam suprà tractatum est. Hic hostias pacificas pa-
nibus primitiarũ apponit, cùm eos, qui in mundana conuersatione fide illius, & dilectione san-
ctificati sunt, in æternitate futura, ad eandẽ, quæ perfectis tribuitur, vitæ nouitatem perducit.
Quos etiam eleuare coram domino dicitur, quia fauẽte patre, de præsenti miseria ad honores
æternos sustollit. Hi igitur tunc cedent in vsum eius, quia liberati occupatione terrena, laudi-
bus eius in æternum vacabunt, de illius societate lætãtes, & mutuam illi lætitiam de sua salute
præbentes, sicut scriptũ est: *Gaudebit spõsus super sponsam, gaudebit super te Deus tuus.* Quod ve-
rò agni isti anniculi esse dicuntur, nec iste pacificorum ritus est. Soli namq; holocaustorũ agni
anniculi esse solent, non pacificorum. Sed & de hoc illius vitæ perfectioni aptissimè cõgruit, de
qua in psalmo canitur, cùm loquente patre, sermo de Christo habetur sub persona Dauid: *Et*
thronus, inquit, eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum. Thronus quip-
pe Christi omnes illi sunt, in quorũ mentibus eius spiritus requiescit: quia anima iusti, sedes sa-
pientiæ est. Omnes igitur in ciuitate illa anniculi erunt: quia iuxta Isaiã, nõ erit ibi amplius in-
fans dierũ, nec senex, qui nõ impleat dies suos, quãdo thronus Dauid sicut Sol in cõspectu Dei,
& sicut Luna perfecta in ęternũ. Nec hoc prętereundũ est, quod in hac die duo pro pacificis of-
ferũtur agni. Duo namq; agni, sicut in emũdatione leprosi pleniùs disputatũ est, duplicẽ signãt
innocentiã: quando nõ solùm actu, sed & effectu proximorũ læsio declinatur: nec sola facie, sed
& mẽte seruatur mansuetudo. Quã innocentiæ plenitudinẽ hic assequi nequaquã possunt, qui-
cumq; tẽporalib. occupati, perfectionis fastigiũ non apprehendũt: quia magnũ est eis, licet ira-
cundiã penitus nõ excludant, si timore diuino ligati, iracundiam suscitatam frenare sufficiant.
In ciuitate autem Ierusalem, cuius ponit Deus omnes fines pacem, etiam pacifica ad duorum
agno-

Oleum spiritus vnctio. Vinum lætitia.

Hircus pro peccato quos signet.

Agni cur integri corã domino leuentur.

Esaiæ 62.

Psal. 88.

Thronus Christi qui.

Esaiæ 65.

Duplex innocentia.

A agnorum mensuram pertingunt: quando post innocentiam operis, quam hic contra commo-
tionum suarũ impetus non sine solicitudine seruauerunt, interiora quoque iustorum iam paci-
ficata, domino benedicunt. Quantũ modo Christianorũ sacrificia hisce de quibus huc vsq; di-
ctum est, præstent, ostendit D. Cyrillus his verbis contra Iulianũ, qui dixit, *nos negligere sacri-* *Sacrificia Christianorum.*
ficia cruenta: Opinatur fortè (inquit) à tali nos cultu remoueri, quia ignis non descendit de cæ-
lis, dicemus necessario, quod aberret à veritate. Non enim operã impendimus, vt boues immo- *Lib. 10. contra Iulianum.*
lemus, non quòd ignẽ non dimittat Deus, sed quia ea quæ in typis & vmbris, postquã transie-
runt ad veritatem, præceptũ habemus, summo Deo spiritualẽ & irreprehensibilem cultum cõ-
secrare. Spiritus enim, inquit, est Deus, & adorantes eũ in spiritu & veritate oportet adorare.
Sciat etiã fuisse sacramenti Christi prædictionem, quod descendebat ignis super altare, dimit-
tente illum scilicet omnium optimo artifice Deo, & per sensibiles & visibiles res super sensum, *Ioan. 4.*
& intelligibilia, formante. Nam cùm excitatũ esset sanctum tabernaculum in deserto ab opti-
mo Moyse, ignem dedit Deus, inextinguibilemq; & perpetuum esse pręcepit: prohibuit autem
magis, & diuina lege puniuit inferri ignem alienum. Nam ita perierunt filij Aaron. Verunta-
B men vt dixi, vmbra parturiebant virtutem sacramenti Christi. Nam in specie ignis semper ali- *Deus ignis.*
quo modo accepit Deum sacra Scriptura. Visum enim sic esse, inquit, filijs Israel in monte Si-
na, vnde eximius, & non altri mixtus altarij ignis erat. Deus enim solus, & vnus, & secundum
naturam super omnia altari Deo connumerari non potest, alioquin quomodo sacrum, & diui-
num tabernaculum offenderet quis sacrificijs adhibens externum ignem, nisi quodammodò
cogitaret quis: quod si inferretur ignis alienus, lędatur veritas figurę, non obseruans modũ, vt
conueniat eam figurari. Quandoquidẽ est solus verus, & vnus Deus, connumeratur autẽ ei om
ninò nullus, qui tabernaculum verius, hoc est ecclesiã mentali illustrat lumine, accipit autẽ ab
omnibus rationales hostias. Itaq; alius cum ipso Deus intelligatur nullus, remoueatur à nobis
tanquam alienus ignis. Alia enim natura deitatis præter eã nulla est. Idem autẽ esset sermo, &
de sacrificijs per Heliam antea immolatis. Demisit enim & tũc ignem vniuersorum Deus, im-
plente propheta olim figuram sacramenti Christi. Igitur quod non descendit ignis, oues occi-
dere non detrectamus: Sufficit enim nobis per ea, quæ tunc fiebant, quemadmodum in tabula
veritatis pulchritudinem benè effigiatam mentalibus oculis considerare. Sacrificamus autem
C nunc multo melius, quàm illi olim. Descendit. n. cælitus non sensibilis ignis, imaginẽ ineffabi- *Christianorum sacrificia qualia.*
lis naturę complens, sed ex patre per filiũ Spiritus sanctus illustrãs ecclesiã. Adhibemus autẽ &
sacrificia, spiritualia scilicet, & mentalia. Nam illi, qui ex sanguine Israel offerebant Deo bo-
ues, & oues, turtures, & colũbas, & ex fructibus, & similã oleo sparsam, & lagana, & thura: Nos
autem tam crasso mysterio relicto pręceptum habemus, vt tenue, ac spirituale, & subtile perfi-
ciamus. Offerimus enim in odorem suauitatis Deo, virtutes omnigenas, fidem, spem, chari-
tatem, iustitiam, continentiam, obedientiam, facilitatem, perpetuas laudes, & alias virtutes:
Istud enim sacrificium minimè carnale simplicem, & secundum naturam incorporeum decet
Deum, & mentalis fragrantiæ oblationes sunt verè honestę vitæ modi, ita enim alicubi dicit
ipse: *Misericordiam volo, & non sacrificiũ agnitionem Dei magis quàm holocaustomata.* Et opti- *Osea 6.*
mus Samuel: *Ecce annon auscultatio bona magis, quàm sacrificium, & obedientia plus quàm ossa* *1. Reg. 15.*
arietum? psallit autem & diuinus Dauid: *Sacrificia Deo hostiam laudis.* Et iterum: *Circuiui, &*
immolaui in tabernaculo eius hostiã iubilationis. Præcepit autẽ & Paulus dicens: *Exhibete corpo-*
ra vestra hostiã viuam, sanctam, placentem Deo, rationale obsequium vestrum. Quod autẽ in vm-
D bris secundũ legem eos qui ex sanguine Israel absq; prudentia immorari non permiserit Deus, *Roman. 12.*
& ex ipsis sciemus sacris scripturis. Etenim præcepit quidem immolari agnũ, ad figurã Christi:
veruntamen sic comedetis illum dicit; *Sint lumbi vestri præcincti, & calceamenta in pedibus ve-*
stris, & baculi in manibus vestris. Vide igitur quomodo in peregrinorum humilitate comede-
re iusserit, vt res ipsæ significent, quod figurę non semper duraturę sint, sed quodãmodo ad veritatẽ
currant. Igitur cùm peruenisset figura ad veritatẽ: nos pro igni sensibili, spiritũ accipiẽtes ratio-
nabile implemus mysteriũ: Ita. n. dicitur Christus baptizare nos in Spiritu sãcto, & igne. Quod
aũt aries monstratus est Abrahę, quẽ & sacrificauit pro Isaac; dicimus, quòd & ille fuerit figu-
ra Christi, qui per nos, & propter nos, mortẽ secundũ, carnẽ sustinuit, vt nos morte, & corruptio- *Aries Abraham figura Christi.*
ne liberaret. Iã si sacrificasset Abrahã ignẽ alienũ, (vt dicit Iulianus) sacrificijs immittẽs, & non
omnino illũ, qui est ex igne, hoc omninò nihil ad nos. Nã cauẽtibus sacrificare Deo, q̃ lege de-
finita sunt, & excusationis pretextũ faciẽtibus, quod cessarint ipsa, quod nõ supernè, & ex cælo
descẽdat ignis, attulit in argumentũ fortissimũ nos diuinas leges contẽnere, sed alieno igne vsũ
esse Abrahã. Quoniã autẽ melius nos, quàm illi seruiuimus, sacrificantes Deo spiritualia, & pro
igni sensibili spiritũ recipientes, ne redarguat, dicẽs, quare non adducamus sacrificia altaribus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Obluctatur enim diuinus Paulus tantùm, non clamans, ſed dicens: *Vetera tranſierunt, ecce* E
facta ſunt omnia noua. Tranſmutati enim ſumus ad nouitatem vitæ euangelicæ, & inducti ad
Saluator cur agnus dictus. perfectas diſciplinas, relicta legalis literę inſtitutione, & adoleſcentibus quidem adhuc conue-
nientis, nobis autem non itē, qui in virum perfectum occurrimus, & peruenimus vſq; in finem
ætatis plenitudinis Chriſti. Cùm modo immolationes huius pecoris ad paſſionem Saluatoris
noſtri ferè referantur, non fuerit præter noſtrum inſtitutum conditiones agni hoc loco recenſe-
Paradox. 3. re, quomodo ipſi attribuantur. Qua in re Toſtati vtemur opera, qui in explicatione trium ha-
rum metaphorarum diligenter eas eſt proſecutus, quarum prior erat. *Fuit quoddam vas clau-
ſum, & non clauſum: paruum & non paruum: luminoſum & non luminoſum; Vacuum & non va-
cuum. Præterea vas mundum, & non mundum.* Secunda autem talis erat: *Fuit vnus leo, qui vi-
debatur, & non videbatur: qui audiebatur, & non audiebatur: qui tenebatur, & non tenebatur:
qui cognoſcebatur & erat incognitus.* Tertiæ autem earum tenor hic erat: *Fuit quidam agnus
tonſus, & non tonſus; agnus, qui clamabat, & non clamabat: agnus qui patiebatur, & non patieba-
tur: agnus qui mortuus eſt, & non mortuus eſt.* Aduertendum itaque eſſe ſcribit, ſicut prima illa
metaphora de B. noſtra Virgine intelligebatur, ita ſequentes duas de Chriſto exponendas eſ- F
ſe; & ſicuti in ſecunda Ieſus benedictus leo vocatur, ita hic agnum appellari, idq; ex conformi-
tate proprietatis ipſius animantis. Eſt autem agni conditio, vt ſit quàm maximè innocens,
Christus cur agnus dictus. nulliq; noceat animali, nec quicquam pernicioſum alicui moliatur. Hoc autem in Chriſto, in-
quit, pręcipuè fuit, quia ab omni inquinamenti labe immunis extitit, & maxima innocentia
polluit: ſic enim ait B. Petrus: *Chriſtus mortuus eſt relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia*
Can. 1. c. 2. *eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in lingua eius.* Præterea agnus animal de man-
ſuetiſſimis eſt, nulli nocens, & rarò clamans, & cùm interdum tondetur, aut torquetur, voces
non emittit. Hoc etiam Chriſto aptiſſimè conuenit; fuit enim Chriſtus manſuetiſſimus ſuper
omnes homines, qui morantur in terra, in verbis, & opere; & licet interdum inferrentur ei iniu-
rię, non clamabat, & vt, ait Petrus, *Cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, nō com-
minabatur.* Hanc Chriſti, & agni ſimilitudinem deſcribit Eſaias euangelico magis quàm pro-
Ibid. Cap. 53. phetico ſermone inquiens: *Tanquam ouis ad occiſionem ducetur, & tanquam agnus coram ton-
dente ſe obmutuit, nec aperuit os ſuum.* Verùm hac de re mox rurſus, proſequamur modo expli-
cationem ſuperioris metaphorę, & primum, cur Chriſtus dicatur agnus tonſus, & intonſus; qua
Agnus tonſus cur dictus Chriſtus. in re obſeruandum eſſe monet idem Toſtatus, quod tonſum eſſe in agno duo ſignificat. Primũ G
eſt, inquit, corporeó detegi velamento: Secundum, quandam in tōſione fieri paſſionem: Vtro-
que modo eum tonſum appellare licebit; nam in paſſione ſua veſtimentis ſuis detectus eſt; ſi-
cut enim in cæteris moris erat, qui capite erant plectendi, vt quæſtionarij veſtes lucrarentur.
Sic in Chriſto factum eſt cùm decreto Pontij Pilati in crucem ſublato, milites veſtes eius diui-
ſere, & ſuper eam, quæ inter cæteras precioſior erat, & à B. Virgine facta, miſerunt ſortem, vt
habemus non ſolùm apud euangeliſtas, ſed & pſalmographos concinit: *Diuiſerunt ſibi veſti-*
Pſalm. 21. *menta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Hoc itaque pacto redemptor noſter in paſ-
ſione ſua detonſus eſt, cunctis ſcilicet veſtimentis ſuis ſpoliatus. Aliter verò etiam detonſus, di-
citur, idque magis propriè, cùm ſcilicet tunc agnus tonderi dicitur, cùm ei lana præciditur; Nā
licet Iudæi reuera forficibus, vt fit in agnis, capillos non præſciderint, eos tamen euellabāt, quæ ex
de re Eſaias; *Dedi caput meum percutientibus, & genas meas vellentibus.* Porrò paſſio, quæ in
detonſione ab agno percipitur, Chriſto etiam aptiſſimè congruit, cùm pleroſque dolores in
ſua paſſione tolerauerit, pręcipuè tamen dolor hic ad veſtium detectionem, & pilorum euulſio- H
nem referendus eſt, cùm vel quilibet veſtibus ſpoliatus non mediocriter erubeſcat, dummodo
non ſit perfrictæ frontis. Ex capillorum verò, pilorumque barbæ euulſione dolorem ſenſit, cùm
ad ſingulorum euulſum ſequatur continui ſolutio, atque ipſe etiam, vt ait Toſtatus, tempera-
Agnus non tonſus cur Chriſtus. turæ fuerit tenerrimæ. Cur modò dicatur agnus non tonſus, id dupliciter fieri poſſe, inquit, pri-
mò ſcilicet de Chriſto homine intelligi licere, quoniam vt ſecundum regulam iuris volenti nō
fit fraus, ſic de iniuriarum perpeſſione dicendum, quod nullus volens iniuriam pati poſſit. De
pænarum quoque perpeſſione non diſpar definitio procedere iure debet, ſcilicet, vt, qui ſpon-
taneè pænas ſubit, pænas perpeti meritò non dicatur, & quia Chriſtus vltrò nudationem paſ-
ſus eſt, capillis itidem ſpoliatus ſimiliter, cum nec nudatum, nec denudatum, nec pilorũ euul-
ſionem paſſum, iure confiteri poterimus; hoc tamen magis adhuc propriè de Chriſto dicetur,
quatenus Deus eſt; Deus enim, quia veſtiri nequit, cùm ſit incorporeus, veſtibus quoque ſpo-
liari non poterat. Similiter planè dici poterit, agnus verberatus, & non verberatus, ſiue vulne-
ratus, & non vulneratus, agnus clamans & non clamans; patiens, & non patiens; mortuus, &
non mortuus. Chriſtus enim, vt homo multa in benedicto ſuo corpore vulnera tolerauit, cùm
aliàs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A aliàs Deitas eius offendi non potuerit, & ipse sponte, vt homo, vulnera sit perpessus. Huc quodammodo referenda, quæ de agno D. Ioannes Euangelista scribit in apocalypsi, vbi scilicet ait vidisse se librum scriptum intus, & foris, in dextera Dei, quem nemo vel ex in terra vel in cælo viuentibus aperire potuit: Illum tamen agnus, qui occisus est, aperuit, & eius septem signacula dissoluit, cuius rei gratia à quatuor animalibus, & à viginti senioribus, & à reliquis cælitibus, amplissimis verbis collaudatur. Verba Euangelistæ sunt: *Et vidi in dextra sedentis supra thronum librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem. Et vidi angelum fortem, prædicãtem voce magna. Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius, & nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neq; respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, nec videre eum Et vnus de senioribus dixit mihi ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum, & soluere septem signacula eius. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnũ stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei* B *missi in omnem terram. Et venit & accepit de dextera sedentis in throno librum, & cùm aperuisset librum, quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, & cantabant canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo; & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et vidi, & audiui vocẽ angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna; dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnẽ creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sęcula sæculorum, & quatuor animalia dicebant, Amen, & viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.* Dicitur enim hic Christus primo leo, deinde agnus: leo scilicet propter fortitudinem, & propter vindictam, quã de inimicis sumpturus est: C Agnus quoniam immolatus est pro peccatis hominum in modum agni, qui vt suprà dictum, quotidiè in figuram eius, mane & vespere immolabatur, qui enim hic subaudiendum esse diabolum putant, vt sit sensus, ecce leo de tribu Iuda vicit diabolum, id mihi, inquit Ribera in suo commentario, non satis probatur, neq; enim rectè dici videtur, vicit diabolum, aperire librum & soluere signacula eius. Nec videtur satis apta causa aperiendi librum, vicisse diabolum, pręsertim si liber sit sacra Scriptura, vt ipsi volunt: quoniam etsi nõ vicisset, poterat aperire, & vincere poterat, quamuis aperiret: nihil ergo subaudiendum arbitror. Sed leo de tribu Iuda dicitur, vt alludat Ioannes ad prophetiam Iacob; *Catulus leonis Iuda ad prædam fili mi ascendisti, & requiescens accubuisti, vt leo.* Quibus verbis, & Christi resurrectio mysticè prædicatur, & potestas, qua dominaturus erat aduersarijs suis iuxta illud: *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & mortuorum, & viuorum dominetur.* Quoniam ergo ipse dominus omnium à patre declaratus est, & vt leo sæuiturus est in inimicos suos, meritò ipse solus dignus est aperire librum, & soluere signacula eius, vt per eum nota fiant supplicia, quæ Deus impijs, & filio suo non obedientibus parauit. Agnus verò hic non dicitur occisus, sed tanquam occisus, quoniam D etsi verè occisus est, citò tamen resurrexit; Ita Arethas, Ambrosius, Haymo, & alij, itaque qui tam citò ad vitam redijt, ita censeri potuit ab hominibus, quasi mortuus non fuisset. Videtur etiam eidem Riberę dici, tanquam occisus, quoniam cicatrices habebat patentes, quibus similis occiso habebatur. Andreas Episcopus Cæsariensis: occisum, inquit, significat, eius post occisionem vitam, in qua ostendit passionis signa, vt verè occisus post suam ex mortuis resurrectionem, &c. Possumus etiam coniunctionem *tanquam* ita accipere, vt non similitudinem indicet, sed veritatem, vt, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Vt sit sensus vidimus agnum stantem in medio throni, & seniorum, & ab omnibus honoratum tanquam occisum, idest tanquam eum, qui pro salute eorum verè occisus est, & ideo maximè ab eis debuit honorari. Ita etiam: *Vidi agnum stantem*, idest, viuum non mortuum, vt aliquando videram, stantem, inquam, tanquam occisum, idest, sicut esse debebat is, qui pro Dei gloria, & pro salute hominum occisus fuerat. Decebat Dei bonitatem, & gloriam, vt qui mortuus fuerat pro eo resurgeret, & qui ciciderat, staret. Rectè autem cum hic vocat agnum stantem, quoniam in homine agni mors, & immolatio indicatur, in eo, quòd stat, significatur resurrectio, & per mortem, & resurrectionem suam potestatem in omnes homines accepit, vt omnes sibi subijciat, vt paulò antè ex D. Paulo dicebamus. *Habentem cornua septem, & oculos septem*, interpretatio,

quam

Cap. 5.

Agnus librũ aperit.

Christus cur leo & agnus dictus.

Genes. 49.

Roman. 14.

Christus cur tanquam occisus agnus dictus.

Corinth. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

quam ſubijcit, *qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram*, ad vtrumque refert, vt rectè
ait Haymo, ideſt, ad ſeptem cornua, & ſeptem oculos. Quare in nonnullis græcis codicibus, &
apud Aretham legitur ἅ ἐισι, ideſt, quæ ſunt, vt vtrumque referat, non qui ſunt. Angeli autem
ſeptem, quibus cura omnium hominum data eſt, atque ideo miſſi dicuntur in omnem terram,
ſunt ſeptem agni cornua, quia per illos agnus ventilat, & vincit aduerſarios hominum dæmo-
Cornua quid in ſacris.
nes, & pugnat cum illis, & ab iniurijs humanum genus defendit inimicorum: Ex hac enim ſi-
militudine, cornua ſæpe in ſcriptura ponuntur, vnde Arethas: Cornua fortitudinem ſignificāt,
& gloriã, ſicut cùm de fortitudine dicitur: *Et omnia cornua peccatorũ confringã:* De gloria autē:
Pſalm. 74.
Et exaltabitur cornu iuſti &c. Quod ſi quis obijciat, cornua agni non eſſe apta ad ventilãdum,
Oculi Chriſti qui.
aut ad pugnandum, quia tenera, & inualida ſunt: nos dicimus huius agni cornua, & dura, &
validiſſima eſſe: ſed quia vix apparet, aut ſentitur hoc ſeptem angelorum miniſterium, cùm ta-
men illi potentiſſimi ſint, cornibus agni ſimiles dicuntur, quæ vix apparent aut videntur. De-
nique ſi quam agnus habet fortitudinem, eam habet in cornibus. Sunt autem oculi Chriſti ſi-
cut in concilijs diaconi dici ſolent oculi Epiſcoporum, quia per illos Chriſtus prouidet homi-
nibus, & inſpicit eos, vt tueatur. Meritò autem hoc de ſeptem cornibus, &. de ſeptem oculis
commemoratur, vt ſciant homines impij, & miniſtri diaboli Chriſto eſſe curę ſalutem ſuorum,
& quamuis ad tempus illos affligi ſinat, aliquando puniturum eſſe eorum perſecutores, atque
inimicos. Dicitur præterea multis alijs locis Apocalypſeos agni nomine, vt ſubinde in ſequen-
ti capite, vbi dicitur: *Et vidi quòd aperuiſſet agnus vnum de ſeptem ſigillis*, &c. atque ita ſemper
in apertione libri, & ſigillorum agnus nominatur, non tam, quod immolatus ſit pro nobis in-
morem agni, qui, vt ſæpe dictum eſt, quotidie immolabatur, ſed etiam quoniam propter hanc
immolationem meruit Chriſtus exaltari, & omnibus dominari, & aduerſarios poteſtati ſuæ
ſubijcere. Sic & hic ibidem, vbi dicitur; *abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira*
Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipſorum. Per eum, qui ſuper thronum ſedet, Deus pater,
Cap. 7.
per Agnum filius intelligitur. Sic mox rurſus vbi apoſtolus inquit: *Poſt hæc vidi turbam ma-*
gnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis, ſtantes ante
thronum, & in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce
magna, dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno. Et paulò inferius: *Hi ſunt*
qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine A-
gni. Quod ſcilicet D. Auguſtinus, alijq; de martyribus interpretantur, ſic enim ille: ſtolas quip-
Agni ſãguis martyres.
pe martyres in ſanguine Agni lauerunt, dum membra ſua, quæ oculis inſipientium viſa ſunt
pœnarum ſqualore fœdari, ſic potius fuſo pro Chriſto ſanguine ab omnibus mundauere conta-
Sermone 2. de Sanctis.
gijs, inſuper & beata immortalitatis luce digna reddidere, quod eſt etiam lotas habuiſſe ſtolas
in ſanguine Agni. Eadem eſt ſententia D. Gregorij. Verùm ſine dubio non de ſolis martyri-
Homil. 17. in Ezech.
bus, ſed de reliquis etiam electis ſermo eſt, vt optimè inquit Ribera, docent Beda, Anſbertus,
Haymo, Ambroſius: Et Tyconius ait; non enim, vt aliqui putant martyres ſoli ſunt, ſed omnis
Homil. 6.
populus in eccleſia, quia non in ſanguine ſuo dixit lauiſſe ſtolas ſuas, ſed in ſanguine Agni, id
1. Ioann. 1.
eſt, in gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, ſicuti ſcriptũ eſt; *Et ſanguis filij eius*
mundauit nos. Additur verò etiam ibidem; *Quoniã agnus, qui in medio throni eſt, reget illos* &c.
Agnus in medio throni quid.
Vbi quoq; agnus ipſe eſt Chriſtus; quomodo autē agnus dicatur in medio throni, ſupra oſten-
ſum eſt, vbi loquebamur de agno ſtante in medio ſeniorum, ſed poteſt etiam dici eſſe in medio
throni ex ſententia Riberæ, quia ipſe in patre, & pater eſt in ipſo. Aliàs etiam loquens de an-
gelorum pugna cum dracone antiquo, cùm dixiſſet, victum eſſe draconem ait; *Et audiui vocem*
magnam in cælo dicentem, nunc facta eſt ſalus & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti
eius, quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei no-
ſtri die, ac nocte. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonij &c.
indicat angelos pugnantes cum conſiderarent agnum, ideſt, Chriſtum pro ſe ſanguinem fu-
diſſe, ac propterea meritò omnia pro eo eſſe perferenda, cùmque conſiderarent etiam ſe teſti-
monium reddere debere de Chriſto, & tunc maximè cùm à multis ex ſuis deſerebatur, viriliter
pugnaſſe, & diabolum viciſſe. Alter ſenſus eſt ſimul cum priore amplectendus; Vicerunt cum
vtendo ſanguine Agni, ideſt, Chriſti, & vires ex eo capiendo, & reddendo teſtimonium de illo
etiamſi hoſtes veritatis prohiberent. Rurſus, vbi ait vidiſſe ſe Agnum ſtantem in cælo, & centũ
quadraginta quatuor millia virginum ſequentium eum ſemper, manifeſtè indicat, agni no-
Cap. 14.
mine Chriſtum intelligi, ait enim; *Et ecce Agnus ſtabat ſuper montem Sion, & cum eo centum*
quadraginta quatuor millia habentes nomen eius in fratribus ſuis. Et mox vbi oſtendiſſet millia
ea virgines eſſe, etiam ait: *hi ſequuntur Agnum quocunque ierit: Hi empti ſunt ex hominibus pri-*
mitiæ Deo, & Agno. Quo loco omnino obſeruari debet, cur illi tãtùm, qui cum mulieribus non
ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A sunt coinquinati, agnum quocunque ierit, sequi dicantur: Apparet enim id non sine iniuria
beatitudinis aliorum dici posse. Quò enim ibit Agnus? Quò eum omnes beati non sequentur?
Certe ecclesia canit. *O quàm gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti,
amicti stolis albis, sequuntur Agnum quocunque ierit*. Atqui proprium hoc esse virginum, &
Ioannes ipse videtur indicare, & ecclesia eodem modo intelligere, cùm in hymno Virginum
canit.

Quocunque pergis virgines
Post te canentes cursitant,
Sequuntur atq; laudibus
Hymnosq; dulces personant.

Idem sentire videntur Augustinus, & omnes expositores. Cęteri igitur beati sequũtur agnum,
sed non quocunque ierit, quia in gaudia virginitatis non sequuntur: virgines autem in omni- *Sancti, vt*
bus eum imitantur, & ideo quocunque ierit sequuntur. Inter opera Sancti patris Hieronymi *agnum se*
quidam libellus est, qui inscribitur virginitatis laus, in quo hæc verba legimus: *De his & B.* *qui dicãtur.*
Ioannes Apostolus loquitur, quòd sequuntur agnum, quocunque ierit. Quod ita intelligendum pu-
to, nullum eis locum in cælesti aula claudendum, & cuncta eis diuinarum habitationum habitacu-
B *la reseranda*. Verùm sic res nondum satis explicari videtur Riberæ, quandoquidem facilè obij
cere, inquit, possumus, si ita intelligatur, nec virgines sequi agnum, quocunque ierit, nec aliud
esse de illis, atq; de reliquis beatis iudicium: Nam si in gaudia virginum non sequuntur agnũ
coniugati, aut alij non virgines, nec virgines eum sequuntur in gaudia martyrum, aut docto-
rum, aut prophetarum, aut apostolorum, atque hæ illis mansiones non reserabuntur. Hæc ob-
iectio ita potest solui, si de omnibus, inquit, virginibus verba intelligantur. Qui virginitatem
amiserunt, non possunt sequi agnum, quocunque ierit, quoniam recuperari illa non potest. At
virgines, & martyres esse possunt, & in cæteris alijs agnum imitari, vt meritò agnum in cœlo
postea sequi dicuntur, quocunque ierit. Hæc solutio obscurè colligi potest ex Augustino in li-
bro de sancta Virginitate cap. 27. & duobus sequentibus. Verùm aliud est sequi posse, aliud re-
uera sequi, omnes virgines hoc possent, dum in terra sunt, sed multi non sequentur in cœlo a-
gnum quocunque ierit, & tamen de illis iam in cælo positis loquitur Apostolus. Melior & so-
lidior erit interpretatio, si dicamus virgines agnum sequi quocunque ierit, quoniam in virgi-
num multitudine omnia virtutum merita inueniantur, multi enim erunt martyres, alij docto-
C res, & episcopi &c. Quæ tamen omnia in ijs, qui virgines non sunt, inueniri non possunt. Mi-
hi tamen, qui ostendi hæc non de omnibus virginibus hoc loco dici, sed de ijs, qui extremo tẽ-
pore florebunt, aliter videntur hæc exponenda, vt illorum virginum merita commendari intel
ligamus, qui sanctitatis tantæ erunt, vt corporis, & animæ integritate reliquas omnes virtutes
copulent, de quibus statim ait. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno, & in eorum*
ore non est inuentum mendacium, sine macula enim sunt &c. Hos quoniam plurimum omnibus
virtutibus præstabunt, non est dubium hortatores, & magistros aliorum futuros esse miserri-
mis illis temporibus, & exemplo præituros, & ante omnes alios à ministris Antichristi torquen
dos, & occidendos, nullamq; ijs coronam defuturam, vt rectè dicantur sequi agnum quocun-
que ierit. Cæterùm hæc verba omnibus sanctis alia ratione tribuentur quatenus omnibus com
mune est, nunquam à Christi conspectu discedere, sed cum illo esse vbicunque ille sit, atque ita
vtrumque verum est, & modo quodam conuenit omnibus sanctis, alio non nisi virginibus. Hęc
itaque Ribera. Sed & iterum Agni appellatione insignitur Saluator noster, vbi idem Aposto-
lus ait. *Et cantantes canticum Moysi serui Dei, & canticum Agni, dicentes. Magna & mirabilia*
D *sunt opera tua Domine Deus omnipotens, &c.* Dicitur autem canticum Agni, quia illo Agnum, *ca. 15. Apoc.*
id est, Christum laudant, opera eius magna, & mirabilia esse dicentes, hoc est, vt exponit Ri- *Canticum*
bera, quòd tanta Antichristi, & eius ministrorum tanquam crudelia facinora sustinuerit, & *Agni.*
tandem dignis eos supplicijs affecerit. De Christo itẽ intellige hęc verba de regibus Antichri-
sto adhærentibus. *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorũ* *Cap. 17.*
est, & rex regum, & qui cum illo sunt &c Nec non & isthæc. *Gaudeamus, & exultemus, & demus*
gloriam ei, quia venerunt nuptię Agni, & vxor eius præparauit se &c. Beati qui ad cęnam Agni
vocati sunt. Et rursus. *Veni, & ostendam tibi sponsam vxorem Agni*; Dicit autem nunc sponsam *Cap. 21.*
Agni, id est Christi, scilicet sanctam ciuitatem Hierusalem, id est Ecclesiam, quia nunc sponsa
est, & postea cùm in die iudicij ducetur ad domum sponsi, id est, cum Agno, scilicet Christo a-
scendet in cœlum, vxor appellabitur. In Græco est, δείξω σοι τὴν νύμφην τοῦ Ἀγνίου τὴν γυναῖκα.
Hoc est: *Ostendam tibi sponsam Agni, vxorem illam*, id est, eam quæ postea erit vxor. Beda hoc
sic declarat. *Quod nunc Deo desponsata, nunc ad immortales est deducenda nuptias.* D. Chryso-
stomus in explicatione verborum D. Ioannis Baptistæ. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata* *Cap. 16.*
mundi. Christum ideo appellari agnum scribit, vt Esaiæ prophetiam in memoriam Iudæis
reducat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

reducat & vmbram etiam à Moyse repræsentatam, vt per figuram ad veritatem illos magis al- liciat. Est etiam vbi Christus secundum D. Gregorij explicationem, agnus lactens vocatur,

Christus agnus lactēs.
3.Regum 7.

videlicet, vbi dicitur: *Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum domino.* Quis verò, inquit Gregorius est agnus lactens, nisi ille quem præcursor eius ostendit dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et lactens dicitur, quia in eius innocentia vera humanitas prædicatur. Sed vnus agnus offertur, quia præter ipsum, qui mundi tollat peccata, nequaquam reperitur. Quem profectò agnum integrum obtulit. Integritas quippe agni ad soliditatem pertinet Catholicæ professionis. Velut enim agnus diuidit, quià canone fidei per gladium separatur erroris. Agnus itaque dicitur pro innocentia, lactens pro assumptione naturæ, vnus pro singularitate potentiæ, integer pro fidei nostrę firmissima soliditate. Quod si quis hæc non ad ipsum, sed ad eius imitatorem referre voluerit, potest. Agnum

Agnū quando offerre dicamus.

quippe offerimus cùm per bonum castitatis, & innocentiæ redemptori nostro conformamur, cum doctrina innocentium patrum nostrorum pascimur, velut vbera sugimus, quibus ad æternam vitam nutriamur. Vnum quoque agnum offerimus, si post initia religiosæ conuersationis nulla polluimur inquinatione prauitatis. Vnum quippe agnum offert, qui à proposito innocentiæ ad pollutæ vitæ maculas nequaquam defluit, à quibus redeat per iterationem bonæ operationis. Integrum quoque agnum offerre est ad æternam vitam non solùm carnis continentiam, sed mentis integritatem præparare. Integrum quoq; agnum domino nequaquam offert, qui carnem Deo per continentiam consecrat, sed mentis suæ secreta ab immundarum cogitationum lasciuia non refrenat. Velut enim agni partem sacrificio surripit, qui puritatem cordis, corporis continentiæ non coniungit &c. Specialiter autem inter cætera animalia, quæ in lege offerri consueuerunt, Christus agnus nominatus est, primò, quia inter omnes figuras

Christus cur agnus specialiter dictus.

veteris testamenti agnus paschalis expressiùs figurabat Christum innocentem, immolandum, quia paschalis ille agnus erat sine macula, & per eius immolationem filij Israel liberati sunt à seruitute Aegyptiaca, vt suo loco dictum est, sic & Christus erat sine peccato, & per eius passionem liberati sumus à seruitute diabolica, &c. Secundò, quia licet alia fierent sacrificia in templo certis temporibus, vnum tamen erat quotidianum, in quo iugiter vnus agnus mane offerebatur, nec hoc mutabatur vnquam, vnde cùm hoc figuraret perpetuitatem beatitudinis, fieretq; de agno; similiter Christus nostra perpetua beatitudo est. Agnus etiam dicitur ab agnitione, siue ab agnoscendo, quia agnouit patrem, factus eiusq; ad mortem obediens, & agnouit

Agnus vnde dicatur.

matrem curam eius discipulo committens. Agnus præterea dicitur à pietate, qua tollit peccata mundi, non semel tantùm, sed & quotidie; Vnde Theophilus; non dixit qui tollet, sed qui tollit, quasi semper hoc faciente ipso. Non enim tunc solùm tulit, cùm passus est, sed ex illo tempore vsque ad præsens, tollit, non semper crucifixus. Vnam enim pro peccatis obtulit oblationem, sed semper purgans per illam. Hęc Theophilus. Atque hinc est, quod ad primam oblationem in Missa dicit sacerdos, vt ait D. Chrysostomus: *Tanquam ouis ad mactationem ductus es Christe rex, & tanquam agnus coram eo, qui totondit se mutus, sic non aperuit os suum. In hu-*

Agnus cur in missa ipsa dicatur.
Lib.4.c.52.

militate illius iudicium eius sublatum est; Generationem autem eius quis enarrabit? Sacrifica domine agnum, quoniam tollitur de terra vita illius: immolatur agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Dicitur & in Missa bis, agnus Dei miserere nobis. Super qua re Gulielmus Durandus in opere suo de rationali diuinorum officiorum scribit in hæc verba; Quia Iesus statim vt salutauit apostolos, dedit eis potestatem remittendi peccata, idcirco, Chorus clamat ad eum, & postulat, agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Siquidem Ioannes videns Iesum ambulantem dixit; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quare autem eum vocauerit agnum, determinat subdens, *qui tollit*, idest, qui venit vt tollat *peccata mundi*, quia pro peccatis tollendis, pascha nostrum immolatus est Christus. Nempe in veteri testamento offerebatur agnus pro peccatis populi, & in nouo testamento Christus seipsum obtulit Deo patri, vt humanum genus liberaret, & lauaret à peccatis in sanguine suo. Merito igitur dum corpus, & sanguis domini sumitur, agnus Dei cantatur, vt omnes credamus, quia ipsius agni corpus, & sanguis tunc sumitur, qui peccata mundi moriendo tulit, & vitam æternam resurgendo nobis donauit, & vt oremus ipsum nunquam desistere miserere nobis, qui in passione misertus es nostri. Agnus autem græcè latine purus, & castus dicitur, quod sit hostia pura & immolationi apta, quia ipse verus agnus, sola pietate sua se obtulit hostiam pro nobis, & nos redemit; dicitur etiam agnus ab innocentia, quia agnus nec hominibus, nec bestijs nocet. In præmissis ergo verbis; *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis*; est quędam deprecatio, vt videlicet innocentis agni misericordia peccata irruentia, & subitanea auferantur. Tertio modo dicitur agnus ab agnoscendo, quoniam in magno grege solo balatu matrem agnoscit: Sic & Christus in ara crucis do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A donans nobis prius pacem, agnouit nos cura, vt iam dictum est, agnouit etiam patrem obedientia iuxta illud apostoli: *Factus est obediens vsque ad mortem*. Agnouit etiam matrem cura quam de ea habuit, vnde illud: *Ecce mater tua*. Ob hoc ergo in altaris immolatione ter dicitur, *agnus Dei*, quasi agne, qui agnouisti patrem, miserere nobis, agne qui agnouisti matrem, miserere nobis; pie, qui redemisti mundum, & qui obtulisti te pro nobis, da nobis pacem, vel ideò ter dicitur, vt triforme corpus domini intelligatur, videlicet ambulans in terra, quiescẽs in sepulchro, & residens in cælo. Potest etiam dici, quod Christus ad tria venit, primò vt nos liberaret à miseria culpæ; Secundò vt nos redimeret à malo pænæ. Tertiò, vt nobis daret de plenitudine gratiæ suæ. Hæc & alia ille, addens Sergium Papam primum constituisse, vt agnus Dei inter communionem ter à clero, & populo decantetur. At verò Ioannes Vallensis in opere de regimine vitæ humanæ, quod dicatur bis, agnus Dei miserere nobis, significare ait, quòd petamus ab eo releuationem corporis, & animæ; & quod dicitur tertiò, dona nobis pacem, significare, quod ab eodem petimus tranquillitatem æternitatis. Sed reuertor ad rationes, ob quas Saluator agnus meruerit nuncupari, quibus adiungi poterit hoc D. Bernardi de spolijs
B agni loquentis: Iste agnus, inquit, tam mitis, quàm magnus lacte suo nos potat, carne cibat, lana facit indumentum, præparat ornamentum. Lac agni est doctrina suauis, expressa de vberibus duorum testamentorum, quasi duobus digitis, idest, stylo, & ingenio Sanctorum doctorum. Caro agni est mortis eius memoria ad altare in sacramento quotidie replicata. Cuius similitudini complantamur simul vt resurrectioni coniũgamur. Lana qua fit indumẽtum, quo qui indutus est, absconditur, significat humilitatem, in qua latitamus, & à sæculo recognosci refugimus. Pelle mortificatio carnis intelligitur, quæ absque graui dolore ab agno non accipitur: hanc in seipso Christus ieiunijs, vigilijs, & alijs carnis suæ afflictionibus ad vltimum per passionem crucis ostendit. Hæc pellis in die resurrectionis cum stigmate vulnerum oculis videntium offeretur. Eadem ferè ratione ouis dicitur Christus, vtpotè qui velut ouis ad mactationem ductus est, ipse tamen Christianos, & qui reuera ipsum sequuntur, oues nuncupat, se verò earum pastorem, & ouile ecclesiam Christianorum: Verba Christi sunt apud Ioannem: *Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & la-*
C *tro, qui autem intrat per ostium pastor est ouium. Huic autem ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim & educit eas, & cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autẽ non sequuntur, sed fugiunt abeo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus; illi autem nõ cognouerunt, quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum: Amen Amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium, omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, sed non audierunt eos oues, ego sum ostiũ, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat, ego veni vt vitam habeant. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam dat pro ouibus suis, mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues, mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut me nouit pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor* &c. Secundum D. Chrysosto-
D mum ouile est Ecclesia, oues sunt fideles, ostium sacra Scriptura, secundum illud: *Orantes simul pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Sic igitur continuatur litera ista pręcedentibus secundum Chrysostomum: Christus enim dixit Iudæos esse cæcos in intellectu Scripturarum, quod ostendit ex hoc parobola, ex hoc quod aduẽtum Christi deberent considerare ex testimonio Scripturarum, quas habebant, quia Christus intrauit per ostium, idest per determinationem sacræ Scripturæ, quæ tempus, locum, & modum veniẽdi determinauit, & ideo alij aliter intrantes, sunt fures, sicut Mahumetus, & Antichristus. *Huic ostiarius aperit*, idest, Moyses cui data est primò sacra Scriptura, propter hoc Saluator dixit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsan & mihi; & oues illum audiunt*, idest simplices, quales fuerunt apostoli ei credentes. Et proprias oues vocat nominatim: hoc patet de apostolis, quibus distincta nomina imposuit, & educit eos è tenebris ignorantiæ, & culpæ. *Ante eas vadit* per exempla operum, secundum quod habetur infra; *exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Et oues illum sequuntur*, per imitationem. *Quia sciunt vocem eius*, idest, per fidem cognoscunt, & approbant; *alienum autem non sequuntur*, recipientes falsam doctrinam, *quia non nouerunt vocem alienorum.* Sed cõtra dictum Chrysostomi potest argui, quia Christus exponendo hanc parabolam, dicit se esse ostium, ergo sacra Scriptura non est hic ostium. Potest

Agnus quæ præstet.

Ouis cur Christus dictus.

Ouile est Ecclesia.

Ostium cur sacra Scriptura dicta.

autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dici ſuſtinendo dictum Chryſoſtomi, quod Chriſtus non vocat ſe ſolùm oſtium, ſed etiam pa- E
ſtorem; propter hoc enim ſacra Scriptura dicitur oſtium, in quantum Chriſtus eſt paſtor ouiũ,
& reſpectu ſui ingreſſus in mundum. Quod autem Chriſtus dicit ſe eſſe oſtium, hoc non eſt re-
ſpectu ſui ingreſſus in mundum, ſed in quantum alij habent ingreſſum in Deum. Secundum
Auguſtinum, etiam oſtium eſt Chriſtus, & continuatur ſic litera præcedentibus, quia Iudæi
Oſtium Chriſtus. dixerant, ſe videre ſine Chriſto, & per cõſequens poſſe ad veritatem peruenire ſine eo, propte-
rea Saluator in hac parabola oſtendit hoc eſſe impoſſibile, dicens: *Qui non intrat in congrega-
tionem fidelium per oſtium, ideſt, per Chriſtum, fur eſt*, &c. Quod faciunt omnes infideles, &
etiam mali fideles, ſtatum prælationis indebitè aſſequentes. Qui autem intrat per oſtiũ, ideſt,
per fidem Chriſti, & humilitatem, & alias virtutes eius, paſtor eſt ouium ſecundum veritatem;
huic oſtiarius aperit, ideſt, Spiritus ſanctus reuelat veritatem, vt poſſit oues paſcere, & oues vo-
cem eius audiunt, ideſt, doctrinam recipiunt &c. Iacobus etiam de Vitriaco, per ouile intelligit
Catholicam eccleſiam, ſiue conſortium ſanctorum; per oues, fideles, qui ſunt in eccleſia; per
oſtium Chriſtum; oſtiarium Spiritum ſanctum; per paſcua doctrinas, diuinam Scripturam, pa-
ſcua gratiæ, Euchariſtiam; paſcua gloriæ, vitam æternam; per paſtorem principalem, Chriſtũ; F
paſtorem ſecundarium, bonum eccleſiæ prælatum; per furem, diabolum, hæreticum, ſimonia-
cum, & quemlibet malum prælatum. Præſentem eccleſiam dici, ait, ouile, ſicut ſcriptum eſt, vt
fiat vnum ouile, & vnus paſtor: Ex conuerſis enim de Iudæis, & gentibus, facta eſt vna eccleſia;
vnde & ſponſus in canticis ait: *Vna eſt columba mea, quia vno ſpiritu vegetata, vnius ſpiritus ne-
xu in vnum coniuncta.* In hoc ouili, teſte Eſaia, accubabit lupus cum agno, ideſt, raptores, & ty-
ranni ad Deum conuerſi cum mitibus, & manſuetis. Ab hoc ouili exierat, qui ait: *Erraui ſicut
ouis, quæ perijt.* Qui enim ab hoc ouili exit, lupus infernalis continuò ipſum rapit; vnde Oſee
ait: *Fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris:* diabolus enim non poteſt aliquem ſpoliare,
niſi foris, ideſt, niſi eum prius ab eccleſia traxerit. Oues ſunt fideles in eccleſia, benigni, man-
Oues qui in eccleſia. ſueti, & ſuaues, vtiles domino ſuo, vellere, pelle, carne, fimo, fętu, lacte, & butyro. Vellere, ideſt,
exteriore conuerſatione; pelle, ideſt, temporalium diſtributione; carne, ideſt proprij corporis
immolatione, & mortificatione; fimo pænitentiæ; fætu bonorum operum; lacte pietatis, & in-
nocentiæ; butyro, ideſt, charitatis pinguedine. De his ouibus in canticis dicitur: *dentes tui ſicut
greges tonſarum, quæ aſcendunt de lauacro, omnes gemellis fætibus, & ſterilis non eſt in eis.* Den- G
Dentes qui in eccleſia. tes dicuntur in eccleſię corpore, qui peccata rodunt, ſcripturas atterunt, alios in corpus eccleſiæ
traijciunt, in ordine diſponuntur, fortes, candidi, ſibi ipſis quodammodo inſenſibiles, ſed cæte-
ris membris vtiles, ſine carne, ſine cute, ab omni ſuperfluitate alieni, ſibi inuicem coniuncti, ita
quod nihil inter ſe poſſunt pati. Hi autem ſunt ſicut greges, quia in paſcuis vitæ æternæ pariter
gradiuntur, & paſtorem bonum ſicut oues, ſequuntur. Tonſæ autem dicuntur oues iſtę per ter-
Oues tonſæ qui. renæ ſuperfluitatis depoſitionem. Gemellis fætibus, propter vitam & doctrinam, vel propter
Dei, & proximi dilectionem, vel propter duplex præmium; centuplum enim accipiunt in præ-
ſenti & vitam æternam in futuro. Aſcendere autem dicuntur, quia ſemper in melius proficiũt
Oues pij sũt & boni. tendentes de virtute in virtutem. Tantum Vitriacus. Ioannes Ferus verò etiam in explicatio-
ne prędictorum D. Ioannis verborum, certum eſſe ait, quod per oues non alios Chriſtus hic in-
telligit, quàm pios, & bonos, ſic enim frequenter in Scriptura nominari, ſic Dauid: *Hi, qui oues
ſunt quid fecerunt?* Idem: *Nos autem populus eius, & oues paſcuę eius.* Sic Zacharias: *Percutiã
paſtorem, & diſpergentur oues.* Ideo autem nos oues nominare, primò vt admoneat nos propriæ H
infirmitatis; oues enim inter omnia animalia plus indigent paſtore, quia nec vires habent, qui-
bus ſe defendant, nec arma, quibus repugnent, nec velocitatem, vt fugere poſſint, tales, inquit,
ſumus & nos ſecundum naturam &c. Deinde oues nos nominare, vt doceat, quibus moribus
præditos nos eſſe oporteat, cùm ouis ſit animal ſimplex, manſuetum, neminem lædens, ſubie-
ctum, non reclamans ad omne, quod ei fit: Denique & vtile lana, lacte, carne, inteſtinis, fimo.
Tales debere eſſe Chriſtianos &c. Per ouile autem intelligere eccleſiam fidelium, neque id ab
Ouile quale eſſe debeat. re: ouile enim debere eſſe firmum, & munitum ad defendẽdum; calidum, ne frigus noceat; ſan-
ctum ne inficiantur oues; molle ſtramento, vt accubare poſſint. Oportere & habere pabulum,
ne fame pereant: latum etiam ſit, & adunatum, vt plures recipere poſſit, & ſimul conſeruare.
Has conditiones quamlibet debere habere eccleſiam. Curet igitur, inquit, quilibet paſtor ec-
cleſiaſticus, & ouile habeat firmum, ne rumpatur à lupis, & tyrãnis, imò ſeipſum opponat mu-
rum, iuxta illud: *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Secundò curet, vt adſit calor
charitatis. Hinc Dominus traditurus Petro curam ouium, requiſiuit tertiò num ſe diligeret.
Tertiò curet, vt mundum ſit ſuum ouile, iuxta illud: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, ne
cõtingat illud, quod in Machabæis legimus; *Templum luxuria, & comeſſationibus plenum erat,
& ſcor-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *& scortantium cum meretricibus* &c. Quartò curet, vt molle stramentum substernat, hoc est, mansuetudinem ostendat. Sic Christus: *Discite,* inquit, *à me quia mitis sum, & humilis corde.* Quintò, vt adsit corpus salutaris pabuli, verbi scilicet Dei. Curet postremò, vt adunētur oues in vnitatem fidei, & charitatis, ne dissentiant. *Bonum enim, & iucundum est fratres habitare in vnum.* Hinc Paulus vbiq; monet, vt idem sentiamus, & non sint in nobis schismata. Quia autē Christus est verbum Dei, scriptura sacra ostium in ouili dici potest, neq; id abs re, ducit n. nos ad Deum, & eius nobis cognitionem aperit, ipsa nos oues facit, ipsa custodit, nec lupos irrumpere permittit, tanquam enim ostium fortissimum hæreticos arcet, & in tuto nos cōstituit, neque nos (modo velimus) vnquam aberrare sinit. Præterea quia aliqui non vt priuatæ personę, sed vt publici pastores in ecclesiam veniunt, per ostium ouilis etiam intelligi potest legitimus ingressus ad ecclesiastica officia, sed de hoc infrà. Sed & ipse ēt Christus ostiū est in ouili, qui itidem ostiarius est: nam tametsi ante purificationem suam humilis ianua videbatur, tamen nunc non solùm ostium, sed & ostiarius est, ex quo ascendens in altum dedit dona hominibus. Exinde namq; ostiarius quoq; esse probatur, quia ipse dedit quosdā quidem apostolos, alios aūt pastores, & doctores &c. Nec absurdum alicui videatur, quod Christus, & ostium, & ostiarius dicatur; quemadmodum vnus idemq; dominus noster Christus via est, veritas, & vita: Sic

Ostium in ouili Christus.

Christus ostiarius.

B non solùm ostium, sed & ostiarius, imò & pastor; denique etiam ipsa ouium pascua est. Est autem in ostio, & ostiario nonnulla profectuum nostrorum distinctio. Nam dum per fidem Catholicam quisque nostrum accedit ad Christum, Christus ei ostium est, quando aūt iā recepto gratiam aliquam idem gratiarum distributor largitur, iam ostiarius est. Deinde per ostiarium etiā Moysen intelligere possumus, cui credita sunt eloquia Dei; Vel ipsam legē, quæ quasi viā aperit ad euangelij gratiam: accommodatius tamen per ostiariū Spiritus sanctus intelligitur, qui vt verbum æternum prodesse possit, auditorū corda per gratiam suam pręuenit, & emollit. Sic Paulo contigit, qui dicebat: *Ostium mihi apertum est magnum, & euidens.* Tunc aūt Spiritus sanctus ostium magnum aperit, quando perpendens intentionem cordis eius, intelligentiam sacri verbi, illi pandere dignatur &c. Sed vt ad ipsam accedimus parabolam, ait Saluator: *Qui non intrat per ostium in ouile* &c. Quibus verbis probat Pharisæos nequaquam esse pastores, vel ex hoc vno, quòd per ostiū non intrauerant, cùm Christū, qui solus ostiū est, reijcerent, nec scripturas rectè interpretarentur. Nec tantùm cōuincit eos Christus, quòd nō sint pastores, sed insuper probat fures eos esse, & latrones, quia dolis, fraudibusq; animas capiebant, & cū violen-

C tia, & ambitione gregi dominabātur. Docet insuper Christus hoc primo verbo parabolę, solos illos esse veras oues, hoc est, pios Christianos, qui per Christū intrant, hoc est in eum credant. Qui aūt in Christū non credunt, oues nō sunt, sed lupi, imò fures, & latrones, suo tpe eijciendi etiamsi in medio ouium versentur. Potissimùm autem tangit Christus hoc verbo eos, qui non legitimè intrant ad ecclesiastica officia, hoc est, aut vi, aut armis, aut simonia, qui scilicet nec Dei gloriam, nec animarum salutem quærunt, sed vel cæca feruntur ambitione, ad aucupandos honores, aut rapida exæstuantes cupiditate lucri, colligunt opes, sectantes otium, & voluptatē, qui meritò fures dicuntur, & latrones cùm ob id, quod dictum est, tum quia sinunt commissum sibi gregem dispergi, atque dissipari, fame contabescere, atque in precipitia vitiorum prolabi. Sequitur: *qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.* De Christo intelligendum est, qui per ostium intrauit, quia vocatus, & missus à patre, quia vera docuit, & certa, præterea ostiarius ei aperuit, nedum enim Moyses, omnisque lex, & prophetę testimonium ei perhibuerunt; sed & pater ipse, Spiritusque sanctus ipsi aperuerunt. *Oues etiam vocem eius audierunt*; accurrebant enim etiam publicani, & peccatores, vt eum audirent. Ad hæc

Oues veræ quæ.

Fures, & latrones qui ī ecclesia.

D Christus proprias oues vocat nominatim; nouit enim nomina prædestinatorum ad vitam iuxta illud: *Nouit dominus qui sunt eius:* Item. *Ego noui, quos elegerim.* Idem Christus oues suas educit è tenebris ignorantiæ ad lumen veritatis, & de via iniquitatis ad rectitudinem iustitiæ. *Vadit ante eas,* quia rectè viuendi exempla, quasi vestigia pedum oculis eorum obijciens, quid faciendum, & quid fugiendum sit, docet demum, *& oues illum sequuntur* fide, & amoris desiderio clamantes. *Ostende nobis faciem tuam, sonet vox tua in auribus nostris:* & sequuntur etiam ipsius humilitatem, mansuetudinē, patientiam &c. imitando. Possumus deinde hæc verba ēt de alijs pastoribus intelligere. Quamuis .n. Christus verus, & vnicus ille pastor sit, qui nostri curam gerit &c. tñ ēt alijs nomen illud communicat. Sicut .n. sibi subiectos, gratiæ, & donorū, ita quoq;, & nominum suorū reddit participes. Sic cū ipse sit lux vera, tñ ēt discipulis suis lucis nūcupationē tradit, cùm dicit. *Vos estis lux mundi.* Pastores aūt eos nominat, vt p hoc admoneātur officij sui. Ad pastorē aūt plura requirūtur. Primò industria, vt sciat oues pascere, & in oībus prouidere, hoc est, errātes reducere, infirmos sanare, sanas conseruare &c.

Pastoris nomen quibus Christus cōmunicat.

Cyrilli verba.

Pastoris boni officium.

Secundò audacia,vt non ſtatim fugiat,ſed contra lupum ſe opponat. Tertiò ſolicitudo,vt non E
dormiat,aut ocietur. Quartò fidelitas,vt domino vero reſtituat,ac ſeruum ſe,non dominum
agnoſcat. Tripliciter autem Chriſtus deſcribit bonum paſtorem,ab ingreſſu,ab officio,ab exé
plo: Primò verus & bonus paſtor eſt,qui legitimè ingreditur,qui ſcilicet vocatur, qui non ſe,
ſed ouium ſalutem quærit,qui vera docet &c. Nonnulli octo eſſe dicunt (vt & hoc inſeramus
Paſtoris octo officium conſtituũt. huic loco) in quibus officium boni paſtoris diſponitur. Ad hoc enim,vt ſit bonus paſtor,humi-
lis,& fidelis debet,inquiunt,panem habere in pera,canem in fune,baculum cum virga,cornu
cum fiſtula. Panis eſt verbum Dei,pera memoria verbi,canis zelus paſtoris,quem debet habe-
re pro domo domini,& deijcere lupos,pijs latratibus ſanctæ prædicationis, & orationis inde-
feſſæ. Funis quo canis tenetur eſt moderamen zelantis, & diſcretio, qua zelus paſtoris ſpiritu
pietatis eſt ſcientiæ temperatur,ne fortè, vt ait apoſtolus,zelum Dei habeat,ſed non ſecundũ
ſcientiam. Baculus eſt pię exhortationis conſolatio,qua ſuſtentet puſillanimes, & conſoletur,
ne in tempore tribulationis deficiant. Virga eſt poteſtatis authoritas,qua corripiat inquietos,
ne de impunitate audaciam ſumant; Cornu cuius ſono terribili ad bellicum conflictum mili- F
tes animantur,eſt terribilis gehennæ comminatio,qua Chriſti milites contra vitiorum molli-
tiem,ſpiritu fortitudinis accingunt. Fiſtula,quæ dulcius canit,æternæ beatitudinis ſuauitatem
deſignat,quam ſubditorum auribus fidelis paſtor dulciter,ac frequenter inculcat &c. Sequi-
tur. *Huic Oſtiarius aperit.* Oſtiarius ſpiritus ſanctus eſt. Is igitur legitimè intranti aperit,quia
Oſtiarius Spiritus ſãctus diuinas ei veritates reuelat, modũq; regiminis manifeſtat, & de omnibus neceſſarijs inſtruit,
iuxta illud: *Cùm venerit ille ſpiritus,docebit vos omnem veritatem.* Secundò, vero paſtori Spi-
Ioan. 16. ritus ſanctus aperit,quia eum admittit, imò introducit in ſanctuarium ſapientiæ ſempiternæ,
vt diſcat,& ſciat,quomodo oporteat eum conuerſari in domo Dei. Tertiò Spiritus ſanctus ei
aperit,quia auditorum corda per ſuam gratiam præuenit. Hac triplici apertione indiget om-
nis paſtor,& tanto amplius quanto pluribus præeſt; *Et oues vocem eius audiunt.* Subditi enim
conſcij bonitatis paſtoris ſui,monita eius,& verba prædicationis libenter ſuſcipiunt,atq; ope-
re complent. Et hoc planè dignum eſt,ſicq; ipſis ouibus expedit: Chriſti ſiquidem oues non eſ-
ſent, ſi apoſtolos Chriſti non audirent,nam talibus ipſe dicit. *Qui vos ſpernit,me ſpernit &c.*
Luc. 10. *Et proprius oues vocat nominatim.* Hic deſcribit paſtorem ab officio. Oues Chriſti proprię ſunt; G
Oues Chriſti propriæ. tum quia eos creauit,tum etiam quia redemit proprio ſanguine: Eas tamen fidelis paſtor etiã
ſuas facit,vel dilectionis affectu,vel quia paſtorũ principi proprio labore illas,quæ non erant,
acquiſiuit. Vocat aurem eas nominatim,quia ſingulos ſubditorum determinatè cognoſcit,ad
Oues nominatim vocare quid. meliora hortatur,omnium mores penſando,quid ſingulis expediat, perpendendo,cunctis fa-
miliariter condeſcendendo,vnicuiq; ſecundum propriam indigentiam prouidendo, quemad
modum Salomon docet. *Diligenter agnoſce vultum decoris tui.* Sicut.n.medicus corporum di-
Prouer,27. ſpoſitiones,cõplexiones,ac morborũ varietates penſat,vt congruentia medicaméta apponere
poſſit,ſic agere debet paſtor ſpiritualis. Secũdò vocat eas nominatim,ſẽper.n.paſtor bonus cla
mat ad oues,hinc in lege ſacerdotibus præcipitur,vt cornibus arietinis clangant. Tertiò vocat
Leuit.25. eas nominatim,quia adeo familiarem eis ſe oſtendit,vt ſecurè accedere audeant. Quartò vo-
cat eas nominatim,quia obliteratis nominibus priſtinis, eo nomine eas appellat, qđ magnus
paſtor ſuper eas ſcripſit,de quo in propheta Eſaia. *Vocabo ſeruos meos nomine alio,in quo qui be-*
Eſaia 65. *nedictus eſt,benedicetur ſuper terram.* Bonus .n. paſtor, non improperat ouibus priora vitia,
quẽadmodum Phariſæi fecerunt dicentes cæco: *In peccatis natus eſt totus.* Niſi fortè pro vtili H
Ioann. 9. commemoratione gratiæ Dei,ſicuti Paulus fecit: *Hæc,*inquit, *fuiſtis,ſed abluti eſtis,& ſancti-*
2.Corint.6. *ficati.* Additur. *Et educit eas.* Eo ipſo,quod oues ſumus,educti ſumus è tenebris errorum, & vi-
Educere oues quid. tiorum antiquorum: Eripuit enim Deus nos de præſenti ſæculo nequam,& tranſtulit in regnũ
filij dilectionis ſuæ. Nihilominus tamen eſt adhuc, & plerunque euenit vnde pleroſque no-
ſtrum,qui iam ſumus oues Chriſti,oporteat educi,imò & clamore grãdi euocari,ſicut per La-
zarum quoque ſignificatum eſt,quem iam fętentem, & quatriduanum legimus magno domi
ni Ieſu clamare fuiſſe reſuſcitatum. Sordidantur enim oues etiam poſtquam tonſæ, & ſalubri
fluuio lotæ fuerint,& ipſis ſuorum vitiorum morbis delectatæ, in praua concluduntur conſue-
tudine,aut etiam hæretico (quod grauius eſt) ſordidantur errore. Hic igitur laborandum eſt
paſtori,vt oues eas educat,ad quod interdũ vti debet vocib. aſperis,aliquando blãdis. Secũdò
educit eas ex otio ad ambulandum in via mandatorum Dei. *Et cùm proprias oues emiſerit,*
ante eas vadit. Hic deſcribit paſtorem ab exemplo: expedit enim ei, vt cùm emiſerit
oues per verbum exhortationis, vadat ante illas per exemplum boni operis, ne quando
Pſal.94. dicat illi Deus peccanti: *Quare tu enarras iuſtitias meas &c. tu verò odiſti diſciplinam &c.*
Matth. 23. Hinc & Paulus: *Caſtigo corpus meum &c. ne fortè alijs prædicans ipſe reprobus inueniar.*
Sequitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Sequitur. *Et oues illum sequuntur*, &c. Hoc enim illis expedit. Si enim de hypocritis, & simu-
latis pastoribus: omnia, quæ dicunt, facite, &c. Quanto magis sequi oportet eos, qui dicunt &
faciunt? Sequuntur autem illum, quia sciunt vocem eius, quia veram & sanam esse cognoscunt
doctrinam eius. *Alienum autem non sequuntur*: quia cùm exploratum habent aliquem malis
artibus, dolo, fraude, largitione adeptum esse pastoris dignitatem, & idcirco à Deo alienum,
huius vitam, & mores non sequuntur, neque tam gratam habent eius ad bonum exhortatio- *Bonos nõ ni-*
nem, neque tam obtemperanter illi quicquam iubenti, morem gerunt, quoniam violenta illa *si à bonis de-*
in ouile irruptio multum ipsi detrahit reuerentiæ, facitque vt minus ad illum afficiantur oues, *bere exhor-*
minorisq; illum æstimẽt. Tripliciter igitur alienum intelligere possumus. Alienus enim à Deo, *tari.*
vel ouibus est, qui non per ostium intrat; alienus voce, hæreticus scilicet, qui malè docet; alie-
nus vita, qui impiè viuit. *Et ego sum ostium.* Nunc quod clausum fuerat, aperit, & quod velatis
prius verbis dixerat, apertè referat: Bis autem se nominat ostium, vt ostenderet, se vnum, eun- *Ostium vnũ,*
demque esse, qui antiquos pastores, Moysen scilicet, & prophetas dedit, in ouile Iudæorum, *ouilia duo.*
& nunc electione sua nouos emittat apostolos in ouile gentium. Vbi interim hoc obseruan-
dum, quod non vni ouili duo ostia, sed quod mirabilius est, vnum ostium duobus ouilibus at-
tribuit, vt necessariò consequatur, quod infra dicturus est: *Fiet vnum ouile & vnus pastor*. Vel
B ideo se bis nominat ostium, non tautologia quadam, sed necessaria duplicis ostij explicatione. *Christus*
Est enim Christus ostium, quo bonus pastor ad oues ecclesiæ intrat: Est & ostium, quo quis- *quale ostiũ.*
que iustus ad cælestem patrem intrat. Vel ideo bis ostium dicitur, quia & ad præsentem gra-
tiam, & ad futuram gloriam per eum solum peruenitur. Itaque principio Christus ostium
est ad oues ecclesiæ, propterea quòd nemo rectè in ecclesia doceat, nisi Christi doctrinam ca-
tholicam doceat, euangeliumque annunciet. Per illud enim credentium cor illuminatur, &
per gratiam viuificatur, accipitque consolationem. Sequitur: *Omnes, quotquot venerunt, fu-* *Fures qui*
res sunt, &cæt. Vniuersalem præfert sententiam hoc verbum domini, non tamen vniuersaliter *Christo.*
de omnibus intelligendum est, qui ante Christum fuerunt. Alioqui & Moyses, & prophe-
tæ fures fuissent. Obserua igitur, quòd non de tempore, sed de doctrina hoc loco sermo est.
Nam ante Christum venire, non est tempore Christum antecedere, sed aliam quàm Christi
doctrinam docere. Fuerunt quidem Moyses & prophetæ ante Christum, sed è spiritu Chri-
sti ecclesiam domini docuerunt; Christumque annunciarunt, quamuis adhuc sub vmbris la-
tentem. Intelligitur igitur verbum hoc de his, qui non vocati à Deo, nec electi ab ecclesia,
C venerunt, seipsas intrudentes, vel ab alijs intrusi, de quibus propheta: *Non mittebam eos,*
& ipsi currebant. Hi enim fures sunt & latrones, nam plerumque neglectis ouibus seipsos tan- *Ierem.23.*
tùm curant. Secundò intelligitur verbum hoc de his, qui aliam viam docent ad salutem,
quàm per imitationem Christi. Tertiò de his, qui tunc in ouili tyrannidem exercebant: ne-
mo enim illorum intrauerat per ostium, quia non venerant prædicando, & seruando ver-
bum Dei, sed negando, & blasphemando filium Dei. Ideò in præsenti dicit; *fures sunt*, non,
fures fuerunt, vt sciamus eum specialiter hic Pharisæos tangere voluisse, & ob eandem cau-
sam specialiter etiam dixit, *venerunt*, cùm de prophetis dicat scriptura, quod non simplici-
ter venerint, sed quòd in nomine domini venerint. Potest præterea verbum hoc intelligi de
his, qui sese vel pro Christo, vel pro prophetis venditarunt, & venditant, qualis olim fuit
Theodas, & Simon Magi, & Iudas Galilæus, prophetæ Anabaptistarum, alijque hæretici
omnes meritò fures, & latrones à domino dicti; fures, quia suæ gloriæ auidi sunt; latrones,
quia animas perdunt. Sequitur. *Sed non audierunt eos oues*. Sic cæcus ille, de quo supra di-
ctum est, fures illos blasphemiam in Christum suadentes, audire noluit, potius eligens ab *Ioann.9.*
D eis eijci, quàm illis consentire. Obserua, quòd oues non audiunt huiusmodi fures, ergo, qui
eos audiunt, non oues, sed hirci sunt fætidi. Quod si ouium aliquæ deceptæ ad tempus eos
audiunt, tamen deprehensa eorum nequitia, resiliunt. Notandum deinceps, quod Christus
se bonum esse pastorem, inquit, vt paucitatem indicaret eorum, qui veri pastores sunt. Quis au-
tem sit bonus pastor, subiungit: *Bonus pastor animã suam dat pro ouibus*: animã dat, hoc est, vitã *Pastor bo-*
corporalem exponit periculo pro salute ouiũ: vel animam dat, hoc est, tanto affectu eas diligit, *nus qui.*
vt nedum sua, sed & seipsum, imo si fieri posset, cor, & animam eis impartiretur. Sic Christus
verè animam dedit pro ouibus: mortuus est enim efficaciter pro iustis, atq; eò melior pastor est
quod pro impijs adhuc, & peccatoribus mortuus est. Poterat autẽ Christus huius suæ bonitatis
formã altius sumere, quia cùm esset in forma Dei propter nos populũ suum, & oues pascuę suę
semetipsum exinaniuit, formã serui accepit, & cùm haberet pascuę suę oues nonaginta nouem,
idest, omnem beatorum angelorum multitudinẽ, relictis illis venit vnã, quę errauerat, quęrere.
Sic, inquam, poterat formam suæ bonitatis exponere, sed hoc exemplum nulli imitabile est. Be-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nè ergo hoc ſolùm proponit, quod eſt imitabile: *Bonus*, inquit, *paſtor animam dat pro ouibus* E
ſuis: Hoc enim paſtoribus ſpiritum charitatis habentibus imitabile eſt, imò imitari dulce eſt.
Secundò ideo non alio medio, quàm morte ſua probat ſe verum paſtorem, quia non eſt maior
dilectio, quam cùm quis animam ſuam ponit pro amicis ſuis. Tertiò mortis ſuæ meminit, vt
oſtendat neminem in eccleſia paſtoris nomine dignum eſſe, niſi paratus ſit, nedum ſua, ſed
& ſeipſum expendere pro ſalute ouium. *Mercenarius autem.* Hactenus & bonos, & malos
paſtores deſcripſit, nunc aliud quoddam genus hominum proponit, qui non omninò mali
ſunt, nec fures, aut latrones, nam & per oſtium intrant, & benè docent, non ſunt tamen omni-
nò boni, quia magis ſeipſos, ſuaque quærunt, & amant, quàm oues, earumque ſalutem. Vbi
enim mercedis eſt tantùm ratio, ibi charitas nulla eſt, & ſi quod præſtatur officium, non præ-
ſtatur ex animo veri paſtoris. Hos optimè Chriſtus, nomine mercenarios dicit. Mercenarius
Mercenarij qui in eccleſia. enim eſt, qui ventrem ſuum curat, & ſuum tantùm compendium ſpectat, alioqui nihil ageret.
Iuſtum quidem eſt, lac, & lanam percipere eum, qui gregem ouium paſcit, ſed nihil aliud quæ-
rere, nedum impium, ſed & ſtultum eſt. Fidelibus enim paſtoribus nedum quæ ad temporalem F
victum, & veſtitum pertinent, conceduntur, ſed & æterna præmia promittuntur, vt patet in pa-
Math. 25. rabola de ſeruis. Stultus igitur eſt, qui cùm temporalia, & æterna habere poſſet, ipſe ſolis tem-
poralibus contentus eſt. *Et qui non eſt paſtor.* Declaratio eſt eius, quod dixerat. Paſtoris enim
nomine indignus eſt, quia magis ſeipſum, quàm oues diligit. Habes ergo aliquot genera homi-
num in eccleſia verſantium. Fur eſt, qui non ritè ingreditur; latro, qui mala doctrina, vel vita
occidit; Mercenarius, qui ventrem ſuum curat: paſtor verus, qui ouium ſalutem indefeſſè quæ-
rit, & idolum paſtoris, qui nomen tantùm habet, & præterea nihil. *Cuius non ſunt oues propriæ:*
quia ſcilicet non in eius pectore mater eos parturiuit. Non poſſidet animum eius ſpiritus paſto-
ris boni, & ideo non mirum, quod non & ipſe brachio ſuo agnos colligat, & in ſinu ſuo portet
eos. *Videt lupum venientem*, videt, inquit, inſtare periculum, ſcit, quid faciat mala doctrina, ſcit
pleroſque damnaliter peccare, hæc omnia mercenarius ſcit, & tamen tacet. Emphaſin autem
habet, quod dicit, *videt lupum venientem*, quaſi diceret, adhuc longè poſito lupo ipſe ſibi ca-
uit, nondum mali aliquid perpeſſus eſt, & ſtatim fugit. *Et dimittit oues, & fugit.* Non fugiunt
oues à mercenario; non enim habent cauſam legitimam, cur non audiant vocem, vel cur eius
communionem deuitent, cur illi lac ſuum, & lanam denegent, ſed ipſe fugit. Obſeruo, quòd G
non arguitur mercenarius, quod furatus ſit, mactauerit, & perdiderit, ſed tantum, quod videt
periculum, & fugit, hoc eſt, verbum exhortationis ſubtrahit, ne ſi lupo reſiſtat, temporale com-
modum, quod amat, amittat. Fugit, cùm hæreticis non obſiſtit, ex timore, ne quid incommodi
patiatur. Fugit item cùm vitia ſubditorum nō corripit, ſed tacet, conniuet, diſſimulat, ne quem
offendant, amant enim plerumq; oues ſuam perniciem. Præterea fugit, cùm quod ſtulti gregis
libidini adlubeſcit, hoc docet, hoc inculcat, vt gloriam venetur & commodum. *Et lupus rapit,*
Lupus eſt diabolus. *& diſpergit oues.* Pulchrè diaboli natura hic deſcribitur, lupus ſiquidem eſt diabolus, quantum-
cunque ſe amicum ſimulet, lupus, inquam, omnibus Dei operibus infeſtus, maximè tamen ho-
mini, morte enim, & exitium noſtrum non minus optat, quàm lupus ouium. Rapit autem dia-
bolus, dum gregem per falſas doctrinas, per peccata, per offendicula, & per mortem dilacerat;
rapit cùm à Deo abducit in ſuum regnum. Quos autem rapere non poteſt diſpergit; Ita & er-
rabundas facit, vt neſciant, vbi conſiſtere debeant; quorum omnium malorum cauſa eſt mer-
cenarij fuga. Quare quamuis ipſe eas non occidat, quia tamen fuga ſua oues lupo prodit, ſan- H
guis perditarum ouium requiretur de manu eius. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius*
eſt. Fugit interdum etiam verus paſtor, ſed non dimittit oues, nec ceſſat ab officio; Mercenarius
autem ita fugit, vt omninò ouium curam ex animo eijciat, & omninò ab officio ceſſet. *Et*
Oues in ouili qui. *cognoſco oues meas;* Hoc verbo primùm eos terret, qui ouium veſtimenta prætendunt, & in
ouili ſedent, cùm interim ſint lupi ſuo tempore eijciendi, non enim omnes oues ſunt, qui in
ouili degunt. Hæc igitur meritò omnes pſeudochriſtianos terrere debent, quandoquidem
hi inter oues non agnoſcentur in iudicio vltimo; contrà hoc verbo pij valdè conſolantur; ſi-
quidem nihil magis hominem pium exhilarat, quàm cùm accedit, & videt Deum ſui curam
gerere, eſtque in his verbis obſeruandum, quòd non tantùm dicit, diligo oues meas, ſed cogno-
ſco, quod magnificentius eſt, hoc enim verbum cum ſignificatione dilectionis ſimul indicat af-
fectum compaſſionis, quaſi diceret, nō ſolùm diligo oues meas corde, ſed video, & obſeruo vbi
ſint, quid ipſis deſit, quidue patiantur, *& agnoſcūt me meæ.* Hoc verbo primùm impios illos re-
percutit, qui dixerant, *hunc neſcimus vnde ſit.* Vult autem dicere Chriſtus, quid enim quod
vos me non agnoſcitis, meæ tamen oues me agnoſcant, imò in eo, quod me non agnoſcitis,
nec ego vos agnoſco inter meas oues. *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili,* quaſi
dice-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A diceret, ſe non tantùm ad oues domus Iſrael miſſum, aut promiſſiones ad ſolos Iudæos pertinere, ſed etiam ad gentiles. Singula autem verba ſuam habent emphaſin, primò quanquam nondum vocati eſſent gentiles, tamen eos iam ſe habere dixit, vt oſtendat prædeſtinatos ab æterno; deinde oues nominat, qui adhuc in peccatis erant, nec paſtorem agnoſcebant, vt diſcamus nullum certo reprobatum dicere, propter pręſentem ſtatũ, cùm neſciamus quis futurus ſit. *Ouiũ ſecundum genus.* Tertiò, *non*, inquit, *ſunt ex hoc ouili*, hoc eſt, Iudæorũ populo, qui olim ſolus Dei populus erat, hoc igitur verbo conuerſis ex gentibus ſpes datur. Nunc enim non eſt Iudæorũ Deus tantùm, ſed & gentium. Quartò, *oportet me*, inquit, *illas adducere*; quanquam enim per apoſtolos vocati ſunt gentiles, tamen Chriſti potentia factũ eſt, quod crediderunt. Adducendas autem dicit, vt oſtendat, non ſatis eſſe, quod oues ſimus, niſi etiam in vnitate eccleſię permaneamus. *Et fiet vnũ ouile, & vnus paſtor.* Hinc nonnulli colligere voluerunt poſt nouiſſimam iudicij diẽ omnes tam bonos, quàm malos, ſimul in vnũ æternæ vitę locum congregandos eſſe, ſed falsò colligũt; non enim dixit Chriſtus omnes homines in vnũ ſtabulum congregandos, ſed fiet vnum ouile. Ad ouile autem, vt ſuprà dictum eſt, nec canes, nec hirci, nec porci admittuntur, ſed ſolæ oues.
B Patet igitur, quod locus hic non de malis, ſed tantũ de bonis eſt, qui oues dicuntur, hucq; pertinet, quod Chriſtus dicit, in iudicio oues ab hædis ſeparandas, & aliud iudicium ouium, aliud hædorũ futurum; Tantum abeſt, vt in vnum ouile omnes congregentur; quomodo igitur poſſet eſſe vnum ouile bonorum, & malorum? Igitur aliæ illæ oues gentes incircumciſæ ſunt, quæ nõ ſunt ex ouili Iudæorum, non.n. habebant teſtamenta, non erant de progenie patriarcharum, alieni erãt à Chriſto &c. Nihil igitur vult aliud Chriſtus hoc verbo, quàm quòd paries ille inimicitiarum, qui hactenus Iudæos à gentibus ſegregauerat, demoliendus eſſet, omniumq; electorum, ſiuè è Iudæis, ſiue è gentibus futura eſſet vna eccleſia. *Sed vos non creditis, quia nõ eſtis ex ouibus.* Veriſſimè autem ſic Iudæis dixit, huiuſmodi enim ouium ſimplicitas docilis eſt, at illi animos habebant ambitione turgidos, odio fermentatos, liuore corruptos, auaritia, varijſq; mũdi cupiditatibus infectos, ac planè diuerſos ab ouium ſimplici natura. *Oues meæ vocem meã audiunt.* Non fruſtra repetit ouium, & paſtoris conditiones. Chriſtum enim paſtorem eſſe, & nos oues, egregia conſolatio eſt in aduerſis, vt ſuprà dictum eſt. Vocem autem paſtoris Chriſti oues audiunt non tantùm aure corporis, ſed etiam fide, & amore. *Et ſequuntur me*, fide ſcilicet,
C ſpe, & charitate, itemq; deſiderio, moribuſq; abnegatione ſui ipſius, & geſtatione crucis, deniq; & contemptu omnium terrenorũ. Hæc eſt vera Chriſti ſequela, hæc via ad cælum, per quã qui Chriſtum non ſequitur, nõ eſt eius ouis. Congrųè ergo etiam Incognitus in pſalmos explicans illud pſalmiſtæ: *Et elegit Dauid ſeruum ſuum & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fętantes accepit eum*, myſticè ait ſignificari, quòd Chriſtus à Iudæis ad gẽtes tranſlatus eſt, quod ſic, inquit, gloſſa deducit: Dauid ad literam ex paſtorali officio pecudum ad regimen hominũ tranſlatus eſt. Chriſtus verò ex hominibus ad homines, ideſt, à Iudæis, ad gentes: Iudæi enim primò erant oues fœtantes, dum præcepta legis ſeruabant. Qui modo præter Chriſtum Saluatorem noſtrum boni paſtores dicendi ſunt, docet D. Auguſtinus in explicatione eorundẽ Euãgeliſtę, atq; apoſtoli verborum. *Paſtores boni qui prę-ter Chriſtũ.* Quid, inquit, Petrus? Nonne bonus paſtor? nonne & ipſe animam pro ouibus poſuit? Quid Paulus? Quid cęteri apoſtoli? quid eorum tempora conſequentes beati Epiſcopi martyres? Quid etiam iſte S. Cyprianus? Nonne omnes paſtores boni? non mercenarij, de quibus dicitur, *amẽ dico vobis perceperunt mercedem ſuã.* Omnes ergo iſti paſtores boni, non ſolùm, quia ſanguinem fuderunt, ſed quia pro ouibus fuderunt, non enim fude-
D runt elatione, ſed charitate. Nam & apud hæreticos, qui propter iniquitates, & errores ſuos aliquid moleſtiarum perpeſſi fuerint, nomine martyrij ſe iactant, vt hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi ſunt. Si autem vultis ſcire, in quo numero habendi ſunt, paſtorem bonũ Paulum apoſtolũ audite: *Quoniam non omnes, qui corpora ſua etiã ignibus tradunt, æſtimandi ſunt ſanguinem fudiſſe pro ouibus, ſed potiùs contra oues*, &c. *1. Corinth.* Sed adhuc iſtos non tetigit, qui falſi martyrij nomine in paſſionibus gloriantur. *13.* Audite, vt eos tangat, imò vt transfodiat: *Si diſtribuero*, inquit, *omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil prodeſt.* Ecce venitur ad paſſionem; ecce venitur ad ſanguinis effuſionem, venitur & ad corporum incenſionem, & tamen nihil prodeſt, quia charitas deeſt, adde charitatem, proſunt omnia, detrahe charitatem, nihil proſunt cætera. Quomodo autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam conuictus, non amat vnitatem? Hanc dominus vnitatẽ commendans paſtoribus bonis, non commendans bonos paſtores, noluit multos appellare paſtores. Neq; enim, vt dixi iam, nõ erat paſtor bonus Petrus, Paulus, apoſtoli cæteri, poſteriores Sancti epiſcopi, beatuſque Cyprianus. Omnes hi paſtores boni, & tamen ille paſtoribus bonis nõ commendauit paſtores bonos, ſed paſtorem bonum. *Ego ſum*, inquit, *paſtor bonus.* Quid di-

cis domine bone paſtor? Tu enim bonus paſtor, qui bonus agnus: Idem paſtor, & paſcua: Idem agnus, & leo. Audiamus, & adiuua, vt intelligamus, *Ego ſum*, inquis, *bonus paſtor*, quid Petrus? Aut non paſtor, aut malus? Videamus, ſi non paſtor. Tu ei dixiſti domine, *amas me*, & reſpondit, *amo*, & tu ei, *paſce oues meas*. Tu domine interrogatione tua firmamento oris tui amatorem feciſti paſtorem. Paſtor eſt ergo, cui paſcendas oues credidiſti. Videamus ergo vtrũ non bonus. Ipſi id interrogatione, & reſponſione eius inuenimus. Quæſiſti, vtrum amet te, reſpondit, amo. Vidiſti cor, quia verum reſpondit; non eſt ergo bonus, qui amat tantum bonum? Ergo & paſtor, & bonus paſtor, nihil quidem ad poteſtatem, ac bonitatem paſtoris paſtorum, ſed etiam ipſe & paſtor & bonus, & cæteri tales paſtores boni. Quid eſt ergo, quod paſtoribus bonis commendas vnum paſtorem, niſi quia in vno paſtore doces vnitatem; & exponit apertius ipſe dominus per miniſterium noſtrum ex ipſo euangelio commemorans charitatem veſtram & dicens: audite quid commendaui, ego ſum paſtor bonus, dixi, quia omnes cæteri, paſtores boni membra mea ſunt. Vnum caput, vnus ſpiritus, vnum corpus; Ergo ipſe eſt paſtorum paſtor, & paſtores multi ſunt, vnius paſtoris, & oues cum paſtoribus ſunt ſub paſtore. Quid ſunt hæc niſi, quod dicit apoſtolis, ſicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, vnum eſt corpus, ſic & Chriſtus; ergo ſi ſic & Chriſtus, merito Chriſtus in ſe habens omnes bonos paſtores, vnum commendat, dicens: *Ego ſum paſtor bonus*, Ego ſum, vnus ſum, mecum in vnitate omnes vnum ſunt, qui extra me paſcit, contra me paſcit, ergo audite ipſam vnitatem vehementius commendatam; *Habeo*, inquit, *alias oues, quæ non ſunt de hoc ouili*. Loquebatur enim primo ouili de genere carnis Iſrael. Erant autem alij de genere fidei ipſius Iſrael, & extra adhuc erant in gentibus. Erant prædeſtinati, nondum congregati. Hos nouerat, quos prædeſtinauerat, nouerat, qui redimere ſanguine ſuo fuſo venerat, videbat eos nondum videntes eum, nouerat eos, nondum credentes in eum, *habeo*, inquit, *alias oues, quæ non ſunt de hoc ouili*, quæ non ſunt de genere carnis Iſrael, ſed tamen non erunt extra hoc ouile, quia oportet me adducere eas, vt ſit vnus grex, & vnus paſtor. Meritò huic paſtori paſtorum, amata eius, ſpõſa eius, pulchra eius, ſed ab ipſo pulchra facta, prius peccatis fœda, poſt indulgentiam, & gratiam formoſa, loquitur amans, & ardens in eum, & dicit ei, vbi paſcis? Hæc & alia Auguſtinus. Iudocus Clichtoueus parte prima tripartitarum quę peculiariter eſt de tempore, dominica ſecunda poſt paſcha, ſermone ſecundo ait Euangeliſtam exprimere conditiones boni paſtoris, & præſertim tres in præſenti euangelio, eaſdem integrè, & plenè obſeruaſſe: Primamque eſſe, quod bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis, & pro earum defenſione propriam vitam exponit periculo mortis, quod certè ipſe Dauid, cùm paſceret gregem patris ſui, feciſſe legitur: nã cùm veniret leo, ſimiliter, & vrſus, & tolleret arietem de grege, perſecutus eſt eos, & apprehendit mentum eorum, & dilacerauit eos, ſicut hædũ caprarum, in qua hiſtoria per Dauid, inquit, intelligitur Chriſtus, qui totum genus humanũ, vt gregem ſui patris æterni cuſtodiuit, per leonem verò, & vrſum intelligitur diabolus, qui non vnum arietem, ſed totam humanam propaginem ſuſtulerat, & induxerat in captiuitatem, & mortem ęternam. Chriſtus verò ſua patientia, humilitate, & obedientia debellauit hunc ferocem leonem, & vrſum ſæuientem, & eruit oues ſuas de faucibus eius, mortem Crucis perferendo, vt gregem ſuum viuificaret, & libertati reſtitueret. Et ergo rectè ait de ſeipſo in hoc euangelio, vt oſtendat ſe hanc primam boni paſtoris cõditionem habere, *Et animam meam pono pro ouibus meis*. Secundam boni paſtoris cõditionem eſſe idem ſcribit, quod cognoſcat oues ſuas, & ſciat eas diſtinguere, ac internoſcere ab ouibus alienis. Quod vt faciliùs, inquit, faciat, & commodiùs, aliquod facit ſignum viſibile in ouibus ſuis, aut in fronte, aut in latere, per quod ſtatim cognoſcit oues ſuas, & diſtinguit ab alijs, ne per errorẽ alias pro ſuis capiat, aut alij ſuas ſibi vſurpent. Sic & Chriſtus cognoſcit oues ſuas, ideſt approbat, & gratas habet, & illis ſignum impreſſit ſpirituale, ſcilicet characterem baptiſmi cum ſignaculo charitatis poſito in animabus ſuarum ouium. Per quod ſignum oues Chriſti diſtinguuntur ab alijs, quæ non ſunt de numero gregis ſui, & quas in euangelio Math. profitetur ſe neſcire. Hanc autem ſecundam conditionem Chriſtus in præſenti euangelio demonſtrat ſe habere, cùm ait, *& cognoſco oues meas*. Tertiam boni paſtoris conditionem eſſe, quod ſuas oues diſperſas & aberrantes debet cum magna ſedulitate colligere, & reducere in caulam, ne fiant in prædam feris, ac lupis. Quod certè & Chriſtus plenè, inquit, eſt executus: Nam gentiles aberrantes per cultum idolorum, voce, ac miniſterio ſuorum apoſtolorum reduxit in ſuum ouile, ſcilicet ſanctam eccleſiam, & ex eis, atq; Iudæis compoſuit vnum ouile integrum, ſcilicet vnam eccleſiam catholicam. Et idipſum verbis atteſtatur in præſenti euangelio: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili* (*ſcilicet gentes*, quæ non ſunt de ſynagoga Iudæorum) *& illas oportet me adducere, & vocem meam audient,* (per

B. Petrus an bonus paſtor.

Chriſtus paſtorum paſtor.

Oues alterius ouilis.

Paſtoris boni conditio-

1. Reg. 7.

Chriſtus Dauid.

Diabolus leo & vrſus.

A (per prædicationem apoſtolorum) *& fiet vnum ouile, & vnus paſtor:* Chriſtus, qui præſidet illi
ouili eccleſiæ ſcilicet ſuæ ex Iudæis, & gentibus collectæ. Ait item præſentem ſermonẽ in duas
partes diuidi, primam oſtendere, quomodo ad imitationem Chriſti habẽs in eccleſia directio-
nem aliorum, debeat eſſe bonus paſtor, & non mercenarius. Secundam verò, quomodo fideles
ſubditi præpoſitis eccleſiaſticis debeant eſſe oues paſcuæ domini, & ex ouili Chriſti. Ad primã
huius diuiſionis expediendam partem, vt rector animarum, & fidelis populi in eccleſia ſit ve-
rus, & bonus paſtor, oportere, quòd ad imitationem Chriſti tres boni paſtoris conditiones ha-
beat, quos iam declarauimus, Chriſtum in ſe egregiè habuiſſe. Primò ſiquidẽ id requiri, quòd
ponat animam ſuam pro ouibus ſuis in hunc modũ; Quod ſi veniat tyrannus perſequens oues,
vt abducat eas à fide; & violenter opprimens, vt eas inducat ad mala perpetranda, debere ipſũ
paſtorem reſiſtere improbis conatibus illius perſecutoris, & vitã ſuam exponere periculo mor-
tis pro ſalute ouium ſuarum, ſi illud expedire, & prodeſſe, cognoſcatur. Similiter ſi veniat hære-
ticus, tanquam lupus vorax ad gregem fidelium, vt eos ſubuertat prauis ſuis dogmatibus, &
abducat in errorem peſtiferis ſuis perſuaſionibus, debere ipſum paſtorem toto conamine reſi-
B ſtere talibus hæreticorum moliminibus, &, vt docet Ezechiel, ſe murum opponere pro domo *Cap. 13.*
Iſrael, ideſt, pro eccleſia, atque ſtare ex aduerſo inſuperabili animi conſtantia, vt non ſolum bo-
na ſua temporalia, ſed & ſeipſum exponat vitæ diſcrimini, ac diſpendio, vt ſaluet gregem ſuum
ab huiuſmodi luporum rapacium inuaſione, ac morſibus. Secundò oportere eum paſtorem ec-
cleſiaſticum cognoſcere oues ſuas non quidem ſolùm cognitione ſenſibili, quæ eſt ex facie, ſed
cognitione intellectuali, quæ eſt per notitiam conditionis vitæ, & qualitatis ouium ſuarum, vt
diligenter attendat earum mores, & genus viuendi, & vbi opus eſt, adhibere remedium placi-
dæ admonitionis, aut ſeueræ increpationis ad aliquam ſuarum ouium, non diſſimulet, nõ oſci-
tanter negligat, aut negligenter prætereat hoc pium medicationis opus, ſed vigilanter, & in-
cunctanter adhibeat. Quod & Salomon in prouerbijs admonet dicens; *Diligenter agnoſce vul-* *Prouerb.*
tum pecoris tui, tuoſque greges cõſidera. Siquidem paſtor ouium mutarum, & irrationalium di- *27.*
ligenter ſtudet ſuum cognoſcere gregem, & ſi quam ouium ſuarum viderit morbidam, & ęgro-
tam, confeſtim illi adhibet manum medicatricem, & apponit cataplaſmata ad illi ſanitatem
reſtituendam. Quid ergo facere, inquit, debet paſtor ouium rationalium, pro quibus Chriſtus
C mortuus eſt? Nonne diligenter agnoſcere vultum interiorem, & animum, atque mores ſuarum
ouium? Et ſi quam inuenerit laborantem graui morbo, ſcilicet peccato mortifero, continuò illi
adhibere conuenientem medicinam, ſcilicet ſalutarem doctrinam, admonitionem lenem, aut
duram reprehenſionem, ſecundum qualitatem, & genus mali, quo ouis illa lãguida premitur.
Tertiò neceſſarium eſſe aſſerit, quod paſtor dominicus oues ſuas diſperſas colligat, & reducat
ad ouile ſuum, vnde aberrarũt. Diſpergi autem oues paſcuæ domini per diuerſa vitia in deuia,
& vias obliquas. Aliquas per ſuperbiam ad honores, & principatus huius mũdi; Alias per aua-
ritiam ad opes, & poſſeſſiones terrenas, alias verò per luxuriam ad ſpurcitias voluptatum car-
nis, & ita de alijs peccatorum generibus, per quæ relinquunt homines viam rectam domini
quæ ducit ad vitam, & ambulant per vias obliquas, quæ ducant ad perditionem. Itaque paſto-
rem eccleſiæ, ſi quas ouium ſibi commiſſarum viderit diſperſas à ſuo grege, & aberrantes ab
ouili dominico per grauia peccata, quæ ſeparant hominem à Chriſto ſummo paſtore, debere
ſedulam adhibere curam, vt huiuſmodi oues quærat, & reuocet atque reducat in viam rectam
per ſtudium, & diligentiam crebræ ſolicitationis ad bonũ, ac admonitionis manſuetæ, ac dul-
D cis. Et certè ea in re debere imitari exemplum illius paſtoris euangelici in parabola apud Lu-
cam deſcripti: *Qui cùm haberet centum oues & vna ex eis perijſſet, dimiſit nonaginta nouem oues* *Luc. 15.*
in deſerto, & iuit ad perquirendam ouem perditam, quam cùm inueniſſet, ſuſtulit eam in humeros
ſuos, & reportauit ad ouile ſuum, conuocanſq; amicos ſuos, & vicinos ait, illis. Cõgratulamini mi-
hi, quia inueni ouem meam, quam perdideram. Sic ſane debere paſtores domini deperditas oues
ſuas quærere, & cùm inuentæ fuerint, & reductæ ad ſuum gregem, de earum recuperata ſalute
gaudere. Quod ſi quis has tres boni paſtoris conditiones non ſeruauerit, eum non paſtorem,
ſed mercenarium eſſe, de quo dicit B. Gregorius in homilia euangelij eiuſdem: Mercenarius
eſt, qui locum quidem paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, terrenis cõmodis inhiat, *Mercena-*
honore prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſa ſibi ab hominibus reueren- *rius qui.*
tia lætatur. Hæc Gregorius. Et huiuſmodi mercenarius ſi videt lupum venientem, ſcilicet ty-
rannum perſequentem, aut hæreticum ſubuertentem, aut diabolum dilaniantem oues ſibi cõ-
miſſas, fugit non præſtando auxilium ouibus ſuis contra huiuſmodi tentationes, & inſultus lu-
porum, quoniam duntaxat lanam quærit ſuarum ouium, & temporale lucrum, quare non de
tali mercenario, ſed de vero paſtore Chriſto dictum eſt in themate aſſumptò in principio, *Ego*
ſum

ſum paſtor bonus &c. Pro ſecunda parte huius ſermonis abſoluenda, id animaduertendum eſſe E
Fideles cur oues dicti. ait idem Iodocus, quod fideles in ſacra Scriptura vocãtur oues, in multis locis propter aliquas
proprietates naturales, quæ ſunt in ouibus, & quæ ſpiritualiter nobis debent conuenire: Eſt
enim imprimis ouis animal ſimplex, nihil doli, aut fraudis meditans; ſic & nos oportet, inquit,
in ſimplicitate cordis ambulare, & omnem fraudulentam duplicitatem reijcere, ſicut nos ad-
monet Chriſtus in euangelio Math. dicens: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut*
Math. 10. *columbæ:* Vnde & B. Iob, inter cætera virtutum præconia laudatur, quòd erat vir ſimplex, &
rectus, ac timens Deum, ac recedens à malo. Secundò ouis hanc habet proprietatem, quòd na-
turaliter fugit lupum tanquam capitalem vitæ ſuæ hoſtem: Sic & nos diabolum (qui inſidia-
tur animabus noſtris, vt eas rapiat, & deuoret) ſummopere fugere debemus, prauis illius ſug-
geſtionibus non acquieſcendo, & opera eius (ſcilicet peccata) ſtudioſè deuitando. Tertiò ouis
eſt animal vtile & fœcundum; nam ſubminiſtrat lac vſui humano, & lanam ad componendas
veſtes. Hinc dicit B. Auguſtinus argutè: Quod ouis implet præceptum euangelicum, quia de
duabus ſuis tunicis dat vnam non habenti. Inſuper & ouis agnellos parit, & multiplicat fœtus
ſuos etiam ad hominum commoditatem: Sic & nos pio animi affectu debere indigentibus li-
Paſtoribus quibus obediendum. benter alimenta ſubminiſtrare, & indumenta, quibus ſuæ ſuccurrant neceſſitati. Debere, &
fœcunditatem bonorum operum nobis comparare, quæ tanquam ſpirituales fętus edamus, &
proferamus in lucem, ne inueniti ſteriles in cõſpectu Dei incurramus æternam maledictionem.
Quartò ouis eſt animal obediens, & facile dirigibile ab homine. Quidquid enim iubetur age-
re, mox exequitur, ſi ſtabulo ſit exeundum, protinus exit, ſi redeundum ad ſtabulum, continuò
reuertitur quocunque ducitur, promptè vadit, nec vnquam recalcitrat ſuo ductori, vt faciunt
equi, & alia animalia ferocia, atque rebellia: Sic & nos ſi oues paſcuæ domini eſſe volumus,
obedientiam imprimis præſtare debemus Deo, deinde prępoſitis noſtris eccleſiaſticis, nec non
regibus, principibus & magiſtratibus, hi enim omnes ſunt paſtores noſtri ex officio ſibi cõmiſ-
ſo, dirigentes nos in viam ſalutis æternæ. Debemus itaque alacriter, & prompto animo ſequi
eorum ductum, nec vnquam eorum iuſſis obmurmurare. Quintò ouis eſt animal parcum in vi-
ctu, & ſobrium, paruis enim paſcuis eſt contentum, & expenſis modicis educatur: quod ex ſolo
ſuæ naturæ habet inſtinctu, & naturali conditione: Quid igitur facere debet homo, qui eſt ra-
tione præditus? Certè hanc laudabilem ouis proprietatem, parſimoniam ſcilicet, & ſobrietatē, ſiquidē,
Parſimoniæ laus. obnixè amplecti, & capeſcere: Nam ex ea, & humani corporis, & animæ pendet ſalus, & vtilis: vnde &
teſte B. Hieronymo, cibus, & potus moderatus & animæ, & corpori humano eſt vtilis: vnde &
Eccleſiaſticus ait: *Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam; in*
Eccleſ. 37. *multis enim eſcis erit infirmitas.* Et rurſus: *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens*
eſt, adijcit vitæ. Sextò ouis animal eſt pacificum, manſuetum, & quietum, cùm enim tondetur, neque re-
cùm mulgetur, cùm ad occiſionem ducitur, obmuteſcit, & non emittit vocem, neque re-
ſiſtit contrectantibus. Sic ſanè ſi de ouili domini eſſe volumus, nos pacificos eſſe oportet: *Beati*
enim pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Nos etiam manſuetos eſſe congruit, quoniam *exal-*
tabit Dominus manſuetos in ſalutem, & eſt ſuſcipiēs manſuetos dominus, vt ait propheta in pſal-
mis. Denique nos quietos eſſe oportet more ouium, non iracundos, aut turbidos, debet nam-
que omnis homo, vt ait B. Iacobus, eſſe tardus ad iram, nam ira viri iuſtitiam Dei, inquit, non
operatur. Cæterùm in hoc præſenti euangelio tria poni ſigna aſſerit idem Iodocus, per quæ in-
ternoſcuntur oues Chriſti ab alienis, primum ſignum eſſe, quod oues Chriſti cum cognoſcunt,
vt ſuum paſtorem: *Cognoſco*, inquit, *oues meas, & cognoſcunt me meæ.* Cognoſcere autem non
Ouium Chriſti ſigna. ſolùm per fidem, ſed etiam per bonæ operationis ſtudium, idque ſic declarare B. Gregorium in
homilia huius euangelij: Videte, inquit, ſi oues Chriſti eſtis; videte ſi eum cognoſcitis, videte
ſi lumen veritatis ſcitis: Scitis autem, dico, non per fidem, ſed per amorem; ſcitis dico nõ ex cre-
delitate, ſed ex operatione. Nam idem ipſe, qui hæc loquitur Ioannes euãgeliſta alibi teſtatur
dicens; *qui ſe dicit noſce Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & veritas in eo non eſt.*
Hæc Gregorius. Et B. Paulus ad Titum de improbis loquens ait; *Confitentur ſe noſce Deum, fa-*
ctis autem negant. Secundum ſignum ouium Chriſti eſſe, quod ſequuntur ſuum paſtorem per
imitationem virtutum eius exercitium, & diligentiam. Paſtor, inquit Chriſtus, ante oues ſuas
vadit per bonæ vitæ exemplum, & oues illum ſequuntur imitando eius veſtigia; vnde B. Ioan-
nes in ſua prima epiſtola Canon. dicit; *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambula-*
uit, & ipſe ambulare. Qui ergo Chriſtum ſequitur in manſuetudine, patientia, & obedientia,
ac cæteris virtutibus, is pertinet ad oues Chriſti. Tertium verò ſignum, quo noſcuntur oues
Chriſti, eſſe quod audiunt vocem ſui paſtoris. *Oues*, inquit Chriſtus, *meæ vocem meam audiunt*,
non quidem ſolùm auditu auris corporis, ſed etiam auditu interiori, & mentis, atq; executio-
ne

A ne operis; beati enim sunt, vt ait æterna veritas, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, accommodando ad opus, quæ Christus voce sua fieri præcepit. Studeamus igitur solicitè esse de numero ouium huius pastoris optimi, vt tandem ab eo perducamur ad vberrima æternę vitæ pascua in regno cælorum. Id quod fieri non poterit nisi toto ex corde summum illum pastorem diligamus, qui nimirum D. Petro apostolo oues suas, siue agnos commissurus, primò ipsum ter interrogat, nunquid ab eo amaretur, non vt disceret, inquit Ambrosius, sed vt doceret, quem amoris sui velut vicarium relinquebat; non enim vult dominus suos agnos, vel oues committere, nisi illi, qui eum diligit, quos ipse tãtum dilexit, vt pro eis mori dignaretur, & ideo prius ecclesiæ pastorem interrogat, an se diligat, & sic postea ad pascendum suos agnos, & oues ei committit: Sicut enim fuit timoris indicium negare pastorem, sic est amoris officium pascere dominicum gregem. Vnde Chrysostomus; Si diligis me, inquit, præsiste fratribus, & feruentem amorem, quem per omnia demonstrasti, nunc ostende, & animam, quam dixisti, positurũ te esse pro me, hanc pro ouibus da meis, ostendens quanti appretiatur præsistentia propriarum ouium, & quoniam hoc est maximè eius, qui in ipsum est, amoris signum: Vnde & Gregorius: Si ergo signum dilectionis est cura pastoris, quicunque virtutibus pollẽs gregem Dei negligit pascere, summum pastorem conuincitur non amare. Vnde & Augustinus; Quid est aliud; *diligis me, pasce oues meas*; quàm si diceret; Si me diligis, non te pascere cogita, sed oues meas, & sicut meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam, damnum meum, non tuum, lucra mea, non tua. Vnde Bernardus; Non ociosè toties repetitum est, *Petre amas me*, in commissione ouium. Et ego quidem id significatum proinde puto, ac si illi dixisset Iesus; nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quod me ames, & valde perfectèque ames, hoc est, plus quàm tuos, plus quàm etiam te, vt trinæ repetitionis numerus (ter enim interrogauerat, nunquid eum amaret) impleatur; nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus vtique sanguis meus effusus est. Terribilis sermo, & qui possit etiam impauida quorumuis tyrannorum corda concutere &c. Vide quomodo dominus Christus committendo Petro pastorale officium ipsum ter examinat de dilectione, quia pastores ecclesię debent eum, ac etiam proximũ præ cæteris hominibus diligere, non ergo debet eligi quis in prælatum, nisi habitis certis signis & argumentis de dilectione eius erga Deum, & proximum, vnde Bernardus; annon incongruè de dilectione requiritur, qui pascendo gregi præponitur. Ille enim præesse debet alijs, qui vino charitatis inebriatus exæstuat, immemor sui, quę, vt nõ quærat, quæ sua, sed magis, quæ Iesu Christi. Attende etiam quod Dominus pastorale officium iniungit, trina examinatione præmissa, & ideo, qui ad hoc officium assumitur, prius examinari debet diligenter. Primò autem, & secũdò agnos imperfectos quodam lacte, & tertiò oues perfectiores solido cibo alendos Petro commisit, quia non solùm pastorem, sed & pastorum pastorem eum constituit; Sunt enim in ecclesia tria genera, seu tres gradus fideliũ, qui sicut agni, & oues in ecclesia sunt pascendi, scilicet incipientes & proficientes, qui quasi adhuc imperfecti agnorum, & perfecti, qui nomine ouium possunt intelligi, & bis dictum est, pasce agnos meos, sed semel, pasce oues meas, quia infirmi, & adhuc tenelli in fide ampliori pastorali cura, & solicitudine indigent, quàm fortiores, & grandiusculi, qui se regere valent, nec tanta cura egent. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues, pascit filios, pascit & matres, quia regit & subditos, & prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos, & oues in ecclesia nihil est, nihil, inquã, quod suis pastoribus commiserit. Considera hic solitam domini charitatem, & benignitatem. Apertè enim vides; quomodo diligenter, & affectuosè imprimit, reiterat, & recommendat Petro animas nostras, ter enim interrogans eum de amore, ter subiunxit pasce. Non dicit ei tõ-
D de, mulge, macta, & manduca, sed dicit tribus vicibus pasce, scilicet pane doctrinæ, & sanctæ prædicationis verbo, vitæ, & honestæ conuersationis exemplo, & temporalis vitæ subsidio. Ter ergo dictum est pasce, ad significandum, quod habens curam animarum debet subditos pascere pastu triplici, scilicet verbi dei, & boni exempli, & prout potest temporalis subsidij. Thomas Bozius Eugubinus congregationis Oratorij presbyter scribit antea pares fuisse apostolos cum Petro, vbi verò Petro dictum: *Pasce oues meas*, apostolorum pastorem, & omnium Christi ouium, nec amplius parem, sed maiorem constitutum fuisse, & ab vno ipso aliorum apostolorum potestatem manasse, additque Christum dixisse, pasce, non, pascas, aut aliquid simile, quod respiciat futurum tempus, quoniam eo tempore nullæ aliæ Christi oues erant, nisi apostoli, ac nonnulli præterea discipuli, in quibus præcipui Septuaginta duo, quamuis vbi hæc Christus dixit, non adfuerint, nisi apostoli; In primis igitur apostolorum curam, & gubernationem Petro commissam. Ita hic obseruare Euthymium & Bernardum lib. 2. de consideratione ad Eugenium, Chrysostomumque, cuius hoc in loco inter alia, hæc sunt verba; Quòd si quis percun-

ctaretur,

Deum esse amandum.

Homil. 87. in Ioan.

Lib. 5. epistol. 5.

Tract. vlt. in Ioann.

Serm. 76. in cantic.

Serm. 23. in In prælatũ assumendus qui.

Qui agni nomine, & qui ouium, intelligantur.

Lib. 18. de Petri Cathedra.

Petrus quãdo apostolorum princeps factus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ctaretur, à quo Iacobùs ſedem Hieroſolymitanam acceperit, reſponderem hunc ab hoc orbis totius magiſtro præpoſitum: Et os erat apoſtolorum, & princeps, præterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit. Sed & origines Petro ſummam rerum de paſcēdis ouibus traditam: Arnobius Cyprianus ſuper eum vnum ædificatam eccleſiam, mandatamq; vt paſceret oues: Arnobius quam ſolus habuit Chriſtus, poteſtatem tributam: Chryſoſtomus eccleſiæ principatum, gubernationemque per vniuerſum mundum à Chriſto ei commiſſam: alij Græci profecturam totius orbis ei conceſſam, profitentur. Et quod ad apoſtolos ipſos attinet, obſeruandum Bozius eſſe ait, ter dictum paſce βόσκε τὰ ἀρνία, ποίμαινε τὰ πρόβατα, βόσκε τὰ πρόβατα. Nomine verò agnorum, qui primo loco paſci iubentur, Græcos intelligi perfectiores, ouium imperfectiores, vt ſciamus & apoſtolos & apoſtolis minores Petro commiſſos: ter interrogatum eſſe multis de cauſis. Hanc afferre Gregorium Tauroniniæ epiſcopum, quod ſpectant ad Petri gubernationem cuncti ſiue afferant fructum trigeſimum, ſiue ſexageſimum, ſiue centeſimum, & cùm ſit in latino ſemper, *paſce* in græco eſt βόσκε ποίμαινε: primò durius imperium, ſecundo mitius ſignificari, teſtari Græcos; Item obſeruandum nulli à Chriſto gubernationis munus commiſſum, niſi hoc locó. Audi, inquit, Ambroſium dicentem: per hanc itaque legem, quia iuſſit dominus Petro paſcere oues ſuas, & qua dedit ei poteſtatem paſcendi, iubet item vnicuiq; paſtori paſcere oues ſuas pro portione gregis cuique commiſſa, & attributa, & dat ei poteſtatem ſpiritualem paſcendi, nec enim alia lex eſt in euangelio, per quam poteſtas ſpiritualis gubernandi, & regendi animas, detur, niſi hæc. Huc vſq; Ambroſius, ex cuius verbis liquere ait Bozius apoſtolis nullam vnquam datam poteſtatem, niſi retinendi, ac ſoluendi peccata, prædicādi euangelium, & baptizandi: At condendi leges, inſtituendi epiſcopos, & alia id genus ſpectantia ad poteſtatem gubernandi, nullibi ius datum, hoc ſoli Petro commiſſum tanquā principi apoſtolorum, ab eo in alios eſſe deriuatum. Præterea dictum eſſe oues, & agnos, vt oſtendat plenam Petri poteſtatem. Nullum namq; animal, inquit, eſt in poteſtate gubernantis ita poſitum ſicut agnus, & ouis, ideo Dauidem dixiſſe; *qui regis Iſrael intende, qui deducis velut ouem Ioſeph, & deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron*. Sic & ab antiquis reges ſuos vocari ſolere ποιμένας, vt eſt apud Homerum. Neque verò ouem vſquam tutò, aut benè eſſe, niſi è præſcripto paſtoris. Huc ſpectare illud eiuſdem Dauidis: *Erraui ſicut ouis, quæ perijt, quare ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus*. Paſtorem oues ducere ad paſcua, quæ velit, & quando, & quà libet, & quanto libet tempore ibi continere, reducere, includere in caulas, tondere, curare, morbidas à cęteris ſeiungere & ſimilia his agere, de quibus latè Ezechiel, & Nazianzenus. Poſtremò adducit authoritatem Leonis Imperatoris cognomento Sapientis, qui ſoli Petro oues paſcendi poteſtatem datam fuiſſe à Chriſto aſſerit his verbis; Poſt reſurrectionem ter Petrum percunctatus an ab eo diligeretur, ouium ſuarum principem paſtorem conſtituit, deditque ei paſcendi poteſtatem, petens ab eo paſcendi curam, tanquam vicem redamandi. Idcirco enim aiebat, amas me? paſce agnos meos. Petrus verò cùm intelligeret principatum illum magnum eſſe, & magnis indigentem viribus, videretque Ioannem ſequentem, illum dico, quem vehementer Chriſtus amabat, *hic*, inquit, *quid*? quod perinde erat, quaſi diceret, me ne præfici vis caput diſcipulis, hunc verò à te dilectum, qui voluit ſedere ad dexteram, & matrem præmiſit, quæ peteret vt vnus ſederet ad dexteram, hic, inquam, quid facere his iubes? Ne igitur erroris occaſionem aliqui arriperent, quod omnibus diſcipulis communiter dixiſſet, *quæcunq; ſolueritis*, & quæ ſequuntur, reſpōdet dominus quaſi increpans Petrū, ſic *eum volo manere, donec rurſus veniam, quid ad te?, tu me ſequere*, ideſt, ſequere me hoc baculo paſtorali, & ſicut ego cùm eram vobiſcum, ſeruabam vos, vt pater veſter, & caput, ac magiſter vigilans pro vobis, ſic tu mei loco eſto, & ſequere me, principatu iſto, & poteſtate fratres tuos confirmans. Te enim volo eſſe loco meo &c. Nunc de populi erga prælatos dicamus officio; de hoc itaque Iodocus Damhauderius in parænesibus ſuis chriſtianis, ſiue locis communibus ad religionem, & pietatem Chriſtianam pertinentibus, loquens, in hæc ferè verba tradit, quomodo ſcilicet ſeſe communis populus regere debeat erga ſpirituales prælatos, exēplo ouis præbentis paſtori neceſſaria, id nos doceri inquiens. Agricolæ, inquit, operarij, opifices, & huius generis omnes vulgares, cùm non porrigunt ſacerdotibus neceſſaria, efficiunt, vt pro bonis habeant malos paſtores. Si enim ſuo paſtori non lac, non lanam ad vitæ ſubſidia referunt, vel paſtor relicto grege ad aliam vitæ conditionem dilabitur, vel penuria conficitur, & curam gregis abijcere compellitur. Etenim Scriptura ſacra tam veteris, quàm noui teſtamenti, ſimplicem populum ouibus comparare conſueuit, oueſq; appellare, nec ſine cauſa, nam quemadmodum inter omnia animantia ouis magis eget cura paſtoris, qui eam ad paſcua ducat, reducat, regat, ſanet, à quo & tota pendet; Sic & populus maximè eget cura prælatorum ſpiritualium, à quibus

Græci agni erant.

Sacerdotib. eſſe neceſſaria preſtanda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A bus paſcatur,ducatur,regatur,ſine quibus reuera facilè periret ſalus populi. Ex natura igitur, & proprietate ouis facilè colligi poteſt, quod populus debeat ſuis prælatis ſpiritualibus, quos Scriptura ſolet vocare paſtores ouium,non rationis expertium,ſed ratione vtentium. Ouium itaque eſt,non præire,ſed ſuum ſequi paſtorem, non iubere, aut præcipere, ſed ſuo parere & obedire paſtori,illum audire,vocem illius agnoſcere,lac,& lanam illi ſuppeditare; ab illo paſcua accipere, & quo paſtor ducit, ad paſcua ire, alienum nequaquam ſequi, quia non nouit ouis,vt ait Chriſtus,vocem alienorum;non murmurare contra paſtorem,ſed patienter ferre,vt tonderatur, vt ducatur,vt regatur. Ad eundem ſanè modum ſe regere debet populus erga ſuos prælatos,& paſtores ſpirituales;nam populi eſt,non præire,ſed ſequi ſuos prelatos,& paſtores, quibus primò omnem debent honorem,ac reuerentiam haud ſecus,atque ſuis parentibus, illis aſſurgendo,cedendo, caput aperiendo, cum omni reuerentia, & manſuetudine alloquendo. Secundò pro prælatis ſpiritualibus oues,ac ſubditi orare debent, quemadmodum eccleſia pro Petro orabat,cùm eſſet detentus in carcere,ſicut ſcribitur in actibus apoſtolorum,hincque eſt, quod Paulus à ſuis ſubditis toties pro ſe preces requirit. Tertiò in his,quæ fidem,& mores concernunt,omninò, ac ſimpliciter ſuis prælatis obedire debent, propterea Paulus, *Obedite*, ait,
B *præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris,vt cum gaudio hoc faciant,& non gementes*. Quartò de prælatis ſuis bonam habere debent exiſtimationem tanquam de legatis,ac miniſtris Chriſti,neque de illis quicquam ſiniſtrè iudicare,quemadmodum de ſe,ac ſuis commilitonibus B.Paulus admonet dicens: *Sic nos exiſtimet homo,vt miniſtros Chriſti,& diſpenſatores myſteriorum*, &c. Quintò non debent de illis murmurare,dicebat enim idem apoſtolus; neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Sextò illis decimas iuraque omnia ex præcepto diuino ſoluere debent,& illis omnibus modis prouidere,vt habeant,vnde honeſtè viuant:Sic Abraham Patriarcha, vt ſcribit idem Paulus, decimas de præcipuis dedit Melchiſedech ſacerdoti Dei altiſſimi: Et aliàs idem ait: *Spiritualia vobis ſeminauimus, magnum eſt ſi carnalia veſtra metamus*. Et paucis interiectis: Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur,quæ de ſacrario ſunt,edunt?& qui altari inſeruiunt de altario participant? Hæc,& plura ille. Quod verò oues *Pſalm. 77.*
egeant paſtoribus,iiſdemque cordatis,indicat etiam pſalmographus his verbis; *Deduxiſti ſicut* *Oues egere*
oues populum tuum in manu Moyſi,& Aaron, fitque creberrima ouium in ſcripturis mentio, quo *paſtore quid.*
C minimè vulgarem in Deo erga ſuos eſſe cuſtodiam contemplemur,qui quidem cùm vniuerſalis ſit paſtor,vult tamen ſempiterno rerum ordine,ac ſerie,vt ſic dicam,primogenia,ac æterna, quemadmodum cæteras quoque res,ita homines in terris ſuos habere duces, & tutores,deduxit quidem dominus,vt hic canit vates,tãquam oues,ſolerti ſcilicet cura, ex Aegypto Hebręorum populum,verùm non abſque ducibus,& paſtoribus. Alioqui quò vulgus rude, atq; imbecille,vel millies diuino ab oraculo admonitum,ſuum direxiſſet iter per mare?,per ſolitudinẽ? per terram hoſtilem? Strenuiſſimus igitur illi datus fuit dux cum fratre Moyſes, quem cùm ex aquis aſſumptum interpretentur,Aaron autem fortitudinis montem,animarum ductores belliſſimè adumbraſſe non ignoramus. Aquas dicunt nonnunquam in ſcripturis vitæ huius afflictiones,aduerſamque fortunam,atque interdum cupiditatum profluuium prętendere. Da mi- *Aqua quid*
hi igitur animarum ducem nondum ab aquis aſſumptum,hoc eſt, adhuc aduerſis molliter re- *myſticè.*
luctantem,in perſecutionumque fluctibus fugacem,& fæminarum more eiulantem, aut in cupiditatum,libidinumq; volutabro ſeſe volutantem,idcirco in fide euiratum, emoriar ſi quam videris vnquam ex ouibus ſub tali paſtore diutius in domini paſcuis ritèque educari. Qui eiuſ-
D modi ſunt,aut Aegypti deſiderio contabeſcent miſeri,aut contempto Deo,atque eius religione vitulum ſibi pro Deo ex aureis vxorum inauribus delicatiſſimi (ſi Deo placet)paſtores conflabunt. Nihil enim in illis reperies,quod elumbe non ſit,effæminatum,putidum.Moyſe itaque ductore opus eſt, atque Aarone, viris ſcilicet in fide, doctrinaque ſpiritus robuſtis, firmatiſque in his, quæ ſolida ſunt, & perfecta. Non quidem in mundo ſaginario tanquam in amne fluitantes, aut turpiſſimis parentes affectibus, ſui vult eſſe gregis paſtores Deus. Quare ſi nonnullos inuenias iſtiuſmodi,de quibuſque Dominus ſic in Ieremia quęritur; *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam,conculcauerunt partem meam*, parendum illis quidem eſt cum delectu,ſimulque dolendum,quod adeo in immenſum noſtra creuerint ſcelera,vt meritò in nos illud dictum eſſe intelligamus; *Effæminati dominabuntur eis*. Qui verò ſint illi,qui Moyſen,aut Deum potius in terris referãt,hos breuiter deſignat Spiritus in vate illo; *Dabo*,inquit, *vobis paſtores iuxta cor meũ,& paſcent vos ſciẽtia,& doctrina:* Eſt & alia parabola ipſius Saluatoris apud D.Lucam de paſtore ex centũ,quas habebat,ouibus vnam perdẽte. *Quis ex vobis*, inquit Saluator, *homo qui habet centum oues,& ſi perdiderit vnam ex illis, nunquid demittet nonaginta*

nonaginta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

naginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum conuocat amicos, & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quæ perierat. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pænitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pænitentia. Quam parabolam cùm paulo aliter, vt cuipiam videri poſſit, recenſeat D. Matthæus his verbis: *Venit enim filius hominis ſaluare quod perierat: Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit? Et ſi contigerit, vt inueniat eam, amen dico vobis, quia gaudet ſuper eam magis, quàm ſuper nonaginta nouem, quæ non errauerunt* &c. Quæretur enim, vt inquit Toſtatus, an ſit eadem cum illa quam poſuimus ex Luca: Quidam id affirmant, quia vtrobique ſermo eſt de centum ouibus, nec non de vna aberrante, & nonaginta nouem conſeruatis: Alij contrà negant, propterea quòd aliqua ponuntur, quæ non ponuntur ibi, & è contrario; quia hic dicitur, ſic, *non eſt voluntas ante patrem* &c. quod ibi non ponitur; Ibi verò dicitur, *quod ſi inuenerit eam, imponit humeris ſuis*, quod hic non refertur, additurque ibi, quod conuocat amicos dicens: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem*, nec non, quod *gaudium eſt ſuper vno peccatore in cælo*, &c. quæ hic tacentur: At verò hic dicitur, quod reliquit nonaginta nouem in montibus, cùm ibi dicatur, reliquit eas in deſerto. Reſpondet Toſtatus, quod aut quæritur, an ſit eadem parabola, vel an ſit eadem narratio hic, & ibi. Certum autem eſſe eãdem eſſe parabolam, quia idem factum narratur, ſcilicet de centum ouibus, & de vna aberrante, & reperta, & de gaudio ſuper ea. Narrationem verò non eſſe eandem, Chriſtum enim iſtam parabolam ſæpe dixiſſe, ſicut etiam quædam alia ſæpe dicebat prædicando in diuerſis locis, & coram varijs auditoribus: Itaque factum in poſteriori, nam cùm Chriſtus hanc diceret parabolam de centum ouibus, id fecit coram ſolis diſcipulis, coram quibus ſtatuerat paruulum, vt colligitur ex tota litera præcedenti, & maximè ex eiuſdem fine, vbi concluditur poſt parabolam centum ouium ſic. Non eſt voluntas ante patrem veſtrum, vt pereat vnus de puſillis iſtis, atque ita adhuc puſillus erat coram Chriſto, quem ſuprà in medio ſtatuerat. Illud verò, quod dicitur in Luca, dicebatur publicanis, & phariſæis, vt patet ibidem videlicet: *Erant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum, & murmurabant ſcribæ, & phariſæi*, hic peccatores recipit, & manducat cum illis, & ait ad illos parabolam iſtam: *Quis ex vobis homo habet centum oues*, &c. patet item non eandem fuiſſe narrationem, quandoquidem eadem parabola ad diuerſos fines inducitur, hic ſcilicet ad oſtendendum, quòd non debeamus ſcandalizare, aut cõtemnere paruulos, per quod pereunt, quia venit filius hominis ad ſaluandum, quod perierat, & ideò non vult quod aliquis paruulorum pereat, ſed apud Lucam eadem oſtenditur, quòd benè agebat Chriſtus communicando cum publicanis, & peccatoribus in cibo, & potu, & alloquijs, vt ſic eos conuerteret ad pænitentiam, quia maius gaudium eſt de pænitentia peccatorum, quàm de iuſtis, qui non indigent pænitentia, ſicut gaudet inueniens ouem plus de ea, quæ perijt, quàm de nonaginta nouem, quæ non errauerant, atque ideo neceſſe eſt diuerſis temporibus dictum eſſe hoc & illud, & ita eſt eadem parabola repetita varijs temporibus, & locis, & coram diuerſis perſonis. Matthæus itaque nihil tacuit, & Lucas nihil omiſit: Cur verò pluribus verbis vſus fuerit Chriſtus apud hunc coram phariſæis, & ſcribis, quàm coram diſcipulis apud illum, hanc apparet eſſe rationem, quia volebat efficaciùs perſuadere: contra enim illos, qui difficulter, & non ſua ſponte loquentes audiunt, efficacioribus argumentis opus eſt. Vt igitur Chriſtus oſtenderet, quantoperè gratum ſit Deo reducere peccatores ad ſe per pænitentiam, ſummam diligentiam oſtendit, & magnitudinem gaudij illius, qui ouem errantem inuenit, ſcilicet quia præ gaudio imponit eam humeris ſuis, atq; inſuper gaudium ſuum ſolus non ſuſtinens, vocat amicos, & vicinos ſuos, & dicit eis: *Congratulamini mihi*, ideſt, gaudete mecum propter ouem inuentam. Non fuit autem neceſſe, vt tanta perſuaſione vteretur Chriſtus erga apoſtolos, qui vel ſimpliciſſimo eius verbo poſtquam id intellexerant, fidem adhibebant. Quæritur prætereà, quare dicatur, ſi errauerit vna, & non ponantur plures; reſponſio eſt ex eiuſdem Toſtati ſententia, aliquas rationes ſumi ex cortice ipſius parabolæ, alias verò ex conditione ſignificationis. Prima, inquit, eſt ad oſtendendum amorem paſtoris. Nam ſi eſſent centum oues, & errarent viginti, iam magno damno rerum ſuarum moueretur paſtor, vt illas quæreret, cùm de centum autem vna perit, quaſi nullum damnũ eſt, vt propter illud tantos labores paſtor ſubire deberet, quærendo ouem illam per deſerta. Atque ita potius agit ex amore, vt nõ pereat quicquam. Secundò vt ſit caſus veriſimilior; nam de centum poſſunt quidem violenter auferri viginti, aut plures, errare tamen non poſſunt, quia illa ouis errat, quæ non vidente paſtore à grege receſſit, quod de viginti ouibus gregis centum ouium fieri non poteſt, quia facilè videret illas paſtor. ca-

Cap. 18.

An eadem parabola.

Quare dicatur vnam erraſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cæteris segregari, & ita non errarent; posuit ergò vnam errantem, vt rem verisimilem tangeret. Tertiò, quia, vt dicitur apud Lucam, ad ostendendum amorem pastoris, imponitur ouis perdita hùmeris, & ad gregem reducitur, quod in vna oue fieri potest, in multis nequaquam, & ita non consonaret fini ad quem Christus adducit parabolam. Quartò, quia designatur magnum gaudium de inuenta oue. Si tamen oberrassent triginta oues de centum, non foret mirum si eis inuentis valdè gauderet, quia tertiam quasi partem sui gregis perdiderat. Cæterùm ita non gauderet ex amore rei inuentæ, sed propter lucrum, vel propter euitationem damni, quod incurrerat: Cùm autem inuenta vnica oue tanta est eius lætitia, vt plus de illa, quàm de omnibus, quæ non errauerant, gaudeat ex amore inuentæ ouis, vt non periret, agere videtur, & non ex cupiditate rei. Quintò, & pertinet ad radicem significationis, fuit hoc ad significandum valorem hominum: Nam per centum oues tota possessio Dei intelligitur, per errantem ouem, homo perditus per peccatum, accipitur, qui est quasi centesima pars possessionis Dei, quæ sententia est Ambrosij in Lucam. Diues pastor, cuius omnes nos centesima portio sumus, vt per hoc non superbiamus, quasi nos simus totum bonum, quod Deus

Cẽtum oues quid significent.

B possidet. Sextò, vt aliqui volunt, ad designandum causam perditionis: Nam ideo res perit, quia imperfecta efficitur, & ob hoc tam in parabola de decem drachmis, quàm in parabola de centum ouibus, vna deficit, quia ablata vnitate ab vtroque istorum numerorum, tollitur perfectio eorum. Sic dicit Rabanus. Nota verò, quòd vnum deest ad nouem, vt decem sint, & ad nonaginta nouem, vt sit centum: Variari ergo per breuitatem, & magnitudinem numeri possunt, quibus vnum deest, vt perficiantur: ipsum verò vnum sine varietate in se manens; cùm accesserit, cæteros perficit. Si autem tollerẽtur plures vnitates, posset accidere, quòd numerus maneret perfectus, vt ablatis decem, & nouem de centum, superessent octoginta & vnus, qui etiam perfectus numerus est, cum sit quadratus ex nouem consurgens: Ablata autem vnitate nullus numerus hic maneret perfectus. Etiam, quia vnitas est minimũ, per quod tollitur perfectio. Septimò fit ad ostendendum principalem causam, scilicet quod Christus venerit ad nos redimendum ex solo amore, & non propter aliquam suam vtilitatem: nam si fuissemus maior pars possessionis suæ, videbatur verisimile, quod vellet venire ad nos saluãdum: eramus autem centesima portio gregis sui, ideo quasi nullum damnum rerum suarum erat, quod nos perire-

C mus. Quòd verò venerit ad nos saluandum, ex amore fecit, & sic valdè ei tenemur, quia propter nos egit. Sed quæri poterit, quomodo inuẽta oue gaudeat pastor de illa plus quam de nonaginta nouem, quę non errauerunt, cùm scilicet plus gaudere deberet de non perditis. Dicendum secundum eundem Tostatum, non gaudere plus de illa, idest, magis placere possidere illã, quàm nonaginta nouem, quæ non errauerant, quia sic oporteret statuere, quòd ista sola ouis sibi haberetur pretiosior, & vtilior, quàm nonaginta nouem, quæ non aberrauerant, quod, inquit, falsum est, cùm sit portio centesima gregis, sed est sensus: habet pastor gaudium quoddam nouum de oue ista inuenta, quod non habet de nonaginta nouem, hæ enim semper manserunt in rebus suis cum non aberrauerint, ideoque quia de nouo non acquirit eas nullam habet causam gaudendi de eis nouiter; illam autem ouem, quæ aberrauit cùm putaret pastor esse perditam, & iam deesse rebus suis; nunc verò ea inuenta, quasi de nouo eam acquisiuisset specialiter super ea gaudet, & non de nonaginta nouem, similiter ac apud eundem Lucam legimus in parabola filij prodigi: Nam cùm hoc redeunte pater magnum celebraret festum, idque reprehenderet filius senior, quia semper seruiens patri, nun-

Cur una oue inuenta gaudeat pastor.

Parabola de filio perdito.

D quam ab eo accepisset, quo cum amicis suis gauderet, respondet pater, fili tu semper mecum es, & omnia mea, tua sunt, epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est; quasi dicat: ego magis diligo te quàm illum, quia omnia mea bona tua sunt, & non illius, & tamen non habeo aliquam causam specialiter, & nouiter gaudendi tecum, quia tu semper manes mecum, & nunquam te perdidi, sed de fratre tuo oportuit me nunc nouiter gaudere, & epulari, quia mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est, idest, habebam cum tanquam mortuum, & non credebam me amplius visurum, & nunc inueni eum: Ita de ouibus, quæ non errauerunt, nulla erat causa noua gaudendi, quia semper manserant in bonis pastoris, ouis autem perdita putabatur deesse bonis illius: cùm igitur inuenta fuerit, gaudebitur de ea, ac si nouiter accresceret bonis eius. Sed quæretur rursus, quomodo dixit, quòd pastor reliquit nonaginta nouem oues in montibus, vel in deserto, vt vadat quærere eam, quæ errauerat; videtur enim hoc ad imprudentiam pertinere, tot oues exponere periculo, vt vnica errans quæratur. Quispiã dixerit, hoc non esse inconueniens, quia illam vnicã plus quàm cęteras diligit, cùm videlicet dicatur, quòd

Quid sit vnicam ouẽ relictis alijs quærere.

ſi eam inuenerit, gaudet ſuper eam plus, quàm ſuper nonaginta nouem, quæ non errauerunt: E
Sed quod minus diligitur exponitur periculo pro eo, quod magis amatur. Quam ſententiam
refutat Toſtatus; quia, inquit, paſtor plus amat nonaginta nouem, quàm vnam, nec hoc quod
illi dicunt, litera aſſerit: adhæc ſi concedatur plus amare illam vnicam, quàm cæteras om-
nes, tamen non exponeret periculo nonaginta nouem pro vna, quia, qui quærit ouem erran-
tem, incertus nunquid eam ſit inuenturus, & dimittendo alias, vt errantem quærat, pericu-
lum eſt, vt cæteras perdat; Itaque, etiamſi vnicam illam magis amet, cæteras tamen pro ea
non exponeret. Quare dicendum putat, paſtorem quæſiturum ouem errantem non deſerere
cæteras ſine cuſtode, quia id dementia eſſet, nam & ipſæ errare poſſent omnes, aut à feris dila-
niari, ſed dimittere interea eas ſub alio cuſtode. Vt modò deueniamus ad ſenſum myſticum
huius parabolæ, Chriſtus, vt arbitratur idem Toſtatus, loquitur de redemptione generis hu-
mani perditi, quia in principio dicitur: *Venit filius hominis ſaluare quod perierat:* Sed quod pe-
rierat, inquit, non erat niſi genus humanum, nam licet quædam pars angelorum perierit, non
venit tamen Chriſtus, vt eam ſaluaret, neque ſaluauit, neque intelliguntur iſti angeli nomine F
ouis perditæ, quia ouis perdita reducta eſt ad gregem, & tamen angeli præuaricatores non re-
ducti fuerunt ad ordines, & ſtatum aliorum angelorum. Cùm ergo dicitur, quòd homo quidã
habebat oues centum, per hominem intelligitur ibi Deus, ideſt, tota trinitas, quia nomen iſtud
homo valde eſt commune, & transfertur ad multa in ſcriptura. Nam interdum Dæmon vo-
catur homo; *Inimicus homo ſeminauit Zizania:* Hoc enim loco exponitur homo diabolus.
Etiam Deus pater vocatur homo, vbi nimirum Chriſtus ait, *In ore duorum hominum eſt ve-*
rum teſtimonium; nam ad hoc aſſerendum, ait ſe non eſſe ſolum, ſed etiam patrem. Tota ergò
Trinitas eſt homo iſte, quia Trinitas beata eſt vnus poſſeſſor, & dominus omnium rerum.
Centum oues poſſunt intelligi omnia creata, quia omnia illa Deus fecit, & omnia eius ſunt.
Aptiùs tamen centum iſtæ oues accipientur pro omnibus creaturis rationalibus, quia iſtæ ſunt,
quæ perire poſſunt per actum proprium. Sic dicit Gregorius ſuper hoc eodem verbo: *Si fue-*
rint alicui centum oues. Hoc ad Chriſtum creatorem hominum pertinet: quia enim centena-
rius numerus perfectus eſt; ipſe centum oues habuit, cùm angelorum ſubſtantiam & hominum
creauit. Eadem eſt ſententia Cyrilli. De his centum ouibus vna errauit, ideſt, genus huma- G
num, quia vno homine peccante totum genus perijt, & ita errauit ab vnitate gregis dominici,
qui gloriam poſſidebat, aut poſſidere debebat. Eſt autẽ vna ouis, quia licet multi homines ſunt,
velut multæ oues (nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius) tamen quia vno homine erran-
te omnes perierunt, ſumus ſicut vnitas ad centum, ſic dicit Ambroſius: Diues paſtor, cuius nos
omnes centeſima portio ſumus. De hoc etiam Hilarius. Ouis autem vna homo vnus intelli-
gendus eſt, & ſub homine vno vniuerſitas ſentienda eſt: In vnius enim Adæ errore omne ho-
minum genus aberrauit. Et Gregorius ait: Vna ouis perijt, quando peccando homo paſcua-
lia vitæ dereliquit: Dicitur autem paſtor reliquiſſe nonaginta nouem, ideſt, omnes angelos
bonos, vt veniret ad quærendum ouem, quæ perierat, ideſt, hominem, non autem reliquit ve-
rè, cùm ipſe vbique ſit, ideo neceſſe eſt angelos, & quæcunque ſunt, ei præſentia fore, ſed reli-
quit eſſe per nouitatem, quam fecit, ſecundum quam cæpit eſſe ſimilis nobis, & diſſimilis an-
gelis: nam ad hoc quod Deus paſtor quæreret hominem perditum induit humanam carnem,
& viſibilis factus eſt, in quo nobis ſimilis factus eſt, & angelis diſſimilis, & ita illos reliquit; Si-
cuti etiam de Chriſto dicitur, quòd exjuit à patre, & venit in mundum, ideſt, aſſumpſit car-
nem, per quam aſſumptionem patri eſt diſſimilis & cætera. Dicitur autem, quòd reliquit oues
illas in montibus, ideſt, in locis excelſis, quia angeli boni in cælo manent, quos Chriſtus reli-
quiſſe dicitúr, vt veniret ad quærendum hominem perditum. Hæc eſt ſententia Gregorij.
D. Auguſtinus explicans hanc pſalmiſtæ ſententiam: *Omnia ſubieciſti pedibus tuis oues, & bo-*
ues vniuerſas, inſuper & pecora campi, etiam tradit, non ſolùm homines beatos, ſed etiam an-
gelicas creaturas ouium nomine ſignificari; videtur, inquit, relictis cæleſtibus virtutibus, &
poteſtatibus, & omnibus exercitibus angelorum, relictis etiam hominibus tantùm ei peco-
ra ſubieciſſe. Niſi oues, & boues intelligamus animas ſanctas, & innocentiæ fructum dantes,
vel etiam operãtes, vt terra fructificet, ideſt, vt terreni homines ad ſpiritalem vbertatẽ regene-
rentur. Has ergo animas ſanctas non hominum tantùm, ſed etiam omniũ angelorũ oportet ac-
cipere, ſi volumus hinc intelligere omnia eſſe ſubiecta Domino N. Ieſu Chriſto. Nulla.n. crea-
tura ſubiecta nõ erit, cui primates, vt ita dicã, ſpiritus ſubijciuntur. Sed vnde probabimus oues
poſſe accipi etiã ſublimiter beatos nõ homines, ſed angelicę naturę ſpiritus? An ex eo, q. domi-
nus dicit, ſe nonaginta nouẽ oues reliquiſſe in mõtibus, ideſt in ſublimioribus locis, & deſcen-
diſſe

De oue perdita myſtica explicatio.

Hominis nomẽ varium.

Centũ oues quid in hac parabola.

Quare totũ genus humanum per vnam ouem notetur.

Pſalm. 94.

Chriſtus, vt dicatur angelos reliquiſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A disse propter vnam? Si enim vnam ouem lapsam humanam animam accipiamus in Adam: Restat, vt nonaginta nouem relictæ in montibus non humani, sed angelici Spiritus intelligantur. Nam de boue facilis est expeditio huius sententiæ, quoniam ipsi homines non ob aliud boues dicti sunt, nisi quod euangelizando verbum Dei angelos imitarentur, vbi dictum est: *boui trituranti os non infrenabis*: quanto igitur facilius angelos nuncios veritatis boues accipimus, quam quando euangelistæ participatione nominis eorum, boues vocati sunt? Subiecisti ergo, inquit, oues & boues vniuersas, idest omnem sanctam spiritalem creaturam, in qua etiam sanctos homines accipimus, qui sunt in ecclesia, & cætera. Dicit euangelista Matthęus eas relictas in montibus, vt significet in excelsis, quia nimirum oues, quæ non perierant in sublimibus stabant. Sed in Luca dicitur, quod reliquit eas in deserto, quia desertum & mons idem sunt: Et tamen quantum ad rationem significationis, angeli qui erant nónaginta nouem, dicuntur manere in deserto, idest, in cælo, desertum enim cælum est, quia homo illud deseruit, cùm peccauit, vel desertum significat locum, in quo multa desiderantur bona, &

Homines cur boues dicti.

Cælum cur desertũ dicatur.

B quia tam angelica, quàm humana natura condita erat, vt cælum possideret, cùm homo cælum perdiderit, cæpit cælum deficere habitatoribus suis, & quodammodo esse desertum; & sic quoque sentit Gregorius. Vadit autem quærere eam, quæ errauit, idest, in assumpta carne prædicauit, & passus est, & cætera opera fecit, quæ ad nostram redemptionem pertinent, per quæ homo perditus quærebatur, & redemptus est. Atqui quæretur, quomodo verum est, quod magis gaudet quærens super oue inuenta, quàm super non errantibus. Innuitur per hoc magis gaudere Deum super vno peccatore pænitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis. Nam magis videtur esse gaudendum de vno iusto, quàm de vno peccatore, quanto magis de nonaginta nouem iustis. Sunt qui asserunt intelligi hoc de iustis pręsumptuosis, hoc est, qui seipsos iustos arbitrantur, & venditant, quia non faciunt peccata communia, quę alij committunt, attamen committunt alia peccata spiritualia, quæ grauiora sunt, vt superbiam, præsumptionem, hypocrisin, & de talibus, inquiunt, manifestum est, quòd Deus magis gaudet in vno peccatore agente pęnitentiam, quàm in mille, vel decem millibus talium iustorum, quia illi non sunt verè iusti: nec gaudet Deus in illis, sed potius detestatur eos. Sic, apud eundem Lucam, Christus loquitur contra Pharisæum, qui se iustificabat dicens, quòd

Cur quis magis dicatur gaudere propter vnam ouem inuentam, quam super eas si non erraret.

Cap. 18.

C non erat sicut cęteri homines, & ait, quod publicanus qui se confessus fuit peccatorem, iustificatus potius fuit, quàm phariseus: Similiter hic Christus loquitur contra Pharisęos, & Scribas qui arguebant eum, quòd manducaret cum publicanis, & Christus defendit se, quia hoc faciebat, vt eorum tanquam perditarum ouium salutem quęreret, ostenderetque melius esse manducare cum illis peccatoribus pęnitentibus, quàm cum Pharisęis, & Scribis, qui se iustos iactabant. Istiusmodi autem iusti, ex sententia Augustini, vocantur oues relictę in deserto, quia imperfecti sunt, cùm eis desit vnitas; ait enim per eas intelligi superbos, tanquam solitudinem gerentes in animo, dum solos se videri volunt. Cùm autem quilibet à vera vnitate diuellitur, superbè diuellitur, suę quippe potestatis esse cupiens, non sequitur vnum, quod est Deus: vnitati autem omnes deputat per pęnitentiam reconciliatos, quę humilitate obtinetur: Et Beda ait, per nonaginta nouem oues, quas in montibus dereliquit, superbos significat, quibus ad perfectionem vnitas deest. Cùm ergo inuenerit peccatorem, magis gaudere facit de eo, quàm de iustis falsis. Sed repugnat Tostatus, quia apud Lucam dicitur, quòd maius

Lib. de quæstion. euangelicis.

D gaudium est in cælo super vno peccatore pænitentiam agente, quàm super nonaginta nouem, iustis qui non indigent pænitentia: tales autem iusti, quales erant Pharisæi, pænitentia indigebant, cùmque ijs non esset locus in vita æterna, dicendum ipsi videtur, intelligi de veris iustis, qui pænitentia non indigent, qui scilicet non committunt, de quibus pænitendum sit. Cæterùm tunc quidam, inquit, dicunt intelligi de veris iustis, qui tamen non proficiunt vlterius, sed solummodò perseuerant in statu suarum virtutum, quas semel induerunt, nihilque committunt illicitum, qui verò iam commiserunt, & compuncti pænitent, interdum enituntur ad perfectionem, & tales, inquiunt, necesse est, vt Deus magis diligat, quàm iustos, qui licet illicita non committant, non proficiunt tamen in gradu meritorum: quia scilicet illum Deus magis diligit, qui in maiori charitate est. Sic ait Gregorius. Considerandum verò etiam, quare Deus maius gaudium esse fateatur de conuersis peccatoribus, quàm de istiusmodi iustis, qui in eodem semper gradu perseuerant, quia scilicet stantes pigri remanent ad exercenda bona præcipua securi scilicet, quòd nulla commiserint grauiora mala, cùm contra nonnunquam hi, qui se illicitè quædam egisse meminerunt, ex ipso dolore suo compuncti inardescunt in amorem Dei, & quia se errasse à Deo considerant, damna pręcedentia, lucris subsequentibus recompensant, vt & dux in bello eum magis militem diligit, qui post fugam

Iustorum duo genera.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

conuerſus;hoſtem fortiter premit, quàm eum,qui nunquam terga vertit. Sunt etiam,qui aſſe- E
runt gaudium iſtud non eſſe ipſius Dei, ſed bonorum: Sed dicitur eſſe maius gaudium, ideſt,
præſtatur maior gaudij materia in conuerſione peccatorum, quàm in iuſtis manentibus, &
Ouem quando Deus dicatur inueniſſe.
ita dicit Beda: ouem dominus inuenit, quando hominem reſtaurauit, & ſuper eam inuentam,
maius gaudium eſt in cælis, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, quia maior materia laudis
eſt in reſtauratione hominum, quàm in creatione angelorum, mirabiliter enim angelos crea-
uit, ſed mirabiliùs homines reſtaurauit. Dicendum itidem, & meliùs, maius eſſe gaudium ſu-
per pænitentia peccatoris vnius, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis; Imò quàm ſuper nona-
ginta millibus, quandoquidem gaudium indicat paſſionem de nouo venientem, qua anima
exhilaratur: circa peccatores autem, qui conuertuntur noua eſt ratio gaudendi, quia ante hoc
perierant, nunc verò per pænitentiam cæperunt eſſe de grege Dei, & ita tanquam de re
nouiter habita gaudium eſt. De iuſtis verò contrà: Cùm non ſuperueniat in eis aliqua no-
uitas, ſed vti nunc iuſti ſunt, ita antè iuſti erant: hunc eſſe verborum ſenſum patet ex ipſius
parabolæ cortice, nam qui quærit ouem errantem, & dimittit nonaginta nouem in deſerto. F
Super his nullum accreſcit gaudium, quia non accreſcunt de nouo domino ſuo: ouis autem
errans de nouo acquiritur domino, quia cum iam erraſſet, iam cenſebatur perdita. Similiter
de peccatore conuerſo Chriſtus gaudet, quia conuertitur ad Deum de nouo; Super iuſtis
autem, qui non receſſerant ab eo, ideoque conuerti de nouo ad Deum non poterant, non eſt
gaudium vllum nouum. Hactenus ex Toſtato: Audiamus alios: Per hominem habentem
Parabolæ de oue perdita expoſitio ex alijs.
centum oues intelligitur, vt luculenter exponit Beatus Gregorius in homilia præſentis euan-
gelij, ipſe Deus omnium rerum conditor, & creator, qui Sanctorum angelorum, & hominum
ſubſtantiam, vt eorum paſtor, poſſedit, quoniam enim centenarius numerus eſt perfectus,
atque quadratus, rectè per centum oues vniuerſitas bonorum angelorum, & humani ge-
neris hic accipitur, quæ à Deo conditore, & gubernatore, vt à bono paſtore in vberibus cæli
paſcuis primùm fouetur. Vna autem ex illis centum ouibus fuit perdita, quando ad ſugge-
ſtionem ſerpentis antiqui totum genus humanum in primis ſuis parentibus æternæ vitæ pa-
ſcua amiſit, & in miſeriam, atque captiuitatem Sathanæ per peccatum decidit, tunc dimiſſæ
ſunt nonaginta nouem oues in deſerto, quoniam tota Sanctorum angelorum multitudo di- G
miſſa eſt ſua integritate in cælo perſiſtens ſtabilis in ſuo gradu, nec errabunda. Ipſum autem
Cælum cur deſertum dictum.
cælum rectè hic deſertum dicitur, quia & angelus apoſtata cum ſua maligna cohorte ipſum
prius deſeruerat, & homo cùm præuaricans mandatum Dei peccauit, etiam cælum deſer-
uit. Ille verò pius paſtor, & dominus iuit ad ouem, quæ perierat, vt inueniret eam quan-
do filius Dei deſcendit de cælo in terras per humanę naturæ aſſumptionem, vt hominem per-
ditum repararet, atque errabundum ad caulam ſupernę felicitatis reduceret. Vt enim ip-
ſe viſceribus miſericordiæ totus affluens dicit de ſeipſo apud eundem euangeliſtam: *Venit*
Luc. 10.
filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat. Et humana natura ſui lapſus, & er-
roris conſcia meritò ad ipſum clamat ex intimo cordis affectu: *Erraui ſicut ouis, quæ perijt,*
Pſalm. 118.
quære ſeruum tuum domine. Inuentam autem illam ouem iam diutiùs antè quęſitam impo-
nit in humeros ſuos gaudens ille dominus, quando peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſu-
1. epiſt. 3.
per lignum, vt ſcribit Beatus Petrus, & dominus poſuit iniquitatem omnium noſtrum, vt di-
Eſaiæ 53.
cit Eſaias, quoniam verè languores noſtros ipſe tulit, & iniquitates noſtras ipſe portauit.
Nempe ſubiens ipſe crucis patibulum, & in eo mortem perferens pro nobis, perditam illam
ouem inuenit, & inuentam ex affluentia ſuę benignitatis in humeros ſuos ſuſtulit lętabundus.
Deinde domum venit reportans ouem perditam, quando poſt glorioſam reſurrectionē ſuam,
cęlos conſcendens dominus noſter, humanam naturam prius perditam, ſed iam inuentam per-
ſoluto redemptionis pretio, reuexit per aſcenſionem in ouile cęleſtis patrię. Conuocauit tunc
amicos, & vicinos ad congratulandum ſibi de inuenta oue, priùs perdita ipſe pius paſtor,
quoniam cæleſtes ſpiritus ſibi amicos in ſanctę voluntatis conformitate, & vicinos in ęternę
glorię ſocietate incitauit ad commune gaudium habendum ſuper recuperata ſalute totius
generis humani priùs perditi. Nempe de huiuſmodi reductione ouis perditę in cęlum lęta-
buntur angeli, quoniam ſuam ruinam conſpexerunt per hoc redemptionis humanę myſterium
reſarciri, ac inſtaurari. Itaque hæc parabola nobis inſinuat, tùm quanto amoris affectu, Dei
filius peregit opus reparationis humani generis poſt lapſum, vt ex illo deſignet, ſe cùm ver-
ſaretur in terris, etiam ad hominum peccatorum procurandam ſalutem, ardenter aſpirare.
At verò Didacus Stella in enarrationibus ſuis in euangelium ſecundum Lucam, diligentius
adhuc eandem parabolam explicans, veriſſimamque ſe explicationem adferre aſſerens, in-
quit; Si paſtor tanto amore proſequitur oues ſuas, quas non creauit, quod illi plus curæ eſt
de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A de vna perdita, & errabunda, quàm nonaginta nouem incolumibus, maiorique afficitur gaudio propter vnam ouem nouiter inuentam, quàm propter totum gregem. Quid murmuratis si ego qui natura bonus sum, solicitus sum, ne pereant oues amissæ? Nunquid pastor iugulat, aut occidit ouem perditam? Certè non, imo lassatam humeris suis imponit. Hoc autem malum esse dicere non potestis, & quòd malè faciat pastor, ergo multo minus de me potestis murmurare, eò quòd oues perditas quæro, & recipio peccatores, & manduco, & gaudeo in eorum conuersatione, cùm multo præstantiores sint animæ rationales quàm oues. Si ergò pro inuentione ouis perditæ gaudendum est, pro peccatore multo magis pænitentiam agente gaudendum erit; Et si de pastore ouem trahente, & gaudente non murmuratis, multo minus debetis murmurare contra me, qui peccatores recipio & cum illis conuersor, & gaudeo. Hoc voluit Christus hac similitudine insinuare. Qua propter mirari satis non possum, quare adeò delirauerint aliqui per nonaginta nouē oues in literali sensu angelos intelligerent, & per ouem perditam, humanam naturam. Pharisæi murmurabant, non quod relictis angelis cum hominibus Christus esset, sed quod illos, qui iusti esse videbantur, secundum vulgi opinionem, relin-
B quebat, & cum publicanis, & peccatoribus agebat. Ideoq; comparatio hominum ad homines, non angelorū ad homines, esse debet, sed quoniā Christus dixit nonaginta nouē, & hoc numero vtitur, sumpserunt hinc occasionem, vt tantū absurdū dicerēt: Considerantes angelorū choros esse nouem. Quod autē Christus dicat, centum oues nihil amplius habet mysterij, quam si dixisset quinquaginta, ducentas, aut mille. Voluit pastor ille ostendere, quantum ouem illam diligeret, siquidē omnes alias deserebat, vt illam perditam quæreret; quod autem sint centum, aut ducentæ, parum ad rem facit. Dixit autē centum potius, quàm aliū numerū, quia grex centum ouium communior est, quia plures sunt, qui centū oues habeant; viginti, aut triginta gregem non faciunt, mille autem pauci habent, quare centum potius quàm alium numerū posuit. Igitur in hac parabola Christus est pastor, quia in ea se pastori comparat. Centū oues homines sunt, ouis amissa publicanos, & peccatores repræsentat: nonaginta nouē Scribas, & Pharisęos, non quod essent iusti, sed quod iusti à populo ęstimabantur, & etiā ipsi seipsos iustos putabant. Si ergo pastor tantum ponit operę pro vna oue perdita, mirum non est, si ego vos deserā, vt hos peccatores quęrā, & recipiam, cum illisq; gaudeā. Christus itaq; in hac parabola comparat se
C pastori. Officiū pastoris est, laborare vt ouem perditā quærat. Duo boni pastores fuerunt in veteri testamento Iacob, & Dauid. Iacob dixit: *Die noctuque gelu vrgebar, & somnus fugiebat ab oculis meis*, &c. Dauid etiam dixit Sauli: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo & vrsus*, &c. *Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus*. Verùm neuter horum duorum pastorum tantùm enixus est, vt oues suas defenderet, quantum Christus, qui vt eas protegeret, ac tueretur, vitam suam posuit. Aduerte etiam quanta diligentia ouem perditam quærat: exēplum sit tibi Iudas, quem perditum dominus, vt ad gregem reduceret, genibus flexis ei supplicare nō dubitauit, illiusq; pedes lauit, & osculatus est, & postea dedit illi buccellam intinctam in agno manu sua, denique corpus, & sanguinem suum, illum vt alliceret ad se, amicum vocās, tribuit. Tribus etiam diebus dum ab illis abfuit, videlicet ad inferos descendit, illos omnes patri commendauit dicens: *Sancte pater serua illos*: & in cruce dixit: *dimitte illis*: O bonum pastorem dominum nostrum! quoties tu, qui eius ouis es, intra pectus tuum sibilum vocationum, inspirationumque eius sentis, & non aduertis, neque auscultas. Sicut bonus pastor oues suas cohibet, ne messes depascant, sic dominus noster te prohibet ab omni malo, animum tuum à
D peccatis auertens, eorumque desiderio. Sæpenumerò fundam rotat pastor, vt eius stridore oues terreat: Sic Christus te terret vicini tui obitu. Aliquando etiam pastor baculum in oues intorquet, vt eas ad veram viam, aut herbarum locum abundantiorem reducat; Sic Christus tibi vel vxorem, vel liberos, vel bona temporalia eripit, aut morbum, tribulationemque infligit, vt ad veram salutis viam conuertaris. Omnes boni pastoris mores, quos in Christo inuenies à propheta Ezechiele describuntur dicente: *Ego requiram oues meas, & visitabo eas*, &c. Sed dum nos ouibus comparat, miseriam nostram, fragilitatem, maximamq; quam Christi habeamus indigentiam, nobis significat. Ouis per se solam viuere non potest, indiget enim pastoris cura, & industria, vt videlicet eam hyemis tempore in loca deducat aprica, & ęstate ab ęstu solis eā auertat, pascua, prataq; optima eligens, & à luporū insidijs eā omnibus modis defendens, & custodiens. Sic homo non potest sine suo pastore Christo scilicet viuere, tāta est.n. eius fragilitas, & miseria, quibus semper est circumseptus, vt à solo Deo remedium habere possit. Præterea ouis animal est vtile, cuius omnia homini prosunt, lanam enim ad vestimenta cōficienda, carnemq; in cibum, corium in calceamenta reddit, ipsa deniq; tota ex vsu est. Eodem modo & tu, si huius gregis Christi ouis esse vis, cōmodare proximis tuis, & Reipublicę debes.

Angelos per nonaginta nouem oues nō intelligi.

Pastoris officium.

Genes. 31.

1. Reg. 18.

Ezech. 34.

Ouis fragilitatem nostram indicat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Sic Paulus Corinthijs dixit: *Ego autem impendar, & ſuperimpendar pro animabus veſtris*: Non
debes eſſe contentus hoc tantummodo, quod proſit tibi, ſed eniti debes alijs vtilitatem ferre.
Deinde ouis vngues, vt leo, non habet, vt ſe tueatur; aut dentes, more canum, vt mordeat, nec
item habet tauri cornua, vt feriat, vel robuſta vrſorum brachia, vt interficiat, verùm animal eſt
Ouis errãtis manſuetum, pacatum, ſimplex, & ſyncerum. Sic & tu dentes habere non debes ad proximi tui
infelicitas. famam rodendam, & defraudandam; neve vngues, vt fratri tuo, incommodum irroges, ſed
ſynceritatem, pacem, & ſimplicitatem amare, ſed bonum pro malo reddens. Rurſus ouis cùm
errat omni animali miſerior, & infelicior eſt: Canis enim cæteraque animalia in domum he-
rilem redire norunt, dentibuſque, vnguibus, aut pedibus, quæ quaſi arma habent a natura, ſeà
periculis tuentur: Verùm ouis errans delectum non habet, vt ad gregem redeat, nec arma, qui-
bus ſe defendat: quare inquiſitione paſtoris indiget. Eodem modo homine in peccatum inci-
dente nihil eſt miſerabilius aut infelicius: nam neque poteſt, neq; nouit redire, niſi à Deo quę-
ratur, & in gratiæ ſtatum reducatur. Itaque peccatum labyrinthi imaginem præfert, in quod
qui ſemel immerſus eſt, exitum non inuenit, imò quò magis quærit, magis errat: Eodem mo-
do & peccator in peccatum lapſus ſe erigere non poteſt, niſi ſpeciali auxilio Deus illum quęrat,
& à peccati labyrintho ad oſtium, vſque pænitentiæ extrahat. Cùm autem arbitrium liberum
ſine gratia, quam peccando amiſerat, nimis fragile, imbecillumque maneat, ſe ab omnibus tē-
tationibus defendere non poteſt. Quare varijs animæ periculis tamquã lupis, deſertorumque
feris, vt ouis perdita, obnoxium eſt nullis ad defenſionem armis relictis. Non dico hominem
coactè peccare, nec omnia opera in peccato facta, peccata eſſe, ſed facilè vinci ob defectũ gra-
tię, virium, liberique arbitrij infirmitatem: Ideo Dauid perditionem peccatoris ouis errori cō-
parauit dicens: *Erraui ſicut ouis, quę perÿt, quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum obli-*
Pſal. 118. *tus*: adeo à via vera declinaui, vt niſi tu domine me quæras, nullo modo redire poſſim, ſũ enim
ouis errans, igitur domine inueſtiga ſeruum tuum. Non autem ait hic dominus in hac para-
bola, quod ouis paſtorem quæſiuit, ſed quod paſtor iuit quæſitum ouem. Eſaias etiam ait per-
ditionem peccatoris, & errores exaggerans, omnes nos quaſi oues errauimus: Nihil enim eſt
errante oue errantius, aut miſerabilius; Expende autem Chriſti domini noſtri bonitatem, aut
clementiam, poſt tot peccata, & ſcelera ipſe quærit, ipſe vocat, & propria perſona venit clamãs
per montes, & colles, & valles, multis lachrymis, laboribus, doloribus, ieiunijs, afflictionibus,
quæ ſunt veſtigia & ſigna peccati. Paſtor ouem per veſtigia quęrit; relinquit enim ouis in are-
na impreſſa veſtigia, vel in luto per hyemem. Per ea igitur veſtigia, & ſigna eam quærit paſtor,
& non ceſſat donec eam inueniat. Per peccatum errauimus, infirmitates autem, miſeriæ, mors,
laboreſque huius vitæ, veſtigia ſunt peccati. Hæc omnia à peccato ortum habuerunt, ſunt enim
peccati affectus. Chriſtus autem hominum optimus paſtor per hæc ſigna, & veſtigia nos quæ-
ſiuit, & ideo venit defatigatus labore, frigore, & inedia, ſiti, morte, multiſq; alijs doloribus af-
fectus, eoque modo nos inueſtigauit, ſuſpirans, clamans, & moriens. Quis paſtor vnquam tan-
to amore ouem errantem quæſiuit, quanto Chriſtus animam tuam quærit? Quod multum
amatur, multo dolore quæritur. Hinc vide peccator quantum te Deus diligat, qui tot crucia-
tibus te quæſiuit, ſiquidem nulla conſolatio, nulla lætitia in corde eius intrauit, donec animam
tuam inuenit, & in veram caulam cum alijs ouibus reduxit. Obſerua etiam quòd ille, qui bo-
norum noſtrorum non indiget Deus dicit ſe amiſiſſe ſicut paſtor ouem, cum potius Deum ho-
mo amiſerit, & damnum ſit hominis, & non Dei; Ille enim propriè amiſiſſe dicitur, cuius eſt
damnum. Sed tanta eſt Dei bonitas, vt damnum noſtrum ſuum reputet damnum. Vide etiam
Chriſti ſedulitatem in quærendo, quod non deſinit quærere, donec inuenerit, quò reſpexit
Eſaias, dum ait: *In brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit fœtas ipſe portabit.* In no-
Eſaia 40. ſtram autem eruditionem diſcamus, quomodo & nos viciſſim erga hunc bonum paſtorem ge-
rere debeamus; diligamus ipſum ſicut ipſe prior dilexit nos, & vitam ſuam dedit pro nobis, di-
ſcamus illi etiam alijs in rebus fidere, quemadmodum illum tam fidum, & benignum experti
ſumus in ſumma neceſſitate; diſcamus, quomodo ex nobis ipſis nihil ſimus, aut poſſimus; Nam
vt ouis ſeipſam nec à lupis, nec ab alijs periculis tueri poteſt, ſed opus habet paſtore, ita indubie
nos miſeri, & egeni ſumus ſine Deo. Quare apud noſtrum fidum paſtorem maneamus, eumq;
fideliter ſequamur. Diſcamus etiam ex hoc Chriſti exemplo, vt etiam nos alios homines à
peccatis abſtrahamus, & ad ſalutem perducamus, nec non etiam diſcamus ex hac ſimilitudi-
ne, vt miſerijs peccatorum compatiamur, præſertim ijs, qui à peccatis reſipiſcunt. Diſcamus ite-
dem oues eſſe, vt Chriſtum mereamur habere paſtorem, Chriſtus namque non eſt paſtor por-
corum, bubalorum, leonum, aut ſimilium ferarum, ſed paſtor eſt ouium; Vide & tu, vt non ſis
lupus per voracitatem, leo per rapacitatem, porcus per immunditiam, canis per mordacita-
tem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tem, sed esto ouis per mansuetudinem, simplicitatem, ac obedientiam. Si ouis fueris, habebis
Christum pastorem, qui pastor bonus est, & pascit oues pane cælesti, & spirituali cibo; denique
discant ex hoc loco episcopi, prælati, pastores, & qui curam habent animarum, parochi, & con-
cionatores, quid officium eorum requirat, & legant Ezechielem, & Ioannem. Si pastor pro vna
oue errante tantum operæ ponit, vt montes, rupes, & valles percurrat, quantũ tu facere debes, *Ezech. 44.*
qui curam animarum geris, pro anima ad imaginem & similitudinem Dei, creata, Christique *Ioann. 20.*
sanguine redempta. Vtinam prælati ecclesiæ oculos ad Christum Iesum optimum pastorem
conuertant, & inspiciant, quanto maioris sint pretij animæ, quàm omnia mundi bona. Videant
igitur quales esse debeant, vt multa pericula & labõres pro Christo, & animarũ salute subeant.
Deus enim è manibus eorum requiret sanguinem ouium, quæ per negligentiam eorum perie-
rint. *Et cùm inuenerit eam imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum, conuocat ami-
cos, & vicinos dicens illis.* Hoc communiter solet, inquit idem Didacus Stella, exponi, quia in
cruce Christus peccata nostra tulit, & iniquitates nostras ipse portauit, quod verũ esse fatemur
de nostris & totius mundi delictis, quia Christi morte, & dolore eius sanati sumus, sed in pro-
posito, vt Christus respondeat aduersarijs, hęc expositio non quadrat, standum enim est in pro-
B posito, de quo loquitur: nam Christus tunc temporis pro istis publicanis, & peccatoribus, de
quibus est sermo, nondum sanguinem fuderat, nec in humeris portauerat peccata eorum, sed
vt insinuaret laborem ex amore procedentem, & quæ prædicans tolerabat; vt peccatores reci-
peret, & ad se alliceret. Dicit quòd sicut pastor labore, & sudore ducit ouem perditam, sic ipse
docens villas, & castella prædicans regnum Dei eos conuertebat, & trahebat. Et hic mihi vi-
detur germanus huius literæ sensus. In humeris etiam portat, cum eorum mores, & molestias
patienter tolerat. In hunc sensum locutus est Paulus dicens: *Alter alterius onera portate.* hoc *Galat. 6.*
facimus patienter ferentes proximorum nostrorum defectus, & culpas, eorum fragilitatem to-
lerantes, vt his publicanis, & peccatoribus Christus faciebat. Audiant hæc pontifices nostri,
audiant sacerdotes, & videant, quid hic pastor euangelicus faciat. *Super humeros ponit gaudẽs,* *Ezech. 34.*
& amicos, & vicinos congregat: contra ac multi, de quibus apud prophetam Ezech. dominus
ait, quod in latus, & humerum impulistis, & cornibus vestris petebatis oues infirmas, donec di-
spergeretis eas foras, seruabo pecudes meas. Expende quæso, ille super humeros portat, illi hu-
mero eas impellunt; ille congregat, isti dispergunt. Præcipiebat dominus vt sacerdos veteris le-
C gis nomina filiorum Israel super humeros portaret, nouæ verò legis, & noster pastor reipsa ouẽ
super humeros portat, vt scias vmbram præcessisse veritatem. Qui autem sint isti amici, & vici-
ni, quos verus pastor Christus vocat, & qui congratulãtur, facilè ex literæ contextu conijci po-
test, esse angelos, nam subdit Christus, quòd gaudium fit in cælo coram angelis Dei super vno
peccatore pænitentiam agente: Congratulantur enim angeli cum Deo de nostra conuersione,
& gaudent in nostro bono profectu. Eos ergo alloquitur Christus dicens: *Congratulamini mi-
hi, quia inueni ouem, quę perierat:* quibus itidem verbis innuit, quantum conuersione peccato-
ris gaudeat, maximum enim quodque gaudium occultari non potest, quin cum amicis com-
municetur. Expende etiã, quòd non dixit, congratulamini oui, sed, congratulamini mihi; quia
ouis non meritis suis, sed meritis, & diligentia pastoris inuenta est, quare gaudium illius esse
debet, qui eam inuenit, & pro ea inuenienda laborauit, &c. Huc vsque Stella. Dicamus igitur
& nos cum D. Ambrosio declarante illud Dauidicum: *Erraui sicut ouis, quæ perierat, quare* *Psalm. 119.*
(ζήτησον, alij habent viuifica, qui videntur legisse ζῆσον) *seruum tuum, quoniam mandata tua
nõ sum oblitus:* Dic & tu iniquitates tuas vt iustificeris. Quod lapsum fateris in eo tibi cum om-
nibus commune consortium, quia nemo sine peccato; negare hoc, sacrilegium est, solus enim
D Deus sine peccato est, confiteri hoc Deo, impunitatis remedium est. Erraui, inquit, sed qui er-
rauit in via, potest redire in viam, reuocari potest in viam. Et pulchrè addidit, *sicut ouis, quæ pe-
rierat.* Non enim perit, qui agnoscit errorem, *quare,* inquit, *seruum tuum, quoniam mandata
tua non sum oblitus.* Veni ergo Domine Iesu, quære seruum tuum, quære lassam ouem tuam,
veni pastor quære sicut oues Ioseph. Errauit ouis tua, dum tu moraris in montibus. Di-
mitte nonaginta nouem oues tuas, & veni vnam quærere, quæ errauit; Veni sine canibus,
veni sine malis operarijs, veni sine mercenario, qui per ianuam introire non nouerit, veni
sine adiutore, siue nuncio iam dudum te expecto venturum, scio enim venturum, quoniam
mandata tua non sum oblitus, veni non cum virga, sed cum charitate spirituque mansuetu-
dinis. Noli dubitare relinquere in montibus nonaginta nouem oues tuas, quia in monti-
bus constitutas lupi rapaces incursare non possunt. Ad me veni, quem luporum grauium ve-
xat incursus. Ad me veni, quem eiectum è paradiso serpentis diu vlceris venena pertentant,
quia erraui à gregibus illis tuis superioribus. Nam & me idem collocaueras, sic ab ouilibus
tuis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tuis lupus nocturnus auertit. Quere me, quia ego te requiro. Quere me, inueni me, ſuſci-
pe me, porta me. Potes inuenire, quem tu requiris, dignare ſuſcipere, quem inueneris,
impone humeris, quem ſuſceperis; veni ergo domine, quia etſi erraui, tamen mandata tua
non ſum oblitus, ſpem medicinæ reſeruo, veni domine, erraticam ſolus es, reuocare qui
poſſis, & quos reliqueris, non mœſtificabis, & ipſi enim peccatoris reditu gratulabuntur.
Veni, vt facias ſalutem in terris, in cęlo gaudium. Veni ergo, & quære ouem tuam iam
non per ſeruulos, non per mercenarios, ſed per temetipſum. Idem D. Ambroſius cùm ab euan-
geliſta Luca tres recenſeantur parabolæ ouis videlicet, quæ perierat, & inuenta eſt: drachmæ
mulieris, quæ perierat, & inuenta eſt; filij, qui mortuus erat, & reuixit; per patrem Deum, per
paſtorem Chriſtum, per mulierem eccleſiam intelligi aſſerit. Chriſtus, inquit, te ſuo corpore
vehit, qui tua in ſe peccata ſuſcepit, quærit eccleſia, recipit pater. Quaſi paſtor reuehit, quaſi
mater inquirit, quaſi pater veſtit. Prima miſericordia, ſecunda ſuffragatio, tertia reconcilia-
tio, ſingula ſingulis quadrant; redemptor ſubuenit, eccleſia ſuffragatur, author reconciliatur.
Eadem diuini operis miſericordia, ſed diuerſo pro meritis noſtris gratia: Ouis à paſtore laſſa
reuocatur, drachma, quæ perierat, inuenitur, ad patrem filius ſuis veſtigijs redit, & pleno con-
demnati erroris regreditur pœnitentia. Vnde bene ſcriptum eſt. *Homines, & iumenta ſaluos fa-*
Pſalm. 35. *cias domine:* Quæ ſunt iſta iumenta? Dixit Propheta: *Semen Iſrael in ſemen hominum, & Iu-*
Ierem. 31. *da in ſemen animalium* Itaque Iſrael quaſi homo ſaluatur, quaſi ouis Iuda colligitur, malo er-
gc filius eſſe, quàm ouis. Ouis enim à paſtore reperitur, à patre filius honoratur. Gaudeamus
igitur quoniam ouis illa, quæ perierat in Adamo, leuatur in Chriſto. Humeri Chriſti crucis
brachia ſunt. Illic peccata mea depoſui, in illa nobilis patibuli ceruice requieui. Ouis illa gene-
ra eſt vna, non ſpecie. Omnes enim vnum corpus ſumus, ſed multa membra, & ideo ſcriptum
eſt. *Vos autem corpus eſtis Chriſti, & membra ex membris eius*. Venit igitur filius hominis ſal-
uum facere, quod perierat, omnes ſcilicet. Quia ſicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Chri-
ſto omnes viuificabuntur. Diues igitur paſtor, cuius nos omnes centeſima portio ſumus. Habet
angelorum, habet archangelorum, dominationum, poteſtatum, thronorum, aliorumq; innu-
merabiles greges, quos in montibus dereliquit. Qui quoniam ſunt, rationabiles, non immeri-
to hominum redemptione lætantur. Quanquam hoc quoque proficiat ad incentiua probita-
tis, ſi onus quiſque conuerſionem ſuam gratam fore credat cœtibus angelorum, quorum, aut
affectare patrocinium, aut vereri debet offenſam. Et tu igitur eſto angelus lætitiæ, gaudeant
de reditu tuo. Non otioſum etiam, quòd mulier illa, drachma lætatur inuenta: Non mediocris
hæc drachma eſt, in qua principis eſt figura. Et ideo imago regis ſenſus eccleſiæ eſt. Oues ſu-
mus, oremus, vt ſuper aquam refectionis nos collocare dignetur. Oues, inquam, ſumus, peta-
mus paſcua: Drachmæ ſumus, habeamus pretium: Filij ſumus, feſtinemus ad patrem &c. Iſi-
dorus Peluſiata in epiſtola ad Herminum comitem ſcribit, amiculum illud, quod ſacerdos hu-
Amiculum meris geſtat, atque ex lana, non ex lino contextum eſt, ouis illius, quam dominus aberrantem
ſacerdotis quæſiuit, inuentamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignare. Epiſcopum enim, qui Chriſti
ex lana quid typum gerit, ipſius munere fungi, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendere ſe boni il-
notet. lius, ac magni paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit. Porrò
fit, vt nonnulli recedentes ab eccleſiæ gremio poſtmodum admoniti redire recuſent, quos non
Oues ſponte aliter, atque oues ſponte errantes, puniendos eſſe, &, vt reſipiant, cogendos ſcribit D. Auguſti-
errantes. nus in epiſtola de modo coercendi hæreticos ad Bonifacium comitem: Mirum eſt inquit, quo-
modo ille, qui pœna corporis ad euangelium coactus intrauit, ſolus illis omnibus, qui ſolo ver-
bo vocati ſunt, in euangelio laborauit, & quem maior timor compulit ad charitatem, eius per-
fecta charitas foras dimiſit timorem. Cur ergo nõ cogeret eccleſia perditos filios, vt redirent,
ſi perditi filij coegerunt alios, vt perimat? Quamuis etiam illos, quos non coegerunt, ſed tan-
tummodo ſeduxerunt, ſi per terribiles, ſed ſalubres leges in eius gremio reuocentur, blandius
pia mater amplectitur, & de illis multo amplius, quam de ijs, quos nunquam perdiderat, gra-
tulatur. An non pertinet ad diligentiam paſtoralem etiam illas oues, quæ non violenter erep-
tæ, ſed blandè, leniterq; ſeductæ à grege aberrauerint, & ab alienis ceperint poſſideri, inuentas
ad ouile dominicum, ſi reſiſtere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus reuoca-
re, præſertim quoniam ſi apud fugitiuos, & prædones ſeruos fæcunditate multiplicentur, plus
habet iuris, quod in eis dominicus character agnoſcitur, qui in eis, quos ſuſcepimus, nec tamen
rebaptizamus, minimè violatur. Sic enim error corrigendus eſt ouis, vt non in ea corrumpatur
ſignaculum redemptoris: neque enim, ſi quiſquàm, regio charactere aſſignato, deſertore ſigne-
tur, & accipiat indulgentiam, atque ille redeat ad militiam, ille autem eſſe in militia, in qua
nondum erat, incipiat, in aliquo eorum character ille reſcinditur, an non potius in ambobus
agno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A agnoscitur,& honore debito, quoniam regius est,approbatur? Quia ergo non possunt malum
esse ostendere, quo coguntur, nec ad bonum se cogi oportere, contendunt,sed à Christo coa-
ctum ostendimus Paulum. Imitatur itaq; ecclesia in istis cogendis dominum suum,qui prius,
vt neminem cogeret,expectauit,vt de fide regum, atque gentium prædicatio prophetica com-
pleretur. Etiam hinc non absurdè intelligitur illa apostolica sententia,vbi B.Paulus dicit:*Pa-*
rati vlcisci omnem inobedientiam cùm completa fuerit prior obedientia vestra; vnde & ipse domi- *2. Corinth. 10.*
nus ad magnam cænam prius adduci iubet conuiuas,postea cogi. Porrò ouis itidem pro Chri- *Ouis pro*
stiano populo hoc eiusdem euangelistæ Lucæ loco accipitur:*Ecce ego mitto vos sicut agnos inter* *Christiano*
lupos. Lupus verò pro hæretico,videlicet ex sententia D.Ambrosij in hæc verba scribentis:con- *populo.*
traria,inquit,sunt ista sibi animalia, vt alia ab alijs deuorentur. Sed bonus pastor lupos gregi *Cap. 10.*
suo non timere nouit,ideoque isti discipuli,(de quibus Scriptura loquitur)non in prædam,sed
in gratiam diriguntur. Solicitudo enim boni pastoris efficit, vt lupi in agnos audere nihil pos-
sint. Mittit ergo agnos inter lupos,vt compleretur illud; *tunc lupi,& agni simul pascentur.* Et
quoniam proximè de vulpe nobis non ingratus tractatus euasit, si iudicium vestrum fidele in
B figura minusculi animantis expertus sum, præsumo, quòd profunda mysteria, quæ luporum
specie velantur, studiorum vestrorum possim aperire suffragio. In specie vulpium hæreticos si- *Vulpes hæ-*
gnificari superius expressimus,qui promittunt nomine, quòd Christum sequantur, sed studio *retici.*
fraudis abiurant;hos non suscipit dominus,sed à suo nido arcet,& prohibet. Lupi quid signifi- *Lupi.*
care videantur debemus aduertere. Bestiæ nempe sunt, quæ insidiantur ouilibus, circa pasto-
rales versantur caulas,habitacula domorum intrare non audent, somnum canum,absentiam,
aut desidiam pastoris explorant, ouium guttur inuadunt, vt citò strangulent,feri,rapaces, ij-
demq; natura corporis rigidiores,vt se facilè non possint inflectere, impetu quodam suo ferun-
tur,& ideo sæpe lædũtur. Tum præterea si quem priores hominem viderint,vocem ei quadam
naturæ vi feruntur eripere: Si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur. Et ideo
mihi cauendum est, ne si in hodierno tractatu spiritualium mysteriorum gratia non potuerit
refulgere,lupi me prius vidisse credantur,& solemne vocis extorsisse suffragium: Nonne lupis
istis hæretici comparandi sunt, qui insidiantur ouibus Christi, fremunt circa caulas nocturno
magis tempore, quàm diurno? Semper enim perfidis nox est,qui lucẽ Christi obscænæ nebulis
C interpretationis obducere,& quantum in ipsis est fuscare conantur. Versantur ergo circa cau-
las,stabula tamen Christi intrare non audent. Et ideo non sanantur, quia in stabulum suum
non vult eos Christus inducere, in quo curatus est ille, qui de Hierusalem descendens incidit
in latrones: quem vulneribus alligatis, infuso oleo,& vino, imponens in iumentum suum Sa-
maritanus ille duxit in stabulum,& sanandum stabulario dereliquit. Non accipiunt ergo me-
dicinam,qui medicum non requirunt. Si enim requirerent,non derogarent. Explorant pasto-
ris absentiam,& ideo pastores ecclesiarum,vel necare,vel in exilium agere contendunt: quia
præsentibus pastoribus oues Christi incursare non possunt. Spoliare ergo gregem domini,&
diripere conantur, qui corporea quadam mentis intentione duri, ac rigidi nequaquam solent
à suo errore deflectere. Et ideo apostolus ait: Hæreticum hominem post vnam correptionem *Tit. 3.*
deuita,sciens quia subuersus est,qui eiusmodi est. Hos scripturæ verus interpres illudit, vt ina-
nes suos in vanum effundant impetus,& nocere non possint. Qui si quem versuta disputationis
suæ circumscriptione præuenerint,faciunt obmutescere. Mutus est enim,qui verbum Dei non
D eadem qua est gloria confitetur. Caue ergo ne tibi vocem tollat hæreticus,si prior eum non ip-
se deprehẽderis:Serpit enim,dum latet eius perfidia. Si autem cõmenta impietatis eius agno-
ueris,iacturam piæ vocis timere non poteris. Caue igitur versutæ disputationis venena; animã *2. Tim. 2.*
petunt,guttur inuadunt,vitalibus vulnus affigunt. Graues sunt morsus hæreticorum, qui ipsis
grauiores,& rapaciores bestijs,nullum auaritiæ finem,impietatisque nouerunt. Nec vos mo-
ueat, quod formam prætendere videntur humanam, quoniam etsi foris homo cernitur, intus
bestia fremit. Et ideo eos lupos esse non dubium est,iuxta domini Iesu sententiam,qui ait:*At-*
tendite vobis à falsis prophetis,qui veniũt ad vos in vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces; *Matth. 7.*
ex fructibus eorum cognoscetis eos. Si quis ergo specie mouetur,fructum interroget. Audis ali-
quem sacerdotem dici, rapinas eius non agnoscis,vestitum ouis habet, facta prædonis. Foris
ouis,intus lupus est: qui modum non habet rapinarum,qui tanquam in nocte Scythico mem-
bra duratus gelu, cruentus ora, circumuolat quærens quem deuoret: Nonne vobis videtur lu-
pus, qui humanæ necis insaturabili crudelitate fidelium morte populorum rabiem suam ex- *1. Petr. 5.*
plere desiderat? Vlulat iste,non tractat,qui negat vocis authorem,& sacrilego sermone bestia-
le murmur obstrepit, qui non confitetur dominum Iesum æternæ præsulem vitæ. Audiuimus
eius vlulatus,cùm in orbem gladius mitteretur. Dentes asperos,ora tumida præferebat,& pu-
tabat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tabat quod vocem omnibus abſtuliſſet, quam ſolus amiſerat. Et ideo, vt hos lupos effugere poſsimus, docet dominus quid ſequamur dicens: *Nolite portare ſacculum* &c. In eodem etiam ferè ſenſu oues, & lupos accipit hoc loco D. Chryſoſtomus, ſed ſancti, & boni cur, ſicuti oues eſſe dicantur, mali verò non ſicuti lupi, ſed ſimpliciter lupi, etiam explicat, rationemq; prius affert, cur Ieſus Chriſtus diſcipulos ſuos tanquam oues inter lupos mittat: omne malum, inquit, quod naſcitur ex inſperato, nimis eſt graue; quod autem expectatur antequam accidat, poſtquam acciderit, leuius inuenitur: Ideo præſcius dominus futurarum perſecutionum, præmonet apoſtolos dicens: *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum*, vt cum periculum illud euenerit, non quaſi nouum perhorreſcant, ſed tanquam cognitum fortiores excipiant. Ecce ego, qui menſurata ſpacia conſtitui diei, & noctis; ecce ego, qui turbidum mare, quaſi feram cauea, ſic in ſua littora clauſi, & quaſi indiſſolubili catena præcepto ligaui. Ideo dixit, ecce ego mitto vos, vt dum mittentis poteſtas conſideratur, periculi magnitudo non timeatur. *Sicut oues.* Nõ humanæ naturæ beneficium tollo, ſed ouilis patientiæ opus iniungo. Non indignentur ſerui vocabulum ouis accipere, cum ſciant dominum ſuum, nomen agni portaſſe: *Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi* Et quomodo, inquit, proficiemus oues contra lupos? Ouium manſuetudo nõ poteſt reſiſtere luporum crudelitati: Luporum crudelitas miteſcere neſcit, niſi gratia Chriſti faceret, quod ipſa natura fieri negat. Non veſtra virtus, aut ſolertia æſtimatur, aut laudatur in vobis, ſed nominis mei poteſtas intelligatur, vt glorificetur per vos, quia fortior eſt gloria Dei, quàm rerum natura. *Sicut oues*. Cùm cæperint vos lupi vellicare, nolite reſiſtere, aut vociferari ſcientes, quia niſi vos ſpoliati fueritis, alij non veſtientur, ideſt, niſi vos mortui fueritis, alij non viuent. Nec timeatis hanc vellicationem præſentem. Cùm enim ætas reſurrectionis aduenerit, alia ſuper vos lana immortalitatis naſcetur. Quamdiu autem, propter inſtigationem diaboli, gentes permanſerint lupi, dorſum illis præſtate ad vellicandum: Cùm autem per patientiam veſtram lupi illi facti fuerint agni, præbete illis tanquam oues lac doctrinæ. Manifeſtum quidem eſt, quia oues appellat propter manſuetudinē: non timentes autem Deum, lupos propter crudelitatem. Sed hoc videamus, quare iſtos quidē dixit, quaſi oues, illos autem non quaſi lupos, ſed lupos. Si enim iſtos propter ſolam cauſam manſuetudinis oues dixiſſet, quoniam natura quidem homines erant, manſuetudine autem oues, vtique illos quaſi lupos dixiſſet, quoniam & illi, etſi crudelitate quaſi lupi erant, tamen natura ſimiliter homines erant. Puto ergo iſta ratione iſtos quaſi oues dictos, illos autem non quaſi lupos, ſed ad plenum lupos, quoniam homo Dei, quamuis fuerit bonus, tamen ſemper habet aliquid in ſe mali ſecundum carnem quaſi homo, & ouis quidem dicitur propter quod bonus; quaſi ouis autem, qua non ad plenum bonus. Qui autem Deum non cognoſcit, nihil in ſe boni poteſt habere propterea lupus dicitur, non quaſi lupus, quia nihil boni habet in ſe, quia in ſe non cognoſcit Deum. Cauſa eſt iſta, quia omnes homines ſecundum carnis naturam mali ſumus, & ſicut dicit apoſtolus, natura ſumus filij iræ, ſed per timorem Dei efficimur boni. Quamuis autem per timorem Dei efficimur boni, tamen ſemper aliquid naturalis mali remanet in natura hominum. Ergo ſi natura carnalis compellit fieri malum, timor Dei retinet eum apertè à malo. Hominem non cognoſcentem Deum, aut cognoſcentem quidem, ſed non timentem, natura compellit facere malum, & timor Dei non retinet à malo, & ideo non poteſt eſſe in illis aliquid boni, niſi fortè propter homines, quando ipſum non eſt bonum, ſed malum, quod eſt propter Deum. Quicquid autem non eſt ex fide, peccatum eſt. Ideo ſancti quidē quaſi oues, mali autem non quaſi lupi, ſed ad plenum vocantur lupi. Nec moueat te, quòd etiam Chriſtus quaſi ouis eſt dictus, non ouis, cum ſit totus bonus. Ibi enim perſona Chriſti non comparata eſt ad perſonam ouis: Sed occiſio Chriſti, ſicut occiſio ouis. Denique ita ſubiungit: Sic non aperuit os ſuum in humilitate: nam nec ouis cùm ducitur ad occiſionem, aliquam vocem emittit, hic autem perſona apoſtolorum comparata eſt ad ouium mores, nõ miſſio eorum ad miſſionem ouium, ideſt, apoſtoli ipſi dicti ſunt ſicut oues, nõ miſſio eorum ſicut miſſio ouium: non enim mittuntur aliquando oues ad lupos, nec comparat aliquis poſſibile impoſſibiliter, vnde alibi dictus eſt agnus, non quaſi agnus. Idem D. Chryſoſtomus in declaratione horum Saluatoris verborum apud D. Matthæum: *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos* &c. Quæ ſunt, inquit, veſtimenta ouilia? Species videlicet ſimulatæ religionis. Eleemoſyna ſimulata veſtimentum ouile eſt, non opus ouile, ieiunium ſimulatum veſtimentum ouile eſt, non opus ouile, oratio ſimulata, veſtimentum ouile eſt, & non opus ouile, & cæteræ ſpecies pietatis quibus ſe veſtiunt lupi rapaces, nulla autem res ſic exterminat bonum, quemadmodum ſimulatum bonum, nam manifeſtum malum, quaſi malum fugitur, & cauetur, malum autem ſub ſpe-

Malum ex inſperato nimius graue.

Deum non cognoſcens lupus eſt.

Homil. 19. Cap. 7.

Veſtimenta ouilia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ſpecie boni celatum, dum non cognoſcitur, nec cauetur, ſed quaſi bonum ſuſcipitur, & ideo cõ-
iunctum bono exterminat bonum. Sic ſerui diaboli tunc peſſimè chriſtianitatem corrumpunt,
quando ſe ſimulant Chriſtianos, de quibus admonet diſcipulos ſuos Chriſtus: Magis autem
nos omnes per illos dicens: attẽdite à falſis prophetis, quia magna virtus eſt hominum cogno-
ſcere malum, & firma tutela ſalutis, eſt, ſcire, quem fugias. Quamuis verò oues propriè Chri-
ſtiani dicuntur, & veſtimentum ouile, eſt ſpecies Chriſtianitatis; Sic per falſos hos prophetas
hæreticos Chriſtianos intelligi ibidem oſtendit Chryſoſtomus, qui nimirum hæretici à foris in
ſchemate Chriſtiani, inquit, videntur, ab intus autem confeſſionis efficacitate gentiles, & iſti
multo periculoſiores ſunt, quàm hæretici Iudaici, quia illi quidem reiecti ab apoſtolis, & nota-
ti extra conuentum Chriſtianorum erratici vagabantur; hæretici & quoſdam furtim corrum-
pebant incautos. Iſti autem quaſi fundati Chriſtiani, & eccleſias ſuas habentes, atque regen-
tes, palam cum libertate ſubuertunt; Et ne adhuc dicat hæreticus, quia de veris doctoribus lo-
quitur, qui Chriſtiani quidem ſunt, tamen peccatores ſunt: omnis enim Chriſtianus, qui pec-
B catum facit, falſus dicitur Chriſtianus, qui inquam, non pænitet de peccato. Attamen de iſtis
peccatoribus Chriſtianis, ſed de hæreticis doctoribus loquitur, quia non tantùm dixit, *qui ve-
niunt ad vos in veſtimentis ouium*, ſed addidit, *ab intus autem ſunt lupi rapaces:* Chriſtiani
enim doctores etſi fuerint peccatores ſerui quidem carnis dicuntur, quia vincuntur à carne, ta-
men propoſitum non habent perdere Chriſtianos, & ideo non dicuntur lupi rapaces. Vides er-
go, quia manifeſtè de hæreticis doctoribus dicat, qui eo propoſito ſchemata Chriſtianorum ſu-
ſceperunt, prouidente diabolo, vt Chriſtianos iniquo ſeductionis morſu dilaniẽt. De qualibus
lupis ad Epheſios dicebat apoſtolus: *Scio, quia poſt diſceſſum meum introibũt lupi graues in vos,* Actor. 20.
non parcentes gregi, & ex vobis ipſis exibunt peruerſa loquentes, vt abducant diſcipulos poſt ſe.
Ecce doctores hæretici dicuntur à Chriſto deuoratores, quare ſi ab eis eruditus es, raptus es, nõ
eruditus, non paſtus; Si baptizatus es ab eis, deuoratus es, non ſaluatus, nam luporum eſt deuo-
rare, non ſaluare. Quid ergo eſt? ex fructibus eorum cognoſcetis eos, fructus enim hominis eſt
confeſſio fidei eius, & opera conuerſationis ipſius; Si ergo videris hominem Chriſtianum ſta-
tim conſidera, ſi confeſſio eius conueniat cum ſcripturis, verus eſt Chriſtianus; ſi autem non eſt
quemadmodum Chriſtus mandauit, falſus eſt: Sic enim & Ioannes, cùm de hæreticis ſcripſiſ-
C ſet epiſtolam, non dixit; ſi quis venerit ad vos non habens nomen Chriſti, nec aue ei dixeritis:
Sed, ſi quis non attulerit iſtam doctrinam. Indicium Chriſtianitatis non ad nomen Chriſti re-
tulit, ſed ad confeſſionem, quia non nomen ſolum Chriſti Chriſtianum facit, ſed etiam veritas
Chriſti, quia in nomine Chriſti multi ambulant, in veritate autem eius pauci. Deinde vide.
Nunquid ouis lupum perſequitur aliquando? Non, ſed lupus ouem. Sic Iudæi Chriſtum, non
Chriſtus Iudæos, hæretici Chriſtianos, non Chriſtiani hæreticos. Ergo ex fructibus eorum co-
gnoſcetis eos. Si quis lupum cooperiat pelle ouina, quomodo cognoſcas illum, niſi aut per vo-
cem, aut per actum? Ouis inclinata deorſum balat, lupus in aera conuertit caput ſuum contra
cælum, & ſic vlulat. Qui ergo ſecundum Deum vocem humilitatis, & confeſſionis emittit, ouis
eſt: Qui verò aduerſus veritatem turpiter blaſphemijs vlulat contra Deum, lupus eſt, ſicut dicit
propheta de illis: *Iniquitatem in excelſo locuti ſunt, poſuerunt in cælum os ſuum.* Ouis herbas Pſalm. 72.
mãducat, lupus carnibus delectatur. Quem videris ergo de pratis ſcripturarum herbas floridas
Iuſtitiæ colligẽtem, ouis eſt; quem videris autem in ſanguine perſecutionis gaudentem, lupus
eſt. Aliqui verò hanc Chriſti ſententiam intelligunt de omnibus hypocritis, qui foris oſten-
D dunt, quod reuera non ſunt. Sed de hypocritis hic quidem agere, cõcedit Toſtatus, ſed de om-
nibus intelligi hypocritis, negat, quia hypocrita, inquit, vt hypocrita, ſibi ſoli tantùm nocet;
hic verò illi intelliguntur, qui nocent alijs, quales, inquit, ſunt falſi prædicatores cùm nullum
maius nocumentum eſſe queat, quàm veræ fidei corruptio, & ſimulata veritas. Intrinſecus au-
tem ſunt lupi rapaces, ideſt, intrinſecus habent deſiderium deſtruendi, & peruertendi veram
fidem. Iſtiuſmodi hypocritæ, qui mentem lupinam habent ſub ouina pelle, intelligũtur etiam
per oues illas, quas Saluator noſter Hieroſolymam veniens ad celebrandum paſcha apud Io-
annem, templo eiecit, quia ſicut oues exterius frequenter apparent pulchræ, & albæ, ſæpe ta-
men interius ſunt morbidæ, & ſcabioſæ ſub lana. Dicuntur modò etiam lupi ſub ouilla pelle,
teſte eidem Chryſoſtomo in homil. de recipiendo Seueriano, adulatores, & maligni: Non eſt, in-
quit, amicus tutus, non frater firmus, ſublatum eſt charitatis bonum, ciuile bellum habet om-
nes, ac ne id quidem apertum, ſed obumbratum. Innumerabiles vbique perſonæ, ſimulatæque
facies. Multa ouium vellera, innumeri vbique lupi ſub his occultati, vt inter hoſtes iam aliquis
tutius vixerit, quàm inter hos, qui videntur amici; qui heri adulabantur, qui blandiebãtur, qui
manus exoſculabantur, hodie repentè comperti ſunt eſſe lupi, abiectiſque perſonis, facti ſunt
omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

omnibus accuſatoribus acerbiores &c. D. Hieronymus de omnibus quidem intelligi poſſe B ait Euangeliſtæ ſupra citata verba, qui aliud habitu, ac ſermone promittunt, aliud opere demonſtrant, ſed ſpecialiter de hæreticis intelligi debere, qui videntur, inquit, continentia, caſtitate, ieiunio, quaſi quadam pietatis ſe veſte circumdare, intrinſecus autem habentes animum venenatum, ſimpliciorum fratrum corda decipiunt. Et fructibus ergo animæ, quibus innocentiam ad ruinam trahunt, lupis rapacibus comparari. Ouis item pro innocentibus fidelibus, vt lupus pro hæreticis à Prudentio accipitur de Ario, & Fotino loquente:

latet & lupus ore cruento
Lacteolam mentitus ouem ſub vellere molli
Cruda per agninos exercens funera rictus
HAc ſeſe occultant Fotinus & AZius arte
Innanes feritate lupi.

Et in fine ſui Periſtephani ouile etiam accipit pro grege Chriſtianorum, & fidelium & lupum pro ſeductore.

Sic tibi de pleno lupus excludatur ouili
Agna nec vlla tuum capta gregem minuat
Sic me gramineo remanentem denique campo
Sedulus ægrotam paſtor ouem referas.
Sic cum lacteolis caulas compleueris agnis
Raptus & ipſe ſacroſis comes Hippolyto.

Apud Eſaiam, vbi dicitur: *Et compaſcet lupus cum agno, & pardus accubabit hædo, & vitulus, & taurus, & leo ſimul paſcentur & puer paruulus aget eos, & bos, & vrſus compaſcent, & catuli eorum ſimul erunt, & leo & bos ſimul veſcentur paleis.* D. Cyrillus, per agnum, & hædum aliaque innocua, & mitia animantia manſuetos, placidos, mites, & ſanctos: per leonem verò pardum, lupum, & vrſum, homines naturæ contrariæ intelligit. Cùm enim prius humanũ genus in duas gentes diuiſiſſet, in Iudæos ſcilicet, & gentes eos, qui Idola colunt, ait: Iudæi legis pædagogia velut manſuefacti, & iuſtitiæ conformatione cicurati vitam coluerunt hominibus dignam: Illi verò alij, ideſt, qui ſimulachris inanimis ſeruierunt, rectricem legem non habentes, mente ſæua præditi extiterunt, & agreſtes, & rapaces auaritiæ addicti, impetuoſi, & proni ad voluptates, G eaſq; turpiſſimas, & ad omnia fœdiſſima pręcipites, quorum alius lupo aſſimilis erat, alius pardis vicinus, & conformis propterea quod mentem pluribus, & varijs perturbationibus, & affectibus notatam quaſi & commaculatam haberet; alius verò animo impotens, & effrenis rapacitate, facilè perſequēs, in vita leonibus aſſimilis extitit. Verũ hi adeo efferatis & morib. & motibus innutriti, Chriſto eos ad manſuetiſſimã, & ſanctã vitã transformante, crudelitate ſua relicta, & reiecta vitam hominibus conuenientem nimirum, quæ cum manſuetudine coniuncta eſſet, excoluerunt; crediderunt enim Chriſto dicenti: *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Itaque vnà cum fide lucrifecerunt, & veteris immanitatis abolitionem, & vt boni eſſent, & mites, & vt vnà cum ſanctis verſarentur. Nuncupati ſunt enim conciues ſanctorum, & domeſtici Dei. Hoc nobis arbitror propheticum ſermonem hiſce verbis variè ſubnotare: *Compaſcet enim*, inquit, *lupus cum agno, & pardus accubabit hædo*, ideſt, contigua erunt, & coniuncta per Chriſtum ſæua cum manſuetis, & quæ nullo modo ſacra erant, cum ſacris. Nam Iſrael quatenus lege inſtitutus eſt, & probitatem morum cognitam perſpectamque haberet, placidus erat, & mitis ſimul & ſanctus, & quaſi oui, & capræ conſimilis: Ambo ſiquidem ſacra ſunt & munda animalia, & pręterea ab ipſa natura ad manſuetudinem efficta. Lupus autem, pardus, & leo immania ſunt naturaliter, nec inter ſe congregabilia: At in Chriſto hoc quoque perfectum eſt. Conſociati ſunt enim inter ſe mutuo Iudæi, & Græci, communem veluti capientes cibum, euangelicam ſcilicet, & apoſtolicam pręedicationem, & vni paſtori omnium principi ſubditi, qui paſcere nouit, ſicut dicit propheta, in paſcuis bonis, & in loco pręepingui. Sed & vitulus, inquit, & leo, & taurus ſimul paſcentur. Videtur autem vitulum appellare nouitium, & recentem credentiũ populum, in Chriſto ſcilicet pueraſcentem; taurum autem fortaſſis Iſraelem, velut veteranum; Cùm enim tener ſit vitulus, taurus prior eſt, & maturior tempore. Vel per vitulum deſignat eum, qui cognitione, & virtute eminet. Quale eſt, quod dicitur, puſillos cum magnis, & ſeniores cum iunioribus benedicere iuxta vocem pſallentis. Nouit verò & ſapientiſſimus Ioannes mentis, & animi ętatem talem. Scribit igitur & patribus, & paruulis, & præterea adoleſcentibus comparans, vt arbitror, menſuram cuiuſque mentis, & notitię, & diuinę cognitionis corporum ętatibus. Paſcuntur itaque, inquit, ſimul, & in vno loco, & vitulus, & taurus, & leo. Tum cōmodè vitulo, & tau-

Manſueti, & imman- ti qui.

ro

A pro leonem adiungit, vt rursus ænigmaticè & obscurè subintelligas fide iustificatos, & sceptro Christi omnium nostrum Seruatoris subiectos, non ex solis esse mundis, & sanctis, nempe ex placidis, & mitibus, idest, ex lege mansuefactis, sed etiam ex agrestibus, videlicet ex gentibus, conglutinante, & ad concordiam animorum componente eos omnium nostrum Seruatore Christo, & bonum inde etiam in filios filiorum, idest, ex ipsis natos, transmittente. Nam huc etiam propagatur à nobis pax Christi, & consensionis animorum, & fidei bonum. Istuc enim puto ostendit cùm adijcit: *Simul catuli eorum erunt, & leo, & bos simul vescentur paleis*, inquit, Obserua, quod dicit non mite in alimentum feris vsitatum, sed in mitis nutritionem ferum demigrare. Carniuora quippe planè sunt vrsus, & leo, bos autem, & vitulus, ouis, & hædus non ita, sed herbas carpunt huiusmodi animantia. Atqui à consuetis, ac solitis, inquit, syluestria recedent, & potius ad cibaria mansuetorum transibunt, & illa vescentur palea. Typus autem doctrinæ possit esse hæc pastio. Est igitur intelligendum, ante fidem in Christum improbos habuisse præceptores, pecuinam illis tradentes doctrinam, & porrò suadentes perditissima, & corruptissima consectari. At vbi ad B agnitionem Dei, qui verè Deus est, vocati sunt, tum simul à pristino errore, & doctrinis, in quibus enutriti, & educati sunt desciuerunt, floridum, & delitijs affluentem pastum euangelicarum institutionum simul cum Israelitis sectantes. Iacobus de Vitriaco verò in concione natiuitatis Domini explicaturus, *& puer nobis natus est*, &c. Hic est, inquit, ille puer, de quo dixit Esaias; *Vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos*, idest, qui se per contritionem Deo immolat, & is, qui alios cruciat, & is, qui in innocentiæ simplicitate perdurat, intra caulas sanctæ ecclesiæ conuenient sub ducatu pueri, idest, Christi, qui minabit eos. Et iterum: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit.* Quia, qui prius fuerat raptor, quiescet in pace cum mansueto, & pardus, idest, peccatorum suorum maculis varius, cum eo, qui se despicit, & peccatorem fatetur, humiliabitur. Rursus D. Hieronymus pauperes, & humiles per agnos, & hædos; per leones, & pardos diuites, & potentes intelligit, nec non & qui ecclesiam persequuntur, refutans primò Iudæorum nostrorumque Iudaizantium sententiam, qui iuxta literam hæc quoque futura, inquit, contendunt, vt in claritate Christi, quem putant in fine mundi esse venturum, omnes bestię redigantur in C mãsuetudinem, & pristina feritate deposita lupus, & agnus pascantur simul, & cętera cũ cæteris, quæ nunc videmus sibi esse contraria. Vt verò mysticum hæc habere sensum ostenderet, interrogemus, inquit, eos, quid dignum sit domini maiestate, vt lupus, & agnus pascãtur simul, & pardus cum hædo accubet, & leo paleas comedat, &c. Nisi forte iuxta poetarum fabulas aureum nobis Saturni seculum restituent; in quo lupi, & agni pascentur simul, & mulso vino plena current flumina, & de folijs arborum stillabũt mella dulcissima, lacteisq; fontibus omnia complebuntur. Quod si responderint pro beatitudine temporum hæc futura, vt absq; cuiusquam noxa homines bonis omnibus perfruantur, audiant à nobis, nihil esse bonũ nisi virtutem & nihil malum nisi vitium, dicente psalmista: *Quis est homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos: Compesce linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, declina à malo, & fac bonum.* Diuitiæ autem, & sanitas corporis, & rerum omnium abundantia, & his cõtraria, paupertas, infirmitas, & inopia etiam apud philosophos seculi, nec inter bona reputantur, nec inter mala, sed appellantur indifferentia. Vnde & stoici, qui nostro dogmati in D plerisq; concordant, nihil appellant bonum, nisi solam honestatem, atq; virtutem; nihil malum nisi turpitudinem. Cæterùm iuxta viuificantem spiritum facilis intelligentia est. Lupus enim Paulus, qui primò persequebatur, & lacerabat ecclesiam, de quo dictum est, *Beniamin lupus rapax*, habitauit cum agno, vel Anania, à quo baptizatus est, vel Petro apostolo, cui dictum est: *pasce agnos meos*. Et pardus, qui prius nõ mutabat varietates suas, lotus in fonte domini, accubauit cum hædo, non qui à sinistris est, sed qui immolatur in pascha domini, & hoc notandum, quod non agnus & hædus habitent, & cùm accubent cum lupo, & pardo, sed lupus, & pardus, agni & hædi imitentur innocentiam. Leo quoque prius ferocissimus, & ouis, & vitulus pariter morabuntur, quod quotidiè cernimus in ecclesia, diuites, & pauperes, potentes, & humiles, reges, atque priuatos pariter commorari, & à pueris paruulis, quos apostolos intelligimus, & apostolicos viros imperito sermone, sed non scientia, regi in ecclesia. Qui cum inter se disciplina domini fuerint fœderati, ita vt eorum quoq; familiæ coniungantur, tunc complebitur: Simul requiescent catuli eorum, leo quoque non carnes comedet, sed paleas, quo scilicet vescatur cibo simplici. Et hic obseruandum, quòd non bos carnes, sed leo paleas comedat: Paleas in scriptura sacra verba, simplicia puto intelligi, triticum autem, & interiorem medullam, sensum, qui inuenitur in litera, & frequen-

Christus puer paruulus dictus.

Pauperes & humiles.

Diuites, & potentes.

Psalm. 33.

Genes. 49.

Palea & triticum quid denotent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ter euenit, vt homines ſeculi myſtica neſcientes ſimplici ſcripturarum lectione paſcantur.

Eſai. 75.

Idem Hieronymus in comment. horum eiuſdem prophetæ verborum; *tunc lupi & agni paſcentur ſimul, leo autem quaſi bos comedet paleas, & ſerpens terram quaſi panem*, tunc lupus, & agnus, inquit, paſcebantur ſimul perſecutor Paulus, & Ananias diſcipulus. Ille lupus, de

Geneſ. 49.

quo ſcriptum eſt: *Beniamin lupus rapax mane comedet prædam, & ad veſperam dabit eſcam*, ſiue, vt in hebraico dicitur, *diuidet ſpolia*. Cuius doctrina cibus fuit credentium, & qui toto orbe de ſuperatis aduerſarijs triumphauit. Agni autem credendi ſunt omnes, qui in veſtibus candidis ſequuntur agnum quocunque vadit; quos dominus Petro tradidit ad paſcendum dicens: *paſce agnos meos*.

Leo comedens paleas.

Leo quoque vt bos comedet paleas, quando viri diſertiſſimi, & quondam apud ſeculum potentes, ſcripturarum ſe tradunt ruſticitati, vt nequaquam ſeculari paſcantur eloquentia, quæ inſtar mellis ſtillat de labijs meretricis, ſed vilitatem, & paleas ſequantur hiſtoriæ: donec multo labore, atque induſtria mereantur ad frumentum ſenſuum peruenire. Et conſiderandum, quod non bos vertatur in rabiem, ſed leo mutetur in manſuetudinem, & ſerpens etiam, qui obſeruabat hominis calcaneum, & cuius ab homine obſeruabatur caput, nequaquam aliorum nutrietur interitu, ſed terram ſiue puluerem quaſi panem comedet.

Serpens terram comedens quid ſignificet.

Aut certè ſic intelligendum, quòd diabolus, qui prius hominum mortibus paſcebatur, eos tantùm comedat, qui puluis, ac terra ſunt. Per quæ omnia demonſtratur malorum in bonum commutatio: qui innoxij erunt, antiqua feritate depoſita, non foris, ſed in monte ſancto domini, hoc eſt, in eccleſia, & in confeſſione eius montis, à quo vulneratus eſt princeps Tyri, & qui exciſus de monte ſine manibus creuit in montem magnum, & impleuit orbem. Interrogemus in hoc loco Iudæos, & omnes, qui ſub nomine chriſtiano adhuc paleas comedunt ſcripturarum, quæ ventilabro domini à tritico ſeparatæ vento tradentur, & flammis, quæ beatitudo ſit æſtimanda, vt in mille annorum regno in Sion monte ciuitate Chriſti præſentis Ieruſalem, & in templo auguſtiſſimo lupi, & agni, leones, & boues, ſerpentes, & homines ſimul comedant, pariterque commorentur, & hi tantùm innoxij ſint, qui in monte ſancto domini habitauerint? Ex quo intelligimus omnes, qui extra montem fuerint, occidendos. Nudabitur ergo lupis, leonibus, pardis, vrſis, atque ſerpentibus, & cæteris beſtijs vniuerſus orbis, & immenſi ſaltus, & Aegyptiæ vaſtitas ſolitudinis, quæ venenatorum animantium fertilis eſt, & pro ſumma felicitate ciuitas ſancta, non ſolùm hominum, ſed & beſtiarum, & ſerpentium erit habitaculum, vt iuxta ſuperiorem prophetiam, habitet lupus cum agno, & pardus cum hædo, vitulus, & leo, & oues cum vrſis ſimul morentur, & puer paruulus regat eos & cæt. Cauſaque ſit tantæ felicitatis, quia repleta eſt omnis terra ſapientia domini.

Eſai. c. 11.

Cùm modò aries gregis ſui dux ſit, etiam myſticè, moraliterque pro quouis accipitur, qui alijs præeſt, dominaturque, ſiue temporaliter, ſiue ſpiritualiter. Apud Danielem, vbi dicitur: *Ecce aries vnus ſtabat ante paludem habens cornua excelſa, & vnum cornu excelſius altero, atque ſuccreſcens*, arietem inquit Benedictus Pererius, ſignificaſſe regnum Medorum, & Perſarum, ipſe angelus infra declarat.

Perſarũ regnum cur arieti comparatum.

Cur autem regnum Perſicum arieti comparatum fuerit, non eſt, inquit, in promptu explicare. Solus interpretum Theodoretus eam reddidit rationem, quod ſicut aries ſua lana grauatur, & tam propter carnes, quam propter lanam neci datur, ita regnum Perſarum nimia opum abundantia, & imperij magnitudine quaſi grauatum, preſſumque tandem corruerit.

Lib. 8. de victor. verbi Dei 30.

Poſſit etiam illud addi, quod ſcribit Rupertus: Quæſitu, inquit, dignum eſt, cur in viſione priori regnum Perſarum per ſimilitudinem vrſi, in hac autem viſione, per ſimilitudinem arietis ſignatum fuerit. Ad quod congruè reſponderi poteſt, quia cauſæ diuerſæ, imò contrariæ regni illius fuere erga Dei populum. Cauſas illas tam longè diuerſas dicere non dubitauerim, quàm diuerſæ ſunt naturæ horum animalium, vrſi, & arietis, quorum alterum rapto, & cruore viuit, alterum innocuum, neque ſanguinem ſitit, neque rapto viuit. Promptum eſt hoc diſcerni, ſi reſpicias regnum illud ſecundum Aman, quàm crudele fuerit; Secundum reges, quàm clementer illi populo ſe impenderit; Aman quippe moribus veraciter vrſus, truci furore, immani rabie, Iudæorum genus vniuerſum ore aperto hians deuorare voluit. Reges autem maximè Aſſuerus more arietis, lanis ſuis, ideſt, opibus multis, quibus regnum illud abundauit, eundem populum fouit, & ditauit, nullumque dentem malignitatis inflixit, ſicut aries dente neminem petit: imò vitam gentis illius lætificauit gratia reginę Eſther, & Mardochæi. Sic Rupertus.

Arietis duo cornua quid ſignificent.

Quid autem ſignificent duo cornua arietis, vnum excelſius altero, ſunt interpretationes: prima eſt D. Hieronymi, qui ait ſignificari duos reges, huius imperij, & monarchiæ Medorum, & Perſarum conditores, Darium Medum, & Cyrum. Hic autem quia potentior illo fuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A fuit, multoque latius imperium amplificauit, propterea celsiori cornu significatur. Quam interpretationem probat quoque Rupertus, & pluribus verbis hunc in modum pertractat: *Libro citato cap. 31.* Si quæras, inquit, cur hircus vnum tantummodo cornu habere visus est, aries autem duo cornua, facilis patet responsio, corpora quidem horum animalium singula regna signare, cornua verò eorundem regnorum reges significare. Constat autem solum Alexandrum, & ante, & post victos Persas, regnum Græcorum nullo imperij socio, & consorte tenuisse. Regnum autem Persarum, & Medorum, duo reges victis Babylonijs ad tantam magnitudinem, & potentiam extulerunt, Cyrus, & Darius Medus auunculus eius, & Astyagis filius, quem Græci Cyaxarem appellant. Cyrus autem licet ætate iunior Dario, victorijs tamen, & potentia & opibus maior est effectus, ideoque vnum cornu arietis dicitur altero fuisse sublimius. Altera interpretatio est Theodoreti, qui duo cornua arietis significare ait, duas familias regum Persidis, penes quas fuit hoc imperium à Cyro vsque ad Alexandrum Magnum. Prior familia fuit Cyri, qui hoc imperium fundauit, quæ mox in filio eius Cambyse extincta est. B Posterior familia fuit Darij Hystaspis, in cuius successoribus, vsque ad Alexandrum Persicum imperium permansit, qui quidem fuere potentissimi, atque opulentissimi, atque ob eam causam familia hæc præstantior fuit priori. Libet hic ponere verba Theodoreti: Persicum regnum, inquit, arieti simile inducitur, tanquam diuitijs suis laborans, multarumque facultatum obtinens abundantiam. Duo cornua in ariete contemplatur, quia primus regno potitus est Cyrus, quod vsque ad filium suum tantummodo Cambysem transmisit. Hoc deinde excepit Darius Hystaspis, cuius posteri regno Persico, vsque ad Alexandrum Magnum potiti sunt. Duo itaque genera regum per duo cornua significantur, & ambo quidem videntur excelsa, sed excelsius tamen priore posterius, amplius enim Dario, & Xerse sceptra tenentibus, regnum hoc fuit, quàm superioribus. Etenim Cyrus Pontum, Euxinum, & Asiam subegit: his Darius adiecit Scythas, Nomadas, cum alijs multis gentibus: Xerses eius filius Europæ quoque regni sui iugum imponere conatus est. Nam quàm latè patens fuerit hoc imperium sub Assuero marito Hesther ex primo eius libro, & decimo capite liquidò cognoscitur. Hactenus ex Theodoreto. C Tertia interpretatio nostra est, inquit, Pererius, quæ sententiæ verborum Danielis magis videtur inhærere, magisque cum ijs, quæ angelus infrà, visionem hanc interpretatus, dixit, congruere. Arbitramur nos duo illa cornua arietis significasse duo huius imperij, prima, propria, & præcipua regna Medorum videlicet, & Persarum: quorum duorum duntaxat appellatione tam ipsum imperium, quàm reges, licet plurimis alijs regnis dominarentur, nominabantur. Nam & ipsi se, & alij eos non nisi reges Persarum, & Medorum appellabant. Hoc indicauit angelus, cùm visionem bicornis arietis exponens, *aries*, inquit, *est rex Medorum, & Persarum*. Et sic intelligitur hircus cum ariete congressus, fregisse eius cornua, quoniam Alexander cum vltimo rege Dario præliatus eum vicit, & imperium Medorum, & Persarum ad Græcos transtulit: neque enim videtur commodè intelligi posse Alexandrum destruxisse duo cornua, idest, Darium Medum & Cyrum, vt Diuus Hieronymus intellexit, quippe qui plus ducentis annis ante ipsum Alexandrum decesserant: Neque duas illas familias Cyri, & Darij Hystaspis, in quibus imperium hoc resederat, quemadmodum interpretatus est Theodoretus, siquidem vltimus rex Persarum Darius, qui victus ab Alexandro perdidit imperium, ex neutra D familia fuit: non enim quia regio esset genere, sed causa virtutis, & fortitudinis, cuius præclara ediderat exempla, Persarum suffragio ad regnum assumptus est, vt in extremo libro decimo tradit Iustinus. Licet Diodorus scribat hunc Darium fuisse filium Arsani, qui regi Ocho frater fuerat. Eum tamen Darium Strabo regiæ stirpis fuisse, negat. *Lib. 17.* *Lib. 16.* Hactenus Pererius. F. Hector Pintus verò Hieronymianus Sacræ Theologiæ Doctor, & in Academia Conimbricensi Sanctæ Scripturæ professor, per hunc arietem significari ait vltimum Darium, & per hircum, qui eum vicit, Alexandrum Magnum, qui de eo victoriam reportauit; vel per arietem intelligi regnum Persarum, ac Medorum, & per hircum, regnum Macedonum, sed in idem id recurrere. Habuisse arietem duo cornua propter duos populos Persas, & Medos, ac quia Persarum populus erat nobilior, & præstantior populo Medorum, ideo per cornu succrescens significari. Sequitur: *Vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem, Aquilonem, & meridiem*. Significatur his verbis, ex sententia Pererij, quas partes orbis Persæ bello appetierint, & deuicerint, videlicet australem, in qua est Aegyptus, Aethiopia, & Libya: Aquilonarem, vbi sunt Ponticæ gentes, & occidentalem, hoc est, insulas maris mediterranei, quod Persis est occidenta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

le, vnde pro illo, *Contra occidentem*, græcè eſt, contra mare, maris namque mediterra-
nei fermè inſulas omnes, vel voluntaria deditione, vel bellica potentia Perſæ obtinuerunt,
Cæterùm Pintus hæc eadem verba: *Vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem,*
& cætera, ſimiliter quidem interpretatus, addit: Vel vidi ipſorum regem Darium ad has
tres mundi partes ſe extendentem. Aries autem propriè, inquit, Darius eſt. Quod ſi verò

Perſarum rex cur aries dictus.

quis quærat, cur rex Perſarum hoc loco cum ariete comparetur, reſpondendum eſſe exiſti-
mat, eam ob cauſam id effectum eſſe, quia aries vires habet in capite, per quod principium
intelligitur, non autem in parte poſteriori, per quam finis indicatur. Darius enim fuit
fortis in principio, ſed poſtea languit, & vires amiſit. Huc accedit, quod aries non pu-
gnat, niſi prouocatus, & iniuria laceſſitus, rex enim Darius non ſumpſit arma niſi læſus, &
irritatus: Vnde olim qui volebant oſtendere ſe violatos, & coactos bellum gerere ſoliti
erant arietem per fecialem ad hoſtes præmittere: Furor namque fit ſæpenumero læſa
patientia. Aries eſt natura manſuetus, ſed ſi laceſſitur, ira concitatus fortiter pugnat; In-
telligi autem potiſſimum Darium, quem Alexander vicit per arietem ſequentia manife-

Alexander Magnus cur hirco caprarum comparatus.

ſte indicant: *Ecce hircus caprarum veniebat ab occidente ſuper faciem totius terræ non tan-
gens terram, habens cornu inſigne inter oculos ſuos, & cucurrit ad arietem in impetu forti-
tudinis ſuæ, & percuſſit eum, & comminuit duo cornua eius*; Comparatur enim hirco Ale-
xander, quia ſicut hircus ardentior, velocior, & potentior eſt ariete, ita Alexander Da-
rio; vel vt habet Pererius, Perſarum regibus. Vocatur hircus caprarum, ideſt, princeps,
& dux Græcorum, quia vt aries ouium, ſic hircus caprarum princeps, & dux eſt. Nec ma-
lè capris comparantur Græci propter mobilitatem animi, & ſagacitatem, atque acumen
ingenij: Etenim docet Plinius capras ſagacioris eſſe ingenij, acutioris viſus, & ad mo-
tum agiliores, quàm oues, nec dubium eſt, quin hiſce rebus Perſis Græci præſtiterint. Sic
& Pintus declarans illud: *hircus habebat cornu inſigne inter oculos ſuos*, hoc eſſe ait, quòd
regnum Græcorum habuit quendam principem admirandum nempe Alexandrum, qui
fuit, inquit, inter oculos, ideſt, inter philoſophos nutritus, fuit enim diſcipulus Ariſtote-
lis, & cum magnis viris in philoſophia verſatus. Accipitur autem oculus pro perſpicacia,

Cap. 16.

& iudicio, vt in Deuteronomio; *Munera excæcant oculos ſapientum*. Dicitur hircus ve-
niſſe ab occidente, Alexander enim Macedonia, quæ Perſis eſt occidentalis, profectus eſt

Aries principem eccleſiæ notat.

in Aſiam ad debellandos Perſas. Pro principe verò, præfectoue eccleſiæ accipitur aries,
vbi dicitur, *tria ſunt, quæ benè gradiuntur, & quartum, quod feliciter incedit, leo fortiſ-
ſimus beſtiarum, qui ad nullius pauebit occurſum, gallus ſuccinctus lumbos, & aries, nec*

Lib. 30. in Iob 38.

eſt rex, qui reſiſtat ei: Sic enim hæc verba interpretatur Diuus Gregorius. Ipſe quippe,
inquit, hoc loco ponitur, de quo ſcriptum eſt, vicit leo de tribu Iuda, quia in illo hoc,
quod infirmius eſt Dei, fortius eſt hominibus, qui ad nullius pauet occurſum, dicit enim:

Gallus ſuccinctus lumbos.

Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Gallus ſuccinctus lumbos, id
eſt, prædicatores ſancti, inter huius noctis tenebras verum mane nunciantes, qui ſuccin-
cti lumbis ſunt, qui à membris ſuis luxuriæ fluxa reſtringunt. In lumbis quippe luxuria
eſt. *Et aries, nec eſt rex, qui reſiſtat ei*. Quem alium hoc loco arietem accipimus, niſi

Pſalm. 28.

primum intra Eccleſiam ordinem ſacerdotum, de quibus ſcriptum eſt: *Afferte domino
filios arietum*, qui per exempla ſua gradientem populum quaſi ſubſequentem ouium gre-
gem trahunt. Quibus ſpiritaliter, rectèque viuentibus nullus rex ſufficit omnino reſiſtere,
quia quilibet perſecutor obuiet, intentionem eorum non valet præpedire. Sciunt enim
ad Deum, quem deſiderant, & anxiè currere, & moriendo peruenire. Ponitur ergo
primus leo, ſecundus gallus, tertius aries. Apparuit enim Chriſtus, deinde ſancti præ-
dicatores apoſtoli, & tunc demum ſpiritales patres eccleſiarum præpoſiti, videlicet du-
ces gregum, quia ductores ſequentium populorum, & cætera. Eodem ſenſu accipiunt
hoc Pſalmiſtæ: *Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento*, quo tamen
loco Folengius clariorem præ ſe ferre ſenſum ea verba Hebræis autumat, quibus, in-
quit, nulla eſt de ariete mentio, ſed ita habent: *Veſtient planities pecora, & valles
operientur frumento, iubilabunt, ac canent*. Quanquam arietes dictio nequaquam,
inquit, ſuo vacat myſterio; Nam in Scripturis arietes pro principibus, magiſtratibuſ-
que, & doctoribus ſumi ſolent, qui populorum duces ſunt, quemadmodum illi oui-
um: induuntur enim, nempe exultatione, ac lætitia Spiritus (modò veri arietes ſint) hoc
eſt, mirandum in modum exhilarantur, & ſi ſuos viderint ſubditos in opimis Dei paſcu-
is ali, & ſaginari, triumphant. O iucundiſſimam amænitatem, ſed pauciſſimis notam,
etiam his, qui cum arietes eſſe deberent in grege domini, verueces ſunt pigri, & rei nul-
lius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A lius commodo vtiles, præterquam macello, ac lanienæ. Cæterùm Diuus Hieronymus ex
plicans verba iſta Ieremiæ: *Vlulate* (ſiue iubilate) *paſtores, & clamate, & aſpergite vos ci-*
nere optimates gregis (ſiue plangite arietes ouium) *quia completi ſunt dies veſtri vt interfi-*
ciamini, & diſſipationes veſtræ & cadetis quaſi vaſa pretioſa (ſiue quaſi arietes electi) *& peri-*
bit fuga à paſtoribus, & ſaluatio ab optimatibus (ſiue arietibus) *gregis. Vox clamoris paſto-*
rum, & vlulatus optimatum gregis (ſiue iubilum arietum) *quia vaſtauit dominus paſcua eo-*
rum, ait per arietes ſignificari principes indoctos; inter paſtores, inquit, & arietes iſta diuer- *Aries princeps indoctus.*
ſitas eſt, quòd paſtores in eccleſia putentur, qui præſunt gregi cum ſapientia, & eruditione,
atque doctrina: arietes verò, qui principes quidem videntur in populo, ſed nihil habent in-
ſe doctrinæ, atque ſapientiæ, & per nimiam ſimplicitatem propemodum ſtultitiæ vicini ſunt.
Arietibus tamen etiam aliquando apoſtoli ſignificantur, vt ait Diuus Auguſtinus, his ver-
bis: Omnibus neceſſaria eſt oratio dominica, quam etiam ipſis arietibus gregis, ideſt, apoſto- *In Epiſt. ad Hilar.*
lis ſuis dominus dedit, vt vnuſquiſque Deo dicat: dimitte nobis debita noſtra, & cæt. Et rur-
B ſus in explicatione præcitatorum pſalmiſtæ verborum: *Induti ſunt arietes ouium*, ſcilicet exul- *Arietes apoſtolos ſignificant.*
tatione, quia enim exultatione colles, inquit, accingentur, hac induuntur arietes ouium. Ip-
ſi arietes, qui colles, colles enim eminentiore gratia: arietes, quia duces gregum: arietes er-
go apoſtoli induti ſunt exultatione, gaudent de fructibus ſuis non ſine cauſa laborauerunt,
non ſine cauſa prædicauerunt, induti ſunt arietes ouium, & conualles abundabunt frumen-
to. Et mox rurſus vbi idem Pſalmiſta ait: *Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo, &*
arietibus, arietes eſſe, ait, duces eccleſiæ, totum corpus Chriſti loquitur, inquit, hoc eſt, quod
offert Deo incenſum. Quid oratio cum incenſo, & arietibus? Maximi enim arietes erant *Duces eccleſiæ.*
pro gregibus. Similiter vbi Dauid dicit: *Afferte domino filios arietum*, afferte, inquit domi-
no voſmet ipſos, quos per euangelium duces gregum apoſtoli genuerunt. Et in hoc eodem *Pſalm. 28.*
loco Incognitus ille, qui eruditiùs, quàm latiniùs in pſalmos ſcripſit, notandum eſſe mo-
net, apoſtolos, & primitiuos illos eccleſiæ fundatores, qui nimirum nos per euangelium ge-
nuerunt, arietes nuncupari, quia veluti arietes duces erant gregum, ac cuſtodes diligenti
cuſtodia, & veluti arietes duobus cornibus, ideſt, vtriuſque teſtamenti authoritatibus præ-
ualuerunt in defenſione ſui gregis contra hæreticos, & infideles. Ad iſtos arietes ſcilicet
C apoſtolos veniunt omnes, qui de infidelitate conuertuntur ad fidem, in cuius rei figura dici-
tur in Exodo, quod filij Iſrael exeuntes de Aegypto venerunt in Helim, vbi erant duodecim
fontes, & ſeptuaginta palmæ. Elim enim interpretatur arietes: hi ſunt apoſtoli fidelium gre- *Exod. 15.*
gum duces: ibi ſunt duodecim fontes, quia duodecim ſunt principales apoſtoli prælecti à
Domino, à quibus emanat aqua viua ſalutaris ſapientiæ. Hi ſecum habent ſeptuaginta
palmas, ideſt ſeptuaginta duos diſcipulos cum eis ad prædicandum à Chriſto miſſos, qui
palmam victoriæ Chriſti toti mundo nunciauerunt. Dicit ergo: afferte domino filios arie-
tum, ideſt, voſmet ipſos, qui eſtis filij apoſtolorum: Si autem quæras quomodo meipſum
debeo offerre Deo, audi Paulum dicentem: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibea-*
tis corpora veſtra hoſtiam viuentem, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum, hæcque *Roman. 12.*
eſt victima ad quam immolandum hortatur nos Pſalmiſta: *Afferte Domino filij Dei.* Et
quid? ſubdit, *afferte domino filios arietum*, ideſt, vos ipſos filios apoſtolorum, quod eſt,
vos ipſos immaculatos ſeruate. Similiter hoc hemiſtichium exponit Gilbertus Genebrar-
D dus Theologus Pariſienſis, diuinarum, Hebraicarumque literarum profeſſor regius, nam
afferte filios arietum, exponit agnos ad ſacrificia, victimas ex agnis, additque duplicem *Vocis Elim explicatio.*
vocis Elim ſignificationem repræſentaſſe duplici interpretatione, ne quis putet, inquit, hoc
hemiſtichium eſſe obelo transfigendum. Elim, Dij, & arietes: filij autem deorum (ſic
enim hebraicè) pij, quos Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus adoptionis gratia dignati
ſunt, Chaldæus angelicos choros exponit, tribuite domino laudes chori angelorum, qui fi-
lij Dei dicuntur apud Iob, per adoptionem videlicet, & creationem. Nam ſolus Chriſtus
filius Dei eſt per generationem, & propagationem naturalem. Alij proceres, principes. *Iob. 2. 38.*
Sic ille. Et Auguſtinus Steuchus Epiſcopus Kiſamus Sedis apoſtolicæ Bibliothecarius,
ait; longè locum iſtum diſſentire ab origine, nam quod dicitur: *Afferte domino filios arie-*
tum, vt græcè eſt υἱὰς κριῶν, totum, inquit, redundat, ſtatimque præcipitur, afferte do-
mino gloriam, & honorem, ad hunc modum; afferte domino filij deorum bene Elim
afferte domino gloriam, & honorem. Scire tamen operæ pretium eſt, vocem, Elim,
ambiguam eſſe, & poſſe legi cum iod poſt aleph, quod deſignabit arietes, aut ſine iod,
denotabitque Deos, neque deſunt pro alterutro ſignificatu exempla, & hebraica ſubnota-
tio, quæ dicitur Maſſoreth, oſtendit vtramque lectionem, vtramque igitur græci interpretes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

poſuerunt, ὑοὶ θεῶ, ὑὲς κριῶν. Sed quoniam alterum per accuſatiuum, alterum per caſum nominandi efferunt, nõ efficitur ſenſus verus, vt inuitentur filij Dei ad offerendos filios arietum. Alterum ſecludere neceſſe eſt. Verior igitur lectio, pluribuſque probatior eſt, vt Elim nunc ſint Dij, idque omnes ad vnum Hebræi cum Chaldæo comprobant, nam Chaldæus pro filijs Dei ſubſtituit Kitte malakaia, acies angelorum, ordines angelicos. Auen Eſdra filios Dei, ſtellas interpretatur, vt illud apud Iob; *Cùm me laudarent ſtellæ matutinæ, & iubilarent omnes filij Dei.* Filios Deorum Rabbi Salamon filios principum in terra, vt in Geneſi, videntes filij filias hominum. Siquidem Elim non Deus tantùm, ſed fortes robuſtoſque etiam ſignificat. Inuitat igitur angelos, inuitat principes, viroſque conſpicuos, imperatores, reges, dictatores, generatim omnes, quibus parent populi, vt offerant Deo gloriam, decus, & honorem. Græci quoque filios Dei, quibus diuina prædicatio permiſſa eſt, interpretantur, nimirum apoſtolos, velut etiam Nicolaus, ſacerdotes, ſacrificos. Sed ſi arietes excluſeris, mentemque altiſſimè tuleris, inuitantur angeli in omnibus rebus creatis, primum gradum obtinentes, in admirationem, prædicationemque diuinæ potentiæ. Folengius verò cùm dixiſſet per filios Dei, non rectè angelos, ſed principes fortes intelligi debere, ſubdit, quod ſi tamen dictio arietes interſerẽda eſt, vt D. Hieronymus approbaſſe viſus eſt, filij arietes potiùs, quàm filios arietum, legendum arbitror. Ex qua quidem inuitatione filij prouocantur principum, qui arietes à prophetis non ſemel nuncupari ſolent, vt in primis illud Ieremiæ, omiſſis cæteris, in medium proferam, quo quæritur principes Iuda factos, vt arietes, non inuenientes paſcua, qui abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis: ait igitur vates: ò vos reges, ò principes, ò vos, qui in rebus publicis, aut in Eccleſia Dei dignitate, aut potentia ſublimes eſtis, Deo, non vobis veſtram potentiam, veſtram dignitatem, veſtros honores adſcribite. At verò Pintus præcitato loco, principes quidem etiam intelligi per filios arietum more Hebrææ linguæ, aſſerit, ſed ſenſum eſſe: Vos ò filij Dei, ò apoſtoli afferte ad dominum principes, ac magnates gentium, conuertite illos ad fidem concionibus veſtris. Hunceque videri germanum eſſe loci huius ſenſum, quia paulò poſt ſequitur: *Vox domini ſuper aquas: Deus maieſtatis intonuit, dominus ſuper aquas multas.* Vox domini eſt (inquit) euangelij annuntiatio, aquæ multæ ſunt gentes, & populi, & linguæ, vt ait Ioannes in apocalypſi: Appellari ergo Darium arietem, quod princeps eſſet, & non niſi laceſſitus cum Alexandro pugnaret, & quòd ab eo fuerit victus, oſtendens in principio fortitudinem, & in fine imbecillitatem. Auguſtino, huicque quam attulimus nouiſſimæ interpretationi, fauet D. Baſilius in homilia huic pſalmo deſtinata, nam cùm dixiſſet Deum omnipotentem eximia quædam donaria quæſiturum, & hac gratia eximios eligere, qui offerant, ne enim cogitationes noſtras deijciat in humum, neve nos arietes faciat, nimirum quadrupedes rationis expertes, ac balatilia animalia inquirere, quaſi ſperemus iſtorum animalium victimatione Deum placatum iri dicere: *afferte domino filij Dei*, neque enim opus iam filio, vt filiũ offeramus, ſed ſi magnum quid eſt filius, & magnum quid, & dignum filij charitate, & paternæ dignitate, illud quod affertur, ibi addecere eſſe. Subiungit, filios itaque dicit, arietum afferte, vt ipſi, qui à vobis offeruntur, qui filij ſunt arietum, in filios Dei mutentur, aries enim animal imperium retinens, ac princeps, viam præit ouibus ad edulem, ac paſcuam pabulationem, ad aquarum peramænam refocillationem, ad ſtabulum inſuper, & caulas. Tales enim quidam ouilis Chriſti præſides ſunt, præſtantes gregi dominico ſe conferenti ad carpenda ſpiritualis doctrinæ florulenta, & odoratiſſima pabula, qui ſibi creditas oues rigent ſuppeditante illis aquam viuam Spiritu ſancto, & eas adoleſcere faciant, atque ad proferendos ex ſe fructus enutriant, qui viam præmonſtrent ad requiem perennem contendentibus, eaſdemq; ab inſidiantium impoſturis præmuniant, ac tueantur. Horum igitur filios à Dei filijs adduci vult domino ſermo hic. Quod ſi arietes hi ſunt, qui reliquo gregi præmuniunt rectitudinis viam, vtique horum filij erunt, qui propenſiore bonorum operum ſtudio, & exercitatione fuerint per præſulum doctrinam formati, & inſtructi ad vitam ſecundum virtutem inſtituendam, quo ſenſu Theodoretus hæc eadem pſalmiſtæ verba accipit: Vos, inquit, quibus diuina prædicatio commiſſa eſt, & qui filij Dei vocati eſtis, cum omni alacritate diuinam prędicationem ad omnes mundi partes transferte, atque eos, qui ſine ratione nutriti ſunt, rationis compotes reddite, & hos primos Deo offerte, deinde per hos cultum, & hymnos adhibete, in diuinis ædibus beneficij authorẽ decantantes. Cur verò aries potiùs, quàm agnus eccleſiæ primates ſignificet, Bernardinus Gomeſius in commentarijs ſuis de ſale, rationem quodammodo afferens, ſcribit in hęc verba; Per arietem de grege immaculatum, qui quo magis ab ortu ſuo diſtat, & trimus eſt, eò fit & ad eſcam ſalubrior, & ad grauidandas oues valentior, & ad victimam ſale conſpergendam aptior. Quis veriùs, quàm ſplendidiſſimus doctorum eccleſiæ, atque ſanctorum Chriſti confeſſorum cætus denotatur? vtpote qui de grege medio-

Filij Dei qui.

Apocal. 17.

Darius aries cur dictus.

Lib. 4.

Aries cur primates eccleſiæ potiùs quam agnus ſignet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

mediocri scilicet viatorum, siue perigrinorum gradu assumpti, quo longiùs à prima ætate discesserunt, atque ad mediam vsque, seu prouectam peruenerunt, eo magis virtutibus proficientes, sese Christo teneriores, atque ad oppetendam pro eo mortem paratiores effecerunt. Quin etiam & vt bicornes, valdeque fortes, & tanquam prælucentes quædam mundi faces, sapientissimique terræ sales vtroque cornu aduersa mundi petierunt: Altero scilicet, coruscanti exēplo vitæ, quo cunctos ad imitandam Christi vitam inuitarunt: Altero verò probatissima doctrina sua, qua permultos à tenebricosis mundi erroribus ad rectissimum diuinæ legis iter insequendum reuocarunt: Atque in hunc modum commissas sibi oues cælesti gratiæ sale conspersas, atque etiam diuinis, æternisque donis fæcundatas reliquerunt. Quamobrem eodem ipso ignito probationis sale assiduis vtique laboribus, continuisque vigilijs, & maceratione carnis Christum imitantes, ab omni corruptionis labe sese eripuerunt, vt tanquam immaculati de grege assumpti proxima Deo esca fierent. At verò nos supra suo loco arietes, veruecesuè in Arabia ex Ludouico Barthema, tradidimus, reperiri cauda admodum procera, sed cornibus carentes,

Arietes cauda procera excornes quid signēt. Colloq. 7.

B quod mysterio non vacat, vt ait Theologus apud Simonem Maiolum Episcopum Vulturariensem, videturque ipsius iudicio significare prælatos eos cornibus carere, ne quempiam corripiant criminosum, caudas autem profusissimas habere, quādoquidem successionem filijs, nepotibusve locupletissima parata hæreditate præparant; cornua enim, inquit, & arieti, & prelato in ornamentum, ac munimen sunt, vt ouibus suis aduersantes (etiam si res ferat) percutiant; de cauda autem, ac successore sibi in hæreditate minimum studium gerant, verè pastorū est officium: Hæc ille. Vocantur etiam doctores ecclesiæ oues fœtę, sic enim D. Hieronymus interpretatur hanc Esaiæ sententiam: *Sicut pastor pascet populum suum, & in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo portabit, & prægnantes consolabitur.* Cùm enim dixisset non dici hic tauros, & arietes, & hircos, & grandes oues, quibus per Ezechielem comminatur, quod lacte vescantur, & cooperiantur lanis, & infirmum conterant gregem, sed agnos adhuc tenellos, & rudis in Christo infantiæ, qui nuper in baptismo sunt renati, de quibus ipse dominus loquebatur ad Petrum: *Pasce agnos meos.* Vnde & in eodem Ezechiele scriptum est: *suscitabo super eos pastorem vnum, & pascet eos, seruum meum Dauid, & erit pastor eorum*, &c. dixissetque in hoc cōsiderandum esse,

Doctores ecclesiæ oues fatæ. Esai. 40. Ezech. 34.

C quòd post multa tempora Dauid gulosis pastoribus reprobatis, dominum nostrum, qui est de stirpe Dauid, suscitaturum se esse, qui congreget agnos, & foueat in sinu suo, & fætus ouium, siue fætas oues ipse portet in humero suo, sicut in euangelio legimus, quod ouem erroneam, & à grege solito remanentem suis ad caulas humeris reportarit; subiungit: possumus oues fætas apostolos, & apostolicos viros omnesque ecclesiæ doctores dicere, qui salutem parturiunt plurimorum, & dicunt cum apostolo: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Est verò etiam, vbi ouis significet fructum ipsorum doctorum, nimirum vbi dicitur: *Omne quod aperit vuluam asinæ, mutabis oue*, in hoc enim sensu accipitur à D. Ambrosio, nam cùm dixisset asinę partum, hoc est, immundum (inter immunda enim asina numeratur) iubet mutari oue, quę est munda, & apta sacrificio: Cęterùm si quis, inquit, sensum spiritalis intelligentiæ altius persequatur, considerabit, quod asina laboriosum sit animal, ouis fructuosum. Fructu ergo dicit mutandum laborem, vt finis operis fructus sit. Vel certè hoc modo omnem laborem tuum, omnem industriam puro & simplici commēdabis affectu: Si autem non mutabis, inquit, redimes. Iubetur ergo secundum literam, vt animal aliud mundum pro immundo offeratur,

Galat. 4. Ouis pro fructu doctorū. Lib. 2. de Abel, & Cain, cap. 2.

D aut pretium, ne inter decimas fructuum, vel minus aliquid, vel immundū videatur offerri. Intellectus autem profundior liberandam animam tuam docet, vt desistat ab ijs, quæ fructum non habent. Qui enim redimit se, liberat, & quodam exuit debito. Relinquenda sunt opera, quæ verum fructum bonosq; processus habere non possunt, qualia sunt ista mūdana, quorum vsus non potest esse diuturnus. In quibus ipse nudus & veri vacuus effectus est, & quamuis summo quæsitus fuerit labore, animam nihil iuuat, ea enim quæ seruitutem animæ inferunt, inutilia sunt omnia, etsi nō desit effectus. Huc vsq; Ambrosius. Quemadmodum itaque ouis propter simplicem naturam in bonam vbique partem accipitur, ita contrà propter laneum indumentum in malam partem accipi potest, siquidem adulteros, vt Aelianus tradit, in Gortyna Cretæ vrbe deprehensos lana coronabant, mollitiæ probro, atque ita ad magistratus per ciuitatem, perducere moris erat. Saturnus verò non propterea laneo vinculo alligabatur, ut apud Macrobium legitur, sed propter motus tarditatem, quomodo laneos pedes vulgo Dijs attribuunt omnibus, vt asserit Cælius Calcagninus, quòd scilicet pedetentim, & absque strepitu ad vlciscendas malorum iniurias procedant, quo nimirum exemplo pictor quidam Deo laneos calceos induxit.

Adulteri lana coronati. Saturnus laneo vinculo alligatus. Deorum pedes lanei.

VSVS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

VSVS IN SACRIFICIIS GENTIVM.

Victimæ frequentiores.

VICTIMÆ, inquit Gyraldus, antiquis frequentes fuere, ouis, ſus, bos, capra, gallina & anſer, quas cùm immolabant, niſi puræ integræque eſſent, (tales immaculatas in ſacris literis vocari, diximus) & lectę ad rem diuinam minus proficere putabant, dicebantur autem lectæ authore Seruio, cum nec caudam aculeatam, nec linguam nigram, nec aurem fiſſam haberent. Fuit quidem priſcis opinio, vt ex hædis potius, & agnis hoſtiæ fierent, quàm ex cæteris, quia hæ mites, & cicures eſſent. Ideo etiam ouilli pecoris hoſtiam maximam non ab amplitudine (verba ſunt Feſti) corporis, ſed quia animi eſſe placidioris viderent, pontifices dixerunt. Sunt qui ſcribant (vt Suidas in voce θύσον) ſex tantum iſta enumerata animalium genera in ſacrificijs veteres adhibuiſſe, quorum ſententiam nec approbamus, nec refellimus: Nam apud authores plura inuenimus, ſed varijs in locis, & ritibus. Hæc ille. Quemadmodum verò oues lectæ dicebantur, quæ ad ſacrificandum erant exceptæ, ita tales porci dicebantur eximij, quemadmodum & boues, quos tamen etiam, & frequentiùs, egregios dicebant; præcidanea autem agna dicebatur, quæ ante alias cædebatur; porca verò præcidanea, quam immolare antè erant ſoliti, quàm nouam frugem inciderent; lectarum iſtiuſmodi ouium mentio eſt apud Virgilium:

Animalia quæ immolata.

Mactant lectas de more bidentes.

Hoſtiæ bidẽtes quæ.

ideſt, oues, quamuis bidentes hoſtiæ quæ fuerint, variè diſputetur, nos ex Feſto diximus, quòd hoc ambidens, ſiue bidens ouis appellatur, quæ ſuperioribus, & inferioribus eſt dentibus, & duos probari à Ioſepho Scaligero, in Varrone, vbi ait: bidentes hoſtiæ erant, quæ cornigeræ, & duos dentes haberẽt eminulos, quo ſenſu Heſychius κεραίδες τῶν προβάτων τὰ θήλεα τὰ ἔνδον ὀδόντας ἔχοντα: aliter vt puto, ſi carerent illis, ἀτελεῖς erant, & ad ſacrificia ineptæ: Nam ſi bidens dicta eſt, quaſi biens, cur bidentis, non bidennis, aut biennis dicitur? Atqui magis aperit crymum, quod & ambidentes apud veteres vocarentur; Sed id requirebatur in hoſtia, vt duos dentes haberet cæteris longiores, quemadmodum & in tauro τελείῳ, vt diuerſa corna haberet, & patentia. Quæ verò ſint oues ambiguæ his verbis tradit idem Gyraldus. Ambiguę oues in ſacris quę dicerentur, Bebius Macer, qui faſtos dierum ſcripſit, oſtẽdit, Ait enim, Iunonicas, quę geminas parerent, oues ſacrificari cum duobus agnis altrinſecus alligatis: & has ambiguas vocatas quaſi ex vtraque parte agnos habentes: quam ſententiam eſt ſecutus Plac. Fulgentius ad Chalcidium. Varro tamen abigenam bouem dictam ait, quam circum alię hoſtię conſtituerentur. Tantum Gyraldus. Suntq; eidem Varroni ambengę vel ambingę, vel ambiengę oues, quas circum ſimiliter aliæ hoſtiæ conſtituebantur. Aries item olim ares, & aruigus dicebatur, vt idem Varro ait, cuius ſunt verba: *Aries, qui eam dicebant ares:* (Geſnerus legendum fortè eſſe putat, quia adducebatur aris, & Iſidorus, arietem dictum ſcribit ab aris, quòd hoc pecus à gentilibus primum mactatum, & in aris immolatum ſit: vide etiam ſuprà ex Scaligero) veteres & noſtri aruiga, hinc aruigus. Hæc ſunt quorum in ſacrificijs exta in veru coquuntur, quas Accius ſcribit, & in pontificijs libris videmus in hoſtijs, eam dicant aruigem, quæ cornua habeat. Quo loco Scaliger interpungendum eſſe monet verbum, videmus: quod cùm in editione Romana, inquit, factum non ſit, tantum ſibi permiſerunt, vt alterum verbum deleuerint, quod viderent hæc duo commata aliter aptè hærere non poſſe: Cæterùm ita ſenſus perfectus eſt, vt & nihil præterea ad ſententiam deſiderari videatur; putarim tamen ita meliùs legi poſſe, & in pontificalibus libris bidentes; nam hic quoque error nocuerat, de quo ſæpe admonuimus, cùm ſcriptum eſſet *videntes:* certe bidentes hoſtiæ erant, quæ & cornigeræ eſſent, & duos dentes eminulos haberent. Iſtiuſmodi ſacrificia, quæ à iugulandis ouibus μηλοσφαγίαι, & μηλοσφαγεῖν poetis eſt immolare pecora: Solitaurilia verò hoſtiarum trium diuerſi generis immolationem ſignificant, tauri, arietis, verris, quòd omnes eæ, vt ait Feſtus, ſolidi, integrique ſint corporis, vt in boue dictum eſt. At perfectum ſacrificium ſue, tauro, hirco, & ariete conſtabat, hoc ἑκατόμβην, & τριττὺν vocabãt. alij τριττύαν ſacrificiũ interpretantur, ex oue capra, boue, vel ex hirco, ariete, & tauro. Vide etiã hac de re in boue. Cæterũ hecatõbe, vt inquit Iulius Capitolinus, tale erat ſacrificium. Centum aræ vno in loco ceſpitiæ exſtruuntur, & ad eas centum ſues, centum oues mactantur, & apud Heliodorum legimus. *Perſina boum, equorum, ouiumque greges, & aliorum omne genus animalium in locum quendam ſaltuoſum, vel nemoroſum è regionibus præmiſit, partim, vt de vnoquoque genere hecatombe ad ſacrificium fieret, partim, vt inde epulæ populo exhiberentur.* Criobolium, & tauroboliũ ſæpe in antiquitatis monumentis legimus. Turnebus

Oues ambiguæ. *Ares.* *Aruigus.* *Miloſphaga.* *Solitaurilia.* *Hecatombe.* *Trittys.* *Trittya.* *Lib. 10.* *Criobolium.* *Tauroboliũ.*

A nebus hiſce nominibus ſignificari exiſtimat taurorum,& arietum ſacrificia; quòd cùm immo-
lantur deijciantur claua,vel ſecuri. Philoſtratus author eſt, imperitos barbaros laudare, ma- (*Lib. 27. aduerſ. c. 21.*)
ctare hædos, aut agnos,quoniam iſtiuſmodi animalia amentia ſunt,nec multum ab inſenſatis (*Lib. 8. c. 3. de vita Apollonij.*)
diſtantia: gallos autem gallinaceos, ſues, ac tauros ſuis arcanis non admittere, quoniam ani-
mo abundant. Cur verò oues mactari cęperint,docet Ouidius.

Pauit ouis pratum,verbenaſque improba carpſit,
Quas pia Dijs ruris ferre ſolebat anus. (*Lib. 1. Faſt.*)

Verbena enim maiores rem diuinam faciebant,quæ tum inde hierobotane dicta fuit,tũ quod (*Ouis cur immolata.*)
legati,vel feciales facturi fœdera, vel indicturi bellum,vel euntes clarigatum, ideſt res clarè re-
petitum,ea coronarentur,vnde & ſagmen à ſanciendo dicta fuit. Ex Luciano in volumine de
ſacrificijs diſcimus, Ouem integram,hoc eſt cum lanata pelle ſacrificari ſolitam: Atqui ſacri-
ficus, inquit ille, ſanguine fœdatus, non aliter quàm Cyclops ille pecudem incidit, inteſtina
educit,cor euellit, cruorem aræ circumfundit, & quid tandem non obiens, peragenſque,quod
B ad pietatem, ſacrorumque ritum pertineat? poſt omnia demum incenſo igni capram ipſam
pariter cum pelle deportatam imponit: ipſam item cùm lanis ouem &c. Quemadmodum au-
tem peculiariter ex boue comburebantur ipſa crura, ſimiliter factum in hoc pecude, ſicuti vi-
dere licet ex hiſce Homeri locis: (*Odyſſ. 17.*)

Νύμφαι κρηναῖαι, κῦραι Διὸς, εἴποτ' Ὀδυσσεὺς
Ὕμμ' ἐπὶ μηρί' ἔκηε κάλύψας πίονι δημῷ
Ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων, τόδε μοι κρηήνατ' ἐέλδωρ, ideſt,
Nymphæ fontium filiæ Iouis, ſi vnquam Vlyſſes
Vobis crura combuſſit cooperiens pingui nidore
Agnorum,& hædorum. hoc mihi perficite deſiderium.

Θεὸς δέ οἱ αὐτὸς ἔδωκεν (*Odyſſ. 19.*)
Ἑρμείας. Τῷ γὰρ κεχαρισμένα μηρία καῖεν
Ἀρνῶν, ἠδ' ἐρίφων. ideſt,

Deus autem ei ipſe dedit
C *Mercurius,huic enim grata crura comburebat*
Agnorum,& hædorum.

Romæ hoc pecus ad ſacrificia alebatur in Aequimelio,hoc eſt, area Melij, vt colligitur ex hoc
Ciceronis: *In Aequimelium miſimus,qui afferat agnum,quem immolemus.* Quando autem oues (*2. de diuinat.*)
ipſæ luſtrabantur,paſtor,vt ſcribit Alexander ab Alexãdro, ſummo diluculo aqua illas inſper-
gebat,& ſulphure,herbaque ſabina, & lauro igne ſuccenſis circa ouilia fumigabat,cumque ſa- (*Lib. 5. c. 27.*)
cro carmine,milio,& libo,cum lacte,& ſapa,Pali ſacra faciebat: quo ſuffitu pecora expiari, & (*Luſtratio ouium.*)
morbos depelli, ac diras tabes exterminari putabant. Scripſit id Alexander, vt apparet, ex
Gyraldo,vterque autem ex Ouidio,cuius hi ſunt verſus,quibus nõ ſolùm luſtrationis ritus de-
ſcribitur,verùm etiam ipſius origo traditur: (*4. Faſtor.*)

Paſtor oues ſaturas ad prima crepuſcula luſtret,
Vnda prius ſpargat, virgaque verrat humum
Frondibus,& fixis decorentur ouilia ramis,
D *Et tegat ornatas longa corona fores.*
Cærulei fiant puro de ſulphure fumi
Tectaque fumanti ſulphure balet ouis.
Vre maris rores,tædamque,herbaſque ſabinas,
Et crepet in medijs laurus aduſta focis.
Libaque de milio milij fiſcella ſequatur,
Ruſtica præcipuè eſt hoc Dea læta cibo.
Adde dapes mulctramque ſuas,dapibuſque refectus
Syluicolam tepido lacte precare Palen.
Conſule dic pariter pecori, pecoriſque magiſtris,
Effugiat ſtabulis noxa repulſa meis.
Siue ſacra paui, ſediue ſub arbore ſacra,
Pabulaque in buſtis inſcia carpſit ouis.
Seu nemus intrauit vetitum, noſtriſque fugatæ
Sunt oculis Nymphæ, ſemicaperque Deus.
Si mea falx lucum ramo ſpoliauit opacum,
Vnde data eſt ægræ fiſcina,frondis oui.

Vn-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Da veniam culpæ, necdum degrandinat, obsit
Agresti Fauno suppositisse pecus.
Pelle procul morbos, valeant hominesque gregesq;
Et valeant vigiles, prouida turba, canes.
Neve minus multas redigam quàm mane fuerunt
Neve gemam referens vellera rapta lupo.
Absit iniqua fames, herbæ frondesque supersint
Quæque lauent artus, quæque bibantur aquæ.
Vbera plena premam, referat mihi caseus æra,
Dentque viam liquido vimina rara sero.
Sitque salax aries, conceptaque semina coniunx
Reddat, & in stabulis multa sit agna meis.
Lanaque proueniat nullas læsura puellas
Mollis, & ad teneras quaslibet apta manus.
Quę precor eueniant, & vos faciatis ad annum
Pastorum dominæ grandia liba Pali.

His Dea placanda est &c.
Expositus mos est, moris mihi restat origo:
Turba facit dubium, cæptaque nostra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit, idcirco cum duce purgat oues.
An quia (cunctarum contraria semina rerum)
Sunt duo discordes ignis, & vnda dei?
Iunxerunt elementa patres, aptumque putarunt
Ignibus, & sparsa tangere corpus aqua.
An, quod in his vitæ causa est, hęc perdidit exul,
His noua fit coniunx, hęc duo magna putant.

Qui itidem Fauno rem diuinam faciebant, veris initio lustrabant ouilia, quo spectat hoc Calphurnij: G
Tu cespite viuo
Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salso farre voca, tepidos tunc hostia cultros
Imbuat, atque etiam dum viuit ouilia lustra.

Verba Gyraldi sunt: Pastores ouilia, oues & pecudes purgabant fumo ex sulphure, rosmarinumque, ac herbam sabinam, & laurum cremabant; Et alibi rursus: Si oues, inquit, lustrarentur, alia à supradictis ratio fuit. Nam pastor summo diluculo aqua oues inspergebat, & sulphure herbaque sabina, & lauro igne succensis, circumcirca ouilia suffibat, cumque sacro carmine, milio, & libo, cum lacte, & sapa Pali Deę sacra faciebat. Hoc suffimento pecora piari, & morbos depelli, & tabem putabant. Idem ait etiam apud Romanos agna coronata messem, agrum fundum, terram, gregem, vel pecus ter circumlustrari solere prosequente agrestium turba cum fistula, solemnique saltu, & clamoribus, Deum, Deamque cui sacra fiebant, inuocante, vt morbos, calamitates, & omnem intemperiem prohiberent, fructum agrorum, pastores, pecoraque seruarent. Inter cætera autem etiã agna lustrabant tubas, quod tubilustrium dicebatur, vt annotauit Turnebus in cõm. in Varronẽ. Qui fortè ignotus ille Deus est, cuius occasione D. Paulus Christũ prædicare cæpit. Pausanias certè in Atticis ararum incertis Dijs extructarum meminit. Quomodo autem Epimenides Atheniensium vrbem peste laborantem, lustrauerit, liberaueritque, legimus apud Diogenem Laertium in eius vita, vbi scribit in hæc verba: Athenienses cùm aliquando peste laborarent, responso à Pythia accepto vrbem expiari oportere, Niciam Nicerati filium naui miserunt, qui Epimenidem ex Creta aduocaret. Profectus autem ille Olympiade 27. lustrauit vrbem, pestemque compescuit, hoc modo: Sumpsit oues nigro, & candido vellere, duxitque in Arium pagum, atque inde duò vellent, abire permisit, his, qui illas sequebantur, mandans, vbicumque illę accubuissent, singulas mactarent peculiari cuipiam Deo, atque in hunc modum quieuit lues: Ex eo iam hodieque per Atheniensium pagos aras sine nomine inueniri certum est, in eius quæ tunc facta est expiationis memoriam: Sacrificabant itidem agnos ad expianda somnia meticulosa; Sic Ennius apud Ciceronem inquit: D

Tubilustriũ.

Epimenides Athenas lustrans, pestẽ depellit.

Somnia meticulosa.

1. de diuinat.

Rex ipse Priamus somnio mentis metu
Perculsus, curis sumptis suspirantibus
Ex sacrificabat hostijs balantibus.

Me-

A Meminit,& Martialis de Nasidiano, quem ait à se olim captasse munera blanditijs,& cùm eas poeta aspernaretur, excogitasse nouum aucupij genus fingendo se vidisse somnia plena terroris,& ad ea placanda postulasse modò thus, modò agnum, modò porcum; Salsè itaque respondet poeta: *Lib. 7. epig. 53.*

Semper manè mihi de me mera somnia narras,
Quæ moueant animum, solicitentque meum.
Iam prior ad fecem, sed & hæc vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumpsi salsasque molas, & thuris aceruos:
Decreuere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aues, non oua supersunt,
Aut vigila, aut dormi, Nasidiane, tibi.

Immolabatur præterea ouis in ouatione eo scilicet triumphi genere, quod ab huiusmodi sacrificandi genere nomen inuenit, vt testatur Robertus Valturius his verbis: *Lib. 12. c. 2.*
B „Illud quoq; nec prætermittendum, triumphi genus non ab ouatione, hoc est, clamore Bacchico, sicuti multi putauere, ouationem appellari, tametsi ouantes illam, canentesque transmittant, vt Plutarchus inquit, at cum milites in magno triumpho, & plena victoria bouem, in hoc ouem immolare consueuerunt, vnde huic triumphi generi nomen extat, vt qui de pugna venientes cum multitudine obuiam ad numina minora ibant, & ibi fugatis hostibus oues Dijs immolabant, ouantes dicebantur, sic & ouatio propriè minor triumphus, & qui ouatione meretur, & vno equo vtitur, & à plebeis, vel equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, & de ouibus sacrificat, vnde &, vt dictum est, ouatio: qui autem triumphat, equis albis vtitur quatuor, & Senatu præeunte in Capitolium de tauris in eo sacrificat: In quo nec hoc silentio obuoluendum, quod ad mitiores triumphos, & ouationes attinet, super quo disensisse veteres authores inuenio. Partim enim scripserunt, qui ouaret introire solitum equo deuectum, & Sabinus Massarius, pedibus ingredi ouantes, dicit, non sequentibus eos militibus, sed vniuerso Senatu. *Ouatio vnde dicta et quomodo fieret.* In diebus item natalitijs mactari solere discimus ex hoc Horatij de Mecænatis natali loquentis. *In diebus natalitijs mactari agnum.*

C
Ridet argento domus, ara castis
Vincta verbenis, auet immolato
Spargier agno.

Alicubi etiam idem poeta pro eiusdem Herois salute agnam fouet, vtpote pauper, cùm ipse Mecænas ædem fouisset, si superuiueret, & à morbo euaderet:

reddere victimas
Aedemque votiuam memento
Nos humilem feriemus agnum.

quia scilicet Dij immortales non quantitatem, aut magnitudinem victimæ, sed offerentis promptitudinem, voluntatemque aspiciunt, quod tetigit Ouidius dum canit: *4. de ponto. Eleg. 8.*

Parua quidem fateor pro magnis munera reddi,
Cùm pro concessa verba salute damus.
Sed qui quàm potuit dat maxima, gratus abundè est,
D *Et finem pietas contigit illa suum.*
Nec quæ de parua pauper Dijs libat acerra
Thura minus, grandi quàm data lance, valent.
Agnaque tam lactens, quàm gramine pasta Phalisco
Victima Tapeios inficit icta focos.

Apparet etiam in persoluendis iustis, oues mactari solere, siquidem Achilles apud Homerum Patroclo parentaturus, multas ei ante erectam pyram iugulat, verba poetæ sunt, quibus corpus cremandi modus exprimitur: *In iustis. Iliad. Ψ.*

Πολλὰ δὲ ἴφια μῆλα καὶ εἰλίποδας ἕλικας βοῦς
Πρόσθε πυρῆς ἔδερόν τε καὶ ἄμφεπον. ἐκ δ᾽ ἄρα πάντων
Δημὸν ἑλὼν ἐκάλυψε νέκυν μεγάθυμος Ἀχιλλεὺς
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς. idest,

Multas autem pingues oues, & errabundas camuras boues
Ante pyram excoriarunt, & disposuerunt: exque omnibus
Adipem accipiens, obtexit cadauer magnanimus Achilles
Ad pedes à capite, &c.

Varinus, & Etymologus scribunt, pecora, quæ defunctis sacrificantur, ἔντομα dici, quod ceruix *Entoma quę pecora.*

corum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

corum incidatur, quæ verò Dijs cæleſtibus mactantur, illorum ceruix ſurſum torquetur (ἀνακλᾶται;) vel ἔντομα eſſe oues caſtratas, eiuſmodi enim pecudes, oues ſcilicet, & alias mortuis A
ſacrificabant, vtpote ſteriles ſterilibus: Dijs verò non caſtratas, ſed integras, & teſtibus prædi-
Pecus nigrũ quibus immolatum. tas. Et Gyraldus peritos ſacrorum ait obſeruare, & cum his Grammaticos, quod ſterilibus pecudibus, & iuuencis Diti ſacra fieri ſunt ſolita. Idem ait Plutoni de nigra pecude rem diuinam fieri ſolere, conſtat autem id ex Tibulli hoc:

Interea nigras pecudes promittite Diti.

Nigrum autem pecus Plutoni immolabatur, vt aſſerit Seruius, vt aliæ quædam victimæ alijs Dijs vel per ſimilitudinem, vel per contrarietatem. Et Varinus ait in dictione στεῖρα, vacca ſte-
Iliad. K. rilis immolatur propriè inferis propter ſterilitatem, ſic & ouis non ſolùm nigra, ſed nigerrima propter tenebras infernales, ſed & apud Homerum, vbi Neſtor exploratori adituro Troianorum caſtra promittit à ſingulis optimatibus Græcis ſingula dona danda, nempe ouem nigram, & grauidam, ὄϊν μέλαιναν θῆλυν ὑπόῤῥηνον; Scholia, nigram inquiunt, quia nocte ibat, grauidam verò per ſymbolum boni ominis, vt fructuoſum ei iter foret, nec non etiam apud eun- B
Iliad. Γ. dem poetam in his verſibus:

Οἴσετε δ᾽ ἄρν᾽ ἕτερον λευκόν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν,
Γῇ τε καὶ ἠελίῳ. Διὶ δ᾽ ἡμεῖς οἴσομεν ἄλλον. ideſt,
Afferte autem agnos alterum album, alteram autem nigram,
Terraque & Soli: Ioui autem nos afferemus alium.

Angelus Politianus in libro Miſcellaneorum agens de origine, & ritibus ludorum ſecularium
Lib. 3. c. 12. citat hoſce Sibyllinos verſus, quos ſcribit apud Zoſimum vetuſtiſſimis quidem codicibus citra
Odyſſ. K. vlla faſtigia inueniri, quales nimirum hic ſubijcimus:

Αλλοπωταν μηκιςος ικηι χρονος ανθρωποισι
Ζωης εις ετεων εκατον δεκα κυκλον οδευων
Μεμνησθαι ρωμαιε και ει μαλα λισεαι αυτη
Μεμνησθαι ταδε παντα, θεοισι μεν αθανατοισι
Ρεζειν εν πεδιω παρα θυμβριδος απλετον υδωρ
Οππη ςεινοτατον. νυξ ηνικα γαιαν επελθηι.
Ηελιε κρυψαντος εον φαος. ενθα σε ρεζειν.
Ιερα παντογονοις μοιραις αρνας τε και αιγας
Κυανεας, επι ταις δειτειθυιας αρεσασθαι

Ideſt, vt Politianus reddidit:

Aſt vbi iam humanæ longiſſima tempora vitæ
Orbis agens annos referet centumque decemque
Sis Romanæ memor (licet alta obliuia tentent)
Sis memor, vt quà ſe nimium Tiberina coarctat
Ripa, feras Dijs in campo ſolennia ſacra,
Cùm nox atra premit terras, tectuſque latet Sol,
Agnæ, caprigenumque pecus genitalibus Parcis,
Hoſtia furua vtræque cadant, tum numina placa
Læta puerperijs (quod fas fuat) Ilithyias.

Scholia itidem annotant Soli tanquam mari, & ſplendido Deo agnum conueniſſe immolari album: terræ verò agnam fæminam, & nigram. Apud eundem etiam poetam Erebo ouis ſacrificatur nigra, vt annotat Alexander ab Alexandro; locus Homeri videtur iſte, quo totus litandi mortuis ritus deſcribitur:

ὥς σε κελευω,
Βόθρον ὀρύξαι ὅσον τε πυγούσιον ἔνθα, καὶ ἔνθα,
Ἀμφ᾽ αὐτῷ δὲ χοὴν χεῖσθαι πᾶσι νεκύεσσι,
Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ,
Τὸ τρίτον αὖθ᾽ ὕδατι. ἐπὶ δ᾽ ἄλφιτα λευκὰ παλύνειν
Πολλὰ δὲ γουνοῦσθαι νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα,
Ἐλθὼν εἰς Ἰθάκην, στεῖραν βοῦν ἥτις ἀρίστη,
Ῥέξειν ἐν μεγάροισι, πυρήν τ᾽ ἐμπλησέμεν ἐσθλῶν.
Τειρεσίῃ δ᾽ ἀπάνευθεν ὄϊν ἱερευσέμεν οἴῳ,
Παμμέλαν᾽ ὃς μήλοισι μεταπρέπει ἡμετέροισιν
Αὐτὰρ ἐπὴν εὐχῇσι λίσῃ κλυτὰ ἔθνεα νεκρῶν,
Ἔνθ᾽ ὄϊν ἀρνειὸν ῥέζειν θῆλύν τε μέλαιναν

Eis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Εἰς ἔρεβος ςρέψας, αὐτὸς δ᾽ ἀπονόσφι τραπέσθαι
Ἱέμενος ποταμοῖο ῥοάων: ἔνθα δὲ πολλαὶ
Ψυχαὶ ἐλεύσονται νεκύων κατατεθνειώτων
Δὴ τότ᾽ ἔπειθ᾽ ἑτάροισιν ἐποτρύναι καὶ ἀνῶξαι
Μῆλα τὰ δὴ κατέκειτ᾽ ἐσφαγμένα νηλέϊ χαλκῷ
Δείραντας κατακῆαι ἐπεύξασθαι δὲ θεοῖσιν
Ἰφθίμῳ τ᾽ Ἀΐδῃ καὶ ἐπαινῇ Περσεφονείῃ. idest,

Vt te iubeo
Fossam fode cubitalem quoquo versum.
Super illam libamen funde omnibus mortuis:
Primùm mulso, deinde autem suaui vino.
Tertium rursus aqua, insuper autem farinam albam misce.
Multa verò precare mortuorum imbecilla capita
B *Vbi veneris in Ithacam sterilem, vaccam, quæ optima sit*
Sacrificaturum domi tua, pyramque erecturum ex rebus optimis.
Tiresiæ verò separatim arietem sacrificaturum soli
Prorsus nigrum, qui inter oues excellit vestras:
Cęterùm postquam precib. oraueris inclyta examina mortuorum
Hic ouem marem sacrifica, fæmellamque nigram
Ad Erebum versus, ipse autem seorsim auersus sis.
Iens ad fluuij fluenta: ibi verò multæ
Animæ accedent mortuorum defunctorum
Tunc continuò socijs impera, & iube
Oues, quæ quidem iacent mactatæ sæuo ferro
Excoriatas comburere, vota verò facere Dijs
Generoso Plutoni, & inclytę Proserpinæ.

Quem ritum subinde sub persona eiusdem Vlyssis sequentis libri ferè in exordio repetit, transijtque ritus ille ad Romanos, sed in abusum veneficarum, hæenim apud Horatium nigram C mactant agnam Proserpinæ, & in scrobe Dijs inferis sacra faciunt ab animis mortuorum responsa expetentes: sic enim de Canidia, & Sagana veneficis canit:

Scalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam
Cæperunt: cruor in fossam confusus, vt inde
Manes elicerent animas responsa daturas.

Aeneas apud Virgilium prohibetur sedes inferas adire, prius quam Misenum antea submersum sepelisset, & Dijs inferis de nigris pecudibus sacra fecisset: *Lib. 6. Aen.*

Dum consulta petis, nostroque in limine pendes,
Sedibus hunc refer antè suis, & conde sepulchro,
Duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto,
Sic demum lucos Stygios, regna inuia Diuis
Aspicies &c.

D Et aliàs idem poeta ait de eodem Aenea:

Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum, magnęque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi Proserpina vaccam.

Lucretius verò etiam de ijs agens hominibus, qui, vt ait Aristoteles, loquuntur quidem verba honestissima, & speciosissima, volunt autem ea, quæ expedire videntur: exempli causa, honestè mori potiùs, quàm iucundè viuere dicunt oportere, &c. sed contraria volunt: *Lib. 3. 1. Elenchor.*

Et quocunque tamen miseri venere, parentant
Et nigras mactant pecudes, & manibus diuis
Inferias mittunt, multoque in rebus acerbis
Acrius aduertunt animos ad relligionem.

Inuenio etiam ouem nigram immolari solitam ad sedandos Typhones ventos: Et in carmine deuotionis vrbium, & exercituum legimus, *ouibus atris tribus*. E contrario modò Soli, siue Apollini, vtpote Deo splendido agnos albos immolari solitos suprà ex Homeri Scholijs diximus: Equidem Pandarus apud Homerum Apollini agnorum vouet Hecatomben ita persuasus a Minerua, vt Menelao pugnaret: *Pecus album quibus sacrificatum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Εὔχετο δ' Ἀπόλλωνι λυκηγενέϊ κλυτοτόξῳ
Ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην,
Οἴκαδε νοστήσας ἱερῆς εἰς ἄστυ Ζελείης. ideſt,
Supplicabat autem Apollini in Lycia nato, inclyto iaculatori
Agnorum primogenitorum ſe ſacrificaturum claram hecatomben
Vbi domum reuerſus eſſet ſacræ in vrbem Zeliæ.

Quantoperè autem Apollo agnorum primogenitorum ſacrificijs delectatus ſit, indicat idem poeta de certamine ſagittariorum loquens Teucri ſcilicet, & Merionis. Ille enim, quia:

Iliad. Ψ. *οὐδ' ἠπείλησεν ἄνακτι*
Ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην:
Ὄρνιθος μὲν ἄμαρτε (μέγηρε γάρ οἱ τόγ' Ἀπόλλων) ideſt,
Neque vouit regi
Agnorum primogenitorum ſacrificaturum inclytum ſacrificium
Ab aue quidem aberrauit (inuidit enim ei hoc Apollo.)

Meriones verò:

Αὐτίκα δ' ἠπείλησεν ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
Ἀρνῶν πρωτογόνων ῥέξειν κλειτὴν ἑκατόμβην
Ὕψι δ' ὑπαὶ νεφέων εἶδε τρήρωνα πέλειαν,
Τήν ῥ' ὅγε δινεύουσαν ὑπὸ πτέρυγος βάλε μέσσην. ideſt,
Statim autem vouit procul iaculanti Apollini
Agnorum primogenitorum ſacrificaturum hecatomben inclytam:
Altè autem ſub nubibus vidit timidam columbam:
Hanc hic huc illuc ſe vertentem ſub ala percuſſit mediam.

Apollinis Diradiotæ oraculum. In Archiuorum arce ſacratum, vt ferunt Apollinis fuit templum cognomine Diradiotæ: locus enim vbi exædificatum fuerat Diras appellabatur. Eius autem Dei reſponſa, & oraculorum modus, qui ad Pauſaniæ vſque tempora peruenit, huiuſmodi fuiſſe dicitur. Mulier vates erat, quæ per omnem ætatem viri expers, & neſcia fuiſſet. Hæc noctu menſibus ſingulis agnũ Deo immolabat, cuius ſanguine deguſtato Deo plena ſtatim fiebat, futuraque hoc modo clariſſimè præcinere dicebatur. Immolarunt, teſte Gyraldo, eidem Deo aliqui etiam arietem. Theocri. G tus certè in viatorib. apud Dores feſtum fuiſſe innuit, quod carnea nuncupabant à Carno vate, qui ea ſacra primus inſtituit, & à quo Apollo Carneus dictus eſt, & in eo feſto arietem Apollini fuiſſe immolatum: Sic enim Lacon apud illum:

Καὶ γὰρ ἔμ' ὡ'πόλλων φιλέει μέγα, καὶ καλὸν αὐτῷ
Κριὸν ἐγὼ βόσκω. τὰ δὲ κάρνεα καὶ δὴ ἐφέρπει. ideſt,
Etenim me Apollo valde amat; & pulchrum ipſi
Arietem ego paſco: nam carnea feſta iam imminent.

Agni Cereri immolati. Cereri poſt exactam hyemem in veris ſcilicet exordio agnos, tunc pinguiſſimos propter pabuli præſtantiam, atque copiam, immolabant in Ambaruali ſacrificio, vt teſtatur Virgilius:

1. Georg.
Inprimis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis
Extremæ ſub caſum hyemis, iam vere ſereno:
Tunc agni pingues, & tunc molliſſima vina,
Tunc ſomni dulces, denſæque in montibus vmbræ,
Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret,
Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho.
Terque nouas circum felix eat hoſtia fruges.
Omnis quam chorus & ſocij comitentur ouantes
Et Cererem clamore vocent in tecta, neque antè
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quàm Cereri torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat &c.

Lib. 3. Eleg. 1. Huc pertinet illud etiam Tibulli:

Agna cadet vobis, quam circum ruſtica pubes
Clamet Io meſſes, & bona vina date.

Rubigini ouis & canis immolati. Sed & Rubigo Deo, vel Rubigini Deæ, ad arcendam ex frugibus rubiginem veteres, menſe etiam Aprili, extis canis, & ouis immolabant, vt ſcribit Ouidius in faſtis:

Sex vbi quæ reſtent luces aprilis habebit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *In medio cursu tempora veris erunt.*
Et frustra pecudem quæres Athamantidos Helles,
Signaque dant imbres exoriturque canis.
Hac mihi Momento Romam cùm luce redirem,
Obstitit in media candida turba via.
Flamen in antiqua lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ouis.
Protinus accessi, ne ritus nescius essem,
Edidit hæc flamen verba Quirine tuus.
Aspera Rubigo parcas Cerealibus herbis,
Et tremat in summa læue cacumen humo.
Tu sata sideribus cæli nutrita secundis
B *Crescere, dum fiant falcibus apta, sinas.*
Vis tua non leuis est, quæ tu frumenta notasti,
Mæstus in amissis illa colonus habet.
Nec venti tantum Cereri nocuere, nec imbres,
Nec sic marmoreo pallet adusta gelu.
Quantum, si culmos Titan incalfacit vdos,
Tunc locus est iræ Diua timenda tuæ.
Parce precor, scabrasque manus à messibus aufer
Neve noce cultis, posse nocere sat est.

Immolabantur canes ruffæ, authore Festo, non longè à porta quadam, quæ inde Catularia appellata fuit ad placandum Caniculæ sidus frugibus inimicum. In agro Saunio circa tumulum, quem Drien nominant, monstrabatur, teste Strabone, Basilica Chalcantis in summo vertice, cui petentes oracula nigricantem immolabant arietem, & strata in pelle dormiebant. Athenienses verò, vt refert Plutarchus in Theseo, pridie sacrorum Theseorum arietem Conidæ immolabant multo hanc ei memoriam, honoremque iustius tribuentes (eo enim præceptore vsus erat Theseus) quam Silanioni, ac Parrhasio, quorum hic effigiem Thesei pinxit, ille C finxit: Sicyonij autem oues prægnantes Dijs beneuolis, & fortunatis, quas ipsi Eumenidas, Athenienses σεμνὰς vocabant, quasi dicas castas, & incorruptas, facilitandæ rei domesticę caussa immolare consueuere, sed & Dijs depellentibus furorem, & potissimum amatorium, sacrificabant agnam, sic enim Dauus apud Persium Chærestrato iuueni Chrysidis amore furenti persuadet, dum, inquit:

Porta catularia.
Lib. 6.
Oues prægnãtes quibus immolata.
Satyra 5.

Euge puer sapias, Dijs depellentibus, agnam
Percute.

Pausanias tradit in Phocicis Hyampoli maximè venerari Dianam, & ex omni pecudum numero, quas ei Deæ selegerint victimas, neque vllo morbo tentari, & cæteris pinguiores inter pascendum reddi, autumare. Fortè ab huius Deæ sacrificijs ceruaria ouis dicta est, quæ pro ceruа immolabatur; hæc enim ei præ cæteris sacra est. Fluuijs arietes immolabant, vt testantur Scholia Homeri, apud quem hoc carmen legitur:

Ouis ceruaria.
Iliad. Ψ.

D Πεντήκοντα δ' ἔνορχα παρ' αὐτόθι μῆλ' ἱερεύσειν
Ἐς πηγάς. idest,
Quinquaginta autem masculas illic oues sacrificaturum
Ad fontes.

Immolabatur & Fauno agna, vel hædus, vnde Horatius:

Nunc & in vmbrosis Fauno decet immolare lucis
Seu poscat agna, siue malit hędo.

4. carm. ode 4.

Et Numa rex apud Ouidium in Fastis, cum annus nullum redderet fructum, ouem mactat Fauno, & alteram somno, à quo scilicet didicerat placandam esse tellurem. Arabes Heroibus, tauro, capro, & ariete litabant, vt scribit Alexander ab Alexandro. Phestus cùm in Sicyoniam venisset, & animaduertisset Herculi tanquam Heroi parentari, indignè verò ferẽs diuinos illi honores non haberi, instituit, vt inquit Pausanias in Corinthiacis, quod adhuc à Sicyonijs obseruatur, vt iugulati agni pernas adurerent, carnium verò parte vna non aliter, quàm victimarum soliti essent, vescerentur, altera Herculi tanquam Heroi parentarent. Idem Pausanias scribit Eliacorum primo, ad eam scrobem, ad quam Hercules Pelopi sacrum faciebat, ætate sua annuos magistratus nigro ariete fecisse (erat autem ea scrobs intra Altim Pelopium dicta) ac de ea quidem victima vati nullum portionem tributum, collum

Fauno ouis quando immolata.
Lib. 3. Fast.
Lib. 3. c. 12.
Herculi vbi aries niger sacrificatus.

tantùm more maiorum, lignatori datum. Sic enim vnum appellari, de Iouis famulatu, cui negotium mandatum erat, vt certo pretio ligna ad ſacrorum vſum, vel publicis ciuitatibus, vel priuatim cuiuis homini ſuppeditaret, eſſe autem non ex alia arbore ea ligna, quàm de alba populo. Sabellicus ſcribit Herculi Thebano ob res eximiè geſtas defuncto Menetium Actoris filium tauro, capro, & ariete primum annua in Opunte ſacra inſtituiſſe, mox Athenienſes inter Deos retuliſſe ſecutumque cæteræ Grçciæ, aliarumque gentium conſenſum: Inuenio etiã Herculi tanquã diuitiarũ, & prouentus Deo ouem ramis quatuor impoſitam pro boue, qui ſe ſacris ſurripuerat, litatam fuiſſe, vnde ipſe Melon, & Melius ſit appellatus, quod latinè diceretur Ouilius. Cæterùm Iulius Pollux, circa Bæotiam, inquit, μῆλα ſacrificant, μῆλα dico, non pecora voce poetica, ſed mala, & poma arborum, hanc ob cauſam. Feſtum huius Dei, & ſacrificandi tempus inſtabat: hoſtia erat aries; hanc qui adducebant, inuiti morabantur propter Aſopum fluuium ſubitò auctũ. Interim pueri ludentes ritus ſacrificij peregerant. Malo enim egregio feſtucas quatuor pro pedibus infixerunt, & binas ſupernè cornuum loco, ita ſe μῆλον, ideſt, ouem poeticè, immolare dictitantes. Hoc ſacrificio oblectatum aiunt Herculẽ, eundemq; ſacrificandi ritum etiam nunc durare: Hercules ipſe apud Thebanos, ſiue Bæotos μήλων nominatur nomen ab hoſtiæ modo adeptus. Hæc Pollux. Iano quoq; Agonalia quidam attribuerunt, quo die ei aries mactabatur, vt Gyraldus ſcribit, nimirum ex faſtis Ouidij, qui ſic canit:

Lib.6. Aene.1.

Lib.1. Hercules cur Melon dictus.

Quatuor adde dies ductis ex ordine nonis,
Ianus agonali luce piandus erit.
Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cælitibus quo feriente cadit.
Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper agat ne rogat, nec niſi iuſſus agit.
Pars quia non veniant pecudes: Sed agatur ab actu
Nomen agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc feſtum priſcis agonalia dictum,
Vna ſit vt proprio litera dempta loco.
Aut quia præuiſos in aqua timet hoſtia cultros,
A pecoris lux eſt ipſa notata metu.
Fas etiam, fieri ſolitis ætate priorum
Nomina de ludis græca tuliſſe diem.
Et prius antiquus dicebat agonia ſermo,
Veraque iudicio eſt vltima cauſa meo.
Vtque ea nunc certa eſt, ita rex placare ſacrorum
Numina lanigeræ coniuge debet ouis.

Agonalia vnde dicta. Varro verò priori opinioni de agonalium etymologiæ ſubſcribens: *dies*, inquit, *agonales, per quos rex in regia arietẽ immolat, dicti ab agon', eo quòd interrogatur à principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur*; de hoc quoque immolandæ hoſtiæ ritu, & verbo hoc agon', quo ſacerdos miniſter vtebatur, fit etiam mentio apud Senecam. Antiſtius, teſte Feſto, ſubingere arietem eſſe ait dare arietem, qui pro ſe agatur, cædaturue. Alexander ab Alexandro fuiſſe, ait, regis ſacrorum munus quinto Idus Ianuarias Iano arietem immolare, dieſque faſtos prædicere, & nefaſtos, ſacra procurare, & quæ ſacrificio vſui eſſent. Samij ouem venerantur, eandemque Iunoni ſacrificabat Mandrobulus Samius, vt Ariſtoteles, teſte Aeliano, tradit, propterea quod aurum Samijs furto ſublatum, ouis inueniſſet. Numæ lex erat aduerſus pellices illhac: *Pellex aram Iunonis ne tangito; Si tangat, Iunoni crinibus dimiſſis, agnam fœminam cædito.* Eligebatur autem hoc pecus album. Iuuenalis:

Lib.3. c.27.

Subingere arietem qd.

Lib.12. cap. 40.

Samij cur ouem immolent Iunoni.

Niueam reginæ ducimus agnam.

Ioui cur aries non immoletur. Ioui ariete immolare non licet, vt ſcribit Atteius Capito in primo de iure ſacrificiorum: ſecus tamen apud Aegyptios, de quibus ſic legimus apud Herodotum: Qui Iouis Thebani templum incolunt, aut Thebanę prouincię ſunt, ij omnes ab ouibus ſe abſtinentes capras immolant, non enim eoſdem Deos vniuerſim colũt Aegyptij pręter Iſidẽ, & Oſyrin, quẽ Bacchum eſſe aiunt, hos peræquè vniuerſi colunt; qui verò Mendetis templũ obtinẽt, ſiue Mendeſię prouincię ſunt, hi capris abſtinentes immolant oues. Itaq; Thebani, & quicumq; propter illos, ouibus parcunt, aiunt ideo ſibi conditam hanc legem, quod Iupiter cùm ab Hercule cernere eum volente, cerni nollet, tandem exoratus hoc commentus ſit, vt amputato arietis capite, pelleq; villoſa, quã illi detraxerat, induta ſibi ita ſe Herculi oſtenderit, & ob id Aegyptios inſtituiſſe Iouis ſimulachrũ facere arietina facie, & ab Aegyptijs Ammonios accepiſſe, qui ſunt Aegyptiorum, atque Aethio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Aethiopum coloni, & linguam inter vtrosque vsurpantes. Ob hanc rem arietes non mactantur ,, Thebanis, sed eis sacrosancti sunt, certo tantùm die in festo Iouis vnum demum arietem ob- ,, truncant, cuius pellem detractam hunc in modum Iouis simulachrum inducunt, ad illudque ,, deinde aliud ducunt Herculis simulachrum. Hoc acto cuncti, qui circa templum sunt, arietem ,, verberant, deinde sacra eundem vrna sepeliunt. Apud Latinos verò hoc pecus in Iouis sacrificio frequens erat; nam Calendis Februarijs Ioui tonanti bidens victima fiebat; Idibus verò Ianuarij veruex. *Aries vbi Ioui sacrificatus.* Gyraldus se legisse etiam ait, qui flaminis vxorem scribat omnibus nundinis Ioui arietem mactasse; quin, vt annotat Festus, Iduls ouis dicebatur, quæ omnibus idibus Ioui mactabatur; *Ouis idulis.* Et Macrobius ait: Sunt, qui existiment, Idus ab oue Iduli dictas, quam hoc nomine vocant, inquit, Thusci, & omnibus idibus ouis immolatur à flamine. Erat autem albi coloris, vt constat ex hoc Ouidij:

Idibus alba Ioui grandior agna cadet.

Lego & apud Iuuenalem: *Satyr. 8.*

B *Interea dum lanatas, toruumque iuuencum*
More Numæ cędit Iouis ante altaria.

Ait & Varro: *In Latio aliquot locis vindemiæ primùm à sacerdotibus publicè fiebant, vt Romæ etiam nunc; nam flamen Dialis auspicatur vindemiam, & iussit vinum legere, agna Ioui facit, inter cuius exta cęsa, & porrecta flamen prorsus vinum legit.* *Lib. 5. de ling. lat.* Quod verò Idibus Ianuarij, vt dictum est, flamen Dialis in æde Iouis Capitolini mactaret veruecem, manifestum est Ouidij testimonio: *Lib. 1. Fast.*

Idibus in magni castus Iouis ęde Sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ouis.

Quo tamen loco sunt, qui ouem semimarem accipiant lætam, & pinguem. *Ouis semimas.* Delectabatur item Iupiter huius pecudis, nec non caprarum, & boum immolatione apud barbaros, scribit enim Plinius cædendi cinnamomum veniam impetrari à Ioue extis arietum, & caprarum & boum quadraginta quatuor. Mactabatur itidem agnus Dijs laribus, indicat enim hoc Dæmones senex apud Plautum his verbis:

C *Aliquando osculando melius est vxor Pansam fieri*
Atque adornare, vt rem diuinam faciam cùm intro aduenero
Laribus familiaribus, cùm auxerunt nostram familiam
Sunt domi agni, & porci, sacres.

Vlysses Neptuno ariete, apro, & tauro litauit, vt citat Gyraldus, locus Homeri talis est:

Καὶ τότε μ' ἐν γάιῃ πήξαντ' ἐκέλευεν ἐρετμὸν
Ἔρξανθ' ἱερὰ καλὰ Ποσειδάωνι ἄνακτι,
Ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον,
Οἴκαδ' ἀποσείχειν, ἕρδειν θ' ἱερὰς ἑκατόμβας. idest,

Et tunc me in terra defixo iussit remo
Et sacris litatis ritè Neptuno regi,
Agnum, taurumque, porcasque ascendentem aprum,
Domum autem abire, & facere sacras hecatombas.

Immolabatur autem aries Neptuno, vt ait Varinus in Ἀρνειὸς, ad collaudandam maris placiditatem, sed græcè legitur: Διὰ τὸ πρᾷον τῆς θαλάσσης, ὅτι πορφύρει γαλήνιον. *Aries cur Neptuno immolatus.* Athenienses Palladem placabant olim tauris, & agnis testante Homero his versibus:

Οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον ἐϋκτίμενον πτολίεθρον
Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη
Θρέψε Διὸς θυγάτηρ, τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα
Καδδ' ἐν Ἀθήνῃσ' εἷσεν ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ.
Ἔνθάδε μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλάονται
Κοῦροι Ἀθηναίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν. idest,

Qui autem Athenas habitabant benè ędificatam vrbem
Populum Erechtei magnanimi, quem aliquando Minerua
Nutriuit Iouis filia, peperit autem alma Tellus,
Athenis autem collocauit in suo pingui templo.
Illic enim ipsam tauris, & agnis placant,
Filij Atheniensium circumuoluentibus annis.

Fuisse autem Palladi gratum huiusmodi sacrificium indicat apud eundem Penelope Telemachum filium suum abeuntem commendans:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Κλῦθί μοι αἰγιόχοιο Διὸς τέκος ἀτρυτώνη
Εἴποτέ τοι πολύμητις ἐνὶ μεγάροισιν Ὀδυσσεὺς
Ἢ βοὸς, ἢ ὄϊος κατὰ πίονα μηρί' ἔκηε
Τῶν νῦν μοι μνῆσαι, καί μοι φίλον υἷα σάωσον, ideſt.
Audi me à capra nutriti Iouis filia indomita,
Si vnquam tibi verſutus in ædibus Vlyſſes
Aut bouis, aut ouis pingues coxas adoleuit,
Horum nunc memor ſis, & mihi charum filium ſerua.

Lib. 9. c. 4.
Athenæus verò, Palladi agnam in ſacrificio mactari ſuo tempore ſolere, negat, cùm dicat tamen Iuuenalis:

Niueam reginæ ducimus agnam
Par vellus dabitur pugnanti Gorgona Mauro.

Paci etiam Ariſtophanes victimam facit ex oue (ὄϊ) quo loco cùm Trygæus admoneret hanc vocem eſſe Ionicam Chorus ſubijcit, melius ita quadrare. ἵν' ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὥς χρὴ πολεμεῖν λέγῃ τις, οἱ καθήμενοι ὑπὸ τοῦ δέους λέγωσ' Ἰωνικῶς ὄϊ. Vbi Scholiaſtes; eſt enim ὄϊ vox lugentium, & indignantium. Quomodo verò Syriæ Deæ à peregrinis ſacrificaretur, audi Lucianum

Syriæ deę vt ſacrificatu.
in volumine illi Deæ conſecrato ex interpretatione Iacobi Micylli: Vir quiſpiam quando primùm in ſacram ciuitatem abit, caput quidem ille & ſupercilia tondere ſolet, poſtea autem mactata oue cætera quidem in fruſta concidit, & conuiuatur: vellus autem humi ſternens, ſuper hoc in genua procumbit: pedes autem, & caput animantis, ſuo ipſius capiti imponit, & ſimul precando poſtulat, vt præſens ſacrificium acceptum ſit, maiuſque in poſterum pollicetur. His ita peractis, caput ſuum corona induit, itidemq; aliorum omnium, qui eandem cum ipſo viam proficiſcuntur, atque ita attollens ſe ex terra ſua proficiſcitur &c. Tempeſtati immolatur caper, & agna, Horatius:

Epod. od. 10.

Optima quod ſi præda curuo littore
Porrecta mergos iuuerit
Libidinoſus immolabitur caper,
Et agna tempeſtatibus.

Tempeſtas dea.
Nam Romanis Tempeſtas Dea credita eſt, cui agnam immolabant: Poeta autem deuouens Mæuium poetam, in quem ſcribit, horrendis tempeſtatibus animalia oblaturum ſe pollicetur pro eius interitu: Notandum autem caprum, qui aliàs tempeſtatibus non immolari ſolet, hic ab eo foueri pro libine potiùs, & petulantia illius, quàm ratione ſacrificij: agnum autem vt ſignificet Mæuium hominem timidum fuiſſe, & omninò effæminatum. Et quamuis poeta agnum

Agnus niger tempeſtati immolatus: albus terræ.
hic ſimpliciter nominet, ac ſi quilibet indifferenter accipi poſſet, nigrum tamen Tempeſtati percuti ſolere non obſcurè innuit Virgilius, *nigram hyemi pecudem* immolari inquiens, & clariſſimè Ariſtophanes in *Βατράχοις*.

Ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε
Τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.

Contrà Terræ, vtpote quæ omnia ſubminiſtrat, vnde Pandora nuncupatur, album ait ſacrificari arietem, quem inde λευκοτριχάριον vocat in auibus;

Πρῶτον πανδώρᾳ θῦσαι λευκοτριχάριον. ideſt,
Primùm Terræ ſacrificare candidis pilis præditum.

Apud Thuſſas in Aegypto vbi venus cornuta colebatur, vacca illi, vt notat Gyraldus, immolabatur, & in Nitriotica præfectura ouis: Et apud Romanos Veneri agnos immolabant. Nam apud Plautum leno quæritur non eſſe ſibi factam propitiam hanc Deam, cum tamen ſex ei

In Pænulo.
agnos immolaſſet. Propitiam autem non eſſe ex eo conijcit, quod eo die nullum quæſtum feciſſet.

Dij illum infelicitent omnes, qui poſt hunc diem
Leno vllam Veneri vnquam immolarit hoſtiam,
Quive vllum thuris granum ſacrificauerit.
Nam ego hodie infelix Dijs meis iratiſſimis,
Sex agnos immolaui, nec potui tamen
Propitiam Venerem facere, vti eſſet mihi,
Quoniam litare nequeo, abij illinc illico
Iratus. Vetui exta proſicarier
Neque ea ſpicere volui, quoniam illa non bona
Haruſpex dixit. Deam eſſe indignam credidi

Eo

Eo pacto auaræ Veneri pulchrè adij manum.
Quando id, quod sat erat, satis habere noluit,
Ego pausam feci. Sic ago, sic me decet.
Ego faxo posthac Dij, Deæque cæteri
Contentiores mage erant, atque auidi minus
Cùm scibunt, Veneri, vt adierit leno manum,
Condigne haruspex, non homo trioboli
Omnibus in extis aiebat portendi mihi
Malum, damnumque & Deos esse iratos mihi.

Marcus Paulus Venetus de Tartarorum Magis, eorundemque astibus agens, quomodo idolis suis sacrificent, scribit in hæc verba; Quando festa suorum idolorum celebrant, dantur illis à Rege arietes, quos cum lignis aloes, & thure, ceu odoriferum sacrificium Dijs offerunt, coctasque arietis carnes cum cantu, & maxima lætitia, idolis deuorandas exhibent, ius verò carnium ante idola effundunt, asserentes sic Deorum suorum promereri clementiam, qui terris fertilitatem largiantur. Idem etiam antea scripserat Sachionem Tartariæ ciuitatem Mahumeti cultores habere, item idololatras, multaque monasteria diuersis idolis consecrata, in quibus multa offeruntur, inquit, sacrificia, & dæmonibus magna à populo reuerentia, & quando homini filius aliquis nascitur, statim cum idolo alicui, atq; in honorem eius anno illò in domo sua nutrit arietem, quem anno à natiuitate filij reuoluto proximo illius idoli festo, vnà cum filio offert, cum multis cæremonijs, & magna reuerentia. Postea coquit carnes arietis, & idolo denuò offert, dimittitque ante idolum tamdiu suspensas, donec completæ fuerint nefandæ orationes, quas ante ipsum iuxta suam consuetudinem murmurare solent, & inprimis rogat idolum cum magna instantia, vt filium sibi commendatum conseruet. Officio finito immolatas carnes ad locum alium defert, & consanguineos illius omnes pariter congregatos, carnes illas cum magna religione comedit, ossa verò decenter in vasculo quodam conseruat. Vt verò ad Romanos reuertamur, Augustus etiam viuus adhuc templa emeruit, vt ostendit Horatius inquiens:

Lib. 1. c. 66. Tartarorũ Magi vt idolis sacrificent. Cap. 45.

B

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Epist. 1. lib. 2.

C Quamuis ex Suetonio, & Dione demonstret Lipsius in commento, Augustum viuum adhuc in prouincijs, non in Italia, aut Romæ coli voluisse; Sed & Prudentius ridet, quod non solùm Dijs sacrificarent Romani, sed postmodum etiam hominibus diuinos exhiberent honores, dum canit:

Romani vt dij culti. Lib. 1. cõtra Symmachũ.

Hunc morem veterum docili iam ætate secuta
Posteritas mensæ, atque adytis, & flamine, & aris
Augustum coluit, vitulo placauit, & agno.

Hucque spectat hoc Virgilianum:

O Melibæe, Deus nobis hæc ocia fecit,
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Ecloga 1.

D

COGNOMINATA DENOMINATA.

MERCVRIVS cur à Tanagræis κριοφόρος, hoc est, arietem ferens, cognominatus, hocque nomine cultus sit, rationem hanc assignat Pausanias, quòd videlicet pestilentiam auerterit circumlato in ambitum murorum ariete, vnde postmodum factum, quod is qui cæteris puberibus forma præstaret, dicatus esset, festo eius Dei die, agnum humeris portans muros circumambularet. Κριὸν itidem virum Aeginetam strenuum, & luctatorem celeberrimum fuisse aiunt, à quo eiectus sit insula Lacedæmoniorum rex Cleomenes, qui vt perterrefaceret, scitum illud protulerit: *nunc præpila tibi aries cornua.* græcè legitur: ἤδη νῦν κατὰ χαλκῶ, ὦ κριὲ τὰ κέρατα, ὡς μεγάλῳ κακῷ συνοισόμενος. Sed Hermolaus, qui præpila vertit, καταχάλκȣ cùm ad verbum ita potius sit cõuertendum: Nunc aduersus es cornua, ò aries, magno hominem malo intricandum significãs: Vt cornibus æs, aut ferrum (subaudi impetere) eodem ferè sensu dicatur, quo illud, contra stimulum calcitrare: Tale enim est à priuato regem expelli. Cæterùm arietis nomen valido, & robusto athletæ pulchrè conuenit: Luctatorũ enim est obarietare inter se. Idem fortè est Crius Aegineta Polycriti filius, cuius in sexto meminit Herodotus. Fabius Maximus, vt scribit Plutarchus

Mercurius cur κριοφόρος dictus. Crius vir strenuus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tarchus in eius vita, & vterque Plinius, Iunior in opere de viris illuſtribus cap. 43. Senior libro naturalis hiſtoriæ 33. cap. 7. propter placidum ingenium, morumque conſtantiam, puer adhuc ouiculæ cognomen accepit: Nam quieta in eo natura, atque taciturna, & in pueriIibus voluptatibus cautio; ad hæc in percipiendis diſciplinis tarditas, & difficultas, facilitas verò apud familiares, & obedientia ſuſpicionem exteris ſtoliditatis alicuius, & ignauiæ de eo præbebant, paucique indolem in eo grauem, atque immobilem, leoninamque magnanimitatem perſpiciebant. Similiter & Brutum Tarquinius, quem hebetem eſſe putabat, pecus nominauit. Cęlius annotat ex Dione hiſtorico, Marcum Silanum à Caligula dici ſolitum χρυσοῦν πρόβατον, cuius mox verba citabimus; teſtatur idem Cornelius Tacitus annalium ab exceſſu Diui Auguſti lib. 13. in exordio. *Prima*, inquit, *nouo principatu mors Iunij Silani proconſulis Aſiæ, ignaro Nerone per dolum Agrippinæ paratur, non quia ingenij violentia exitum irritauerit, ſegnis, & dominationibus alijs faſtiditus, adeo vt Caius Cæſar pecudem auream eum appellare ſolitus ſit, verùm Agrippina fratri eius Lucio Silano necem molita vltorem metuebat, crebra vulgi fama anteponendum eſſe vix dum pueritiam egreſſo Neroni, & imperium per ſcelus adepto, virum ætate compoſita inſontem, nobilem, & quod tunc ſpectaretur, è Cæſarum poſteris, quippe & Silanus Diui Auguſti abnepos erat.* Sic Tacitus; Cui hoc Scholium appendit doctiſſimus Lipſius: Vereor, vt ſcriptori noſtro conſtet ratio; non enim in hunc M. Silanum expetit Cai dictum, ſed in illum alterum, qui eius ſocer. Dio clarè. Ὁ δὲ δὴ πενθερὸς αὐτοῦ Μάρκος Σιλανὸς, ἐπειδὴ βαρὺς αὐτῷ ὑπό τε τῆς ἀρετῆς, καὶ ὑπὸ τῆς συγγενείας ἦν, ἑαυτὸν κατεχρήσατο. Ὁ δὲ Γάϊος τάτε ἄλλα ἰσχυρῶς προεπηλάκιζε (καίτοι οὕτω καλῶς περὶ αὐτοῦ φρονῶν, ὥστε καὶ χρυσοῦν αὐτὸν πρόβατον ὀνομάζειν) καὶ ὅπως μηκέτι πρῶτος ἐπιψηφίζηται, &c. Cui vt adſentiar ætas Silani me inducit: natus enim eſt, vt Plinius ait, extremo Auguſti anno, à quo ad hunc diem anni quadraginta duntaxat ſunt. Non ergo in ea ætate hic adoleſcens formidini, aut contemptui alijs dominationibus eſſe potuit, cuius adhuc οὐδεὶς λόγος. Sed vt in homine Tacitus, ſic in dicto aberrat Græcus; putat enim laudis, honoriſque fuiſſe, quod reuera probri fuit, & falsè iactum in hominem diuitem, ſed ignauum, hebetem, ouiculam meram.

Brutus pecus dictus. *Lib. 13. cap. 14.* *Silanus ouis aurea. dictus.*

Ὀϊόλυκος nomen proprium, ab adagiorum authore prouerbijs adnumeratum. Herodotus, inquit, libro quarto refert: Cum Theras quidam longinquam adornaret nauigationem, ac filius ipſius adoleſcens, negaret ſe futurum eius nauigationis comitem: τοιγαροῦν ἔφη αὐτὸν καταλείψειν ὄϊν ἐν λύκοισι, ideſt, *Itaque relinquam eum, inquit, ouem inter lupos:* Ex eo dicto nomen inditum eſt adoleſcenti ὀϊόλυκος, voce compoſita ex oue & lupo. Dici poteſt in hominem deſertum, ac deſtitutum hoc nomine. Quod ſi quis negabit hoc eſſe prouerbium, referatur pro appendice ad illud: *Ouem lupo commiſiſti*, nam probabile eſt hoc prouerbium ab hac hiſtoria. Hæc ille. Valla interpres Oilycum legit, ſed codices impreſſi grecè Ὀϊόλυκον habent, vt adagiorum author monet. In epiſtolis Theophylacti, Ἄρνων ruſtici nomen eſt ita dicti à cura agnorum. Ab oue pauca apud Latinos reperio denominata, apud Græcos verò non pauca: Ouiaria apud Varronem eſt ouium multitudo, vt pecuaria pecoris: Hinc Ouiaricus poſſeſſiuum apud Columellam, *quoniam de Ouiarico pecore ſatis dictum eſt*, &c. In frequentiore verò vſu eſt, ouillus, & ouinus: reperitur & ouilis apud Varronem his verbis: *Vt ſuillo pecori à Fauonio ad æquinoctium vernum putant aptum* (admittēdo) *ſic ouili ab Arcturi occaſu vſque ad Aquilæ occaſum.* Et alibi grex ouilis apud eundem legitur, vt & ſemen caprile. Vtitur eadem voce Feſtus. Molleſtras dicebant pelles ouillas, quibus galeas extergebant. Quid verò ſit ouile, & quale eſſe debeat, ſuo loco dictum eſt. Erat verò etiam ouile locus Romæ in Campo Martio, ſic dictus, quòd ibi greges ouium à Tarquinijs haberentur; fuit enim eorum ager. Sic enim potiùs illud Iuuenalis:

Ὀϊόλυκος. *Ouiaria.* *Molleſtræ.* *Ouile.* *Satyr. 6.*

Vt ſpargar in ædem
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit ouili.

Exponēdum, quam vt intelligas de ſeptis, ideſt, tabulatis, in quibus claudebatur populus tempore comitiorum, ait enim antiquo ouili, hoc eſt, illi loco, qui in campo Martio antea & priſcis temporibus appellatus eſt ouile, vbi ſcilicet greges, & ouilia habuere Tarquinij, quibus poſtea expulſis campus populo datus eſt, & Marti conſecratus. De eodem intellexit Lucanus:

Lib. 1.

& miſeræ maculauit ouilia Romæ.

ideſt, campum Martium. Lege Liuium in prima decade. Strabo quoque mentionem facit in quinto his verbis: *Sylla alios, qui arma proiecerant, ad millia tria, vt alij, quatuor in campo ad ouilia coactos, immiſſis militibus triduo iugulauit.* Varro agens de ſeptem Romanæ vrbis montibus, cur quartus eorum Palatium vocaretur, hunc in modum ſcribit: *Quartæ regionis Palatium, quod Palantes* (aliàs Palantei) *cum Euandro venerunt, aut quod Palatini, qui & Aborigines ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi conſederunt. Sed hoc alij à Palatia vxore Latini puta-*

Palatium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *putarunt. Eundem hunc locum à pecore dictum putant quidam. Itaque Næuius Palantium appellat*. Hactenus ille, Iosephus Scaliger hoc appendit scholiolum: Nihil deesse videtur: quia cùm dicit à pecore dictum, forsan intelligit à pecoris balatu, vt Næuius. Videndum tamen, num ita scripserit Varro. Eundem hunc locum Pecuscum à pecore dictum putant quidam. Festus, Pecuscum Palatij dicta est ea regio vrbis, quam Romulus obuersam posuit ea parte, in qua plurimum erat agri Romani ad mare versus, & qua mollissimè adibatur vrbs Equidem nil certi statuo: tamen non abs re esse putaui, indicare de ea re suspicionem meam. *Pecuscum.* Ab ὄις est οἰσπάτη videlicet ὁ τῶν προβάτων ῥύπος, vt Didymus apud Hesychium exponit, idest, sordes ouium. Ipse autem Hesychius generalius explicat ῥύπος. *O'ισπάτη.* Suidæ O'ισπάτη est, ὁ ῥύπος τῶν ἐρίων, sordes lanarum, sed & οἰσπώτη, etsi etiam vertatur ὀπλὴ προβάτου in Lexico veteri, vt testatur Henricus Stephanus, deriuetur que ab ὄις, & πατέω, verso α in ω; significat ouium sordes, vel fimum ouillum, vt ibidē exponitur prolato Aristophanis loco, qui legitur in Lysistrata. Dion. lib.46. in concione Caleni exprobrantis Ciceroni, quod fullonis esset filius, & succidas lanas B sordibus repurgasset, retrimentaque collegisset, καὶ γυμνὸς ἐν γυμνοῖ: αὐξηθεὶς, καὶ οἰσπώτας, καὶ ὑσπελέθους, καὶ σπατίλας συλλέγων, sordes lanarum succidarum, & succerdas, vel etiam fimum ouillum, stercora ouilla. Vbi tamen vulgata editio οἰσπέτη habet, quod & apud Etymologisten legitur, sed est, aut οἰσπώτη, aut οἰσπάτη scribendum. O'ισυπος, siue οἰσύπη exponitur etiam sordes ouium, vel fimus ouillus vt οἴπτωτον (sic enim Pollux περὶ ἀποδευμάτων loquens vocari scribit τῶν προβάτων τὴν κόπρον) Erotianus in Lexico Hippocratico οἰσύπη κυρίως λέγεται τὸ διαχώρημα τοῦ προβάτου, ab ὄις; Hippocrates καταχρηστικῶς dixit οἰσύπη αἰγὸς, pro τὸ τῆς αἰγὸς διαχώρημα, vt idem Erotianus annotauit, pro quo Galenus habet οἴσπη. Hesychio tamen οἴσυπος est ὁ τῆς αἰγὸς ῥύπος. Is, qui de Dialectis scripsit annotat, vt idem Henricus testatur, Ionica lingua οἰσύπη, dici non solùm τὸ διαχώρημα τοῦ προβάτου, sed etiam τὸ τῶν ῥυπαρῶν προβάτων ἔριον, quemadmodum & in Lexico Herodotæo οἰσύπη exponitur ῥυπαρὰ προβάτων ἔρια, ex quo Herodoto eadē significatione Suidas citat οἴσπη. Erit igitur, inquit Henricus, οἰσύπη lana sordida, vel lana succida. Sed frequentius οἰσύπη dicuntur sordes, seu fimus ouillę lanæ adhærens, præcipuè circa nates, seu sordes, quæ ouillæ lanæ ex fimo adhærent. Suidæ ὁ ῥύπος τῶν ἐρίων, vel etiam pinguedo, quæ ex ijs sordibus exprimitur. Sordes verò lanis inhæ- *Oesypus.* *Lib.5.c.14.*
C rentes dici οἴσυπον, præter Dioscoridem Plinius etiam testatur. Οἴσυπος, inquit Dioscorides, λέγεται τὸ ἐκ τῶν οἰσυπηρῶν ἐρίων λίπος. *Lib.2.c.84.* Plinius verò ait: *Quin ipsæ sordes pecudum, sudorque feminum, & alarum adhærentes lanis (æsypum vocant) innumeros propè vsus habent.* *Lib.29.c.2.* Scribitur & οἴσυπον in eadem significatione, vt constat ex hoc Ouidij:

Oesypa quid redolent quamuis mittantur Athenis?
Demptus ab immundæ vellere succus ouis.

Sic & Plinius: *Probatissimum Oesypum fit plurimis modis* &c. Græci tamen frequentius masculino vtuntur, Latini neutro. Ianus in comm. suis in 2. Gal. de comp. medicam. secundum locos, multis veterum Græcorum, Latinorumque locis recitatis hyssopum pro œsypo passim legi ostendit, qui error ita inualuit, inquit Gesnerus, vt iam aliquot seculis recentiores, & indocti hodieque pro œsypo hyssopum humidam scribant distinguendi gratia ab herba hyssopo, *Hyssopus humida.* qui Gesnerus in hoc Celsi loco; *Enneapharmacum emplastrum constat nouem rebus, & inter cætera hyssopo*; *Lib.5.c.19.* pro hyssopo restituit æsypo. Et apud Galenum, siue in libro de succedaneis ipsi ad-
D scripto pro œsypo medulla vitulina substituitur, quamquam deprauati codices sic habent: ὑσσώπου μυελὸν μόσχου ἢ στιχάδα, œsypo, & hyssopo herba confusis, pro hac enim stichadem herbā rectè substitueris, pro œsypo verò medullam vituli. Et apud eundem Galenum lib. 11. de simplic. med. fac. τὰ δὲ πεπλυμένα ἔρια, καὶ μηκέτι ἔχοντα τὸν ὕσσωπον, restitue οἴσυπον. Apud eundem lib. 13. meth. τὸ Αττικὸν ὕσσωπον itidem mendosè pro οἴσυπον: Nam & Plinius lib 29. cap. 2. meminit œsypi quod ex Atticarum ouium lanis colligitur, & Ouidius præcit. loco, apud quem etiam lib. 29. cap. 6. pro, vt omnia hyssopo illinantur, Hermolaus restituit œsypo, & hyssopum cum myrrha calidum penicillo illitum idem reponit œsypum ex veteri codice. Quidam verò, vt scribit Hermolaus, hoc a Galeno hyssopum dici putant errore vulgi, & quidem à Græcis, inquit, orto qui non œsypum quandoque, sed hyssopum scribunt, vt siue prudentes, siue imprudentes, non œsypum simpliciter, sed hyssopum hygron, (vt Aegineta aliquoties) & *Corall.284.* hyssopum pharmacum sæpissimè cognominent, quasi ab hyssopo herba distinguere voluerint; vt Paulus in compositione, quam à ruta πηγανηρὰν appellant, vtilem Pleuriticis. Tantum Hermolaus apud quem tamen hyssopus semper per s simplex scribitur. Apud Aetium contra οἴσυπος per Σ duplex scribitur, quod doctis improbatur. Οἴσυπος, inquit, Gorræus propriè dicitur ouium sordes earum lanis adhærescens, deinde verò pro ipsa etiam lana adhuc sordida &

illota

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

illota dici cœpit. Sordes autem ea ex ſudore feminum & alarum colligitur, adhæretque lanis, & quæ propterea, quod œſypum habent, οἰσυπηραὶ, ῥυπαραὶ, & ab Hippocrate πινόεσσαι, & πινώδεις appellantur, eſt enim πῖνος idem, quod ῥύπος, latini ſordidas, & ſuccidas vocant, quod tales ſint, quales vbi primùm ſucciſæ, detonſæque ſunt. Erotianus in Lexico Hippocratis οἰσυπηρὰ ἔρια exponit τὰ μετέχοντα τῆς οἰσύπης, ἢ τῦ οἰσύπυ. Apud Ariſtophanem in Acharnenſibus cùm quidam vulneratus eſſet, poſtulantur ὀθόνια κηρωτὴ, ἔρι' οἰσυπηρὰ. Apud Suidam vbi ſcribit ἡσυπηρὸς & exponitur ὁ ῥυπώδης ſcribendum οἰσυπηρὸς, & pro ὑσόιπη οἰσύπη, nam & ipſe etiam alias habet, & Varinus οἰσυπηρὸς, ῥυπαρὸς. Ἔρια οἰσυπηρὰ, ῥύπυ πεπληρωμένα, ἐμπάσματα ἀπὸ τῆς κόπρυ. οἰσύπη δὲ ἐςὶ τὸ διαχώρημα τῶν προβάτων. Apud Heſychium, vbi οἰσύπειον exponit ἔριον ῥυπαρὸν προβάτων, additque τὸ αὐτὸ οἰσυπειρὸν καὶ οἰσυπειρὸς, Geſnerus

Œſypis. penultimam potiùs, inquit, per η ſcripſerim, & acuerim, vt Dioſcorides, & alij faciunt. Eſt & οἰσυπὶς idem, quod οἴσυπος, ſiue οἰσύπη, hoc eſt, lana ſuccida, ſeu ſordes ouium; Nam Galenus in Lexico Hippocratis οἰσυπίδας exponit προβάτυ ῥύπον, ἤγυν ἔριον ῥυπαρὸν. Apud eundem ibidem ſic legitur οἰσυπίδες προβάτυ ῥύποι συνεςραμμένοι, δηλοῖ δὲ καὶ ἐρίυ ῥυπαρῦ μαλίον, quæ poſtrema vox mendoſa eſt, ac ſcribendũ fortaſſe μαλλίον forma diminuta à μάλλος. Cæterùm

Oeſpe. pro οἰσύπη vel οἰσπάτη legitur etiam οἴσπη, quod Ionicum eſſe videtur, inquit Henricus Stephanus, nam οἴσπη, pro ῥυπαρὸν προβάτων ἔριον Suidas affert ex Herodoto, quo ſenſu paulo ante ex Lexico Herodotæo attuli οἰσύπη. Itidem Gal. in Lexico Hippocratis οἴσπη αἰγὸς, eſt ὁ παρὰ ταῖς θριξὶ τῆς αἰγὸς ἐγγινόμενος ἐν τῇ ἕδρα ῥύπος, καὶ μάλιςα ταῖς κατὰ τὴν ἕδραν συνιςάμενος ῥύπος, pro quo Erotianus habet οἰσύπη αἰγὸς. Itidem apud Heſychium οἶσπαι ſunt προβάτων ῥύπος. Οἰοχίτων Heſychio eſt προβατοχίτων, hoc eſt, tunicam habens ouinam, ſeu ex lana ouina, vel etiam μονοχίτων, aut δίχα ἱματίυ. Eſt & οἶα pellis ouilla de qua voce ſuprà ſat ſuperque actum. Item & μηλωτὴ, quæ tamen vox generaliter de qualibet etiam pelle intelli-

Phyximela. gitur, vt tradit Heſychius, Euſtathius, alijque. Dicuntur & φυξίμηλα ἀπὸ τῦ μήλυ, hoc eſt, ab oue, Plutarcho in quæſtionibus græcis arbores, quæ ob altitudinem, effugerunt periculum, ne à pecudibus, edantur. Οἰάτειον κρέας, caro eſt ouilla, vt & κρέας μηλεῖον, nec non & προβάτειον.

Οἰοπόλα ὄρη. οἰοπόλα ὄρη montes ſunt ouium paſcuis apta, ſiue in quibus oues verſantur: vel montes ſolitarij, & deſerti ab οἶος quod eſt ſolus, & πολεῖν vt inquit Varinus: Et apud Apollonium οἰοπόλοι

Lib 4. Arg. Oeopolę Nymphæ. ſunt Nymphæ, vbi nimirum Orpheus; O Nymphæ, inquit, ſiue cæleſtes, ſiue terreſtres (καταχθόνιαι) ſiue οἰοπόλαι, Scholiaſtes interpretatur Nymphas, quæ ouium curam gerunt, quæ & ἐπιμηλίδες dicantur: eſt & μηλόβοσις apud Heſiodum in Theogonia, Nympha, Oceani & Tethyos filia, ſic dicta ab ouibus paſcendis. Deriuata τῦ προβάτυ apud Pollucem leguntur, προβατεῖς, προβατευταὶ, προβατεία, προβατευτικὴ, προβατοκάπηλος. Apud Varinum προβατεία oxytonum legitur, & exponitur προβάτων νομὴ, καὶ κτῆσις, hoc eſt, ipſa cura vel paſtio, vel poſſeſſio ouium, quanquam & νομὴ etiam poſſeſſionem ſignificat; Προβατοπώλυ nomine traducitur in comœdijs Lyſicles quidem προβατοκάπηλος, vt ſcribit Heſychius, qui Aſpaſiam, inquit, meretricem duxit. Eſt autem προβατοπώλης idem quod προβατοκάπηλος, ideſt, ouium venditor, qui ſcilicet vendendis ouibus negotiatur. Eſt & probaticus adiectiuum, vnde probatica dicta piſcina, vbi oues lauari ſolebant, antequam à ſacerdotibus litarẽtur, vt exponit Ge-

Piſcina probatica. nerus. Apud D. Ioãnem cap. 5. προβατικὴ κολυμβήθρα, vt Cyrillius, Chryſoſtomus, & Theophylactus legunt, exponitur pecuaria piſcina, ideſt, ex qua potare, & in qua merſari pecudes ſolebant; Hebraicè Betheſda (corruptè Bethſaida) ideſt, domus effuſionis, vt exponit Chri-

In Theatro terræ ſãctæ. ſtianus Adrichomius Delphus, quod aquæ fluuiales in eam confluebant, addens ſitam fuiſſe inter portam Vallis, & templum, fuiſſeque amplam, & præcipuam totius vrbis piſcinam, quinque quinque porticus haberet à rege Salomone conſtructam pro miniſterio templi, atq; hinc

Stagnum Salomonis. à Ioſepho ſtagnum Salomonis nominari. In eadem Nathinæos lauiſſe hoſtias quas tradebant ſacerdotibus in templo offerendas. Huius aquam certis temporibus ab angelo domini moueri ſolitam, & qui poſt eius motum primus deſcendebat in eam, à quacunque detinebatur infirmitate, ſanitati reſtitutum legimus, ideoque in porticibus eius iacuiſſe multitudinem magnam languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Ex quibus, inquit, Chriſtus ſanauit hominem, qui triginta octo annos languerat. Tempore Hieronymi oſtendebantur gemini lacus, quorum vnus hybernis pluuijs ſolebat impleri, alter mirum in modum

Probatica forum. rubens, quaſi cruentis aquis antiqui in ſe operis ſigna teſtabatur. Eſt & probatica, eodem Chriſtiano annotante, forum pecuarium, vbi oues, boues, aliæque pecudes, vendebantur, quæ ſacrificandæ erant. Deriuata verò τῦ κριῦ ſunt κριόμυξος ideſt, arietis inſtar mucoſus, qua voce dicimus ſuprà ex Galeno, qui cerebrum habent admodum mucoſum, hoc eſt, hebetes, & inertes. Κριοπρόσωπος autem, qui arietina facie eſt, ſeu arietem ſua facie repræſentat. Κριόφαγοι arie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A arietum vorator, θεὸς τις ῷ κριοὶ θύονται, Deus quidam gentilitius, cui arietes ſacrificabantur. Κριοειδὴς, qui arietis formam habet. Κριομαχία pugna arietum, ſic vocatur Satyra quædam Varronis apud Gellium. Κριοκοπέω ariete pulſo, ariete quatiendo ſubuerto, ſubruo, ſiue arieto, quod latinorum verbum non tam de ariete machina bellica, quàm de ipſo etiam animali vſurpatur, cùm ſcilicet capite, & cornu, vel ſeſe mutuo, vel etiam hominem impetit. Dixit & per tranſlationem Curtius, arietare pro præcipitare; *Macedo gladium cæperat ſtringere, quem occupatum pedibus repente ſubduxit, Dioxippus arietauit in terram.* Sic & Silius Italicus:

Arietare. *Lib. 9.* *Lib. 4.*

> *Arietat in primos, obijcitque immania membra.*

Accipitur & pro pulſare ad oſtium. Plautus:

> *Quis illic eſt qui tam proteruè noſtras ædes arietat?*

ideſt, tam vehementer pulſat. Virgilius:

Lib. 13. Aen.

> *Arietat in portas, & duros obijce poſtes.*

Vbi Seruius: In clauſas portas more arietis ruebat, ideſt, bellici machinamenti. Reperitur &
B neutrum apud Senecam pro labaſcere. *Quæ caſus incitat, ſæpe turbari & citò arietare.* Et rurſus: *Nihil praui, nihil ſubiti ſupereſt, nihil in quo arietet, aut labet:* Et apud eundem rurſus arietare inter ſe dicuntur, quæ concutiuntur mutuo ictu: *Magno Imperatori,* inquit, *antequam acies inter ſe arietarent, cor exiluit.* Sic dentes etiam inter ſe arietatos dicit. Sic & Plinius loquẽs de motibus: *Innoxium, & cum concurrentia tecta contrario ictu arietant, quoniam alter motus alteri renititur.* Κριοδόχη, ſeu κριοδόκη arietaria machina eſt, ipſum arietem machinam ſuſtinens, apud Athenæum in lib. de machinamentis, cuius hęc ſunt verba: ἴσα δὲ καὶ κριοδόχην ἐπ᾽ αὐτὴν, ἐφ᾽ ἧς καὶ κύλινδρον ἐπετίθει, δι᾽ οὗ προωθούμενος ὁ κριὸς δι᾽ ἀντισπάστων ἐνήργει τὴν χρείαν ἐβύρσου δὲ καὶ ταύτην ὁμοίως τοῖς πύργοις. Vnde & Vitruuius: *Conſtituebatur autem,* inquit, *in ea, arietaria machina, in qua collocabatur torus, perfectus in torno, in quo inſuper conſtitutus aries, rudentum ductionibus, & reductionibus efficiebat magnos operis effectus: tegebatur autem is corijs crudis, quemadmodum turris.* Crioth eos apud Dioſcoridem legitur inter nomenclaturas ferulæ cuiuſdam in Libya ad Damonis Iouis templum naſcentis, quæ Agaſyllis vocatur, & eius thymiama Ammoniacum; Colebatur autem illic Ammon Deus ἐν τοῖς ἀμμοῖς, ideſt, loco arenoſo arietino capite inſignis, vnde & criotheos planta à Deo ariete. Inter lapides determina-
C tæ figuræ reperiuntur quidam, arietum cornibus adeò ſimiles, vt ipſamet cornua in lapides cõuerſa viderentur, niſi minores eſſent. Plinius quidem mea ſententia non rectè inter gemmas recenſet, meliùs Solinus lapidem vocauit, vterque tamen in eo conuenit, quòd cornua vocent Ammonis, aiuntque ita tortuoſos eſſe, & inflexos, vt effigiem reddant cornu arietini, fulgore auri: prædiuina ſomnia repręſentari, dici, ſubiectos capiti cubantium. Ammonis autem cornua dici conijcio ab ariete illo, qui beneficio Iouis Baccho ſiti laboranti fontem demonſtrauit. Reperiri item in Germania, teſtatur Georgius Agricola. Græci κριὸν ἐρέβινθον, ideſt, arietem cicer nominant. Nominis rationem Plinius, & Columella tradunt, dum aiunt: Ciceris genus eſt arietino capiti ſimile, vnde ita appellatur album, nigrumque. Αιλόκριος Heſychio eſt radix ſic dicta, nec non & Varino. Geſnerus vocem putat eſſe corruptam pro αἰλούριος, quæ vox Etymologo etiam radicem quandam ſignificat, quam idem Geſnerus, conijcit eſſe radicem Valerianæ, propterea quòd hac radice ſummoperè delectentur cati. Κριοῦμέτωπον vocari ita promontorium quoddam Dionyſius Afer ſcribit à ſpecie, qua arietis caput refert. Euſtathius addit è
D longinquo conſpectum eiuſmodi apparere, & eandem ob cauſam promontorium alterum ad pontum Euxinum ſic nominari: huius mentio apud Plinium his verbis: *Criumetopon promontorium eſt in Taurica, aduerſum Carambico Aſiæ promontorio, per medium Euxinum procurrens CLXX. M. paſſuum interuallo, quæ maximè ratio Scythici arcus formam efficit.* Et rurſus alibi, Grues pontum tranſuolare ſcribit, inter duo promontoria Criumetopon, & Carambin. Eſt & Cretæ ad accidentem promontorium Cyrenas verſus eodem nomine eidem Plinio: Nec non etiam Euſtathio, qui de his promontorijs plura ſcribit, quæ, data opera, negligo. Thyeſtis ſepulchrum legimus κριοὺς vocatum, ideſt, arietes in agro Argiuo, prope quod viſebatur regio Myſia, non aliam ſcilicet ob cauſam, quàm quòd teſtante Pauſania in Corinthiacis Thyeſtis ſepulchro lapideus ibi aries appoſitus ſpectaretur. Meminit verò Strabo alterius etiam promõtorij arenoſi cuiuſdam, atque humilis, poſt Bolbiticum oſtium Nili, quod Agni cornu appellatur. Eſt itidem Arne fontis nomen in Arcadia, de quo ſic Pauſanias: Campus, quem Argum vocant in Arcadia, decem ſtadiorum eſt, & paulò poſt eum alius, in quo fons Arne ſpectatur, cui hoc nomen contigit, vt Arcades ferunt, quoniam Rhea illic Neptunum expoſuerit inter gregem agnorum, & fontem inde dictum, quòd agni circa eum paſcerẽtur: Saturnus verò per ſualus, pullum equi tanquam à Rhea editum deuoraret. Inuenio etiam apud Varinum Leon-

Criodoche. *Criotheos.* *Ammonis cornu lapis qui dictus.* *Cicer arietinum.* *Criumetopon.* *Thyeſtis ſepulchrũ cur aries dictũ.* *Arne fons qui.* *In Arcadiæ.*

tarnen

tarnen vicum circa Heliconem fuiſſe, aut fontem ita dictum, quòd, immolante illic Adraſto, E
Leontarne. leo agnum rapuerit. Ab ἀρνὸς deriuari videtur ἀρνευτὴς piſcis quidam, quamuis Euſtathius ex
Arneutes piſcis. Atheneo ſic dictum ſcribat, quod frequenter exiliat caprarum modo, ſiquidem Varinus, ἀρνευ-
τὴρ, eſt, inquit, qui capite præmiſſo in mare ſe mergit, ab agnis, qui dum primoribus ſaltant pe-
Hippurus. dibus caput terræ admouent: quamobrem Hippurum quoque piſcem, quòd continuò exiliat
Iliad.Π. ἀρνευτὴν aliqui vocabant, vt Athenæus ſcribit. Et Scholiaſtes Homeri, ἀρνευτῆρι exponens κυ-
Iliad.M. βιστῆρι metaphoram ait ſumptam ab agnis, qui inter currendum caput concutiunt, ſiue vt
Varinus, & Suidas habent, qui in caput ferè proni ſaltare ſolent, tanquam aerem cornibus in-
petentes. Sed idem Scholiaſtes alibi ἀρνευτῆρι exponens κυβιστῆ δύτῃ, vel ſecundum aliquos
Delphino: Solent autem, inquit, ἄρνες, ideſt, agni per tranquillitatem in caput ferri. Ἀρνῳδοὶ
vocabantur rhapſodi, quod agnum ſui cantus acciperent præmium. Ἀρνοφαγεῖν eſt Athenis re-
ligioſiſſimum, & ſummum iudicium haberi, in quo ſenatus, & populus vnà cœbant, quo tem-
pore à triginta tyrannis pene in extremum diſcrimen adacti ſunt; Et apud Varinum μάρνω
eſt pugno à μὴ, & ἀρνῷ, ideſt, concilio, nam ad conciliationes priſci adhibebant agnorum ſa-
crificia. Inter nomenclaturas plantaginis legitur etiam προβάτιον, item ἄρνιον, & ἀρνόγλω-
Plantago. σσον, quaſi agninam linguam dicas. Plinius verò tanquam eiuſmodi nomenclaturæ minus
plantagini coueniant; *Plantago minor*, inquit, *folijs eſt linguæ pecorum ſimillimis*, ſed Heſychius,
Cythiſus. & Varinus ἀρνόφυλλον exponunt Cythiſum, non quidem ob ſimilitudinem, ſed quia gratum
agnis pabulum eſt, folia enim ſatis tenera ſunt, & mollia, & ſuauem præbent ſuccum malui in-
ſtar, vt agnis in cibis aptus, & gratus videatur. Legitur & probatæa inter ſynonyma ocymaſtri
Probatea. apud eundem Dioſcoridem. Carolus Sigonius in tertio de republica Hebræorum ſcribit quin-
Iobeleus annus vnde dictus. quageſimum annum dictum eſſe apud Hebræos Iobeleum, quòd eum Leuitæ per tubas arie-
tinas Iobelin Hebræis dictas, conuocato populo, indicerent, indeque eſſe illud Ioſuæ: *Septimo*
Cap.6. *die ſacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum vſus eſt in Iobeleo.* Sunt qui ideo inter alias tu-
bas, arietinas electas fuiſſe arbitrantur, quia aries illis indicaret regnum, ac ſacerdotium, aries
enim dux eſt, & cuſtos gregis. Principes igitur ſacerdotum ſeptem ex lege tubis ſuis arietinis
priſtini ſtatus reductionem velut maximi gaudij nuntium populo publicabant. G

STRATAGEMA, FOEDERIS,
Sanciendi ritus, & belli indicendi.

Lib.7.c.18. de re militari. ROBERTVS Valturius: Ioſephus, inquit, velleribus ouium nuncios tegens mul-
to tempore vigiles Romanorum fefellit ſpecie canum decerptos. Ἀρνορχὶν (ita
Ἀρνοκίν. enim reponendum pro ἀρνορίν) Heſychio ὁ μετὰ τοῦ ἀρνὸς αἰρομένου γινόμενος ὅρ-
κος, iuramentum, quod fit in altum ſublato agno, niſi fortè ſcripſit ἀνάρρησιν ὅρ-
κος, ideſt, cæſo: nam cæſo agno fœdus cum iuramento, tam apud Græcos, quam
apud Carthaginenſes, & Romanos feriebatur, vt ex ſubſequētibus veterum monumentis elu-
Iliad.δ. cebit. De Græcis exemplum extat apud Homerum Agamemnonis, & Priami de Paride, &
Menelao dimicaturis. Præcones in vrbem venerunt, & quæ ad feriendum fœdus iuſſi erant fe-
„ re, iam ſumpſerant, duos agnos, ac vinum, quod caprino vtre portabant. Quoniam Ideus æ-
„ ream pateram, aureoſque calices geſtans Priamum adijt, defertque mandata his verbis: Sur-
„ rex & veni feſtinus in campum, vbi principes Troianorum, atque Græcorum iuſſo me venire
„ accitum te expectant, vt inter eos, ſed non ſine te fœdera facta feriantur; Pepigerunt enim, vt
„ Alexander, ac Menelaus in medio vtriuſque exercitus decernant ferro, vtri eorum, qui vicerit,
„ Helena vxor cum omni gaza addicatur. Cæteri autem percuſſo fœdere pacificati nos Troiam
„ incolamus, illi in Græciam reuertantur. His auditis ſenex perturbatus ſanè animo iuſſit comi-
„ tes ſibi iungere currum, quo veheretur, vbi expectabatur. Eo confeſtim iuncto, & regaliter ſtra-
„ to conſcendit, habenaſque cepit, cui Antenor in currum & ipſe conſcendens, ſe comitem præ-
„ ſtitit: amboque porta Scæa egreſſi in campum, vbi vterque exercitus erat, perueniunt. Ibi à ve-
„ hiculo deſcendentes in medium ſuorum, atque hoſtium iuncti procedunt. Tunc Agamemnon
„ atque Vlyſſes conſpectis ſenibus, ipſi quoque prodeunt, ſimulque præcones pro more omnia
„ illatis, quæ ad fœdus feriendum pertinent, adſunt. Primum vinum pateræ, poſtea aquam ſin-
„ gulorum regum manibus infundunt. Hic Agamemnon educto cultro, qui ad vaginam, vt maxi-
„ erat, inſertus erat, è vertice vtriuſque agni pilos deſecuit, quibus per præcones inter maximos
„ quoſque Græcorum, Troianorumque diſtributis ipſe ſupinas in cælum manus tollens, in hunc mo-

A modum exaudientibus cunctis, precationum, ac fœderis verba cõcepit: Iupiter pater, qui huic loco ob montem Idæum præsides, cuius principatus præ cæteris plus dignationis, ac iuris habet: Et tu Sol qui vniuersa & vides, & audis, vosque flumina & tu Terra, ac vos Inferi, qui post mortem fædifragos homines supplicio afficitis, testes inuoco horum fœderum, oroque vt ipsa velitis esse sancta: Si Alexander Menelaum in hodierno certamine vita priuauerit, ipsius sit cũcta cum Gaza Helena vxor, nosque ad Penates nostros cum classe redeamus: Sin Menelaus Alexandrum, reddant Troiani Helenam, &c. Quod præmium si donare nobis occiso Alexandro Priamus, eiusque filij noluerint, iterum & eosdem Deos testor, nec in vltionem rupti fœderis perstiturum, nec ante finem belli facturum, quam aut à nobis, aut ab illis fuerit debellatum. His dictis agnum, agnamque iugulauit, atque ita sanguinantes, exanimesque, humi deposuit. Alij mixtum pateræ vinum delibantes, effuderunt, ac numinibus vota fecerunt. Eorum erat, qui in cælum intuens ita precaretur: Iupiter Deorum rex, omniumque potentissime, reliquiq; Cælites, velitis vt per vtros steterit, quo minus hæc fœdera sint rata, sicut uinum in terram de-
B fluit, sic suorum liberorum, sic eorum uxores conficiantur: Ita ille orabat. Post hæc Priamus aduersus cætum, audite me, inquit, Troiani, & Achiui. Enimuero non sustinent oculi dulcissimum filium, cum Menelao inspectare depugnantem. Ideoq; ne intersim, hinc in vrbem redeo: ipse quidem Iupiter, alijque Dij cognitum habent uter sit neci destinatus. Atq; his dictis, impositoque uehiculo agnis ascendit, habenasque cepit Antenor in uehiculum & ipse conscendens. Iuxta locum, quo futurum erat certamen, extruebantur aræ, ut innotescit ex hoc Virgilij, *Lib. 12.* Turni, & Aeneæ certamen, fœdus Rutulorum, & Troianorum describentis:

Campum ad certamen magnæ sub mœnibus vrbis
Dimensi, Rutulique viri, Teucrique parabant:
In medioque focos, & Dijs communibus aras
Gramineas alij, fontemque, ignemque ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti.

Apud hunc tamen poetam non tantùm hac pecude, sed & sue dimicaturus Aeneas in sanciendo fœdere utitur:

Hinc pater Aeneas Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis.
Et iuxta Ascanius magnæ spes altera Romæ,
Procedunt castris, puraq; in veste sacerdos.
Setigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admouitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad surgentem conuersi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisq; altaria libant.
Tum pius Aeneas stricto sic ense precatur,
Esto nunc Sol testis, & hæc mihi terra precanti &c.
Sic prior Aeneas: sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cælum, tenditque ad sydera dextram.
D *Hæc eadem Aenea mare, terram, sydera iuro &c.*
Tango aras, mediosque ignes, & numina testor &c.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum, tum ritè sacratas
In flammam iugulant pecudes, & viscera viuis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

Differt ab hoc ritu nõnihil ritus Carthaginensium: Authores.n.habemus Polybium, Liuium, & alios, de Hannibalis iuramento, quod agnum læua manu, dextra silicem lapidem retinens, Iouem, cęterosq; precatus Deos ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset, & secundum precationem caput pecudis saxo illiserit. Inuenio & apud Suidam alium fœderis ritum, de Græcis, & Barbaris: Græci, inquit, qui cum Cyro aduersus Persas ascenderunt, fœdus percusserunt, mactato tauro, lupo, apro, & ariete: in clypeum intingentes, Græci ensem, Barbari hastam: Iureiurando addito, neutri at alteros se deserturos, sed belli fore socios. Barbari uerò insuper iurarunt, se sine fraude ducturos esse. Quod modò spectat ad ritum indicendi bellum, huius etiã passim apud authores mẽtio, eiusq; typus conspicuus in Traiani columna, ut ostendit Alphõsus Ciaconus his uerbis: Inter signa aquilę, & cõcordię, arietis simulachrũ pręcedens à signifero gestatur, rarissimè in exercitu Romano gestari solitũ. Indicturi enim Romani

Carthaginensium ritus in sanciendo fędere.

Belli indicendi ritus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

cuipiam bellum, arietem per Fecialem præmittebant, quem in hoſtium fines immitteret, vel honeſtam ita cauſam ſuam oſtenſuri, quod non niſi prouocati, & laceſſiti, bellum gerere cogerentur, & vltionis procurationem non à ſe, vtpote qui ex manſueto & innocuo eſſent genere procreati, proficiſci, ſed ab hoſtium improbitate, atque iniuſtitia indicare, teſtatumque facere vellent: Vel quod alij malunt, vt hoſtilem agrum ſuæ iam prædæ expoſitum indicarent, quod & Pierius teſtatur. Vtraque autem ratione Traianus & quod prouocatus bellum gerebat, & ira percitus hoſtilem agrum Romanis militibus in prædam expoſuerat, appoſitiſſimè, fecit arietis ſignum in acie præferri, eo hieroglyphico ſuum aduerſus hoſtes animum teſtatus.

Lib. 10. Hieroglyp.

VSVS IN EQVITATIONE.

Lib. 8. variar. lect. cap. 9.
Pueri cur arietes equitarent.
Odyſſ. N.

PETRVS Victorius declarat inſtitutum veterum, qui pueros in dorſum arietis imponebant, vt illic ſine periculo rudimenta equeſtris artis perdiſcerēt. Nobiles, inquit, ac fortunati pueri priſcis tēporibus impoſiti arietibus primùm equitare diſcebant, vt artem neceſſariam ſibi, quæ tamen periculi multum rudibus afferret, ſi in equis tractaretur, illo pacto attingerent, ac deguſtarent. Id autem veteres Grammatici putarunt etiam ſignificare potuiſſe Homerum, cùm ἐπιβώτορι μήλων cecinit in Odyſſea, nam aliæ quoque declarationes eius nominis afferuntur. Locus autem eſt cùm Vlyſſi depoſito in Ithacam ab Phœacibus, apparuit Minerua, quæ ipſum regeret, vt erat illi ſemper præſto in maximis periculis, ac malis: ſpeciem enim corporis veſtitumque eius deſcribens poeta, pueroque tenero ſimilem faciens, quales regum filij, opulentorumque hominum eſſe conſueuerunt, id protulit, ſed plenam ſententiam hic ponam:

σχεδόθεν δὲ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη
Ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ ἐπιβώτορι μήλων
Παναπάλῳ οἷόν τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν. ideſt,

propè autem eum venit Minerua
Viro corpore ſimilis iuueni paſtori ouium
Permolli, qualeſque regum filij ſunt.

Euſtathius autem id non vidit, nam paſtorem ouium accipit, docens Heroum ætate ſolitos eſſe regios liberos greges paſcere. Apud Heſychium autem id legitur, qui cùm & ipſe oſtēdiſſet, paſtorem, magiſtrumque pecoris poſſe illo verbo intelligi, hoc quoque addidit dicens. ἢ ἱππαςῆρι. οἱ γὰρ τῶν βασιλέων υἱοὶ πρῶτον ἐπὶ τῶν κριῶν ἱππεύειν ἐμάνθανον.

VSVS IN CIBIS.

Lib. 1. epiſt. 15.
Agnina caro, vilisne an commendata.
Lib. 6. aduerſ. c. 25.
In captiuis.
In Aulularia.

FVERITNE commendata apud veteres agnina caro, non ſatis clarè ex ijs diſcas; Horatius vilem fuiſſe indicat dum inquit:

tabulas cœnabat omaſi,
Vilis & agninæ.

Horum enim verborum vi innixus Adrianus Turnebus, ſcribit, agninam veteribus fuiſſe deſpicatui, & viliſſimam, vtque ſententiam ſuam aſtruat, tradit Plautinum paraſitum indignè ferre, atque ſtomachari à lanijs vendi agninam pro arietina:

Tum lanij autem (inquit) *qui conſignant liberis orbas oues*
Qui locant cædundos agnos, & duplam agninam danunt.

atque arguere eorum dolum, qui pro vna arietina offa duplam venderent clam ſuppoſitam pro ea fallaciter agninam, aut potiùs quòd apertè agninam venderent, & rurſus pro arietina agninam ſupponerent. Apud Philonem quoque in Presbeutico agninas carnes, ut inſuaues illudi à Caligula: Sic autem ſcribi: Καὶ φαμένου τινὸς ὡς πολλοί γε καὶ τὰ προχειρότατα ἀρνία προσφέρονται, γελάσας εὖ γε εἶπεν. ἔστι γὰρ οὐχ ἡδέα. Aliàs quidem idem Plautus agninam caram quidem fuiſſe Romæ tradit, inquiens:

Euc. *Volui animum tandem confirmata hodie meum*
Vt benè haberem mea me filiæ in nuptijs.
Venio ad macellum, rogito piſces, indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Sed & Horatius in Epodis agens de laudibus vitæ rusticæ, quasi in delitijs quodammodo fuisset, inquit:

Vel agna festis cæsa Terminalibus Ode 2.
Vel hædus ereptus lupo:
Has inter epulas iuuat pastas oues
Videre properantes domum.

Ostendit enim hic poeta frugalitatem rusticorum, qui non alijs diebus pecora mactant nisi festis, aut etiam nisi lupi faucibus erepta fuerint, reliquis autem diebus fructus terræ cibum illis ministrant. Sed & Priamus apud Homerū filijs suis exprobrat, tanquam nimium gulosis, quòd in cibo agnos, & hædos illicitè, & præter morē gentis (τὰ μὴ νενομισμένα) consumāt, cū inquit:

Ἀρνῶν, ἠδ' ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες.

Et Philochorus, referente Athenæo, tradit Athenis quondam interdictum fuisse, ne quis intōsum agnum in cibo sumeret, quod tamen ideo factum asserit, quòd ouium penuria futura metueretur, aitque alicubi ex Androtione antiquam legem fuisse, vt τῆς ἐπιγονῆς ἕνεκα τῶν ἑκατὸν θρεμμάτων, ne mactaretur ouis, quæ nondum tonsa esset, vel nondum peperisset. Edebant sanè, inquit, animalia veteres iam adulta, proci verò porcellos etiam lactantes. Nunc quoque Mineruæ sacerdotem, nec agnam mactare, nec caseum gustare aiunt. Videntur autem priuatim in delitijs fuisse apud priscos exta agnina; Plautus: [Lib. 1.] [B] [Lib. 9.] [In Pseudolo. Exta agnina.]

Ca. *Pseudole arcesse hostias*
Victimas, lanios, vt ego huic sacruficem summo Ioui,
Nam hic mihi nunc est multo potior Iupiter, quàm Iupiter
Ba. *Nolo victimas. agninis me extis placari volo.*

Et apud Athenæum ab vno dipnosophistarum inter alias gulę cupedias agninum caput reponitur. Quod verò attinet ad salubritatem huiusce carnis: modicè calida est, sed humidam habet superfluitatem, atque ideo ab ea læduntur, inquit, Symeon Sethi, qui humidioris sunt temperaturæ, qui verò siccioris, iuuantur: quanto autē iunior agnus fuerit, tanto difficilius eius caro concoquitur, magisq; humida est; quanto verò maior, tanto melius cōcoquitur, & eò minus est humida. Sic & in cęteris animalibus cōtingit, quo iuniora sunt, eò humidior quā maiorum, C est eorum caro. Sic & author de natura rerum, agninam robustis, & sanis hominibus in cibo vtilem esse ait, infirmis inutilem, quia etsi à ventriculo facilè descendat, viscoso tamen, quem gignit, humore partibus nimis tenaciter inhæret. Sed & Galenus ipse propter insitam humiditatem non vno in loco damnat; siquidem in opere de cibis boni, & mali succi: Ex pedestribus, inquit, animantibus suilla caro probatissimus cibus, deinde hædina, mox vitulina: Agnina verò humida tum lentorem, mucoremq; in se habere censetur, & quo partui vicinior, eò humidior. Idem in 3. de alim. facult. agnis scribit carnem esse humidissimam, ac pituitosam, ouium verò excrementosiorem, ac succi deterioris. Et in libro de attenuante victus ratione, agnorum esum propter insignem humiditatem fugiendum esse monet. Petrus Crescentiensis non omninò improbandam esse agnorum carnem asserit cùm à lacte remoti fuerint. Commendantur autem maximè anniculi, dicunturque tunc mediocrem habere temperiem ab Isaaco in diætis particularibus inter lactentium humiditatem, & iuuenum siccitatem; quamobrem præferuntur, inquit, quod faciliores sint concoctu, & sanguinem gignant meliorem. Adde & pascendi lo- D cum si fuerit in montibus altis, hinc illud Baptistæ Fieræ Mantuani: [Lib. 7. c. 40.] [Carnis qualitas.] [Quibus vtilis et quibus non.]

Anniculum laudem vel si sine testibus agnum
Mollior est hædo: quum calet olla vores.
Hunc amo si scabri per pascua montis anhelat
Quid si auri niteat vellere conspicuus?

Addit Isaac vtilē esse iuuenibus calidi & sicci temperamēti, & ijs, qui calidas siccasq; regiones habitant. Cornelius Celsus addidit & anni tēpus, nā, teste Columella, agnū meliorē esse autūnalē verno verissimè scripsit. Idē caput etiā singulari quadam vtilitate probari scripsit. Et apud Athenęū inter delicatiores conuiuij cuiusdam cibos numerantur etiā κράνια ἄρνων. i. agnorum capita. Coquitur hęc caro vel assa, vel lixa. Varios, ac diuersos apparatus recitat Apicius. Copadia. agnina, siue hædina pipere, liquamine, coques cū phaseolis paratarijs (aliàs faratarijs) suffundes liquamē, piper, laser, cuminum tritū, buccellas panis, oleum modicè. Aliter agninam, siue hædinam excaldatam: mittes in cacabū Copadia, cepā, coriandrū minutim succides. Teres piper, ligusticū, cuminū, liquamē, oleum, vinū coques, exinanies in patina, amylo obligas. Aliter agninam, siue hædinam excaldatam: agnina cruda, trituram in mortario accipere debet. Caprina autem cum coquitur, accipit trituram. In agnum, siue hædum assum hædi copturam, [Lib. 7. c. 3.] [Apparatus.] [Lib. 8. c. 6.]

vbi eum ex liquamine, & oleo coxeris inciſum, infundes in pipere, laſere, liquamine, oleo mo-
dicè: & in craticula aſſabis, codē iure continges: piper aſperges, & inferes. Aliter agnus ſiue hę-
dus aſſus: piperis ſemunciam, aſareos ſcrupulos ſex, zinziberis modicū, petroſelini ſcrup. ſex, la-
ſeris modicū, liquaminis optimi heminā, olei acetabulū. Agnus ſiue hædus ſyringatus: exoſſa-
Agnus ſyringatus. tus diligēter à gula, ſic vt vter fiat, & inteſtina eius integra exinaniātur, ita vt in caput inteſtina
inſufflentur, & per nouiſſimā partē ſtercus exinanitur, aqua lauantur diligenter, & ſic implētur
liquamine, & ab humeris conſuitur, & mittitur in clibanū: cū coctum fuerit perfunditur ius bul-
liens lacte. Piper tritum, liquamen, carenum, defrutum modicè; ſic & oleum etiā bullienti mit-
tis amylum: vel cete mittitur in retiaculo, vel in ſportella, & diligenter cōſtringitur, & bullienti
zyma cū modico ſale ſubmittitur, cùm benè illi tres vndas bullierit, leuatur, & denuò bullit cū
humore ſupraſcripto bullienti conditura perfunditur. Aliter agnus, ſiue hędus ſyringatus; La-
ctis ſextarium vnū, mellis vncias quatuor, piperis vnciam vnam, ſalis modicū, laſeris modicū,
dactylos tritos octo, ius in ipſius olei acetabulū, liquaminis acetabulum, mellis acetabulū, vini
boni heminam, amylū modicè. Agnus ſiue hædus crudus: oleo, pipere fricabis, & aſperges foris
Agnus Terpianus. ſalem purum, multo cū coriandri ſemine in furnū mittis, aſſatū inferes. Agnus, ſiue hędus Ter-
pianus: antequā coquatur, ornatus conſuitur. Piper, rutam, ſatureiam, cepam, thymum modi-
cum, & liquamine colliues. Hędum macerabis in furno, in patella, quæ oleum habeat, cùm per-
coxerit, perfundes in patella impenſam: teres ſatureiā, rutam, cepā, dactylos: liquamē, vinum,
carenum, oleū, cùm benè duxerit impēſam, in diſco pones, piper aſperges, & inferes. Agnus, ſi-
ue hædus paſticus: mittes in furnum, teres piper, rutam, cepam, ſatureiam, damaſcena enuclea-
Agnus paſticus. ta, laſeris modicū, vinum, liquamen, & oleum: vinum feruens colluitur in diſco. Hæc omnia il-
le. Balthaſar, qui artē magiricā germanicè condidit, ex pulmonibus agninis, farcimina, vel illi-
cia parat, teſte Geſnero, hunc ferè in modū. Pulmonibus iam craſſiuſculè conciſis, omētum ad-
dit, & minutius concidit, oua admiſcet, & modicum cremæ lactis, & ſanguinis agnini modicū,
& pro condimento, aromata, & vuas paſſas: Hanc miſcelam inteſtinis agni, aut ventriculo in-
farcit, aut inteſtinis de vitulo, vel tenuioribus de boue, nec admodum replet, elixat, &c. Turcæ
referente Bellonio, cùm arieti, aut capræ cutē detrahunt, ſanguinē plenè exſtillare ſinunt, quo- G
Lib. 3. obſer. 46. niam ab omni ſanguine abſtinent, apertaq; deinde aluo tenue inteſtinum, quà interiori aluo
Turcarum in mactando pecore mos. adhæret, abſcindunt, deinde ad alteram illius extremitatem craſſo inteſtino cohærētem inne-
ctunt, poſtea minora inteſtina eximunt, & pinguedine liberāt, & ex vnco ſuſpendunt, in eū quē
dicemus vſum. Carnes libratim, vel ad pondus vēdunt, vt & alia omnia, & ita præſcindere no-
runt, vt ſingula fruſta, aliquid oſſiū cōtineant. Quicunq; autē eorum veruecem aut bouem ve-
nalem habet, lanioni non venundat, ſed ipſemet ad officinā ducit, iſticq; à lanio iugulari & ap-
parari curat, perſolutoq; illi præmio, ipſe carnes vēdit, & earū pretiū recipit. Hęc tamē conſue-
tudo non perpetua obſeruatur. Nā & lanij armenta emunt in pagis & publicis foris, quorū de-
inde carnes ſigillatim in ſuis officinis venundant. Idem Bellonius cùm Cairo montē Sinai pe-
teret, aſſerit ſeſe obſeruaſſe arietum carnes in minima fruſta cōcidi, & obiectis oſſibus, cepis &
pinguedine ad totius aquei humoris conſumptionem elixari, poſtmodumq; ad futurum vſum
in vaſculis cōſeruari ad multos dies, cibumq; ſibi viſum nō ingratū. Eſt autem arietina caro ca-
Arietinæ qualitas. lidior, & minus humida, quàm ouilla, & concoctu difficilior, iuniores minùs humidi, minùſq;
viſcoſi ſunt, & caro corū agninæ, ac ouillæ prefertur: nam ſi benè concoquantur, laudabilem, &
Caſtratorū. copioſum ſanguinem generant, maximè caſtratorum, eſt enim calida, & humida temperatè, & H
In lib. de podagra. eandem ob cauſam boni ſaporis. Improbatur in ſenecta: nam cùm ætas ipſa prouectior corpo-
ris habitum refrigeret, multò magis refrigeratur in caſtratis. Donatus Antonius Ferrus verue-
cinam carnē omni ætati, regioni, & tēpori ſi ſit iuuenis, bimula, mediocriter pinguis, & in opti-
mo aere ſicco, optimiſq; herbis educata, conuenire ait, taleſq; eſſe aſſerit veruеces, qui in ſubli-
mi Triuicano mōte nutriūtur, quoniā ibi odorifera paſcua atq; herbis pręclaris redolētibus ſint
referta: Secus autē eſſe, qui humidis aluntur in locis, & propterea in Cāpania nullo ferè precio
haberi, cùm ob paſcuorū humiditatē, nec ſaporem bonū, nec odorē adſciſcant. Quod ad appa-
Lib. 6. c. 4. ratū ſpectat, Platina; Totū (inquit) de veruece non iniuria elixabis, licet ex ſpatula, & coxis bo-
Apparatus. na fiat aſſatura. Si voles duas patinas eius pulmenti, quod vulgò gelatinam vocamus, quadra-
ginta pedes veruecios (inquit idem) excoriatos, exoſſatoſq; in aqua recēti per tres, aut quatuor
horas ſinito: lotos in cacabum, vbi aceti acerrimi albi metreta vna, vini albi altera, aquæ duæ
inſint, impones, tantum ſalis addendo, quantū ſatis eſt. Facito deinde efferueat lento igne. De-
ſpumare etiā diligēter memēto, vbi ſemicocti fuerint, piperis rotundi, piperis oblōgi, cinnami,
ſpicę nardi quantū ſatis erit, infringito potiùs, quàm conteras. In cacabumq; indito, vt vnà tam
diu efferueant, donec ad tertias deuenerint. Pedes tum eximito, iuſq; iterum efferuere ſinito.
De-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Decem ouorum albamenta tudicula tamdiu agitato, donec versa in spumã videantur, ebullire
tantisper hæc simul debent, quoad semel, aut bis cochleari inuolueris. Exẽpta ex cacabo statim
sacco lineo bis, aut ter colato. Tale ius in patinas, vbi pulli, aut hædi, aut capi benè cocti, & fru-
statim diuisi, nec humecti, caro sit, indito: inq; frigido, & humido loco tãdiu sinito, quoad om-
nia gelu concreta fuerint. Ex hac patina nil comedat Voconius meus, ne bilẽ, qua exagitatur,
cum suo magno malo augeat. Hęc ille. Pastilli, vt vocãt, ex carne veruecina, hoc modo fiunt, vt *Pastilli.*
ait Balthasar Stendelius: Caro minutim concisa, & modicè feruefacta in aqua, sale, zinzibere.
vuis passis, aut cepis, & pauco butyro conditur, & intecta duas aut ampliùs horas coquitur. In
conuiuio apud Antiphonẽ in Cyclope, inter cętera apponitur κριὸς τομίας, vt Athenęus recitat.
Scribit Bellonius sese ad extremũ pontem, qui supra Nessum fluuiũ est Thracię, incidisse in pa- *Lib. 1. obser.*
stores, qui integros verueces assabãt, abscisso capite, quos iter istac facientibus venderent, sali- *cap. 60.*
gneis perticis infixos, exẽptis tamen prius intestinis, & cõsuto ventre. Nemo facilè (inquit) cre-
dat eiusmodi carnis massam cõmodè posse assando coqui, qui ipse nõ vidisset. Turcis autem id *Bos integer*
nouum non est: nã cùm in Asia minore, siue Natolia puer aliquis circumciditur, cuius parentes *vt à Turcis*
B re mediocriter lauta sunt, integrũ bouem, immisso in eius aluum integro veruece, qui gallinã, *assetur.*
cui ouum insertũ sit, etiam in aluo contineat, crassa sude infigere solent, & luculento, magnoq;
igne assare, sic vt omnia ad ouum vsq; percoqui queant. Omnia ista sic assa à pueri sanguine iũ-
ctis in epulo absumuntur. Illi, quos diximus pastores, veruecem in frusta concidere solent, &
iter facientibus diuendunt. Sub salicibus ad extremum pontem substitimus, vt nostra iumenta
paululũ conquiescerent, & ex his carnibus comparauimus, quas longè sapidiores iudicauimus,
quàm si frustatim concisæ, assatæ fuissent. Tantum Bellonius. Veteres quidem etiam aliquan-
do, sed in magnificis conuiuijs, referente Athenęo lib. 4. tũ alia animalia integra assabant, tum
boues, ceruos, agnos. Et apud eundem Eubulus in fabula quadam inter cęteros delicatiores ci- *Testes arie-*
bos nominat κριῶ ὄρχεῖς, idest, arietis testiculos, Heluetijq;, teste Gesnero, in quatuor partes di- *tis.*
scissis singulis testibus binas earum in singula è ligno verucula infigunt, & in craticula torrent,
& sunt, qui omento etiam inuoluant, per se, vel cum saluia, vt fit in iecinoribus ouium, aut arie-
tum. Pulmo arietis sale conditi maximè vetusti difficulter (teste Aetio) & grauiter à ventricu- *Pulmo.*
lo exsuperatur. Arnoldus in libro de dosibus theriacal. tradit medullam arietis non castrati in- *Lib. 9. c. 30.*
C ter venena numerari, humanæque naturæ adeo esse contrariam, vt memoriæ functionem abo- *Medulla.*
leat: resistere ei carnes phasiani. Contrà non solùm non venenosam esse medullam, sed insuper
sapore grato, & nobilioribus dignam indicat Homerus, Astyanacta Hectoris filiolum solitum,
scribens, in patris, dum esset in viuis, gremio, medulla duntaxat, & pingui ouium adipe vesci: *Iliad. X.*

Δακρυόεις δέ τ' ἄνεισι παῖς ἐς μητέρα χήρην *Caro ouilla.*
Ἀστυάναξ, ὃς πρὶν μὲν ἑοῦ ἐπὶ γούνασι πατρὸς
Μυελὸν οἶον ἔδεσκε, καὶ οἰῶν πίονα δημόν. idest,
Lacrymabundus autem redit filius ad matrem viduam
Astyanax, qui antè quidem sui super genua patris
Medullam solam comedebat, & ouium pinguem adipem.

Ouium modò caro sapore est ingrato, nimiumq; humida, & rusticis tantùm, sed & his, qui esui
eius assueuerunt, vel saltem qui continuis laboribus exercentur, conueniens. Galenus quod ex-
crementis multis, maloque abundet succo, senibus eam interdicit. Conueniunt autem verno
magis, quàm alio tempore, minimè æstate, vnde non vno in loco magistratus, post D. Iacobi
D diem, idest vicesimum quintum Iulij, mactari prohibet: quamuis enim pinguiores aliquando
post id tempus fiant, insalubriores tamen habentur earum carnes, & minus placent palato, te-
naciores que sunt, præsertim si locis palustribus magis, quàm altioribus fuerint altæ, hincq; est
quod Aegyptij sacerdotes, cùm ab excrementorum natura abhorrerent, ita vt non legumina
modò (teste Plutarcho) pleraque auersarentur, sed & ouillas, ac suillas carnes, quę (inquit) mul-
tum superuacui gignunt; nihilominus apud Homerum proci Penelopes oues edunt, & sacrifi-
cant, & Achilles apud eundem Priamo ouem albam apponit, & Nestor rex Telemacho Vlys-
sis filio. Ipse autem Telemachus lamentatur, quod proci oues suas, ac boues absumant, sed &
Alcinous rex accepturus conuiuio Vlyssem duodecim oues mactat: sic & Dido Aeneæ socijs
oues, & agnos ad naues mittit;

Nec minus interea socijs ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos;
Munera lætitiamque Dei.

Suprà ex Lemnio dictum est, idemq; refert Mizaldus, Si quis pedes ouillos, aut arietinos ex *Pedes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

incuria, aut ignorantia ederit, nō exempto vermiculo, qui biſulcis eorum vngulis adhęret, con-
Apparatus. Lib. 8. c. 4.
feſtim nauſea, aut ſtomachi dolore affici, omnique momento ad ructus, ac vomitus proritari,
coctioni enim officere, & ventriculo negotium exhibere. Ius in oui fero ferueas; (ex Apicio)
piper, liguſticum, cuminum, mentham ſiccam, thymum, ſilphium: ſuffundes vinum, adijcies
damaſcena macerata: mel, vinum, liquamen, acetum, paſſum ad colorem, oleum: agitabis fa-
ſciculo origani, & menthæ ſiccæ: Et rurſus ius frigidum in oui fero: piper, liguſticum, thymū,
Armus.
cuminum frictum, nucleos toſtos, mel, acetum, & oleum: piper aſpergis. Aiunt braſſicæ folia
vel cymas ſi coquantur cum ouilla carne pingui, ius optimum reddi. Armum ouillum elixum
& refrigeratum aliqui, vt ſcribit Geſnerus, hoc iure perfundunt, petroſelinum minutatim inci-
ſum contundunt in pila, & aceto affuſo per horam relinquunt, exprimunt per linteum, zinzi-
bere, & pipere condiunt: Sic perfuſum armum frigidum apponunt. Ex ouis pulmone minutal
Iecur.
fit, non item aliarum pecudum apud Tigarinos Heluetios eodem referente, vt ex eiuſdem ie-
core tomi quadrati, qui omento circumuoluti additis & herbis odoratis aliquando, verubus li-
Lib. 3.
gneis transfixi in craticula aſſantur. Sunt qui in ſartagine frigunt: Nam apud Athenæum legi-
mus ταγηνιςὰ ἤπατα, ἐπίπλῳ περιειλημμένα. Idem Alexidis verſum citat: ὕειον ἡπάτιον ἐγ-
κεχαλαμένον. Iecur ouis integrum aliqui diligenter cum medulla panis contundunt, & per
linteum, vel cilicium tranſmittunt, deinde aromatibus ad ſaporem, coloremque commendan-
dum inſperſis modicè feruefaciunt, & turdos in iure carnium elixos, ac modicè butyro frixos
Lactis variæ ſpecies earūque temperatura.
imponunt. Inteſtina ouium ibidem in aqua elixa à vulgo comeduntur, vt agnorum apud nos.
Veterum alij lac ouillum, alij caprillum, alij bubulum præferunt: Lac omnium rerum (inquit
Varro) quas cibi cauſa capimus, liquentium maximè alibile, & id ouillum, inde caprinum; ſed
Plinius: *Stomacho* (inquit) *accommodatiſſimum caprinum, quoniam fronde magis, quàm herba*
veſcuntur, bubulum medicatius, ouillum dulcius, & magis alit, ſtomacho minus vtile, quoniam eſt
pinguius; Sed & Dioſcorides, ait, lac ouium dulce eſſe craſſum (παχὺ, quædam exemplaria nō
rectè habent τραχὺ) & præpingue eſt, non vſque adeo quàm caprinum ſtomacho vtile. Idem
lac bubulum, aſininum, & equinum magis aluum emollire ſcribit, quàm ouillum, quod hoc
craſſius ſit. Atqui Galenus bubulum lac pinguiſſimum eſſe ait, ouillum verò ac caprinum ha-
bere quidem & ipſa pinguedinis quippiam, ſed multo minus; aſininum verò huius ſucci mini-
mè particeps eſſe. Et Creſcentienſi lac ouillum nutrimentum ſatis eſt ſalubre, eòque melius,
quò recentius fuerit, & eò plus nutriens, quò ſpiſſius, aitque etiam lac, & caſeum ex vaccis non
tam conuenire eſui humano, quàm ex ouibus. Miratur Galenus, cur Dioſcorides ſcripſerit ex
Butyrum.
caprino, & ouillo lacte confici butyrum, cùm butyrum à boue nominetur, & ex eius lacte co-
pioſiſſimum fiat. Caprino tamen etiam fieri ſolere, teſtis eſt Plinius, citante Hermolao. Atqui
idem Plinius: *Butyrum fit plurimum* (inquit) *è bubulo lacte & inde nomen, pinguiſſimum ex oui-*
Caſeus.
bus. Idem ait de caſeo: *Caſeus numeroſior eſt Apennino. Cebanum hic è Liguria mittit, ouium*
maximè lactis. Varro ait: *Caſei bubuli maximi cibi ſunt, & qui difficilè tranſeant ſumpti: Secun-*
Caſeus Siculus.
dò ouilli, minimi cibi, & qui facillimè deijciantur caprini. Siculus caſeus fit ouillo, & caprino
lacte permixto, quemadmodum fit etiam in hiſce noſtris Alpibus circumuicinis. Rhaſis ait
ouillum caſeum eò meliorem eſſe, quò fuerit recentior, tanto contrà peiorem, quò vetuſtior, &
durior, improbari etiam nimis ſalſum, & qui vel nimium viſcoſus, & vel aridus, vel friabilis eſt.
Caſeus vt cōſeruetur.
Laudatur à Creſcentienſi inter vtrumque medius. Conſeruandi modum docet Columella
his verbis: *Caſei aridi ouilli proximi anni fruſta ampla facito, & in picato vaſe imponito, tum eius-*
mi generis muſto adimpleto, ita vt ſuperueniat, & ius ſit aliquanto copioſius, quam caſeus. Nam
caſeus combibit, & fit vitioſus, niſi muſtum ſemper ſupernatet. Vas autem cùm impleueris ſtatim
gypſabis, deinde poſt dies viginti licebit aperiri, & vti qua voles adhibita conditura. Eſt autem
etiam per ſe iniucundus.

VSVS IN MEDICINA.

Ad morſus venenatos. Lib. 5. c. 7.

AD morſus venenatos optimè auxiliatur (inquit Aetius) ſi ſtatim poſt cucurbitas
plagæ imponantur animalia parua diſcerpta, & adhuc calentia, velut ſunt gal-
linę, agni, porcelli. Venenum enim exſugunt, & dolores leniunt. Idem ferè ſcri-
bit Cornelius Celſus, dicens curationem communem aduerſus omnes morſus
ſerpentium; *ſi neque qui exſurgat,* inquit, *neque cucurbitula eſt, ſorbere oportet*
ius anſerinum, vel ouillum, vel vitulinum, & vomere: Viuum autem gallinaceum per medium di-
uidere, & protinus calidum ſuper vulnus imponere, ſic vt pars interior corpori iungatur: Facit id
etiam hædus agnuſque diſciſſus, & calida eius caro ſtatim ſuper vulnus impoſita. Marcellus Em-
piricus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A piricus aduersus caniciem mirum hoc recitat remedium: *Experieris verum remedium* (inquit)
si agnum candidissimi capitis decoxeris, atque inde caput eius, quem canum esse nolis, vngi praece-
peris Quòd si verò caput arietis coquas cum pulegio, chamæmelo, passulis, scolopendrio Bru- *Ad canitiē.*
dus Lusitanus agens de victus ratione in quartana, effici (inquit) ius, & sorbitionem satis con- *Lib. 3. c. 16.*
uenientem ad siccum affectum. Idem febricitantibus ex pituita salsa, parari iubet, in qua sit *Ius ad siccos*
duarum sorbitionum facultas, nempe hepaticæ, & petroselini absque aceto. Caput arietis post *affectus.*
decentem eius præparationem cum hordeo, violis, petroselino, hepatica, pulegio, thymo, pas- *Cap. 13.*
sulis, prunis, radicibus cichorij, & petroselini, inquit, coquito, fac, vt crebrò febricitans decoctū
sorbeat. Ius caulis ex carne arietum priuatim (teste Plinio) aduersus cantharidas valet. Aui-
cenna verò carnem arietis adustam scribit vtiliter illini morphęæ, & impetigini: Cōferre etiam *Lib. 29. c. 5.*
morsibus serpentum, & scorpionum, & cum vino, canis rabiosi. Cinerem eiusdem mederi ocu-
li albugini. Idem Plinius cinerem feminum arietum ad cacœthe vlcera commendat, cum lacte
muliebri diligenter primùm elutis linteolis, & cerebrum vtilissimum, ait, esse ad dentitionem. *Lib. 30. cap. 13*
B Gesnerus in manu scripto quodam codice Germanico tale medicamentum ad mentis aliena-
tionem, & desipientiam vitio cerebri obortam reperisse sese scribit: Caput arietis nondum ex-
perti venerem, vno ictu amputatum, cornibus tantum demptis integrum cum pelle, & lana in
aqua benè elixabis, tum aperto cerebrum eximes, & addes aromata: cinnamomi, zinziberis,
nucis moschatæ, macis, caryophyllorum ana vnciam semis; horum pollinem cerebro admisce-
bis in patella ad prunam non magnam diligenter agitando, ne aduratur, quod facilè fieret:
Curabis autem ne nimium desiccetur, sed ita coquatur, ne siccius fiat vitulino cerebro ad ci-
bum parato. Sat coctum fuerit, vbi benè commiscueris ad prunam: sic conditum seruabis, &
per triduum ægro quotidie dabis, ita vt horis pòst duabus cibo, potuque abstineat. Sumi potest
cum pane, vel in ouo, vel ex iure, vtcumque modò deuoretur ab ægro. Danda interim opera ne
loco lucido æger sit, & vt ad quatuordecim dies eodem victu vtatur, quo vti solent, quibus de-
tractus est sanguis, & vino caput tentante abstineant. Sunt qui breui tempore iuuentur; Aliqui
demum septem aut octo septimanis medicamento assumpto. Consultum autem fuerit medi-
camentum à tribus mensibus repeti. Rhasis, & Albertus testantur oculos aquam patientes in-
unctos ouis cerebro iuuari. Plinius ad dentitionem cerebrum pecoris vtilissimum esse ait. Idem
C & Galenus asserit, sed mel iubet adijci, itaque vehementer profuturum dentientibus pueris.
Sed & idem Plinius ad dentitionem magnificè iuuare ouis cerebrum, ait, gingiuis illitum. Al-
bertus ventrem arietis cum vino coqui iubet, & aqua admixta ouibus in potu dari contra pe-
stilentem morbum ouium, sed hoc oportuit inter ouium remedia recensisse. Decoctum pedum
agnorum in vesicæ doloribus prodest, vt scribit Plinius, vt Marcellus, stranguriosis. Idem Pli- *Decoctum pedum.*
nius, testiculos arietinos inueteratos, tritosque dimidio denarij pondere in aqua, vel lactis asi- *Testiculi.*
nini hemina, comitialibus morbis vtiles tradi ait, sed interdici vini potum, quinis diebus antè,
& postea, & Sextus Empiricus inquit, arietis testiculi oboli tres potati cum aqua, caducis me-
dentur. Habemus & apud eundem Plinium, vt lanugo tardior sit pubescentium, mangones il-
linere sanguinem è testiculis agnorum, qui castrentur, huncque euulsis pilis illitum etiam con-
tra virus proficere. Magna vis & pulmonibus arietum, vt idem ait, excrescentes carnes in vlce- *Pulmonum*
ribus ad æqualitatem efficacissimè reducunt, & Marcellus ait, pulmo arietis calidus appositus *vires.*
carnes excrescentes in vulneribus exæquat, & reprimit. Pecudum pulmo præcipuè ex ariete,
apud eundem Plinium, & assus præsumptus arcet ebrietatem, vt alicubi etiam scribit. Liuentia
D etiam, & suggillata in tenues secti membranas istiusmodi pulmones calidi impositi emendāt.
Sextus verò ait: Liuores, & suggillationes pulmo arietis concisus minutatim, & impositus, sta-
tim sanat, & nigras cicatrices ad candorem perducit, & à calciamentis læsos pedes sanat: Ex
Plinio, qui sic habet. *Liuentia, & suggillata pulmones arietum, pecudumque in tenues consecti*
membranas calidi impositi emendant. Ait item: *attritus calciamentorum sanat agninus pulmo,*
& arietis. Idem & Galenus, & Dioscorides scribunt, & Marcellus: *Pernionibus*, inquit, *& ru-*
ptis pedibus pulmo arietis impositus, omni asperitate læuigata, molestiam tollit. Et rursus, *agninus*
pulmo, vel arietinus vritur, & cinis eius cum oleo imponitur, vel ipse crudus admotus, pernionum
vlceribus vtiliter alligatur. Attestatur etiam arietini pulmonis, dum in craticula assatur, suc-
cum exceptum, myrmecias, quæ in veretro nasci solent, vnctione sua purgare, & discutere, &
hoc etiam ex Plinio scribente; *Verendorum formicationibus, verrucisque medetur arietini pul-*
monis inassati sanies. Liquor verò ille arietis, qui à pulmone decocto destillat, authore Aescu-
lapio, tertianas, & renum morbum in eis natum sanat. Phreneticis idem pulmo prodesse vide-
tur, vt annotat Plinius, calidus circa caput alligatus: Et Serenus inter remedia ad phrenesin
hoc etiam recitat:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Conuenit hic calidis pecudum pulmonibus aptè
Tempora languentis medica redimire corona.

Sed & lethargicis pulmonem pecudis calidum circa caput adalligari vtile putant, vt citat Pli-
nius, & podagras lenit, & vt addit Marcellus, calidus, & recens, qui præterea *pulmo pecudis, in-*
quit, idest, *ouis, dysentericos recreat decoctus cum lini semine, ita vt & caro mãducetur & aqua*
illa potetur. Santes Ardoinus ex Kiranide testatur pulmonem agni siccum, & tritum in potu
datum eos sanare, quibus datum est venenum. Si vteros purgare voles (inquit Hippocrates)
Lib. de nat. mulier. primùm quidem hordeum oleo imbutum in prunis suffire oportet: postridie verò carnem ouil-
lam coquere cum hordei decocto sub dio per noctem exposito. Sit autem decoctum hordei
congij mensura, & valde ipsas coquito. Vbi ferè coctæ fuerint, leuiter tepidas edat, & iusculum
sorbeat. Postridie autem thus, & pulegium tritum melle subactum, & lana exceptum ad tri-
Iecoris vis medica. duum subdito. Iecur ouium nyctalopes sanare tradit Plinius, sed efficacius quidem esse fuluæ
ouis, additque decocto eius oculos ablui suaderi. Marcellus verò iecur ouillum interpretatur
ouis candidæ, idque discoctum cum aqua madefactum, contritumque, & oculis superpositum
nyctalopas purgare asserit. Aliàs etiam Plinius, ouium iecur, oculis cruore suffusis, eximiè pro-
desse, memorat. Si patiens inflata fuerit, Hippocrates hepar ouillum, aut caprinum calido ci-
nere obrutum, edendum dare iubet meracius, ad dies quatuor, & vinum bibere vetus. Lien
Lienis facultas. pecudis, idest, ouis tostus, & in vino tritus, potusque ilio resistit, teste Plinio, qui & alibi scribit,
tormina sanare similiter tostum, atque è vino potum. Et alibi etiam superstitiosum hoc reci-
tat medicamentum: *Pecudis lien recens magicis præceptis super dolentem lienem extenditur, di-*
cente eo, qui medeatur, lieni se remedium facere: Post hęc iubent eum in pariete dormitorij eius
tectone includi, & obsignari annulo, terque nouies carmen dici. Legitur & hoc apud Marcellum,
sed de liene agni: *Si quis* (inquit) *agnum recens natum confestim manibus diuellat, lienemque*
eius, vbi extraxerit, calidum super lienem dolentis imponat, ac fascia liget, & dicat assiduè: reme-
dio lienis facio: postero die sublatum, de corpore eius parieti cubiculi, in quo lienosus dormire soli-
tus est, luto prius illito, vt inhærere possit, imponat, atque ipsum lutum septem signaculis signet ad
singula dicens: Lieni remedium facio: hoc tale remedium si ter fecerit, in omne tempus lienosum,
quamuis infirmum, & periclitantem sanabit. Idem Marcellus, cinerem ex ossibus agnorum vl-
ceribus, quę non trahunt cicatricem, rectè adhiberi scribit. Plinius paulò aliter: Magna (inquit)
vis & in cinere pecudum fimi ad carcinomata addito nitro, aut cinere ex ossibus feminũ agni-
norum, præcipuè in his vlceribus, quæ cicatricem non trahunt. Vesicam ouillam, aut caprinam
Vesicæ vsus medicus. vstãm Galenus bibendam præbere iubet his, qui se in somno permingunt, idemque remediũ
ceu singulare quiddam repetũt Mizaldus, & Altomarus, aiuntq; vtile esse ijs, qui inuiti reddũt
vrinam. In muliebribus malis membranæ à partu ouium proficiunt, teste Plinio, vt in capra re-
Sanguinis hædini, & agnini efficacia. feremus. Sanguinis hædini recentis antequam coaguletur vnciam cum aceto mixtam, & tri-
duo potam vomitui sanguinis conferre, & similiter sanguinem agni, author est Auicenna. Sed
Galenus lib. 10. simpl. de hædino tãtùm sanguine hoc remedium à Xenocrate scriptum, refert.
Ibidemque agninum, inquit, sanguinem aliqui Epilepsiam curare prodiderunt, quod mihi ex-
periri non placuit. Quod si quis periculum facere voluerit, sat scio reprehensum iri ab eo, qui
talia scripserunt. Omnia enim remedia, quæ in potu Epilepticos iuuant, vim incidendi habẽt,
quæ agnino sanguini nulla inest. Attamen Auicenna sanguinem agni cum vino Epilepsiam
Fellis. sanare asserit. Vt mulier concipiat, Aetius dorcadis, hædi, leporisque coagulum, & fel cũ agni-
no sanguine, medullaque ceruina, nardino & rosaceo oleo commiscet, & post purgationem
vteri scilicet, subdit. Quidam, teste eodem Galeno, suum domesticarum bile, siue felle vtuntur
ad vlcera aurium, medicamento vtique non reprobo, sed pro affectus magnitudine alia etiam
atque alia alterius animalis bilis potest congruere, nam vbi vlcus diuturnum fuerit, multamque
saniem pusque contineat, etiam sicciorem bilem adhibebis, puta ouium, quæ paulò est acrior
suilla. Tantum Galenus. Certè Plinius, fel pecudis cum melle aures purgare, tradit, & Mar-
cellus inquit: *Fel ouillum mulso mixtum si clysterio addideris, & inde auriculas irrigaueris, ex-*
purgatis vlceribus, certissimam sanitatem consequeris, additque: *Idem fel cum lacte mulieris in-*
stillatum, etiam ruptas interius auriculas certissimè sanat. Testatur insuper Hali, fel arietis au-
rium dolori mederi, qui est ex frigiditate. Cum lacte mulierum ruptis, & conuulsis, sed ouium mor-
Lib. 30. c. 8. prodesse dicunt, teste Plinio, qui idem cum melle, sed præcipuè agninum ad comitiales cum
bos laudari ait. Idem asserit & Sammonicus. Tolluntur eodem felle ouillo porrigines cum
creta Cimolia illita capiti, donec inarescat: Marcellus mirum hoc scribit esse remediũ, sed pro
porrigines habet prurigines. Rhasis, & ex eo Albertus, cancrum, siue carnis corrosionem, si ouis
felle inungatur, manifestè iuuari, profitetur. Fel arietis cum seuo suo lenit podagras, vt Mar-
cellus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cellus, & Plinius scribunt. Quidam verò obscurus citans Dioscoridem, tradit fel veruecinum
lanis adhibitum, & in vmbilico positum, ventrem soluere infantium. ontra venena omnia lac *Lactis vires.*
ouium calidum valet, teste Plinio, præterquam ijs, qui buprestin, aut aconitum biberint. Idem
scribit Alicam peculiariter longo morbo ad habitudinem redactis subuenire ternis eius cya-
this in sextarium aquæ sensim decoctis, donec omnis aqua consumatur: postea sextario lactis
ouilli, aut caprini addito per continuos dies, mox adiecto melle. Talis sorbitionis genere emē-
dari syntexes. Contra quartanas quidam referente eodem deuorari iubent hirundinum fimi
drachmam vnam in lactis caprini, vel ouilli, vel passi cyathis tribus ante accessiones. Tonsillas
item, & fauces lactis ouilli gargarizationem adiuuare. Legitur hoc postremum remedium etiā
apud Marcellum: lac caprinum, vel bubulum, vel ouillum recens mulsum, dum calet, vel etiam
calefactum gargarizatum, tonsillarum dolores, & tumores citò sanat. Medicamenta quædam
etiam ad phthisin ex lacte bubulo propinantur. Ouilli lactis sextario si quis adijciat (inquit idē
Marcellus) cnici purgati denarios quatuor, & discoctum ita ebibat, molliet ventrem. Aron (au-
B thore Plinio) interaneis exulceratis ex lacte ouillo bibendum datur: ad tussim in cinere coctum
ex oleo: alij coxere in lacte, vt decoctum biberetur. Dioscorides alui exulceratos fluores, & te-
nesmos ouillo, bubuloue, aut caprino lacte sisti ignitis calculis decocto tradit. Et Marcellus
ait: Lac ouile, quod candentibus glareæ lapidibus in ipsum lac demersis excoquatur, dysente-
rico potui cum ipsis lapidibus datū efficaciter prodest. Et rursus: Si torminosi, vel cæliaci (in-
quit) propter frequentes desurrectiones viribus deficientur, dandum erit illis lac ouillum, aut
caprinum tepidum per se, vel etiam decoctum cum butyro. Plinius verò ait, infundi quoque
lac contra rosiones à medicamentis factas, & si vrat dysenteria, decoctum cum marinis lapil-
lis, aut cum ptisana hordeacea: Item ad rosiones intestinorum bubulum, aut ouillum vtilius.
Alibi etiam ait: Satyrij duo genera &c. prioris radix in lacte ouis colonicæ data, neruos inten-
dit, eadem ex aqua remittit. Serum verò lactis ouilli, (ex sententia Crescentiensis) ventrē mo- *Seri.*
uet, & bilem expurgat. De butyro hæc reperio: Reduuias, & quæ in digitis nascuntur pterygia *Butyri.*
tollunt (inquit Plinius) canini capitis cinis, aut vulua decocta in oleo superillito butyro ouillo
cum melle. Et vlula auis cocta in oleo, cui liquato miscetur butyrum ouillum, & mel ad vlcera
sananda valet. Habet & caseus ouillus vsum medicum, vetus enim (vt testatur Plinius) dysen- *Casei.*
C tericos recreat: Et Marcellus ait: Caseus ouillus vetustus in cibo sumptus, vel rasus, & cum vino
potus, cœliaco medetur: Hippocrates de morbis muliebribus in capite, quod continet medica- *Cornu.*
menta, quæ secundas educunt, & menses detrahunt &c. ouiculæ, aut capręcornu tusum, & hor-
deum tostum, & fresum, oleo subigi, ac suffiri iubet. Marcellus verò cornu arietis vri vult, cine-
remque eius cum oleo conteri, atque inde derasum caput frequenter vngi ad crispandum ca-
pillum. Vngulæ arietis cinis cum melle muris aranei morsum sanat (teste Plinio) Valerianus *Vngulæ.* *Coaguli.*
imponendum exprimit. Coagulum agninum Plinius aduersus omnia mala medicamenta va-
lere scribit: & contra omnia venena pollere. Item contra pastinacam, & omnium marinorum
ictus, vel morsus sumi drachmæ pondere ex vino: Muris item aranei morsus sanari eodem in
vino poto, & Dioscorides hædi, agni, hinnuli &c. coagula similes naturas sortiri, ait, cōtra aco-
niti potum in vino, & concretum lac in aceto conuenienter assumi asserit, Auicennaque vene-
nosos omnes morsus sanare. Habet & alias facultates; infantibus enim, qui lacte concreto ve-
xantur, præsidio est (teste Plinio) ex aqua potum: aut si vitium coagulato lacte acciderit, discu-
D titur coagulo ex aceto dato. Sistit itidem sanguinem è naribus omne quidem coagulum ex
aqua, sed maximè agninum subditum, vel infusum etiam si alia non prosint. Et Marcellus as-
serit ex aqua subactum, & infusum naribus fluentibus mirè prodesse. De seuo ouium notandū *Seui.*
est, aliquando simpliciter, (de quo priore loco agemus,) aliquando ex renibus, vel omento pri-
uatim nominari. Quidam innominatus eo ad ignem liquato linteum intingi, & parti adustæ
imponi iubet, atque ita curari asserit. Marcellus verò Malandriæ, & frigore partibus adustis
prodesse scribit cuiuslibet pecudis seuum cum alumine tritum, vel excoctum, & ceroti modo
impositum. Pernionibus quoque imponitur, (teste Plinio) cum alumine. Et apud Sextum ha-
bemus sepo arietis scabiem vngi admixta sandaracha, & subinde radi, hocque & ad perniones
facere, sed cum alumine mixtum. Vetus cum cinere è mulierum capillis furunculis mederi di-
tur (teste Plinio). Cicatrices ad colorem reducit, vt dictum est, pecudum pulmo, præcipuè ex
ariete, sed seuum ex nitro, vt idem tradit. Paniculas aperit cum sale tosto appositum, vt Mar-
cellus testatur. Rursus Plinius: Cantharidas illitas dicit prodesse licheni cum succo taminiæ
vuæ, vel seuo ouis, vel capræ: tollit (eodem authore) vnguium scabritiem, & articulis luxatis
præsentaneum est remedium cum cinere è capillo mulierum. Dysentericos recreat decoctum
in vino austero, & ilio medetur, & tussi veteri. Et Marcellus ait seuum ouillum decoctum in

vino

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vino auſtero, & calidum potui cœliaco datum manifeſto remedio eſſe, aitque ſimiliter deco- E
ctum tuſſi mederi, & Abſyrtus Hippiatrus in tuſſi equorum eodem vtitur. Galenus ad varia
oculorum vitia caprinum, ouillumue adipem calida aqua madentem imponi iubet. Dioſcori-
des verò adipem hircinum, vt qui validiſſimè diſcutiat, podagricis auxiliari teſtatur cum fimo
capræ, & croco impoſitum: Huic proportione reſpondere ouillum; Et obſcurus quidam eun-
dem citans adipem veruecinum ſuillo ſimilem vim habere ait, hyſtericaſque aut ani cauſas ſimi-
liter curare, & ambuſtis auxiliari. Curatur hoc modo ex ſententia Dioſcoridis, quemadmodũ
Seuum vt curetur. & ſeuum hircinum, & ceruinum. Elotum & tunicis exemptis pilæ emolliẽdum tradito, ac ma-
nibus fricato affuſa paulatim aqua, donec ne amplius quidem cruentum virus excernatur, aut
pingue aliquod innatet, ſed nitida ſpectetur: Deinde in ollam fictilẽ conijcito, & adiecta aqua,
vt ſupereminceat, leui pruna liquefacito, & moueto, atq; in aquam colato, cùmq; refrixerit, ite-
rum in loto fictili eliquato, & quæ antè diximus facito: Tertiò ſine aqua liquefactum, in per-
fuſam liquore pilam colato, refrigeratumque recondito. De altero verò ſeuo hęc reperio.
Scribit Geſnerus pinguitudinem exteriorem (inter carnem, & cutim) inter poſteriora crura pri- F
uatim ad morbos quoſdam requiri, ſeſe intellexiſſe: ſeuum verò pecudis à renibus euulſum ad-
mixto pumicis cinere, & ſale. Marcellus rectiſſimè dolentibus & tumentibus veretris imponi
refert. Et Plinius ait: ſeuum ex omento pecudis, præcipuè à renibus admixto cinere pumicis, &
ſale cæteris verendorum vitijs (de formicationibus, & verrucis prius dixerat) mederi, & vter-
que teſtatur ſeuum ex omento pecudum illitum, ſanguinem nariũ ſiſtere. Medulla ouilla quin-
Medullæ facultas. to loco poſt ceruinam, vitulinam, taurinam, & caprinam laudatur à Dioſcoride. Medullam
agni ad ignem liquefactam Albertus cum oleo nucum, & ſaccharo albo deſtillatam ſuper ſa-
bathum (zambac purum, Rhaſis) & ſic epotam diſſoluere ait calculum veſicæ, & conferre min-
Vrinæ. genti ſanguinem, & ad dolores virgæ, veſicæ, renum. Idem Albertus vrinam ouis rubræ, aut ni-
Lib. 1. c. 17. græ perutilem eſſe ait hydropi, ſed præcipuè, ſi cum melle fuerit mixta, atqui Rhaſis hoc tradit
de ſtercore ouillo. Chiron Centaurus verò apud Vegetium Hippiatrum iumento, quod pro-
fluuio attico (vox corrupta) ceperit labore, ita vt viridis ei, aut pallidus per nares humor erum-
pat, ex lotio humano, aut arietino duas cotylas cum vino, & cyatho olei roſacei putat eſſe mi- G
ſcendas, & per nares, quæ humorem funeſtum egerunt, dirigendas, eamque curationem, &
pulmoni ſanitatem, & naribus ſiccitatem præſtare confirmat: Plinius ſordes aurium, & mam-
marum pecudis denarij pondere cum myrrhæ momento, & vini cyathis duobus morbo regio
reſiſtere ſcribit. Stercoris verò, ſiue fimi vſus, eſt plurimus. Medicus quidam medicamentorum
Stercoris. peritus in Myſia Helleſpõti (teſte Galeno) ouium vtebatur ſtercore ad acrochordonas, & myr-
mecias, & thymos, & furunculos duros, quos clauos nominant, aceto videlicet diluens, quin &
vlcerum ambuſta ad cicatricem illo ducebat, nempe ſtercus hoc ceroto roſaceo commiſcens.
Sed & caprino ſtercore ambuſtos ſimiliter curabat parum eius cerato eidem longè copioſiori
admiſcens. Sed & apud Dioſcoridem habemus fimum ouillum ex aceto illitum ſanare epiny-
ctidas, clauos, penſiles verrucas, thymos, & ambuſta igni, roſaceo cerato exceptum. Eademq;
ferè Rhaſis & Albertus tradunt: Fimum, inquiunt, ouillum cum aceto illitum verrucas tollit,
& variolas, quæ nominantur aſſatæ; & cum cerato roſaceo, ambuſta. Alias etiam, inquit idem
Rhaſis, ſtercus iſtud cum melle impoſitum mederi verrucis leuibus, & carnem excreſcentem
abolere, item formicam. Et Marcellus ait; Fimus ouillus recens, manibus ſubactus, & empla- H
ſtri more appoſitus detergere verrucas. Plinius autem cum cera commixtum mederi ambuſtis,
& clauos pedum impoſitum ſanare; item verrucas omnium generum; incipientibuſq; carbun-
culis occurrere. Galenus ex oleo tritum inſtar cataplaſmatis imponi iubet ad vulnera recentia
gladio, aut ligno illata. Sed Serenus cùm proximè de luxatis ſcripſiſſet, inquit:

Cap. 43.

Aut ſi concluſum ſeruauit tibia vulnus,
Stercus ouis placidæ iunges, adipeſque vetuſtos,
Pandere, quæ poterunt vlcus, patuloque mederi.

Eumelus Hippiatrus ſi detorta ſit iumenti ceruix, fimum ouillum cum vino vetere, & oleo mi-
ſceri iubet, eoque calido ſæpe perfricari ceruicem. Plinius contra omnium phalangiorum mor-
ſus remedio eſſe, ait, pecudum fimi cinerem illitum ex aceto. Et alibi dicit, aduerſus ſerpentiũ
ictus efficax haberi fimum pecudis recens in vino decoctum, illitumque. Si equus vngulam
pertuderit, Vegetius, ouinum ſtercus cum aceto miſcet, & imponit, quanquam alij caprinum
efficacius credant. Magna vis & in cinere pecudum fimi, inquit Plinius, ad carcinomata addi-
Fimi cineris vis. to nitro, aut cinere ex oſſibus feminum agninorum, præcipuè in his vlceribus, quæ cicatricem
non trahunt; Fimo quoque ipſo ouium ſub teſta calefacto & ſubacto, tumor vulnerum ſedatur,
fiſtulæ purgãtur, ſananturque, item epinyctides. Alopecias replet eiuſdem fimi cinis cum oleo
cyprino,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cyprino, & melle. Sed & Paulus Aegineta testatur expleri alopecias non caprino tantùm, sed etiam ouillo fimo, Græcos quosdam scripsisse. Abscessui oborto in radice auris prodest emplastrum ex stercore ouis cum pinguedine anseris, aut gallinæ, vt tradit Rhasis, apud quem etiam legimus stercus ouis potum pondere drachmæ cum decocto caprifolij valere contra icterum. Ad dolorem colicum remedium physicum ex Marcello: Stercus ouis montanę mense Septembri deficiente luna pridie inclusæ, manè excipies, & sole durabis, atque in puluerem rediges, & habebis in vase vitreo, siue stanneo, cùm vsus exegerit cochleare plenum colico ex aqua calida, si febricitauerit, sin syncerus erit, cum vino, per triduum dabis. Si splen exterius inungatur stercore ouillo vsto (Albertus addit, ex aceto) imminui excrementum eius, Rhasis author est. Ad calculum idem Marcellus tale recitat remedium; Ibisci libram vnam, stercoris ouilli recentis pugillos duos, axungiæ veteris pugillos duos; hæc omnia contrita pariter miscebis, & in lana succida renibus appones emplastri modo; statim proderit: Podagras lenit fimum illud, quod liquidum reddũt (teste Plinio) qui & in muliebribus malis membranas à partu ouium proficere scribit, & fimum quoque pecudis eosdem vsus habere. Tradit item, fimo agnorum, priusquam herbam gustauerint, in vmbra arefacto, mitigari dolores faucium, & vuæ, idemq; testa-

B tur Marcellus. Iam verò pura vellera, aut per se imposita cæcis doloribus, aut accepto sulphure mederi, testatur Plinius, tantumque pollere, vt medicamentis quoque superponantur. Sextus peculiariter lanam arietis nigram intinctam in aqua, deinde in oleo, & suppositam locis dolorem tollere asserit, & suffumigatam, ante prolapsam vuluam reprimere. Pugnacis arietis è medio cornuum lanas suffitas Nicolaus Myrespus imponi iubet loco dolenti in hemicrania, doloremque sedari promittit. Alij cinerem huius lanæ ex aceto imponunt, sic enim Marcellus: Lanam arietis de fronte velles, & combures in operculo ollæ nouo, & in mortario confricabis, atque ex aceto fronti illines ad capitis dolorem. Serenus in morbo regio inquit: *Vellerũ vis.*

Vellera cum vino suffiri sulphure prodest.

Testatur verò etiam Plinius lanam per se conchylio infectam magnoperè auribus prodesse. Quosdam aceto, & nitro madefacere, & alibi scribit: Ibisci radicem ante solis ortum erutam inuolui lana à quibusdam, coloris, quem natiuum vocant, præterea ouis, quæ fœminam peperit, strumisq; vel suppuratis alligari. Inquit & alibi, arietis vellera lota frigida ex oleo madefacta

C in muliebribus malis inflammationes vuluæ sedare, & si procidant, suffitu reprimere. Ad hæc Lais, & Salpe canum rabiosorum morsus, testante eodem, leniri aiunt, & tertianas, quartanasque febres menstruo in arietis lana arietis nigri argenteo brachiali incluso. Et alibi, inquit idẽ Plinius: partus adiuuari putant, si in arietis lana alligatum cucumeris syluestris, semen inscientis lumbis fuerit, ita vt protinus ab exitu (scilicet fœtus) rapiatur extra domum. Cinis crematarum lanarum, ex sententia Dioscoridis, crustas obducit, excrescentias in carne cohibet, & vlcera ad cicatricem perducit. (eadem ferè Plinius de œsypo scribit, vt modò patebit) Mundæ autem, & carptæ in fictili crudo cæterorum more vruntur. Nec secus fimbriati marinarum purpurarum flocculi, cremari solent. Aliqui cum sordibus lanas carpunt, & melle irrigant, eodemque modo vrunt. Alij in fictili oris patuli verucula inter se distantia componũt, & concerptas, carminatasque lanas oleo ita suffusas, vt ne stillare quidem possint, assulis tædæ subiectis, & eisdem, lanisque permutatim interstratis, leuiter succendunt, & vstas tollũt: quod si è tęda pix, pinguitudoue vlla profluxit, collecta reconditur. Lauatur ad oculorum medicamẽta: cinerem in labellis, aqua addita manibus confricant, & considere patiuntur, idque sæpius mutantes a- *Cineris lanarũ vsus.*

D quam, donec linguam adstringat, nec mordeat. Tantum Dioscorides. Galenus lanæ vstæ vim tribuit acrem pariter, & calidam vnà cum partium tenuitate, itaque molles nimiumque humidas vlcerum carnes celerrimè eliquare testatur. Indi & in medicamenta desiccatoria: vri ca tanquam alia plurima iubet ollam implendo nouam, quam tegat operculum multis foraminibus perfusum. Cinis lanæ succidæ illinitur (inquit Plinius) attritis, vulneratis, ambustis, & in oculorum medicamenta additur; item in fistulas, auresque suppuratas. Adhæc detonsam eam, alij verò euulsam decisis summis partibus, siccant, carpuntque & in fictili crudo componunt, ac melle perfundunt vtrumque. Alij hastulis tædæ subiectis & subinde interstratis, oleo aspersam accendunt, cineremque in labellis aqua addita, confricant manibus, & considere patiuntur, idque sæpius mutantes aquam, donec linguam adstringat leniter, nec mordeat, tunc cinerem reponunt. Vis eius septica est, efficacissimèq; genas purgat. Hactenus Plinius, sed pro vi septica, reponendum videtur vis smectica. Vulneribus quibuscunque Serenus inquit:

Succida cum tepido nectetur lana lyæo,
Ambustaue cinis complebit vulneris ora.

Idem ambustis igni:

Aut

Aut tu ſuccoſæ cinerem perducito lanæ.

Marcellus lanam ouiculæ de inter femora velli, & comburi iubet, & in aceto intingi, & ſuper tempora caput dolentis ligari: Et aliàs arietis quàm pinguiſſimi lanam plenam ſuis ſordibus combuſtam, & in puluerem redactam prodeſſe aſſerit plurimum, ſi eo cinere ex aqua locum inguinum perfricaueris. Ad ſpirandi difficultatem Galenus ouium pilos, qui circa anum ſunt, vſtos, attritos in dulci vino propinat. Plinius ſcribit: vellerum cinerem genitalium vlceribus mederi, nec non & paſſionibus pecudum. Quæ verò lana ſuccida vocetur, oſtendit Varro his verbis: *Tondentur oues quo tempore inter æquinoctium vernum, & ſolſtitium ſudare cœperint, à quo ſudore recens lana tonſa ſuccida eſt appellata* Græci ῥυπαρὰν dicunt. Ionia ſinypê, alij œſypiram, hoc eſt, ſordidam, & cum œſypo ſuo nominant teſte Hermolao. Hippocrates teſte Cornario lanas ſuccidas etiam ἔρια πινόεντα vocat, & ἔρια πινώδη, nam & πῖνος vox, inquit, œſypi, ac ſordium ſignificationem habet. Plinius laudatiſſimam eſſe ait ex collo, natione verò Galaticam, Tarentinam, Atticam, Mileſiam, aitq; omnibus lanis ſuccidis vſum eſſe medicatum. Idem de ouis collo attonſam laudat in epiſtola ad Marcellum Empiricum. Succidæ lanæ, inquit Dioſcorides, molles, & de collo feminibuſque laudatiſſimæ habentur. Subueniunt inter initia vulneribus percuſſis, deſquamatis, liuidis, oſſibus fractis, aceto, oleo, aut vino imbutæ: ſiquidem facilè ſuccos combibunt, quibus immerguntur, & ob pecudum ſordem (ſic enim œſypum vocant) emolliunt. Capitis, ſtomachi, aliorumque partium doloribus cum aceto, & roſaceo efficaciter imponuntur. Sic etiam Plinius. *Succidam*, inquit, *imponunt, & deſquamatis, percuſſis, liuidis, contuſis, colliſis, contritis, deiectis, capitis, & alijs doloribus, ſtomachi inflammationibus ex aceto, & roſaceo*: ait item præter cultum & tutelam contra frigora ſuccidæ plurima præſtant remedia ex oleo, vinoque aut aceto prout quæque mulceri, morderi que opus ſit, & adſtringi, laxarique luxatis membris, dolentibuſvè neruis impoſitæ, & crebrò ſuffuſæ. Quidam etiam ſalem admiſcent luxatis. Alij cum lana rutam tritam, adipemque imponunt. Item contuſis, tumentibuſque. Ait etiam Galenus lanam ſuccidam aptè ſuſcipere irrigationes, ſiue embrochas, quæ adhibentur contuſis, & quomodocunque percuſſis, vt quæ vtilitatem ex illis proficiſcentem promoueat, idque propter œſypum: lotam verò, nec amplius œſypum habentem, materiam tantùm eſſe idoneam excipiendis liquoribus, quæ irrigãtur. Canis rabioſi morſibus inculcata lana ſuccida poſt diem ſeptimum ſoluitur, teſte Plinio, reduuiaſque ſanat ex aqua frigida, ex oleo calido humidis appoſita medetur, vt ait Marcellus. Quin & vlceribus vetuſtis imponi cum melle: vulnera ex vino, vel aceto, vel aqua frigida, & oleo ſanare idẽ Plinius tradit, at Dioſcorides vulneribus inter initia ſubuenire. Apud Serenum vbi ait oſſibus fractis:

Conueniet cerebrum blandi canis addere fractis,
Lintea deinde ſuperque inductas nectere lanas

intellige lanas ſuccidas, quas fractis oſſibus auxiliari, Dioſcorides quoque docet. Refert Herodotus Pœnos paſtorales in filijs quadrimis venas verticis lana ſuccida inurere, nõnullos venas temporum, ne vnquam ſcilicet pituita defluens è capite officiat: Eaque de re ſe eſſe dicere, optima valetudine. Quod ſi pueris inurendis ſpaſmus contingat, vrina hirci aſpera eos liberari. Si talum, aut vngulam bouis vomer læſerit, picem duram, & axungiam cum ſulphure & lana ſuccida inuolutam cãdente ferro ſuper vulnus inuri iubet Columella. Prodeſt eadem phreneticis ſuffitu, vt ait Plinius, & Serenus ad phreneſin calidi pecudis pulmones, inquit, circumponantur, illotis etiam ſuffire memento: Oculus cruore ſuffuſus eximiè prodeſt, authore Plinio, columbæ præſertim maſculæ ſanguis ex vena ſub ala, ſed ſuperimponi oportet ſplenium è melle decoctum, lanamque ſuccidam ex oleo, vel vino: ait etiam lanas habere cum ouis ſocietatem, ſimul fronti impoſitas contra epiphoras, ſed non opus eſſe eas in hoc vſu, vt radiculæ ſint curatæ, neque aliud, quàm candidum ex ouo infundi ad pollinem thuris. Plinius ſanguinem in naribus ſiſti ait lana ſuccida cum oleo roſaceo, & alio modo auribus ſæpius obturatis indita. Et Marcellus: *Lana ſuccida*, inquit, *conijcitur in aures cum oleo roſaceo, & auriculæ de lana ſuccida obturantur, & ita ſanguis profluens continetur*. Et aliàs ait: *Lana ſuccida ex oue femina decerpta, atque intorta madefactaque roſa liquida, ſanguinis abundantiam reprimit*. Et Plinius lanam ſuccidam ex ariete ſanguinem ſiſtere, ſi articulos extremitatum præligaueris, vt inde colligamus, ſiue ex mare, ſiue ex fæmina fuerit, vtrique eandem adſtringendi vim ineſſe: nam & Serenus ad ſanguinem è naribus ſiſtendum, inquit:

Lana madens oleo, ſed nondum lauta, roſato,
Hæc datur in nares, vel claudit denſius aures.

Teſte Plinio halitus oris gratiores reddere creditur: Confricatis dentibus, atque gingiuis admixto melle. Sed Marcellus, melle illita dentes perfrictos, miro modo candorem maximum con-

Lanæ ſuccidæ vis & vſus.

Lib. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A consequi tradit. Rursus verò Galenus lanam succidam linteolo illigatam torreri iubet, adiecta deinde tertia salis portione, teri omnia simul, & perfricari hoc puluere dentes, atque ita à dolore præseruari. Eadem nitro, sulphure, oleo, aceto, pice liquida feruentibus tincta, (vt ait Plinius) & quàm calidissima imposita bis die, lumborum dolores sanat; Cæteris verò verēdorum vitijs (de formicationibus, & verrucis prius dixerat,) medetur ex aqua frigida per se imposita, subditaq; mortuos partus euocat, sistitque etiam profluuia mulierum: hinc & Serenus ait:

Succida lana malos remoratur subdita cursus,
Mortua quin etiam producit corpora partu.

Iam verò sordes lanis inhærentes œsypum dici, supra ostendimus, & ex Galeno diximus cōcoquendi vim habere similem butyro, & simul parum digerētis facultatis. Idē tradit Aetius, & Dioscorides ait, œsypum excalfacere, explere vlcera, & emollire, præsertim sedis, ac vuluæ cum meliloto, & butyro, sed Plinius: *medetur*, inquit, *& vuluæ inflammationibus, & sedis rhagadijs, & condylomatis cū meliloto, & butyro*. Diximus item superiùs in multorum codicibus B tum græcis, tum latinis perperam pro œsypo poni hyssopum, quemadmodum & in hoc Plinij loco, *hyssopum ad vlcera manantia prodest*, legēdum est œsypum, de cuius viribus ipse multa: vulneribus, inquit, medetur cum hordei cinere, & ærugine æquis partibus: ad carcinomata quoq;, ac serpentia valet. Erodit & vlcerum margines, carnesq; excrescentes ad æqualitatem redigit: explet quoq;, & ad cicatricem perducit (eadem ferè Dioscorides de cinere lanæ crematæ simpliciter tradit) Igni sacro medetur cum pompholige, & rosaceo. Somnos allicit cum myrrhæ momento in vini cyathis duobus dilutum (quo modo comitialibus etiam medetur, vt modò recitabo) vel cum adipe anserino, & vino myrthite. Maculas in facie, cum melle Corsico, quod asperrimum habetur, extenuat, item scobem cutis in facie cum rosaceo impositum vellere. Quidam & butyrum addunt. Si verò vligines sint, fel caninum prius acu compunctas. Sed aliter legit Marcellus, cuius hæc sunt verba: *Oesypum cum melle Corsicano tritum, & appositum abolet de facie omnes maculas; quidam & butyrum addunt: Si verò & vituli fimus, & fel caninum misceatur, medicamentum vtilius erit, ita vt pariter temperata omnia decoquantur*. Idem Marcellus œsypum ex oleo tritum, & instillatum C capiti, pityriasi mederi asserit. Tradunt & comitialibus morbis vtile esse, referente Plinio, cum myrrhæ momento, & vini cyathis duobus dilutum (sed hoc modo etiam somnos allicit, vt paulo antè ex eodem dictum est) magnitudine nucis auellanæ à balneo potum: Scribit etiam oculis vtilissimum esse contra inflammationes, genarumque callum. Atqui etiam Dioscorides contra erosos oculorum angulos, scabiososque & genas, quæ occallucerunt, & ciliorum defluuia efficax esse, tradit: torreri autem in testa noua (nempe ad medicamenta oculorum iam dicta. Interpretes ineptè transferunt: donec redactum in cinerem, pinguedinem amittat.) Ex eo etiam fuligo colligitur, quæ in oculorum medicamenta commodè addi solet. Sed & idem Plinius: Quidam, inquit, œsypum in testa torrent, vtilius tale existimantes erosis, & duris genis, angulis scabiosis, & lacrymantibus. Dioscorides simpliciter attribuit, quæ fuligini eius Aetius ex Dioscoride se mutuari professus. Aetij verba hæc sunt: *Oesypus crematus vtilissimam fuliginem reddit, ad angelos oculorum erosos, scabiososque, & ad palpebrarum callos, earumdemque depilationem*. Crematur interdum etiam in noua testa, donec exustus pinguedinem omnem amiserit. Ponatur testa su-D per carbonibus, deinde, quod vstum est, colligatur, seruatumq; ad vsum teratur. Mihi quidem tum œsypum ipsum vstum, tum fuliginem eius eandem habere facultatem, ad oculorum præcipuè medicamenta Dioscorides, & Aetius sentire videntur. Dioscorides cum œsypi vires primùm simpliciter scripsisset: mox addit à nouo initio; Facit præterea ad angulos in oculis erosos, &c. non iam simpliciter scilicet, sed eo modo, quem subijcit: Vritur autem (inquit, nimirum ad prædictos vsus) in testa noua &c. Sed hoc interpretes non animaduerterunt. Dicitur verò etiam, teste Plinio, palpebras gignere, cum myrrha calidum penicillo illitum, & Marcellus scribit, glabris palpebris pilos induci, si œsypo, quod sub armis ouium nascitur adiecta myrrha, pariterque in mortario trita, spicillo calido loca pilis nuda perduxeris. Alicubi etiam Plinius ait, non oculorum modò vlcera, sed oris etiam, & genitalium sanare cum anserino adipe. Apud Aetium miscetur cerato imponendo aduersus phthisin, item epithematis ad pleuritidem, reiectionis maximè tempore. Sextus sordes arietis, quas inter femora habet cum aristolochia, & myrrha æquis partibus potari præcipit, estque ad regium morbum remedium optimum. Euocat menses, & partus, teste

Oesypi vires.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Dioſcoride, & cum anſerino adipe ſanat vlcera genitalium; ſedis item vitijs efficaciſſi- E
Sordes inter femora. mum eſſe legimus apud Plinium, ſed quoſdam adijcere pompholygem, & roſaceum.
Carbunculo in verendis, cæteriſque ibi vulneribus occurrere è melle cum plumbi ſqua-
mis, podagras lenire cum lacte mulieris, & ceruſſa. Sed apud Marcellum pro ceruſſa
legitur cera. Hydropicis ex vino addita modicè myrrha potui dari nucis magnitudine,
aliquos etiam addere anſerinum adipem, & oleum myrtheum. Sordes ab vberibus eun-
dem effectum habere, caudarum itidem ſordes concretas in pilulas, & ſiccatas per ſe, tuſas-
que in farinam, & illitas dentibus mirè prodeſſe, etiam labantibus, gingiuiſque, ſi car-
cinoma ſerpat. Atticum œſypum præferri ex Ouidio ſuprà dictum fuit, ſed & Plinius
œſypo in Atticis ouibus genito palmam tribuit, & Galenus eundem cęteris præfert. Pa-
randi modum tradit Dioſcorides his verbis: Succidæ molles radicula non curatę calida a-
Oeſypus vt paretur. qua lauantur, & quibuſcunque ſordibus expreſſis, & in labellum oris ampli coniectis aqua
infunditur, magnoque impetu ligula, vti reſpumet, agitatur: aut lignea rude validiuſculè
conturbatur, quò largius ſordida ſpuma colligi poſſit, deinde marina reſpergitur & confi-
dente pingui, quod ſupernatabat, collectoque in altero fictili vaſe, denuo aqua in labellum
fuſa agitatur: ſpuma iterum mari perfunditur, & demum eximitur: hoc tantiſper fieri ſo-
let, dum conſumpta pinguedine nihil prorſus ſpumę extet: collectum œſypum manibus e-
mollitur, & ſi qua inſedit ſpurcitia, confeſtim demitur, excluſaque ſenſim omni aqua,
recentique affuſa, manibus miſceatur, donec admotum linguę œſypum adſtringat leni-
ter, nec mordeat: atque pingue, candidumque ſpectetur, tum in fictili vaſe conditur. Ve-
rùm omnia feruido ſole fiant. Nonnulli excolatum pingue, frigida aqua eluunt, & mani-
bus non ſecus atque ceratum mulieres confricant: ita enim candidius redditur. Alij elotis
lanis, & ſordibus, quibuſcunque exemptis, ac lento igni in æneo vaſe ex aqua decoctis,
pingue, quod ſupernatat, collectum, aqua, vt diximus, lauant: colatumque in fictilem pa-
tellam, quę calidam aquam contineat, linteo operiunt, atque ſoli mandant, donec candi-
dum fiat, & ſatis craſſum. Alij bidui ſpatio aquam effundunt, nouamque adijciunt. Me-
lius eſt læue, radicula non curatum quod ſuccidarum vires oleat, & ſi manu in concha fri-
cetur cum aqua frigida, albeſcat, nihil in ſe duri, aut concreti habens: Veluti quod cera- G
to, aut adipe adulteratur. Tantum Dioſcorides interprete Ruellio; Cæterùm ab initio
ſtatim, vbi legitur, lanę ſuccidę molles radicula non curatę, grçcè eſt ἐςρυθισμέναι, ideſt,
ſtruthio, aut radicula adhibita curatæ, lotæque abſque negatione, quam Marcellus, &
Ruellius de ſuo adijciunt. Atqui Dioſcorides non videtur negationem addidiſſe, (præſer-
tim cùm in nullis codicibus illa reperiatur, Marcello etiam teſte) ſed eo modo, quo fieri
à quibuſdam ſolebat œſypum, deſcripſiſſe: Quamobrem poſtea monet meliorem eſſe
ἀςρύθιςον, hoc eſt, lana non curata ſtruthio, ſed ſimpliciter lota cum aqua calida (ne ſcili-
cet nimia caliditas, aut acrimonia à ſtruthio ei accedat, cùm concoquendi tantùm, quod
moderato calore fit, vim habere debeat, ad quoſdam tamen affectus ſtruthij vim ei condu-
cere non negarim): Sed adiungam quoque Aetij verba, quoniam Dioſcoridis verba ſe reci-
tare profeſſus, non parum ab eo variat: Sordidas lanas ſub axillis ouium repertas, denſas,
ac molles (ἔρια χονδὰ καὶ ὖλα, καὶ μαλακὰ: vocem ἐςρυθισμένα non habet) calida lauato,
ſorditiem omnem exprimendo, quarum loturam in vas ampli orificij coniectam feruentis a-
qua ſuperinfuſa agitato, aquam poculo excipiens, aut alio inſtrumento, & ab ſublimi præcipi-
tans, donec ſpumeſcat, tum marina aqua ſi affuerit, ſi non affuerit, frigida inſpergito, finitoq; H
vt conſiſtat: Vbi refrixerit, quod fluitabit, tudicula eximito, atq; in aliud vas conijcito, inde
modica aqua frigida iniecta, manibus verſato, mox aqua illa effuſa, nouam feruentem infun-
dito, idemque omnino repetito, quod iam docuimus, donec candidus, pinguiſque œſypus
reddatur, nihil amplius impuri continens, tum in fictili conditum per aliquot dies inſola-
to, & ſeruato. Sunt autem omnia hæc ſub calido ſole facienda: ita enim efficacior, can-
didiorque, neque durus, aſpervè redditur, veluti qui cerato, aut fermento adulteratur. Hu-
cuſque Aetius. Græcè quidem ſcribitur adulterari œſypum, κηρωτῇ ἢ ζύμῃ, cùm Dioſco-
rides habeat κηρωτῇ ἢ ςέατι, ideſt, cerato, (non cera, vt Marcellus vertit) aut adipe,
Aetius fortè ςαιτὶ legerat, quod ζυμὴν expoſuit: Sed adipe, vel ſeuo potius, quàm fer-
mento, aut farina ſubacta œſypum adulterari, omnibus credo veriſimile eſt. Oeſypus,
inquit, author de Simplicibus ad Paternianum hac ratione colligitur: Lanas ſuccidas ſor-
Vt colligatur. didiſſimas, & iam mox detonſas mittimus in vaſe, quod habeat calidam aquam, & aquam
ſuccendimus, vt aliquantum ferueat, deinde refrigeramus, & quod ſupernatat in medium
pin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A pinguaminis, abradimus manu, & in vase stannea abstergimus, & sic ipsum vas aqua pluuiali implemus, & opertum tenui linteo in sole ponimus, & rursus delimpidamus, & tũc œsypum reponimus. Vires enim habet cum aliqua acrimonia mollientes, & relaxantes, sed adulteratur ex pinguedine, & ceroto molli. Sed statim deprehenditur, eo quod syncerus œsypus reseruat succidum lanæ, (succidæ lanæ odorem seruare dicit Dioscorides) & si manibus fricetur similis cerusæ efficitur. Hæc itaque ille. Plinius etiam non vnum parandi modum recitat his verbis: Quin ipsæ sordes pecudum, sudorque feminum, & alarum adhærentes lanis (œsypum vocant) innumeros prope vsus habent. In Atticis ouibus genito palma. I it pluribus modis. Sed probatissimum lana ab his partibus recenti concerpta, aut quibuscunque sordibus succidis primùm collectis, at lento igni in æneo vase subferuefactis, & refrigeratis, pinguique quod supernatet, collecto in fictili vase iterumque decocta, priori materia, quæ pinguitudo vtraque frigida aqua lauatur, & in linteo siccatur, ac sole torretur, donec candida fiat, ac translucida. Tum in stannea pyxide conditur. Probatio autem, vt sordium virus oleat, & manu fricante ex aqua non liquetur, sed albescat, vt cerusa, oculis vtilissimum contra inflammationes, genarumque B callum. Quidam in testa torrent, donec pinguitudinem amittat, vtilius tale existimantes erosis, & duris genis, angulis scabiosis, & lacrymantibus, vt inter remedia dictum est. Ex eodem œsypo pharmacum compositum fit, quod Græci Medici aliquando οἴσυπον φάρμακον, aliquando οἰσύπȣ κηρωτὴν, aliquando οἴσυπον κηρωτοειδῆ, aliquando οἴσυπον ὑγρὸν vocant: atque hæ appellationes omnes à forma medicamenti, quod ad cerati liquidi modum paratur, sunt deductæ. Componendi autem modum docet Paulus, sed tum in hoc Pauli loco, tum in alijs plerisque omnibus itidem, ὕσσωπος pro οἴσυπος falsò legitur. Sunt autem promiscui vsus œsypi per se, & pharmacum ex eo constans, veluti Galenus his verbis tradit: Ex œsypo cerotum notum omnibus pharmacum est, quo plurimi ad inflammationes in hypochondrijs vtuntur. Hoc etiam pro œsypo vti licebit, si absit ille, & eundem finem consequeris. Quin & hodie in aliquibus pharmacopolijs hyssopus humida habetur pyxidibus inscripta, vt ait Cornarius, & humidam, ad differentiam hyssopi herbæ aridæ dictam volunt, qui fortè de re ipsa nihil sciunt, cùm non hyssopus humida ea res, hoc est, lanarum sordes sit appellanda, sed œsypus liquidus. Alibi etiam inquit Aetius: œsypi præparationem in secundo C libro optimam descripsimus, sed vbi hoc haberi non poterit, accipe quod pigmentarij hoc modo conficiunt; Meliloti vncias quatuor, cardamomi, hyssopi herbæ singulorum vncias duas, succidæ lanæ ex ouium axillis vncias 4. & cætera. Eadem præparatio legitur apud Aegínetam in 7. nonnihil ab Aetij varians. Inter cerata Nicolai Myrepsi, quod numero tertium est, œsypum recipit, & facit ad dolentes articulos, & ad podagras, & omnem phlegmonem, doloremque mediarum corporis partium, id est, hypochondriorum, ac duritiem. Author libri de dynamidijs Galeno adscripti, œsypum appellat ius lanæ, idest, succum lanæ. Verba eius sunt hæc: Oesypi cerotum sic facito. Ceram, axungiam sine sale, colophoniam, ius lanæ, vetus oleum an. libram vnam, iuris fænigræci vnc. 6. adipis anserini, & pullini an. vnc. 1. Coque oleum cum iure lanæ, & fænigræci diligentissimè, donec ad mensuram olei perueniat: Iterum pone ad focum, additis suprascriptis speciebus. Ius verò de lana sic facito: Lanam succidam in aquam multam pone, vt molliatur, diebus sex, septima verò die coque, & ipsam pinguidinem desuper collige suprascripto penso, & exinde confice cerotum. Tātum ille. Emplastrum de pelle arietis ad hernias, siue enterocelas à recentioribus quibusdam D medicis commendatur, & describitur præsertim ab Arnoldo de Villanoua, & in aliquot pharmacopolarum officinis paratum reperitur. Eius descriptio, & conficiendi modus traditur in nostro antidotario. Recipit lithargyrij auri, lapidis hæmatitis, sanguinis draconis, boli armeni, masticis, ammoniaci, mumiæ, galbani, thuris, costi, lumbricorum terrestrium, an. drach. s. picis naualis, colophoniæ, ceræ albæ an. drach. i. consolidæ maioris, minoris, mediæ an. drach. iij. rosarum, myrrhæ, aloes an. drach. i. s. pilæ marinæ vstæ, gallarum, balaustiorum, aristolochiæ rotundæ an. drach. vj. visci quercini, terebinthinæ an drach. ij. sanguinis hominis ruffi vnc. viij. Conficitur hoc modo: Decoque pellem arietinam in frusta sectam, donec tota dissoluatur, fiatque gluten, omni penè euanescente aqua, cuius accipe lib. i. pannocolatam, & viscum quercinum prunis dissolutum in stannea sartagine, & assiduè spatula mouendo, deinde ceram, picem, & colophoniam, & reliqua ordine continuo. Gummi vino dissoluantur, postremò sanguis terebintina, & puluercs minutissimè triti, ac lumbrici vino loti, atque seorsim alio vino cocti, pistillo caldiusculo commoueantur, & alijs commisceantur. Loco sanguinis humani accipiatur sanguis suillus ex præcepto Galeni, & Dioscoridis. Prodest peritonæo relaxato, & intestinorum hernijs, & omenti, & relaxato item vmbilico,

Cerotum ex œsypo.

Lib. 7.

Lib. 14. meth.

Ius lanæ.

Emplast. de pelle arietis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Plinius aſſerit inhiberi venerem pugnatoris galli teſticulis, anſerino adipe illitis, adalligatiſq; & pelle arietina, tradi; & alibi inquit: gallinacei dexterum teſtem arietina pelle adalligatum partus continere. Cur verò pelles recenter detractæ maximèque arietum, verberum vulneribus, & vibicibus admotæ, & oua ſuper confracta prohibent vlcera ne conſiſtant, inquirens Ariſto-
9. probl. 1. teles: An, inquit, ratione vtraq; humor colligi, intumereq; prohibetur; pars enim colliſa humorem trahit, intumeſcitque propter feruorem. Oua ſua lentitia glutinant, atque ita intumeſcere non ſinunt, vt etiam in ambuſtis glutine agitur. Conglutinare poſſunt pelles quoque ob ſuam lentitiam hærentes nimirum, ſimulque ſuo calore concoquunt, inflammationemque ſedant, neque enim eas detrahere ſolemus, niſi diebus aliquot poſt &c. Sed & Plinius ſcribit: verberum vulnera, atque vibices pellibus ouium recentibus impoſitis ſanari, & Galenus pellem ouillam recens detractam, hoc eſt adhuc calentem circumpoſitam ijs, qui quocunque modo fuerint verberati, omnium, ait, luculentiſſimè adiuuari, adeo vt die, ac nocte vna illos curet, concoquit enim, inquit, & digerit, quæ ſub cute ſanguinem habent, vibices ſcilicet, liuores, & ſuggillata. Syluius denique, neſcio quo authore, cutim pedum, & roſtrorum bouis, & ouis lento igne diu
Cutis pedũ & roſtrorũ. coqui tradit, donec veluti coagulum remittat, idque exemptum, ſiccatumque in aere perflatili ad hernias commendari.

VSVS IN EXTERNIS.

Pellium & lanæ vſus. FRVCTVVM ex hoc pecore ſpecies eſſe duas ex Varrone diximus, vnam videlicet tonſuram, alteram de lacte, & caſeo. Tonſura lanam ad veſtitum miniſtrat, vſus tamen etiam eſt ad eundem totius pellis ſua lana onuſtæ: ſpoliatæ verò ea etiam multiplex. Ex pilis ouium, inquit Creſcentienſis, fiunt indumenta neceſſaria, & iucunda hominibus, qui quanto ſunt ſubtiliores, tãtò meliores, maioriſque pretij: Addit tamen etiam pelles & lanas agnorum eſſe optimas, atq; ad operimentum humani corporis aptiores, quàm matrum, & noſtri etiam pellifices, ſiue pellarij agninas, ouillis adulterare ſtudent, apparetq; quò partui ſint viciniores agni, eò electiorem pellem ſubminiſtrare. Quidam Grammatici Rhenonem exponunt veſtem pelliceam, dictamque ſic
Rheno. arbitrantur, quod calidos teneat renes, ſiue quia ῥινὸς pellis dicitur, ſiue quod Rhenani populi ea peculiariter vtantur, nam Cæſar libro 6. de bello Gallico ſcribit Germanos vti paruis rhenonum tegumentis. Cæterùm hos Grammaticos græcè neſciuiſſe apparet, omninò enim rhenones ab ouibus dicti ſunt, quas Græci ῥῆνας appellant, vnde Hippocratis ῥήνικας, ἀρνακίδας, idest, agninas pelles interpretantur. Sed apud eundem Hippocratem, vbi pleroſque ex Libyæ incolis pecorum pellibus pro veſtibus vti ſcribit interprete Cornario, græcè legitur κτηνέων, id eſt, iumẽtorum, vt ſolum corium intelligere videatur, nec ſatis clarè intelligas apud ſcriptores cùm de veſtitu ex pellibus iſtis loquuntur, depilatane coria, an pilis veſtita intelligant, vtrarumque enim vſus eſt. Iacobus de Vitriaco in hiſtoria Orientis c. 12. tradit Bedeuuinos, qui ex Ara-
Pellium vilitas. bum gente originem duxerunt, in tentorijs de pellibus animalium habitantes, ouinis etiam
Lib. 6 pellibus, & caprinis plerumque veſtiri: Et ex Laertio habemus Zenonem Citticum in libris de vſu ſcribere Cratem Thebanum pellem ouis inſuiſſe pallio ſuo, vt eſſet deformior, traditque
Lib. 7. c. 8. Ranulfus in palychronico Vulſtanum Vigornienſem Epiſcopum in Anglia veſtitu vſum viliſſimo ex ouinis pellibus, cauſamque, cur vteretur, attuliſſe, quod non lynces Dei, ſed agnus Dei in templis cantaretur. Fuere item olim iſtiuſmodi pelles contemptæ, vileſque ac ruſticæ: narrat enim Marcus Varro in libro de re pecuaria, ſenes ſolitos vocari in tragædijs à pelle ouium, ſiue caprarum, quibus induerentur, διφθερίας, & itidem in comędijs, qui ruſtico opere morarentur, vt apud Terentium in Heautontimorumeno ſenem, quamuis è comici verbis non eliciatur ita Menedemum fuiſſe vocatum, neq; etiam alio vllo indicio appareat ſenem eum qui in agro colendo toto animo, & corpore volutabatur, illo gręco nomine appellatũ fuiſſe: præterea cùm legerim græcas fabulas Tragicorum, inquit Petrus Victorius, memini me in hoc nomen incidiſſe. Eſt igitur accuratè videndum, quo ſenſu hoc dixerit doctiſſimus omnium latinorum, ut autem ipſe, quod mihi in mentem uenit, aperiam, arbitror Menedemum διφθερίαν tunc uocatum, quia mos eſſet, actorem eum in ſcenam uénire pelle indutum, qui ueſtitus illi ſtudio conueniebat; cunctæ enim perſonæ, quæ partes eſſent fabulæ, ut memoriæ prodidit Pollux in Onomaſtico, ſuum, ac proprium ueſtitum habebant, & colore ueſtis, formaque ut reliquo etiam ornatu, ſtatim ut illæ uiſæ forent à ſpectatoribus, intelligi poterant eſſe illas, aut adoleſcentem amori deditum, aut militem, aut paraſitum, aut meretricem, aut lenam, aut ma-

Lib. 26. cap. 23.
Diphtheria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A matronam, aut aliam demum quamlibet personam. Eodem igitur pacto rustici homines, & coloni vestitum eum gerebant, qui illi rei, & arti congrueret. Seruabatur autem hoc diligẽter, addiuuabat enim non mediocriter exitum fabulæ, efficiebatque vt spectatores omnia melius perciperent, neq; in personis distinguendis cõfunderentur: Nam agricolarum fuisse illum vestitum declarat etiam, quod Strepsiades agrestis homo apud Aristophanem Philippĭdem filium vellet exemplo suo διφθέρᾳ indutum esse, non ξυςίδᾳ quam Auus ipsius maternus Megacles nobilis, & equestris vir gestare solitus erat. Pollux autem ipse tradit ornatum fuisse agricolarum, manticam, pedum, & pelliceam hanc vestem, & non rusticorum hominum solum, sed etiam pauperum omnium & miserorum, vt Philoctetæ, & Telephi, quæ Tragicę personæ erant, postquam spoliati regno, & fortunis suis amplioribus forent. Hæc Victorius. Est verò διφθέρα secundum Ammonium propriè caprarum, vt melote ouium pellis, suntque qui diphtheram velint pellem fuisse eius capræ, quæ Iouem lactarit, sed hac de re postea. Nunc verò pastores pellibus istis induuntur; Fulciuntur tamen etiam pro ditioribus vestes partim ouil-
B lis, partim agninis etiam pellibus, sed nigris potissimùm, albæ enim vetularum sunt. Cereris quoque cognomentum est μαλλοφόρος in Megaride, vt annotat Cælius, cui id impositum ideo esse videtur ab ijs, qui primi mortalium oues connutrire cæperunt, sed fortè ita dicta fuerit, quod agriculturæ præsidem rusticus etiam habitus deceret. Tradit Gesnerus agninas pelles, quas pellifices apud suos ad vestes parant, magna ex parte desumptas esse ex ouibus, quæ vel in partu, vel proximis post diebus moriuntur: intra enim paucos dies lanas eis molliores fieri, & ineptas pellificibus. Pelles autem, quæ ex fœtu sumuntur cum oues grauidæ mactantur, vulgo excoriatitias ibi dici. Adferri etiam ad eos ex longinquis regionibus: pulcherrimas quidem, crispas, prælo compressas, & maioris pretij ex Italiæ parte vltra Romam, Apulia præsertim. Elegantes, & nigras ex Prouincia, seu Narbonensi Gallia, & Hispania (vbi & monipolia haberi, audisse se ait, ita, vt certi quidam loci suum habeant mercatorem, cui soli pelles omnes vendi oporteat) ferè mitti iam ad vsum paratas: esse autem pinguiculas. Candidas verò apud suos parari, & ex suis regionibus haberi. Cauendum præcipuè monent, ne pelles ouiũ sint, quæ peste occiderint, quoniam panni ex huiusmodi pellibus non phthiriasin modò, sed & *Pelles quæ vitandæ.*
C sacrum ignem gignant, hucque spectare illud Virgilij: *Georg. 3.*

Verùm etiam inuisos si quis tentarat amictus,
Ardentes papulæ, atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur, nec longo deinde moranti
Tempore contractos artus sacer ignis edebat.

Mirum verò, quod scribit Aelianus; Qui ouillam lanam pexerit, atque ex ea vestem confecerit, scabiem dici procreaturum ei, qui ea vestietur. Fiebant itidem cingula ex ouilla lana, talique noua nupta præcingebatur, quod scilicet vir in lecto soluebat, vnde Phillis Ouidiana: *Cingulum sponsæ.*

Castaque fallaci Zona recincta manu.

Pescia verò in saliari carmine Aelius Stilo dici ait capịcia ex pellibus agninis, quia Græci vocent pelles πέσκη. Habuere etiam hinc prisci nocturna corporis tegumenta non vulgares homines, vt indicat Homerus de Telemacho loquens Vlyssis filio; *Pescia. Odyss. α.*

D
Ἔνθ᾽ ὅγε παννύχιος κεκαλυμμένος οἰὸς ἀώτῳ,
Βούλευε φρεσὶν ᾗσιν ὁδὸν τὴν πέφραδ᾽ Ἀθήνη. idest,
Hic ille pernox tectus Ouis florida lana
Examinabat mentibus suis viam, quam significauerat Pallas.

Quæ modò pilis detractis parantur pelles à cerdonibus ad calceos, ocreas, thoraces, chirothecas, & eiusmodi paranda adhibentur. Turcæ, vt scribit Bellonius in obseruationibus, arietibus & capris etiam cutem detrahunt, eamque integram seruant ad vtrẽ liquori aliquo imponendo idoneam. Mollestræ verò, teste Festo, erant pelles ouillæ, quibus tergebantur galeæ; videntur autem latini vocẽ græcam deprauatã, quæ μηλωτὴ erat, suam, inquit Turnebus, & Mollestram vocitasse. Obuestiuntur etiã sedes arietinis pellibus, olimq; apud Romanos noua nupta in pelle lanata cõsidere iubebatur, vt significaretur ad prętandã se lanificij operã marito venisse, traditq; Pierius Valerianus ad sua vsq; tẽpora plerisq; Italiæ locis postero quàm noua nupta mariti ingressa est domum, die, illi è geniali thalamo manè prodeunti, obuiã propinquos fieri solere, colum, fusum, & lanã, acum, & forficem, rutabulum, peniculum, quodq; cuiq; in promptu fuerit instrumẽtum, omneq; vas domesticum offerẽtes, quo ea muliebris haud ignara officij, se non ad delitias, & voluptates, sed ad faciendam lanam, & alia, quæ frugi sint, curanda, venisse reminiscatur. Fuit itidem earundem pellium vsus loco chartæ, vnde hodieque quibusdam *Lib. 3. c. 46. Mollestræ. Lib. 3. c. 11. Charta.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Italiæ locis vulgò charta pecorina, nobis caurezza, quia ſimiliter ex caprina fit. Alicubi etiam bergamina, quaſi Pergamena à Pergamo Aſiæ vrbe, vbi eius inuentio fuiſſe creditur: Varro enim ſcribit per æmulationem circa bibliothecas Ptolomæi, & Eumenis regum ibi inuentas fuiſſe. Verùm ego, inquit Polydorus Vergilius, affirmarem multo antequam tradit Varro, eſſe repertas, in ijſque primùm ſcriptitatum, quando ſacros Hebræorum libros (Hebræi enim primò rerum geſtarum monimenta condiderunt) è membrana fuiſſe teſtatur Ioſephus: nam cùm in duodecimo antiquitatum tradit, quemadmodum Eleazer princeps ſacerdotum per ſeptuaginta duos interpretes, ſacros libros ad Ptolomæum Philadelphum miſerit, vt in græcum ſermonem verterentur, ſic inquit: Cum verò oſtenderent tenuitatem membranæ, vel incomprehenſibilem eorum compaginem, rex miratus eſt. Vtcunque eſt, inuentio eſt antiquiſſima: hinc vetus prouerbium in eos, qui nugas narrant, aut de rebus nimium priſcis, & iam pridem obſoletis, ἀρχαιότερα διφθέρας λαλεῖς, ideſt, *antiquiora diphthera loqueris*. Aiunt enim diphtheram fuiſſe pellem eius capræ, quæ Iouem lactarit, in qua creditum eſt, inquit author adagiorum, antiquitus illum omnia ſcribere, quæ fierent: Hinc & Heſychius diphtheram exponit pellem, corium, & γραμματεῖον, vnde diphtheralœphus apud Cyprios γραμματοδιδάσκαλος eidem, & Varino, quod literas membranis inſcribendo illinat, dum pueros docet. Etymologus ſimiliter etiam exponit, & addit inſuper βιβλίον, & diphtheram dictam conijcit, quaſi δυοφέραν, τὴν ἐν τοῖς δύο μέρεσι φέρουσαν γράμματα, hoc eſt, membranam ab vtraque parte expolitam, & inſcriptam. Sed & Herodotus ſcribit Iones βίβλους dicere διφθέρας, quod aliquando ob penuriã papyri pellibus vterentur tum caprinis, tum ouillis; Vel, vt Cælius citat, Herodotus ſcribit hircinas pelles, & ouillas biblos etiam dictos veteribus, quod papyri vicem quandoque impleuerint. Aliqui verò etiam exponunt διφθέραν libri operculum, nam & libri noſtro tempore eiuſmodi pellibus operiuntur. Non deſunt etiam, qui prodant arietem Phryxi fuiſſe librum ex arietinis chartis, qui auri & argenti conficiendi rationem (arte Chymiſtica, vt & Varinus ſcribit in δέρας) contineret. Teſtatur Geſnerus ſeſe libros vidiſſe etiam excuſos in membranis: Sed & craſſiores pugillaribus pigmento quodã illitæ candido, aut luteo ſeruiunt. Literæ ſtyli ænei, aut argentei mucrone obtuſo inſcribũtur, ſpongia, linteoue humido infrictę delentur. Iã verò Diophanes ventre vtitur ad necanda animalcula noxia, vt enim blattæ necentur, hæc affert experimenta, referente Ioanne Baptiſta Porta, ventriculum ouillum ſtercore plenum, illotumque defodito in ſuperficie, inuenies enim illum praſocuridibus refertum. Si iterum idem feceris, omnes congregabis, & ſic apprehenſas perdes, eſt enim ſtercoris amans animalculum, ſemperque in horto degens, hoc modo facilè capitur. Palladius: *Praſacuridas græci vocant animalia, quæ ſolent hortis nocere, ergo ventriculum veruecis ſtatim occiſi plenum ſordibus ſuis ſpatio, quo abundant, leuiter debebis operire: poſt biduum reperies ibi animalia congeſta. Hoc cùm bis, aut tertiò feceris, genus omne quod nocebit, extingues.* Quamuis modò crumenæ ex qualibet pellis ouillæ parte fiant, peculiariter tamen ex teſticulis arietinis olim factitatas non obſcurè innuit Cicero ad Herenniũ, inquiens: *Medico* (digito) *teſticulos arietinos tenentem*; Politianus enim in Miſcellaneis, receptacula nummum intelligit, quæ Feſtus (hunc locum citans) ſcortes nominauit, ſed enim, Pædianus, inquit, ſportas, ſportulas, ſportellas nummum ait eſſe receptacula. Vt nihil ſit dubium, quin è digito eo, qui ſit minimo proximus, ſuſpenſas velit habere ſcorteas, hoc eſt, è teſtibus arietinis pelliceas crumenas. Feſto certè ſcortes (aliqui legũt ſcortum) ſunt pelles teſtium arietinorum, ab eiſdem pellibus dicti. Et ſuffiſcus eidem folliculus eſt teſtiũ arietinorum, quo, inquit, vtebantur pro marſupio, à fiſci ſimilitudine dictus. Apud priſcos ex ouium inteſtinis fiebant fides, vt meminit Homerus antiquiſſimus his verſibus:

Lib. 2. de rerum inuentione c. 8.

Antiquiora diphthera loqui.

Lib. 27. cap. 14.

Ventris vſus.

Lib. 10. vill. cap. 8.

ex Teſtibus crumenæ.

Cap. 62.

Scortes.

Suffiſcus.

Odyſſ. Φ.

Fides ex inteſtinis.

Ὥς ὅτ' ἀνὴρ φόρμιγγος ἐπιςάμενος, καὶ ἀοιδῆς
Ῥηϊδίως ἐτάνυσσε νέῳ ἐπὶ κόλλοπι χορδὴν
Ἅψας ἀμφοτέρωθεν ἐϋςρεφὲς ἔντερον οἰός. ideſt.

Sicut autem quando vir citharæ peritus, & cantus
Facilè extendit nouo in ſinu chordam
Tangens vtrimque benè retortum inteſtinum ouis.

Illud verò mirum, vt Antigonus Liberalis annotauit, ouium inteſtinis hoc eſſe peculiare, quod arietum non edunt ſonum, ſed fæmellarum tantùm ſunt vocalia, hucque ſpectare, ait, illud poetæ:

Septem fœmineos neruos intendit ouillos.

Scribit autem Bellonius; Turcas minore arietum (ouium fortaſſis) & caprarum inteſtina vbi exemerint, & pinguedine liberarint, ex vnco ſuſpendere, & ſub veſperam alios alijs corbem dorſuariam geſtantibus vendere, & hos rurſus ijs, qui neruos, & fides conficiunt; arcuum verò neruos

In opere de mirabil.

Lib 3. obſeruat. cap. 46. & 47.

Fides Turcarum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A neruos à primo conficere nosse, eorumque frequentissimum esse vsum; atque omnium etiam neruos ex intestinis esse conflatos; addit omnis generis fides conficere, easque admodum exiles, imò etiam neten tam acùtum quàm nostrates reddere sonum, sed non adeo clarum, quoniã ex tribus neruis contortæ sint: posse tamen aliarum penuria testudini Venetæ inseruire. Huiusmodi netes varij generis, variorumq; colorum reperiri, rubri, Veneti, viridis, flaui, & albi, nullumq; esse institorem, qui eas, & reliquas fides venales non habeat, etiam per vniuersum Turcicum dominium, atq; frequentiores, quàm in Europa, cuius rei hanc dicit esse rationem, quòd quatuor testudinum canarum, & lyrarum genera habeant, quarum alterutras plerique pullare norint suo more, etiam rustici. De coagulo ait Palladius: *Mense maio caseum coagulabimus syncero lacte, coagulis agni, vel hœdi.* Varro tradit lactis duobus congijs addi coagulum magnitudine oleæ, vt coeat. *Coaguli vsus.* Additq; melius esse leporinum & hœdinum, quàm agninum. Nostri indifferenter colligunt, & vtrumque simul permixtum, hædinum, inquam, & agninum venditãt. Vbi ceperit coagulari caseus, solidariq; opaco loco vt ponatur, iubet Crescentiensis, & aut frigido, & pressus subinde adiectis pro acquisita soliditate ponderibus, trito & torrefacto sale

B debet aspergi: Et iam durior vehementius premi potest. Post aliquos dies solidatæ iam formulæ, statuantur ita per crates, ne inuicem se vnaquæque contingat. Sit autem loco clauso, & à vento remoto, vt teneritudinem, & pinguedinem seruet. Vitia casei eiusdem iudicio sunt, si aut siccus, aut fistulosus est, quod euenit, si aut parum prematur, aut nimium salis accipiat, aut calore Solis vratur. *Casei vitia.* Recenti caseo conficiendo aliquos etiam, ait, virides nucleos pineos terere, atque sic lacte mixto congelare, aliquos cyminum tritum frequenter colatum congelare, qualecunque etiam velis sapore efficere posse, adiecto, quod elegeris condimento, vel pipere, vel alio pigmento id præstari. Rusius Mulomedicus lactis vsum docet, quomodo pili equorum nigri mutentur in albos: *Lactis vsus.* In lacte pecorum, inquit, bulliẽte linteum madefactum loco impone, idque toties donec, cum fricatione modica digitorum pili cadant: deinde aliud linteum purum madefactum in lacte recenti duces per locum depilatum, vbi pilos nigros pro albis renasci volueris, hoc facies per tres dies, vel pluries, donec pili incipiant crescere, diebus singulis ter vt minimum. Notum est ex seuo bisulcorum fieri candelas, commendantur præcipuè ex hoc pecore.

C Antonius Mizaldus candelam ex syncero arietis seuo scrinijs tenui linteolo insertam, vestiariam supellectilẽ à tineis inoffensam custodire tradit. *Seui.* Est vbi vrina ouiũ nitri fictitij materia est. *Vrinæ.* Ossa manubrijs cultellorum sunt idonea. Stercus agris vtile esse scribit, Plinius, & boum fimo præfert, *Lib. 17. c. 9.* & alibi ait; Cato, *vbi sementem facturus es, ibi ouem delectato*, hoc est, attrahito, seu allicito. *Stercoris.* Ait itẽ hoc fimo ad asparagos vti Catonẽ nominatim iubere, quoniã aliud herbasceret, hoc est, herbas crearet: Et alibi rursus: *Iustum est singulas vehes fimi denario ire in singulas pecudes minores, in maiores denas: nisi contingat hoc, malè substrauisse pecori colonum appareat.* Sunt qui optimè stercorari putent sub dio inclusa pecorum mansione. Cato verò etiam caprinum, & ouillum stercus sedulò conseruari iubet. Sed & Plinius rursus alibi fimum ex columbarijs præferri ait, proximum deinde caprarum esse; ab hoc ouium; deinde boum; nouissimum iumentorum: Ex Varrone forsan, qui ex Cassio tradit post columbinum stercus esse hominis, tertio caprinum, & ouillum, & asininum &c. At Theophrastus, acerrimus, inquit, hominis fimus est, & optimus, secundum aliquos, deinde suum, caprarum, ouium, boum, postremò asinorum, quo loco obseruandum est Theodorum Gazam Plinio fortassis nimis addictum pro

D ὄνων vertisse, iumẽtorum: obseruandum etiam verba videri transposita: nam idem author grauissimus alicubi ait, ouillum quibusdam caprino præferri, omnibus verò asininum. Sic & Palladius: *Stercus*, inquit, *asinorum primum est maximè hortis, deinde ouillum, & caprinum, & iumentorum.* Sic itidem & Columella ad cultum hortorum optimum esse, ait, stercus asini, qui minimum herbarum creat, proximum vel armenti, vel ouium, si sit anno maceratum.

MYTHOLOGICA.

AVREI arietis historia non vno modo enarratur; in eo tamen apud omnes conuenit, à Phryxo in Colchos translatum. *Aurei velleris historia.* Fuisse hunc, aiunt, Athamantis, & Nepheles filium: Cùm enim Athamas Thebis imperaret, ex Nephele vxore, Phrixum, & Hellen, vt aiunt, suscepit, deinde hac dimissa Ino secundam vxorem cepit, *Phrixus quis.* quæ ingenti priuigni amore capta, non assentiente Phrixo, omnem amorem in acerrimum odium conuertit, & vt ipsum occidendum traderet, torruit omnia frumẽti, cæterorumque leguminum semina, ne nascerentur: Ita vt cum sterilitas, & penuria frugum esset,

ſet,ciuitaſque tota partim fame,partim morbo interiret, Athamas verò ea de re Delphos mit- E
teret ſatellitem,Ino,vt falſum reſponſum referret,precibus,& muneribus ab eo impetrauit,vi-
delicet ſi Athamanti diceret à Deo conſulto reſponſum eſſe,peſtilentię finem fore,ſi Phrixum
immolaret. Quo reſponſo accepto ingenti neceſſitate,vt putabat,compulſus Athamas,Phrixũ
Lib. 6. Mythol. c.9. dicitur,vt ait Apollodorus Grammaticus citante Natali Comite,ad aram mactaturus ſtatuiſ-
ſe: At Nephele Phrixum,& Hellen eius ſororem rapuit,aureamque ouem à Mercurio captam
illis dedit,qua per aera vecti fuere. Alij verò,vt Hyginus,aiunt Phrixum vltro, ac libentè pol-
licitum fuiſſe ciuitatem ſe ærumna liberaturum. Itaque cùm ad aram cum inſulis eſſet addu-
ctus,& pater Iouem comprecari vellet,ſatellitem miſericordia adoleſcentis, Inus Athamanti
conſilium pateſeciſſe,regemq; cognito facinore Ino, & filium eius Melicerten Phrixo dediſſe
necãdos,ſed hos cùm ad ſuppliciũ ille traheret,à Libero patre obiecta caligine liberatos fuiſſe.
Ad Phrixũ verò,& Hellen inſania à Libero obiecta cũ in ſylua errarent,Nephelen matrem dici
veniſſe,& arietẽ inauratũ adduxiſſe Neptuni, & Theophanes filium, eumq; natos ſuos aſcẽde- F
re iuſſiſſe,& Colchos ad regem Aetam(alij Oetam vocant)Solis filium tranſire,ibique arietem
Chryſomallus. Marti immolare. Hunc arietem Theophanes χρυσόμαλλον dictum fuiſſe, mox ſuo loco dice-
tur. Cùm verò ad id freti perueniſſent,quod inter Sigæum & Cherſoneſum eſt, contigiſſe fer-
Helleſpõtus vnde dictus. tur, vt Helle in proximum mare decideret, quod ab ea poſtea dictum fuit Helleſpontus, vel
Athamantidis,vt ait Aeſchylus in Perſis,& Ouidius in epiſtola Leandri his verſibus:

Fluctibus immodicis Athamantidos ęquora canent,
Vixque manet portu tuta carina ſuo.
Hoc mare cùm primùm de Virgine nomina merſa
Quæ tenet,eſt nactum,tale fuiſse puto.
Eſt ſatis amiſſa locus hic infamis ab Helle
Vtque mihi parcat,nomine crimen habet:
Inuideo Phrixo, quem per freta triſtia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ouis.

Lib. 2. Propertius non per aera,ſed per ipſius maris vndas vectos fuiſſe innuens, inquit: G

Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ouis.

Phrixus Helle ſorore amiſſa doluit,vt Seneca oſtendit,dum ait in Troade:

Queſtus eſt Hellen cecidiſſe Phrixus
Cum gregis ductor radiante villo
Aureo,fratrem ſimul & ſororem
Suſtulit tergo,medioque iactum
Fecit in ponto.

Dicitur autem ob diuturnum iter, ac laborem in promontorio Brixaba conquieuiſſe, & cùm
barbari illo viſo armati aduenirent,aiunt arietem inclinatum vſum humana voce, illum exci-
tauiſſe, quare aufugiens in Colchos portauerit arietem,ibique Ioui Phryxio cognomine ſiue
fugæ fauenti immolarit, pellemque ilici in luco Martis, in eius honorem affixerit. Alij matris
pręceptis arietem ibi immolauiſſe aiunt,ſed pellem eius inauratam in templo Martis poſuiſſe,
quam poſtmodum ſeruante dracone Iaſon Aeſonis, & Alcimedes filius abſtulerit. Phrixum
autem ab Aeta libenter receptum,filiamque Calliopen datam vxorem,quæ cùm liberos ex eo
procrearet, veritum Aetam ne ſe regno eijcerent, quod ei reſponſum fuerat ex prodigijs, ab H
aduena Aeoli filio mortem caueret:itaque Phrixum interfeciſſe. Diodorus verò Aeëtæ reſpõ-
Lib. 5. c. 4. ſum datum eſſe ait, illum tũc mortem obiturum,cum externi nauigio delati aureum vellus ſu-
ſtuliſſent, hacque ex cauſa, tum verò innata crudelitate oſtentauiſſe ſe hoſpites ſacrificare, vt
Velleris cuſtodiam. diuulgata tanti ſceleris fama externi omnes eum acceſſum abhorrerent. Templum quoq; cir-
cumdediſſe muro,cuſtodeſque plures appoſuiſſe ex Taurica accitos,de quibus, inquit, à Græ-
cis mirandæ fabulæ finguntur: Decantatum enim eſt, tauros ignem ſpirantes circa templum
eſſe:à dracone inſuper cuſtodiri vellus:Alij verò dicũt ad Dipſacum Phyllidis fluuij, & Nym-
phæ cuiuſdam indigenæ filium Phrixum in hoſpitium acceſſiſſe,atque ibi arietem Ioui cogno-
mento Laphiſtio immolaſſe, unde manſerit poſtea diu illa conſuetudo, ut unus ex oriundis
ab ipſo Phrixo quotannis prædicto Ioui ſacrificaret,ut ſcriptum eſt à Suida lib. 2. rerum Theſ-
ſalicarum. Sed Pauſanias apud Laphiſtium montẽ, & ſacrã Ioui Laphiſtio aram, Dei ſignum
In Bœotic. eſſe ſcribit è lapide,in quo Athamas Phrixum, & Hellen immolaturus,ſubmiſſum à Ioue pue-
ris aurei uelleris arietem,acceperit quo illi vecti aufugerint. Alij rurſus dixerunt,non quidem ad
arã,vt mactaretur, adductũ fuiſſe Phrixũ, ſed illi ad eligendam in ſacrificia pulcherrimam vi-
ctimam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A stimam misso arietem Iouis consilio locutum fuisse, atque patefecisse omnes nouercę insidias, inter quos fuit Didymus, quare ille cum sorore è patria terra tergori arietis insidens, vt aries illis significauerat, aufugerit, ac Dijs postea apud fluuium Phasim illum arietem, ut mater sibi significarat, immolauerit. Alij dicunt tunc locutum fuisse arietem, cùm Helle delapsa est, atq; hortatum esse Phrixum, ut forti, & intrepido esset animo, quod illum esset in terram Colchicã asportaturus. Alij dixerunt Nephelen Deam fuisse. Sunt etiam qui Phrixum cùm in eam Colchidis partem uenisset, quæ ab eius nomine Phrygia dicta est, dicunt arietem non Marti, aut Ioui, sed Mercurio immolauisse, ideoque cum eius pellem in luco Ioui consecrato ramis quercus appendisset, eam postmodum à Mercurio auream factam fuisse, quod tetigisse etiam apparet Apollonium, quamuis tamen dicat Ioui Phyxio, ideſt fugæ fauenti, dicatam fuisse:

Phrygia vnde dicta.

Lib. 2. Argon.

Ἀτρεκέως δοκέω πȣ ἀκȣ́σετε καὶ Πάρος αὐτοὶ
Φρῖξον, ὅτις Ιτολίετρον ἀνήλυθεν ἀήταο
B Κριὸν ἐπεμβεβαὼς, τὸν ῥα χρυσεῖον ἔθηκεν
Ἑρμείας, κῶας δὲ καὶ εἴσατι νῦνκεν ἴδηαθε
Πεπτάμενον λασίοισιν ἐπὶ δρυὸς ἀκρεμόνεσσι,
Τὸν μὲν ἔπειτ' ἔῤῥεξεν ἐῆς ὑποθημοσύνῃσι
Φυξίῳ ἐκ πάντων κρονίδῃ διΐ. quæ sic alius reddidit.

Vt puto, iam pridem vestras peruenit ad aures
Phrixus, vt Aeetæ regnumque & mœnia adiuit.
Hunc aries vexit, quem mox Cyllenius aureum
Fecit nunc etiam suspensa est aurea quercu
Pellicula, interdum crepitat quæ leniter auris.
Iupiter ipse fugæ fauit, quo Phyxius illum
Mactatum cepit structis fumantibus aris.

Quamuis eam pellem iam tunc auream fuisse cùm mare traijcerent, ut in Colchidem aufugerent his carminibus significauit M. Manilius:

4 astronom.

C *testis tibi laniger ipse*
Cùm vitreum findens aurato vellere pontum
Orbatumque sua Phrixum per fata sorore
Phasidos ad ripas, & Colchica regna reuexit.

Deinde uerò Nephelæ pœnas daturus Athamas ob filios, ad Iouis aram iugulandus adducitur, at ab Hercule seruatus fuit, quæ res postea argumento fuit Sophocli Tragœdiæ Athamantis. Fabulati sunt etiam postea ad perpetuam huiusce rei memoriam impetratum fuisse à Ioue, precãte Nephele, ut arietis signum inter sydera collocaretur, idq; etiam effectum fuisse. Quam opinionem etiam secutus est Ouidius, dum canit; integram penè fabulam complectens.

Athamas comœdia.

Aries cur inter sydera.

Fastor. 1.

Nunc potes ad solem sublato dicere vultu,
Hic here Phrixææ vellera pressit ouis.
Seminibus tostis scéleratæ fraude nouercæ
Sustulerat nullas, vt solet, herba, comas.
Mittitur ad Tripodas certa qui sorte reportet,
D *Quam sterili terræ Delphicus edat opem.*
Hic quoque corruptus cum semine nunciat Helles
Et iuuenis Phrixi funera sorte peti.
Vsque recusantem ciues, & tempus, & Ino
Compulerant regem iussa nefanda pati.
Et Soror, & Phrixus velati tempora vittis,
Stant simul ante aras iunctaque fata gemunt.
Aspicit hos, vt fortè pependerat æthere mater
Et ferit attonita pectora nuda manu.
Inde draconigenam nimbis comitantibus vrbem
Desilit, & natos eripit inde suos.
Vtque fugam capiant, aries nitidissimus auro
Traditur, ille vehit per freta longa duos.
Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra,
Fœmina cùm de se nomina fecit aquæ.
Pene simul perijt dum vult succurrere lapsæ,
Frater, & extentas porrigit illa manus.

Flebat

Flebat vt amissa gemina consorte pericli
Cæruleo iunctam nescius esse Deo.
Littoribus tactis aries fit sidus, & huius
Peruenit in Colchas aurea lana domos.

Atqui Hermippus, vt ait Hyginus, dicit, quo tempore Liber Africam oppugnauerit, deuenisse cum exercitu in eum locum, qui propter multitudinem pulueris Ammodes est appellatus. Itaque cùm in maximum periculum deuenisset, quod iter necessariò facere videbatur, accessit eò, vt aquæ maxima penuria esset, quo facto exercitus ad maximam defectionem deuenire cogebatur, qui quid agerent dum cogitant, aries quidam fortuito ad milites eorum errans peruenit, quos cùm vidisset, fuga sibi præsidium parauit. Milites autem qui eum fuerant conspicati, etsi puluere, & æstu pressi, vix progrediebantur, tamẽ vt prædam ex flamma petentes, arietem sequi cęperunt vsque ad eum locum, qui Iouis Ammonis, postea templo constituto est appellatus. Quò cùm peruenissent, arietem, qui consecuti fuerant, nusquam inuenire potuerũt. Sed B quod magis hic fuerat optandum, aquæ magnam copiam eo in loco nacti sunt, corporibusque recuperatis, Libero statim nunciauerunt, qui gauisus ad eos fines exercitum deduxit, & Iouis Ammonis templum cum arietinis cornibus simulachro facto, constituit, arietem inter sydera figurauit, ita vt cùm sol in eius foret signo, omnia nascentia recrearentur, quæ veris tempore fiunt, hac re maximè, quod illius fuga Liber recreauit exercitum. Præterea duodecim signorũ principem esse voluit, quod ille optimus exercitui fuerit ductor. Hoc Ammonis templum pauperrimum fuisse ostendit Angelus Politianus in explicatione huius Martialis versus: à nemine, quantum viderit, cogniti:

Iouis Ammonis templum.

Dissimuletque Deum cornibus ara frequens:

Falli enim Domitium, quod hic Ammonis templum in Libya accipit. Nam cùm hic magnificentissima orbis terrarum ædificia memorentur, quæque inter miracula referrentur, vt ex eorum comparatione amphitheatri præconium crescat, ridiculum profectò (inquit) fuerit de templo hic Ammonis audire, pauperrimo scilicet, vt Lucanus ait his versibus: G

Iouis Ammonis pauper templũ.

Ventum erat ad templum Libycis quod gentibus vnum
Inculti Garamantes habent, stat corniger illic
Iuppiter, vt memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
Nec illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis,
Quamuis Aethiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis vnus sit Iuppiter Ammon.
Pauper adhuc Deus est, nullis violata per æuum
Diuitijs delubra tenens, morumque priorum
Numen Romano templum defendit ab auro.

Neque autem aut ex Plinij, aut ex Maronis dictis colliges templum Ammonis apud Nasamonas insigne, vel ædificijs, vel opibus fuisse, si verba ipsa diligenter vtriusque pensitabis. Et quidem mentior, nisi ara potius Apollinis in Delo accipienda, quod ceratinon bomon dicunt, inter septem orbis spectacula, sicuti Plutarchus ait, celebrata, quæ tantùm ex dextris cornibus sine glutino vllo, aut vinculo coagmentata, compactaque sit. Hoc autem Plutarchus in eo scribit opusculo, quo tractat vtra prudentiora sint aquigena, an terrigena animalia. De quea ara eadem sic Ouidius in epistola Cydippes ad Acontium meminit hoc versiculo: D

Ara Apollinis ex cornibus.

Miror & innumeris structam de cornibus aram.

Plutarchus etiam in Theseo de ara in Delo scribit, non quidem ex dextris, sed ex sinistris tantùm cornibus compacta, quem κεράτωνα βωμὸν appellat, nisi mendum sit exemplarium. Laertius quoque Diogenes ceratinæ aræ, idest, è cornibus factæ mentionem nonnullam facit in Pythagoræ vita. Quin & Callimachus poeta in Apollinis hymno, quadrimum adhuc Apollinem scribit ex cornibus Cynthiadum caprearum, quas soror Diana in venatu occiderat, aram compegisse, fundamentaque item, & parietem è solis struxisse cornibus. Ipsius autem sunt hæc verba:

Τετραέτης τὰ πρῶτα θεμείλια φοῖβος ἔπηξε
Καλῇ ἐν ὀρτυγίῃ, περιηγέος ἔνδοθι λίμνης,
Α῎ρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁδ᾽ ἔπλεκε βωμὸν Α᾽πόλλων
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ἐκ κεράων, κεραὰς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους. idest,

Quadrimus prima fundamenta Phœbus iecit,
Pulchra in Ortygia orbiculari in lacu.
Diana venata cornua assiduè caprarum
Cynthiadum tulit, ipse verò connexuit aram Apollo,
Extruxit quidem cornibus fundamenta, compegit autem aram
Ex cornibus, corneos verò circumduxit parietes.

Sed vt ad Phrixi historiam reuertamur. Quidam, vt ait Diodorus præcitato loco, nauigasse eum ferunt in naui, cuius prora fuerit signum arietis: quod Helle molestè ferens cùm in sponda nauis incumberet, in mare decidit. Alij tradunt Gambrum Scytharum regem in Colchos, quo tempore Phrixus cùm pædagogo captus fuerit, aduectum, cùm adolescentem dilexisset, dono illum ab Aeeta accepisse, eumque vt legitimum ab se filium educatum, regni hæredem relictum. Pædagogum (is Aries vocabatur) sacrificatum Dijs, eiusq; pellem è cadauere euulsam de more templo fuisse affixam. B Deinde responso tradito, se tunc moriturum cùm aduentantes hospites Arietis pellem sustulissent; regem, aiunt, adhibitis templo custodibus eam, quo diligentius seruaretur, deaurasse. Alij censuernnt, inter quos fuit Pherecrates, Arietem fuisse Phrixi alumnum, qui cùm Inus insidias præsensisset, hortatus sit Phrixum, vt se fuga seruaret: qui cùm fugisset in Colchidem, locus sit datus fabulæ, quod per Arietem seruatus sit in Colchidem, atque ita scripsit Dionysius in Argonauticis. Hæc itaq; ferè sunt, quæ de Phrixo apud antiquos reperiuntur. Vt verò fabulosa hæc historia ad veritatem reducatur, scire conuenit apud antiquos ferè moris fuisse, vt domestica animalia non solùm nummis suis imprimerent, sed in omnibus etiam propè rebus alijs pingerent, aut illorum nominibus, pro pictis imaginibus appellarent, vt à vero non abhorreat, Phrixum, & Hellen in nauigio, quod pictum aureum arietem in puppi haberet, vectos fuisse: nisi eorum sequamur opinionem, qui κριὸν idest, Arietem Phrixi pædagogum fuisse dixerunt, eiusque consilio aufugisse, huncque ideo fuisse dictum aureum, quia consilia sapientum putanda sunt aurea: vnde & alij dixerunt illam pellem fuisse ab Aeeta inauratam, & custodijs septam, cùm accepisset ex oraculo sibi tunc esse pereundum cùm aduena illam abstulisset: nam & hoc certè significabat, vbi defuisset prudentia, & consi-C lium, & idcirco ob diligentiam & ferociam inhumanitatemque custodiarum dictus est draco insomnis, & boues ignem ex ore spirantes, & terrigenæ homines vellus aureum custodire. Nō enim leniter recedendū est à sapienter decretis. Lucianus in dialogo de astrologia scribit Phrixum rerum astronomicarum scientia delectatum, dictum fuisse à fabularum artificibus in cælum ab ariete sublatum. Ego verò, inquit Natalis Comes, hoc nihil aliud significare credidetim, quàm illum qui rebus præsentibus optimè, ac sapienter vti nouerit, proximè ad Deorum immortalium naturam accedere: At si imprudenter, parumque honestè, & superbè abutatur, facilè ex altissimo dignitatis gradu delabi, quod etiam Hellen passam fuisse fabulatum est. Nulla est enim tam firma, neque tam constans hominum cōditio, quin ob suam temeritatem, & imprudentiam si ita Deo placuerit, citissimè possit delabi. Atqui quod ita sit, patet, vel ex ipsis nominibus, Athamas enim non admirandum esse significat, cùm sit θαυμάζεσθαι mirari, actionemque illam α adimat: Nephele verò nebula, ex quia certè nascitur rerum humanarum contemptio. Quis sanè locus meritò concedi potest admirationi cùm tota hominum vita, huc illuc fluctuet, & quocunque ventorum impetus appulerit, eò facilè corruat? Nam om-D nes opes, & amicitiæ, & imperia tamdiu stabilia sunt, quamdiu secundæ fortunæ aura aspirauerit: Siue igitur illa etiam sit rerum cuiusque ad felicitatem præsentem propensio, siue Dei consilium ob inscitiam mortalium ita vocata, siue aliud quidpiam, omninò illa opus est viro prudenti. Hac aura aspirante, seruata animi moderatione in felici successu Phrixus deuitatis nouercæ insidijs in Colchorum regionem peruenit, vbi non sine auxilio Deorum firmius imperium, & tranquilliora omnia inuenit. Alij ex eiusmodi fabula alia documenta eliciunt, vt-pote cùm ab Athamante Nephelen vxorem legimus repudiatam, & Ino ductam, moneri nos, aiunt, nō temerè ad secundas nuptias, vt conuolemus, ne prioribus liberis simus iniurij, & nocumento, vnde si non hinc, illæ lacrymæ? vnde in Phrixum, & Hellen proprios liberos odium? Solent nouercarum delinimentis patres capti erga prioris matrimonij liberos paternum affectum exuere, sic vt illos nonnunquam odio prosequantur. Ino sanè priuignis suis Athamantem infensum reddidit. Illi ariete duce fugam arripiunt: Helle metu perculsa decidit in mare: Phrixus impauidè fretum superat, & Colchorum regis filiam vxorem ducit: aries inter astra statuitur. Docemur miserias constanter ferre, neque ab ijs perferendis vlla mollitie animi, aut metu deterreri; si enim illis obrui nos patimur, nunquam ex ijs emergemus, ijs superatis melior sors

Arietis insigne.

Aries Phrixi quis.

Fabulę Phrixi declaratio.

Consilia sapientū aurea.

Qui ad Deum proximè accedat.

Athamas. Nephele.

Secundæ nuptiæ cur vitandæ.

nos manet: Monemus amicitiam colere, & amicos in calamitatibus nō deſerere, quia qui quos in proſpera fortuna coluerunt, eoſdem in miſerijs conſtitutos amant, illorum memoriam nulla vnquam temporis diuturnitas valet extinguere. Sunt itidem, qui aurei huius velleris pellē interpretentur fuiſſe librum quendam veterum more in pelle conſcriptum (hoc ſupra etiam tetigimus) in quo auri conficiēdi ſcientia traderetur: cuiuſmodi libros cùm Diocletianus ſumma diligentia perquiſiuiſſet apud Aegyptios (qui huius peritiſſimi cenſebantur) omnes flamma conſumpſiſſe fertur, ne diuitijs ita comparatis, Aegyptij Romanis bellum inferre auderent, atque ex illo tempore hanc artem publico Cæſaris edicto ſemper habitam fuiſſe flagitioſam, ſed dum alios pleroſque authores voluo, occurrit id, quod plurimi de aureo vellere referunt, ex Suida potiſſimum, explicantque, vt iam admonui, de arte, quam χυμείαν græci appellunt: alij verò malunt hoc intelligi, magnam auri vim, quæ apud Colchos eſſet à principibus quibuſdam viris congeſtam. At verò Colchica regio propter vicinitatem Caucaſi montis auro abundabat, vel teſte Strabone, qui ſcribit multos fontes ex Caucaſo manare ſcaturientes arena aurea tam tenui, vt oculorum aciem effugiat, eamque colligi ab incolis, pellibus quibuſdam lanoſis in aquam iniectis, vnde ſuſpicari poſſumus locum eſſe fabulæ datum; pelles enim, ſubſidente in ijs arena, ſpeciem aurei velleris præ ſe ferunt. Strabonis verba hæc ſunt: Apud Iberes torrentes dicuntur aurum deferre, quod barbari perforatis tabulis, ac lanoſis pellibus excipiunt, vnde aurati velleris fabula conficta eſt. Et fortaſſe Iberes eodem nomine vocantur, quo occidentales ab auro, quod apud vtroſque inuenitur. Sunt denique, qui hac Phrixi fabula locupletes illos intelligi volunt, qui cùm ſint hebeti, & obtuſo prorſus ingenio; ducuntur, trahunturque pro vxorum arbitrio, vt eorum negotia è famulorum ductu, regulaque pendeant, nec ſecus ac infantes anniculi è nutricis amplexu illi quicquid loquantur, quidque ſtatuant, non habent, quod illos animus, & rationis copia deficiat. Quo ſenſu Chryſalus ſeruus apud Plautum:

Chymici libri cur vſti.

Colchorum opes.

Lib. 10.

Iberes qui.

In Bacchid.

> *Adibo*, inquit, *hunc quem quidem ego hic hodie faciam arietem*
> *Phrixi, itaque tondebo auro, vſque ad viuam cutem.*

Diues indoctus.

Et ad eundem ſenſum Alciati emblema eſt inſcriptum: Diues indoctus:

> *Tranat aquas reſidens pretioſo in vellere Phrixus,*
> *Et flauam impauidus per mare ſcandit ouem.*
> *Ecquid id eſt? vir ſenſu hebeti, ſed diuite gaza*
> *Coniugis, aut ſerui quem regit arbitrium.*

Iaſonis fabula.

Dicendum modò de Iaſone Aeſonis filio, qui Peliæ Theſſaliæ regis, cùm Iaſonis indolem formidaret, eumque perditum vellet, conſilio, atq; incitatione in Colchos, ad aureum vellus auferendum, expeditionem ſuſcepit, quod ita contigiſſe aſſerunt. Cùm Peliæ, vt ait Apollonius in Argonautis, ab oraculis reſponſum eſſet, vt ſibi caueret ab illo, quem altero pede nudo conſpexiſſet, itaque ſacra Neptuno inſtituens vniuerſos ſuos ad ſacrificia conuocauit, quo etiam Iaſon cùm veniret in traijciendo Anauro fluuio, alterum calceum in limo amiſit, qui ita viſus à Pelia interrogatur, quid faceres ſi tibi reſponſum eſſet, te à quopiam interfectum iri? Cui reſpondit Iaſon de Iunonis conſilio, illum inquit, ad aureum vellus recuperādum mitterem. Pelias igitur iuxta Iaſonis reſponſum per ipſum, aureum vellus iubet ad ſe adferri. Tum Iaſon nauim diuino Palladis conſilio fabricatam, malumque loquacem habētem è Dodonæa quercu conſcendit, & cum quadraginta & nouem lectiſſimis viris in Colchidem nauigauit. Cùmq; tandem mille paſſus pericula ſuperatiſq; omnibus difficultatibus ad Colchos perueniſſet, primo benignè à Phrixi filijs fuit exceptus, atque cum illis ad Aeetam contendit. Alij dicunt primo benignè, ac comiter acceptum fuiſſe ab Aeeta: alij non ſatis læto vultu. Deinde cùm aureum vellus nomine Peliæ, cuius id antea fuiſſe dicebat, & per dolum ſurreptum repeteret, viſus eſt Aeeta æquo animo petitionem tuliſſe, vt quidam dixerunt. Alij dicunt iratum Aeetam reſpondiſſe Iaſoni, ſe quod peteret tum demum conceſſurum cùm tauros ignem è naribus efflantes & æripedes domuiſſet, draconis cuſtodis eius velleris dentes adamantino aratro viſus ſeminaſſet, naſcenteſque homines armatos ex illis dentibus cecidiſſet. At Medea Aeetæ filia Iaſonis deſiderio capta, vnguentum illi dedit quo incolumis ab igne taurorum ſeruaretur, iuſſitq; ſulcum & uare, ne aduerſo vento araret, ne vis flammarum in ipſum ferretur, neque inciperet ſulcum more arantium ab eodem fine, ſed tolleret aratrum. Quidam enim dicunt primum Aeetam boues igniuomos iunxiſſe, & arauiſſe, ac poſt diſiunctos imperaſſe Iaſoni iungere, & arare quod Medea noctu dracone per quædam pharmaca ſopito aureum vellus ad Iaſonem detulit, vnàque fratre Abſyrto arrepto è Colchis cum Argonautis (ſic ſocij Iaſonis vocantur) nauigauit. Quidam dicunt Iaſonem Medeæ conſilio, atque opera omnia illa pericula ſuperaſſe, atque ea acce-

A accepiſſe vellus aureum à Medea; Alij longè diuerſam cauſam cur Iaſon ad aureum vellus miſſus ſit, retulerunt, inter quos eſt Hecatæus, dicunt enim quòd cùm Iaſon ex antro Chironis exiuiſſet, à quo erat educatus, & à patre coniunctiſq; affinitate cognitus fuiſſet, in conuiuium ſolemne fuit acceptus. Deinde cum magno tumultu ad Peliam regnum maiorum ſuorum repetens contendit: Pelias ſe redditurum pollicetur, ſi prius in Colchidem abeat, Phrixique animam ter, vt legitimum erat, aduocet, ſe enim nocturnis terreri viſionibus, inquiens, ob Phrixũ: nam ſi eò acceſſeris, inquit, & iſtud feceris ac vellus aureum attuleris, ego iam ſenior tibi iuueni regni onus concedam. Quare Iaſon his legibus acceptis eò contendit, vt diximus. Hæcque illa ſunt, quæ vt ſummatim dicam de Iaſone antiqui memoriæ prodiderunt. Pericula, & labores qui capturo vellus aureum proponebantur, ita breuiter recenſuit Medea apud Euripidem: *Pericula auferẽtis vellus aureum.*

Ἔσωσα σ' ὡς ἴσασιν ἑλλήνων ὅσοι
B Ταυτὸν συνείσβησαν ἀργῷον σκάφος,
Πεμφθέντα ταύρων πυρπνόων ἐπιστάτην
Ζεύγλῃσι, σπερῶντα θανάσιμον γύην,
Δράκοντά θ' ὃς πάγχρυσον ἀμφέπων δέρας,
Σπείραις ἔσωζε πολυπλόκοις ἄϋπνος ὤν,
Κτείνασ', ἀνέσχον σοὶ φάος σωτήριον. idest,
Seruatus es per me, velut ſciunt ratem
Quicunque conſcendere tecum Argoam: vbi
Tauris iubebaris iugum ſpirantibus
Ignem impoſuiße: ſeminare & horridi
Dentes draconis, vellus illud aureum
Seruantis, inſomnisque: qui circumdat id
Spiris: Ego occidi, tibi lucem dedi
Illam ſalubrem.

Quam rem tamen breuius etiam ita complexus eſt Virgilius: *Georgic. 2.*

C *Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem*
Inuertere, ſatis immanis dentibus hydri
Nec galeis denſiſque virum ſeges horruit haſtis.

At verò quod ad myſticum, inquam, huius hiſtoriæ ſenſum pertinet, dictus eſt Iaſon filius Aeſonis, & a Cẽtaurorũ iuſtiſſimo Chirone educatus, artẽq; medẽdi ab illo edoctus. *Fabula Iaſonis declaratio.* Atqui Aeſon è ſtirpe Neptuni editus quid aliud eſt niſi prudentia è varijs negotijs, ac difficultatibus, quę tãquam materiæ prudentiæ ſubijciuntur? Nã ex illis, & ex conſilio exoritur, ac fit prudentia. Didicit medendi artem à Chirone, vnde nomen obtinuit, nã ἴασις ars eſt medendi. Cæterùm quis rogo remedium aliquando morbi datum fuiſſe à Iaſone vlli laboranti accepit? non enim Chirurgus fuit Iaſon, neq; vir iuſtiſſimus, & ſapientiſſimus Chiron: putandus eſt potius corporis quam animi curã, quæ viro bono conueniat Iaſonẽ docuiſſe. Quod ſi animi curam illã docuit, quid eſt per Deos immortales, quod magis viro bono conueniat, quàm prudẽtia? *Prudentia probis conuenit.* Cenſeamus itaq; Iaſonem in vtraq: fortuna, qua animi moderatione vbi conueniat, à Chirone didiciſſe, quod antidotũ ſit aduerſus voluptates impuras, qua animi temperãtia, ira placãda ſit; qua arte ſuperanda auaritia, proſternenda libido, ambitio ex animo eijcienda, cùm illa ſit omniũ monD ſtrorũ turpiſſima, vitiorumq; maxima. His itaq; præceptis inſtructus Iaſon dictus eſt formidoloſa, & mirabilia monſtra prudẽter, Dijs adiuuantibus, aut certè Deorũ miniſtris conſulentib., incolumis præterijſſe, & in Colchidẽ profectus, tauros igniuomos, & ęripedes domuiſſe, quę nihil aliud, quã animi pertinacia, & ira putãda ſunt. Qui.n. nõ ratione, animiq; cõſtãtia ducitur, is aut leuis eſt ingenij, aut pro conſtantia pertinaciã ſequitur, & inanẽ arrogantiã. Hos animorum affictus rationi, medicinæq; animi ſubijcere quid aliud eſt, quã tauros illos igniuomos vincere, & in natos homines cũ armis è draconis dentib. furorẽ à ſe depellere? aut quid aliud eſt, ſpacioſum draconẽ Medeæ auxilio conſopire, quàm inuidiã ſapienter conſilio mentis frenare? Eſt.n. ipſa Medea μῆδος, ideſt, conſiliũ. *Medea vnde dicta.* Hic eius ope aureũ vellus in patriã reportauit, Dijſque dicauit, vel vt alijs placuit, Peliæ obtulit: Cùm maximè fugienda ſit auaritia, & iuſtitia complectenda: maximè verò omnium colenda eſt Deorum immortalium religio, quod principium eſt virtutum, & omnis felicitatis: Poſtea colendi ſunt reges, & nationum principes, quibus non ſine Dei voluntate conceſſa eſt in homines poteſtas, ſi modò ſint viri boni, & iuſti. Atque vt ſummatim dicam, nauigationem Iaſonis nulla alia de cauſa celebrarunt antiqui, niſi quia ſignificare voluerunt uitam vndiq; multis difficultatibus vexari, neceſſeque eſſe

viro bono medicinam cõſilij animo adhibere, vt intrepidos ad omnes motus, & ad omnes fortunæ viciſſitudines perſiſtat. De ariete aurei etiam velleris Atrei regis ſic traditum à veteribus reperio. E

Atrei & Thieſtis fabula.

Pelops Tantali Phrygiæ regis, & Taygetæ filius ex Hippodamia Atreum & Thyeſtem ſuſtulit, Pelopponneſi prius, deinde Mycenarum reges. Ijs alternis vicibus regnum adminiſtrantibus, Thyeſtes cùm ſciret regni curam penes eum fatali diſpoſitione manſuram, qui arietem aurei velleris haberet, (quem Atreus regiam ingreſſus plurimum cuſtodiebat) corrũpens Europam, ſeu potius Aeropem Atrei vxorem imperiũ ad ſe transferre poſſe iudicauit, vnde ſtuprata fratris coniuge, & abducto ariete ab Atreo regno pulſus eſt. Alij dicunt ſponte abiuiſſe in exilium, quod pęnas fratri dare metueret: Atreum verò quod ſic euaſiſſe doloret Thyeſten, quod vi nequibat, dolo conatum; nam paulò pòſt ſimulata reconciliationis gratia per nepotes ſuos eum ab exilio reuocauiſſe, oblata regni parte, conuiuantique liberos non ſolùm appoſuiſſe epulandos, ſed etiam ſanguinem eorum vino permixtum propinauiſſe, ſicque filiorum ſuorum factum eſſe ſepulchrum; denique capita & manus epulanti obtuliſſe, & quid comediſſet, bibiſſetq; enarraſſe. Cuius impij facinoris cum Thyeſtes à Dijs vltionem exquireret, reſpõdiſſe ferunt Apollinem poſſe eum alio ſcelere eius ſceleris vindicem nanciſci, ſi cum Pelopeia filia concumberet, quod cùm feciſſet, natum aiunt eſſe Aegyſthum, qui Atreum occidit, & Agamemnonem eius filium ex bello Troiano redeuntem interemit. Alij verò aiunt conueniſſe inter vtrumq; fratrem, vt ille imperium acciperet, qui aliquod portentum ciuibus oſtendiſſet, & cùm inter pecora Atrei natus eſſet aureus agnus, (quem Simonides purpureum fuiſſe dicit, vt ait Tzetza) Atreum cùm eum oſtenſurus eſſet vrbis iudicibus, vouiſſetq; ſe, quod optimum eſſet in ſuo pecore, Dianæ immolaturum, eo viſo, in capſulis abſcondiſſe, quaſi verè eſſet portentum. Varinus verò ait, neglecto voto cùm in arcam aureum illum agnum incluſiſſet, eaque de re gloriatur publicè, vulgo dici fratrem eius Thyeſten id inuidiſſe, & ſimulato in Aeropen Atrei vxorem amore, agnum aureum ab ea accepiſſe, & poſtea contradixiſſe Atreo, vt qui immeritò de agno aureo gloriaretur: oportere autem inquiebat coram populo qui agnum aureum poſſideret, regnum etiam obtinere. Quod cùm Atreus quoque concederet, Iupiter Mercurium ad ipſum mittit, συνθέραι λέγων περὶ τῆς βασιλείας, καὶ δηλῦν τὰ περὶ τῆς ἀνατολῆς, διότι μέλλει ἀνατολὰς ἐποιεῖσθαι τὴν ἐναντίαν ὁδὸν ὁ ἥλιος. συνθεμένυ δὲ περὶ τύτων ὁ ἥλιος τὴν δύσιν εἰς ἀνατολὰς παρήλασε, G τὸ. ὅθεν ἐκμαρτυρήσαντος τῦ δαιμονίυ τὴν θυέςυ πλεονεξίαν, τὴν βασιλείαν Ἀτρεὺς παρέλαβε, καὶ τὸν θυέςην ἐφυγάδευσεν. Poſui autem poſteriora græcè, quoniam locus non omninò integer videtur, & aliter ab alijs hæc hiſtoria narratur. Idem Varinus in χρύσειον δέρας, fertur, inquit, arietis pellem Mercurij contactu redditam eſſe auream, (quod & Apollonius ſcribit) & χρυσόμαλλον ἀρνίον ex ſexto Athenæi ait, agnum aurei velleris Atrei ἀργυρίδα fuiſſe, ideſt phialam argenteam in cuius fundo agni effigies inaurata fuerit: Raram autem, & exquiſitam poſſeſſionem olim non auri tantùm, ſed etiam argenti fuiſſe. Athenæus autem huius ſententiæ authorem citat Herodorum Heracleotam. Apud Ciceronem cuiuſdam poetæ hi verſus leguntur, quibus Atreus ſic loquens inducitur:

Addo huc quod mihi portento cæleſtum pater
Prodigium miſit, regni ſtabilimen mei:
Agnum inter pecudes aurea clarum coma,
Quondam Thyſtem clepere auſum eſſe è regia
Qua in re adiutricem coniugem cepit ſibi

Pan Lunam amans.

Pan Mercurij filius, vt inquit Probus, cùm lunam concupiſſet, & haberet optimum pecus, poſcente ea partem pro concubitu, dicitur pollicitus, & duas partes feciſſe grégum, quarum alteram candidiorem, ſed lanæ craſſioris, lunam deceptam candidiore deterius pecus abduxiſſe, vt poeta ſignificat, cuius hæc ſunt verba:

Munere ſic niueo lanæ (ſi credere dignum eſt)
Pan Deus Arcadię captam te Luna fefellit
In nemora alta vocans, nec tu aſpernata vocantem.

Lib. 5. Saturn.

Macrobius ſcribit hanc fabulam ſumptam eſſe ex Nicandro, cuius τὰ γεωργικὰ deſiderantur, è quibus tamen multa tranſtuliſſe Virgilium teſtatur etiam Quintilianus. Seruius verò etiam immutatam à poeta eſſe fabulam; non enim à Pane, ſed Endymione adamatam fuiſſe Lunam, & cùm ab ea ſperneretur, pauiſſe pecora candidiſſima, ſicque eam in ſuas allexiſſe amplexus.

Criſamis Cous.

Criſamis, vt habet Heſychius, ſeu Criſſamis, vt Suidas, Cous quidam fuit plurima poſſidens pecora, & cùm anguilla quædam quotannis ſuperueniens præſtantiſſimam ouem ei eriperet, obſeruatam tandem occidit; & cùm illa in ſomnio apparens Criſamidem, vt ab eo ſepeliretur, moneret, re neglecta cum tota familia perijt.

METAMORPHOSES.

CVM Gigantes Dijs bellum inferrent, aiunt Deos territos, alios alias animaliũ formas induisse, atque vsque in Aegyptum fugere fuisse coactos, vt meminit Ouidius his versibus: *Iuppiter in arietem. 5. Metamorph.*

Tunc sine sorte prior, quæ se certare professa est
Bella canit superum, falsoque in honore Gigantes
Ponit, & extenuat magnorum facta Deorum:
Emissumque ima de sede Typhoea terræ
Cælitibus fecisse metum, cunctosque dedisse
Terga fugæ, donec fessos Aegyptia tellus
B *Ceperit, & septem discretus in Ostia Nilus.*
Huc quoque terrigenam venisse Typhoea narrat,
Et se mentitis superos cælasse figuris:
Duxque gregis dixit fit Iupiter; vnde recuruis
Nunc quoque formatus Libys est cum cornibus Ammon &c.

De Ioue Ammone, qui in Libya sub arietis figura colitur, diximus, sed fortè fabula hinc etiam orta fuerit, quod Iupiter Ammon, vt scribit Herodotus cùm nollet ab Hercule cerni, tandem exoratus ab eo, id sit commentus, vt amputato arietis capite, pelleque villosa, quam illi detraxerat, induta sese ita Herculi ostenderet, atque inde factum, vt Aegyptij Iouis simulachrum arietina facie confingerent, & ab Aegyptijs Ammonios aiunt accepisse; vnde quibusdam κριοπρόσωπος est dictus. Ab alijs Ammon traditur, quod in bellis vsus sit galea, cuius insigne, caput fuerit arietis, vnde orta sit fabula. Sũt qui velint ipsum cornua in vtroq; tẽpore paruula habuisse, ac propterea Dionysium ipsius Ammonis filium eodem fuisse aspectu. Cognominatus est eadem ratione κερατοφόρος, idest, corniger, vt Phestus poeta græcus inquiens: *Iuppiter Ammon vnde dictus.*

C Ζὰς λιβύης ἄμμων κερατηφόρε κλυθὶ μάντι. idest,
O Libyæ vates exaudi corniger Ammon.

Sed & Statius & Lucanus cornigerum vocarunt. Fuerunt item qui Ammonem arietem Phrixi, & Helles putarunt, vt Pherecydes prodidit. Eustathius in Dionysium de situ orbis consimilia Herodoto scribit. Seruius Grammaticus ideo arietino capite fingi ait, quod eius inuoluta essent responsa. Quin ea nutu & renutu, alijsque signis dabantur, quod & Strabo, & Eustathius prodidere. De verueceo Ioue, qui in draconem mutatus, grauidam fecit Proserpinam, Arnobij, & Eusebij verba recitaui in Tauro. Apud eundem Ouidium Neptunus in arietem mutatus Bisalpida, siue, vt alij scribunt, Bisaltida virginem decepit. Cæterùm Hyginus Theophanen Bisaltidis filiam formosissimam virginem cùm plures proci peterẽt à patre, refert Neptunum sublatam transtulisse in Insulam Crumissam, & cùm proci scissent eam ibi morari, cõparata naue eò contendisse; Neptunum verò vt eos deciperet, Theophanen in ouem commutauisse formosissimam, seipsum in arietem, ciues Crumissenses in pecora, cùmque eò proci venissent neque vllum hominem inuenirent, pecora mactasse, atque ita victu consumere cępisse. Hoc autẽ vt vidit Neptunus, in pecora mutatos consumi, procos in lupos cõuertisse: Ipsum autem, D vt erat aries cùm Theophane concubuisse, exq; hoc congressu natum esse arietem Chrysomallũ, qui Colchos Phrixum vexit. Dicitur deniq; ab Ouidio aries transmutatus in agnum à Medea vt filiabus Peliæ faciliùs persuaderet, pro senectute iuuentutem illi se restituram: *6. Metam. Neptunus in arietem. Aries in agnum.*

Quo sit fiducia maior
Muneris huius, ait, qui vestras maximus æuo est
Dux gregis inter oues, agnus medicamine fiet.
Protinus innumeris effætus laniger annis
Attrahitur flexo circum caua tempora cornu,
Cuius vt Aemonio marcentia guttura cultro
Fodit & exiguo maculauit sanguine ferrum,
Membra simul pecudis, validosque venefica succos
Mergit in ære cauo, minuunt ea corporis artus,
Cornuaque exurunt, nec non cum cornibus annos,
Et tener auditur medio balatus aheno.
Nec mora balatum mirantibus exsilit agnus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Laſciuitque fuga, lactentiaque vbera quærit.

Mahumetes quando in arietem vertetur.

Lubet modò hiſce futilibus tranſmutationibus longè futiliorem à Mahumete traditam pro epilogo adijcere: aiunt autem Turcici Concionatores in extremo iudicio Mahumeten in arietem tranſmutandum iri, & quod longè eſt abſurdius, & ridiculoſius Turcas omnes in pulices, quos ab inferis in paradiſum tranſportans iſtic, inquiunt excutiet, vt pulices cadentes aliorum Turcarum denuò recipiant formam.

PROVERBIA.

Ouis cultrũ.

Oἶς τὴν μάχαιραν, vel, vt alij, ἄιξ μάχαιραν, ideſt, Ouis, vel capra cultrum, ſubaudiendum reperit (ſed in omnibus Græcorum lexicis legitur ἄιξ ἑαυτῇ τὴν μάχαιραν,) Aptè dicitur prouerbium in eos, qui ipſi reperiunt, quo pereant. Ortum eſſe aiunt adagium ab huiuſmodi quodam euentu: olim cùm Corinthij Iunoni Acrææ, cuius ædem à Medea ſtructam aiunt, rem diuinam facere pararent, atque hi, qui ad præbendam hoſtiam erant conducti, defoſſo ſub terra cultro, obliſos ſeſe aſſimularent, pecus, ſiue capra, ſiue ouis exſcalpens eum eruit, prodiditque, atque ita mactata eſt.

Ouium mores.

Προβάτων ἦθος, ideſt, ouium mores, in ſtupidos, ac ſtolidos iaci ſolitum: Vtitur hoc prouerbio Ariſtophanes in Pluto: ἀλλὰ προβατίου βίον λέγεις, ideſt, *ouiculę mihi vitam prædicas*, & in Veſpis taxans vecordiam populi Athenienſis, oues illos vocat: ἐκκλησίαζειν πρόβατα συγκαθήμενα, ideſt, *in concione pecus ouillum conſidet:* deſumptum eſt adagium a ſimplici, ſtolido, & inerti ouis ingenio, de quo ſuo loco dictum eſt.

Aries cornibus laſciuiens.

Author adagiorum hoc itidem adagium κριὸς ἀσελγόκερως, ideſt, *aries cornibus laſciuiens*, conuenire ait in ſtolidos, qui præter meritum ad dignitatem euecti ſunt; quamuis Diogenianus oſtendat cõuenire in magnos, ac laſciuos, pruriunt enim cornua arietibus bene paſtis, quod idem accidit bubus. Originem prouerbij indicauit Heſychius, in arce Palladis arietem fuiſſe, inquiens, ingentem æreum repoſitum, quem Plato Comicus dixerit ἀσελγόκερων.

Agni qui.

Dicuntur itidem apud eundem Ariſtophanem in Pace, mites, ſimplices, ſtolidi, molles, ἀμνοὶ τοὺς τρόπους, ideſt, ingenio, & moribus agni. Accipi tamen etiam poteſt hoc vltimum adagium in bonam partem; nam & in ſacro Euangelio; *Ecce agnus Dei*, metaphora prouerbialis eſt, vt ait Polydorus Vergilius, de longè innocentiſſimo homine, qui ſuo ſimplici, inquit, animo non abſimilis agno animali, pro natura, & ætate minimè aſtuto; ita Chriſtus à Ioanne Baptiſta vocitatur agnus Dei, quòd homo ſine peccato pro peccatis noſtris immolandus eſſet, ſicut agnus paſchalis.

Ioann. c. 1.

3. Argon.

Agna ſe leoni.

Hoc verò Valerij Flacci:

Aſpera nunc pauidos contra ruit agna leones.

rectè dicetur, cùm imbecillus ſeſe opponit robuſto, aut indoctus docto &c.

Tanquam ouis meridias.

Apud Platonem in Phædro Socrates de ſupino ocio, animique veterno prouerbialiter extulit; Ὥσπερ πρόβατον αὐτοῦ μεσημβριάζον, hoc eſt, *tanquam ouis meridians*. Verba eius ita habent: Κηλουμένους ὑφ' αὑτῶν ἐλθόντα ὁρῶσι δι' ἀργίαν τῆς διανοίας δικαίως ἂν καταγελῷεν, ἡγούμενοι ἀνδράποδα ἄττα σφισὶν ἐλθόντα εἰς καταγώγιον ὥσπερ προβάτια μεσημβριάζοντα περὶ τὴν κρήνην εὕδειν, ideſt, *Si viderint nos animi veterno torpentes, meritò derideant, arbitrati mancipia quæpiam in ſuum delata gurguſtium tanquam oues meridiantes ad fonticulum indormire.* Solent oues circa medium diem accedente ſole ad fontium aquas deſides iacere, aut in vmbra, vt ſuo dictum fuit loco.

Canibus agnos obycere.

Προβάλλειν τοῖς κύσιν ἄρνας, ideſt, *canibus agnos obycere*. Dicebatur, qui imbellem, & litium imperitum calumniatoribus, & exercitatis exponeret, quod id animal omnium maximè ſit imbelle. Refertur, vt ait author adagiorum, à Diogeniano, & vt ipſe conijcit, hemiſtichium eſt heroicum ex oraculo quopiam decerptum. Meminit eiuſdem etiam Suidas in προβάλλοντες.

Agninis lactibus alligare canem.

Agninis verò lactibus alligare canem, rectè dicetur, cui dum credit homini malæ fidei, & rem perdit, & fruſtra obligatum habet eum, cui non eſt ſoluendo, nam, qui canem alligat inteſtinis agninis, is non modò canem amittit, verùm & prædam vltrò dederit fugitiuo. Deſumptum eſt ex Plauti pſeudolo, vbi Ballioni lenoni verba affingit hæc: *Quia pol qua opera credam tibi, vna opera alligem fugitiuum canem agninis lactibus.* Sunt autem lactes inteſtina moliora.

Aries nutricationis mercedem perſoluit.

Κριὸς τροφεῖα ἀπέτισεν, ideſt, *aries nutricationis mercedem perſoluit*. Citatur ex Menandro. Quadrat, vbi quis pro benefactis maleficium reponit. Allegoria ſumpta eſt à bellicoſo quod aries cornibus impetat, aut vas, in quo pabulum apponitur, ipſosq; quorum opera nutritus eſt, aut etiam nutritur, cornibus inceſſit.

Arietis miniſterium.

Effertur & ad hunc modum prouerbium. κριοῦ διακονία, ideſt, *arietis miniſterium*, pro officio collato in ingratum, qui beneficium iniuria penſet.

Sed

A Sed vt alibi etiam ait author adagiorum *κριῦ διακονία*, Suidas, & Zenodotus sic referunt, quasi dici solitum de officio in ingratos collato, siquidem aries cornibus ferit pascentem. Hesychius verò ita idem prouerbium refert, quasi congruat in eos, qui spe cuiusvis præmioli inseruiunt indignis. Cùm pueros inuitamus ad ministerium, pollicemur aliquid, puto talos, aut nuces. Itidem in apologo quopiam, opinor, dixit aries, iunge (*κατέλειψε* forte *καταλεῖψον* legendum, nam addita stellula in editione Aldina, Hesychij locum deprauatum indicat) dabo tibi talos. Hæc adagiorum author. *Ὥς λύκος ἄρνα φιλεῖ, vt lupus ouem amat*. In eum qui sui commodi gratia simulat amorem. Nam is vulgò dicitur amor, cùm reuera sit odium. Iuuenis enim cùm puellam venatur, vt illi pudicitiam eripiat, vt pro honesta fama turpi rumore traducat, vt parentibus, amicis, & bonis omnibus inuisam reddat, denique vt quod est omnium carissimum, bonam mentem eripiat, quæso quid deterius hostis faciat hosti? Socrates citat carmen in Phædro veluti populari vsu iactatum:

Vt lupus ouem amat.

Ὥς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ' ὡς Παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί. idest,

Vt lupi oues, ita amat puerum vesanus amator.

B Cùm verò *ἀδύνατον* aliquid, seu præposterum significamus, prouerbialiter cum Virgilio in Pharmaceutria dicemus:

Lupus oues fugiens.

Nunc & oues vltrò fugiat lupus.

vel etiam: *prius lupus ouem ducat vxorem*. Vbi verò quid cuiquam crediderimus, qui id in proprium conuertit vsum, *ouem lupo commissam* esse dicere solemus. Vide supra vbi de antipathia. Quibus adde illud Ouidij:

Dixerit è multis aliquis quid virus in angues
Abijcis, & rapidis tradis ouile lupis.

Vbi verò quis frustra conatur, prædam recipere, cui semel manus iniecit rapax aliquis, *lupo agnum eripere*, postulare eum dicimus: Sic enim leno quispiam in Pænulo Plautina.

Lupo agnum eripere postulant, nugas agunt.

Improbum enim videtur sperare futurum, vt lupus agnum semel abreptum dimittat. Vbique præterea locorum in homines impudenter furaces, hodieque extat vulgò iactatum adagium: *Lupus etiam oues numeratas deuorat*: Estque fortè etiam antiquum adagium: huc enim

Lupo agnũ eripere.

Lupus oues etiam numeratas deuorat.

C spectare videtur prouerbiale istud Virgilianum in Bucolicis:

Hic tantùm Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Cap. 11.

Lupus cum agno habitat.

Esaias propheta de pace & concordia Christiani populi futura dicebat: *Habitat lupus cum agno*. Sed hæc eadem hyperbole non sine adagij nomine citanda, vti licebit, inquit Polydorus Vergilius, si quando innuerimus quosdam malè copulatos, vt alter innocentissimus, alter improbissimus sit. *Ἄρνα προβάλλει*, idest, *agnum emittit*, vel *obijcit*. Dicitur in rixæ, pugnæque cupidum. Adagiorum author significanter *ἄρνα* reddidit arietem, quia adagium inde ortum est, quòd bellum suscepturi, fecialem mittebant qui arietem adductum in hostium fines emitteret: Hoc videlicet pacto significans ciuitatem & agros illorum hostibus compascuos fore, vt antea etiam dictum est. Suidas tamen scribit legem fuisse Athenis, ne prius iniretur prælium, *πρὶν ἢ τὴν ἄρνα προϊεμένων τις λάβῃ τῶν πολεμίων*. Idem scribit & Varinus in *ἄρνα*. *Προβάτων* (si addas *γὰρ* erit senarius) *οὐδὲν ὄφελος ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῇ, ouium nulla vtilitas, si pastor absit*. Admonet adagium *ἀναρχίαν* rem esse omnium perniciosissimam. Nihil faciunt

Agnum emittit.

Ouium nulla vtilitas, si pastor absit.

D rectè ministri, nisi adsit herus. Inutiles discipuli, quoties abest præceptor. Inutilis populus, nisi principis authoritate gubernetur. Sumptum est adagium ab animantis stultitia, cùm sit sibi ipsi inutile, nisi pastoris cura succurrat. Contrà illud Homeri. *αὐτὰρ μῆλα κακοὶ φθείρουσι νομῆες*, idest, *at corrumpit oues pastor malus*. Dicetur rectè, ac congruè, quoties indiligens pædagogus corrumpit puerum, vel malus præceptor vitiat discipulum, vel etiam rex improbus suum populum. *Ἀρνίον σοι λελάληκεν, agnus tibi locutus est*. Videtur in eos conuenire, qui ea resciscunt, quæ ab eis resciscí posse nemo sperasset, aut qui futura præsegiunt. In Aegypto enim (Apostolius non rectè habet Aegina) aiunt agnum humana voce vsum, in cuius capite visus fuerit regalis serpens (*Βασίλειος Δράκων*) allatus cubitorum quatuor, & ab hoc agno res futuras cuidam reuelatas. Historiam scribit Suidas in *ἀρνίον*, sed vsum prouerbij non explicat: *Caluo cum ariete non arietandum*: Simile adagium videtur illi, *non irritandi sunt crabrones*. Vtitur eo Gregorius Theologus in epistola quadam ad Eustochium Sophistam, quem lacessiuerat. *Καὶ οὐδὲ ὑπὸ τῆς παροιμίας τῆς ἰδιωτικῆς ἐπαιδεύθην φαλακρὸς ὢν κατὰ κριοῦ μὴ νυστάζειν ἀντιπρόσωπος, μηδὲ τὴν σφηκίαν κατ' ἐμαυτοῦ, γλῶσσαν πρὸς τὸ κακῶς λέγειν ἑτοιμοτέραν*, idest. Ac non saltem à prouerbio plebeio didicerim, cùm sim caluus non

Odyss. ρ.

Pastor malus oues corrumpit.

Agnus tibi locutus est.

Caluo cum ariete non arietandũ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

obuerſa fronte obnuere arieti, neque veſparum nidum in me prouocare, nimirum linguam ad E A
maledicendum, quàm ad benè dicendum promptiorem. *Boni paſtoris eſt tondere pecus, non*
deglubere. Tractum à ruſticis, qui deglubere vocant ſiliquam, aut folliculum excutere, & gra-
num ſua mundare tunica: Similiter deglubere, eſt pellem detrahere, vt author eſt Feſtus, vnde
& Catullus in obſcænum ſenſum detorſit, vt dicat virum à muliere deglubi, & Apuleiana Fo-
tis ait ſe viuos homines ſolere deglubere. Tondent igitur, qui ita ſpoliant, vt ſortem relinquãt,
vnde res poſſit creſcere: deglubunt, qui nihil reliqui faciunt. Nam lana detonſa renaſcitur, cute
detracta nihil eſt, quod deinde poſſis auferre. Adagium Tiberius Cæſar authore Suetonio,
aut reperit, aut certè vſurpauit: nam is admonitus ab amicis, vt prouincialibus augeret vecti-
galia, reſcripſit, Boni eſſe paſtoris tondere pecus, non deglubere: Per hanc prouerbialem ſen-
tentiam ſignificare volens prouinciales à præfectis non eſſe vſque ad viuum ſpoliandas, quo
factum eſt, vt hoc lepidum Tiberij dictum prouerbij loco in malos magiſtratus promulgatum
ſit. Simile eſt illud Salomonis: *Qui nimis emungit, elicit ſanguinem*, hodieque vulgò celebra- B
tum durat, vt inquit author adagiorum in eodem ſenſu & illud: *Quid? num & pellem vis?* qua-
ſi conueniat lana contentum eſſe. Alexander Macedonum rex cognomento Magnus candem
ſententiam diuerſa extulit metaphora: Cùm enim quidam admoneret, longè plus vectigal ũ
à ciuitatibus auferri poſſe, reſpondit ad hunc modum καὶ κήπωρον μισῶ τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα
τὰ λάχανα, ideſt, *& olitorem odi qui herbas radicibus exſcindat* Verùm longe aliter, quam vel
Tiberius, vel Alexander, factitabat Flauius Veſpaſianus, qui procuratorem rapaciſſimum
quemque ad ampliora munera ex induſtria promouebat, quo locupletiores mox condemna-
ret, quibus videlicet vulgo pro ſpongia dicebatur vti, quod quaſi & ſiccos perfunderet, & ma-
didos exprimeret, vt author eſt idem Suetonius. *Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus*
Iſrael. Sunt qui prouinciam aliquam obtinentes, frequenter in ore vt vetus iam adagium ha-
beant, inquit Polydorus Vergilius, illud Chriſti reſpõſum apud Matthæum mulieri Cananææ
datum, *non ſum miſſus, niſi ad oues perditas domus Iſrael*, cùm velint indicare ſibi limitatum
eſſe officium, ac ſuum non eſſe negotium extra prouinciam quicquam curare. Ita Seruator do-
cuit veniſſe ſe in mundum, vt Iudæos in primis de noua religione euangelica erudiret, & dein- C
de alios, id quod fecit, quando ad Samaritanos ſe contulit, quando diſcipulos iuſſit ire in mun- G
dum vniuerſum, & prædicare euangelium omni creaturæ. Monemur autem eo manifeſtè pri-
mùm debere nos patriæ, ac parentibus, deinde amicis, ac poſtremò cunctis. Deducta eſt meta-
phora à paſtore, qui amiſſas oues anxiè quęritat, & inuentas ad gregem, vt in tutum, confeſtim
deducit. *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ*; Cùm quiſpiam voluerit non inſcienter in-
nuere, ſe intus, & in cute ſuorum mores noſcere, item ſuos ab illis non ignorari, appoſitè hac
euangelica parabola, quæ apud Ioannem extat, vtetur. *Attendite à falſis prophetis, qui veniũt*
ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, vt legitur apud Matthęum; aut
ſuccinctius: *In veſtimentis ouium ſunt lupi rapaces*: Commodè dicetur de ijs, qui aliud veſti-
tu, & verbo promittunt, aliud repræſentant. Effertur vel aliter: *In pelle ouina latet lupus.* Por-
rò eiuſmodi fraudulenti homines ita ſolent ouinæ ſimplicitatis perſonam induere, vt cùm pro
bonis habeantur, credentes facilius decipiant. Sed in hęreticos, quos Theologi noſtri vocant,
ſpeciatim torquetur, qui idcirco abſtinent, vt ſe incautè ſequentibus, venenum ſeuum ſenſim
aſpergant. *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis:* Apud Zachariam prophetam ora- D
culum fuit de futura diſcipulorum Ieſu fuga; verùm poſtea eſt in adagium verſum, quo nota- H
tur in periculis demum apparere, qui ſint veri amici: quoniam non aliter caſus vnius, qui caput
ſit domus, vel reipublicæ, reliquos deterret, quàm cùm percutitur paſtor, omnis grex pauore
affectus diſſipari ſolet. Prouerbiali etiam figura dicitur quiſpiam *oues ſegregare ab hædis*, qui
domum, ciuitatem, prouinciam, vacuum ſceleratis hominibus facit, purgatque. Ad illud allu-
ditur, quod ouis ſit animal ſimplex, & vtile; hædus verò petulcum, ac libidinoſum, quod apud
Iudæos ob id pro peccato ſemper offerebatur, vnde & huic rectè peccator, illi innocens compa-
ratur. Metaphora ſumpta à paſtore, qua Chriſtus vtitur apud Matthæum: *Cùm venerit filius*
hominis congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos, alteros ab alteris, ſicut paſtor ſe-
gregat oues ab hædis.

Boni paſtoris tondere pecus, non deglubere.

Veſpaſiani pulchrũ factum.

Non ſum miſſus niſi ad oues perditas.
Cap. 15.

Cognoſco oues meas & me meæ.
Cap. 10.

Lupi rapaces in veſtimentis ouium.
Cap. 7.

Cap. 13.
Percutiam paſtorem & diſpergentur oues gregis.

Oues ſegregare ab hędis.
Cap. 25.

DE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

DE CAPRA, ET HIRCO. CAP. IX.

ORDINIS RATIO.

RECTA ratione oues sequentur capræ, non tam quòd ferè simul pascuntur, sed quia etiam easdem quodammodo nobis vtilitates suppeditant, lac scilicet, & lanam (ita nunc vocare liceat) vt testatur Varro his verbis: *Vtilitas ex pecore duplex, vna est tonsura, quod oues, & capras detondent, aut vellunt: Altera, quæ* B *latiùs patet, est de lacte, & caseo, quam scriptores græci separatim tyropœiam appellauerunt, ac scripserunt ea de re permulta.* Similiter Virgilius canit: *Ordinis ratio.* *Vtilitas ex pecore quotuplex.* *Lib. 3. Georgic.*

Hæ quoque non cura nobis leuiore tuendæ,
Nec minor vsus erit, quamuis Milesia magno
Vellera mutentur, tyrios incocta rubores,
Densior hinc soboles; hinc largi copia lactis.
Quo magis exhausto spumauerit vbere mulctra
Læta magis pressis manabunt vbera (flumina, vt habet Aldus) *mammis*
Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cinyphij tondent hirci, setasque comantes
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Sed de his tegumentis postea suo loco, vbi ostendemus alia etiam vestium genera hinc haberi. Aliàs item idem poeta post boum, & equorum curam, inquit: *Ibid.*

C

Superat pars altera curæ
Lanigeros agitare greges, hirtasque capellas
Hinc labor, hinc laudes, fortes sperate coloni.

Quamuis autem pinguissimum lac sit bubulum, ideoq; & butyro, & caseo fertilius; Caprinus tamen caseus Velabrensis dictus, quòd fumo apud Romanos in Velabro condiretur, præ cæteris celebrabatur, vt notum est ex hoc Martialis: *Caprinus caseus vbi optimus.*

Non quemcunque focum, nec fumum caseus omnem,
Sed Velabrensem, qui bibit, ipse sapit.

Legimus & apud Plinium: *Et caprarum gregibus sua laus est, Agrigenti maximè eam augente gratiam fumo, qualis in ipsa vrbe conficitur, cunctis præferendus. Nam Galliarum sapor, medicamenti vim obtinet.* Dat itidem capra hœdos, qui & bonitate, & salubritate carnis nulli penè cedit quadrupedi, hacque in parte, vt oui præferenda, ita è contrario agris multo est nocentior, quandoquidem vrit omnia, quæ morsu contingit, vnde lege locationis fundi excipi solet, ne colonus capra natum in fundo pasceret, ideoque astrologi ita capras receperunt in cælum, vt extra limbum duodecim signorum, ceu noxium dentibus animal, excluserint.

D

ÆQVIVOCA, SYNONYMA, Etymologia.

CAPRAM dictam volunt, quasi carpam, vnde scriptum sit. Omnicarpæ capræ. Equidem Nonius capras à carpendis virgultis dictas esse scribit, sicuti & Varro, & alicubi etiam Cicero. Cæterùm Festus capras ait à principio appellatas esse crepas, quòd cruribus crepent. Vtramque etymologiam suis lucubrationibus inseruit Isidorus inquiens, vel quòd carpant aspera, vel à crepitu crurium, vnde eas crepas appellatas, quę sunt agrestes capræ. Cùm verò & domesticæ sint, & syluestres, vtrasque caprigenum genus vocare licebit, tum ex Plauto dicente: *Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus:* & ex alijs, Pacuuio: *Quamuis caprigeno pecori grandior gressio est;* Cornificio apud Macrobium: *Capra vnde dicta.* *In Epidico.*

Caprigenumque pecus nullo custode, per herbas.

Theo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Theodorus Gaza tamen caprarium genus dicere maluit. Contingit hic etiam, quod in boue,
Aetas distin cta. & oue, vt & pro sexu, atque ætate nomen variet: Teste enim Polluce, Homerus ouium, capra-
rumque ætas discernens προγόνȣς, μεσάτας, & ἕρσας nominauit. Sed hac de re suo quoquo
loco. Capra communiter græcis αἴξ, quæ vox apud eruditos omnes cum accentu acuto scribi
reperitur, idque approbat Etymologus, solus Varinus multis in locis circumflectit. Apud poe-
tas inuenitur etiam dici de maribus. Varinus: Καὶ ἔστιν αὐτοῖς ὄνομα κοινὸν τὸ ἆιξ, ὡς ἔλαφος, ἄν-
θρωπος, ἵππος. Reperio similiter apud Herodotum in Euterpe: σέβονται, inquit, δὲ πάντας
τὰς αἶγας οἱ Μενδήσιοι. Sic & apud Aristotelem duobus in locis: ἆιγες αἰγὶ φυσῶντι τὸ πῦρ. Eusta-
3. de histor. anim. & de gener. 4. thius autem vult attico more in masculino genere vsurpari. Notandum interea ᾶἶγες dici tam
ἐρίφȣς, idest, recens natas capras, quàm χιμάρȣς, quæ sunt anniculæ, vel mediæ ætatis, & adul-
tas τράγȣς, licet τράγοι mares duntaxat appellentur: Super qua re consulendus est Scholiastes
αἴξ vox vnde ducta, & æquiuocacius significatio. Theocriti. Fieri autem ἄιξ à verbo ἀίσσω, vt sit primum ἄϊξ, deinde per Synæresin ἀιξ. ἀίσσειν
interpretantur ruere, ingruere, cum impetu ferri; itē erumpere, prosilire, Eustathius vult apud
Homerum esse festinare, & ῥωδίως ἀπιέναι; vtitur tamen & in alijs significationibus, vt ait Hé-
ricus Stephanus. Cicero in hoc Homeri loco τοὶ δὲ σκίαι ἀίσσȣσι interpretatur vagari, quod ma-
ximè placet, cùm per montes vagari caprarum naturæ præcipuè conueniat; sicuti cum impetu
feruntur, quæ syluestres sunt. Habet præterea ἄιξ alia significata, estque in primis Aristoteli,
Lib. 8. hist. cap. 3. auis quædam in aquis versans eas tamen non intrās, quam Theodorus Gaza capellam vocat,
ita dicta à voce, quam similem caprinæ edit, de qua consule nostræ ornithologiæ tomum ter-
tium. Est & ἄιξ fluuius quidam iuxta Sestum, apud Herodotum libro 9. iuxta finem: ὑπὲρ
αἰγὸς ποταμȣ̃. Appellantur etiam doricè ἄιγες magni fluctus, vt tradunt Suidas, & Varinus,
atque hinc fortè Aegæum pelagus dictum est, de quo mox suo loco. Sed & ἄιξ, seu capra oppi-
dum in Marsis in acutis petris positum, vt scribit Niger in commento Geographiæ. Est & si-
gnum cæleste ἄιξ, siue capra dictum, Latini etiam hœdum vocant (differunt tamen) tempesta-
tem significans: vt indicat Horatius inquiens:

Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sæui Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis hædi.

Et rursus: *ille nothis actus ad Oricum*
Ode 7. *Post insana capræ sydera, frigidas*
Noctes non sine multis
Insomnis lachrymis agit.

1. Georgic. Idem tradit Vergilius:

Præterea tam sunt Arcturi sydera nobis,
Hœdorumque dies seruandi, & lucidus anguis
Quàm quibus in patriam, ventosa per æquora vectis
Pontus, & Ostriferi fauces tentantur Abydi.

Lib. 9. Aen. Et rursus: *tum scuta, cauæque*
Dant sonitum afflictu galeæ: pugna aspera surgit,
Quantus ab Occasu veniens pluuialibus hœdis
Verberat imber humum, &c.

1. de art. amand. Et Ouidius:

Differ opus, tunc tristis hyems, tunc pleiades instant,
Tunc & in æquorea mergitur hœdus aqua.

Lib. 1. de trist. Eleg. 11. Quare & nimbosos hœdos vocat:

Sæpe ego nimbosis dubius iactabar ab hœdis.

Dicuntur hœdi isti à poetis Oleneum pecus, & capram oleneam vocat idem poeta.

Nascitur Oleneæ signum pluuiale capellæ.

Et Strabo scribit ἄιγας duas fuisse, vnam in Eubœa, alteram in Achaia, quo in loco Iupiter à
capra lacte nutritus dicitur, & prope etiam Olenen, vnde Oleneam capellam dixere poetæ, vel
Lib. 5. ab Oleno Vulcani filio, cuius meminit Hyginus. Sic & Manilius canit:

Capra & hœdi cælestia signa quando, & vbi oriantur.

surgentibus astris
Vltima lanigeri cùm pars excluditur orbi,
Quæ totum ostendit terris, atque eruit vndis
Ex gelido stellata polo, quà dextera pars est,
Oleneæ seruans prægressos tollitur hœdos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Officio magni mater Iouis, illa tonanti
Fundamenta dedit, pecusque impleuit hiantis
Lacte suo, dedit & dignas ad fulmina vires.

De hac fabula, postmodum pluribus agemus. Seruius ait aurigę signum esse non longè à Se-
ptentrione, qui in manu sinistra ferat hędos, in humeris caprã, Iouis altricem; oriri autem cum
scorpio mense Octobri, quod & Varro tradit, inquiens: Sunt duo hędi, & capra, non longè à
tauro. Columella ait oriri hędos quinto calendas octobris Fauonio flante, nonnunquam Au-
stro cum pluuia. Idem etiam alibi scribit, oriri eosdem pridie nonas octobris vespere; in ortu
autem & occasu tempestatem, pluuiamque facere. De hisce ijsdem stellis Antonius Dulcia-
tus in volumine de festis mobilibus hæc prodidit: In Erichthonij signo capra est, quam ille in
humero portat, quæ & Iouem nutriuit. Item hędi eius filij, quos auriga in brachio portat. Ha-
bet stellã in capite vnam, in singulis humeris singulas: Sed ea est clarior, quæ est in sinistro hu-
mero, & appellatur capra: In singulis genibus singulas, in dextera manu vnam, in sinistra duas,
B & super ipso brachio stellas duas, quæ appellantur hœdi, suntque omnes simul decem. Est præ- *Capra meteorum.*
terea capra calidæ euaporationis genus, quam latini ferè omnes sequuti Albertum inde dictũ
tradunt a similitudine quam habet cum capra syluestri quoad motum, quia capra syluestris
cùm mouetur, primò saltat, & deinde quiescit, moxque iterum saltat, ac in istiusmodi motu
semper versatur: euaporationem autem motus eius figuram ostendere, quia separatis cum con-
stet partibus, quæ debeant in igneam conuerti substantiam, vbi prior accenditur, saltare videa-
tur, mox altera, & sic per successionem: Quorum tamen opinio à nonnullis improbatur. Impro-
batur & Auerois sententia, qui capræ nomenclaturam huic impressioni inditam tradidit, pro-
pter similitudinem quam habet cum capra, non quoad motum, sed quo ad villos & fibras illas
quas videtur persimiles habere lanę seu potius villis caprarũ. Sic enim ab oue potius quam à ca
pra denominari debuerat. Buccaferrius noster priuatim ab arunco, idest pilis illis, qui sub mẽ- *Lib. 1. Meteor.*
to ceu barba propendent, dictam arbitratur, quòd in hac impressione ignitæ quædam fibræ
longæ similiter esse videantur. Capram quoque hodie vocant machinam, teste Gulielmo Phi- *Lib. 10. c. 2.*
landro his verbis à Vitruuio delineatam, agente de ædium sacrarum publicarumque operum *Capra machina.*
C machinationibus tractorijs. Tigna tria ad onerum magnitudinem ratione expediuntur, & à
capite fibula coniuncta & in imo diuaricata erigũtur funibus in capitibus collocatis & ijs item
circa dispositis erecta retinetur. Alligatur in summo trochlea, quam etiam nõnulli rechamum
vocant. In trochleam induntur orbiculi duo per axiculos duos versationes habentes, per cuius
orbiculum summum traijcitur ductarius funis: Deinde demittitur, & traducitur circa orbiculi
imum trochleæ inferioris, & ita descendit ad inferiorem, & in foramine eius caput funis reli-
gatur. Altera pars funis refertur inter imas machinæ partes &c. Videndum nunquid ab hac
machina nomen ducat tormenti illud genus, quo rei suspensi ex trochlea per brachia post ter-
gus reuincta, natibus acuto asseri impinguntur. Sed synonyma prosequamur. Græcis nunc *Capra tormentum.*
vulgò γίδα dicitur. Αἰγίδιον diminutiuum est apud Aelianum in epistolis. Hesychius, & Vari-
nus ἀστίγγας interpretantur αἶγας, ἢ (aliàs ἤγουν) ἀστρίγγας. βαιῶμφαι αἱ αἶγες ἐν ἱερατικοῖς iuxta
expositionem Hesychij. Βήκη eidem chimera est, forsan ὀνοματοπεποιημένως, & κατὰ μίμησιν
τῆς φωνῆς, quam ἐν τῷ μηκᾶσθαι edit. βῆκα quoque παρὰ τὸ βὴ βὴ λέγειν, dicta sunt τὰ πρόβα-
τα, idest, oues, vt ex eodem Hesychio diximus, cui tamen βῆκα est etiam ἀναδενδράς. Ἴυρκες
D eidem sunt capræ feræ, vt & Varino, & ὑστριχίδες, idest, flagella ex setis suillis. Sed & apud
Hesychium Ἴορκες, τῶν δορκάδων ζώων, ἔνιοι δὲ, ἡλικίαν ἐλάφου: secundum eundem κάπρα est
Tyrrhenis αἶξ, idest, capra. Aliàs capra græcis porca est, vt caper, siue κάπρος ὗς ἄγριος, idest,
aper, siue porcus syluester. Apud dictum Hesychium κάρα αἶξ ἢ μερος, πολλυῤῥήνιος ὑπὸ Γορ-
τυνίων, ἄλλοι δὲ ἡ συκῆ. Ἴωνες τὰ πρόβατα, καὶ τὴν κεφαλὴν, idest, capra domestica, apud Gorty- *Capra quid Græcis.*
nios significat pecore diuitem, alijs verò ficus est: Iones oues, eo vocant nomine, & caput. Vox
ista Gesnero facta videtur ab Hebræorum Car, quo hircum appellant, hinc & κάραννος hœdus
nimirũ dicitur, & καρανὼ τὴν αἶγα κρῆτες, idest, Cretenses capram vocant καρανὼ, teste Hesych.
Κεράδας capras & oues fœmellas, quæ cornua, vt plurimùm habent, vocari Eustathius anno-
tat. Κηλάδες Hesychio, & Varino, αἶγες sunt αἱ ἐν τῷ μετώπῳ σημεῖον ἔχουσαι τυλοειδὲς, idest, ca-
præ in fronte signum habentes instar calli. Μήκλας Hesychius vertit αἶγας. Μῆλα verò græcis
antiquis, Homero præsertim omnia pecora significant, nam odyss. 17. procos mactantes facit
μῆλα, qui non oues solùm mactabant, sed omnes genus quadrupedum, sues præpingues, ca-
pras, boues armentarios, & alia. Et alibi apud eundem legimus μῆλ' ὄϊεσι, καὶ αἶγας ἰάυεσκον.
Sed de hac voce plura diximus in oue, quod pro ea frequentiùs accipiatur. Μαίρα propriè ca-
pram significat λευκομέλαιναν, idest, ex albo nigricantem, vt annotauit Cælius, qui & hoc no-
mine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

mine Orionis canem fuisse tradit. Μηκάδες exponunt capras, quoniã μηκᾶν est more caprarum E balare, vt mox suo loco dicetur. Μναὰς capra est, quæ mulgetur. Hesychius enim μναάδας dici tradit τὰς ἀμελγομένας αἶγας; Apud Varinum ὀρυβάδες exponuntur αἱ αἶγες, fortè scribendum ὀροβάδες, nam hoc epitheto celebrantur feræ, per montes quæ vagantur, quamuis Hesychius, prius specialius ὀροβάδων exponit νεβρῶν, idest, hinnulorum. Legitur tamen etiam apud eundẽ ὀρυβάδες, & transfertur αἱ αἶγες, vbi requirente ordine literario, ὀροιβάδες reponi debet, teste Henrico Stephano. Ὕννη apud eundem Hesychium αἴξ, ὑννὰς verò ab eodem exponitur αἴξ ἀγρία, capra agrestis, seu fera. Aliàs ὕννη ipsi est τὸ τοῦ ἀρότρου σιδήριον τὸ τέμνον τὴν γῆν, idest, aratri ferrum, quo terra proscinditur, quod aliàs ὕνις, siue ὕννις appellatur, teste Polluce; Quid verò sit ὕννος copiosè in equi historia est declaratum. Χίμαιρα secundum Etymologum, & Varinum capella est hyeme nata, χειμὼν enim græcis hyems est, vel quæ vnam saltem ætatis hyemẽ habeat. Hesychius χίμαιραν capram feram exponit; Χιμάρους verò hœdos hyeme natos. Alijs χίμαρος simpliciter hircus est, quamuis ætate minor quàm τράγος, quo propriè nomine adultos, & perfectos ætate mares intelligunt. Χίμαροι etiam sunt torrentes, seu riui, qui hyeme, & B imbribus aucti, vel niuibus eo tempore collectis postmodum liquefactis, fluunt. Sed in hac significatione cum duplici r Gesnerus rectè meo iudicio scribendum monet, vt videlicet appareat nomen esse compositum παρὰ τὸ χειμῶνος ῥεῖν. Profertur autem, inquit, χεῖμα quoque pro χειμὼν, & plerique cùm torrentem significat per ει scribunt. Poetæ producunt (quamquam video grammaticos in Lexicis græcis alia quoque ab hyeme deducta vocabula per ι notare, vt χιμάσιν, χιμᾶν, χιμάδιον, quæ ego per ει vsurpare malim) cùm caprarium genus per ι, poetę corripiunt, proinde in Lexicis Hesychij & Varini χίμαρος rectè per ι scribitur, quamquam non suo ordine inter vocabula, quæ ει diphtongum in prima syllaba habent. Pro omni itaque caprario genere, omni ætate, & vtroque sexu χίμαρον grammatici interpretantur, cùm mediam ætatem propriè solùm significet; rectè tamen de vtroque sexu vsurpari puto, vt etiam πρόγονοι quamuis hæc vox ab Homeri Scholiaste fœmininis vocabulis exponitur πρεσγενέστεραι, παλαιότεραι, ἢ μεταγενέστεραι τῇ ἡλικίᾳ; & rectè quidem, cùm Homerus etiam eodem genere protulerit, & mares foris relictos meminerit: G

στείνοντο δὲ σηκοὶ
Ἀρνῶν, ἠδ᾽ ἐρίφων, διακεκριμέναι δὲ ἕκασται
Ἔρχατο. Χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι,
Χωρὶς δ᾽ αὖθ᾽ ἕρσαι.

Etymologus χίμαρον hircũ exponit, & deriuat παρὰ τὸ κίω, τὸ πορεύομαι, idest, eo, vado. Rursus χίμαρος Varino capra est annicula, à tribus, aut quatuor mensibus vsque ad partum, aitque deinde αἶγα dici, aut χίμαιραν. Est & χίμαιρα, siue chimæra monstrum quoddam, quod igniuomum fuisse fingunt, & à Bellerophonte confectũ, Lucretio teste, à quo talis ei affingitur forma.

Chimæra. *Lib. 2.*

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.

Lib. 5. *Odyss. ζ.*

ex Homero:

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,

idest, capra. Grammatici exponunt Lyciæ montem esse, qui dies, noctesq; flammas eructarit: in cuius cacumine habitarent leones, in medio verò propter pascua, capræ, in radicibus serpentes, ex Solino dicente: *Chimæra mons in Lycia nocturnis æstibus fumidum exhalat, vnde fabula triformis monstri in vulgum data est, quod chimærã animal putauerint.* Et quoniam Bellerophõ D Glauci filius, eum montem habitabilem fecit, chimæram occidisse traditur. Plinius de semper ardentibus locis loquens cùm dixisset de Aethna; *flagrat*, inquit, *in Phaselide mons chimæra, & quidem immortali noctibus, ac diebus flamma, ignem eius accendi aqua, extingui verò terra, aut fœno Gnidius Ctesias tradit.* Cæterùm monstrum hoc poetarum Typhonis, & Gedrię filiam fuisse fingunt. Hesiodus ex hydra natam affirmat. Meminit autem Seruius enarrans illud Virgilij: *Flammisque armata chimæra.* Hesychius hanc chimæram triformem fuisse scribit, ita, vt in medio caprina forma cõstaret, caput verò posterius draconis, anterius leonis cum ore igniuomo haberet, sed magis probantur qui imam solùm corporis partem serpentis specie in ea fuisse fingunt. Qui plura volet, adeat Varinum, authorem adagiorum, & Palæphatum in Bellerophonte. Ψίναθον Varinus, & Hesychius exponunt αἶγα ἀγρίαν. Apud Hebræos ez, capra, promiscui generis est iuxta quosdam, vt etiam marem in hoc genere contineat, & hœdum: Verùm cùm hircum dicunt, solent vocare hircum caprarum, alioqui ez fœminino tantùm genere vsurpatur, nec dubium quin græci suum αἴξ hinc hauserint. Chaldaicè capra est eza, Arabicè schaah, persicè buz. Numetorum 15. hircus caprarum ize dicitur, Arabicè, maez, Persicè bufan. Sarraceni capram vocant anse, Germani geisz, Belgæ geit, Angli à gote, Illyri koza, Gal-

Aen. 6. *Ez.* *Eza.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Galli cheure, vel chieure, Itali nomen latinum ſeruant, vt & Hiſpani, ſed illi pleriſque in locis p in u; hi verò p in b mutant. Mas, ſiue caprarum dux, vt loquitur Pollux, latinis hircus, *Hircus.*
ſecundum quoſdam ab hirſuto dictus, teſte Perotto, Sabinis fircus, græcè τράγος vocatur à vo- *Fircus.*
racitate, nam τρώγειν, & τραγεῖν, edere ſignificat, quæ voces, vt ait Varinus huius etymi au- *Τράγος.*
thor, durius quid, & aſperius ſonant, quàm φαγεῖν, vt τράγος etiam quàm φάγος. Ariſtophanes in auibus, auium genera cognominat κοτινοτράγα, κριθοτράγα, & σπερμολόγα, quod oleaſtri baccis, hordeo, & varijs ſeminibus veſcantur. Alij verò τράγον deducunt παρὰ τὸ τραχὺ δέρμα ἔχειν, à pellis aſperitate: Alij ab aſperitate vocis: Alij ἀπὸ τοῦ τρέχειν, ideſt, currendo, vt tradunt idem Varinus, Etymologus, & Suidas. Quia verò hoc genus animantis ſua natura potiſſimùm vbi in venerem prurit, & toto coitus tempore, peſſimè olet inde odor omnis olidus, & quam maximè fœtens græcis γράσος aliàs propriè dictus, & κινάβρα, τράγος, latinis ſimiliter hircus, caper, & capra nuncupatur; qui rem veneream agunt, inquit Cælius, aut qui in ætate ſunt, quæ ſufficiat veneri, malè olent, καὶ τοῦ καλουμένου τράγου ὄζουσιν, ideſt, virus hirci reddunt: hinc verbum τραγίζειν, ideſt, hircum olere. Antiqui noſtri, vt Cenſorinus ait, hirquitillare di- *Hirquitillare.*
B xerunt, & quibus corpus ita olere incipiat, hirquitallos. Ariſtophanes verò in Acharnenſibus τραγάσαιον vocauit malè olentem, & alia fabula τραγομασχάλους eoſdem dicit. Eleganter Plau- *In mercatore.*
tus de ſene libidinoſo: *Cùm ſis iam ętatis plenus, anima fœtida, ſenex hircoſus, tu oſculere mulierem?* hoc eſt, hirci modo libidinoſus, & olidus: & rurſus in Muſtelaria: *Te Iupiter, Dijq; om-* *Satyr. 5.*
nes perdant, oboluiſti allium: germana illuuies, ruſticus, hircus, hara ſuis. ad hominem transtulit immundum & libidinoſum. Sic & Perſius Centuriones hircoſos vocat, vt exponit etiam Budæus, ruſticos, olidos, & omnis nitoris expertes. Et Martialis ſalsè de importunis baſiatori- *Lib. 12. epigr. 59.*
bus dicebat:

Te vicinia tota, te piloſus
Hircoſo premit oſculo colonus.

Apud eundem Plautum in fine Caſinæ, vbi dicitur: *Verùm qui non manibus clarè quantum potuerit, plauſerit, ei pro ſcorto ſupponetur hircus vnctus nautea*: Interpretes, aiunt hircum quidem ſua natura eſſe fætidiſſimum, ſed fætorem augeri, ſi vnctus ſit nautea, ideſt, aqua, inquiunt, tætida ex ſentina maris; mihi verò magis probaretur, vt nautea hic intelligatur ipſa libido, quia
C tempore libidinis hæc beſtia quàm maximè olida eſt. Nec diſplicet correctio Turnebi reſti- *Lib. 20. cap. 10.*
tuentis ex ſcedis quibuſdam vetuſtiſſimis locum eiuſdem Comici in pſeudolo hunc: *Sed iſtic ſeruus ex Caryſto hic qui aduenit, quid ſapit?* Ch. *Vſque à cunabulis.* Pro ſcilicet, *vſque à cunabulis* legens hircum ab alis: ludit enim Comicus in verbo *ſapit* more ſuo, quod interdum ad ſapientiam refertur, interdum ad odorem, vt apud Plinium, cùm dicuntur iucundiora vnguenta eſſe, quæ terram ſapiunt, quàm quæ crocum. Apud Horatium: *Serm. 1. Satyr. 2.*

Paſtillos Ruffillus olet, Gorgonius hircum.

Idem in libidinoſam Canidiam ſic ſcribit: *In Epod. od. 12.*

Munera cur mihi, quidue tabellas
Mittis nec firmo iuueni, nec naris obeſę?
Namque ſagacius vnus odoror,
Polypus, an grauis hirſutis cubet hircus in alis,
D *Quàm canis acer, vbi lateat ſus:*
Quis ſudor vietis, & quàm malus vndique membris
Creſcit odor, cùm pene ſoluto
Indomitam properat rabiem ſedare &c.

Idem alibi inquit: *Lib. 1. epiſt. 5.*

Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ.

quo loco quidam per olidas capras, ſcorta intelligi volunt, quod mihi non videtur, tum quod hæc epanorthoſis ſubſeruiat ingenio Torquati gaudentis non immodico ſumptu, ſed amicis fidis, taciturnis, & paribus, tum quòd ſermone benigno cum eo velit proferre noctem, quod inter ſcorta quàm poſſit fieri, commodè ſcilicet, nemo non intelligit. Catullus in Rufum:

Ludit te quędam mala fabula, qua tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.

Idem ad Virronem:

Si cui Virro homini ſacer alarum obſtitit hircus.

Apud Vlpianum in L *qui clauum.* Trebatius ait, *non eſſe morboſum os alicui olere, veluti hircoſum, Strabonem: hoc enim ex ingluuie oris accidere:* Budæus in doctiſſimis ſuis annotationibus in Pandectas hunc locum haud dubiè deprauatum eſſe exiſtimat, vel mutilatum potius, quid

enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

enim Straboni,inquit,cum hircoſo ? aut quid ingluuies ad oculos diſtortos attinet? Hircus fœtor eſt alarum,quem Plinius alarum graueolentiam appellat, & aliquādo virus alarum à Græcis itidem τράγος dicitur: vnde τραγίζοντες pueri ab Ariſtotele dici putantur ab alarum odore, qui hircientes cùm pubeſcentes venerem agnoſcere incipiunt, & vocem in ſonum aſperiorem inæquabilioremque mutare, neque enim, inquit, acuta præterea vox eſt, neque grauis, neque tota æquabilis,ſed ſimilis fidibus incontentis, & aſperis, ὁμόια φαινομένη ταῖς παρανενευρισμέναις, καὶ τραχέιαις χορδαῖς, ὅ τραγίζειν καλῦσι. Alex. tamen probl. lib. 1. τραγῶντας eos vocat: metaph.(vt ipſe inquit) ab hircorum voce ducta propter arteriæ aſperitatem. Tantum Budæus. Cæterùm Ioſephus Scaliger apud Vlpianum ἀναμφισβήτως legit pro ſtrabonem, raponem, & pro hircoſum,lurcoſum, aitque ingluuiem à Trebatio vocari τὴν ἀδηφαγίαν,ex qua,inquit,oris graueolentia conflatur,vt in leone notat Ariſtoteles: Ait tamen hircoſum etiam defendi poſſe, & eſſe hircoſum,cui os ex fœda, & deteſtabili libidine olet. Eiuſmodi enim, inquit, vocabantur hirci. Catullus,

Hirci qui dicti.

Et putare cæteros hircos.

Et in dicto Attellanæ *hircus vetulus naturam capreis ligurit*: Quo fœditas oris hirſuto, & oli... do ſeni Tiberio exprobrata eſt. Item dicebantur ſpurci,& ſpurco ore græcè ἀσελγεῖς; & illi,qui hoc patiebantur dicebantur λέπειν, latinè glubere. Catullus: *Glubit magnanimos Remi nepotes.* Budæus aliter interpretatur,ſed pace tanti viri dixerim, perperā. Hęc latius à nobis dicta ſunto, vt totū Vlpiani locum illuſtraremus,quia maximus vir non ſatis dignè ſe explicare potuit. Eſt verò tragus non ſolùm fœtor ille ſub alis, ſed etiam pilus ille, in quo odor habet ſuam ſedem, vtunturque etiam Latini poetæ eadem voce. Martialis in pædiconem maſturbantem:

Lib. 11.

inguina ſaltem
Parce fututrici ſollicitare manu:
Læuibus in pueris plus hæc quàm mentula, peccat,
Et faciunt digiti præcipitantque virum.
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.

Satyri cur tragi dicti.
Lib. 8. à princip.
Tragus piſcis.
7. hiſt. 30.

Τράγȣς porrò, ideſt, hircos aliqui Satyros vocarunt,vt Heſychius, & Varinus annotarunt, eò quod hircorum aures habeant, ſed quid ſi inde tragos dictos eſſe iudicemus, quòd ſimiliter ac hoc genus animantium libidine ſint famoſi, ſimiliter etiam biſulci. Athenæo etiam eſt piſcis nomen agenti de exocœto,ſiue de Adoni,hunc enim ὁμοιότατον eſſe ait τῷ καλȣμένῳ τράγῳ ἰχθυδίῳ, hoc eſt,piſculo, quem hircum vocant. Dalechampius in margine exponit mœnam, quam ſcilicet Ariſtoteles hircum vocari ſcribit his verbis interprete Gaza: Alec,ſiue mæna vero grauis melior eſt,forma rotundior fæmina, porrectior mare, & latior. Euenit vt cùm fœtu impleri fæmina incipit, maris color in nigrorem pluriſque varietatis mutetur, & caro deterrima cibo efficiatur, vocantur à nonnullis per id tempus hirci. Cæterùm an Clearchus Solenſis apud Athenæum eundem cum mæna piſcem intellexerit, quæri, inquit Caſaubonus, poteſt: placet enim doctis viris τράγον hic eſſe gobionem nigrum, non Ariſtoteleum τράγον, ſed cùm ἰχθύδιον hircum Clearchus appellet, mœnam potiùs quàm Gobionem, niſi fallor, deſignat: eſt enim mæna reuera piſciculus gobione minor. Accedit quòd Clearchus Ariſtotelis fuit diſcipulus inter primos, & γνησιώτατος: à quo didicerat, & res,& proprias rerum appellationes. Tantū Caſaubonus. Sed cū deſcribatur ſimilis exocœto,niſi quòd partē ſub gula nigricantem habeat, vnde τραγοπώγωνα vocent, Hermolaus alium à mæna eſſe arbitratur. Eſt verò etiam τράγος conchæ genus, vt docet Feſtus mali ſaporis,vnde cauſa nominis intelligitur. Eſt item intra aures neruus nomine τράγος, referente Cælio,è regione cuius eſt,quem vocant ἀντίτραγον. Sed Henricus Stephanus citans teſtimonium Pollucis τράγον vocari ait in cauitate auris eam partem,quę ſub extremitate temporum ſuperaſſurgit in interiorem neruum,eique oppoſitam partem vocari ἀντίτραγον. Rufum Epheſium verò τράγον collocare παρὰ τὸ πέρας τȣ̃ κροτάφȣ. Idem Cælius ait τράγον vocari græcis in vitibus cauſationem, vbi flatu graſſante decutiuntur germina,hirculum,inquit,queas latinè nuncupare; Alij ſic vocant, ſiue importuno vento germina à vitibus abſcindantur, ſiue cultorum imperitia oblædantur, vt Hermolaus in corollario in 5. Dioſcoridis,vbi tanquam diuerſa vitis vitia hircum, & hirceſcere videtur accipere,cùm vnum ſit: Et cùm infęcundæ fiunt vites,hirceſcere dici ait, cùm hoc non ſimpliciter, ſed adiecta cauſa nimiæ vbertatis proferendum ſit. Articulationem, inquit Carolus Stephanus,eleganti vocabulo vocauit Gaza,quòd vitis in ipſo articulo potiſſimùm lædatur. Inde verò hirceſcere,ſiue hircire dicuntur vites ab antiquis ſcriptoribus cùm infæcundæ propter articulationes oblæſas redduntur:quoniam hircus animal,vt inquit Ariſtoteles,pinguedine ſterileſcit.

Lib. 2.
Anticragus.
Tragus qd in vitibus.
Cap. 1.
Articulatio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A lescit. Hæc Carolus Stephanus. Theophrasti super hac re verba sunt: Ἐξ ὑπερβολῆς δὲ, καὶ τὸ τραγᾷν τῆς ἀμπέλου, καὶ ὅσοις ἄλλοις ἀκαρπεῖν συμβαίνει διὰ τὴν εὐβλαστίαν. hoc est, vt Gaza transfert: Articulatio quoque vitis nimietati prorsus tribuitur, & quæcunque fructificare nequeant propter luxuriam germinis, eodem proculdubio pertinent. Adscribit ibidem statim huius vitij remedia, & mox capit. 13. eiusdem causas, vbi Gaza sic vertit: Vitis autem articulatio venit, aut flatu ablatis germinibus, aut imperitia culturæ concisis, aut tertio in supinum excisis. Sic enim humor largiùs collectus, vehementer ad germinandum excurrit, ita vt nihil queat fructificare. Cæterùm suspicetur sanè aliquis, inquit Gesnerus, in duobus his locis, non articulatio, sed hirculatio ab interprete primùm esse scriptum, cùm hoc vocabulum græco respondeat, & eiusdem operis libro 1. in fine capitis 21. hirculatæ vites ab eo reddantur, vbi græcè ἀμπέλους τραγώσας legimus. Erineon, idest, caprificum, (quamuis id neget Cælius sui generis haberi inquiens, à Dorica ciuitate sic nuncupatam, ex Lycophronis interprete) vt ex Pausaniæ thesauris, etiam Cælius annotauit, B percipi licet græcorum nonnulli olynthum dicunt, tragum autem Messenij: id quod symbolicè significauit Apollo Aristomeni, & Theoclo vati de salute consultantibus, respondens:

Lib. 5. de caus. plant. cap. 12.

Vites hirculatæ.

Εὖτε τράγος Πίνησι. Νέδης ἑλικόρῥοον ὕδωρ
οὐκ ἔτι Μεσσήνην ῥύομαι. σχεδόθεν γὰρ ὄλεθρος. idest,
Ipse, Nedes dum hircus bibat alta fluenta, nec vltra,
Messenen seruo: propè enim instant tristia fata.

Erat autem Neda fluuius, inquit Cælius, cuius visuntur fontes in Lycæo monte. Tragus verò non hircus intelligebatur, sed Erineos arbor in aquam Nedæ prona, ac folijs humorem quodammodo hauriens, vnde à Theoclo coniectatum ingruere Messenijs fatale malum. Huius Messeniorum historiæ meminit etiam Suidas in τράγος. Sed vt clariùs oraculum intelligatur, non erit præter nostrum institutum Pausaniæ verba recitare: Messenijs Ira vrbe eiectis nouas sedes quærere coactis, quæ de salutis ratione post cladem ad Fossam acceptam sciscitantibus Aristomeni, & Theoclo Delphicus Apollo responsa dederat, ipso rei euentu C comprobata sunt. His autem versibus respondit fatidica virgo (versus iam citauimus) ac tum illi quidem capti ambiguis verbis prouidendum sibi putarunt, ne hirci de Neda potarent. Aliud verò longè innuerat Deus, quod fuit huiusmodi: Τὸ δένδρον τὸν ἐρινεὸν, εἰσὶν Ἑλλήνων οἳ καλοῦσιν ὄλυνθον, Μεσσήνιοι δὲ αὐτοὶ τράγον. τότε οὖν πρὸς τῇ Νέδᾳ πεφυκὼς ἐρινεὸς, οὐκ ἐς εὐθὺ ηὔξετο. Ἀλλ᾽ ἐς τε τὸ ῥεῦμα ἐπέστρεφε, καὶ τοῦ ὕδατος ἄκροις τοῖς φύλλοις ἐπέψαυε. idest, vt vertit Guilielmus Xylander, Caprifici stirpem è græcis plerique olynthon, Messenij ipsi caprum nominant. Eo quidem tempore caprificus fortè in ripa Nedæ enata cùm non in sublime se crescens erexisset, sed in amnem prona inclinasset, extremis iam frondibus aquam contingebat. Id Theoclus vates conspicatus argutè coniecit illam caprifici plantam hircum esse, qui de Neda, sicuti Pythia prædixerat, biberet, ac iam fatale Messenijs exitium imminere. Est item τράγος tritici, siue frumenti genus, quod ob varias huius vocabuli æquiuocationes σιτώδη, idest, frumentaceum cognominant, de quo sic Dioscorides: Τράγος τὸ σχῆμα μὲν παραπλησίως τῷ χόνδρῳ ἔοικεν. Ἀτροφώτερος δὲ παραπολὺ ζειᾶς, διὰ τὸ πολὺ ἔχειν τὸ ἀχυρῶδες. Idest, vt vertit Ruellius: Tragos quandam halicæ frugis figuram gerit: multò minus, quàm Zea nutrit, quòd multum aceris ha- D beat. Similiter vertit Cornarius, Marcellus verò pro chondro reddidit far. Andreas Matthiolus nostra ætate in Italia prouenire negat, & quoniam Plinius ex Oriente peregrinum nobis inuectum fuisse scribit, mirum quidem non esse, si tam longo temporis tractu relicto Italico cultu in proprium redierit solum. Interpretatur tamen Arabicè sult, germanicè hammel corn, gallicè duble turguet. Galenus de trago frumento à Dioscoride dicta repetit; addit verò ex splendida, & nobili siligine, seu olyra, vt decet excorticata, tragon confici, cuius plerisque sit vsus. Primùm in aqua coqui, mox effusa priore aqua, mulsum, sapam, vel passum infundi, demum pineæ nuces aqua præmaceratas, donec intumescant, superinijci. Rembertus Dodonæus etiam tragon rem factitiam esse tradit in epistola de trago, & à chondro tantùm differre, quantum olyra à Zea discrepat: Nam veluti chondrus ex Zea, ita tragum ex olyra confici, cuius euidentissimum testimonium Galenus, inquit, exhibet; Recitat autem ea Galeni verba, quæ iam citauimus, additque Geoponica Constantino Cæsari olim dicata, idem attestari, cùm in eisdem tragi præparandi ratio hunc in modum habeatur: Τὸν Ἀλεξάνδρινον λεγόμενον σῖτον βρεκτέον, καὶ πτιστέον καὶ ξηραντέον ἐν ἡλίῳ θερμῷ. εἶτα αὖθις τὰ αὐτὰ ποιητέον, ἄχρις οὗ ὅλοι ὑμένες τοῦ σίτου,

Tragus vbi dicatur ficus.

Triticum tragus dictum.

Lib. 2. cap. 115.

Lib. 17. cap. 10.

Lib. 1. de alim. fac.

Tragus artificialis.

Lib. 3. de agricult.

„ καὶ τὸ ἰνῶδες ἀποπέσῃ, οὕτω τε ξηραντέον, καὶ ἀποθετέον τὸν τράγον, ἐκ τῆς εὐγενοῦς ὀλύρας, ideſt,
„ vt vertit idē Dodonæus: Frumentum Alexandrinum dictum maceratur, decorticaturq; & in
„ ſole calido ſiccatur: deinde idem rurſum fit, donec & pelliculæ, & quicquid fibroſum eſt in
„ frumento, delabatur, atque ſic ſiccandus, & reponendus tragus ex generoſa olyra eſt. Ne-
Lib. 18. c. 7. gat verò etiam Dodonæus vllum eſſe naturale frumenti genus, quod propriè tragus dici-
tur, quamuis Plinius id indicare videatur, maioris faciens authoritatem præcitatam Gale-
ni, eoque magis, cùm & ipſe Plinius, ex tritici ſemine eodem, quo ptiſana modo, tragum,
in Aegypto, & Campania fieri ſcribit. Cæterùm quod hic à Plinio tragus dicatur ex tritici
ſemine fieri, aut à Conſtantino ex frumento Alexandrino, nihil pugnare putat cum his, quæ
diximus, quoniam olyra, quæ Dioſcoride teſte, Zeæ quædam ſpecies eſt, à latinis arinca
nuncupata, ex tritici quoque generibus eſt: Triticum enim, inquit, ſubinde generaliter, vt
apud Iuriſconſultos, ſumitur pro quouis cereali ſemine, quod in panes cogitur. Eadem ve-
rò & frumentum Alexandrinum non impropriè nuncupatur: In Aegypto enim, cuius ca-
put, & metropolis Alexandria eſt, olyræ facilis, & fertilis, vt Plinius inquit, prouentus
eſt, & zea eo loci, nec non far, eodem authore, citiſſimè in eam conuertuntur. Rem igi-
tur fictitiam tragum eſſe exiſtimat, chondro ſubſtantiæ ratione propinquum, quandam
eius ſimilitudinem, & figuram gerentem, vt Dioſcorides ait. Atque hæc eſt ſententia Do-
Lib. 1. de donæi. Hieronymus Tragus, tragum frumentaceum Dioſcoridis, interpretatur farris ge-
alim. fac. nus, quod Columella verriculum album appellarit: Ipſe germanicum ei fingit, Teutſchen
Lib. 2. c. 23. reiſz, ideſt, oryza germanica, quod oryzæ inſtar grana eius cum lacte coquantur: Hordeo,
inquit, perſimile eſt, quoad omnia, vegetius tamen, & candidius, vere ſeritur. Ego
iſthæc in frumentorum hiſtoria diligentius ventilato, hoc tantùm nunc afferens in præſen-
tiarum, videri mihi genus hoc frumenti, tragos appellari græcis, vel παρὰ τὴν τραχύτη-
τα (vnde & ipſum animal τράγον deducunt grammatici quidam) quod aſperius ſit, &
multum furfuroſi recrementi habeat, plus nempe quàm zea, vt Galenus, & Dioſcori-
des ſcribunt, niſi quis ad ariſtarum aſperitatem referre malit; vel παρὰ τὸ τραγεῖν, hoc
eſt, ab edendo, cùm non ſolùm grana per ſe ad panificium molantur, & integrè, aut modi-
cè fracta cum iure aliquo decoquantur, ſed inſuper ſui generis cibarium ex eis fiat, vt ex
Tragus ma- Galeno iam retuli. Longè ab hoc Trago cereali differt τράγος naſcens maximè in mariti-
ritimus. mis, aliquibus σκορπίον, alijs τράγανος, teſte Dioſcoride, nuncupatus, herba ſcilicet pal-
Lib. 4. c. 51. mum alta, aut amplior, fruticoſa, humilis, oblonga, ſine folijs, puſillis, circa ramos aci-
Scorpius. nis, rufis, multis, magnitudine tritici acuto cacumine, guſtu multum adſtringente, cuius
racemorum acini decem ex vino poti cœliacis, & fœminis fluxione vuluæ laborantibus au-
xiliantur. Plinius bis eius meminit: primò lib. 13. capitulo 21. *tragum & Aſia fert*, (vbi
tamen vulgati codices tragium habent) *ſiue ſcorpionem, veprem ſine folijs, racemis ruben-*
tibus ad medicinæ vſum; Secundò lib. 27. cap. 13. *Eſt & alia herba tragos, quam ali-*
ſcorpium vocant, ſemipedem alta, fruticoſa, ſine folijs, puſillis racemis rubentibus, grano
tritici, acuto cacumine, & ipſa in maritimis naſcens. Eruditi hunc quoque tragum non
ab hirci aut odore, aut aliqua alia ſimilitudine, ſed ἀπὸ τοῦ τρώγειν, ideſt, comedendo dici
rentur, ideoque etiam τράγανον quaſi τρώγανον vocari Dioſcoridi, quomodo & τραγήμα-
τα bellaria dicuntur latinis. Pro hac herba eruditiores herbarij eam exhibent, quam alij,
Vua mari- quia vuæ ferè modo racemos fert, vuam marinam nuncupant. Cluſius verò, polygonum
na. quartum maius Plinij eſſe arbitratur; alij Bellonium ſecuti ad androſacen, alij ad Cro-
ton Nicandri, alij denique ad Plinij ephedran referunt, vt annotauit Caſpar Bauhinus
in ſuo Matthiolo, qui (Matthiolus) equiſeti quarti nomine exprimere voluiſſe videtur;
herba eſt maritima in arenoſis tumulis, & littoribus proueniens, fluctus maris allidi, &
obrui ſolitis, radice craſſa, lignoſa, longa, cortice fuſco veſtita, folijs nullis, ramulis
quàm plurimis, palma altioribus, geniſtæ modo læuibus, & gracilibus, inſtar equiſe-
ti geniculatis, cacumine pungentibus, adnatis multis, vertice quoque ſubulæ inſtar tra-
ctantium manus perfodientibus, flore minutulo, candido, in oblongum ſertum coaceruato,
ſemine grano tritici magnitudine pari, anguloſo, principio rufo, poſtea nigreſcente, in ſin-
Kali ſpino- gulis loculis herbaceis gemino, pediculo ad ramulorum alas ſubnixis, guſtu aſtringente.
ſum. Matthiolus verò pro iſtiuſmodi trago eam expreſſit maritimam ſimiliter herbam, quam
Tragus ſiue alij kali ſpinoſum vocant, Guilandinus drypin Theophraſti eſſe iudicauit, ille verò vt
hirculus ad tragum Dioſcoridis referret, omnibus ſuis folijs planè ſpoliauit. Iam verò τράγος
nardi ge- paruum etiam herbæ genus eſt, quod, vt ait Plinius, cum gallico nardo ſemper naſcitur,
nus. (hirculum vocat) à grauitate odoris, & ſimilitudine, qua maximè adulteratur, ſic dictum.
Diſtat

A Distat quòd sine cauliculo est,& quòd minoribus folijs, quòdque radicis,neque amaræ, neque odoratæ. Dioscorides verò discerni docet, quòd candidius sit, & folijs minus oblongis. Idem de Sampharitica nardo scribit, καυλὸν, ἔσθ᾽ ὅτε μέσον ἔχουσα, ὑπερτραγίζοντα τῇ ὀσμῇ, idest, caulem aliquando medium ex se mittens, odore supra modum hircino. Huius hirculi iconem stirpium exoticarum peritissimo Carolo Clusio debemus, qui hunc nactus inter spicæ celticæ fasciculos posteritati scitè patefecit in suis è Garcia Lusitano Medico versionibus. Plantula est, inquit hic, nardo Celticæ similis, candidior tamen, & veluti ex viridi cinerea, sine cauliculo, minoribus, breuioribusq; folijs, villosa admodum secundum radicem,& nigricans, nulla odoris iucunditate. Folia præmansa nullum aromaticum saporem reddunt, sed lenta,& viscida sunt, cum nardi Celticæ folia, & calida sint, cum aliqua tamen adstrictione, & odore, saporeque iucunda. Est denique τράγος in herbarum genere apud *Lib. 5. hist. cap. 16.*
Aristotelem spongia quædam durior, asperiorque, nimirum παρὰ τὴν τραχύτητα, hoc est, ab asperitate deflexa voce, vt ait Hermolaus: Verba philosophi sunt: Ἐστι δὲ τῶν σπόγγων τρία *Tragus spõgiæ genus.*
B γένη. οἱ μὲν, μανοὶ, οἱ δὲ, πυκνοί. τρίτος δ᾽, ὃν καλοῦσιν Ἀχίλλειον, λεπτότατος, καὶ πυκνότατος, τῶν δὲ πυκνῶν οἱ σκληροὶ σφόδρα, καὶ τραχεῖς τράγοι καλοῦνται. Plinius breuiter sic transtulit: *Spongiarum tria genera accipimus. spissum, ac prædurum, & asperum, τράγος id vocatur: minus spissum, & mollius, manon; tenue, densumque ex quo penicilli, Achilleon.* Meminit & *Lib. 9. c. 45.* *Lib. 31. cap. 21.*
aliàs, inquiens; *E maribus duriores alias quas appellant tragos, tenuissimis fistulis, atque densissimis:* quo loco transtulisse videtur Dioscoridem, qui spongias in mares, & fæminas distinguens ait; τῶν δὲ σπόγγων τοὺς μὲν ἄῤῥενας ἐκάλεσαν τινές λεπτοτρήτους, καὶ πυκνοὺς ὄντας. *Lib. 5. cap. 138.*
ὧν τοὺς σκληροτέρους τράγους ὠνόμασαν τὰς δὲ, θήλεις οἱ ἐναντίως τοῖς προειρημένοις διάκεινται, idest, è spongijs alias mares appellauere, tenui fistula, spissas; quarum duriores tragos nominarunt. Fæminas autem quæ contrarias dotes habent. Postremò τράγοι nominantur naues, quarum tutela hirci capite insignita est, vt κριοὶ, quæ ariete, vt Pollux annotat, qui ταῦρον quo Europa vecta fuisse narratur, similiter existimat fuisse nauem, quæ tauri insigne gereret, vt Centaurus quoque Virgiliana. Idem censent Cælius, & Bayffius. Plures τοῦ τράγου significationes non reperio. Αἰγίσκος Hesychio, & Varino exponitur capra castrata, vel caper fortè, quem ἴξαλον aliqui, inquiunt, vocant, de quo vocabulo postea suo loco. *Tragus nauis.*
C Eidem Varino ἄρθεος hircus est. Γεγιώτας vterque interpretatur mullos, vel hircum. Κάπρος etsi propriè sit ὗς ἄγριος, idest, sus syluestris, nec non etiam piscis, est tamen vbi caprum, siue hircum significat, sicut in hoc Strabonis loco paulo ante finem libri 4. Φησὶ δὲ Πολύβιος, καὶ ἰδιομορφέντι ζῶον γεννᾶσθαι ἐν τοῖς Ἄλπεσιν ἐλαφοειδὲς τὸ σχῆμα, πλὴν αὐχένος, καὶ τριχώματος, ταῦτα δὲ ἐοικέναι κάπρῳ. Ὑπὸ δὲ τῷ γενείῳ πυρῆνα ἴσχειν ὅσον σπιθαμιαῖον ἀκρόκομον, hoc est, habent Alpes, vt Polybius tradidit, peculiaris formæ belluam specie similem ceruo, ceruice, & villis exceptis, quibus caprum refert, geritque sub mento aruncum dodrantalem. Apparet itaque manifestò Strabonem vel Polybium κάπρον pro τράγον posuisse. Et apud Athenæum vbi ex Archestrato κάπρος celebratur ex Ambracia, doctissimus Mercurialis non piscem, vt cæteri eruditiores, intelligi arbitratur, sed hœdum, ea persuasione (vtor ipsius verbis) potissimùm adductus, quod si pro capro piscem intelligamus, sequetur veteres nulla Romam aliunde aduecta quadrupedia in pretio habuisse: Quando à Gellio nullius alterius, sed auium, piscium, & pomorum tantummodo mentio fit, quod tamen ex eo falsum probatur, *Lib. 7.* *Lib. 1. var. lect. c. 25.* *Mercurialis error.*
D quoniam Varro scribit multos Romæ capras ex Melia insula habuisse, quod ibi maximos, & pulcherrimos hœdos fieri existimaretur: à Clemente quoque Alexandrino, & à Polluce hœdi Medici omnibus alijs præferuntur. Cæterùm cùm totus liber septimus, in quo locus iste Archestrati continetur, opsonijs, siue piscibus sit dedicatus, authorque manifestè ex Aristotele caprum piscem leuem, acus modo esse dicat, ego ab aliorum sententia non recedam, qui κάπρον hic aprum reddiderunt. Versus Archestrati sunt: *2. de re rust.* *Lib. 2. padag. c. 1.* *Aper siue caper piscis.*

Ἀυτὰρ ἐς Ἀμβρακίαν ἐλθὼν ἐυδαίμονα χώραν,
Τὸν κάπρον γ᾽ ἂν ἐσίδῃς ὠνοῦ, καὶ μὴ καταλείπε,
Κἂν ἰσόχρυσος ἔῃ. μή σοι νέμεσις καταπνεύσῃ
Δεινὴ ἀπ᾽ ἀθανάτων. τὸ γάρ ἐστιν νέκταρος ἄνθος.
Τούτου δ᾽ οὐ θέμις ἐστὶ φαγεῖν θνητοῖσιν ἅπασιν,
Οὐδ᾽ ἐσιδεῖν ἔσσοισιν, ὅσοι μὴ πλεκτὸν ὕφασμα
Σχοίνου ἐλειοτρόφου κοίλου χείρεσσιν ἔχοντες
Εἰώθασι δονεῖν ψήφους ἄιθωνι λογισμῷ.
Ἄρθρων μηλείων ἐπὶ γῆν δωρήματα βάλλων.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ideſt. *Ambraciæ beatam in regionem ſi te conferas,*
Aprumque videas, eum mercare, ac inemptum ne relinque,
Vel ſi auri tantum res pendendum ſit, afflatu ne te Nemeſis deturbet
Irata, & infeſta Dea: is enim flos nectaris eſt:
Nec cuiuis mortalium fas eo veſci,
Atque adeo ne oculis quidem intueri, præſertim ijs qui plicatum textum
Iunci paludis alumni, manibus cauis tenentes,
Maris calculos commouere non ſolent, famelica vitæ ratione
Culli ſtercoris excrementa terræ iniicientes.

Negat poeta hunc aprum piſcem ob ſummam præſtantiam ipſius & precium par ab alijs poſſe emi, quàm ab eo genere hominum, quos luculentis verſibus deſcribit. Quinam igitur illi homines ſunt? Dalechampius piſcatores putauit intelligi: At Iſaacus Caſaubonus in ſuis animaduerſionibus trapezitam, & multinumum menſarium: nimis enim abſurdum eſſe ait, aut dicere, aut exiſtimare, optimos, & precij maximi piſces non ab alijs quam à piſcatoribus eſitari. Quis neſcit genus id hominum non ſibi, ſed beatoribus maria ſcrutari? Sed virum doctum (Dalechampium) deceperunt illa verba πλέκτον ὕφασμα χοίνυ ἐλειοτρόφυ: quibus naſſam putauit deſcribi, cùm poeta vas intelligat è iunco, aut ſparto texi ſolitum ad maioris pecuniæ ſummas capiendas. Latini fiſcos vocant κυρίως. Aſcanius, *Sportæ, ſportulæ, ſportellæ, nummum ſunt receptacula: Et ſacci, ſacculi, ſaccelli, & crumenæ, & vellereæ, & ſcorteæ, & manticæ, & marſupia: ita fiſci, fiſcinæ, fiſcellæ, ſpartia ſunt vtenſilia ad maioris ſummæ pecunias capiendas.* In veteribus gloſſis fiſcus vertitur κύρτος ἁλιευτικὸς: quia & naſſa & fiſcus, in quo pecunia continebatur viminea opera erant. In tertio horum verſuum κοῖλον ſcribendum, non κοίλυ, iungendum enim cum ὕφασμα. Fiſci capacitatem hoc verbo deſignat, ait εἰωθα-... δονεῖν ψήφυς αἴθωνι λογισμῷ, ideſt, qui ſolent tractare calculos ardente animo; elegantiſſimum eſt δονεῖν ψήφυς, agitare ſic calculos, vt tinniant: par elegantia in illis αἴθον λογισμὸν ad declarandum vehemens ſtudium, & ardens argentarij rationes putantis, aut pecuniam ſolicitè ſpectantis metu fraudis. In fine huius verſus ponenda ϛιγμὴ τελεία: nam quæ ſequuntur, ἄρθρων μηλείων ἐπὶ γῆν δωρήματα βάλλων, non pendent ex ſuperioribus, ſed ex ſe ſunt apta. Ait poeta eam eſſe piſcis huius præſtantiam, vt quando eius copia eſt, carnes ouinas, agninas, & veruecinas (quamquam harum Græcis rarior vſus) aſpernari oporteat. Lego autem βάλλειν pro βάλλε proijce: aut δεῖ βάλλειν oportet humum deijcere. Non aliter legit breuiator. Ἄρθρα μήλεια, quæſo quid ſunt aliud, quàm artus pecudum, quæ μῆλα græcis dicuntur? Ait autem δωρήματα ἄρθρων μηλείων, vt hoc ſignificet, vel dono datas carnes cedere debere apro piſci impenſa maxima comparato. Hæc itaq; omnia Caſaubonus. Sed redeo ad Strabonem & Polybium, qui cùm κάπρον vſurpant pro Latinorum capro, latina potius quàm Græca voce vſi fuerint. Ita autem potiſſimum vocant marem in hoc genere, vbi caſtratus eſt: tunc enim propriè, teſte M. Varrone, caper appellatur. Perquam facetè, falſoq; id oſtendit Martialis in hoc lepidiſſimo epigrammate de aruſpice Hetruſco hircum Baccho immolaturo, qui cùm ruſtico iuſſiſſet, vt hircum caſtraret, ad fœtorem exuendum, hic verò videns aruſpicis herniam, eam ſecat:

Caper.

Lib. 3. epig. 24.

Vite nocens roſa ſtabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche tuis victima grata ſacris.
Quem Thuſcus mactare Deo cùm vellet aruſpex,
Dixerat agreſti fortè, rudique viro:
Vt citò teſticulos peracuta falce ſecaret,
Teter vt immundæ carnis abiret odor.
Ipſe ſuper virides aras luctantia pronus
Dum reſecat cultro colla, premitque manu:
Ingens iratis apparuit hernia ſacris:
Occupat hanc ferro ruſticus, atque ſecat,
Hoc ratus antiquos ſacrorum poſcere ritus
Talibus & fibris numina priſca coli.
Sic modò qui Thuſcus fueras, nunc Gallus aruſpex,
Dum iugulas hircum, factus es ipſe caper.

Lib. 2. Georgi.

Grammatici caprum à Marone hoc verſu:
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris

Cæditur.

Pro hirco positum volunt audacia poetica: sunt enim verborum licentia liberiores poetæ: quod quasi declarare, & illustrare videtur Turnebus in hæc verba: Poetæ licenter multa nouant, quæ, quæ oratio diserta recusaret, & sermo quotidianus, vt putida, aut non latina aspernaretur, libenter vsurpant. Paulò itaque inferius propriè loqui poetam; *Lib. 30.*

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Equidem A. Gellius his fauere videtur conferens Theocriti hunc locum cum versione eiusdem poetæ: *Lib. 9. c. 9.*

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε βόσκε τὰς αἶγας,
Καὶ ποτὶ τὰν κράνειν ἄγε Τίτυρε, κὴ τὸν ἐνόρχαν
Τὸν λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο μή τυ κορύψῃ.

Vertit Virgilius,

B *Tityre dum redeo, breuis est via, pasce capellas,*
Et potum pastas age Tityre, & inter agendum
Occursare capro (cornu ferit ille) caueto:

Caprum transferens pro ἐνόρχαν, qui aliàs aries est coleatus, siue non euiratus, quod Gellio non placet propter Varronis citatam authoritatem. Atqui Scaliger pater, quod aiunt, inquit, pro hirco malè positum caprum à doctissimo poeta, sanè ipsi sese non doctissimos ostendunt. Quippe capra vetus vox est: sic mas caper antequam castrandi vsus inuentus esset: hircus verò peregrina & Osca, sicut & hirpus pro lupo. Cretenses Hesychius ἴτΓας vocare ait patres, vel hircos syluestres: apud Varinum hæc vox aspiratur. Ab iisdem ἴρεον exponitur aries; hircus. γράσος à glossario hircus exponitur, & γρασων hircosus. Κόλος Varino hircus est mutilus cornibus, & Hesychius similiter interpretatur κολὸν oxytonum, magnum hircum sine cornibus, estque eidem cornuum ἔκφυσις, quæ ad perfectionem non peruenit, aliàs κόλουρος dicta. κόλος aliàs latinis mutilus est, mancus, curtus, truncatus, vt κόλος τράγος apud Theocritum, hircus cornibus mutilus: *Lib. 5. poet. cap. 3.* *E'ιδ. η'.*

C Ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ, ὦ βάθος ὕλας
Μυρίον, ὦ σιμαὶ δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ ἔριφοι.
Ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος. ἴθ' ὦ κόλε, κὴ λέγε Μίλῳ, &c. idest,
O hirce marite albarum caprarum, ò altitudo syluæ
Immensa, ò simi hædi huc ad vndam venite:
In eo enim loco ille est. abi tu cornibus mutilate, dic Miloni.

Sic κόλος βοῦς apud Eustathium est ὁ κεκολυσμένος τὰ κέρατα, & eadem significatione ex Herodoto affert Budæus κόλον γένος τῶν βοῶν, scilicet κολοβὸν, idest, mutilum. Ab Ionibus verò κόλοι dicuntur etiam arietes, qui mutilis sunt cornibus, οἱ κολοβοκέρατοι κριοί. Κῶλος apud Athenæum ex Callixeno in pompa Ptolomæi Philadelphi, genus est quadrupedis his verbis: συνωρίδες τράγων ἑξήκοντα, κώλων δεκαδύο. Natalis Comes vertit, bigæ hircorum sexaginta, aprorum duodecim. Dalechampius verò leonum, sed neuter benè: Est enim, vt Henricus Stephanus quoque exponit, animal magnitudine inter ceruum, & arietem, album, cursu illis velocius: Scribitur autem non solùm, vt hic, per ω, verùm etiam per ο, vt apud Strabonem in 7. ἔτι δὲ τῶν τετραπόδων, inquit, ὁ καλούμενος κόλος μεταξὺ ἐλάφου, καὶ κριοῦ τὸ μέγεθος, λευκός. *Lib. 5. c. 7.*

D Κόρσαξ apud Cratinum Comicum est hircus. Didymus, vt tradunt Hesychius, & Varinus, deriuatà Corse, quod Corsæ locus sit Ciliciæ. Robertus Stephanus sic τράγον forsan dici arbitratur, quoniam tonderi hirci solent, & inde fieri cilicia. Certè κόρση aliàs idem est quod θρὶξ, idest, crinis, vt Etymologistes in hoc Aeschyli loco exponit: λευκὰς δὲ κόρσας τήνδ' ἐπαντέλλει νόσῳ, idest, candidos crines, idest, canos. Et apud Pollucem: Καὶ κόρσας τινὲς ἐκάλεσαν τὰς τρίχας διὰ τὸ κείρεσθαι. Μένδης, Mendes, teste Herodoto, Aegyptiorum lingua hircus, seu caper dicitur, & capripes Deus Pan, quorum vtrumque sanctè colebant Panopoli, hinc Varinus, Μένδην, inquit, vocant Pana Aegyptij ὡς τραγοπρόσωπον, vt cui hircina facies sit, eò quòd hircus etiam ipsorum dialecto sic appelletur. Tityrus, vt ait Probus, Libyca lingua hircus appellatur. Seruius verò asserit Laconum lingua Tityrum dici arietem maiorem, qui gregem anteire consueuerit, sed Scaliger, cùm satyros capripedes dixisset, & Tityros olim dictos, addit Tityrum priscis Aeolensibus capellam significauisse: aliàs Tityrus secundum Hesychium est κάλαμος, idest, fistula, & ὄρνις, idest, auis, vnde Tityro pastori nomen inditum fuisse Petrus Victorius tradit, quod ille in cantu vteretur: Athenæus enim, inquit, in 4. de fistulis copiosè disputans ait: Ὁ δὲ καλάμινος αὐλὸς Τιτύρινος καλεῖται παρὰ τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσιν. Cuius rei authorem ille habet Arthemidorum Aristophaneum in 2. περὶ Δωρίδος. Id au- *Tityrus quid significet.* *Lib. 1. poet. cap. 2.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tem fortaſſe Virgilius ſignificare voluit, cùm Melibœum alterum paſtorem fecit ipſi dicentem:

Syluestrem tenui musam meditaris auena.

Nam καλάμη græcis culmus eſt, vt doctiſſimus poeta rationem eius nominis ita aperire voluerit. Præcipuè autem, vt hoc verum credam, ducor, inquit, quod græcus ſcriptor in Italia hoc nomen frequentatum tradit à Græcis, qui Dorici generis hanc terram incolebant. Vnde verisimilius eſt Theocritum, qui ante noſtrum poetam id nomen vſurpauit, ita paſtorem appellaſſe: illo enim ſermone vtitur. In eodem præterea libro Athenæus ante ſuperiorem locum narrat Ameriam Macedonem ἐν ταῖς γλώσσαις affirmare, Tityrinum dici muſicum inſtrumẽtum, quod μόναυλον alio nomine vocaretur. Hæc ille. Illi autem quibus allegorias ſectari cura fuit, per Tityrum ipſum Virgilium accipiunt, quod tamen vbique non eſt ſeruandum, ſed vbi ratio

1. amor. exigit, vt dixit Honoratus. Sic Ouidius:

Tityrus, & segetes, Aeneiaq; arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

Eſt verò etiam, vt præcedenti loco tradit Victorius, beſtiola ſic appellata, cuius meminit author libelli, quo deſcribuntur naturæ hominum, ac mores: Theophraſto autem nunc ille falſo attribuitur. Quo enim capite deſcribit blandum hominem, & qui omni in re alijs placere ſtudeat, inquit: Α'μέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι, καὶ τίτυρον κτήσασθαι, καὶ σικελικὰς περιστεράς. Hebræis atud hircus eſt, & propriè maior, nam minor ſeir dicitur, à quo fœmininũ fit ſeirah izim. Seir alioquin non ſubſtantiuè tantùm pro hirco ſumitur, aliàs piloſo, & ſatyro, aliàs dæmonio exponitur, ſed adiectiuè propriè hirſutum ſignificat. Leuitici 16. vbi pro capro accipitur, Chal-

Atud. dæus interpres habet Zephirah, Arabs atud, Perſa Buzgalaie. Saer etiam pro hirco ponitur,

Saer. ſed adiuncto ferè caprarum nomine, hoc modo sheir iſſim. Scribitur etiam per zade prima litera zeir, quam vocem Danielis 8. Hieronymus hircum caprarum interpretatur, Theodotion τράγον αἶγα, Chaldæus pro ſeir fermè transfert zeir. Author Lexici trilinguis zaphir quo-

Zaphir. que hircum exponit, vt zephirah capram, Taish Abraham Ezza Geneſ. 30. pecus intelligit maculoſum, & varium. Septuaginta τράγους, Hieronymus hircos: Aliqui arietes, alij totum genus ouium interpretantur: Chaldæus reddit teiashaia, Arabs Teus, Perſeus Aſtarha. Quidã Azazel Leuit. 16. Dauid kimhi exponit nomen montis, quod eum capræ frequentent: Quidam addunt montem eſſe vicinum Sinai. Septuaginta ἀποπομπαῖον, emiſſarium, & ἀποπομπήν, emiſſionem interpretantur, & τράγον διεσταλμένον εἰς ἄφεσιν. Componi aiunt vocem ab ez, ideſt, capra, & azal, ideſt, iuit, vt ſit caper expiatorius, qui abit, & aufert mala. Hieronymus caprum emiſſarium interpretatur, Aquila ad confirmatum deputatus: Chaldaica, & Perſica tranſlatio

Car. vocem relinquunt, Arabica vertit mons azaz. Car Dauid Kimhi agnum exponit, item arietẽ, & hircum. Carim verò pſalmo 37. Hieronymus monocerotes reddit, Septuaginta ὑψωθῆναι. Miar verò capram; Abraham quidam agnos, & alius quidam valles, Syluaticus hanup hircum exponit, Miar verò capram; Hiſpanicè hircus cabron vocatur, Italicè capron, ſed frequentiùs becco, quam poſteriorem vocem Geſnerus mutuatos putat Italos à Germanum bock. Cæterùm antiquiſſimã

Lib. 10. cap. de cap. eſſe hanc dictionem (vtor verbis Pierij) in græcorum habetur commentarijs: apud hiſtoricos enim legere eſt Pſammeticham Aegypti regem Phrygiorum antiquitatem, de qua magna inter Phrygas, & Aegyptios contentio fuerat, in Aegyptiacis pueris humano omni conſortio inhibito educatis, eo argumento deprehendiſſe, quòd ex ſuapte natura bec pronunciarent, quæ vox propriè caprarum, & hircorum eſt, eoque vocabulo Phryges panem appellarent. Roſtrum verò auium pleriſque nunc Italiæ locis, olim verò tota Gallia beccum nuncupabatur, & beccare paſſim pro mordere, decerpereque dicitur, quaſi verò fuerint primitus homines à capris enutriti, naturaque vocem enuntiare docuerit, quæ ad alimoniam magis neceſſaria videretur, id honoris Phrygibus adiudicatum, vt antiquiſſimi omnium haberentur, quaque ratione balantes oues, & latrantes canes appellamus, eadem illi beccos hircos appellauere. Hæc ille ex Herodoto: Sed Suidas negat mirum videri debere ſi caprarum vocem imitati ſunt, qui fuerant à capra enutriti, id quod Herodotus aſſerit. Aliquando ijdem Germani diſtinguendi cauſa à maribus hircum vocant geiſzbozk, ſicut in caprarum ſylueſtrium genere reich bcc: eodem modo Angli gote buche, ideſt, caprarum hircum dicunt, Galli ſimpliciter buc, Belgæ bock, Illyri Kozel. Quod modò ex capra, & hirco naſcitur, latini hœdum vocant, quod nomen do-

Hœdi synonyma, & etymon. ctiores plerique cum œ diphthongo ſcribunt præpoſita aſpiratione, pauciſſimi cum eadem diphthongo ſed abſque ſpiritu: Multi aſpirant quidem, ſed diphthongum œ ſubijciunt. Quidam grammatici deriuant ἀπὸ τῶν αἰδοίων, ſed hac ratione ſcribendum eſſet ædus, quod tamen nuſquam reperitur: alij rurſus hœdum dictum volunt quaſi fœdum lingua Sabina, in qua f litera in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A in aspirationem vertitur. Isidorus denique hœdum ab edendo dici asserit, quoniam teneri pinguissimi sunt, & gratissimi saporis. Hœdulus, & hœdillus diminutiua etiam leguntur, priori voce vtitur Iuuenalis:

De Tyburtino veniet pinguissimus agro Hædulus. *Satyr. 11.*

Altero Plautus: *Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem, agnellum, hædillum.* *In Asinaria.* Martialis eleganter hœdum vocat fœtum querulæ rudem capellæ. Istiusmodi tenellus hœdus græcis est ἀπαλίας, vt Diogenes Laertius tradit, apud quem Pythagoras dicitur in sacrificijs vsus esse ἀλέκτορσι μόνον, καὶ ἐρίφοις γαλαθηνοῖς τοῖς λεγομένοις ἀπαλίαις ἥκιστα δὲ ἄρνασι. *Lib. 7. epig. 30.* Sed ibi quidam codices, vt annotat Henricus Stephanus ante γαλαθηνοῖς habent interiectam particulam καὶ, quæ scriptura, inquit, si vera est, intelligi potest de porcis delicis, seu nefrendibus, quos ἀπαλοσάρκους esse notum est, & ἀπάλιον θῦμα Hesychio est δελφάκιον, idest, porcellus, seu porcus delicus, vt Varro appellat, ea enim victima delicatissima & tenerrima est. Ἔριφος Hesychio, & Etymologo, atque etiam Varino, est ὁ μικρὸς αἶξ, ἢ ἡ μικρὰ αἶξ, ὁ ἐν τῷ ἔαρι *Ἔριφος quid.*
B φαινόμενος, ἤγουν ὁ πρώϊμος, χίμαρος δὲ ὁ ἐν τῷ χειμῶνι, idest, hircus paruus, aut capra parua, quæ in vere nascitur, aut præmatura, Chimarus vero, qui in hyeme. Aliàs idem Varinus ἔριφον grecè hœdum dici ait, vsque ad tres, vel quatuor menses, deinde χίμαρον τὴν, donec pariat, & mulgeatur. A partu iam χίμαραν, & αἶγα nuncupari; De mare verò ἔριφον, & cùm adultus est, τράγον dici. Eisdem ἐριφέας est χίμαρος, χίμαρος autem, vt dictum, Hesychio capra hyberna, vel hircus, vel hœdus. Varino verò χίμαροι sunt inter hœdos, & hircos media ætate. Annotarunt præterea secundum Lacones ἐριφιήματα esse ἐρίφους. Quæ verò etiam constellatio sint hœdi, siue ἔριφοι apud Astronomos, suprà ostensum est. Διακαλαμάσαρκες apud Rhodios dicti sunt hœdi in quadam lege οἱ τὴν καλάμην τῶν σπερμάτων ἐπιβεβοσκημένοι, idest, qui frugum culmos depascerent. *Διακαλαμάσαρκες hędi cur dicantur.* Est & κάραμνος ipsis hœdus, aliàs etiam κεκρύφαλος, aut κρήδεμνος, idest, velum, siue vitta. Hędum Hebræi gedi dicunt, quam tamen vocem D. Kimhi putat tam agnum, quam hędum significare, & ideo differētiæ causa caprarum nomē adijci, hoc modo, gedi haissim. Rabbi Abraham solis capris hoc nomen attribuit, vt solet etiam Arabica lingua: plurale masculinum est gedaijm, fœmininum gedioth. Gen. cap. 38. Chaldaica translatio habet gadeia, Arabica gedi, Persica bus kahale busan: Septuaginta ἔριφον: Hieronymus hędū, hodieq;
C apud vulgus græcum ἐρίφι nominatur, nobis Italis cauretto, vel capretto, vel caurezzo, quasi capreolum dicas, quo nomine barbari quidam etiam in latina lingua pro hœdo abutuntur. Rhœti qui Italicè loquuntur vlzol dicunt, Hispani cabrito, Galli cheureau, Germani gitze, vel vt alij scribunt, gitzlein. Angli kydd, Poloni koziel.

GENVS. FORMA. DESCRIPTIO.

EX ruminantibus capras esse non vno in loco scriptum reliquit Aristoteles, addens insuper cornigeras esse, & bisulcas. Diligēti descriptione non egent, tum quia animalia sunt vulgo notissima, tum quia colorem mutant, vt testatur idē Aristoteles, & interdum etiam variè generantur, sicuti apud eundem legimus. Itaque malè audit Suidas hoc in prouerbio αἰγῶν ὀνόματα, idest caprarum nomina, id exponens οἷον ἄχρηστα πράγματα, idest, tanquam de rebus inutilibus, capræ enim in- *10. probl. 7.*
D ter se, inquit, similes sunt, cùm nomina ijs tantùm rebus discernendi gratia imponantur, quæ aliquid diuersum habent. Mihi Suidæ interpretatio neutiquam displicet, siquidem caprarum genus, etsi colore variet, specie tamen, formaque inuicem sunt simillimæ. Ad hanc coloris varietatem lepidè quidem, sed etiam salsè allusit facetissimus Comicus, vbi scilicet Thesprio seruus cum diceret se variè valere, hoc est, nunc benè, nunc malè: Epidicus alius seruus, id in alium sensum torquens: *Qui variè*, inquit, *valent, caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.* *In Epidico.* Pilus differt sexu; crassus enim hircis, capris tenuior, estque hoc genus animālis apprimè hirsutum, vnde capellam inter uirorum cognomina à capillorum hirsutie dici Cælius annotauit, & Festus hircipilos densorum pilorum homines intelligit, alij uerò etiam hircipilum simpliciter pro hirsuto usurpant. Etsi uerò ex Aristotele dixerimus cornigeras esse capras, Plinius tamen omnibus cornua esse negat, multisque lactis maiorem ubertatem esse profitetur; uerùm in his, quibus ea sunt, indicia annorum esse per incremēta nodorum. *Lib. 24. c. 5.* Sunt autem cornua capris, hircisque longa, & acuta, vt tradit Albertus. Varinus in κέρατα tradit in Delo insula consecratum dici hirci cornu bicubitale cum dodrante, ponderis librarum 26. Oculos, hircis esse ad nares conuersos, tradit Cælius, eorum authoritate, qui apud Virgilium vbi ait:

tran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tranſuerſa tuentibus hirquis, legunt hircis, proindeque apud Ariſtotelem τὰ τραγικὰ πρόσω-πα, non laruas interpretatur, quod fecit Theodorus, ſed tragicas facies, ad hanc hircorum naturam referentes, quoniam tragœdorum perſonæ nihil minus, quàm oculos ad nares valeant inflectere. Sed cùm hircus animal ſit libidinoſum, libido verò oculos contrudat in angulorum anguſtias, huc Virgilium reſpexiſſe volunt, vt Seruius, qui hirquos, angulos interpretatur, ex Suetonio in vitijs corporalibus, propterea quòd libidinis, quæ, vt diximus, in hirco præferuida eſt, illic promantur ſigna. Alia ſententia eſt Apuleij grammatici, hirquos dici opinantis, quòd illic hæreant oculi. Aiunt nonnulli capras habere aliquando oculos colore diſſimiles. Plinius ait, in tenebris eos ſplendere, lucemque iaculari. Et apud Ariſtotelem legitur, hominum quibuſdam caprinos oculos eſſe. Virgilius, alijq; poetæ capellas ſimas cognominant. Simus autē, vt Seruius docet, vocatur, qui preſſis eſt naribus, vel qui curuum habet naſum. Dentes capræ ſuperiores nō ſunt præter primores geminos, vt Plinius ait, & pauciores alij, quàm hircis, quod prodidit etiam Ariſtoteles. Dependet omnium mento villus, quem aruncum vocant, teſte eodem, Ariſtoteles χρύγκον, Cælius cryngum vertit, vbi, vt notat Henricus Stephanus, perperam χρύγκος legitur pro ἤριγγος. Inuenio & ſpirillum vocari; Virgilius etiam barbam:

Libidinis ſigna vbi ſe oſtendant maximè.

Simus qui.

Nec minus interea barbas incanaque menta
Gnyphy tondent hirci &c.

Sic Martialis etiam barbatum vocat hircum, Antiochum ineptiſſimum cachinnans tonſorem:

Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor,
Barbatus viuit, ne ferat Antiochum.

Similiter legimus in epigrammate græco:

Ε'ι τὸ τρέφειν πώγωνα μέγαν σοφίαν περιποιεῖ
Ο' τράγος εὐπώγων ἔυσολός ἐςι πλάτων. id eſt,
Si prælonga facit ſapientem barba, quid obſtat
Barbatus poſſit quin caper eſſe Plato.

Apparet autem iſtiuſmodi hirquinam barbam raram eſſe, vel non admodum denſam, ſic enim interpretantur hoc Plauti: G

In pſeudolo.

Heus tu, qui cum hirquina adſtas barba
Reſponde quod rogo.

Noneolas vocari, tradit Feſtus, papillas quæ ex faucibus caprarum dependent; Varro mamillas nuncupat, lacinias Plinius, verruculas alij. Bimas capræ in feminibus mammas habent, teſte Plinio, nec alibi ſicut & oues, cuius rei cauſam eſſe Ariſtoteles tradit, quod ſurſum verſus capiant ſui corporis incrementa, itaque ubi confluuium, & copia excrementi ſanguinis, qui locus ſanè infra eſt, & circa effluentis materiæ oſtia, ibi mammæ à natura poſitæ ſunt, qua enim parte motus agitur alimenti, inde etiam capi alimentum poteſt. Pedes habent macilentos, hinc in epigrammate Α'υτομέδοντος quidam uocatus ad aſperam cænam, in qua hircinus pes, qui ſcilicet non multum haberet deliciarum, aut pinguedinis, & cannabinæ braſſicæ aſparagus fuerant appoſiti dicit ſe obſeruaturum hoſpitem ne denuo uocetur:

4 de part. cap. 10.

Ε'χθὲς δειπνήσας τράγεον πόδα, καὶ δεκαταῖον
Καννάβινης κράμβης μήλινον ἀσπάραγον.
Ε'ιπεῖν, τὸν καλέσαντα φυλάσσομαι. ἔςι γὰρ ὀξὺς.
Καὶ φόβος ἔχ ὁ τυχὼν, μή με πάλιν καλέσῃ. H

Alcmæon, teſte Ariſtotele, credidit capras ſpirare per aures. Idem tradit Plinius, apud quem tamen non Alcmæon, ſed Archelaus legitur, ut apud Varronem quoque. Hoc idem, inquit Varro, paſtores curioſiores aliquot dicunt. Et Aelianus paſtores teſtari refert, capras auribus, & naribus reſpirare. Aegyptij denique ſapientes hominem auditu præpollentem ſignificare ſi uellent, capram pingere ſoliti ſunt, quod per aures perinde atque per nares ſpiritum & emittere, & uiciſſim recipere crederent. Philes ſignum addidit, quoniam naſo obſtructo nihil offendantur; Hucque facit, quod Oppianus de αἰγάγροις, id eſt, capris ſylueſtribus ſcribit, meatum quendam à medio inter cornua loco ad pulmones peruenire, cui cera infuſa ſuffocentur. Inter neotericos Bartholomæus Euſtachius anatomicus diligentiſſimus in uolumine de auditus organis ſcribens, huic ueterum ſententiæ calculum album adijcit, & in homine ſimile quodammodo organum reperiri profitetur his uerbis: Ergo à cauerua oſſis lapidei, in quam meatus auditorius, conchion appellatus finitur, uia in narium cauitatem perforata eſt: ab illa enim meatus alter oritur rotundo canaliculo ſimilis, & inſtar tenuioris calami amplus, qui obliquè ad anterius, interiuſque baſis capitis latus procedens in medio quatuor foraminum, totũ iſtud os penetrat, atque perfodit, nam poſteriori eius ſede arteria ſoporaria caluariam ingreditur: Ante-

Capras auribus ſpirare. Lib. 1. de hiſtor. c. 11.

Auditus hieroglyphicũ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Anteriori quartum neruorum cerebri iugum extra ipsam emergit: Externum latus arteriæ in
duram cerebri membranam distributæ aditum patefacit: internum denique fissura quædam
circumscribit, quæ à cuneum referentis, ac lapidei ossis extremis partibus obliquè antè, & in-
fra ductis fit. Cæterùm hunc meatum de quo nunc sermo est, arbitratur fortasse quispiam eo
loco desinere: res autem non ita se habet, sed alterius generis substantia auctũ inter duos fau-
cium, seu gulæ musculos, à paucis hucusque benè cognitos secundum paulo antè memoratæ
fissuræ ductum, vlteriùs procedit, & iuxta radicem internæ partis ἀπόφυσις ossis alis vespertilio-
num similis in alteram narium cauitatem terminatur, & in crassam palati tunicam prope ra-
dicem gargareonis inseritur. Substantia sanè eius, qua extrema fissuræ ossi temporum, & cu-
neo simili communis tangit, cartilaginea est, ac admodum crassa, huic verò oppositæ partis
substantia exacta cartilago non est, sed membranosum nescio quid habet, & tenuior euadit.
At huius meatus interna extremitas narium cauitatis medium respiciens, robusta est cartila-
go, quæ plurimum extuberat, muccosaque narium tunica obducitur; ac fini eiusdem meatus,
quasi ianitor præfecta esse videtur. Figura teres non est, sed aliquantum depressa duos efficit
B angulos: latitudo cauitatis calamum, quo scribimus, ferè adæquat, sed in fine duplo latior est,
quam in principio, quæ similiter muccosa, sed tenui induitur tunica. Hoc callidissimum natu-
ræ artificium à me inuentum contemni, vt opinor, non debet: Siquidem tum philosophis, tum
medicis non parum vtilitatis afferre potest. Nam antiquiores philosophi, in quorum nume-
ro, vt Aristoteles refert, fuit Alcmæon, capras non modò ore, ac naribus, verùm etiam auribus
spirare, fortè ob eam causam arbitrati sunt, quòd meatum, quem descripsi, non ignorarent, at-
que adeo sæpius experti fuissent, spiritum, vbi ipsum quis cohibet, ad aurium cauitatẽ vi qua-
dam impulsum recurrere, & instar fluctus auditus organa percutere. Hæc omnia Eustachius.
E contrario Aristoteles præcitato loco opinionem hanc maximè reprobat, humanamque dili-
gentiam id nulla adhuc dissectione deprehendisse, aut sensu aliquo euidentiore conijcere po-
tuisse, firmiter asseuerat. Iecur extractum diù moueri aiunt, vt tradit B. Theodoretus in quæ-
stion. in lib. 1. Regum, inquiẽs propterea id suppositum fuisse à Michol filia Saulis vxoris Da-
uidis lecto quem concinnauerat in figuram ægrotantis, vt scilicet eius, qui moueretur figuram
efficeret verisimilem. Fel capris non esse Plinius asserit; quo fortè loco rectiùs legemus ca- *Iecur.*
C preę, nam apud Aristotelem id legitur περὶ προκῶν: Conijcere enim licet Plinium πρόκας red- *Fel.*
didisse capreas, nam & alicubi caprarum sanguinem non spissari asserit, quod similiter Aristo-
teles tribuit ταῖς προξὶ, vbi etiam caprearum legerim. Theodorus hoc vel non animaduertit,
vel non probauit, πρόκα enim, vt suo loco patebit, damam transfert; nisi autem legamus ca-
prearum Plinius contrarius erit & sibi ipsi, cùm contra caliginem oculorum lib. 22. ex aliorum
sententia caprarum fel commendet, quod & Auicenna facit, ac etiam Aristoteli, qui ouium, &
caprarum maximam partem fel habere profitetur, & quibusdam quidem terris adeo largè, vt
exuperantia prodigij loco habeatur, vt in Naxo: Alijs tamen quibusdam locis omnino carere,
vt apud Chalcidem Euboicam parte quadam agri. Ventres habent plures cùm officium oris, *Ventres.*
vt idem Aristoteles ait, non satis in molendo cibo adhibetur propter inopiam dentiũ, est enim
ex ruminantibus, quæ cur pluribus egeant ventribus suo loco abundè ostẽsum est. Lien, vt alijs *Lien.*
etiam bisulcis cornigeris, rotundus est. Aspera arteria hircorum, talis est, qualis in homine ob
nimium humorem, & qui immodicè oleo vtuntur, aspera, & rauca efficitur, vt etiam in pube-
scentibus adolescentibus, qui inde tragescere, siue hircire dicuntur, vt docet Alexander A- *Lib. 1. 123.*
D phrodiseus.

E L E C T I O.

QVI caprinum gregem (inquit Cossinius apud Varronem) constituere vult in *Quomodo*
eligendo animaduertat oportet: primùm ætatem, vt eam paret, quæ iam ferre *caprarum*
possit fructum, & de ijs eam potius, quæ diutius: nouella enim quàm vetus me- *electio insti-*
lior: de forma vidẽdum vt sint firmę, magnæ, corpus lene vt habeant, pilo cre- *tuenda.*
bro, nisi si glabræ sunt, duo enim genera earum: sub rostro duas vt mammillas
pensiles habeant, quod hæ fæcundiores sint; vbere sint grandiore, vt lac multum habeant, &
pingue proportione. Aliàs etiam ait Varro capram amplam potius, quàm paruam eligi. Co-
lumella præcipuè probari asserit, quæ hirco simillima sit, & si vberis est maximi, & lactis abun-
dantissimi. Aristoteles hoc etiam obseruat, vt ætas parentum prouecta potiùs sit, quàm nouel-
la: Oues inquit, & capræ anniculæ coeunt, atque vterum ferunt, sed capræ potiùs: Mares quoq;
in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Hircus qualis eſſe debeat.

in ijs ipſis generibus eodem illo tempore ineunt, ſed proles differt, quatenus præſtantior ea E eſt, quam ſeneſcentes mares & fæminæ procrearint. Caper verò, ſiue hircus eligendus eſt, corporis ampliſſimi, moliori pilo, & potiſſimùm albo, capite paruo, auribuſve flexis, & grauibus, quàm maximè ſimus; ſic Plinius. Palladius pilum probat nitidum, ſpiſſum, & longũ. Columella nigrum, denſum, & longiſſimum, aures verò flaccidas & prægrauantes. Florentinus item cui ſub maxillis duæ videntur pendere verruculæ, breui, plenaque ceruice, αὐχένα καὶ τράχηλον βαρὺν, καὶ παχὺν ἔχων, βρόγχον δὲ μακρότερον. Cornarius pro βαρὺν legit βραχὺν, Varronem, vt apparet, ſecutus, qui hircum ceruice, & collo breui probat. Andreas à Lacuna βαρὺν mauult, & grauem interpretatur, μακρότερον verò poni pro μακρὸν. Bronchus inquit, id eſt, aſpera arteria fieri non poteſt, vt longa ſit, collo breui exiſtente cùm videlicet eius prolixior pars, quæ pectus ipſum egreditur, ſemper adhæreat collo, & longitudinem eius neceſſariò adæquet. Gurgulionem eruditi ferè græcam vocem γαργαρεῶνα, id eſt, vuam reddunt, quod (inquit Geſnerus) hic non conuenit, ſed fortè hoc loco intelligemus ſupremam partem arteriæ ex cartileginibus aliquot conditam, & prominentem, quam græci larynga F propriè vocant. Poteſt ſanè bronchus appellari ἀπὸ τοῦ προέχειν. Probatur præterea hircus armis quàm villoſiſſimis, ex ſententia Plinij, cruribus item craſſis, vt vult Columella. Florentinus vult ſit item ἔνπλευρος, fortè εὔπλευρος, id eſt, lateribus ſeu coſtis firmis, necnon coxis amplis. Varro denique de capris, quæ bis pariunt, natos mares ad admiſſuras præferri ait, & eſſe etiam, qui dant operam, vt ex inſula Medica (Melo potiùs, vt Pollux habet) capras habeant, quod ibi maximi, & pulcherrimi exiſtimantur fieri hœdi. Icones capræ, & hirci, quæ ſequuntur, ad præcedentem paginam lector beneuolus referre.

Hœdi maximi vbi.

L O C V S.

Capræ Achaicæ.

QVIBVS locis, aut regionibus vel abundent, vel quibus etiam commendentur, hac rubrica aperietur: dicemuſque non de domeſticis tantummodò, ſed de ſylueſtribus etiam, cùm quas intelligant authores incertum ſæpe ſit, vel ſaltem perquam ambiguum. Capras Achaicas apud veteres magni factas fuiſſe G ex eo innoteſcere poteſt, quod Athenæus referente Hermolao, caſeum Achaicum Siculo prætulerit ex oppido Tromilia, vnde Tromilicus dicebatur, & à Simonide Stromilius. In Africæ quadam parte capræ tonſiles ſunt, vt tradit Textor; ex quarum villis nauticum velum conficiunt. Syluestres autem capras in Africa nullas eſſe, teſtatur Ariſtoteles, Plinius quicapreas reddere viſus eſt, nam ceruos & capreas ibidem eſſe negat. Ægyptiæ capræ fœtus quinos parere feruntur, quod fæcundiſſimas Nili aquas bibunt. Quam quidem paſtores etiam lactis inopibus pecudibus, & infæcundis dare, inquit Ælianus, ſolent. Scribit verò etiam Plutarchus in libro Vtra animalium &c. Ægyptios affirmare capras ſuas, quoties cum ſole eodem planè loco Sirius oritur, in ortum omnes conuerſas, eò reſpicere, atque hoc ſideris eius reuolutionum argumentum certiſſimũ eſſe. De Agrigentinis capris hæc prodidit Plinius: de caſeo agens: *Et caprarum gregibus ſua laus eſt, Agrigenti maximè eam augente gratiam fumo, qualis in ipſa vrbe conficitur cunctis præferendus.* In Anatolia, quæ eſt Phrygia, ſiue Aſia minor, hirci H ſunt quadricornes, vt refert Scaliger, pilo admodum prolixo æquante candorem niuis. Quẽ vellunt ad textrinam, non autem tondent, propterea quod attonſione pilum aiunt craſſeſcere. Hunc morem veteribus fuiſſe, Varro ait, vnde & vellus dictum putat. Ariſtoteles eiuſdem ſententiæ author eſt: προβάτοις λεπτοτέραι αἱ τρίχες τετιλμέναι ἀναφύουσι; ex molliore villo preciosos conficiunt pannos, Zarzacan vocant, è craſſiore Maiacar; è mediocri id quod zambellot, alij camelot, Turcæ Hac, ſicut hircum ipſum Halc. Hæc ita, inquit, ſcribimus, quia veruecem cum quatuor cornibus abs te viſum pro re mira ſcribis. In Aquilonaribus terris hircorum, & caprarum longè maiorem eſſe abundantiam, quàm in reliquis Europæ locis, tradit Olaus Magnus, ob montana paſcua, & paſtorum caprariorum diligentiſſimam curam. Hircos itaque ibidem eſſe magno corpore, craſſis cruribus, breui, & plena ceruice, auribus flexis, & depreſſis, paruo capite, longo, ſpiſſo, ac nitido collo, cornibus altis, & latis, animoſos, bellicoſos, & robuſtos, ita vt lupis mediocribus, canum tamen auxilio congredi non formident. Ferè omnes colore albos eſſe, ita & capras, hyeme paſci pinearum arborum corticibus, atque muſco, ac populeis virgis. Pelles eorum maximis nauigijs quęſtus, & lucri cauſa, decadumque numero exportari ad Germanicas oras, vbi rurſus amplius diſpergantur in orbem; ſimiliter & caſeos propter efficaciam nutrimenti, ac medicinæ ſcilicet ſtupidæ, ac ingroſſatæ carnis, vel tur-

Capræ tonſiles.

Fertiles vbi ſint.

Exerc. 199. nu. 4.

Hirci quadricornes.

Sect. 10. probl. 15.

Caprini pecoris abundantia.

turgentis. Addit inſuper carnibus iſtis caprinis crudis ſole, ſale, uentoque ſiccatis incolas Ba-
auidius veſci, quàm illicò mactatis; idq; tempore æſtatis, & agriculturæ Caricos hircos Va-

Capræ albiſſimæ, & maximæ.

rinus exponit εὐτελεῖς, ideſt, viles. Caſpiæ capræ, vt tradit Aelianus & albiſſimæ ſunt & corni-
bus mutilæ, & ad maximorum equorum magnitudinem accedunt. Earum villi adeo molles,
cum Mileſijs lanis vt mollitudine comparari poſſint, ex ijſq; ſacerdotes, & Caſpiorũ ditiſſimi
veſtes conficiant. In Cephalenia capras non bibere quotidie, vt alia animalia, author eſt Ari-

In mirab.

ſtoteles, ſed aduerſum ſibi ventum ore hiantes excipere. Idẽ tradit Valerius Maximus. Ideo-
que Theophraſtum ferunt dixiſſe capras has Cephalenidas ſex menſibus non bibere, vti me-

Lib. 3. c. 31.

morat Aelianus, & ante ipſum Ariſtoteles. In Cilicia, referente Plinio, circaq; Syrtes villo to-
ſili veſtiuntur. Quo loco Hermolaus pro Syrias Syrtes repoſuit, circa Syrtes enim, inquit, Ci-

Cinyps qd, & vbi.

nyphium pecus celebratur Virgilio, Silio, Martiali, Claudiano, cæteris, vt quinto lib. caſtiga-
tionum diximus. Eſt autem Cinyps ſecundum Probum, oppidum, & flumen Africæ regio-

Lib. 14. c. 6.

nis Garamantum, apud quos villoſiſſimi iſtiuſmodi hirci tondebantur ad Cilicia, quibus
nautæ vtuntur, & milites: Virgilius:

Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cinyphij tondent hirci, ſetaſque comantes
Vſum in caſtrorum, ac miſeris velamina nautis.

Lib. 14. c. 6.
Creta cur capris abũdet.

Cretam inſulam copioſam capris eſſe, teſtatur Iſidorus. Alij verò, vt Solinus, agrum Creti-
cum ſylueſtribus capris abundare aſſerunt. Cur autem vel illarum, vel harum ibi copia ſit, ra-
tio eſſe videtur, quòd ea inſula, vt aſſerit Bellonius, lupis careat. Cõmemorantur etiam Cyn-
thiæ capræ ſylueſtres à Cyntho monte Deli ſic nominatæ, de quibus græci authoris incerti

Lib. 1. c. 13.
Lib. 6. ſect. 15.

epigramma extat in anthologio huiuſmodi:

Κυνθίδες θαρσεῖτε. τὰ γὰρ τοῦ Κρητὸς ἐχέυμα
Κεῖται ἐν Ὀρτυγίῃ τόξα παρ᾽ Ἀρτέμιδι.
Οἷς ὑμέων ἐχένωσεν ὄρος μέγα νῦν δὲ πέπαυται
Αἶγες ἐπεὶ σπονδὰς ἡ θεὸς εἰργάσατο.

Damaſcenæ capreæ quales.
Lib. 1. nauig. c. 7.

Damaſcenæ capreæ ſupra palmum longas habent auriculas, vbera multiplicia, ſuntq; admo-
dum fœcundę, teſte Ludouico Romano. Circumducuntur quadraginta, vel quinquaginta ab
ijs, quibus lac eſt venale, & vbi lac emere volueris, in ſuperius deuehuntur cœnaculum, etiãſi G
triplex foret contignatio, vbi corã in vaſa ſtannea lac emulgent. Galliarũ caſeus caprinus la-
pore ſuo medicamenti vim obtinet, teſte Plinio. Geſnerus aſſerit capras in Narbonenſi Gal-
lia audiuiſſe ſe auriculas latiores, longioreſq; ſuis habere, vt quæ ad dodrantem longitudinis
accedant. Capras in Gimanti natas Alexander Mindius ſcribit, recitante Aeliano, ſex men-

In mirab.
Capræ vbi piſcib. alantur.

ſes non bibere, ſed tantum in mare intueri, & ore hiante illinc auras accipere. Idem tradit e
eodem Mindio Illyricas capras vngulas quidem habere, ſed non bifidas. Ariſtoteles verò aſ-
ſerit apud Illyrios pecora dici bis anno parere, geminos pleraque, nõnullos etiam ternos, aut
quaternos hœdos, alia quinos, vel plures, præterea lactis ſeſqui congium reddere. In India
Coytha vico ſic nuncupato ab indigenis piſces capris comedendos obijci, refert Aelianus ex

Lib. 3. c. 7.
Vbi fœcũdæ ſint.

Orthragora, in libris, quos conſcribit de reb. Indicis. Ludouicus Barthema verò in itinerario
ſuo Indico, teſtis eſt, Indicas quaſdam capras in vrbe Tarnaſſari Indię orientalis miro modo
quaternos fętus vno partu edere; Sed & iuxta promõtorium, cui caput viride nomẽ eſt, Afri-
canę cuiuſdã inſulę capras ternos & quaternos vno partu edere, incerti nominis author Luſi-
tanus, referente Tamuſio aſſerit. In eadem India orientali apud Amboinũ ſuis ſe oculis con-

Epiſt. lib. 2. 3.

ſpexiſſe hircum ſcribit Franciſcus Xauerius homo Societatis Ieſu, lacte ſuo paruos alentẽ hœ-
dos, vbere enim, quod prope genitalia vnicũ habebat tantũ lactis reddebat quotidie quantũ
ſcutellã capere poteſt. Hoc ille vir ſuis oculis conſpexiſſe prædicat, aliter crediturũ nõ fuiſ-
ſe. Et Luſitanum quendam honeſtum hunc hircum eo conſilio aſportaſſe ſecum, vt in Lu-

In comm. Eclog. 3. Virg.
Vbi viri lactent infantes.

ſitaniam mitteret, adijcit lacrbus Pontanus homo etiam eiuſdem ſocietatis huic affinem vi-
hominibus. Ex Braſſilicis noſtrorum literis cognouimus gentem quandam inuentam in qua
viri, non fœminæ lactant infantes: his enim mammas eſſe paruas, & vacuas; illis magnas,
& lactis plenas. De cauſa, inquit, diſputent phyſici, nondum omnia naturæ miracu-
la ſcripſerunt Plinius, Ariſtoteles, & alij. Tantum ille. Indos contrà occidentales capris
carere atteſtatur Franciſcus Lopezius. In Italia circa Fiſcelium, & Tetricam montes
multæ ſunt capræ feræ, teſte Varrone, qui etiam ait, capras, quas alimus à capris feris

Ithaca caprarum altrix.

ortas eſſe, & ab his propter Italiam Capraſiam inſulam eſſe denominatam. Ithacam
Telemachus apud Homerum αἰγίβοτον vocat, equos cum curru à Menelao ſibi dono datos
recuſans, quòd ea alendis equis, ducendiſque curribus minus apta eſſet, propter loci aſperi-
tatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tatem, quæ equorum pascua non admittit, alendis verò capris sit perquam idonea Libyco-
rum capra ex pectore vbera appensa habere legitur apud Aelianum. In Lycia Callisthenes *Lib. 16. cap.*
Olynthius, vt idem Aelianus refert, capras scribit densissimo & prolixissimo hirsutas esse pi- *31.*
lo, vt muliebres crines esse videãtur, & passim tanquam oues tonderi, ex eisdemque nauium
fabros rudentes contexere. Mambrina capra in regione Damiata dicta, fert equitantem, sel- *Vbi equitã-*
lam, frenum, & cætera quibus equi instrui solent, admittit: auriculas ad terram vsque de- *tur capræ*
missas habet, cornua deorsum reuoluta sub ore, vt Italus quidam innominatus in descri-
ptione terræ sanctæ refert apud Gesnerum: qui quærendum ait, an sit ex capris syluestribus
illius regionis: additque recentioribus quibusdam hanc Indicam capram dici (vt pleraque
peregrina Indica) tradereque eos cornua ei acuta esse, parum distantia: corporis colorem
eundem qui rupicapris (capras intelligit, quarum cornua in posteriorem partem adunca
sunt,) testes vt equi: cæterò nostratibus capris non dissimiles, syluestres tamen esse, & in al-
tis montibus reperiri, visu acutissimo, & ob eam causam à Græcis dorcades nominari. Sed
B illi in dorcadum nomine plurimum falluntur, inquit Gesnerus, vt patebit infrà in historia
dorcadum. Mambre mons est iuxta Hebron; inde Mambrina factum cognomen suspicor:
Hæc ille. Ex Media insula Romæ olim multas habuisse capras scribit Marcus Varro, quòd
ibi maximos & pulcherrimos hœdos fieri existimetur: Quo loco Mercurialis; non ex Me-
dia, sed ex Melica insula legendum, inquit, censuissem, nisi Columella author esset, vulgares *Lib. 2. de re*
mutata litera Medicos Melicos dixisse: quod non aduertens Gesnerus, Varronis locum cor- *rust.*
ruptum esse indicat. Capras in Mymante natas sex menses non bibere, sed duntaxat in mare *Lib. 1. var.*
intueri hiantes aurasque illinc excipere tradit Alex. Myndius referente Aeliano. In Nubia *lect. 25.*
regione, quam nunc Mauritaniam vocant, inter auriculas caprorum & caprarum palmi ferè *Lib. 5 c. 17*
(dodrantem intellige) mensuram intercedere, & caprorum quosdam caudas habere penden-
tes vsque ad terram, eorundemque auriculas terram ferè etiam attingere ait Albertus Ma-
gnus: sed locus omnino corruptus est, cùm ita legendum sit, vt modò in Syria ex Aristotele
dicemus. Memorabiles sunt capreæ quas Pharos insula Aegæi maris gignit, multas equidem,
& aliarum maximas, visuque spectabiles, nam ceruis quidem sunt colore similes, maiores au-
tem magnitudine: Est autem eis cornu longum ad duodecim palmos, non vt ceruorum, or-
C natum ramis, & adnatis propaginibus, sed totum rectum, & quod vnum solum habet por-
rectum stipitem, vt scribit Metaph. in vita S. Theoctistæ Lesbiæ, apud Surium tomo 6. No-
uembri. In Rhœtia Heluetica præstantes caseoli caprini fiunt præcipuè ijs in locis, qui cir-
ca thermas Fabarianas montani sunt, partim ex caprino mero, partim admixto bubulo lacte,
vt asserit Gesnerus. Sardiniam pecudum optimam esse Nymphodorus scribit, caprasque pro- *Sardiniæ pe-*
creare, quarum pellibus pro vestibus indigenæ vtantur, tamque mirifica vi esse, vt hyberno *cudum co-*
tempore calefaciant, æstiuo refrigerent, simulque in ijs ipsis pellibus cubiti magnitudine pi- *pia.*
los innasci, atque ei, qui eis indutus fuerit, si commodum videatur, cùm est frigida tempe-
stas, pilos ad corpus conuertit, vt ab ijs calescat; cùm autem est æstas, inuertit ne calore ve-
xetur. Hæ an eædem quæ Musmones sint, non ausim affirmare, Volaterranus quidem è villis
musmonum fomenta confici scribit, Strabonem citans, sed Strabo loquens de Sardinia, &
Corsica asserit in his insulis nasci arietes, qui pro lana pilum caprinum producunt, eosque *Lib. 5.*
musmones nocitari, exque eorum sese pellibus thoracis modo incolas munire: Similiter fe-
rè Plinius, nisi quod pro Sardinia ponat Hispaniam: Est, inquit, in Hispania, sed maximè
D Corsica, non maximè absimile pecori (idest, ouibus) genus musmonum villo caprino, quam *Lib. 22.*
pecoris velleri propius, quorum è genere, & ouibus natos prisci vmbros vocauerunt, Alber-
tus verò in voce Ibrida musmonem ex capra & ariete natum dicit cinirum ex oue, & hirco. In
eadem Sardinia, vt testatur Pausanias, hirci syluestres eadem sunt magnitudine, qua hirci alia- *In Phocicis*
rum regionum. Formam verò habent, qualis in Plastice Aeginæa repręsentatur arietis sylue-
stris: nisi quod circa pectus hirsutior est, quàm arte illa repræsentari solet, cornua ei non protẽ-
duntur à capite à se inuicem dissita, sed statim iuxta aures reũoluũtur. Celeritate quidẽ belluas
omnes superat. Clitus Aristotelicus in ijs, quæ scripsit de Mileto, asserit Polycratẽ tyrannũ Sa-
mium omnia, quę erãt alibi ob delitias, cõgregasse canes ex Epiro, ex Scyro capras, oues ex Mi- *Lib. 12. cap.*
leto, sues ex Sicilia, sicuti legimus apud Athenęũ. Alij caprã Scyriam ferã esse aiũt, & mulctrũ, *19.*
quod lacte impleuerat, ipsam rursus euertere: Est autem Scyros vna Cycladum. In regno Se-
negę Nigritarum boues solùm, & buculæ visuntur inter animalia domestica, nam capras, & *Capræ deli-*
pecora ibi non videri asserit Aloysius Cadamustus ob ardorem torrentis sideris. Siculum *catæ vnde pe-*
caseum Iulius Pollux meminit, & Aristoteles ex ouillo, & caprino mixtum lacte, quod ho- *titæ.*
dieque fit vbi vtriusque copia habetur. Hunc Athenæus præferri putat omnibus, vtique *Cap. 29 suæ nauig.*

poſt Achaicum, de quo ſuprà. In Syria, teſte Ariſtotele capræ ſunt auriculis, menſura do-
drantali,& palmari, ac nonnullæ demiſſis ita, vt ſpectent ad terram. Reperio verò apud Ae-
lianum capras Syrias, quantum alias vllas lac habere dici; quo tamen loco capras Scyrias le-
6. Nauig. cap.7. gerim, quæ plurimum lactis habere dicuntur, vt dictum eſt. Iuxta vrbem Tarnaſarum, vt ſcri-
bit Ludouicus Romanus, reperiuntur nonnullæ capreæ magnitudine noſtras excedentes, no-
Vbi maximè fœcundæ. ſtriſque longè pulchriores, tantæ fœcunditatis, vt vno partu quaternos fœtus ferant. Tibur-
tinos hœdos apud Romanos proceres magni æſtimatos fuiſſe his verſibus oſtendit Iuuenalis:

Satyr. 11. *De Tyburtino veniet pinguiſſimus agro*
Hœdi vbi delicati. *Hædulus,& toto grege mollior, inſcius herbæ,*
Necdum auſus virgas humilis mordere ſalicti,
Qui plus lactis habet, quàm ſanguinis &c.

NATVRA. MORES.
Ingenium. Libido.

CAPRÆ natura, teſte Ariſtotele, mobiles ſunt,& celeres, quamobrem à paſto-
ribus ducem eis præfici negat. Aelianus tamen hircum caprarum gregem
barbæ fiducia antecedere ſcribit. Nocet huic pecudi æſtus, ſed magis frigus
vt memorat Columella,& præcipuè fœtæ, quæ gelicidio hyemis conceptum
fecit. Amat, hoc caprinum pecus dumeta potiùs, inquit Columella, quàm
campeſtrem ſitum, aſperiſque etiam locis, ac ſylueſtribus optimè paſcitur, & Varro cùm di-
xiſſet, nec mulos aliter hoc pecus in paſtu tuendum eſſe, atque ouillum, addit habere tamen
ſua quædam propria, quod potius ſylueſtribus ſaltubus delectantur quàm pratis, & aliàs in-
Eclog. 1. quit in montoſis potiùs locis, & fruticibus, quàm herbidis campis paſci. Eleganter Vir-
gilius:

Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ,
Non ego vos poſt hac viridi proiectus in antro
Dumoſa pendere procul de rupe videbo.

1. de ponto. eleg. 9. Et imitatus eum Ouidius:

Ipſe ego pendentes (liceat modò) rupe capellas,
Ipſe velim baculo paſcere nixus oues.

In Ezech. cap. 43. Ita autem inhærent rupibus paſcentes, vt infrà eas intuentibus videantur pendere. Diuus
Hieronymus: capra, inquit, ſemper ad excelſa feſtinans eſt animal,& nihil periculi ſuſtinens
Capræ excelſa amant. in præcipitijs,& ibi inuenit viam, vbi cæteris animantibus interitus eſt, vnde & græco ſermo-
ne caprarum,& hircorum grex, ſublimium conuerſatio dicitur, hoc eſt, αἰπόλιον, quaſi αἰπόπο-
λιον, ſiquidem αἶπος excelſum, πόλιον conuerſationem ſignificat. Tantum Hieronymus. Sed
αἰπόλιον quaſi αἰγοπόλιον dici mox ſuo loco patebit: Quia verò capræ altiſſima loca petunt, &
maximè ſaxoſa, hinc ipſæ petræ αἰγίλιπες græcis nuncupantur. Cùm paſcuntur ab imis parti-
1. de remed. amor. bus ſemper prominentium ſcopulorum alta depoſcunt, hinc idem Ouidius:

Aſpice labentes iucundo murmure riuos,
Aſpice tondentes fertile gramen oues.
Ecce petunt rupes præruptaque ſaxa capellæ,
Vt referant hœdis vbera plena ſuis.

1. Saturn. Similiter facere capricornum, tradit Macrobius, ab inferis nimirum partibus ad ſuperas ſo-
Lib. 1. carm. od. 17. lem reducendo. Inter cæteros verò montes vmbroſos præferre videntur, ſicuti oſtendere vi-
detur his verbis Horatius:

Velox amænum ſæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, & igneam
Defendit æſtatem capellis
Vſque meis pluuioſque ventos.

Lucretilis mons vbi. Eſt autem Lucretilis mons in Sabinis inter eos montes, quos Farfarus fluuius alluit, in cu-
ius valle amæniſſima, multiſque arboribus opaciſſima villam habuit Horatius. Lycæus ve-
Lycæus vbi. rò eſt mons in Arcadia Pani ſacer. Nonnunquam verò montium cauernas ingrediuntur,
Lib. 11. quibus dirumpentibus aliquando intereunt; vnde Q. Calaber Aeneæ robur indicaturus, facta
ſimilitudine ſcribit, ſaxum vtriſque ſublatum manibus tanta cum vi immiſiſſe in Græcos, vt
omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A omnes, quos sub scutis deprehendit, exitio dederit, non aliter ac in montibus capras sub eminentiam in montis se recipientes, præcipitium obruit. Loca interim culta non auersantur, quin in ijs virgulta carpunt. Hinc Virgilius in Diris:

Et pater hædorum felix, semperque beate
Siue petis monteis præruptos saxa pererrans:
Siue tibi syluis noua pabula fastidire
Siue libet campis: tecum tua læta capella est.

Apuleius: *Proximè ripam vago passu lasciuiunt comam fluuij tondentes capellæ.* Sed satis præ cætera pecude quàm maximè noxia est, vnde vrentes culta capellas, poeta vocabat, & apud Varronem, Cossidius inquit, capellarum dentes inimici sationis, aitque idem Varro in lege locationis fundi excipi solere, ne colonus capra natum in fundo pascat. Aristoteles tradit in pascendo loca crebrò permutare, summaque tantùm contingere. Quod verò ad ingenium attinet, etsi ouibus, amicitia coniunctæ sint, & Aristoteles etiam scribat: quorum vox acuta est, & clamosa, *μάγρυς*, idest, stupidos esse propter similem caprarum vocem, hæ tamen, B teste Aeliano, indignum putant se in extremo ouilli pecoris agmine incedere, ideoque gregem antegredi. Solertiam verò in primis earum Mutianus, teste Plinio, visam sibi prodidit in ponte prætenui duabus (Plinij verba sunt) obuijs è diuerso: Cùm circumactum angustiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitatem cæca, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatæ supergressam. Tradit verò etiam Bellonius, varias gesticulationes multa animalia imitari, magna facilitate edocere Cairinos, atque inter reliqua capras ipsas ephippium gestare, subsultareque, & calcibus ferire equorum instar, hisque ita deinceps simias sessores imponi. Vidi ego, quæ ad musicæ sonum choreas duceret, per orbem ligneum, cingulumue transiliret, ac deniq; per funem ambularet, ac mox rursus se exiguum super orbem circumuertens per eundem funem regrederetur non sine spectantium summa admiratione. Discunt currui iungi: Lego enim apud Athenæum, in pompa Ptolomæi Philadelphi hircorum bigas sexaginta fuisse. Est item sibi ipsi capra medica, caliginem enim oculorum probè, teste Aeliano curare nouit; cùm enim conturbatum, inquit, oculum, & non probè ad videndum affectum sentit, eum ad rubi spinam & admouet, & reserandum C permittit: Hæc vbi pupugit, pituita statim euocatur, & nulla pupillæ læsione facta videndi vsum recuperat. Hinc etiam homines hoc curationis genus didicisse existimantur. Sic ille: Idem tradit Plinius, additque caprum rubi spina vti: *Oculos* (inquit) *suffusos capra, iunci puncto sanguine exonerat: caper rubi:* Vbi verò purgatione etiam egent, helleboro vescuntur, similiterque eius vsum homines docuere: author huius rei est Plinius his verbis. Melampodis fama diuinationis artibus nota est. Ab hoc appellatur vnum hellebori genus Melampodium. Aliqui pastorem eodem nomine inuenisse tradunt, capras purgari pasto illo animaduertentem, datoque lacte earum Prætidas sanasse furentes. Idem Plinius eas negari ait lippire quoniam quasdam herbas edant, & ob id fimum earum cera circumdatum noua luna deuorare iuberi, & quoniam noctu æquè quoque cernant, sanguine hircino sanari lusciosos putari. Inuenio hircum cornua decidentia obruere terra, ne inueniantur. Capra verò mortem sibi imminere pulchrè nouit, dummodo verum est, quod scribit Aelianus, videlicet posteaquam proxima est, vt iuguletur, non amplius cibum attingere. Ventos impetuosos, ac frigidos perhorrescunt, etsi aliàs altissima montium iuga incolant, hinc Græcos impetuosum D Telephi filium irruentem formidantes capris istiusmodi assimilat Q. Calaber his verbis: At hi metu perculsi intra munimenta se tenebant, vt capræ in montium iugis metuentes impetuosum ventum, qui terras frigore perflans magnam vim niuis, ac horridam grandinem effundit: Hæ igitur quamuis ad pascua properantes haud rectà ad ipsum ventorum impetum per colles caput exserunt, sed dum vis procellarum desæuijt, cunctantur sub tegmine, ac conuallibus conglomerratæque sub opacis ramis pascuntur turmatim, dum perniciosi ventorum turbines consopiantur. Albertus cùm pascuntur in die dici, ait, respicere ea, quæ è regione sunt opposita: In sero autem respicere ea, qua iuxtà sunt posita. Apparet autem hoc transtulisse à Plinio, sed malè intellexisse eius verba; capras enim, ait, in occasum decliui sole, in pascuis negari cõtueri inter sese, sed auersas iacere, reliquis autem horis aduersas, & inter cognitiores. (lego cognatiores:) nam & Aristoteles ait: cubant oues, capræque vniuersæ per cognationem. Hircos verò aiunt sex menses hybernos supra sinistrum latus iacere cùm dormiunt, ab æquinoctio hyberno totidem mensibus supra dextrum. Cùm primùm sol cõuersus destiterit, capras non aduersis præterea inter se oculis, sed auersis cubare accepimus. Testatur item cubare

Caprarum superbia, & solertia.

Lib. 2. obser. cap. 52.

Capræ non lippiunt.

Capra mortis suæ præscia.

Lib. 7.

difficilius oues, quàm capras, magis enim capras quieſcere, accederéque ad hominem familiarius, ſed eſſe frigoris impatientiores. Antigonus in congerie mirabilium narrationum caprarios teſtatur perhiberi dicere, quando ſol primùm ſe conuertit, capras verſis oculis cubare. Sub meridiem non aliter, atque de ouibus dictum eſt, aquatum ducuntur, huc ſpectat illud Virgilij in Culice:

Et iam compellente vagæ paſtore capellæ
Ima ſuſurrantis repetebant ad vada lymphæ
Quæ ſubter viridem reſidebant cærula muſcum.

Capra vna arunco apprehenſa totum gregem ſtupidum reddit.

De eryngio fabuloſa & de arunco.

Plinius item author eſt, arunco ſiquis apprehenſam ex grege vnam trahat, cæteras ſtupentes ſpectare. Cæterùm cùm eis idem accidere dicant, vt infra dicetur, ſi qua earum eryngium momorderit, Geſnerus conſiderandum eſſe monet, an qui eryngio hoc attribuere, eryngi (ſic græci aruncum vocant) nominis vicinitate decepti ſint, curioſi inquit experiantur, ego quod ad eryngium, rationis nihil video, eryngo autem apprehenſa vna, cæteras ſtupere minus mirum eſt. Eiuſdem ſententiæ eſt Pierius in hieroglyphico conſternationis multitudinis: Sunt, inquit, qui multitudinem vniuſcuiuſque caſu conſternatam, obſtupefactamque indicare volentes capram villo à mento dependente comprehenſam depingant. Accidit enim, vt ſi earum vnam ex grege arunco eo apprehenderis, cæteræ ſtent veluti ſtupidæ, ſuos in illam vel originam oculos conijcientes. Sunt verò, qui loco hoc modò eryngium, modò moly, vel origanum etiam quærant, quem caulem ſi ouis, capellaue paſcendo euulſerit, & in ſublimi conſpicuum erexerit, grex reliquus abiecta pabuli cura attonitus reddatur, neque prius pabuli memor fiat, quam caulis illa à paſtoribus ab ore pecudis abſtracta abijciatur. Cuius fabulæ authores etiam citant Ariſtotelem, & Plutarchum. Nos hieroglyphicum de apprehenſa capræ barba, quam Opilius Aurelius ſpirillum vocari dicit, aruncum Plinius, ex naturali hiſtoria deſumpſimus. Inuenio & apud Antigonum in opere præcitato: Caprarum, ſi vna ſi arripiat extremitatem orytij, quod eſt inſtar pili, reliquas ſtare veluti dementatas, & primum in illam intueri. Ego hanc vocem non reperio. Afferunt & Magi ſua commenta, primum omnium rabiem hircorum, ſi mulceatur barba, mitigari: eadem præciſa non abire eos, teſte Plinio, in alienum gregem. Florentinus verò in geoponicis græcis hircum pollicetur non fugiturum ſi barba eius detondeatur. Eſt autem hircus natura animoſus, pugnax, & robuſtus, & ſecundum Albertum vires ei præcipuè in fronte, & cornibus, quæ longa habet, & acuta, apta videlicet, vt inſpicientibus timorem incutiant: hinc puto Pyrrho, & Philippo regibus hircina cornua fuere pro criſtis. Sed & ipſi hirci, ſiue capri de ſuis criſtis gloriantur, contrà eos, pilis inhorreſcentes pertimeſcunt venatores, vt teſtatur Clemens Alexandrinus; Nouere itidem ea pro armis ſibi data, nam ſæpe ijs ipſos paſtores inuadunt, hinc illud Virgilij:

Hircina cornua pro criſtis qui habuerint.

Lib. 3. c. 3.

Eclog. 9.

Tityre & inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille caueto.

Εἰδυλ'. 8.

Theocritus verò hoc tribuit arieti, dum canit:

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας,
Καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε Τίτυρε, καὶ τὸν ἐνόρχαν
Τὸν λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μή τυ κορύψῃ. ideſt,
Tityre, cuius amor felix mihi, paſce capellas,
Illaſque ad fontem duc Tityre: & à coleato
Cnacone à Libyco, ne tu feriare, caueto.

Dum verò etiam incedunt ceu inuicem rixantes cornibus cedunt, laſciuiuntque maximè in adoleſcentia, vt teſtatur idem Virgilius:

Georg. 2.

pingueſque in gramine læto
Inter ſe aduerſis luctantur cornibus hædi.

Habemus & hoc apud Horatium ad fontem Blanduſiæ.

Cras donaberis hædo.
Cui frons turgida cornibus
Primis, & venerem, & prælia deſtinat.
Fruſtra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro ſanguine riuos
Laſciui ſoboles gregis.

Et rurſus eodem libro. Ode 15.

Illum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Illam cogit amor nothi
Lasciui similem ludere capreæ.

Seneca in Hercule furente:

Errat cursu leuis incerto
Molli petulans hædus in herba.

Petulantes, & petulci etiam appellantur, inquit Festus, qui proteruo impetu, & crebro petunt lædendi alterius gratia. D. Chrysostomus inuidere inuicem tradit, eòque spectare Salamonis hoc in inuidos *sicut capra, sic aspexit ruinam proximi sui*; esse item iactantes, & gloriantes, & hoc indicari ab eodem rege sapientissimo his verbis: *Tria sunt, quæ securiter ambulant, leo inter iumenta, gallus inter gallinas, & hircus præcedens capras.* Multum verò etiam trahi concupiscentia gulæ, propter gulam namque suam per saxa, & præcipitia ambulare, & super præcipitia se suspendere. Famosa in primis hircorum libido est. Authore enim Aeliano, septimo post die, quàm in lucem editi sunt, coire incipiunt, & quamuis sterile semen emittunt, omnium tamen maturissimè quadrupedum ingrediuntur coire. B Fuit hæc etiam Aegyptiorum sacerdotum sententia, quandoquidem, teste Oro Apolline, in hieroglyphicis penem fæcundum significantes, pingebant hircum, quo eum post septimum, quo ortus, diem coire cernerent; Et quamuis inualidum, & sterile semen emitteret, coire tamen citius cæteris animalibus. Ad hæc efferantur, vt ait Aristoteles, per libidinem, qui enim superiore tempore socijiugi concordia pascerentur, coitus, inquit, tempore dissident, & alter alterum libidinis rabie inuadit. Aelianus istiusmodi pugnam cum tauris, & arietibus communem hircis esse testatur. Nec verò cum capra tantùm coit, sed cum alijs etiam animantibus. Vmbros enim vocari diximus, qui ex hirco generantur, coeunte cum oue, siue, vt vocat Albertus, cinyrum. At verò in Sebenitica præfectura in agro Hermopolitano, & Mendesio, vbi Pan colebatur, sub effigie hircina, aiunt, hircos cum mulieribus ad coitum se commiscuisse. Cuius in primis libidinis Pindarus meminit, cùm inquit:

Libidinis hieroglyphicum.

Vbi mulieres hircis misceãtur.

Μένδητα παρὰ κρημνὸν θαλάσσης ἔσχατον Νείλου κέρας αἰγίβατοι, ὅθι τράγοι γυναιξὶ μίσγονται. idest, *Vltimumque Nili cornu caprarum pascuntur greges, & lasciui mulieribus admiscentur hirci.* C Falsum tamen esse id tradit Grillus apud Plutarchum, Vlyssi, quòd Circes concubitum spreuisset, iactanti respondens in hæc verba: Atqui in hac profectò re nihil antecellis animantibus brutis; nam & hæc voluptates, & amores captant à sui generis animalibus. Itaque admiratione dignum non est, si quemadmodum Mendesius in Aegypto caper inclusus cum multis, ac formosis mulieribus coitu abhorret, & capras desiderat, ita tu venere consueta vtens, homo cùm sis, concumbere cum Dea noluisti. Idem tamen Plutarchus in volumine de præceptis coniugalibus, quæ sit hircorum libido indicans: non credunt, inquit, mulieres Pasiphaen cùm regis esset vxor, bouem adamasse, cùm tamen videant quasdam quæ austeros, & temperantes non ferunt, intemperantibus, & libidinosis veluti canibus quibusdam, aut hircis libentius consuescere. Ad eandem libidinem respexere, qui Mercurium ipsum in hircum mutatum adamatum fuisse tradunt à Penelope, & ex eo concubitu Pana enatum, hircipedem, siue pedibus hircinis; Aiunt enim Penelopen ijs potissimùm corporis sui copiam fecisse, qui in hac venerea palæstra præ cæteris haberentur strenui, quoniam talis Vlysses suus fuisset. Huc referendum vetus adagium θμουϊτῶν τράγος, idest Thmuitarum tragus, de mulieroso homine vsurpatum, in quem adhinniunt D quodammodo scorta, ad vnius nutum parata, à Diuo Clemente in protreptico, vbi loquitur de Apolline nobili insessore, qui multas habebat amicas ἐνεμπέμπλατο γοῦν, inquit, γυναικῶν οὐκ ἧττον, ἢ αἰγῶν ὁ θμουϊτῶν, idest, mulierculis ad satietatem se expleuit non paucioribus, quàm capris Thmuitarum hircus. Neque aliam etiam ob causam à priscis in ludis solemnibus primo loco ducebatur amphora vini, & clematis: (fabæ genus exponunt) post aliquis hircum trahebat, deinde nucum sportulam portabat alius, postremo loco phallus ferebatur: Ea erat effigies obscæni membri virilis; qua de re consulendus Plutarchus in commentario περὶ τῆς φιλοπλουτίας, & in libro de Iside & Osiride. Eandem etiam ob causam satyra Varronis caprinum prælium inscribebatur, vt Adrianus Turnebus docet in aduersarijs, in quo de voluptate, vt coniectura est, disserebat, qua enim alia de re hirci, & capri contenderent? præsertim cùm hoc pecus lasciuum sit, & petulans, & voluptatem auidissimè sectetur. Græci denique poetæ caprum ab Hercule domitum eadem de causa finxerunt, quod is, cùm procaci lasciuia, homines ipsos antecelleret, domitus à virtute impositum petulantiæ modum, extinctosque libidinis æstus, suppressosque procacitatis impetus demonstraret. Nam eius nequitiæ vir fuit, vt triginta vna nocte mulieres aliquando fera-

Mercurius in hircum mutatus à qua adamatus.

Libidinis hieroglyphica.

Lib. 24. cap. 46.

Herculis libido.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tur inijſſe, &, vt apud Athenæum, idem ſeptem diebus, quinquaginta filiabus Theſtij virginitatem imminuit. Eſt præterea zelotypus hircus, ſicuti notum eſt ex hac hiſtoria: In vrbe Sybari caprarium peradoleſcentem tradũt nomine Crathim, cùm cupiditate libidinis flagraret, incæſtum in capram ſcelus exercuiſſe: quod quidem ipſum, vt hircus gregis dux perſpexit, riualitate laborare, atque interea ſuum occultare animum cæpiſſe, quoad aliquando tandem eum ſomnum capere deprehendiſſet: Tum enim omnibus reuocatis viribus, facto in eum impetu, cerebrum diminuiſſe. Cùm verò huiuſmodi factum ad indigenas permanaſſet, non modo tumulum ei magnificum excitatum fuiſſe, ſed ex eo etiam fluuium Crathin nominatum. (Straboni verò Crathis fluuius iuxta Aegas Achaicas è duobus fluminibus incrementa ſuſcipit, ſic à miſcendis aquis appellatus, à quo & Italicus vocatus ſit) Infantem autem ex eius ex capra conſuetudine ſuſceptum, caprina habentem crura, & humanam faciem in Deos repoſitum, Deorumque honore affectum fuiſſe, & Syluanum Deum (Cælius, qui eandem hiſtoriam deſcribit, Hylæum numen Napæumque vocat) eſſe, in ſermonem hominum veniſſe. Ex qua hiſtoria in belluis etiam obſtrectationem, & riualitatem ineſſe, hirci huius exemplo nos doceri, exiſtimant. Cùm itaque & zelotypus ſit, tamque famoſa ſit eiuſdem libido, ac virilitas: Cælius igitur conſiderandum eſſe monet, an verum ſit, quod recentiores quidam non indocti dum cauſam eruere conantur, cur illi, quorum vxores corpus inuulgant, hircorum appellatione diffamentur paſſim, inde fieri conijciunt, quòd animalium ſoli, vt putant, hirci ſui generis fæmellas, ipſis intuentibus, iniri facilè ferant. Pierius Valerianus hoc inuentum adeo nouum eſſe negat, vt nullam ſapiat antiquitatem (quòd hodie ſcilicet vulgò caprum eum appellamus, qui coniugem habeat adulteram) erat enim & hoc, inquit, & apud veteres hieroglyphicum, atque illud inſuper adagium ferebatur in ſpurios, ſi de patre quiſpiam quæritaret, vt τίς μοι Τίρος ὡς αἶξ reſponderent: Matres quippe, vti capra itidem, vtpote quæ de patre incertum ferret, propterea quòd capellis nullum ducem paſtores conſtituunt, vt ait Ariſtotelis, veluti ſuos ouibus arietes, ſuos bubus tauros, & ita pleriſque alijs. Caprarum ſiquidem natura inſtabilis, lubrica, atque mobilis admodum eſt, quare hœdus in caprilibus à matre tantùm dignoſci poteſt. Meritò itaque vir, de cuius liberis vxor poſſit tantùm internoſcere, hircus appellabitur, & hieroglyphicῶs per hircum figurabatur. Nam & Catullus in hanc ſententiam putare cæteros hircos dixit. Quod verò ſunt non illiterati viri, qui dicterium inde ſumptum putant, quòd hirci ſuas fæmellas iniri facilè patiantur, etiamſi coram ſpectauerint, vt quem notat Iuuenalis cùm dixit:

Doctus & ad calices vigilanti ſtertere naſo.

Aliter traditum ab Aeliano legimus, qui ſentire hircos riualitatis affectum teſtatur exemplo Crathis, &c. Hæc itaque Pierius addens ruſticum, & imperitum id genus hominum hac plurima nequitia famoſum inueniri, indeque iocum eſſe apud Theocritum iſtiuſmodi:

Ω'πόλος ὄκκ' ἐσορῆ τὰς μηκάδας οἷα βατεῦνται,
Τάκεται ὀφθαλμὼς, ὅτι ἐ τράγος αὐτὸς ἔγεντο   Id eſt,

Aepolus inſcendi videat ſi quando capellas
Liquitur obtutu, quòd non caper ipſe creatus.

Quod verò ad citatum à Pierio adagium attinet, mihi id potiſſimùm dici videtur de liberis ex innuptis procreatis, quorum ſcilicet pater omninò incertus eſt, & fortè illi tantùm veriſſime hirci dicentur, qui, etſi libidine quidem ſummopere pruriant, propter ingraueſcentem tamen ætatem, deſiderium cùm explere ſuum nequeant, à robuſtioribus ſuperati ab his capras ſuas etiam in conſpectu iniri patiuntur. Cui ſententiæ fauere apparet Columellam his verbis: Hir-
„ cus menſium ſeptem ſatis habilis eſt ad procreandum, quoniam immodicus libidinis dum ad-
„ huc vberibus alitur, matrem ſtupro ſuperuenit, & ideo celeriter, & ante ſex annos conſene-
„ ſcit, quod immatura veneris cupidine primis pueritiæ temporibus exhauſtus eſt. Itaque quin-
„ quemnis parum idoneus habetur fæminis implendis. Quo ferè ſenſu Stalinus Senex apud fa-

In Caſina. cetiſſimum Comicum hircus vocatur edentulus, pruriens ſcilicet, aliàs in coitu impotens. Et

In Mercatore. Demipho itidem ſenex æſtuans libidine cum ei dixiſſet Lypſimachus: *Profectò ego illum hircum caſtrari volo, ruri qui nobis exhibet negotium*: Reſpondet: *nec omen illud, nec auſpicium mihi placet, quaſi hircum metuo ne vxor me caſtret mea, atqui illius hæc nunc ſimia partes ſtudet.* Somniauerat autem capram, quam ſimiæ commiſerat, abductam. Aliàs idem etiam Lyſimachus eundem Demiphonem ſimiliter laſciuientem ſenem vocat hircoſum: *Iam plenus, inquit, ætatis, animaque fœtida ſenex hircoſus tu oſculere mulierem, vtine aduenient vomitum excitias mulieri.* Ioan. Bapt. Modius in opere ſuo quod ſcripſit de pondere ſeu moleſtia vxoris, vulgare illud dicterium, inde profectum iudicat, quod illi nõnulli ex vxorum ſuarum pulchritudine

A tudine dum eas alijs sponte concedunt, ditescant, domique suæ cornu Amaltheæ capræ, siue cornucopiæ possideant. Hircus autem in libidine magis olet, quod nouissimum etiam tetigit Martialis loquens de Thaide malè olente: *Lib. 6. epigr. 93.*

Tam malè Thais olet, quàm non fullonis auari
Testa vetus media, sed modò fracta via.
Non ab amore recens hircus, non ora leonis, &c.

Nec aliam ob causam Plinius fœdissimum animalium, Ouidius marem capræ immundũ vocat:

Læta salitur ouis, tauro quoque læta iuuenca est
Sustinet immundum sima capella marem.

Iam verò è contrario apud Indos Cariai, & Cueua regiones incolentes hirci, capræue nomen perquam honestum est; ita enim vocari, Petrus Martyr, alijque in Indiam nauigatores, tradunt, eos qui aduersas in facies cicatrices ostendere possunt, quales ceu fortes, & in bello qui se strenuè gesserint, admodum magni faciunt.

B

CIBVS. POTVS.

TERRAM capris pascendis aptam, (Græci αἰγίβοτον vocant, & αἰγίνομον & αἰγίβοσκον) propriè de montana dici Varinus tradit, & nos suprà etiam ostendimus. Apud Varronem omnicarpæ dicuntur, quem locum annotans Scaliger: Quisquis, inquit, fuit ille poeta qui hoc dixerit, senserat capras ποικιλοφάγους esse; Idem quoque Eupolis Comicus sentiebat, cùm ita capras loquentes introduxerat, in fabula, quæ inscribitur Aeges de cibi sui copia in hac se verba iactantes:

Βοσκόμεθα ὕλης ἀπὸ παντοδαπῆς, ἐλάτης,
Πρίνου, κομάρου τε πτόρθους ἁπαλοὺς ἀποτρώγουσαι.
Καὶ πρὸς τούτοισιν ἔτ' ἄλλ', οἷον κύτισόν τε, ἠδὲ
Φάσκον εὐώδη, καὶ σμίλακα τὴν πολύφυλλον.
C Κότινον, σχῖνον, μελίαν, συκῆν, δρῦν, κιττὸν μυρίκην
Πρόμαλον, ῥάμνον, φλῶμον, ἀνθέρικον, κισθὸν,
Φηγὸν, θύμα, θύμβραν.

Idest, vt apud Plutarchum interpres vertit: *Sympos. 4. q. 1.*

Omnigena nos materies pascit abietis
Teneros, & ilicis, arbutique surculos
Decerpimus. Tum præter hæc cytisus, boni
Phascusque odoris & smilax folio vbere.
Oleaster, & lentiscus, atque fraxinus
Quercus, hedera, erica, rhamnus, pallidum
Verbascum & asphodilus, cisthusque, & esculus,
Thyma, thymbra.

Omisit autem interpres hic συκῆν, idest, cucurbitam, & cum pro μυρίκην alij legant ἐρίκην, ipse reddidit, de vtroque arbusto. Sed & Virgilius nihil non morsu petere capras testatur dum canit: *In culice.*

D

Protulit è stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, & excelsi montis iuga summa petiuit.
Lurida qua patulos velabant gramina colles,
Iam syluis dumisque vagæ, iam vallibus abdunt
Corpora: iamque omni celeres è parte vagantes
Scrupea deserta perrepunt ad caua rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morsu.
Pendula proiectis carpuntur & arbuta ramis,
Densaque virgultis auidè labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit carpente cacumina morsu,
Vel salicis lentæ, vel quæ noua nascitur alnus.
Hæc teneras fruticum sentes rimatur: at illa
Imminet in riui præstantis imaginis vndam.

Insidiantur vere potissimùm frondibus. Ouidius:

Sine frondibus arbor

Na-

Nuda riget, lambunt arentia ſaxa capellæ.

Columella arbuſculis, frutetiſque maximè gaudere aſſerit, eaque eſſe arbutum, alaternum, cytiſumque agreſtem, nec minus iligneos, querneoſque frutices, qui in altitudinem non profi-liunt; Ait verò etiam alicubi Columella glandem cùm citra ſatietatem data eſt, abortum fa-cere. Virgilius de arbuto, & ſalice:

Eclog. 3. *Dulce ſatis humor depulſis arbutus hædis,*
Lenta ſalix fœto pecori mihi ſolus Amyntus.

Eclog. 1. Depulſis, id eſt, ſeiunctis a mamma. De ſalice idem rurſus:

Non me paſcente capellæ
Florentem cytiſum, & ſalices carpetis amaras.

Amaras hic vocat ſalices, non quia capris, nam his dulces ſunt, ſed quia hominibus. Salicibus autem gaudere Nemeſianus etiam indicat, dum canit:

Eclog. 1. *Incipe dum ſalices hædi, dum gramina vaccæ*
Detondent.

Lib. 5. c. 12. De cytiſo diſſerit pauca Columella, id genus arbuſti, ſeu fruticis in agro eſſe quàm plurimum maximè referre inquiens, quod & capris, & omni generi pecudum vtiliſſimus ſit. Quantope-re autem cytiſi eſu afficiatur caprinum pecus, idem poeta docet, ſimiliter inquiens peti ab eo hunc fruticem, vt peti ſolet à lupo ouis:

Torua leæna lupum, ſequitur lupus ipſe capellam,
Florentem cytiſum ſequitur laſciua capella.

Eſtque capris cytiſi eſus perquam idoneus, ſiquidem Africanus de lacte in omni pecore au-gendo ſic ſcribit: Omnia pecora reddent lac copioſum, ſimulque fœtum enutrient, ſi cytiſum ederint. Sed & Ariſtoteles tradidit cytiſum pecori copiam lactis conciliare, veruntamen flo- (3. de anim.) rentem noxium eſſe, & inflammare pecus aſſerit, vnde fit, vt ſuſpicentur eruditi epithetum florentem non temerè à poeta adiectum, ſed quod forſan capræ priuatæ naturæ proprietate flore cytiſi non offendantur, aut quod in Italia flos ille pecudibus minus officiat. Vtcunque eſt

Εἰδυλ. 10. Theocritus, ex quo id Virgilius tranſtuliſſe videtur, ſimpliciter cytiſum nominat:

Ἁ αἶξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,
Ἁ γέρανος τὤροτρον. ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μεμάνημαι. id eſt,
Sima capella ſuum cytiſum, lupus ipſe capellam
Inſequitur ſemper: ſic & grus ſemper aratrum;
Te contra totus meus eſt furor.

Dicebat itidem de arbuto:

Georg. 3. *Poſt hinc digreſſus iubeo frondentia capris*
Arbuta ſufficere.

Θάλλους, alij ſimpliciter thallos, alij oleæ ramos, palmites, & frondes reddunt: His capras veſci ſcribit Sophocles in paſtoribus:

Ἑωθινὸς γὰρ πρὶν τιν' αὐλητῶν ὁρᾶν
Θαλλὸν χιμαίρα προσφέρων νεὸς πόδα,
Εἶδον στρατὸν στείχοντα παρ' ἀλίαν ἄκραν. id eſt,
Matutino, priuſquam tibicinem viderem aliquem,
Cùm recentes capræ pedibus aggerarem θάλλους, termites
Exercitum conſpexit prope maris extremam oram gradientem.

Depopulantur quidem arborum frondes vniuerſim quarumcunque, ſed oleæ potiſſimùm, vn-de inuiſa Mineruæ animantia eſſe ſuo poſtmodum dicetur loco. Sed & Comatas paſtor apud

Εἰδυλ. 5. Theocritum capras ab oleaſtro abigit, ait enim:

Σίττ' ἀπὸ τᾶς κοτίνω ταὶ μηκάδες. ὧδε νέμεσθε
Ὡς τὸ κάταντες τοῦτο γεώλοφον, ἇτε μυρῖκαι. id eſt,
Diſcedite ab oleaſtro capellæ: hic paſcimini,
Iuxta hunc ex aduerſo tumulum, vbi ſunt myricæ.

Lib. 6. Et Lucretius canit:

Barbigeras oleaſter eò iuuat vſque capellas,
Deſluat ambroſia quaſi, vero & nectare tinctus,
At nihil eſt homini fronde hac quod amarius extet.

Quia verò vitis molles, teneroſque palmites, imò & ramorum, arboriſque cortices cupidiſſimè deuorat, Libero patri antiquitus immolabatur. Aelianus author eſt eiuſmodi animalia fic-uum, & farinarum auidiſſima eſſe, ideoque in Armenia hoc aſtu interimi: piſces, inquit quidam ni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A nigri, venenati, in Armenia reperiuntur, horum farina ficus conspergunt, quas in ea loca, quæ maximè abundant feris dissеminant. Bestiæ primùm, vt ea attigerunt, statim moriuntur, vt apri, capræ, cerui, &c. Aiunt & fraxinum capris gratum esse, hancque potissimùm ob causam serendum. Scrapion in lib. de simpl. citat. Galenum vt habet Albertus, & alij quidam barbari, scribentem se vidisse capras lingentes, pascentes potiùs, tamaricis frondes, quæ postmodum sine splene inuentæ sint; sed locum istum neque apud Galenum, neq; apud Serapionem inuenias, & quãnis Constantinus inquiat: Si capræ ex vasis tamaricis biberint, aut ederint, non habebunt splenem, authores tamen melioris notæ de suibus hoc scribunt, minui scilicet eorum lienes alueis ex tamarice factis. Nonnulli, vt Syluaticus ederam dici contendunt, quòd libenter à capris edatur, vt barba hircina, etiam & rosa canina ab hircis appetuntur, & apud Græcos periclimenon frutex est, qui nunc caprifolium vulgò dicitur, & apud Dioscoridem etiam ægina, non aliam scilicet ob causam, quàm quòd à capris præcipuè appetatur. Insidiantur verò etiam Ladano, siue ledo, super qua re audiamus Plinium: Arabia, inquit, la-
B dano gloriatur, fortè, casuque hoc, & iniuria fieri odoris, plures tradidere. Capras maleficium aliàs frondibus animal, odoratarum verò fruticum expetentius, tanquam intelligant precia, carpere germinum caules prædulci liquore turgentes, destillantemque ab his succum improbo barbarum villo abstergere. Hunc glomerari puluere, incoqui sole. Et ideo in ladano caprarum pilos esse. Sed hoc non alibi fieri, quàm in Nabathæis, qui sunt ex Arabia contermini Syriæ. Recentiores ex authoribus strobon hoc vocant, traduntque syluas Arabum, pastu caprarum infringi, atque ita succum villis inhærescere, verum autem ladanum Cypriæ insulæ esse. Similiter & hoc ibi fieri tradunt & esse œsypum hircorũ barbis, genibusque villosis inhærens, sed ederæ flore deroso, pastibus matutinis, cum est rorulenta Cypros, deinde nebula sole discussa puluerem madentibus villis adhærescere, atque ita ladanum depecti. Hæc ille. Et tursus: Lada appellatur herba ex qua ladanum fit in Cypro, barbis caprarum adhærescens: De eadem ladani circa mentum hircorum generatione his versibus agit Rufus Ephesius:

Ladanum vt caprarũ barbis hærescens colligatur.

1 Carm. Ode. 17.

Inuenias in Eremborum quoque ladanon orbe
C *Caprarum circa mentum, gratissimus illis*
Succus is è Cisthi folio decerptus amico.
Imbuti hoc villi menti laterumque madescunt,
Non tamen ad morbos hoc præstat, laudem ab odore
Egregio quo spirat habet, quod plurima mixta
Pharmaca & Erembi diuinis viribus aucta,
Orta solo, & campo longè lateq́; patenti.

Quærunt itidum thymum non aliter atque arbutum, vt Horatius ait:

Impunè tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes & thyma deuiæ
Olentis vxores mariti.

De hibisco sic Virgilius:

O tantùm libeat mecum tibi sordida rura
Atque humiles habitare casas, & figere ceruos
Hædorumque gregem viridi compellere hibisco.

Quo loco Iulius Pomponius Sabinus hibiscum exponit genus iunci, aut viminis, additque
D Plinium videri scribere aliud genus, nam ait: hibiscum à pastinaca gracilitate distat damnatum in cibis, sed medicinæ vtile est. Theophrastus de hibisco herba sic ait: Hibiscum est herba folio maluæ, maiore tamen, pilosioreque caule, fructu maluæ. Vsus eius ad rupta & tusses è vino dulci, & ad vlcera in oleo. Sed verisimilius est, vt de vimine, inquit, intelligamus: Floribus præterea etiam nocent, vnde Virgilius:

Georg. 4.

Principio sedes apibus, statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus, (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oues, hædique petulci
Floribus insultent.

Aristoteles asserit fabas largiùs datas αἰγὶ καὶ χιμαίρᾳ (id est, vt Gaza vertit, capris, & capellis) copiam efficere lactis. Legimus & in geoponicis græcis herbam pentadactylum dictam (eruditi quinque folium interpretantur) priusquam bibant quinque dierum spacio, illis votandam dari, vt plurimum lactis habeant: Et in eundem vsum ventribus earum diptamnum alligari. Græcè legitur ἐὰν δίκταμον περὶ τὰς αὐτῶν γαστέρας περιάψῃς. Paulò post tamen de lacte augendo in omni pecore ex Africano sic scribitur: Omnia pecora reddent lac copiosum,

3. Histo. 21.

simulq;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ſimulqu e fætum enutrient, ſi cytiſum ederint, ἐν γάλα ἐν ταῖς γαςέραις ἀυτῶν περιάψῃς, id eſt, ſi aut ventri ipſum lac applicueris, vt Andreas à Lacuna vertit: Nam Cornarius hic etiam pro γάλα reddit dictamnum. Dioſcorides aſſerit: Quibus in locis pecora ſcammoniam, veratrum, clematidem, aut mercurialem paſcuntur, lac omnem ventrem & ſtomachum ſubuertere, quale in Iuſtinis, inquit, montibus eſſe à nobis proditum eſt: Siquidem capræ quibus candidum veratrum pabulo fuerit, primo filiorum partu euomũt, & eorum lac hauſtum nauſeam creat, & ſtomachum in vomitiones effundit. Alibi etiam in veratri mentione idem de capris

Lib. 4. ſcribit. Atqui Lucretius ait:

Prætereà nobis veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus auget.

Lib. 5. Dicebat etiam idem poeta de cicuta:

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.

Galenus, alijque id ſcribunt de ſturno, cauſamque in 3. de ſimpl. idem Galenus attulit, quod aues huiuſmodi anguſtos corporis meatus habentes, haud ſinunt cicutæ ſuccum ad cor penetrare, ſed eum in ventriculo tam diu retinent, quoad natiuo calore ſuperatus in nutrimentum conuertatur: Cùm hominibus ſecus eueniat, quibus nimirum ob venarum amplitudinem cicuta in cor celerrimè perducta natiuum calorem extinguit. Si modò & capræ ex eius eſu pingueſcant, vt ex Lucretio dictum eſt, cauſam hanc aſſignandam eſſe, Hieronymus Mercurialis exiſtimat, quòd capræ quas mirum in modum ſiccas eſſe, & perpetuo febrire Varro, atque Plinius tradiderunt, cicutis feruorem, ac ſqualorem temperent, quo poſtmodum temperato nutrimentum melius conficitur, & in pinguedinem concreſcit. Hoc enim pacto lactucam quoque ſanguinem augere putant Medici, quando ſcilicet bilioſo corpori exhibita, ſua frigiditate efficit, vt iecinoris calor remiſſus ſanguinem, & non bilem faciat.

V O X.

Lib. 5. c. 13. VOCABVLA, quæ ad caprarum vocem pertinent Iulius Pollux his verbis deſcribit: αἰγῶν δὲ μηκασμὸς, μηκᾶσθαι, μηκώμεναι Ὅμηρος δὲ καὶ μηκάδας αἶγας εἴρηκε. Δοκεῖ δὲ ἴδιον ἐπὶ αἰγῶν εἶναι μᾶλλον ὁ φριμαγμὸς· φριμάττεσθαι, φριματτόμενος. ὡς Ἡρόδοτος ἔσφαλται ἐπὶ τῶν βρεφῶν τῶν φρυγίων λόγῳ βληχᾶσθαι τὰς αἶγας οἰόμενος. Vertit Rodolphus Gualtherus: Caprarum mutitus, mutire, mutientes. Homerus & capras micadas appellauit. Videtur autem caprarum proprius eſſe fremitus, fremere, fremens. Sicut & Herodotus fallitur de hædis Phrygiorum loquens, cùm capras balare putat. Secutus videtur Rodolphus authorem Philomelæ, qui tamen mutire hircos facit inquiens:

At mutire capris hirce petulce ſoles.

Alioqui mutire eſt timidè, & imperfectè loqui, & quaſi mu facere, facereque, vt apud Terentium: *Itaque hercle nihil iam mutire audeo*, id eſt, verbum efferre. Iam verò quia μῆκα Heſychio ſunt κέρατα, id eſt, cornua μηκάδας αἶγας ſecundum quoſdam ab Homero vocatas eſſe ait τὰς κερατώδεις, id eſt, cornutas, ſed horum opinio, inquit Henricus Stephanus, parum probabilis, reuera enim αἱ αἶγες vocantur μηκάδες à verbo μηκᾶσθαι ſignificante capris proprium vocem reddere, nam proprinm capris eſt μηκᾶσθαι, vt βληχᾶσθαι ouium. Sunt qui interpretantur balare, cùm tamen id ouibus peculiariter conueniat, vt mugire bobus, dicente tamen Plinio de pulegio: *guſtatum à pecore, capriſque, balatum concitat*. Homerus præteritum medium ouibus etiam tribuit.

In Andria.
Μηκάδες αἶγες quæ.
Li. 20 c. 14.
Iliad. δ.

Ἀζηχὲς μεμακυῖαι ἀκουσάμεναι ὄπα ἀρνῶν, id eſt.

Indeſinenter balantes poſtquam audiuerunt vocem agnorum.

Nam & Scholiaſtes id præteritum reddit per præſens μηκώμεναι. Vtitur & Nicander uerbo μηκάζειν inde deriuato, & eadem retinente ſignificationem, ucrùm tribuit id homini, qui

In alexiph. v. 214. toxicum biberit.

Ἀυτὰρ ὁ μηκάζει μανίης ὑπὸ μυρία φλύζων.

Vbi Scholiaſtes exponit μηκᾶται ὡς πρόβατον, balat, ut ouis. Poeta paulò poſt pro eo dicit generalius βοάα, clamat, uociferatur. Superiore uerò adiectiuo μηκάδες utitur non Homerus ſolùm cùm alibi, tùm Odyſſea 1. βόσκει δέ τε μηκάδας αἶγας, ſed Theocritus etiam, & Comicus quidam apud Athenæum li. 10. caprinũ lac gryphicè uocans μηκάδων αἰγῶν ἀπορρὰν θρόμβων. Porrò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Porrò à μηκάομαι, siue μηκάζω, est verbale μηκασμὸς significans bulatum, quo vtitur Plutarchus in problematibus Roman. de ijs, qui comitiali morbo corripiuntur, μηκασμῷ παραπλησίαν φωνὴν ἀφιᾶσι. Dicitur & μηκὴ pro μηκασμὸς: affertur hæc vox à Scholiaste Homeri. μυκᾶσθαι verò per υ dicitur de bobus, sic φριμάσσειν, de hirco, φρυμάττεσθαι de equo dicitur, vel potius φρυάττεσθαι. Varinus ἐυὰ hircinæ vocis imitationem esse asserit. Ouidius hœdorum vocem vagitum esse ait similem infantium:

Aut qui vagitus similes puerilibus hœdum — Metam. 15.
Edentem iugulare potest.

CIBVS ET POTVS. ITERVM.

B Paucula isthæc annectes lector superioribus.

VVlgatissimum verò pabulum gramem est, hinc Calphurnius:

Quas errare vides inter dumeta capellas,
Canaque lasciuo concidere gramina morsu,
Canthe puer quos ecce greges à monte remotos
Cernis in aprico decerpere gramina campo,
Hos tibi do senior iuueni pater.

Et Ouidius in descriptione diluuij: — Metam. 1.

Et modo quà graciles gramen carpsere capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocæ.

Inuenio autem gramen apud Græcos ægicon cognominari. Cęterùm inter alias graminis species vna est aculeatis folijs, quod vulgus, teste Ruellio, capriolam vocat, propterea quod præ cæteris grato sit capris pabulo. Postremò hoc caprillum genus, cùm & asperis, & syluestribus locis optimè, vt dictum est, pascatur, rubos non auersatur, nec ali js vepribus, vt ait Columella, offenditur. In præcedente de oue historia dictum est, quantopere salsedinis amantes sint oues. Eadem planè natura caprarum est, imò verò hac parte oues superare videntur, id quod tortoribus etiam est notissimum, habemusque apud Bonfinium, Draculam Transalpinæ Vngariæ præfectum sæpenumero captiuis Turcis pedes excoriasse, contusoque sale perfricuisse, mox lingentes salsis plantis capras adhibuisse, quæ linguæ asperitate cruciatum angerent. Ad potum modò quod attinet improbari aquas stagnantes, mortuasque, & quæ iam diutius in vasis retinentur, indicat Virgilius dum ait:

Salsis gaudent capræ.

Lib 10. c. 3. Quis potus eis conueniat.

Iubeo frondentia capris
Arbuta sufficere, & fluuios præbere recentes.

Columella vult, vt per æstatem bis ad aquam ducantur, & Albertus affirmat, cùm mouentur post meridiem plus aquæ potaturas. Prodigiosum, vel saltem admirabile est, quod in Zacintho fieri notauit Antigonus, nempe quo tempore spirāt Etesiæ, capros hiantes stare versus Boream, eoque contentos, aquam non requirere, neque bibere.

D SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

OVES, & capræ insita, ac naturali amicitia inuicem coniunctæ sunt, ambæq; innato etiam odio cum lupo, leone, pardo, tigri, similibusque fortasse etiam alijs, quæ ex rapto viuunt, diffident. De lupo qui à grege aberrantes oues, aut hœdos inuadit sic meminit Homerus:

Capræ & oues amicę.

Iliad. π. Antipathia cum lupo.

Ὥς δὲ λύκοι ἄρνεσσιν ἐπέγραον, ἢ ἐρίφοισι
Σίνται, ὑπ' ἐκ μήλων αἱρεύμενοι, αἵτ' ἐν ὄρεσσι
Ποιμενὸς ἀφραδύῃσι διέτμαγεν. οἱ δὲ ἰδόντες
Αἶψα διαρπάζουσιν ἀνάλκιδα θυμὸν ἐχούσας
Ὣς Δαναοὶ Τρώεσσιν ἐπέγραον, &c. Idest.

Sicut autem lupi agnos inuadunt, vel hœdos
Noxij, ex ouibus surripientes, quæ in montibus
Pastoris stultitia seiuncta sunt: hi autem conspicati

Sta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

 E

Statim diripiunt, impotentem animum habentes.
Sic Danai Troianos inuadebant, &c.

1.Carm.17. Horatius verò inter laudes agri Sabini, & montis Lucretilis hoc etiam præcipuè commendat:
Nec virides metuunt colubros,
Nec Martiales hœdilia lupos.

Quo loco commentator quidem exponit hædilia, hœdulorum ſepta: Iacobus Cruquius verò hærere ait hic omnes enarratores: Aldum inter primos, cuius commentum omittit, vtpote relatu nimis prolixum: Deinde Glareanum in ſuis annotationibus: Lambinum verò etſi nuſquam repertam, probare hanc lectionem admonitum, vt ſcribit, ab Aurato, qui ſagaci profectò iudicio (vt qui vir eſt in omni ſcriptorum genere verſatiſſimus) ſuſpicatus eſt legendum eſſe hœduli, vt ſit hypocoriſticon àb hœdulus: Lambinum tamen malle hœduliæ, eò quòd in omnibus ita ſcriptum offenderit, & ego quoque, inquit idem Cruquius, in meis præterquam in duobus Bland: in quibus lituræ indicio ſunt manifeſto prius ſcriptum fuiſſe hœduliæ, & priorem pediculum literæ u mutatum in d ab eo, qui hœdilia quidem ab hœdo, non etiã hœduliæ ab hœdulo deriuari poſſe didicerat, aut audierat. Quæ temeritas barbari ſeculi in immutandis cùm literis ſcriptorum codicum, tum ſyllabis peruertendis quantum detrimenti intulerit literis & diſciplinis liberalioribus, quàm ab aliquo vel reſtitui, vel corrigi poſſit. Non enim dubito quin fuerit hæc antiqua, & genuina lectio, eaque vox hœdulia per primam flexionem tam fuerit olim vſitata, quam hœdilia per tertiam. Hęduliæ itaque id eſt, hœdulorum

Li.4. carm. Ode 4. ſepta non metuunt colubros, (& lupos) per metonymiam pro dœdulis. Tantum Cruquius.
Idem poeta de ijs qui inter ſe diſſident inſanabili odio, ait:

1. Carm. Od.33.
Sed prius Apulis
Iungentur capræ lupis,
Quàm turpi Pholoe peccet adultero.

Idem vero etiam de indoli Druſi, & inſtitutione ſub Auguſto loquens, vt fortitudinem eius & contrà hoſtium timiditatem ſignificanter exprimeret deſumpta à capræ natura ſimilitudine, quæ naturaliter leonem expaueſcit, talem oſtendit hoſtes videre Druſum, qualem poſita in fertilibus paſcuis capra leonem primæ iuuentutis videns, exhorreſcit: G

Qualem ve lætis caprea paſcuis
Intenta, fuluæ matris ab vbere
Iam lacte depulſum leonem
Dente nouo peritura vidit:
Videre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem, & Vindelici: &c.

Iliad. γ. Poeta hic, vt videtur imitatus eſt Homerum, qui magnanimitatem, infractumque ac imperterritum Menelai animum deſcribens ſic canit:

Ὥστε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας
Εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα
Πεινάων. (μάλα γάρ τε κατεσθίει εἴπερ ἂν αὐτὸν
Σεύωνται ταχέες τε κύνες, θαλεροί τ' αἰζηοί)
Ὣς ἐχάρη Μενέλαος. id eſt: H
Sicut leo gauiſus eſt, qui in magnum corpus inciderit,
Inueniens vel ceruam cornutam, vel ſylueſtrem capram,
Fameſcens. (valde etenim deuorat, etiamſi ipſum
Agitent veloces canes, florenteſque iuuenes,)
Sic gauiſus eſt Menelaus.

Mirum verò, quod de tigri effera videlicet, crudelique bellua referunt, teſte Plutarcho, ſi ei hœdus porrigatur, abſtinere cibo per biduum; tertio die eſurientem aliud poſcere, & ni mox detur, caueam conuellere, in qua incluſa tenetur, interim hœdo, vt conuictori, & iam contubernali facto parcere. Quantopere verò in hoc pecus graſſetur pardalis, Penteſileæ Græcos inuadentis exemplo docet Calaber: At Penthesilea ingentem ſtragem in populo edebat, & maximo concutiebantur metu Græci, nec vllum gemebundis interitus patebat effugium, ſed trucidabantur, non ſecus ac balantes capræ horridis pardalis maxillis conficiuntur, nec vllo pugnæ tenebantur nunc deſiderio, imò potiùs fugæ, & alius aliò ferebatur, hi quidem abiectis humi armis ab humeris, alij verò cum armis, & excuſſis aurigis equi in fugam effuſi erant irruentes quidem gaudio, at pereuntes magna afficiebantur calamitate, nec ullis uiribus occurri potuit oppreſſis. Simili planè ſimilitudine utitur Arioſtus noſter, Angelicæ

Tigris ſympathia cum hœdo.
Lib. de ſolert. anim.
Lib. 1. paralip.
Pardalis caprarum hoſtis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A fugam, & in ea timiditatem delineans, canit autem:

Qual pargoletta damma, ò capriola,
Che tra le frondi del natio boschetto,
A la madre veduto habbia la gola
Stringer dal pardo, e aprirle il fianco ò il petto,
Di selua in selua dal crudel s'inuola,
E di paura trema, e di sospetto;
Ad ogni sterpo, che passando tocca,
Esser si crede à l'empia fera in bocca.

E contrario rursus elephanti ex animalibus maximè dicuntur exhorrescere hircum, cerastem, (arietem intelligi diximus) porcum, hisceq; machinamentis Romanos Pyrrhi regis elephantos primùm vertentes victoria esse potitos. Canib. verò cum capris benè conuenit, vt & cum ouibus, vnde & Pollux canes ipsos αἰπόλους nominauit, quasi caprarum custodes: Et gaudere
B etiam canes esu caprini lactis certum est, quamuis, teste Oppiano, illi, quorum in venationibus vsus est, ex eo degenerent; inquit enim interprete Bodino:

Elephas hircum odit. *Lib. de Venat.*

Non ouiumve, canumve, hirsutarumve caprarum
Quippe graues tandem fierent, fugerentque labores.

Ex auibus rapacib. nocturnis quædã græcis αἰγοθήλης nuncupatur, παρὰ τὸ ἐξ αἰγὸς τε θηλάζειν, id est, quòd capram sugat, vel mulgeat, vnde & Latini caprimulgum nuncuparunt, cum hæc volucri non benè conuenire ratio suadet, dũmodo verũ est, quod scribunt veteres: Etenim Plinius *fures nocturnos, caprimulgos* vocat, *quia vt idem*, inquit, *intrant pastorum stabula, caprarumq; vberib. aduolant propter suctum lactis, qua iniuria vber emoritur, capris'q, cęcitas, quas ita mulsere, oboritur.* Quin imo non solùm exiccari capras arescentibus vberibus, sed & ipsas extingui, quorundam opinio est. Hæc quæ sit auis in ornithologia nostra ostensum est. Inter pisces verò Sargus vocatus irrationali quodam amore capras prosequitur, vt refert Aelianus, cuius earum in littore pascentium vmbra in mari visa fuerit, adnatat libenter, lætusq; exilit, & attingere eas miro quodãmodo gestit, cùm tamen non admodũ à natura ad saliendũ sit habi-
C lis. Fusius, & clarius Oppianus hunc eundẽ amorẽ descripsit sic, interprete Laurentio Lippio:

Caprimulgus auis vbera caprarum sugit. *Sargi piscis amor in capras.* *Li 11. c. 19* *ἁλιευτικ. 4*

Inuadit Sargos caprarum mira cupido
Qui madidi simas cupiunt tractare capellas:
Montanis gregibus, quamuis sint agmina ponti,
Gaudent, & fœdæ rapiuntur amore capellæ.
Proh pudor, an sperant concordes edere fœtus
Incultos montis colles, pelagique meatus?
Pastores claudunt cùm sera crepuscula lucem,
Tempore quo flauas Phœbus desiccat aristas,
Ducunt loturas ad littora sicca capellas.
Postquam balatus, aut voces littore Sargi
Pastorum audierint, saliunt ex æquore toto
D *Sint licet ignaui, properant examine multo,*
Humida cornigeras gens circumfusa capellas,
Læta salit, lambitque gregem, & blanditur ouanti:
Pastores talem longè admirantur amorem,
Qui primùm stupidi cernunt miracula facti,
At lætè accipiunt pisces, spectantque capellæ:
Gaudent dilectas ponti spectare choreas.
Exultant sargi contrà, non est modus vllus
Lætitiæ, teneri non tantùm matribus hœdi
Applaudunt stabulis clausi, pastuque regressas
Accipiunt gestu læti, saltuque petulci.
Omnia cum circum reboant loca vocibus illis,
Pastores dulces fundunt de pectore risus.
Ac veluti mater natum, coniuxque maritum
Ire peregrinas longè tristantur in vrbes
Mœstitiamque alto tristes sub corde recondunt,
Et celsas scandunt speculas, & lumine lustrant
Aequoreas vndas, & fletibus ora relaxant,

Non greſſum reuocant, & lumina in ęquora figunt:
Sic mæſti ſargi lacrymis triſtantur obortis,
Cùm paſtor capras abigit de littore lotas.
Sarge miſer ſubito ni fallor, dira cupido
Afferet exitium, paſtor tibi cauſa doloris,
In fraudem & mortem, piſcator vertet amores:
Piſcoſas, gemino quæ ſurgunt vertice, cautes
Non longè à terra diſtantes æquore paruo
Coniectat clari fulgentes lumine ſolis,
His habitant ſargi ſcopulis, hæc ſaxa frequentant,
Non ſolis gaudent radijs, & luce nitenti;
Aſt olida prædo tectus ſub tegmine capræ
Temporibus ſummis duo cornua longa coaptat,
Et paſtorales meditatur pectore fraudes.
Viſcere caprino ſimulat nidore farinam
Commiſtam tumidas ponti demittit in vndas.
Gratus odor, paſtor gratus, ſimulata capella,
Iſtos decipiunt, nec fraudes mente doloſas
Cernunt, ſed læti gaudent, lambuntque capellæ
Hoſtem conſimilem, ſed mox non mitia corda
Inueniunt miſeri ſargi ſub pelle caprina.
Tunc citò peſtiferum ſocium ſub tegmine noſcunt
Cornea cum niueo tendens haſtilia lino
Infigit carnes hamo, quas vngula capræ
Innatas retinet, carpunt obiecta repente
Pabula, piſcator retro ſua brachia curuans
Attollit ſargum, ſi quis præſenſerit artem,
Villoſas alij capras, odioque ſequuntur
Paſtorem, ſimulachra, cibos & paſcua tota
Si ſint abſtruſæ fraudes, tollentque laborem,
Arte velox omnes capræ ſub imagine fallit.

Capræ à ſcorpijs vbi non lædantur. Idem Aelianus de feris in Aegypto capris, quas ſcorpij non lædunt, hæc prodidit: In Copto Aegyptia vrbe & magna conficiendorum aliorum ſacrorum religione Iſin Aegyptij colunt, & verò eodem cultu hanc ipſam venerantur, quo aut coniuges, aut liberi, à lugentibus afficiuntur. Vbi Iſis hanc religionem poſſidet, ibi acerrimi ad peſtiferum vulnus inferendum ſcorpij maximi verſantur, qui vt percuſſerunt, ſtatim interficiunt: Ad quorum vitationem omne cautionis genus Aegyptij adhibent, ſexcentaque machinamenta moliuntur, veruntamen lugentes ad Iſidis fanum capræ ferę ex omnib. tegumentis nudę inter ſcorpios humi iacentes ab horum acerbitate integræ, incolumeſq; permanent; Ex quo fit, vt Coptitę eius caprini generis fœminas ad diuinitatem, & religionem conſecrent, & religioſiſſimè colant, eaſdem Iſidi in amore, & delicijs eſſe exiſtiment. Contrà autem mares immolant. Hoc itidem admiratione nõ caret, ſi verum eſt, quod ſcribit Albertus; *Fel capræ vt capras alliciat.* fel capræ in vaſe aliquo in terra repoſitum capras alſe allicere dici, ac ſi illæ non parum inde iuuentur. Nouerunt, teſte Aeliano, ſaliuam humanã *Antipathia cum ſaliua humana, melle, & euonymo.* pernicioſam eſſe, (vt quæ marinas etiã ſcolopendras interficiat) itaq; vitant. Hauſto melle capræ valde debilitantur, & mori periclitantur, vt aſſerit Albertus, qui pręterea capras ait multis herbis venenatis, & ſerpentib. vti, & proficere ex eis, ſed Plinius de capreis, non capris ſcribit, quod venenis pingueſcant. Non deſunt verò etiam plantæ, quæ hoc genus pecudi peculiariter noxiæ ſunt, vt Euonymus, teſte Theophraſto his verbis: *Euonymus quænam ſit.* Euonymus arbor dicta naſcitur tum alibi, tum in Lesbo inſula monte Orcynio, cui nomen Ordyno: magnitudine mali punicæ, atq; folio eiuſdẽ, maiori quàm vincaperuinca, (chamædaphne) & molli, vt punica. Germinare menſe Septembri (Poſideone) incipit, floret in vere, flos albæ violæ ſimilis colore, infeſtus odore velut cruorem inferens (ὄζει δὲ δεινὸν, ὥσπερ φόνυ.) Fructus cum putamine ſiliquæ ſeſamæ proximus, intus ſolidus, præterquam quod in verſus diuiditur quaternos. Hic pecudes (oues) enecat guſtatus, quin etiam folium idem facit, & potiſſimum capras niſi purgentur, interimit, purgantur autem anocho. Hæc Theophraſtus in fine lib. 3. de hiſtor. plant. nec al-

Li. 13. c. 22. Tranſtulit hæc Plinius cætera ferè ſimiliter, ſed pro chamædaphne laurum reddidit. Ad eius loci declarationem duo occurrunt, quæ ſcilicet ſit euonymus, & quid anochus. Geſnerus

euonymum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A euonymum eam arbusculam esse cum multis alijs suspicatur, quæ vulgò apud barbaros, item
Gallos, & Italos fusaria, vel fusanus appellatur ab vsu fusorum propter materiæ soliditatem
Ruellius verò hoc arbustum neque ab ouibus, neque à capra attingi asserit, sed nunquid re-
uera euonymus sit non audet affirmare. Dalechampius verò non euonymum, sed eiusdem
Theophrasti tetragoniam esse arbitratur, siue vt Theodorus vertit, quadratoriam. Euony-
mum verò eam esse putat, quæ alijs chamænerion dicitur, siue rhododendron, siue nerion
alpinum, quòd flore, folijs, fructu siliquato, quamuis siliquis diuersis, nerium vtcumque refe-
rat, Gesnero balsamum alpinum, & rosa alpina. Nascitur in saxosis, & asperis montibus, pu-
nica non altior, sæpius breuior, & fruticosa ramis, virgultisque multis, folio carnoso, oblongo,
punicæ, vel lauredæ albæ similis ni minor esset, tactu molli, supernè viridi, infernè rufo, flore
in ramorum fastigio copioso leucoio simili purpureo, aspectu pulcherrimo, graueolente tan-
quam virus cruoris effusi, & corrupti naribus afflante. Hanc capras, & oues refugere opilio-
nes, inquit, afferant, imò verò ipse Dalechampius cùm attentius contemplaretur caprarũ gre-
B ges vicina fruteta depascẽtes, nullam se vidisse asserit, quæ hanc attingeret, atq; à deo cùm de-
cerptum obijceret, auersari, se deprehendisse. Huic de euonymo opinioni qui refragabitur,
primùm, inquit, obijciet euonymum Theophrasti folij esse maioris, quam chamædaphne cum
hæc nostra folio sit minori: Deinde florem illius similem esse colore τῷ λευκῷ ἴῳ, id est, albæ
violæ: at huius flos purpureus est. Postremò eiusdem florem non tam abominandi esse odoris.
Quibus respondere facile esse putat, quandoquidem quo loco folium maius, chamædaphnes
folio esse dicitur, mendum subesse asteriscus indicat, & Gaza non chemædaphnen, sed clema-
tidem legisse videtur, qui vincam peruincam verterit: Florem verò non λευκῷ ἴῳ similem esse
lego, sed λευκοΐῳ præsertim puniceo, multa enim sunt genera τοῦ λευκοΐου præter album, & lu-
teum, figura, & colore distantia. Ad hæc floris tam grauem, & detestandum odorem potest
significare non vox φόνος, nam præter eum, quem diximus, significat etiam odorem atracty-
lidis, quam φόνον à quibusdam appellatam fuisse, author est ipse Theophrastus, quo loco pro — *Lib. 6. hist.*
ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν δεινὴν, καὶ φονώδη, vel δυσώδη, legunt alij ῥητινώδη, quem odorem atractylidi — *pl. cap. 4.*
conuenire, optime sciunt, qui plantam nouerũt. His adde huius nostræ euonymi fructus qua-
tuor folliculis constare (Theophrastus τὰ κελύφη vocat) oblongis, ex quibus coniunctis vnica
C videtur componi siliqua, sesamo verò à Matthiolo picto similis, grano intus solido. Hæc itaq;
Dalechampius, cuius sententiæ huc vsque acquiescam, donec rem diligentius excussero. Su- — *Anochum*
per anocho diuersas etiam reperio doctissimorum virorum sententias. Gesnerus helleborum — *quid.*
nigrum putat eo nomine significari, motus puto authoritate Plinij, qui agens de hoc hellebo- — *Lib. 25 c. 5.*
ro tradit à quibusdam vocari melampodium, quod Melampus vires eius inuenerit, cùm obser-
uasset capras illo pasto expurgari. Cæterùm etsi Plinio libenter concesserim purgari helleboro
capras, etsi Theophrastus id de ouibus (προβάτοις) obseruatum esse scribat, non propterea
meo iudicio asserendum omninò fuerit anochum cum helleboro nigro idem esse: non enim
mihi persuadere possum clarissimum illum authorem synonymis, vbi minimè necesse est, vti.
Equidem Rembertus Dodonæus anochon Theophrasto plantæ genus esse negat, significare
autem inediam, quare ἀνοχῇ iudicio etiam Dalechampij legi potest, id est, inedia, & cibi ab-
stinentia, sed Dodonæus ἄνοχον videtur interpretari vomitionem, & per superna purgatio-
nem, vt vox sit ἀπὸ τοῦ ἄνω: scribit enim esu foliorum capras interire nisi supernè, & infernè
purgentur. Plinius quidem in eodem sensu anochum accepit, sed de inferiore purgatione pe-
D culiariter, nulla tamen ouium, aut caprarum mentione facta: Lethale, inquiens, animantibus,
necnon & folio eadem vis: succurrit aliquando præceps alui inanitio, vt sit sensus apud Theo-
phrastum, ouibus, & capris euonymi esus lethalis est, nisi purgentur; purgantur autem insigni
aliqua euacuatione. Indicari autem hac eadem voce inanitionem ventris, etiã annotauit Hen-
ricus Stephanus in thesauro linguæ græcæ, inquiens, ἀνόχον in vulgatis lexicis verti diarrhæã,
& alui profluuium. Cæterùm cùm rarissimus, huius vocabuli vsus sit, & fortassis à nullo alio
vsurpetur, mendi suspectum esse credit, eoque magis cùm plurima apud eundem hunc autho-
rem mendosè legantur, præsensque de euonxmo locus si animum aduertamus, sit corruptus,
vel enim pluralis τὰς αἶγας mutandus est, vel τύχωσι pro τύχῃ, & καταίρονται pro καταιρεῖ-
ται reponi debet, siquidem transitus à plurali ad singularem, & uicissim a singulari ad plura-
lem hoc modo non fit. Iam uerò legimus apud eundem Plinium rhododendrou in iumentis,
caprisque & ouibus uenenum esse: Idem homini contra serpentium uenena remedium. Et ali-
bi asserit, pecus, & capras si aquã biberint, in qua folia rhododendri maduerint, mori dici, sed
& sabina, eodem testante, capris & ouibus venenũ est. Est & author M. Varro oleam si lãben-
do capra lingua contigerit, depaueritque primo germinatu eam sterilescere, sed hac de re

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

poſtea ubi deMineruæ ſacrificio, ubi & de uite: de qua tamen hic præteriri non debet, ex hoc
Vitis vt capræ morſu ſterileſcat, & eiuſdem cornibus fæcundetur. peſtilente in vites animali inuentum eſſe, maximam capere vtilitatem, eiuſq; beneficio augeri vindemiam: Siquidem apud Africanum legas, cornua caprarum numero tria circum arborē, cui vitis maritata ſit, in terram affigi, acumine deorſum immiſſo, ore cornuum ſupra terrā paululum extante, vt pluuia velut in vas influere poſſit, id factum vberrimæ fertilitatis in vitibus auxilium eſſe. Nihilo ſecius vt idem Africanus author, nō morſus tantùm vitem lædit, verùm
Pulmo capræ aſſatus ebrietatem arcet. pulmo etiam eius contra vini vim arma capit, ſi aſſetur, & ebrioſo cuipiam in cibo detur, efficit enim vt vapor ille, qui temulantiā inducit, retundatur, inaniterq; diffletur, & euaneſcat. Quin etiam hircinus adeps, quo falx putatoria obuncta fuerit, ne pediculi in vite generentur prohibet, ab eodem proditum Africano, Conyzam etiam capris lethalem eſſe priſci illi Ægyptiaci
Vitis vt à pediculis ſeruetur. ſapientes exiſtimarunt. Hominem enim capras, & oues perdentem ſignificaturi animalia ipſa pingebant, teſte Oro Apolline, conyzam depaſcentia: hæc enim, inquit, conyzam edentia, moriuntur ſiti enecta. Chryſippus ocymum dicebat inſaniam facere, & lethargos & iecoris vitia, ideoque capras id aſpernari, hominibuſque fugiendum quoque eſſe cenſebat, referente
Conyza capris lethalis Plinio, qui tamen ſecutam ætatem id acriter defendere aſſerit, nam id eſſe capras. Idem tamen in geoponicis quoq; græcis legimus. Idē de laſere ſcribit. Laſer multis iam annis in Cyrenaica prouincia non inuenitur, quoniam publicani, qui paſcua conducunt maius ita lucrum ſentientes depopulantur pecorum pabulo. Si quando incidit pecus in ſpem naſcentis, hoc depre-
3. Sympoſ. qu. 1. henditur ſigno, oue, cùm comederit, dormiente protinus, capra ſternutante. Alyſſon etiam ſi iuxta caulas plantetur, caprarum gregi, & pecori conducere creditur, vt refert Plutarchus. Pli-
Li. 21. c. 13 nius de venenato melle loquens, de ægolethro herba iſthæc prodidit. Heracleæ in Ponto quibuſdam annis pernitioſiſſima exiſtunt, ab iiſdem apibus facta. Nec dixere authores, è quibus floribus ea fierent. Nos trademus quæ comperimus. Herba eſt ab initio, & iumentorum quidem, ſed præcipuè capranum appellata αἰγόλεθρον. Huius flores concipiunt noxium virus, a-
Aegolethrū qua herba. quoſo vere mareſcentes. Ita fit, vt non omnibus annis ſentiatur hoc malum. Quæ autem fit hæc herba Plinij non reperio. Geſnerus tamen in hiſtoria de boue apud ſuos prouenire ſcribit noxiam quandam herbam, qua non ipſa ſolùm boues abſtineant, ſed & gramine circumcirca naſcente, licet eodem equi veſcantur. quàm ægolethron eſſe conijcit Ruſtici quidem, inquit, apud nos malū florem, alij malū henricū appellant, vt atriplicis quoddā ſylueſtre genus bonū henricum. Caulis ei pallidus, pedalis, ſolidus, & ſubſtātia quadam humida, molliq; infarctus. Flores hirſuti, purpuraſcentes, inſpicam congeſti, vt in teſticulo canis ferè, ſemina rotunda inſtar milij, guſtu ſubaſtringit, radice albiſſima, nodis quibuſdam exaſperata, & veluti ſquamata, longiſſima, ad quinque vel ſex cubitos deſcendente, quāuis rarò integra effodiatur. Recens planè frigida, humidaq; tactu percipitur. Vites vicinas corrumpit, & frigore ſuo lædit, quamobrem diligenter à vinitoribus effoſſa in aquam reijcitur, ne in terra denuò comprehendere poſſit. Plurimùm circa eam graminis abundat, Folijs caret. Vis enaſcenti tanta, vt vel per pa-
Lib. 3. c. 21. uimētum, ſi quod obſiſtat, eluctetur. Vere tantùm prodit, flos ſolis impatiens, craſſus, aquoſus intra triduum vi ſolis marceſcit. Natalis ei vineæ collinæ, & prata ſyluis proxima. Autumno vt audio rurſus erumpit. Mel Heracleoticum vt ſcribit Ruellius, ex herba fieri candida commemorant, quæ αἰγόλεθρος vocetur. Similiter etiam Hermolaus Barbarus legit tanquam ex Plinio. Quamquam illius noſtræ ſuperficies ex albo palleat, radix albiſſima ſit: ex Plinio tamē
Li. 18. c. 17. de colore eius nihil cognoui, ſed alia Plinij herba alba videtur, panico ſimilis, occupans arua, pecori quoque mortifera. Forſan & hæc aconito Theophraſti, quod frumento ſimile facit, congener fuerit. Hæc itaq; omnia Geſnerus. Dalechampius uerò hæc quæ Plinius de ægolethro, Theophraſtum de euonymo ſcribere tradit: Dioſcoridem uerò de rhododendro, ſed apud neutrum illorum illud legas. Aliter uerò de ægolethro ſcribit Antigonus in congerie mirabil. narrat, nimirum hoc modo. In Lycia naſcitur quædā herba, caprarum pernicies, αἰγόλεθρον
Pulegij cum capræ ſimpathia, vt & eryngij. græci uocant, eam nulla Lycia capra guſtat. Quod ſi peregrina incidat, & ob ignorationem edat, interit corrupto omaſo. Idem Plinius pulegium à pecore, capriſque guſtatum, balatum concitare aſſerit, indeq; græcos quoſdam literas mutantes blechon uocauiſſe. Si eryngij caulem ex grege ouis, capellave morſu defectum ore ſuſtulerit, totus ſtatim ſubſiſtit grex, relictiſque paſcēdi ſtudio nouo ueluti ſpectaculo attonitus non prius admirari rem deſinit, quam ſecedens paſtor caulem illum abſtulerit, abiectoq; longius inutile gregis ſui otium ea relatione caſtigauerit. Authores eius rei Ariſtoteles primum, qui in nouo grege, & ſi gregis dux id fecerit, euenire dixit: Poſt eum Plutarchus, pluresque alij. Aliter uerò Cardanns: Capras alij, in-
7. de variet. cap. 33. quit, dicunt inuento eryngio congregari, nec diſcedere, donec una illud edendo abſumpſerit. Sed ſuper hac re quid cum alijs ſentiamus, paulò antè indicauimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

COITVS. PARTVS. EDVCATIO.

DE libidine, & potissimùm hirci supra abundè est dictum, sed sunt & capræ ad-
modum venereæ, nam & ipsæ, teste Plinio, coire incipiunt septimo mense, & *Caprarum libido.*
adhuc lactentes. Tradit etiam animam capris quàm ouibus esse ardentiorem
calidioresque concubitus. Set & Varro ait. De Seminio dico eadẽ, quæ Atticus
in ouibus: hoc aliter, ouium semen tardius esse, quo hæ sint placidiores, con-
tra caprile mobilius esse: De quarum velocitate in Originum libro Cato scribit hæc: In Sora-
cti Fiscelio capræ feræ sunt, quæ saliũt è saxo pedes plus sexagenos. Oues enim quas pascimus *Mira velocitas.*
ortæ sunt ab ouibus feris, sic capræ quas alimus à capris feris sunt ortæ. Aristoteles verò capras
cum ouibus coniungit, & vtrasque anniculas coire scribit, atque vterum ferre, sed capras po-
B tius: mares quoque in ijs ipsis generibus eodem illo tempore inire, sed prolem differre, præstã-
tiorem enim esse eam, quam senescentes mares, & fæminæ procrearint. Florentinus item ca-
pram oui simillimam esse, ait, multis nominibus, iniri quippe in ijsdem temporibus: quinque
mensibus ingrauescere fætu, perinde vt oues: geminos etiam parere, vt plurimum. Quinque
autem mensibus vterum ferre, etiam Varro testatur, & Aristoteles his verbis: Oues, & capræ
terno, aut quaterno coitu implentur, & si à coitu imber accessit, abortum infert; pariunt ma- *Quot mensibus ferãt.*
xima ex parte singulos, sed aliquando & binos, & ternos, & quaternos, ferunt quinque men-
sibus tum oues; tum capræ, vnde fit, vt locis nonnullis, quibus cæli clementia, & pabuli copia
est, bis pariant. Dixit philosophus, terno, aut quaterno coitu impleri, quia, vt inquit Plinius,
primus in die coitus non implet, sequens efficacior, ac deinde concipiunt. Pariant, hoc eodem
Plinio authore, octo annis. Atqui Aristoteles tota vita coire asserit, & gemellos parere tum *Quot annis sint fertiles.*
pabuli beneficio, tum si pater, aut mater vim eam geminandi à natura obtineat. Inutilis ita-
que coitus est lactentium, vnde & idem Plinius de conceptu earum loquens, parere, ait, ali-
quando anniculas, semper bimas, in trimatu verò inutiles: aliàs tamen inquit: capræ pariunt
C & quaternos, sed raro admodum, ferunt quinque mensibus, vt oues. Pinguedine sterilescunt.
Trimæ minus vtiliter generant, & in senecta, nec vltra quadriennium. Vnde etiam Columel-
la, & Palladius matres, hoc est, matrices vltra octo annos seruari vetant, quod assiduo partu
fatigatæ steriles existant. Commodissimum autem tempus est, vt hæc animalia coeant, quod
hybernum solstitium præcedit, cuius rei rationem reddidit Plinius inquiens: Concipiunt No- *Quod coitus magis idoneum tẽpus.*
uembri mense, vt Martio pariant turgescentibus virgultis. Quot modò capris hircus sufficere
possit, alijs aliter placet, sicuti ex his Varronis verbis cõstat: de maribus, inquit, & fęminis idem
ferè discrimen, vt alij ad denas capras singulos parent hircos, vt ego: Alij ẽt ad quindecim, vt
Menas: nonnulli etiam, vt Murius, ad viginti. Nolunt Columella, & Palladius anniculis, vel *Hircus quot capras inire possit.*
bimis capellis, (nam vtraque ætas, vt ostensum est, partum edit) hœdum submitti. Neque
enim educare, nisi trimam debere, sed anniculæ confestim depellendam sobolem, bimæ tam-
diu admittendam, dum possit esse vendibilis. Vbi autem editi sunt hœdi eodẽ modo, quo agni
educantur, inquit idem Columella, nisi quod magis hœdorum lasciuia compescenda, & ar-
ctius cohibenda est. Tum super lactis abundantiam samera, vel cytisus, aut hedera præbenda,
D vel etiam cacumina lentisci (& arbutiunt addit Palladius) aliæque tenues frondes obijciendæ *Quibus alimentis lactis copia obtineatur.*
sunt: Sed ex geminis singula capita, quæ videntur esse robustiora in supplementum gregis re-
seruantur, cætera mercantibus traduntur. Quòd si verò mater, vel erepta, vel alio casu perdi-
ta fuerit, nouit hœdus seipsum lacte saturare, quod etiam meminit Galenus his verbis: Natu-
ra corporis partes fingens, vel perficiens fecit, ut ipsæ citra doctrinam proprias actiones ag- *6. de loc. aff. cap. 6.*
grederentur, cuius rei exactissimum aliquando fecimus periculum, hœdum alendo, sed ita
alendo vt matrem quæ ipsum in vtero gestauerat, nunquam vidisset. Cùm enim prægnan-
tes capras dissecarem, hœdum à matre absolutum ita abstuli, vt ipsum haudquaquam videret;
atque in domum quandam vbi multæ pelues erant, deposui: quarum aliæ vini, alię olei, aliæ
mellis, aliæ lactis, aut alterius cuiuspiam humoris erant plenæ, aderantque fructus non pauci,
tum cereales, tum ab arboribus decerpti. Hunc itaq; hœdum conspeximus, in primis quidem
pedibus incedentem perinde ac si audiuisset crura incessus gratia sibi fuisse concessa, deinde
excussit, quam à matre contraxerat humiditatem, postea pede latus scalpere, ac deinde sin-
gula vasa olfacere vidimus: Percepto itaque singulorum odore, lac tandem absorbuit. Qui-
bus visis omnes exclamauimus Hippocratem verè dixisse animalium naturas esse à nemine

doctas, &c. Tantum Galenus. Sed in educatione tum hœdi, tum totius pecoris, ſcire impri-

Qualis debeat eſſe paſtor. mis intereſt, qualis debeat eſſe gregis ipſius paſtor, quẽ Latini caprarium, Græci αἰπόλον, vel quaſi αἰγοπόλον, quod circa capras verſetur, vel quod αἰπὰ, id eſt, ardua, & alta loca, vel ἐν αἴπει, id eſt, in altitudine obambulat, vocant, vel etiam αἰγονόμον: docet Columella his verbis: Magiſter autem pecoris acer, durus, ſtrenuus, laboris patientiſſimus, alacer atque audax eſſe debet, & qui per rupes, per ſolitudines, per vepres, facile vadat, & non vt alterius generis paſtores, ſequatur, ſed plerumque vt antecedat gregem. Quare cum eſſe maximè ſtrenuum opus eſt. Capellæ dum dumeta paſcunt, capris cedunt, ſubinde quæ cedit, compeſcide-bet, ne procurret, ſed placidè, & lentè pabulentur, vt & largi ſit vberis, & non ſtrigoſiſſimi cor-

Stabulum quale eligẽdum. poris. Sic ille. Geoponica græca ideo caprarios leues, & veloces eſſe volunt, vt caprarum celeritatem aſſequantur. Αὐλὴ, ſiue σηκὸς vocatur vbi vel capræ, vel oues ſtabulantur, latini caprile dicunt, hoc ſecundum eundem Columellam, vel naturali ſaxo, vel manu conſtratum eligi debet quoniam huic pecori nihil ſubſternitur. Diligenſq; paſtor quotidiè ſtabulum conuerrit, nec paritur ſtercus, aut humorem conſiſtere, lutumue fieri, quia cuncta hæc capris ſunt inimica. Similiter ferè & Varro ait, ſtabulari pecus melius ad hybernos exortus ſi ſpectat, quod eſt alſioſum cùm dixiſſet: Id vt pleraque, inquit, lapide, aut teſta ſubſterni oportet caprile, quo minus ſit vliginoſum, ac lutulentum: Ait item: cum foris eſt pernoctandum, item in eandem partem cæli, quæ ſpectent, ſepta oportere ſubſterni virgultis, ne oblinantur. Virgilius verò de ſtabulorum ſitu prodidit:

Et ſtabula à ventis hyberno opponere ſoli
Ad medium conuerſa diem cum frigidus olim
Iam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.

Quot capræ vni ſtabulo includi poſſint, & vna paſci. Negat Columella numerum generis huius maiorem quàm centum capitum ſub vno clauſo expedire haberi, cùm lanigeræ mille pariter commodè ſtabulentur. Varro verò numerum minorẽ in caprino genere eſſe oportere inquit, quàm in ouillo, quòd capræ laſciuæ ſunt, & quæ diſpergunt ſe; contrà quòd oues ſe congregant, & condenſant in locum vnum: Itaque in agro Gallico greges plures potius facere, quàm magnos, quod in magnis citò exiſtunt peſtilentiæ, quæ ad perniciem eos perducunt. Satis magnum gregẽ putare eſſe circiter quinquagenas, qui bus aſſentiri putare credidit, quod vſu venit Gaberio equiti Romano. Is enim cùm in ſuburbano haberet agrum, iugerum mille & à caprario quodam, qui adduxit capellas ad vrbẽ denarios ſibi in dies ſingulos dari audiſſet, coegit mille caprarum gregem, ſperans ſe capturum de prædio in dies ſingulos denarios mille. Tantum enim fefellit, vt omnes breui amiſerit morbo: Contra in Salentinis, & in Caſinati ad centenas paſcunt. Paſcuntur eodem modo, quo oues, & ſimiliter paſtæ ad potum ducuntur, Virgilius:

Tityre dum redeo (breuis eſt via) paſce capellas
Et potum paſtas age.

2. de re ruſt. 2. quo modo & Varro locutus eſt: Meridiano tempore ſemel potum agere, ſatis habeat; & paulo antè: Ab occaſu paruo interuallo interpoſito ad bibendum appellant. Quo verò tempore

Eclog. 10. reducendæ ſint à paſtu domùm, idem poeta oſtendit, inquiens:

Ite domum ſaturæ, venit heſperus, ite capellæ.

Columella verò, & Varro reduci domum greges præcipiunt, poſtquam contenebrauit. Si in agro enitatur capra fœtum humeris, paſtor efferre debet, etſi aliter videatur indicare poeta, dum ait:

Eclog. 1.

en ipſe capellas
Protinus æger ago hanc etiam vix Tityre duco
Hinc inter denſas corylos, modò namque gemellos
Spem gregis, ah ſilice nuda, connixa reliquit.

Ducere autem potius à partu laſſam, & infirmam, quàm portare paſtorem ait, quia ipſemet quoq; portari ſuis potius, quàm alienis pedibus ambulare debebat, ſiquidem eius corpori male erat. Efferri autem humeris recenter editos fœtus ſolere manifeſtè Tibullus teſtatur:

Eleg. 1. li. 1.

Non agnumue ſinu pudeat, fœtumque capellæ
Deſertum, oblita matre, referre domum.

Eclog. 5. Clariſſimè Calphurnius:

Te quoque non pudeat cum ſerus ouilia viſes
Si qua iacebit ouis, partu reſoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natoſque tepenti
Ferre ſinu tremulos, & nondum ſtare paratos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Aelianus testatur pastores, curatoresque ouium, caprarum, & equarum, quo plus prolis sibi
nascatur, genitalia tempore coitus delibutis multo sale, & nitro manibus perfricare, indeq; ijs
vehementiorem coitus appetitionem exoriri: alios eadem pipere, alios nitro perungere, alios
vrticæ fructu: Esse etiam qui myrrha, & nitro eadem inungant; exque ea sanè fricatione fœmi-
nas, & libidinosiores euadere, & mares sustinere: Sed & Aristoteles scribit, caprarum, quæ coi-
tum non patiuntur, vbera à pastoribus montis Oetæ vrtica perfricari vehementer, vt dolorem
infligant, itaque primùm cruentum humorem elici, mox purulentum, postremò lac nõ minus,
quàm ex eis, quæ venerem patiantur. Et ne quis id miretur, accedit testimonium Alberti, qui
vidisse se hoc scribit in mulieribus tum viduis, tum virginibus, quæ, idem in suis expertæ ma-
millis, lac abundè emiserint.

Quomodo coitus auidissimæ reddi possint.

AFFECTVS CORPORIS,

B

Eorumque cura.

OVIBVS robustiores quidem esse capras, tradit Aristoteles, sed oues meliùs va-
lere. Plutarchus in lib. de defectu oraculorum memoriæ prodidit Græcos sa-
crificaturos tauros apposita farina, sues ciceribus, si non gustarent, non esse sa-
nos, iudicasse: Sic capram arguisse affusa frigida, si non moueretur, vt non be-
nè scriptum sit à Cælio, capras frigida aqua exploratas, si eam gustare abnuis-
sent. Archelaus equidem capras profitebatur, teste Plinio, nunquam carere febri, ideoque
fortassis, inquit, quòd anima his quàm ouibus ardentior, calidioresque concubitus. Et aliàs
etiam scribit Plinius, propterea non præstari solere de earum sanitate in venditionibus, satis
enim fuisse quod venditor diceret, aio illas benè esse, & benè bibere. Legimus & hoc apud Var-
ronem: De emptione aliter atque de ouibus dico, quòd capras sanas sanus nemo promittit, nũ- "
quam enim sine febri sunt. Itaque stipulantur paucis exceptis verbis, ac Manilius scriptum "
reliquit, sic: Illas capras hodie rectè esse, & bibere posse, habereque rectè licere, hęc spondes ne? "
C Et rursus: *Quid dicam de earum sanitate? Quia nunquam sunt sanæ* &c. Florẽtinus verò etiam
admodum celebris, qui inter multa, quæ reliquit literarum monimenta, etiam de re rustica nõ
incuriosè conscripsit, ita capras semper febricitare ait, vt si quando deficiat febris, intereant.
Est præterea obnoxia pesti, qua de re sic legimus apud Columellam: Alia genera pecorũ cùm
pestilentia vexantur, prius languoribus, & morbo macescunt: solæ capellæ, quamuis optimæ,
atque hilares, subitò concidunt, veluti aliqua ruina gregatim prosternantur. Id maximè acci-
dere solet vbertate pabuli. Tentantur & epilepsia, quamobrẽ veteres sacerdotes, vt tradit Plu-
tarchus, vehementer ijs, vt morbidis abstinuerunt, quoniam gustantibus, aut tangentibus mo-
dò aliquid morbi eius affricari sibi persuaderent. Disputat itaque aduersus Aristotelem Mer-
curialis in hæc verba: Aristoteles, inquit, quærens cur homines soli, vel maximè inter animalia
oculis peruertantur, inter alias causas hanc affert, quòd soli in animalium genere fiunt epile-
ptici, epilepsia verò oculorum peruersionem inducit. Hanc sententiam omninò falsam esse,
duo faciunt, vnum est, quod ipsemet Aristoteles in libris de animalibus nonnulla recenset, quę
eisdem morbis, quibus homines, tentari scribit, vt oues: Alterum quod in libro de sacro mor-
D bo, qui vt Hippocratis à Galeno in primo prognostic. textu 4. & libro an sanguis in arterijs cõ-
tineatur, nec non à Cælio Aureliano lib. 1. passionum chronicarum cap. 4 citatur, scriptum est,
oues & maximè capras epileptico morbo non parùm obnoxias esse: Quod certè de ouibus val-
dè verisimile videtur, nempe quæ caput in terram ferè detinentes, halitus prauos, ac humidi-
tatem crassam facilè in caput trahant, & subinde morbum sacrum incurrant. At capræ, quæ al-
to capite vt plurimum pascuntur, siccæque sunt ac perpetuò febrire traduntur, quo modo oui-
bus magis epilepsia, quæ à larga pituita gignitur, exponantur, non admodum intelligo, eo pręse-
rtim quod Clemens Alexandrinus tradit 7. Stromatum, hircinas carnes epilepticis auxiliari
fuisse creditum, nisi dicamus, vt Plutarchus in Rom. problem. capras cæteris animalibus comi-
tiali morbo magis tentari, ob meatuum angustiam, quam arguit vocis tenuitas, atque etiam
eodem morbo facilè capi eos, qui caprinis carnibus vescuntur. Itaque sententia Aristotelis sic
moderari debet, vt in sect. 10. probl. 43. & sect. 31. probl. 26. vbi ait, quod homo vel solus, vel
maximè oculis peruertitur, dicamus quoniã vel solus, vel maximè in infantia epilepticus fit. Hęc
itaq; Mercurialis. Plutarchus autem morbi causam angustiam meatuum esse scripsit, per quos
spiritus fertur, ob quam is sępe intercipitur, proque argumento vsurpari vocis tenuitatem, nam

Capre semper febricitant, & pesti maximè sũt obnoxia, & epilepsiæ.

& homines morbo eodem correptos exilem vocem emittere balatui ſimilem. Et Cælius Au- E relianus ſcribit non ſolùm caprinas carnes epilepticis prohiberi, ſed prohiberi prætcrea ſuper pellem caprinam dormire, ſiue iacere ægrotantem, ſiquidem paſſionis facere motum; Et mox rurſus ait, caprina pellis odoris tetri cauſa, noxia capiti iudicatur, non ſpeciali, atque priuata ratione. At verò Hippocrates ideo epileptica eſſe hæc animalia, oues ſcilicet, & præſertim capras cognoſci tradidit, quòd ſi caput earum diſſecueris cerebrum reperiatur humidum, ſudore refertum, & malè olens. Laurentius Ioubertus in apologia pro paradox. 7. decad. 2. oſtendens formatricem circa excrementa aliquando operari, tradit tam capras, quàm oues ex narium

Pediculos nõ habent. muco procreatos habere vermes in cribriformi oſſe, idque vulgò eſſe cognitum. Legimus denique apud Ariſtotelem oues, & capras rediuos quidem habere, ſed pediculis vacare. Et Plinius non ſolùm hoc repetit, ſed præterea nullos illis pulices eſſe addidit. Cæterùm nunquid oues pediculis careant, ſuo loco eſt examinatum.

Hydrope laborant. Laborant denique etiam hydrope, teſte Columella, qui cùm de peſte dixiſſet, quæ totos greges infeſtat, ſubdit: Cùm verò ſingulæ domi laborabunt, eadem remedia, quæ ouibus adhibebimus; Et rurſus: Sed ne nunc ſingula persequar, ſicut in ouillo pecore dictum eſt, caprino medebimur. F

Peſtis curatio. Peſtem autem accidere maximè ſolere dixerat vbertate pabuli. Quamobrem ſtatim cùm vnam, vel alteram peſtis perculit, omnibus ſanguinem eſſe detrahendum. Nec toto die paſcendas, ſed medijs quatuor horis intra ſepta claudendas: Sin alius languor infeſtat, pabulo medicari arundinis, & albæ ſpinæ radicibus, quas cùm ferreis pilis diligenter contuderimus admiſceri aquam pluuialem, ſolamque potandam pecori præberi. Quod ſi ea res ægritudinem non depellit, vendenda eſſe pecora, vel ſi neque id contingere poteſt, ferro necanda, ſaliendaque. Mox interpoſito ſpacio conuenire alijs gregem reparare: Nec tamen antequam peſtilens tempus anni, ſiue id fuit hyemis, vertatur æſtate; ſiue autumni, vere mutetur. Quintilij aſſerunt, nec capras, nec oues peſte infici, ſi ex ciconiæ ventriculo aqua intrito ſingulis cochleare vnum infuderis. Alyſſon ſi circa ſtabula plantetur gregibus caprarum, atque ouium, ſalubrem eſſe perhiberi, Plutarchus author eſt.

Lib. 3. Sympoſ.

Hydropis curatio. Si diſſecantur aqua cutis ſub armo pellis leniter inciſa pernicioſum tranſmittat humorem, vt aſſerit Columella, tum factum vulnus pice liquida curatur. Cùm effœtæ loca genitalia tumebunt, aut ſecundæ non reſponderint, defruti ſextarius, vel cùm id defuerit, boni vini tantundem faucibus infundi idem iubet, & naturalia cerato liquido repleri. Si partus fuerit difficilis Dioſco- G rides ſeſelis Maſſilienſis ſemen tum his, tum cæteris quadrupedibus bibendum præbet.

PRÆSAGIA. AVGVRIA.

Portenta.

Tempeſtatis prognoſis. CAPRÆ tam arborum quàm fruticum, & ſubfruticum ramuſculos, ſtolonesve, inquit Anton. Mizaldus, ſolito auidius carptim derodentes, ac nullo valente verbo, aut verbere ad vineta, vel alio (licet non impunè) proficiſcentes, pluuiarum, aut tempeſtatis præſagia, intelligentibus certo ob oculos ponunt, futuram enim aeris commotionem naturali inſtinctu prænoſcentes, ne fame periclitentur, ventrem vt dies aliquot ſufficere poſſit, ſaburrare quo iure, quaque iniuria, ſedulò ſtudent. Eaſdem maribus omnibus admiſſis catulientes, & venerem ne quicquam promiſcuè conſuitur,

Serenitatis indicia. dentes, hyemalis tempeſtatis præſagium eſſe in oue dictum eſt. Author etiam eſt Aelianus, hœdos, & agnos laſciuientes & inter ſe ſaltantes lætos, ideſt, ſerenos dies promittere.

Tripodis Delphici initium unde. Oraculũ Tripodis Delphici, vt ſcribit Diodorus in libro, vt refert Pius Bonon. quem perpaucorum manos terunt, ſic inuentum prædicant. Voragine quadam in immenſum dehiſcente co loci vbi nunc ſacrarium eſt, quod adytum vocant, & capris circa ea gramen depaſcẽtibus cùm Delphi nondum incolerentur, capram voragini appropinquantem cum in eam proſpexiſſet, exultare, ac deferri miro quodam modo, vocemque priori diſſimilem emittere. Hac inaudita re admiratum paſtorem voragini viſendi gratia propius acceſſiſſe, cùmque inſpexiſſet pari modo exagitari cœpiſſe. Capram nempe uelut lymphatico quodam furore concitari, ac moueri, & illam pariter, quæ futura eſſent, prædixiſſe: Fáma inter finitimos uulgante, quæ loco illi appropinquantes paterentur plures aduenisse, reique incredulitate propius delatos experiri uoluiſſe, omneſque id expertos ſimili furore eſſe concitos, ob hæcque ſacrarium admiratos, & telluris oraculum eſſe dignoſcentes per multum temporis uaticinandi cauſa ad illud acceſſiſſe: appropinquantes ad inuicem edidiſſe oracula. Poſterius uerò multis ex furore concidentibus intra hiatum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A hiatum illum nec vſque apparentibus viſum eſt his, qui locum accolebant: quo periculum a-
uerteretur, mulierem diuinis inſtitutam præeſſe loco, & ex eius ore oracula eſſe proferenda.
Eam verò inſtituiſſe machinam, per quam in ſpecum tutus eſſet aditus, & furore concita vo-
lentibus futura poſſet edicere. Machinam autem ex tribus conſtare gradibus, & ob id tripo-
dem eſſe appellatam. Ferè etenim totius machinæ fabricam haud diſſimilem eſſe his, quibus *Capræ à re-*
nunc vtimur æreis tripodibus. Hæc ille. Capras verò etiam à Macedoniæ, & Epiri regibus in *gibus hono-*
honore habitas Iuſtinus prodit, eo quod Caranus primus Macedoniæ regum, à quo cæteri vſ- *ratæ.*
que ad Alexandrum Epiri regem, genus ducebant, gregem caprarum veluti ducem oraculo ſi-
bi deſtinatum ſecutus, Edyſſam regni ſui ſedem occupauerat, quam mutato nomine Aegeam
ob beneficij memoriam nominauerit &c. De Lacedæmoniorum clade, tale ſiue augurium, ſi-
ue prodigium narrat Pauſanias: Mos fuit regibus Spartanis ad bellum proficiſcentibus ouium *In Bœotic.*
greges in extremo agmine habere, quo & ad ſacra, & antequam ſigna conferrent ad litandum
hoſtiæ in promptu eſſent. Earum pecudum duces itineris erant capræ, quas Catœadas no-
B minant paſtores. Tunc quidem gregem inuadentes lupi ouibus nullam ſanè noxam intule-
runt, ſolas verò catœadas necarunt. Dicuntur etiam Lacedæmonij filiarum Scedaſi diras
clade illa luiſſe &c. Pariunt & capræ ſimiliter ac oues, & reliqua fœcundiora, & multipara
animalia partus interdum monſtroſos, teſte Ariſtotele, eiuſq; rei rationem reddit in problem. *4 de gen. a-*
vt mox patebit, aſſeritque etiam nonnulla duplici naſci genitali, altero maris, altero fœminæ, *nimal. 4.*
idque in genere quidem hominum, ſed maximè caprarum; gigni enim in his, quas vocant, in-
quit, hircinas (τραγαίνας) propterea quòd ſimul habent genitale, & maris, & fœminæ:
lam & cornu gerens in crure conſpecta eſt capra, eodem teſtante. Vſum etiam aliquando eſſe *Hircus bi-*
hircum bipedem, ſolos ſcilicet habentem anteriores pedes, memorat Albertus Magnus, more- *pes.*
que ſtruthionis obambulantem, quique corpus regens non id traheret, nec terræ permitteret *Capra tria*
hærere. In Germania anno 1555. à circulatore quodam lucri gratia capra circumducta eſt, vt *habens cor-*
refert Lycoſthenes, tria habens cornua, quorum duo ſuo quidem loco erant, tertium verò ex *nua.*

C

D

Ia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

latere,vel ventre potiùs eminebat. In Mendeſia Aegypti,hoc memoria ſua prodigium contigiſſe ſcribit Herodotus: Hircus cum muliere coit propalam, quod in oſtentationem, inquit, hominum peruenit. Hac de re etiam Pindari verſus Strabo citat, & nos ſuprà eoſdem citauimus. In Lemno inſula ex mammis capri,quas ille geminas iuxta genitale gerit,tantum lactis emulgebatur,vt coloſtra inde conficerent, quod idem etiam proli maſculæ capri illius eueniſſe,inquit Ariſtoteles,accepimus. Sed hæc oſtentis annumeranda potiùs ducunt: Nam & in Lemno illi pecoris domino conſulenti Deus amplius incrementum peculij fore reſpondit. Pridie quàm Campaniam ingrederetur Sylla duo eximiæ magnitudinis hirci iuxta Ephæum montem conſerere conſpecti ſunt,vt refert Plutarchus,omnia quæ inter pugnandum mortalibus euenire ſolent,nunc inferentes, nunc tolerantes. Fuiſſe autem viſionem tradit,quæ paulatim à terra eleuata, quaquauerſus per aerem diſpergebatur, obſcuris idolis perquam ſimilis, poſtmodum euanuit.

Lib.2. *Lib.17.* *Caper mulgenti lac copioſum præbens.* *Duorum hircorum pugna portentoſa.*

EPIGRAMMATA.

CRINAGORI epigramma de capra,quæ Cæſari lac præbuit in hoc imitata capram Amaltheam Iouis alumnam:

Αἶγα με τὴν εὔθηλον ὅσων ἐκένωσεν ἀμολγεὺς
Οὔθατα, πασάων πουλυγαλακτοτάτην,
Γευσάμενος, μελιηδὲς ἐπεὶ ἐφράσατο πῖαρ
Καῖσαρ. κἐν νηυσὶ σύμπλοον ἠγάγετο.
Ἤξω δ' αὐτίκα που καὶ ἐς ἀστέρας. ᾧ γὰρ ἐπέσχον
Μαζὸν ἐμὸν, μείων οὐδ' ὅσον αἰγιόχου.

Senſus epigrammatis ita ſonat: Poſtquam Cęſar me capram εὔθηλον,ideſt,pulchris vberibus, vt exponit Brodæus,ſeu multimammeam,ſeu benè mammatam,vt Obſopæus, & lactis abundantiſſimam omnium quæ mulgentur,deguſtauit,& lactis mellitam pinguedinem intellexit, etiam nauigationis comitem me adhibuit,proinde & me ſpero actutum inter aſtra locum habituram, nam, cui lac præbui, non eſt minor Ioue. Aliud Lucillij argutum etiam, ac elegans alludentis ad antiquum prouerbium: ἄλλα λέγει Μενεκλῆς,ἄλλα τὸ χοιρίδιον. ideſt,non eadem loquitur ſuccula quæ Menecles. Vbi quis multum verborum effutit,quæ nihil ad rẽ pertineãt:

In aliena loquentes.

Κοιρίδιον, καὶ βοῦν ἀπολώλεκα, καὶ μίαν αἶγα
Ὧν χάριν εἴληφας μισθάριον Μενεκλῆς.
Οὔτε δέ μοι κοινόντι πρὸς Ὀθρυάδαν γεγένηται,
Οὔτ' ἀπάγω κλέπτας τοὺς ἀπὸ Θερμοπυλῶν.
Ἀλλὰ πρὸς εὐτυχίδην ἔχομεν κρίσιν ὥστε τι ποιεῖ
Ἐνθάδε μοι Χέρξης, καὶ Λακεδαιμόνιοι.
Πλὴν κἀμοῦ μνήσθητι νόμου χάριν, ἢ μέγα κράξω
Ἄλλα λέγε Μενεκλῆς, ἄλλα τὸ Χοιρίδιον.

Ideſt,vt vertit author Adagiorum:

Succula,bos,& capra mihi periere Menecles
Ac merces horum nomine penſa tibi eſt.
Nec mihi cum Otryade quidquam eſtve fuitve negoti
Nec fures vllos huc cito Thermopylis.
Sed contra Eutychidem nobis lis, proinde quid hic mi
Aut Xerxes facit,aut quid Lacedæmonij?
Ob pactum & de me loquere, aut clamauero clarè
Multo aliud dicit ſus,aliud Menecles.

Cum cuius epigrammatis argumento conuenit & hoc Martialis in Poſthumum cauſidicum ineptum,qui nihil ad propoſitam cauſam dicebat,& nuper conductus à Martiale, vt defenderet cauſam trium capellarum,quas amiſerat furto, cœpit Cannenſem pugnam, & bellum aduerſus Mithridatem recitare.

Lib.6.epigr. 19.

Non de vi,neque cæde,nec veneno
Sed lis eſt mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abeſſe furto
Hoc iudex ſibi poſtulat probari:
Tu Cannas,Mithridaticumq; bellum,

Et periuria Punici furoris
Et Syllas, Mariosque, Mutiosque
Magna voce sonas, manuque tota
Iam dic Posthume de tribus capellis.

In quo Martialis epigrammate hoc ipsum, *tota manu*, prouerbij speciem gerit solent enim rethores in contentione manu rotata gesticulari. Vtrumque igitur in eum rectè dicetur, qui ἐξαγώνια, καὶ ἀπροσδώνυσα, hoc est extra causam quæ sunt, & ad rem nihil attinent, dicit: *Aliud sus, aliud loquitur Menecles; & dic de tribus capellis.* Exstat apud eũdem poetam lepidissimum epigramma, quo narrat historiam sacerdotis, qui cum hircum Baccho mactaret agrestem, & rudem quendam hominem sibi inseruientem, testiculos acuta falce secare iussit, teter vt immundæ carnis abiret odor. Interim occupati circa hircum, inclinatique sacerdotis scrotum apparens, rusticus, malè rem intelligens subitò resecuit, antiquos sacrorum ritus id postulare existimans. Epigramma hoc recitauimus suprà inter synonyma, vbi caprum de exsecto dici asse-
B rebamus. Aliud Anytes mulieris poeticæ in pueros hircos inequitantes: *Lib. 5.*

Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνὶ τράγε φοινικόεντα
Θέντες, καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι,
Ἵππια παιδεύουσι θεῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
Ὄφρ᾽ αὐτοὺς φορέῃς ἤπια τερπομένους.

Ordo epigrammatis est: Hirce pueri tibi imponant rubras habenas, & frena circa os hirsutum, docent te iuxta templum equina certamina, vt eos feras iucundè delectatos: vbi pro ἤπια Brodæus monet scribendum ἵππια. Aliud Philippi de quodam capro, qui puerum ab ariete eripuit, recitatum est supra in oue. Extat & Lucillij epigramma festiuum in lasciuos, & obscœnos, & priuatim in pædiconem Cratippum, cuius detestandum flagitium omnibus vult annunciare, & ostendere:

Τὸν φιλόπαιδα κράτιππον ἀκούσατε θαῦμα γὰρ (videtur aliquid desiderari)
Καινὸν ἀπαγγέλλω. πλὴν μεγάλαι νεμέσεις.
C Τὸν φιλόπαιδα κράτιππον ἀνεύρομεν ἄλλο γένος τί;
Τῶν ἑτεροζήλων. ἤλπισα τοῦτ᾽ ἂν ἐγώ,
Ἤλπισα τοῦτο κράτιππε; μανήσομαι, εἰ λύκος εἶναι
Πᾶσι λέγων ἐφάνης ἐξαπίνης ἔριφος.

Ἤλπισα τοῦτ᾽ ἂν ἐγὼ, interrogatiuè pronuntiandum: sperassem, aut timuissem ego de te hoc vnquam? sperassem ne hoc Cratippe? insaniam, insanissem citiùs quàm de te hoc sperassem, qui dum ab omnibus lupus es dictus, ita subitò hœdus apparueris: idest, tam perditus simulator continentiæ, & castitatis. Aliud ignoti authoris de puella, quæ non solùm ipsa grauiter, & malè olebat, sed omnes quoque cæteros, quotquot attigerat, hircum spirare fecit:

Οὐ μόνον αὐτὴ πνεῖ Δημοστρατὶς, ἀλλὰ δι᾽ αὐτῆς
Τοὺς ὀσμησαμένους πνεῖν πεποίηκε τράγου.

Aliud incerti authoris, quo significatur occasionem non elabi sinendam esse: *Lib. I.*

Τῆς ὥρας ἀπόλαυε. παρακμάζει τάχυ πάντα
Ἓν θέρος ἐξ ἐρίφου τρηχὺν ἔθηκε τράγον.

Obsopœus vertit sic:
D *Vtere temporibus, flaccescunt cuncta repentè*
Hircus erit subitò, qui prius hædus erat

Marci Varronis epigramma obscurissimum Homeri imagini ab eo appositũ, quod apud Gellium deprauatè legitur Hieronymus Magius à mendo sic purgat, & genuina explicatione illustrat. Multis, inquit, obductum tenebris, longèque difficillimum illud est epigramma quod M. Varro libro de imaginibus primo Homeri imagini apposuit. Hoc Gellius lib. 3. noct. Attic. 11. dum super Homeri patria dissensum esse demonstrat, retulit. Sic enim ille habet: De patria quoque Homeri multo maximè dissensum est: Alij Colophonium, alij Smyrnæum: sunt qui Atheniensem, sunt qui Aegyptium dicãt fuisse. Aristoteles tradit ex insula Io natum. M. Varro libro de imaginibus primo Homeri imagini hoc epigramma apposuit: *Lib. 3. Miscell. cap. I.*

Capella Homeri candida, hoc tumulum indicat,
Quòd ariete mortuo faciunt sacra.

Hæc Gellius. Diu multumque insudaui, meque ipsum torsi quærendo, quonam parto ad Homeri patriam indicandam, Varronis distichum faceret: non enim temerè à Gellio, vbi de ea agitur, adscriptum videbatur, demum in magna Cimmeriarum tenebrarum obscuritate suspicari cœpi, ita dictum esse, mortuo ariete fieri Homeri manibus sacrum, vt vaga Homeri natura, *Homero mortuus affertur aries.*

tura,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tura, & patriæ ipsius obscuritas, & incertitudo indicaretur, quòd hoc animal rei plurimum cõgruere videretur. Siquidem aries, seu stellæ in Zodiaco arietem constituentes, atque efformantes, vt Mathematicorum, Astrologorumque sententia est, & Galeotus Martius in libro de doctrina promiscua cap. 35. scriptum reliquit, inter cætera, quæ efficere creduntur, reddunt hominem vagum, mobilem, & nunquam diutius aliquo in loco permanentem, prout fert arietis natura. Est enim vagum animal, & errans. Quâ natura cùm præditus sit optima ratione poetæ finxisse videntur Phrixum, & Hellen in exilium eiectos, vt vagarentur, à Nephele eorum matre fuisse arieti impositos. Ad hæc arietis signum obscurum esse traditur, ex qua ratione Aratus inquit, Cicerone interprete:

Aries animal vagum.

Quis comes est aries obscuro lumine labens.

Eamque ob rem vt Higinus refert, dicitur Mercurius Deltodum sidus: Deltæ literæ, triangulique forma præditũ supra arietis caput posuisse, vt huius splẽdore, quo loco esset aries non admodum conspicuus, significaretur. Vagum autem, & peregrinum fuisse Homerum ex vitæ eius lectione satis est manifestum. Hac autem de causa enatam esse Homeri patriæ incertitudinem testatur Epiphanius Episcopus Constantiæ, his verbis ex interprete de Homeri varijs patrijs locutus: Verùm, inquit, quòd in multis fuerat vrbibus, & patrijs, ideo multos ad diuersam narrationem impulit. Tanta autem fuit rei obscuritas, vt Appion Grammaticus manes euocauerit ad percontandum Homerum, qua patria, quibusque parentibus genitus esset. Non solum autem & erroris, & obscuritatis ratione sacro quod Homero fiebat (pro Deo enim est habitus, & templa ei dicata sunt à quibusdam, vt apud Strabonem legitur) quadrare aries videbatur, sed etiam principis loci, quem inter signa reliqua obtinet cælestis aries, vel terrestris in grege. Quamobrem Columella in lib. de hortis, de ariete:

Mercurius planeta cuius sit figuræ.
Lib. 1. contra heres. tom. 3.
Homeri patria incerta.
Lib. 14.

Signorum & pecorum princeps caput efferet vndis.

Princeps siquidem poetarum semper est habitus Homerus, quæ res ariete fortasse à Varrone non de patria loquente, significari, dici potest, quod si affirmet quis: Varronis distichon post græcos versiculos nouissimo loco apud Gellium adscribendum videtur. Principatus autẽ apud Romanos ariete significabatur Varrone eodem attestante, qui lib. 5. de lingua latina loquitur in hæc verba: *Dies agonales, per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab Agon', eo quod interrogatur à principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur.* Ex qua fortasse ratione Virgilius in bucolicis sibi placens, se cùm Arij vim euasit, sub ariete significauit, inquiens:

Principatus hieroglyphicum apud Romanos.

aries sua vellera siccat.

Quod verò spectat ad capellam, candidam appellari existimabam, quia marmorea fingatur, & tumulo insculptam; tanquam rei occultæ indicem. Quod autem pro indice capra acciperetur, fidem facit Ouidius, dum animalia, quæ in Iunonis festo in pompam ducerentur, enumerans de capra sic canit:

Duxq; gregis cornu per tempora dura recuruo
Inuisa est dominæ sola capella Deæ.
Illius indicio syluis inuenta sub altis
Dicitur inceptam continuisse fugam.
Nunc quoque per pueros iaculis incessitur index
Et pretium authoris vulneris ipsa datur.

Vt etiam Diodorus scriptum reliquit, capra Delphici oraculi locum, cui Tripus mox fuit impositus, inuenit. Caranus etiam, siue, vt Eusebius habet, Cranaus iussus oraculi responso, ducibus capris imperium quærere, gregem caprarum imbrem fugiẽtium magna [illegible] racorum manu secutus vrbem Edissam, vt Iustinus testatur, occupauit, quam Aegæam ἀπὸ τῶν αἰγῶν, idest, capris, appellauit. Aliquando in eam sum adductus sententiam, vt capra Homeri patriam optimè monstrari censerem. Homerum enim Syrum à quibusdam creditum fuisse refert Athenæus, & Syrias capras excellentes, ac in pretio habitas apud eundem legimus. Syrium autem fuisse illud esse argumento, Meleagrum Gadaræum idem author scripsisse refert, quòd pro patriæ suæ consuetudine omnes antiquos à piscibus abstinere fecerit, cùm eorum vis ingẽs esset circa Hellespontum. Syrios ob patrias leges à piscibus abstinuisse idem testatur, cui Porphyrius philosophus in libro de abstinendo ab animantibus adstipulatur. Quod spectat ad relatum Meleagri argumentum illud obiter est obseruandum, aliam, longèque plausibiliorem à nonnullis afferri rationem. Dio enim Chrysostomus oratione 2. quę de regno inscribitur, ait hoc esse ab Homero factum fortitudinis causa, quæ ex bubularum carnium esu, quibus vescentes heroas inducit, conciliari soleat, quam rem & à Platone adnotatam commemorat. L. Christophorus Boethicus Antonij Nebrissensis non indoctus auditor, idem Varronis epigramma

Delphici oraculi locum capra ostendit.
Lib. 7.
Lib. 4. c. 18.
Lib. 1. c. 25.
Lib. 12. c. 9.
Lib. 4. c. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Agramma longa commentatione, quæ cum eiuſdem Nebriſſenſis libris excuſa legitur, quamque Franciſcus Luiſinus vir eruditiſſimus lib. 2. παρέργων cap. 17. magni facit, explicare, apertumq; reddere conatur. Ea eſt huiuſmodi à me quibus oportuit locis, partim contracta, partim verò aucta, & roborata, vt ex collatione deprehendes. Vt Firmicus in Matheſ. & Cleonides in ſignorum momentis, authores ſunt, aries inter ſigna cæcus eſt, tametſi ſignorum omnium ſit directiſſimus dux, vnde Aratus:

Quis comes eſt aries obſcuro lumine labens?

Et Auienus in phœnomene de ariete loquens: ſemper, inquit, proprijs caret ignibus. Germanicus etiam in fragmentis: *clarave non illi eſt facies* &c. Cui arieti ſimillimus fuit Homerus, & ipſe cæcus, vt Plutarchus, Martianus, & prius Halicarnaſſeus literarum monimentis prodiderunt. Vnde nomen illi adſtructum fuit. Nam Cumani, & Iones etiam, vt Plutarchus vult, τὺς τύφλυς (inquit Halicarn.) ὁμήρυς λέγυσιν. CAPELLA. Cleonides, & Firmicus locant capellam in trigeſimo arietis gradu, mortalibus influentem mentis concuſſionem, animiq; vertiginem. Quo fit, vt quos horoſcopo inuadit, rerum ij facilè ſatagant, & machinando ſolicitentur, vexenturque. Id quod

Homerus cæcus & ſui nominis ratio.

Capella ſydus vbi locetur.

B Homero vſu venit, nam propoſito ſibi à piſcatoribus, vel piſcatorum miniſtris ænigmate, quod in hæc verba fuit:

Ἅσσ᾽ ἕλομεν λιπόμεσθα, ἃδ᾽ οὐχ᾽ ἕλομεν φερόμεσθα.

Homeri mors.

cogitando exanimatus eſt, etſi Halicarnaſſeus de Homeri morte aliter ſentit, ſic enim inquit: ἐκ δὲ τῆς ἀσθενείας ταύτης συνέβη τὸν ὅμηρον τελευτῆσαι ἐν Ἴῳ, οὐ παρὰ τὸ μὴ γνῶναι τὸ παρὰ τῶν παίδων ῥηθὲν ὡς οἴονταί τινες, ἀλλὰ τῇ μαλακίᾳ. Metaſthene præterea authore, & Pædiano ſuum quemq; Deum ſacrificium oblectabat, vel conſentaneum, vel infeſtum. Hinc Baccho caprum, & Dianæ canem immolabant antiqui. Faciunt igitur Homero ſacra apud tumulum ſiue re congrua & ſimili, vt ariete cæco, ſiue re infeſta, vt capella, cuius vertigine, vt pleriſque placet, perijt Homerus. Conſtrue ergo, hoc indicat tumulum Homeri, quod faciunt ſacra capella candida, ariete mortuo, ideſt, mactato. Eſt autem dialecton figura, & oratio coniunctione deſtituta. Sed quorſum hi verſus, & quo modo ad rerum ſeriem ſpectant, quæ de Homeri ſolo natali aliquid, vt affeatur, requirit? Beroſus lib. 8. antiq. vni cadaueri, vno holocauſto antiquos ſacrificaſſe teſtatur. Modò verò rei dubiæ, hoc eſt, Homero, cuius ſtirps dubia eſt, vel natale ſolum ignoratur, Varro
C dicit fieri ſacrificium re dubia, ideſt, capella, & ariete, & ſic particula *quòd* pro quia accipitur, vt ſenſus ſit, hoc indicat tumulum eſſe Homeri, cuius eſt ſtirps dubia, quia faciunt ei ſacra ſacrificio ancipiti. Atque hæc quidem ex Chriſtophoro illo Bæthico. Cùm de huius epigrammatis interpretatione pridem differerem cum eruditiſſimo viro Quinctino Acanthio, cępit ille contendere corruptum eſſe poſteriorem verſiculum, ac pro ariete legendum eſſe Ietæ. Satis enim conſtare in Io inſula obijſſe Homerum, Ienſeſq; illi tumulum conſtruxiſſe. Qua ille emendatione maximè loco illuxit, meque in ſuam facilè ſentẽtiam pertraxit, ſed corruptum eſſe verſiculum illud me paululum ſuſpicari faciebat, quod verbum *faciunt* ſibi aliquos, qui ſacra facerent, depoſcere videretur, efficerent. In Io autem obijſſe Homerum, & ſepultum eſſe Halicarnaſſei, Strabonis, Plutarchi, & Suidæ teſtimonio cognoſcitur, quin Suidas ipſe epigramma etiam, quod tumulo inſcriptum fuit, appoſuit: Sic enim inquit: Ἐπιγέγραπται δὲ ἐν Ἴῳ τάφῳ αὐτοῦ τόδε τὸ ἐλεγεῖον, ὃ ὑπὸ τῶν Ἰητῶν ἐποιήθη χρόνῳ.

Vbi mortuus Homerus.

Ἐνθάδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

D ideſt, inſcriptum eſt autem eius ſepulchro huiuſmodi elegium, quod poſtea ab Ienſibus factũ eſt:

Hic terra ſacrum caput abſcondit,
Homerum diuinum laudatorem virorum heroum.

Si ratio carminis conſtet, poſſemus ſic legere in Varronis inſcriptione, *Aræ Ietæ*: vt decliuior fuerit librarijs lapſus ad errorem extrita priore diphthongo æ, & poſteriore in ε mutata. Aras autem prope ſepulchra, & in ipſis aliquando ſepulchris conſtrui conſueuiſſe, in quibus ſacra fierent, res non eſt inuentu apud authores difficilis, & nos cùm antiquis inſcriptionibus, tum veterum teſtimonijs ſatis probauimus, in libris noſtris de ſepulchris, & de ſepeliendi ritu. Hac recepta vera lectione ad Homeri tumulum capella alba fieri ſacrum ab Ietis, vel Ienſibus, quantum coniectura aſſequor, dixit Varro, tanquam poetæ Apollini, Muſiſque gratiſſimo: Etenim Apollini capris albis auratis ſacrum fieri græco ritu conſueuiſſe, demonſtrat Liuius lib. 5. dec. 3. quanquam etiam capræ Ioui immolabantur, vt Ariſtoteles lib. 5. Ethicor. & Herodotus in Euterpe teſtantur. Aut fortaſſe capra, ſacra fieri dicit Varro, tanquam animanti manibus Homeri pergrata cùm Syrius eſſet, & Syrios præcellentes capræ, quibus abundabant, nobiles reddidiſſent, licet & ortus ratione Ienſes ſibi Homerum vendicent atteſtantibus Ariſtotele, & Antipatro in epigrammate,

Capræ albæ auratæ Apollini offerebantur.

quod legitur in 4. lib. epigramm. græcor. Quæ res pridem à Christophoro Rufo iuuene supra ęta- E
tis captum græcarum, latinarumque literarum, & honestarum disciplinarum cognitione absolu-
tissima prædito in antexegematis suis fuit adnotata, vt erret Iacobus Crucius Bononiensis, qui in
annotationibus suis in greco epigrammate apud Gellium non Ἴος, vt vetusta habent exempla-
ria, & Gaza in sua versione; sed Χῖος legendum esse contendit, quanquam Lucianus in Demo-
sthenis encomio, & alij, Chium quoque dictum fuisse Homerum retulerunt. Videtur verò Var-
ronis hoc epigramma à Gellio loco huic adscriptum, ad astruẽdum Aristotelis testimonium, qui
ex insula Io Homerum natum tradidit, vt Ienses Homero tanquam vati, & ciui suo parentasse, &
iusta fecisse Varronis testimonio demonstret. Hæc itaque omnia Magius.

SIMVLACHRA. PICTVRÆ.

In Corinth. Aenea capella culta a quibus.

IN foro Phliasiorum, vt scribit Pausanias, capra ex ære magna sui parte inaurata
conspiciebatur: cui ob eam causam honos ab incolis est habitus, quod sidus, quam F
capram vocant, ortu suo vitibus perniciem afferre consueuit. Ne igitur cælestis
capra vinetis noceat, forensem illam ex ęre cùm alijs afficiebant honoribus, tum
verò auro eam exornabant. Extabat eiusdem Pausaniæ temporibus in Cretę mõ-
tibus vrbs Elyros, quæ æneam capellam Apollini donum misit. Lac præbere videtur infantibus
Philacidi, & Philandro, quos filios fuisse Elyrij dicunt Apollinis, & Nymphæ Acacallidis. Idem
etiam tradit apud Elios duplicem coli Venerem, cælestem scilicet, & popularem: Est, inquit, ad
posticum eius porticus, quæ de manubijs Corcyreorum erecta fuit, Veneris ædes. Area templo
sacrata sub diuò non longè abest. Quæ ibi colitur, cælestem Venerem vocant. Eius ex ebore, &
auro signum est, Phidiæ opus: altero quidem pede testudinem premit. Area ipsa maceria est cir-
cumsepta; intra maceriam crepido, super qua Veneris, quam popularem nominant, signum ex
ære capro insidet ex eadem fabricato materia, Scopæ opus. Quæ vel testudinis, vel capri ratio
sit, quibus hæc perscrutari cura est, quærendum relinquo. Tantum Pausanias. Depingebatur G
etiam caper, siue hircus in ipsis poculis, ac potissimùm argenteis, hinc illud Iuuenalis:

Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

idest, in exteriori parte vbi exaurari solet. Quo loco Ioann. Britann. caprum poculis affingi existi-
mat, quod sit animal Baccho infensum, sed fortè, quia bacchantes instar capri lasciuiunt. Simili-
ter tamen ac Britannicus explicat Domitius apud Martialem, vbi poeta Rufi phialam delineans,
inquit:

Stat caper Aeolio Thebani vellere Phryxi
Cultus, ab hoc mallet vecta fuisse soror.
Hunc nec Cinyphius tonsor violauerit, & tu
Ipse tua pasci vite Lyæe velis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis,
Palladius tenero lotus ab ore sonat.
Sic Methymnæo gauisus Arione delphin, H
Languida non tacitum per freta vexit onus,
Imbuat egregium digno mihi nectare munus,
Non grege de domini, sed tua Ceste manus,
Ceste decus mensæ, misce Setina videtur
Ipse puer nobis, ipse sitire caper.

Erat quædam Aegiræ, teste Pausania, ædicula, in qua Fortunæ signum conspicatum sese esse pro-
fitetur Amaltheæ cornu, (de quo mox suo loco) præ se gerens, cui assistit velucer cupido. Signifi-
cat hęc nimirum Amoris cum Fortuna coniunctio plus ferè in amore homines ope fortunę, quàm
pulchritudine proficere: Mercurium Deum sermonis, qui varijs nominibus vocabatur, sic depi-
ctum sese reperisse tradit Paulus Grysaldus Perusinus in idolorum nominibus, filo corporis iuue-
nili, facie imberbi cum alis super aures, nudus totus præterquàm quòd dorso palliolum habere
videbatur, dextera marsupium continebat, quod supra caput hirci iacebat: sinistra verò cadu-
ceum pręferebat, & ad pedes illius gallus & hircus suberant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

HIEROGLYPHICA.

HOMINEM auditu præpollentem Aegyptij, inquit Pierius, hieroglyphicè significare si vellent, capram ponere soliti sunt, quam per aures perinde, ac nares spiritum & emittere, & vicissim recipere prodidere. Eadem capra cùm pestilenti morsu præcipuè noceat, ingenij meretricij conuenienti admodum hieroglyphico symbolum, inquit idem, habetur, ab ore quippe cuius damna tot mortalibus inferuntur: nam veluti germina præcipuè capra peruestigat, quæ depascitur auidissimè: ita meretrix cupida est in primis adolescentioris ætatis, vtpote quæ ob imperitiam magis idonea sit, vt facillimè decipiatur. Meritò verò etiam viri libidinosi probra, & impudica facinora notare si vellent
B ijdem Aegyptij hircum potiùs, quàm taurum pro hieroglyphico pingere instituerunt: taurus enim licet inguine præcipuè sit validus, & in venerea perpetranda promptissimus non tamen inscendit quoad anniculus fiat, neque quidem iuuenca recentior, quàm annicula venerem patitur nisi ostento: hircus verò septima, postquam natus est, die, vt apud Aelianum, alij septima dixerunt hebdomada, rem veneream aggreditur.

Auditus boni hieroglyphica indicatio.

Ingenij meretricij hieroglyphicũ.

Libidinosi viri hieroglyphicum.

EMBLEMATA.

EMBLEMA Alciati in desciscentes desumptum ex antiquo adagio: Capra Scyria, de quo suo loco:

Quod sine egregios turpi maculaueris orsus,
In noxamque tuum verteris officium.
Fecisti quod capra, sui mulctralia lactis
Cùm ferit, & propias calce profundit opes.

C Alterum eiusdem in eum, qui sibi ipsi damnum apparat.

Capra lupum non sponte, meo nunc vbere lacto,
Quod malè pastoris prouida cura iubet.
Creuerit ille simul, mea me post vbera pascet,
Improbitas nullo flectitur obsequio.

Habet hoc idem Emblema Ioachinus Camerarius cum lemmate: *Nullo flectitur obsequio.*

Præda lupo fit capra, suo quem lacte cibarat,
Sic cedunt homini quæ benèfacta malo.

Citat autem Alciatum: Cæterùm & hunc emblema suum desumpsisse ait ex græco epigrammate, ἐξ ἰυχαρίστου, καὶ ἀχαρίστου, quod tale est.

Τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μάζων τρέφω οὐκ ἐθέλουσα,
Ἀλλά μ᾽ ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.
Αὐξηθεὶς δ᾽ ὑπ᾽ ἐμοῦ, κατ᾽ ἐμοῦ πάλι θηρίον ἔσαι,
Ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

D Addit item Camerarius apologum similem quoquè extare apud Theocritum in hodœporis, & prouerbium apud authorem adagiorum Chiliad. II. centur. I. prouerb. 86. *Ale luporum catulos*. Conuenire autem in homines ingratos, qui nullis officijs, aut meritis à sua peruersitate flecti possunt, imo loco gratitudinis benefactores si possunt in extremam perniciem perducunt: Quo pessimo τῆς ἀχαριστίας vitio nullum detestabilius reperiri potest, adeo vt scribat Salamon in prouerbijs, à domo eius, qui malum rependit pro bono, nunquam recessurum malum. Capacius Neapolitanus in Italico suo libro aliam sententiam illi adiungit; *Mortem dabit ipsa voluptas.* Quod hemestichium legitur apud Claudianum in epigrammate de Sirenibus. Nec multum differt explicatio à priore, quod nimirum viri humani, & benefici sæpe alijs ingratis cum voluptate inseruiant, non sine maximo tamen illorum incommodo, & aliquando extremo exitio. Intelligi etiam potest de quibusuis alijs detrimentosis voluptatibus, quæ tandem suos sectatores euertere, ac præcipitare in mortem soleant. Aliud emblema Alciati in amatores meretricum, ex astutia piscatoris caprinam pellem induti, & ita sargos pisces allicientis, quod ij hoc pecus mirificè ament, vt suprà ex Oppiano dictum est:

Villosæ indutus piscator tegmina capræ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Addidit vt capiti cornua bina ſuo,
Fallit amatorem ſtans ſummo in littore ſargum
In laqueos ſimiles quem gregis ardor agit.
Capra refert ſcortum, ſimilis fit ſargus amanti,
Qui miſer obſcœno captus amore perit.

Libidinis ſymbolum. Aliud eiuſdem cum lemmate, luxuria, in quo Faunus capripes, & cornutus pictus eſt:

Eruca capripes redimitus tempora Faunus
Immodicæ Veneris ſymbola certa refert.
Eſt eruca ſalax, indexque libidinis hircus,
Et Satyri Nymphas ſemper amare ſolent.

Videtur deſumptum ex Pauſania, cuius verba ſunt: Euphemus Car. narrabat ſe, cùm in Ita-
liam nauigaret, vi ventorum ad mare extimum excuſſum, inſulaſque ibi multas eſſe, quas vo-
cabant Satyrias: incolas ineſſe rubicundos, & caudas in imo dorſo habere equinis non multo
minores: hos ad nauigium accurriſſe, nullamque vocem edidiſſe, ſed mulieribus naui aduectis F
manus inieciſſe, nautas verò timore correptos barbaram mulierem in inſulam tandem proie-
ciſſe, eam ſatyros non ſolùm, qua parte conſuetudo permittat, verùm etiam toto corpore li-
bidinosè violaſſe. Hæc ille. Quos verò Satyros Græci vocabant, Latini Faunos nnncupant:
hi ſunt apud Melam Aegipanes, ita ſcribentem Aegipanum, quæ celebratur forma eſt. Aliud
eiuſdem perpulchrum, ſiue emblema, ſiue epigramma eruditione, atque varietate refertum
Etymon Panos. cum lemmate: *Vis naturæ*, ſiquidem in eo rerum natura depingitur in figura Panos, quem
colebat antiquitas, quaſi naturæ Deum, quod & ipſum indicat nomen; Πᾶν etenim omne
ſignificat:

Pana colunt gentes, (naturam hoc dicere rarum eſt)
Semicaprumque hominem, ſemiuirumque Deum.
Eſt vir pube tenus, quod nobis inſita virtus
Corde oriens celſa verticis arce ſedet.
Hinc caper eſt, quia nos natura in ſecla propagat G
Concubitu, vt volucres, ſquamea, bruta, feras.
Quod commune alijs animantibus, eſt caper index
Luxuriæ, Venerisſignaque aperta gerit.
Cordi alij ſophian, alij tribuere cerebro,
Inferiora modus, nec ratio vlla tenet.

Panos imago, & imaginis ratio. Phornutus, ſiue Cornutus in lib. de nat. Deorum emblemati aliquid lucis videtur afferre ca-
pite de Pane: Talem inquiens, & Pana eſſe non dubito; ſiquidem & ipſe cum hoc vniuerſo idem
eſt. Inferior huius Dei pars hiſpida eſt, & hircum refert, ad deſignandam aſperitatem terræ; ſu-
perior autem pars ſimilis eſt homini propterea quod æther teneat totius mundi principatum.
Hoc autem rationabilem deſignat partem. Laſciuum, & libidinoſum eum fingunt propter mul-
tas ſeminum cauſas, & commiſtiones, quæ ex ipſis fiunt. In locis deſertis eum morari tradunt,
vt eius vnitatem oſtendant; mundus enim eſt vnus, & vnigenitus; nymphas perſequitur, ſiqui-
dem gaudet exhalationibus, quæ ex humido prodeunt, ſine quibus impoſſibile eſt, vt mundus
appareat. Indutus dicitur eſſe nebride, aut pelle pardi, tum propter pulchram rerum omnium H
varietatem, tum etiam propter colores, qui in mundo cernuntur: συρτὸν eum appellāt, ſiue quod
à ventis omnibus perflatur ἀπὸ τῦ συρίττειν, ideſt, à flando, ſiue quod ad ſaltandi ritum minus
ſit aptus, & more ruſticorum, qui politiorem muſam non deguſtauerunt, ſubſultet, ἀπὸ τῦ σκιρ-
τᾶν, ideſt, à ſaltando. Quòd autem plerumque in montibus, & ſpeluncis verſatur, factum eſt,
vt è pino arbore coronam ſortiretur, hæc enim arbor montani quidpiam, & magnificum habet.
Fingitur cornutus, & bifidos habere pedes. Fuerit fortaſſe & Priapus, cuius vi omnia in lucem
Lib. 3. prorumpunt. Hæc, & alia plura Phurnutus. Silius Italicus verò ſic Panem deſcribit:

Pan Ioue miſſus erat, ſeruari tecta volente
Treia pendenti ſimilis Pan ſemper, & vno
Vixilla inſcribens terræ veſtigia cornu,
Dextera laſciuit cæſa Tegeatide capra,
Verbera læta mouens feſta per compita cauda,
Cingit acuta comas, & opaca tempora pinus
Ac parua erumpunt rubicunda cornua fronte.
Stant aures, ſummoque cadit barba hiſpida mento
Paſtorale Deo baculum, pelliſque ſiniſtrum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Velat grata latus teneræ de corpore damæ.

Sed quæcunque hactenus de Pane dicta sunt, explanatius scripsit Seruius in bucolica Virgilij. Pan, inquit, Deus est rusticus in naturæ similitudinem formatus, vnde dicitur πᾶν idest, omne: habet etiam cornua ad similitudinem radiorum solis, & lunæ cornuum: rubet eius facies ad ætheris imitationem. In pectore nebridem habet stellatam, vt stellas imitetur. Pars inferior hispida propter arbores, & feras; Caprinos habet pedes, vt ostendat terræ soliditatem. Fistulam habet septem calamorum, propter harmoniam ex septem sonis. Pedum habet propter annum, quem in se recurrere fingunt poetæ. Cum Amore Deo luctatum esse, & ab eo victum, qui vincit omnia. Aliud emblema Camerarij, in quo capra ostenditur cum sagittis tergori infixis dictamnum depascens, sub palmæ vmbra, cum lemmate; *Vulnus, salus, & vmbra.*

Eijcit è capræ dictamnus vulnere telum:

Sic fugat ex animo spesque, salusque metum.

Hieronymus Ruscellus hoc symbolum tribuit Ferdinando Caraffæ Comiti Neapolitano, & quamuis dicat esse satis difficilem, & intricatam eius interpretationem, coniectura tamen du- B citur, propter amorem quendam honestum, qui non fuerit expers alicuius riualis, hoc ab eo fuisse excogitatum. Vt scilicet à sagitta capræ inflictum, declaret animum ipsius rei desideratæ stimulis vehementer affectum: Salus verò referenda sit ad dictamnum, cuius auxilio sperat se sanitatem recepturum. Vmbra autem sub arbore palmæ indicet spe victoriæ, cui est dedicata, tandem superatis omnibus difficultatibus, se omnia mala esse superaturum. Potest, inquit Camerarius, similiter transferri ad aliquem, qui magnis conflictatus calamitatibus se tandem insperato aliquo auxilio superiorem, & voti compotem fore confidit. Aliud eiusdem ex Ioanne Baptista Pittono, in quo capra magno conatu sese erigens lauri surculos teneriores depascens exprimitur, ac inde tanquam ex nutrimento conuenientissimo corpori & alimentum, & incrementum præbens, robustiorque inde existens, cum lemmate: *Erigor, vt erigar.*

Ardua secteris scansurus culmen honorum,

Vt lauri capræ summa petunt folia.

Symbolum haberi Iulij Capræ patritij Mediolanensis author asserit, eoque demonstrare voluisse, se magno artis poeticæ (laurus enim Apollini erat dicata, & inde poetæ coronabantur) C & omnium liberalium artium studio teneri, ceu quarum auxilio speraret se famam, ac celebritatem nominis perpetuam esse consecuturum, cùm secundum Horatium quoque:

Dignum laude virum musa vetet mori,

Cœlo Musa beet.

SYMBOLA.

HIERONYMVS Capra Mediolanensis Iurisconsultus excellens, referente Camerario in symbolis de animalib. ex Bartholomæo Tægio, capram salicum, & aliorum amariorum virgultorum summitates carpentem, neglectis humi nascentibus herbis etiam suauioribus cum dicto: *Mihi dulce*, pro symbolo vsurpauit, ostendens sibi nullos labores, nec molestias esse graues, vel ingratos, imò videri illi gratissimos, & suauissimos ob virtutis, & aliarum rerum lau- D dabilium cognitionem, & acquisitionem, quod Phocylides poeta quoque testatur hisce versibus:

Οὐδὲν ἄνευ καμάτου πέλει ἀνδράσιν εὔπετες ἔργον,

Οὐδ' αὐτοῖς μακάρεσσι. Πόνος δ' ἀρετὴν μέγ' ὀφέλλει. idest,

Nullum sine labore est hominibus facile opus,

Nec ipsis Dijs: labor autem virtutem valde adiuuat.

NVMISMATA.

FVLVIVS Vrsinus æreum pingit numisma, quod ab vna parte Dianæ pileatæ more Romanorum, vt Gabriel Simeon Florentinus, qui idem numisma depingit, iudicat, quod in Cnei Plancij ædilitate excusum sit, cùm ab alio latere monimenta ædilitatis in eo sint expressa, capra scilicet, arcus, & pharetra: Aediles enim, vt scribit Cicero in 3. de legibus curatores erant ludorum solem- *Aedilitatis insignia.*

nium,in quibus præter alia,venationes etiam exhibebãtur. Pingit item aliud numiſma, quod E
ab vna parte galeatum,criſtatumq; caput oſtendit, ab altera verò currum hircos trahentes cũ
literis C. Reni,Roma additque alios,non hircos,ſed renos eſſe opinari, affirmareque ex vete-
ris ſcriptóris authoritate animal id eſſe hirco perquam ſimile,à quo fortaſſe Renius,inquit,no-
men familiæ ſuæ deductum fuiſſe indicare voluerit,multa enim nomina, vt inquit Varro, ab
vtroq; pecore habemus, vt Portios,Ouilios,Caprilios,Equitios,à porcis,ouibus,capris,equis.
Lib. 2. de re Inter Pomponiæ gentis numiſmata ab eodem Fuluio depicta,primum L.Pomponij ab vno la-
ruſt.cap.1. tere caput oſtendit cum literis L. POMPON. MOLO: ab altero quendam capram ad altare,
cui adſtat ſacerdos cum lituo, adducentem:cum literis NVM. POMPIL. Cuius rei ratio eſſe
videtur ipſi, quod cùm Numa rex, vt ſcribit Liuius,ſacra,cæremonias,omnemque Deorũ cul-
tum populum Romanum docuerit,pontifices,augures,flamines, ſalios, veſtales, aliosq; ſacer-
dotes primus inſtituerit, non ab re L. Pomponius capram à Iunonis αἰγοφάγυ, cui immolaba-
tur,ſtantem,& augurem dextra manu lituum tenentem,ſignauit. Pingit & Goltzius Acherõ-
tinorum numum æreum,qui ab vna parte Dearum aliquam exprimit,eis forſan tutelarem, cũ F
verbo ΑΧΕΡΩΝΤΑΝ,ab altera capram humi procumbentẽ,quę vt Iunoni Soſpitę ſacra apud
Romanos erat,ita & Mineruę,quia oliuam lambendo ſterilem facit, immolabatur.

APOPHTHEGMATA.

THAIS meretrix cum iret ad amatorem, qui hircum olebat, interrogata quò
tenderet: Ad Aegæum Pandionis,inquit,cum illo congreſſura. Aegæum vo-
cans ἀπὸ τῆς αἰγὸς, quod inſtar capræ,aut hirci fœteret. Refertur apophtheg-
ma ab Athenæo,& ex eo à Leopardo. Ariſtippus ira aduerſus Aeſchinem ali-
Lib.13. quando oborta cùm eum conueniret,itane,inquit,prorſum ego tibi infelix,&
Lib.1.cap.8. inſanabilis videor, vt me caſtigatione indignum putes? Tum Aeſchines nihil ait miri eſt,ſi in G
alijs rebus omnibus me ingenioſior, etiam hic prior ſenſiſti,quid facto opus eſſet:

Non tantùm enim mulier caprum horrentem iuba,
Tenera puellas ſed quoque pruriens manu
Quouis palæſtra faciliùs proſtrauerit.

HISTORICA.

ADELBERTVS ſecundus Pragenſis Epiſcopus ad Prutenos veniens cùm po-
pulum penitus rudem,& indocilem eſſe videret, nouos ſibi in grege armento-
rum,& pecudum auditores,teſte Dubrauio,acquiſiuit, atq; res tum dicta mi-
Lib. 6. ra contigit,vt ſtarent arrectis auribus,capre,equi,boues,ſues,aſini,& quaſi be-
Beſtiæ au- nè per Adelbertum dicta ſentirent, intelligerentque nutu illa capitum appro-
ſcultant di- barent. Pruteni brutis illis magis bruti ad ſummam per hæc crudelitatem efferati ſanctum vi-
uina. rum ſeptem ſpiculis confoderunt,caput mortui amputarunt. Cùm in agrum Picenum Roma- H
norum exercitus Ioanne duce veniſſet, ingens,vt par erat; eius regionis homines inuaſerat ter-
Capella nu- ror. Fæminæ itaque cùm derepente fugam partim capeſſerent, comprehenſę,partim indeco-
trix puelli rè,ac turpiter agerentur eodem ipſo in loco, vbi Vrbiſalia oppidum aliàs fuerat,mulier quędã
cuiuſdam. edito partu,eoque pannis,vt licuit,inuoluto,& in terram relicto nuſquam deinde comparuit,
aliquo vtcumque caſu ſublata.Infantem itaque ea in ſolitudine deſtitutum vbi vagientem ca-
pella quędam aduertit commiſerata,nam & ipſa recens fœtum ediderat,& ſimul accedẽs vbe-
ra illi mox præbuit exſugenda,diligentique cura ſeruabat,ne canis,aut alia quęuis ipſum hunc
bellua deuaſtaret. In ea itaque rerum perturbatione cum plurimum temporis tereretur, Pi-
centes certiores iam facti, Imperatoris exercitum, Gothorum in malum iam iam aduentare,
nec quicquam Romani nominis homines ab his moleſtię perpeſſuros, reduces omnes confe-
ſtim domum reuertuntur, cùmq; in Vrbiſaliam permixtæ cum viris & fęminæ perueniſſent,
puerum adhuc ſuperſtitem conſpicatæ,cùm coniectura capere id factum nequirent,pro ingen-
ti miraculo ducere,& identidem demirari,quòd viueret, cęperunt vnde & certatim de ſe quæ-
que mammillam porrigere,blandirique voluit: puero autem humanum lac reſpuenti in tute-
lam capella mox adfuit, & crebriore balatu fremens hunc circuibat, ita vt grauiter terre- fœmi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A fœminis his videretur, quod ipsæ puero appropinquassent, & illi perinde intulissent molestiã, eundemque non aliter ducere, ac de se genitum, & simul fouere. Quò factum, vt nec puero mulieres de cætero negotij quicquam exhiberent, & capella non minus intrepide hunc aleret, quamque diligenter seruaret, vnde & Aegisthum populares dixere. Me verò, inquit Procopius, huius historiæ author, cùm eò fortè contingeret, iter vt facerem, loci tum incolæ, vt rem miram, & planè absurdam ostenderent, ad puerum duxere, illucque de industria, infestare, molestosque se exhibere, vocem vt ederet gemebundus: Tum verò capella ad lapidis iactum quæ aberat, festina, ac balans accurrit, & desuper adstitit, vt nemo illi molestior esset. *Lib. 2. de bello Goth.* Celebratur à Græcis etiam Aegisthus Thyestis filius ex Pelopeia eiusdem filia, quem infantem mater tegendi sceleris causa perdendum feris exposuerit in syluis, sed à pastore inuentus, cuius beneficio quoque nutritus sit, & inde Αἴγισθος dictus, quod nutritus sit à capris. Pausanias item in Corinthiacis de Æsculapio loquens prodidit Phlegyam Coronydis patrem Peloponessum ingressum filiam prægnantem ex Apolline, quod tamen ille non senserat, secum adduxisse, illam in Epidauriorum finibus puerum enixam in monte exposuisse, ibique capram
B dici lac infanti præbuisse, quam canis à grege quẽ custodiebat, discedens obseruaret, hos gregi de esse pastor cùm cognouisset, vniuersum pascuum peragrans, puerum tandem, & capram, & canem inuenit. Iouem itidem à capra nutritum fuisse asserit Aratus in phœnomenis, inquiens: *Aesculapi⁹ à capra nutritus vt & Iupiter, aliique.*

Αἴξ ἱερὴ, τὴν μέν τε λόγος διὶ μαζὸν ἐπισχεῖν. Id est,
Sacra Iouis capra est, quod præbuit vbera paruo,

Quod affirmauit etiam Lucianus in sacrificijs. Illa cùm apud Olenum Bœotiæ ciuitatem, vbi post Aegarum euersionem, conditũ fuit Aegium, nutrita fuisset, Olenia dicta fuit, vt ait idem Aratus in eo carmine:

Ὠλενίην δέ μιν αἶγα διὸς καλέυς, ὑποφῆται. Id est,
Oleniam Iouis altricem dixere capellam,

Quam rem ita expressit Ouidius inquiens: *2. Fastor.*

Oleniæ surgit sidus pluuiale capellæ
Quæ fuit in cunis officiosa Iouis.

C Inuenio itidem apud Pollucem circa Alcathi vicum in Cypro Mestori Cyprio infantem natum esse, cui pro dentibus os continuum fuit, & nescio propter quam suspicionem expositus à capra nutritus est, & primũ Aeginomas dictus, postea Euryptolemus, & Cyprijs imperauit. *Lib. 2.*

APOLOGI.

VLPES & caper sitibundi in puteum descenderunt, in quo cùm perbibissent circumspicienti reditum capro vulpes ait: bono animo esto caper, excogitaui namque quo pacto vterque reduces simus, siquidem tu eriges te rectum prioribus pedibus ad parietem admotis, cornuaque adducto ad pectus mento reclinabis, vt ego per terga cornuaque tua transiliens, & extra puteum euadens te illhinc postea educam. Cuius consilio fidem habenti capro, atque vt illa iubebat obtemperanti, ipsa è puteo prosilijt, ac deinde præ gaudio in margine putei gestiebat, extabatque nihil D de hirco, curam habens. Cæterùm cùm ab hirco, vt fit, fœdifraga incusaretur, respondit: Enim verò hirce si tantum tibi sensus in mente, quantum est setarum in mento, non prius in puteum descendisses, quàm de reditu exploratum habuisses. Fabula hæc innuit virum prudentem debere finem explorare, antequam ad peragenda perueniat. De hirco, & vite Gabriæ Græci hęc extat fabella: *Vulpis, & capri fabula* *De hirco, & vite.*

Τράγῳ προσεῖπεν ἄμπελος, βλάπτεις σύ με
Κείρων τὰ φύλλα, μὴ γὰρ οὐκ ἔστι χλόη;
Ὅσον γὰρ ἂν βλάψειας, εὑρήσω τάχα
Πρὸς θυσίαν σὺν εἰς θεοὺς οἶνον βλῦσαι.

Ἐπιμύθιον, ὅτι πολλάκις θέλων τίς ἀδικεῖν τινα, ὠφελεῖ αὐτόν.
Latinè sic legi potest:

Hircum vitis allocuta est, offendis tu me
Tondendo folia, num nam non est herba?
Quamuis enim nocueris, inueniam statim
Ad mactationem tui erga Deos, vinum vt scaturiat.

Affabulatio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Affabulatio, quod plerumque volens quis aliquem iniuria afficere, iuuet eum. Hœdus derelictus à grege perſequente lupo conuerſus ad eum dixit: ò lupe quoniam credo me tuum cibũ futurum, ne inincundè moriar, cane tibia vt ſaltem. Lupo autem canente tibia, atque hœdo ſaltante, canes cùm audiuiſſent lupum perſecuti ſunt. Hic conuerſus hœdo, inquit, merito hæc mihi fiunt, oportebat enim coquus cùm ſim, tibicinẽ non agere. Fabula ſignificat, qui ea, quibus natura apti ſunt, negligunt, quæ verò aliorum ſunt exercere conantur, in infortunia incidere. Ruſticus quidam graui lite implicitus ad quendam Iuriſconſultum acceſſerat, vt eo patrono ſeſe explicaret. At ille alijs negotijs impeditus, renuntiari iubet ſe non poſſe nunc illi vacare, quare abiret aliàs rediturus. Ruſticus qui huic, vt veteri, fidoque amico plurimum fidebat, pluries rediens nunquam admiſſus eſt, tandem hædum adhuc lactentem, & pinguem ſecum deferens ante ædes iuriſperiti ſtabat, & hœdum vellicans eum balare cogebat. Ianitor qui ex præcepto hæri dona portantes ſtatim admittere ſolebat, audita hœdi voce ianuam illicò aperiens hominem introire iubet. Tunc ruſticus ad hœdum conuerſus, gratias, inquit, ago tibi hœdule mi, qui tam faciles mihi has effeciſti fores. Fabula indicat nullas res tam duras, F difficileſq; eſſe, quas munera non aperiant. Perozæ Perſarũ regi eunti contra Euthalitas Hunnos cùm ab his fugam ſimulantibus in locum quendam ſe cum exercitu præcipitaſſet, quẽ prærupti indique cingebãt montes, frequentibus obducti arboribus, intra quos longè procedenti via quædam erat in medio lata, exitum verò nuſquam habens, ſed infra ipſum montiũ ambitum terminabat: Euſebius legatus à Leone Imperatore miſſus, rogatus ab exercitu, vt Perozam periculo imminenti eriperet, regique perſuaderet, vt rationem malorum, quæ euenire poſſent, habendo, ſecuritati potiùs conſulere vellet, quàm temerè audẽdo in re non neceſſaria periclitari, ac demum ſi qua ſit ad ſalutem via cogitare, cùm in conſpectum Perozę venit præſens quidem periculum non ſubito manifeſtauit, ſed à fabula incipiens ait: Leonem in hircum olim incidiſſe, quem cùm timentem in locum quendam altiorem, vt rapturus in eſcam, perſequeretur, incidit in foueam latam, anguſtam, vndique viam habentem, vnde exitus non erat: hoc itaque ira paſtoris commenta eſt, vt leonem per inſidias venaretur. Hæc Peroza audiens, timere cepit, ne Perſæ maligna ſimulatione in perſequentes vterentur, nec vlterius proceſſit, ac ipſum præſtolando rem in conſultatione poſuit. Hunni autem ex latebris ſeſe manifeſtantes apertè exitum ne illi redire poſſent, cuſtodiebant. Author eſt Procopius. G

De hædo, & lupo.

De hædo, & ruſtico.

De leone, & hirco.

Lib. 1. de bello Perſic.

FABVLOSA.

De cornu Amalthea.

DE cornu Amaltheæ peruetuſta fabula variè narratur apud authores. Quidam ad hunc modum narrant. Rhea Iouem enixa metu patris infantem in Creta inſula occuluit, nutriendum à duabus Nymphis Adraſtia, & Ida Meliſſi filiabus. Hæ nutricauerunt illum capræ cuiuſdam lacte, cuius nomen fuerit Amalthea. Eam capram Iupiter adultus inter ſidera retulit, vocaturque à Græcis αἲξ ὀρανία, id eſt, capra cæleſtis. Huius alterum cornu Nymphis nutricibus dedit, videlicet officij præmium, hanc adijciens facultatem, vt quicquid optaſſent, id eis ex eo cornu largiter ſubpullularet. Ouidius paulo diuerſius fabulam narrat, caprã cornu alterũ ad arborem fregiſſe ſcribens, quod Amalthea Nympha herbis cinctam, & pomis repletum ad Iouis ora tulerit, Iupiter poſtea regno potitus, inter ſydera retulerit. H

Nais Amalthea Cretæa nobilis Ida
Dicitur in ſyluis occuluiſſe Iouem.
Hæc fuit hædorum mater formoſa duorum
Inter Dictæos conſpicienda greges,
Cornibus aerijs, atque in ſua terga recuruis
Vbere quod nutrix poßet habere Iouis.
Lac dabat illa Deo, ſed fregit in arbore cornu
Truncaque dimidia parte decoris erat.
Suſtulit hoc Nympha, cinxitq́ decentibus herbis
Et plenum pomis ad Iouis ora tulit.
Ille vbi res cæli tenuit, ſolioque paterno
Sedit, & inuicto nil Ioue maius erat,
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit, quod dominæ nunc quoq́ nomen habet.

Alij

A Alij non capram, sed Hemonij Aetolorum regis filiam Amaltheam, quę cornu non capræ, sed tauri habuerit, fuisse senserunt, quod vim illam habuerit, vt scripsit Pherecydes, qua de re abundè dictum in tauri historia. Scholia rursus in Iliados lib. 15 fabulam hoc modo referunt: Cùm Saturnus filios omnes natos statim deuoraret, Rhea Iouem enixa lapidem fascijs inuolutum Saturno vorandum tradidit, infantem verò in Creta Themidi, & Amaltheæ, quæ capra erat, commisit. Hanc Titanes quoties inspiciebant, terrebantur. Alebat illa suis adhibitum vberibus Iouem. Is adultus patrem expulit regno. Et cum impugnarent eum Titanes, consilio Themidis capræ illius pellem pro tegmine induit, vt cui perpetuò terrendi natura inesset, atque ita vicit Titanes, & hanc ob causam αἰγίοχος dictus est. Quòd modò ad mysticam fabulæ attinet interpretationem, Socrates, referente Stobæo in sermone de agricultura, Amaltheæ cornu hoc pacto interpretabatur. Amaltheam aiebat significare hominem, qui minimè malthon, id est, mollis & rudis esset, sed gnauus, & operarius; per cornu verò bouis, quod animal est laboriosissimum, virum operarium innui. Botros autem & similia in cornu esse, quoniam omnia, quorum B egemus, in agricultura insunt, quamobrem gestantes ipsum bonus genius, bonaque fortuna introducuntur. Apud eundem in sermone de laude diuitiarum Philemon poeta Amaltheæ cornu non tale esse scribit, quale pictores depingunt, bubulum scilicet, sed ipsam pecuniam, quæ omnia donet φίλους, βοηθοὺς, μάρτυρας, συνοικίας iuxta illud Horatij:

Saturnus lapidem pro filio deuorauit.

Scilicet vxorem cum dote, fidemque & amicos
Et genus & formam regina pecunia donat.

Amaltheæ cornu mystica expositio.

Postremò in sermone de felicitate Hippodamus Thurius εὐνομίαν, id est, bonam legum constitutionem in Republica Amaltheæ cornu interpretatur. Ioannes Goropius Becanus multis de hoc Amaltheæ cornu agit, quæ hic in medium proferre non grauabor. Flumina, inquit, ex altissimis montium verticibus perpetuo gelu, & niue horrentibus ad valles, & cāpos velut, Amaras ad hortorum irrigationem profundi, & ijs agrorum fœcunditatem deberi prisci fabularum textores cōspicati finxerunt cornu Amaltheæ Nymphæ capræ cornu fuisse. Qualis autem fuerit ea capra, cuius lacte Iupiter mortales nutrit, ex capricornu signo intelliges. In eo enim prior corporis pars caprillam habens figuram, capricornum designat animal summis, & algidissimis montium verticibus perpetuò gaudens. Nullum igitur symbolum aptiùs ad frigidissima illa cacumina perenC ni glacie, & niue tecta denotanda inuenias, quàm si illud animal depinxeris, quod ab illis nunquam discedit. Adde nunc longissima cornua, & ea ferè recta in cœlum altissimè sublata, altissimè, inquam, tum ob natiuam longitudinem suam, tum ob locorum, in quibus degunt, sublimitatem. His enim vt altissimis omnium, altissimum sancti spiritus cornu non malè designaris. Et quia deinde eodem cornu summi montium vertices denotantur, & ex ijs primi sint, & altissimi fluminum maximorum ortus, si non conspicui, & saltem occulti, quibus profusa Spiritus sancti largitas significatur. Quid quæso aptius vel dici possit, vel cogitari, quàm si cornu quo Amalthea maxima munerum diuinorum flumina ex alto in terras effundit, dicatur ægocerotis esse. Nam de hac tessera simul ipsius diuini cornu sublimitas simul profusa eius copia intelligetur, dum videlicet nos ducet ad summas illas rigentis Crystalli rupes, è quibus copiosissimæ aquæ magno & præcipiti impetu ad terras irrigandas effunduntur. Porrò dum paulatim nos fabula trahit, tandem eo adscendimus, vt ipsos altissimos mōtium vertices nihil aliud quàm terræ cornua esse cernamus. Cùm igitur ex his flumina, & riui, ex istis rursus læta camporum fertilitas, & largissima frugum omnium copia promanet, quis vetabit quo minus dicamus omnium fructuum vberta- D tem ex cornibus effundi, & illis quidem cornibus, quæ cornibus ægocerotis rectissimè denotētur? Nunc igitur si rectè supputes omnium rerum ordinem, & quæ dixi ad diuinam maiestatem trāsferas, annon mox vel inuito in mentem veniet, hæc omnia eius dona esse, qui ferebatur super aquas, dum mundus crearetur, & idcirco cornutam hanc montium altitudinem ipsius cornu esse, quo terras fœcundat, vel saltem effusionis, qua dona sua largitur, habere significationem? Cæterum non desunt, qui copiæ cornu ab Acheloi capite refractum dicant, idq; tandem ab Acheloo fuisse redemptum, dato cornu Amaltheæ. Mira sanè est, & perobscura hæc permutatio, nec liquet vnde Achelous Amaltheæ cornu acceperit, aut quid habeat omninò commune fluuius inter Acarnaniam & Aetoliam in mare sese fundēs cū Cretęa Iouis nutrice. Hactenus Goropius. Videtur itidem beatus ille Iobus ad commonstrandum ea bona, quæ post septem illos annos, quibus miserè diuexatus afflictusque fuit ei concessa diuinitus fuerunt, nomina filias dedisse. Nā eiusmodi sanè appellationes eis indidit, quæ rebus ipsis accuratè conuenirent. Ac primæ quidem cognomentum Diei dedit, quasi iam ex profunda quadam nocte rerum aduersarum quibus vndique fuisset circundatus, dies illi clarissima illuxisset. Alteram Cassiam vocauit, quasi iam deinceps in fragrantia quadam & fruitione, bonorum degeret. Tertiam appellauit Cornu Amal-

Lib. 13. hieroglyph.

theæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Lib. 5. mythol. ca. 13.

theæ, quaſi poſthac futurum eſſetu, bonis omnibus afflueret. Quidam ex Aegyptijs, vt refert E Natalis Comes, de cornu Amaltheæ tradunt in hunc modum. Aiunt enim Ammonem regẽ partis Libyæ, qui Cœli filiam ac Saturni ſororem duxerat, cùm viſeret regionem ad mõtes Ceraunios, reperiſſe virginem forma egregia Amaltheam nomine, cum qua congreſſus filium genuit, qui cùm poſtea forma & robore eſſet inſignis, Dionyſus fuit vocatus: Amaltheam constituit reginam propinqui loci: cuius loci figura cum eſſet cornu bouis ſimilis, dictum eſt cornu Hiſperidum: ob fertilitatem verò regionis, quę multiplices domeſticorum fructuum arbores produceret, regio vocata eſt cornu Amaltheæ. Sunt denique qui perhibent caprariũ quendam paſtorem habuiſſe capram, cui Amaltheæ nomen eſſet. Ea cùm terram cornu fodiendo aperuiſſet, hero ſuo theſaurum oſtendit.

METAMORPHOSES.

Iupiter in hircum mutatus.

IVPITER in hircum mutatus Penelopem vitiauit, vt meminit Iuſtinus Martyr F in oratione ad gentiles. Ferunt verò etiam Mercurium in hircum mutatum ab eadem Penelope adamatum fuiſſe, eique Pana peperiſſe, qui inde hircipes fuerit, id eſt hircinis pedibus. Ferunt, inquam, eam, cùm apud patrem Icarium adhuc in patria Lacedæmone viueret, & in montem Taygetium ad inſpicienda patris pecora egreſſa eſſet, conſpectam à Mercurio, & adamatam & appetitam fuiſſe. Cumque ea alio modo potiri non poſſet, in hircum ſe ipſum transformaſſe, atque ita ſub ſpecie hirci cum ea ludentem & admiſſum, ex ea genuiſſe Pana, capite cornuto, barba & pedibus hircinis. Hinc Κλωποπάτωρ ipſe Pan à Theocrito in Syringe nuncupatur, id eſt, ex patre fure natus. Mercurium enim furem, & furum præſidem poetæ faciunt. De ipſo verò Pane Higinus hanc recitat fabulam: Aegyptij ſacerdotes, & nonnulli poetæ dicunt, cùm plures Dij in Aegyptum veniſſent; repente veniſse Typhona acerrimum gigantem, & maximum Deorum inimicum, quo timore permotos Deos, in aliam, alios figurã ſe conuertiſse, Mercurium factum eſse Ibin, Apollinem auẽ, quæ Threijcia auis eſt, id eſt, grus, Dianam cato aſſimilatam, quibus de cauſis Aegyptios ea genera G violari non ſinere demonſtrant, quòd Deorum imagines dicuntur. Pana autem in flumen ſe deiecíſse & poſteriorem partem effigiem piſcis, alteram verò hirci feciſſe, & ita à Typhone profugiſſe, cuius cogitatum Iouem admiratum, effigiem eius inter ſidera fixiſſe. Metricè ſic exponitur:

Panis natiuitas.

Deorum variæ metamorphoſes.

Olim Niliferis partibus, Deorum
Sancta cohors aderat cum gigas nefandus
Typhon inſidias omnibus parauit.
Huic inimicitiæ, maior & ſimultas
Cum Dijs, & ſummo perſtitit tonante.
Pan Deus Arcadiæ cum videret omnes
Per formas varias in fugam coactos
Fit caper, & piſcis perfidumque luſit.
Ingenium cuius Iupiter ſtupendum
Admirans, aſtris fulgidis decorat.

Alij Apollinem in accipitrem, Martem in ſquamatum piſcem, Dianam in ſilurum, Herculem in H hinnulum, Vulcanum in bouem, Latonam in murem araneum, Bacchum in caprum immutatum tradunt.

MYSTICA.

Capra quid myſticè ſignificet.

CAPRA propter fœtorem ſignificat apud Theologos ſimilitudinem carnis peccati, in qua Chriſtus apparuit, quamobrem eiuſdem caro dicitur cilicium, quia pœnam peccati pertulit, licet peccatum non admiſerit; Caro enim eius mortalis fuit, & in pœna tantùm, quia ſine peccato eſt ſimilis noſtrę carni, iuxta illud Apoſtoli: *miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis, peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne*, id eſt, vt per mortem eius deſtrueret noſtram mortem. Dicitur enim mors & Chriſti & noſtra peccatum, quia eſt effectus, & pœna illius peccati, quod Adam perpetrauit. Dicitur autem Chriſtus cilicium, quia hoc de pilis caprarum, & hœdorum fit, & per capram,

Chriſtus dicitur cilicium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A pram, & hœdum propter fœtorem significatur peccatum. Sententia hæc est Bedæ in comment. in psalmum 34. Idem Beda Christi resurrectionem per Dauid pelle caprina coopertum significari asserit lib. 3. exposit. allegor. in Samuelem, explicans hoc sacræ scripturæ: *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis* & quæ sequuntur. De pelle pilosa, pelle caprarum, inquit, patet historia, quia puluillus erat de caprarum pelle consutus, qui intonsis pilis caput inuoluti in lectulo hominis mentiretur. Statua autem est imitatio veri, & viuentis, mortua pellis caprarum, mortui animantis exuuiæ. Tulit igitur Michol statuam, & posuit super lectum Dauid per fenestram dimissi, & occultè saluati. Didicit Ecclesia Iudæos æstimare dominum, qui in sepulchro positus sit, non Christum esse vitam, & veritatem, sed quasi simulationem veritatis & vitæ, dicentem, se Christum regem esse. Quem tamen ipsa veraci resurrectionis, eo enim more loquendi dicitur Ecclesia facere, quæ ab impijs facienda, vel facta testatur, quo in Leuitico scriptum est: *Ecce contaminabit eam sacerdos*: non quia ipse lepram mundis afferre potuerit, sed eam quæ immundis inerat ostendere. Posuit & pellem caprarum pilosam ad caput statuæ Michol. Comperit in exordio sui Ecclesia, etiam B illorum perfidiam, qui Dominum Saluatorem non solùm Christum negant, sed & peccatis grauatum, neque à mortuis resuscitatum autumant. Capram enim sæpe peccatoris, sicut & iusti typũ ouem tenere, certum est. Pili quoque, qui fragiles, & externi corpori superfluunt, opera mortua, ac præ suæ densitate frequentiæ cunctis iam iamq; manifesta significant. Et pellem pilosam caprarum ad caput statuæ pro Dauid in lecto substitutæ collocant, qui carnem Saluatoris capitalibus peccatis quasi hispidam asseuerantes, & impuram dilato resurrectionis tempore dicunt hactenus lectulum sepulchri, in quem mortua descendit, tenere. Quam tamen statuam Michol vestimentis operit cum huiusmodi perfidiam Ecclesia, postquam cognouerit, reprobat: postquam fidelibus suis ostendit, confestim præcipuis operibus, quæ nemo alius facere potuit, damnatam per omnia demonstrat & victam. Hæc ille. Et rursus ad hæc subsequentia verba: *Rursum Saul misit nuncios, vt viderẽt Dauid, dicens: Adferte eum ad me in lecto, vt occidatur, cumque venissent inuentum est simulachrum super lectum, & pellis caprarum super caput eius.* Prædicante, inquit, ab aduentu S. Spiritus Ecclesia Christum, miserunt principes Iudæorum qui diligentiùs viderent, quid crederetur de Iesu, Christus esset, an propheta, resurrexisset, an adhuc in sepulchro quiesceC ret, dicentes: pronunciate nobis præsentibus, quia non resurrexit à mortuis, sed adhuc in terræ lecto iacens diem vniuersalis resurrectionis expectat, vt sic fides, quæ in eo est, extirpetur radicitus, & eliminetur è mundo &c. Assimilatur capræ etiam Ecclesia Dei, vti ostendit D. Ambrosius in enarratione in psalmum 118. in hæc verba: *Denique salim interpretati sunt ipsum ascendentem.* Ille enim verè ascendit, qui propria peccata deponit. Hoc igitur verbo purificatoriæ sanctificationis vsus exprimitur; vnde etiam benè in canticis ad Ecclesiam Christus dicit: *Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt à lauacro, quæ omnes geminos creant, & infœcunda non est in eis.* Quod specie de capris dicitur, mysticè autem de Ecclesiæ grege. Nec vilia tibi videantur ista animalia. Audi quæ de his S. loquatur Spiritus: *Capillamentum tuum, vt grex caprarum, quæ reuelatæ sunt à monte Galaad. Dentes tui, vt grex tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Vides quòd in altis grex iste pascitur, audax in monte. Itaque vbi alijs præcipitia, ibi capris nullum periculum: vbi alijs periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior. Spectantur à pastoribus suis dumosa de rupe pendentes, vbi luporum incursus esse non possunt, vbi fœcundæ arbores fructum integrum subministrant. Cernere licet vberi lacte distentas, super teneram sobolem D materna pietate solicitas. Ideo elegit eas Spiritus Sanctus, quibus cœtum venerabilis Ecclesię cõpararet. Et vt mysticè audias: Capillamentum verbi est altitudo, & eminentia quædam iustarum animarum, quoniam sensus sapientis in capite eius. In altitudine enim cogitationis humanę certum est esse sapientiam. Et quemadmodum tondentur capræ, vt superflua deponant, ita etiam tonsarum animarum gregem, hoc est, multarum animarum virtutes habet S. Ecclesia, in quo grege nihil possis insensibile reperire, nihil superfluum, quoniam fides sapientes fecit, spiritalis autem gratia ab omni superfluorum labe mundauit. Meritò igitur reuelatæ sunt animæ iustorum, & reuelatæ à monte Galaad, hoc est à transmigratione testimonij, eo quòd à Synagoga ad Ecclesiã testimonium cœleste migrauit. In hoc itaque monte nascitur thymiama, resina, & cæteri odores, quos negociatores illi Ismaelitæ, vt habes in primo libro testamenti veteris, deferebant. Hos odores habet Ecclesia, quos mercatores ex gentibus congregati fide, & deuotione vexerunt. Itaque sicut capræ bonis refertæ cibis, & solis calore vernantes, lauantur in flumine, & exultantes mundæ surgunt de flumine, ita animæ iustorum ascendunt ab spiritali lauacro. Istæ sunt verè quæ geminos creant, in quibus non est infœcunditas aliqua virtutum, sterilitas vlla meritorum. Benè geminos creant, quia congeminant sensus suos. Hæc itaque & alia Ambrosius. Et rursus in libro de

Peccatoris typus capra.

Ecclesia capræ assimilatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

initiandis agens de myſterio veſtimentorum candidorum, quibus induuntur infantes, & quo- E
Cap. 7. modo Eccleſia hæc habens veſtimenta dicat in canticis: *nigra ſum, & decora.* Chriſtus, inquit, videns Eccleſiam ſuam in veſtimentis candidis, pro qua ipſe ſordida veſtimenta ſuſceperat, vel animam regenerationis lauacro mundam, atque ablutam dicit: *Dentes tui ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro* &c. Non mediocris iſta laudatio primùm apta comparatione tonſarum.

Eccleſia quomodo capræ comparetur.

Capras enim & in altis paſci ſine periculo, nouimus, & in præruptis ſecuras cibum ſumere. Deinde cùm tondentur, deonerari ſuperfluis. Harum gregi comparatur Eccleſia multas in ſe habens animarum virtutes, quæ per lauacra ſuperflua peccata deponant, quæ myſticam fidem, & moralem gratiam deferant Chriſto, quæ crucem Domini Ieſu loquantur &c. Iam verò manſuetam, ac lenem, atque opem nobis ad amictum; & integumentum afferentem ouem à dextris Dei collocandam eſſe, diuinum oraculum ait, inquit Iſidorus Peluſiota ex interpretatione Iacobi Billij Prunæi: aſperum contrà, ac voraciſſimum, agreſtemque hœdum ad ſiniſtram abijciendũ. Quibus verbis eædem vitæ ſignificantur, quæ congruentem vtraque ſibi ſtatum nanciſcuntur, ac proinde alterum odio habeamus, ac deteſtemur, alteri mordicus hæreamus. Verba Euangelij F
Matth. 25. ſunt: *Tunc ſegregabit eos ab inuicem, ſicut ſegregat paſtor oues ab hædis.* Quem locum D. Chryſoſtomus ſic declarat: oues ſunt homines iuſti propter manſuetudinem, quia ipſi neminem lædũt; propter patientiam, quia cùm ab alijs læſi fuerint, ſuſtinent. Et ſicut oues quãdo ligantur, aut tacent, aut in ſimplicitate balant: Sic & Sancti cùm læduntur, aut tacent, aut certè in benignitate probati preces tranſmittunt ad Deum. Et ſicut ouis ad mortem ducitur, & non clamat, vita eius tollitur, & manſuetudo eius non immutatur: ſic & ſancti maledicuntur, & illi non contradicunt; dolorem ſentiunt, & clamorem non emittunt. Hœdos autem peccatores dicit, quia in capris hæc

Hœdi quomodo peccatoris ſint typus.

naturaliter inſunt vitia, libido præ cæteris animalibus, ſuperbia, rixa; ſemper enim ſe percutientes incedunt, & modò humero pulſante interdum cornu percutiunt. Item inuidi ſibi alterutro inuident, ſicut ſignificat Salamon de inuidis dicens: *Sicut capra ſic aſpicit ruinam proximi ſui.* Item iactantes ſunt, & gloriantes, ſicut idem ſignificat Salamon dicens: *Tria ſunt, quæ ſecuriter ambulant, leo inter iumenta, gallus inter gallinas, & hircus præcedens capras.* Item capræ trahũtur multum concupiſcentia gulæ: propter gulam namque ſuam per ſaxa, & præcipitia ambulant, & ſuper præcipitia ſe ſuſpendunt. Item clamoribus ſuper omnia garrulæ. In omnibus his vitijs peccatores abundant, & ideo hędis ſunt aſſimilati. Adhuc quæro, quare non eorum ſimiles introduxit G ætates dicens: Ita ſeparabit eos, ſicut oues ab hircis: aut ita, ſicut agnos ab hœdis? Videte verò quomodo volens oſtendere ſanctos perfectos in omnibus ponendos ad dexteram, & impios omninò infructuoſos ad ſiniſtram: Ideo ſanctos oues, impios autem hœdos vocauit. Quomodo agni, etſi natura manſueti ſunt, tamen non ſunt omnino fructiferi propter ætatem: fructum enim adhuc non habent lactis & lanæ. Item capræ, etſi malignæ ſunt ex natura, tamen ex aliqua parte fructiferæ ſunt per ætatem; lactis enim abundantiores exhibent fructus. Hœdi autem & mali ſunt ex natura, & ominò infructuoſi ſunt ex ætate. Hœdum autem pro peccatore accipi paſſim, & alij Theologi, & SS Patres aſſerunt, ac in primis Auguſtinus hœdũ illum ſic accipit, quem frater filij perditi nunquam ſe accepiſſe ait, vt cum amicis ſuis epularetur.

Capræ guloſæ.

Lib. 2. quæſtion. Euãg.

Similiter Beda explicans hoc Geneſ. *loquitur ad filium ſuum iuniorem, vade ad gregem, & affer mihi duos hœdos*, hœdum accepit his verbis præfigurans carneum Saluatoris aduentum, in quo illos vel maximè liberaret, qui peccatis tenebantur obnoxij, ſiquidem in vniuerſis ſcripturis hœdi pro peccatoribus accipiuntur. Sic H & D. Ambroſius in comm. in cap. 6. apocalypſ. explicans illud exod. *Præcepit Dominus filijs Iſrael, non coques hœdum in lacte matris ſuæ:* per hœdum, inquit, vnuſquiſque peccator deſignatur. Mater hæc noſtra primi parentes fuerunt, ex quibus omnes procreati ſumus: Lac verò matris, vitia ſunt, quæ de originali peccato proceſſerunt: niſi enim originale peccatum fuiſſet, vitium nullum eſſet. De hoc matris lacte pſalmiſta loquitur dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.* Hœdus igitur in lacte matris coquitur, dum quilibet peccator vitiorum igne vſq; ad diem mortis ſuæ exuritur. Præcepit ergo dominus, ne coquatur hœdus in lacte matris ſuæ, ideſt, vt peccator nõ ſinat vſque in diem mortis ſuæ ſe in peccatis permanere, ſed ante diem mortis ſuæ ad bona opera agenda reuocetur, ne pareat. D. Bernardus oſtendens quòd hœdos is paſcat, qui exterioribus ſenſibus eſt intentus, in explicat. illius cantici: *paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum:* hœdos, inquit, qui peccatum ſignificant, rectè aures, oculoſque appellauerim, quoniam ſicut mors per peccatum in orbem, ſic per has feneſtras intrat ad mentem. In his paſcendis ſe occupat curioſus, dum ſcire non curat, qualem ſe relinquat intus. Homo ſi te vigilanter attendas, mirum eſt, ſi ad aliud vnquam intendas. D. Gregorius verò in explicatione eiuſdem ſententiæ, per hœdos, inquit, immundæ cogitationes deſignantur; per tabernacula paſtorum, conuenticula hæreticorum (aliàs malorum) exprimuntur. Qui ergo pugnare neſcit,

Quomodo intelligendum, hœdũ coqui in lacte matris ſuæ.

Hœdi immũdas deſignãt cogitationes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ſcit, iuxta tabernacula paſtorum hœdos paſcit, quia quiſquis obſiſtentibus tentationum gladijs viriliter non reſiſtit immundas cogitationes, quaſi hœdos laſciuos in corde nutrit, & efficitur ei etiam ſimilis, qui à fide recedit. Accipitur verò etiam hœdus in bonam partem, vt oſtendit in primis D. Ambroſius per duos illos hædos, quos Diuus Chryſoſtomus in hoc eodem pſalmiſtæ loco hircos interpretatur eos, qui ex gentibus pro nomine Chriſti ſunt paſſi. Aliàs pro libidine accipitur ſicuti abundè in oue oſtenſum eſt, vbi de vſu in ſacrificijs Hebræorum, & inter alios etiam docet Diuus Hieronymus explicans illud Amos: *Et ecce vir ſtabat ſuper murum adamantinum, & in manu eius adamas*, & cætera. Cùm enim dixiſſet, quos murus adamantinus, & ipſe adamas denotet, addit à nullo ſuperari poſſe, ſolo tamen mortiferæ libidinis calore diſſolui: hæc enim ſanguinis hircorum, & ipſius hirci dici eſſe naturã, vt ſit ad libidinem calidiſſimus, & quod edomare nequeat, ſolum illius diſſoluere cruorem. Quomodo verò etiam hirco deſignetur princeps ſuperbus, peculiariter verò Alexander Magnus, abundè etiam in oue eſt demonſtratum ex Hectore Pinto.

B

PROBLEMATA.

HÆDORVM à lupi faucibus ereptorum caro cur cæteris iucunditate ſaporis præcellere crederetur, diximus in oue ex Plutarcho. *Lib. 1. probl. ſect. 3. probl. 30.* Quærit verò etiam Antonius Ludouicus Medicus Olyſſiponenſis; Cur in ferocientibus capris os ſpumeſcit? *Ferocientib. capris cur ſpumeſcat os.* An quia propter furorem accenſo calore multus aer ingrediatur, qui refrigeret, quo permixto humori, calido agitante, ſoluto, ſpumarum ortus vindicatur.

EPITHETA.

C CAPRÆ epitheta ſunt, amans ſaxa, Ouidio, ὀρεσσινόμος Heſiodo, Cyniphia, diſtenta lacte, dumiuaga, felix pecus, frondipeta, cornupeta, cornipes Catullo, dictæa Virgilio, gracilis, hirſuta, hirta, intonſa, laſciua, olida, pauida, petulca, rorans lacte, querula, ſequax, ſima, Tegeatis, timida, trux Claudiano. *Eripiunt trucibus cortynia capris cornua.* Villoſa, vrens culta, omne enim quod memorderint, vrunt, inquit Seruius. Hirci epithetum eſt leuis apud Horatium in epod. Plura numerantur à Rauiſio textore ſine authorum nominibus, quæ licet à recentioribus tantùm pleraque vſurpata putem, adſcribam tamen. Annoſus, auidus, barbiger, celer, cinyps, corniger, dux pecoris, grauis, hirſutus, horricomus, imbellis, immundus, olens, olidus, piger, procax, ſaliens, ſetiger, vagus, vilis. Capri etiam ſeorſim epitheta hæc reperio. Vir gregis, Virg. albus, Horat. bicornis, Ouid. Libidinoſus Horat. ſetiger Silio, & præterea apud Textorem, bifrons, hirſutus, barbiger, toruus, corniger, laſciuus, acer, olidus, fœdus, immundus, τράγος ὑλη βάτας, Antiphan. τράγοι αἰγιβάται Pindaro. Epitheta hœdi ſunt, petulcus, laſciuus, laſciuum pecus, Mart. Apud Rauiſ. leguntur etiam iſta, tenellulus, petulans, vagans, corniger, mollis, lactens, pinguis.

D

COGNOMINATA.

Denominata.

FREQVENS apud Græcos Homerum, Orpheum, Pindarum, & Nicandrum, cognomẽ Iouis αἰγίοχος, vel αἰγιῦχος, quòd à capra, ut ſuprà diximus, enutritus fingatur: *Lib. 1.* de quo ita etiam Lactantius: Cretici, inquit, Iouis quid aliud, quàm quomodo aut ſit ſubtractus patri, aut nutritus oſtendunt? Capella enim Amaltheæ Nymphæ, quæ vberibus ſuis aluit infantem, de qua Germanicus Cæſar in Aratæo carmine ſic ait:

Illa putatur
Nutrix eſſe Iouis ſi verè Iupiter infans
Vbera Cretæa mulſit fidiſſima capræ,
Sidere quæ claro gratum teſtatur alumnum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Amalthea capræ corio Iupiter cõtra Titanas ſcuti vice vſus.

Iupiter cur αἰγίοχος dictus.

Huius capellæ corio vſum eſſe pro ſcuto Iouem contra Titanas dimicantem Muſæus author eſt, E
vnde à poetis αἰγίοχος nominatur. Hactenus ex Lactantio. Higinius verò: Euhemerus, inquit,
Aegan quandam fuiſſe Panos vxorem, eam à Ioue compreſſam peperiſſe, quem viri ſui Panos
diceret filium. Igitur puerum Aegipana, Iouem verò Aegiochum dictum &c. Scribunt Græci
Grammatici, quod poſt Iouis natiuitatem ipſe ſit in Creta à capra inuentus, quæ illi τὴν ἐχὴν, id
eſt, nutrimentum exhibuit poſtquam occultatus fuiſſet, ne eum Saturnus pater vouaret, cuius
capræ cornu ſit Amaltheæ datum. Vel Iupiter Aegiochus appellatus eſt, quòd ægida haberet,
hoc eſt, capellæ pellem, quæ illum ablactaſſet. Effingebatur verò ægis eius ex materia precioſa
ad caprinæ pellis ſimilitudinem. Sunt qui à Vulcano in Iouis gratiam, factam dicant. Alij, in-

Aegis quid ſit, & quomodo fiat.

ter quos Harpocration, ægidas eſſe volunt nexus, & plicaturas è coronis, & rectia coronis impli-
cata, atque hinc ſunt, qui nomen Aegiochi deductum eſſe opinentur. Sed magis veriſimile vi-
detur, vt ſcribit Varinus, Iouem Aegiochum nuncupatum à ventorum, & turbinum conuer-
ſionibus, quas ipſe Iupiter commoueat græcè ægidas, & catægidas appellatas, vt ex ijs patet, qui
meteora ſcribunt, & interpretantur. Phornutus ἀπὸ τοῦ ἀΐσσειν αἰγίοχον dictum putat, quòd ſci- F
licet impetu feratur. Hæc de Aegiocho Ioue omnia ex Gyraldo. Similiter Cælius phyſica al-
legoria, inquit, Iouis & Palladis ægida interpretamur, quando eo nomine procellas, affectioneſ-
que in ſublimi contingentes intelligimus, quæ catægides nuncupantur, & ægides, ſed & æges.
Siquidem Iupiter ſit aer, vbi id genus formidoloſa concipi ſolent: Ad quem Pallada etiam refe-
runt eruditiores. Seruius ægidem ait eſſe munimentum pectoris æreum à Vulcano fabricatum

Panis epitheta a capra deducta.

habens in medio Gorgonis caput &cæt. Hoc ſi in pectore hominis fuerit, ſicut in antiquis Impe-
ratorum ſtatuis cernimus, lorica vocatur; Si verò in pectore numinis, nam & ſcutum Iouis, &
Palladis ab Homero ita appellatur, ægis dicitur. Iuno autem peculiariter apud Spartanos αἰ-
γοφάγος vocabatur, quòd apud eos capræ illi immolarentur. Pan verò capripes à poetis cogno-
minatus eſt, à græcis αἰγομελὴς, & αἰγίπαν. Dicitur & Semicaper Deus ab Ouid. in Faſt. &
Metamorph. vt eſt in illo: *Sunt oculis Nymphæ, Semicaperue Deus.* Heſychius ait & κερο-
βάτην dictum fuiſſe, ſiue quod cornua habebat, quaſi κερατιβάτην, vel quòd baſin haberet cor-
neam, ideſt, pedes. Scholia in Ariſtophanis ranis κεροβάτην exponunt, qui per montium cor-
nua incedit, vel à cornu, ideſt, vngulis hircinis: nam inde αἰγιβάταν quoque, & τραγοβάμονα di- G
ci. Didymus ſimiliter exponit, vt nos iam cum Gyraldo ex Heſychio, quoniam, inquit, interio-
res partes hirci habet, ita vt pedum cauſa κεροβάτης vocetur: Sed de Panis forma ſuprà dictum

Lib. 13. cap. 19.

eſt. Nico meretricula capra vocata fuit, teſte Athenæo, quòd mercatorem Thallum fortunis om-
nibus exhauſiſſet, & thallis, ideſt, oleæ ramis, termitibus, fronde capræ libenter veſcantur. Sui-
das illam Nanion appellat, ſed fallitur, ſicuti & Cælius eum ſecutus: nam mox poſt Niconis mé-
tionem de Nanio agit Athenæus. Hanc Niconem cùm Python quidam amator olim deſeruiſ-
ſet, & ad Euerdin obeſam animum tranſtuliſſet, poſtea verò rurſus illam accerſeret, vt fit, dixiſſe
ferunt puero, qui accibat: nunc Python expletus ſuilla carne ad capram denuò reuerti poteſt?
Vetus comœdia notat Polyagrum quendam vxorem habuiſſe, quam ob immenſum quæſtum
cæleſtem capram vocaret, vt teſtatur Plutarchus in comm. de audiendis poetis, his verbis: εὐδαι-
μων Πολύαγρος οὐράνιον αἶγα πλουτοφόρον τρέφων, ideſt, Fortunatus Polyager (multorum agrorum

Lib. 2. c. 2. de re ruſt.

Lib 8.

poſſeſſor) cæleſtem capram opes adferentem alens. Caprarios, & Caprilios Varro à capris di-
ctos fuiſſe aſſerit. Interpres tamen Plutarchi in Publicola Caprarios vertit eos qui à capris co-
gnomina ſumpſerunt, & legimus Caium Cæcilium Metellum Caprarium Conſulem fuiſſe cum H
C. Papirio Carbone. Cur verò à capris cognomentum inditum ſit Columella tetigiſſe mihi vi-
detur, his verbis: Caper flaccidis, & prægrauantibus auribus, exiguo capite habetur opti-
mus, hinc familiæ Romanæ cognomen deductum eſt, quod priùs in ea gente aures haberet deor-

Tiberius Caprineus dictus et hircus vetulus.

ſum pendentes. Tiberius Imperator Caprineus quandoque cognominatus eſt, vt teſtatur Sue-
tonius de luxuria, & libidine eius loquens: In ſyluis quoque, ac nemoribus, inquit, paſſim ve-
nereos locos commentus eſt, proſtanteſque per antra, & cauas rupes ex vtriuſque ſexus pube Pa-
niſcorum, & Nympharum habitu, palamque iam & vulgato nomine inſulæ abutentes Caprine-
um dictitabant. Quo loco Beroaldus iocoſo, inquit, nomine Caprineus vocabatur Tiberius tan-
quam vocabulo deducto ab inſula Caprearum, quo receſſu oblectabatur: cùm tamen poſſit referri
ri ad olentem naturam caprarum, quas obſcœnitate imitabatur. Dictus itidem eſt & hircus ve-
tulus, quod innuit idem Suetonius his verbis: Fæminarum quoque & quidem illuſtrium capiti-
bus quantopere ſolitus ſit illudere, euidentiſſimè apparuit Malloniæ cuiuſdam exitu: quam per-
ductam, nec quicquam ampliùs pati conſtantiſſimè recuſantem, delatoribus obiecit, ac ne ream
quidẽ interpellare deſijt: Ecquid pæniteret, donec ea, iudicio relicto, domũ ſe arripuit, ferroq; tráſ-
fegit, obſcænitate oris hirſuto, atq; olido ſeni clarè exprobrata. Vnde nota in Atellanico exordio
pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A proximis ludis assensu maximo excepta, percrebuit, hircum vetulum Capreis naturam ligurire. Quæ verba de hirco animali cùm dicerentur in fabula illa Atellana, qui naturam caprarum liguribat, festiuiter, & tempestiuiter in Tiberium translata sunt, atque deflexa tanquam & ipse foret ille hircus vetulus, qui naturam liguriret capreis, hoc est, lingeret tanquam cunnilingus fæmineos cunnos. Cur verò Caius Caligula Tiberij successor ijsdem Romanis capra diceretur, longè alia est ratio, quia videlicet valdè erat hirsutus, quod innuit idem Suetonius inquiens: *Quare transeunte eo prospicere ex superiore parte, aut omninò quacunque de causa capram nominare criminosum, & exitiabile habebatur.* Quem quoque locum commentans idem Beroaldus; id conuitium, inquit, Caius ad suam contumeliam trahebat, cùm esset ipse hirsutus instar capræ. Seneca dixit ceruicem Caligulæ fuisse obsessam non pilis, sed setis, vt ἐμφατικοτέρως signaret hominis versutiam: Sic & Damianus Marcellinus Iulianum Imperatorem cùm & ipse esset hirsutus, appellatum fuisse tradit à carptoribus capellam, tanquam & ipse setoso corpore repræsentaret hirsutias setarum caprinarum. Cælius verò Iulianum Cæsarem sic à Constantij Imperatoris aulicis per ludibrium vocatum fuisse scribit. Martialis etiam salsè, ac festiuiter Aedilum quendam cynędum, cùm veheretur lectica, & seruos suos capros vocaret, ipse verò ex nimio pruritu factus esset ficosus, caprificum vocat:

C. Caligula capra dictus.

Iulianus capella dictus.

Lib. 25. cap. 17.

Lib. 4. epig. 52.

Gestari iunctis nisi desinis Aedile capris,
Qui modò ficus eras, iam caprificus eris.

Salsè item Phryne meretrix cænans cùm hircoso amatore sublatam phorinen porrexit, & hanc, inquit, καταΐραγε, ludens in voce τράγε, quæ *arrode* significat, & *hirce*, author est Athenæus: Est autem phorine olfactorius fasciculus florum, & herbarum suauiter olentium. Denominata modò ἀπὸ τῆς αἰγὸς, & à latinorum capra, varia tum rerum naturalium, tum artificialium reperimus. Cur in primis Aegira vrbs hinc denominata fuerit in hæc verba docet Pausanias. Cùm Sicyonij comparato exercitu agrum inuasuri essent, intelligerentque Hyperesienses nullo se pacto pares illis numero, & viribus futuros, capras omnes, quæ intra fines erant, in vnum coegerunt, adligatasque ad cornua faces intempesta nocte accendere. Hostes ignes eos esse ab auxiliaribus Aegiratarum suspicati, retrò agmen egere. A capris itaque mutato veteri nomine vrbs Aegira est appellata. Polyægas Plinio insula est à caprarum similiter multitudine dicta. Capraria, Ptolomæo insula inter Italiam, & Corsicam. Hanc Græci Aegilon vocant, Plinio authore, cuius hæc verba: *Capraria insula in mari Thusco, seu Ligustico capris abundans, quam græci Aegilon dicunt.* Meminere huius etiam Pomponius, & Rutilius. Capraria hodie adhuc dici autumo. Alia est Aegilla, vel Aegyla apud eundem Plinium: Etsi Sipontinus Aegimurum falsò ob nominis similitudinem caprariam esse tradidit, vt apud Plinium annotauit Hermolaus: nam Aegimurus, siue Aegimorus insula est Libyæ, vel vt alij ante Siciliam, & Africam, vt videre est apud Stephanum, & Strabonem, Pliniumque. Castrum CAPRARIA, habet in Gallia, Greg. Turonensis Histor. 3. & Aimoinus 2. Plinio vna ex Fortunatis insulis, quam Niger putat CASPERIAM, κασπειρία Ptolemæi esse, & eandem Forte ventura interpretatur. Circa Baleares est quoque Capraria insula, eidem Plinio. Hæc hodie Cabrera. Sunt & Pullariæ, Plinio, insulæ iuxta Istrorum agrum. Blondus Caprariam etiam dictam scribit, in eaque Iustinopolim conditam à Iustino Imperatore, tradit, sed Ortelius hoc negare antiquam inscriptionem dicit. Ceterùm idem Ortelius in Iustinopolis, Vrbs, inquit, est Istrię maritima, quam Blondus scribit à Iustino Imperatore conditam, & ab eo nominatam: In peninsula, quam Plinius Caprariam, & Pullariam vocat. Villanouanus in suo Ptolemæo, & Vergetius in Munsteri cosmographico opere putant hanc vrbem Aegidam à Plinio appellari. Horum vltimorum sententiam confirmat antiqua inscriptio huius loci, quam Volaterranus profert lib. 4. geographiæ, in qua Aegædis insula vocatur. Hodie Cabo d'Istria nominatur. Marcus Varro a capris feris propter Italiam Caprasiam insulam nominatam esse tradit, à quibus ortæ sint capræ, quas alimus, quo tamen loco cùm Gesnero pro Caprasia legerim Capraria: Nam aliàs Caprasia Plinio Padi fluminis ostium est, quod nunc vulgò, teste Nigro, Magna Vacca nuncupatur. Ἀιγίναψ insula quædam Peloponnesi, vt ait Hesychius, Stephanus verò in voce Aegilia, Ἀιγιάλειαν insulam inter Cretam, & Peloponnesum facit. Ἄιγυσα Libyæ insula, quam Afri Catrinam vocant, teste Stephano, Gesnerus probat vt scribatur per σ duplex, quia & Aegussæ Plinius meminit. Capriæ, vel Capræ insula vltra Surrentum Campaniæ vrbem circiter octo millia passuum, nobilis coturnicum multitudine, quæ ex Italia volantes illic autumni principio capiuntur. Stephanus Caprienen vocat, ibique natum Blæsum Capriatam Poetam scribit. Nobilis fuit insula, teste Plinio, Tiberij principis arce. Est & Caprea lacus in Pamphilia ingens, aquis marinis repletus, à quibusdam Palus Caularitis dicitur ab influente amne, vt Niger scribit in com-

Phorine quid.

Lib. 13.

Aegira cur sic dicta.

In Achaic.

Coturnicũ copia vbi & quando, & vnde.

Niger cõm. 1. de Asia.

Aegæũ mare cur ſic dictum.

commentario de Aſia. Aegeum vel Aegæum mare Græci αἰγεῖον vel αἰγαῖον πέλαγος dicunt, E vel αἰγεια θάλασσα, vel αἰγαίος πόντος: Scribunt autem plerique penultimam per αι, pauciſſimi per ει. Sed cur ſic dictum ſit alij aliter referunt. Varro quidem inquit: *A capris nominauerunt Aegæum pelagus*. Quomodo autem à capris nomen inditum, Plinius explicat, inquiens: *Aegæo mari nomen dedit ſcopulus inter Tenedum & Chium veriùs quàm inſula, Aex nomine, à ſpecie capræ, quæ à Græcis ita appellatur, repentè in medio mari exiliens*. Solinus hoc ſaxum Antandrum nominat, quod procul viſentibus capræ ſimile credi ait. Feſtus ſic dictum ait, quòd crebræ in eo ſint inſulæ, quæ procul aſpicientibus caprarum imaginem referant. Alij ac inter eos in primis Artemidorus magnos fluctus caprarum vocabulo αἶγας vocari ex Homero docent, qui λάβρας ἐπαιγίζων dixit, ideſt fortis caprizans vel vndoſus: Α᾿ιγις καὶ καταιγὶς ventus eſt, turbo vel procella & αἰγίζω non ſolùm eſt capras paſco, verùm etiam vehementius flo ſignificat. Ait & idem Artemidorus mare omnium tempeſtuoſiſſimum ideo vocari ægęum, quod fluctibus & nauigandi periculo ſit terribile; cuius etiam Dionyſius poëta meminit circa, Sporades inſulas ſcribens Aegæum pelagus ſuis fluctibus reſonare, nec vllum eſſe alium maris meatum, cuius vndæ F altiùs, & vehementiùs agitentur, quod & Suidas, & Varinus teſtantur, & Statio *ſpumiger Aegon* vocatur. Euſtathius eſſe ait, qui hoc mare dictum volunt ab Aegæone, cuius in Iliade meminit Homerus, vel ab Aegis loco Bœotiæ, in quo poeta Neptuni equos quieſcentes facit. Alij rurſum dictum malunt ab Aegeo Theſei patre, qui in illud mare ſe præcipitarit ab arce in Aegis inſula: ſic enim Etymologus ſentire videtur. Stephanus verò Caryſton Eubœæ inſulæ ciuitatem vocari etiam olim Aegæan dixit, ab Aegone loci domino, & ab hoc etiam mare Aegæum. Sunt etiam qui Aegeam Amazonum reginam in eo perijſſe referant. Theophraſtus in fine libri 9. hiſtor. plant. Aegas Eubœæ vrbem Septentrionem verſus memorat, fuereque aliæ plures Aegæ, de quibus conſule Stephanum, & inter cæteras Aegæ Macedoniæ, quibus à capris nomen fuiſſe Geſnerus non dubitat, cùm Μηλοβότειρα quoque cognominarentur, & inſula iuxta Eubœam cum templo Neptuni, vt annotat Strabo, qui ab Euboicis Aegis mari Aegæo nomen inditum, veriſimilius putat. Achaicæ verò Aegæ hoc tempore, inquit, deſertæ incolis ſunt, vrbem habent Aegæenſes. Aegion ſatis incolarum habet, quo in loco Iouem à capra lactatum ſcribunt. Hoc autem mare Aegeum inter Helleſpontum eſt & Tenedum vulgo hodie Archipelago dictum. Porrò Aegæus ſinus eſt & fluuius circa Corcyram, teſte Va- G rino; Campus verò Aegæus circa Phocidem eſt, quem Aegas fluuius alluit, vt Euſtathius tradit in Dionyſium. Eſt & Aegos Cherſoneſi Thraciæ fluuius (vbi etiam Stephanus Aegas oppidum eſſe meminit.) apud Strabonem, vt quidam ſcribunt. Geſnerus genitiuum putat eſſe ab αἴξ, & addendum ποταμὸς, ideſt, fluuius. Aegates promontorium Aeolidis Artemidoro αἴξ dicitur in nominatiuo. Α᾿ιγιαλὸς eſt littus maris arenoſum propriè, & calculoſum, Grammatici etymon adferunt ἀπὸ τȣ̃ δίκην αἰγὸς ἅλλεσθαι, quod capræ inſtar ſaliat, ab inſultu fluctuum ſcilicet. Eodem nomine dicebatur maritimus quidam tractus, ſiue latus Peloponneſi à Sicyone ad Elidem vſque, fuereque & alij huius nominis loci, ac præter cæteros vnus in Paphlagonia, vt Varinus ſcribit.

Αἰγίλιψ locus quis.

Α᾿ιγίλιψ locus exponitur altus, arduus, aſper, ſic dictus, vt ait Suidas, ὥστε ὑπὸ τȣ̃ ὕψȣς, καὶ τὰς αἶγας λείπεσθαι αὐτῆς ἐπιβαίνειν, ideſt, quòd à capris relinquatur, quòd præ altitudine conſcendere non poſſint; non ſatis aptè tamen dicitur latinè petra relinqui à capris, inquit H. Stephanus, hac in ſignificatione, pro, eius faſtigium eas non poſſe aſſequi, & attingere. Græci autem dicunt, inquit, nos ἀπολείπεσθαι cum genitiuo de eo, quod H nequimus aſſequi. Poſſet verò & ſimpliciter aſſequi, relinqui, vt ſit petra, quæ à capris relinquitur, ideſt, à qua capræ recedunt, cùm eam vident ſe non poſſe conſcendere. Alij, teſte Varino Α᾿ιγίλιπα πέτραν exponunt eam, quæ nihil producat, vt quam capra depaſta reliquerit, corrumpit enim, & omnia infœcunda reddit morſu ſuo. Alij τὴν τὰς αἶγας λιπαίνȣσαν, ideſt, capras ſaginantem: poſſunt enim etiam in ſaxoſis, & aſperis locis capræ commodè paſci.

Aegilops quid.

Aegilops auenæ quoddam genus eſt, inquit Gorræus, quod ſpecialiter latini feſtucam appellant. Spica illi ante meſſem decidit, ita, vt ſpicilegij tempore ſpica ipſa inanis, & orba grano, vaneſcenſque culmus quaſi feſtuca reperiatur, vnde illi a latinis feſtucæ nomen inditum veriſimile eſt. Eamque ob id Virgilius ſterilem auenam appellaſſe videtur hoc verſu:

Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

Sic autem fortaſſis dicta eſt Græcis, quod illita cum farina herba τῷ Α᾿ιγίλωπι oculorum vitio medeatur. Hæc ille. Cuius ſententiam Henrico Stephano comprobare videtur hic Theophraſti locus de peſtibus frugum ante Virgilium hæc ſcribentis. Καὶ ὅσα δὴ συγγεννᾶται καθ᾽ ἕκαστον σπέρμα, οἷον αἶρα, καὶ αἰγίλωψ ἐν πυροῖς, καὶ κριθαῖς, ideſt. Et quæcunque naſcuntur vnà cum vnoquoque ſemine, vt lolium, & Α᾿ιγίλωψ in tritico, & hordęo. Dici autem

Lib 5. de cauſ. Plant.

A tem αἰγίλωπα, quòd sui nominis morbum sanet, etiam Dioscorides testatur est. Attamen
cùm Plinius auenam græcam (sic ægilopa etiam vocare Gesnerus asserit) cui non cadit semen, &
non nisi post annum ex semine suo gignitur, vere pilosum dicat habere folium lolij instar, non ta-
men, vt illud, pingue, immitem aspectu &c. Hinc etiam fortè ægilops dici meruerit, quemadmo-
dum & oculi vitium inde dictum videri potest; nam Iouis, aut Palladis ægida poetæ horrificam,
terrificam, & iratam cognominauerunt; eandemque ob causam arbor ægilops fortasse nomen
habet, cùm glans illi subtristis, horrida, echinato calice, cibo inepta &cæt. Aegilops autem
sonat caprinum oculum à vitio oculi, quod capris ferè proprium, & perpetuum est. Gor-
ræus ait apostema esse inter maiorem oculi angulum, & nares ruptum atque exulceratum (an-
tequam enim disruptum exulceretur ἀγχίλωψ, inquit, vocatur authore Paulo) quod aliquando
neglectum paruam fistulam aperit, per quam pituita assiduò destillat. Est præterea Theophra- *Lib. 8. hist.*
sto αἰγίλωψ herba, quæ hordeum enecat. Plinius hanc quoque festucam vocauit, quòd cum *cap. 8.*
superiore eadem sit, vel saltem eandem esse crediderit: Enecat, inquit, hordeum festuca, quæ *Lib. 18. cap.*
B vocatur ægilops. Sed & Galenus scribit festucam, quæ græcè dicatur αἰγίλωψ, in hordeo fre- *19.*
quentiorem erumpere, præcipuè cùm imbecillius semen diutius humo conditum infelici exortu
natum adoleuerit. Est denique ægilops Hesychio, & Varino πόα τις ἐμφερὴς σταχύι. Idem *Aegithal-*
Varinus Aegithallum herbæ genus esse ait. Suidas verò, atque alij auem de qua mox, & salta- *lus quid.*
tionis genus fecerunt. Salix à Thurijs, vt Hesychius annotat αἰγίλιψ vocabatur, & αἰγίπυγος ei-
dem herbæ genus, sed fortè αἰγίπυρος scribendum, vt Varinus habet, plantam esse spinosam scri-
bens, vel herbæ genus folio lato, lenticulæ simili, colore glauco, vlceribus inflammatis vtilem. Vi-
dendum, inquit Gesnerus, an sit anchusæ, vel tribuli potius aliquod genus: fieri enim potest, vt im-
periti Grammatici diuersas herbas confuderint. Meminit αἰγιπύρου Theocriti, & Aristophanis
Scholiastes, cuius hæc sunt verba: Dionysij sacerdotem, ut Eupolis inquit, ægipyron existima- *In ranis.*
te, hoc est, pyrrhon, rubicundum, eo quòd herbæ huius flos, Demetrio teste, valde rubeat: τὸ γὰρ
ἄνθος ἔχειν φησὶ Δημήτριος ἱκανῶς ἐρυθρὸν. Aegoceron inter nomenclaturas Dioscoridi ascri-
ptas, & apud Syluaticum fœnugræcum est: Syluaticus etiam trifolij speciem interpretatur. Idem *Aegoceros*
est ægoceras, ut habet Plinius, & Galenus in glossis Hippocratis, quibus testantibus etiam alio *quid.*
nomine buceras uocatur, quod siliqua corniculis sit similis. Apud Hesychium non rectè scribi-
C tur αἰγίκερων, & τηλῆς pro τῆλις. Αἰγόνυχος, uel αἰγώνυχον Hesychio etiam herbæ est genus,
Plinius, & synonyma Dioscoridi attributa λιθόσπερμον interpretantur, causa nominis in semi-
nis duritie, quam rectiùs tamen ad lapidem quàm ad ungulam, inquit Gesnerus, referas, cùm
fragilis sit, non, ut in asparagi semine, cornu uel ungulæ instar lenta, & contusilis. Αἴγιλλος Sui-
dæ herbæ genus, apud Varinum per λ simplex scribitur, & fortè αἴγιλις scribendum: ægilides
enim optimæ, ischades sunt, ut scribit Philemon in Atticis nominibus, referente Athenæo. Αἰ-
γιλὶς uerò Etymologo λυγος est, idest, uitex. Aegynos inter nomenclaturas Dioscoridis cicuta
est. Tithymallon nostri, inquit Plinius, herbam lactariam uocant, alij lactucam caprinam &c.
Et alibi: lactucæ, inquit, sponte nascentis primum est genus eius, quam caprinam uocant, qua
pisces in mare deiecta protinus necantur, qui sunt in proximo. Hoc Dioscorides ultimo in-
ter Tithymallos uerbasci folijs attribuit. Rutam caprariam uocant recentiores eam, quam
communiter herbarij Galegam uocant. Cur autem caprariæ cognomen sibi adsciuerit, explica- *Ruta capra-*
tum non reperio. Ab effectu, & uiribus potiùs, quàm ab odore (nullus enim huic odor rutę) ru- *riæ qua.*
tæ nomen inditum est; siquidem contra uenena est efficacissima. Mænardus non rectè suspicatur,
D inquit Gesnerus, polemonium esse, rectiùs Fracastorius onobrychin putauit, Cæsalpinus He- *Lib. 15. epi-*
truscis uulgò capraginem dici scribit. Est itidem obscura ratio cur ficus syluestris, quam Grę- *stol. vlt.*
ci ἐρινεὸν uocant, caprificus dicatur. Caprifolium, & Matrissylua herbarijs uocatur, frutex in
syluis potissimùm prouenıens, unde tum ob hoc, tum quòd uicinas plantas uinciat uulgò nobis
uincibosco nuncupatur, Hermolaus περικλύμενον Græcorum esse arbitratur, cui scilicet ægine
nomenclatura etiam à capris facta, apud Dioscoridem tribuitur, Germanis geitz, blatt, idest,
caprifolium, quod scilicet capræ eius esu delectentur. Capræ lien malua secundum magos
inter nomenclaturas Dioscoridis legitur. Ligustrum, quod multi phillyream Dioscoridis
arbitrantur, Germanorum quidam geitz holtz, hoc est, lignum caprinum, teste Gesnero uo-
cant. Est & alia herba syluatica flore candido, muscoso, odorato, oblongo, & barbæ quan-
dam referente speciem, quam recentiores quidam in suis plantarum historijs germanico no-
mine geißbarth appellant ab hircina diuersam, Galli etiam barbe de chieure similiter dicunt,
nonnulli ad differentiam tragopogi, ægopogon uocant, adduntque pratense, vt ab ulmaria di-
stinguant, quam ęgopogon syluarum nuncupant aliàs communiter regina prati dicitur Gramen
aculeatum aliqui è uulgo capriolam uocant, quòd capris grato sit pabulo, ut testatur Ruellius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Author hiſtoriæ omnium plantarum duo graminis mannæ genera depingens, alterum eorũ priuatim capriolam, & ſanguinellam nominari aſſerit, & quibuſdam iſchæmon Plinij credi: gignitur, inquit, ſponte in pleriſque Italiæ, Germaniæ, Bohemiæ locis incultis. Goritienſes tamen, & Carinthij ferunt, iuba eius, vt milij, effuſa, minùs tamen denſa, nigricans, in ſpicas diſſecta, longas, & tenues ſemen ferentes, ab vna tantùm parte; milio minus, oblongum, quod in pilis à glumarum, & vtriculorum inuolucro purgatum, candidum eſt oryzæ modo, eo Bohemi cum iure pinguis carnis veſcuntur, & ſic paratum ſuaue, & gratum edulium eſſe prædicant. Gramen etiam apud Græcos ægicon cognominari conſtat. Geſnerus reprehendit illorum opinionem, qui loti, ſiue trifolij pratenſis genus maius, durius, & acutioribus folijs cytiſum eſſe putant, eò quod loto ſimile folijs, & capris gratum ſit, vnde, inquit, noſtri geitzklee, ideſt, caprinum trifolium vocant. Heſychius, & Varinus αἰγιονόμκς animalia eſſe dicunt ſic dicta, ſed, quæ ſint, non explicant. Apud eundẽ Varinũ, & Etymologum αἰγίλυρος ſcribitur pro αἴλυρος. Græci ægothelan παρὰ τὸ ἐξ αἰγὸς τεθηλακέναι, deducũt quòd capram ſugat, vnde ſimiliter apud latinos caprimulgi nomen obtinuit à mulgẽdi capris, vt ex Plinio diximus, auis eſt, teſte Ariſtotele, mõtana, magnitudine paulo maior, quàm merula, minor, quàm cuculus. Alia eſt quæ ægithalus Ariſtoteli dicitur, quam Theodorus parum reddidit, nam ægithalus non à capra nomen habet, ſed ab impetu fortaſsis, quo in volatu vtitur; nam & ægida flatum impetuoſum eſſe ſuprà dictum eſt. Alia rurſus eſt ægithus dicta, auis minima, quam Gaza alicubi ſalum vertit, hanc Bellonius linariam eſſe credidit, hoc eſt, noſtrum fanellum. Αἰγώλιος, interprete eodem Gaza, Ariſtoteli vlula eſt. Apud Macedones aquila, vt Etymologus & Varinus ſcribunt, αἰγίποψ dicebatur, fortaſsis quod capræ eſu in primis delectetur, mirum enim eſt, quantopere carni caprinæ inhiet, vt notum eſt ex hoc Iuuenalis:

Aegothela auis quæ, & qualis. — *Aegithus auis.* — *Aquila αἰγίποψ dicta, quibus, & cur.* — *Satyr. 14.*

Sed leporem, & capram famulæ Iouis, & generoſæ
In ſaltu venantur aues tum præda cubili
Ponitur, inde autem cùm ſe matura leuabit
Progenies, ſtimulante, fame feſtinat ad illam,
Quam primò rupto prædam guſtauerit ouo.

Aegypion cur vultur dictus. — *Aegocephalus.*

Innuit poeta ea in poſterum pullos eſca affici, quam à matre poſitam, oblatamq; ſimul atque oui putamine effracto excluſi ſunt, primò delibarunt. Quidam Grammaticorum ægypion vulturem interpretantur, atque ita dictam eſſe opinantur ἀπὸ τȣ̃ ἀίσσω, ideſt, irruo, & cum impetu inuado. Aegocephalus auis Ariſtoteli liene omninò carens, à Gaza capriceps redditur. Inuenio & apud Albertum auem, quæ caput caprino ſimile habet, latinè vocari apud vulgus caprum hirundinis. In Scothia anſeris quædam ſpecies capricalca vocatur, vel capricalce, & eſt denique apud Germanos, teſte Geſnero, quædam auis à voce himmelgeiſz dicta, ideſt, capra aerea. Αἰγόφθαλμος gemmę nomen eſt apud Plinium, caprino oculo ſimilis. Lemniam terram σφραγῖδα αἰγὸς, hoc eſt, ſigillum caprę appellabant, quòd imagine caprę ſignaretur, teſte Dioſcoride, qui tamen etiam ait antequam in paſtillos cogeretur, caprinum ei ſanguinem permiſceri ſolere. Caprunculum Feſtus interpretatur vas fictile. Αἰγανέα apud Homerum iaculi leuioris ſpecies eſt, vt Euſtathius ſcribit ἀπὸ τȣ̃ ἄγαν ἵεσθαι, quòd longius mittatur, vel quod ancile ex pelle conficeretur caprina. Etymologus, & Suidas etiam ἀκόντιον τι μικρὸν eſſe dicunt, hoc eſt, iaculum, ſiue ſpiculum paruum, ſic dictũ διὰ τὰς αἶγας ἐπ' αὐτὰς γὰρ μάλιςα ἵενται, ἢ διὰ τὸ ευθετεῖν αὐτὰς εἰς αἰγῶν ἄγραν, eo quod vſus earum maximè ſit in venatione caprarum, nimirum ſylueſtrium. Suidas explicat iaculum holoſideron, ideſt, ex ferro ſolidum. Αἶγαι Varino eſt genus calceamentorum, apud Heſychium non rectè αἶγαν ſcribitur. Αἰγιάδες Etymologus interpretatur, membranas quaſdam in oculis & albicantes in eis cicatrices, quę vox apud Heſychium, & Varinum αἰγιαλίδες, quinque ſyllabis ſcribitur. De ęgide nonnulla ſuperius dicta ſunt, Pollux caprinam pellem exponit, Suidas pellem eſſe ait, quam Libyes geſtant, hoc eſt, Libyſſę mulieres, vt habet Heſychius. Suidas ſic appellari ſcribit thoracem à Laconibus. Cęlius dicit ęgida dici ab Aelio Dionyſio, & Pauſania, rete ex coronis contextum; quem verò vſum habeat genus hoc, non explicant apertiùs: probabile tamen fit, inquit, laneas ab eis coronas intelligi. Idem & alibi ait Afras mulieres dici ſuper veſtes geſtare nudas pelles caprarum fimbriatas, ac rubrica litas, vnde apud Gręcos defluxerit ęgidis appellatio. Theophraſtus author eſt, quod ęgidem appellant pinum fęminam gignere, idq; eſſe cor eius; & mox eodem capite, inquit, habet & pinus ęgidem, ita abies album dictum luſſon, veluti ęgidi reſpondens, niſi quòd hoc album, ægis gratius colorata eſt. Apud Plinium vbi ſcriptum eſt, larix fæminam habet, quam Græci vocãt ægida, mellei coloris, lege, fæmina. Varino αἰγὶς ἡ ἐν ταῖς ῥυτίσι καὶ ὁλότης eſt, ideſt, criſpitudo, quo modo latini etiam caperare frontem dicũt pro rugis contrahere, & aſperitatem vultus oſtendere: Nam, teſte Varrone, verbum hoc à criſpis caprorum frontibus tractum eſt, etſi Feſtus velit à cornuum caprinorum ſimilitudine dici, hinc certè caperatum idem

Lib. 37. cap. 11. — *Terra Lemnia σφραγὶς αἰγὸς dicta.* — *Lib. 5. cap. 113.* — *Aegis quid.* — *Lib. 3. c. 10.* — *Lib. 16. cap. 39.* — *Caperare frontem quid, & vnde.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A idem est, quod rugosum. Vsus est eo in passiua significatione Plautus in Epidico inquiens: *Quid illuc est, quod illi caperat frons seueritudine?* Cur verò nos vulgò hominem capriciosum dicamus longè alia est ratio, nimirum à natura ipsius capræ, quam diximus perquam mobilem esse & inquietam. A libidine τοῦ τράγου, idest, hirci, græci τραγίζειν habent, quod Hesychius & Varinus exponunt τὸ τραγᾷν τῇ φωνῇ τοὺς ἀκμάζοντας τῶν παιδίων: Nam, vt scribit Aristoteles, mas vt plurimum semen habere incipit annis quatuordecim exactis, & per id tempus vox in asperiorem, & inæquabiliorem mutari incipit, neque ampliùs acuta existit, neque grauis, neque omninò æquabilis, qualis in incontentis, & asperis fidibus apparet, quod, inquit, vocant τραγίζειν; Id autem ijs magis contingit, qui rem veneream exercere conantur. In id enim incumbentibus vox etiam in virilem permutatur: ijs verò, qui abstinent, contrà euenit. Et rursus in opere de generatione animalium: Ea, inquit, ætate, qua semen excernere possunt, immutatis semen deferentibus meatibus ea pars quoque simul immutatur, eaque immutata, vox præcipuè quidem in maribus commutatur, quod quibusdam τραγίζειν dicitur, cùm vox inæqualis efficitur. Quibus in locis Theodorus τραγίζειν vertit hircire: vertit tamen etiam aliquando caprire, vt annotauit Anutius Fœsius. B Alexander pubescentes pueros τραγίζειν scribit ob vocis asperitatem raucam, ab hircis ita vocem efferentibus producta verbi ratione. Siquidem naturam tunc corpora dissociantem, multam, repẽtinamque ætatis efficere rationem, augescentibus fœminarum vberibus, marium verò thorace, humeris, testibus. Cùm autem testes intumescunt, & vox immutatur, affectio ea τράγος dicitur, quamuis Hippocrati τράγος de testium tumore magis, quàm de vocis mutatione in venerem appetentibus, & iam semen apparantibus, dici videtur τράγος ὁκότερος ἂν φανῇ ἔξω: videndum enim monet, vter testis intumescat, & extra promineat; quod etiam Gal. his verbis innuere videtur ex interprete: Eadem quoque ratione vbi testis dexter plenior quidem fuerit, & prior in eo, quod τραγᾷν Grecis, Latinis hircire dicitur, intumuerit, mares facit, gracilior verò, & posterior intumescens, fœminas. Vbi τραγᾷν, inquit Anutius, de testium illa intumescentia dici videtur, cùm primùm ad coitum feruntur animantes, quod tamen non illic animaduertit interpres. Idem quoque Galenus ait: Testiculus dexter cùm altero imbecillior redditus fuerit, prior in eo affectu, qui Græcis τράγος dicitur, sinister eminet, indeque conijcere licet hoc animal fœminam procreaturum. C Non secus ac si is secundum naturam permanserit, dexterque prior in eo affectu, qui τράγος dicitur, attollatur, animal illud quantum in se est mares generaturum: etsi sanè ibi Galenus ἐν τῷ τραγᾷν vtramque affectionem, nimirum vocis mutationem, & testium tumorem coniungere videtur locum Hippocratis lib. 6. Epidem. Eodem certè pertinent, quæ ab Hippocrate dicta sunt, videndum vter testis promineat (qui affectus τράγος dicitur) si dexter, mas; si verò sinister, fœmina portenditur: cùm enim primùm partes genitales intumescunt, voxque quodammodo in asperiorem, & grauiorem mutatur, (id enim est τραγᾷν) tunc obseruare iubet Hippocrates, vtra partium sit robustior. Quæ enim prius intumescunt, & incremento abundant, eæ vtique robustiores existunt. Atque inde contingere arbitror, vt Alexander Aphrodisiensis hanc vocis immutationem non simpliciter τραγᾷν, aut τραγίζειν dixerit, sed βράγχει τραγᾷν, vt eam raucam vocis immutationem indicaret. Sunt, qui τράγον, & τραγίζειν apud Hippocratem dici velint de iuuenibus venerem expertis, eamq; hircina libidine appetentibus, tuncque hircum olentibus, quos hircosos, & hirquitallos antiqui, vt suprà ostendimus, dicebãt, vt τραγίζειν hirquitallire; sic enim Festo hirquitalli dicũtur pueri primùm ad virilitatem accedentes, sic ab hircorum libidine dicti. D Sunt qui τραγᾷν, siue τραγίζειν hircissare etiam vertunt, & hircum referre nimirum lasciuia, siue libidine, accipiturque etiam pro hircum olere, siue hircosum esse: vnde ὑπερτραγίζω, idest, supra modum hircum oleo. Dioscorides de Sampharitico nardo: ὑπερτραγίζοντα τῇ ὀσμῇ, hoc est, hircorum virus supra modum redolentem. Apud Theophrastum vites τραγᾷν dicuntur, quæ fructu carentes fronde luxuriant, & pauperiem fœtuum compensant vbertate foliorum: sic enim hoc vitium Palladius notat in Nouembri. Existimatur autem esse metaphora ab hircorum natura, qui cùm veneri dediti sunt, macriores sunt, & semine magis abundant: Vbi verò obesiores facti sunt, fiunt ad gignendum quoque tardiores, minusque fœcundi. Sicut nimirum soli vbertas vitibus est infœcunditatis causa, efficitque vt sine fructu luxurient, & minus se profundant, quod Aristoteles quoque indicat, nam cùm dixisset nonnullos nihil omninò seminis emittere, idque non præ imbecillitate, sed quia absumitur in corpus, vbi per habitum corporis bonum carnulenti, & pinguiores euaserint: ὅμοιον δὲ, inquit, καὶ τὸ περὶ τὰς τραγώσας ἀμπέλους πάθος, αἳ διὰ τὴν τροφὴν ἐξυβρίζουσι. ἐπεὶ καὶ οἱ τράγοι, πίονες ὄντες, ἧττον ὀχεύουσι. διὸ καὶ προλεπτύνουσιν αὐτοὺς, καὶ τὰς ἀμπέλους τραγᾷν (ἀπὸ τοῦ πάθους τῶν τράγων) καλοῦσι. Quæ Gaza sic vertit: Similis & vitibus affectio incidit, quæ nimia alimenti copia luxuriant, & hircire tantisper dicuntur: Nam & hirci pinguescentes minus seminis habent, quamobrém solent antè eos extenuare. Et vites hircire (ab ea ipsa

hirco-

Τραγίζειν quid.

Lib. 7. hist. anim. cap. 1.

Lib. 5. c. 7.

Lib. 7. Epidem. aphor. 25. sect. 4.

Lib. 2. de sem.

14. de vsu part.

Τραγᾷν quid.

Hirquitalli qui.

Τραγᾷν in vite qd.

Vitib. quid sterilitatis causa.

Lib. 1. de gener. anim. cap. 18.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

hircorum affectione) dixerunt: Et rurſus alibi ait: οἱ δὲ τράγοι, πίονες ὄντες, ἧττον γόνιμοί εἰσιν. ἀφ' ὧν καὶ τὰς ἀμπέλους, ὅταν μὴ φέρωσι, τραγᾷν καλοῦσιν. ideſt, eodem interpret. Hirci pingues minùs fœcundi ſunt, quorum argumento vites, quoties per nimiam alimenti copiam luxuriantes (quæ poſtrema verba græcus textus non habet) fructum non ferunt, hirceſcere ruſtici dicunt. Theophraſtus ἃς τραγώσας ἀμπέλους fructum non ferre ait, vbi tamen vulgatæ editiones mendosè τρυγώσας legunt: vbi τραγώσας ἀμπέλους. Idem alicubi ἐξ ὑπερβολῆς δέ, inquit, καὶ τὸ τραγᾷν τῆς ἀμπέλου, καὶ ὅσοις ἄλλοις ἀκαρπεῖν συμβαίνει διὰ τὴν εὐβλαστίαν; quod Gaza Plinium ſecutus ſic vertit. Articulatio quoque vitis nimietati prorſus tribuitur, & quęcunque fructificare nequeant, propter luxuriem germinis eodem proculdubio pertinent. Idem rurſus alibi: Ἡ δ' ἄμπελος τραγᾷ τοῦτο δὲ μάλιστα αὐτῆς ἐστὶ πρὸς τὸ ἀστροβολεῖσθαι. ἢ ὅταν ὑπὸ πνευμάτων βλαστοκοπηθῇ, ἢ ὅταν τῇ ἀργασίᾳ συμπάθῃ ἢ τρίτον ὕπτια τμηθῇ. Vertit ille: Vitis hirculatur quod eius præter ſyderationem potiſſimum eſt, aut cùm germina à flatibus fuerint abſciſa, aut cùm imperitia culturæ fuerint læſæ, aut tertium cùm in ſupinum fuerint, exciſa. Quæ cùm Theophraſtus eiſdem verbis repetat aliàs niſi quod pro συμπάθῃ, ibi legitur συντμηθῇ, pro τραγᾷν autem τρυγᾷν deprauatè ſcilicet, Gaza tamen vertit ſic: vitis autem articulatio venit, aut flatu ablatis germinibus, aut imperitia culturæ conciſis, aut tertiò in ſupinum exciſis: quia ſcilicet Plinio hoc vitis vitium articulationem vocari videret. Τραγάκανθα, quaſi hirci ſpina, quo modo Gaza apud Theophraſtum latinè tranſtulit, herba eſt ſpinoſa, ſiue, vt inquit Dioſcorides, quæ ſpinas albas robuſtas, rectas inter folia occultat. Aiunt ſpinarum earum barbulas nomen plantæ dediſſe: Cæterùm Marcellus Vergilius in vetuſtiſſimo Dioſcoride latino Longobardis literis ſcripto repertum à ſe ſcribit tragacantham compoſito nomine à Græcis nominatam, quoniam ſpinoſa, & tragio, quæ Cretæ peculiaris ſtirps eſt, congener, & ſimilis ſit. Officinæ ſimiliter tragacantham nuncupant, quo tamen nomine potiſſimùm gummi ex ea manans & ipſæ, & veteres intelligunt, licet ipſæ corruptè gummi dragaganthi dicant. In Gallo prouincia, potiſſimùm circa Maſſiliam ramebouc, ideſt, ſurculus hircinus nuncupatur, teſte Dalechampio. Τράγιον herba eſt, teſte Dioſcoride, in ſola Creta naſcens folijs & virgis lentiſco ſimile, ſed minoribus omnibus. Ferunt, inquit, ſagittis vulneratas ſylueſtres capras hoc ſibi frutice mederi, paſtiſq; eo decidere cuſpides; ſed mox apud eundem alterum tragium deſcribitur, quod & tragoceros dicatur, quod cum priore nihil, quàm nomen, commune videtur habere, cuius tamen alia videtur ratio: ſic enim dictum ait, quòd folia eius hirci odorem per autumnum ſpirent. Deſcribit autem hoc folijs ſcolopendrijs, & radice ſylueſtris raphani tenui, & candida, quam crudam, vel coctam à dyſentericis ſi edatur, prodeſſe aſſerit. Hoc nouiſſimum tragium nonnulli eſſe putant, teſte Dalechampio, & Bauhino, quæ vulgò lunaria minor, & lunaria botrytis, ſiue racemoſa nuncupatur: Conſtare enim ait Dalechampius folia eius grauiter olere inclinante æſtate, guſtu ſicca eſt, & admodum adſtringens: ipſe interim in appendice longè aliam exhibet, & ſic delineat: circa riuulos, & aquoſa loca nonnunquã & in montoſis frequens naſcitur tragium alterum Dioſcoridis radice longa, tenui, candida, ex qua prodeunt lignoſi tanquam ſurculi graciles digito non longiores è quibus conſurgũt folia multa, ſimul longa, quę rurſum multis foliolis à latere vtrimque diſpoſitis cinguntur, ſaxifragiæ rubræ trichomanis modo, paulo longioribus cuiuſmodi in aſpleno apparent, quæ lanuginoſa præſertim minora, quæ inter alia oriuntur. Flores huius plantæ iam primùm tunc temporis incipiebant apparere, ita vt nondum potuerit illos exactè cognoſcere. Flos violaceus, & fuſcus oui figura ſtipatus ſui & peculiaris pediculi faſtigio euehitur. Incolæ hanc plantam ſecudes appellant, quo nomine & Arabibus fuit cognita, præſertim Auicennæ, qui cap. 679. facultatem illi adſtringentem attribuit, & dyſentericis vtilem eſſe tradit. Hæc ille. Plinius alicubi tragium primum folijs, virgis, & ſemine iuniperoſimile facit, vbi etiam tragonin vocat, cùm tamen alibi inquiat: tragium fruticem ſola Creta inſula gignit, terebintho ſimilem & ſemine, quod contra ſagittarum ictus efficaciſſimum tradunt. Heſychius, & Varinus τραγεῖον vocant penultima circumflexa, & nihil quàm herbæ genus eſſe docuerunt Guilandinus, & Dodonæus in hiſtor. plant. gallica hoc tragium iudicarunt eam, quæ vulgò fraxinella à ſimilitudine foliorum cum fraxino, vulgò dictamnus albus ab officinis nuncupatur. Quorum ſententiæ libenter ſubſcriberem, ſi certò conſtaret, tragium hoc ad hircino odore nomen accepiſſe. Celebratur & tragonia à Plinio his verbis: Tragonia herba qualis ſit, nõ traditur: Credo & falſum eſſe promiſſum Democriti (portentoſum enim eſt) ad alligatam triduo abſumere lienes. Geſnerus hanc Plinij tragoniam, alterum Dioſcoridis tragium eſſe credit. De trago frumento, ſiue tritico ſuprà inter æquiuoca diximus. Aliud frumentum Saracenicum vocatur, quoniam ex Africa primùm delatum ſit, quod Germani inferiores bockvveit, ſiue buckvveit, ideſt, hirci, aut fagitriticũ appellant, unde græcè τραγόπυρον, & φηγώπυρον dixeris, latinè hircotriticũ, & fagotriticum: Peritiores eryſimum uolunt eſſe Theophraſti, Plinij uerò, Latinorumque irionem,

Lib. 5. gen. anim. c. 14.

Lib. 1. c. 5. de cauſ.

Gaza vertit vites quæ hirculãtur.

Lib. 5. c. 10. de cauſ.

4. hiſtor. plant. c. 16.

5. de cauſ. c. 13.

Lib. 17. cap. 24.

Τραγάκανθα.

Τράγιον quid.

Triticum hircinum quid.

E F G H

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A nem, cerealem nimirum, nam aliàs erysimum olus est, tragus verò ocymum, vel ocynum antiquorum esse putauit, quod seri consueuit pabulis pecorum, quia eo ita nutriantur, vt breui tempore hoc pastu mirum in modum saginentur, vt hinc fortè, dummodo benè sentit Tragus, ab hirco nomen inuenerit. Est & tragopopon, idest, hirci barba Theophrasto, & Dioscoridi breui caule, folijs croci, radice longa, dulci, magno super caulem calyce, è cuius summo semen nigrum depēdet, seu potius, vt ait Theophrastus, super caulem calyx amplus, de cuius summo vertice barba prolixa, incana dependet, vnde nomen accepit, notissima nobis duo eius genera, vnum flore luteo, alterum purpureo, quod rarius. Apud Plinium, vbi habet: *reliqua vulgarium in cibo apud eos herbarum nomina chondrylla, hypochoeris, caucalis, antriscum, scandix, quæ ab alijs tragopogon vocatur*; locus mancus est, legendum enim scandix, & quæ ab alijs tragopogon vocatur. Galenus ἀποτραγοπώγωνα ladanum exponit, quod ab hircorum barba, vt dictum est, colligatur, & Arabici scriptores multi, quod dignum est notatu; Ledum fruticem, ex quo ladanum colligitur, barbā hircinam vocant: sic Syluaticus: barba hircina, inquit, & rosa canina ab hircis appetuntur. Idem Alcheratip herbam hircinam interpretatur, & alibi lac de Sersi, herbam hircinam, vel hypoci-

Tragopogon herba quæ.

Lib. 21. cap. 15.

B sthidem, & Chrisomum linguam hircinam, centumneruiam. In veteri expositione uocabulorum Auicennæ alauim exponitur genus calaminthæ, & aliud quod calamintham hirci uocant. Est & inter orchides, idest, testiculos tragorchis dicta, idest, testiculus hirci ab odore, quo hircum florescens refert: Sed & flores in longa ueluti spira, & retorta desinentes hirsutiem tragi æmulantur. Tragoriganum, quasi hircinum origanum dicas, sic dictum, ut conijcit Dalechampius, quòd pabulo gratum sit hircis, ut onitis asinis, improbatq; eos, qui ab hircino fœtore sic dici uolunt. Gesnerus uerò arbitratur nomen hoc ab hircis ei impositum, quòd in cibo libidinem stimulet. Tragonaton legitur apud Dioscoridem de lychnide syluestri, ubi tragoceros etiam anemone, & aloe cognominantur. Item tragium alterum, quod Romani inde facto nomine cornulacam appellasse uidentur, quamuis in historia eius nulla cornuum similitudo, sed odor tantùm hircino similis exprimitur. Andreas Matthiolus à quibusdam saxifragiam hircinam uocari scribit, herbam pimpinellæ similem propter odorem radicis, Germani, teste Gesnero, hanc pimpinellam uocant, nos etiam pimpinellā Romanam, quidam pimpinellam hircinā. Quærendū nunquid sit natrix Plinij, herba uidelicet, cuius radix euulsa uirus hirci redolet, ut ipse testatur. Aristophanes κοτινοτράγα,

Tragoriganum cur sic dictum.

C κριθοτράγα, quod oleastri baccis, & hordeo uescantur vocat aues, nimirū ἀπὸ τοῦ τραγεῖν, quod est edere. Τραγοπανάδα autem quam plures affirmant, maiorem aquila, cornua in temporibus incuruata habentem, ferruginei coloris, tantùm capite phœnicis Plinius fabulosam putat. Scio tamen nostra tempestate auem aquilina ferè magnitudine in aere uisam, quæ cornu in naso gerat, quæ fortè rhinoceros auis fuerit, cuius iconem suo loco exhibui, nec aliam intellexerit forte Solinus Aethiopicam quandam auem capite arietinis cornibus armato tragopam dici asserens, sed & Pomponius Mela eiusmodi aues, quæ cornibus insigniuntur tragopamenos appellauit: Est item quæ Plinio trago uocatur, & ex Hylę authoritate à cauda de ouo exire scribitur. Robertus Constantinus loxiam esse conijcit, quam Germani à rostri obliquitate krutzuogel, quasi cruciatam uocant, & à uoracitate ita dici. Iam uerò ab hirci similitudine, & cerui nomen tragelaphi factum est, de quo suo loco. Bezoar, siue bezar, & magis corruptè bazar, ut Indi appellant, propriè pazar, vocatur, à pazan. i. hirco, cum Arabibus tū Persis, & Corasonæ incolis, ut scribit Garzias ab horto; sed de hoc etiam suo loco. Αντίτραγος quæ auris pars sit, suprà dictum est in synonymis.

In auibus.

Lib. 10. cap. 49.

Tragœdia, unde sit dicta diuersimodè traditur: Martinus Antonius Delrius in prolegomenis in

D Senecæ tragædias diuersorum super hac re sententias collegit. Tragœdia, inquit, prius τρυγωδία appellata, vel quod in Attica vindemialibus inuenta sit κατὰ τὸν τῆς τρύγης καιρὸν, inquit Athenæus, olim namq; τρὺξ vinum recens dicebatur, & vindemia τρυγητὸς, & apud Atticos Liberi patris cantoribus, Liberalibus, pro corollario vinum dabatur, cuius rei Diomedes lib. 3. Lucilium laudat authorem. Primi verò illi Tragici nihil præter Dithyrambos canebant, vnde mihi videtur Aristophanes falsè Euripidis tragœdiam τρυγωδίαν nominasse, quasi parum sobrij authoris fabulam. Tragædiam tamen alij dici volunt quasi τραχεῖαν ᾠδὰν ab aspero, & graui sono, qualis est elephantorum barritus, qui non sonant λεπτὸν, sed (vt Plutarchus in Pyrrho) φοβερὰν καὶ τραχεῖαν vocem edunt, vt suspicer apud Lucianum in Zeuxide mendosè illis stridorem tribui, & pro τετρυγότων dicendum τραχυτήτων. Non desunt, qui ab hirco nomen ducunt, qui τράγος Græcis: vel quod ille Bacchi hostia Virgilio, Ouidio, cæterisque, & tragœdia in initio solas Bacchi laudes cōtinebat; Vel potiùs à pręmio tragœdorum, quod hircum fuisse censent Seruius in Eclogas, & Donatus in Terentium, & Horatius ad Pisones.

Tragœdia vnde sit dicta.

Lib. 2.

In Acharnens.

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

Aut sanè vter musto plenus si Diomedi, & Thomæ Mag. credimus, qui priscæ vocis τρυγωδίας analo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

analogiam reddunt. Significat etiam τρὺξ vini fecem, & quia olim perunćti fecibus ora tragœdi E recitabant, putabant nonnulli nominis cauſam inde profluxiſſe. Præterea Ariſtophanes hos actores τρυγοδαίμονας vocat, quia inquit Scholiaſtes τὴν τρύγα χριόμενοι, ἵνα μὴ γνώριμοι γένωνται, ἔτω τὰ αὐτῶν ἦδον ποιήματα κατὰ τὰς ὁδὲς ἁμάξαις ἐπικαθημενοι, ideſt, quia ſe fecibus oblinunt, vt non dignoſcantur, cùm poemata ſua in vijs recitant plauſtris ſuperſtantes. Quod expreſſit Horatius:

In nubib.

Ignotum tragicæ genus inueniſſe Camænæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque perunćti fecibus ora.

Addit & alias nominis notationes Etymologiſtes, quæ minus placent: dićtam, quod chori tragici tetragoni formam obtinerent: quod choris ad voluptatem ſpećtantium Satyri adhibebantur, qui τράγοι dićti, vel illudendi, & conuiciandi cauſa, vel propter hirſutum, & ſetoſum corpus, vel hircinum in morem ad res venereas propenſionem; quod denique perſonarum, quæ chorum agebant, capilli caprorum inſtar erigerentur. Tantum Delrius. Inuenio etiam qui tragœdiam ab hirco deflećtunt non hircum animal, ſed vtrem hirci muſto refertum præmium fuiſſe contendentes, eoq; F alluſiſſe volunt Virgilium, dum inquit:

Mollibus in pratis vnćtos ſaliere per vtres.

Nimirum exhauſtos vino vtres poſtea inflaſſe, atque per eos ſaltitaſſe Athenis in feſtis Bacchi, quæ ἀσκωλία dicebantur, vnde ἀσκωλιάζω eſt per vtres altero pede ſalto. Cohircinationem concinnè Apuleius dixit extremam laſciuiam; *Quæ tamen omnia in paucis annis ita hic degulator ſtudioſè in ventrem condidit, & omnimodis cohircinationibus dilapidauit.* De eriphia herba ab eripho, ideſt, hœdo dićta ſic Plinius: Eriphiam multi prodidere. Scarabæum hæc in auena habet ſurſum deorſum decurrentem cum ſono hœdi, vnde & nomen accepit. Hac ad vocem nihil præſtantius eſſe tradunt. Videntur ſanè magi hoc ex ea ad vocem remedium commenti, quod vocalis, aut ſonorus potiùs in ea ſcarabæus, ſi credere libet, diſcurrat. Ruellius verò tanquam ex eodem Plinio: Eriphia, inquit, ſeptem lanuginoſis ramulis apij modo foliatur, purpureo flore, & eo quidem perenni, ſemine fabaceo, totidem radiculis, quot ramis; Et mox: Vidimus, inquit, in editiſſimis montibus inter ſaxa herbam apij folijs, ramoſam, leui lanugine pubeſcentem, purpureo flore adhuc exitu autumni, & per hyemis initium emicante, ſemine fabaceo, ramulis pluribus G foliatis, rubentibus, radice craſſa, longa, ſed non animaduerti, ſi tot radiculis fibrata eſſet, quod eſt, ramulis brachiata, eam tamen crediderim ranunculi genus eſſe, quod flore purpureo à Dioſcoride notatur. Ego apud Plinium non alia de eriphia quàm quæ citaui, verba reperio.

In Apolog.
Eriphia herba.

PHYSIOGNOMONICA.

Stupiditatis ſigna phyſiognomonica.
Lib. 5. de gener. anim.

QVORVM vox acuta eſt, & clamoſa μάργοι, ideſt, ſtupidi ſunt, inquit Ariſtoteles, propter ſimilem caprarum vocem; item quorum oculi ſunt οἴνωποι, & ἀναφέρονται ἐπὶ τὰς αἶγας, referuntur ad capras, vt vertit Gaza. Quid ſi pro οἴνωποι, inquit Geſnerus, legas αἰγωποὶ, nam ægopos oculos, inquit Cælius, ſubglaucos aliqui intelligunt, & caprinos, & Ariſtoteles ipſe aliàs: oculi, inquit, quorundam animalium toto genere ſunt, aut cæſij, nonnullorum caprini, vt caprarij generis, ſic enim Gaza reddit H hæc verba græca: Τῶν δὲ χαροπὸν ὅλον τὸ γένος, ἢ γλαυκὸν, ἔνια δὲ αἰγωπὰ, καθάπερ τὸ τῶν αἰγῶν αὐτὸ πλῆθος. Nec moueor quod latinus interpres barbarus legit οἰνωποὶ, tranſtulit enim, quibus in cœno vino colore ſimiles ſunt. Apud Adamantium nihil reperio, quod huc faciat. Scio οἰνωπὸν in expoſu colorum eſſe, nam & οἴνοπα πόντον, & οἴνοπας βόας poetæ dicunt, Grammarici nigrum exponunt, & bubus oculos nigros eſſe Ariſtoteles loco iam citato ſcribit. Vinea vrina (vt Actuarij interpres reddit, nec dubito quin græcè οἰνωπὸν legatur) hepatis colore exiſtit, aut vini, paulo quàm rubrum eſt nigrioris, quale vel exiguum plurimæ aquæ mixtum adhuc rubicundo colore ſpećtatur. Vineo paſſeus intenſior eſt, maximè ſimilis paſſo, quod ex vua nigra conficit: Huiuſmodi etiam ceraſi frućtus color eſt; Sed de nigris oculis Ariſtoteles proximè dixerat, & nigricantes colores nó conueniunt capræ, cum ad lucem noćtu ad fundendam minimè idonei ſint. Haćtenus Geſnerus. Quod ſi verò pro οἰνωποὶ legamus αἰγωποὶ, manifeſtiſſima apparebit contradićtio in philoſopho, qui alias clariſſimis verbis agens de varietate oculorum in quibuſdam animalibus habet ſic: Ὀφθαλμῦ τὸ μὲν λευκὸν, ὅμοιον, ὡς ἐπιτοπολὺ, πᾶσι. τὸ δὲ καλύμενον μέλαν, διαφέρει. τοῖς γὰρ ἐςι μέλαν, τοῖς δὲ σφοδρα γλαυκὸν, τοῖς δὲ χαροπὸν, ἐνίοις δὲ αἰγωπὸν. Τῦτο ἦθυς βελτίςυ σημεῖον, καὶ πρὸς ὀξύτητα ὄψεως κράτιςον, hoc eſt, interprete Theodoro, candidum oculi magna ex parte ſimile

A le est in omnibus, at quod nigrum dicitur, variat, alijs enim atrum, alijs admodum cæsium, alijs fuluum, alijs caprinum, quod morum optimorum indicium est, & ad cernendi claritatem primatum obtinet: nisi dicamus eos caprinos mores referre, hoc est, stolidis similes esse, qui integros oculos caprinis similes habent: contrà verò, qui nigrum oculi peculiariter caprino simile habent, optimè cernere, & bonorum esse morum. Idem Aristoteles, qui hirsuta crura habent libidinosos esse scribit instar hircorum; & apud Adamantium legimus τράγῳ ἐπιφαίνεται τὸ μάργον, idest, hirco indicatur stultitia. *Libidinis physiognomonicon.*

PROVERBIA.

B AIΞ Μάχαιραν, seu potius, ut in omniũ Græcorum lexicis habetur, αἲξ ἑαυτῇ τὴν μάχαιραν, idest, capra gladium, subaudi reperit. Conuenit in eos, qui ipsi reperiunt, quo pereant. Ortum autem esse adagium aiunt ab eiusmodi quodam euentu. Olim cùm Corinthij Iunoni Acrææ, cuius ędem à Medea structam aiunt, rem diuinam facere pararent, atque hi, qui ad præbendam hostiam erant conducti, defosso sub terram cultro oblitos sese assimilarent, capra pedibus exscalpens, prodidit, itaq; mactata est. Quidam adagium sic efferunt, αἲξ δοῦσα τὴν μάχαιραν, idest, capra cultrum præbens: Quidam hoc pacto ὄις τὴν μάχαιραν. Similiter cùm quis sibi ipse author est mali, dici solet ἡ αἲξ καθ᾽ ἑαυτῆς τὰ κέρατα, idest, capra contra se cornua. Desumptum adagium est ex apologo quodam, vbi capra quæpiam dicitur, cùm esset iaculo vulnerata, circumspectans vndenam id mali sibi euenisset, armum contemplans caprinis cornibus compactum dixisse, κατ᾽ ἐμαυτῆς ἔφυσα τὰ κέρατα, idest, in meam ipsius perniciem produxi cornua, sed & hoc: αἲξ εἰς τὴν ἑορτήν, idest, capra ad festum, dici potest, vbi quis commodè in suam perniciem offert sese: Nam in festis, maximè Bacchi capram immolabant, aut vbi quis in tempore ad negotium aliquod accederet. *In agro surculario capras.* Deflecti potest ad eos, qui noxiarum rerum admixtu corrumpunt teneram ætatem. Desumptum ex Varrone, qui hoc dictum veluti legẽ agricolarum affert: Colonus in agro surculario ne capras compascat. Αἰγῶν ὀνόματα. Prouerbium affertur de re friuola, & inutili: nam cùm similes inter se capræ sint, stultè operam collocat, qui illis nomina, quibus dignoscantur, imponit, quippe cùm ista creari soleant in differentibus speciẽ discriminis gratia, quod in caprarum genere nullum est, aut exiguum admodum. Eum ergo qui similium rerum colluuiem congerit, caprarum nomina recensere dictitabimus. Refertur in Suidæ collectaneis. Sed quod capræ non differant, falsum est; color enim non omnibus idem & alia quædam diuersa habent. *De lana caprina*, ex Horatio:

Capra cultrum.

Capra contra se cornua.

Capra ad festum.

In agro surculario capras.

Caprarum nomina recensere.

Alter rixatur de lana sæpe caprina,
Propugnat nugis armatus.

de re inutili, & minimi momenti. οὐ δύναμαι τὴν αἶγα φέρειν, ἐπιτίθετέ μοι βοῦν. idest, capram portare non possum, imponite mihi bouem. Vbi quis quod leuius est recusat, & quod multo sit intolerabilius, imponi sibi postulat. Veluti siquis impatiẽtia paupertatis vsuris inuoluat sese, quod onus vix diuitibus sit tolerabile. Α᾽ἲξ οὔπω τέτοκεν, ἔριφος δὲ ἐπὶ δώματα παίζει, idest, capra nondum peperit, hœdus autem ludit in tectis. In illos, qui postrema perfectaque aggrediuntur, præteritis ijs, quæ præcessisse oportuit, aut qui gloriantur iam assecutos sese, cuius ne fundamenta quidem sint iacta: aut qui rem agunt præposterè. Prius enim est peperisse, quàm vt hœdus ludat in tectis; Refertur a Zenodoto. τῆς μητέρος ὡς αἲξ καλεῖται, idest, matris vt capra dicitur. In spurios dici videtur quorum pater incertus est, eaque gratia à matre denominantur: ductum ab hœdis, qui in capribus a matre dignoscuntur, nam à patribus haudquaquam possis. Manet etiam hodie vulgi iocus apud Germanos, quo dicunt sapientem esse filium, qui patrem suum norit. Hoc ab Homero manasse videtur, apud quem Telemachus rogatus, num Vlyssis esset filius, respondet ad hunc modum:

Μήτηρ μέν τ᾽ ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ οἶδ᾽, οὐ γάρ τοί τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω. idest,
Esse quidem illius mater me ait, ast ego sane
Nescio, nemo suum patrem vnquam nouerit ipse.

Κἂν αἲξ δάκῃ ἄνδρα πονηρόν, idest, vel capram mordeat nocentem: capra minimè alioqui mordax est, sed improbis omnia sunt infesta: reperitur in collectaneis Diogeniani: Simile est cum eo, *vtrũ improbum vel mus mordeat*, & vtroque significatur, quacunque ratione vindictam non deesse malis, sed eo aliquo pacto meritas dare pœnas. Competunt in eos, qui de re quantumuis friuola rixam mouent, seque læsos quæruntur, & offensos simulant, ne quid dent. Αἲξ σκυρία, capra Scyria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ria. Zenodotus huius prouerbij Chryſippum citat tum authorem, tum interpretem. Conuenit in E
eos, qui beneficium maleficio corrumpunt, aut qui virtutes adiunctis vitijs contaminant, atque
obſcurant, quive rectè inſtituta non rectè finiunt, veluti capra Scyria, quæ cùm fera ſit, mulctrū,
quod lacte impleuerat, ipſa rurſus euertit, atque hoc modo beneficium, quod dederat, eadem per-
didit. Alij putant dici in eos, vnde plurimum emolumenti capitur, propterea quod eius regionis
Dic de trib. capellis. capræ maximam lactis vim reddere dicantur, vt ſuprà nos iudicauimus. *Dic de tribus capellis*: In
eum videtur ſeu prouerbio torqueri poſſe, qui multa extra cauſam, quæ ſunt, & ad rem nihil atti-
Immunes capræ ab ara tris. nent, dicit. Deſumptum ex hiſtoria, quam Martialis lepidiſſimo epigrammate refert, quod nos
modò ſuo loco recitauimus. Ἐλεύθεραι αἶγες ἀρότρων, ideſt, immunes capræ ab aratris. Hemi-
ſtichium heroici carminis prouerbiale dictum olim ab ijs, qui ſe ab onere quopiam, aut moleſtia
liberatos glorientur. Veluti ſi quis paraſitus iactet facilitatem ſuam, quòd ad Reip. munia non
vocetur, cùm ad nullam honeſtam functionem ſit appoſitus: author eſt Zenodotus. Αἶγα τὴν ὀρα-
νίαν ἐπιτέλλουσαν ἐθεάσαντο, ideſt, capram cæleſtem exorientem aſpexerunt. Hoc dici ſolitum in
eos, quibus omnia feliciter, exq; animi ſententia ſuccederent, propterea quòd antiquitus opinio- F
ne vulgi comprobatum eſt, qui capram illam Iouis altricem, & ob id in ſiderum relatam numerū
conſpexiſſent, quicquid votis conciperent, eius cōpotes futuros. Similiter cùm affatim omnia ſu-
pereſſe ſignificamus, Ἀμαλθείας κέρας i. copiæ cornu dicimus, translatū & hoc ex peruetuſta fa-
Copia cornu. bula, quæ variè apud authores narratur, vt ſupra indicatum eſt in fabuloſis. Iſtiuſmodi titulum
Phocion quidam peripateticus libro ſuo indidit, vt teſtatur Aulus Gellius. Plinius item oſtendit
Græcos aliquot hanc inſcriptionem nimis arrogantem ſuis commentarijs impoſuiſſe tanquam
nihil in eis non contineretur, & quiduis inde peti, atque accipi poſſit. Lucianus de mercede ſer-
uientibus: Καὶ ἕξεις τοὺς Ἀμαλθείας κέρας, καὶ ἀμέλξεις ὀρνίθων γάλα, ideſt, & habebis copiæ cor-
nu, & lac gallinaceum emulgebis. Philoſtratus Dionem Sophiſtam appellat ἀμαλθείας κέρας,
velut omni genere virtutum expolitum. Plautinus quidam ſeruus epiſtolam quandam copię cor-
nu vocat, quod plurimum ex ea commodorum capi poſſet. Aulus Gellius: Et ſimul dat mihi li-
Lib. 14. c. 6. brum volumine, doctrinis omnigenis, vt ipſe dicebat, præſcarentem. Accipio cupidus, & lubens
tanquam ſi copiæ cornu nactus eſſem. Apud Athenæum Philoxenus ſecundam menſam varijs G
cupedijs inſtructam copiæ cornu vocat: citatur à Suida carmen huiuſmodi.

Ἔνθ' ἵνα μοι βίος ἐστὶν ἀμαλθείας κέρας αἰγός. ideſt,

Capra vbi Amalthea præbet mihi pabula cornu.

Capra cæleſtis. Effertur adagium hoc quoque pacto αἲξ οὐρανία, vel οὐράνιος, ideſt, capra cæleſtis. Comœdia vetus
notat Polyagrum quendam (vide inter cognominata) vxorem ad quæſtum proſtituentem, quam
cæleſtem capram vocat, ob immenſum quæſtum, vt teſtatur Plutarchus in comm. de audiendis
poetis. Εὐδαίμων Πολύαγρος οὐράνιον αἶγα πλουτοφόρον τρέφων, ideſt, fortunatus Polyager (ideſt,
multorum agrorum poſſeſſor) cæleſtem capram opes adferētem alens. Idem alibi aduerſus Stoi-
cos ὁ δὲ τὴν στοϊκὴν λαβὼν ἀμαλθείαν, ideſt, at qui Stoicam acceperit amaltheam: irridens parado-
xa Stoicorum, qui ſuo ſapienti tribuunt vniuerſa, diuitias, libertatem, ſanitatem, regnum. Hæc
itaque ex authore adagiorum. Heſychius verò, & Varinus, capram cæleſtem interpretantur can-
didæ fabæ genera, qua calculos, & ſuffragia ferebant. Conſimiliter Suidas, & inſuper, Cratinus
inquit, eos, qui munera accipiunt, ab ijs nutriri ait, vt Iupiter ab amalthea capra nutritus eſt. Alij
res illas, ex quibus magna lucri, & pecuniæ augendæ occaſio ſit, ita nominant. Aliàs verò, rurſus
inquit, capra cæleſtis de illo, qui, quæ cupit, conſequitur omnia: ferunt enim Iouis capram inter
ſidera locatam, qui primus orientem aſpexerit per omnia voti compotem futurum. Citatur ab H
Odyſſ. 9. Euſtathio parœmia heroici verſus lege aſtricta eiuſmodi:

Capra anni- cula pera. Αἰγὸς ἐπὶ πρητῦνος ἐρυθροῦ πήρη ἀρίστη. ideſt,

Anniculæ capræ ruffæ pera optima fertur.

Videtur autem conficta ad commendationem puellaris ętatis; ſunt enim πρητῦνες anniculi agni,
vt exponit Heſychius. Vſus eius accommodabitur, ſi quando eundem iuuenem præclaræ ſpei, &
modeſtum laudabimus, qui poſtea ſenij vitio moroſior redditus, intolerabilis euaſit. ἡ αἲξ τὸ κινά-
Capra cinna momum. μωμον, ideſt, capra cinnamomum, videlicet ſequitur, aut amat. Euſtathius dici teſtatur in eos, qui
rem quampiam impensè amant, & feruidè depereunt. Cinnamomum ſurculus eſt Arabicus mi-
ræ fragrantiæ viti non diſſimilis, qui naribus admotus odoris gratia, voluptatis plena lachrymas
etiam inuitis elicit, vt ex Porphyrio annotat ille in Dionyſij Afri commentarijs, adamaturque
Lib. 3. de vi- ta Apollonij. vehementer ab indigenis capris. Philoſtratus originem adagij docet, cùm namque oſtendat ca-
pram documentum præbere bonitatis cinnamomi, ita ſubiungit: Si quis capræ porrigat cinna-
momi ſurculum, ea catuli inſtar admurmurat, abeuntemque ſequitur, naribus quantum poteſt
admotis, atque adeo repulſa non aliter quàm ſi pabulum denegatum foret, quiritatur. αἰπόλος ἐν
χαύματι,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A καύμαπ, idest, caprarius in æstu. De intempestiua libidine, vt & illud, *Lydus in meridie*. Nam hisoris, caprarij dum seductis gregibus in vmbra latitant, lasciuire soliti scribuntur. Zenodotus vtrumque refert adagium, & item Suidas. Poterit ad quamuis voluptatem accommodari, non in tempore adhibitam. *Bubulcus antea, nunc caprarius*; ex Idylio primo Theocriti:

Caprarius in æstu.

Bubulcus antè, nunc caprarius.

Βώτας μὲν ἔλεγεν, νῦν δ' αἰπόλῳ ἀνδρὶ ἔοικας. idest,

Caprigeni gregis es ductor, paulò antè bubulcus.

De ijs, qui in peius degenerant, ab equis quod dicitur ad asinos, vel qui personam sustinere nequeunt, aut tueri, quam præ se ferunt, vel qui placidos mores in asperos cõmutant, humani prius, & mites, nunc crudeles, & efferati. Natum videtur à boum, & caprarum ingenio, quod processu temporis bubulci, caprarijque in consuetudinem rapiunt, animantiumque istorum mores imitantur. Boues vt sunt placidi, & mansueto ingenio, ita & eorum magistri: Contra caprarij salacitate & intractabili feritate capras æmulari creduntur contagione in naturam abeunte. Αἰγὶς ἔρχεται, idest, Aegis venit. Suidas indicat prouerbio dici solitum de ijs, qui petulanter, & impudenter agerent, refertque ex Pherecrate, ὄιμοι κακοδαίμων αἰγὶς ἔρχεται. Aegis autem Græcis va-
B ria significat, pelliceum tegmen, quod gestant Afri; præterea maris intumescentis vndas, & procellas ventorum, idque lingua Dorica, vnde ἐπαιγίζειν reperitur pro vehementer flare. Alij malunt esse, quid è coronis contextum; aut rete ex corona menthæ contextum: sic aiũt vsurpatũ apud Herodotum, & apud Lycurgum. Nec desunt, qui putent significare Sacerdotem, quæ Athenis solita sit ferre sacram Aegidem, eaque ingredi ad eos, qui nuper duxissent vxores. Apparet in huiusmodi sacris multum fuisse licentiæ. Καρικὸς τράγος, idest, Caricus hircus. Diogenianus indicat dictitatum de vilibus & contemptis. Hesychius indicat vsurpatum à Sophocle. Fieri potest, vt prouerbium eò respiciat, quod Cares pro hirco solent immolare canẽ, vt indicatum est in prouerbio Caricum sacrificium. Ο' Θμυΐτων τράγος, idest, Thmuitarum hircus, de mulieroso homine, in quem adhinniunt quodammodo scorta, ad vnius nutum parata: D. Clemens in Protreptico loquens de Apolline nobili insessore, qui amicas multas habuerit, ἐνεπίμπλατο γοῦν, inquit, γυναικῶν ἀκ ἧττον ἢ αἰγῶν ὁ Θμυΐτῶν τράγος, idest, mulierculis ad satietatem se expleuit, non paucioribus, quàm capris Thmuitarum hircus. Est autem Thmuis oppidum Aegypti, Stephano te-
C ste. Nemini verò dubium est, singula Aegypti oppida peculiaria olim habuisse numina, alia quibus diuinos faciebant honores, Tentyritæ accipitrem, Combitæ crocodilum, lupum Lycopolitani, canem Bubastij, ouem Saitæ, capram & hircum Mendesij, hircum Thmuitæ colebãt, cui vt verisimile est, capras votiuas victimas & donaria sacra offerebant affatim: Itaque ganeonem insignẽ aut notæ famę mœchum pluribus abundare fœminis dicemus, quàm olim capris Thmuitarum hircus. Γραῦς καπρῶσα, idest Anus hircissans, de anu adhuc intempestiua libidine pruriente, & vt ait Plautus, catulliente. Aristophanes in Pluto: Α'λλ' ἠπίσατο γραὸς καπρώσης τὰ φόδια κατεσθίειν, idest, verùm nouerat anus caprissantis vorare viatica: de iuuene, cui anus libidinosa omnia subpeditabat. Author adagiorum parœmiam ab hircorum libidine odoreque desumptum arbitratus, eo quo posui, modo vertit: sed imposuit ei vocum similitudo, vt κάπρον Græcorum, quibus ea vox aprum & suem marem significat, pro latinorum capro, idest, hirco, vt aliàs etiam monuimus, transferret. Καπρᾶν scropharum est, cùm libidine turgent, & mares requirunt, vt in ipsarum historia clarè constabit. Quamobrem anus subans, nõ hircissans reddendum ab eo fuerat. Γραῦς ἀναθυᾷ. Idem reddit: Anus hircum redolet, aitque dici de vetula libidinante, propterea quod alarum & reliquarum partium odor excitatur ad libidinem in-
D census: cæterùm mirari subit, cur nullum huius prouerbij authorem citet, neque à quo Gręcorum id decerpserit, indicet; quod ideo desidero, (inquit Gesnerus) quoniam ἀναθυᾷ uox deprauata mihi uidetur. Ego nihil hircinum in ea uideo, sed ἀναθύει legendum assero, ut sensus sit, Anus iuueniliter ludit, aut saltat: in quem sensum & hæc proferuntur, Γραῦς βακχεύει, Γραῦς χορεύει; Anus bacchatur, Anus saltat. Suidas ἀναθύειν exponit rem diu intermissam repetere, & Pherecratis uersum adducit.

Aegis venit.

Caricus hircus.

Thmuis oppidum.

Aegyptijs quanta varietas Deorum pro locorum varietate.

Anus hircissans.

Πάλιν αὖθις ἀναθύουσιν αἱ γεραίτεραι,

idest, Anus denuò iuueniles repetunt mores. Varinus addit (ex Hesychio) ἀναθύειν τὸ ἀνασκιρτᾶν, καὶ αὖθις ἐξ ἀρχῆς ἀνανεάζειν: & rursus paulò pòst; Αναθύειν, ἀναιρεῖν παραβαίνειν: quæ quidẽ interpretationes omnes, præterquàm τὸ ἀναιρεῖν, idest, occidere, ad prouerbij sensum congruunt. Αναθυήσασα etiam apud Hesychium ἀνασκιρτήσασα exponitur. Adagiorum author mihi deceptus uidetur, tanquam ἀναθυᾶν, pro ἀναθυμιᾶν acceperit, quod uerbum tamen ad hircinum, & foetidum odorem referri non potest, sed ad suauem & gratum, qualis aromatum est: Adde quod transitiuum semper est, vt suffire latinis. Hæc itaque Gesnerus. Τὸν τράγον ἀμέλγειν, idest, hir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

cum mulgere. De re palam abſurda, & in audentes, tentanteſque irrita, & nunquam ſucceſſura. E
Vtitur eo Virgilius, dum canit:

Hircũ mulgere. *Eclog. 3.*

Qui Bauium non odit, amat tua carmina Maui,
Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

Lucianus in Demonacte in vita eius narrat, quòd cùm deſpiceret quoſdam philoſophos, vtroſque pariter indoctos inter ſe diſceptantes, & alterum quidem ridiculas quæſtiones proponentem, alterum item aliena, neque quicquam ad rem facientia reſpondentem; Quid inquit, amici? an non horum alter hircum mulgere videtur, alter cribrum ſupponere? Refertur à Diogeniano his verbis: Πότερον ὁ τὸν τράγον ἀμέλγων, ἢ ὁ τὸν κόσκινον ὑποτιθεὶς, ἀφρονέςερος; Vtrum ſtultior, qui hircũ mulget, an qui cribrum ſupponit, cùm vterq; abſurdè facit? Γραῦς ἔριφος, ideſt, anus hœdus. Apollodorus apud Zenodotum ait anum quandam fuiſſe, quæ dicta ſit Eripha (Eriphia potius) quod in virginitate conſenuiſſet, perinde quaſi eadem & anus eſſet per ætatem, & puella, quòd adhuc innupta. Sunt qui tradant locuſtam agreſtem à nonnullis Μάντιν appellatam in Sicilia γραῦν ἔριφον appellari. Aiunt autem quodcunque animal aſpexiſſet, illi mali quidpiam accidere. Proinde in mulierem veneficam, & faſcinatricem quadrare videtur, quod genus apud Horatium Canidia. Similiter Heſychius, & Varinus prouerbium recenſent, ſed Suidas habet γραῦς σέριφος. Et rurſus ἐν τῷ σέριφος repetit prouerbium. Prouerbialiter etiam à Virgilio dictum: F

Eclog. 1.

Sic canibus catulos ſimules, ſic matris hœdos
Noram.

Cap. 16.

Cuius authoritate Columella: nihil, inquit, dubium quin ipſa natura ſobolem matri ſimilem eſſe voluerit, & in hanc ſententiam Ezechiel propheta ait: *Sic enim mater, ſic & filia eius.* Quo loco gloſſa adducit vulgarem hunc verſum:

Inſequitur leniter filia matris iter.

Coquere hędum in lacte matris quis dicatur.

Coquere hœdum in lacte matris, ille prouerbio dicetur, inquit Polydorus Virgilius, qui crudelitatẽ crudelitati addiderit, vt puta ſi filium ante ora parentum morte mactarit, vt ſæpe fecere tyranni. Quare Moyſes, vt Deuteron. 14. eſt, id etiam in mutis animalibus fieri prohibuit: Nam inhumanum videtur ab vberibus capræ hœdum ad cædem rapere, & mox in lacte eiuſdem coquere. Modus eſt magis loquendi, quàm quòd vſus ita coquendi carnes apud veteres fuerit. G

VSVS IN SACRIFICIIS Gentium.

Victima vel per ſimilitudinem, vel per contrarietatẽ fiũt. *Lib 1. c. 2. de re ruſt.* *Baccho hirci immolantur.* *2. Georg.*

VICTIMÆ, inquit Seruius, numinibus aut per ſimilitudinem, aut per contrarietatem immolantur: per ſimilitudinem, vt nigrum pecus Plutoni; per cõtrarietatem, vt porca, quę obeſt frugibus, Cereri; & caper, qui obeſt vitibus, Libero: Sed & Varro hoc etiam teſtatus eſt his verbis: *Quædam pecudes culturæ ſunt inimica, ac veneno, vt iſtæ, quas dixiſti, capræ, eæ enim omnia nouella ſata carpedo corrumpunt, nõ minimum vites, atq; oleas*; Itaq; propterea inſtitutum diuerſa de cauſa, vt ex caprino genere ad alius Dei aram hoſtia adduceretur, ad alius nõ ſacrificaretur: Cùm ab eodẽ odio alter videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sic factum vt Libero patri repertori vitis hirci immolarentur, proinde vt capite darent pęnas: contrà vt Mineruæ caprini generis nihil immolaretur, propter oleam, quòd eam, quam læſerit, fieri dicunt ſterilem, eius enim ſaliuam eſſe fructui venenum. H
Tetigit eandem cauſam Maro præcepta tradens ad vineas tutandas:

Frigora nec tantùm cana concreta pruina,
Aut grauis incumbens ſcopulis arentibus æſtas
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, & admorſa ſignata in ſtirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi
Præmiaque ingentes pagos & compita circum
Theſeidæ poſuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis vnctos ſaliere per vtres.
Nec non Auſonij Troia gens miſſa, coloni
Verſibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto:

Oraque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Oraque corticibus sumunt horrenda cauatis,
Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu;
Complentur vallesque caua, saltusque profundi,
Et quocunque Deus circum caput egit honestum.
Ergo ritè suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patrijs, lancesque & liba feremus.
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Similiter Ouidius inquit: *Fastor. 1.*

Prima Ceres auidè gauisa est sanguine porcæ
Vlta suas merita cæde nocentis opes.
B *Nam sata vere nouo teneris lactentia succis*
Eruta setigeræ comperit ore suis.
Sus dederat pœnas exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem
Talia non tacito dicta dolore refert.
Rode caper vitem, tamen hinc cùm stabis ad aram
In tua quod spargi cornua possit, erit.
Verba fides sequitur, noxa tibi deditus hostis
Spargitur effuso cornua Bacche mero.
Culpa sui nocuit, nocuit quoque culpa capellæ.
Quid bos, quid placidæ commeruistis oues?

Et aliàs:

Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur vltoris, &c.

C Simile est hoc Εὐνήνε εἰς ἀντα πέδοσιν, hoc est, in retributionem:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι τράγε θυομένῳ.

Thomas Venatorius apud Obsopæum hos versus sic transtulit:

Me rodes licet hirce, tamen cùm victima ad aras
Percutiendus eris, vina ego sufficiam.

Idem argumentum in hoc Leonidis Tarentini epigrammate fusiùs tractatur:

Ἴξαλος εὐπώγων αἰγὸς πόσις ἔν ποτ᾽ ἀλωῇ,
Οἴνης τοὺς ἁπαλοὺς πάντας ἔδαψε κλάδους.
Τῷ δ᾽ ἔπος ἐκ γαίης τόσον ἄπυε, τεῖρε κάκιστε
Γναθμοῖς ἡμέτερον κλῆμα τὸ καρποφόρον.
Ῥίζα γὰρ ἔμπεδος οὖσα, πάλι γλυκὺ νέκταρ ἀνύσει
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι τράγε θυομένῳ.

Sensus est: Saltator barbatus capræ maritus aliquando in vinea vitis molles, siue teneros omnes
D deuorauit ramos. Huic verbum ex terra tantum insonuit: Consume pessime maxillis nostrum palmitem fructiferum. Radix enim firma existens iterum dulce nectar emittet, quantum ad libationem tibi hirce sacrificando opus est. Sic intellige etiam hoc Martialis:

Lasciuum pecus, & viridi non vtile Baccho
Dat pœnas, nocuit iam tener ille Deo.

Idem etiam alias, & eandem causam simul, & sacrificandi modum sic expressit: *Lib. 4. Epig. 24.*

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
Hircus Bacche tuis victima grata sacris.
Quem Thuscus mactare Deo cum vellet aruspex
Dixerat agresti fortè, rudique viro.
Vt citò testiculos peracuta falce secaret,
Teter vt immundæ carnis abiret odor.
Ipse super virides aras, luctantia pronus,
Dum resecat cultro colla, premitque manu,
Ingens iratis apparuit hernia sacris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Occupat hanc ferro ruſticus, atque ſecat.
Hoc ratus antiquos ſacrorum poſcere ritus
Talibus & fibris numina priſca coli.
Sic modò qui Thuſcus fueras, nunc Gallus aruſpex,
Dum iugulas hircum factus es ipſe caper.

Quoniam enim caper vitem arrodens eam veluti veneficio vitiat, excogitarunt in Bacchi gratiã illud, quod poeta indicat, in vtres ludibrium, vt ſcilicet eos flatu tumefactos per humum diſponerent, ſuperque eos ſaltationibus laſciuirent, vnde lubricitate pellis ſuopte pingui delibutæ pedes identidem fallerentur, præcipiteſq; ſaltatores, ſine vllo tamẽ incommodo, cõciderent, effuſumq; omnium riſum excitarent. Cęlius hãc ſaltationẽ Bacchi feſtis dicatam aſcoliaſmũ dici ſcribit, ipſa verò feſta aſcolia, quòd videlicet theatri medio vtres quos dicunt ἀσκὺς, inflatos, obunctoſque vno tantùm inſilirent pede, vt delabentes riſum excitarent. Hoc agere apud Græcos dicitur ἀσκωλιάζειν. Hinc vetus tragœdia, & cæteri ludi theatrales, ac ſcenici ſuã originẽ apud Athenienſes acceperunt: nam & ei, qui circa pagos, & compita ludo tragico victoriam obtinuerat, & ei qui per inflatos, inũctoſq; vtres in medio theatro vno pede quàm optimè ſaltarat, præmij loco hircus dabatur. F Morem hũc, & ritum Athenienſium Latini imitati inculto, & ruſtico genere carminum olim Bacchum colebant, & laruati riſum mouebant. Nã excauatis arborũ corticibus ora velabãt, Bacchumq; inuocabãt, & agreſti cantione laudes illius celebrabant. Peractis demum ſacris oſcilla, & laruas corticeas de arboribus in honorem Bacchi ſuſpendebant. Plutarchus quoq;, accepta, inquit, à maioribus Bacchanalium feſtiuitas antiquitus plebeo more, & hilari agebatur: amphora vini, & palmitis ſarmentum, tum aliquis caprũ trahebat, ſequebatur alius calathum ficis plenũ geſtans: Vltimo loco phallus, nunc ea negliguntur, & obſoleta ſunt, dum interim geſtantur aurea pocula, veſtes precioſæ, bigæ agitantur, perſonatiq; incedunt, ſic quæ neceſſaria & vtilia habent diuitiæ, ea ſuperuacaneis, & inutilibus obruuntur. Torrebantur verò exta hirci verubus colurnis, quoniam corylos etiam vitibus vicinitate ſua nocere, experimento compertum eſt, quamuis Feſtus colurna haſtilia ex corno arbore facta potiùs, quam ex corylo velit. Sed & Phornutus ait: Τὸν δὲ τράγον Διονύσῳ θύουσι, διὰ τὸ λυμαντικὸν δοκεῖν τῶν ἀμπέλων, καὶ τῶν συκῶν εἶναι τὸ ζῶον τοῦτο, καὶ τάχα δὸ καὶ ἐκδέροντες αὐτὸν, εἰς τὸν ἀσκὸν ἐνάλλονται κατὰ τὰς Ἀττικὰς κώμας οἱ γεωργῶν νεανίσκοι. Τάχα δ' ἂν χαίροι τοιούτῳ θύματι ὁ Διονυσος, διὰ τὸ ἑαυτὸν εἶναι τὸν τράγον. G Ideſt; Ad hæc illi caprum Libero mactant, quod vitibus, ac ficis infeſtũ ſit id genus animantis: Quam ob cauſam hunc deglubẽtes in vtrem inſiliunt per pagos Atticos iuniores agricolæ, & gaudet fortaſse id genus ſacrificio Bacchus, quòd ipſe hircus ſit. Aliam verò cauſam cur Baccho capra ſacraretur, fuiſſe ærea illa capra magna ſui parte inaurata, quæ in foro Phliaſiorum erat, indicabat: huic enim ideo honos à Phliaſijs habitus fuit, quod ſidus, quam capram vocant, ortu ſuo vitibus perniciem adferre cõſueuit. Ne itaq; cęleſtis capra vinetis noceat, forenſem illam ex ære cum alijs afficiebant honoribus; tum verò auro eam exornabant, teſte Pauſania. Idem verò de Archiuis loquens naufragium paſſis ad Caphareũ, tradit eos, qui è naufragio terram prenſare potuerunt, frigore prope, & fame cõſumpti cùm eſſent, precatos dici, ut quis Deũ ſe in tãtis rerũ difficultatib. ſaluos vellet. Cùm itaq; proceſſiſsẽt, ſpecũ Liberi patris animaduertiſſe, & Dei in eo ſignũ. In cũ verò ſpecũ multę ſe capræ ſylueſtres frigus fugientes gregatim immiſerant, quib. mactatis, carnibus famẽ, pellibus frigus repulerũt; Deinde cũ hyems remiſiſſet, reparatis nauib. in patriã reuectos, ſignũ, quod tunc è ſpecu aſportarunt, ſuã etiã ætate religiosè coluiſſe. Tradit deniq; apud Potnias Liberi patris ædes fuiſſe cognomento Aegoboli, ideſt, capram iaculantis. ita.n. aliquando accidiſſe, vt, dum ſacrificarent, ſi per temulentiã, eò vecordiæ proceſſerint, vt ipſum Liberi patris ſacerdotem occiderint, quod piaculum cùm atrox peſtilentia conſecuta eſſet, ex Delphici Apollinis reſponſo puerum Libero iam pubeſcentem mactandum accepiſſe: Sed non multis poſt annis Deum ipſum capellam pro puero ſuppoſuiſſe, tradi. Aliam rurſus cauſam adducit Hyginus de Arctophylace loquẽs: Icario, inquit, Erigones patri propter iuſtitiam, & pietatem exiſtimatur Liber pater, vinum, & vitem, & vuam tradidiſſe, ut oſtẽderet hominibus, quo modo ſereretur, & quid ex eo naſceretur, & cùm eſſet natum id, quomodo uti oporteret. Qui cùm ſeuiſſet uitem, & diligentiſſimè adminiſtrãdo floridam falce feciſſet, dicitur hircus in uineam ſe conieciſſe, & quæ ibi tenerrima folia uideret, decerpſiſſe. Quo facto Icarium animo irato tuliſſe, eumque interfeciſſe, & ex pelle eius utrem feciſſe, ac uento plenum præligaſſe, & in medium proieciſſe, ſuoſq; ſodales circa eum ſaltare coegiſſe. Cæterùm Prudentius contra Symmachum in carmine de Hercule, ideo immolatum fuiſſe caprum Baccho aſſerit, quòd debellatis Indis, & laſciuiret, & uino ſe nimis proluceret:

Thebanus iuuenis (inquit) *ſuperatis fit Deus Indis,*
Succeſſu dum victor ouans laſciuit, & aurum

Capi-

Lib. 5 c. 4.

In opere de cupid. diuitiar.

Bacchantiũ olim qui ritus.

Baccho cur capra offerretur.

In Corinthiac.

Lib. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Captiuæ gentis reuehit, spolijsque superbus
Diffluit in luxum cum semiuiro comitatu,
Atque auidus vini multo se proluit haustu
Gemmantis pateræ spumis, multoque Falerno
Perfundens bijugum rorantia terga ferarum.
His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt, quod & ebria iam tunc
Ante oculos regis satyrorum insania fecit,
Et fecisse reor stimulis furialibus ipsas
Mænadas inflammante mero in scelus omne rotatas.

Sed & ob eandem hanc causam Bacchus in capram immutatus fingitur: Vinum siquidem homines potatos, & olidos, vt capros, & petulcos, & lasciuos reddit, eiusdemque vapores ad cerebrum ascendentes, & rationem obnubilant, vnde homines calore aucto animosiores fiunt, & ad B celsiora, & sublimiora quæque hircino more contendunt. Cur modò caprini generis nihil Mineruæ immolaretur, rationem reddidi ex Varrone, nimirum propter oleam, quod eam, quam læserit, fieri dicunt sterilem, ideoque videre illud nollet. Idem testatur Plinius his verbis: *capræ oliuam lambendo quoq; sterilem faciunt, eaque ex causa Mineruæ non immolantur.* Athenæus ait: capras in arcem ascendere Athenis non licet, neque omninò sacrificari Mineruæ, quod oleæ ramos vorent, & lædant. Cælius verò: obseruatum est, inquit, capras Athenis in arcem non iungi, præterquam semel ad necessarium sacrificium, ne olea ibi nata primùm, possit tangi, quando ita proditum est eius animantis saliuam fructui venenum esse, quo nomine nec Deæ immolatur. Aegyptij etiam Lunæ, & Libero tantùm suem, reliquis Dijs boues mares, vitulosque & anseres immolabant, capram tamen, aut hircum nullo modo. Tetigit autem id Iuuenalis, inquiens:

Cur caprini nihil consecretur Mineruæ.

Lib. 4.

Aegyptij capras non immolant.

Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illuc fœtum iugulare capellæ.

Satyr. 15.

Tangitur hoc etiam à Moyse in exodo respondente Pharaoni dicenti sibi: *Ite, & sacrificate Deo vestro in terra hac: Non potest ita fieri, abominationes Aegyptiorum immolabimus Deo nostro?* quasi C minus licuisset ea sacrificare animantia, quæ apud Aegyptios sacrosancta habebantur, quam ob causam etiam subdit Moyses: *Quòd si mactauerimus ea, quæ colunt Aegyptij, lapidibus nos obruent.* Non omnes tamen Aegyptij à capris, & hircis abstinebant, quemadmodum de Thmuitis in prouerbijs diximus, & constat ex Herodoto, qui sic scribit: Cæterùm qui Iouis Thebani templum incolunt, aut Thebanæ prouinciæ sunt, ij omnes ab ouibus abstinentes capras immolant. Non enim eosdem Deos similiter colunt vniuersi Aegyptij præter Isidem, & Osirim, quem Bacchum esse aiunt, hos peræquè vniuersi colunt: Qui verò Mendetis templum obtinent, siue Mēdesiæ prouinciæ sunt, hi capris abstinentes immolant oues &c. Et mox rursus: porrò capras, & hircos ea de causa ij, quos diximus Aegyptiorum non mactant, quod Pana inter octo Deos Mendesij numerant, quos octo aiunt priores duodecim Dijs extitisse. Panos autem simulachrum, & pictores pingunt, & statuarij scalpunt, quemadmodum Græci, caprina facie, hircinisque cruribus: haud quaquam existimantes eum esse talem, sed similem cæteris Dijs. Qua tamen eum causa talem pingant, non est mihi relatu iucundum. Verùm hi omnes cùm capras, tum verò maximè capros venerantur: & inter Mendesios caprarij præcipuè honore afficiuntur, & ex his vnus maximè, qui cū D decessit, ingens toti Mendesię prouinciæ luctus proponitur. Vocatur autem & hircus, & Pan Aegyptiace Mendes. Inuenio verò etiam apud Plutarchum Aegyptios suas vniuersę capras, quando Sirius, siue caniculā cum Sole oritur, certo conuersos ad ortum intueri, dicere, esseque hoc firmissimum documentum annuæ circuitionis, maximèque cum astronomicis consentiens tabulis. Depingebatur ergo etiam in eorum fanis, sicuti nos docet Lucianus, dum inquit. Apud Aegyptios ipsum quidem delubrum forinsecus pulcherrimum est, simul, atque maximum sumptuosis lapidib. extructum, atque compositum. Cæterùm si intus Deum requisieris, aut simiam inuenies, aut ciconiam, aut hircum, aut felem. Tantum ille: istiusmodi delubris pulchras comparans mulieres, quæ intrinsecus turpes sunt. Diodorus Siculus asserit, ita hircum deificasse Aegyptios, sicut Græci Priapum, propter scilicet eam corporis partem, à qua fit omnium ortus. Cur modò Copticæ Aegyptij hircum Isidi, minimè verò capras sacrificent, docet in hæc verba Aelianus: In Copto, inquit, Aegyptia vrbe, & magna conficiendorum aliorum sacrorum religione Isim Aegyptij colunt, & vero eodē cultu hanc ipsam venerantur, quo aut coniuges, aut liberi à lugentibus afficiuntur: Vbi Isis hāc religionē possidet, ibi acerrimi ad pestiferū vulnus inferendū scorpij maximi versātur, qui, vt percusserūt, statim interficiūt. Ad quorū vitationē omne cautionis genus Aegyp-

Lib. 2.

Capræ, capri, & caprarij vbi in honore sint.

In volum. de solert. animal.

In Imaginib.

In Aegyptiorū delubris quæ simulachra inueniuntur.

Lib. 2. c. 4.

Capræ Copticis ad diuinitatem cur referantur.

tij adhibent, ſexcentaque machinamenta moliuntur, veruntamen lugentes ad Iſidis fanum capræ inferæ ex omnibus tegumentis nudæ inter ſcorpios humi iacentes ab horum acerbitate integræ, & columeſque permanent, ex quo fit, vt Copitæ eius caprini generis fæminas ad diuinitatem, & religionem conſecrẽt, & religioſiſſimè colant, eaſdemque Iſidi in amore, & delitijs eſſe exiſtimẽt: contrà autem mares immolant. Erat & templum huius Deæ Buſyri, vbi Pan etiam colebatur, & hircus, &, vt Pindarus ait, hirci in hoc loco cum mulieribus coeunt. Pana autem τραγοπρόσωπον fingunt ijdem Aegyptij, quod ipſe ſcilicet Pan, qui ſol eſt, vt multis probat Macrobius, feminam mundi propellere, & diffundere credebatur, vimque genitalem illi curæ eſſe dicebant, atque eam ob cauſam hoc animal natura libidinoſiſſimum ipſi ſacrum Pani eſt. Immolabant itidem Pani caprinum genus paſtores; ſic hoc adeſpoto epigrammate quidam precatur Pana, vt fiſtula canat, quo capellæ grandiora vbera ad domum Clymeni reportent, cui etiam hircum immolãdum pollicetur. O Pan, inquit, paſcentibus gregibus ſacram vocem reſona, curuum ſupra aureas fiſtulas ſeu calamos labium mittens. Vt illi quidem, ſcilicet greges, albi grauata dona lactis vberibus in Clymeni abundanter ferant domum. Tibi verò pulchrè aſſiſtens aris maritus caprarum rubeum ex hirſuto pectore ſanguinem eructet.

Pan Macrobio ſol.

Pani de caprino genere ſacrificari.

Ω̃ Πάν. Φερβομέναις ἱερὰν φάτιν ἄπυε ποίμναις,
 Κυρτὸν ὑπὲρ χυσέων χεῖλος ἱεὶς δονάκων.
Ὄφρ' αἱ μέν, λευκοῖο βεβριθότα δῶρα γάλακτος
 Οὔθασιν ἐς Κλυμένου πυκνὰ φέρωσι δ[illegible]ον,
Σοὶ δὲ καλῶς βωμοῖσι παριστάμενος πόσις αἰγῶν,
 Φοίνιον ἐκ λασίου στήθεος αἷμ' ἐρύγῃ.

Sic alius apud Theocritum in exordio edyllij primi inquiens:

Ἀδύ τι τὸ ψιθύρισμα, καὶ ἁ πίτυς αἰπόλε τήνα
Ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδεται. ἁδὺ δὲ καὶ τὺ
Συρίσδες. Μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισῇ.
Αἴκα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τράγον αἶγα τὺ λαψῇ.
Αἴκα δ' αἶγα λάβῃ τῆνος γέρας, ἐς τὲ καταρρεῖ
Ἁ χίμαρος. Χιμάρω δὲ καλὸν κρῆς, ἔς τε κ' ἀμέλξῃς. ideſt,

Dulcis hic ſuſurrus eſt, & pinus iſta, ò paſtor caprarie,
Quæ eſt iuxta fontes, dulciter reſonat. ſuauiter verò & tu
Fiſtula canis. ſecundum Pana proximum præmium feres.
Si ille acceperit cornutum hircum, tu capram capies.
Si verò capram acceperit ille pro præmio, ad te permanabit
Capella annicula. Capellæ caro bona eſt, donec mulſeris.

Fauni victimæ quæ.

Lib. 1. carm. ode 4.

Fauno Deo Latino, atque etiam ſemideo, teſte Halicarnaſſæo, præter agnam, & hœdum, etiam capra immolabatur à Romanis, fortaſſe ob id, quòd eum etiam Pana vocitarent. Horat.

Nunc & in vmbroſis Fauno decet immolare lucis,
 Seu poſcat agna, ſeu malit hædo.

Idem aliàs ſupplicat Fauno, dum ſuos agros amore Nympharum pererrat, vt ſibi, ſuiſque ſit innoxius, id enim ſe prõmereri prædicat, nonis decembrib. in eius honorem factis ſolemnibus celebratis, vino libando, hœdo immolando, litandoque adeo, vt totus pagus ſine cura pecoris, aratoriſque ſtratis humi frondibus, nihil quàm totum diem ludando, comeſſando, ſaltandoque feſtum peragat:

Faune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines, & apricarura
Lenis incedas, abeaſq; paruis
  Aequus alumnis.
Si tener pleno cadit hedus anno
Larga nec deſunt veneris ſodali
Vina cratera, vetus ara multo
  Fumat odore:
Ludit herboſo pecus omne campo
Cum tibi nonæ redeunt decembres
Feſtus in pratis vacat ocioſo
  Cum boue pagus.
Inter audaces lupus errat agnos,
Spargit agreſteis tibi ſylua frondeis,

Gau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Gaudet inuisam pepulisse fossor*
Ter pede terram.

Immolabatur autem potissimùm in piacularibus sacris, vt notum est ex hoc Ouidij: *Fastor. 2.*

Cornipedi Fauno cæsa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes.

Vtrum verò etiam Syluano, quem, vt ait Horatius, lacte piabant. In hoc lacte, quod offerrebatur, an hœdus, aut agnus coqueretur non constat inquit Tostatus ex libris poeticis, sed satis est verisimile, maximè cùm Rabbi Moyses testatur se vidisse ita fieri sacrificia. Sed & Nymphis sacrificabatur: Comatas apud Theocritum: *quæst. 37 in c. 23. Exodi. In Viator. Nymphis capra caditur.*

Τὸ Κροκύλος μοι ἔδωκε, τὸ ποικίλον, ἀνίκ' ἔθυσε
Ταῖς Νύμφαις τὰν αἶγα. Τὺ δ' ὦ κακὲ καὶ τότ' ἐτάκευ
Βασκαίνων, καὶ νῦν με τὰ λοίσθια γυμνὸν ἔθηκας. idest,
Quam Crocylus mihi dedit, discolorem, tunc cùm sacrificaret
B *Nymphis capram: Tu verò improbe & tunc contabescebas*
Inuidens, & nunc postremò nudum me fecisti.

Mox verò Comatas ait se magis à Musis amari quàm cantorem Daphnidem, ideoque se binas ijs mactasse capras. In ludis item Apollinaribus Apollini boue aurata, & duabus capris auratis, Latonæque boue aurata sacra græco ritu facere Romani solent, vt in boue dictum est. Achilles apud Homerum ob immissam ab Apolline Græcis pestilentiam, consulendum censet augurem quempiam, aut aruspicem, aut somniorum interpretem, qui denuntiet tum causas irarum, quas tantopere Phœbus in eos exercebat, seu qua indignè ferat vota sibi non persoluta, siue sacrificia non ritè facta, seu quid aliud, tum qua expiatione agnorum, caprarumque sacrificijs ipsum placare possint, vt quam iniecerat pestilentiam tolleret: *Eid. 5. Apollini quæ mactentur in ludis Apollinaribus. Iliad. 1.*

Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα,
Ἢ καὶ ὀνειροπόλον, (καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν)
Ὅς κ' εἴποι ὅ τι τόσσον ἐχώσατο Φοῖβος Ἀπόλλων.
Εἴτ' ἄρ' ὅγ' εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται, εἴθ' ἑκατόμβης.
C Αἴκέν πως ἀρνῶν κνίσσης αἰγῶν τε τελείων
Βούλεται ἀντιάσας, ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.

Et rursum: Ἔρδον δ' Ἀπόλλωνι τεληέσσας ἑκατόμβας
Ταύρων, ἠδ' αἰγῶν. Idest,
Faciebant autem Apollini perfectas hecatombas
Taurorum, & caprarum &c.

Theocritus hoc epigrammate Apollini hircos etiam immolatos ostendit:

Τὰ ῥόδα τὰ δροσόεντα, καὶ ἡ κατάπυκνος ἐκείνα
Ἕρπυλλος κεῖται ταῖς Ἑλικωνιάσι.
Ταὶ δὲ μελάμφυλλοι δάφναι τὶν Πύθιε Παιὰν,
Δελφὶς ἐπεὶ πέτρα τοῦτό τοι ἀγλάϊσε.
Βωμὸν δ' αἱμάξει κεραὸς τράγος οὗτος ὁ μαλλὸς,
Τερμίνθου τρώγων ἔσχατον ἀκρέμονα. idest,
D *Rosæ illæ roscidæ & densum illud*
Serpyllum dicatum est Heliconiadibus Musis.
At nigris folijs lauri tibi, ò Pythie Apollo,
Delphica enim petra his te ornauit.
Aram autem cruentabit cornutus hircus ille villosus
Terebinthi comedens vltimum ramum.

Capras autem Apollini immolabant, vt ait Varinus ex Eustathio propter pecudis huius naturā impetuosam, & in altum saltando efferri gaudentem & quòd caprina cornua ad arcus faciendos idonea sint. Apollo autem toxotes est, idest arcubus & sagittis oblectatur. Apud eosdem Romanos capra etiam Veioui immolabatur, quem eundem cum Apolline esse dicunt, vt tradit his verbis A. Gellius: Simulachrum Dei Veiouis, quod est in æde Romę inter arcem, & Capitolium, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum, quapropter eum Deum plerique Apollinē esse dixerunt, immolaturque illi ritu Romano capra, eiusque animalis figmentum iuxta simulachrum stat. Ipsi tamen etiam Ioui capras immolari solitas docemur ab Appollonio: Hic enim in libro de fabulosis locorum rebus tradi ait cùm Halicarnassæi sacrificium quoddam Ioui cognomento Ascræo peragitur, gregem caprarum ad fanum adductum consistere, votisque absolutis vnam earum nemine ducente progressam ad aram accedere, quam sacerdos arreptam litet, nosq; *Capra immolabatur Veioui, & Ioui. In hist. mirabil.*

supra

ſupra ex Herodoto Aegyptios, qui Iouis Thebani templum incolunt, aut Thebani ritu ſunt, eos E
omnes ab ouibus abſtinentes capras immolare. Legimus & apud Plinium cinnamomum in Aethiopia cæſuros quadraginta quatuor boum, caprarumque, & arietum extis impetrare veniã metendi. In Pedaſia Cariæ, vt tradit Ariſtoteles, ſacrificium Ioui peragitur, in quo capra deducta ex Pedaſis per ſtadia ſeptuaginta, magna ſpectante turba, procedit, nec perturbatur in via, nec inde auertitur, funiculo vincta ſacerdotem præcedens. Etymologus, & Varinus Iouem apud Nicandrũ in theriacis αἰγοφάγον, hoc eſt, capriuorum cognominari tradunt: Mihi tamen, inquit Gyraldus, non ſuccurrit apud Nicandrum id nomen legiſſe. In Laconicis Pauſaniæ Iuno nominatur αἰγοφάγος, apud Lacedæmonios tantùm, id adepta cognomentum, quando & Deæ capras immolant. Sacellum ab Hercule primùm erectum ferunt, qui & princeps capras immolarit, quoniã pugnanti aduerſus Hippocoontem, & Liberos, nullum ſe à Iunone impedimentum ingeſſiſſet, ſicut ferè aſſueuerat: Ad rem diuinam verò potiſſimùm adhibitas capras, quòd aliarum victimarum haud ſuppeteret facultas. Verùm quod de capra ſcribit author hic (inquit Cælius) vehementer animaduertenda poetę Ouidij ſententia ex quadam elegia, vbi animalium, quæ ducerentur, pompam de- F
ſcribit in Iunonis feſto:

In mirabil. *Iupiter capriuorus dictus.* *Iuno αἰγοφάγος quib. dicta.*

Duxque gregis cornu per tempora dura recuruo
Inuiſa eſt dominæ ſola capella Deæ.
Illius indicio ſyluis inuenta ſub altis
Dicitur inceptam detinuiſſe fugam,
Nunc quoque per pueros iaculis inceſſitur index,
Et pretium authori vulneris ipſa datur.

Caput caprinum Iunoni Soſpitæ offerebatur. *Iunonis amiculum quid.* *De natura Deor. 1.* *Soſpita vnde dicta.* *Pellibus caprinis quando mulierũ palmæ verberarentur, & cur.* *Lib. 2.*

Lanuuij etiam Iunonem Soſpitam, vel vt eſt apud Feſtum Siſpitem colebant capite caprina pelle tecto, qualis eius imago ſignata eſt in quodam Romano denario, cum his literis. I. S. M. R. ideſt, Iuno, Soſpita, Magna, Regina. Pellem autem caprinam Iunonis amiculum vocabant. Cicero: *Tam hercle, quàm tibi illam Soſpitam noſtram, quam tu nunquam ne in ſomnis quidem vides, niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceolis repandis.* Dicta eſt autem Soſpita à σώζω, quod ſeruo ſignificat. Hæc in primis Lanuuij colebatur magno cultu, vt docet Li- G
uius, qui & Romanos eandem coluiſſe tradit, inquiens: *Lanuuinis ciuitas data, ſacraque ſua reddita cum eo, vt ades lucuſque Soſpitæ Iunonis communis Lanuuinis municipibus cum populo Romano eſſet.* Sed & mulieres Romanæ in Lupercalibus, quæ diem februatum etiam vocabant eodem Iunonis amiculo februabantur, hoc eſt, ſe purgabant, moſque erat in hoc feſto, vt Luperci diſcurrentes pellibus obuias quaſque fæminas verberarent, exiſtimantes talibus verberibus fæcundas fieri, vnde creperi ſunt dicti, authore Feſto, à crepitu pellicularum, quem faciebant verberantes, de quorum Lupercorum initio ſic inter cæteros Valerius, vbi de inſtitutis antiquis ſcribit. Lupercalium mos, à Romulo & Remo inchoatus eſt, tunc cum lætitia exultantibus, quod cis auus Numitor Albanorum eo loco, vbi educati erant, vrbem condere permiſerat ſub monte Palatino hortatu Fauſtuli educatoris ſui, quem Euander Argæis conſecrauerat facto ſacrificio, cæſiſque capris epularum hilaritate, ac vino largiore prouecti diuiſa paſtorali turba, cincti pellibus immolatarum beſtiarum iocantes geſtierunt. Quòd verò ab ijs fæminarum palmæ verberarentur clariſſimè nos docet Silius Italicus loquens de Pane Deo:

Dextera laſciuit cæſa Tegeatide capra (ideſt Arcadica, Tegea enim erat vrbs Arca- H
diæ vbi Pan colebatur)

Satyr. 2.

Verbera læta mouens feſta per compita cauda.

Hucque ſpectat illud Iuuenalis:

Faſtor. 2.

Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.

Sicque intelligendus Ouidius:

Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis
Nec prece, nec magico carmine mater eris?
Excipe fæcundæ patienter verbera dextræ,
Iam ſocer optatum nomen habebit aui.

Sed mox originem huius rei adfert his verſibus:

Monte ſub Eſquilio multis inciduus annis
Iunonis magnæ nomine lucus erat.
Huc vbi venerunt pariter, nuptæque virique
Suppliciter poſito procubuere genu.
Cùm ſubitò motæ tremuere cacumina ſyluæ,
Et Dea per lucos mira locuta ſuos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Italides matres, inquit, sacer hircus inito:
Obstupuit dubio territa turba sono.
Augur erat, nomen longis intercidit annis
Nuper ab Hetrusca venerat exul humo.
Ille caprum mactat· iussæ sua terga puellæ
Pellibus exsectis percutienda dabant.
Luna resumebat decimo noua cornua motu,
Virque pater subitò, nuptaque mater erat.

Meminit & Plutarchus in Romulo: In Lupercalibus, inquit, Romæ capras iugulant, & incisis in corrigias caprarum pellibus discurrunt, & si qui obstent, scuticis cædunt. Colebatur porrò etiam a Romanis Iuno Caprotina: Cæterùm hæc non à capris, sed à caprifico nomen tulit, vt discitur præcipuè ex hoc Varronis: *Nona caprotinæ dicitur, quòd eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres sacrificant, & sub caprifico faciunt, & de caprifico adhibent virgam.* Pausanias verò apud Messenios Lucinæ etiam delubrum fuisse ait cum marmoreo signo, cui proxima esset Curetum ædes, in qua
B cuiusuis generis animalia immolabant: facto enim, inquit, à bobus, & capris sacri initio ad aues descendebant, quas in flammas porriciebant. At verò Lacedæmonij Dianæ cognomento Corythaliæ sacrum in agris facientes non nisi caprarum carnes in opsonium adhibebunt, neque aliud animal præter id in huiusmodi sacris immolari fas erat. Embarus quidam, vel Barus, vt scribit Varinus in σόφισμα, authorem citans Pausaniam, cùm Diana Munychia, vt regio à peste liberaretur, filiam alicuius immolandam requireret, ea conditione se immolaturum suam promisit, vt sacerdotium familiæ eius perpetuò maneret. Filia in adyto occultata capram eius vestimentis indutam mactauit, quæ res in prouerbium abijt, vt in hominem prudentem, & astutum, *Embarus es*, dicamus. Pestis verò causam fuisse dicit vrsam, quæ in templo Dianæ illic erat, ab Atheniensibus occisam. Apud Suidam fame non peste (quæ apud Græcos vna tantùm litera differunt) regionem laborasse scribitur. Adagiorum author prouerbium, *Embarus sum*, de homine insano, & deliro interpretatur, Suidam secutus, qui Embarum filiam suam verè, non capram ei substitutam, immolasse refert. Et ipse etiam Varinus aliàs habet sic; Ε'μβαρός εἰμι, ἠλίθιος, μωρός: ἢ περεχὴς, φρόνιμος Μένανδρος φάσματι. Author verò etiam Agathius est, referente Cælio, Gothi-
C cibello libro secundo, ingruente Persarum bello in Marathonijs campis vouisse Athenienses, totidem se hircos Dianæ immolaturos, quot peremissent hostes: quod cùm implere in primis cuperent, non quisse tamen, etiam capris adiectis, uel succedaneis. Apud Xenophontem tamen legas Athenienses, quo tempore Persæ cum ingentibus copijs Athenas deleturi in eorum fines inuaserant, Dianæ uotum fecisse, tot illi se capras immolaturos, quot hostes occidissent. Huic fortassis Deæ ideo capras sacrificauerint, quoniam hoc genere animalium delectabatur. Dictys Cretensis verò, & Homerus pestem accidisse, exercitui Græcorum tradunt, quia Agamemnon rex exercitus ab omnibus declaratus, longiùs paulò ab exercitu progressus in luco Dianæ capram pascentem imprudens religionis, quæ in eo loco erat, iaculo transfixit: nec potuisse leniri priusquam sacrilegij pœnæ darentur, & author eius sceleris filiam natu maximam, vicariam victimam immolasset. Aesculapio verò capram, quæ nunquam, vt dictum est, sine febri est, quia Deus est salutis, immolari per contrarietatem asserit; non tamen vbiuis capra immolabatur illi, quod docet Pausanias his verbis: Quin & Aesculapius, qui colitur Balanagris apud Cyrenæos medici cognomento ex Epidauro sumptus est. Ad Cyrenaici quidem similitudinem factum est id Aesculapij templum,
D quod Lebenæ, quæ est Cretensium vrbs, exstat. Dissimilis in eo sacri ritus, quòd Cyrenaici capras mactant, cùm ab Epidaurijs traditum hoc omninò non fuerit. Dixerat autem Aesculapium à capra educatum in hæc verba; Phlegyas cùm Peloponnesum intrasset, filia, quæ patrem sequebatur cùm se adhuc uterum ex Apolline ferre patrem celasset, in Epidauriorum finibus puerum enixa, illum in monte exponit, cui hac ipsa etiam ætate Titthion nomen, idest, ac si mamillã dicas, cùm antea Myrtion appellaretur, mutati nominis causa, quod exposito infanti lac præbuit capra, quæ cum cæteris in eo saltu pascebat, dum interea eum canis custodiret. Ibi Aresthanas (fuit enim hoc caprario nomen) cùm à reliquo grege in pecore recensendo capellam unam, cumque ea canem aberrasse animaduertisset, totum eum saltum studiosè quæritans peragrauit: inuentum uerò puerum cùm tollere cuperet, ac iam propius accederet, effulsisse aiunt cęlestem ab illo ignem, quo deterritum prodigio pastorem, cùm diuinum quiddam id esse, uti erat, suspicaretur, statim retrocessisse, mox fama per terras, ac maria omnia uulgauit sanari ab illo quouis morbo laborantes, mortuos etiam excitari. Hæc ille. Atque ideo fortassis Epidauri capræ Aesculapio non immolantur. Extitit aliquando in Melita urbe à Melitæo Iouis filio condita in Phtia tyrannus uiolentus, atq; contumeliosius, ut recitat Antoninus Liberalis in congerie transformationum, cuius adeo nomẽ

Dianæ Corythaliç qui capram offerrent.

Lib. 23. cap. 26.

In Corinthiac.

Aesculapio cur capra offerretur à Cyrenaicis, & ab Epidaurijs non, quomodo etiam à capra educatus sit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

incolæ non edunt: peregrini Tartarum appellabant. Is ſi qua eius loci uirgo ob formæ pulchritudinem celebraretur, vi eam ante nuptias abductam vitiabat. Atque eo tempore miniſtros iuſſerat adducere ſibi Aſpalidem Argæi non ignobilis viri filiam, quæ rei fama diuulgata ante aduentum eorum, quibus abducendi ſui negotium erat datum, ſeipſam ſuſpendit. Facto adhuc latente frater puellæ Aſtygites iurat priuſquam ſororis corpus deponeret, ſe in tyrannum vindicaturũ. Illico veſtem Aſpalidis induit, gladioque ad ſiniſtrum latus abdito, quòd adoleſcens etiamnum eſſet nemine ſexum è vultu agnoſcente, in domum tyranni peruenit, cumque nudum, incuſtoditumque interficit. Melitenſes Aſtygitem corona decorant, pæanaſque accinendo deducunt. Cadauer tyranni in flumen demergunt, quod ab eo vſque tempore, hodieque Tartarum vocant. Corpus autem Aſpalidis ad honeſtam ſepulturam ſummo ſtudio requirentes nuſpiam inuenire potuerunt, quòd id Deus de medio ſuſtuliſſet. Loco autem corporis ſtatua iuxta Dianæ ſtans apparuit, idque ſimulachrum incolæ Aſpalidem vocant, Ameiletam, & Hecaergam: & quotãnis virgines hœdum intactum in eius honorem, præcipitem dabant, quod & Aſpalis virgo ſeipſam ſuſpendiſſet. Vnde modò Venus Epitragia dicta fuerit, docet Plutarchus in Theſeo: Fertur, inquit, Theſeo oraculum Delphicum præcepiſſe, Venerem itineris ducem faceret, comitemque aduocaret: præterea cùm capram ad mare immolaret, eam fortuito in caprum tranſijſſe, inde Veneri Epitragiæ, nam τράγος caper ipſorum lingua eſt, nomen datum. Luſitani verò etiam hirco maximè veſcuntur, eumque & Marti immolant, ſicut & captiuos, & equos, vt tradit Strabo. Sed alijs etiam in locis fortaſſis hircus Marti immolatus fuerit; nam & apud Apuleium lego: Quin igitur, inquit, ſupplicatum Marti comiti pergimus, & puellam ſimul vendituri, & ſocios indagaturi: ſed, vt video nullum vſpiam pecus ſacrificatui, ac ne vinum quidem potatui affatim, vel ſufficiens habemus. Decem itaque mihi legite comites, quis contentus proximum caſtellum petam, inde vobis epulas, & alias res comparaturus, ſic eo profecto cæteri copioſum inſtruunt ignem, aram cespite virenti Marti Deo faciunt, nec multo pòſt adueniunt illi vinarios vtres ferentes, & gregatim pecua comminantes, vnum prælectum, grandem hircum, annoſum, & horricomem Marti ſecutori, comitique victimant, & illicò prandium fabricatur opiparè. Tempeſtas inſuper Romanis etiam Dea eſt credita, in cuius ſacris hircus etiam immolabatur, & agnus, quod indicat Horatius, dum canit:

Caſtitatis memorabilis hiſtoria. — *Aſpalidi virgini hœdus à quibus, & quomodo offerretur.* — *Venus Epitragia dicta.* — *Lib. 3.* — *Lib. 7.* — *Marti hircum oblatũ.* — *Tempeſtati Deæ hirco ſiebant ſacra.* — *In Epod. od. 10.*

E F G

Optima quòd ſi præda curuo littore
Porrecta mergos iuuerit.
Lidinoſus immolabitur caper
Et agna Tempeſtatibus.

Lib. 3. carm. od. 13.

Idem poeta Blanduſiæ fonti etiam hœdum fouens, inquit:

O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro
Dulci digne metro, non ſine floribus,
Cras donaberis hædo:
Cui frons turgida cornibus
Primis, & venerem, & prælia deſtinat.
Fruſtra; nam gelidos inficiet tibi
Rubro ſanguine riuos
Laſciui ſoboles gregis.

Boruſſi denique in omnibus ſuis ſacrificijs hirco vſi ſunt ob fæcundam huius animalis naturam. Notandum verò, quòd Græci tauros, an puri eſſent, farina explorarent, caprum ciceribus, capram aqua frigida: Item quod vetus aruſpicium ex hœdis, vitulis, & agnis eſſet, poſtea verò additæ ſint à Cyprijs ſues, vt author eſt Pauſanias. H

In Eliac.

VSVS IN SACRIFICIIS HEBRÆORVM.

DE hoc vſu ſatis ſuperque cùm in boue, tum in oue dictum eſt.

VSVS IN CIBIS.

4. de vict. rat. tex. 100. — *Caprinæ carnis qualitates, & vſus in cibis.*

HIPPOCRATES cùm dixiſſet bubulas carnes melancholica proritare pathemata, harumque naturam inſuperabilem eſſe, nec à quouis ventriculo concoqui poſſe, de caprinarum carnium qualitate loquitur in hæc verba: Caprinæ carnes, quæ in bubulis mala ſunt, omnia habent, & cruditatem. (ἀπεψίαν) ſuntque flatulentiores, ructuſque magis generant, & choleram pariunt. Verùm quæ odoratiſſimæ

soli-

A solidæ,& suauissimæ sunt,hæ optimæ sunt tum perelixæ,tum perfrigidæ(Gesnerus percoctæ) Quę verò suauitate omni carent,malè olent,& duræ sunt,hæ deterrimæ,& quæ recentes: Optimæ autem æstate, autumno verò pessimæ. Quo loco Galenus cur caprinæ carnes,inquit, bubulis vitiosiores sint,causam hoc in loco dixit,nempe cùm coctu difficiles bubularum more existant, flatuosiores etiam sunt, & sæpius mouent ructus, qui malam habeant qualitatem. Cùm igitur bubulis & acriores,& calidiores sint,si incoctæ maneant, choleram pariunt. Qua efficitur ratione, vt frigidas eas magis,quàm calidas esitare oporteat. Optimas esse ait caprinas carnes inter se quidem, non cum cæteris comparatas. Oportebat igitur quantum ad anni tempus attinet,vitiosissimas ob temperaturam esse. Contingit autem capris tempore æstiuo meliorem esse alimoniam, quo modo praua sunt,quę herbas vorant animalia,vbi viridem herbam non habeant. Capris autem maximè idoneam præbent alimoniam germina arborum, caulesque quos à fine veris æstas largiter habet. Quòd autem alimonia ad carnis bonitatem plurimum possit,potes ex vulpib. certior fieri,quæ autumno probatissimam ob vuas habet carnem: Sic passer,& ficedula maximè laudabilem carnem obtinent.

Caprinæ carnes quãdo bonæ, & prauę.

B Autumno igitur capræ nutrimento idoneo destitutæ tum deterrimam, tum perquam tenuem, habent carnem. Hyeme autem meliorem sanguinis consequuntur habitum,naturalem intemperiem à temperatura temporis contractam corrigentes. Alias Galenus etiam in opere de alimen. facult. ait;vt vituli carnes habent ad conficiendum perfectis bobus præstantiores, sic hœdi capris: capra namque temperamento minus quam bos est sicca,si tamen homini,& sui comparetur,multum superat;& proximè pòst; Caprinæ præter succũ vitiosum acrimoniam etiam habent. Et rursus; Aestate prima,ac media præstantiores sunt capræ,cùm scilicet fruticum germina,quibus vesci solent,abundant. Athenæus verò caprinam carnem olidam quidem esse dicit,sed si conficiatur plurimum alere,plurimumq; corpori robur addere,Clitomachũque Carthaginensem nouæ academiæ sectatorem solitum ferri dicere,quendam Athletam Thebanum omnes suæ ętatis viros superare,quod caprinis carnibus vescerentur,tenacibus illis,& cõctu difficillimis,quarum esu olidus è corpore sudor manaret. Militarem autem cibum esse, etiam Homerus docere videtur, siquidem Achilles legatis ab Agamemnone sibi missis,& dona afferentibus gratificaturus,splendidèque excepturus,cratera apponi iubet capaciorem, mixtoq; meraciore vino singulis propinari, ipse verò ingentem cacabum super ignem appendit,inque il-

Lib. 3. de aliment. facul. c. 1.

Hœdinæ caprinis præstantiores.

Lib. 9 c. 24.

Iliad. 1.

C lum tergum ouis, itemque pinguis caprę (capras autem pinguescere, vt pinguedine sterilescant, ex Plinio dictum est)cum lumbis tenellę,atque altilis suculę immergit,& in frusta dilaniat,aliam quoque partem aptè minutatam verubus infigit,magnum interea ignem Patroclo excitãte supponens,ac postquam exustis lignis resedit flamma,prunas sternit,ac desuper carnem transfixam verubus infigit,subindeque tollens sale conspergit,tandemque testam partitur. Eiusmodi etiam carnes Vlyssi apud eundem Eumæus pastor apponit; Quo loco Ioan. Spondanus monet capras quoque olim in delicijs ciborum extitisse. De lacte modò caprino sic tradit Galenus in lib. de boni,& mali succi cibis;Caprini lactis usus frequens apud nos est,apud alios bubuli. Caprinum inter cætera lactis genera moderatè se habet cùm non admodum pingue, crassumque sit, ob idq; medium esse censetur, quod in corporibus nostris præstat &c. Sed cum inter cætera animantium genera capellæ mediocritatem adeptæ sint, inter se tamen inuicem collatæ,alio,quàm diximus, modo differre uidentur,neque enim harum parua discrimina sunt ab ętate,a pastionibus,ab anni tempore,ab eo ipso spacio,quo à partu edito distant, quæ abundè tertio de facult. alim. libro diximus.

Odyss. 14.

Lac caprinũ temperatũ. Cap. 6.

D Nunc uerò id tantùm referre sit satis,caprinum lac sine melle sumptum periculosum esse; plerumq; enim qui purum illud hauserunt,coactum est in uentriculo in speciem casei, quod quidem cùm accidit mirum est, quàm aggrauet hominem,ac strangulet. Eam ob causam lac ubi sumunt quidam,ne in uentriculo coaguletur, mellis, aquæ, & salis non nihil admiscent. Et rursus alibi; Lac caprinum, inquit,stomacho accommodatissimum est,quoniam capræ fronde magis, quàm herba uescuntur. Et Varro ait; Lac omnium rerum,quas cibi causa capimus,liquentium maximè alibile est,& id ouillum,inde caprinum; sed Aeginetæ lac muliere temperatissimum est, mox capillum,hinc asininum,ouillumque,postremò uaccillum. Idem Galenus testatur maximè scilicet alere quodcunq; humanum,mox caprinum,unde fortassis fabulæ Iouem ita nutritum dixere;Nam & Hesiodus lac caprinum earum,quę primum lactare desinunt,commendat,teste Stuckio, quod putetur plus, & salubrius nutrire, quàm alia lactis genera. Et Ludouicus Romanus scribit mulieres cultorum Poliar,& Hiraua regionum transacto tertio mense filios ablactare, deinceps que lacte caprino alere,& ubi referserint pueros lacte illotos,fœdosque admodum in sabulum reponere,ubi interdiù ferarum modo uolutentur. Si caprę,aut alterius animalis scammoniũ, aut tithymalum depasti lac cibi loco quis sumpserit,omnino aluus illi fluet,teste Galeno,cũ aliàs sua natura prę cæteris adstringat causa alimenti, quod cùm ex ijs, quę dicta sunt, constat, tum

Lac caprinũ absq; melle subinde lethale.

Lactis ordo iuxta bonitatem.

2. περὶ ἔργων.

Lib. 1. antiq. conuiu.

Lib. 5. nauigat. c. 20.

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

etiam manifeſtò tradit Dioſcorides, rationem reddens, cur ſtomacho ſit accommodatiſſimum: E Aluum, inquit, minùs tentat caprinum lac, quoniam pecus hoc adſtringentibus pabulis quercu, lentiſco, & oleagineis frondibus, & terebintho maxima ex parte veſcitur: inde ſtomacho accommodatiſſimum reddi ſolet. Lactis naturam ſequitur etiam ipſe caſeus, caſei ſiquidem maximi cibi ſunt bubuli, & qui difficillimè tranſeant ſumpti, ſecundò ouilli minimi cibi, & qui difficillimè tranſeant caprini. Caro modò hircorum, teſte Galeno, tum ad coquendum, tum ad ſuccum bonũ generandum deterrima eſt, hanc ſequitur arietum, pòſt taurorum caro, & in his omnibus carnes caſtratorum ſunt præſtantiores, vetulorum peſſimæ. Idem in libro de attenuante victu hircos, & boues tradit carnem quidem habere minimè humidam, pituitoſam, ac lentam, nocere tamen admodum ob duritiem, & in alterando difficultatem. Albertus aſſerit, cùm coiuerũt, improbam habere carnem, minimè pinguem, & ſiccam. Ariſtoteles verò libidinis tempore vitiari, & fœtere ſcribit. Auicenna abſolutè malam eſſe, vnde Baptiſta Fiera, cùm hœdum in cibo commendaſſet, ſubdit:

Lib. 3. de alim. fac.
Hircina caro improba.

Cùm malè olet, ſiccat, ſit iam caper improbus, abſit
Et cadat ante focos victima Bacche tuos. F

Et Platina capellæ, atque hirci fœtidi carnem ne deguſtari quidem patitur. Plinius author eſt, hircorum carnes tradi virus non reſipere, ſi panem hordaceum eo die, quo interficiantur, ederint, lacſerue dilutum biberint, ſcribitq; Albertus, quibus curæ eſt, vt ſuauior fiat caro, hircum adhuc tenerum caſtrare, ſic enim frigida, & humida qualitate temperamentum eius emendari, nihilominus apud Antiphanem poetam, referente Athenæo, τράγος ὑλιβάτας in conuiuio apponitur. Teſticuli itidem, authore Aegineta, concoctioni reſiſtunt, & vitioſos creant humores. Platina iecora, & hircorum, & caprarum fugi præcipit, ne in epilepſiam incurras. Geſnerus verò ſuis farciminis genus vocari ait klobvvurſt, hocque modò parari: hircinum iecur recens minutatim inciſum pariter cum ſex ouis, & medulla panis albi, aromatibus, & croco conditur, inuolutumque omento torretur, & menſæ apponendum in paropſide ſaccharo rudiore conſpergitur. Idem Geſnerus in opere de aquatilibus agens de ſalſamentis, hilas infumatas & ſumen apud Plautum legi ait, aliquoſq; quoſque hillam per l duplex ſcribere, & Acronem ſalſum inteſtinum hirci interpretari, & præcipuè ſaputare eſſe inteſtinum porcinum fartum alijs inteſtinis. Iam verò inter eximias, & prophanæ literæ at- G lubres epulas hœdina perpetuò annumerata eſt, quemadmodum & ſacræ, & prophanæ literæ atteſtantur: In ſacris enim legimus Gedeonem angelo, quem prius inuitarat, magnificũ cùm adornaturas eſſet conuiuium, inter alia hœdum caprarum coxiſſe, & ex modio farinæ panes azymos confeciſſe, hæcque cocta, & parata illi appoſuiſſe. Rebecca filio ſuo Iacob afferre ſibi iubet duos hœdos optimos, & facit ex eis eſcas marito ſuo, quibus, inquit, libenter veſcitur; iubet autem eos afferre, vt benediceret filio antequam moreretur. Filius itidem ſenior patrem ſuum criminatur, inquiens: *Nunquam mihi dediſti hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Sic Aſcræus poeta hœdorũ primogenitorum carnem maximè commendat tanquam ἔυχυμον, & ἔυπεπτον, docens ſub ſirio quis ſit victus inſtituendus:

In Cyclope.
Iecora hircorum, & caprarum mala.
Lib. 4.
Hœdina laudabilis.
Gen. 27.
Luc. 15.
Ἐν ἔργοις.

ἀλλὰ τότ' ἤδη
Εἴη πετραίη τε σκιὴ, καὶ βύβλινος οἶνος,
Μάζα τ' ἀμολγαίη, γάλα τ' αἰγῶν σβεννυμενάων.
Καὶ βοὸς ὑλοφάγοιο κρέας μήπω τετοκύης, H
Πρωτογόνων τ' ἐρίφων. ἐπὶ δ' αἴθοπα πινέμεν οἶνον. ideſt,

Sed tunc iam
Sit petroſaque vmbra, & Byblinum vinum,
Libumque lacteum, lacque caprarum non amplius lactantium;
Et bouis arborivora caro, nondum enixæ,
Tenerorumque hœdorum, præterea nigrum bibito vinum.

Guloſi autem omnium maximè quærebant hœdum, qui lupi faucibus eſſet ereptus, vt notum eſt ex hoc Horatiano:

Hœdi erepti lupo caro quam ſit grata guloſis.
In epod.

Vel agna feſtis cæſa Terminalibus
Vel hœdus ereptus lupo.

Et Martialis idem affirmat ſic canens:

Lib. 10.

Paruus onyx vna ponetur cænula menſa,
Hœdus inhumani raptus ab ore lupi.

Hinc hœdum ab edendo dictum putat Iſidorus, addens teneros pinguiſſimos eſſe, & grati ſaporis. Simeon Sethi iſtiuſmodi carnes facilè concoqui ait, & temperatas eſſe (interpres vertit, & modicè nutriunt) ſanguinemq; tenuem, & humidum gignere, calidas, & ſiccas habitudines, ac temperaturas

A peraturas iuuare, esse verò meliores, meliorisque succi, qui nec nimis tenelli sunt, nec nimis natu maiores. Nam qui sex menses excedunt, non hœdos, sed αἶγας vocari. Theocritus verò capellę carnem bonam esse, inquit, quousque non mulgetur:

Hædorum ætas ad quot se extendat menses.

> Αἴκα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τράγον, αἶγα τὺ λαψῆ.
> Αἴκα δ' αἶγα λάβῃ τῆνος γέρας, ἐς τὲ καταρρεῖ
> Ἁ χίμαρος. Χιμάρῳ δὲ καλὸν κρῆς, ἔστε κ' ἀμέλξῃς. idest,
> *Si ille acceperit cornutum hircum, tu capram capies:*
> *Si verò capram acceperit ille, pro præmio, ad te permanebit*
> *Capella annicula. Capellæ caro bona est, donec mulseris.*

Nos verò etiam in boue hœdorum carnem, vt primùm in lucem editi sunt, in cibo non illaudabilem esse ex Galeno docuimus, qui itidem in libro de boni, & mali succi cibis ex pedestribus animantibus suillam carnem probatissimum cibum asserit, deinde hœdinam, mox vitulinam. Et in libro de attenuante victu hircina, & caprina refutatis, nec non arietina, ouilla, & agnina, solis hœdis innoxiè vti iubet; vnde dicebat Platina hœdinam carnem, qua nulla inter do-
B mestica animalia potior habetur, edito, parum enim recrementi in se habet, facillimè concoquitur, benè alit, sanguinem bonum generat, calido, & frigido temperatum, hic cibus conuenit lautè viuentibus. Et paulò antè: Ex capris, inquit, hœdi lactentes esui sunt optimi. Et alibi: hœdi vtrumlibet (assi vel elixi) cocti suaues, & salubres sunt: Coxæ tamen assæ meliores habentur. Sic & Baptista Fiera ait:

Hædinæ temperamentu.

> *Hædulus ad domini saltet, sed frigidus aras*
> *Vix calet, ille ægris vda alimenta feret.*

Cæterùm sunt, vt Ioannes Bruyerinus Campegius, qui istiusmodi opinionem de hœdina carne improbant: inquit enim hic illam animum suum in summam admirationem adducere, grauibus etenim viris, inquit, proditum est, capras nunquam febre carere, ideoque in emptione nemo eas sanas promittit. Qui igitur fiet, vt fœtus à parente morbida temperamentum vitiatum non contrahat? Aiunt tunc maximè sapere, cùm herbarum sunt expertes, bimestres, atque etiam trimestres, si mater lacte abundet, adultiores enim, & ab vbere depulsos, gratiam amittere præcipuam. Iulius Alexandrinus medicus Cæsareus scribit Arabes carnes hœdinas frigidas constituere, aduersus quos in hæc verba inuehitur. Hœdinas carnes, qui frigidæ naturæ facerent inuenti sunt inter Arabes, sicuti & suillas. Minus mirum de his, & tamen falsum. Cùm enim temperamento constare proximo nobis, simillimoque ostensæ sint, minus lapsi meritò videri possunt, qui frigidas hasce statuere, quàm qui hœdinas, quo quidem minor est ab æquali temperamento, quàm calido in frigidum recessus. Calidum habendum esse, siccumque hircum animal, nemo opinor ambigit. Si nihil aliud, teter ille odor, vnde hircosi dicti, indicio satis sit, quem non aliud facilè, quàm calidum tam latè iacere temperamentum queat. Sed & arrosarum capro vitium interitus, quem ideo Baccho veteres sacrificauerint, & emissus ore spiritus vrens propè, & tactus animantis ipse, qui tangentibus sæpe febriculæ cuiusdam significationem exhibere videatur (ex quo creditum multis capras non minùs ipsas, quas tamen sexus frigidiores facit, perpetuò febrire) cuncta, inquam, hæc calidam animantis huiusce naturam manifestò satis demonstrent. Quod si calidam: sic in vniuersum: Sanè non existimabimus hœdos (mares an fœminas non refert cum de animantis specie vniuersaliter pronunciatur) à caliditate? Nam si eadem de animan-
D tibus omnibus valere debet de valore ratio, ac post multas, variasque de hoc disputationes eò tandem deuentum est, vt medicorum rectè sentientium consensu, eodem esse, quo iuuenes, adultosque calore præditos pueros, recensque natos existimaremus: Eodem necessariò calore præditos esse hœdos, quo adultos iam hircos fatendum: horum licet (humidior primò materia, quæ connatum nobis insitumque continet molliter hunc ipsum nobis, & suauem tangentibus referat, quæ deinde in sequentibus magis semper magisque ætatibus exarescens, paulò acrius manum feriat, eodem tamen semper caloris, vtrobique gradu in materia tantùm diuersa, sese nobis offerente: vt calidum sæpe vaporariorum nostrorum aerem diuersè, purum, mediocriter, summè sentimus, nihil tamen tunc aliud (si nihil accedat aliud) sensuri, aut pronuntiaturi, quam caloris remissiones hasce, & intensiones. Iam verò fumidus prætereà si fiat aer idem, caloris temperamentis ijsdem, (vt fieri sæpe contingit) erumpente de fornace aliquo pacto fumo, nec maiore tamen calore infestum quidem sentiemus, mordacemque, tum oculos quoque feriet, & eliciet lacrymas sæpe, deque hoc quæremur tantùm: maiorem se sentire calorem, aut vt propriè magis loquamur, qualitate sua intentum magis, aut plus ob id incalescere, nemo, vt arbitror, dicet: quia non succenso maiore igne, & fumido tantùm facto aere, nemo calidiorem sensu vllo percipiet, eo quidem casu, rerumq; harum exemplo.

Lib. 13. cap. 17. de re cibaria.

Lib. 11. salubr. c. 7.

Hædum calidum esse.

Quòd ſi hæc ſe ita habent, ſicuti profectò habent, calidæ natura animantis calidus nobis dicẽdus E
fœtus, partus calidus, tenellus, iuuenculus, adoleſcens adultus, neque minùs temperatæ tempe-
ratus, & frigidæ frigidus, qui tamen calor adhuc animantis quidam intelligitur. Atque hæc eſt
caloris in animalibus ratio, mediocris tum ſupra, infraq; mediocritatem poſiti, perpetuò autem
ad conſiſtentis vſque ætatis exactum tempus, eiuſdem diuerſa quamuis in materia, primum ſua,
ſibique cognata, inſita, prorſus natiua, ſed & naturali: tum paulatim ſemper, ſenſimque ſuam ſibi
materiam hanc depaſcente, conficienteque calore, aliena, atque adſcititia: Ipſo quoque iam alie-
no, atque adſcititio hac ex parte calore facto, ſiccitate tantùm. Nam caliditas eadem donec in-
clinante ætate, ac continuò exareſcente corpore, pabuli iam defectu, minutatim quoque calor
natiuus ille abiens pereat, & frigida membra relinquat, ſiccitatis ratione, quæ ab origine, aut po-
tiùs à conceptione, ſtatim ipſa ingruat. Vt primùm enim concipi ceptus fętus, ſic ſiccitas inchoat,
caloris vi ita neceſſariò operati introducta. Redeundum ad rem. Malè ſenſiſſe Arabes autho-
res, qui de his ſcripſere, quod hœdinas carnes frigidioris naturæ ſtatuerint, dictant hæc omnia,
fuſius hic à nobis, atque extra rem, ſed ex re tamen, vt meliùs perciperentur, recitata: malè item F
quòd ſuillas: (temperatæ enim ſunt) benè quod humidiores haſce, ſicciores illas, & ætatem com-
mendarint ad vnum omnes, temperamenti in hœdis boni, quæ tenellorum adhuc eſt, necdum
ab vbere depulſorum, quos lacteos voces. Quippe naturalem ſiccitatem, quæ in adultis reperitur,
teneritudo ætatis emendat, & ad temperamentum quoddam ducit. ſimul lactentes, minimè qui-
dem ætatis ratione, verùm alimenti potiùs beneficio (frigidum enim lac, vt in temperamẽto ani-
mantis ſuo) de natiua caliditate aliquid remittent, & humectiores, teneriore ſque fient. Nec ſa-
nè alius hodie, quàm lactentium vſus, quos ſi diutius protrahere lactando velis, vt bimeſtre ali-
quando tempus, nullo prorſus herbarum paſtu expleant (quod fieri vidi, & guſtaſſe volui) expe-
riere carnem multo quidem, quàm eiuſdem ætatis herbas depaſtorum meliorem: Cæterùm du-
reſcentem iam, quæque viroſi omninò, neſcio quid, reſipiat, vſque adeo, quanquam alimento aſ-
fici corpora didicerimus, vincere tamen naturam videmus ipſam, vt olidam tandem graueolen-
tiam ſuam illam induant præſertim cùm non longè iam aberunt, vt caprire incipiant. Hæc ita-
que omnia Alexandrinus. Putant nullam aliam carnem magis idoneam à valetudine ſe recol-
ligentibus, quin etiam otio deditis, & non laborantibus ſalubriter editur, at inſalubriter ijs, qui G
grauiores operas exercent, facilè enim eius alimentum diſſipatur, atque euaneſcit. Mandun-
tur hœdi elixi pariter, atque toſti vere toto ex ſucco malorum arantiorum, aut oxalidis, ſimi-
liumque. Circumferebantur, teſte Athenæo, frequenter in conuiuio varijs parati modis, quæ volu-
rum erant quidam πολὺ (πολλῦ perperam legitur in vulgari textu) τῦ ὄπυ ἔχοντες, quæ voluptatem
ptatem nobis non vulgarem, inquit, præbebant. Quo loco Natalis ὄπον reddidit ſimpliciter
ſuccum, cùm tamen, quo conditus erat, modus ea voce exprimatur; quare Geſnerus ὄπον, vel
laſer intelligi putat, quo conditi fuerint, vel potius lacteum, inquit, in ventriculis eorum con-
cretum ſuccum, quo ad coagulandos caſeos vtuntur. Priorem ſententiam, vtpote huic loco ma-
gis conſentaneam amplexus eſt Ioſephus Caſaubonus in ſuis animaduerſionibus: Laſer, inquit,
intelligo, & cyrenaicum ſuccum, quem Græci κατ᾽ ἐξοχὴν dicunt ὄπον. Docti viri cùm hunc lo-
cum interpretarentur obliti erant eius diſcriminis, quod ſtatuit Theophraſtus, & omnis medico-
rum ſchola inter χυλὸς, vel χυμὸς & ὄπὸς. Quoties autem dictum eſt in hoc libro de Laſerpitij in
condimentis vſu? Hœdi, agnique diuerſos apparatus recitaui ex Apicio in agno. Hœdus in al-
lio ex Platina, integrum hœdum, inquit, aut quartam partem teſſellis laridi, & ſpinacis mundi, H
allijs circumquaque impactis veru ad ignem voluito, humectatoque frequenter cum ramuſculis
lauri, aut roſmarini, ex hoc, quod nunc ſcribam, condimento: Cum agreſta, cumque iuſculo pin-
gui duo vitella oui agitata, duas ſpicas allij benè tonſas, modicum croci, parum piperis miſceto, in
patellamq; indito. Inde, vt dixi, quod coquitur, aſpergitur: Coctũ in patinam ponito partemque
conditurę infundito, ac petroſelinum minutatim conciſum inſpergito. Hoc obſoniũ benè coctum
citò comedi debet, ne refrigeſcat: Oculos hebetat, venerem demortuam excitat. Ex eodem Plati-
na quomodo paretur artocreas ex hœdina carne dixi inter vitulinæ carnis apparatus, eſt enim
eadem ratio. Sanguis hœdi in cibum formatus, teſte Plinio, ſanguiculus vocatur, & cœliacis, dy-
ſentericiſque quibuſdam commendatur. Aliqui etiam ſanguiculum hœdi, vel ſuis ſanguinem
exponunt in cibum formatũ, talis nimirum erat μέλας ζωμὸς Lacedęmoniorum, ſed fortè generis
etiã nomen pro ſanguine eſt cuiuſuis animalis in cibũ parati, nam & Pollux αἱματίαν, ideſt, ſangui
culũ exponit obſonij genus, vel farciminis ex ſanguine, & αἱμάτιον lexicon vulgare interpretatur
garum quoddã e thynni inteſtinis cũ branchijs, ſanie, ac cruore confectum quaſi ſanguiculũ. Iecinora hœdina, vel agnina ſic coques (verba ſunt Apicij) aquã mulsã facies, & oua, partẽ lactis admiſces eis, vt inciſa iocinora ſorbeant, coques, & œnogaro pipere aſperſo inferes. Aliter in pulmonibus

Sanguis hœdi pro cibo paratus ſanguiculus dicitur.

Μέλας ζωμὸς Lacedæmoniorum quid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A bus ex eodem: Ex lacte lauas pulmones, & colas quod capere possunt & infringis oua duo cruda, salis grana pauca, mellis ligulam, & simul commisces, & imples pulmones: elixas, & concidis: teres piper, suffundis liquamen, passum, merum, pulmones confringis, & hoc œnogaro perfundis. Aetius verò agens de ratione victus colicorum pulmonem hœdinum videri asserit bis assatum, atque in cibo acceptum, superabundans alimentum subtrahere. Qui verò eum, inquit, lacte replent, deindeque coquunt, aut assant, voluptatis gratia, non vtilitatis respectu id faciunt: multoque magis, qui eum frustatim concisum in sartagine torrent. Ventrem cum intestinis Heluetij in hœdis, & vitulis priuatim, teste Gesnero, nominant das krosz, quæ quidem elixa, & aromatibus condita initio mensæ apponunt. Lactes, ieiunumque hœdi intestinum inter alios laudatos cibos recensentur ab Athenæo in fine septimi ex Eubulo in Laconibus.

Lib. 9. c. 30.

VSVS IN MEDICINA.

B MILLIA remediorum, inquit Plinius, ex capra demonstrantur, sicut apparebit, quod quidem miror, cum febri negetur carere. Amplior potentia feris eiusdem generi, quod numerosissimum esse diximus: alia verò & hircis. Democritus etiamnum effectus eius auget, qui singularis natus sit. Idem alibi de ansere locutus subdit: multa præterea remedia sunt ex ansere, quod miror æquè quàm in capris, namque anser, coruusque ab æstate in autumnum morbo conflictari dicuntur. Comitialibus, vt idem Plinius tradit dantur carnes caprinæ in rogo hominis tostę, vt volunt, inquit, Magi: Idem etiam legere est apud Sextum. Baptista Porta id tanquam ex Plinio de hirci carne dicit, facultatemque inde notam esse, quod continuo esu comitialem morbum inducat. De hircorum verò carnibus Plinius scribit in aqua decoctas panos & apostemata in quacunque corporis parte discutere. Vbi verò idem Plinius scribit: Lusciosos, quos Græci nyctalopas dicunt, quidam inassati caprini iecoris sanie inungunt, aut felle capræ, carnesque eas vesci, & dum coquantur oculos vaporari præcipiunt: id quoque referre arbitrantur, si rutili coloris fuerint: Gesnerus non simpliciter capræ carnem lusciosis edendam intelligi monet, sed iecoris carnem, etsi ea minus propriè sic appelletur. Asserit & idem Plinius caprino iure cantharides expugnari tradi. Sanguis caprinus, vel hircinus, vt tradit Galenus, alijque & Dioscorides contra toxicum bibitur, hic verò cum vino bibendum monet, authorque est Plinius Drusum tribunum plebis caprinum sanguinem bibisse dici, cùm pallore, & inuidia veneni sibi dati insimulare Q. Cepionem inimicum vellet. Idem tradit decoctum cum medulla contra toxica venena sumi, sed hœdinum contra reliqua. Aliqui hunc eundem, aut hircinum sanguinem terræ Lemniæ misceri solitum scribunt, ac inter cæteros Dioscorides, sed Galenus, id suo tempore factum negat. Commẽdatur & ad antidota hędinus a Dioscoride. Auicenna pro toxico Armenæ sagittæ nocumentum vertit; Isaac verò in diætis non rectè citat Dioscoridem, tanquam is scribat sanguinem hirci calidum perunctum araneas, idest, sagittas Armenas & mala vulnera curare. Marcellus caprino maculas contactas ablui scribit. Sextus potum humores remediare, per humores ventris fortè fluores intelligens, quanquam Plinius sanguinem caprinum, vel medullam, vel iecur aluum soluere scribit, maior enim Galeni, & Dioscoridis authoritas esse debet, quorum hic verba adijcio: Sanguis hirci, vel capræ, inquit Dioscorides, intestinorum tormina, & alui fluores sistit, in quem vsum frixus in sartagine statim sumitur. Galenus ait: Sanguinem caprarum hydropicis quidam cum melle exhibent; aliqui ad dysenteriam eodem tosto, & ad ventris fluxum sunt vsi: videturque mihi quispiam crassam eius essentiã, & terream cùm caliditate exiccatorium esse suspicatus ad hunc vsum perductus. Hæc illi. Idẽ Plinius caprinum sanguinem cum medulla hydropicis auxiliari asserit, sed efficaciorem putari hircorum, vtiq; si lentisco pascantur. Sed & alibi, inquit; Sanguis caprinus decoctus cum medulla dysenterijs subuenit. Et rursus, vbi de remedijs cœliacorum, & dysentericorum agit, tradit si sint tormina, satis esse remedij in leporis coagulo poto è vino tepido vel semel, arbitrari aliquos: pauciores & sanguine caprino cum farina hordeacea, & resina ventrem illinere: Et rursus, sanguis hircinus in carbone decoctus aluum sistit, & Marcellus. Exceptus & coagulatus, ac super carbones assatus in cibo datus, mirabiliter profluuium ventris emendat. Si polentæ surfuribus adiecta reffina hunc sanguinẽ miscueris, atq; emplastri modo ano, ventriq; apposueris, põdus omne, & libidinẽ deiectionis efficaciter reprimes, vt testatur idẽ Marcellus, cuius etiã verbis vsus sum. Sextus non capræ, sed capri sanguinem cũ resina, & polline (polẽta potius) mixtum, & ventri suppositum torminosos sanare scribit: sed an capræ, an capri sit sanguis parũ refert, inquit Gesnerus, vt patet ex Galeni verbis paulò antè positis. Idẽ Marcellus asserit cũ polenta impositum omne ani vitium

Remedium epilepticu.

Lib. 3. c. 2.

Lusciosis remedium.

2. de antidotis.

Toxici antidotus.

Ex hirci & caprino sanguine varia remedia.

perſanare, ſed & Plinius, cùm proximè de inflationibus ſedis dixiſſet; cæteris vitijs, inquit, E
medetur ſanguis caprinus cum polenta. Hircinus de quo peculiariter ferè ſequentia intelliguntur
Adeps hircinus. abſceſſus calidos citò, teſte Auicenna, muturat, & applicatur poſt cōgelationem. Nos Galeni ſen-
tentiam de ſanguinis caprini, hircinive ad abſceſſus concoquendas curioſo vſu, ſuprà vbi de tauri-
no recitauimus. Admiſcetur etiam apud Aetium in cerato quodam podagrico. Marcellus omnē
lepram eodem illito emendari promittit. Idem alibi iubet pilos oculis moleſtos, vbi diligentiſſi-
mè vulſeris, loca eorum ſanguine hircino recenti illini. Plinius nyctalopas à Græcis dictos, lati-
nè luſcioſos hoc ſanguine ſanari, eſſe ait qui putent. Auicenna & paſſim eum ſequentes alij hoc
Lib. 11. cap. 12. ſanguine poto lapidem renum frangi teſtantur. Albertus idem aſſerit, ſi hircus diureticis nutria-
tur, & ſanguis eius cum petroſelino, & vino ſumatur aridus, trituſque. Et Aetius ſanguis hircinus,
Hircinus ſanguis quo modo ad calculum frangēdum præparetur. inquit, tum ad nephriticos, tum ad calculoſos præſens eſt remedium: Nā & lapides iam antè na-
tos ſoluit, & ita per lotium excerni facit, vt etiam alij deinde non gignantur: Dolorem inſuper ſe-
dat: Colligitur autem hoc modo. cùm vua matureſcere cœperit, ollam nouam accipito, & infuſa in
ipſam aqua, donec terreum depoſuerit, olla coquito: & accepto è grege hirco ætate matura, plus F
minus quatuor annorum, eius mactati ſanguinem medium olla excipito, ita vt eum, qui primò
effluxit, itemque poſtremum penitus relinquas: medium autem inſpiſſari ſinito, & in olla ſitum
per acutam arundinem in multa fruſta diſſecato. indeque reticulo denſo, aut linteolo raro, aut
cribro arctiore contectum ſub dio exponito, vt inſoletur, & roſcidus fiat, cauendo ne imbre
commadeſcat. Porrò vbi exiccatus fuerit diligenter tritum in pyxide aſſeruato, & remittente hoc
malo cochlearium plenum cum paſſo Cretico exhibeto. Cognominatur autem pharmacum periculum
diuina manus. Huius & nos, inquit Philagrius, in breui tempore non aſpernandum periculum
fecimus. Aliquando autem odoris commendandi gratia parum phylli, aut amomi, aut ſimi-
lium admiſcemus. Ego, inquit, hoc pharmacum cum Troglodyte paſſerculo permixtum cuidam
penitus nihil lotij eijcienti poſt magnos dolores exhibui, & permagnum lapidem attritum ab eo
expuli. Huc vſque Aetius. Cæterùm hircinum ſanguinem manum Dei appellari, teſtis eſt
etiam Alexander, & Auicenna 18. 3. cap. 19. vt Chriſtophorus Oroſſius, teſtante Geſnero ob-
Lib. 2. ſeruauit. Alexander Trallianus aduerſus calculum in veſica caprinum ſanguinem (τὸ αἴγειον G
Lib. 8. c. 7. αἷμα) commendat calidum foris illinendum, melius autem fuerit, inquit, ſi hircum ſuprà ve-
ſicam poſueris. Optimum verò ſi in calido aere balnei inungas, & ita ſuperilliges; quod qui-
dem non ſemel tantum, ſed ſæpius, & per interualla faciendum eſt. Torinus in paraphraſi ſua in-
nuere videtur ſanguinem ſupra veſicæ regionem effundi debere (nimirum ex ipſo hirco iugula-
to, aut ex vaſe adhuc calidum) atque ita illini. Ad lapides de veſica eijciendos remedium ſin-
gulare apud Marcellum Virgilium deſcribitur etiam his verbis: Hircum ſegregatum, vel clau-
Cap. 26. ſum ſeptem diebus lauro paſces, & poſtmodum à puero impubi occidi facies, & ſanguinem eius
excipies munditer, ex eo dabis laboranti in cyatho vini, ſcrupulos tres: At verò, vt eius rei ex-
perimentum capias, lapillos fluuiales in veſicam mittes, in qua ſanguis exceptus fuerit, nam in
veſica excipi debet, & ſignatam repone: Intra dies ſeptem ſolutos penitus inuenies. Hæc ille.
Et rurſus, eodem capite, calculoſis, inquit, expertus affirmat incredibiliter ſuccurri remedio tali,
ſi hircum, meliùs ſi agreſtem, melius ſi anniculum, & ſi menſe auguſto claudas loco ſicco per tri-
duum, vt ei ſolas lauros edendas ſubminiſtres, & aquæ nihil accipiat, ad poſtremum tertio die,
ideſt, aut Solis, aut Iouis, occidas. Melius autem erit ſi caſtus, puruſque fuerit, & qui occidit, & H
qui accipiet remedium. Exſecto igitur gutture eius ſanguis excipitur, vtilius ſi ab inueſtibus pue-
ris excipiatur, comburitur in vaſe fictili, vſque ad cinerem. Vas autem in quo torrebitur cooper-
tum, & inlitum gypſo in furnum mittetur: Quod cùm vapori exemeris in puluerem conteres:
nec non & polypum marinum identidem, vt dixi exuſtum, in puluerem rediges. Confectio
autem vniuerſi medicaminis hæc eſt: Sanguinis huius hirci vncias tres, thymi vnciam vnam,
pulegij vnciam vnam, polypi exuſti cineris vncias tres, piperis albi vnciam vnam, apij, ſemi-
nis oluſatri vnciam vnam. Hæc omnia ſeparatim tunſa, & ad leuiſſimum puluerem redacta
commiſces, & dabis infirmo, melius ſi die Solis, aut Iouis, cochlearis menſuram in meri potio-
ne, aut cuiuſcumque dulcis poculi. Prouidere autem debes, vt digeſto, ac ieiuno potio detur: &
rurſum, vt eadem potione benè digeſta cibos accipiat: Et eo melius erit ſi hanc potionem cum
condito poſt balineum in ſabanis adhuc conſtitutus acceperit. Et ſubinde rurſus ſuper omnia
efficax aliud, inquit, ex eo facies medicamentum ſic: Sanguis hircinus ea obſeruatione, qua ſu-
prà, excipitur in patella ferrea cādente, vt aduri poſſit, & ſtringi continuò ipſe ſanguis, ita vt poſtea
in puluerem redigatur: Vel certè continuis aliquot diebus ad Solem ipſum ſanguinē pones, ita vt
rore iam decuſſo poſt horam ſecundam ponas, & ante nonā colligas: Poſteaquam ita fuerit ſicca-
tus ſanguis, vt nullū humorē habeat, colliges eiuſdē cruſtulas, & teres, atq; ex eo leuiſſimū puluerē
redi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A rediges: deinde accipies herbam tribulum, cuius herbæ ipsum tribulum, hoc est, semen spinosum
proijcies; Ipsam autem herbam lectam de locis maritimis siccabis, tundes, & in puluerẽ rediges:
Confectio autem medicaminis totius hæc est: Herbæ tribuli vncias duas, piperis vncias duas, pe-
troselini Macedonici vncias duas, folij sertulam, idest, coronam, siuè sphœram vnam, hæc omnia
separatim tunsa, & ad leuissimum puluerem reducta cum sanguine hircino miscebis, & dabis in-
firmo die Solis, aut Iouis cochlearum mensuram in meri potione, aut cuiuscunque dulcis liquo-
ris. Prouidere autem debes, vt digesto, ieiunoque potio detur; quam cùm acceperit, qui calculum
patitur, mox lapides solutos omnes per vrinam emittet. Hactenus Marcellus, subijciens etiam
adamantem hoc sanguine perfusum solui, id quod & alijs persuasum fuit, sic enim Simocatus: san-
guis hircinus adamantem emollit; Item Leoninus, est enim inter cæteros horum sanguis calidis-
simus; Adamas autem cùm frigidus, siccusq; sit, ab eo, quod sibi maximè contrarium est, precipuè
vincitur. Idem sentit inter recentiores Georgius Agricola, & Albertus inquiens: Caprinus (hirci-
nus potiùs) sanguis bulliens de nouo calidus extractus emollit adamantem: Sed & Hermolaus
B adamantis, inquit, natura inuictissima, & duarum rerum violentissimarum contemptrix ignis, &
ferri: non alia rumpitur vi, quàm hircino sanguine macerata recenti, & calido, etiamsi hoc gem-
marij nostri falsum, & ridiculum existimant, ex Plinio vt apparet, cuius hæc verba: hircorum san-
guini tanta vis est, vt ferramentorum subtilitas non aliter induretur, scabritia tollatur vehemen-
tiùs quàm lima. Quo loco idem Hermolaus pro lima legit scobina fabri. Scaliger verò etiam ada-
mantem, in exercitationibus aduersus Cardanum hirci sanguine rumpi, inquit, Plinius tum pro-
dit, tum vellicat. Mallem sua proderet experimenta. Recentiores, qui detestantur occultas pro-
prietates, easq; inscitiæ asylum contumeliosis verbis vocant, & alijs locis, & in hac historia, quas
destruunt, construunt. Aiunt enim hircinum sanguinem in adamantem penetrare propter ana-
logiam, quæ est in principio communi. At verò quid est aliud principij cõmunis analogia, quàm
proprietas occulta? Nã quare subit hircinus, & alius sanguis tenuior restitat exclusus? Et sanè ab
vno principio deducere adamantem, atque illum sanguinem, est, hircum facere adamantem. Frã-
gere tamẽ in renibus, atq; in vesica lapidem tam verum est, quàm meridie lucere, quàm plurimos
enim eius vi comminuimus. Sed & leporino fit hoc idem, vnde igitur illa efficacia? Non tibi nunc
dissoluam debitum; sed bona fide interea pignori tibi relinquam ingenui candidique animi ver-
C bum hoc, nescio. Hactenus Scaliger, quibus indicat inde vim huius sanguinis ad calculum excogi-
tatam, quòd adamantem lapidem terere crederetur. Sic & Laurentius Ioubertus: Sanguis hirci-
nus, inquit, ad calculi humani curationem venisse metaphoricè, quia eo solo adamantem incidi
posse creditur. Si in sanguine hoc eodem, & succo senecionis vitrum efferbuerit, aut maceratum
fuerit, reddetur tam molle, quàm est cera, vel argilla, sit vt quiduis ex eo fingi possit: priori verò
naturæ restituetur si in frigidam demergatur. Hæc esse Geberi, & post eum Alberti, nec non in-
geniosi cuiusdam Vitrarij Biturici, qui paulò antè quàm in fata concederet, hocque eximium se-
cretum Antonio Mizaldo, vt ipse memorat in memorabilibus centuria 8. aph. 18. vltro donare
voluit. Vt modò ad institutum de calculi fractione, & sanguinis præparatione reuertamur, do-
cet hæc etiam Fuchsius Marcellum secutus: hirci, inquit, mediocris ætatis, & quadrimi domi vi-
no albo, & herbis calculum frangentibus nimirum fœniculo, apio, pimpinella, & œnanthe nutriti
Iulio, & Augusto mense iugulati medius effluens, ex arterijs maximè sanguis excipitur: nam pri-
mus tenuior, postremus crassior putatur, vaseque vitreo exceptus concrescere sinitur, atque aqueũ
D quod in eo est effunditur, reliquum linteo raro intectum Sole exiccatur. Iacobus Syluius in me-
thodo de componendis medicamentis ab initio capitis de animalibus, & eorum partibus ex Aui-
cenna, & cæteris practicis, idem quidem etiam docet, sed quasi fide indignum reijcit, his verbis:
Sanguini hircino, quamdiu ab animali calet coquendi abscessus vim tãtùm tribuit Galenus, qua-
lem caprino, taurino, & cæteris calidis humidis modicè. Quod si adamantem frangit, sed calidus
tantùm ab animali, sic lapidem calidus tantùm epotus fregerit, quod & sanguinem vulpinum ex
vena secta potum præstare audio. Ne autem coaguletur, Xenocratis exemplo miscere possis ace-
tum feruefactum, aut coagulum. Hirci quoque, capræ, capri, cerui, leporis sanguinem sartagine
frixum dysenterias, & Cœliacorum profluuium sistere tantum docuit Dioscorides, non addit cal-
culum frangere, quæ vis tenuibus conuenit cùm dictorum animalium sanguis substantia crassa,
& terrea, & cum calore siccatoria dysenterias sanet. Cæterùm Garzias Lopius Lusitanus aduer
sus Syluium sic scribit, sanguinem hircinum vtilem esse renum calculo non solùm recentiores, sed
veteres etiam scriptum reliquerunt, inter quod Aetius est, & Paulus Aegineta, Alexander Tral-
lianus & Auicenna, qui omnes medium hirci iugulati sanguinem colligũt, & calculosis cum alijs
ad hanc rem commodis mistum in vase vitreo seruare iubent, nec ob aliud quidem quam quòd
melior sit primo & vltimo, quod nemo inficiabitur profectò, si hirci temperaturã animaduertat,

Adamas inuictæ alioquin fortitudinis hircino resoluitur sanguine.

Exercitat. 344.8.

Lib. 1. de comp. med. cap. 24.

Cap. 2. cõm. de varia rei medica lect.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

cuius non eſt parua controuerſia apud Ariſtotelem,& Iſaacum, cum ille hircos natura humidos, E
& calidos eſſe dicat, ideoque ad venerem procliuiores; hic frigidos,& ſiccos eſſe tradit. Ab Ari-
ſtotele videtur diſſentire Galenus, vbi hircorum carnem ad coquendum, & ad bonum generan-
10.probl.26 dum ſuccum deterrimam eſſe ait, nec ob aliud quidem, quàm quòd frigidæ,& ſiccæ temperatu-
3. de alim. fac. c. 2. ræ ſit: alimentum enim, quod eiuſmodi eſt, nequam,& prauum generat ſuccum, ſicut caro hirci-
na, quæ licet frigidę,& ſiccę naturæ eſt, generat tamen ſanguinem, vt author eſt Aetius, cum acri-
monia quadam, qua veluti aculeis quibuſdam excitantur hirci, eoque veneris auidiores ſunt, &
ob id fortaſſis capras, nec vnquam febre carere ex Archelai ſentētia Plinius author eſt, quòd prę-
ter naturam frigidam,& ſiccam, quam habent, prędítæ etiam ſint illa ſanguinis acrimonia, quam
febrem in capris non ineptè quis vocare poteſt. Quid enim dic quæſo magis febris eſt, quam co-
eundi libido, qua magis quàm febre, viſcera inardeſcunt? Cæterum licet caro hircina ſiccæ,& fri-
gidæ temperaturæ à nobis definiatur, non tamen hircos eiuſdem omninò temperamenti eſſe di-
cimus dum viui ſunt, ſed ipſos caliditatem quandam habere à natura, à qua ſortiti ſunt, abundè
ſatis amaræ bilis, quo fit, vt capris, quæ etiam illa abundant, alimenta, quæ amara ſunt, dulcia F
ſint. Quibus ita habitis non eſt audiendus Iacobus Syluius qui in ſuis ſcholijs in libro Hippocra-
tis de natura humana errorem dicit eſſe practicantium, medium ſanguinem hirci iugulati colli-
gentium ad calculum, quod perſuadet ex Hippocratis ſententia, quod dicat; *in his, quæ iugulan-
tur, ſanguis fluit primò calidiſſimus, & ruberrimus, deinde pituitoſior, & bilioſior:* Quod diffiteri
non audemus, quamuis ingenio noſtro ſatisfeciſſe me crederem, ſi palam dicerem, quod ſuſpicor.
Dicam tamen Hippocratis ſententiam in hominis iugulati ſanguine veriſſimam eſſe, quam ad
hircorum ſanguinem contorquet Syluius. Hippocrates enim de natura hominis agit, ad quam
omnia quæ diſſerit referenda ſunt, non tamen ad naturam aliorum animalium, ad bouem ſcili-
cet, aut ad hircum, cuius iugulati ſanguis medius melior eſſe debet eò quòd totus coabundat bi-
lioſus, acer,& acutus eſt,& qui priùs exierit ſubtilior & calidior eſſe debet, medius non ita ſubti-
lis, aut calidus, vltimus iam aliquid habeat pituitæ,& ob id non probatur; ſit itaq; vt medius me-
lior ſit cæteris. Verùm ſi vim illam, quam ſanguis hircinus ad calculum habet, ad actionem pro-
priæ ſubſtantiæ cum Tralliano referre velis, parum intereſt primus, aut medius, aut vltimus col-
ligatur, niſi dicas experimento (quæ fides eſt vtilitatis medicamentorum) compertum eſſe mediū G
De hædino ſanguine. iugulati hirci ſanguinem calculoſis vtilem eſſe. Hactenus Garzias. Hœdinum ſanguinem recen-
tem ad cyathos ternos cum aceto acri pari modo ſi feruens potetur, ſanguinis excreationes reſi-
10. de ſimpl. fac. c. 4. cere author eſt Plinius. Parandi modum docet quodammodo Galenus in opere de ſimpl. fac. eā-
demque vim ei aſcribere videtur his verbis: Porrò quod de hœdorum ſanguine prodidit Xeno-
crates, ratus id ob aceti miſtionem poſſe aliquid efficere, perſuaſi cuidam in agro degenti, qui rei
ruſticæ quidē ſtudioſus, ſed primis diſciplinis eruditus erat, ut experiri uellet. Is retulit ſe in duo-
bus ſanguinem expuentibus uſum nonnullam vtilitatem expertum. Cæterùm illorum neuter ex
ijs, quæ mihi narrabat, neque ex arteria, neque ex laringe, aut ex pulmone expuiſſe viſus eſt. Xe-
nocrates igitur in primo libro de percipienda ab animantibus utilitate, ubi de hœdis diſſerit, ſcri-
bit in hæc uerba: ad hœmoptoicos, hoc eſt, ſanguinem ſpuentes, admodum utilis eſt hœdorum
ſanguis. Oportet autem nondum (Marcellus Virgilius perperam pro nondum habet nuper) con-
creto plus minus menſura ſemicotylę tantundem admiſcere aceti acris, idque feruefactum trifa-
riam partiri,& in ſingulos dies ſingulas partes exſorbendas dare. Itaque licebit tibi fortè fortuna
in agro deprehenſo ubi reliquorum fuerit inopia, hoc uti, cùm citra periculum id experiri poſſis. H
Quare apud Auicennam ubi habet ſanguinis hœdini recentis antequam congeletur uncia cum
aceto mixta,& triduo pota uomitui ſanguinis confert, itemque agni; interpres fortè uomitui red-
didit pro excreationi, uel ſputo. Adſtringentem autem illi facultatem ineſſe ex eo etiam clariſ-
ſimum eſt, quod, ut ſupra docuimus ex Plinio, ſanguine hœdi in cibum formato, ad cœliacos,&
dyſentericos affectus quidam utuntur. Notandum denique in omnibus pharmacopolijs, ut an-
notauit Matthiolus loco ſanguinis draconis uendi rem fictitiam ex reſina (& bolo armeno, ut ad-
dit Syluius) ſanguine hirci, ſorbis aridis,& alijs permixtis. Eiuſdem naturæ, nimirum adſtrin-
gentis, eſt adeps huius pecudis, ſed hœdorum, teſte Galeno, minus tum calidus, tum ſiccus eſt,
quàm caprarum, ſed & caprarum minus quàm hircorum,& rurſus hircorum, minus quàm leonū.
Lib. de morb. cutan. c. 9. Hieronymus Mercurialis circa pinguedines contradictionem pulcherrimam, ut ipſe ait,& quam
nemo, quod ipſe quidem ſciat, uidit, his uerbis explicat; Galenus 4. de ſimpl. cap. 6 ſcribit pingue-
dinem hirci eſſe maximè acrem, atque igneam; 2. uerò de ſimpl. cap. 12. dicit eſſe aliquas res, quæ
morſus euacuando curant, quemadmodum ſunt res ſalſæ; alias uerò eſſe, quæ mordicationes cu-
rant non euacuando, ſed attemperando,& inter has, quæ curant mordicationes attemperando
adnumerat oleum dulciſſimum, ſuccum ptiſanæ,& adipem hircinum, ita quòd uidetur ſibi clariſ-
ſimè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A simè contradicere Galenus, quia, hic ponit adipem hircinum curare mordicationes attemperando: 4. verò de simpl. habere hanc pinguedinem maximam acrimoniam & igneam. Pro tollenda hac contradictione duo mihi dicenda occurrunt, primum est, pinguedinem hirci, aut recentem esse, aut vetustam. Pinguedo vetusta est maximè acris & ignea, & de hac locutus est Galenus 4. de simpl. Recens autem pinguedo tametsi sit acris, non est tamen ita, vt vetusta, & hoc dictum est à Galeno 11. de simpl. cap. de pinguedine, & 3. de compos. med. per genera cap. 5. Pinguedo igitur recens hac ratione conuenit in morsibus, quia licet sit aliquantisper acris, habet tamen maiorem vim emplasticam, quàm acrimoniam, & propterea hanc commendauit 2. de simpl. Sed hæc responsio, vt quod sentio, fatear, mihi non satisfacit, quia Galenus loco citato videtur velle, quòd etiam pinguedo hirci, dum recens est sit valde acris ea propter putaui literam Galeni 2. de simpl. esse corruptam, & loco τράγου legendum esse αἰγὸς, adducor autem ad hoc conijciendum, quia Gal. 11. de simpl. loco citato, inquit, quod in dysenterijs maximè prodest adeps capræ, qui quidē est minus acris, quàm hirci, concrescit enim circa parietes intestinorum. Vnde permanentia illa sua non modò placat morsus, sed etiam prohibet mordicationem ampliorem. Hactenus Mercu-

Conciliatio locorum Galeni.

B rialis. Rhasi seuum capræ adstringentius est seuo boum; sed quomodo hæc adstringendi vis intelligi debeat, docet in hæc verba Galenus: Boues, inquit, & capræ, & quæcunque id genus cornigera ob siccitatem adipem plurimum generant. Sed siue seuum (interpres habet adipem) siue pinguedinem totum oleosæ & pinguis substantiæ genus in animalibus appelles: non tamen licet citra mendacium adipem caprinum humidiorem esse dicere, quàm suum &c. Cæterùm caprinum adipem ijs, qui mordicationes patiuntur, aut in recto intestino, aut in colo potius, quàm suillum injicimus, non quod acrimonias plus obtundat, sed quòd ob crassitiem citiùs concrescat, cùm suillus instar olei diffluat &c. Et paulo pòst cùm nonnullos adstringentia pro acribus dicere reprehendisset, subdit, sed illi in vocabulis potiùs quàm rebus ipsis hallucinari videntur & maximè illi, quibus lingua græca insueta est, qualis est Dioscorides Anazarbensis &cæt. Hic enim cùm ait magis esse adstrictorium, adipem caprinum suillo, siquidem acriorem significare velit per magis adstrictorium, accipimus sermonem ceu verum, at si illud talem habentem qualitatem, qualem rhus, rheum, hypocisthis, balaustium, haud verum esse sermonem dicemus. Huc vsque Galenus. Dioscoridi autem hircinus validissimè discutit, & Auicennæ magis resoluit quàm cæ-

Ex seuo caprino, hircino, & hœdino ad varios affectus remedia.

C tericum melāthio, sulphure, & iride, lentigines, & maculas tollit, Plinio teste, & labrorum etiam fissuris efficax cum adipe anserino, ac medulla ceruina, resinaque & calce. Ceruix boum si media intumuit, comperimus, Columella inquit, aureum esse medicamentum ex pice liquida, & bubula medulla, & hircino seuo, & vetere oleo æquis ponderibus compositum, atque incoctum. Idem Columella omnem ferè dolorem corporis, si sine vulnere est, recentem meliùs fomentis discuti, veterem vri ait, & supra vstum butyrum, vel caprinum instillari adipem. Et alibi, suppuratio in bubus, inquit, ferro rescinditur, expressus deinde sinus ipse, qui eam continebat, calida bubula vrina eluitur, vel si collui ea pars non potest, lamina candenti seuum caprinum, aut bubulum instillato. Cum calce strumas discutit, teste Plinio & Marcello dicente: adeps caprina cum calce subacta, & apposita statim dissoluit, & sanat per se perniones, admixta sandaracha vngues scabros emendat, vt ait Plinius, vel vt Sextus vnguibus leprosis superpositum sine tormento sanat. Cantharides licheni illitas cum succo taminiæ vuæ, & seuo ouis, vel capræ prodesse, absque dubio Plinius ait, vlceraque quę serpunt cohibere seuum hoc cum cera, item addita pice, & sulphure percu-

D tare; manantia item verendorum vlcera cum melle, rubique succo. Buprestim item cum hircino seuo lichenas illitam ex facie tollere septica vi (in textu perperam legitur smectica) pedes locustarum cum seuo hircino tritos lepras sanare, easdemque frictas cum hoc eodem seuo vnguium scabritiem tollere. In furunculis seuum bubulum cum sale illini, aut si dolor est intinctum oleo liquefactum sine sale, similique modo caprinum. Aesculapius adipem caprinum cum rosis mixtū pustulas, quæ nocte grauescunt, tollere credit, hocque etiam auribus instillatum surdos sanare. Per se adeps caprinus datur, teste Dioscoride, vtiliter his, qui cantharidum venena hauserunt, cū cera verò contra ictus serpentium, vt Plinius ait, imponitur; Atqui Aesculapius omni morsui, & læsioni subuenire scribit. Magi, vt citat Plinius, commendant seuum caprarum comitialibus cum felle taurino pari pondere decoctum, & in folliculo fellis reconditum, ita ne terram attingat bibendum sub limine ex aqua. Idem ait Zeæ farinam ex vino rubro ad scorpionum ictus tepidam illini tussi cum caprino seuo, aut butyro. Sed Dioscorides ius decocti caprini adipis phthisicis in sorbitionibus prodesse asserit, ipse verò Plinius capræ seuo in pulte ex alica, & phthisin, & tussim sanari ait, vel recenti cum mulso liquefacto, ita vt vncia in cyathum addatur, rutæque ramo permisceatur non paucos tradere. Marcellus verò phtisanam cum adipe caprino coctam torminosis in declinatione conuenire vult, & apud Dioscoridem habemus caprinum adipem decoctum cum

Contra cantharidū venena.

Idem ait instillatum auribus surdos sanare.

polen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

polentæ; hoc, & caseo; dysentericis dari, & cum ptisanæ succo infundi. Rhases vbi remedia ex E capra describit; leonis etiam seui (nisi interpres errauit, quod omninò suspicandum est) mentioné inmiscet cum de leone tractasset ab initio libri illius de sexaginta animalibus, nec vllum tale ex eius seuo remedium memorasset. Sepum leonis, inquit, omnibus præfertur, ob hoc cùm clyster ex eo paratur cum aqua hordei tosti, aut cum aqua farinæ tostæ, & sumach coctum, & liquefactum, cum cera exulceratis intestinis summopere conducit. Plinius etiam seuum caprinum in sorbitione aliqua intestinorum vitijs magnopere prodesse asserit, ita vti protinus hauriatur frigida aqua: (Sextus idem remedium hydropicis commendat, referente Gesnero, cui hoc non probatur) Seuo itidem hirci aduersus dysenteriam vtuntur, teste eodem Plinio, in pane, qui cinere coctus sit: Capræ, à renibus maximè, vt per se hauriatur, protinusque modicè frigidam sorberi iubent. Canarij, vt refert Cadamustus cap. 8. seuo hircino condito herbarum quarundam succo carnem inungũt, vt cutis facta inde densior, algorẽ ferat faciliùs: Nudi enim ferè incedunt. Aliqui & in aqua decoctum seuum admixta polenta, & cymino, & anetho, acetoq; vtũtur; quod postremum remedium legitur etiam apud Marcellum: adipem caprinum, inquit, de renibus sublatum misce cum polentæ furfuribus, atque adijce illi cyminum, & anethum & acetum æquis portionibus, atque ex aqua F decoque, & colatum sorbitionis more dysenterico dato sumendum, mirè, celeriterque subuenies. Idem Marcellus seui hircini vncias duas, olei viridis sextarium dimidium, hęc simul in duplici vase remissa, & calefacta dysenterico inijci iubet. Podagris, vt Plinius ait, medetur taurinum seuum, alij verò hircinum præferunt cum fimo capræ, & croco, sinapive cum caulibus hederæ tritis, & perdicio, vel flore cucumeris syluestris: alij seuum hircinum magnificãt cum helxines parte æqua, & sinapis tertia. Idem alibi helxinem imponi podagris, ait cum caprino seuo, ceraque Cypria: & alibi, podagris, inquit, cum seuo hircino vehementer prosunt minoris sambuci cauliculi illiti: & rursus heliotropij radix cum folijs, & hircino seuo podagris illinitur. Sed & Dioscorides, & Rhasis hircinum adipem, cum fimo capræ, & croco impositum podagricis auxiliari aiunt, vt dissoluat, siue, vt habet Albertus, leniat dolorem. Sic falx hircino adipe illita teneros pampinos à cantharidibus & à pruina præseruat, vt refert Gaudentius Merula lib. 3. cap. 62. Gesnerus suos tradit ex adipe de omento hœdi sumpto, & stillatitio rosarum liquore macerato in libras tribus vel quatuor caphuræ drachmis admixtis vnguentum parare ad fissuras labiorum, & narium vtile, & mulieri- G bus tum aliàs, tum ne facies à sole aduratur expetitum, Galli, & Itali, inquit, pomatum vocant, quoniam odoris commendandi gratia poma adijciunt hoc ferè modo: Mala quinque decorticata, & in partes diuisa, & caryophyllis infarcta in rosarum liquore moschato macerantur quatriduo: Deinde addunt adipis hœdini recentis libram & simul feruefaciunt in balneo mariæ (vt vocant) donec omnia albescant, mox cum prædicto rosarum liquore abluunt, vt totum fiat album, & in vase vitreo reponunt. Sunt qui odoris gratia, algaliæ vel moschi, vel vtriusque parum admiscent. Apud nos quidam tragacanthæ, cerussæ, & lactis caprini nonnihil admiscent. Eisdem viribus præditum, aut etiam efficacius videtur, quod vulgò vnguentum album caphuratum vocant, oleo rosarum, cera alba, cerussa, albis ouorum mixtis cum modica caphura. Posset & calx viua, præsertim lota admisceri, vt in illo Sexti, ad labiorum fissuram. Sepum capræ, (tribuit autem capreæ eadem ferè omnia, quæ alij capræ,) & adipem anserinum, & medullam cerui, & cepe cum resina simul & calce viua, fac vt malagma: mirè sanat labiorum fissuras. Medulla caprina quarto loco, post ceruinam, vitulinam & taurinam laudatur à Dioscoride, omnium postrema est ouilla. Plinius laudatissimam facit ceruinam, mox vitulinam, deinde hircinam & caprinam, vt suprà vbi H de vitulina fusiùs dictum. Dictum modò etiam ex eodem sanguinem caprinum decoctum cum medulla contra toxica venena sumi, idemque remedium dysentericis, & hydropicis prodesse: Et alibi cùm ex caprino remedia quædam docuisset, subdit: nec abdicant fimũ ex melle illitum epiphoris, contraque dolores medullam, item pulmonem leporis, vt dubitet aliquis leporinam ne an caprinam medullam accipiat: Ego, inquit Gesnerus, de caprina intelligo, quod & mihi videtur. Idem Plinius sanguinem caprinum, vel medullam, vel iecur aluum soluere tradit, cùm potiùs contrà sistere aluum dixeris, nam siccandi modicè, & emplasticam ferè facultatem omnes medullæ habent, quamobrem ad dysentericos etiam caprinæ medullæ vsum ipse quoque commendat inquiens: Sanguis caprinus decoctus cum medulla dysentericis subuenit: & rursus; Sanguis caprinus cum medulla hydropicis auxiliatur, efficaciorem putant hircorum vtique si lentisco pascantur. Nos verò etiam sanguinem caprinum aluum sistere ostendimus idem nunc de iecore confirmaturi ex eodem Plinio; cuius hæc sunt verba: Iecur assum capræ cœliacis subuenit, magisque quàm hirci, cum vino austero decoctum, potumque, vel ex oleo myrtheo vmbilico impositum: quidam verò decoquunt à tribus sextarijs aquæ ad heminam addita ruta: & rursus: aluum sistit iecur hircinum decoctum in vini hemina: & rursus; Sanguinem sistit caprini cornu cinis, vel fimi, ex aceto (scili-

Medullis quæ facultas sit.

Iecoris caprini ad varios affectus mira virtus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A (scilicet illitus) hircini verò iecoris dissecti sanies efficacior: Et cinis vtriusque ex vino potus, vel [...]ribus ex aceto illitus: hircini quoque vtris vinarij duntaxat cinis cum pari pondere resinæ sistit sanguinem, & vulnus glutinat. Sed & Marcellus ait: Vini veteris feces & iocinoris caprini frustũ sufficiens in ollam rudem mitte, & facito vt belliat, atque inde ieiuno cœliaco sufficienter da bibere. Est uerò iecur caprinum quàm maximè celebre ad nyctalopas. Galenus: Caprinum iecur assum si edatur tum ad nyctalopas accommodari aiunt, tum eos, qui comitiali morbo sunt obnoxij arguere, conuulsionemque illis accersere. Dioscorides uerò tradi asserit hircini iecinoris cibo comitiales deprehendi, sed vtriusq; eadem vis, vt ex Galeno dictum. Et rursus: ex Dioscoride: Caprini iecoris inassati decidua sanie inũgi lusciosos (nyctalopas) prodest, & dum coquitur apertos oculos halitu eius vaporari: prodest in cibo tostum ad eadem. Plinius: Capras tradunt noctu non minus cernere, quàm interdiu; ideo si caprinum iecur vescantur, restituit vespertinam aciem his, quos nyctalopas vocant; & alibi: Et quoniam noctu æque quoq; cernant, sanguine hircino sanari lusciosos putant, nyctalopas Græcis dictos: Capræ verò iecinore in uino austero decocto: quidam inassati iecoris sanie inungunt, aut felle capræ, carnesque eas (ipsum scilicet iecoris uiscus) uesci, & dum coquantur oculos uaporari ijs præcipiunt; Id quoque referre arbitrantur, si rutili coloris fuerint. Volunt & oculos suffiri iecinore in olla decocto, quidam inassato. Celsus libro 6. post multorum in oculis morborum curationes, de oculorum imbecillitate curãda, sic prodit; Præter hæc imbecillitas oculorum est, ex qua quidam interdiu satis, noctu nihil cernũt, quod in fœminam benè respondentibus menstruis non cadit. Sed sic laborantes inungi oportet sanguine iocinoris maximè hircini, sin minus caprini, vbi adassum coquitur excepto. Atque edi quoque ipsum iecur debet. Rhasis denique ait, dum hepar capræ cum aqua, & sale coquitur comprimat se oculis apertis super uaporem huius aquæ, cui uisus deficit noctu, multum iuuat. Sextus Empiricus hæc remedia ad nyctalopas capreæ iecori adscribit, cuius uerba suo loco citabimus. Hippocrates in lib. de nat. muliebrib. Si pariens inflata fuerit, hepar ouillum, aut caprinum calido cinere obrutum edendum præcipit meracius ad dies quatuor, & uinum bibi uetus. Plinius cùm dixisset papilionem, qui lucernarum luminibus aduolat, inter mala medicamenta numerari, huic contrarium esse dicit iecur caprinum. Sed & hirci iecur alexiterium est: nam Ponzettus Cardinalis id maturè sumptum ab ijs, quos canis in rabie momordit, auxiliari asserit, ex eodem, ut uidetur Plinio, cuius hæc sunt uerba; Ad canis rabidi morsum laudant hirci iecur, quo imposito ne tentari quidem aquæ metu affirmant. Calidum illitum lepras tollit teste eodem; Nota uerò hirci iecur eadem dici caprino efficere, ut Galenus scribit. Ex felle multa etiam reperio remedia, & potissimum apud Plinium, tum caprino, tum hircino; Caprinum ueneficijs ex mustela rustica factis contrarium esse; cum aluminis cinere scabiem hominis inquam abolere, elephantiasin tollere, (sed Dioscorides hircinum fel ad elephantiasis tumores commendat) magis felle capreæ sacrificatæ duntaxat illito oculis, uel sub puluillo posito somnum allici dicere. Ad porriginem prodesse cornu ceruini, cinerem è uino, utque non tœdia animalium capillis increscant; Item fel caprinum cum creta cimolia, & aceto, sic ut paululum capilli inarescant; Ad eandem prodesse fel hircinum cum urina tauri; si uerò uetus sit etiam furfures adiecto sulphure emendare. Hoc idem lentigines tollere admixto caseo, & uiuo sulphure, spongiæque cinere, ut mellis sit crassitudo; Aliquos inueterato felle uti maluisse mixtis calidis furfuribus pondere oboli unius, quatuorq; mellis, prius defricatis maculis. Legimus & apud eundem fel caprinum strumas discutere, sed fortè caprinum legendum, nam Marcellus habet sic: Fel caprinum ad incipientes strumas optimè facere experimenta docuere, nam penitus crescere non sinentur, si eo assiduè tangantur; ait item Plinius fel caprinum pluribus modis assumi ad oculorum remedia; cum melle contra caligines; cum ueratri cãdidi tertia parte contra glaucomata: cum uino contra cicatrices & albugines, & caligines, & pterygia, & argema: Ad palpebras uerò euulso prius pilo cum succo oleris, ita ut inunctio inarescat; Contra ruptas tuniculas cum lacte mulieris; Ad omnia autem inueterata fel efficacius putare (eadem omnia Sextus de capreæ felle scribit paucis uerbis uariantibus, ut infrà apparebit). Caligini autem prodesse hoc fel etiam legimus apud Serenum, qui sic canit;

Hyblæi mellis succi cum felle caprino
Subueniunt oculis dira caligine pressis.

Ad nyctalopas, idest, lusciosos Dioscor. fel capræ syluestris priuatim inunctum prodesse ait; Idem uerò etiam præstare hircinum, & Galenus in facilè parabilibus ad ulcera oculorum, & albugines fel hirci confricari iubet in oculo; aliasq; eodem in opere euulsis radicitus pilis, qui palpebris innati oculum infestant hyenæ, aut hirci fel statim inungi, ut nunquam renascãtur, asserit. Et Rhasis quoque & Albertus collyrium ex felle caprarum syluestrium, uel domesticarum telam oculorum sanare profitentur, idemque Albertus fel caprinum ait palpebris, uel supercilijs impositum

pilos

Hirci iecur ad canis rabidi morsus.

Fellis caprini facultates, & hircini.

Ad oculorũ mala.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

pilos abolere: acerrimum enim eſſe, & forſan in ali js quoque locis pſilothron. Galenus teſtatur E
nonnullos domeſticarum ſuum bile, ſiue felle ad vlcera aurium vti medicamento, vt ipſe profite-
tur, vtiq; non reprobato, quare eodem ipſe, vbi compoſitorũ nihil adfuerit, vti præcipit: hæc autem
eſſe innumera, ſed & pro affectus magnitudine aliam etiam, atque aliam alterius animalis bilem
poſſe congruere. Nam vbi vlcus diuturnum fuerit, multamq; ſaniem, puſque contineat, etiam ſic-
ciorem bilem præferri iubet, puta ouium, quæ paulo, inquit, & acrior ſuilla, hac etiam magis ca-
Ad aurium vitia remedia. prarum, cui adſimilis quodammodo eſt vrſorum, & boum taurina valentior &c. Ad aures, quæ
grauiter dolent, & vetera vulnera intrinſecus habẽt, Marcellus huiuſmodi habet remedium: Mel-
lis optimi vnam partem, aceti acerrimi duas partes confuſas decoques feruoribus tribus, & lon-
giùs ea ab igne remouebis, donec commotus feruor conquieſcat, tum nitrum addes, eo vſque do-
nec ex vapore cognoſcas nitrum reſediſſe, & iterum leui igne recoques, ne efferueat, tunc addes
fel hircinum vel aprugnum, vel verrinum, aut porcinum, dummodo non de ſcrofa, & commoue-
bis & iterum concoques, ac tepefacies, & deinde, quantum ſatis eſt, auribus infunde. Idem author
medicamentum habet, quod recipit mellis, & fellis caprini ana ſcrupulum vnum, iubet conteri, F
& in ſtrigili calefieri, & infundi, & lana occludi aurem, profiteturque nihil hoc medicamine po-
tentius eſſe, neque certius, etiamſi intrinſecus cancerauerint, inquit, aures. Recitat & Plinius me-
dicamenta ad aurium vitia: Aurium, inquit, vitia ſanantur tritis porri folijs cum felle caprino, vel
pari menſura mulſi; Et rurſus, aurium vitijs medetur fel caprinum cum roſaceo tepido, aut porri
ſucco: Aut ſi ſint rupta ibi aliqua, è lacte mulieris. Inuenio itidem apud innominatum: Quorum
auditus hebes eſt, ex felle caprino, formicarum ouis, melle, & chelidonio mixtum medicamẽ au-
Ad anginã. ribus inſtillari. Prodeſt & anginæ cum melle, teſte Plinio, nec non Marcello, dum ait: caprinum
fel, vel taurinum melle permixtum, & extrinſecus faucibus appoſitum, vel pro vnguine inductũ,
anginas efficaciter ſanat. Idem ad ceruicum tumores ſedandos ouorum vitellos coctos, cum adi-
pe anſerino illini tradit felle caprino æquis ponderibus permixto, atq; inde ceruices fricari. Cum
ciclamini s ſucco, & aluminis modico hoc idem fel, teſte Plinio, aluum ſoluit; addit tamẽ, aliquos
& nitrum & aquam adijcere maluiſſe. Ad lumbricos egerẽdos lanam, felle caprino madefactam
vmbilico apponi iubet Marcellus, teſtaturque ani vitia, & condylomata eo peruncta ſanari cer-
tiſſimo conſtare. Sed & Plinius ſi benè memini per ſe id condylomatis ſedis mederi teſtatur. Cum G
melle veretri doloribus, vlceribuſque illitum prodeſt, callumque vuluarum emollit inſperſum, &
à purgatione conceptus facit. Probatumq; remedium eſt felle caprino non manu, ſed pinna pe-
des perunctos confeſtim dolore releuari, vt apud eundem Marcellum legimus. Inuenio denique
apud Didymum non fore in lecto cimices ſi fel hirci, aut tauri aceto acri diluatur, indeque lectus,
aut parietes illinantur. Lien capræ, hirciue aſſus cœliacis ſubuenit, vt Plinius ait. Marcellus verò
Lienis capræ, hircive in medicina vſus. hircinus, inquit, ſplen calidus, ideſt, ſtatim vt de pecude ſublatus fuerit, ſuper lienem hominis im-
poſitus, & alligatus mirè dolorem intra paucos dies auferet, ſi poſtea ad fumum ſuſpendantur, vt
illic areſcat. Capitis caprini cum ſuis pilis decocti ſuccum laudant, inquit Plinius, ad rupta inte-
ſtina, & Sextus id cum pilis decoctum, & contritum inciſa inteſtina ſolidare ait, ſed Marcellus cũ
pilis ſuis contuſum, atque diſcoctum, ciboque ſumptum rupta interius inteſtina dici tradit gluti-
nare. Ipſum verò cerebrum Magi per annulũ traiectum aureum priuſquam lac detur infantibus,
teſte Plinio, inſtillant contra comitiales, cæteroſque infantium morbos. At Aeſculapius capræ
cerebrum cum melle carbunculos in ventre ſanare vult: Sextus verò aquam, quæ è capræ palato
effunditur, & quicquid comedit ſi miſceatur cum melle, & ſale, & ex eo caput, & corpus ſerò frice- H
tur, pediculos extinguere promittit, aitque idem remedium eſſe ad ventris dolorem: Sed & ven-
trem ſtrictum ſoluere & ſi plus biberit purgare. Si libuerit generare marem duos teſticulos capri
aſſos deuorari iubet Rhaſis, & coire eodem die, ſic fœminam (niſi quid impedimenti in ipſa fue-
rit, vt addit Albertus) marem concepturam: quod ſi verò vnum duntaxat teſtem comederit, pue-
rum teſte vno naſciturum. Legimus verò apud Sextum, genuinum capræ ſtercori commixtum, &
factum quaſi malagma, femorum, ſi eo illinantur, mirè ſanare dolorem. Quo loco Humelbergius
per genuinum, aut teſticulos, aut naturam, aut tale quid intelligendum putat, ſicuti de patella
cerui etiam dixit. Idem Sextus capræ ſecundam ex vino potam mulierum ſecũdas eijcere author
eſt, ſed Plinius paulò aliter: Membrana caprarum, in qua partus editus inueterata, inquit, pota
que ſumpta in vino ſecundas pellit. Corij caprini cinis ex oleo illitus perniones mirè abolet, vt ait
Marcellus, vt verò Plinius, eiuſdem cinis ex oleo iniurias è calceatu ſanat. Aliàs & Marcellus in-
quit: Pelliculæ caprinæ ramenta cum pumice trita, acetoque permixta exanthematis proſunt. Itẽ
ſi fœminæ ſanguis ex naribus nimiè defluat, mamillæ eius vinciantur corrigio caprino: Idem co-
rium cum ſuo pilo decoctum aluum ſiſtit, teſte Plinio, qui & alibi ait hircini vtris vinarij dũtaxat
cinis cum pari pondere reſinæ ſanguinem ſiſtit, & vulnus glutinat: & rurſus alibi: vtuntur & pelle
hædo-

A hœdorum recente ad plagas. Pili caprini vſti fluxus omnes ſanant, vt Aeſculapius docet, vel vt Sextus vſti,& aceto permixti ſanguinem de naribus fluentem reprimunt; vel, vt Marcellus, combuſti adiecta pice, & aceto inſerti naribus ſanguinem citò ſiſtunt. Sextus eodem modo in naribus appoſitos lethargicos excitare aſſerit, idem & Plinius teſtatur, atque inſuper eorum cinerem calculos expellere. Marcellus verò etiam combuſtos, tritoſque, & in potione datos ſtranguarioſos potenter emendare profitetur, & Plinius rurſus accenſis ijſdem fugari ſerpentes dici ait, cineremque eorum potum, vel illitum contra ictus valere: Sextus denique ex pilis capri ſi is ſuffumigetur, qui in inguine dolet, ſanari: hœdorum verò pilis ſuffiri vuluas vtile putari legimus in Plinio: Cinis fęminum eorundem inteſtina rupta mirè ſarcire traditur, referente eodem, & ſanguinem ſiſtit; è lacte verò mulieris proficit ad cacoethe. Cornu caprinum dextrum in Athanaſiam magnam ſic appellatam compoſitionem apud Ioannem Meſuen venit: Item in antidotorum deſcriptionibus filij Serapionis, & Auicennę. Apud Meſuen codices quidam variam lectionem habent, aliàs de cornibus cerui: hanc reprehendunt monachi, qui in Meſuen ſcripſerunt, quoniam

Hæmorrhagiæ remedia.

Cornu caprini vſus in medicina.

B apud alios authores non habeatur. Ioannem Manardum quoque vituperant, qui ſcripſerit ſuperſtitiosè dextrum potiùs, quàm ſiniſtrum cornu ſumi. Ipſi enim dextrum præferendum putant, ſiue occulta nobis ratione illud præcellat, ſiue quòd pugnādo magis exerceatur, & alia multa multo riſu excipienda nugantur: Verùm interim ex cerui etiam cornibus, alios dextrum, alios ſiniſtrum præferre, vt ſuo loco dicemus. Serpentes accenſo cornu vel pilis, vt dictum eſt, fugari dicunt, teſte Plinio cineremque eorum potum, vel illitum contra ictus valere, quare Sextus, dum ait, puluerem de cornu capræ, & eius lac cum origano, & cum vini cyathis tribus à ſerpente morſus bibat, venenum excutiet, confundere videtur in vnum remedium, quod Plinius triplex fecit, de cornu, de lacte, & de caſeo capræ: de cornu Plinij verba iam retuli, de reliquis quoque mox ſubiungam; videntur pręterea corrupta quædam in Sexto. Cinis eiuſdem cornu ex myrtheo oleo perunctis ſudores inhibet, vt idem Plinius teſtatur, illitus verò ex aceto ſanguinem ſiſtit, hircini autem iecinoris diſſecti ſanies efficacior eſt: & cinis vtriuſque ex vino potus, vel naribus ex aceto illitus. Eiuſdem caprini cornu farina, vel cinis magiſque hircini addito nitro, & thamaricis ſemine, & butyro, oleoque prius capite raſo mirè continent icta fluentem capillum. Sextus etiam ait cornu capri combuſtum, & mixta farina impoſitum furfures ſcabiemque in capite emendare.

Ad defluuiū capillorum.

C Idem ad ſacrum ignem cornu caprinum, inquit, in flamma vſtulato, & cruſtas, quæ exſurgunt in vas nouum, donec conſumatur, deinde conteres cum aceto ſcyllitico, & illines ſacrum ignem, mirificè ſanabitur. Ait item caprinum cornu capiti infirmi, qui non dormit ſuppoſitum, vigilias in ſomnum conuertere. Ad hircos, vel alas fœtentes remedium ex Marcello: Hirci maturioris cornu raſum, vel exuſtum cum felle hirci miſcetur, & pondere æquo myrrha adijcitur, atque inde aſcellæ, demptis prius pilis, aſſiduè perfricantur. Comitialem morbum deprehendit caprini cornu, vel ceruini vſti nidor, teſte Plinio, & Sextus ait: ſi caducus verè caducus eſt caprinum cornu aduſtum naribus ſi ſumpſerit (ideſt, ſi ante eius nares teneatur) mox cadet. Alibi etiam Plinius Lethargicos eundem nidorem, vel etiam pilorum excitare aſſerit. Galenus cornuum cerui & capræ vſtorum vſum maximum eſſe ait, & ſe quoque ſæpe periculum feciſſe tum ad candorem dentiū, tum ad contrahendas mollitie fluidas gingiuas. Sed & Auicenna ait, cornu capræ ad albedinem vſtum dentes egregiè abſtergere, & gingiuas corroborare, earumque turgentium dolorem reprimere. Idem & apud Rhaſin, & Albertum legitur remedium, qui dentes eo confricandos ſcribunt. Suffiri eo vuluam vtiliſſimum ait putari Plinius: Hippocrates verò in lib. de morbis muliebr. inter medicamenta muliebria diuerſa, & ita confuſa, vt de multis ad cuius facultatis titulum referri debeant dubitatur, habet: Ouiculæ, aut capræ cornu tuſum, & hordeū toſtum, ac freſum oleo ſubigito, ac ſuffito: & rurſus; caprę cornu, & gallam, & adipem ſuillum, ac cedriam ſuffito. Vngulas capræ ad ſerpentes prohibendos Palladius vti iubet: ſi cinis earundem ex aceto illinatur, alopecias ſanat, vt Dioſcorides, & Rhaſis teſtantur. Albertus autem acetum vehemens requirit, & malignā quoque alopeciam ita curari ſcribit. Ex quo vſu hunc cinerem facultatis eſſe extenuatoriæ conijcit Galenus. Aeſculapius vngulas vſtas ex pice liquida miſceri, & illini iubet ad eaſdem, & Plinius ait, vngularum cinis cum pice fluentem capillum continet. Talorum verò capræ recentiū cinis dentifricio, inquit hic idem, placet, & omnium ferè villaticorum quadrupedum, ne ſæpius eadem dicantur. Pili vſti, & aceto permixti ſanguinem de naribus fluentem reprimunt authore Sexto, & lethargicos excitant. Marcellus paulò aliter: pili combuſti, inquit, adiecta pice, & aceto inſerti naribus citò ſanguinem ſiſtunt: atqui Aeſculapius pilos iſtos vſtos omnes fluxus ſedare teſtatur. Fugari eiſdem vſtis ſerpentes ſuprà in cornu diximus ex Plinio, qui & calculos eorundem cinere expelli tradit; combuſti, tritique, & in potione dati ſtranguarioſos potenter emendant, teſte Marcello. Sextus denique profitetur, ſi ex pilis capræ fumigetur is, qui in inguine dolet, ſanatum iri.

Contra peruigilium.

Ad lethargicos excitandos.

Vngularum capræ medici vſus.

Pilorum vſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

iii. De lactis modò caprini natura ſuprà nonnulla diximus; hic de remedijs dicturi, quæ ex ipſo E
parantur. Id quàm vtile ſit delicatis corporibus, quæ nauſeabunda remedia abhorrent, ex hiſce

De lactis caprini remedia.

Plinij verbis facilè licet conijcere: Scio Damocratem medicum in valetudine Conſidiæ M. Ser-
uilij conſularis filiæ omnem curationem auſteram recuſantis diu efficaciter vſum lacte caprarum,
quas lentiſco paſcebat. Vis ei in primis ineſt alexiteria, vt ex eodem Plinio diſcimus: Cancri flu-

Contra venena.

uiatiles, inquit, triti, potiq; ex aqua recentes, ſeu cinere adſeruato contra venena omnia proſunt,
priuatim contra ſcorpionum ictus cum lacte aſinino, vel ſi non ſit, caprino &c. Et rurſus: capri-

Contra cantharides.

num lac contra cantharidas remedio eſt, & contra ephemerum, potum cum taminia vua. Et rur-
ſus: lactis caprini hauſtus cum vua taminia contra ictus ſerpentium valet. Columella porrò tra-
dit multos agnis febricitantibus lacte caprino mederi, quod per corniculum infunditur faucibus.

Aduerſus quartanas:

Sextus verò ait: capræ lac, quod primùm mulgetur leuiores facere acceſſiones in quartanis ſiue
eſum, ſiue ex dulci bibitum: Magorum verò quidam, vt habet Plinius, fimi hirundinum drach-
mam vnam è lactis caprini, vel ouilli, vel paſſi cyathis tribus aduerſus quartanas ante acceſſiones
dant. Sacer ignis morbus ouium inſanabilis penè ad omnem contactum excandeſcit, ſola tamen F
ea fomenta (verba ſunt Columellæ) non aſpernatur lactis caprini, quod infuſum tantum valet, vt
blandiatur igneam ſæuitiam differens magis occidionem gregis, quàm prohibens. Potum au-
tem pruriginem, & morſus ſanare habemus apud Aeſculapium, Plinius eodem lendes interimi
ex alijs refert, & Marcellus incoctum, ſed non adulteratum, aut vitiatum recte alopecijs infrica-
tum, mirum ait eſſe remedium: Plinius perunctas eodem gingiuas faciles dentitiones facere: &
alibi efficax haberi ait caprino lacte collui dentes, & Sextus dentes mobiles ſæpius caprino la-
cte colluendos eſſe, ſed & aliàs hic ſcribit caprino lacte recenti ſicut mulſum fuerit os aſſiduè col-
lutum, laborantes ex ictu dentes confirmare, & rurſus lacte bubulo, aut caprino tonſillas & arte-
rias vlceratas leuari, gargarizatur, inquit, calidum vt eſt expreſſum, aut calefactum. Potum cum

Purgatoriũ gratum, & vtile ex lacte caprino.

ſale, & melle aluum ſoluit, vt Plinius aſſerit, & Marcellus purgatorium efficax, quod nec ſtoma-
chum vexat, nec caput grauat, & bilem deducit, recitat eiuſmodi: Lactis caprini ſextarium, ſalis
ammoniaci vncias duas, mellis optimi vnciam vnam in vnum omnia diu contrita, & permixta
ieiuno potui dantur, ſed poſt potionem diu inambulare debet, vt ipſa potio melius motu corporis
proſit: Hippocrates verò etiam in lib. de morbis mulierum, mulieri grauidæ pituitoſæ, & caput G
dolenti, & aliàs atque aliàs febrienti dare iubet pharmacum, quod pituitam ducit, & lac caprinũ

Lac ſchiſtũ parandi modus:

coctum cum melle miſcere. Medici, inquit Plinius, ſpeciem vnam addidere lactis generibus, quod
ſchiſtum vocatur, id fit hoc modo: fictili nouo feruet, caprinum maximè, ramiſque ficulneis re-
centibus miſcetur, additis totidem cyathis mulſi (Dioſcorides habet aceti mulſi) quot ſint hemi-
næ lactis, cùm feruet, ne circumfundatur, præſtat cyathus argenteus cum frigida aqua demiſſus
ita ne quid fundatur. Ablatum deinde igni refrigeratione diuiditur, & diſcedit ſerũ à lacte. Qui-
dam & ipſum ſerum iam multo potentiſſimum decoquunt ad tertias partes, & ſub dio refrige-
rant: bibitur autem efficaciſſimè heminis per interualla ſingulis, diebus quinis (ſingulis vſque ad
quinas habet Dioſcorides) meliùs à potu geſtari. Datur comitialibus, melancholicis, paralyti-

Quib. proſit datum.

cis, in lepris, elephantiaſi articularibus morbis; inteſtinorum vitijs magnopere prodeſt lactis ca-
prini potus decoctus cum malua exiguo ſale addito; & ſi coagulum addatur maioribus emolu-
mentis fiet. Marcellus lac caprinum ex coagulo temperari iubet, & dum tepet, antequam peni-
tus conſtringatur, dyſenterico bibẽdum dari, citumque eſſe remedium: ait item lactis caprini ſta-
tim mulſi grandi potioni addi de coagulo hœdino fruſtum quantum auellana grandis eſt, hoc- H
que digitis medicinali, & pollice ſublatum, vel miſſum, & ijſdem digitis contemperari, & dari la-
boranti dyſenterico, dum adhuc calet lac, antequam coagulo ſtringatur, per triduum: Hanc po-
tionem ieiuno dari contra orientem bibendam. Idem etiam lac feruens adiecto polentæ quan-
tum ſatis ſit, cùm fuerit quaſi tenuis pulticula, dyſenterico bibendum dari, ſed & Plinius aſſerit,
iſtiuſmodi lac ad dimidias partes decoctum dyſentericis, & cœliacis præberi: Si torminoſi, vel
cœliaci propter frequentes deſurrectiones viribus deficientur, dandum erit ex præcepto Marcelli
eis ius gallinæ pinguis excoctę cum butyro, vel lac caprinum, aut ouillum tepidum per ſe, aut etiã
decoctum cum butyro. Iniectio ad dyſenteriam ex eodem: Amyli vncias tres in lactis caprini co-
cti pro modo quantum viſum fuerit adijcies, & ita iniectionem facies: Poſt clyſteris vſum, ſi qui-
dem ſtercorum multitudo in cęco inteſtino ſit, ſin minus, poſt fomenta pectini, inguinibuſque ad-
mota: Aetius in cura teneſmi exhiberi præcipit lac caprinum recens, mulctum heminæ menſura,
nequaquam minus, verùm non aceruatim, ſed ſigillatim partitum: ſequenti deinde die lac ipſum
ad dimidium vult decoqui, ablato eo quod in decoctione concretum ſuperſtat, atque ita exhibe-
ri. Ex eodem Aetio, alijſque ſupra in boue docui, quo pacto lac cum calculis fluuiatilibus igni-
tis, ſiue bubulum, ſiue caprinum in bilioſis alui fluxionibus, & cœliacorum parare conueniat. Sa-
nantur

A rantur & lacte caprino lienes, teste Plinio, post bidui inediam, tertia die hœdera pastis capris, per triduum poto sine alio cibo. Vtilissimum etiam lienosis remedium hoc est apud Marcellum: Capræ lactares abstinentur à cibo per triduum, tertia die hœdera tantummodo saturantur, & mulgentur antequam bibant: Si ex eo lacte sextarios tres per triduum calidos statim quomodo mulsi fuerint, ieiunus lienosus acceperit, ita vt nullos alios cibos illo triduo manducet, potenter sanabitur. *Pro lienosis.* Idem & aliàs habet sic: Qui quotidie ieiunus serum caprinum, sed earum capellarum, quæ hedera vescuntur, biberit, splene consumpto erit. Et rursus: Lac caprinum semicoctum si capræ tantummodo hedera pascantur, infantibus lienosis datur. Sextus pollicetur si è lacte caprino adiecto coagulo, vt solet caseus fieri, potus detur hydropicis, elapsuros ipsos: ad colicam ex lacte caprino calido in bubula vesica ventri admoto remedium suprà habes in boue, sed illud hic addam aliquos non in vesicam lac infundere, sed spongiam eo grauidam imponere, &c. insuper vas ligneum quo lac minus defluat. *Casei caprini varij effectus.* Aesculapio teste potum per se lumbricos necat. Marcellus renum dolore liberari credit, qui passi Cretici cyathos tres, lactis caprini itidē, seminis cucumeris grana triginta tria optimè trita simul vna potione biberit.

B Anatolius equis sanguinem per vrinam excernentibus lactis caprini cotylam cum amyli ea mensura, quæ tribus ouis par esset, & olei vncijs tribus omnia mixta per cornu infundi iubet. Pelagonius verò lac caprinum, amylum, & oua tria, & succum perdicij herbæ commiscet. Ad venerem incitantia quædam medicamenta medici ex Marcello, ex caprino lacte propinant: Certè Plinius ait herbæ quam orchin vocant, radicem alteram, quæ mollior, & inferior est in lacte caprino viri in Thessalia bibunt ad stimulandos coitus, duriorem verò ad inhibendos. Quibus semen fluit, & non potentibus, &c. aquosum est, unde fit, vt fæmina non concipiat, lac caprinum cum melle potum Sextus remedium esse vult valde optimum, vt concipiat. Ad lac procreandum quidam dixerunt, inquit Auicenna, quòd comedere propria vbera caprarum, & ouium cum lacte, quod in eis continetur, valde est vtile ad hoc propter illud, quod eis existit ex similitudine, aut propter proprietatem, quæ est in eis. Caseus caprinus recens, authore Plinio, ijs, qui viscum biberint, remedio est: quo loco ixian, vel ixinem, quæ chamæleon niger est cum ixo, idest, visco confudit. Idem cùm de canis rabidi morsu dixisset: ad reliquos, inquit, bestiarum morsus caprinum caseum siccum cum origano imponunt, & bibi iubent: Et rursus alibi, caseum caprinum cum origano impositum, contra ictus serpentium valere tradunt. Siccus ex aceto, & melle purgat vlcera ex eodem. Contra quartanam datur caseus caprinus recens cum melle diligenter sero expresso. Aesculapius testatur, caseum hunc impositum omnes punctiones, & dolores reprimere. Mollis, idest, recens cum melle subactus impositusque, & panno desuper tectus, aut linteo suggillationes, liuoresque celeriter absterget si Marcello credimus: Siccus cum porro igni sacro illinitur si Plinio, qui & aliàs ait: siccus ex melle & aceto in balaneis oleo remoto papulis illinitur. Ad feruorem, vel punctionem oculorum, capitis, & pedum dolorem ex Sexto: Caseus caprinus recens oculis superpositus mirè subuenit, item simili modo capiti dolenti superpone; sic & pedum dolorem medicare. Et Marcellus ait, recens coagulatus super oculos positus dolores citò lenit: Et Plinius: Caseo caprino molli, inquit, imposito ex aqua calida epiphoræ sedantur, si tumor sit, ex melle, vtrumque verò sero calido fouendum. Ad veretri dolorem, Marcellus caprinum caseum, & mel pari pondere in pultario fictili coqui iubet, &c. bis ad diem imponi: sed ante vino vereri locum, qui curandus est, elui. Plinius autem tritum & impositum carbunculis genitalium mederi asserit. Si mulier cibos auersans, vtero doleat, & febris ipsam ac rigor corripiat, Hippocrates in volumine de morbis muliebribus, pepli albi quintam dimidiæ chœnicis *Pro vtero.* partem & seminis vrticæ tantundem, & casei caprini rasi dimidiam chœnicem, simul cum vino vetere mollit, deinde cocta dat sorbenda: Et paulò pòst: Si ex partu alui profluuio corripiatur, bibat vuam passam (inquit) nigram, & punici dulcis malicorium &c. internum nucleum, & coagulum hœdi; hæc vino nigro diluta & caseo caprino, ac polenta triticea inspersis, bibenda dato. Et alibi in eodem libro; si quid in vteris computruerit, item si sanguis & pus exeant, caseum caprinum vel derasum assatumque, vel simpliciter, cum æquali parte polentæ miscet, & in vino ieiuno propinat. Nicoon (vt Nicandri Scholia citant, & Hermolaus in Plinium) in libro de difficultatibus, optimum coagulum ait hinnuli, secundum leporum, tertium hędi. *Lib. 11. cap. 41.* Marcellus Virgilius non rectè agni pro hędi in huius authoris testimonio posuit. Nam & Plinius hędi non agni inter laudata coagula recenset, inquiens: Coagulum hinnuli, leporis, hœdi laudatum, præcipuum tamen dasypodis: quamuis alioqui nihil vel parum saltem referre existimem, vtro hœdine an agni vteris: certè Dioscorides leporino coagulo pares habere vires ait, coagulum hœdi, agni, hinnuli, aliorum, contra aconiti potum in vino & concretum lac in aceto, conuenientem assumi. *Coaguli differentię & ex ijs ad diuersa vitia medelę.* Haly autem cùm coagulum hœdi contra potum cicutæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

prodeſſe tradit, eique qui fungos comedit, pro cicutæ legerim aconiti; & apud Plinium, vbi E
priuatim id commendat contra viſcum, & chamæleonem album, & ſanguinem taurinum, con-
Plinius emẽ- tra quem & leporis coagulum ex aceto bibatur, pro viſcum, ἰξὸν ſcilicet, legi debet chamæleo-
dat. nem nigrum, ſiue ixian. Idem Plinius contra paſtinacam, & omnium marinorum morſus coa-
gulum leporis, vel hœdi, vel agni drachmæ pondere ex vino ſumi aſſerit. Item in profluuio ſan-
guinis hœdi coagulum bibi vtile putari; item tertia parte ex aceto potum ſanguinis excrea-
tiones reficere, authore Marcello, magnitudine fabæ in vino myrtheo remiſſum, & ieiuno
cœliaco datum efficaciter prodeſt; id quod & Plinius alicubi ſcribit; & Hippocrates coagu-
lum hœdi aduerſus alui profluuium laudat, vt iam dixi in remedijs ex caſeo caprino. Et Ga-
Vrinæ capri- lenus 2. parabil. 73. maceratum aceto acerrimo aduerſus muliebre profluuium ieiunæ propi-
næ efficacia. nat. Vrina caprarum cum aceto ſcyllitico hauſta contra ictus ſerpentium valet, teſte Plinio,
panos item, & apoſtemata in quacunque parte diſcutit, dolorem ceruicum inflexibilem opi-
ſthotonon vocant, leuat auribus infuſa: quod poſtremum remedium etiam Marcellus habet, &
aliàs opiſthonicis, & tetanicis lotium caprinum, cum aqua mixtum efficaciter prodeſſe aſſerit ſi F
ieiunis potui detur. Pœni paſtorales in filijs quadrimis, vt refert Herodotus, venas verticis
Lib. 4. lana ſuccida inurunt, nonnulli venas temporum, ne ſcilicicet vnquam pituita defluens ex ca-
pite, officiat, eaque de re ſe aiunt eſſe optima valetudine. Quod ſi pueris inurendis ſpaſmus con-
tingat, vrina hirci aſpera eos liberant. Auenzoar, vt citat Mercurialis in lib. de peſte, ait vrinæ hir-
ci odorem vtilem eſſe peſti. Pota hac hirci urina amoris faſtidium fieri admixto propter faſtidiũ
nardo Oſtanes dicit apud Pliniũ, Dioſcorides urinã capræ aurium dolorib. inſtillatam mederi teſtatur,
dit. Plinius verò ſi grauitas ſit audiendi, fel bubulum cum urina capræ, uel hirci mederi, uiginti in-
uel ſi pus ſit in quocunque autem uſu putari hæc efficaciora in cornu caprino per dies uiginti in-
fumata. Sed & Marcellus aduerſus grauitatem audiendi fel bubulum cum urina hirci auriculæ,
quæ moleſtiam ſurdiginis patitur, inſtillari iubet, ſtatimque ſubueniri aſſerit. Aliàs etiam mo-
net ſub eo omento, quo egeritur, tepidam auri obtunſæ infundi; & aliàs rurſus inſtillatum hoc
lotium dolorem ſedare, quod magis ſuppuratis auribus adfirmetur, ob quam cauſam præſen-
tis auxilij plures exceptum, & cornu caprino inditum in fumo ſuſpenſum diligenter ad neceſ-
ſarias medelas reſeruent; ſed hoc ex Plinio etiam dictum eſt, apud quem etiam eſt legere, urinam G
capræ calefactam, inſtillatam auribus, fimumque eiuſdem cum axungia illitum ad parotides
prodeſſe; Hydropicus ſorbere iubetur à Sexto lotium capræ, quod mirificè, inquit, ſanat. Item
hircinum lotium ſi heminam biberit, & ſpicæ nardi, & ebulum cum arueris, melius eſt lotium ſi
idem paſti fuerint. Sed Dioſcorides urinam capræ ad aquam, quæ cutem ſubijt, cum nardi ſpi-
ca quotidie binis cyathis cum aqua bibi ſcribit, urinamque per aluum extrahi; unde apud Pli-
nium, ubi ſcribitur, hydropicis auxiliatur urina ueſicæ apri paulatim data in potus, efficaciùs que
inaruerit cum ueſica ſua: pro apri lego capri, uel capræ, Marcellus etiam ad urinæ difficultatem,
& calculum lotium caprinum, ideſt, caprarum quæ in montibus paſcuntur tepidum potari opor-
Vſus capri- tere tradit admixto uino, & aqua ob faſtidium. Sextus ait, ſi mulier id bibat menſtrua prouo-
ni fimi varij care, atqui Plinius profluuium, quamuis immenſum, urina, inquit, capræ pota ſiſti obſtetrices pro-
in medicina. mittunt, & ſi fimum oblinatur. Omnium creberrimus uſus eſt caprini fimi, Græci σπυράθους
10. ſimpl. propriè nominant (verba ſunt Galeni) degerentis, & acris facultatis adeo, vt induratis ſcirrho-
cap. 22. rum in modum tumoribus congruat, non tantùm lienis, ſed etiam aliarum partium. Vſtum H
tenuioris eſſentiæ quidem, verùm haud manifeſtè redditur acrius: quamobrem ſanè ad alope-
cias competit, & omnia adeo, quæ extergentia medicamenta deſiderant, vt lepras, pſoras, liche-
nas, & id genus alia. Miſcetur & digerentibus cataplaſmatis, qualia ſunt, quæ accommodan-
tur ad parotidas; & bubones diuturniores. Eſt enim vis eius tum vſti, tum non vſti abſterſo-
ria, & digerens, nec eam paruam habet digerendi potentiam. Verùm pro paſtu vario nonnihil
habuerit differentiæ; non tamen tantum quantum ſtercus humanum. Medicus quiſpiam ex ijs,
qui in agris & vicis medicinam exercent, vtebatur hoc fimo ex aceto ad viperarum morſus, &
multò ſanè etiam magis aliarum beſtiarum, ac profectò complures ex ijs ſeruauit. Et hic ipſe
quoque medicus ad auriginem potandas ipſas ſpyrathos ex vino præbuit, & ad profluuium
muliebre cum thure appoſuit. Quæ omnia ſanè optimus medicus ignorare non debet, cæte-
rùm potiora eligere, potiſſimum ad vrbanos & honoratos viros. Hæc omnia Galenus. Pli-
nius inquietos infantes fimo iſto adalligato panno cohiberi tradit, maximè puellas. In ace-
to decoctum imponitur, teſte Dioſcoride, ſerpentium morſibus cum vino ſtudioſè impoſitum
viperarum morſibus auxiliatur, & Plinius tradit in aceto decoctum & illitum in ictus ſer-
pentium valere dici, & recentis cinerem in vino: Atque in totum difficiliùs ſe recolligentes
à ſerpentium ictu in caprilibus optimè conualeſcere: qui verò efficacius volunt mederi, oc-
cilæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cisæ capræ aluum dissectam cum fimo intus reperto statim illigare, ait & aliàs percussis à
scorpione fimum efficacius cum aceto decoctum auxiliari; laudari, & ad canis rabidi mor-
sum ex vino illitum, aut melle. Marcellus verò fimum hircorum cum melle decoctum,
adpositumque paniculis sanitatem præstare asserit; & apud innominatum reperimus, cum
aceto mixtum pustulis nigris salubriter superilligari. Sextus affirmat caprinum stercus im-
positum non pati consurgere tumorem. Cum melle præterea mixtum sanare luxos, & tu-
mores discutere, & non pati iterum consurgere, vbi luxos videtur intelligere luxatos: nam &
Plinius luxatis fimum caprinum cum melle illini tradit. Ex aceto decoctum strumas discu-
tit, vt idem Plinius habet: In vino item, vel aceto decoctum illinitur in his, quæ rumpere opus
est. Rursus, ex aceto subferuefactum, & illitum, sanat vlcera, quæ serpunt: Manantia veren-
dorum vlcera sanat, cum melle rubique succo, vel si serpunt fimum etiam prodesse dicunt cum
vino, aut cum aceto, prodesse item ad lepras, psoras, & lichænas & id genus alia, vt paulò antè ex
Galeno dictum est. Dioscorides in aceto decoctum imponi ait, vlceribus quæ serpunt, igni sa-
cro, parotidibus. Sextus cum melle mixtum, & appositum sanare cancerosos: Similiter etiam
B paratum, & superpositum carbunculos, qui in ventre nascuntur, discutere. Marcellus fimo ca-
prino in aceto feruefacto & subacto si imponatur omnia crurum, & tibiarum ulcera purgari &
persanari ait, butyro bubulo cum oleo cyprino, aut laurino postmodum addito. Spinæ, ac
similia corpori extrahuntur excrementis capræ ex uino, ut Plinius habet, sed apud Sextum, ca-
prinon capræ legitur his uerbis: Stercus capri ex uino conspersum impositumque, quod inhæ-
rebit extrahet, & sanabit. Apud Plinium, ubi scribitur ulcera cætera (uidelicet præterquam
in tibijs, cruribusque) explentur, aut purgantur fimo aprino, aut hircino, legendum, ut su-
spicor, caprino. Medicus quidam medicamentorum peritus in Mysia Hellesponti, referente
Galeno, ulcerum ambusta ad cicatricem ducebat ouium stercus rosaceo commiscens, sed &
per stercus caprinum combustum similiter curabat parum eius multis numeris maiori cerati ro-
facei moli admiscens. Græcum exemplar habet, *κὴ μὲν τοι διὰ τῶν αἰγῶν κεκαυμένυς ὁμόιως*
ἐθεράπευε, deest nomen excrementi: interpres legit, inquit Gesnerus, *διὰ τῆς τῶν αἰγῶν κε-*
καυμένης κόπρυ ὁμόιως ἐθεράπευε, μιγνὺς κὴ ταύτης non *ταῦτα*: si *τῆς* particulam addas, *κό-*
πρυ, uox omitti potest, ut in proximè præcedentibus posita. Sed considerandum esse monet
C Gesnerus, an rectè legatur *κεκαυμένυς*, ut nihil hic mutandum sit præter *τῆς* articulum adden-
dum: Sensus erit, quin etiam caprillo fimo homines ambustos similiter curabat, & cætera.
Nam Plinius quoque caprarum fimum (simpliciter, non ustum) ambusta sine cicatrice sanare
dici scribit. Aggregator etiam ex Auicenna citat capræ stercus cum aceto, uel cerato rosaceo
ambustis auxiliari. Deinde cum ouillo stercore non usto usus sit ille medicus, de quo Galenus 2. parabil. 3.
scribit, quod minus acrimoniæ, quàm caprinum habet, caprinum in eundem usum ussisse non 1. parabil.
est uerisimile. Quamquam si usti quoque huius fimi (cùm acrimoniæ ex igne nihil assumat, ut 41.
ex Galeno suprà dictum est) modicum copioso cerato aliquis misceat, idoneum ambustis medi-
camentum reddet. Scio & alia quædam, ut pilos, testas purpurarum, & coria in hunc usum
uri solita, proinde rem in medio relinquo, ut quisque pro arbitrio legat, & sentiat. Alicubi ue-
rò Galenus hircinum stercus ad morbum comitialem proficere scribit, si ex eo quindecim glo-
buli ad summum exhibeantur. Et aliàs ad caluas, pilisque carentes palpebras summopere con-
ducere ait, si muscerda, & stercore hircino æquali mensura mixtis, tostisque ex melle illinantur
facere hoc etiam ad utiligines. Marcellus hircinum fimum tritum cum aceto scyllino miscet,
D frontique & temporibus illinit, hocque ad dolorem hemicranei sedandum etiam in perpetuum
prodesse putat. Neruorum doloribus caprinum decoctum in aceto cum melle utilissimum, te-
ste Plinio, putant, uel putrescente neruo: & Marcellus testatur melle mixtum, impositum sup-
puratos neruos expurgare, & ad sanitatem, usque perducere: Sexto uerò authore, cum acerri-
mo aceto mixtum morbum articularem sanat in dulci potum, ut Aggregator citat; similiterque
mirè parotides sanat, item articuli cum eodem peruncti sanantur: cum aceto mixtum, & superli-
nitum neruorum contractionem curat. Habemus & apud Plinium cum melle in aceto decoctum
articulorum attritis prodesse, Marcellusq; scribit cum aceto tritum, & subactum usq; ad crassitu-
dinem mellis impositum articulorum contractiones relaxare, & tremulis prodesse; Medetur alo-
pecijs exustum, & cum aceto, aut oxymelite illitum, ut tradit Dioscorides, & meminit etiam Ga-
lenus, ut suprà retuli, & Plinius inquiens; caprino fimo cum melle alopecias expleri tradunt. Pau-
lus Aegineta, ubi de alopecia scribit, tum caprino, tum ouillo ad eam excremento utitur. Con-
tra capitis dolorem Marcellus septem pilulas stercoris caprini ex aceto teri, & fronti illi iubet.
Apud hunc eundem, ubi habet; stercus caprinum fimo conspersum tritumq; & impositum oculis,
atq; obligatũ, omnem dolorem, tumoremq; detergit, pro fimo forte reponendum vino. Ceruicis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dolor inflexibilis, quẽ opiſthotonon Græci vocant, leuatur, eodem atteſtante Marcello, & Plinio, E bulbo trito cum fimo caprino ceruici illito. Nec abdicant illud ex melle illitum epiphoris oculorum, vt refert Plinius contra parotides in aceto decoctum imponi & Dioſcorides tradit, & nos ex Galeno diximus, idemq; Sextus atteſtatur. Quidam innominatus baccas caprinas aridas terit, & ex vino generoſo bibendas dat, quem tuſſis male habet, additq; pituita reiecta ſtatim ſanari. Dioſcorides verò fimum caprarum præſertim in montibus degentium potum in vino, regium morbũ emendare profitetur, ſcribitque Galenus medicum quendam in agris eo ſimiliter vſum. Illinunt & ventrem cœliacis eodem cum melle decocto, vt Plinius habet; vt verò Sextus, caprinum ſtercus pro fomento impoſitum colicis prodeſſe dicunt. Sexto conſentit Marcellus, dum ait: Stercus caprinum recens in aqua remiſſum, colatumq; cum mulſi cotylis tribus, & piperis contriti granis ſexaginta in tres potiones diuiſum per triduum datur, ita vt prius corpus eius colici, cui potio danda eſt, acopo perungatur, vt perfrictiones omnes coacto ſudore diſcedant, miro remedio ſanabitur. Ad induratos lienis tumores medici non pauci caprinum ſtercus etiam, Galeno teſte, applicant, & ad aquam inter cutem, & ad ſplenicos variè eo vtimur. Marcellus teſtatur aridum tritum adiecto melle potui datum ex aqua calida mirè educere tineas: Expellit & calculos in F mulſo, ſed tunc efficacius Plinius eſſe vult ſylueſtrium caprarum. Dioſcorides tradit vtilem iſchiadicos vſtionem hunc in modum accipere: In eo interſtitio, vbi pollex brachiali committitur, caua veluti lacuna ſubſidet, in qua lana oleo imbuta ſubſternitur, deinde ſigillatim feruentes ſtercoris caprini pilulæ imponuntur, dum vapor per brachium ad coxam ſentiatur peruenire, & coxendicis dolorem mitigare: Aduſtionem id genus Arabícam appellari. Ego, inquit Geſnerus, quæ racauam illam lacunam in ipſo brachiali, interno eius latere nempe ſub pollice reperio, pollex ſumen non ſemper apparet: manum verò ita tenenti, vt digitus minimus infimo loco ſit, pollex ſupremo, idemque ſurſum, & retrò tendatur, omninò conſpicua fit inter duos neruos figura prorſus idonea, quæ baccam recipiat caprinam. Hæc admonere, inquit, volui, quoniam interpretes non ſatis conueniunt, & Dioſcoridis textus Græcus, vel mutilus eſt, vel certè obſcurus his verbis, ἐπὶ τὸ μεταξὺ μέρος τȣ̃ ἀντίχειρος, συνεγγίζων δὲ τῷ κάρπῳ, κοῖλον &c. nam vbicunque μεταξὺ, ideſt, medium, vel interſtitium fuerit, duo extrema nominari debent. Conſpicitur ſanè lacuna iſta apertè, vel ſciſſura, quæ inter pollicem, & reliquam manum (vel indicem; ſic enim fortè G appellare licet vnumquemque digitum, vt ſimul pars omnis in metacarpio ei ſubiecta attribuatur:) interiacet ad carpum vſque recta deſcendenti. Plinius fortè hac apud Græcos locutione non intellecta ſimpliciter cauam manum reddidit, vbi idem remedium deſcribit his verbis: Afferunt & Magi ſua commenta. Primum omnium, rabiem hircorum, ſi mulceatur barba, mitigari, eadem præciſa eos non abire in alienum gregem. Huic admiſcent, (ſenſus videtur, huic commento alterum commiſcent, neque enim fimum barbæ miſceri, aptè intellexeris) fimum caprinum, & ſubdito linteolo vncto caua manu quantum poſſit feruens ſuſtineri iubent, ita, vt ſi læua pars doleat, hæc medicina in dextera manu fiat, aut è contrario. Fimum quoque ad eum vſum acus æreæ punctis tolli iubent. Modus curationis eſt, donec vapor ad lumbos ſentiatur peruenire. Poſtea verò manum porro tuſo illinunt, item lumbos ipſo fimo cum melle, ſuadentque in eodem dolore, & teſtes leporis deuorari. Hæc Plinius. Simile remedium idem author alibi docet, in quo plus rationis, vt Marcello Virgilio etiam videtur, minus ſuperſtitionis eſt: Iſchiadicos vri, inquit, ſub pollicibus pedum (Aggregator legit ſub poplite) fimo caprarum feruente H vtiliſſimè tradunt. Arabica illa apud Dioſcoridem vſtio noſtra ætate, inquit Marcellus Virgilius, quòd audierimus, in nullo vſu eſt. Plutarchus quidem in commentario, cur ſerò ſceleratia numine puniantur in vſu eam fuiſſe vſtionem ijs verbis teſtatur: Καὶ γελοῖος ὁ φάσκων ἄδικων εἶναι τοὺς ἰσχίων πονȣ́ντων καίειν τὸν ἀντίχειρα, quod eſt, ridiculus præterea eſt dicens iniuſtum eſſe medicum, qui in coxendicis dolore pollicem vrat. Coxendicis dolor per femora, genua, tibiaſque ad infimos talos pertinet, quod in ſuperiore hominis parte non fit: quamobrem plus rationis eſſe videtur, cur pedum pars potius vratur, quàm manuum. Præterea qui aptiorem coxendicum vſtionem docuerunt Hippocrates, Paulus Aegineta, alijque Græcorum medici, aliter in eo malo hominem voluerunt vri. Hæc ſolùm habui de hac vſtione dicenda, nec plura apud authores reperio: vt neque cur Arabica diceretur, conijcio tamen à gente nomen inuentum, quoniam Arabes ſic coxendices vrerent. Non diſſimilis vſtionibus his eſt ea, qua in gente noſtra circa quadrageſimum à partu diem infantes candente ferramento ab alijs in imo occipitio, ab a ijs in interſcalpio, ab alijs ſub poſteriore humero paſſim vruntur: vulgo creditur ſine ea uſtione non poſſe feliciter primæ illius ætatis pericula infantes euadere. Hæc ferè Marcellus. Mihi quidem, inquit Geſnerus, hæc infantium uſtio nulla ex parte cum Arabica conferenda videtur cùm præſeruandi gratia, & ferro fiat, illa curandi, & ſine ferro & cætera. His iam per-

Ad regium morbum.

Ad colicam.

Inuſtio iſchiadicorũ Dioſcoridi quomodo fiat, & vbi.

Alia, & melior vſtio in iſchiadicis.

A perscriptis Aetium adiui, qui lib. 12. cap. 3. ex Archigene, & Antyllo multa super hac re adfert digna memoratu, & Dioscoridis etiam verba repetit: Veteres, inquit Archigenes, etiam vstione in ischiadicis vsi sunt, alij aliter &c. quidam ad propinquæ cruri affecto manus locum inter magnum digitum, & indicem medium circa infernum magni digiti, siue pollicis articulum, caprinũ stercus feruens per torcipem imponunt, stercora permutant, donec sensus vstionis ad locum affectum perferatur. Dioscorides hanc rem ita tradit: caprinum, inquit, stercus feruefacito, & extẽso magno manus digito cauum locum circa inferni eiusdem articuli finem nota &c. vt superius recitaui. Antyllus autem: nos etiam, inquit, huiusmodi vrendi modo vtimur, stercus caprinum siccum feruefacimus, coq; ventrem magni digiti affecti pedis perurimus paulò infra vnguem, vsque ad os ipsum vstione penetrante. Hæc ipsa vstio extremas coxendicum affectiones, & quæ multis alijs præsidijs cedunt, dissoluit. Cæterùm post vstionem porri folia cum sale trita imponito &c. Iam verò etiam fimum capræ cum farina hordei, & aceto impositum maximè in duris, & rusticorum corporibus, remedium est ischiadicis, vt legitur apud Serapionem, qui Galenum citat, & Dioscorides ait fimum hunc eundem cum axungia (σὺν ὀξυγγίῳ, idest, cum adipe, vel

De eadem coxendicorum inustione diuersorum sententia.

B axungia: Hermolaus ὀξυκράτῳ legit, idest, posca, vt ait Marcellus Virgilius) impositum his, qui podagra tentantur, auxilio esse. Hic item, vt alicubi citatum reperi, cum fimo capræ, & croco impositum adipem hircinum podagricis auxiliari tradit. Rhasis hoc idem remedium repetit, vt & Albertus, sed qui crocum omittit: Plinius verò aliter: podagris, inquit, medetur taurinum seuum &c. alij hircinum præferunt cum fimo capræ, & croco sinapive cum caulibus hederæ tritis, ac perdicio, vel flore cucumeris syluestris: magnificant alij fimi caprini cinerem cum axungia. Rursus hoc stercus cum aromate aliquo (cum spica nardi, vt vetus habet translatio) haustum menses cit, & partus euocat, authore Dioscoride: tritum verò cum farina, & impositum lanis cum thure fæminarum profluuia sistit, cæterosque sanguinis impetus ex aceto cohibet. Apud Hippocratem lib. de nat. mulieb. inter diuersa vterorum remedia mensibus præcipuè, & secundis pellendis duo legimus hæc remedia, stercoris caprini pilulas, & leporis pilos pinguedine phocę subacta suffito: Aliud, stercus caprinum, & pulmonem phocæ, ac cedri ramenta suffito. Medicus quidam, referente Galeno, in agris stercus caprinum ad profluuium muliebre sistẽdum cum thure apponebat: Et Plinius tradit, profluuium quamuis immensum vrina capræ pota sisti obstetrices promittere,

Podagræ remedia.

Ad varios mulierum affectus.

C & si fimum illinatur. Hisce omnibus remedijs adijcere lubet, quod ipsemet hircus pestilentiæ tẽpore domi alatur, magnum enim præsidium putant contra auram pestiferam, quia ædium vastitas viroso vapore, quem hircus exspirat repleta, repellat aditu auram venenatam, quæ eadem ratio in suffitu odorato locum habet, plebs tamen aliam rationem subijcit, quod scilicet malus vapor, malo alio vapore tanquam cuneus cuneo fugetur, quæ res mihi in mentem reuocat, inquit Ambrosius Paræus, id quod est ab Alexandro Benedicto proditum, extitisse Scytham medicum, qui pestem ab aeris infectione manantem cessare fecit, interfici iussis omnibus vrbis canibus, felibus, similibusque alijs animalibus: Horum enim cadaueribus per vicos abiectis noui putridi vaporis tanquam recentis aduenæ vi vetus hospes pestiferis aeris sedibus deiectus est; sic pestilentia quieuit.

Ad pestem fugandam.

Lib. de peste cap. 6.

D VSVS VARII.

TONDENTVR capræ, inquit Varro, quòd magnis villis sunt, in magna parte Phrygiæ: vnde cilicia, & cætera eius generis fieri solent. Sed quòd primùm ea tonsura in Cilicia sit instituta, nomen id Cilicas adiecisse dicunt. Habemus & apud Plinium in Cilicia capras tonderi, vt alibi oues. Fuisse autem huiusmodi vestium genus tenuioris fortunæ hominum tum ex ijs, quæ recensebimus, tum ex moderna cilicij significatione (cilicium enim dicimus asperrimum illud tegumentum, quo tergora sua nuda homines mortificationis carnis dediti vestiunt) intelligi facilè potest. Virgilius id in primis docet, dum canit:

Capræ vbi tondeantur.

Georg. 3.

Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cinyphij tondent hirci, setasque comantes
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Hoc enim loco Seruius, & Probus Grammatici cilicia designari scribunt: Sunt autem Cinyphes gens Libyæ à Cinypho flumine dicti. Silius Italicus cùm agit de populis, qui Hannibali aduersus Romanos auxilio fuerunt, Macas ad Cinyphen habitantes nominat, & ita quidem,

Cinyphes qui.

Lib. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vt verſus eius, ad loci huius illuſtrationem, nonnihil adferant:

Tum primùm caſtris Phœnicum tendere ritu
Cinyphij didicere Macæ ſqualentia barba
Ora viris, humeroſque tegunt velamina capræ
Setigeri.

Satyra 5. Huc refer hoc etiam Iuuenalis:

Qui tegitur parma, & galea, metuenſq; flagelli
Diſcit ab hirſuta iaculum torquere capella.

Iuuenalis ſententiæ varia expoſitio.

Quo loco Ioannes Britannicus hunc locum: de tyrone, inquit, varijs exponi à commentatoribus, non ignoro, vt alij dicant ab hirſuta capella, ideſt, ab amento caprino, quod haſtæ vibrandæ alligatur; alij à ſago Cilicio, quod ex pilis hircinis texebatur, cuius vſus eſſet & in nauib., & in caſtris; alij à pharetra, quæ pelle caprina ſolet integi, ex qua iacula promũtur; alij à capella hirſuta, ideſt, poſt tentorium ex capraru m pellibus confectum, quod non placet, quaſi tentoria non alijs pellibus quàm caprinis, & non bubulis potiùs integerentur. Ego verò expono ab hirſuta capella, ideſt, ab hirſuto centurione, quem ideo capellam appellat, quod centuriones, vt homines robuſti toto ferè corpore hirſuti ſint, fructificantibuſque pilis ſub alis odorem hircinum oleant, quod ex ſudore, nimioque labore prouenire ſolet, tales ad militiam idonei putabantur, vnde & Perſius: F

Hinc aliquis de gente hircoſa centurionum.

Iuuenalis:

Sed caput intactum buxo, nareſque piloſas
Adnotet, & grandes miretur Lælius alas.

Hocque maximè placet, vt referas illud *diſcit* ad magiſtrum ipſum; nam centuriones nouos milites erudiebant, neque enim conuenit militem diſcere ab amento, quaſi amentum dictata tradat, vt duplici ratione capellam appellet cẽturionem, & quod odorem hircinum oleat, & hirſutus ſit, vt capella, nec mirum capellam hirſutam capi pro centurione, cùm alibi in vltima ſatyra bardiacum cucullum, calceum militarem, & ſuras grandes ponat pro milite, & centurione, cùm ait:

Bardiacus iudex datur hæc punire volenti
Calceus, & grandes magna ad ſubſellia ſuræ.

Hæc Britannicus. Alexander ab Alex. hiſce verſibus à Iuuenale ſignificari credit Cydones populos Cretenſes mediterraneos, quos ſcilicet Homerus fortiſſimos vocat, quorumque arcus caprinis pellibus ornari, plerique, inquit, literis adnotarunt: notat enim illa veteris diſciplinæ rudimẽta, quibus miles tyro in emittendis iaculis apud centurionem ſuum inſtrui ſolebat. Cæterùm ego potiùs pro cilicio acceperim, quo centurio ipſe excubias agens induitur, nec Seruium etiam probo, qui exponens præcitatos Maronis verſus, in vſum, inquit, caſtrorum poeta dixit, quia de cilicijs expoliuntur loricæ, & teguntur tabulata turrium, ne iactis facibus ignis poſſit adhærere, poetam enim de veſtibus loqui, inde conſtare videtur, quod & nautis inde velamina fieri ſcribat; Ad hæc & ipſe in Moreto rurſus ait: G

Geminos tunc veſte lacertos
Liberat, & cinctus villoſo tergore capræ
Peruerrit cauda ſilices, gremiumque molarum.

Vbi nunc in excuſis codicibus pro tergore legitur tegmine, ſed vetus ſcriptura, vt annotauit Ioſephus Scaliger, habet tergore, quod putat verius eſſe, natumq; errorem ex illorum ignorantia, qui inter tergum, & tergus non diſtinguebant. Sic & Domitius Calderinus explicans hoc Martialis in Baſſam malè olentem: H

Quod preſſa piger hircus in capella
Laſſi bardiaci quod euocati.

Bardiaci nomine quid intelligendum.

nobis aſſentir; euocati, inquit, erant iuuenes ex equeſtri ordine delecti, qui manente vſu annulorum conſtituti ſunt ad cuſtodiam cubiculi Imperatorij loco militum: hi cùm excubias pręſtabant Bardiaca veſte vtebantur lanificio groſſiore propè ſimili bardo cucullo: Hæ veſtes malè olebant, quoniam in his cubabant, & inter ſordida miniſteria vtebantur, nam quòd Bardiacus puer ſit, nec mihi videtur conuenire, nec vnquam legi. Bardiacus non puer eſt, vt ego ſentio, ſed ſagum ex villis caprorum textum, quo milites in caſtris vtebantur. Tantum ille. Iunius eò loci legit; *Laſſi Bardiacus quod euocatus*; & bardiacum eſſe dicit hirſutam & pinguem lacernam, olidumve cucullum barbari militis. Deſiderius verò Heraldus in ſuis animaduerſionibus in Martialem legit, *Laſſi bardaicus quod* &c. & bardaicum accipit etiam pro barbaro cucullo, citatque hoc Iulij Capitolini in Pertinace: Veſtis in ſubtegmine ſerico aureis filis inſignior per tunicas, penulaſque, lacernas, & chirodotas Dalmatarum &c. & cuculli bardaici. Alij verò aliter legunt, quos vide. Huc etiam

A etiam refer illud Laberij de paupertate: Nihil refert mollē de lanitia Attica, an pecore ex hircorum vestem geras. Alios tamen in bello ciliciorum vsum fuisse certissimum est, nam testudines similiaque instrumenta alia eis operta fuisse constat. Cur autem excubias agentibus ex vsu essent istiusmodi cilicia, rationem reddit quodammodo ipsemet Britannicus præcitato loco, in nautis, inquiens contra sæuitiam cæli vti, quoniam à pluuia non penetrantur, vel à bellicis tormentis: prioremque ob causam pastorum quoque fuerit indumentum: hos enim eisdem indutos fuisse Theocriti caprarius indicat, de quo scilicet sic canit:

Ciliciorum vsus, & pellium.

Ὤνομα μὲν λυκίδαν, ἦς δ' αἰπόλος. οὐδέ κέ τίς μιν
Ἠγνοίησεν ἰδών, ἐπεὶ αἰπόλῳ ἔξοχ' ἐῴκει.
Ἐκ γὰρ μὲν λασίοιο δασύτριχος εἶχε τράγοιο
Κνακὸν δέρμ' ὤμοισι, νέας ταμίσοιο ποτόσδον.
Ἀμφὶ δέ οἱ στήθεσσι γέρων ἐσφίγγετο πέπλος
Ζωστῆρι πλοκερῷ. idest,

Nomen erat Lycidas, pastor verò caprarius erat, neque alius ipsum
Ignorasset aspiciens, nam caprario admodum similis erat.
Ex hirsuto enim, & villoso exuuio hirci habebat
Fuluam pellem humeris indutam, recens coagulum adhuc redolentem:
Circa pectus verò vetustum pallium illi adstrictum erat
Cingulo textili.

Plutarchus item in quæst. de rebus Græcorum, Locros, siue Locrenses Ozolas aliquibus cognominatos putari tradit, quòd, pastores cùm essent, homines fœtidi fuerint, vtpote κώδια καὶ τραγέας, idest, ouium, & hircorum pelles gestarent, & plerumque inter caprarum greges versarentur: τραγῆν enim, vel τραγέιη pellis est hircina, quæ apud Varinum etiam κεκραρὶς appellatur, vt & apud Hesychium scribitur: vnde τραγηφόροι Varino sunt, αἱ κόραι Διονύσῳ ὀργιάζουσαι τραγῆν περιηπτοτο. Idest, puellæ Bacchi orgia celebrantes hircinis pellibus circumamictæ. Et Pollux cùm enumerasset tragicum apparatum subiungit ἡ δὲ σατυρικὴ ἐσθής, νεβρὶς, αἰγῆ, ἣν καὶ ἰζάνην ἐκάλουν, καὶ τραγῆν, καὶ πη καὶ παρδαλῆν ὑφασμένην, idest, vestis satyrica est, nebris caprina, quam & izanem vocant, & pellis hircina, nonnunquam & pardalea adiuncta. Gesnerus pro ἰζάνη legit ἰξάλη, Henricus Stephanus tamen in suo thesauro ἰζάνη, legit, sed postmodum in ἴξαλος ἰξάλην apud Hippocratem à Galeno ait τελείη αἰγὸς δέρμα apud Hippocratem, inquam, de tracturis, vbi dicit ἰξάλην δ' αἰγὸς χρὴ ὑποτετᾶσθαι, idest, pellis verò caprina substernenda est. Eustathius verò ex Rhetorico lexico tradit, vt παρδαλῆ & λεοντῆ, ita etiam ἰξαλῆν dici τὴν αἰγείαν περισπωμένως, idest, cum accentu circumflexo in fine. Apud Hesychium etiam ἰσθλὴ legitur. Dicitur & αἰγέα, teste Suida, & αἰγὶς, vt Pollux ait. Suidas verò distinguit his verbis; τραγῆν ἐνημμένος μέλαιναν, ἀντὶ τοῦ αἰγίδα. Ammonius διφθέραν caprarum esse dicit, vt Μηλώτη ouium: in qua significatione vocem hanc etiam agnouit Varinus his verbis, διφθέρα ποιμενικὸν περιβόλαιον. Ἀττικοὶ δὲ λέγουσιν, ἣν νῦν ἰσάλην καλοῦμεν. ἔστι δὲ ἐκ δέρματος. Sed de hac voce etiam quædam diximus in oue. Porrò Sardos, Getulosque caprarum pellibus amiciri consueuisse author est Varro, legimusque & Lycios thoracibus, ocreisque armatos, arcubusque ex cornu factis, & arundineis sagittis sine pennis, atque iaculis gerere suspensas ex humeris caprarum pelles, & in capitibus pilea pennis coronata, hodieque, referente Gesnero, pelliones pelles caprarum cùm villis suis parant, & expoliunt, quibus vestitur vulgus præsertim mulierum in Sueuia præcipuè aduersus iniuriam frigorū, quamobrem & infantibus inde fiunt tunicæ. Pelles à mercatoribus rudes petuntur ex montanis Sabaudiæ locis circa Geneuam. Aptæ sunt pellionum operis ex teneris tantum hœdis, & capellis, quales verno tempore mactantur ætate duorum plus minus mensium. Vsurpantur etiam ex illis, quæ statim à partu moriuntur, vt ouium quoque. Estque Hesiodi antiquissimum preceptum, vt propter imminens frigus pellibus hœdinis nos muniamus:

Locrenses rei pastoritia dediti.

Tragicis etiam in vsu est caprina pellis.

Ἰξάλη quid.

Διφθέρα quid.

Qui vsi sint caprarum pellibus.

Lib. 7.

Hædinæ pellis vtilitas.

Πρωτογόνων δ' ἐρίφων, ὁπόταν κρύος ὥριον ἔλθῃ,
Δέρματα συρράπτειν νεύρῳ βοὸς, ὄφρ' ἐπὶ νώτῳ
Ὑετοῦ ἀμφιβάλῃ ἀλέην. idest,

Primogenitorum verò hædorum, cùm frigus tempestiuum venerit,
Pelles consuito neruo bouis, vt super humerum
Pluuiæ arceas teporem, &c.

In veteri testamento Kebir vocem hebraicam exponunt capilliceum ex pilis caprinis instar capitis criniti factum: Ionathan tamen vertit noda, idest, vtrem ex pelle scilicet caprina factum. Beduini Arabes, ac Saraceni hæretici hircinis pellibus amiciebantur, teste Volaterrano; & Andreas Bellunensis lanam merhazi exponit lanam capræ subtilissimam, ex qua fiunt Zambelotti, & alia

Kebir quid.

Lib. 1. reg.

velle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vellera ſubtiliſſima; ſed vetus expoſitio in Auicennam Mathahaze dicit eſſe pannum ex pilis capræ,& aliàs eidem Bellunenſi Mesha pannus eſt contextus ex pilis aſinorum,& caprarum,& interdum ex ſolis caprinis, additque ex hoc rudis panni genere,qui deſerta habitant Arabes tentoria,& ſaccos ſibi conficere: In Cypro verò, vt Aeneas Syluius ſcribit è pilis caprarum,Zambelottum vulgò dictum conficitur,& Ioſephus Barbarus teſtatur in Armenia minore propè Betelin,& Iſſan fluuios ſic vulgò nuncupatos magnam eſſe caprarum copiam, eaſque quotannis tonderi, & ex lana facere Zambelottum,hoc eſt,veſtes vndulatas. Aſſerit verò etiam Bellonius ſelectiores Turcarum pannos vndulatos ex pilis caprarum contexi Ancyræ Cappadociæ metropoli, ſed & tapetes ex caprarum pilis conſtare; qui verò apud Memphin venduntur, minus eſſe elegantes, etenim ex lineo panno verſicolores factos eſſe. In Iuriſconſultorum libris, vbi de auro,& argento legato tractatur,in L.argumento ſunt,odorum legebatur, Bayſius, teſte Geſnero,œdorum legendum eſſe aſſerit, quod ex œdorum (ſic ſcribit ſine aſpiratione) pellibus fiebant calceamenta, vt ex antiquis, inquit, marmoribus Romæ coniecimus. Idem his Martialis poetæ ad Phœbum verſibus comprobat;

Zambelottũ quid, & vbi fiat.
Lib. 3. obſer. cap. 13.
Pellium hœdinarũ vſus in calceamẽtis.

Oedina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticemq; caluæ,
Feſtiuè tibi Phœbe dixit ille
Qui dixit caput eſſe calceamentum.

Feſtiuè autem dixit,propterea quòd Romani temporibus illis in calceamentis vterentur pellibus œdinis. Hæc Bayſius. Turnebus verò cùm dixiſſet alios ibi legere odonum, alios ondonum, alios etiam œdorum,cur non mihi,inquit, quamuis iuris ciuilis imperito,poſt iſta commenta,venia ſit, quid mihi videatur, iſta de re,ſcribendi? Ego vdones lego,& puto calceamenta ex hircinis pilis texta. De Vdonibus Martialis ſcripſit:

Lib. 1. c. 13.
Vdones quid.
Lib. 14. epig. 140.

Non hos lana dedit,ſed olentis barba mariti,
Cinyphio poterat planta latere ſinu.

Putaui aliquando vnam abeſſe literam propter antegreſſum elementum t verbi,eſt, cui in libris manu ſcriptis ita ſimile eſt c, vt plerumque internoſci non poſſit,& legendum cenſui cudonum, vel codonum,nam vtroque modo ſcriptum reperio. Sunt autem cudones è pellibus operimenta capitis,quæ & pedibus indui credebam,quod commentum mihi vehementer diſplicet,nam apud Silium cudo ſignificat galeam pelliceam, vt quæ κυνέη ab Homero dicitur, & κτιδέη: verba ſunt Silij:

Caput his cudone ferino
Stat cautum.

In quo, qui codone legunt,deducunt à κωδίον. Heſychius, & Varinus ſcandalia ex caprino corio σροχαδέσαι dici dicunt,κυνέην verò αἰγέην galeam, vel pileum ex pilis caprinis. Apud Homerum in hoc loco:

Ἕσσατο δ' ἐκτόσθεν ῥινὸν πολίοιο λύκοιο
Κρατὶ δ' ἐπὶ κτιδέην κυνέην.

Andreas Diuus Iuſtinopolitanus reddidit *galeam hircinam*, Spondanus verò muſtelinam, κτιδέην legens pro ἰκτιδέην. κυνέη verò propriè pellis eſt canina,& larga ſignificatione ponitur pro galea ex quacunque materia facta. Fuit præterea pellium caprarum, hœdorumque vſus pro ſtragulis: Cicero pro Mur. ſtrauit pelliculis hœdinis lectulos punicanos. Homerus:

Odyſs. 14.
Pellium caprinarum, & hœdinarũ pro ſtragulis vſus.

Τίθει δ' ἄρα οἱ πυρὸς ἐγγὺς
Εὐνὴν, ἐν δ' οἰῶν τε, καὶ αἰγῶν δέρματ' ἔβαλλεν
Ἔνθ' ὀδυσεὺς κατέλεκτ'. ideſt,
Poſuit autem ei ignem propè
Lectum,inque capraram, & ouium pelles iniecit
Vbi Vlyſſes dormiebat.

Ibid.

Et paulò poſt:

Ἂν δὲ νάκην ἕλετ' αἰγὸς ἐϋτρεφέος μεγάλοιο. ideſt,
Ac pellem accepit capræ benè nutritæ magnæ.

Et à principio eiuſdem libri:

Ἑσόρεσεν δ' ἐπὶ δέρμα ἰονθάδος ἀγρίου αἰγός. ideſt,
Strauit autem in pellem villoſæ ſylueſtris capræ.

Εἰδυλ. ε.

Apud Theocritum etiam Laconi dicenti:

Ἤ μὰν ἀρνακίδας τε καὶ εἴρια τᾶδε πατησεῖς,
Αἴκ' ἔνθῃς, ὕπνῳ μαλακώτερα. ταὶ δὲ τραγεῖαι

καὶ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ταὶ παρὰ τὶν ὄσδοντι κακώτερον ἢ τύ περ ὄσδεις. idest,
Atqui pelles agninas, & lanam hic calcabis
Si veneris, somno molliorem: pelles verò caprinæ,
Quæ apud te sunt, peius olent quàm tu oles.

Respondet Comatas:

Αἰ δέ κε καὶ τὺ μόλῃς, ἁπαλὰν πτέριν ὧδε πατησεῖς,
Καὶ γλάχων' ἀνθεῦσαν. ὑπεσσεῖται δὲ χιμαιρᾶν
Δέρματα, τῶν παρὰ τὶν μαλακώτερα τετράκις ἀρνῶν. idest,
Si autem tu veneris, teneram filicem hic calcabis,
Et pulegium, quod floret: substernentur verò caprarum
Pelles molliores quadruplo, quàm quæ apud te sunt agninæ.

Legimus itidem in sacris literis: Tulit autem Michol statuam Dauidis, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis. *3. regum 6.* Vbi Beda de pelle pilosa B caprarum, patet, inquit, historia, quia puluillus erat de caprarum pelle consutus, qui intonsis pilis caput inuoluti in lectulo hominis mentiretur: statua autem est imitatio veri, & viuentis; Mortua pellis caprarum, mortui animant s exuuiæ. Apparet autem postmodum stragulas istas viliores fuisse: nam Valerius Maximus tradit, Catonem hœdinis pellibus vsum pro stragulis, tãquam inquit, nihil mutasset è prisca frugalitate. Apud priscos verò tam frequens pellium vsus erat, vt ἀπὸ τῶν δερμάτων, latini dermire primùm, mox dormire dixerint, teste Scaligero in coniectaneis suis supra Varronem. *Dormire verbi origo.* Suprà vbi de etymologia tragœdiæ loquebamur, ex caprinis, hircinisve corijs vtres fieri solitos in ascolijs Bacchi festis, super quos inflatos, obunctosque vno tantùm saltabant pede, vt delabentes risum excitarent, scripsimus. *Pelliũ vsus in conficiendis vtribus, lagenis, ratibus, follibus.* Erat eorundem vsus, vt & hodie, ni fallor, ad includendum vinum, oleumque: De vino sic meminit Homerus:

Ἐν δ' οἶνον ἔχευεν
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ, κούρη δ' ἐπιβήσετ' ἀπήνης. idest,
Vinum verò infudit
Vtrem in caprinum, puella verò conscendit currum. *Odyss. 6.*

Loquitur poeta de Nausicaa Alcinoi filia, quæ magno cum apparatu ad flumina, vestes lauandi C gratia, dimittitur. Istiusmodi vtres Hesychius, & Varinus vocant Χόρια, exponunt enim τὰ τῶν ἀρνῶν, καὶ ἐρίφων ἀγγεῖα, nam χορία aliàs secundas significat, vel membranas quibus fœtus in vtero inuoluitur. Vento verò tantùm inflati natantibus etiam vtiles sunt, super qua re de S. Malcho nuptias fugiente admirandam historiam recenset D. Hieronymus in eius vita, quòd scilicet à Saracenis captus, cum Christianam seruam sibi matrimonio iungere cogeretur, ex duorũ, quos habebat, hircorum pellibus vtres sibi, & vxori confecerit, fluuiumque vnà tranarint. Ita & rates ex ijsdem factas fuisse meminit Xenophon de Cænis fluuio loquens. ἐξ ἧς, ait, οἱ βάρβαροι διῆγον ἐπὶ σχεδίας διφθερῶν, ἄρτυς, τυρὸν, οἶνον, idest, Ex qua barbari coriaceis ratibus panem, caseum, vinum in castra conuehebant. Ad vtres alludit Ouidius, loquens de area secundum Træzenam, vrbem in tumulum redacta, eruptione spiritus, quæ terræ increuerat: *Metam. 15.*

Est propè Pitheiam tumulus Træzena sine vllis
Arduus arboribus, quondam planissima campi
D *Area, nunc tumulus: nam (res horrenda relatu)*
Vis fera ventorum cæcis inclusa cauernis
Expirare aliquo cupiens, luctataque frustra
Liberiore frui cælo; cum carcere rima
Nulla foret toto, nec peruia flatibus esset,
Extentam tumefecit humum, ceu spiritus oris
Tendere vesicam solet, aut direpta bicornis
Terga capri.

Similiter vsus eorundem erat pro follibus; quod meminit Horatius de Crispino loquens: *Lib. 1. serm. satyr. 4.*

At tu conclusas hircinis follibus auras
Vsque laborantes dum ferrum molliat ignis
Vt mauis imitare.

Hortatur autem Crispinum, vt suo more inflata, & turgida scribat: hircinis autem follibus comparat pectus Crispini, & auras follibus conclusas turgidis suis & insulsis cogitationibus: Et, vt hircini folles multum aeris emittunt, donec ignis emolliat ferrum, sic vult Crispinum non cessare, sed multa verba fundere, donec auditorem contundat, & nimia tandem satietate conficiat: Cruquius ait esse poetæ concessionem per apostrophen, qua Crispino liberum permittit, vt suo

more

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

more verſus leues, ventoque ſimiles componat, ſed putidos, & mordaces, quorum ſententia putido, prauoq; pectore deprompta non magis grata ſit auribus, niſi ſui ſimilibus, quàm ſit flatus ſollibus hircinis emiſſus cum ingenti fœtore: videtur enim, inquit, ad hircinam maleolentiam alludere. Porrò diphtheram, ſiue caprinam membranam, ouillamque papyri, chartæque loco fuiſſe in ouis hiſtoria diximus, potiſſimùm authoritate Herodoti, cuius hæc ſunt verba: Phœnices iſti, qui cum Cadmo aduenerunt, quorum Gephyręi fuerunt, dum hanc regionem incolunt, cùm alias multas doctrinas in Græciam introduxere, tum verò literas, quæ apud Græcos, vt mihi videtur, antea non fuerant, & primæ quidem illæ extiterunt, quibus omnes Phœnices vtuntur, progreſſu verò temporis vnà cum ſono mutauerunt, & modulum priſtinum, & cum ea tempeſtate in pleriſque circa locis eorum accolæ Iones eſſent, qui literas à Phœnicibus diſcendo acceperant, eas illi cum ſuis pauculis collocantes in vſu habuerunt, & in vtendo confeſſi ſunt, vt ratio ferebat, vocari Phœnices, quod eſſent à Phœnicibus in Græciam illatæ: priſcaque conſuetudine biblos Iones appellant pelles, quòd aliquando penuria biblorum, hoc eſt, ſcirporum pellibus caprinis, ouilliſque vtebantur, adhuc quoque ad meam vſque memoriam multis barbarorum talibus in pellibus ſcribunt. Hæc Herodotus. Scribit tamen Alexander ab Alex. chartas hœdinas fuiſſe Pergami Troadis primùm inuentas, quod ibi Attalus, & Eumenes imperantes nobilem illam omnium ſermone celebratam bibliothecam conquiſitis vndique exemplaribus hœdinis chartis conſtruxiſſe dicantur. Harum chartarum noſtro etiam tempore apud notarios deſcribendis teſtamentis maximus vſus eſt, & charta pergamena vulgò vocantur. Habebant itidem veteres ex hoc corio ſcuticas, quod meminit Plautinus ſeruus Miluio: nam cùm Synceraſtus ſeruus alius diceret: *ſine pennis volare haud facile eſt, meæ alæ pinnas non habent*; reſpondet Miluio: *nolito ædepol deuelliſſe, iam duobus menſibus volucres tibi erunt hircinæ.* hoc eſt, iam intra duos menſes tibi pennæ renaſcentur ad volandum aptæ ex corio hircino, ſignificans eum loris ex corio hircino factis vapulaturum. Poſtremo ſi ex alijs corijs, tum potiſſimum ex hoc fit gluten: nam totaliter diſſolui dicitur. Ex cornibus capræ duobus, vt ſcribit Gyraldus, quæ izali fuerat, & iugo, aridaq; teſtudine lyra primùm à Mercurio compacta fuit, qui eam poſt Apollinem, & Muſas Amphioni Thebano dedit, qua mox ille Thebas Bœotias condidit. Pyrrhus Epyrotarum rex hircina cornua capiti criſtę loco imponebat, & ex his agnitum Oplacus Italus alæ Ferentanæ præfectus infeſta lance petiuit, vt Plutarchus refert in eius vita. Aethiopes verò, teſte Herodoto, haſtas ferunt capræ cornu præfixas in modum ſpiculi acuminato. Troglodytas verò ſcribit Alexander ab Alex. ex Diodoro Siculo, & Strabone paliuri virgis mortui ceruicem cum pedibus alligantes efferre, deinde cadaueri lapides aggerentes, cornu capræ ridentes apponere, hoc pro exequiali pompa, proque funere exiſtimantes. Stercus caprillum, & ouillum ſedulò conſeruari iubet Cato, quaſi agriculturæ perquam commodum: nos iam aliquoties tertium ei bonitatis locum aſſignari à Theophraſto ſcripſimus. Baptiſta Porta ex Anatolio, vt malus dulciorem creet fructum; eſſe ait, qui caprinum fimum vrinæ adijciant, & veteris vini fecem radicibus inijciant. Plinius verò etiam refert, adeoque nihil omiſiſſe curam, vt carmine quoque comprehenſum repererit, in fabis caprini fimi ſingulis excauatis ſi porri, erucæ, lactucæ, apij, intubi, naſturtij ſemina incluſa ferantur, mirè prouenire; vbi fabas vocat, quas alij baccas, alij globulos, & pilulas dicunt, Græci σπυράθες, Nicander in theriacis πυράθες, niſi vitiū librariorum eſt; Etſi ſint, vt Galenus etiam, qui non caprinum tantùm, ſed & ouillum ea voce ſignificent: σφυράδες eadem ſignificatione Atticum eſt: Ariſtophanes homines quoſdam, omnino viles, & ſordidos σφυράδων ἀποχνίσματα vocat, quaſi minima ſtercoris fruſta. Erat & lactis vſus in agricultura; nam Palladius referente eodem Porta, ſi ternos eius ſextarios per triduum florenti perſico ingeſſeris, poma maiora producere ſcribit. Ipſa verò capra olim, vt nunc quoque, per vrbem duci ſolet plenis vberibus, vt recens lac cupiēti emere mulgeretur, quò ſpectat illud Catulli:

Meis capella delicata paſcuis
In vrbem adulta lacte portat vbera.

Fortè mos ille inde inualuit, quòd capra præ cæteris alijs lacte abundet, adeo vt etiam id ſubminiſtrare poſſe videatur, etiamſi nō coeat; nam paſtores montis Oetæ, quod memoriæ prodidit Ariſtoteles, caprarum, quæ coitum non patiuntur, vbera vrtica perfricant vehementer, vt dolorem infligant, itaq; primùm cruentū humorem eliciunt, mox purulentū, poſtremò lac non minus quā ex ijs, quę venerem patiantur: ſcio interim Albertum teſtari ſe hoc vidiſſe in mulieribus, tū viduis, tum virginibus, quæ idem in ſuis expertæ mamillis lac abundè emiſerint. Ex ſeuo deniq; & potiſſimum hircino candelæ fiunt præſtantiſſimæ, vt quod præ cæteris ſit ſolidius, nec facilè liquatum diffluat, indeq; inuentum à recentioribus eſt cereas eo adulterare. Tarentinus ad capiendos Melanuros hepar iubet accipi caprinum, eoq; hamos ineſcari, ſi verò aliam quandam prædam in mari reperimus, itemque ad multos alios piſces vngula caprina, aut aſinina vti præcipit.

Lib. 5.
Pellis capri- næ, ouillæq; vſus pro charta.
Lib. 2. c. 30.
In Pænulo.
Ex corio caprino ſcuticæ factæ olim.
Dialogo 2. de poetis.
Lyra vnde primò facta.
Pyrrhus hircina cornua impoſuit capiti loco criſtæ.
Lib. 7.
Troglodytæ quomodo cadauera efferrent.
Caprilli ſtercoris vſus in agricultura.
Capræ vbi lac dent abſque coitu.
Seui vſus pro candelis.
Modus capiendi melanuros, & alios piſces.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

DE CAPRIS SYLVESTRIBVS, Et primum in genere. Caput X.

MAXIMA, inquit Scaliger, priscorum negligentia. Dum rerum naturas profitentur, elenchis nominum tantùm coaceruatis nobis plus inquirendum, quam si nihil prodidissent, reliquerunt. Inter quos princeps Plinius, dum studet nihil intactum relinquere, importuna festinatione præceps, pro epulis apponit titulos conuiuis. Vel de caprarum pecore quæ perstringit, non tam rerum desiderium, quam confusi iudicij fastidium reliquit. Plinij verba sunt: *Capræ* (syluestres) *in plurimas similitudines transfigurantur. Sunt capræ, rupicapræ, ibices: Sunt & oryges, damæ, pygargi, strepsicerotes, multa-* B *que alia haud dissimilia. Sed illa Alpes, hac transmarini situs mittunt.* Reperire præterea est apud Græcos, Αἰγόκερως, δόρξ, δόρκος, δορκὰς, δορκαλὶς, δορκάδιον, πρὸξ, πτὼξ, βύβαλος, ἴξαλος, νεβρὸς, κεμὰς, κόλος, τραγέλαφος. Quæ omnia nomina quantum fieri poterit, & materiæ ipsius difficultas patietur, clarè, dilucidèque enodabimus, à generis nomine exorsi, quod Græcis αἴξ ἄγριος, Latinis capra syluestris esse videtur. Dixi, *videtur*, nam si est, dum Græci quid αἰξὶ ταῖς αγρίοις, & Latini capris feris, siue syluestribus tribuunt, id omnibus erit commune. Equidem Aristoteles αἶγας τὰς ἀγρίας, sagittas transfixas dictamnum herbam quærere dici tradidit, & sic spicula ex corpore eijci; quod Theophrastus eius discipulus, & Dioscorides simpliciter capris tribuunt, & ex Latinis Cicero, & Virgilius similiter de capris feris id referunt: Nec propterea cogimur fateri id de omnibus feris capris prædicari, quas enumerauimus, sed illas tantùm intelligere videtur, quæ Cretam, & Idam potissimùm montem incolunt, sicque intelligi debet Solinus, dum ait: *Ager Creticus syluestrium caprarum copiosus est.* Sed hinc rursus summa enascitur difficultas; nam si quæ Aristoteli αἴξ ἄγριος vocatur, Virgilio sit capra fera, manifestissima inter vtrumque contradictio est, philosophus enim αἶγα τὴν ἀγρίαν in Africa esse negat, poeta verò de venatione Aeneæ, & Didonis scribens, quæ in Africa facta est, ibi feras capras manifestò haberi ostendit, C dum canit:

Exerc. 207. Priscorum, maximè Plinij negligẽtia. Lib. 8. c. 53. Lib. 9. hist. cap. 6. Capræ sagittas vt excludant. Vbi syluestrium caprarum copia. 8. hist. c. 28.

Ecce feræ saxi deiectæ vertice capræ
Decurrere iugis, alia de parte patentes
Transmittunt cursu campos, atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant, montesque relinquunt.

Quare rursus apparet capram feram apud Latinos, & αἶγα ἄγριον apud Græcos peculiarem constituere speciem, aliamq; intellexisse poetam ab Aristotele, nullam enim capram feram in Africa esse falsum puto, cùm & bubalus, vt patebit suo loco, ibi reperiatur. Equidem Seruius in hoc poetæ loco capras feras interpretatur capreas, & benè aptat, inquit, descriptionem ad species, vt cerui campos, capreis saxa permittat: caprea tamen intelligi nequit, siquidem Plinius proximum citatum philosophi locum vertens, capreas in Africa esse negat. Mihi videtur, vt cùm capra fera, siue αἴξ ἄγριος pro specie sumitur, illa intelligi debeat, quæ domesticæ est similior; quam opinionem non obscurè astruere apparet Varronem, dum inquit: *Capræ quas alimus à capris feris sunt ortæ, à queis propter Italiam Caprasia insula est nominata,* D nostras enim capras ex peculiari syluestrium specie ortas esse ratio suadere videtur, illa scilicet, cui proximior, vt dicebam, cum domestica est similitudo. Ipsum autem Varronem capræ feræ nomine priuatim vti, ex his eius verbis etiam conuincitur: *In Italia circa Fiscelium, & Tetricam montes multæ sunt capræ feræ, etenim Italia caprarum ferarum genera multa non alit.* Rursus cum αἴξ ἄγριος, αἴγαγρος Varino, & Hesychio idem est, quod & nomen ipsum indicat, & sic in lexicis etiam exponitur, nimirum capra syluestris, vel caprea; Oppiano tamen αἴγαγρος (sic enim in manuscripto codice reperisse se Gesnerus scribit, sicque legendum esse monet Bodinus, nunc αἴγαςρος legitur, quam vocem & Suidas habet, item αἰγάςρην, & exponit genus animalis) peculiaris species est, quod & Gesnerus aduertit, illa scilicet, quæ Tridentinis, & circumuicinis populis vulgò camozza vocatur. Αἰγόκερως Latinis est capricornus; Cæterùm neutram vocem apud probatos authores pro animali positam reperias, sed semper pro sidere, barbari tantùm, teste Scaligero, capram syluestrem capricornum dicunt, & soli Suidæ genus est animalis. Dorcadis nomine Plinium, aliosque veteres ita vti, tradit Gesnerus, tanquam nullum apud Latinos ei vocabulum responderet, sentitque capream, capreolum, & dorcadem, tria nomina vnum duntaxat animal denotare: Et plerique recentiorum etiam doctissimi, vt Gaza, Hermolaus, cæterique pro dorcade semper vertunt capream. Leonicenus insuper

Capræ feræ quæ Virgilio. Aegagus Oppiani. Capricornus. Caprea, capreolus, dorcas vnum animal.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

inſuper Plinium reprehendit, quòd tanquam diuerſa animalia capream,& dorcadem diuerſis in E locis memoret. Mihi vtraque vox generis etiam nomine vſurpari poſſe videtur, & docet hoc præ cæteris ipſe Plinius his verbis: capras negant lippire, quoniam eæ quaſdam herbas edant, item dorcades, ideſt, vt interpretor, capræ ſyluestres, ſimiliterq; dorcadis nomen vſurpauit Martialis, dum canit:

Lib.8.c.11.
Capræ non lippiunt.

Tam diſpar aquilæ columba non eſt,
Nec dorcas rigido fugax leoni.

Alludit enim ad vetus prouerbium, μὴ πρὸς λέοντα δορκάς, ideſt, *ne caprea contra leonem*, ideſt, ne longè inferior cum potentiore decertes: Nam iſtiuſmodi timiditas, viriumq; imbecillitas omni caprino generi tam fero, quàm domeſtico conuenit, quare etiam dormiunt oculis apertis, vt tradit Varinus in λέων, vnde Cælius etiam tranſcripſit. &, vt aquila non vnum columbæ genus, ſic nec vnum capræ genus leo proſequitur. Accedit vocis etymologia: Origenes enim, teſte Cælio, δορκάδα παρὰ τὸ ὀξέως δέρκειν dici opinatur: Verba Origenis, ſi modò eius ſunt, quę illi adſcribuntur, hæc reperio: Δορκὰς quantum ad græca vocabula nomen à videndo, atque clarius per- F ſpiciendo ſortita eſt, habet in natura ſua, vt non ſolùm videat, ipſa & perſpiciat acerrimè, ſed & alijs viſum præbeat. Aſſerunt namque hi, quibus medicinæ peritia eſt, ineſſe huic animali intra viſcera humorem quendam, qui caliginem depellat oculorum, & obtuſiores quoque viſus exacuat. D. Hieronymus traducit etiam capream, & ſecundum eorum phyſiologiam, qui de naturis omnium animalium diſputant, ex inſita ſibi vi nomen accepiſſe ait, ab eo ſcilicet, quod acutius vident, ideſt, παρὰ τὸ ὀξέως δέρκειν. Iſidorus denique dorcades ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι dictas putat. Etymologus verò δορκὰς deriuat à δόρξ, quod dicit ὄνομα ζώου, δορκὰς autem ipſi eſt, τὸ τοῦ ἐλάφου γέννημα, ὀξυδερκὲς γὰρ τὸ ζῶον, καὶ εὐόμματον; Sic & apud Varinum legitur, hoc eſt, dorcas eſt genus cerui, acuti viſus animal, & oculos habens optimos; ſed vt de viſu benè, ita malè cerui genus exponunt: non enim ex ceruis dorcas eſt, niſi τοῦ ἐλάφου, ideſt, cerui nomen latiùs accipiamus pro omni ſcilicet montiuago, & cornuto animante, vel potiùs ſtrictiſſimè pro peculiari capræ ſylueſtris ſpecie, quæ cornua, cerui modo, habet ramoſa. Neque etiam dorx à dorcade differt, etſi aliam habeat nominis rationem, nimirum à ſaltu, vnde δορκαδίζων σφυγμός, ideſt, pulſus caprizás apud Galenum celebratur à ſimilitudine, quam cum iſtiuſmodi capris habet, quippe quæ hoc modo G videntur ſalire, quaſi genuinum quendam motum facientes, quod vbi ſeſe aliquantulum extulerint, & ſpeciem alicuius deſiti motus præbuerint, alterum motus nec opinatum impetum capiunt priore longè citatiorē veluti in ſeipſas inſilientes. Hermolaus eos verò etiam reprehēdit, quib. dorcas ceruinus pullus eſt, dorx verò animal diuersū, cū dorcas, inquit, Ariſtoteli nō ceruū, ſed capreā ſignificet. Sed nunquid reuera Ariſtoteli ſit caprea ſic ſcilicet propriè dicta, proprio rurſus loco exa minabimus, Gaza apud Alex. Aphrodyſ. 1, probl. damā vertit. Pro δόρξ legitur etiā ζόρξ, interpres Strabonis damā vertit, Nicandri capream; Damas etiā traducunt Gillius, & Bodinus ἴορκας apud Oppianum, qui ita δόρκους carminis ratione vocat, Heſychius ἴορκες habet, non ἴορκοι, dicitque eſſe ex genere τῶν δορκάδων, & Bodinus ἀπὸ τῶν δορκάδων parum differre arbitratur, quia ſatis, inquit, conſtat ceruorum genere contineri, addit etiam alijs eſſe ἡλικίαν ἐλάφου. Atqui Dioſcorides δόρκον à dorcade manifeſtè diſtinguit: Similes, inquit, leporino vires habent coagulum, ἐρίφου, καὶ ἀρνός, καὶ νεβροῦ, καὶ δορκάδος, καὶ πλατυκέρωτος, καὶ δόρκου, καὶ ἐλάφου, καὶ μόσχου, καὶ βουβάλου, ideſt, vt vertit Cornarius: hœdi, agni, hinnuli, dorcadis, platycerotis, dorci, cerui, vituli, & bubali: Ait autem Cornarius reliqua quidē animalia, quorum hic Dioſcorides meminit ſatis nota eſſe, dor- H cum autem quod animal dicat, & an δόρκου vox rectè legatur, non ſatis conſtare, neque enim apud ſcriptorem ſe reperiſſe, arbitratur tamen rupicapram ita appellare, quæ cornua in dorſum adunca habet, ſicut dorcadem damam, quæ eadem in aduerſum habet; ſed quam erronea ſit hæc ſententia, ex infrà dicendis palam fiet. Cordus verò cùm ſimiliter ſeruatis græcis vocibus traduxiſſet, legentes, inquit, facilè inducuntur vt credant, omnia, quæ Dioſcorides enumerat animalia, ſuum peculiare genus habere, ſed hæc opinio admodum abſurda eſt, non enim vllum eſt animal νεβρός, hoc eſt hinnulus, neque dorcas aliter à dorco quàm ſexu differt: Itaque per hinnulum, dorcadem, platycerota, dorcum, & ceruum, quamquam quinque ſint nomina, tria tamen animalium genera tantùm intelligenda ſunt: νεβροῦ enim, ideſt, hinnuli generalis eſt appellatio, & ad dorcadem, platycerota, dorcum, & ceruum refertur: Sunt enim νεβροὶ Græcis, & Latinis hinnuli pulli animaliū omnium, quibus ramoſa cornua ſunt, quales ſunt cerui, & platycerotes, damæ, & capreæ, fæmellæ: Idde etiam alces, quare coagulum intelligendum eſt hinnuli, dorcadis & capreæ, verborum circo coniunctio καὶ, quæ ſequitur vocabulum νεβροῦ ſuperfluam eſſe in contextu verborum non immeritò putatur: Prætererierunt hæc ſilentio in ſuis commentarijs Barbarus, & Marcellus (Ruellius dicere debuit) Hæc Cordus. Hermolaus, & Ruellius in eodem Dioſcoridis loco coniunctio-

Dorcadis etymologia.
In cant. homil. 3.
Dorcas quid Etymologo.
Capite de coagulis.
Cornarij error.
Cordi ſententia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A iunctionem καὶ, non poſt vocabulum νεβρῦ, vt dicit Cordus, ſed poſt δορκάδος non legunt, ſed τῆς
articulū, vt videtur eius loco. Vertunt enim: hœdi, agni, hinnuli, capreæ laticornis, & dorci, cerui,
vituli, bubalique. Habet præterea Ruellius *apri*, ſed in græco contextu nihil eſt, quod ei reſpon-
deat. Marcellus verò coniunctionem expreſſit, & duo diuerſa fecit animalia, quod illi vnum, ni-
mirum ſic: hœdi, agni, hinnuli, dorcadis, capreæ quam à latitudine cornuum platycerota dicunt, *Platyceros.*
dorci, cerui, vituli, & bubali. Quam verſionem improbat etiam Geſnerus, & in eodem Marcello
præterea reprehendit Fran. Maſſarius, quòd platycerota dixerit capream. Non enim caprea
eſt, inquit, quæ platyceros græcè dicitur, ſed diuerſum omninò genus, ex Plinio, vbi de cornibus
loquitur tradente: *Aliorum finxit in palmas, digitoſque emiſit ex eis, vnde platycerotas vocant, de-
dit ramoſa capreis, ſed parua*, & cæt. Ex quibus manifeſtò apparet animalia hæc prorſus eſſe di-
uerſa. Hæc Maſſarius, nimio traducendi Marcelli ſtudio ductus; nam cùm platycerota verterit
capream, quæ à latitudine cornuum ſic Græcis vocatur, capreæ vocabulum ſumit, prout ſumi
paulò pòſt oſtendam vniuerſaliter pro omni capra ſylueſtri. Sed redeo ad citatum Dioſcori-
B dis locum, in quo Geſnerus etiam νεβρὸν hinnulum vertit, & vix aliter intelligi poſſe putat, quàm *Νεβρὸς quid Dioſc.*
vt ad ſequentia omnia referatur, vitulo tantùm excepto: nam & apud Latinos, inquit, hinnuli no-
men ad huiuſmodi animalium fœtus commune eſt, & apud Græcos ſimiliter vſurpari reperio, &
ſi hoc cui non placet, doceat nos quid hinnuli coagulum à ceruino differat. Hucuſque Geſnerus.
Mihi certè Marcellus rectè etiam ſeruaſſe coniunctionē καὶ videtur, ab eo tamen vti à cæteris om-
nibus interpretibus, recedo, qui νεβρὸν hinnulum interpretantur; exiſtimo enim peculiarem quan-
dam capræ ſpeciem hoc nomine indicari à Dioſcoride, nam præterquam, quòd Varinus, & Ety-
mologus ſcribūt πρόκα animal ſimile eſſe ceruo, quod alio nomine νεβρὸς dicatur, & Marius Gra-
paldus νεβρὸν damam reddidit: Solinus clariſſimè νεβρὸν damam eſſe oſtendit his verbis, de Ne- *Cap. 11. polyhiſtor.*
brode Siciliæ monte loquens: *Nebrodi damarum copia nomen dedit, quem damæ & hinnuli grega-
tim peruagantur, inde Nebrodes dictus*. Sed & Nicander in theriacis, etſi id interpretes non aduer-
terint νεβρὸν pro ſpecie ſingulari vſurpat & ipſe de coagulis loquens animantium eorundem, de
quibus loquitur Dioſcorides: verba poetæ ſunt:

Ἐν δὲ τίθει τάμισον σκίνακος νεαροῖο λαγωῦ,
C Ἤ πρoκὸς, ἢ νεβροῖο πάροιθ᾽ ἀπολύματα κόψας
Ἤ ἐλάφυ νηδὺν, τὴν δὴ καλέουσιν ἐχῖνον.

Quæ ſic vertenda erant interpretibus: Impone item petulantis, ætateque florentis leporis, vel da-
mæ platycerotis, vel damæ cui cornua anterius adunca ſunt, antea tamen purgatis ſtercoribus,
vel cerui aluum, quem iam echinum appellant. Non placet etiam Cordi diſtinctio, dum dor-
cadem à dorco ſexu tantummodo differre exiſtimat, ſpecie enim differunt: Dorcadem ſiqui-
dem cum doctiſſimo Scaligero, capreolum, dorcum verò capream propriè ſic dictam indico.
Inuenitur præterea δόρκων, vt in hoc loco Cantic. Canticor. ὁμοιώθητι σὺ ἀδελφιδέ μυ τῷ δόρ-
κωνι, ἢ νεβρῷ ἐλάφων, quam autem ex capris intelligant Septuaginta, ipſimet paulò antè decla- *Cap. 2. Dorcon.*
rauerant, vbi habent ſic; ὅμοιός ἐστιν ὁ ἀδελφιδός μυ τῇ δορκάδι, ἢ νεβρῷ ἐλάφων, quaſi δόρκων,
& δορκὰς, idem ſignificent, ſicque in vtroque loco Hebraici textus verſio habet: Suidæ ve-
rò δόρκων ὄνομα eſt τόπυ, καὶ ὁ ἔλαφος, ideſt, nomen loci, & ceruus; alicubi verò manifeſtò à
ceruo diſtinguens: habet ſic, δίχηλα ζῶα, βῦς, ἔλαφος, δόρκων, οἷς συμβέβηκεν ἐν τοῖς ὀπισθίοις πο-
σὶν ἀστραγάλυς ἔχειν, ideſt, biſulca animalia, ſunt bos, ceruus, dorcon, quibus contingit in po-
D ſterioribus pedibus talos habere. Vbi δόρκων ipſi fortè eſt omnis capra ſylueſtris, non enim
quæ δόρκων priuatim vocatur, talus contigit peculiariter. Apparet autem vocem hanc pa-
rum eſſe vſitatam, author enim eſt Myrtilus apud Athæneum δορκάδες ſolùm, non etiam δόρ-
κωνες dici. Oppianus denique in deſcriptione camelopardalis huic caudam tribuit, vt δορκα-
λίδων breuem, Gillius ceruorum tranſtulit, cum tamen Oppianus δορκαλίδας manifeſtè à ceruis
diſtinguat alicubi dicens: Canes venatici, vt celeriores fiant, cerui aut δορκαλίδων vberibus alen-
di ſunt, vbi ille ſeu ſui oblitus damarum reddidit, ego capreolorum malim, capreolorum nomi-
ne generaliter vſurpato pro hinnulo cuiuſuis ſylueſtris capræ. Πρόκες verò Varino ſunt νεογνὰ *Prox.*
ἔκγονα ἐλάφων, ἢ δορκάδων εἶδος, ideſt, teneri hinnuli ceruorum, aut genus ſylueſtrium capra-
rum: Heſychio ſimpliciter cerui. Idem πρόκας celeres interpretatur, vel ceruos, & à Suida
πρὸξ interpretatur ἐλάφυ γέννημα, ideſt, hinnulus ſeu ſoboles cerui, itidemque ab Euſtathio,
qui tamen alibi dicit ſpeciem eſſe ἐλάφυ, aut δορκάδος apud Homerum; Et hoc locó apud eun-
dem πρὸξ à capris ſylueſtribus diſtingui videtur, vnde & ceruum, & ceruos pro πρόκας red- *Odyſſ. ρ.*
dunt interpretes:

Ἀγίνεσκον νέοι ἄνδρες
Αἶγας ἐπ᾽ ἀγροτέρας, ἠδὲ πρόκας, ἠδὲ λαγωῦς. ideſt,
Duxerunt iuuenes viri.

Capras in ſylueſtres,& ceruos,& lepores.

Equidem Dionyſius ἐν ταῖς κτίσεσιν τας ἐλάφυς vocat πρόκας, & hinc Προκόννησον, ideſt, Proconeſum nominari aſſerit, quòd in ea πλήθυσιν ἔλαφοι, ideſt, abundent cerui, vnde etiam eadem inſula vocata eſt ἐλαφόννησος. E contrario: Ariſtoteles duobus in locis diſertiſſimè ἔλαφον, ideſt, ceruum à πρὸξ diſtinguit: primus locus legitur 2. hiſtor. cap. 15. vbi loquitur de felle: Fel, inquit, alijs annectitur iecori, alijs minimè, ex genere enim quadrupedum, quę animal generant, ἔλαφος ὐκ ἔχει, ὐδὲ πρὸξ. Alter eſt 3. hiſtor. cap. 19. vbi agit de ſanguine: Sanguis, inquit, vbi effluxerit concreſſit omnium præterquam ἐλάφυ, καὶ προκὸς, & quæ ſimilem naturam obtinent. Plinius vtrumque ſcribit de ceruo, & caprea, quanquam corrupti codices capram habent. Gaza tamen hoc vel non animaduertit, vel non probauit: nam πρόκα apud Ariſtotelem vertit damam, vulgarem non Plinij intelligens, vt Geſnerus etiam arbitratur, necnon Bellonius, omneſque docti, teſte Scaligero, atque Hermolao πρόκα damam putant: Et ego etiam damam ſignificare facillimè mihi perſuadeo, cùm quod præ cæteris famoſa eſt damarum timiditas, timidorumque ſanguis nō concreſcat, tum quod timidis etiam animalibus natura, teſte philoſopho, pedum velocitatem pro armis dedit: celeritas autem eadem etiam voce indicari videtur, nam præterquam quod, vt paulò antè dicebamus, πρόκας celere interpretatur Heſychius, πρόκα etiam Hippocrates, teſte Galeno in gloſſis Hippocr. dixit ἐξαίφνης, ideſt, ſubitò, repentè, qua etiam ſignificatione vſus eſt Herodotus, vt conijcio ex eius lexico, in quo exponitur ἐυθὺς, & ſic etiam exponit Heſychius. Πτὼξ à quibuſdā quaſi nimirum à ſubita celeritate, vel vt Grammatici dicunt ἀπὸ τῦ προΐξεσθαι. Πτὼξ à quibuſdam & lepus, & dorcas exponitur, ceruus item, & νεβρὸς, quæ omnia animalia ſunt timidiſſima, & πτὼξ, idem eſt quod πταξ, ideſt, timidus ſiue pauidus, quo ſenſu πτῶκα λαγωὸν Homerus, Horatius pauidum leporem, dixit, eſtque vbi idem Homerus ſubſtantiuè poſuerit pro λαγωὸς, quod & apud Oppianum legas, qui vt maiorem leporis timiditatem exprimeret addit epithetum δειμαλέος, ideſt, pauidus. Similiter etiam Tiberius Illus cemada dixit, quam Polienus dorcada, quare & ab Heſychio κεμὰς exponitur, vel hinnulus, vel ceruus, vel dorcas: non ſunt autem cemades ex caprearum genere vt putarunt, inquit Scaliger, quidam vocum vmbratiles ſectatores, ſed ſunt in ceruis, ſicut in bubus iunix, & iuuencus, ſeu bucula, ſeu vitulus, nihilominus Aeliano non quidem ex dorcadibus eſt, ſpecie tamen à ceruo differt, de Libyco dorcadum, & cemadum genere hæc tradenti: Dorcades quamquam velocitate ſunt mirabili, tamen ſunt inferiores in currendo equis Libycis: earum aluus nigris vittis diſtinguitur, reliqui corporis color rubet, & pedes quidem eis longi ſunt, cornibus caput ornatur, oculi nigri, longiſſimæ aures habentur. Κεμὰς à poetis nuncupata turbinis inſtar celerrimè fertur, flauis pilis ſpectatur, cauda tum eſt albiſſima, tum exalbenti, eius oculi cyaneo colore tincti videntur, aures peraltis pilis refertæ, neq; modò in terra pedum celeritatem oſtendit, ſed etiam cum in fluuij confluentē inciderit, vngulis pedum remigans, fluctus perrumpit, & vero in lacubus natare gaudet, vnde ſibi paſtum comparat, virides iuncos, & cyperum depaſcitur. Hæc Aelianus. Ex capris verò ſylueſtribus fortè etiam fuerit κόλος Scythicæ gentis, & Sarmaticæ, de quo ſic Strabo: Ἔςι δὲ τῶν τετραπόδων ὁ καλύμενος κόλος μεταξὺ ἐλάφυ, καὶ κριῦ τὸ μέγεθος, λευκὸς ὀξύτερος τύτων τῷ δρόμῳ, πίνων τοῖς ῥώθωσιν εἰς τὴν κεφαλὴν. εἶτ᾽ ἐντεῦθεν εἰς ἡμέρας ταμιέυων πλείυς, ὥς᾽ ἐν τῇ ἀνύδρῳ νέμεσθαι ῥαδίως. ideſt, Inter quadrupedia bellua eſt, quam colon appellant, magnitudine inter ceruum, & arietem, albicante corpore eximiæ ſuper hos leuitatis ad curſum: naribus potans trahit ad caput, hinc poſtmodum complures ad dies ſeruans adeo, vt per carentes aquis agros facilè pabulum carpat. Sic Strabo. Reliqua etiam vocabula græca præmiſſa peculiarem ſtatuunt ſpeciem; quare de ijs ſuo quoquo loco. Capreæ verò vox apud Latinos non ſemper priuatam denotat ſpeciem, ſed pro omni capra fera ſumi videtur: Legimus enim apud Varronem capreas, apros, & lepores in vnum leporarium coniungi: *Nunc vt habeant*, inquit, *multos apros, ac multas capras* (legendum capreas, quod & Geſnerus aduertit) *cum plura iugera macerijs concludunt*. & rurſus: *In leporario non lepores ſolùm includuntur ſylua, vt olim in iugero agelli, aut duobus, ſed etiam cerui, aut capræ* (lege capreæ) *in iugeribus multis*. Et rurſus: *apros in leporario pingues ſolere fieri ſcis Atci. Nam quem fundum in Tuſculano emit hic Varro à M. Piſone vidiſti ad buccinam inflatam certo tempore apros, & capreas conuenire ad pabulum cùm è ſuperiore loco è palæſtra effunderetur apris glans, capreis vicia, aut quid aliud*. Rationi enim conſonum eſſe videtur Romanos illos proceres non vnam tantùm ſylueſtrium caprarū ſpeciē, ſed plures ſuis leporarijs incluſiſſe, quin id apertè, teſtatur Columella his verbis, vbi de viuarijs faciēdis ſcribit: *Feræ pecudes vt capreoli, damæq;, nec minus orygū, ceruorumq; genera, & aprorū modò lautitijs & voluptatib. dominorum ſeruiunt, modo quæſtui, & reditibus*. Plinius etiam locū illum Ariſtotelis transferens in quo capras ſylueſtres in Africa nullas eſſe ſcribit, capreas voce generica latinè tranſtulit, neſcius fortè, quod genus philoſophus priuatim intelligeret. Accedūt epitheta capreę à poetis atttibuta communia ſcilicet omnibus; paſcuis intenta, edulis, laſciua, imbellis,

Marginal notes: Πθὼξ. — Cemas. — Dormas Libyca. — Cemas Libyca. — Colus. Lib. 7. — Caprea. — F — G — H

A lis, fugax. Sed & Sextus vires, quas Plinius maiore pro parte simpliciter, & domesticis tribuit, capreis, idest, syluestrib. capris tribuit, quod scilicet syluestria efficaciora in plerisq; domesticis habeãtur, id quod nos etiam ex Plinio diximus. Similiter rupicapra, etsi Plinio reuera in syluestrib. *Rupicapra.* capris species est, ratio tamen nominis postulat, vt generis etiam vicem subeat, quandoquidem per summos versari montes siue rupes, à quibus nomen impositum, non illi tantùm cui cornua in dorsum adunca, conuenit: accipi autem generis nomine posse, ipse quoque doctissimus Scaliger attestatur.

LOCVS. NATVRA. MORES.

ISIDORVS, qui suo tempore doctissimus habitus est, nec vllus creditur eo eruditior ab eius ætate ad nostri sęculi vsque tempus, quo bonæ literæ renasci cępere, B scriptis aliquid mandasse, ineptè quidem tria syluestrium caprarum genera pro vno accipiens, pulchrè tamen omnium naturam his verbis tetigit: capras, inquit, nonnulli à crepitu crurum dictas volunt, vnde eas crepas vocitant, quæ sunt caprę agrestes, quas Græci pro eo, quod acutissimè videant, ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι dorcas appellauere. Morantur enim in excelsis montibus, & quamuis de longinquo, vident tamen omnes, qui veniunt. Eædem autem & capreæ, eædem ibices, quasi auices, eo quod instar auium ardua, & excelsa teneant, & in sublimibus inhabitent, ita vt de sublimi vix humanis obtutibus pateant, vnde & meridiana pars ibides aues vocat, qui Nili fluentis inhabitant. Hęc igitur animalia in petris altissimis commorantur: Et si quando ferarum, vel hominum aduersitatem persenserint, de altissimis saxorum cacuminibus sese præcipitantes, in suis se cornibus illæsas suscipiunt. Hæc ille. Similiter author libri de natura rerum capram syluestrem, capreolam (sic enim vocat) & rupicapram vnum animal facit, quod in suum genus sæuiat, in alias autem bestias timidum, & mansuetum sit. Cum à canibus vrgetur, in montes altissimos confugere, plurimam inter mares discordiam esse propter fæminas tempore libidinis. Nos itidem maximam his animantibus C inesse timiditatem suprà monuimus, & modò rursus inter prouerbia indicabitur.

PROVERBIA.

KAT' αἶγας ἀγρίας: Sermo est abominantis & malum deprecantis, inque syluestres *Ad capras syluestres.* capras auertentis. Vsus est adagione Athenæus: Myrtilus, inquit, asseuerabat *Lib. 2.* velut ad capras syluestres nos relegans quærentes, Hegesandrum Delphum in commentarijs suis eius dictionis meminisse. Ad capras syluestres posuit, inquit, author adagiorum, pro eò, quod difficillimum esset inuentu, aut quod nusquam est. Citauerat enim ex authore testimonium, quod mox Plutarchus negat apud illum extare. Ad hoc prouerbium opinatur allusisse Apuleium in asino, vbi fingit Psygen mitti ad arietes agrestes à Venere. Suidas verò & Varinus scribunt hoc prouerbium vsitatum fuisse ἐπὶ κατάρας, κατ' αἶγας ἀγρίας τρέπειν τὰ κακὰ, hoc est, post execrationem aliquam, vt mala verterentur in capras syluestres. Nimirum si quis mali quippiam dici, vel nominari audiuisset, siue contra se, siue simpliciter, mox deprecandi gratia subijciebat κατ' αἶγας ἀγρίας. Hesychius denique vt obseruauit Gesnerus hoc circa morbos obseruatum ait, comitialem præcipuè. Horatius de re incredibili dixit: *1. carm.*

Sed prius Apulis iungentur caprę lupis.

quanta scilicet capris siue syluestribus, siue villaticis sit dissensio cum lupis indicans. Ad prouerbium, *ne caprea contra leonem*, quod suprà recitauimus adde hoc Virgilij: *Lib. 10. Aen.*

Impastus stabula alta leo ceu sępe peragrans
(Suadet enim vesana fames) si fortè sagacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua ceruum
Gaudet hians immane comasque arrexit, & hæret
Visceribus super accumbens, lauat improba teter
Ora cruor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

VSVS IN CIBIS.

VNO propè ſcribentium conſenſu, ſylueſtribus omnibus poſtponuntur capræ domeſticæ ſaporis, alimentique bonitate, conſtitutionis tenuitate, concoctionis facilitate, excrementorum paucitate: ex temperamento primum, quod à natura ſortitum eſt tale, tum irrequieto ſemper motu, & ſaltibus multis, quos frequenter molitur. Itaque haud mirum exercendi ſe aſſiduitate ea ſyluaticum illum, qui ſyluestribus inhæret, amitti ſaporem, & enumeratas iam dotes acquiri: Siccitatis tamen ſemper natiuę aliquid adijcitur non multum quidem, ſed ad damnandum ſatis: Inuentum Arabum, demendæ ſiccitati oleo eas incoxiſſe: tunc & reſolutis partibus adiumento futuras carnes eas eſſe cenſent. Incoxiſſe autem oleo, vt inde humeſcant, haud ſcio quàm cum ratione id fiat, Diocles quidem Archidamus, & cum Archidamo Galenus (nã in hoc ſubſcribit, aduerſatur in alijs) quod in oleo coquitur, ſiccum euadere, & conſtitutionis glutino amiſſo ſolutile cenſet, ψάθυρον nimirum, & χαῦρον: In aqua minimè, niſi ſi cocturæ modum aliquem quæramus, qui humectum conſeruet, fortè duplicis vaſis vſu, vt prioris cui cum carne oleum inſit, innatatione capacioris lebetis in qua elixatio peragatur. Nam ex oleo frixiſſe in ſartagine, aut taliter, id verò cui dubium, quin ariditatis potiùs, ac duritiæ aliquid addat, & humorem, ſicciore ignis vi abſumptum auferat?

VSVS IN MEDICINA.

Cornis ſiccitas.
Iecoris vſus.

MARCELLVS Empiricus capreas in cibo ſumptas torminoſis prodeſſe tradit; vbi pro torminoſis dyſentericos intelligi rectè monet Geſnerus, ſiccat enim & retinet ventrem caro caprearum, vt Simeon Sethi prodidit. Idem etiam Marcellus capræ ſylueſtris iecur càrnibus inaſſatam, & per ſe ſumptum cœliacos tradit remediare: idemque arefactum, & tritum, & cum vino potui datum certiſſimè auxiliari. Quod ſi verò alicui oculi doleant Sextus iecur capreæ contritum ex vino bibere iubet cum aqua calida in feruore, polliceturque ſanitatem. Idem remedium ad eos, qui ab hora decima nõ vident, ideſt, nyctalopas, ſeu luſcioſos huiuſmodi præſcribit: Iecur capreæ in aqua calida falſa coquatur, & eius vaporem oculi excipiant, & ex eadem aqua oculos foueant: Sed & iecur edant, & ex liquefacto inungantur. Quidam iecur eius aſſant in craticula, & fluentem ſaporem colligunt, & ex eo inunguntur. Quidam coctum, vel aſſum iecur capreæ cum pane edunt, & idem bibunt. Author inſuper eſt idem Sextus, capreæ iecur combuſtum, & aſperſum ſanguinem ſiſtere, maximè ſi contritum ex aceto naribus indatur. Inuenias itidem apud hunc, ſplenem capreæ potatum mirè ſanare torminoſos. Sanguis ſylueſtrium caprarum cum palma marina, Plinio teſte, pilos detrahit. Marcellus Virgilius hunc eundem ſanguinem abſceſſus maturare tradit, quam tamen vim nos ex Galeno, alijſque, niſi memoria nos fallat, caprino ſanguini ſimpliciter adſcripſimus. Collyrium ex ſeuo caprarum ſylueſtrium confert patientibus telam oculorum, vt refert Rhaſis, nec non & pulmoni vlcerato. Auicennæ hirci ſylueſtris fel, theriaca eſt morſibus venenoſis. Dioſcorides verò fel capræ ſylueſtris, & Sextus capreę ad varios oculorum affectus cõmendant, habetq; præterea Dioſcorides; capræ ſylueſtris fel priuatim prodeſt contra ſuffuſiones incipientes, oculorum caligines, argema (albugines, vt vertit Marcellus) & genarum, ſiue palpebrarum ſcabricias. Et rurſus: Sylueſtrium caprarum felle peculiariter peruncti luſcioſi ſanantur, idem prodeſt & hircinum, hirci ſylueſtris nimirum. Galenus ait: capræ ſylueſtris fel ſcripſerunt quidam luſcioſis (νυκτάλωψι) prodeſſe. Nos ſuprà ex Plinio ad luſcioſos, & varios oculorũ affectus caprę fel ſimpliciter laudari diximus. Albertus collyrium ex felle caprarum ſylueſtrium, vel domeſticarum contra telã oculi valere aſſerit. Cùm melle Attico mixtum capreæ fel inungi iubet Sextus, affirmatq; caliginem potenter diſcutere, claritatẽq; præſtare. Eiuſdem fellis drachma vna, & modicum vini cum melle, vt poſſit teri, ſi inũgatur, oculorum caliginẽ ſanari, idemq; facere & ad cicatricem, & argemata, & nephelion, & glaucomata, & pterygia ſi ex eo inungantur; iubet item ex eodem felle inungi palpebras cum oleris ſucco, vt pili extracti non renaſcantur; facere & ad ruptiones ex ictu tunicularum cum lacte mulieris tepido, hoc autem fel quanto vetuſtius fuerit, tantò melius fore. Plinius etiam fel dorcados per ſe ad claritatem oculorum laudari ait, Hippocratiſque vti putant authoritate adijcitur, quod in argentea id pyxide ſeruari iubent. Diximus autem ex Origene dorcadi dici intra viſcera quendam humorem ineſſe, qui caliginem depellat oculorum,

Splenis.
Sanguinis.
Fellis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A lorum, & obtusiores quoque visus exacuat, quem non alium quàm bilis humorem intelligo. Ad maculas de facie tollendas ex Sexto: Capreæ fellis drachmam vnam, farinæ lupini, & mellis drachmas quatuor commisces in vnum, & exinde faciem linies, limpidam faciem efficit. Ad lentigines in facie ex eodem, fel capreæ seruatum illitum lentigines de facie purgat, & omnes maculas extenuat. Item cum melle, & nitro commixto, & spongia combusta, & sulphure viuo ad mellis crassitudinem redactum, & in faciem illitum emendat: Ait denique fel capreæ, cum aqua mixtum illitum in faciem à sole vstam sanare. Ad tinnitum & sonum auricularum rursus ex eodem fel capreæ cum rosacco, aut succo porri tere, & tepefactum auribus instillato. Ad faucium dolorem fel capreæ cum melle Attico misce, & fauces tange, mirè sanat. Ad omnia vitia, quæ in faucibus nascũtur capreæ fel cum melle Attico adiecta myrrha, croco, & pipere æquis põderibus coques in vino, donec contra hatur, & ex eo fauces quotidie tange, donec sanæ fiãt. Cum rosaceo, aut succo porri dentium dolorem sanat. Ad ventrem soluendum ex eodem fel capreæ suppositum ano cum succo cyclamini herbæ, & alumine aliquantulum, aut anetho (nitro puto,

B vt supra ex Plinio in capra recitauimus) combustum indito, caue ne hæmorrhoides habeat. Ad veretri exulcerationem ex eodem, fel capreæ mixtum cum melle, aut succo rubi appositum mirè sanat. Calculos expellit fimum caprarum in mulso, efficacius syluestrium, verba sunt Plinij. Remedia quæ Dioscorides tribuit fimo αἰγῶν ὀρείνων, idest, caprarum in montibus agentium, suprà ascripsi villaticis, sed ad syluestres forsan ea pertinebant, quomodo etiam vetus Dioscoridis habet translatio. Apud Galenum hoc legitur ad arquatos remedium; capreæ (dorcados) fimum aridum tritum, cribratum cochleari mẽsura & ex vini odorati cyathis quatuor ieiuno, & loto exhibe: febricitantibus autem ex aqua eandem potionem. Apud Plinium vbi legitur capras negant lippire, quoniam ex quodam herbas edant; item dorcades. Et ob id fimum earum cera circumdatum noua luna deuorare iubent: quærendum est, an caprarum tantùm, an dorcadum etiam stercus intelligat.

Fimi.

2. parab. 39.

C

DE CAPRARVM SYLVESTRIVM Speciebus, & primum de Dorco, siue Rupicapra. Cap. XI.

ORDINIS RATIO. SYNONYMA.

DE Rupicapra, quam eandem esse arbitror cum memorato à Dioscoride Doreo, dico à Diosc. nam Oppiano dorcos est, quæ dorcas alijs, vt ex descriptione manifestabitur, inter hasce caprarum syluestrium species primo dicam loco, tum quia rupicapra vocabulum, præ cæteris frequentissimum est apud recentiores, tũ quod hoc genus maiorem cum domesticis similitudinem gerat, quæ, vt ex Varrone suprà dictum est, à capris feris ortæ sunt. Varro capream dixisse videtur, inquit enim: *Caprea dicta est, quod quandam capræ similitudinem habeat*: capream etiam vocauit Martialis, cuius subinde distichon recitabimus, atque hinc fortassis est, quòd eandem capreæ etiam nomine doctissimus Scaliger descripserit. Oppianus generica voce αἴγαστρον, seu potiùs αἴγαγρον vocauit, Italis vel Rhætis saltem, qui Italicè loquuntur camuzza, vel camozza vocatur, Hispanis capra montes, Anglis vvilde goote, idest, syluestris capra, Germanis geimbs, vel gambs, Polonis dzyka koza, idest, fera capra, Bohemis melius korytansky kozlyk, quasi Carnicus, seu (vt nunc loquuntur) Carinthiacus hirculus, quod illa pars Alpium, vt vicinior Bohemis, ita notior est: Franci, teste Scaligero, faones dicunt. Eruditi linguæ hebraicæ zebi, dum capream exponunt, non aliam puto intelligunt quàm hanc, eius fæmininum est zebiata, legitur hæc vox Deuteron. 14. inter animalia cibo permissa, vbi Chaldaica translatio habet thabia (pro qua voce Actor. 9. legitur ταβιθὰ, quod sonat dorcas) Arabica thabiu, Persica ahu, Septuaginta δορκὰς, Hieronymus caprea. Quare in tanta veterum, & eruditorum consensu dubitari non debet, quin Zebi sit caprea, vel dorcas, vt minimè probari debeant, qui damam, aut hinnulum exponunt.

Caprea Varroni quæ.
Αἴγαγρος Oppiani.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

GENVS. FORMA. DESCRIPTIO.
Hiſtoria denique tota.

RVPRICAPRAM ex capris ſylueſtribus eſſe manifeſtò indicauit Plinius inquiẽs: *Capræ ſylueſtres in plurimas ſimilitudines transformantur; ſunt capreæ, rupicapræ, ibices* &c. De dorcade etiam extra omnem eſt controuerſiam, ſi quæ ſupra recitauimus, in memoriam reuocantur. Plinius vnica tantùm nota pulcherrimè deſcribit, cornibus ſcilicet in dorſum aduncis, qua nota à dama potiſſimùm diſtinguitur, in qua contrarium ſitum habent, vt dicetur. De rupicapra igitur hæc Alberti verba accipias: Capræ genus ſylueſtre non magnum, curua ad modum vnci habet cornua, quibus ſe retinet cùm per deuexa montiũ cadit. Et rurſus: Animalia quędam infirma habent cornua, quæ parũ aut nihil eis ad pugnam conferunt, qualia ſunt in capris montanis, quam gemeze Germani vocant; habent enim cornua parua, & inualida, quæ non tam ad pugnam, quam ad retinendum ſe ceu vnco, dum rupes ſcandunt, & cadunt interdum, à natura eis conceſſa videntur. Et rurſus: animalium cornutorum, quæ apud nos apparent, minimum eſt caper montanus: qui rubros habet oculos, & cornu recuruum, acutiſſimum viſum, & gregatim paſcitur, lingua noſtra gemeze dictus, cornua ei nigricant, nouem, aut decem digitos longa, multis nodoſis circulis exaſperata, minoribus paulatim, in vnco nullis: is leuis & acutus eſt hami inſtar. Parallela ferè, ideſt, ęquis vndique interuallis ſurgunt, ſolida, ab initio tantum pollicis circiter menſura caua, & teretia magis, quàm domeſticis. Mares à fœminis in hoc genere nihil differunt, non cornibus, non colore, non reliquo corpore. Magnitudo, quæ capræ villaticę paulo tantùm altior, & corporis forma feris altis ſimilior, color eis inter fuſcum, & ruffum eſt, qui tamen æſtate magis ad ruffum, hyeme ad fuſcum vergit. Memini (inquit Geſnerus, ex quo hæc) partim albam, partim nigram diſtinctis coloribus videre, certum eſt eis colorem per anni tempora mutari. Totæ albæ interdum, ſed rariſſimè conſpiciuntur. Rupes montium colunt, vt dixi, non ſummas tamen, vt ibex, neque tam altè, & longè ſaliunt, deſcendunt aliquando ad inferiora Alpium iuga, conueniunt ſæpe circa petras quaſdam arenoſas, & arenam inde lingunt, vt villatica pecora ſalem, quo linguæ inertem pituitam defricent, & excitent appetitum, Qui Alpes incolunt Heluetij, hos locos ſua lingua ſultzen tanquam ſalarios, vel halopegia appellant: circa hos occultant ſe venatores cum bombardis, & pro more accedentes capras ex improuiſo feriunt. Cùm in venatione vrgentur, altiùs ſemper aſcendunt, donec nullus ad eas canibus pateat acceſſus: Deinde cum venatores per ſaxa manibus, pedibuſque reptando ſequi vident, de ſaxo in ſaxum tranſiliunt, ac montium cacumina petunt, donec nulla ſcandendi reliqua ſit facultas: illic ſe cornibus retinent, & quaſi ſuſpendunt; atque ibidem vel bombardis feriuntur, vel in præceps impelluntur à venatoribus: aut relictæ interdum quod inde ſe abſoluere nequeant, illic pereunt tandem, vel præcipites ruunt, quod circa ibices etiam euenit. Mox à D. Iacobi die, qui 8. calend. Auguſti notatur, frigidiores montium cliuos petunt, vt paulatim aſſueſcãt frigori. Audio captas aliquando cicurari: pilus denſus eis eſt, quam ob rem pelles earum quæ hyeme captæ ſunt, à pellionibus parantur eo modo, quo lupinæ, hæ pilis extrorſùm verſis geſtantur etiam pluuio tempore. Fiunt ex eiſdem chirothecæ pro equitantibus; cornua in ædibus lautiorum parietibus affiguntur, ſingula vnco deorſum verſo, vel bina erecta, vt in capite ſuo erant, pelli, & parti caluæ adhuc hærentia, vel quod elegantius eſt, ligneo capiti ad huius animantis effigiem ſculpto inſerta. Hæc omnia Geſnerus. De eiſdem Scaliger, ſed breuiter in hæc verba: Capreæ (ſic vocari ab ipſo diximus) longè ibice minores, æſtate pilo fuluo, hyeme cinereo: Sunt ipſis quoque ſaltus incredibiles. Mira earum comparata nobis prudentia, vbi errabundæ quærunt nouas ſedes, aut paſcua, perſpecta proxima rupe, proiecto pede ſæpe periclitantur eius fidem, nempe mobilis ne ſit, an fortaſſe lubrica. Illud feſtiuum. In aula patrui Bonifacij vidimus cicures aſſilire ad aulæa pendentia, in quibus ſimiles eſſent intextæ feræ. Aiunt cornuũ mucronibus id quod capras quoque facere videmus, tergum ſcabere. Ex ea ſcalpuritione, quæ pernicies euenerit eis operæ pretium eſt cognoſcere. Creditum eſt tanta illas illo in pruritu perfundi voluptate, vt extremum cornus faſtigium in corium eouſque adigatur, vnde retrahi nequeat. Quocirca ex altiſſimis ruere locis, atque affictari, aut à venatoribus fortè deprehenſas, proculuc obſeruatas cadaut interire fame. Quare in hoc Martialis diſticho:

Pendentem ſumma capream de rupe videbis,
Caſuram ſperes, decipit illa canes.

Pen-

B

C

D

Pendentem interpretor non quòd de rupe è cornibus pēdeat, etſi cornua ad id apta habere videa- E
tur, ſed quòd, dum canes ſub rupibus collocati, ceu caſuram expectant, vt excipiant, ipſa ſumma agilitate per alias rupes ſaltu euadit, & ſic canes fallit. Deſcribit idem hoc capræ genus Petrus Bellonius, interprete Carolo Cluſio: Gallorum chamois, qui Græcis cemas dicebatur, rex veteri dictione gallica iſard appellant, Latini rupicapram nominarunt, quod eius habitatio ſit in duris, & aſperis ſaxis, quo ſe noctu recipit, atque etiam interdiu poſtquam conuallium herbas depaſtus eſt. Vt autem de quonam animali agimus omnes intelligant, eius iconem ad viuū expreſſam hic ſubiecimus (eſt autem eadē cum hac priore noſtra) Si huius iſard, aut chamois cornua ramoſa eſſent, dici poſſet Plinium hoc animal intellexiſſe, cùm de caprea loquens ſic ait: *Nec fecit vt ceruis decidua:* nam hyeme cornua non abijciunt, vt nec Gallorum bouc-eſtain, ſed cùm ea ramoſa non habeat, caprea eſſe nō poteſt. Corpus quidem capreoli habet, & pilorum colorem etiam ſimilem, diuerſæ tamen eſt naturæ. Eius cornua ſunt nigra, parua, rotunda ad frontem inter oculos erecta extremitate recurua, hinc fit vt ſæpenumero accidat eum mori, dum nates ſcabere volens cornua adeo altè infigit, vt ea demere viciſſim nequeat, vnci enim inſtar incurua ſunt. Minore eſt corpo- F
re quàm dama, aut bouc-eſtain, atra linea ſpinæ dorſi longitudinem notante: Eius aures arietinis longiores ſunt, color giluus, atramque lineam vtrimque habet recta à cornuum radice ſupra oculos ad extremum os ductam, & in labra ſuperiora deſinentem. Frontem etiam veluti ſtella inſignitam habet. Caudæ ſuperior pars nigra eſt, & ſatis piloſa, rotunda, & vt dorcadis longa. Gallica appellatio chamois nobis recens non videtur, ſed à græco cemas deducta, cuius Aelianus meminit. Huc vſque Bellonius, cuius hęc prior icon eſt, in qua vt cornua nimis breuia, ita in noſtra nimis magna pictor expreſſit. Nunc videndū ſi Oppiani αἴγαγρος, ſiue αἴγαστρος, ſit rupicapra vt ſtatuimus, ipſe quidem ſic deſcribit, vt omnia non minus ad capras, quàm ad oues pertinere videantur, eius verſus ſunt:

Αἰγῶν δ' αὖτε πέλει, προβάτων τε πανάγρια φῦλα,
Οὐ πολλὸν τούτων οἴων, λασίων τε χιμάρρων
Μείζονες, ἀλλὰ θέειν κραιπνοὶ, σθεναροί τε μάχεσθαι,
Στρεπτοῖσιν κεφαλῆφι κορυσσόμενοι κεράεσσι.

Poſſit autem videri poeta ſtrepſicerotas dictas intelligere, propterea quod cornua dicat eſſe στρε- G
πτὰ, cum ſint & στρεπτὰ funiculi intorti, ſed cùm poſtmodum has capras vocat αἰγάγρους, ſtrepſiceros verò potius ſit in ouium genere, vt ſuo loco dictum eſt, ego cum Geſnero στρεπτὰ, hic cornua interpretor ad dorſum recurua, quæ ſolis rupicapris conueniunt. Quare Oppiani verba à Petro Gillio tranſlata apponam: Feræ, capræ, inquit, haud noſtris domeſticis multo maiores, ſed ad currendum velociores ſunt. (addendum fuerat tortis in capite armatæ cornibus) Ac ſi quis cornibus ipſarum ceram infundit, vitæ viam, & ſpiritus meatum intercludit, quod tenuis ſpiritus per media cornua ad cor ipſum proficiſcitur. In hoc genere mater ſuos pullos etiam, atque etiam diligenter curat, quam quidem maternam educationem filij cum pari ſtudio compenſant & quemadmodum homines parentem ætate affecta infirmum alunt, & laborioſæ patris educationi ſatisfaciunt: Sic caprarum pulli caros parentes ſenectute confectos tractant, pabulum nimirum ſuo ore collectum eis porrigunt, & ex fluuio aquam hauſtam ad potionem afferunt, ac nimirum eorum corpus horridum lingentes nitidum reddunt; Quod ſi ſolam matrem comprehenderis continuo etiam ſuam capies teneram prolem, eam ſanè exiſtimares tanquam verbis filios impellere ad fugam, procul talibus gemitibus orantem; Fugite filij infeſtos venatores, ne me miſeram ca- H
ptam materno nomine priuate. Eos contrà circum matrem errantes diceres primum luctuoſum cantum occinere, deinde humana, & ſupplici voce loqui: Per Iouem te venator rogamus, per Dianam ipſam, caram matrem libera, & nos infelices præmium ſuſcipe: Flecte tuum durum cor, vereri deorum iura, & genitoris tui ſenectutem. At enim cùm venatoris inexorabilem animum ſentiunt, ſua ſponte in vincula incidunt, & cum matre capiuntur.

Deſcriptio ex Bellonio. Lib. 1. obſeru. c. 54.

Ex Oppiano.

Matris & pullorum amor.

DENOMINATA.

Radix rupicapra.

ARVPICAPRIS nomen indidere Germani radici, quam vocant gemſzemvvortz, alij muttervvurtz, quod affectui colico mederi credant, pharmacopolæ doronicū, vulgus ibi efficacem contra vertiginem credit, ea forſan ratione, quoniam capræ montanæ frequenter eam depaſci ſoleant, citraque omnem vertiginem citato per editas, & præcipites rupes ferantur curſu, naſcitur enim inter montium vertices niuoſos, & ſaxoſos præcipuè, & circa ipſas rupium rimas plerumque rupicapræ verſantur. Addit etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A etiam Camerarius, & ex eo Schenckius venatores ea radice vti intra corpus contra vertiginem, atque ob id in comitatu Tyrolensi nominare ab hoc affectu schuuindelvvurtz, copiosè itidem eandem ingurgitare, & diu ita famem tolerare. *Lib. 1. obser. 96.* Gesnerus scribit radicem esse omnium dulcissimam ad fastidium ferè, totam radicem scolopendræ insecti figuram referre, sed de hac herba proprio loco. Addit denique Camerarius circa nouembrem, vbi capiuntur hæ capræ in ventriculo earum reperiri pilam, siue globum ex eiusmodi radicibus, & alijs plantis Alpinis, quam vulgò vocant gemfzenkigel, *Pila in rupicapræ ventre.* quales, inquit, multas vidi, & aliquot habeo: odoratas esse, similiterq; contra vertiginem vsurpari.

VSVS IN CIBO, ET IN MEDICINA.

B CARO huius, capreoli comparata, durior omnino, inquit Iulius Alexandrinus, siccescensque magis, vnde melancholici sæpe sanguinis multum, & concoquẽdi difficultas, *Lib. 11. cap. 10.* nec non syluatici, vt ita dicam, odoris, saporisque cuiusdam, quo syluestrium fermè omnium caro laborat, tædium. *Caro qualis.* Gesnerus tradit audiuisse se venatores quosdam ex recenti vulnere scaturientem huius animalis sanguinem sorbere tanquam insigne vertiginis remedium. *Sanguinis vsus.* Legimus verò nunc apud Plinium rupicapræ seui cyatho, & lactis pari mensura deploratum phthisicum conualuisse certum authorem affirmare; *Seui.* sed eo loco aliàs legebatur non rupicapræ, sed lupi, & capræ. Nos verò uillaticæ etiam capræ seuum phthisin sanare suprà indicauimus.

DE DAMA. CAP. XII.

C DAMA duplex est, una ueterum, de qua hìc, altera uulgaris, siue recentiorum, Græcis πλατύκερως dicta, & quam Gazam intelligere diximus, cùm προκα apud Aristotelem damam uertit. Plinius caprarum syluestrium generibus, quæ transmarini situs mittunt, damas quoque enumerat, nec inuenio qui in cismarinis locis eius mentionem faciunt. Recta autem rupicapræ subnectetur, cum huic, ut dictum est, cornua, teste eodem Plinio, in dorsum sint adunca, damis è contrario in aduersum; nec fortè aliter inuicem differant. Hanc puto Dioscoridi & Nicandro de coagulo agentibus νεβρὸν appel-

D

lare,

lari, Grapaldus quidem νεϐρὸν etiam damam reddidit, ſed hanc ne, uel recentiorum intelligat, E quærẽdum. Geſnerus ex Ioanne Caio hanc iconem pro dama Plinij depingit, quod in aduerſum adunca habeat cornua, & tamen ex caprarum etiam ſit genere, id quod pilus indicat, & aruncus, & totius corporis figura. Animal ait eſſe capræ magnitudine & colore dorcadis, ſiue capreoli. Ouidius in halieuticis enumerans eas cum lepore, & ceruo, colorem earum expreſſit, *fuluo tergore damas* deſcribens. Famoſa in primis earum eſt timiditas, potiſſimùm apud poetas, Virgilius:

timidi damæ ceruique fugaces
Nunc interque canes, & circum tecta vagantur.

Et rurſus: *Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.*

Horatius:

Et ſuperiecto pauidæ natarunt, æquore damæ.

Martialis:

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum
Impelles damæ quid niſi præda ſumus?

Lib. 1. Idem tamen etiam Martialis Romanos indicat has ita inſtituiſſe, vt inuicem ſtrenuè admodum F dimicarent arietando:

Frontibus aduerſis molles concurrere damas
Vidimus, & fati ſorte iacere pari.
Spectauere canes prædam, ſtupuitque ſuperbus
Venator cultro nil intereſſe ſuo.
Vnde leues animi tanto caluere furore?
Sic pugnant tauri, ſic cecidere viri.

Lib. 4. Et rurſus: *Aſpicis imbelles tentent quàm fortia damæ*
Prælia, tam timidis quanta ſit ira feris?
In mortem paruis concurrere frontibus audent,
Vis Cæſar damis parcere? mitte canes.

Lib. 8. c. 56. Plinius tradit damas manſueſcere raró, cùm feræ dici iure non poſſint: ſic ex eo citant Vincentius Bell. & Volaterranus, alijque, quin & Platina videtur hanc lectionem ſecutus, damam raró manſuefieri poſſe, ſcripſiſſe; ſed noſtri codices melius habent ſic: *hi manſueſcunt raró cum feri dici iure non poſſint*, proximè autem de leporibus locutus erat. De vſu ſitus cornuum apud veteres nihil G

Cornuum vſus. reperio, ſed ex recentioribus doctiſſimus Scaliger tradit, hiſce adminiculis tanquam vnco apprehendere prominentes rupes, neque aliter inacceſſas montium verrucas ſuperare. Prouerbialiter à Claudiano prolatum eſt:

Antè dabunt hyemes Nilum, per flumina damæ
Errabunt, glacieque niger dominabitur Indus.

Et rurſus: *Concordes varia ludunt cum tigride damæ.*

DE IBICE. CAPVT XIII.

SYNONYMA. H

DIOSCORIDES in capite de coagulo huius capræ non videtur meminiſſe, & qui ex Græcis præter Homerum, qui ἴξαλον αἶγα nuncupat, meminerit, inuenio neminem. Eſſe verò eam, quæ Germanis ſteinbock, Italis, Galliſque ſteinbeck vocatur, omnes docti vno ore aſſerunt: Fæminam in hoc genere Heluetij montani, teſte Geſnero, priuatim ybſchen, vel ybſchgeiſz vocant, quod nomen à Latinis deductum non dubitat, Illyrijs kozoroziecz dicitur. Belgæ, teſte Scaligero, vvildgheit nominant, Varro rotas vocat, teſte eodem, quod audaciores, inquit, corruperunt auctis elementis, dum legi iubent platycerotas. Hæbrei ako inter quadrupedes puras nominant, Rabbi Salamon germanica voce vertit ſteinbock; Kimhi hircum ſylueſtrem, Hieronymus 1. reg. 24. ſimiliter ibicem; Septuaginta tamen priori loco τραγέλαφον interpretantur. Huius cornua plerumque pro capricorni cornibus oſtenduntur, imò nonnulli capricornum ibicem vertunt: Albertus caprum montanum appellat:

DESCRIPTIO. MORES. NATVRA.

PLINIVS totam huius capræ historiam sic breuissimè est complexus: *Ex caprarum syluestrium genere sunt etiam ibices in Alpibus pernicitatis mirandæ, quanquā* *Saltus.*
onerato capite vastis cornibus, gladiorumq; vaginis, in hæc se librant, vt tormento
aliquo rotati in petras, potissimum è monte aliquo in alium transilire quærentes, atq;
recessu pernicius quo libuerit extulant. Hæc ille: Et Albertus Magnus nullum
ait animal cursu, & agilitate tantum pollere, & simul tam ingentia cornua habere, quàm caper *Cornua, eorumque vsus.*
montanus, quem latinè ibicem, inquit, vocant: Huius enim cornua à capite vsq; ad clunes protendi:
dum cadit ex alto totum corpus inter cornua protegere à collisione, & ictus lapidum magnorum
excipere cornibus. Idem etiam in catalogo quadrupedum alphabetico ibicem ait esse animal
de genere capri, colore fuluum, in Alpibus Germaniæ abundans, magno etiam hirco maius:
B summas rupes ascendere, & cùm altiùs scendere nequit, conuersum aliquando venatorem deijcere
niti: sed peritum venatorem cruribus diuaricatis dorso eius insilire, & cornua manibus apprehendere,
& sic aliquando de rupe depositum euadere. Sed fortè veriùs Scaliger: deprehensas,
inquit, ibices aperto, atque libero loco, capacique cursus in venatorem irruere, eumque deijcere *Pugna cum venatore.*
de rupe: Quare operam dant, vt obiectu scopulorum tecti de improuiso appareant. Tum ibi cùm
impetendi non sit locus, animum despondent, & facilè cedunt. Idem Scaliger author est, nisi habitet
loca frigida occæcari. Vetulorum cornu pependisse pondo duo deuiginti. In quibusdam
numeratos esse nodos quatuor, & uiginti, totidem, inquit, annorum coniectura. Postremò cum
incredibili corporis libratione, atq; iaculatione superent altissimas rupes, interualla uel solo aspectu
formidabilia securo transmittere saltu. Ioannes Stumpfius in chronicis Heluetiæ non pauca
etiam memoratu digna super huius animantis natura scripsit, quæ à Gesnero latinè reddita neutiquam
mihi etiam prætereunda duxi: Ibices, inquit, in summis apud Heluetios montibus abundant, *Locus.*
incolunt enim uertices Alpium, ubi glacies nunquam soluitur, natura enim frigus requirit
hoc animal, cæcum aliter futurum. Egregium est, & corpulentum, specie ferè ceruina, minus tamen,
C cruribus quidem gracilibus, & capite paruo ceruum exprimit. Pulchros, & splendidos oculos
habet. Color pellis fuscus est, ungulæ bisulcæ & acutæ, ut in rupicapris. Magni ponderis cornua
ei reclinantur ad dorsum, aspera, & nodosa, eoque magis quo grandior ætas processerit. Augentur
enim quotannis, donec iam uetulis tandem nodi circiter uiginti increuerint. Bina cornua
ultimi incrementi, ad pondus sexdecim, aut octodecim librarum accedunt; libram dico pondus
sexdecim unciarum. Ibex saliendo rupicapram longè superat: hoc tantum ualet, ut nisi qui uiderit,
uix credat. Nulla montium rupes tam edita, aut præceps est, quam non saltibus aliquot superet,
si modò aspera sit, & spacia tanta promineant, quanta salientis ungulas excipere possint, parietem
scandit si asper sit, & non incrustatus. Venatores impellunt eam ad rupes excelsas, & læues,
illic cùm euadere nequeat, conficitur, uel ab homine funibus per rupem demisso, uel ab ijs,
qui scandendo per rupium latera accedunt. Fera uenatorem expectat, & solicitè obseruat, an inter
ipsum, & rupem, uel minimum intersit spacium: nam si uisu duntaxat intueri, ut ita loquar,
possit: impetu facto se transfert, & uenatorem impulsum præcipitat: Sin ille ita presse, fixèq; rupi *Venatio iucunda.*
hæreat adeundo, ut nulla interualli spes appareat, fera loco manet, in quo uel capitur, uel conficitur.
D Iucunda quidem hæc uenatio, sed multis laboribus & periculis coniuncta, quamobrem bombardis
sæpius feriuntur. Valesij, qui circum Sedunum habitant, ibicem in prima ætate captam
omninò cicurari, & cum uillaticis capris ad pascua ire, & redire aiunt: progressu tamen ætatis ferum
ingenium non prorsus exuere. Fæmina in hoc genere mare suo minor est, minusque fusca: *Sexus distinctio.*
maior capra uillatica, rupicapræ non adeo dissimilis. Cornua ei parua, & ea quoque rupicapræ,
aut uulgaris capræ ferè similia. Hucusque Stumpfius. Bellonius quoque addita hac icone Cretē- *Lib. 1. obseru. c. 13.*
ses si hœdos ibicis ceperint in montibus oberrantes, eos cum domesticis, uel cicuribus capris educare
scribit, ut deposita feritate mitescant. Cicurem capram magnitudine non excedere, sed non
minus carnis obtinere quàm ceruos, similibusque pilis fuluescentibus & breuibus præditas esse,
non caprinis. Mares prolixam nigricantem barbam gestare, quod nulli, inquit, alteri animali certe *Barba.*
uinis pilis prædito accidit, præterquam ut arbitramur hippelapho: Senectute canescere, & secundum
dorsi longitudinem nigram lineam excurrentem habere: Admiratione autem non carere
tantulum animal adeo grauia cornua gerere, quæ aliquando, inquit, manibus tractauimus quaternos *Cornua.*
cubitos longa: tot autem transuersos radios habere quot annis animal natum est. Ait item *Duo ibicis genera.*
Bellonius duo eius genera inueniri, idq; ex earum cornibus Cypro, & Creta delatis se didicisse,

ca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

eademque D. Ioanni de Choul montium Lugdunenſis agri præfecto, cum ex peregrinis illis regionibus reuerteretur, donauiſſe. Interfuit præterea illarum venationi, ruſticoſque quoſdam, ait, in ſummis Cretæ montium iugis inueniri adeo iaculandi peritos, vt viginti quinque paſſuum interuallo eas ferire queant: Capras verò à ſe educatas, & à paruulis cicuratas loco quodam in monte alligare, qua mares tranſire ſolent: Sagittarium verò inter vepres ſeorſim latitare aduerſo vento, cùm non ignoret ibicem aliàs centum paſſuum interuallo odoratu percepturum. Marem, vbi fæminam inuenit, conſiſtere, tum à ruſtico ſagitta peti. Si leue acceperit vulnus, aut alioqui ſagittę ferrum vulneri inhæſerit; illico ſibi mederi nouiſse: nam ad dictamnum confugere herbam eiuſdem Cretæ ſcopulis inhærentem, qua depaſta breui curetur. Miræ agilitatis eſſe hoc animal, eiuſdem cum caprea (ſic rupicapram vocat) naturæ, vtramque enim in aſperis ſcopulis, & aditu difficilibus degere, ibicem verò ex ſcopulo in alium deſilire ſolere, ſex etiam paſſuum interuallo diſtantem, quod qui non viderit, difficile admodum, inquit, credat. Quod attinet ad dictamnum, Albertus etiam Creticas capras, quæ paſtu dictamni infixas corporibus earum ſagittas excernunt, capros montanos ſiue ibices interpretatur: Non placet tamen hoc viris doctis. Homerus itaque τῆς ἰξάλου αἰγὸς cornua vocans ἑκκαιδεκάδωρα, hoc eſt, vt Scholiaſtes exponit, quæ extenduntur ad ſexdecim palæſtras, ideſt, palmos, mihi per hoc ſylueſtris genus capræ propter inuſitatam cornuum magnitudinem, non aliam quàm ibicem intellexit, ſed verſus adſcribam:

Capiendi ratio.

Αὐτίκ' ἐσύλα τόξον ἔυξοον (ἰξάλου αἰγὸς
Ἀγρίου, ὅν ῥά ποτ' αὐτὸς ὑπὸ στέρνοιο τυχήσας,
Πέτρης ἐκβαίνοντα δεδεγμένος ἐν προδοκῇσι,
Βεβλήκει πρὸς στῆθος. ὁ δ' ὕπτιος ἔμπεσε πέτρῃ.
Τοῦ κέρα ἐκ κεφαλῆς ἑκκαιδεκάδωρα πεφύκει.
Καὶ τὰ μὲν ἀσκήσας κεραοξόος ἤραρε τέκτων,
Πᾶν δ' εὖ λειήνας, χρυσέην ἐπέθηκε κορώνην) ideſt,
Statim eduxit arcum perpolitum (ſaltatricis capræ

Agre-

Agreſtis, quam quondam ipſe ſub pectore aſſecutus
E rupe exeuntem excipiens in inſidijs
Percuſſerat in pectus, hæc autem ſupina cecidit in petram.
Cuius cornua ex capite ſexdecim palmarum nata erant.
Et illa quidem elaborans arcuarius aptauit faber:
Totum autem cum leuigaſſet, auream impoſuit cuſpidem.)

Erant qui hic ἑκκαιδεκάδωρα interpretarentur ſexdecim annorum, ſed hanc interpretationem re- *Cornua hec-*
prehendit Scholiaſtes, inq; hac eadem ſententia ſtat Euſtathius, inquiens ſexdecim palmorum, *cædecadora.*
ſiue dodrantum quinque & palmi vnius, quoſdam ita intelligere vt per ſe vtrumque dimidiæ „
tantùm menſuræ fuerit, nempe duorum dodrantum cum dimidio, ſed hæc magnitudo, inquit, ni- „
hil rarum, aut mirum haberet. Atqui vel ſingula quatuor dodrantum viſa ſunt, & alia maiora „
ad ſeptimum vſque dodrantem. In Delo certè inſula conſecratum aiunt cornu aduectum ex „
locis circa mare rubrum arietis bicubitale & octo digitorum, librarum viginti ſex pondere: Et al- „
B terum hirci bicubitale cum dodrante, ponderis eiuſdem. Hæc Euſtathius. Geſnerus ibicum „
etiam generis eſſe arbitratur feras illas capras in ſummis Libyæ montibus ab Aeliano in hęc ver-
ba deſcriptas: Capræ feræ ad ſummos Libycorum montium vertices commorantur, ad boum *Capræ feræ*
magnitudinem accedunt, ipſarum armi, & crura luxurioſis pilis fluunt, tibijs paruis, frontibus ro- *Libycæ.*
tundis, oculis raris, & concauis, non valde proiectis ſunt: Cornibus poſt primum exortum vtriſ-
que ab alteris longè diuerſis, & aberrantibus, & incuruis, non enim ſimiliter ac aliarum capra-
rum recta exiſtunt, ſed eatenus retorquentur, vt ad armos pertingant. Ex capris longè maxima
ad ſaliendum habilitate ſunt: nam ex cacumine in aliud longè diſtans cacumen tranſiliunt, &
tametſi ſæpe earum quæpiam, dum ex vno vertice in alterum ſaltare contendit, ob nimiam inter-
uallorum diſtantiam per prærupta ſaxa præceps agitur, nihil tamen læditur, ſic eſt aduerſus ſa-
xorum duritiem membrorum reſiſtente firmitate, vt nec cornua frangat, nec caput diminuat. In
ſummis montibus plurimas ſolertia quadam captandi caprarij generis, nimirum vel iaculis, vel
retibus vel laqueis à doctrina artis venaticæ inſtructi comprehendunt. Iam in patentium cam-
porum æquoribus quilibet vel tardus pedibus eas, quòd ibidem non valeant, ad fugiendum ca-
pere queat. Earum pellis, & cornua aliquot commoditates habent, nam in frigidis tempeſtati- *Pellis vſus.*
bus ad frigorum vim, atque hyemem excipiendam paſtoribus, & fabris materiarijs pelles miri- *Cornuum.*
ficè proſunt. Cornua ad hauriendum de præterfluentium riuorum confluentibus, aut è fontibus
potionem, ad depellendam ſitim non minori vſui habentur, quàm vel calices ipſi: tanta enim ca-
pacitate ſunt, vt in bibendo reſpirare ſit neceſſe. Ab homine expoliendi benè perito cornu poli-
tum tres menſuras capere poteſt.

VSVS IN MEDICINA.

IBICIS coagulum, vt tradit Serapio, citans Dioſcoridem, eaſdem leporino vires *Coagulum.*
habet, ſed Dioſcorides in capite de coagulo ibicis mentionem non facit, & ſi benè *Sanguis.*
aduertimus, locus is apud Serapionem omninò mutilus eſt. Aliqui verò, teſte
Geſnero ſanguinem ibicis commendant aduerſus calculum veſicæ hoc modo: Vi-
ni apiati (hoc eſt, in quo adhuc muſto aridum, vel ſemina eius impoſita ſint) par-
tes circiter ſex, ſanguinis partem vnam, ſimul ferueſaciunt, mox in vaſe reſeruant, & ter die potũ
inde præbent: mane, & tunc quidem in balnei ſolio ſedenti; in meridie, veſperi: hoc triduo fieri
iubent, futurum enim vt calculus in arenam comminutus cum vrina excernatur, ſin minus exſe-
candum eſſe, tanquam extremo remedio fruſtrà tentato. Sed & hirci villatici ſanguis ad eundem
vſum præparatur, vt ſuprà oſtendimus. Incredibile item, & vnicum remedium iſchiadicis, & ar-
thriticis, hoc eſt, quo & ipſe Auſonius medicus ſanatus eſt, & multos ita iacẽtes, vt mouere ſe ſine
cruciatu nequirẽt, intra quinq; dies ſtare, ambulare autẽ intra ſeptẽ dies fecit: ex Marcello Empi-
rico, cõponitur, inquit ſic: Fimũ ibicum luna decima ſeptima colliges, quanquã & alia luna vetere *Cap. 25.*
collectum (ſi res vrgebit) ſimili efficacia proſit, dummodo medicamentum ſeptima decima luna *Fimum.*
componatur. Ex eo ergo fimo quantum vnius manus pugno pleno potueris comprehẽdere, dum-
modo impar ſit numerus pilularum, in mortarium mittes, atq; adijcies piperis grana vigintiquin-
que diligentiſſimè trita: tunc addis mellis optimi heminam, & vini veterrimi optimi ſextarios
duos, & contritis prius pilulis vniuerſa miſcebis, & repones in vaſculo vitreo, vt cùm fuerit opus,
paratum habeas medicamentum ad ſubueniendum. Sed vt maior ſit medicaminis efficacia, luna
ſeptima decima id facere debebis, & cùm daturus fueris remedium, à die Iouis incipe, & per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dies ſeptem continuos dato, ita vt qui remediandus eſt, ſtans in ſcabello contra orientem bibat. E
Quæ potio ſi ita, vt ſcriptum eſt, data, & obſeruata fuerit, etiamſi omnibus articulis, & coxa infirmus contractuſque fuerit, & immobilis, ac deſperatus iacuerit, neceſſe eſt, vt ſeptima die ambulet. Hæc Marcellus. Et rurſus: Inuictam potionem ad iſchiadicos, & arthriticos facientem in titulo ſuperiore de iſchiadicis pleniſſimè ſcripſimus: ſed quoniam tam diuinus eius effectus eſt, iterandum putaui, ne quis arthriticis remedia requirens huius ignoratione fallatur. Fimus ergo ibicis in ſylua, vel monte colligitur: quibus poſterioribus verbis demonſtrare videtur, quòd ibicis nomine, quamuis ſylueſtrem capram intelligat, ibex enim in ſyluis non degit, ſed in montium præcipitijs.

Cap. 34.

F A B V L O S A.

Capricornus quale ſignum.

CVM capricorni nomine ibex potiſſimum à multis intelligatur propter cornuum vaſtitatem, capricornus verò ſignum ſit cæleſte, de hoc breuiter aliquid dicemus. F
Decimam itaque partem Zodiaci nominari inquiunt, eſſe enim cæleſte ſignum brumale, in quo Sol exiſtens ad nos aſcendere incipiat, ſicut & caprarum eſt natura, vt arborum ſummitatem petant, ſtirpiumque cacumina aſcendant, ita interim depingũt, vt anteriori parte tantùm capram referat, poſteriori verò in piſcem degeneret, propterea quod Pan cùm in Aegypto vnà cum reliquis Dijs Typhona acerrimum Deorum hoſtem fugiens in caprum ſeſe tranſmutarit, & nihilominus ſe in aquam deiecerit: Iupiter verò eius ingeniũ admiratus intra aſtra eſſe voluerit, vnde eſt quod quidam Grammatici capricornum animal marinum eſſe tradunt. Alij verò volunt poſteriorem eius partem in piſcem vergere, quia nimirum in fine illius menſis magna conſueuit eſſe aquarum abundantia: Hinc humidus vocatur Lucano, dum ait:

Humidus ægoceros nec plus leo tollitur vrna.

diciturq; ſimiliter, gélidus, vdus, horrendus, aquoſus, rigens, imbrifer, frigidus, vrnifer in epithetis Textoris. Alij verò ideo inferiorem partem in piſcem formari volunt, quod Pan maritimis G
conchylijs hoſtes ſit iaculatus pro lapidum iactatione. Quibus figmentis refutatis Ioãnes Goropius Becanus veram, ac genuinam nobis adfert iſtiuſmodi capricorni ſiue ægocerotis figuræ rationẽ, quã licet obſcurè M. Manilium illo libri quarti loco, quo docet, quæ quibus ſignis regiones ſint ſubiectæ, arbitratur propius attigiſſe, quàm quiſpiam fecerit cæterorũ, qui in lucem de aſtris quicquam ediderunt, poetæ verſus hi ſunt illo, quo vixit elegantiſſimo ſæculo digni:

In Cronijs.
Capricornus cur in piſcem deſinat.

Tu capricorne regis quicquid ſub Sole cadente
Expoſitum, gelidemque Helicen quo tangit ab illo
Hiſpanas gentes, ſeu quod fert Gallia diues,
Teque feris dignam tantum Germania matrem
Aſſerit, ambiguum ſidus terræque, mariſque,
Aeſtibus aſſiduis terram, pontumque tenentem.

Ex his, inquit, & ſigni natura, & picturæ monſtruoſa forma lucis nonnihil accepit, ſed obſcurioris. Quare vt ea maior euadat, enitendum: Capricorni ea eſt natura, & vitæ ratio, vt à frigidiſſimis ſummorum montium iugis, & perpetua niue candentibus nunquam longiùs quàm vt paſcat, ferè H
diſcedat, & adeo caloris eſt impatiens, vt ſi extra hęc gelidiſſima cacumina degere cogatur, ferè cæcus euadat. In Alpibus non ferè niſi ad perennem glaciem inuenitur; Summum ergo mediæ aeris regionis frigus, quod in frigidorum genere principatum tenet, quo melius ſymbolo ſit notandum, quàm eius animalis imagine, quod ſummo ſummi frigoris amore tenetur, & ducitur. Signum igitur tropen hybernam principio ſui metiens doctiſſimè, conuenientiſſimèq; naturę capricorni habet effigiem, & quia parte poſteriore humidum eſt, & in aquarium deſinit, caudam piſcis eſt ſortitum. Hæc Goropius, qui hanc capricorni figuram pulcherrimè ad arcam, ſiue nauẽ Noachi applicat, hæc.n. in media aeris regione verſabatur, & parte ſuperiori non aliter quàm ægocerotes ſolẽt altiſſima montiũ cacumina petebat, inferiore verò quæ aquis immergebatur, referebat piſcẽ. Hoc cæleſtis capricorni ſignum in nũmis quibuſdã argenteis hieroglyphicè cuſum aſpiciās. Indicat id, vt ex Trãquillo diſcitur, Auguſti geneſin. Nã cùm Theogones Mathematicus, ad quẽ in ſeceſſu Apolloniæ vnà cum Agrippa comite acceſſerat, genituram eius inſpexiſſet, exilijſſetque, & adoraſſet eum, tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, vt ſchema ſuum vulgauerit, numumque illum argenteum nota ſideris capricorni, quo natus eſt, percuſſerit. In hoc numo capricorni ſignum in piſcem deſinens, ſphæram intra priores pedes poſitum euoluere videtur. Hęc

Capricorni natura.

Numiſma cum capricorno.

Carm. 2.

A Hoc ipsum Horatius quoq; voluisse intelligitur, cũ capricornum Hesperiæ tyrannũ appellat, quẽ tamen locum nemo ex interpretibus assecutus est. Eodem capricorni sidere nati feruntur Carolus Quintus, Carolus Borbonius, Cosinus Medices, & Selymus Turcarum imperator. Simili ratione in Maximiliani Imperatoris numo depictus capricornus fortunam, & perpetuam illius felicitatem nobis tacitè loquitur, & antiquorum illorum principum prosperitatem cum nostri herois felicissimo seculo componit.

DE BVBALO, SIVE BVBALIDE. Caput XIIII.

B ARBITRABAR aliàs bubalũ specie differre à bubalide, deceptus nimirum partim verbis Dioscoridis, partim etiam Plinij; ille.n.agens de coagulo aliquot quadrupedum, cùm nominasset νεβρὸν, δορκάδα, πλατυκέρωτα, & δόρκον, antequam nominet bubalum, interponit ἔλαφον, & μόσχον, idest, ceruum, & vitulum. Plinius verò etiam cùm dixisset, vros ab imperito vulgò bubalos vocari, subdit, bubalum tantùm gignere Africam, vituli potiùs, ceruive similitudine: Ex qua duplici similitudine conijciebam, bubalum, & bubalidem inuicem confundi, nam similitudo ad vitulum, pertinere mihi videbatur ad bubalum, &, vt nomen indicare videbatur, ad bouis aliquod genus, similitudo verò cerui ad bubalidem, maximè cùm bubalidem cernerem ab Oppiano subinde à ceruo inter capras syluestres descibi. Ceterùm post publicatã eam opinionem, cùm diligentiùs hanc rem trutinarẽ, priorẽ sentẽtiã immutare fui coactus; non.n.aliter bubalus à bubalide differt quã sexu. Descriptio itaq; illius bubalidis, quam ex Scaligero, inter boues syluestres capite de bubalo veterum posui p. 363. anne cũ hac, quã nunc describo ex Oppiano, conueniat, docti iudicent, mihi propter corporis vires patientiamq; laboris ex boũ potiùs genere videtur: Quamobrẽ caput illud nõ de bubalo veterũ, sed de bubalo Scaligeri, Bellonijq; inscriptum velim. Oppianus autẽ bubalum sic describit:

Bubalum à bubalide nõ differre nisi sexus.

Bubalus Scaligeri & Bellonij. Lib. 2. de venat.

C
Βύβαλος αὖτε πέλει μείζων δέμας εὐρυκέρωτος
Μείων εὐρυκέρωτος, ἀτὰρ δόρκοιο μέγ' ἀρείων.
Ὄμμασιν αἰγλήεις, ἐρατὸς χρόα, φαιδρὸς ἰδέσθαι.
Καὶ κεράων, ὀρθοὶ μὲν ἀπὸ κρατὸς πεφύασιν
Ἀκρέμονες προτενεῖς. ὕψου δ' αὖθις παλίνωτον.

Idest, bubalus corpore minor est eurycerote (intelligit damam vulgarẽ, vt modò patebit. Gyllius quo iure ceruũ transtulerit ipse viderit) dorco autẽ longè præstantior, (Gyllius ineptissimè vertit, dama longè inferior) splendidis est oculis, suaui colore, pulcher aspectu; cornuum recti longiq; ramià capite extorti mucrones retro ad tergum excelsos retorquent. Habebat superiori anno Illustrissimus & Reuerendiss. Cardinalis Aloysius Caponius Legatus noster Apostolicus pulcherrimũ syluestris hirci genus, quod nisi sit bubalus iã descriptus, non habeo, quod meliùs respondeat: erat.n.toto corpore ceruino, excepto capite, quod caprinũ erat, & cornib. armatum pro corporis portione (nõ enim villaticã caprã magnitudine excedebat) maximis, & admodũ ponderosis, vt in ibice ferè, sed erectio ribus crassioribus, & magis recuruis; color eidẽ ceruinus, pilusq; simillimus, & perquã suauis, totumq; animal aspectu erat pulcherrimũ, testes habebat rotundos ad instar ibicis. Gesnerus in appendice musmonis nomine pingit, propterea quod in Sardinia vulgò muflo vocatur. Suspicor verò etiam bubalum esse illud capri syluestris genus, quod Bellonius nobis pro tragelapho descripsit, siquidem cum barba careat; siue arunco, qui tragelapho debetur, tragelaphus reuera esse non poterit. Simili, inquit, pilo præditus est quo Gallorũ bouc estain (idest ibex) sed nullam habet barbam, eius etiam cornua non sunt decidua, similiaq; sunt capræ cornibus, quę interdum contorquentur, vt in ariete. Os, anteriorem frontis partem, & aures, arietinis pares habet; præterea etiam scrotum quod amplum, & propendens est. Quatuor crura illis etiam similia, alba: coxæ sub caudæ albæ sunt, cauda nigra. Colli superior, & inferior pars, atq; pectus adeo longis pilis obsita sunt, vt barbatus videatur; Villi autem in scapulis, & pectore oblongi nigri: vtrimque in lateribus maculam cinerei coloris habet, nares nigras, os album, vt & totam inferiorem alui partem. Hæc Bellonius addita hac figura. Habes denique in capite de bubalo perperam inscripto veterum sub bubali Africani nomine mihi missum animal, quod ex capris potius quàm bobus esse ibi etiam iudicabam.

Bubali descriptio.

Muflo.

Lib. 1. obser. cap. 54.

NATVRA. MORES.

BVBALVS, inquit idem Oppianus, domesticam sedẽ mirificè amplectitur, namsi ipsum vinculis astrictum venatores in alienum locum longinquum abduxerint, ac ibidẽ in pastionibus liberum, & solutum reliquerint, non obliuiscitur ad cõsueta loca redire, neq; diu patitur apud externos vt hospes erret, neq; enim solis hominibus amica patria est, sed eius desiderio etiam feræ tenentur. Alibi etiam, idẽ poeta bubalidi eandem tribuit stultitiam, quam alij & ipse etiam struthiocamelo, quod scilicet in metu, occultato tantùm capite, totam se satis latere putet; id enim sciænæ pisci, bubalidi, & struthiocamelo commune esse dicit, sed versus adscribam: *Patrię amor.* *Lib. 4. de piscat.* *Occultato capite latere se putat.*

> Ὡς δέ τις ὠμηστῆρος ἐπεσσυμένοιο λέοντος
> Βουβαλὶς ἐν λόχμῃσι κάτω τρέψασα κάρηνον,
> Μαψιδίην φυλακὴν περιβάλλεται, οὐδ' ὁράασθαι
> Ἔλπεται, εἰσόκε δή μιν ἐπαΐξας ὀλοὸς θὴρ
> Δαρδάψῃ.

Hoc est interprete Lippio:

> *Non aliter sylua in densa caput occulit ater*
> *Bubalus, immanem cernens à fronte leonem,*
> *Quadrupedi insipido demens custodia curæ:*
> *Nam capite occulto sperat non posse videri,*
> *A diro donec lanietur dente leonis.*

Hinc autem est, quod damalis, idest, iuuenca ab Aeschylo, teste Aristophane Grammatico vocetur λεοντοχόρτη βούβαλις, quasi prædæ leonum exposita, siue pabulum leonum. Timidum autem animal esse bubalin, docet etiam philosophus, non vno in loco, scribit enim bubulis, capreisq; interdum cornua inutilia esse, nam etsi contra nonnulla, inquit, resistunt, & cornibus se defendunt, tamen feroces, pugnacesque belluas fugiunt. Et rursus: Bubalorum, & ceruorum sanguini fibræ nullæ insunt: quare sanguis eorum non similiter, vt aliorum concrescit. Et rursus: Bubali sanguis aliquantulo amplius spissatur, quàm leporis, & cerui, quippe qui proximè ouillo, aut paulò minus consistat. *3. de partib. cap. 2.*

DE PYGARGO. CAP. XV.

PYGARGON Plinius in præcitatis verbis ex syluestribus capris esse asserit, sed illis, quas transmarini situs mittunt; Et Deuter. 14. Septuaginta dischon vocem hebraicam reddunt πύγαργος, & Hieronymus Pygargus, & interpretatio Persica buz kohi quibus vocibus capra indicatur. Iuuenalis pygargum inter gulæ cupedias celebrat: *Dischon.* *Satyr. 11.*

> *Discipulus Tripheri doctoris, apud quem*
> *Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,*
> *Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens*
> *Cæditur.*

In veteribus huius poetæ commentarijs ante paucos annos ex bibliotheca Petri Pithoei I.C. editis, dicitur esse fera specie cerui, quæ retriores partes albas habet, additurque inde nomen ei inditum esse, quia græcè nates πυγὴ dicuntur, atque hinc fortassis est, quòd Theodorus Gaza apud Aristotelem, cui πύγαργος aquilæ genus est, albicillam vertit, eoque maximè cum ex sententia Hesychij, & Varini πύγαργος dicatur παρὰ τὸ ἔχειν τὴν πυγὴν ἀργὴν, καὶ λευκὴν. Cæterùm cum tam peculiari nota nullum, quod equidem noui, caprarum genus hoc nostro sæculo detur: forsan πύγαργος dici potuerit, quod posteriorem corporis partem ἀργὸν, idest, desidem præ cæteris huius generis habeat, quæ nimirum etymologia prædictæ aquilæ etiam tribuitur, nimirum per antiphrasin, quòd hanc partẽ minimè habeat ociosam, id quod dupliciter potest intelligi, vel quòd eam valde habeat instructam ad cursum, vel sensu verecundiore, quòd in venerem quàm maximè sit procliuis & salax. Glossa ordinaria in præcit. Deuter. loco pygargum interpretatur animal hircoceruo simile; Et Bartholomæus cognomento Anglicus author etiam obscurus ait animal esse barbatum, & cornutum instar hirci, minus ceruo, maius hirco, simile hircoceruo mirę velocitatis, additque loca frequentare syluosa, & deserta. *Descriptio Pygargus unde dictus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

DE CAPREA PLINII, SIVE Capreolo. Caput XIV.

RVPICAPRAS caprearum nomine celebrari suprà ostensum est; Plinius distinguit: *Capræ, inquit, syluestres in plurimas similitudines transfigurantur, sunt capreæ, sunt rupicapræ*, &c. intelligens caprearum nomine, quæ nobis latina tamen voce capreoli, siue caurioli, & in fæminino genere capreole, vel cauriole, & Gallis cheureul, quasi capreoli dicuntur, Germani reh vel rech, marē priuatim reebock, fæminam recgeisz vocant, Angli roo, Illyrij snra, vel sarna, Hispani zorlito, & cabronzillo mōtes.
Bikerah. Non est bikerah apud Hieremiam cap. 2. etsi Hieronymus capream interpretetur, memoriæ, vel apparet lapsu, quod in Aquilæ, Symmachi, & Theod. translatione dorcas legerit pro δρομὰς, vel F δρομεὺς, idest, camelus dromas: Dorcas autem Aristoteli capreolus est, vt modò patebit, quam vocem Martialis etiam latinè vsurpat: Oppianus δόρκον vocat, quamuis Dioscorides dorcum à dorcade distinguat. Cretensibus sarcadia, teste Bellonio, dicitur nomine, vt ipse etiam arbitratur à dorcade detorto. Qui Arabicè scripserunt medici, vel eorum interpretes dorcadem, & capreolum, gazel vocant, vel gazelum, vel gazellam: Sic & à Syluatico dorcas exponitur capreolus.
Gazel.

FORMA. DESCRIPTIO.

3. de partib. cap. 2. *Cornua.* *Lib. 11. cap. 37.* DORCAS, siue, vt vertit Gaza, caprea, minima, teste Aristotele, est inter cornigera, quæ explorata habemus, in ceruino quoque genere numeranda, vt qui cornua habeat omnibus annis decidua. Qualia autem hæc cornua sint, ostendit Plinius his verbis: *Dedit ramosa capreis, sed parua, nec fecit decidua;* sed legendum pro *nec, &c.* Stumpfius sic breuiter describit in chronicis Heluetiæ: Capreæ multæ capiuntur in regionibus Heluetiorum Alpinis, colore ceruis non dissimiles, sed mole corporis longè G inferiores, qua vix capras æquant, ex quarum etiam genere syluestres existimantur: Mas cornua in capite gerit senis plerumque ramis distincta. Visu, teste Alberto, dicitur esse acuto, voce verò exili, dentes non mutat. Fuit aliquando mihi missum capreoli icon à Serenissimo Bauariæ Duce, in qua decem, & septem numerantur cornua, partim ramosa, partim etiam non ramosa, quare monstruosa fuisse suspicor. Iconem inter monstra recensebo. Cæterùm Virgilius capreolum
Eclog. 2. depingens maculis distinctum ostendit, vbi Corydon Alexidi puero duos capreolos promittit
Capreoli maculæ. his versibus:

Præterea duo nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo
Bina die siccant ouis vbera, quos tibi seruo.

Seruius sparsos albo exponit, qui habent adhuc maculas à prima ætate venientes. Accessu enim temporis, inquit, mutant colorem, & eorum maculæ gratię minoris esse incipiunt; Esse tamen ma- H
Lib. 2. de venat. culosos capreolos docet Oppianus his versibus:

Τὰς δ' ἄρα κικλήσκουσιν ἐνὶ ξυλόχοισιν ἴορκους.
Κἀκείνους ἐλάφοιο δέρμας. ῥινὸν δ' ἐπὶ νώτῳ.
Στικτὸν ἅπαντα φέρουσι, πανναίολον, διά τε θηρῶν
Παρδαλέων, σφραγίδεσσιν ἐπὶ χροῒ μαρμαίρουσι.

Hoc est, Hos igitur appellant in montibus syluosis iorces: (pro dorcos ratione carminis) ha-
„ bent corpus ceruinum, & pellem vndique maculosam non aliter quàm pantheræ. Nec aliam ob
„ causam, quam quod totum animal aspectu elegans est, & maculis suis mirum in modum placet,
„ delicatioribus Romanorum puellis in delitijs fuerit; sic enim Martialis:

Delicium paruo donabis dorcada nato:
Iactatis solet hanc mittere turba togis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

NATVRA. MORES.

FAEMIMAE in hoc genere, si suus maritus capiatur alium quærit, eumque secum, vt tradit Ioan. Stumpfius in chronicis Heluetiæ, ad pristinæ habitationis suę locum adducit. Fæmina verò capta maritus alio discedit, & aliam sequitur coniugem, id quod ipsi sæpe numero fraudi est: Callidi enim venatores fæminas rarò capere solent, & fortuitò captas interdum dimittunt, quod vna aliquando fæmina complures capiendos adducat mares. Ouidius dum imbelles vocat capreas, dupliciter earum naturam tetigisse videri potest, insitam nimirum pusillanimitatem, & quòd, etsi arma ipsi dederit natura ad corporis sui tutelam perquam idonea, ijs tamē vel vti nescit, vel non audet; tradit enim Aristoteles bubalis, & capreis interdum cornua inutilia esse: nam etsi contra nonnulla, inquit, resistunt & cornibus se defendunt, tamen feroces pugnacesque belluas fugiunt. Loca amant Alpe-B stria quidem, sed longè humiliora quàm vel ibex, vel rupicapra, illa scilicet, quæ & Bacchus, vnde est quod diuinus poeta oues, auidasque iuuencas, capreasq; sequaces à vitibus arceri iubet, quod eas plurimum pascendo mordendoque lædant. Teste Oppiano, inter perdices, & dorcos, idest, dorcades siue capreas mirus naturæ consensus est, ita vt mansueti inuicem sint, & in propinquo maneant, & in eisdem locis pascantur. Quamobrem venatores, inquit, capto dorco proposito perdices alliciunt vel contrà. Testatur etiam idem circa finem libri quarti: venatores monere, ne post longum, & prolixum cursum dorco vel modicè respirare, & quiescere permittant: præcipuè enim eis grauem, & molestam esse in medio cursu vrinam: quam si respirando excreuerint, longè velociores postea ferri. Flantem ventum petere currendo Belisarius ait, vt refrigerari spiritus cursu laborantes vento possint.

Mas cur facilè capiatur.

Cur imbelles dicta.

Loca quæ ament.

2. Georg.

Amant perdices.

Lib. 4. de venat.

CAPIENDI RATIO.

C VENATOR, inquit Albertus, vocem capreoli sibilo folij imitatur, & allectum quasi ad sui generis animal prosiliens intèrficit, aut capit. Blondus, capreæ, inquit, leuissimo ceruo similes sunt, eademque arte qua cerui decipiuntur; Comprehenduntur enim canibus, implicantur & retibus, at rariùs quàm cerui: quoniā Alpes, & montium culmina incolunt. Quamobrem insidiæ in montibus, & collibus ponendæ sunt. In syluis citiùs capiuntur. Cauendum est ne venantes ab eis videantur, quia procul etiam agnoscunt venatorem, & mox fuga elapsæ occultantur cum vim canum, & insidias venantium propè sentiunt, ex rupibus quandoque præcipitantur, quare & rupes sunt obsidendæ. Circa Romam nocturnis insidijs ad lumen lunæ, bombardis aliquando traijciuntur, vt cerui etiā, & vrsi, aprique. Quomodo autem perdicibus capiantur, paulo antè ex Oppiano dictum est. Venatores etiam, teste Belisario, canes ad venti flatum collocant, propterea quòd vt suprà dictum est, capreoli flantem ventum currendo petere solent: quin attrahi ita à vento & capreas, & ceruos solere asserit, ut nolentibus quandoque uenatoribus fugam arripere adnitantur. Plinius uerò D scribit ceruos latratu canum audito, aura semper secunda fugere, ut uestigia cum ipsis habeant.

VSVS IN CIBIS.

CAPREOLIS, atque apris parem alimenti bonitatem, & copiam tradit Iulius Alexandrinus, in aprugna tamen alimenti permansionem esse maiorem, sed difficiliorem concoctionem, non quæ temperati hominis uentriculum uincat, sed capreolorum carnis respectu, concoqui facilioris, alimenti tamen citius fugientis: iustiusque esse ad nos aprugnæ temperamentum: capreolorum paulo in siccum inclinare, ut ideo non prorsus nulla generandi atrabiliarij humoris culpa damnetur.

Lib. 11. cap. 10.

Carnis bonitas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

DE CAPRA STREPSICEROTE.
Caput XVII.

Lib.8.c.51.
Lib.11.cap.37.
Addax.

PLINIVS inter ſylueſtres capras, quas tranſmarini ſitus mittunt, ſtrepſicerotes etiam enumerat,& alibi: *cornua*, inquit, *erecta rugarumq; ambitu contorta,& in leue faſtigium exacuata vt lyras* (ideſt, ſulcos vt Dalechampius exponit) *diceres ſtrepſiceroti, quem addacem Africa appellat.* Ioan. Caius apud Geſnerum in appendice appoſita hac capitis, ſeu potius cranei icone, tam graphicè, his verbis ſtrepſicerotis cornua à Plinio depingi aſſerit, vt lõgiore verborum ambitu opus non ſit; Ergo hoc tantùm addit ea eſſe intus caua, ſed longa pedes Romanos duos, palmos tres, ſi recto ductu metiaris, ſi flexo pro natura cornuum pedes tres integros. Craſſa ſunt, inquit, vbi capiti committuntur, digitos Romanos tres cum ſemiſſe. Deſcribuntur in ambitu palmis Romanis duobus, & dimidio eo ipſo in loco. In ſummo leuore quodam nigreſcunt, cùm in imo magis fuſca, & rugoſa ſint. Iam inde à primo ortu ſenſim gracileſcunt, & tandem in acutum exeunt. Pendent vna cum facie ſicca per longitudinem dimidiata, libras ſeptem, vncias tres, & ſemiſſem. Facies, quæ adhuc ſupereſt iuncta cornibus, & frontis ceruiciſque pilis, loquuntur ſtrepſicerota animal eſſe magnitudine ferè ceruina, & pilo ruffo ad inſtar ceruini. Sed an nare, & figura corporis ceruina ſit, ex facie nihil certi habeo dicere, cùm nares diuturni temporis vſu detritæ ſint & facies eadem de cauſa hinc inde glabra ſit. Conijceres tamen ex eo, quod ſupereſt, cum proprius accedere ad ceruum, aut platycerotem. Hinc pictor ceruinas adiunxit nares ſtrepſicerotis faciei. Aures tamen habes ſtrepſicerotis exiguas ſcilicet, & breuiores quàm pro faciei magnitudine. Quod inter radices cornuum vides pars colli eſt. Hactenus ille. Habes in ouium hiſtoria ſtrepſicerotis ouis Cretenſis imaginem ex Bellonio.

Cornua.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

DE DAMA VVLGARI.
Caput XVIII.

RECENTIORES vulgarem Germanicam nomenclaturam dam sequentes, hoc sylueſtris, vt videtur capræ genus, damam uocant, & voce diminutiua damulam, vt & Germani damlein: vocaturque eiſdem damhirtz, Italis daino, alicubi danio, Galliis dain, vel daim, Hiſpanis gamo, vel corza, quod nomen à dorcade factũ videtur: Anglis à falouue, Polonis lanij, Arabibus algazel, vt Albertus exponit, Græcis hodie non ἀγρίμι, vt Geſnerus credit, ſed platagoni, vt Bellonius obſeruauit, addens per agrimi intelligere ibicem. Idẽ Geſnerus cornua ſic breuiter deſcribit: ἀμυντῆρας habent vt cerui-na, deinde alterum ramũ, nec plures: reliqua pars lata eſt, & in digitos circiter decem diuiſa, prorſus eodem modo, quo cornu alces ſuo loco depictum dedimus; totum cornu longum eſt duos dodrantes cum palmo: huius media pars ſuperior lata eſt, vt dixi: inferior rotunda vt in ceruo, latitudo ad quinque digitos. Bellonius verò ſic ipſum nobis depingit animal: Corpore quidem ceruum refert, & capreolo maior eſt, ſed colore differt. Dama minus caput habet ceruo, cornua illi etiam omni anno decidua vt ceruo, quæ antrorſum protenſa habet præter aliorum conſuetudinem: giluam habet dorſi ſpinam, atramque lineam ſecundum dorſi longitudinem excurrentem, cauda longa eſt ad poplites vſque dependens, vti vitulo. Sæpe accidit, vt eius latera candidis maculis aſperſa ſint, quæ vetuſtate pereunt: accidit etiam ſæpenumero, ut fœminæ omnino albæ ſint, ſic vt capræ exiſtimari poſſent, niſi pilum admodum breuem haberent. Oſtenduntur eius cornua ingentis magnitudinis, varijs locis, qualia ſunt ea, quæ in gradibus, & aſcenſu Ambroſianæ arcis conſpiciuntur. Hactenus Bellonius. Vulgaris damæ figura hæc eſt. Qui modò hanc vulgarem

Dama vulgaris vnde dicta.

Cornua.

Lib. 1. obſer. cap. 54.

Deſcriptio totius.

no-

An ſit platyceros.

noſtram damam veterum platycerota eſſe arbitrantur, nullum mihi certius argumentum habere videntur, quàm quòd hodieq; Græcis platagoni vocatur: nam etſi Dioſcorides πλατυκέρωτα inter dorcadem, & dorcum tanquam earum ſpeciem recenſeat, incertum tamen eſt, nunquid reuera ea fuerit eius ſententia, nec quid certi ex Plinio etiam colligas, dum enim inquit: *Animalium quorundam cornua in palmas finxit natura, digitoſque emiſit ex ijs, vnde platycerotas vocant*, platycerotarum nomine quodlibet animal, cuius cornua palmata, & in digitos effiсta ſunt, intelligere potuit, vnde nonnulli viri docti platycerota interpretantur ein ellend, quod nomen alci conuenire ſuo loco dicemus. Incertumq; mihi omninò videtur, num euryceros ab Oppiano his verſibus nominatus ſit ipſa dama, vt communiter ab omnibus creditur:

Euryceros Oppiani quæ.

Πάντ᾽ ἔλαφοι τελέθουσι, φύσις κεράων δ᾽ ἐφ᾽ ὕπερθεν
Οἷν ὄνομα θηρσὶ κατηγορέυει φορέουσι.

Hoc eſt interprete Bodino.

Ceruis omnino ſimiles, nam cornua lata (alludit ad nomen)
Succreſcunt illis ceruorum cornibus æqua
Nomine diſſimiles, natura prorſus eadem. F

Ceruus palmatus.

Nam præter hanc noſtram vulgarem damam, & quam nominauimus alcen, etiam eſt, qui ceruus palmatus nuncupatur, cuius mentio apud Iulium Capitolinum in Gordiano primo his verbis: *Gordiani ſylua memorabilis picta in domo roſtrata Cn. Pompeij picturas animalium diuerſas continet, inter quas ſunt cerui palmati ducenti mixtis Britannis*. Suſpicorque cornua illa ingentis magnitudinis, quæ in gradibus, & aſcenſu Ambroſianæ arcis conſpiciuntur, non vulgaris damæ, vt Bellonius exiſtimat, fuiſſe, ſed vel alcis, vel alterius: quamobrem Ioan. Caius in epiſtola ad Geſnerum caput hoc in Anglia depictum, illius cerui eſſe iudicat, quem ex Capitolino palmatum vocauimus: Cornua eius aut æquant, aut ſuperant & longitudine, & craſſitudine ceruina, & latitudine excedunt damæ cornua, vt conſonum ſit corpus animalis cerui potius quàm damæ ſimile eſſe, & fortaſſis ceruus iſte εὐρύκερως Oppiani fuerit; ceruo enim eum ſubiungit.

VSVS IN CIBIS. G

Carnis qualitas.

DAMA, inquit Platina, cum capreolis ferè in qualitatibus conuenit: bonum namque alimentum eius caro veſcentibus præſtat: modici quidem recrementi eſt, ſanguinem tamen ad atram bilem tendentem quoquo modo efficit. Iulius Alexandrinus, cùm dixiſſet carnem eius veruecis ſæpe in morem pinguem eſſe, eiuſdemque aut non alieni admodum temperamenti, ſaporiſque, vt cùm primùm guſtaſſet, veruecinam ſe ediſſe crederet, ſubdit: Itaque ex ea ducemus argumenta in hanc, & numerabimus facultates: pinguis tamen neſcio quid ineſt laxi, ac diſſoluti, quod diuerſam faciat, & inſipida paulo magis caro, vt neque hæc ſylueſtrium vitio prorſus careat, & craſſiore, melancholicoq; ſanguini generando obnoxia exiſtimari meritò poſſit. Similiter etiam de algazel fera, quam damam interpretatur, Albertus refert: Caro eius, inquit, frigida, & ſicca eſt, & hæmorrhoides mouet, niſi cum pipere, cinnamomo, & ſinapi paretur. Sed Rhaſes, ex quo id videtur tranſcripſiſſe, ait, niſi cum melle, pipere, galanga & cinnamomo conficiatur. Idem etiam alibi carnes algazel comedi iubet cum ſinapi, & allijs. Baptiſta Fiera verò, quòd damas cerneret eundem in epulis cum capreolis locum obtinere, poſt capreoli mentionem ſubiungit: H

Damula aduſta magis ſi matris ab vbere rapta eſt,
Huic prior in noſtro fortè erit orbe locus.

De coctura damæ dicam ex Platina in ceruo, & ex Apicio de conditura platycerotis.

VSVS IN MEDICINA.

Fimi vis.
Linguę.
Tali.

FIMVS algazel, vt teſtantur Rhaſis, & Albertus, capillos auget, & emendat eos ſi cum oleo myrthino præparetur. Si lingua eius ſuffiatur guttur, hirudines decidunt: vbi gutturis nomine intellige quamlibet partem, cui adhæret ſanguiſuga. Tali cinis impoſitus in fiſtulam iuuat. Scribunt & alia quædam de fimo, & felle (quo tamen carere putatur) huius animantis ad coitum, & conceptum pertinentia ſuperſtitioſa, & illicita.

DE CAPRA MOSCHI. CAP. XIX.

DE hac animante veteres Græci, Latinique nihil quod hucusque legerim, quicquã prodiderunt; debemus verò eam Arabicæ linguæ medicis; Sed & recentiores Gręci vt Aetius, & Paulus Aegineta quamuis meminerint, ex Arabum tamen libris quicquid habent, transcripserunt. Siue autem hanc feram dorcadem, capreamve, aut gazellam Indicam, peregrinam, vel orientalem appelles, aut dorcadem moschi, vel simpliciter animal moschi, parum, inquit Gesnerus, interest. Mihi capram moschi appellare libuit; Isidorus, & Albertus, nescio qua ratione, musquelibet appellauere; Suspicor tamen sic appellasse à moscho, quem muscum vulgus vocare solet. Nominatur à D. Hieronymo ad Demetriadem, peregrini muris pellicula inter odoramenta, quibus delicatiores diffluunt; Quod verò animal muris peregrini nomine intelligat, doctis conijciendum reliquit. Cælius esse ait qui muscum (moschum) qui & nunc in delicatiorem vsum venit, ab eo significari arbitrantur. Hermolaus verò animal potius illud intelligit, ex quo zibethum accipitur. At Gesnerus per muris peregrini pelliculam, folliculum animalis moschi, in quo scilicet colligitur hoc odoramentum, intelligi putat: nam in eo adhuc piloso, inquit, moschus includi, afferrique solet, vt fortè muris genus esse putarit nominis vicinitate deceptus. Sed datur & hoc nostro tempore, etsi perquam rarum, exigui musculi genus, quod totum gratissimum moschi odorem spirat: hunc musculum ante aliquot annos mihi communicabat Ludouicus Cozadinus patritius Bononiensis: Quare cùm facile fuerit istiusmodi pelliculas ferre, Hieronymus has potius quàm alias mihi intelligere videtur. Volateranus murem muscum vocat (& ex Aethiopia, & Arabia venire tradit) fortè quod videret murem ab Hieronymo simul cum musco, qui ipsi nihil aliud quàm bryon est, & à Græcis inter odorata ponitur, recenseri. In descriptione modò peregrinæ istius capræ variant scriptores, etsi non desint, qui ex autopsia delineent. Conueniunt tamen, quòd ex caprarum, siue gazellarum genere esse statuant, animal scilicet bisulcum, & bicorne, vno excepto Simeone Sethi, qui vnicum tantùm cornu ei tribuit. Est hoc animal, inquit, capreæ simile vnico armatum cornu, prægrandi corpore. Cardanus animal ipsum mortuum vidisse se tradit Mediolani magnitudine, forma, ac pilo, nisi quod coloris esset magis glauci, capreolo simile, pilum tamen etiam addit crassiorem esse pilo capreoli, supraque binos, & totidem infrà dentes habere, hocque solo differre, & odòre à capreolo, nam pili, inquit, varietas à regione ortum habere posset. Arbitratur tamen Scaliger Cardanum moschi historiam non legisse, aitque in regno Pegu gazellæ simile animal album esse, cuius ex inferiore mandibula æquè dentes vtrimque singuli erumpunt. Quæ descriptio cum Serapione conuenit, & Auicenna, quorum ille: *Capreæ peregrinæ*, inquit, *figura, colore, cornibus ab alijs nõ dissident, sed dentibus tantũ caninis discrepant, quos binos, & verreo more exsertos palmi longitudine gerunt*: hic verò ait: *duos dentes albos habent intrò reflexos tanquam duo cornua.* Apud Paulũ Venetum, vbi ait: Animal, ex quo moschus colligitur, catti magnitudinem habet: pro catti lege capreoli: catti enim magnitudine animal bisulcum hucusque ignotum est, & cætera descriptio respondet: nam pilus, inquit, est grossus vt ceruis, pedibus quoque vngulatis, dentes ei quatuor, bini suprà, & totidem infrà longitudine trium digitorum; reperitur circa prouinciam Cathai, & regnum Cerguth, quod magno Cham Tartarorum regi subijcitur. Idem Paulus Venetus in regione Tebeth inueniri inquit multa animantia, quæ moschum producunt, quæ gadderi vocantur; & Serapio scripsit in Tebeth multas esse ciuitates, sed moschum omnem, qui circa ea loca colligitur, auehi à ciuitate, quæ priuatim à totius regionis nomine Tebeth nominatur. Cæterùm nõ vnicum huius gazellæ genus est: nam Brasauolus exsertorum illorum dentium nullam facit mentionem, & tamen αὐτόπτης sic breuiter describit: Dorcas peregrina colore ceruo similis est, dorcade aut capreolo paulo maior, & nonnunquam æqualis, figura quoque similis, & vnguibus itidem multifidis. (bifidis dicere debuit) Asserit insuper principes, & alios quosdam prædiuites viros hoc genus capreolos ex peregrino orbe aduectos in delicijs habere, alereque, in Italia præsertim. Vidisse itidem Venetijs mercatores, qui Alphonso Duci Ferrariæ gazellam vendere cupiebant, moschum in ventriculo habentem. Idem in Aegypto, & pluribus Africæ locis hoc animantis genus reperiri scribit. Sed quæ in Aegypto sunt gazellæ dentibus illis exsertis etiam carere videntur, vel saltem Bellonius, aliàs diligentissimus in describendis eis non meminit, nisi dicamus, aliud capræ genus, quod ego suspicor, describere. In arce Cayri, inquit, aderant etiam cicures gazellæ è syluestribus locis eò deductæ, quæ omninò capreæ similes sunt, siue capreolo, & corpore, & colore rupicapras referentes, anterioribus pedibus breuioribus, posterioribus longioribus le-

poris

Nomina.
Capra moschi.
Musquelibet.
Mus peregrinus D. Hieronymo quid.
Mus muscus.
Descriptio capræ moschi.
Exerc. 21.
Dentes.
Gadderi.
Diuersa genera dari.
Lib. 2. obser. cap. 51.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

poris modo,nigrām lineam ſupra oculos ductam habent,vt rupicapra,vōcem ferè caprinā edunt, ſed barba carent. Pilus rutilus eſt,ad pallidum tendens, læuis, & ſplendens,pectus,& nates albeſcunt,vt in dama,cauda ſubtus candicat,atque ſuperiore parte fuſca eſt,ad poplitum vſque ſuffragines propendens, vt in dama. Gazella multo leuiore curſu montes conſcendit, quàm in valles deſcendit,atque in plano ſatis veloci impetu fertur. Aures arrigit vt ceruus,graciliaque crura habet,& biſulcos pedes:collum oblongum,& gracile vti rupicapra,maris cornua maiora ſunt,quàm fæminarum, quæ omninò recta eſſent, niſi circa ſummum nonnihil incuruarentur,longioraque quàm rupicapræ, & lunæ creſcentis in modum inflexum. Cicurari debent,nam alioqui loca campeſtria ſterilia, & ſicca inhabitant. Hæc ille. Sed cùm caudam,inquiar,habere ad proplites vſque porrectam aliam quàm moſchi capram nobis deſcribere videtur. Braſauolus hanc effigiem tanquam veri animantis è quo moſchus habetur,Geſnero Ferraria miſit. Mihi iam ante multos annos gazella tam mas,quàm fæmella cum ſuo pullo, cuius hic exprimitur effigies,in hac vrbe viſa, corporis figura, & capite vulgarem dorcadem, ſed cornibus vulgarem potiùs capram exprimebat,colore verò ceruum; quòd autem cornua videatur habere adunca,id incuria picturis factum, & propter ligni breuitatem, alioqui recta ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

NATVRA. MORES. CIBVS.
Capiendi ratio.

D

ALEXANDER Benedictus rarò gazellas viuas capi tradit propter insignem velocitatem, verùm alias similes gazellas etiam dictas, viuas capi, sed quæ moschum nullum adferunt. *Cur viua nō capiantur.* Et Brasauolus, valde agiles esse, inquit, & velocissimè currere. Idem Alexander mansuescere ait exemptis dentibus longioribus: morsu in persequentes sæuire, laqueo aut sagittis eas barbaros venari. In prouincia Tebeth venantur easdem canibus, vt Paulus Venetus testatur. Ruellius apud Serapionem, venatores hanc feram, inquit, cassibus, aut laqueis captant, aut sagittis, vel missilibus vomicæ folliculum decutiunt. Sic ille, sed ineptè, neque enim folliculos missilibus amputari sentit Serapio, sed feræ quouis modo iam captæ, folliculum quamuis immaturum ab eis abscindi. *Vt capiantur.* Aiunt odoratis pasci, ac potissimum nardo, vnde etiam moscho, idest, sanguinis circa vmbilicum collectioni odor concilietur. *Cibus.*

DE MOSCO. CAP. XX.

SYNONYMA. ETYMOLOGIA.

Muscus quid.

QVI à Græcis μόσχος dictus est, & à latinis eadem dictione indicandus foret, is est, nostra ætate inter pretiosissima odoramenta, nec mediocris in medicina vsus habetur: Officinæ, barbarique muscum vocant, cùm alioqui moschum dici oporteret, vt propria appellatione à musco discerneretur, qui virentes magis villos quam folia, aut frondes significat, quibus per æstatem in torrentibus lapides vestiuntur, &, vt Columellę verbo vtamur, muscantur. Apparet autem ideo muscum vocasse propterea, quòd plantarum muscus, quarundam præcipuè arborum cedri scilicet, aut populi albæ ad varia odoramenta, & conspissanda vnguenta apud antiquos vsus esset. Doctissimus Alciatus, vt ab hoc musco distingueret moschum: muscum vocabat Arabicum hoc pentametro;

Et celebris suaui est vnguine muscus Arabs,

Moschi nominis ratio.

Marcellus Vergilius in commento suo ad caput Dioscoridis de musco, hoc credit odoramentum moschi nomen sibi acquisiuisse, quod Græci μόσχους, μοσχίδια, & μοσχεύματα dicunt nouos, teneriores que in plantis stolones: Quorum similitudine, inquit, in animalibus, quæ moschum ferunt noui odoramento illo pleni nascuntur folliculi. Additque potuisse etiam eam nominis rationem esse, quòd animalia illa media inter capream, & vitulam natura, & magnitudine, fuluo vitulorum colore videntur, quas Græci μόσχους etiam, & μοσχάρια appellant. Rursus ab eisdem Græcis μόσχια appellari vascula potiùs, quam siliquas cæparum, semen in summo caule seruantia, & maturantia; à quorum figura non longè absit moschi folliculus ille, in quo nascitur. Etymologus verò μόσχον aromaticum, nomen inuenisse arbitratur παρὰ τὸ ἐκ μέσου χεῖσθαι, hoc est, quòd è medio (vmbilico scilicet animalis) fundatur: vel à verbo μῶ, quòd ab omnibus requiratur: vel ab ὄζω, quod est oleo, fit ὄσχος, & μ litera abundante μόσχος; vel à priuatione fœtoris κατὰ στέρησιν τῆς δυσωδίας. Ὄζειν enim & benè, & malè olere significat. Cæterùm cùm Arabes moschum misch vocent, rectiùs fortasse cum Brasauolo Græcos hinc suam vocem deflexisse dicemus. Syluaticus, & alius quidam moschum græcè abonasa, vel aboanisa dici ineptissimè scripserunt, cùm hoc authoris nomen sit, cuius de moscho verba Serapio recitat. Itali muschio dicunt, atque ita Galli ferè etiam, & Hispani musci, vel muschi nomen à recentioribus Latinis vsurpatum retinuerunt. Angli muske dicunt, Illyri pizmo, Belgæ moscelliaet, Germani bisem, quæ vox origine hebraica esse videtur: nam Reg. 3. cap. 10. bosem exponitur aroma, suauis odor, & in dictionario trilingui pro aromate etiam scribitur bosem, & besam.

Descriptio animalis, quod moschū gignit. *Moschi nominis varia etymologia.* *Synonyma moschi.*

ORTVS. QVID SIT.

De moschi origine variæ sentētiæ.

DE ortu ipsius moschi non omnes eodem modo referunt, Symeon Sethi moschum omnem fundi asserit ab vmbilico peregrinæ dorcadis, quam nos capram moschi nominauimus. Huius enim, cùm ruit in venerem quasi furijs stimulata, intumescere vmbilicum, confluente in eum crassarum partium sanguine: Quo tempore animal ipsum, inquit, pabulo, & potu abstinet, humique volutatur, qua versatione vmbilicum feculento sanguine turgentem exprimit, qui certo quodam tempore coagulatur, bonumque odorem obtinet. Aluchasem eiusmodi folliculum, quo moschus continetur, esse ait vmbilicum animalis, siue circa vmbilicum vesicam plenam sanguinis, quæ aliquamdiu seruata in moschum trāiceat. Cardanus hanc vesicam infra vmbilicum esse scribit. Paulus Venetus iuxta vmbilicum inter cutem, & carnem. Isidorus in inguine abscessum. Alexander Benedictus ipsi animanti quendam veluti abscessum innasci tradit folliculi modo, cum pilis ceruinis similibus pendentē, putri veluti sanguine, vectigali ceu onere exonerāte se natura. Scaliger verò, etiam sub eius ventre fieri collectionem sanguinis in tumorem, asserit, quod Græci apostema vocent, vterque, vt apparet, Serapionē secutus, cuius hæc verba, interprete, & paraphraste Ruellio: In syluestribus, inquit, capreis, quæ in montibus oberrant, & liberè vagantur, concepta sanies antequam vomica rumpatur, suaptè natura ad maturationem spectat, ad quam cùm ventum fuerit, fera titillantis humo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A humoris lancinatu lacessita cotibus, & saxis (arboribus Isidorus) sese longo insolatu candentibus infricat magno oblectamento, donec facto vomicæ emissario tota saniei vis à ventriculo (folliculum intelligit) supra lapides effundatur; non aliter quàm abscessus pure cocto fractus dissilit, ita vtriculus maturo humore per naturam exaniat (emittit saniem) vlcusque postmodum ducit cicatricem, rursumque ruens sanguinis impetus eò se recipit, impletque vmbilicum, dum abscedens in consimilem vomicam extuberet. (quotannis hoc fieri Ruellius scribit, sed sine authore) Cæterùm indigenæ, qui loca, vbi versantur huiusmodi feræ, ad vnguem norunt, saxa facilè deprehendunt, quibus fusa colluuies, & candente sole resiccata cohæsit (solis enim calor, ac repercussus non modò densat effusum cruorem, sed odorem etiam commendat) Hunc igitur moschum incolæ metunt, & vtriculis ferarum earum asseruant, quas venatu captauerant. Ille moschus multi vænit, ac inter magnifica, & regia munera censetur. Hucusque Serapio. Si folliculus ab animali dematur, ad moschum progignendum deinceps, vt ait Brasauolus, aptum non est. At si sponte sua exeat in maturitate confricando, tunc iterum atque sæpius moschum facit. Idem ait, eiusmodi animalia moschum quidem maturare apud nos, si habuerint, quando con-B uehuntur: illam enim saniem ad cocturam venire: tamen iterum non emittere pus, aut ineptè emittere, quod ratione cæli, aeris, & earum rerum, quibus viuit, euenire arbitratur, viderique sanè excrementitio isto humore hoc animal secundum naturam purgari, sicut mulier sanguinis menstrui fluxu, neque diu viuere posse, nisi ita expurgetur, propterea in nostro cælo breui, inquit, expirat. Isidorus verò, & Albertus duplicem agnoscunt moschum; inquiunt enim omnem carnem huius animalis, & excrementum dici moschum, sed multo præstantiorem esse, qui ab apostemate fluit; sed caro, vt ait Cardanus, seu potius totum animal propter vesicam, qua moschum infra vmbilicum continet, odoratum est, & quantum mittat iucundi odoris, vix, inquit, dicere queam; tametsi, id quod vidit, iam pridem mortuum esset; Sed & folliculo illo per multos annos arcis indito, omnes, quæ intus vestes seruantur, miro odore fragrare testatur. Hæc que sunt quæ de moschi ortu apud probatos authores reperio; quibus tamen reclamare ausus est Amatus Lusitanus, referente Leonardo Fuchsio, in India contendens esse animal quoddam leporis magnitudine, quod viuum adhuc virgis cæsum necetur. Eo, inquit, occiso, pelleque detracta, & interaneis exemptis, vniuersa caro plagis, ac verberibus, quoad liuescat, contundi-C tur, pinsiturque. Hæc vbi optimè est pista, manu tractatur, vt si quæ duriuscula in illa ossa fuerint, reijciantur. Carnem hac ratione optimè pistam, & contusam, manu in globos redigunt, & parte pellis eiusdem animalis excoriatæ obuoluunt, ac muniunt, vt in pilæ formam euadat, & moschus folliculo inclusus dicitur. Vtra iam sententia verior sit dijudicent, inquit, qui moschum colligi conspexerunt. Mihi certè tum Arabum, tum recentiorum de hoc animali, sententia, quòd plurimum in eius descriptione varient, suspectã est. Neque audiendos esse puto, quòd moschum tuberculi, vel vmbilici eius animantis inflammati saniem esse tradunt; id enim haud dubiè falsum est. Sed sunt moscho animali tumores, quales in castore esse suprà diximus, & quales in omnibus leporibus sunt, propter quos vulgus testes esse existimans, lepores omnes simul mares, & fæminas esse credit: à quibus odoratum illud pus emanare arbitror: Atque tumores esse rotundos, testiculisque similes, membrana seu pelle circumdatos norunt, qui adulterant: Nam in testiculi formam effingunt, & pelle animantis obuoluunt, ac testiculum moschi appellant. Hic itaque est moschus Lusitani non legitimus, sed admodum ab ipso descripto adul-D teratus, ab eo quem Arabes, & recentiores Græci aliquot depingunt, diuersus, vt parum rectè ab eo mendacij insimulentur. Sic Fuchsius.

Quomodo colligatur, & seruetur.

Animalia moschum generantia nō vbique locorum eam habent facultatem.

Moschus duplex.

Lib. 1. de cōposit. medic. cap. 16.

Amati Lusitani de moschi ortu noua opinio.

E L E C T I O.

MOSCHVS, inquit Platearius, omninò niger non probatur: præfertur illi subni- ,,
ger. Alius est subruffus, omninò accedens ad colorem spicæ nardi, qui maximè ,,
laudatur. Huiusmodi quidam haberi aiunt ex capreis, quæ spicam nardi depascū- ,,
tur; quare eligēdus est subruffus, qui quidē vix adulterari potest: & saporis amari, ,,
qui gustatus odore suo statim cerebrum feriat: qui neq; statim soluitur, nec admodum resistit, & qui nō omninò clarus (idest, splēdidus) sit intrinsecus. Grana latiuscula, & per totū ,,
æqualia. Scribit Brasauolus odoratissimum se moschum Venetijs vidisse subnigrum: quem mercator quidam, inquit, habebat, ex prouincia Cathai se attulisse asserens, iter non ineptum sibi fingens per mare Euxinum, Colchidem, Iberiam, & Albaniam vsque ad ingressum Scythiæ:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

est enim regio Cathai Scythiæ extra Imaum pars. Nec mirum videatur, quoniam eo in loco re- E
gio est à Ptolomæo vndecima Asiæ tabula Randamarcostra nuncupata, in qua nardus abundat,
Moschus vnde ad nos veniat. & quam Sotus fluuius alluit. Incolæ regionem vbi optimus moschus nascitur, Ergimul vocitant,
particularem verò vrbem, Singui. Serapio tradit in Thebet multas esse ciuitates, sed moschum
omnem, qui circa ea loca colligitur, auehi à ciuitate, quæ priuatim totius regionis nomine The-
bet nominatur. Et in eadem regione multa moschi animalia reperiri suprà ex Paulo Veneto di-
ximus. Idem Serapio esse profitetur, qui Tumbascinum anteponant, odorisque præstantiam ca-
prearum pabulo ferant acceptam, quæ nardo inibi vescantur copiosa, cæterisque odoratissimis
herbis. In Senitarum verò quidem agro capreas herbas odoratas pasci, sed odoribus impares.
Moschus Tumbascinus. Aliam quoque metendi rationem causari Tumbascinos; hanc saniem vomicæ folliculo non erue-
re, & blandiente cæli serenitate merum legere: Senicos verò vomicæ ventriculum exprimere, &
exclusa sanie, adulterina permiscere nubilo parumque arridente cælo, & vasis vitreis recondere,
obturareq; , deinde mittere in regiones Saracenorum, & in Hamen, (Amanum exponit Alexan-
der Benedictus) & Persida, & Haharac aliasque regiones Babyloniæ, acsi Tumbascinus esset. Te- F
statur idem Serapio venatores in regionibus Beteth (lego Thebet) & Sceni, plerumque capreis,
quas vel sagittis peremerint, vel aliter interceperint, folliculum adhuc immaturum abscindere:
moschum autem istiusmodi præcocem tetro, & insuaui odore displicere: Verùm tantisper libero
aere suspendere, dum abacto prorsus fętore maturuerit: eum hac concoctione perfecta miram sibi
conciliare suauitatem, quemadmodum scilicet in arborum fructibus fieri consueuit, qui precoces
decerpti, tandem exuta acerbitate, & dulces, & suaueolentes euadunt. Pręferri tamen debere mo-
Moschus immaturus fętet. schum illum asserit, qui in folliculo suo maturescit, antequam rescindatur ab animali. Et Brasa-
uolus affirmat folliculum moschi, antequam maturuerit, graueolere, seseq; Venetijs odorari vo-
luisse adhærentem adhuc animali, eum omninò grauem odorem habuisse, quia nondum ad ma-
turitatem peruenerat. Addit insuper, quod si accidat ab animali auferri, antequam abscessus con-
coctus sit, concoqui quidem, sed ineptius olere. Quod verò ad regionem, Auicenna moschum
præferri ait Antebium, vel Ascilton, (Bellunensis legit Scinium à Sceni regione fortassis) deinde
Iurgium, postremò Indum marinum. Elluchasem in Tacuinis folliculos continentes moschum
Cubit esse scribit subtili ex vesicula & moscho: Gergeri esse folliculos his contrarios, qui moschus G
minùs subtilis sit, minusque aromaticus: sed moschum Charum medio inter prædictos loco esse,
quocum scobs, inquit, argenti, & plumbi miscetur, vt augeatur pondus. Moschum denique Sal-
mindi deteriorem adhuc esse, qui folliculo exemptus in vase vitreo seruatur. Idem Elluchasim
etiam testatur, cùm hęc animalia procul à mari versus desertum pascuntur spica moschum ipsorū
fore suauiorem; cùm verò prope mare sunt, pasci myrrha; & Auicenna etiam eum moschum præ-
ferri vult, cuius animal depascitur vtrumque behen & spicam, & almaru. Simeoni Sethi melior
moschus fit in vrbe quadam, quæ multo magis orientalis est, quàm Chorase, quæ dicta est Tupa-
ta (Ruellius prima syllaba omissa Pat transtulit: ea videtur esse, quam Tumbasci ex Serapione
Color qui probetur. nominauimus.) Colore quidem hic moschus subflauidus ei laudatur, huicque bonitate, inquit,
cædit, qui ab India defertur colore in nigriciem vergente; hoc etiam imbecillior, seu deterior est
qui ex Sinis (ex Senitarum agro, vertit Ruellius: Serapio hanc regionem Seni vocat) habetur. Et
Auicenna, quod ad colorem, & odorem pomalis (pomi odore fortassis) inquit citrinus laudatur,
Sed eiusmodi citrinus moschus nusquam comparet. Muscus, inquit Syluius, ferrugineus ferè est H
noster, non quem Auicenna probat, citrinus Alexandrinum vocans, est odore in opum Cyrenai-
cum inclinante, sed valentiore præter aliam summam in eo fragrantiam, glebulis exiguis cōstat.
Alexander Benedictus syncerum moschum nigrum esse tradit, conglobatum meliorem, solitudi-
nis odorem habere, aut anguium quorundam stato tempore, aut cuiusdam auis fimi, quo adulte-
ratur. Negat Brasauolus moschum perfectum copiosè ad nos adferri, sed folliculos solùm vi ab
animali abreptos, ex regionibus orientem, & occidentem versus ad nos comportari, perfectio-
rem esse ex oriente allatum ijs præcipuè locis vbi nardus, & odoratæ herbæ nascuntur. An mo-
do moschus legitimus, & non adulteratus sit, quidam hoc modo probant, vt scribit Simeon
An legitimus sit probatio. Sethi, interprete Gyraldo: Ponderatum in peluim, aut malluuium madens humensque depo-
nunt, tum post aliquantulum iterum ponderant: Si superat, tum non adulteratum putant, sive-
rò non, suppostitium illegitimumque iudicant. Græcè sic legitur, ἐν καθυγρασμένῃ λεκάνῃ (lego
μετὰ τὸ ϛαθμῆσαι πθέασιν αὐτὸν, εἶπα πάλιν ϛαθμῶσι, καὶ εἰ μὲν τῷ ϛαθμῷ ὑπερέξει (lego
ὑπεράξει) ἀνόθευτον αὐτὸν ἡγοῦνται: εἰ δὲ μὴ, νενοθευμένον. Ruellius vertit: in peluim humo-
re perfusam post exanimatum trutina pondus immittunt, postea iterum æqua lance ponderant.
Quod si protinus ad stateram reductum superferatur, synceri experimentum putant: sin repens
cedat, & pondere degrauetur spurij indicium existimant. Hanc opinionem Syluius quoq; sequi-
tur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tur. Gesnerus quoad verba attinet Gyraldi potius interpretationi accedit, quoniam ὑπεράγειν significare videtur pondere superare; sed quod ad rem ipsam, vter scilicet verius transtulerit, iudicium cohibet, experimentumque diuitibus relinquit. Quidam mercatores empturi moschum naribus obturatis, & respiratione cohibita ad medium iactum lapidis currunt, vt annotauit Platearius, & inde attrahentes aerem ore, si moschi odorem sentiunt, emunt, probantque. Aliud synceri, & illegitimi signum docet Scaliger, totam moschi historiam breuiter his verbis complectẽs: Capta fera eam partem cum corio simul abscindunt, quæ inter secandum guttę sanguinis effluũt, caduntque, eæ pro moscho optimo, atque excellentissimo, aut excipiuntur, aut colliguntur. Huius minimæ portiunculæ beneficio ad cæteri cruoris condimentum vtuntur. Vbi secuerunt, hirudines admouent tot, tamque diu, quoad earum suctu cruor vniuersus, cum ipsa vita detrahatur. Eum sanguinem exsiccatum, atque in puluerem redactum prioris illius perpauxilla quantitate, viribus verò efficacissimis perficiunt. Quippe centesimam satis esse produnt. Tum illud in folliculos hosce, qui ad nos importantur, inditum seruant. Adulterationes, aut synceritatem ita vel deprehendũt, vel probant. Syncerum naribus admotum illico sanguinem elicere. Sunt etiam, qui hoc modo B bonitatem experiantur: imponunt prunis ardentibus, si liquefiat in olei modum, tenuisque veluti pellicula aranei figura relinquatur, pro synceritatis signo habent: Sin infletur, tumeatque ac veluti calcis massæ similis reddatur, spurij & adulterati notam esse. *Exerc. 21.*

ADVLTERATIO.

ADVLTERATVR moschus, vt ait Platearius, & præcipuè niger, & niger ad subrufum colorem accedens, admixto pauco sanguine hircino modicè asso; vel pane asso, ita vt tres, vel quatuor partes ex istis contritis ad vnam moschi admisceatur: & vix dignoscitur. Sed panis assus nimium friabilem reddit moschum. Sanguis verò hircinus cùm frangitur, lucidus est, & clarus interius. Quandoque venditur, cum ipsis pelliculis, & adulteratur similiter, vt iam dictum est. Incisis enim pelliculis Saraceni verum moschum auferunt, & infarctas adulterato rursus ita conglutinant, vt non deprehẽdatur. C Sed moschus adulteratus cum pelle duplus est pondere, si syncero conferas. Tantum Platearius. Et Monachi in Mesuen: facillimè, inquiunt, adulteratur, unde sæpe stercus murium, & alia diuersa pro musco venduntur. Folliculis quidem integris non statim adhibenda fides, quoniam nõ desunt impostores, qui eos effingunt simillimos, & varijs rebus impletos vero musco imponunt, donec eius odorem recipiant, atque sic mulierculis, & viris imperitis vendunt. Alexander Benedictus verò iecore hœdino arefacto, & auis cuiusdam fimo vitiari scribit. Fit præterea moschus factitius à quibusdam, nec vno modo: Gesnerus quomodo fiat ex manuscripto cuiusdam empirici libello transcripsit: Nucis moscatæ, cinnamomi, caryophyllorum, spicæ nardi singulorum pugillus vnus; trita omnia diligentissimè, atq; cribro excreta, cum sanguine colũbæ recenti subiguntur, & ad Solem siccantur: mox trita aqua rosacea moscata irrigantur septies, ita vt semper irrigata denuò sicces, ac teras. Tandem tertiam, vel quartam partem veri moschi contriti admiscent, & rursus aquam rosaceam moscatam inspergunt, & in aliquot partes diuisam massam, pilis minutis albis capreoli, vel hœdi sub cauda inuoluunt, & in vase vitreo reponunt. Aliter: Benzoinum, cera candida noui examinis, caries fraxini arboris, & moschus miscentur: est autem ambra facti-D tia moschum, vel zibettum redolens. Aliter: Styracem, ladanum, & scobem ligni aloes miscent: Debet autem ad vtramque compositionem moschus, vel zibettum addi, atque omnia cum aqua rosacea commisceri: sed facilè fraus deprehenditur: nam natiua non ita celeriter, vt factitia aquis mollescit, & ab eadem odore, coloreque differt. Idem Gesnerus tradit audiuisse se à quibusdam augeri moschum radice angelica, quæ moschi odorem pręsentare persentitur, tum aliàs, tum pauca eius quantitate medicamentis compositis adiecta. Cæterùm sunt & aliæ, quæ quod moschi odorem spirent, ab eo etiam denominari meruere, vt modò patebit in denominatis, ex quibus fortasse aliquid etiam elici possit, quo vel moschus vitietur, vel odor augeatur.

Vt adulteretur. *Murium stercus.* *Moschus factitius.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

CONSERVATIO.

Odoris recuperatio.

Vt ſeruandus. EX ſententia Plateârij moſchus ſeruari poteſt in vaſe vitreo, denſo, ac diligenter oblito cera, vel potiùs in vaſe plumbeo, (quod & Alexander Benedictus ſcribit) vt humida, & frigida huius metalli qualitate meliùs ſeruetur. Monet autem, ne quid aromaticum addatur, cauendum eſſe, quod ſic ſuum odorem omitteret. Quem ſi amiſerit, inquit, in olla (ſiue vaſe vitreo aperto, vt Syluius habet) ore aperto ſuſpendatur in cloaca, & recuperabit eum. Iſidorus verò etiam tradit odoris amiſſi vim in fætoribus, & latrinis recuperare, contra nimirum fætorem eluctari, ac ſi luctando quaſi reuiuiſcere. Syluius aſſerit odore in humido craſſo perennante viuaciſſimum eſſe moſchum.

E M B L E M A.

HAEC moſchi capra imago eſt, inquit Camerarius, principis, qui ſubditorum ſuorum opibus, & ſumptibus ſuſtentatur, atque ideo maiora illis, vice verſa, ſi fieri poſſit, reddere cupit, vt ſcilicet eius opera contra aliorum iniurias ſemper poſſint vitam tranquillam, & felicem agere. Emblema Camerarij eſt cum verbis: LIBERALITAS COMPENSATA.

Munera quæ dominis fuerint data, tempore fiunt
Vberiora, velut moſchus odore placens.

D E N O M I N A T A.

ESSE dixi ex plantis, quæ moſchum olent, ideoq; ab eo denominari meruere, qua-
Acus moſcata. lis in primis eſt geranij illud genus, quod acus moſcatæ nomenclaturam ſibi vendicauit, nec non etiam iua moſcata, quæ Geſneri etiam iudicio apud Aetium dor-
Lib. 10. c. 2. cadias appellatur, & muſcium, ſiquidem vna eius pars vnà cum coſti dimidio cochleari menſura in potu datur aduerſus iecoris obſtructionem, ad quam chamæpitys, ſiue iua moſcata perquam vtilis exiſtit etſi Hermolaus aliter ſentire uideatur: inuenio, in-
Muſcilium. quit, muſcilium dici quandam herbam ab odore muſci, vt conijcio, quoniam & dorcida vocant
Polium montanum. eam, naribus vitioſis, & fętentibus accommodatam, vt Aetius exiſtimat, niſi quis pro diptamno accipiat, quod & dorcidium appellant. Sed & iua moſcata etiam appellatur polij montani quod-
Tanacetum montanum. dam genus ſimiliter odoratum: Quin & tanacetum montanum à Rhętis populis ſic appellari Dalechampius ſiue vniuerſalis hiſtoriæ plantarum author atteſtatur; nec non anthillidis quædam
Anthyllis. ſpecies iuæ moſcatæ nomine in Moſpelienſi agro inſignitur referente eodem, etſi odor eius non
Maiorana moſcata. admodum ſit gratus. Deſcribunt item recentiores maioranæ, ſiue ſampſuchi quoddam genus, præ cæteris minus, maioranæ moſcatæ nomine, ſiue, vt Galli loquũtur, mariolaine muſquee. Obſeruaui itidem in Alpibus Apennini baſilici, ſiue ocymi quoddã genus moſchi odore ſuauiſſimo, quod inde moſcatum dici poterit, nec aliud fuerit, cuius Monachi in Meſuen his verbis meminere, Al-
Alfengemiſch. fengemiſch eſt ocymum caryophyllatum, vel muſcatum, ut aliqui putãt, nam miſch arabicè moſchus eſt. Atqui ocymum caryophyllatum à præcedenti differt. Moſcatellam uocat Cordus,
Moſcatella. quòd folia eius moſchum redoleant, quam alij thalietrum minimum, Cluſius ranunculum præcocem thalietri folio; Lobelius ranunculum minimum Septentrionalium herbido muſcoſo flore; Bauhinus ranunculo ſimilem moſcatellinam dictam; nonnulli denique dentariam mini-
Ageratum ceruleum. mam. Inter cætera agerati genera Dalechampius unum deſcripſit agerati purpurei nomine, quod à Germanis moſcatella cærulea appelletur à conſimili moſchi odore. Bizantio nu-
Dipcadi. te aliquot annos delatum fuit bulbi quoddam genus hyacintho congener, dipcadi illic nuncupatum, quaſi florem dicas prætorium, aut principe dignum, quòdque ob odoris ſuaui-
Moſcari. tatem moſcari, aut moſchus græcus, (moſchio græco) bulbuſque moſchum redolens appel-
Palma Chriſti odorata. latur. In Tridentino agro ſatyrij genus digitatum, ſiue palmæ Chriſti, ut uocant, copioſè pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A prouenit suauissimo moschi odore spirans, vulgus palmam Christi odoratam nuncupat, sed & moscata dici poterit. Cùm id primò olfacerem, nihil vnquam suauius mihi odoratus videbar, & ea quidem gratia quæ caput minimè repleret. Inter varia violarum genera etiam est, quam muscatellam appellant, & violam matronalem, quòd à matronis propter odoris sui suauitatem præ cæteris colatur. *Viola moscatella.* Haud ab re etiam lilium suum conuallium Galli grand muquet, quasi musquet vocitant, herbulam scilicet summoperè ab omnibus odoratissimorum suorum florum causa expetitam. *Lilium conuallium.* Gallium Dioscoridis Ruellius eisdem petit muquet, quasi moschettum minus dicas appellari tradit à similitudine odoris sui cum moscho. Inter herbarum fructus melonum est genus, quod moscatellum siue mascharellum ab odoris sui præstantia dici meruit. *Melo moscatellinns.* Sed & Baptista Porta Neapolitanus melonis Saracenici sex enumerans species, quintam moschum redolere attestatur. Potestq; odor iste aliusque istiusmodi fructibus artificiosè induci: si quis enim moschum eos olere cupiat, semina vbi in terram proiecta sunt, & germinare primò incipiunt, aqua rosacea, in qua moschi nonnihil sit resolutum, irrigabit, atque humectabit. Galli mosque, & moscadelle rose nuncupant, Italique rosas moscettas ab odore, syluestris quoddam rosæ genus, Damasco Sy-

B riæ, vt creditur, delatum, colore albo, & ventri mouendo cæteris efficacius: *Rosa moscatula.* Bellunensis ab Auicēna nefrin, vel nesrin, vel neserin vocari arbitratur: nesrin, inquit, est rosa odoris acuti, quæ vulgo in Hispania & Barbaria rosa muscata dicitur. *Nefrin.* Cæterùm cùm nesrin Auicennæ calidus sit, & siccus ordine tertio, ex rosarum genere esse minimè poterit. *Nesrin.* Quòd si moschus Plinio fuisset cognitus suspicari liceret hoc genus rosæ ipsi moscheuton nominari, à moschi odore: *Rosa moscheutos.* Quamuis verius sit ita dici, quòd surculos, ac stolones multos edat per terram dispersos, qui μόσχοι dicuntur; vel quod ex taleolis, quæ similiter eodem nomine à Græcis appellantur, feliciter propagetur. Dalechampius in appendice historię plantarum, inter peregrinas, & exoticas plantas arborem quandam cyprum Græcorum appellat, *Cyprus Græcorum.* & ligustrum Latinorum & alkannam, siue Hennem Arabum, nasci ait in Aegypto, ac potissimùm Memphis, Mauros, Turcasque propter florum suorum odoris, qui moscho similis est, suauitatem, summa cura, ac diligentia in vasis colere. *Ligustrum.* Est & aliud arboris genus, quod tristis cognominatur, *Arbor tristis.* propterea, quòd inter omnium arborum flores, qui odorati sunt, ne vnus quidem reperiatur huiusce arboris floribus similis; odore est moschi, qui primo in hortum, in quo colitur, ingressu subinde percipitur, sed vbi quis flores tetigerit quàm ocissimè euanescit,

C atque omninò disperditur. Inter pyra præcocia quædam nobis moscatella vulgò vocantur, quia suauissimum moschi odorem spirant, *Pyra moscatella.* vnum perquam exiguum laurinis baccis paulò maius, alterum maius; vtrumque palato gratissimum. Sunt qui Plinio myrapia vocari existiment quasi vnguentaria; *Myrapia.* Erant enim vnguenta veteribus moschi loco. Neapoli verò vulgò pere moscarelle vocantur, quæ minora sunt, maiora verò moscarellona, hæc Germani moscateller birn appellare videntur, vel saltem ex hoc genere fuerint; exigua enim esse aiunt, turbinata longitudine vnciam paulò excedentia, colore viridi, atque rubro, sapore iucundissimo, atque aromatico. Si pruni surculi in moscho intingantur, & deinde inserantur fructus inde imbui eo odore, doctissimus Costæus tradit, tradente Ioachimo Camerario. *Pruna.* In quibusdam Italiæ locis à consimili cum moscho odore moscatula dicuntur quædam cerasa colore, qui ex nigro rubro, ac viridi mistus videtur, vnde semper immatura apparent, vel maturitati propinqua, duracina etiam nuncupantur. *Cerasa moscatula.* Celeberrima etiam illa vitis est inter arbores, quæ nobilissimum illud, & odore, & sapore, Bacchi donum, vinum inquam, nobis subministrat, quod moscatellum vulgò nuncupamus, sunt qui vinum Tobiæ appellant, *Vinum moscatellum.* omnium, quæ Cyprus profert, referente Stephano Monacho, qui ea de Insula

D scripsit, optimum, ac delicatissimum; Vua cortice constat duro, calloso, perquam carnosa est, & odore suauissimo, succo dulcissimo, nectareo, aurei coloris: Sunt qui non moscatellas, sed muscatellas dici velint quasi muscarias, quòd à muscis summopere impetantur, atque infestentur, ideoque etiam Plinio apianas vocari credunt ab apibus, quæ & ipsæ hisce maximopere delectantur: *Vua muscaria & apiana.* sed apianas lana operit, teste Plinio, nostræ nudæ sunt. Pontanus dum amicos suos in festiuitatem D. Martini inuitaret, inter cætera quæ eis propinabat vina, moscatellum tanquam præstantissimum celebrat, dum ait:

Moscatum mihi mittat hæc & illa.

Si vina, inquit Manardus, suauem, & iucundum non habeant odorem, arte odor infundēdus est, *Lib. 1. epist. 1.* vt si moschum olere cupias rem quandam quæ talem ei odorem inducere possit, imponito, qualis est angelica odorata, atque id genus res aliæ: Plinius quoque author est vina arte reddi odoratissima, odoreque admiranda; Et Paxamus denique sarmenta in aqua, in qua moschus maceratus sit, maceranda præcipit, antequam plantentur, affirmatque vuas producere eiusdem odoris. Inter peregrinos arborum fructus celeberrimus cùm apud medicos, tum apud coquos est, quem nucem myristicam, & moscatam ab odore vocant, *Nux moscata.* quem scilicet in proprio solo dum recens est, egregiè

refert.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

refert. Qui Galeno χρυσοβάλανον, quaſi glandem auream nuncupari coniiciunt, illis potiùs aſ- E
Chryſobalanus. ſenſerim, quàm qui antiquis incognitam fuiſſe clamitant. Teſtatur Monardes in India reperiri
arborem, cuius ligni cortex odore, ſaporeque nucem moſcatam cinnamomumque ſuauitate, pi-
per autem acrimonia ſuperet, ideoque lignum aromaticum iure optimo appellari, vſum eſſe ad
Lignum aromaticum. roborandum potiſſimùm cor, & ventriculum. In Tolu prouincia intra Carthaginem & Nomen
Dei plantam reperiri aſſerunt, quæ liquorem producat ſuauiſſimum odore moſchi, Balſamum
Balſamum Tolutanum. Tolutanum nuncupatum: magni fieri ob innumeras, quæ in eo ſint facultates. Planta exiguo pi-
no ſimilis eſt, valde ramoſa, folijs ſiliquæ perpetuò virentibus. Incolæ liquorem colligentes cor-
ticem arboris tenerrimum auferunt cultro, cochlearibuſque quæ ex nigra cera ibi familiari conſi-
ciunt, excipiunt, & in vaſa recondunt, color ei ruber ad aureum vergens, ſubſtantia inter denſum,
& liquidum media, glutinoſus, & cuique rei facilè adhæreſcens, ſapore eſt dulci, gratoque, quiq;
non vt alia balſamorum genera nauſeam moueat, odor ei ſuauiſſimus, tantuſque, vt ſi in ſecretio-
ri aliquo loco abſcondatur, ſeipſum prodat. Si quis volam manus eo illinat, is non aliter quàm ſi
iaſmino Cataloniæ, quod moſchum ſimiliter redolet, oblitus foret, delicatiſſimo odore fragrabit. F
Peculiaris eius aduerſus articulorum, iuncturarumque vulnera celebratur facultas; non enim ea
tantùm curare, ſed etiam, ne motu priuentur, præſtare traditur. Inter animantia malachia, ſiue
mollia nuncupata recentiores Græcis quoddam μοσχιτὴν à moſchi odore appellari tradunt, ſed &
Itali muſcardinum, & muſcarolum vocitant. Et viuum hoc animal, & mortuum moſchi odorem
Moſcardinus. refert, ideoque inter veſtes à nonnullis retineri ſolet. Venerem, quibus ea conſopita eſt, ciet, non
aliter atque ipſe moſchus, & in vteri ſuffocationibus præſentaneo eſt remedio cùm per ſe in fo-
mentis, tum in peſſis inditus. Veteres ἐλεδωνὴν, βολιταίναν, & ὀζαίναν & ὀσμυλὸν ab odore nuncu-
Eledone. pant. In montibus plumbitij Vmbriæ auis quædam vulgò muſcardo nuncupata capitur. Cæte-
rùm nunquid ita à moſcho dicta fuerit, huc vſque non intellexi, ſuprà nihilominus annotaui mo-
Auis muſcardo. ſchum natiuum auis cuiuſdam excremento adulterari. Eſt in ſerpentum genere biſſa angela vul-
gò nuncupatus ſerpens, ſerpens Aeſculapij creditus, qui non ſolùm moſchum redolet, verùm etiã
Serpens Aeſculapij. loca, in quibus latuit, eodem odore imbuit. Reperitur & in Cypro Cuſſo patria voce dictus ſer-
Cuſſo ſerpens. pens, venenoſus, amplo capite, exoſſe corpore: agnum, capramve integram deuorans, & mox mẽ-
bra ſua arboribus affricans, deuorata excutiens oſſa: moriturum moſchi odore fragrare referunt. G
Non deſunt, qui aſpidem ſurdum vocent, quod altero menſe ſurdus, altero ſit cæcus. In Xanagar-
ra prouincia à viuentibus adhuc crocodilis tam ſuauis relinquitur odor, vt moſchum ſuauitate
ſua ſuperet. Regnum præterea Chinæ animalia generat magnitudine canum, quæ moſchum pro-
ducunt. Incolas aiunt ea occidere, atque ſepelire, ut ſic putrefactorum carnem ſanguinemque in
puluerem redigant, aiuntque & alia in India generari animalia moſchi planè odore, quibuſque
Mus muſcardinus. hic adulteretur. Reperitur & in Italia muris quoddam genus moſcardino uulgò nuncupatum, &
ab auellanis nucibus mus auellanarum, ſiue ut Albertus loquitur, Corilinus. Caudam habet hir-
tam, longiuſculam gliris ferè more. Bina eius obſeruari genera, maius unum, & minus alterum;
maius murium noſtrorum domeſticorum, quos rattos uocamus, magnitudinis eſt, ideoque ſorex
etiam quibuſdam nuncupatum; minus magnitudine minoris muris, idque duplex, unum odore
moſchi, alterum ἄοσμον, ſeu inodorum. De utroque in murium hiſtoria. Sed & communium
murium excrementum moſchum nonnunquam olere Ruellius, alijque profitentur, eoque mo-
Muris excrementum. ſchum adulterari. Eſt denique in leporum genere, qui moſchia appellatur, cuius ueſtigia tanto
Lepus moſchia dictus. ſpirant odore, ut canes, dum ea ueſtigia perſequuntur, in furorem agantur. Vt interim multa præ-
teream muſtelarum genera Iltiſſum, martes, furones, roſſolas atque alia, quorum excrementis H
moſchus adulteratur. Fætent ea primùm, pòſt olent ſuauiſſimè.

VSVS MEDICVS. VSVS ALII.

Nocumenta.

Moſci dignitas. MOSCHVS, inquit Cardanus, omnem rem ad hanc uſque diem cognitam magni-
tudine, & ſuauitate uincit, & exuperat. Et Conſtantinus principalem ei inter aro-
mata dignationem attribuit. De temperamento haud omnes ſimiliter ſtatuunt:
Temperamentum. Auicenna calidum ait, & ſiccum, ſed ſicciorem ait, quam calidiorem ſecundum
quoſdam, & ſubtilium partium. Meſarugie calfacere, & ſiccare ſcribit in ſecundo
gradu: Auerroes calfacere, & ſiccare in fine ſecundi gradus. Alchalahamen calidum ait in ſecun-
do, ſiccum in tertio. Symeon Sethi, Conſtantinus, & Meſaha in tertio calfacere, & ſiccare in-
quiunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A quiunt, & tenuium esse partium. Ex recentioribus Brasauolus calefacere ait, idque insigniter,
& intro sumptum, & si applicetur quoque: Nec non manifestè exsiccare: Siccare quidem eum
etiam colligi: odor enim in sicco, inquit, fundatur, teste Aristotele: Sed nos multas partes humi-
das ab eo non remouemus, & humiditas eius valde crassa est. Sic Brasauolus. Apparet autem *De temperamenta cur*
variare authores in assignatione temperamenti, propterea, quòd diuersimodè corrumpitur, atq; *diuersimode*
vitiatur. Hieronymus Mercurialis agens de natura, & differentia odoris, ostendensque ex eo *sentiatur.*
inconstans haberi iudicium, quia sæpe contingit, vt in re praua odor sit bonus, adducit in exem- *Lib. 1. c. 15.*
plum ipsum moschum: Moschus, inquit, vt nostis, est odoratissimus omnium corporum, verunta- *de composit.*
men existimo ego venenum esse, si vt medicamentum intus capiatur, adductus hac ratione, quo- *med.*
niam moschus, quando nondum est adulteratus, sed syncerus, si naribus apponatur, statim proli-
cit sanguinem; quare si moschus adhiberetur in corpore eo modo, quo dantur alia medicamenta;
sum ego huius sententiæ, quod traheret sanguinem; Neque enim absurdum est, vt aliàs docui ex
Galeno, reperiri medicamenta, quæ sua facultate sanguinem trahunt: quanquam moschum non
B facultate familiari & propria sanguinem prolicere existimo, sed vi quadam insigni, qua pollet in
aperiendo vasa, vel ob tenuitatem, & acrimoniam substantię. Tantum Mercurialis, cui certè ostē-
dendum erat odoris vehementiam tenuitatemque, cùm intra corpus sumptus est moschus, mini-
mè frangi: vehementię enim odoris, tenuitatique eximiæ vis eliciendi sanguinem è naribus attri-
buitur à cæteris. Exigua portio maximæ est efficaciæ, quamobrem parcè admodum medicamen-
tis adijci solet. Non conteritur, sed dissoluitur in aqua rosarum. Dosin eius aliqui quatuor, aut *Dosis.*
quinque ad summum grana faciunt. Constantinus per hyemem senibus potissimùm conuenire
scribit. Vis ei secundum Platearium soluendi, & consumendi. Odore suo aromatico vires, & spiri-
tus omnes corporis corroborat, idque vt ait Symeon Sethi momento propter partium eius tenui-
tatem, quæ tametsi illico penetret, durat tamen, inquit, diutius, nec tam citò dissoluitur, quàm
alij odores. Teste eodem imbecillas particulas confirmat, plerique etiam spiritus instaurare
asserunt, & ob id compositionibus multis analepticis misceri: Et quidē Aetius medicamento pur- *Lib. 12. cap.*
ganti ex hermodactylis moschum addit, restaurandi nimirum causa particulas vi pharmacorum *46.*
debilitatas. Sed & illis qui lipothymian, hoc est, animi deliquium patiuntur, quique vires reso-
lutas habent, idem Symeon vtilem esse profitetur. Et Auerroes contra quamuis syncopen esse re-
C medio ait. Platearius inquit, contra syncopen, & totius corporis debilitatem, siue ea sit vel vitio
capitis, vel hepatis; & contra stomachi dolorem ex frigiditate moschum simpliciter ex vino præ-
beri quinque ad summum granorum pondere. Cæterùm non solùm potus cor, & reliqua visce-
ra roborat, verùm etiam extrà adhibitus, vt Aben Mesuai docet. Auicenna, & Auerrhoes cordis
robur, & lætitiam promouere asserunt, insigni ad hoc ipsum facultate. Cæterùm Symeon facere
quidem, ait, ad cardiacos; ipsum enim cor confirmare, & corroborare, sed pallore corpus inficere.
Addit Auicenna tremorem etiam cordis sanare, cerebrum item temperatum roborare. Iuuat &
caput frigidum, sed lædit calidum: calefacit cerebrum, & desiccat, idemque corroborat cùm fiunt
sternutationes cum eo vt Atabari, & Mesarugie scribunt; Et vt Constantinus ait, sternutationes
de eodem paralysi sunt remedio. Apud Auicennam legimus caputpurgium ex moscho, cum cro-
co, & pauca camphora remedium esse sodæ frigidæ, idest, capitis dolori, moschumque etiam per
se propter vim resoluendi, confirmandique. Mesarugie verò hoc non simpliciter de soda, sed de
veteri tradit, quam nimia comitetur humiditas. Medetur item corporis stupefactioni, & surdita-
ti. Melancholiam abigit, timoremque melancholicum pellit, & animosos facit, vt Constantinus
D ait. Idem necnon etiam Auicenna miscent collyrijs, & aridis medicamentis ocularibus; absterge-
re enim aiunt albuginem subtilem, & noxium humorem desiccare, & roborare oculos. Authore
Rhasi opitulatur nauseæ, & appetitum restituit. Crassos præterea intestinorum flatus resoluit, te-
ste Auerrhoe, & contra suffocationem ex utero subuenit. Vt menses educantur, & conceptus fri-
gida causa impeditus promoueatur, Platearius moschum cum tryphera magna supponi asserit:
pessum etiam factum ex styrace calamita, ambra, & moscho non parum ualere. Idem etiam præ-
stare suppositam lanam Xylinam oleo muscelino madentem, in quo resolutus fuerit moschus;
Esse in eodem moscho humiditatem quandam uulgò fertur, qua coitum excitet, ideoque coli il-
lini, mirificèque mulieres in uenerem proritare, quam ob causam nonnulli diasatyrio nuncupato
medicamento moschum adijciunt. Auicenna agens de napello, & eius cura moschum scribit esse *4. can. fen. 6.*
theriacam omnium uenenorum, & propriè napelli; Et rursus in libro de uiribus cordis tractat. 2. *tc. de napello.*
cap. 3. moschus, inquit, est nubiliorum theriaca contra napellum, & genera eius, & cornu spicæ & *Lib. 3. de ve-*
reprimitur caliditas eius cum caphura, & siccitas cum oleis humidis, sicut cum oleo uiolaceo, & *nen. cap. 2.*
rosaceo. Cornu spicæ Santes Ardoynus prout ex authorum mentibus potuit intelligere, fructus *Cornu spicæ*
est, seu additamentum quoddam nascens in quadam specie spicæ horribilis odoris. Tempore pe- *quid.*

stilentiæ

ſtilentiæ pleriq; recentiores medici, quorũ de peſte ſcripta extant, pilas præſcribere ſolent odore moſchi imbutas, quę cùm diuerſimodè ex diuerſis alijs rebus odoratis componantur, pro cuiuſlibet arbitrio, lectorem ad eorum ſcripta remittam. Aetius ſuffumigio moſchato ſcrupulos quatuor moſchi admiſcet, ſequentibuſque aliquot alijs ſuffumigijs, & regijs, & in Eccleſia receptis, vt Nicolaus Myrepſus quoque in capite de ſuffimentis. Sed ex Aetio vnum adſcribam è capite ſequenti.

Lib. 16. cap. 133.

Suffumigiũ regium.

Suffumigij regij confectio; ſtyracis calamitæ libram vnam, ligni aloes vncias ſex, ambræ vnciam vnam, moſchi ſcrupulos quatuor, miſce. Alij ligni aloes vncias quatuor cæteris admiſcent, adduntque ſucci roſarum quod ſufficit. Huic ſimile eſt ſuffimentum Nicolai Myrepſi numero tertium, quod ad ſyncopen, & imbecillitatem cordis inſcribitur. Et aliptæ moſchitæ compoſitio hodieque in vſu: item galliæ moſchatæ apud Meſuen inter trochiſcos: vbi & galliæ alephanginæ, & ſebelliæ, & magnæ ſiue regali moſchum admiſcet. Harum compoſitiones aliquot etiam Serapio præſcribit, & Auicenna. Aquis odoriferis, quæ in chymiſtarum fornacibus, aut balneo Mariæ, vt vocant, parari ſolent, vt aquæ roſaceæ ſimplici pro ditioribus nonnihil moſchi, ſimiliumque quidam adijciunt &c. Iſtiuſmodi aliquot egregios liquores deſcribit Andreas Furnerius libri gallicè editi de humanæ naturæ decoratione parte ſecunda, quæ eſt de ornatu muliebri, & ſmegmatis, ſiue ſaponis moſchati compoſitionem docet, & oleorum quorundam moſchatorum. Sed & Baptiſta Porta iſtiuſmodi ſmegmatis compoſitionem docet in hæc verba:

Lib. 11. Magiæ natur. cap. 7.

Smegma moſcatum.

Adeps hircinus purgetur hoc modo. Bulliat lixiuium in aheno ſuper ignem cum corticibus citreorum, in eo adeps elixetur per horam, excola per linteum in frigidam, & purgabitur. Lixiuium fiat ex cinere cerri duab. partibus, calcis una, aluminis catini dimidia, miſce, & ligneum catinum reple, infrà ſint duo foramina, paleis operta, adhibe aquam, vt tribus digitis ſupereminéat, & per inferiora excoletur foramina, exceptam aquam denuò adde; & idem opus repetas, ſic ter, quater donec ſalſilaginem recipiat aqua: has omnes ſeparatim adſeruato, & primæ ſecundam, & tertiam tantiſper adde, donec in ea recens ouum ſupernatet: nam ſi ſubſidet, & peſſum ibit, lenta erit, tunc de prima adde, ſi ſupernatat, & extremam ſuperficiem aquæ æquabit, adde de ſecunda, & tertia, donec deſcendat, vt vix ſuprema eius ſuperficies appareat. Vicenę huius aquæ libræ ferueant aheno, addes adipis duas, mox excolabis in conchas lati fundi, & æſtiuo ſoli expone, quotidiè ſæpiſſimè remiſcendo. Vbi indurnerit ex ea paſtillos effinge, & ſeruato, odores ita addendo. Smegmatis libras binas in labellum, inde roſacea aqua remiſcendo lignea rude, vt tenereſcat, vbi quieſcendo indurnerit, nouam aquam affunde, & ſoli appone, idque denis diebus facies, mox cape moſchi ſemidrachmam, zibetti minus, cinnamomi tantundem optimè contuſi, & remiſceto, & ſi roſę puluerem addideris, iucundius halat. Poſt nares conſule, ſi ſegniùs halat, odores adde, ſi acutiùs, ſaponem. Docet idem Porta quo vaſe commodiùs artificioque, & opere è moſcho, ambra, & zibetto pretioſiſſimum oleum extrahatur: nam adeo ſunt tenuiſſimæ ſubſtantiæ vt vix tantillum caloris ſuſtinere poſſint, quin totam molem fœdiſſimo, teterrimoque combuſtionis nidore inficiant. Monachi in Meſuen moſchum, galliam, & ſimilia decoqui non debere monent cum alijs medicamentis, ſed cum exigua parte decocti miſceri, & ſic reliquis affundi. Aliqui moſchum in lana xylina ponunt in aliquo vaſe, & colo infuſam decoctionem paulatim ſic per lanam tranſmittunt, vt ijdem tradunt, ſed neque conteri debere aiunt, verùm in liquore roſaceo, alioue ſolutum cæteris medicamentis miſceri, vel alia quadam artificioſa ratione.

Lib. 16. cap. 116.

Vnguenta moſcata.

Aetius præterea vnguenta quædam, & olea moſchata, id eſt, moſchum odoramentum recipiẽtia deſcribit, & orbiculos rotundos odoratos, qui & alia quædam odorata, & moſchum accipiunt, parare docet, ac eoſdem acu perforatos traiecto funiculo collo necti ſcribit. Iſtiuſmodi orbiculi (vulgus perfumos vocat) hodieque apud hos inter mulierum ornamenta haud poſtremum locum obtinent, apparetque inde inuentos eſſe, quoniam moſchi odor vt præcitauimus, ad venerem quàm maximè inuitat, quare in maximo quoque luxu eſt vſus, circa veſtes eiuſdem odore imbuendas eorum, qui vel amant, vel aliter molles, & delicatuli ſunt, vel ſuas oſtentare opes volunt, vel vt aerem inſalubrem, aut fœtidum caueant, vel ſuos denique animæ aut aliunde graues halitus emendent. Placet ex eodem in tragematis oris commendatio. Muſcardinas vulgò vocant pharmacopolæ ſaccharum aqua roſacea moſchata irrigatũ, & in minutorũ ſeminũ formam criſpa ſuperficie redactum. Fiunt autem præcipuè ad oris, & halitus cõmendationem. Ipſe autem etiam moſchus ad virus axillarum, hircum vocari diximus, illinitur, & diligenter fricatur. Sunt tamen, vt matronæ Venetæ quibus ille odor diſplicet, imò verò quibuſdam mulieribus moſchi odor vteri pręfocationem affert, additque Braſſauolus, quibuſdam ita ingratum eſſe, vt inde capitis dolorem, aut etiam morbum attonitum incurrant.

Lib. 16. cap. 13. & 14.

Olaus Magnus author eſt, Suecos cætera erga peregrinos valdè humanos eſſe, odiſſe tamen hoſpites, qui graues odores, vt moſchum, zibettum, & ſimiles ſecum in veſtibus, aut farcinis deferunt, quia fœminæ, inquit, abortiunt eo odore hauſto, & ob tales odores peregrinos incolis ſuſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A suspecti fiunt, ne sint proditores regni, vnde non rarò vnguentis, & odoribus delibutos viatores præcipuè Russos, Moschos, atque Danos à rusticis Suecis tanquam virus olentes, fustibus cædi contingit, quia displicet ille odor.

DE CAPRA SIVE HIRCO Bezaartico. Cap. XXI.

ETSI Andreas Bellunensis, (vt citat Nicolaus Monardes) in libro, quem de lapidibus inscripsit ex Tipthasi Arabe profiteatur, lapidem bezaar nuncupatum metallicum esse, eademque ratione ex suis erui venis, qua reliqui solent lapides, adamantes, rubini, smaragdi achates, eiusdemque sententiæ, referente eodem, sit Serapio cùm de hoc lapide verba faciens ait; *Vena huius lapidis reperitur in Syria, India, & orientalibus regionibus* (latinus mei Serapionis textus ex interpretatione Nicolai Mutonii medici Mediolanensis, nulla facta venæ mentione, simpliciter habet, *inuenitur maximè in Syria, India, & oriente*) erroneam tamen eam esse opinionem, animalia quædam Indorum venatorum diligentia capta, è quibus extrahi hoc lapidis genus dicitur, manifestò experimento euincere tradunt, de quorum tamen forma non satis clarè, nec eodem modo omnes referunt. Arabes, vt idem Monardes annotauit, in ceruis eum nasci crediderũt, sed secus se rem habere asserit; etenim testimonio eorum, qui ex illa regione, vbi bezaarticum animal reperitur, rediere animal conspexere, constare cerui esse magnitudine, eiusdemque quodammodo forma, binis duntaxat cornibus præditum, latis & in extremo mucronatis, atq; in dorsum valde recuruis: pilis breuibus cineracei coloris, cui tamen immixta sit ruffedo, in ijsdem tamen montibus aliorum etiam co[...]rum reperiri. Indos vel telis vel retibus, vel decipulis illa uenari, & mactare; ea autem adeo ferocia esse, vt interdum Indos ipsos etiam occidant, agilia præterea, & ad saltum prona esse: in antris uiuere, gregatim ire, uocem gemebundam edere, ipsos uerò Indos diligentes in eorum esse uenatione ob ingens lucrum, quo Lusitani mercatores illic negotiantes, lapides redimunt. Dum hæc scriberet, C animal quoddam iuisse uisum, in quo omnes enumeratæ notæ elucerent. Id ex remotis regionibus per Africam generoso archidiacono Nebiensi delatum, inquit, fuerat magnitudine cerui, ceruino item capite, & ore, agile instar cerui, pilis, coloreque eiusdem, sed corporis forma capram referens: nam magno hirco simile erat, hircinisque pedibus, cornibus item binis in dorsum reflexis in extremo contortis, ut hircina uiderentur, cætera ceruum referebat. Illud autem ualde, inquit, admirandum fuit, quòd ex turri se præcipitans, in cornua caderet sine ulla corporis læsione, aut noxa, perinde subsaltans, atq; resiliens, ut pila solet uento repleta. Vescitur herbis, leguminibus, pane, omnibusque, qui præbentur, cibis. Animal est robustum, ferreaque catena uincitur, omnes alios funes erodendo perfringens. Idem Monardes in libello, quem priuatim de hoc lapide, & scorzonera herba euulgauit, cùm accepisse se ab illis dixisset, qui ex orientali India redierant, Sinarumque regionem superarant, in India supra Gangem certis montibus Sinarum regioni uicinis, animulia ceruis ualde similia reperiri, tum magnitudine, tum agilitate, alijsque notis, exceptis quibusdam, quibus cum capris magis conueniant, ut cornibus, quæ ueluti capræ in dorsum reflexa habent, & corporis forma, unde nomen illis inditum sit caprarum montanarum, subdit, D commodius ceruocapras uocari posse, propter partes, quas cum utrisque communes obtinent. Quæ res me aliquãdo mouit, ut hoc animal Græcis τραγέλαφον uocari existimarim, sed cùm rem diligentius examinarem, differre inuicem facilè animaduerti. Garzias ab horto hoc bezaarticum animal hirci etiam genus esse testatur, & Persica lingua pasan appellari, ruffi aut alterius esse coloris (aitque ruffum, & prægrande Goæ se uidisse) mediocri altitudine. Acosta denique animalia inquit esse hirco ferè similia, arietis prægrandis magnitudine, colore ruffo, agilia, acutissimi auditus, & à Persis pasan nuncupari. Clusius in notis suis ad Garziam cornu huius, ut putat, animantis integrum expressit, cæterum hoc rotundum, non latum, quale Monardes ei tribuit, est, nigri coloris, incuruum, inferna, & crassiore parte, qua capiti adhæserat, cauum (qua nota, quotannis non decidere, coniecturam faciebat) foris inæquale, multis tuberculis obsitum instar ferè cornu ceruini, superna parte leuius, & in obtusum mucronem desinens. (Et talia planè etiam cornua habet animal hoc loco expressum, & mihi pro genuina bezaartica capra missum, quòd & alius eruditus credidit, qui & istiusmodi appinctum cornu capræ bezoarticæ affirmabat.) Nascitur hoc animal non solùm in Persia Corasone, Indiaque orientali & nonnullis Malacæ locis, & in insula, quæ à uaccis nomen sumpsit, haud procul à promontorio Comorim, uerùm etiam in India

Bezuar an fossilis.

Bezuar ex quibus animantibus extrahatur.

Ceruicapræ.

occi-

occidentali, referente Petro de Oſma in epiſtola ad Monardem, ut citat Acoſta: & Fragoſus in ſua rapſodia refert Aluarum Mendez D. Iacobi Commendatorem ſibi affirmaſse, proprijs ſeſe manibus in Arabia ex capris quibuſdam hunc lapidem extraxiſse, atque hęc paucula ſunt, quæ de hoc animali obſeruaui, nunc de lapide dicamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6



DE LAPIDE BEZOAR.
Caput XXII.
SYNONYMA. ETYMOLOGIA.

De hoc lapide, sicut & de ipso animali nulla quod equidem nouerim apud Latinos & Græcos mentio extat. Arabibus eum debemus, & quibusdam neotericis, vnde horum tantummodo authoritate vtemur. Arabes itaque hager bezahar, Persæ, atque Indi bazar, officinæ lapidem bezaar nuncupant. Cæterùm sunt, qui pazar rectius vocandum esse volunt, propterea quod animal ipsum, ex quo habetur, *Pazar.* *Belzoar.* Arabibus, Persis, & Corosinæ incolis pazan vocetur: suntque qui ab eximia aduersus venena facultate nomen ipsum deriuantes belzoar, nō bezaar, vel pazar pronunciandum esse volunt, quasi lapidem dicas venenis dominantem, cum sit bel apud Hebræos dominus, zaar verò venenum. Vtcunque est cætera medicamenta alexiteria, siue venenis resistentia hinc bezaartica vulgò nuncupantur, belzaartica fortasse rectius nuncupanda. Quamobrem cùm istiusmodi remedia Græcis vocentur, vel alexiteria, vel alexipharmaca, lapis quoque iste non abs re, λίθος ἀλεξιφάρμακος *Lapis theriacalis.* nuncupabitur, latinè lapis liberans à venenis, seu lapis theriacalis.

ORTVS.

Lib. 18 c. 9.

DE ortu huius lapidis nõ omnes vno eodemq; modo referunt. Andream enim Bellunenſem, haud rectè metallicum eſſe voluiſſe ſuprà indicatum eſt, reueraque ex hirci quodam genere ceruo non abſimili haberi. Cæterùm de generationis in hoc animante modo, quaq; in corporis parte generetur, alij aliter ſentiunt. Monardes teſtatur Arabum eſſe ſentẽtiam ceruos (quòd ſcribit Plinius) ſpeluncas, in quibus obuerſantur ſerpentes, inquirere, halituq; elicere, atq; deuorare, vel vt ab ægritudine ſeſe liberẽt, vel vt reiuueneſcant, ijs autem deuoratis bezaarticum lapidem hac ratione generari, ſaturos ſcilicet feſtinanter ad loca aquoſa accurrere, totoſq; ſe aquę immergere, vt eius frigiditate ingẽs ille calor, quẽ ex deuoratis ſerpentibus concepere, temperetur, ibiq; nihil bibendo perſenerare, donec tandem calor ipſe euanuerit: quo tẽpore, dum illic diutius hærent, lapidem in angulis oculorũ generari, qui exinde egreſſis in medicum vſum colligatur. Se verò ab illis, qui ex orientali India redierant, quiq; Sinarum regionem ſuperarant, huius rei veritatem diligenter ſciſcitatum eſſe, eamque ſe habere ſic: In India ſupra Gangen, certis montibus Sinarũ regioni vicinis ceruicapras (quas ſuprà diximus) eadem quidem agere, quæ Plinius de ceruis ſcripſit. Cæterùm aqua egreſſas, multas inſignium facultatũ herbas per arua depaſcere, quas naturali inſtinctu venenis reſiſtere agnoſcũt, eaq; ratione naturalis caloris beneficio ex veneno ab illis deuorato, & depaſtis herbis virtute quadam ſpecifica infuſa generationis tẽpore in internis ipſius animantis partibus, & alijs cauitatibus magnos, paruoſq; iſtiuſmodi lapides generare, inter alia medicamẽta venenis aduerſantia nobis hactenus cognita, maximæ admirationis, & efficaciæ. Iã verò partes in quibus generatur pretioſiſſimus iſte lapis, alij alias recenſent. Garzias in ventriculo naſci tradit: Acoſta item: Sed Fragoſus in ſua rapſodia teſtatur Aluarum Mendez Commendatorẽ D. Iacobi ſibi affirmaſſe ex autopſia, quod ſæpe viderit in Arabia ex quarundam caprarum renibus extrahi, nec aliter in earum renibus naſci, quàm calculi ſolent in humanis renibus. Rabbi verò Moyſes Aegyptius, natione tamen Hiſpanus medicus peritiſſimus in opere, quod de venenis conſcripſit aſſerit, referente Monarde, hunc lapidem in fellis veſica procreari, quod rationi valde conſonum ipſe putat, quandoquidem in multorum aliorum animãtium felle lapides generari videmus. Ipſe verò interim Monardes etiam teſtatur ex interioribus inteſtinis, alijſque cauis corporis partibus educi; primum verò horum lapidum obſeruatorem ſibi ſignificaſſe, obſeruaſſe ſe gigni eos in receptaculo quodam faſciæ modo confecto, & villoſa carne conſtante duorum palmorum longitudine, & trium ferè vnciarum latitudine ipſi ventriculo parti interiore adhærente, alios alijs maiores, & quodam ordine diſpoſitos vti nodos veſtem anteriore parte claudentes.

In qua parte generetur.

Tractatu 1. cap. 4.

FORMA. ADVLTERATIO.

Bezuaris prærogatiua.

OBSERVANDVM non omnes lapides, qui paſſim pro bezaarticis oſtenduntur, ſynceros eſſe, ac genuinos: imò verò pauciſſimos ad nos genuinos adferri, vel inde affirmari poterit, quòd tãta apud indigenas eorum eſt æſtimatio, vt vulgò dicere ſoleant: Licet Deus omnia in hominũ vtilitatẽ procrearit, hos tamẽ in principum duntaxat, & nobili ſtemmate genitorũ vſum generauerit. Teſtatur Acoſta ſe vnũ ſe aliquando lapidem habuiſſe, qui in Luſitaniã delatus ſexaginta quatuor Luſitanicis (ij Vngaricis æqnipollent) venerit, cùm tamen aliquanto pluris in India emptus fuiſſet. Sed & Garzias teſtatur omnes nunc ad eius regionis, in qua generantur, regẽ deferri, nec ſine maxima difficultate, & ſumptibus obtineri. Ad hæc Monardes tam multos adulterinos inueniri affirmat, vt de centum vix denos legitimos ſit inuenire: Et Cluſius denique in notis ad Garziam ſcribit aliquando venales haberi Vlyſſipone alia, atque alia forma, eoſque licet magno æſtiment mercatores, ea tamen conditione vendere nolle, vt periculum vti legitimi ſit, faciat emptor. Neq; nouum eſt, aut noſtræ ætatis inuentum huius generis lapides adulterare, nam & Serapio author eſt ſuis tẽporibus deprehenſos fuiſſe adulterinos: eius verba ſunt: *Iſtorum lapidum nullam facultatem aduerſus venena obtinent, vt legitimi*. Vtiliſſimum itaque Chriſtianæ Reipublicæ fuerit ſigna docere, quibus genuini ab adulterinis dignoſcantur. Mauritani, teſte Garzia, hoſce empturi vel vendituri lapides ſpiritu inflant: Si aer permeet, adulterini indicium eſſe aiunt: Cluſius verò in ſuis ſcholijs periculũ ſynceritatis hoc modo fieri tradit: Ducitur cum aqua filum per toxicum (herba baleſtra vocant) deinde per canis, aut alterius animalculi pedem tranſmittitur acus, atque filum relinquitur in vulnere.

Genuinum rariſſimè haberi.

Adulterati vt à genuinis diſtinguantur.

Canis

A Canis illico ea symptomata incipit habere, quæ comitari solent eos, qui toxicum biberunt. Cùm
planè concidit canis, atq; desperatus videtur, tũ puluerem ab eo lapide abrasum, & aqua dilutum
cani in os inijciunt. Si auxilium senserit canis, legitimi probatio est; Sin minus, adulterinum cen-
sent. Potest verò etiam adulterium cognosci in fracto lapide, id quod fusiùs docet Monardes his
verbis: Omnes legitimi ex laminis, seu corticibus inuicẽ amplectentibus, miroq; artificio compo-
sitis perinde, ac cæparum bulbi constant, suntq; istæ laminæ adeo læues, & splendentes, vt singulę
magna ex parte expolitæ videantur, imò sublata exteriori lamina, quæ subest multo splendidior
conspiciatur, ex qua nota legitimus esse deprehenditur. Cuius notæ periculũ facere volens, in eo
inquit, quem possideo, illi externam laminam ademi, & proximè subsequentem splendidiorẽ esse
animaduerti: Sunt verò istæ laminæ, vel crassiores, vel tenuiores secundum lapidum magnitudi-
nem. Tener est lapis iste, & alabastri instar radi potest, atq; si diutius in aqua hæserit, dissoluitur.
Internè neq; cor habet, neq; corpus, supra quod cõpositus sit, sed concauus, & plenus puluere eius-
dem cum lapide substantiæ, maiorisq; etiam quàm ille efficaciæ. Itaq; primaria, & præcipuè no-
ta est lapidem esse legitimum, si eum puluerem contineat, quia adulterini eo carent. Duabus ita-
B que dictis notis legitimus ab adulterini dinoscitur, si videlicet læuibus, atq; expolitis laminis cõ-
stet, puluerémq; internè contineat, quia adulterini neutrum habent. Nam quendam confringi vi-
di ad obseruandum an legitimus esset, sed in centro repertum granum, aut semen quoddam, su-
pra quod Indus impostor lapidem formarat. Addit deniq; Guidonem de Lauaretis, qui vniuer-
sum orbem circumiuit, & in Sinarum regione versatus est, sibi retulisse Indos reperiri, qui ex mas- *Quomodo adulterentur.*
sa quadam ipsis tantùm cognita adulterinos conficerent; Verùm binas illas notas imitari nun-
quam potuisse laminas, & puluerem. Huc vsque Monardes. Inuenire tamen etiam in multorum
est meditullio aliquid herbæ siccæ simile, aut velut paleolam quandam, supra quam lapidem in
ventriculo efformari Garzias, tum ex ipsa autopsia se didicisse, & à viris fide dignis accepisse, om-
nesque qui in Persia generantur simili modo supra paleolam efformari attestatur, & talem deni-
que Carolus Clusius depingit. Obseruandum itidem magnam esse horum natiuorum lapidum *Natiuorum diuersitas.*
diuersitatem, alij enim alijs solidiores sunt, alij pluribus, alij paucioribus tunicis vestiti. Alij vs-
que ad centrum continui; In quorundam meditullio, vt dictum est ceu puluis quidam, in alijs
quid vel paleæ, vel siccæ herbæ simile continetur. Forma alijs rotunda, vti auellanæ, alijs oblon-
C gior instar ossiculorum dactylorum, alijs non absimilis ouo columbarum. Vnum se habuisse
tradit Monardes, qui hœdi renem perfectè referebat, alij triangulares sunt, alij vna parte sessiles,
altera gibbi ad instar castanearum. Omnes autem vtraque parte obtusi, nulli mucronati, vt
idem Monardes testatur. Plurimi ex viridi nigricant, nonnullis color obscurior est, alij dilu-
tiùs virent, aliqui etiam flauescunt, alij spadicei sunt, fuluescunt alij: plerique etiam colore sunt
(inquit idem Monardes) felini, hoc est, vt ipse exponit, venis illis præditi, quibus distincti feles
algaliam (Ciuettam interpretatur Clusius, idest, zibettum) excernentes saturi scilicet cineracei.
Rhasis scribit lapidem bezaar, quem ipse vidit, vergisse ad citrinitatem, & albedinem vini splen-
dore. Alij alijs rursus leuiores sunt, licet eiusdem magnitudinis; sunt qui dimidiam tantùm
drachmam, sunt qui drachmas aliquot, imò duodecim, quindecimve pendant, quales se vidisse
profitetur Acosta, esseque qui adhuc maiores reperiri testentur. Ternos eiusmodi lapides se
habere tradit Clusius in scholijs ad Monarden, oui ferè passerini magnitudine, qui dimidiam
circiter drachmam pendebant. Franciscum verò Drake alios adseruasse, qui binas, aut plures
drachmas penderent. Cùm verò Londino Antuerpiam redijsset, longè maiores à clarissimo vi-
D ro Benedicto Ariomontano amicis missos videre sibi contigisse. Accepisse enim Abrahamum
Ortelium, qui quinque propemodum drachmas pendebat: Plantinum uerò binos, alterum renis
uerueeini forma, & propemodum magnitudine, non eum quidem integrum, sed extrema parte
confractum, & laminarum situm ostendentem, atque in meditullio veluti festucæ fragmen-
tum continentem, qui unciæ unius cum semisse, cum integer erat, pondere, inquit, fuisse po-
tuit: Alterum compressa (qua parte uentriculo hæsit) forma, sensim deinde in tuber assurgen-
te è multis etiam laminis, seu tunicis cùm crassioribus, tum tenuioribus contextum, duas uncias
cum drachmis duabus, & semisse pendentem. Postremò Dominum Ludouicum Peresium
unum habuisse columellæ duas uncias longæ forma, uncialis cum semisse, aut maioris ponde-
ris, eoque maiorem priùs accepisse oui gallinacei, inquit, ut referebant magnitudine. Cùm
autem genuini omnes in summo habeantur pretio, alij tamen alijs pretiosiores, atq; efficaciores
habentur. Occidentalibus orientales longè præferuntur, & ex his magni, qui rariores sunt, ab
earum regionum illustribus uiris expetuntur: quò enim sunt maiores, eò maioris esse facul- *Pretiosiores qui.*
tatis sibi persuadent, ut testatur Garzias, addens uenatores ibi adeò esse peritos, atque exerci-
tatos, ut quænam animalia maiores lapides continent, solo possint iudicare intuitu, uulgòq; ferri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ea animalia in quorum ventriculis maiores lapides latent, minus mobilia, agiliaque eſſe, ſed len- E
ta, ſubtriſtiaque apparere. Idem author eſt Mauritanos ita dexteros eſſe, vt facilè qua in regione
nati ſint ſinguli lapides, diſcernere, & dijudicare poſſint. Cæterum etiam notandum exiſtit in
ſelectiſſimis hiſce lapidibus, vt ex animalibus eximantur, quæ in locis montanis degunt: nam
qui ex ijs habentur, quæ degunt in planis, planè inefficaces ſunt, & nullius in medicina vſus, pro-
pterea quod, vt inquit Monardes, non nutriuntur ſalutiferis illis herbis, è quarum ſucco rumina-
tione concreto generantur.

VSVS IN MEDICINA.

MIRVM lectori eſſe non debet, ſi in tanto lapis hic habeatur pretio, cùm ſint præ-
ſtantiſſimæ eius facultates, & in medicina vſus. Commendatur autem præ cæ-
teris tam ab Arabibus, quàm à neotericis Latinis aduerſus omne genus veneni, F
omniumque virulentorum animantium morſus, atque ictus: nam vt Serapio tra-
dit radicem, & malignam veneni cuiuſcunq; qualitatis quantitatem corporibus

Venena, & morſus, & ictus venenoſos curat.

impreſſam extinguit, prorſusque tollit. Propinat autem in pollinem redactum addens tamen
ijſdem pollere viribus ſiue ſorbeatur, ſiue ore retineatur: ſumptum enim ſudorem prouocare, &
venenum ad exteriores corporis partes expellere: addit inſuper ſi quis nudæ corporis particulæ
applicatum geſtet, nec à veneno, nec à pernicioſa alia re offendi, quoniam propria, inquit, facul-
tate quouis modo corpori applicatus veneni vim arcet, & eo infectos ſanat, id non modò in illis
præſtare, qui venenum hauſerunt, ſed quibus etiam vel in ſtapede, veſte, epiſtola, aut quauis alia
re, poſitum fuerit. Puluerem eiuſdem morſibus, & ictibus pernicioſorum animantium inſper-
ſum valde efficacem eſſe: nam veneni malignitatem tollere: adeoque commẽdari, vt etiamſi vul-
nera ab eiuſmodi feris inflicta putreſcere, & corrumpi incipiant, ea nihilominus ſanet: ipſis etiam
feris iniectum torpidas reddere, & vires eis adimere, ſique parti, qua nocere ſolent, imponatur,
etiamſi vulnera infligant, non eſse pernicioſa: id in ſcorpionibus experiẽtia eſse probatum, eorum
enim ictus parte, qua pungunt, illo puluere conſperſa, innoxios reddi. Viperas item ſimileſque G

Animantia venenata occidit.

alias peſtilentes feras, ſi inijciantur aliquot huius lapidis grana, cum aliquo liquore, illico interi-
re, Auicenna quamuis de hoc lapide nihil peculiariter ſcripſerit, cap. 4. ſecundi Canonis de medi-
camentis agẽs quę propria facultate venenis reſiſtũt, theriacã, & lapidẽ bezaar in exemplum pro-
ducit, deinde vtrumque inter ea recenſet, quæ ſanitatem conſeruant, & ſpirituum efficaciam, vt
venenum à ſe propellere poſſint, Et Rhaſis in ſuo Continente teſtatur ſe admirabiles facultates in
hoc lapide obſeruaſse aduerſus omnis generis venena, quas in alijs alexipharmacis non repererit
ſiue ſimplicibus, ſiue compoſitis. Idem in libris ad Almanſorem in uenenis, quæ cor offendunt,
& tota ſubſtantia noxia ſunt, inanem ait eſse curam, niſi lapis bezaar ſumatur; hunc enim reſiſtere-
re, & addit ſe obſeruaſse napelli ueneno, quod omnium, inquit, maximè pernicioſum eſt, reſiſtere.
Auenzoar quoque medicus Mauritanus, in ſuo Theyſer ſcribit quendam iam deploratum ob ualı-
de noxium uenenum deuoratum ſeſe liberaſse propinatis tribus granis huius lapidis ex aqua cu-
curbitæ. Petrus de Abano Conciliator nuncupatus tractatu de uenenis cap. 81. aſserit ab omni le-
thali morbo ſecurum eſse, quiſquis hũc lapidem geſtauerit, inſuper Eduardum Anglię regem la-
pide iſto liberatum fuiſse à uenenoſo, lethalique uulnere, quod Sultanus acinace, ſiue gladio Per-
ſico, toxico illito illi inflixerat in acie apud Acaronem ciuitatem tranſmarina aduerſus Mahume- H
tanos expeditione: nam cùm iam morti eſset uicinus propinatum illi fuiſse lapidem bezaar à Tẽ-
plariorum ſummo præfecto. Teſtatur etiam Monardes, cùm ad quendam Licentiatum, qui im-

Exempla facultatis contra venena.

prudens aliquid uenenoſum ſumpſerat, ideoque grauiſſima pateretur ſymptomata, ut breui mo-
riturus uideretur, tribus tantum huius lapidis granis propinatis tam breui temporis ſpacio, quo
ſymbolum Apoſtolorum uix ter poſset recitari, tantum profeciſse, ut manifeſtè iam ſymptoma-
ta mitigarentur, adeò ut non ſolùm ſub noctem meliùs ſe haberet, uerùm etiam mortis periculum
euaderet, poſtridiè verò planè ſanus eſset, Eodem Licẽtiato ad uenationem cum nobili uiro pro-
fecto, cùm unus ex famulis aquã ex lacuna ſtagnãte ualde corrupta, & uenenoſis animalibus ple-
na bibiſset, indeque ita afflictaretur, ut loco ſe mouere nequiret, intumeſcẽte aluo, & reliquo cor-
pore, magniſq; anguſtijs premeretur, & animi deliquijs, ut trãſuerſim equo impoſitus in proximũ
pagũ uehendus eſset, ex puluere lapidis bezaar ita conualuit, ut poſtridie cum hero ſuo proficiſ-
ſci poſset. Narrat deniq; puellã quandã cũ uenenoſum quidpiã ediſset, & ex eo in grauiſſima in-
cidiſset ſymptomata, qualia inducere ſolent uenena, & nulla prodeſsent remedia, ſolius lapidis
huius uſu ſubinde cõualuiſse. Iã verò quiſpiã arbitretur hãc facultatẽ lapidis aduerſus venena In-

dis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A dis fuiſſe incognitã, propterea quòd Garzias ſcribit eos exẽplo noſtrorũ medicorũ hoc lapide ad-
uerſus deleteriæ facultatis medicamẽta vti, quod tamen mihi à vero alienum eſſe videtur, nam &
Amatus Luſitanus ſcribit centur. 3. cura 73. & 74. regẽ Cochin inter reliqua pretioſa dona maxi-
mi muneris loco lapidem bezaar nuce auellana paulo maiorem regi Luſitaniæ miſiſſe, poſteaque
plures inde allatos conſpectis maximis curis, quas Indi cum eo lapide agebant. Sed & ipſe Gar-
zias incolas Ormutz, & Coraſonæ tradit non ſolum aduerſus peſtiferarum ferarum ictus vſurpa-
re, ſed etiam aduerſus omnes melancholicos morbos; ſe itaque eo quoque vti in inueteratis me-
lancholicis morbis, veluti, inquit, in mala ſcabie, lepra, pruriginibus, impetiginibuſque: qua item
ratione quartanis conuenire poſſe arbitratur. Monardes verò etiam non ſolum miros ait effectus *Melancholicos*
præbere in melancholicis humoribus, ſiue vniuerſum corpus, ſiue peculiarem eius duntaxat par- *affectus curat.*
tem, vt caput occupent, verùm etiam in elephantiaſi, ſcabie, prurigine, eryſipelate, & reliquis cutis
vitijs præſens adferre remedium, & ad ea ſananda peculiarem facultatem habere: ſeque quarta-
na laborantibus dediſſe, & licet febrem, inquit, non tollat, eius tamen aufert ſymptomata, animi
B mærores, anxietates, & cordis affectus, quæ in iſtis febribus vulgaria ſunt. Teſtaturque Carolum
Quintum Imperatorem in hunc effectum ſæpe cepiſſe, alioſque plurimos, qui ſine manifeſta cau-
ſa triſtes ſunt, & anxij: triſtitiam enim adimere, & alacres reddere, qui eo vtuntur: multos etiam
ſe anxios, & animi deliquio afflictos, melancholicoſque vidiſſe, qui ſumptis huius lapidis tribus
granis ex aqua bugloſſi, ſine difficultate liberati ſint. Quanta verò eius in ſyncope ſit efficacia no- *Syncopem*
bilis cuiuſdam puellę exemplo demonſtrat, quæ cùm multo tempore animi deliquijs afflicta fuiſ- *curat.*
ſet, &, licet magni nominis medici medicamenta illi præſcripſiſſent, tales ſyncopes interdum pa-
teretur, vt decem, aut duodecim horas durarent, eaſque ſingulis penè diebus, & iam adeo debilis
eſſet, vt multo tempore lectulo non ſurrexiſſet, tandem ex lapidis huius vſu integrè conualuit, nec
amplius in ſyncopen incidit. Propinari autem debere ait in ipſo paroxyſmo, aut paulò antè ma-
nè ieiuno ventriculo ex aqua roſacea, ſi adſit febris, ſi abſit ex aqua florum mali aureæ, in puluerẽ
tritum ad pondus quatuor granorum ſingulis vicibus: ſeſe denique obſeruaſſe in mulieribus præ-
ſentius afferre remedium quàm in viris. In peſtilentibus febribus ſæpius, inquit idem Monardes, *Febres pe-*
exhibui, & ſanè earum virus extinxit, cuius rei primariam in ſimilibus morbis curam medicus hã- *ſtilentes.*
bere debet: nam licet putrefactio prohibeatur, niſi extinguatur virus, inutilis erit cura, nam iſtud
C eſt, quod hominem iugulat. Amatus Luſitanus quoque præcitato loco ad epidemicas febres ſa-
nandas lapidis bezaar tria grana ex aqua ad eum morbum accommoda proprinari ſcribit: vene-
ni enim malignitatem in ſimilibus febribus inde extingui, ideoque remedium eſſe præſtantiſſi-
mum. Rurſus Monardes refert nobilem quendam cùm omnes fæmuli maligna febre correpti eſ-
ſent, lapidem bezaar in aquæ pleno cantharo maceraviſſe, ægroſque ex ea bibere iuſſiſſe, moxque
à morte eſſe liberatos. Hanc ob cauſam multos in aqua quam bibere debent aſſiduè, hũc lapidem
tenere, dum ægri ſunt, ad tollendã febris malignitatẽ, & cor corroborandum, nec deeſſe qui peſtis
tempore lapidis fragmentũ in ore geſtent, vel cùm à veneno aut venenoſa materia ſibi metuunt:
nulla verò in re magis manifeſtam eius apparere efficaciam, quàm in peſte, idque expertum eſſe
in Germania. Nam cùm ibi peſtis valde graſſaretur, quotquot lapidem bezaar ſumpſerant plu-
rimum inde vtilitatis accepiſſe: cùmque in Xenodochio quodam duobus peſte correptis propina-
tus eſſet lapis, alijs minimè, qui ſumpſerunt, liberatos fuiſſe, alios omnes extinctos. Sed & inſi-
gnis eſſe efficaciæ in febre in qua ſtigmata rubra culicum morſus inſtar per cutem ſparſa apparẽt.
D Idem teſtatur Garzias, inquiens ſe ægris exanthematibus hiſce laborãtibus per ſingulos dies pul-
uerem lapidis bezaar ex aqua roſacea propinare ad vnum, aut alterum granum, magno ſucceſſu.
In vertigine præterea & obſtructionibus apprimè vtilem eſſe hunc lapidem hac ratione deprehẽ- *Vertiginem*
ſum eſſe refert idem Monardes: Monacha quædam animi deliquia, & obſtructiones patiebatur, *curat.*
ſumpto lapide ad curandam ſyncopen ſimul ab obſtructionibus libera euaſit, menſeſque qui diu
obſtructi fuerant, copiosè fluxerunt. Datur, eodem teſte, & infantibus epilepticis cum lacte ſi *Epilepſiam.*
adhuc lactent; ſin minùs, ſine lacte: in natu maioribus ſimiliter laborantibus cum magna etiam
vtilitate exhibetur per ſe, aut alijs rebus ad eum morbum commodis permiſtis. Aduerſus lumbri- *Lumbricos.*
cos, & ventris tineas felici ſucceſſu propinatur, vixque, inquit, credibile eſt quantum proſit; datur
autem vel ſolus, vel cum iſtiuſmodi puluere. Accipe herbæ lumbricorum drachmas duas, ſeminis
ſantonici drachmam vnam, cornu cerui vſti, ſeminis portulacæ, & Carlinę, & lapidis bezaar dimi-
midiam drachmam, reducantur omnia in tenuiſſimum puluerem, & probè miſceantur: miras fa-
cultates obtinet iſte puluis, experimentoque probatum eſt, multis profuiſſe; datur manè ieiuno
ventriculo ea quantitate, quæ medico commoda videtur pro ætate eius, qui ſumere debet: Dua-
bus horis pòſt aluus clyſtere confecto ex ſaccharo, & lacte eluitur. Teſtatur præterea Andreas
Lacuna ait lapide bezaar lapidem è renibus eijci, & à pollinem ex vino propinatum calculum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

vesica comminuere; poſtremò Monardes moris eſſe tradit in occidentali India, vt bis quotannis corpus purgent præſertim nobiliores, atque purgato iam corpore quotidie ieiuno ventriculo quatuor huius lapidis grana ex ſtillatitio roſarum liquore, aut alia ad eam rem accommoda aqua aſſumant. Hoc potu iuuentam ſibi conſeruari perſuadere, membraque omnia roborari, atq; à morbis præſeruari. Idem affirmat Garzias, ſed in ſingulas doſes ab incolis Ormuz, & Coroſonæ decē grana accipi ait, ſolereque interdum nonnullos ad triginta vſque grana ſumere, nimis ſanè magna, inquit, quantitate, nam etſi nullas noxias facultates in ſe contineat hic lapis tutiorem tamen eius exiguam quantitatem putat, aitque paruā etiam quantitate exhiberi ſolere in Ormuz, nec ſine periculo liberaliùs ſumi. Addit Acoſta, eſse qui hoc puluere vtuntur ſingulis quindecim diebus, exiſtimantes eo medicamento partes corporis vitales, generationiſque membra roborari.

C[illegible]culum [illegible] it.

DE

DE SVHAK SCYTHARVM. Caput XXIII.

IN Scythia latissimis campis animal quoddam reperiri scribit Ioachimus Came-
rarius Norimbergensis reipublicæ archiater in symbolis, siue emblematibus, quæ
quadrupedib. desumũtur, paucis, vt opinatur, adhuc cognitũ Suhak (forte Snhak)
ab incolis dictum, syluestri capræ simile, quod, vt à fide dignis viris accepit (qui
etiam verã eius iconem illi communicarunt) quotannis ad fines Podoliæ vsq; ad-
uentare solet, miræ pernicitatis, nec minoris ferocitatis, cornibus præditum striatis albicantibus,
pelludis, acutis & validis, qualia apud quendã amicũ suũ ibi ostendantur. Pingit tamen sine cor-
B nibus, vt hic quoq; icone ab ipso mutuata. Hoc se quasi ductorẽ prębet capreolorũ gregib., ipsisq;
præire solet acerrimo visu simul & auditu prẹditũ, quare longè lateq; circumspiciens, & omnia ob-
seruãs facilè hominũ persequentiũ insidias è longinquo deprehẽdit, & comitib. sibilo acuto signũ
dat fugæ, ut in loca tutiora se recipiant. Qui typus profectò est pulcherrimus principis, vt idẽ Ca- *Principis vigilantis typus.*
merarius ait, soliciti, ac solertis, rectorisq; uigilantis, quẽ Homerus ideo ποιμένα λαῶν. i. pastorem
populorũ uocat, & Chrysanthas apud Xenophontẽ ait, quòd nullũ sit discrimẽ inter bonũ princi- *Lib. 8. pæd.*
pem, & patrem bonũ. Quidam attribuũt huius symboli inscriptionem Adriano Imperatori Rom. *Cyri.*
qui etiam in frequenti senatu, ut Dion memorat, publicè hæc uerba protulit: *Ita imperium admi-
nistrabo, vt sciam non mearum rerum, sed subditorum curą me affici debere.* Sic legum quasi colo-
phon; Clausula hæc additur: SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO. Ipse uerò Came-
rarius animali ipso ita depicto, ut capreolis præcurrat, ad eosque respiciat, pulcherrimum confecit
symbolum, seu emblema, cum lemmate: NON MIHI, SED POPVLO.

Rex bonus est pastor populi, tutorque, paterque,
Nec sua, sed populi commoda sola cupit.

C

DE ORYGE. CAP. XXIIII.

TRIA animantium genera orygis nomine apud Græcos celebrari reperio, aquati- *Lib. 3. geograph.*
le unum, terrestria duo. Aquatilis mentio est apud Strabonem de Turditaniæ co-
pia agentem: Ostrea, inquit, & conchylia, omnia & multitudine, & amplitudine ,, *Oryx aquaticus.*
omni ex parte exterius mare superat, pręcipuè cùm fluxus, ac refluxus hic augean- ,,
tur, qui causa, ut par est, magnitudinis ac multitudinis propter enudationes (διὰ ,,
τὴν γυμνασίαν) existunt. Eundem se habet in modum circa cetaria genera oryges, phalænas, &
physiteras, quibus reflantibus nebulosæ cuiusdam columnæ uisio longè cernentibus offertur &c.
Hermolaus in castigationibus in Plinium, quibusdam hic apud Strabonem oryges uocari mari-
nas orcas ait. Dixi terrestrium orygum duo esse genera, id quod facili modo ex Plinio, & Op-
piano comprobari potest: Ille enim orygem ex caprarum genere esse scribit, quæ, ut ostensum est,
sua natura timidæ sunt, cùm Oppianus suo & sæuitiam, & audaciam eam tribuat, ut ferocissimis *Oryx Oppiani.*
D belluis sesè opponat pugnando: adhæc Plinij, & Aristotelis oryx unicornis est: Oppianus uerò bi-
na suo tribuere uidetur, quamobrem primùm de oryge unicorni dicam, mox orygem Oppiani *Theo.*
subnexurus. Hic hebraicè theo dici uidetur, seu potiùs tho, ut in Deuteron. cap. 14. ubi inter cibos
puros numeratur, & Esaię cap. 51. quamuis Dauid kimhi bouem ferum interpretetur, forte quòd
uideret Chaldaicam translationem pro tho habere turcbalah voce, vt apparet, à tor vel tora, quæ
taurum Hebræis significat, detorta. Septuaginta interpretes apud Esaiam uidentur legisse tho-
red, vertunt enim betam semicoctam. Sed ne diutius quis in quærenda ratione, causaque græcæ
declarationis laboret, is primò consideret tho in Deuteronomio, cum alijs animalibus puris enu-
merari, deinde audiat Hieronymum, qui in 4. & 10. Commentariorum super Esaiam, vbi hunc
locum explicat, ita scribit: *Pro beta semicocta reliqui interpretes orygem captum, & illaqueatum
transtulerunt, qui hebraicè appellatur tho, quod genus bestiæ nascentis in eremo inter munda ani-* *Lib. 2. q. 30.*
*malia in Deuteronomio ponitur. Pro quo Septuaginta Syra lingua opinati sunt thored, quæ dicitur
beta.* Tantum Hieronymus. Ita legendum esse scribit I. Drusius in quæstionibus suis, ac respon-
sionibus non thoreth, vt habent, inquit, libri editi, etiam manuscriptus, quo vtor. Ex hac nota
emaculandus Nicolaus apud quem oryx animal immundum, siue ille ita scripserit, siue, quod ve-
rius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

rius puto, vt eſt corruptrix librorum typographia, operæ malè excuderint. Apud Græcos potiſſimùm Grammaticos etiam ὄρυγξ ſcribitur, ſed melius ὄρυξ dici videtur, nam in obliquis quoque γ ſimplex apud Orum, Plutarchum, & Oppianum, videturque dici ὄρυξ παρὰ τοῦ ὀρύττειν, ſiue ὀρύσσειν, quod eſt fodere; aiunt enim vt poſtmodum apparebit, ad ortum accedente luna prioribus pedibus terram effodere, & aliàs ὄρυξ, ſiue ὄρυγξ Heſychio, & Varino genus eſt ſcaphij (quo nomine genus inſtrumenti foſſorij battillo ſimilis, ἀπὸ τοῦ σκάπτειν dicti, intelligitur) & Vitruuius teſtudines, quæ ad fodiendum comparantur ὄρυγες græcè dici teſtatur. Vbi Philander ſcholiaſtes: ſuffoſſuri, inquit, turres, aut mœnia vrbis vtebantur teſtudine fronte triquetra, vt miſſa tela, dum in angulo conſiſtere non poſſunt, per latera laberentur, & reijcerentur: In ea machinatione comparati erant ad fodiendum homines, vnde nomen accepit; Nam ὀρύσσω fodio ſignificat.

Orynx. Oryx vnde dictus.

Lib. 10. cap. 21.

Forma. Lib. 11. cap. 46. Lib. 2. hiſt. cap. 1. 3. de part. cap. 2.

Vnicorne animal cur ſolipes potius quàm biſulcum.

Quod attinet ad formam ipſius animantis, Plinius cùm dixiſſet cornigera ferè eſſe biſulca, ſolida vngula & bicorne nullum, ſubdit: *vnicorne aſinum tantùm eſſe Indicum, vnicorne, & biſulcam orygem*, ex Ariſtotele, cuius hæc ſunt: *Quæ cornua gerunt, biſulca magna ex parte per naturam ſunt, vt bos, ceruus, capra: quod autem ſolipes, & bicorne ſit, nullum eſt, quod nos adhuc norimus: At ſolipes, idemque vnicorne eſt, quamquam rarum, vt aſinus Indicus, ille enim & vnicornis, & ſolipes eſt; vnicornis verò, idemque biſulcus oryx eſt.* Idem Ariſtoteles (quod neutiquam ſilentio prætereundum eſt) nos aliàs, quid cum de ſolipede, tum de biſido vnicorni ſtatuere debeamus, commonefecit, inquiens: *Solipes potiùs quā biſulcum eſſe vnicorne rectè videri poteſt. Vngula enim tam ſolida, quàm biſulca, eandem naturam habet quàm cornu itaq; iiſdem ſimul & vngulam findi, & cornu congruum eſt, ſiſſio etiam vngulæ, & cornu ex defectu naturæ euenit. Itaque cùm exuperantiam vngulæ ſolipedum natura dediſſet, rectè dempſit supernè, fecitque vnicorne.* Tradit item Geſnerus ſe intellexiſſe in Tranſyluania capram ſyluestrem vnicornem reperiri, ſed aliud prætereà certi nihil ſe habere. Plinius quidem caprarum ſylueſtrium generis orygem facit, his verbis: *Caprarum ſylueſtrium generis ſunt & oryges, ſoli quibuſdam dicti contrario pilo veſtiri, & ad caput verſo*. Sed quod ad pilum attinet, legimus itidem tauro Aethiopico (alij quàm rhinoceroti) pilum in contrarium verti.

Taurus Aethiopicus. Lib. 10. cap. 73.

Alibi idem Plinius aliam peculiarem orygi notam, ſed internam aſcribit: *Orygem*, inquit, *perpetuò ſitientem Africa generat ex natura loci, potu carentem mirabili modo ad remedia: Namque Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in eorum corpore ſaluberrimis liquoris hauſtu veſicis.* Vbi meliores codices legunt ſic: *Orygem perpetuò ſitientia Africæ generant, & natura obſcuri loci potu carentem, & mirabili modo ad remedia ſitientium*, &c.

Alberti error.

Albertus, & alij quidam obſcuri authores, non intellecto Plinio liquorem illum adipſum ridiculè in veſica eius ineſſe putant, cùm Plinius multitudinis numero veſicis dixerit. Idem Albertus orygem capreæ ſimilem eſſe, inquit, magnitudine hirci, barbatum ſub mento, in eremo verſari, & facilè decipi laqueo; in eremo autem verſari D. Hieronymus etiam dixit. Ego quid certi de forma orygis nihil habeo: In omnium ferè muſæis cornua oſtenduntur atra, in extremo admodum mucronata arcuata pro ætate animantis longitudine variantia, & numero nodorum, & craſſitie; duorum enim quæ ego in meo ſeruo muſæo, alterum longitudine eſt quatuor dodrantum, & nodos, ſiue extuberantias habet viginti ſex, quo capiti annectitur ea craſſitudine, vt facilè ouum gallinaceum capiat: alterum ad tres dodrantes vix accedens, multoque exilius, viginti nodos oſtendit: vtrumque concauum quo vſque nodoſæ extuberantiæ ſe extendunt, cætera plenum. Maioris hic icon exprimitur, additurque alterius ab Antonio Gigante haud ignobili poeta mihi communicati, eiuſdem quidem longitudinis, & ſplendoris, ſed ſine nodis. Cæterùm orygiſne ſint cornua, quod magis credo; an aſini Indici, vt nonnulli aſſerunt, necdum compertum habeo. Ioannes Aemilianus in hiſtoria de ruminantibus ſcribit Herodotum dixiſſe orygem eſſe animal capræ ſimile, vnicorne & biſulcum. Verùm Herodoti verba ſunt hæc: *Apud paſtorales Afros præter alias feras naſcuntur oryes* (legendum oryges) τῶν κατὰ (Geſnerus legit τῶν καὶ τὰ) κέρεα τοῖσι φοίνιξιν οἱ πήχεες ποιοῦνται, μέγεθος δὲ τὸ θηρίον τοῦτο κατὰ βοῦν ἐστι. Hoc eſt interprete eodē Geſnero: *ex quorū cornib. cubiti fiūt inſtrumētis muſicis, quæ phœnices vocant; eſt autē hoc animal ea magnitudine, qua bos.*

Syntag. 4. Lib. 4.

Quæ interpretatio Vallæ interpretationi præferēda eſt, qui ridiculo certè ſenſu trāſtulit: *Quib. vlnales palmæ pro cornibus ſiūt*, acſi ex orygum capite aliquid ad inſtar phœnicis, ſiue palmæ vlnæ longitudine enaſceretur. Nec placet Henrici Stephani marginalis annotatio iſthæc: *ad quarum cornua Phœnices cubitos menſuras faciunt*, ideſt, inquit, *Phœnices ſuas menſuras dictas cubitos illarum cornibus magnitudine faciunt pares*: Phœnices enim muſicis inſtrumentis annumerat Pollux lib. 4. cap. 19. his verbis: Φοῖνιξ, σπάδιξ & λυροφοίνικιον, inſtrumenta ſunt muſica κρουόμενα, hoc eſt quorum fides digitis pulſantur vt cithara, chelys, & πῆχυς, vt Grammatici interpretantur, brachium eſt citharæ, ſic dicta eius pars à cubiti ſimilitudine. Quæ figura deſcriptis à me cornibus non malè quadrat, & vt magis in mea ſententia perſeuerem, etiam facit Strabo ſcribens Aethiopes, qui Silli appellantur

Vallæ error.

Phœnix muſicum inſtrumentum.

Lib. 16.

bellum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A



B

C

bellum gerere cum Struthophagis orygum cornibus pro armis vtentes: sunt enim huiusmodi cornua durissima, egregiè mucronata, & perquam longa, quæque cùm sint admodum caua ligneis pilis optimè præfigi possint. Sed & Lampridius de comment. Cæs. sic ait; *Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, vt elephantum conto transfigeret, & orygis cornu vasto transmitteret*. Aegyptij per hoc animal pictum aut sculptum, mathematicum hominem, inquit Pierius, hieroglyphicè intelligebant: siquidem cùm sothen astrum illud suum, quod nos caniculam appellamus, magno cultu prosequerentur, deque die quo præcipuè oriretur soliciti admodum essent, animaduerterunt orygem syderis eius ortum sentire, atque etiam clamore edito significare, quasi vel ortum nunciet, vel salutare iubeat. Sed enim eo tempore, quo astrum illud oritur, aiunt capras omnes quotquot Aegyptus habet, conuersas ad ortum prospectare, peractamque ita reuolutionem cum

D fide fieri exploratam: consentireque in id mathematicorum supputationes. Quin etiam vt non-nulli alij tradunt oryx stat contrà contueturque stellam, ac veluti numen adesse sentiat, procumbit adorabundus: quare primas illi partes in huiusmodi significato tribuere, cùm sympathia tam insignis cum eo sydere animal moueret, & ea viderent ab eo deprehensa, quæ longa mortalium studia non nisi multarum ætatum successu, & obseruationibus per manus traditis consequi potuere, cæli motu præsertim assiduè variante, quadamque veluti trepidatione vacillante. Huc vsque Pierius ex Plinio vt apparet, vbi sic ait: *Orygem appellat Aegyptus feram, quam in exortu caniculæ contra stare, & contueri tradit, ac velut adorare cùm sternuerit*. Atqui Afri vt tradit Plutarchus in libro nimirum, vtra animalium &c. Aegyptios ob hoc rident, fabularique eos asserunt, quod orygem quo die, horaque canicula oritur, vocem edere nugentur, ipsorum quippe capras quoties cum sole eodem planè loco stella hæc oritur, in ortum omnes conuersas eo respicere, atque hoc syderis eius reuolutionum argumentum certissimum esse, cumq; decretis astronomicis prorsus congruere. Eadem apud Aelianum, licet paulò aliter, leguntur, quare etiam adscribam: *Aegypty*, inquit, *dicunt orygem caniculæ exortum cognoscere: Libyci confidenter, & fortiter asserunt suum caprinum pecus similiter eiusdem stellæ exortum præscire, itemque pluuias præsentire*. Albertus orygem scribit

Mathematici typus.

bit exoriente cane mirabiliter exultare, quaſi tunc conualeſcat; quam Alberti ſententiam περι-φραςικῶς, ſine tamen authore, ſic explicat author libri de natura rerum; cùm oritur canicula, oryx naturaliter tripudiare videtur, corpore ſcilicet eius manifeſtò percipiente imbrem, & frigus præterijſſe, & inſtare vapores ignei ſolis, vt veſtiatur terra floribus, herbaſque proferat, & fructus: eſt enim nimium, & frigoris impatiens. Eidem Aegyptij impurum, vt inquit Orus interprete partim Gillio, partim Mercero, ſceleſtumque notantes animum, orygem pingunt, quoniam ad ortum accedente luna intentis inde iam oculis ſuſpiciens vociferatur, idque illius odio, non amore eum facere ex eo liquet, quod prioribus pedibus terrã effodit, & ſuas ipſius pupillas humi velut pingens defigit (ζωγραφεῖ ἑαυτῦ τὰς κόρας: Gillius pro his verbis reddit, caput occultat; ſed videndum monet Geſnerus, num pro ζωγραφεῖ, legendum ſit aliud verbum, vt ἐγκρύπτει, aut ἐπισκιάζει, aut ſimile) quaſi indignabundus, inuituſque Deæ ortum aſpiciens, idem quoque in exortu Dei ſolis, inquam, efficit: (ſequentia tanquam obſcura Gillius omiſit) quapropter antiqui reges cùm ſibi ſortem nunciaret horarum obſeruator, huic inſidentes animali per medium ipſum velut gnomones quoſdam, ortus rationem, ac tempus accuratè, certèque cognoſcebant. (græca ſunt, Διόπερ οἱ ἀρχαῖοι βασιλεῖς, τῦ ὡροσκόπυ σημαίνοντος αὐτοῖς τὴν ἀνατολὴν, ἐπικαθίσαντες (Geſnerus legit ἐπιςήσαντες, ideſt animum, & conſiderationem conuertentes ad hoc animal) τῦτῳ ζώῳ, διὰ μέσυ αὐτῦ ὡς τίνων γνωμόνων τὴν τῆς ἀνατολῆς ἀκρίβειαν ἐγνώρισον) vnde & ſacerdotes ſolam hanc inter volucres non ſignatam comedunt: (τῦτο μόνον τῶν πτηνῶν ἀσφράγιςον ἐσθίκσιν: legendum potiùs κτηνῶν: κτηνὴ enim dicuntur quadrupedes omnes, quæ ad cibũ mactantur, impropriè verò etiam aliæ, quamquam nonnulli κτηνὴ, & θηρία ſic diſtinguunt, vt illa fera, hæc manſueta ſint, teſte Varino,) quod quandam ſimultatem cum Dea habere videatur: Etenim quemcunque in deſerto locum aquis ſcatentem nactus fuerit, poſteaquam biberit, labris turbat, lutumque aquæ commiſcet, ac pedibus in eam puluerem conijcit, idque vt nulli alij animanti aqua ſit ad potum idonea. Et ſanè cùm Dea omnia, quæ toto orbe ſunt vtilia, gignat, augeat, & vegetet, ingratus, & impius in eam oryx videri debet. Hactenus Orus. Legimus itidem apud Aelianum apud Aegyptios, qui Serapidem colunt ex eo orygem malè odiſſe, quòd ad ſolis ortum conuerſus, ſicut, inquit, Aegyptij ferunt, aluum deijciat. Sed vt ad ſirium reuertamur, habet oryx & id temperaturæ cum eo, quòd velut ſitim ſemper affert mortalibus, vt Maro dixit, ægris oryx aſſiduam, imò perpetuam ſitim perfert, & ex natura loci potu omninò caret. Quare virum perpetuo ſitientem, imò dixerim, ego, inquit Pierius, maximè ſobrium per huius animalis effigiem ſignificabant. quin & remedia ſitientibus ex eo comparabant liquore quodam in eius corpore hauſtus ſaluberrimi reperto. Meminere orygis etiam Columella, & Martialis, cæterum num eiuſdem, haud ſatis ſcio: ſiquidem hic ſæuum eum nuncupat, & in certamine cum canibus, niſi numero haud exiguo ſuperari poſſe innuens, inquit:

Animi impuri typus.

Lib. 10. cap. 28.

Aegyptij cur orygem oderint.

Sitientis ſemper typus.

Lib. 13.

Matutinarum non vltima pręda ferarum
Sæuus oryx conſtat qui mihi morte canum.

Lib. 9. c. 1.

Columella verò cum cæteris, quæ ad cultrum aluntur in leporarijs orygem enumerans mitis potius quam ſæuæ naturæ animal intelligere videtur: *Ferę pecudes*, inquit, *vt capreoli, damęque nec minus orygum, ceruorumque genera, & aprorum modò lautitijs, & voluptatibus dominorum ſeruiunt, modò quæſtui, & reditibus*; & aliquanto pòſt: *Nec verò patiendus eſt oryx, aut aper aliuſvè quis ferus vltra quadrimatum ſeneſcere; nam vſque ad hoc tempus cupiunt incrementa, poſtea maceſcunt ſenectute, quare dum viridis ætas pulchritudinem corporis conſeruat, ęre mutandi ſunt.* Domitius in præcitato Martialis loco orygem ridiculè pro hiſtrice exponit, nec cætera etiam in poeta aſſecutus eſt, ſiquidem feras matutinas interpretatur, quæ manè capiuntur, cùm ſpectacula intelligat poeta matutina; ſolebant enim manè, vt Seneca ſcribit, ſpectacula ferarum exhiberi: *Manè*, inquit, *leonibus, & vrſis homines, meridie ſpectatoribus ſuis obijciuntur, interfectores interfectis iubebant obijci, & victorem in aliam retinebant cędem.* Et alibi: *nam multa exempla in ludo beſtiario, quam in ducibus belli ciuilis oſtendam, cùm adueheretur nuper inter cuſtodias, quidã ad matutinũ ſpectaculũ.*

Domitij error.

DE ORYGE OPPIANI. CAP. XXV.

Lib. 2. de venat.

Oryx Oppiani vt ab oryge aliorum differat.

ORYGEM ab Oppiano memoratum, deſcriptumque à Plinij, Ariſtoteliſque oryge diuerſum mihi videri ſuprà præmonui, quod Plinius caprarum ſylueſtrium generis orygem faciat: Oppianus verò tum magnitudine, tum animo valere eum innuat, minimè enim timidum eum delineat, vt reliqua caprarum ferarum genera ſunt, ſed fortiſſimis etiam feris ſe opponentem. Cornua etiam Oppianus quot ſunt orygi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A orygi, etsi non expresserit, videtur tamen sentire non vnum, sed duo ei cornua esse, quoniam se-
mel, atque iterum orygem in singulari numero nominans de cornibus eius in multitudinis nu-
mero loquitur, vt πήξας τε παρὰ χθονὶ πικρὰ βέλεμνα, quamuis ibidem orygis κερόεντα μέτω-
πα dicit, cùm μέτωπον vnum esse, nemine dubitante, constet, per licentiam poeticam. In corni-
bus verò, quoniam dubitari potest, si vnicũ habere sensisset, omninò id exprimere oportebat, quod
cùm non faciat, cornua nec plura, nec pauciora, quàm in cornutis animalibus; quæ omnes noue-
runt, ei tribuisse videri potest. Oryx, inquit, interprete Gillio, in syluis versatur feris infestissimus:
colore est lacteo, excepto ore nigro (solis in facie nigricantibus genis, παρειαῖς, metaphreno, siue *Orygis Oppiani natura & forma.*
dorso post caput gemino, idest amplo, crasso & præpingui) Cornibus excelsis (in sublime rigenti-
bus) nigris acutissimis ea duritie, & soliditate, vt æs etiam, ferrum, & saxum superent. Græcè
sic habet:

Ὀξεῖαι κεράων δὲ μετήοροι ἀντέλλουσιν
Αἰχμαὶ, πευκεδαναὶ, μελανόχροον εἶδος ἔχουσαι
B Καὶ χαλκοῦ θηκτοῖο, σιδήρου τε κρυεροῖο,
Πέτρου τ᾽ ὀκρυόεντος ἀφειότεραι πεφύκασιν,
Ἰσοφόροι, κενεοῖς δὲ φύσιν κεράεσσι λέγουσι.

Quæ postrema verba sunt obscura, & haud scio an aliquid desit, videtur enim dicere voluisse poe-
ta, inquit Gesnerus, cætera quadrupedum cornua caua, & inania, orygis plena & solida esse, vt
cerui etiam, & rhinocerotis, quæ similiter eandem ob causam æquè durissima, validissimaq; sunt:
Cæterùm animo oryx immani, & crudeli est, neque enim canis latratum timet, neque apri effer-
uescentem feritatem, neque tauri mugitum refugit, neque pantherarum tristem vocem, neque ip- *Audacia.*
sius leonis vehementem rugitum horret, neq; item hominum robore mouetur, ac sæpe robustum
venatorem occidit. Cùm autem vel aprum, vel leonẽ, vel vrsum videt, statim inclinatis cornibus
in terram caput confirmat, ac inuadentis impetum manet, atque interficit. Inclinato enim capite
obliquè quodammodo, & cornu protenso sic illo in se ruentem feram excipit, vt peritus aliquis
venator diuaricatis cruribus, leonem venabulo. Facilè autem in ferarum pectora, cornua orygis
(ineptè hæc Gillius) illabuntur, unde illis statim cruentæ suum sanguinem manantem lambunt,
C (interdum inter se pugnant: hæc in græco codice excuso nõ leguntur, quare Gillius, aut malè uer-
tit, aut uerba quædam legit in nostris exemplaribus desiderata, sed benè omnia quadrare uiden-
tur, etiamsi non ad orygum inter se pugnam, sed orygis, & alterius feræ, ut leonis, aut ursi referas)
neque ubi semel pugna incepta est, datur fugere. Alterum necesse est uincere, aut mortuum iace-
re; sic Gillius, cùm græcè nihil tale habeatur, sed ita solùm, ut hic subijcitur: Perimunt autem se
inuicem mutuis cædibus: Sic strata cadauera amborum sæpe agrestes homines, pastores, aut ara-
tores magna cum admiratione reperiunt. Hactenus Oppianus: qui & alibi rhinocerotem non
multum oryge maiorem esse scribit, cùm alij rhinocerotem elephanto ferè parem esse dicant. Et
alibi à lyncibus oryges infestari scribit, nimirum maioribus, quod non pugnat cum ijs, quæ pau-
lò antè recitauimus, nempe leones pantheras, aliasque feras eum non refugere, quamuis enim nõ
fugiat, mutua tamen, ut dictum est cæde pereunt. Ambrosius Paræus Chirurgus regius ex Cos-
mographia Theueti in mari rubro, secundum Arabiam nauigantibus apparere scribit insulam *Tom. 1. lib.*
Cademotham Arabibus dictam, in cuius ea regione, quam Plata flumen alluit, sit fera barbaris *5. cap. 5.*
incolis pyrrassouppi dicta mulo magnitudine par, capite non absimili, ursinis uelut pilis uestita,
sed haud adeo obscuris, uerùm ad flauum inclinantibus, bisulcis ut ceruus pedibus, duo procera *Pyrrassouppi.*
D capite, sed minimè arborea gestet cornua, unicornium cornibus illis famatissimis affinia. Indige-
nas enim bestiæ, aut piscis uenenati dente demorsos, aqua epota, in qua sex, uel septem dies eius-
modi cornua demersa, aut infusa fuerint, statim leuari, & conualescere. Descripti animantis ico-
nem hanc exhibet. Quærendum nunquid ad Oppiani orygem referri hoc animal possit. Cęterùm
& in India quadricornes oryges reperiri Aelianus testatum reliquit, si rectè transtulit Gilius; sic
enim legimus: tygres domitas, cicures pantheras, & oryges quadricornes ad suum regem Indi *Oryges quadricornes.*
adferunt, sed forsitan in India tantùm eiusmodi sunt, fierique potest, ut numero, magnitudineq;
secundum regiones cornua differant.

DE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

DE CAPRA AVRIBVS DEMISSIS. Caput XXVI.

ARISTOTELES in Syria capras esse scribit auribus mensura palmari, & dodrantali, ac nonnullas demissis ita, vt spectent ad terram: ex quo postremo genere fortè fuerit, cuius hic exprimitur imago, Indicæ tamen capræ nomine mihi missa, & mambrinæ Syriacæ, lana seu pilis, facieque, & cornibus ouem potiùs, quàm capram referre videtur, color albus est. *Lib. 8 hist. cap. 28.*

DE CERVO. CAP. XXVII.

ORDINIS RATIO.

CAPRIS feris rectà ratione annectetur ceruus, pernicissimis quippe animantibus animal pernicissimum, & cui similiter in velocitate pedum salutē natura collocauit: vnde est, quòd vtrorumq; venatio, ac potissimū cerui, etsi apprimè ardua, multisq; obnoxia difficultatibus, præ cæteris commendetur. Equidē Plato (referente Plutarcho) in legib. prohibuit, aut potius voto hoc petijt, ne marinam venationem adolescentes vnquam amarent: nulla. n. roboris, inquit, exercitatio, nulla sapientiæ meditatio, neq; quicquā ad vires, celeritatemvè conducens, agilitatemq;, inest in certaminibus, quę aduersus labraces, congros, aut scaros suscipiuntur. At in terrestri venatione ferocia animalia congredientiū exercēt audaciā, & fortitudinē: versuta, insidiantium calliditatem, velocia robur, & laborum tolerantiam apud insequentes. Atq; hæc bona venationi accepta ferūtur: piscatio nulla re est vtilis: Neq; sanè Deorum quisquam dignum se congricidæ putauit, cùm lycoctonos voluerit dici Apollo; aut mullicida; cùm sit elaphebolos Diana: ille à lupis, hæc à ceruis occidēdis. Quid uerò miri hoc? cùm etiam homini aprū duntaxat, ceruū, capram, leporem capere honestius sit, quàm emere: Thynnum, carabum, amiam obsonari, quàm capere, magis decorum: Omnino enim piscatio propterea turpis, nullo studio digna, illiberalis credita est, quòd nihil habet ingeniosum, nullas machinas, nullam uersutiam usurpet. Tantum Plutarchus. Xenophon uerò in eo libro, quē cynegeticon inscripsit, tradit ueteres heroas apud Chironem ab ineunte ętate istiusmodi uenationibus operam dare consueuisse, multaq; inde honesta didicisse, eorū censens exemplo uenationis disciplinam nobilibus, & heroici generis iuuenibus haud quaquā negligendā, quibus id per corporis robur, & ætatē liceret: Siquidē hoc exercitio reb. gerendis strenuos cuadere, doceriq; simul καλῶς νοεῖν, καὶ λέγειν, καὶ πράττειν, ut eiusdē Xenophontis, & uerbis, & sententia utar. Fuisse autē hunc morem antiquissimū, quòd regij adolescentuli in uenatione ferarū sese exercent, etiam nos docet Plinius in panegyrico his uerbis: *Olim hęc experientia iuuētutis, hęc voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris cursu; cū audacibus robore, cum callidis astu, nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, & quadam obsidione liberatus agrestium labor.* Xenophon, qui hoc studio dediti sunt, magnam ex eo utilitatem capere scribit: nam corporibus bonam ualetudinem comparare, hinc uidere, audireq; magis, senescere minùs. Hanc ad bellum pręcipuè instituere; primò quidem si uias iniquas sub armis ambulant, minùs lassari: nam labores sustinere, quibus feras capere cōsueuerunt: deinde posse humi iacentes quiescere, ad imperatoris edictum præstò esse: In adeundis hostibus inuadere simul, & imperata facere, cùm feras ipsi hoc modo uenentur. Nec uerò in fronte locatos deserere acies, quia paratissimi sunt: at in hostium fuga ubique illos propter locorum peritiā rectè, ac tutò persequi: Quod si exercitus suus infeliciter pugnauerit, in syluosis, abruptis, iniquisq; alijs locis, seipsos cū cæteris non turpiter saluare posse: Nā consuetudinē uenandi nōnihil eos peritiores reddere: Et hos plerumq; magna cōmilitonū turba fugiēte uictores hostes propter difficultatē errantes, suo ipsos robore, & audacia repugnādo terga dare coegisse, cū fortuna ferè corporis, & animi fortitudinē comitetur. Quod cùm maiores, inquit, nostri cognoscerent, hinc rem aduersus hostes benè geri, studium hoc iuuenum instituerunt. Testatur idem etiam Xenophon Cyrum peritissimum illum bellicæ artis imperatorem, cùm adhuc puer esset, ad uenationem egressum ceruam, &

Lib. de solert. anim.

Venatio cerui cur commendata.

Apollo lycoctonos: Diana elaphebolos.

Piscationis cōtemptus.

Venatio à quibus colenda.

Venationis commoda.

Lib. 8. de pæd. Cyri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

aprum, frustra prohibentibus præceptoribus confecisse, eundemq; mox ducem exercitus factum E bellicæ exercitationis gratia milites suos ad venationem eduxisse, hanc exercitationem rerum bellicarum esse omninò, quòd crederet, optimam, equestris autem verissimã. Sed & Flauius Vegetius docens cuius artis tyrones, vel eligendi sint, vel respuendi, cùm dixisset omnes, qui aliquid tractasse viderentur ad gynæcia pertinens, longè à castris pellendos esse, ceruorum, aprorumvè venatores conuenire militiæ societati author est, indicans mulierosos omninò ex acie remouendos esse. Hinc illud Ouidij de remed. amoris:

Lib. 1. de re mil. c. 7.

Lib. 1.

Cùm semel hęc animum cœpit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit amor.
Vel tu venandi studium cole, sæpe recessit
Turpiter à Phœbi victa sorore Venus.
Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci,
Nunc in frondosis retia tende iugis. F
Aut pauidos terre varia formidine ceruos,
Aut cadat aduersa cuspide fossus aper.

Dianã cur venatricem finxerint.

Dianam autem, quæ Phœbi soror est, ideo potissimùm poetæ fingunt perpetuo venandi studio duci, ut doceant magnoperè his cauendam esse desidiam, quibus curæ est uirginitas: Nam, ut inquit Seneca; *amor iuuentæ gignitur luxu, ocio nutritur inter læta fortunæ bona*. Eleganter autem Lucianus dialogo Veneris, & Cupidinis nullum amori, & obscænæ libidini locum esse apud eos ostendit, qui nunquam opere uacant, sed aliquo semper negotio, & labore distringuntur, idque eiusdem Dianæ ostendit exemplo, quippe quæ perpetuò per montes uagetur, ceruorum, hinnulorumque uenationi intenta. Atque hinc est, quòd inter alias animi lassi recreationes ceu honestissima commendetur ipsa uenatio; Sic Hieronymus Vida;

Lib. 1. de art. poet.

Nec ludos puero abnuimus, subducere mentem
Interdum studijs liceat: defessus amœna
Rura petat, sæpe & mores obseruet agrestum,
Et venator agat de vertice Tyburtino
Veloces capreas, aut tendat retia ceruis.

Sed vt pueri facilè ceruis retia tendere possunt, ita insequi istiusmodi feras adolescentulorum G erat, qui iam ex ephebis excedunt, ut ostendit Ouidius Hyantis adolescentuli exemplo:

4. Fast. 5.

Dum noua lanugo pauidos formidine ceruos
Terret, & est illi prędæ benigna lepus.
At postquam virtus annis adoleuit, in apros
Audet, & hirsutas cominus ire feras.

Non quod uirilis ætas ceruorum, aprorumque, & caprarum uenationem omitteret, quin tantopere Romanos illos proceres horum animantium uenatione delectatos fuisse constat, ut, ne deessent quouis anni tempore, proprijs includerent leporarijs, eisdemq; amplissimis; Q. Hortensium enim in agro Laurentino scribit Varro syluam habuisse, ut dicebat, supra quinquaginta iugerum maceria septam, quod non leporarium, sed teritrophium appellabant. Ibi fuisse locum excelsum, ubi triclinio posito, inquit, cænabamus, apud quod Orphea uocari iussit, qui cùm eò uenisset cum stolo, & cithara, & canere esset iussus, buccinam inflauit, ubi tanta circumfluxerit mox ceruorum, & aprorum, & cæterarum quadrupedum multitudo, ut non minus formosum mihi uisum sit spectaculum, quàm in Circo maximo Aedilium sine Africanis bestijs, cum fiunt uenationes. Ad delectationem, quod attinet, eam sic expressit Horatius; H

Romani vt venationi dediti.

Lib. 1. carm. od. 1.

Venationis delectatio.

Man-t sub Ioue frigido
Venator teneræ coniugis immemor,
Seu visa est catulis cerua fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

Hinc enim discimus, quanta sit assuetudo uitæ cum delectatione, quæ incommoda commodis, dura mollibus antefert; quid enim mollius, & commodius quàm cum tenera, placidaque uxore domi cubare? Contrà quid durius, & incommodum magis, quàm de nocte sub cœlo excubare, ceruorum rasq; non sine magno ualetudinis, uitæq; discrimine captare? Tanta tamen fuit semper ceruorum potissimum uenationis æstimatio, ut etiam nonnulli, qui reuera non essent uenatores, uenatores tamen uideri uellent, ideoque ceruos, aprosque cum plagis & uenabulis per medium forum iuberent transire, ut cepisse aliquid uiderentur; docet hoc idem Horatius sub persona Gargilij his uerbis:

Lib. 1. epist.

venemur vt olim
Gargilius, qui manè plagas, venabula, ceruos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Diſſertum tranſire ferum, populumque iubebat,
Vnus vt è multis populo ſpectante referret
Emptum mulus aprum.

SYNONYMA. ETYMOLOGIA.

CERVVS animal notiſſimum dictum eſt, quod τὰ κέρατα, ideſt, cornua gerat, teſte Feſto, ex Varrone nimirum, qui, *cerui*, inquit, *quod magna cornua gerant, mutato g in c, vt in multis, quaſi geruli.* Quo loco Scaliger, cur non, inquit, κεραοὶ potiùs? Sunt verò etiam ceruinorum cornuum ſimilitudine iuxta Varronem, & Seruium furcæ, quibus ruſtici caſas ſuas ſtabiliunt cerui vocati, vnde Virgilius:

Ceruus unde dictus. Lib. 4. de ling. Lat. Furcæ quæ cerui dictæ. Eclog. 2.

Atque humiles habitare caſas, & figere ceruos.

Vbi nimirum Seruius, aut furcas, inquit, dici, quę figuntur ad caſæ ſuſtentationem, quæ dictę ſunt B cerui ad ceruinorum cornuum ſimilitudinem: Stipites autem erant cornicula eminentia habentes, quibus etiam ad vineas, pluteaſque utebantur in bello in caſtrorum nimirum munitionibus, ut patet ex his Iulij Cæſaris uerbis: *Aggerem, & vallum duodecim pedum exſtruxit, huicque loricam, pinnaſque adiecit grandibus ceruis, eminentibuſque ad commiſſuras pluteorum, atque aggeris, qui aſcenſum hoſtium tardarent.* Ceruos hoſce nobis pictos propoſuit Ioannes Iucundus Veronenſis, ut teſtatur Mart. Antonius Delrius in Oedipo Senecæ, qui & apud Tibullum horum mentionem factam exiſtimat, & legi debere:

Lib. 7. de bell. Gall. Actu 3. Lib. 4. ad Meſſallam.

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Quà deceat tutam caſtris prædueere foſſam,
Qualiter aduerſos hoſti defigere ceruos,
Quemve locum ducto melius ſit claudere vallo.

Citat in hoc eodem ſenſu Ioſephus Scaliger in ſuis in Varronem coniectaneis, vbi hic ait, *cerui à ſimilitudine cornuum cerui*, hunc ex Silio Italico verſum:

Lib. 4. Lib. 10.

Ceruorum ambuſtis imitantes cornua ramis.

C Additque in vallo caſtrenſi per ſpatia poni ſolere ceruos, hincque interſtitium illud inter ceruos dictum eſſe interuallum. Cæterùm Iacobus Pontanus ex German. præcitatum illuſtrans Virgilij locum ἐλαφηβολίαν uno verbo, inquit, Græci dicunt, nec mihi furcas innuere videtur, tum quod Græcis ἐλάφυς βάλλειν familiare eſt, tum quòd Georgicorum 1. dixit:

Elaphibolia.

Auritoſque ſequi lepores, & figere damas.

Etiamſi non dubium ceruos furculas dici, quibus ſuſtentantur retia, & plagarum laxitas maculoſa intenditur, quæ ςάλικες Græcis, & σκαλίδες dicuntur, vnde & σκαλιδῶσαι. Græci ἔλαφον animal hoc dicunt: quam vocē Atticè in fęminino genere de mare etiam dici mox ſuo loco oſtendetur, vbi de cornibus. Varinus ἔλαφον, vel à celeritate, & leuitate nomen habere exiſtimat, quoniā ἐλαφρὸς leuis eſt, vel ſic vocari, quaſi ἔλοφον διὰ τὸ ἕλκειν, καὶ ἀναιρεῖν διὰ τ͂ μυκτήρων τὺς ὄφεις. ἢ ἀπὸ τῦ ἐλαύνειν τὺς ὄφεις, ἢ ἀπὸ τῦ ἕλος, nimirum quod circa lacus & aquas libenter verſetur. Eaſdem etymologias Etymologus quoq; recenſet, & aliàs in dictione ἄνθος, ἔλαφον dictum ait, παρὰ τὸ ἐλαύνειν τὺς ὄφεις, ὅπερ ποιεῖ τύτυ τὸ κέρας θυμιώμενον, hoc eſt à fugandis ſerpētibus, quia nimirum cornu eius ſuffitum eos fuget, vel quòd ipſe ceruus cornu ad ſaxum attrito nidorem exci- D tet, quo ſerpentes è cauernis pellit. Plutarchus priorem etymologiam approbans ait, ἐλάφοις Gręcè nomen eſſe non à celeritate, inquit, quòd putant quidam, ſed ſerpentis tractione ſorbitioneque ductum. Contrà qui ἐλαφρὺς, quaſi ἐλάφυς dictos putant, huc etiam Virgilium alluſiſſe profitentur, dum ait: *Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui.*

Ἔλαφος unde dictus. Lib. de ſoler. anim.

Eſt verò ἔλαφος, placentæ nomē ab Elaphebolijs ſacris dictum, in quibus fieri ſolebat ex ſeſamo, & farinæ flore, vt recitat Cælius ex Athenæo lib. 14. qui ea ſacra Mineruæ fuiſſe tradit. Hermolaus à menſe (elaphobolion enim September eſt) in quo fiebat dictam ait. Erant autem elaphebolia ſacra eodem in menſe, vt nihil interſit. Obſcuriùs, ineptiùſque Ioannes Ruellius hanc placētam ceruorum venationibus dicatam ſcribit; ἐλαφίνης verò Heſychio & Varino eſt νεβρὸς, ideſt, hinnulus. Eſt & cerua canis nomē apud Varronem, nec non apud Ouidiū, eſtq; & inſula eiuſdem nominis apud Macrobios, quā Dionyſius, vocat aquoſā, Gręcè τίμπεα. Bemmyes populos prope Ceruā etiā ponit, vt citat Stephanus Aquęus lib. 5. in Pli. c. 8. Ab ἔλαφος detortū eſt λάφοι, vt nūc apud Cretēſes vocatur, apud quos, citāte Varino, ceruus etiam olim ἀέραζος vocabatur. Βέριξ ab eodem, nec non Heſychio, ceruus interpretatur: Βέρχιος verò Laconicè ſecundū eoſdē ceruus eſt. Idemque Varinus βρέδον interpretatur ἔλαφον, ἢ κεφαλὴν ἐλάφυ, βρένδον verò ſimpliciter ceruum.

Elaphebolia ſacra.

Δόρκων Suidæ nomen loci eſt, vt ceruus, de qua voce ſuprà in capris ſylueſtribus dictum eſt, vbi etiam de voce ἴορκες, qua ex Heſychio & Varino diximus indicari etiam ἡλικίαν ἐλάφυ, ideſt, ætatem ipſius cerui. Ε᾿λλὸς ide, teſte Varrone, quod νεβρὸς, ideſt, hinnulus: Vnde apud Homerum ἐλλοφόνος dicta Diana à cæde ceruorum, vtpote venationis Dea. Eſt & ἐλλὸς, leuis, celer tanquam epithetum cerui. Varino & Etymologo ἐλλέποδες & ἐλλοὶ dicuntur paſſeres, & hinnuli, ἀπὸ τῦ ἄλλεσθαι, ideſt, ſaliendo. Apud Heſychium ἐλλοπίδες legitur cum ι in penultima, his verbis: ἐλλόπιδας dictio apud Cratinum, facta παρὰ τὺς ἔλλυς (Geſnerus melius cum ſpiritu tenui, & acuto in vltima ſcribi aſſerit) & communiter dictos hinnulos vel paſſeres, vel pullos ſerpentis ſignificat, ἀπὸ τῦ ἄλλεσθαι. Sed videri poſſit etiam ἐλλόπυς, quaſi ἀελλόπυς, inquit Geſnerus, dici, ideſt πο-χύπυς, quod hinnulo maximè conueniret. Idem Heſychius, vt & Scholiaſtes quoque apud Homerum, vbi habet: Κύων ἔχε ποικίλον ἐλλὸν, Α᾿σπαίροντα λάων; ἐλλὸν exponit νεογνὸν ἔλαφον, ideſt, ceruum iuuenem. Κνῦκις apud eundem ceruus eſt, nec non etiam δερρὶς λεπτὴ, ideſt, pellis tenuis, & νεφέλιον λεπτὸν, ideſt, tenuis nubecula, in quo ſignificatu legitur & apud Suidam. Eſt & λα-δας apud Heſych. & Varronem, ἔλαφος νεβρίας, ideſt, ceruus iuuencus, vel qui nōdum adultus eſt & ναυθροὶ, νεβροὶ, οἱ νέοι ἔλαφοι, in eadem ſcilicet ſignificatione. Quamuis autẽ νεβρὸς ſit, teſte Polluce, ἔγγονον ἐλάφυ, ideſt, cerui fætus, à Polyæno tamen in epigrammate, dorcadis fętus, νεβρὸς appellatur; propriè autem νεβρὸς eſt hinnulus, qui iam ad pabula exit. Geſnerus apud Nicandrum in theriacis νεβροθόκυς interpretatur ceruos. Heſychius ὀροβάδων interpretatur νεβρῶν, ὀρυβάδες verò τὰς αἶγας. Cælius ceruos primigenios proces dici aſſerit apud Philetam, grandiores iam dici cemades, perfecta demum ætate ceruos. Equidem κεμὰς exponitur hinnulus paruus, & in ſpelunca adhuc iacens. Apud Homerum, vbi ait: ἢ κεμάδ᾿ ἠὲ λαγωὸν, ἐπείγετον; κεμάδα interpretes hinnulum reddunt. Similiter & apud Athen. lib. 5. ex Herodico Babyl. τῆς ξυθῆς δειλότεροι κεμάδος, vertunt ſic: Flauis ceruorum hinnulis pauidiores. Sunt qui dictam putent quaſi κοιμάδα, vtpotè κοιμωμένην ἐπὶ ἐν τῷ σπηλαίῳ, nec audentem ſe committere ſyluis. Scaligero cemas ita eſt in ceruis, ſicut in bubus iunix & iuuencus, ſiue bucula, ſeu vitulus: Franci, inquit, faones vocant. Apud Heſychium & Varinum κιμφὰς, quoque reperias pro ceruo, & κεμπὸς, κῦφος, ἐλαφρὸς ἄνθρωπος, & apud Heſychium κεμμὰς per duplex μ, idem quod κεμὰς, nimirum hinnulus cerui, quæ licentia eſt poetica. Sic Tiberius Illus in epigrammate:

Margin notes: Ε῎λλος. — Odyſſ. T. — Κνῦκις. — Λαδας. — Νεβρὸς. — Lib. 7. c. 15. — Κέμας. — Iliad. K. — Exerc. 207.

Κεμμάδος ἀρπτόκυ μαζοῖς βρίθυσι γάλακτος.

Κελμὰς, verò eiſdem eſt νεῦρον ἐλάφυ, vbi fortaſſis rectius νεβρὸς legeris, non rarò enim ἐυ pro ιβ ſcriptum librariorum incuria reperitur. Sed ad Philetæ locum, quod attinet, Cælius Varini Philetam citantis verba peruertit: nam Varinus expreſsè habet: τὰς ἐλάφυς τὰς πρῶτον πιτύσας, id eſt, ceruas ipſas, cùm primùm pariunt, procas appellari, & licet etiam ipſi hinnuli recens natiſic vocari poſſint, falſum tamen eſt Philetam ita vocare. Plura de voce prox in caprea diximus. A procas per metatheſin facta videtur vox porcas, Heſychius ceruas exponit, vel celeres, & πτῶκες; Eſt & eiſdem & Varino ſunt timidi lepores, dorcades, cerui, hinnuli, vt etiam in capra dictum. Eſt & eidem πέχαρις, ἔλαφος, ἀμερίας, Geſnerus vltimam vocem ſeparat ab ἔλαφος, Heſychius verò coniungit; quid ſit ἀμερίας apud Lexicographos non licuit inuenire. Sunt & σεργοὶ eiſdem cerui, & ταχίνης ijſdem lepus eſt, & ceruus: ſunt.n. hæc duo animalia, Ταχύδρομα; ταχὺς autem, ſiue ταχινος pernix, celer, velox. Apud eoſdem, vbi φύρακες exponunt ἐλαφροὶ, legendum potiùs videtur ἔλαφοι. Aial hebraicā vocem Deuter. 14. vbi Arabica translatio ſimiliter habet aial, Chaldaica verò aiela, Perſica verò geuazen, Septuaginta interpretātur, ἔλαφον, & Hieronymus ſimiliter ceruum. Sed in inſcriptione Pſal. 22. vbi communiter pro Al aieleth ſahar, vertitur *ad ceruam auroræ*, vel *ad ceruam matutinam*, ſunt qui exponant, teſte Pagnino, ad ſtellam matutinam, aut ad fortitudinem, ad robur ſeu vim aſcenſus auroræ, ſed prius eſt rectum inquit R. Dauid, vt aſſumpta prima huius dictionis ſignificatione per ceruam auroræ allegoricè intelligamus eccleſiam Iſraeliticam, quemadmodum etiam ceruis comparatur in Canticis. Qui ſtellam matutinam interpretantur, ij teſte Iano Druſio, id faciunt ex monumentis τῶν διδασκάλων, in quibus Lucifer, qui Græcis eſt φωσφόρος, aieltha nuncupatur. Alij rurſus, vt idem recitat Druſius, putāt inſtrumentum muſicum pręcitatis verbis dici; alij genus carminis. Qui ad robur auroræ explanāt, ij arbitrantur hunc hymnum ſcriptum fuiſſe manè, cùm aurora ex oriens iubar ſuum longè, latèque diffudiſſet. Quæ an vera ſint, neſcio, inquit, mihi quidem non videntur: Credo autem Dauidem melius in latinum conuerti: *Super cerua aurorę*: Quod ſic accipio, acſi diceret, ſuper cerua pulchra; auroram enim Hebræi ponunt pro pulchro. Porrò, *cerua pulchra*, vox eſt planè amatoria: ſolent enim, qui amant, blandè compellando amicas ſuas ceruas vocare: vnde illud; *cerua amorum, caprea gratiæ* in libro de prouerbijs: *Et cerua agri*, in Cantico canticor. Quod poſtremum interpretantur dici de Eccleſia, ſed hoc in loco aliter interpretandum, ita poſtulante ſententia, & argumento pſalmi.

Margin notes: Πίχαρις. — Aial. — Lib. 10. obſer. c. 3.

Ego

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Ego sanè indubitanter credo, Dauidem, cùm hunc psalmum componeret, in mente habuisse, quę ei spiritus patefecerat περὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. Apud Varinum vbi scribitur Διὰ τὴν ἔλαφον, Chaldæi, scribendum videtur *aial*. Hinnulum ijdem Hebræi *ofer* dicunt, quo nomine quidam, teste Pagnino, dictum putant à leuitate, & celeritate, qua ceu vento agitatus, currendo puluerem commoueat. Vetus expositio in Auicennam, *aufeac*, interpretatur coagulum ceruinum, & genitum bubali, Syluaticus verò pro coagulo ceruino habet *aufeac alanerb*, apud quem sequentia etiam barbara nomina reperiuntur: *anfeagidi*, coagulum ceruinum: *auteros*, ceruus: *belagin*, ceruus: *melessia*, medulla ceruina. Ceruum nos *ceruo* dicimus, fœminam, *cerua*; Sic & Hispani marem *cierno*, fœminam *cierua* dicunt; Galli marem *cerf*, fœminam verò *biche*: Germani superiores ceruum hirtz, vel hirs, uel hirsch: ceruam hinde, uel hindin, ut & Belgæ, & Angli, quibus ceruus herte, uel hert dicitur, quasi durus, quoniam diutissimè in uita durat, quo modo eisdem hert cor est, cuius nimirum motioni perpetuæ, uitæ duratio debetur. Poloni marem ielijenij, fœminam lanij, quo nomine tamen damam quoque interpretantur; Angli hinnulos fauune dicunt, & nos suprà ex Scaligero cemadas Francis faones dici, diximus, alias hynde kalfe dicũt, sicut & Germani hindkalf,
B quasi ceruæ uitulum.

GENVS. FORMA. DESCRIPTIO.

CERVVS, inquit Aristoteles, animal est bisulcum, & forcipem pro ungula habet, ut capra: pilus ei mollis, teste eodem, in physiognomonicis, de timidissimis loquente animalibus, quibus scilicet, lepore, & ceruo. Idem alicubi ait etiam: lataci pilus durus, specie inter pilum uituli marini, & cerui. Quo loco malè intellecto Cæsar Odonus durum pilum ceruo tribuit. Cauos intus esse ceruorum pilos tradit Adrianus Iunius in sua Batauia, ideoque commodè natare putari, sustentari uidelicet in aqua non secus, quàm uesica uento inflata urinator solet. Ad colorem quod attinet, Pollux ἐπίξανθον esse ait, καταστικτὸν λευκοῖς γράμμασι. Πλείω δὲ αἱ θήλειαι τὰ στίγματα ἔχουσι, idest, subflauum, albis punctis distinctum; pluribus quidem in fœminis, præcipuè hinnulis: uel, ut Varinus citat, pluribus
C quidem in fœminis, maximè uerò eiusdem sexus hinnulis. Similiter & Oppianus ceruum uocat στικτὸν, & αἰολόνωτον; vnde apud Euripidem βαλίαν ἔλαφον etiam exponunt καταστικτὸν. Cæterùm, cùm color hic in equo, quàm maximè laudetur, vt Balij Achillis equi docet exemplo Homerus, quem spadicei fuisse coloris, docti volunt, & nunc qnoque vulgò baius, quasi balius nominatur, ego de hoc colore potiùs intellexerim apud Euripidem: nam & σπαδῖναι cerui cognominantur à colore τῆς σπάθης, idest, φοινικοῦν. Est enim spadiceus, secũdum Thylesium, idem qui phœniceus: quamuis non desunt, qui σπαδίνας cognominari volunt, quod cornua spathis similia, idest, mucronata habeant. In quo nouissimo sensu accepisse apparet Eustathium hæc ex quodam Lexicographo recitantem: Τὰ δὲ τέλεια οὐκ ἀλλό τι ἢ ἔλαφοι, εἰ μὴ ἄρα οἱ ἀχαῖναι, καὶ οἱ σπαδῖναι λεγόμενοι, ἡλικίᾳ τινὶ διαφέρουσι, ἢ εἴδει, καὶ κεράτων ἰδιότητι, καὶ μεγέθει. Idem Eustathius βαλιὸς, cùm appellatiuum est, scribit ὀξύνεσθαι, significareque ταχὺς, vel στικτὸς: Cùm est proprium equi apud Homerum παροξυτόνως efferri; ueruntamen paroxytonωs rursum scriptum reperitur appellatiuum, vt in 6. epigrammatum βαλίαις ἐλάφοις, itidemque apud Plutarchum, βαλίαις ἐλάφοις ἐγχριπτόμενος, & alibi βαλίοι ἄνεμοι, ubi significat ταχεῖς, & rapidi, ut utroque modo interpretari liceat.
D Fiunt aliquando cerui, & candido colore; *qualem fuisse*, inquit Plinius, *traditur Q. Sertorij ceruã quam esse fatidicam Hispaniæ gentibus persuaserat*. Tradit & Pausanias albos se Romæ ceruos uidisse, & admiratum fuisse: Ex qua uerò regione, uel continente aducti essent, non uenisse ei in mentem interrogare. Sed & Aristoteles testatur album aliquando ceruum inuentum esse. Quem Aristotelis locum Ruellius sic reddidit: Animantes cunctæ, quæ siue imbecillitatis causa, siue cæco naturæ uitio, præcoci, paucoque uictu sustinentur, candidæ proueniunt: Sic lepus inuenitur cãdidus, item ceruus, & ursus, & in auibus hirundo, coturnix, perdix, præsertim cùm quardam à primis statim uitæ rudimentis imbecillitatem retulerint. Cornua ei alioqui admodum degeneri animanti, & spectanda magnitudine, ramorumq; pulchritudine natura ei concessit, vt omnibus feris facilè antecellat, ut ait Oppianus; Virgilius dum arborea uocat, & magnitudinem, & ramos etiam expressit:

Ductoresque ipsos primùm capita alta ferenteis
Cornibus arboreis sternit.

Hinc & εὐκέραον uocat Oppianus, & Homerus, ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν dixit, & rectè in masculino genere, inquiunt Varinus, Hesychius, & Etymologus, quoniam mas tantùm cornutus est, idem ex-

2. hist. c. 1.
Ceruus quale animal.
8. hist. c. 5.
Pilus qualis.
Color proprius.
Spadiceus color quis.
Candidi coloris cerui.
In Arcad.
Cornua quæ quodque solimari.
1. Aen.
Iliad. γ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6



ponit ἔυκερων, ἤ μεγάλα κέρατα ἔχοντα. Similiter κεράςην ceruum, alij cornutum simpliciter, alij magnis cornibus præditum. Idem Varinus ait κεραὸν ἔλαφον apud Homerum, ceruum adultum interpretari, sed κεραὸς poeticum esse, κερασφόρος commune. Cæterùm an solus mas, & non etiam cerua cornua habeat, vt ex Varino diximus, videndum. Ipse quidem rursus Varinus ex Polluce ait: ἐλάφων ἄκερως μὲν ἡ θήλεια. ὁ δὲ ἄῤῥην κεροφόρος, ἤ κερασφόρος, ἤ κεράςης, ἤ ἔυκερως, ἤ πλατύκερως, ἤ ὑπέρκερως, ἤ χρυσόκερως, ὁ ὑπὸ ἡρακλέυς ἁλὺς. Addit Pollux Anacreontem, & Sophoclem, qui κεροέσσαν ἔλαφον vocarunt, hoc est, ceruam cornutam. Polluci subscribit Plinius his verbis: *Bisulcis bina cornua natura tribuit: nulli illorum supernè primores dentes. Qui putant eos in cornu absumi facile coarguuntur ceruarum natura, quæ neque dentes habent, vt neque mares, nec tamen cornua.* Sed & Aristoteles ceruam cornua habere negat, & alibi, causam afferens cur ceruæ cornibus careant, cùm dentes similiter habeant atque mares; eadem, inquit, vtriusque sexus natura, & cornigera est, sed fæminis adempta sunt cornua, quoniam ne maribus quidem vtilia sint, sed virium meliorum beneficio mares minùs offenduntur. His accedit Cardanus, inquiens: *Commune autem videtur animalibus plura, quàm duo cornua habentibus, vt fæmina cornibus careat, quamobrem creditum est à Plinio dentium materiam in cornua non transire, cùm famellæ etiam dentibus superioris mandibulæ anterioribus carentes, cornua non habeant: Ratio est duplex à fine scilicet, & efficiente causa deducta; cùm enim matres fętus in aluo gerunt leuitate, & agilitate opus habent, vnde cornua prægrandia, & ramosa illis essent impedimento. Est etiam genus illorum animalium timidum, vt fæminæ sint timidissimæ, quamobrem illis cornua nulli essent vsui. Deest etiam calor, qui materiam cornuum gignere possit, & genitam extrudere simul, atque extendere: ob id veluti hominibus barba ita ceruis cornua, vt ad solum ornatum facta videantur, & neutrum adsit fæmineo sexui illorum.* Hæc Cardanus. Aristoteles loquens de peccatis poetarum, scribit minus esse co-rum, qui inscij scribunt in ceruorum genere fæminam cornu habere, quàm si mala imitatione, vsu id scriberent. Galenus item ceruos, ait, longa habere cornua, vt in his quoque fæminę à maribus sepa-

Cerua cornibus caret.

Lib. 3. de part. c. 2.

Lib. 10. de subtil.

Cur careat cornibus.

ſeparentur. Contrà ſcholia in Pindarum fœminis ceruis ab omnibus poetis cornua adſcribi tra-
Od.3.olymp. dunt,& fieri poſſe, vt id quandoque acciderit,cùm & elephantis Indicis,inquiunt,adſint cornua
Ceruę cornua tribuũt poetæ. (ὀδόντες, dentes exſerti, quos aliqui meliùs cornua vocant) duntaxat maribus, Aethiopicis verò,
& Libycis vtroque ſexu: addunt etiam ceruam, quæ Telephum lactauit à pictoribus, & plaſtis
cornutam fieri, Anacreontis verba, quem taxat Pollux, carmina eius non recitans, nos ex eiſdem
ſcholijs apponemus: Ἄγαν ὥς (legendũ fortè ἀγανῶς) οἷα τε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνὸν ὅς ὕλαις
κεροέσσης ὑπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη. Zenodotus κεροέσσης vocem mutauit in ἐροέσσης, non
rectè, vt videtur, cùm cæteri poetæ cornutas quoque faciant ceruas, In Euripidis Iphigenia, cer-
uam cornigeram, inquit Diana, *manibus Achiuorum tradam, quam pro tua mactabunt filia.* Geſne-
9.hiſt.c.5. rus iſthæc quodammodo conciliaturus Atticos, ait, ceruum marem etiam τὴν ἔλαφον dicere in fœ-
minino genere, vt in prouerbio: οὗ αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσιν. ὥσπερ γὰρ ὅπλα ἀποβεβλη-
κυῖαι (verba ſunt Ariſtotelis, qui fœminas cornibus carere, minimè ignorauit, vt ex verbis ſuperiùs
recitatis apparet) φυλάττονται ὁρᾶσθαι. Eodem in loco ſæpius in maſculino genere ponit vocem
ἔλαφος, diſtinctionis gratia, quoniam de fœminis quoque nonnulla priuatim in eo ſcribit. Alijs
verò in locis, aut ſemper, aut, vt plurimum ſiue aliquid ſexui commune vtrique, ſiue mari propriũ
referat, fœminam facit, vt in mirabilibus: Τὰς ἐν ἠπείρῳ ἐλάφους κατορύττειν φασὶ τὸ δεξιὸν κέρας:
Et alibi in eiſdem, πολλαῖς δὲ κισσὸν ἐπιπεφυκότα ἐν τῷ τῶν κεράτων τόπῳ ὁρᾶσθαι. Sed Pindarus,
& Anacreon Atticiſmo excuſari nõ poſſunt, cùm ſe omninò de ceruis fœminis loqui expreſſerint.
Tantum Geſnerus. Sed & Euripides præcitato loco, mihi reuera non ceruum, ſed ceruam intelli-
gere videtur, cùm pro Iphigenia, vtpotè virgine ceruam potius, quàm ceruum, mactari oportue-
rit. Martinus Anton. Delrius in comm. in Herculem furentem: Habes, inquit, geminum vna in-
" re commentum, ceruæ cornua, eaque aurea, cùm in hoc genere in pleriſque regionibus ceruæ cor-
" nibus careant, Quid tamen obſtat, quominus alicubi ſint cornutæ? Nam & multis Callimachus,
" & huic Herculeæ (loquitur enim de auricorni Pindari cerua) Diodorus Siculus, & ei, quæ Telephi
" nutrix, Anacreon cornua tribuerunt. Ego tamen valde ſuſpicor, per enallagen ceruam Græcos
" pro ceruo poſuiſſe, more Atticorum, qui τὴν ἔλαφον, & αἱ ἔλαφοι articulum fœmineum, iungunt
" maſculino nomini, Hebræi quoque velocitatem exprimere volentes nuſquam, quod ſciam in
" ſacris literis ceruorum, ſed vbique ceruarum, meminerunt. Hæc Delrius, Si quis igitur dixerit,
Cerua ceruo velocior. ideo potius ceruas, quàm ceruos voluiſſe celebrare propter velocitatem, probandum fuerit ceruã
ceruo velociorem eſſe, quod à ratione non abhorret, cùm inermem armigero timidiorem eſſe, ea
Lib.3. ſuadeat. Inuenio inter poetas latinos: Silium Italicum ceruam cornigerã facientem, inquit enim:

& altos

Aeripedis ramos ſuperantia cornua ceruæ,

Sed & Franciſcus Petrarcha Hetruſcæ poetices princeps, in rythmo quodam, Lauram ſuam ceruę
comparans duobus eam cornibus auratis ſibi apparuiſſe facit; verùm & ipſe à viris doctis propte-
rea ſugillatur, Animaduertit hoc celebris in libris ſuis de arte poetica Mutius Hiſtrienſis, referen-
te Conſtantino Lando in C. Poſthumi Diana, qui excuſari Petrarcham poſſe exiſtimat, tanquam
poetam, qui metaphoricῶs locutus ſit, per cornua intextas comas Lauræ intelligens: *ſic enim ad*
Ceruæ viſæ cornutæ. *ornatum*, inquit, *comarum, quo vtuntur matronæ Gallicæ, alluſit.* Certè eiuſmodi excuſatione re-
ctiùs, veriuſq; admittentur, quàm ſi reuera cornutas dicere voluiſſe ceruas, nobis perſuadeamus:
non me latet interim ceruas aliquando viſas cornigeras: Tradit enim Gunterus in Ligurino ſuo,
Lib.3. poet. ſeu in libro de rebus geſtis Friderici Imperatoris primi, Cæſarem Maximilianum, verum id eſſe,
9. hiſt.c.5. alicubi deprehendiſſe, idque in ſyluam ſuam iuſſiſſe annotari, quod opus ipſe planè ſuum expe-
Quando cornua incipiãt naſci, et quis ramorum ordo. rientiarum non vulgarium, ſub nomine olim ſuo in publicum edendum, vidimus, inquit, inchoa-
tum, Teſtatur etiam Scaliger in Gallia noſtris temporibus ceruam viſam eſſe, & captam cum
cornibus, cuius etiam nunc ſeruetur caput. Cæterùm monſtra meo iudicio dicenda erunt. De ra-
mis modò cornuum, & eorum propagatione ſic diſſerebat Ariſtoteles: Anniculis nondum cornua
naſcuntur, niſi quoad indicij gratia, ſit initium quoddam protuberans, quod breue, hirtumq; eſt.
Lib.11.cap.37. Bimis primùm cornua oriuntur ſimplicia, & recta ad ſubularum (καθάπερ πάτταλους, vnde Pli-
nius alijs ſimplicia tribuit, vt in eodem genere ſubulonibus ex argumento dictis) ſimilitudinem,
Ariſtotelis error circa cornu ceruini ramiſicationem. quamobrem παττταλίας ideſt, ſubulones, per id temporis eos vocant: Trimis bifida exeunt, qua-
drimis trifida, atque deinceps ad hunc modum procedit numerus, vſque ad annum ſextum. Ex
quibus quidem verbis Ariſtoteles Geometrarum more hoc inferebat corollarium; ab hoc ſimilia
ſemper prodeunt, ita ne ſit dignoſcere ætatem ramorum numero. Cæterùm philoſophus circa
ceruini cornu ramorum numerum erraſſe, inquit Ioãnes Aemilianus, videtur, quippe, qui ſtatue-
Syntagm. 5. de rum.hiſt. rit (vt facilè ex ipſius verbis colligi licet) quinque ramos ſummum cornu cerui edere, neq; in fun-
dendis propaginibus hunc numerum ſuperare, cùm tamen conſtet in multò plures ramos illud
diſtri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A distribui. Etenim & sensus, & experientia acerrimè reluctantur. Hoc non ignorant venatores, qui illis insidiantur, hoc minimè philologos latet, qui plerumque loca Musis dicata ceruorum capitibus, atque aliorum animantium quasi naturæ trophæis exornant. Affirmatur Guillielmum Bauariæ Ducem, bina cerui cornua habuisse, quorum vtrumque vnum, & viginti ramos fundebat. Testatur Albertus, ceruorum cornua in Germania ad vndecimum vsque ramum diuidi; quod quandoque etiam in Italia contingere certum est, licet Italiæ cerui Germanis minores sint. Vidi namque in penu Serenissimi Ferrariæ Ducis ceruum in agro Ferrariensi interfectum magnitudine equo paulo inferiorem, cuius cornua adeo erant ramis referta, vt potius superarent, quàm à Germanis superarentur, ac proinde Maro cerui cornua ramosa in bucolicis nuncupauit:

Cornu vnius, & viginti ramorum.

Et ramosa Mycon viuacis cornua cerui.

Eclog. 7.

Tradit etiam Gesnerus se audiuisse Antuerpiæ cornua ceruina in pharmacopolio quodam spectari, quorum singula ramos circiter quindecim habeant. Quocirca à vero hac in parte videtur Aristotelem plurimum declinasse, nisi (vt ipsum vindicemus) dicamus eum per cornuum ramos maiores, & principaliores intellexisse, quippe qui in alios minores dispergantur. Hæc Aemilia-
B nus. Ego Aristotelis verba sic intellexerim, ut numerus ille in plurimis contingere soleat: nam & Solinus ait: *Pro ætate ramos augent: id incrementum per sex annos perseuerat, denique numerosiora non possunt fieri cornua, possunt crassiora.* Cur autem in ramos surgant usque in sex annos, illud in causa esse retur Bassianus Landus Placentinus, quia animal sit maximè abundans succo, qui cornibus conuenit: is est atra, inquit, bilis, quippe cuius caro atram bilem, maximam sibi partem uindicet, quartanam enim febrem suapte natura commouet, quæ rarò occupat corpus. Hanc cornuum ramificationem sic extollit Oppianus:

Aristoteles excusatur.
Lib. 1. hist. hum.
Lib. 2. de venat.

Ὀξύκομον κεράων πολυδαίδαλον αἰόλον ἔρνος.

Idem mox cornua ἐυχίδεα uocat, idest, pulchrè diuisa. Hesychius ipsos ramos peculiari uoce λέρες uocat. Sunt qui ipsum ceruum ramosis utrimque cornibus ἀμφίδωρον uocant, quasi uerò δῶρα sint cornuum rami, cùm sit δῶρον palmus potius, quare & δῶρα munera dicebantur, quia manu darentur. Albertus infimos ramos uersus frontem rectè ait procedere, nec erigi, his enim pugnare ceruum, (quamobrem Græci ἀμυντῆρας uocant, Gaza uertit adminicula) reliquis uentilare. Differunt etiam ceruorum cornua à cornibus cæterorum animantium, si Plinio, & Aristoteli cre-
C dimus, quod, cùm omnibus sint caua & in mucrone demum concreta, ceruis tantùm solida sint; & cùm cæterorum ossibus adhæreant, ceruorum tantùm cutibus enascuntur, sed talia etiam esse rangiferorum cornua suspicor. Aiunt item ea decidua esse tum vtilitatis causa, vt onere leuentur, tum ex necessitate præ pondere. Cæterùm hic rursus Aristoteli refragari ipsam experientiam, tradit Aemilianus: Etenim & capreoli, inquit, cornua gerunt solida, & decidua, licet multò minora, quàm cerui, quorum interior pars minus densa, quam extima: rectiùs autem indicauit, inquit, Albertus vbi hæc prodidit: *Adhuc autem multorum animalium cornua sunt vacua apud caput, & superiùs solida præterquam in ceruo, & habentibus cum ceruo forsan naturam similem, sicut caprea, & hircoceruus & huiusmodi, quæ in vtroque termino sunt dura, & sunt multæ ramificationis.* Adhuc autem nullum animal mutat cornua præter ceruum, & ceruina animalia, sed de mutatione postea. Fiunt autem cornua ceruina adeo solida, & dura, vt soliditate, duritieque sua ad lapidum naturam accedant, qualia in ædibus Reuerendissimi Cardinalis Gaddi obseruaui: quod etiam cecinit Orpheus in libello de lapidibus:

Cornua ceruorum vt ab aliorum animalium cornibus differant.
Lib. 3. de animal. tract. 2. cap. 1.
Ceruinorum cornuum soliditas lapidea.

D

Φύει γε μὲν ὀ ποτὶ κόρσην
Πέτρη, ἀλλ᾽ ἔμπης πέλεται κρατερῇ τέ γε πέτρη
Οὐδέ κεν ἂν γνοίης κέρας ἀτρεκὲς, ἢ λίθος ἐστὶ,
Πρίν κέ μὴν ἀμφαφόων εὕροις νημερτέα λᾶαν.

Sensus est: In exortu nō esse quidem lapidem, nihilominus verè solidum esse lapidem: Licet equidem non agnoscas cornunè verum sit, an lapis, si interim contrectes, lapidem esse fateberis. Tradit idem Albertus cornu animalium ceruo similium interius rarum, & meatibus paruis peruium esse instar substantiæ, quæ aliorū cornibus infigitur, additque ceruinum quidem cùm aruerit perquam leue reddi, præsertim si sub dio fuerit, ita vt nunc humeat, nunc siccet; Inueteratum enim hoc modo, tam leue reddi, vt euanidum, & inane videatur, quod ipse deprehendit in cornibus, quæ per syluas à ceruis abiecta reperit. Ceruis igitur, & similium animalium cornua, terreæ esse naturæ, calore valido coacta, & ad ossis substantiam accedere. Cætera verò his collata humida esse, & molliri apta, cartilaginis naturæ vicina, & flexibilia calore: quamobrem non calore, sed frigore concreta videri, vt intelligitur, inquit, ex ijs, quæ in meteorologia docentur. Testatur verò etiam Gesnerus obseruasse se, in consummati cerui cornibus mucrones, siue ramulos supremos, qui bini alioqui, aut terni subinde spectantur, septenos, & in eodem loco stipitis latitudinem sex

Cornua ceruí qui lenia fiant.

digi-

digitorum, inferius autem fuiſſe alios binos ramos, & adminicula: Obſeruauit item inter craneũ cerui, & cornua officula, ſiue tubera gemina oſſea protuberantia, læuia, duos circiter digitos longa, eò breuiora, quò ceruus natu maior eſt: Horum ſingulis ſingula, ait, adnaſci cornua per ſymphyſin quandam, & quaſi articulationem. Addit denique ſubulonis cerui cornua ſe vidiſſe dodrantis circiter longitudine: furcarij verò vulgò dicti, (eins gablers) qui trimus eſt, duorum & amplius dodrantum. Addidi hic ego ſubulonis cornua, & recta, ac etiam aliud caſu fractum, ſed obducto callo reſtitutum: quæ ex Germania mihi miſſa in muſæo aſſeruo; ſunt autem & læuia, atque albicantia, minimèque rugoſa. Cùm verò cornua tum ob ſoliditatem, tum ob proceritatem grauia ſint ceruis, vt dictum eſt, natura, vt tradit Ariſtoteles, celeritate, atque agilitate corporis impedimentum illud compenſauit. Quibus cornua, inquit, præ nimio exceſſu ſuperuacua ſunt, ijs alterum auxilium natura adhibuit, vt ceruis velocitatem, grãdis enim illa, & multifida cornuum magnitudo potiùs obeſt, quàm prodeſt. Quæ tamen verba non ita accipienda exiſtimat Aemilianus, vt eam tantùm velocitatis in hoc animali cauſam eſſe voluerit philophus. Dici enim poteſt, inquit, ideo etiam curſus celeritatem conceſſiſſe naturam, quia quandoque inermes, & cornibus mutilati ob armorum carentiam, cùm pugnare, & congredi non poſſint, fuga ſaltem, celeriq; pernicitate tum venatorum, tum immanium beſtiarum moleſtias euitarent. Iam verò quotannis cur decidua ſint ex Ariſtotele eodem dictum eſt; amittunt autem ea vere, menſe nimirum aprili, teſtante eodem, & ſolis ipſis id contingere ait, his verbis: Soli ceruo cornua omnibus annis decidua initio à bimatu: cęteris perpetua, niſi per vim aliquam amittant. Ita & Plinius: *Cornua, inquit, mares habent, ſolique animalium omnibus annis ſtato veris tempore amittunt.* Sed & Theophraſtus teſtatur cornua quotannis amittere. Idque cur eis ſolis contingat, multis rationibus explicari poteſt: primùm ex materia, qua conſtant; quoniam ſicca, & terrea ſunt, vt ceruus ipſe totus, nempe hirco ſimilis temperamento, calido ſiccoque: Cadunt autem faciliùs, vt in ſtirpium quoque folijs, quę ita ſunt arida, vt nullum habeant lentorem, aut tenacem ſuccum, qualis cæterorum cornibus ineſt, cuius gratia flecti, mollirique poſſunt: Deinde ex loco, quoniam, vt diximus, non ex cranio naſcuntur, vt reliquis, ſed cuti tantùm adhærent: Tertiò ab efficientibus cauſis; nam & calore æſtatis ſicca, durioraque fiunt, & hyeme ſubſecuta à frigore ſimiliter afficiuntur: nam, vt quodque ſolidius eſt, ita magis refrigeratur; refrigeratis autem nimium, pori clauduntur, & calor natiuus emoritur, vt neq; alimentum attrahi poſſit, & viæ, quà trahi debebat, præcluſæ ſint: quod in cæteris, cùm omnium caua ſint, & vapores excipiant, non æquè contingit. Sic igitur affecta cornua cadunt tantùm, ſiue offendentibus ipſis, aut impellentibus vltrò, aut inter ramos, & vimina quandoque implicatis, ſiue etiam ſponte, ipſo nimirum pondere, depreſſa: non prius autem hoc contingit, quam verno tempore noua ſubnaſcuntur cornicula, & tuberculis ſuis vetera protrudũt: quo tempore etiam ſerpentes, & alia quędam animalia aridum, induratumq; deponunt exuuium cuti noua naſcenti. Sed eadem de re Aelianum audiamus, interprete Gyllio: Cauſam, inquit, ceruis cur cornua renaſcuntur, Democritus eam dicit, ventrem ijs calidiſſimum eſſe, & corum venas per vniuerſum corpus pertinẽtes eſſe rariſſimas, & os, quod cerebrum amplectitur, membranę inſtar tenuiſſimum, & perrarum eſſe, indeque ad ſummum capitis verticem craſſiſſimas, atque opimas venas oriri: Itaq; cibum, & huius nutrimentum minimè concoctum, à natiuo calore in totum corpus, eiuſque partes diſtrahi. Idemque ait, eis pinguedinem extrinſecus circumfundi ſimul & cibi vim per venas in caput retorqueri, & reflecti, ex eo cornua permulto humore irrigata enaſci. Continenter enim vicinis ad cadendum ſuccreſcentia, & influentia ſubmouent, atque expellunt priora, ac ſanè exortus humor extra corpus dureſcit ab aere eum ipſum conſolidante, & in corneã duritatem confirmante. Humor autem qui etiam nunc intra cutem ſubeſt mollis, & tener, partim ab exteriore refrigeratione dureſcit, partim ab interiore tepore tenér manet. Quocirca recẽs cornu enaſcens ad depellendum antiquum infirmius eſt: At dureſcens priora extrudere poteſt, quorum pleraque interno robore extrahuntur: nonnulla arborum ramis circumplicata, & feram ad curſum incitatam vi impedientia abrumpuntur: Eo pacto vetera excidunt, recentia ad erumpendum parata naturæ munere proferuntur. Hactenus Aelianus. Democrito ſubſcribit quodammodo Baſſianus Landus Placentinus; cùm enim dixiſſet cornua caduca ſingulo vere, & decidua ob eam fortaſſis rationem, quod ea ab cute eorum tantùm emergunt, parum fixa, cùm cornua cæterorum animalium oſſe ſuſtententur, aut quòd cùm extra prominentia ſint, & nuſquam in profundo abſtruſa, ſoli ceruo contingit, vt collabantur: Atqui fortè, inquit, aues ſcire, cur vere ſolis ceruis cornua decidant. Equidem propterea id eſſe opinor, quia nec æſtate conuenit, ſi cælo æſtuante humores exhalant, & imminuuntur: nec autumno, ſi ſiccus ſit, nec hyeme; nam qui fieri poteſt, ſi humorem lentum, & glutinoſum exuberrantem reddat? Ver autem huic commodiſſimum inuenimus, quia humor non apprimè tenax eliqueſcit. Scribit præterea Ariſtoteles, cùm recipiunt cornua,

Ceruis agilitas ad quid data.

3. de partib. cap. 2.

Cur & quando ceruis decidant.

Quomodo ceruis cornua renaſcantur.

Lib. 1. de hiſter. hum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cornua, ea primùm quasi cute vestita, & hirtiuscula emittere; & Plinius, *erumpunt*, inquit, (ceruis cornua, postquam abiecerunt) *renascentibus tuberibus primò aridæ cutis similia: eadem teneris increscunt ferulis, arundineas in paniculas molli plumata lanugine*. Qui Aristoteli, Plinioque atq; alijs refragantur de cornuum casu annuo, rei falsitatem inde arguunt, quòd tantæ molis incremētum, cum tam insigni duritie nimis velox foret, aut saltem ramorum numerus maiore interuallo, quàm vnius anni, indigeat, vt augeatur: Nam & ipse Aristoteles annorum numerū à ramorum numero, vt suprà ostensum est, rimatur. Cornua autem, quæ in syluis, alibique inueniuntur non à ceruis deposita, sed à uenatoribus proiecta asserunt: Budæus tamē Aristoteli subscribit, vernationemque restibili sobole velut materiam recidiuam paucis mensibus in integrum restituere edoctus à venatoribus peritis, quibus puto etiam credendum est. Tradit porrò Aristoteles reperiri quandoque ceruos hederam cornibus innatam, & germinantem gestantes: Verba philosophi sunt hæc: Captus iam ceruus est hederam suis enatam cornibus gerens viridem, quæ cornu adhuc tenello fortè inserta, quasi ligno viridi coaluerit. Idem affirmauit lib. de admirādis auditionibus,

Lib. 9. hist. cap. 5.

B & Plinius in mollioribus ceruorum cornibus hederam coalescere, dum ex arborum attritu illa experiuntur, tradit, rationem quodammodo reddens ipsius accretionis, quam & Iulius Scaliger attingit apud Theophrastum dicentem, hederam in multis creari, & quod mirabilius (παραδοξότερον) visam esse in cornibus cerui etiam aliquando. *Commouit*, inquit Scaliger, *virum accuratum cerui cornibus hærens hedera. Quid enim eò seminium detulit? Nihil tamen attulit causæ, sed elapsus nos sub cultro reliquit*. Sanè videtur in eruptione cornuum affricatum hederæ ceruum abrupisse nonnihil cùm radicula, quæ aliquam in partem molliorem sese induerit. Cæterùm fuerit etiam hederæ, cum ceruino cornu quædam sympathia, dummodo verum est, quod scribit Gaudentius Merula citans Aristotelem, hederam nasci, vbi ceruinum cornu fuerit defossum. Postremò Oppianus ceruis castratis cornua defluere scribit, dum canit:

Ceruorum cornibus hedera innata.

Lib. 2. de caus. c. 23.

Hedera cum cornu ceruino sympathia.

4. memorab. cap. 24.

Κεύθουσι λαγόνεσσι δ᾽ ὑπ᾽ αὐτὴν ἔνδοθι νηδὺν
Ἀμφιδύμους ὀλκοὺς, τοὺς εἴ κέ τις ἀμήσειεν
Αὔτικα θῆλυν ἔθηκε, πρόπαν δ᾽ ἀπέρευσε καρήνων
Ὀξύκομον κεράων πολυδαίδαλον, αἰόλον ἔρνος.

C Vertit Bodinus:

At gemini latitant intus sub ventre canales
Non procul à lumbis, quos qui præciderit, inde
Fœmineum reddet ceruum, atque è vertice summo
Prolabetur acuticomans ramale superbum.

Vertit autem ὀλκοὺς, canales, cùm poeta testes potius intelligat, licet in ea significatione in Grammaticorum lexicis nusquam annotatum reperias. Sed ad veritatem quod attinet credendum potius videtur Aristoteli, Plinio, & Solino, qui contrarium scribunt: Cerui, inquit Aristoteles, si, cùm per ætatem nondum cornua gerunt, castrentur, non edunt cornua, sed si cornigeri exciduntur, nō decidunt cornua, & magnitudine eadem seruantur. Et rursus alibi: Ceruis tantummodò cornua omnibus annis decidua, nisi castrentur. Sic & Plinius, & Solinus: non decidunt, inquiunt, castratis cornua, nec nascuntur. Quod modò ad cæteras corporis tum internas, tum externas partes attinet, facies, vt tradit Aristoteles, ceruis carnosa est, nasus simus, collum oblongum, & exile. Oppianus collum ὑψικάρηνον. i. excelsum nuncupat. Idem & nares quaternas tribuit, totidemq; meatus:

Castratio quomodo ceruis cornua demat, vel contrà.

In physiogn.

Facies qua.

Nasus.

Collum.

Τετράδυμοι ῥῖνες, πίσυρες πνοιῇσι δίαυλοι.

D Musculos item temporales, & exiles & debiles habent, vt tradit Galenus. Aures Plinius alijs animalium maiores, alijs minores esse tradit, ceruis verò tantùm scissas, ac velut diuisas, sed præcipitanter; nam Aristoteles id peculiariter de ijs scribit, qui circa Arginussam in Elapho monte versantur, idque idem Plinius adstruit. Dentes habet quatuor vtrimque tum supra, tum infra, vt annotat Albertus, quibus molit cibum, & insuper alios duos magnos, qui mari, quàm fœminæ maiores sunt, vergunt autem omnes deorsum, ita vt repandi videantur. Id capite, inquit idem Albertus, & Plinius, inesse ceruis vermiculi sub linguæ inanitate, & circa articulum, quà caput iungitur, numero viginti produntur. Sed Aristoteles, vermes, inquit, cerui continent omnes suo in capite, viuos, qui nasci solent sub lingua in concauo circiter vertebram, qua ceruici innectitur caput, magnitudine haud minores ijs vermibus, quos maximos carnes putres ediderint. Gigni vniuersi, atque contigui solent, numero adeo circiter viginti. Apparret itaque gigni, ita, & cohærere, vt vermes in lumbrico lato, quos cucurbitinos appellant recentiores. Gesnerus testatur se ab oculato teste, fide digno, audiuisse, qui se vidisse affirmabat, dissecto cerui capite recenti non viginti tantum, sed plurimos omninò vermes, eosque non cohærentes, sed discretos: Esseque, qui dicant, non omnibus innasci. Cæterùm liceat hic, inquit Cardanus, tanti philosophi pudorem ingenuum videre,

Musculi tēporales.

11. de vsu part. c. 2.

Aures ceruis quales, & vbi scissę.

Dentiū numerus & situs.

Vermiculi vbi nascantur.

Lib. 7. de varies. rerum cap. 33.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dere,qui quæ nouit, ſenſu retulit, ab obſcurioris cauſæ aſſignatione abſtinuit; Cauſa igitur huius eſt cornuum magnitudo; quod enim ſuperfluum eſt in radicibus, exeditur ab his,non ob cornua iam facta, ſed cerebri temperiem: multum enim humidum terreum abundare in eo neceſſe eſt. Quod ſi vel cornua minora eſſent,vel caput maius,aut incrementum tardius,hæc neceſſaria adeo non fuerant. Tantum ille. Verùm ſi ſub lingua circiter vertebram naſcuntur,cornua verò cuti tātùm inſerantur, vt oſtenſum eſt, non video, quomodo radices eorum à vermibus exedi poſſint. Quare alius locus vermibus fuerit tribuendus. Equidem Geſnerus teſtatur ſe audiuiſſe circa meſſis tempus, cute omnibus obducta,vermiculos quoſdam ſubnaſci,qui cornus ſuperficiem inæqualiter exedunt, & exaſperant,eoque tempore ceruum vermiculos ſentientem,& prurientem arboribus cornua affricare,quod noſtrates,inquit,dicunt,firnen. Dicunt itidem,teſte Alberto,in capite cerui annoſi intra os oculi veſpas, & formicas generari, & aliquando progredi. Paulo aliter author libri de naturis rerum: Venatores,inquit,aſſerunt,quòd in ceruo natu grandi,oſſe capitis ſub oculo terebrato, veſpæ concretæ, & formatæ interius ex humore ſuperfluo, vel, vt alij autumant,ex medulla prodeant euolantes, & tunc negant eum poſſe diutius viuere,niſi eſu ſerpētium renouetur:aliquando etiam eodem modo veſpas dicunt prodire concretas è naribus cerui. Apparet autem,vel Albertum erraſse,qui pro *formatæ* legerit *formicæ*, vel alterum,qui contrà. Hoc tamen ad lectionem loquor; nam quod ad rem ipſam, neque veſpas, neque formicas in animantis viuo corpore naſci crediderim, veriſimileque eſt ex malè intellectis Ariſtotelis ſuper vermibus verbis,errorem ortum eſse.

Sanguis. Sanguis, teſte Ariſtotele,nullas continet fibras,& nunquam propterea ſpiſsatur. Idem in 4.meteororum,ceruinum ſanguinem non coire,ſcribit,quoniam aquæ naturam magis ſapit, ac frigidiſſimus eſt,& propterea fibris carere,quæ opera terræ ſunt,ſolidèque conſiſtunt. Tradit & Plutarchus in quæſt.natural. cerui ſanguinem tenuē eſse,& aquoſum,ideoq; timore conſternatum animal. E contrario Bald. Ang. Abbat. lib. 6.diſquiſ.cap. 6. fibris plenum, coagulatumque obſeruaſse ſe ſcribit, & certa aliorum comprobatione conſtare.

Oculi. *Cor.* Oculi magni ſunt;cor item proportione magnum,quod omnibus timidis, aut propter metum maleficis, commune eſse Plinius tradit. Cùm ſuprà de lapide bezaar agerem admonebam obiter, eſse etiam, qui lachrymam cerui dicerent, ſeu potius lapidem in cantho oculorum cerui concretum,qua de re Ioannes Agricola in hæc verba tradit: Belzahart eſt antidotum contra venena epotum efficaciſſimum, & prorſus diuinum. Siquidem probatiſſimus medicus Auenzoar libro primo teſtatur ſe hoc vno medicatum eſse quendam, qui perniciosiſſimum uenenum ſumpſerat,&c. Cæterùm,

Origo belzahart,magnitudo,& ſubſtantia. huius medicamenti origo eiuſmodi eſt: Ceruus poſtquam cum ſerpentibus congreſsus eas deuorauit,ſiti correptus,præſertim in regionibus orientem verſus,vbi prægrādes reperiri conſtat:(ego iſtiuſmodi prægrandes lapides non in canthis oculorum cerui, ſed in capræ bezoarticæ ventre reperiri autumo) mox ſtagnum, aut flumen aliquod quærit, in quod ſe immergat; inde tamen, natura ita docente, velut Tantalus in medijs ſitiens fluctibus, non bibit, nam ſtatim concideret mortuus ſi quid aquæ deguſtaret. Erumpunt autem lacrymæ ex oculis,quę paulatim craſſeſcunt, coguntur,& coagulantur, & in caſtaneæ magnitudinem excreſcunt. Quas, poſtquam ex aquis euaſit ceruus, deciduas homines obſeruant,ac colligunt. Hoc eſt illud belzahart tantæ apud eos, qui poſsident, æſtimationis, vt cuiuis veneno vel medium vnguem oſtendant. De eodem Ferdinandi Ponzetti Cardinalis,verba hæc ſunt; Experientia cognitus eſt ad omnia venenorum genera pollens lapis, quem vocant kemne,ſeu bezar colore citri ſplendens,odore vini;natus ex lacrymis ceruorum. Infirmi enim ætate flumen quoddam ingrediuntur in oriente, & ſtant in eo immerſi vſque ad caput, donec emittant lacrymas,quæ frigiditate aeris,& aquæ coagulatæ vertuntur in lapidem, magnitudine auellanæ,qui exeuntibus à flumine decidit. Hæc ille. Et Andreas Bellunenſis bezaar propriè,ait,eſſe lapidem, qui dicatur lacryma cerui, generata in ceruis,quia comedunt uiperas maximè in Perſia. Idem aſſerit, erui etiam hunc lapidem è terra, & fodinis, ut tradit,inquit, Tiphaſi Arabs in libello de gemmis,qui ex Arabico in latinum ſermonem translatus eſt. De hoc eodem ex ceruorum lapide bezaar,ita ſcribit Theomneſtus grauis ueterinariorum medicinæ author; Ceruos,uermes inteſtinorum inuolucris implicitos,ſerpentium eſu enecare, quos ex cauernis narium ſpiritu eliciunt, & ne illorum uirus ipſis obſit, ad fontes aquarum accelerant,quibus ad labra uſq; ſe immergunt,tunc oculis lacrymæ lentæ deſtillant,quę uiſcedine ſua coagulatæ,in angulis oculorum in lacrymas nucis iuglandis pendere,coaleſcunt. Deinde cùm ſe ueneno exoneratos ſenſerint,aquam egreſsi in latebras diuertunt; &,ut lapis ille uiſus obſtaculum decidat,caput arboribus affricant,quem inuentum, ut bezaar contra quoduis venenum, antidotum efficaciſsimum,uenatores Siciliæ,& orientis magni vēdunt. Scaliger etiam in exercitat.

Exerc. 112. aduerſus Cardanum de eadem re differit quidem,ſed lapidem eſſe negat. Cerui lacrymam remfortaſſe tibi minus notam in noſtris Muſarum theſauris habemus cariſsimam. Ante centeſimum

annum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A annum in ceruo nulla est. Post eam ætatem accrescit ad oculi cãthum, ipsis ossibus, atq; in os protuberãs concrescit, ea duritie, qua cornu superet. Qua parte prominet, rotũda est, insigni nitore colorisfului non sine vestigijs atriorũ venularũ. Tanta leuitate, vt penè tactũ effugiat; Ita.n. sese subtrahit, vt seipsam propemodũ mouere videatur. Cùm hæc in circulis aliquando recitarẽ, vnus ex ijs, qui è legatorum comitatu rerum Asiaticarũ cognitionẽ profitebatur, negabat ad ceruũ quicquam attinere, sed esse verè lapidẽ. Ego illi postridie ostendi, qua parte ex osse fuisset auulsa. Hãc Solimanus olim dono dederat Samblãcardo Trierarcho. At ea ego postea eius filij Bernardi Oruesani munificentiã expertus sũ. Scribonius Largus oculi sordes vocat: Rus, inquit, vbi secesseris, habere in incinctu oportet peucedanũ, vel cerui, cũ captus est, in oculi angulo, qui est nares versus quæ inueniũtur sordes virosi odoris: has Siciliæ venatores diligẽter colligunt, & habent in cincto propter antè dictam causam. Istiusmodi lacrymã mihi aliquando ostendebat R. Marcus Medices ordinis prędicatorũ Veronensis vir apprimè eruditus. De osse cordis ceruini, ꝙ in multis ad cordis affectus antidotis recipitur, maxima est inter doctos disceptatio nunquid reuera detur. Andreas Vesalius anatomicus excellẽtiss. negligendã esse illorũ omninò vult oscitantiã, ꝗ in cordis affecti-

Cap. 42.

Os cordis cerui vtrum detur, & vbi, & quando; & qua figura.

B bus magno supercilio (vtor eius verbis) os cordis cerui, nescio quib. gẽmis, & auro mixtũ propinãt, cũ interim ceruo nõ aliud os, quã vitulo, aut cani, aut sui insit, cartilagineę nimirũ magnę arterię, & venæ arterialis radices. Et officulũ illud ꝙ è ceruorũ cordib. exemptũ pharmacopolarũ officinæ hactenus emẽtitæ sunt, aliud nihil esse cẽset, quàm grãdius agni hyoidis ossis officulũ, quod continuũ est, & λ similimũ: nisi quod dexterũ crus etiam transuersim sinistrũ decussatim secat, & alterum crus altero breuius sit; quod etiã ouina lingua, quoties mensæ apponetur, luce clariùs edocebit. Vesalio subscribit quodãmodo Syluius his verbis: Os à corde cerui humanũ cor totius substãtiæ similitudine roborare Actuarius cũ Arabibus consentit; (Sextus etiã, officula inueniri in corde cerui, aut in vulua eius, testatur) sed ab aliorũ animalium maiorum corde potiùs fuerint, quæ tam multa proferunt pharmacopolæ, quàm à corde cerui. An verò cartilaginosa hęc substantia magis præstare id queat, quàm cordis, aut arteriarum corpus, ipsi viderint. Sed & Anton Brasauola Venetijs bubulum, aut vaccinũ quoddam os vendi, quod verè os est, etiam ingenti pretio, ait, pro osse de corde cerui. Se verò duo corda cerui aperuisse, vnum statim à cerui morte, in quo neruus qui-

C dam, aut cartilago neruea apparuit non admodum dura, in crucis modum: alterum interfecti ante sex dies, cuius neruea cartilago multo durior erat, & tensa tali ferè figura, quali Venetijs os de corde cerui venditur, bubulum, inquit, illud, aut vaccinum. Illius autem nerui vim apud veteres non memorari, minusque in roborando corde valere, ait. Hisce viris doctissimis fauere apparet Aristotelem, qui testatur cor sine osse esse omnium, quæ ipse nouit, præterquam equi, & boum generis cuiusdam. E contrario sunt Arabes, eosque secuti Græci recentiores Actuarius, & Nicolaus, qui non semel os de corde cerui describunt, & ex antiquis Plinius: *Inueniuntur*, inquit, *& officula in corde* (ceruarum) *& in vulua perquam vtilia grauidis, parturientibusque*. Et in tertio euporiston 174. attributo Galeno legimus, os cordis cerui tritum potui da mulieri sterili, & videbis gloriam Dei. Platearius non simpliciter in corde inueniri, sed peculiarem in eo locũ assignat; In corde cerui, inquit, reperitur quoddam os parte sinistra, vbi quędam concauitas est, in quam splen respirat, & excrementa emittit, quæ illic ob siccitatem suam in osseam vertuntur substantiam: Est autem hoc os de sanguine cordis, subruffum, & melancholicum expellendi fumũ, vim habet: datur etiam contra cardiacã (sic vocat pulsum, seu tremorẽ cordis) syncopen, & hæmorrhoides. Alij non os, sed cartilagineam osseam eodem loco reperiri, & esse aiunt. Apud Andernacum Matheti quærenti,

Lib. 20. cap. 19.

D in qua parte os cordis inueniri possit, respondet pręceptor: Sinistro detecto sinu, maximèq; arterię tota basi aperta, radices illius, & membranarũ sequere, ac facilè reperies: nã arteriæ aortæ, venæq; arteriosæ, & membranarũ earundem radix ex ossea illa cartilagine cordis procedit. Gesnerus verò rei veritatẽ inuestigaturus affirmasse sibi scribit quẽdam rei venatoriæ peritum os in corde ceruiquidẽ reperiri, sed non alio tẽpore, quàm eo, ꝙ inter duos D. Virginis dies festos intercedit, hoc est, à medio circitur Augusti ad Idus vsq; Septẽbris. Alij rursus senectuti ceruorũ os hoc adscribũt, atq; inter alios Thomas Iordanus in pestis phęnomenis tract. 3. his verbis: Statuũt aliqui cartilaginem, bronchia pulmonum alij, viscosum quid nonnulli, sunt qui mordicas negant aliquid vnquam in cordis finibus repertum ossi simile, vel ex eo, quòd nullius esset vtilitatis illuc. Vbi omnis generis feris abũdamus, sanè hanc litem decidere possumus. Reperiuntur ossa omnibus propè ceruis, annosioribus tamẽ maiora, minora iunioribus, crucis interdũ forma decussatim mutuo intersecta. Quid mirum, si boũ quoq; exsectos plures duodecim Marsallus Bohemię illustris asseruat, & quotidie plures inquirit? Etiã lapides ex ceruino corde exẽptos vidi oui propè colũbini magnitudine, laminis conflatos, & quod iucundum fuit aspectu, postquam comminutus fuit, repertũ est officulũ in meditullio, simile cæteris ossibus corde prognatis, circa ꝙ putamina hæc sese aggregando amplificauerant, & in hanc molem atq; duritiem calore cordis extorrente lapillum produxerant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Eum longè prætulerim cuiuis bezaar, cùm non capræ ventriculo,ſed animalis alexicaci cordere-
pertus, maiorem affinitatem nobiſcum habere veriſimile ſit, niſi in paſtum cauſam referas, quod
capræ illæ pabulo pollentiore veſcantur, quàm cerui apud nos. Similiter Ioannes Rmodæus Me-
dicus regius Pariſienſis:Maximè,inquit,celebratur officulum,quod ad baſin cordis ceruorum an-
noſorum habet adhæſum,quod à figura crucis,quam non malè refert,venatores crucem cerui ap
pellant, plurimumque ad cordis affectus valere,non ſolùm ipſi experientia ducti docuerunt, ſed
& Medici præter experimentum , ratione docti confirmarunt. In ceruis iunioribus non os, ſed
cartilago tantum eſt. Cauda, teſte Ariſtotele,ipſi perexigua eſt vituli marini modo;Crura etiam
perquam ſunt gracilia,teſte Oppiano,omnia ſcilicet,nã & Galenus,ceruis,canibus, equis, & alijs
ſimilibus anteriora κῶλα,ideſt,crura,poſterioribus ſimilia facta eſſe tradit, idq; ipſis conferre ad
velocitatem.Plures habet ventres,vt capra,teſte Ariſtotele,qui & alicubi, ruminare eum planum
eſſe teſtatur , & ait item genitale habere neruoſum more cameli. Inteſtinum verò tam tenue,im-
becilleque,vt etiamſi leuiter percuſſeris, poſſit rumpi cute adhuc integra:Ait item felle vacare, F
ſed inteſtinum eius adeo amarum eſſe, vt ne à canibus quidem attingatur, niſi ceruus præpinguis
ſit:Et alibi,inquit,ideo ceruum longæuum eſſe,quia felle caret;& Plinius:*Cerui*,inquit,*fel nõ ha-*
bent,quod hominum paucis non eſt,quorum valetudo firmior,& vita longior. Idem hic eſſe etiam ait,
qui ceruo fel nõ in iecore eſſe,ſed in cauda,aut inteſtinis putẽt,ideo tantã habere amaritudinem,
vt à canibus non attingantur. Cæterùm Ariſtoteles non queslibet ceruos,ſed Achainos cognomi-
ne fel continere in cauda,credi ſcribit:eſſeque,quod ibi contineri aiunt,colore quidem ſimile fel-
li,ſed non ita, vt fel humidum,ſed lieni ſimile parte interiore. Mirũ igitur de Achainis ceruis nul-
lam apud Plinium,& alios latinos mẽtionem extare,cùm Ariſtoteles diſertè diſtinguat. Hoc etiã
nunc ſubit, extremam cerui caudam fortaſſis illam ob cauſam venenatam eſſe,quod fel in ea con-
tineatur. Fellis enim in multis animalium venenoſam eſſe naturam traditur. Equidem Matthio-
lus venenum illud viridis, aut flaui coloris eſſe ſcribit,qui color felli optimè conuenit,planèq; fæ-
tiſſimum , & quod in cibo, potuve ſumptum intolerabilem corporis anguſtiam, ſyncopen,& alia
ſymptomata afferat,quæ napellus excitare ſolet,auxilium eſſe,ſi poſt vomitum ex butyri potu di-
midius triti ſmaragdi ſcrupulus cum vino bibatur,piſtacia, & auellanæ edantur,poſtea verò cor- G
pus vniuerſum perfricetur cum oleo ex ſemine citri, & theriacæ drachmæ duæ propinentur.Sum-
pſit hęc Matthiolus ex Petro Aponenſi,qui & ipſe ex Auicenna,& Rhaſi ferè tranſtulit. Ferdinã-
dus Ponzettus ſcribit,humorem aduſtum in caudam cerui tranſmitti,ne inficiatur reliquum cor-
pus,additq; veneni huius antidotum eſſe oculum cerui,vel eiuſdem,vel alterius. Iam verò ceruus
ceruo minor eſt, animal aliàs aſpectu egregium, mutilum cornibus,viſu acuto,miræ velocitatis,
quaterna,teſte Ariſtotele,habet vbera,vt vacca. Cur verò mammas binas inter femora habeat,
ex eodẽ ſuprà in hiſtor.de vacca,expoſui. Galenus verò de fętus tunicis agens,ac de venis & arte-
rijs, quæ ex vtero in ipſum inſerũtur,aſſerit,quòd in omnibus animalib.,quæ ſuaptè natura ad ſa-
liendum ſunt procliuia, vt ceruis, & capris vaſorum productiones matricibus ſint connexę,nõ pe-
tenues modò membranas,ſed cum eis etiam per carnes viſcoſas,velut pinguedinem quandã,ſper
cimen eſſe mirabilis prouidentiæ. Dorſum deniq; cùm pingue eſſe dicit Oppianus,de vtroq; pu-
to ſexu locutus eſt.

Lib. 3. de re med. c. 19.

Cauda qualis ceruo.

Crura.

Lib. 3. de vſu part. c. 1.

Ventres.

Genitale.

Inteſtinum.

Fel.

Qui cerui fel in cauda habeant.

Caudæ extremitas in ceruis cur venenoſa, & eius antidotus.

Vbera.

15. de vſu part. c. 4.

Dorſum.

LOCVS.

IN Achaia,quo ab Aegira Phelloen via ducit,caſtellũ minimè clari nominis,ea,qua
locus maximè ſaxoſus eſt, parte, multæ paſſim ſunt quercus, multæ itẽ feræ,cerui
in primis & apri,vt Pauſanias teſtatur. Achainis ceruis fel credi cõtineri in cauda
ex Ariſtotele annotauimus , apud quem græcè legitur Ἀχαΐναι vox tetraſyllaba,
& oxytona . Cæterùm vbi apud eundem græcè habetur : ἤδη δὲ εἴληπται Ἀχαΐτης
ἔλαφος &c. Gaza omiſſa voce Ἀχαΐτης triſyllaba paroxytona,vertit: captus iã ceruus eſt hederam
ſuis cornib.enatã viridẽ gerẽs,quæ cornu adhuc tenello fortè inſerta,quaſi ligno viridi coaluerit.
Quo loco pro Ἀχαΐτης, legendũ cenſet Geſnerus Ἀχαΐνης,ſiue Ἀχαΐνη,vt habet Varinus. Eſt autem
Achæa,ſecundum eundem Varinum,ciuitas Cretę,vbi Achæineæ,inquit,dictæ ceruæ naſcuntur,
quæ etiã σπαθηναίαι vocantur. Apparet tamẽ σπαθηναίας ab Achainis differre,cùm certam cerui
ætatem ea vox denotet, & à figura cornuum deriuata ſit, & ipſi Varino , nec non Heſychio σπα-
θήνης , genus , aut certa ætas cerui eſt. Strabo Achæos Cretæ populos facere videtur his ver-
bis. *Cydoniatę ſuperioribus annis vicatim habitabant poſtea Lacones , & Achæi conuenientes ha-*
bitauerunt,& cætera. Indeque manifeſtum eſt locum aliquem apud Cydoniatas Achaiam abin-
colis dictum eſſe,cùm in reliqua Creta cerui eſſe negẽtur,vt mox dicetur. Idem Ariſtoteles in mi-
rabilib. ceruos in Achaia cùm cornua abieccrũt,ſe abſcõdere dicit,& multis in cornuũ loco hede-
ram

In Achaicis.

Lib. 10. cap. 15.

Lib. 9. c. 5.

Achęa vbi.

Σπαθήνης quid.

Lib. 10. geograph.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Aram innatam apparere, vt Gaza loco iam citato Ἀχαΐνης vocem omittere non debuisse videatur. Africa nullos habet ceruos, teste Aristotele, Herodoto, & Plinio, qui & alibi inquit; *Ceruas Africa propemodum sola non gignit.* Verba Herodoti sunt: *Hę sunt illic ferę, & item cætera, quę alibi, pręter ceruum & aprum: Ceruus enim, & aper in Libya nullus est.* Cur autem ibi non sint, rationem hanc reddit Lambertus Horatius Montfortius in explanatione libri 1. Lucani, vbi inquit: *Africa ceruos non habet & ratio. In Melpomene.*

Sicut squallentibus aruis
Aestifera Libyes viso leo comminus hoste,
Subsedit dubius, &c.

Disertè *ęstiferam* dixit, quod meridiei subiecta sit Libya, at etiam propter æstum æstate propè nullas habeat aquas. In confesso est vndique sabulosa esse, maioremque eius partem intra tropicos solis contineri, qua vel sola causa squalleat, tot locis, & deserta est, quæque sola orbis partium minùs fert commercia hominum: adeo si cupias alicubi sedem figere, nulla vsquam se offert occasio. Cuius rei præcipua causa est aquarum, vt modò retuli, inopia: solum sabulo ceu cinere flaccidum, arenarum montes, qui cum ventis disijciuntur, non aliter, quàm in mari procellæ fluctuāt. *Libyæ delineatio.* Postrema iugens venenatorum animantium prouentus efficit, vt vbi ægrè colitur, agricolatores nisi ocreati colere, & arare terram nequeant, quo vno præsidio serpentum morsus eludunt. Atq; hæc præcipua causa est, cur non gignat ceruos, quod hoc animal serpentes pessimè oderit. Mirum igitur Ascanium apud Virgilium in Africa venari ceruos, sed & Aeneas etiam *4. Aen. 1. Aen.*

Nauim in conspectu nullam, tres littore ceruos
Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur
A tergo, & longum per valles pascitur agmen.

Suggillant igitur critici Virgilium, quòd fingat ceruos in Africa inuentos, & stratos, cùm Geographorum ferè omnium, & Plinij in primis authoritate, Africa ceruis careat, vt diximus. Quibus ita ex Aristotelis sententia respondet Nascimbenus, quædam peccata ex ignoratione fieri, quædam verò accidētaria esse. Hoc si peccatum est, non ignorationis artis esse, sed per accidens, quod facilè, inquit, condonari solet: nam poetæ verisimilia sequuntur: nec damnandi, si falsa sequātur, modò fuerint verisimilia. Quis autem historicorum, inquit, vnquam dixit eum in Africam delatum fuisse? & reuera non fuit: Fuisse tamen probabile est. Quamobrem nec Pindarus ab Aristotele damnatur, licet ceruæ cornua tribuerit, quæ omninò caret cornibus; nam hoc leuius peccatū est, quàm si rem aliquam malè descripserit; Id enim ex ignoratione artis nasceretur. Et ceruam habere cornua etsi verum non est, tamen habere posse, probabile est. Tantum Nascimbenus. Sed sic controuersia non tollitur: Nam Alexander Traianus referente Baldo Ang. Abbat. scribit in Africa ceruos reperiri. Et Ioannes Aemilianus ait Africam ceruorū, aprorumque feracissimam esse apud omnes haberi in confesso. Veruntamen, vt philosophi partes tueamur, dicendum putat, eiusmodi animalia posteriori æuo in Africam fuisse translata, quòd facilimè, inquit, phasianorum exemplo persuaderi potest: Etenim Phasiani à Phasi prægrandi Colchorum fluuio, vbi copiosè redundant, in Græciam fuerunt translatæ, & mox in Italiam ex Græcia transuectæ, tandemque, paucis ab hinc annis, Hippolyti Estensis amplissimi Cardinalis iussu in Transalpinam Galliam transportatæ fuerunt, vbi in nemore, aucupio maximè opportuno, libertate donatæ summa fœcunditate suam propagarunt prolem. Hoc idem & plantarum exemplo clarum est: quandoquidem persica in regione Persiæ lethalia mala adeo edebat, vt comedentes necarent: In Aegyptum verò traducta, omne Persis venenum reliquit, atque Aegyptijs hac migratione, innocua extitit. Huiusce rei, inter cæteros, fidem facit Galenus lib. 2. de semine cap. 1. Persica mala inde in Italiam delata in maximis delitijs habebantur, ita, vt Romæ, olim, dum ipsa totius orbis imperium moderaretur, singula eius mala tricenis denarijs venderentur. Quibus profectò exemplis facilè coniectari licet, vel ceruos ex Europa, Asiaue in Africam fuisse translatos, vel ipsosmet illuc tranando migrasse: Siquidem eos porrectò ordine, & præcedentium clunibus capita imponentes, maria gregatim transcēdere fertur &c. Verùm enim verò, si quispiam fortasse adeò pertinax fuerit, vt ijs non acquiescat responsionibus, nec tamen iste Aristotelē iure obiurgare poterit. Etenim in describendo animalium historia philosophus aliorum verbis, relationibusque fidē adhibuisse plerumq; coactus fuerit, tū ob maximam regionis distantiā, quas ipsum peragrare oportuisset, tum ob breue, angustumq; humanæ vitæ curriculū, vix enim nati morimur. Hactenus Aemilianus, cui facile subscripserim, sed quod de persicis malis tradit, vulgi opinionem secutus, perseam cum persicis malis ineptè confundit: nam persica mala vbiq; terrarū innocua sunt, perseam verò aliqui, teste Dioscoride, prodiderunt in Perside exitiosā esse, translatamq; in Aegyptū, mutata natura, in cibos receptam. Americæ incolæ, vt scribit Andreas Theuetus, cùm ceruos venati sunt, crura, coxasque posteriores amputant, superstitiosè admodum sibi persuadentes, si inte-

Virgilij defensio.

6. disquis. cap. 6. Syntag. 5.

Africa nūc abundat ceruis, quibus olim carebat.

Phasiani vnde dictę, & vbi abundent.

Persicorum olim Romæ pretium.

Aemiliani error circa persica mala.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

gros ad ſtabula perferrent, impares ſe ſuis hoſtibus fore. In Apulia Italię regione, & maximè propè Canuſium tanta ceruorum copia eſt, vt exercitus ſpecie exercitatiſſimos belli duces deceperit: Cùm enim ſub auroram aliquantulũ ſpatij Canuſium verſus profectus aliquando eſſet Ferdinandus rex Neapolitanorum cum vniuerſis copijs, renũciatum fuiſſe, tradit Pontanus, ab exploratoribus, ac leuis armaturæ equitibus, qui agmen præcedebant, hoſtem inſtructum, paratumque ſtare in acie, quo ex improuiſo agmen adoriatur ſub ſarcinis impeditum. Hoc nuncio accepto regem magno ſilentio agmen retrò vertere iuſſiſſe, maximèq; repentinum, atque inexpectatum Barolum petiſſe, ac ſecundùm foſſas partim in hortis, partim ſacris in ædibus, quæ ſunt extra vrbis mœnia, exercitum collocaſſe. Tantus aduentantis hoſtis terror cùm duces, militeſque pariter inuaſiſſet, tandem compertum, fuiſſe agmen ceruorum compaſcentium, quorum ea in regione, belli præſertim tempore, maxima, inquit, eſt copia. Hos ſub matutinum tempus paſtui deditos, ſparſim cùm errarent, vbi exploratores ſenſere equites, in vnum coactos dubia cum luce ſpeciem præbuiſſe hoſtilis agminis. Eodem mox rurſus teſtante fama tenet, Iacobum Caldoram ſolertiſſimum ætatis ſuæ imperatorem ducentem per Apuliam peditum, atque equitum non exiguas copias, eadem ſpecie deceptum, itaque conclamatum fuiſſe ad arma, & inſtructo cum exercitu ſtetiſſe eum in acie hoſtem expectantem, nec niſi poſt aliquot horas cognitum, errantem in paſtu maximè ingentem ceruorum gregem eſſe. Relicta ciuitate Carocaram à monte Alchai aquilonẽ verſus venitur ad campeſtria Bargu, quæ in longitudine quadraginta habent diętas, incolæ corũ vocantur Meditæ, parentque magno Cam, Tartarorum habentes mores, ſunt homines feri, ſylueſtreſq;, & veſcuntur carnibus ferarum, quę venatione capiunt, maximè ceruorum, quorum magnam, inquit Paulus Venetus, habent copiam, & adeo cicures faciunt, vt illis atquè equis, vel aſinis inſideant. In Batauia, referente Adriano Iunio, ceruorum, damarumque toto illo collium arenariorum tractu cum interiectis conuallibus, qui Egmondam vſque ab Hagenſi nemore in longũ porrigitur, magna frequentia eſt, quorum examina ſæpenumero certam perniciem ſatis adſerũt, ea depaſcendo, abſumendoq;, aut cubilibus ſuis obterẽdo, ſi fortè repagula perfregerint, aut ex incuria aperta inuenerint. Nam furcillis erectis excludũtur, quibus trãſuerſa tigna triplici, aut quadruplici ordine alta ad felicium agrorum margines poſita, perpetuam ſepimenti cratem per milliaria aliquot continuare agricolarũ vulgus tenetur. Ioannes Lerius Burgundus refert apud Braſilienſes ceruorum quoddam genus eſſe, quod illi Seouaſſous nominant, à noſtratibus differens, quod multo ſint humiliores, quodque minora geſtent cornua, tum etiam quod ęquè pilos demittant, atque noſtrates capræ. De Britannicis ceruis, quorum vna cum palmatis Capitolinus meminit his verbis: *Gordiani ſylua memorabilis picta in domo roſtrata Cn. Pompeii picturas animalium diuerſas continet, inter quas ſunt cerui palmati* 200 *mixtis Britannis*; nihil certi habeo, inquit Geſnerus, audiui tamen, & albos, & nigros ceruos noſtro tempore in Britannia reperiri. Albos quidem etiã ſibi Romæ viſos Pauſanias ſcribit, ſed ex qua regione, vel continente, vel inſulari aduecti eſſent, non veniſſe ei in mentẽ interrogare. In orbe nouo in regione Chicorariarum ceruos, tradit Petrus Hiſpalẽſis, adeo cicures eſſe, vt eorũ greges habeãtur, perinde ac apud nos caprarũ: educi ad paſcua, & reduci: Ex lacte eorum, quo etiam caſeum conficiant, cenſum nõ paruũ haberi. Et Petrus Martyr ait in Chiribigenſi regione ingentẽ eſſe ceruorũ numerum, incolaſq; venatores eas inſequi. Creticus ager ceruo eget, vt ſcribit Solinus, ex Plinio videlicet, qui *mirabili, inquit, in Creta ceruos præterquam in Cydoniatarum regione non eſſe*. At Virgilius aliter ſentire videtur, cùm inquit:

Qualis coniecta cerua ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis.

Et Clemens Alexandr. inquiens, mulieres non minùs, quàm maſculos, & domum cuſtodire, venari, & greges paſcere, citat hunc poetæ cuiuſdam verſum:

Acriter & cerua veſtigia Creſſa ſecuta eſt.

Veriſimileque eſt ceruos non paucos ibi reperiri, cùm teſte Bellonio, tota inſula beſtijs noxijs careat. In Cyprum ideo tranſnant, inquit Aelianus, quòd paſtionũ, quæ illic ampliſſimæ eſſe dicuntur, deſiderio tenentur, & profectò adeo feracem Cyprij ſe regionem incolere teſtantur, de agrorum vt bonitate Aegyptijs nõ cõcedant. In Dikilopporũ, qui veri Loppi ſunt, regione Sigiſmundus Baro ex relatu Gregorij Iſtomæ Moſcorũ principis interpretis, viri induſtrij, ceruorũ greges, vt apud nos boũ, eſſe tradit, qui Nortvvegorũ lingua rhen vocãtur, noſtratibuſq; ceruis aliquanto maiores ſunt, quibus, inquit, Loppi vice iumentorũ vtuntur hoc modo. Vehiculo in ſcaphę piſcatoriæ formam facto ceruos iungunt, in quo homo, ne ceruorum citato curſu excidat, pedibus alligatur, lorum, quo ceruorum curſum moderatur, ſiniſtra, dextera verò mann baculum tenet, quo

vehi-

Vbi cerui, ob copiam, exercitus ſpecie, belli duces terruerint.
Lib. 2. de bello Neapolit.

Ceruorũ copia in Bargu, vbi etiã equorum inſtar ſunt.
Lib. 1. c. 61.
In Batauia.

In hiſt. nauig. in Braſiliam.
Braſilia.
Britannia.

Cerui albi.
Chicorariorum regio ceruis abundans, vbi & caſeus fit ex lacte eorum.
Part. 5. c. 2.
Chiribigenſium.
Decade 8. c. 7.
Creta.
4. Aen.
Lib. 4. Stromat.

Cyprus.
Dikilopporũ regio.

B F G H

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A vehiculi, si fortè in aliquam partem plus æquo vergeret, casum sustineat, atque eo vehendi genere vigin timiliaria se vna die confecisse, ceruumque tandem dimisisse, quem ad dominum suum, stabulaque consueta sponte redijsse dicebat. Dora ciuitas est Assyriæ deserta marginibus amnis (Euphratis) imposita: In quo loco greges ceruorum, inquit Ammianus Marcellus lib. 24. plures inuenti sunt, quorum alij confixi missilibus, alij ponderibus elisi remorum, ad satietatem omnes pauerunt: pars maxima assueta natatu veloci alueo penetrato incohibili cursu euasit ad solitudines notas. Monte Asiæ Elapho nomine apud Arginussam, quo loco Alcibiades mortem obijt, ceruæ omnes, teste Aristotele, scissa aure sunt, qua nota vel alibi, si loca mutarint, cognoscuntur, & quidem fœtus, iampridem à primo ortu in vtero, idem contrahit signum. In Florida noui orbis insula tria sunt ceruorum genera (ex Laurentio Anania) domesticum vnum, ex quo omnes habent vtilitates, quas nos ex vaccis: Syluestria altera, sed magnitudine differentia, cùm alterum tauros adæquet, alterum admodum sit paruum. In Gallia syluæ, saltusque ceruis abundant, sed præcipuè, vt Ioannes Bruyerinus testatur, illa Fonbluandi, in qua ceruorum greges maximos spectari ait. In multis etiam Germaniæ locis cicures ceruos publicè in fossis circa mœnia ali, refert
B Gesnerus, vt cùm libuerit magistratui, habeant, quod venentur. In Heluetia verò, minus hodie, quàm olim, abundare, quòd syluæ propter frequentiam incolarum indies minuantur, & venari eos, minus interdictum propter democratiam, quàm apud alias gentes, quæ principibus parent. Idem scribit in Hercynia sylua ceruos colore nigricātes, à quibusdam dici reperiri, & causam adijcere parum idoneam, quoniam ea olim conflagrauerit. *In Hellesponto in alienos fines* (verba sunt Plinij) *non commeant cerui, & circa Arginussam Elatum* (aliàs Elatium, quod probat Hermolaus in codicibus manu scriptis repertum, non Elaphum. Aristoteles idem Elateonta vocari tradit, ex abietum, vt arbitror, frequentia: græci quidem codices excusi habent ἐλαφώεντα, Gaza Elaphum reddit) *montem non excedunt, auribus etiam in monte scissis.* Idem Plinius, aliàs, vt suprà citauimus, omnibus ceruis esse scissas, & veluti diuisas scribit. Aelianus verò etiam vtrumque (idest, loci, in quo sunt, fines non excedere, & auribus esse scissis) ceruis Hellespontiacis tribuit. Aristoteles ijs, qui circa Arginussam sunt, posteriùs tantùm: verba eius paulo antè recitauimus. Ait verò Aelianus, ceruus præsentibus pascuis omni anni tempore, contentus, alia non desiderat. Nam in Hellesponto collis est, vbi cerui, quorum altera diffissa est auris, sic pascuntur, illius extra fines, vt
C nunquam progrediantur. At verò M. Aurelius Imperator in epistola ad Lambertum Hellesponti præfectum, quæ recensetur in vita eius, tradit, cerui cùm plerumque syluestres sint, admirādum esse, eos cicures in Hellesponto nasci. In orbe nouo ceruorum genus compertum est, sicut refert Ioseph Iesuita ex Brasilia anno 1560. prorsus absque cornibus, colore albo, perhibeturque uitare syluas, oblectari verò apertis campis. Paracam Indiæ vrbem Apollonius, & comites prætergressi, cùm non multum adhuc processissent, fistulę sonitum audire visi sunt, quasi pastoris gregem colligentis, ac subinde pastorem viderunt, qui albarum ceruarum gregem pascebat, vt memorat Philostratus, mulgentq; illas Indi, quod earum lac maximum esse nutrimentum, optimumq; putant. In Sardinia Ophiū dicitur animal ceruo, dente & pilo simile, vt annotat Hermolaus in Dioscoridem. Apud Scotos, authore Ioanne Leslæo Episcopo Rossensi, grādes cerui in altioribus vbique montibus adeo sunt frequentes, vt solemni plerumque venatione, principe potissimùm præsente, nunc quingenti, nūc octingenti, aliquando mille vna strage concidant, tum etenim clamore hominum, & paruulorum canū latratu vndiq; ad decem aliquando, aut viginti millia passuum, & amplius intra alicuius vallis angustias, vbi principes viri suas sedes statuunt, coguntur; ibi emissis
D canibus tortis sagittis, venabulis, & omni armorum genere instructis, non sine magno, & hominū, & canum periculo, sæuitur in ceruos: Nam habent hoc sibi cerui à natura inditum, vt si ipsorū dux in medios hostes, & pericula præsentissima irruat, omnes facto agmine, nisi morte prohibeantur, intrepidè sequantur. Sed illud memorabile est, quod & ipsi præsentes vidimus, ex his ceruis esse nonnunquā, qui adipē decem pollices latam habeant, cuiusmodi in Argathelia potissimùm reperiuntur. Hæc ille, qui & ante in Megetlandia ceruos dixerat reperiri vastæ magnitudinis, eosdemque numerosissimos. Idē in Hebridibus Scotiæ insulis altissimum ait esse montem, cui capra dat nomen, & in eo maximam ceruorum esse copiam. Virgilius in Georgicis de Scythiæ pecoribus scribens, quæ non in stabulis, sed campis niuosis hyemem transigant, de ceruis etiam sic canit:

Confertoque agmine cerui
Torpent mole noua, & summis vix cornibus exstant.
Hos non immissis canibus, non cassibus vllis
Puniceæuè agitant pauidos formidine pennæ:
Sed frustra oppositum trudentes pectore montem
Comminus obtruncant ferro, grauiterque rudentes

6. hist. c. 29.
Florida insula.
Lib. 13. cap. 23.
Gallia.
Germania.
Hercynia sylua.
Vbi cerui sint auribus scissis, & natiui soli amantes.
Arginussa.
Hellespōtus.
Lib. 3. capp. 8. 49.
Vbi cicures nascantur.
Brasilia cerui albi, & excornes.
Vbi mulgeantur ceruę.
Lib. 3. c. 3. de vita Apollon.
Sardinia.
In descript. Scotiæ.
Scotia, & adiacentes ei insulæ Hebrides, & Megetlandia, & Argathelia.
Scythia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Cadunt, & magno læti clamore reportant.

Curtius verò etiam ſcribit haud vlla maiora indicia opulentiæ apud illos fuiſſe, quàm magnis nemoribus, ſaltibuſque nobilium ferarum greges clauſi, adque hoc ſpacioſas eligi ſyluas crebris perennium aquarum fontibus amænis. *Septentrionales regiones.* Licet autem in Septentrionalibus terris plus, quàm in alia orbis regione, videntur aſperrima frigora prædominari, tamen innumerabiles ibidem etiã ignoti generis animalium multitudinem reperiri, teſtatur Olaus Magnus, *Lib. 18. c. 3.* inter quæ ad eſum humanum onagri, (alcen intelligit) & cerui, damulę, atque capreoli nobiliorem ſortiti ſunt æſtimationem, & ob id eorum venatio ſolis nobilibus, atque eorum officialibus, & priuilegiatis regnicolis, vt ſunt hoſpitum receptores, & eccleſiarum præſides, antiqua lege, reperitur admiſſa: Atq; etiam, ne auiditate venatorum (quorum maximus ibi eſt numerus) ſolitudines euacuentur, in ſobolis propagationem. Cornibus tamen in nemoribus tanquam pignore futuræ prædæ relictis, vtuntur occupatores, licet non facilius ſit ea inuenire, quàm ceruas proſpicere parturientes. *Taygetus mons.* Taygetus mons Laconiæ, Spartæ imminens, facit qualibet ſui parte venatoribus luculentam caprearum, aprorũ, ceruorum, & vrſorum copiam, teſte Pauſania. *In Lacon.* Alphonſus Toſtatus ad ea diuinæ paginæ verba: *Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum:* Cùm dixiſſet ceruos iſtos, qui veniebant de venatione, non fuiſſe de ordinarijs cibis regis, ſubdit; & tamen quaſi communiter veniebant, quia terra illa, ideſt, terra promiſſionis, eſt multorum ceruorum. *Terra promiſſionis.* In Venetis duo luci, teſte Strabone, *Lib. 5.* monſtrantur, alter Iunoni Argiuæ, alter Aetoliæ Dianæ dicatus. In hiſce feras ita manſueſcere traduntur, *Vbi cerui lupis conuerſentur, vt amicis.* vt cerui lupis aggregentur, aduentantiumque hominum manibus ſe demulceri patiantur. Quod ſi quas canes inſectentur, vbi hæc confugerint, ab inſectatione ceſſare. Xapitam noui orbis regionem, refert Petrus Martyr, *Decad. 7. cap. 2.* ceruorum habere armenta, vt nos boum, domi parere, domi nutriri, ſolutos per nemora paſtum quærendo, luce durante vagari, ad veſperam pullos domi relictos reuiſere, & intra cortes claudi ſe, ac natis ſuis depaſtis mulgeri ſinere, incolaſque nullum aliud lac, nec ex alio lacte caſeum habere. *In Xapita mulgentur lacq; & caſeum præbent.*

NATVRA. MORES.

Ingenium. Docilitas.

Ὀργὰς qd. In quibus locis eligant viuere.

CERVI, inquit Pollux, gaudent ταῖς ὀργάσι. Eſt autem, teſte Varino, ὀργὰς, vel ὀργάς, λοχμώδης καὶ ὀρεινὴ γῆ ἡ ἀργὴ, καὶ ἀνέργαστος, διὰ τὸ ἐν αὐτῇ τὰ φυτὰ πρὸς αὔξησιν ὀργᾶν: ὀργὰς locus ὀρεινὸν χωρίον: ἡ εὔγειος, καὶ σύμφυτος, καὶ λιπαρὰ καὶ ἀκμαία γῆ: Hoc eſt, ὀργὰς locus eſt incultus, ſyluoſus, aut nemoroſus, vbi ſolum bonum, & pingue eſt. Apud eundem tamẽ ὀργάδες etiam pro cultis locis exponitur. Item ὀργάδες loci ſyluoſi. Quid vero de his poſtremis ſit, tamen conſtat, inquit Ioan. Spondanus, in hoc Homeri loco malè verti vulgò, κνημοὺς, iuga: Sunt enim radices montium potiùs κνημοὶ, non autem cacumina. Verſus poetæ talis eſt: *Κνημοὶ qd.*

Κνημοὺς ἐξερέησι, καὶ ἄγκεα ποιήεντα.

Saltus, aut colles interpretari poſſimus, inquit Henricus Stephanus, interpretaturq; partem montis, quæ à pede ipſius aſcendit: Nam ſicut monti vertex & pes, ſic etiam κνημὸς tribuitur, vt ſcilicet κνημὸς ſit, quod inter pedem, & verticem, medium eſt: vnde fortè etiam alij exponunt τόπους δασεῖς, ideſt, loca denſa, vt Euſtathius annotat; ſolent enim humiliora in montibus loca ipſis iugis & cacuminibus eſſe denſiora, & crebrioribus arbuſtis, arboribuſq; condenſa, qualia nimirum loca, Virgilius quoque quadam αὐξήσει montes vocat, inquiens: *4. Aeneid.*

Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ
Decurrere iugis, alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant, monteſque relinquunt.

Pſal. 103. Habent tamen ad montes excelſos, cùm petuntur, refugium, vt legimus in pſalmis; quo in loco Chaldaica translatio ibices legit. Vocat & Euripides ceruam ὀρείδρομον, ideſt, montiuagam. *In Iphig. in Aula.* Nõ aſcendunt autem montes excelſos, vt qui corpulenti, ad planiciem magis, quàm montes idonei ſunt: Quamobrem ſyluas, & valles, & fluminibus vicina loca frequentius habitant. *Syluas amant.* Venaturi itaque eos inquirere ſolent circa ſyluas, ſæpe enim triti apparent ex ſylua vna in alteram veſtigijs eorum calles: plerumque enim eiſdem vijs anguſtis ire, & redire ſolent, vt facilè tritæ appareant, vt obſeruaſſe ſe in foſſis ciuitatum, teſtatur Geſnerus, vt rectè ſyluicultricem ceruam dixerit Catullus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A tullus epitheto è græco ὑλινέμος. Gaudent item versari iuxta vineas, nec non locis apricis, vbi & mares, & fœminæ libidinis tempore conueniunt. Alijs verò temporibus mas alia, quàm fœmina, loca habitat. Ille, cùm pascua relinquit, ad syluam rectà, & celeriter se recipit, quam tamen, vbi attigerit, non ingreditur: Neque enim conferti arboribus loci commodè eum reciperent propter patula, ramosaque cornua. Proinde ad alterum syluę latus salit, & in subsyluana arbusta progressus, manet. Idem frequenter calles angustos sequitur. Fœmina verò cum a pascuis discedit, rectà in syluam pergit, & densiora sequitur loca, ab vno ad alterum progrediens, donec in condenso aliquo tandem remaneat. Miro autem natalis soli desiderio tenentur, non Hellespontiaci solùm, vt Aelianus prodidit, sed cerui omnes pulsi loco, vbi educati sunt, & meliora quandoque pascua nacti, semper tamen ad pristina redire assolent, vt Gesnerus se intellexisse refert. Vnus, teste Alberto, cum pluribus ambulat fœminis sui generis, raròq; plures mares simul incedunt, nisi ita ętate minores fuerint, quorum multi, inquit, quandoque vetulum comitantur, eique obediunt, & coitu, in eius præsentia, abstinent. Quod puto libidinis tempore verum fuerit, nam aliàs, ni fallor, B gregarij sunt, vt & Virgilius indicat, dum canit:

Vineas, & loca aprica. *Natalis soli sunt tenaces.* *Mas vnus plurimas comitatur cernas.* *Minores, vt obedient senioribus.* *4. Aen.*

Nanim in conspectu nullam, tres littore ceruos
Prospicit errantes, hos tota armenta sequuntur
A tergo, & longum per valles pascitur agmen.

Tradit verò Budæus ceruum iam eminentem, & egregium sæpe comitatum incedere vno minore ceruo, qui nondum tutelæ suæ factus sit, quem venatores armigerum, inquit, vocant: Ipse etiam optionem decumani, & comitem, parasitum, atque emissarium vocari posse, credit. Pascuntur, vt capræ, & oues, tota penè die: & sub meridiem vbi sol maximè feruet, similiter atque illæ in vmbra delitescunt. Ouidius de ceruo Cyparissi:

Lib. poster. de philolog. *Armiger ceruus quis.* *Quantū pascantur.* *Metam. 10.*

Aestus erat, mediusque dies, solisque vapore
Concaua littorei feruebant brachia cancri:
Fessus in herbosa posuit sua corpora terra
Ceruus, & arborea frigus ducebat ab vmbra.

Quo tempore sitire maximè indicauit Homerus. sic enim apud illum Vlysses loquitur:

C
Καὶ τότε τίς με θεῶν ὀλοφύρατο μοῦνον ἐόντα,
Ὅς ῥά μοι ὑψίκερων ἔλαφον μέγαν εἰς ὁδὸν αὐτὴν
Ἧκεν. ὁ μὲν ποταμόν δέ κατήϊεν ἐκ νόμου ὕλης
Πιόμενος, δὴ γάρ μιν ἔχεν μένος ἠελίοιο.

Sensus est: verùm redeundo iam naui propinquus erat, cum aliquis Deus me solum existentem est miseratus, qui ingentem ceruum in viam impulit: qui Solis anxius ardoribus è sylua descendens, ac sitiens fluuium petebat. Aristoteles in physiognomonicis ceruum scribit esse animal timidissimum, vti leporem quoque & oues, quæ omnia, inquit, pilum habent mollissimum: Et alibi, ceruæ, inquit, interprete Theodoro, (meliùs cerui, vt vtrumque sexum comprehédamus, quod Attici etiam in fœminino, vt diximus, faciunt) timidæ sunt: nam sanguis eorum fibras non continet, ideoque non spissatur: Est certè famosa ceruorum apud omnes timiditas, eademque naturalis, & paterno semini insita, vt docet Lucretius, dum canit:

Timiditas. *Lib. 3. de rerum nat.*

Denique cur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur? dolu vulpibus, & fuga ceruis
A patribus datur, & patrius pauor incitat artus.

D Testatur Oppianus frustra hisce animalibus tanta nasci cornua, cùm eis in pugna non solùm contra feras, aut canes, sed ne contra lepores quidem vti ausint: Hinc ἐλάφειος ἀνὴρ, idest, ceruinus vir olim dicebatur, formidolosus, & fugæ magis fidens, quàm viribus. Hincque Chabrias Atheniensis philosophus, & imperator inclytus, dicere solebat: Terribiliorem esse exercitum ceruorum, duce leone, quàm leonum, duce ceruo. Rectè etiam Antisthenes, referente Plutarcho, dicebat hostibus nos omnia bona optare debere, excepta fortitudine. Ea enim sic fieri non possidentium, sed vincentium, atque hanc ob causam credi naturam ceruo ignauissimo animali cornua mirandæ magnitudinis, atque asperitatis ad sui defensionem dedisse, docentem nihil vires, & arma prodesse ijs, qui subsistere non audent. Sed & Homerus, eodem testante, timidos fugacibus ceruis assimilat, & pastore carentibus ouibus, & leporibus agitatis. Equidem Achilles apud illum, vt vir fortis, Agamemnoni velut imbelli, & ignauo conuitium facit hunc in modum:

Ceruinus vir quis dicendus. *Orat. 2. de fortit. Alex.* *Ceruinorū cornuū ethica explicatio.* *Timidorum typus.* *In vita Hom.*

Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχων, κραδίην δ᾽ ἐλάφοιο.

Obijcit illi temulentiam, impudentiam in occupandis aliorum prẹmijs, & cor ceruinum, quod ad congressum timidus esset, & ipse etiam Agamemnon milites suos timiditatis arguens, ait;

Iliad. α. *Iliad. δ.*

Τίφθ᾽ οὕτως ἔστητε τεθηπότες ἠΰτε νεβροί. idest,

Cur-

Cur nam ſic ſtatis ſtupidi ſicut hinnuli?

Et Cleonymum taxat Ariſtophanes timidiſſimum hominem, quem Nebulæ per figuram cerui referebant. Eleganter etiam Claudianus de quodam effuſiſſimo curſu fugiente dicebat:

ceruoque fugacior ibat

Sudanti tremebundus equo.

In vita Flaminij. Et Alcæus poeta apud Plutarchum in Philippum Macedoniæ regem ſic canit:

Τὸ δὲ θρασὺ κεῖνο φιλίππυ,

Πνεῦμα θοᾶν ἐλάφων ὤχετ' ἐλαφρότερον.

Ideſt, interprete Xilandro:

Trux ſpiritus ille Philippi

Vel ceruos abijt prætereunte fuga.

Lib. 3. car. od. 5. Hinc item Horatius militem, qui ſe perfidiæ hoſtium ſemel commiſerit, conſtantiam pugnandi habere non poſſe, ceruæ plagis ereptæ aſſimilat, quæ ſcilicet inſitam conſuetudinem fugiendi vitare nequeat, inquiens:

Si pugnat extricata denſis
Cerua plagis: erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus,
Et Marte Pœnos proteret altero
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners, timuitque mortem.

Argumentum eſt ὑποθετικὸν, perinde ac ſi diceret: vt cerua quæ laqueis ruptis, ſaluti, vitæque fuga conſulit, nunquam poſtea venatorem expectabit: Ita miles ſemel liberatus, nunquam ad ea pericula regredi, in animum inducet, vnde ſemel euaſit, ſed ignauus, & turpis, domi potius manebit. Huc pariter referri ait Caietanus illud Geneſis: *Neptalim ceruus emiſſus:* Non occurrit, inquit, magis apta, & quadrans metaphoræ huic res geſta, quàm hiſtoria Barac de tribu Neptalim *Cap. 49.* ſcripta Iudicum 5. Aſsimilatur enim miſſæ ceruæ Neptalim in Barac, eo quod cùm mitteretur dux prælij, noluit ſine Debbora proficiſci timidus, vt cerua. Porrò ceruos pro fugitiuis, & ſeruis apud antiquos vocari conſueuiſſe, propter timiditatem potiùs, & puſillanimitatem exiſtimem, quàm à celeritate, vt arbitratur Sextus Pompeius, cuius verba ſubiecimus, etſi in iſtis peruulgatis codicibus neutiquam comperias; *Seruorum dies*, inquit, *feſtus æſtimatur Idus Auguſti, quòd eo die Seruius Tullius natus, idem ædem Dianæ in Auentino dicauerit, cuius tutelæ ſunt cerui, à quorum celeritate fugitiuos vocant ceruos.* Eodem ſenſu ceruum Martialis, & eleganter, & antiquorum more, pro fugitiuo accepit, dum canit:

Lib. 19. de verb. ſignif.

Fugitiuorũ typus ceru⁹.

Suppoſitam fama eſt quondam pro virgine ceruam,

At nunc pro ceruo mentula ſuppoſita eſt.

Ita enim veteres adhuc codices retinere, hancque propriam, & genuinam lectionem eſſe, Petrus *Lib. 19. c. 8.* Crinitus aſſerit: nam ſi pro ceruo legamus puero, vt in vulgaribus codicibus legitur, qui, inquit, lepor in carmine? quæ feſtiuitas in poeta vrbaniſsimo fuerit, ſi, vt quidam legunt, pro virgine ceruam fuiſſe ſuppoſitam, nunc pro puero ſupponatur mentula? Siquidem & ſuprà dixerat:

Huic comes hærebat domini fugitiuus Achilles,

Inſignis forma, nequitiaque puer.

Idem Crinitus ceruum apud Comicos in eodem ſenſu accipi arbitratur, ex Aelij Donati ſententia, qui apud Terentium, vbi inquit: *quadrupedem conſtringito*, quadrupedem, exponit, ligaturæ genus in cruribus, aut item, quadrupedem ait poni pro ſeruo, & fugitiuo, hucque pertinere illud Virgilianum:

Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit.

Sed & Græci ceruos pro fugitiuis accepiſſe videntur; ſiquidem Plutarchus in græcanicis ſcribit *quæſt. 38.* ἔλαφον, ideſt, ceruum vocatum fuiſſe, quicunque ingreſſus eſſet Lycæum, ob hanc cauſam: Cantharion Arcas cùm ad Elienſes Arcadum hoſtes profugiſſet, & per Lycæum cum præda tranſiſſet, bello finito in Spartam fugit: Spartani uerò, oraculo ceruum eſſe reddendum iubente, Arcadibus eum reddiderunt. Cæterùm etſi ſic referat Plutarchus, tanquam Cantharion ceruus ſit appellatus, eo quod prius etiam Lycæum ingreſsi ſic appellarentur, rationis tamen plus habere videtur, ſi Canthariomem ſic primùm nominatum putemus, idque meritò, qui bis fugerit, tranſfuga primùm ad hoſtes, deinde in Spartam: à Cantharione uerò omnes Lycæum poſtea ingreſſos. Vtcunq; eſt, ab hac innata timiditate ἀναλκίν Oppianus uocauit ceruam, alij φυζακινὸν: Et quod ad cauſam eius attinet, legimus in lib. de anat. uiuorum Galeno adſcripto, exceſſum ipſius cordis (cor proportione magnum ceruis eſſe, ſuprà oſtenſum eſt, taleq; eſſe & alijs timidis animantibus) ſecun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A secundum diminutionem, & superfluitatem frequenter in diuersis particularibus reperiri, ipsiusque quantitatem superfluam in compositione (aliàs comparatione) corporis eius, nō esse causam audaciæ, vt quidam autumant, neque quantitatem paruam, timoris, & pauiditatis: plura enim animalia nimiam habere quantitatem cordis in comparatione sui corporis, esse tamen timida plurimum, vt lepores, & ceruos. Causam eius rei esse, quoniam in eis calor paruus est, & extra fertur pars plurima ad membra viuificanda, & sensificanda, & mouenda, ideoque non calfacere ipsum integrum, sed relinqui integrum, & vacuum, vnde est pauiditas: E contrà esse parui cordis quædam, eademque audacia, quoniam in eorum corde est caliditas plurima, & coarctatur propter loci angustiam, & cum vehementia ebullit. Et sic puto Lucretius timiditatis etiam causam facit frigidam corporis temperaturam, dum canit:

Cur ceruus cum corde magno timidus sit.

Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira
Quum feruescit, & ex oculis micat acribus ardor:
Est & frigida multa comes formidinis aura,
B *Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.*
Est etiam quoque pacatus status aeris ille
Pectore tranquillo qui fit, vultuque sereno.
Sed calidi plus est ollis, quibus acria corda,
Iracundaque mens facilè efferuescit in ira,
Quo genere in primis vis est violenta leonum:
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes;
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.
At ventosa magis ceruorum frigida mens est;
Et gelidas citius per viscera concitat auras:
Quæ tremulum faciunt membris exsistere motum.
At natura boum placido magis aere viuit:
Nec nimis irai fax vnquam subdita percit
C *Fumida suffundens cæcæ caliginis vmbras;*
Nec gelidi torpet telis perfixa pauoris
Inter vtrosque sita est ceruos, sæuosque leones.

Ceruos autem esse frigidos lacryma dulcis, de qua suo loco, argumento est, quæ salsuginosa est apris, qui magna pollent caliditate. Sed enim quod de animalis frigiditate philosophi differunt, lōgè aliter apud Euthymiū inuenisse se refert Pierius Valerianus, vt in subiecto habetur hieroglyphico: vehementissimi enim desiderij signum esse ceruū ad aquæ fontem adspectātem, diuinæ, inquit, indicant literæ, dum ita canunt: *Quemadmodum sitibunda cerua inhiat ad aquarum riuos, ita anhelat anima mea ad te Deus.* Cerua enim suapte natura ita calida est, aiunt sacri interpretes, vt frigidissimis reptilium carnibus releuetur, ideoque eas auidius appetit, quibus absumptis naturali illo calore κατὰ τ ἀντιπάθειαν, magis, ac magis concitato, studiosissimè gelida fontium flumina perquirat. Cæterùm Aristoteles Lucretio consentit his verbis: Quas autem fibras vocant, non omnis continet sanguis, vt ceruarum sanguis &c. Quamobrem id sanguinis genus nunquam spissatur, sanguis enim, qui dilutior est, frigidior est, itaque durescere non potest. Quoniam ergo ceruos natura timidissimos fecerat, eadem hoc incommodum duplici compensauit commodo, ingenio scilicet, & velocitate cum corporis agilitate coniuncta. Ceruus, inquit Aristoteles, timidus est, & ingeniosus: Dicam primò de velocitate, de qua sic Galenus, causam reddens cur animantium alia audacia, alia robusta; alia timida sint, & imbellia: omnibus, inquit, aptum est corpus animæ moribus, & facultatibus: equo quidem fortibus vngulis, & iuba ornatum, instructumque est, etenim velox, superbum, & generosum est animal: Leoni autem vtpote animoso, & feroci, dentibus, & vnguibus validum: ita autem & tauro, & apro, illi enim cornua, huic autem exerti dentes (quos Græci χαυλιόδοντας nominant) arma sunt innata: ceruo, autem, & lepori (timida enim sunt animalia) velox quidem est corpus, sed nudum omnino, & inerme: timidis enim (opinor) velocitas quidem, arma verò ferocibus conueniebant. Neque igitur timidum aliquod armauit natura: Neque ferox, & strenuum quodpiam destituit. Tantum Galenus, nulla facta cornuum ceruinorum mentione, quasi ea nihil planè ceruo prodesse existimasset. Quo sensu dicebat Aristoteles: Ceruis quoniam cornua præ nimio excessu superuacua sunt, alterum illis natura auxilium adhibuit, nempe velocitatem, grandis enim illa, & multifida cornuum magnitudo potius obest, quàm prodest. Hanc velocitatem, quam pro armis eis concessit natura, fugam vocat Lucretius, inquiens:

Lib. 7. Cerui frigidinè, an calidi sint.

2. de part. cap. 4.

Lib. 1. hist. cap. 1.

Lib. 17. de vsu par. c. 1. Ceruorū velocitas.

Sæuaque sæcla

Tuta.

Tutata eſt virtus, vulpes dolus, & fuga ceruos.

Hæc in latis campis, & pratis tanta eſt, vt fruſtra eos inſectentur canes velocitate longè inferiores, hinc ὠκύπυς, ἀελλόπυς, alipes, alatuſque, agilis item, & celer à poetis nuncupatur. Quam pedum agilitatem priſci in Achille fuiſſe tradunt, fingentes, quòd in infantia ſub Chirone fuerit ceruorum medullis enutritus. Vnde & ceruæ lacte canes nutriri iubet Oppianus, vt celeriores euadant. Legimus autem de Achille apud Catullum:

Naſcetur nobis expers terroris Achilles,
Qui perſæpe vago victor certamine curſus
Flammea præuertet celeris veſtigia ceruæ.

Achillis celeritas, & eius cauſa

Eundemque ceruos abſque canibus, & retium inſidijs aſſecutum Pindarus Nemeis canit:

Κτένοντ' ἐλάφυς ἄνευ κυνῶν, δολίων θ' ἑρκέων
Ποσσὶ γὰρ κράτιςκε. ideſt,
Interficientem ceruos ſine canibus, doloſiſque ſeptis
Pedibus enim excellebat.

Sic & Statius de Parthenopæi Arcadis pernicitate ait:

Onerat celeberrima natum
Mater, & ipſe procul fama iam notus inermes
Narratur ceruas pedes inter aperta Lycęi
Tollere, & emiſſum curſu deprendere telum.

Ob tantam igitur, tamque admirandam celeritatem Achilles non ſemel ab Homero ποδάρκης, & πόδας ὠκὺς dicitur. Idem præſtare Choramnæos ſiue Chorannios ſylueſtres Perſidis populos, in relationibus nauigationum in Indiam, reperio. Silius verò Italicus Mopſi peritiam ſagittandi exaltaturus cum ait & volantes per aęra volucres, & retia fugientem ceruum, in ipſo etiam curſu vulnera inferre nouiſſe:

Lib. 2. Sagittandi peritia in Mopſo.

Ille vagam cęlo dimiſit ſæpe volucrem,
Ille procul campo linquentem retia ceruum
Vulnere ſiſtebat, rueretque inopina ſub ictu
Antè fera incauto, quàm ſibila poneret arcus.

Lib. 6. Thebaid. Quando cerui velocitatem exerceant.

Cùm enim vel venator, vel fera aliqua hoſtilis inſequitur, tunc velociores exercet curſus, id quod Statius eleganter oſtendit curſu in olympicis certantium pernicitatem indicaturus, inquit autem:

Volucres ijſdem modò tardius aruis
Iſſe videntur equi: credas è plebe Cydonum
Parthorumque fuga totidem exiluiſſe ſagittas:
Non aliter celeres Hyrcana per auia cerui,
Cùm procul impaſti fremitum accepere leonis,
Siue putant, rapit attonitos fuga cæca, metuſque
Congregat, & longum dant cornua miſta fragorem.

Lib. 3. hiſt. In Pænulo. Grallatores qui.

Quam ceruorum pernicitatem, volaticum curſum dixiſſe videtur Saluſtius, cuius ſcilicet hæc verba citat Nonius: *Aut ille, ceruum qui volaticè currentem, ſparo ſecutus, aut tragula traijcit.* Hucque refer illud Plautinum: *At ſi ad prandium in ędem vos dixiſſem ducere, vinceretis ceruum curſu, & grallatorem gradu.* Sunt autem, vt id obiter dicam, grallatores, teſte Feſto, pantomimi, qui vt in ſaltatione imitarentur Aegipanas adiectis perticis furculas habentibus, atque in his ſuperſtantes ob ſimilitudinem crurum eius generis, gradiebantur, vtique propter difficultatem conſiſtendi. Quid autem velocius ipſis curis? Has autem ceruis comparat Horatius:

2. carm. od. 16. Curarum velocitas.

Scandit æratas vitioſa naues
Cura: nec turmas equitum relinquit
Ocyor ceruis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Quàm faciant ſaltus incredibiles.

Porò non tam curſu, quàm ſaltu etiam valent. Tradit Geſnerus intellexiſſe ſe, locum quendam Francofurto non procul diſtare, itinere forſan ſeſquihoræ à ceruino ſaltu nomen habere, in quo lapides duo erecti viſantur interſtitio pedum hominis mediocris quaſi ſexaginta, tanto enim ſpatio ſalijſſe illic ceruum, idque etiam ſupra plauſtrum oneratum, cùm venatores inſtarent. Cùm autem fugiunt, requiem inter currendum aliquam, vt Ariſtoteles ait, faciunt, conſiſtenteſque manent, dum, qui inſequitur, appropinquet, tum fugam iterum arripiunt. Quod meminiſſe etiam apparet Homerum, apud quem militibus ſuis ignauiã exprobrat Agamemnon, inquiens:

6. hiſt. 29. Inter currendũ quieſcũt, & cur.

Ἀργεῖοι ἰόμωροι, ἐλεγχέες, ὄυ σέβεσθε;
Τίφθ' ὅτως ἔςητε τεθηπότες ἠΰτε νεβροί;

Αἰτ'

A

Α῎ιτ᾽ ἐπεὶ ὢν ἔκαμον πολίος πεδίοιο θέουσαι,
Ε῎στᾶσ᾽, ὐδ᾽ ἄρα τίς σφι μετὰ φρεσὶ γίγνεται ἀλκή.

Sensus verborum est: O Argiui nominis dedecus, indignique militia, non pudet vos pugnæ subducere? Quasi iam defessi armis hucusque deportandis, nec vltrà procedere audentes, in modum hinnulorum timidissimi animalis, qui cursu defatigati in medio campo subsistunt, nec in occursum tendunt, sed in se occurrere permittunt. Aristoteles præcitato loco cur subsistant rationem reddit, quia interiora laborant, intestinum enim tam tenue, imbecilleque habere ait, vt, etiamsi leuiter percusseris, possit rumpi cute adhuc integra. Inuenio etiam apud authorem obscuri nominis, in fuga si aquam bibens intrauerit, refocillari, & ad cursum reparari. Budæus ait, morem ceruorum esse, cùm profligatos se sentiunt, & agitatu enectos, aut, vt venatores dicunt, durè, & atrociter actos syluarum opaca relinquere, atque in campestria se conijcere, (cuius rei suprà rationem assignauimus) interdum ad vicos, villasq; propius accedere, idque ferè non antè facere, quàm animum desponderint, omni spe deposita solemnium perfugiorum. Eo tamen pacto sæpe euenire, vt canibus se subducant: in campestri enim planitie, locisque proscissis, & in veruactis, & verò in
B noualibus, tractusque vestigiorum, inquit, non æquè odoratus est, atque in vepribus, atque in syluarum cæduis, quia soleata tantùm vestigia relinquuntur, exiliterque odorata, nullo nec crurum contactu, nec corporum; In recens autem inaratis eo amplius negotium facessit canibus odor soli subacti. Tantum ille. Alij aiunt, agitatum ceruum ideo magis fugere ad vias hominum publicas, quàm ad latibula, ne sua occulta prodantur. Cordatos porrò ceruos, & catos esse, & de salute sua quodam cum intellectu mirè teneri, ait idem Budæus, ob incredibilem eius animantis solertiam, qua à natura munita est, præter volucrem celeritatem, & corniculare propugnaculum. (non enim omnes cerui semper fugiunt, sed quidam teste Alberto audaciores sunt, & homines transeuntes per syluas, etiam inuadunt) Solere ceruos aiunt, simul vt senserunt rem sibi esse cum asseclis infestis, simul & sagacibus, primùm alios aliosque fugæ lapsos, & gyros agglomerare: Deinde si porrò vrgeantur, stabula ceruarum popularium, ceruorum diuersoria petere, ibique inter turbam promiscuam, quasi intra nebulam erroris canini sese condere, interdum gregarios aliquot inde abigere, atq; ad aliquantum spatij permixtim vestigia facere ad negotium canibus
C exhibendum. Cùm autem aliquantisper hac ratione contechnati sunt, ab illorum comitatu repentè se subducentes, per tramitem deuium longiusculè abscedunt, deinde intersistunt, vt interim canes vestigia ceruulorum, aut ceruarum excipientes, diuersi ab eis auferantur. Cùmque hæc stropharum commenta canum experientissimorum odorandi vis vicerit, circumspicientia vtique venatorum adiuta, ad alia se denuò vertunt subsidia salutis; cuiusmodi sunt, per sua quadrantenus recurrere vestigia: deinde spiras fugæ intorquere multipliciter, & variè, & quàm fieri potest, perplexissimè, tum raptim longius procurrere: quæ omnia comminiscuntur aduersus canum sagacitatem. Itaque interim dum canes intenti sunt deducendis elapsibus, & extricandis, qui ab ipsis ceruis glomerati sunt, spatia magna illa permetiuntur, cùm interea buccinarum hortamenta cursitantium canum acuant auiditatem. Solent autem cerui plerumque ferri secundo vento, tres, vt perhibent, ob causas: principio cùm aduerso vento feruntur ventus naribus, & ore erumpens, fauces eorum vehementer arefacit, animęque ductum inhibet: Deinde secundo uento cedentes cùm canum uocem facilè excipiunt, ex eaque colligunt propinqui, an remoti sint: Tum uerò olfactum sui sequaci turbæ adimunt. (hæc est etiam Plinij, & Solini sententia, quorum ille: *fugiunt*, inquit, *latratu canum audito, aura semper secunda, vt vestigia cum ipsis abeant*: hic verò *acceptis*, inquit,
D *canum latratibus secundo vento vias dirigunt, vt odor cum ipsis recedat*. Idem testatur Belisarius experimento sæpe comprobatum esse asserens, ceruos, capreasque, cùm quasi flantem uentum petere currendo soleant, ut refrigerari spiritus cursu laborantes uento possint, ad uenti flatum canes collocandos esse. Atttahi enim à vento cerui solent capreæque, vt nolentibus quandoque venatoribus fugam arripere adnitantur. Vnde Alberto contrarium scribenti, agitatos nimirum ceruos contra ventum currere, vt ventos ab eis auferat voces canum, credendum puto non fuerit.) Mira autem est canum pertinacia, dirum autem fatum cerui cùm ad extremum lassitudinis adductus operiri cogitur atrocem illam, clamosamque canum coronam vndique se rictu petentem minacissimo, atque infestissimo, qua tandem circumuentus, post omnia salutis præsidia deplorata, repentè sæpè assiliens primum quemque venantium, in quem incurrit, cornu petere solet, nisi ferro protinus excipiatur. Inter exempla huius animalis, vltima perfugia, exquisitaque experientis, hæc commemoratu digna idem Budęus se comperisse asserit, visum esse ceruum in armentum bubulum irrumpere, in bouemque insilientem primoribus cruribus, armisque complexum ad longiusculum spatium uelut equo uehentem, postremis tantum ungulis terram stringere, ut odorem sui canibus, quoad fieri posset, exilem, incertumque relinqueret. Ludouico Gallorum rege uena-

Syluis relictis, cur & quando campestria, & villas accedant.

Lib. poster. de philolog. Ceruorum solertia in eludẽdis canibus.

Cur secundo vẽto currant.

Mira cuiusdã cerui astutia.

toriæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

toriæ turbæ decurio, qui venator maximus appellatur, ad duodecimum ab vrbe (Pariſiorum) la-
pidem, inquit idem Budæus, venabatur viro præſidi id ſpectaculum gratificans, qui me comitem
amicitiæ cauſa ſecum eò duxerat. Ibi cùm mentio huiuſmodi mirificentiarum ceruinarum inci-
diſſet, recordor cum hoc inter alia affirmaſſe: Me, inquit, pridem venante ceruum quēdam ab ęta-
te, & experientia vafrum; euenit feruente venatu, & longè iam progreſſo fugitiuus ille, vt non cō-
pareret: Et tamen canes nec vltra procedere vellent, nec in ſua veſtigia redire: Ibi omnes ſtupere,
circumſpicere, inter ſe aſpicere, lapidem, quod dicitur, omnē venatores, & magiſtri mouere. Res
erat miraculi plena, & Apollonianæ præſtigiæ ſimilis, quaſi ſublimis fera alipes abijſſet, aut terra
diſcedente, ruſumque coeunte non compareret, aut oculos noſtros, canumque perſtrinxiſſet. Ta-
men omnia (vt fit in tali caſu) à nobis perluſtrando deprehēſus eſt planus ille cornipes in furto ſui
manifeſto, atq; memorabili. Alba ibidem erat ſpina enata in loco denſo, atque opaco, quę ad ma-
gnitudinem arboream excreuerat. In eam ceruus, dolis ſolennibus conſumptis, ſaltu ſe coniece-
rat. Stabat autem ille ſublimis, ramis fruticis ipſo ſaltu diuaricatis, ſic interceptus, vt inde deſilire
non poſſet, ſiue forſan erat exanimatus; ibi enim quaſi compeditus, imbelliſque confectus eſt: di-
gnus certè ob rei miraculum, qui fato truci eximeretur. Hæc itaque omnia ille. Teſtatur præterea

Re deſperata in proximum flumē, aut mare ſe præcipitant.

Xenophon ceruum omnis alius conſilij inopem in mare etiam, & aquas inſiliētem potius perire,
quàm laniari ſe ſinat. Sed & venatores, dum nimis in aquam ſe præcipitantes perſequuntur in vitę
diſcrimen pertrahunt, quod iſtiuſmodi narratione aſtruit Pauſanias loquens de Sarone: Hunc,

In Corinth.

inquit, aiunt ad mare Saronidi Dianæ templum ædificaſſe, loco paluſtri, ac vadoſo ob eam cau-
ſam Phœbeam paludem dictam: narrantque ipſum cùm venandi ſtudio plurimum delectaretur,
ceruum vſque ad mare perſecutum, atque inde cùm fugientem acriùs vrgeret, ſed in eam alluuiē
demiſiſſe: nantem verò longius iam à littore feram cùm prædæ cupiditate captus, non dimitteret
in pelagus prouectum: Vbi & labore confectum, & maris æſtu iam propè ſubmerſum, diem ſuum
obijſſe. Tradit Aelianus cauere etiam, dici, ceruos, ne quando in vulnera, quæ acceperint recen-

Quomodo ſibi medeantur.

tia, ſolis radius incumbens, priuſquam obducantur, carnem putrefaciat. Induſtriam autem ceruis
eſſe in re medica, omnes memorant, Solinuſque tradit herbam, quam cinarum vocant, contra no-
xia edere gramina, & Plinius, eadem venenatis pabulis reſiſtere. Morſi à phalangio, vel à quouis
generis eiuſdem, cancros, teſte Ariſtotele, edūt. Quod & Aelianus tradit, nec verè Gyllius ex Ae-

9. hiſt. c. 5.

liani varijs, phalangium ceruis non minus, quàm hominibus pernicioſum dicit, & ab eo læ-
ſos celeriter perire, niſi ſylueſtrem hederam comedant, qua quidem adeſa phalangij acerbitas ni-
hil eis quicquam noceat: Aelianus enim ceruos à phalangijs ictos edere cancros memorat; idque
etiam teſtatur Plinius his verbis: *Percuſſi à phalangio, quod eſt aranei genus, aut aliquo ſimili, can-
cros edendo ſibi medentur*. Albertus verò etiam ait, fugere venenata, & ſi iacula veneno infecta, in
loca eis conſueta, emittantur, recedere. Docuerunt itidem extrahēdis ſagittis vtilem eſſe dictam-

Lib. 8. c. 27.

num, ſi eidem Plinio fides habenda ſcribenti: *Dictamnum herbam extrahendis ſagittis cerui mon-
ſtrauere percuſſi eo telo, paſtuque eius herba eiecto*. Dioſcorides tamen de dictamno diſſerēs, iſtud
aſcripſit capris, & antè eum M. Tullius in 2. de natura Deor. vbi hæc exarauit: *Capras auditum eſt
in Creta feras cùm eſſent confixæ venenatis ſagittis herbam quærere, quæ dictamus vocaretur, quam
cùm guſtaſſent, ſagittas excidere dicunt è corpore*. Sed & Ariſtoteles capris id adſcribit; Item &
Theophraſtus. Geſnerus, corruptè ceruos pro capris apud Pliniū legi, cùm inde arbitratur, quòd
is ceruis Cretam carere, vt diximus, ſcripſerit, tum quòd alio loco à Plinio addatur, *mirèque capris
expetitur, dictamnum enim*, inquit aliàs, *oſtendere, vt indicauimus, ceruæ vulnerata paſta, ſtatim de-
cidentibus telis. Non eſt alibi quàm in Creta*. Et paulò pòſt: *In Creta autem non ſpatiosè naſcitur,
mirèque capris expetitur*; quod ex Theophraſto tranſtulit, vbi ille αἶγας, ideſt, capras ſagittis vul-
neratas, hac herba in cibo ſibi mederi ſcribit: Sed & Virgilius Didonis amorem amplificans per
comparationem, à cerua telo paſtoris vulnerata, quæ vti dolore confecta huc, illucque diſcurrens,

Dido amore ſaucia, furenſque, vt ceruam vulneratam referat.

ſtare loco neſcit; ita Didonem amore ſauciam hic illic uagari, has illaſque ineptias, nulla digni-
tatis ſuæ habita ratione, facere ait; & ſanè huic negotio quàm aptiſſima comparatio eſſe uidetur:
Nam Dido telo cupidinis ſaucia ceruæ ſagitta paſtoris vulneratæ; ſylua ciuitati; mobilitas curſuſ-
que ceruæ Didonis motibus; ineptijs, concurſationibuſque comparatur: Et, ut cerua uulnerata
uulneris ſui remedia, ita & Dido amoris ſui ignorat:

Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens: qualis coniecta cerua ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius. Illa fuga ſyluas, ſaltuſque peragrat
Dictæos, hæret lateri lethalis arundo.

Cæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Cæterùm & ceruis etiam hoc rectè tribuetur: nam & Arabũ sectatores, idem sensisse videntur: Illi
enim dictamnũ, pulegiũ ceruinũ appellant. D. Ambrosius, ceruos, scribit, vbi ægri sunt, ramuscu- *Lib. 3. Examer. c. 8.*
los oleæ comedere, sed hoc remediũ ad elephantos, non claphos. i. ceruos à veterib. referri videas. *& 6. exameron. c. 4.*
Ceruorũ rursus industriã, vel inde deprehẽdimus, quod, vt tradit Aelianus, in Amano, Libano, &
Carmelo Syriæ montib. cerui nascũtur, qui cùm in Cyprũ transmittere volunt, gregatim ad litto-
ra perueniũt, ibiq; tãdiù secundos ventos prestolãtur, dũ per pacatissimã quietẽ bellè sibi flare sen- *Lib. 5. c. 56.*
serint, tũ fidẽti animo sese traijcere mare ingressi, & ordine natã, & ferè in antecedẽtiũ tergo sub- *Ceruorũ ingenium in traijciendis maribus.*
sequentes capita reponunt, ac nimirum dux idcirco retrocedit, quia non habet, vbi nitatur, & post
omnes clunibus proximi antegredientis nitẽs, ex labore quieti sese dat, simul & extremũ agmẽ du-
cit. In Cyprũ ideo transnãt, quod pastionũ, quę illic amplissimę esse dicũtur, desiderio tenẽtur. Et pro-
fectò adeo feracẽ Cyprij se incolere regionẽ testantur, de agrorũ bonitate, vt Aegyptijs non cõce- *Cypri fertilitas.*
dant. Eodẽ modo Epirotici cerui in Corcyrã, quę cõtra Epirũ est, mare transeunt. Hæc ille. Eo au-
tẽ hęc res fit notabilior, quòd huiusmodi grex, dũ traijcit mare, in odore terrę natat, vt Plinius an-
notauit: *Maria*, inquit, *tranãt gregatim nantes porrecto ordine, & capita imponẽtes præcedentiũ clu-* *Lib. 8. c. 32.*
B *nibus, vicibusq; ad terga redeuntes: Hoc maximè notatur à Cilicia Cyprũ traijcientibus, nec vident*
terras, sed in odore earũ natant. Idẽ testatur Solinus: *Si maria*, inquit, *tranant, non aspectu petũt lit-*
tora, sed olfactu, infirmos ponunt in vltimo, & lassorum capita clunib. per vices sustinent. Sed & ean-
dẽ transfretationẽ Oppianus, & ex eo Gyllius clarissimè memorauit in hęc verba: More classis na-
uiũ mare transnant, vnus ante cæteros natat, dux ad transmittendũ: hũc aliter capite innitẽs tergo
insequitur, & similiter cęteri deinceps subsequuntur. Cùm autẽ primus prenatẽdo defatigatur, ad
extremum agmen recurrit, & caput in alterum inclinans paulum à labore recreatur. Secundus re-
cens defatigato succedens anteit, atq; alij omnes in aliorum vicem succedentes duces efficiuntur:
Pedibus tanquam remis vtuntur, cornua excelsa tanquam vela ventis permittunt. Recitat item *Lib. 14.*
Strabo, agens de Curio Cypri vrbe, poetæ cuiusdam elegiam, in qua ceruæ sic de se loquuntur:

Ἱεραὶ τῷ φοίβῳ πολλὸν διὰ κῦμα θέουσαι,
Ἤλθομεν αἱ ταχιναὶ τόξα φυγοῦσαι ἔλαφοι. idest,

C
Nos ceruæ Phœbo sacræ, dum tela per vndas
Effugimus cursu venimus huc celeri.

Dicunt. n. inquit Strabo, ceruas ex Corycio iugo delapsas è Cilicio littore in Curiada actam tra-
nare, & addit poeta: Μυρίον ἀνδράσι θαῦμα νοεῖν πάρα πῶς ἀνόδευτον,
Χεῦμα δι' ἠρινῶν ἐδράμομεν ζεφύρων. idest,

Res dictu mira est, quonam nos inuia pacto
Maria per aerios transiimus Zephyros.

Iam & in eo solers, sagaxq; ceruus est, quòd cùm pinguerit (quod valdè tẽpore fructuum fit) nus-
quam apparet, teste Aristotele, sed lõgè secedit, vt qui pondere suæ corpulentiæ capi se posse faci-
lius, sentiat: vel, vt ait Plutarchus, vt quod fugiendo consequi nõ possunt, latendo impetrent. Pin-
guescunt autẽ æstate supra modũ, quamobrẽ nec currere, induit idẽ Aristoteles, possunt, sed secũ-
do, aut tertio cursu capiũtur ab ijs, qui pedib insectantur: hyeme extenuantur, debilitanturq;, ve-
re autẽ vigent maximè ad cursũ. Ad hæc cũ amiserint cornua (quod quotannis mẽse Aprili fieri dictũ
est) occultant, teste Arist. interdiu, idq; opacis faciunt locis, vt muscarũ vacent tędio, pascunturq;
D per id tẽpus noctu, donec recipiant cornua, quę vbi concreuerint, soli exponunt, vt excoquãtur, &
siccescant, vbi iã nihil attritu arborũ, cùm ea scalpũt, indolent, tunc ea relinquũt loca cõfisi habere
iam, quo repugnare possint, cùm res exigit. Plinius ad arbores subinde cornua experiri, &, vbi pla- *Pinguiores facti latent.*
cuerit robur, in aperto prodire. Addunt item Oppianus, Aelianus, & Simocatus latere amissis cor-
nibus, vel tanquã inermes se esse, & imbecilles sibi conscios, vel pudore, quod arma, decusq; suum *Superbiunt in cornibus,*
amiserint: Superbire. n. cornibus suis, idem Oppianus asserit, nimirum vbi ætate vigent: nam alio-
qui, vel ipso Lucretio teste, vbi annis aggrauãtur, gaudent se cornib. spoliari. Sed versus adscribã: *ijsq; amissis latent.*

Quod si immortalis nostra foret mens *Lib. 3.*
Non iam se moriens dissolui conquereretur,
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, vt anguis
Gauderet, prælonga senex, aut cornua ceruus.

Fama est ceruum cornua sua, dum ea deponit, defodere, quod eorũ vtilitatem homini inuideat. *Vt cornua defodiant.*
Cæterùm hanc rem alij aliter tradunt: Oppianus enim id de vtroque cornu tradit, sic canens:

Ἢ γὰρ εὐχιδέων κεράων ὥρῃσι πεσόντων
Βόθρον μὲν κατὰ γαῖαν ὀρυξάμενοι κατέθαψαν
Ὄφρα κε μήτις ἕλησιν ἐπ' αὔλακος ἀντιβολέσας
Κεύθονται δ' αὐτοὶ τυμάτοις, λασίῃσι τε θάμνοις,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Αἰδόμϵνοι θήρεσσι χαρήατα τοῖα φανῆναι
Γυμνά, τάτοι προπάροιθε μέτωπον ἀείροντο. ideſt,
Aſt vbi pulchrifidis ſublimia cornua ramis
Vertice labuntur, præſertim ſidere verno,
Effodit extemplo foueas, & humata recondit,
Nequis humi nactus capiat ſic fortè relicta:
Tum profugus degens extremis abditur oris,
Denſaque luſtra pudore graui ſuffuſus oberrat,
Turpe ratus coram nuda ceruice videri,
Quam tanto faſtu ſublimem attolleret antè.

Cæteri verò authores alterum tantùm cornu defodere ceruum aſſerunt, veruntamen alij ſiniſtrum, alij dexterum: de dextero Plinius: *cornua*, inquit, *cerui ſoliſtato veris tẽpore amittunt; idq; ſub ipſa die, quàm maximè inuia petunt. Latent amiſſis, velut inermes, ſed & hi bono ſuo inuidentes. Dextrum cornu negant inueniri ceu medicamento aliquo præditum. Idque mirabilius fatendum eſt, cùm & in viuarijs mutent omnibus annis: defodique ab ijs putant.* Sic ille, & alibi rurſus: F *Ceruus dextrum cornu terra obruit, contra rubetarum venena neceſſarium.* Plinio ſubſcribit Aelianus. Ceruus, inquit, non inſcius dexterum ſuum cornu vſui magno hominibus eſſe, hoc ipſum inuidia flagrans, ne tanto bono homines fruantur, in terram occultãt. Ariſtoteles verò è contrario cùm dixiſſet ceruum cornua locis difficillimis amittere, & quà inueniri nequeant: vnde illud prouerbium ſit ortum: *Quà cerui amittunt cornua*: ſubdit, cornu ſiniſtrum compertum eſſe à nemine adhuc, fertur: Occulit id enim tanquam quodam medicamento præditum. Geſnerus etſi an abiecta cornua occultent, & dexterumne magis, vt Plinius ſcripſit, an ſiniſtrum, vt Ariſtoteles, nihil certi ſe habere profiteatur, conciliari tamen iſtorum forſan poſſe diſſidium arbitratur, dexteri, & ſiniſtri acceptione varia. Nam, vt Ariſtoteles, inquit, docet lib. 2. de cælo cap. 2. dexterum tribus modis vſurpatur; vel propriè, vt in animalibus, vnde principium motus ſit ſecundum locum: vel ad ſimilitudinem illius, vt in ſtatuis: vel impropriè, quòd rectà è regione dextero lateri noſtro opponitur dexterũ, quod læuo læuum: Sic vates mundi, vel cæli dextera, & ſiniſtra accipiunt: Hac ratione dexterum cornu ceruum ad nos quidem ſiniſtrum dici poterit. Sed cùm ex mera aliorum narratione vterque ſcribat, parum referre exiſtimo ſiniſtrumnè, an dexterum cornu occulere dicamus. G Albertus, cùm & ipſe ex aliorum relatu addidiſſet, cornua etiam eijcere in aquas, ne dexterum inueniatur, tanquam vſum aliquem illius intelligant, ſubiungit: ſibi tamen compertũ eſſe, hoc non in vniuerſum eſſe verum, inueniſſe enim aliquando in ſylua frondibus obrutũ cornu ſiniſtrum. Sed & ipſe Ariſtoteles; aiunt, inquit, ceruos in Epiro cornu dexterum (non ſiniſtrum) humo

In mirabil. obruere, idque vtile eſſe ad multa. Ecce quod hic de dextero, antea dixerat de ſiniſtro, prout ſcilicet narrari audierat. Quamobrem, ſi verũ eſt, quòd defodiat, defodere vtrumq; arbitratus fuerim. Certè Plutarchus loquens de Procle Epidauri Tyranno, qui Timarchũ Athenis venientem cum

Lib. de Pythiæ orac. pecunia, quando hoſpitio comiter accepiſſet, interfecit, cadauerq; eius ſtorea inuolutum in mare abiecit: poſtea verò rebus ſuis conturbatis cùm Cleotinũ fratrem arcanè conſulturum de exilio, & migratione, miſiſſet; Deus reſpondit, fugam ſe eò, & migrationẽ Procli cõcedere, quò is ſtoream deponi iuſſiſſet, aut quò ceruus cornu abijcit: Intellexiſſe itaq;, ait, Tyrannum ſibi à Deo imperari, vt vel in mare demergeret ſeipſum, vel defoderet: Nam cerui cornu delapſum in terram, defodiendo tollunt è medio. Idem Plutarchus cur ceruus cornua ſua defodiat, inter ea miracula recenſet, quorum cauſa reddi nõ poteſt. Ad veritatem modò, quod attinet, Geſnerus abijcere ea aſſerit aliàs pariter, aliàs vnum poſt alterum horis aliquot, duodecim interdum, aut pluribus interpoſitis. H

Vermes quibus remedijs expellant. Abiecta in viuarijs quidem negligi ab eis, nec humo obrui, nec aliter curari, obſeruatum eſſe. Quin etiam in ſyluis ſæpenumero in aperto non occultata, defoſſavè reperiri, vt quod hac de re, veteres, inquit, tradiderunt, omninò fortaſſe fabuloſum ſit. Vtcunque eſt, apud Orum, vbi ſcribit, ceruum ſuos dentes infodere, fortaſſis pro ἔλαφος legendum ἔλεφας.

Cap. 42.

Vt venẽtur ſerpentes. Vt igitur ad induſtriã ceruorũ reuertamur: Cùm in eorũ ventre vermes innaſcuntur, & ruminantib. eis ad fauces aſcendũt, inhærentque, loco non manent, ſed circumcurrunt: Inuenerunt autẽ remedium, nam ſerpentibus deuoratis curantur, vt legimus in hippiatricis Græcis. Adhæc cùm ſe infirmos ſenſere, ſpiritu nariũ, teſte Iſidoro, ſerpẽtes è cauernis extrahũt, ac ſuperata veneni pnicie illorũ pabulo reparantur. Vincẽtius Belluacẽſis à ceruis edi ſerpentes ſcribit, vt caligini medeãtur oculorũ; & alius quidam author obſcurus, quẽ phyſiologũ vocãt; ceruũ, ait, ſicubi ſerpentẽ eſſe cognouerit, aquam ore hauſtam in cauum effundere, mox ſpiritu ſuo ſerpentes extractos pedibus conculcantem interimere. Ceruorum autem duo eſſe genera, vnum quod extracti ſpiritu ſerpentis collum vtrimque calcans, ita enectum vocat, quo deinde veneno intumeſcens, aquas petit, & euenit: Interim verò, dum tumet,

A tumet, pilos mutat, & cornua abijcit. Alterum genus inuentum serpentem occidere, & à victoria, statim ad montana pascua se recipere. Baldus Angelus Abbatius apud Zoaram medicum Arabum præstantissimum inueniri, ait, ceruos cùm abundè serpentibus sunt saturati, ne veneni virus noceat, damnumque, aut noxam aliquam sentiant, ad flumina ingentia, natura docente, se conferre, & ore summè tenus corpora demergere, nec tamen bibere quicquam, summoperè quippe læderet, sed tam diù instare, quoad vi frigoris cogente haustum venenum per oculos desudando illacryment: Sed de his lacrymis etiam suprà diximus. Scribit & Simeon Sethi, nosse, quod si aquam ante serpentium coctionem hauserint, intereant, propterea sitim tolerare, eaque incendi. Legimus, & in glossa ordinaria in declaratione psalmi 41. cuius initium est: *Quemadmodum desiderat ceruus fontes aquarum, sic te anima mea Deus*, ceruum senio grauem excrescentibus pilis, & cornibus, serpentem naribus haurire, mox hausto æstuare veneno, vnde fontem ad bibendum ardentissimè desideret, quo poto pilos, & cornua deponat. Oppianus quidem etiam agens de antipathia polypi, & murenæ, annosum, & benè cornutum ceruum serpentes per syluas inuestigare scribit, sed quod eorum esu cornua deponat, non addit: Sic enim B Laurentio Lippio Collense interprete canit:

Lib. 6. disquis. c. 6.

Post deuoratos serpētes, quid agant.

Lib. 2. de piscib.

Et veluti annosus ceruus, cui cornua fronte
Sunt ramosa, petit densa vestigia sylua
Serpentis, nactusque locum, tum naribus illum
Attrahit è lustro, figitque in corpore dentes,
Implicitus genibus: serpens fera pectora nexu
Deuincit, collumque tenet, semesa vorantur
Partim membrorum, partim lacerantur acutis
Dentibus, & diri cerui laniantur in ore.

Albertus quidem Plinium scribit de ceruo narrare, quod cùm sentit se grauari senectute, spiritu per nares è cauernis serpentes extrahit, ipse verò, verum esse non putat, neque id apud Plinium inuenias, nec forté apud alium Authorem idoneum. Etymologus, & Varinus tradunt ceruos esu viperarum φυσικῶς καθαίρεσθαι, idest, naturaliter purgari, nec pluribus explicant, per quos C meatus, & quomodo expurgentur. Gesnerus non de fæminarum duntaxat mensibus purgationis vocabulum hic accipit, vt aliàs sæpe vsurpatur: Neque de alui subductione, sed corporis totius per cutis poros latenter expurgati, quadam renouatione, qualem & elephantiacis quibusdam eodem remedio vsis, contigisse legimus. Fit autem etiam, vt, dum pugnant cum serpentibus, ab ijs vulnerentur, quare tunc cancrorum esu, quos ad flumina quærunt, sibi medentur, vt ex Oppiano mox in rubrica de antipathia recitabimus. Iam verò etsi naturaliter syluas, desertaque loca quærant, capti tamen non solùm cicurantur, verùm etiam vocati ad hominem accedunt, maximè cibi, & præsertim panis spe allecti, ideoque à delicatioribus in delitijs habentur, vt insinuat Ouidius Cyparissi pueri exemplo, præcipuè si alios pulchritudine præminebant:

Ex esu serpētium purgari.

Vulnerati à serpentibus quo sibi medeantur.

Vt cicurati alantur.

10. Metam.

Namque sacer Nymphis Carthæa tenentibus arua
Ingens ceruus erat, latèque patentibus altas
Ipse suo capiti prabebat cornibus vmbras:
Cornua fulgebant auro, demissaque in armos
D *Pendebant tereti gemmata monilia collo:*
Bulla super frontem paruis argentea loris
Vincta mouebatur parilique atate nitebant
Auribus è geminis circum caua tempora baccæ.
Ipse metu vacuus naturalique pauore
Deposito celebrare domos, mulcendaque colla
Quamlibet ignotis manibus prabere solebat.
Sed tamen ante alios Cææ pulcherrime genti
Gratus erat Cyparisse tibi, tu pabula ceruum
Ad noua, tu liquidi ducebas fontis ad vndas,
Tu modò texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo residens, huc lætus & illuc
Mollia purpureis frenabas ora capistris.

Quod autem hic Cyparissus puer Nympharum ceruo, hoc Tyrrhidæ pueri ceruo soror Syluia præstitit, de quo Virgilius: *7. Aen.*

Ceruus erat forma præstanti, & cornibus ingens
Tyrrhida pueri, quem matris ab vbere raptum

Nutribant Tyrrhusque pater, cui regia parent
Armenta, & latè custodia credita campi.
Assuetum imperijs soror omni Syluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lauabat.
Ille manum patiens, mensæque assuetus herili
Errabat syluis, rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamuis se nocte ferebat.

Frena & iuga ferunt.

Apud Calphurnium Astilus pastor ceruum quoque deponit, qui frena scit, & iuga ferre.

En aspicis illum (inquit)
Candida qui medius cubat inter lilia, ceruum,
Quamuis diligat hunc mea Petale, accipe victor:
Scit frenos, scit ferre iugum: sequiturque vocantem
Credulus, & mensæ non improba porrigit ora.
Aspicis, vt fruticet latè caput? vtque sub ipsis
Cornibus, & tereti lucent redimicula collo?
Aspicis, vt niueo frons irretita capistro
Lucet, & à dorso, quæ totam circuit aluum
Alternat vitreas lateralis cingula bullas?
Cornua subtiles, ramosaque tempora molles
Implicuere rosæ, rutiloque monilia torque
Extrema ceruice notant.

In Scythia equorū munus obeunt.

Lib. 5. c. 5.

Lib. 1. epig. 105.

Sed ne quis nugari poetas existimet, dum frenari ceruos inquiunt, is Aelianum etiam legat, apud quem inueniet, in Scythia nationem quandam esse ferorum hominum, quæ ex feritate ceruos in eam mansuetudinem traduxit, vt in cicuribus illis, tanquam equis, insideat; & ne quis Scythicos illos ceruos, rangiferos esse arbitretur, habemus apud Solinum, in Scythia plurimos ceruos esse: Ad hæc in Ocdor regione Asiæ ad oceanum septentrionalem similiter ceruos cicures equitari legimus. Præterea legimus Heliogabalum perditissimum Romanorum Imperatorem iunctis quaternis ceruis in publicum processisse. Sed & septem ceruorum bigas in pompa Ptolomæi Philadelphi fuisse, authorem habemus Athenæum, talesque & in Romanorum spectaculis fuisse indicat Epigrammatarius, inquiens:

Mordent aurea quod lupata cerui,
Quod frenis Libyci domantur vrsi &c.

Mithridates quos sui corporis custodes inter dormiēdum, esse voluerit.

Ceruum esse vigilantem, & vnde.

Sertorij cerua.

Ceruus Philadelphi græcam addidicit linguam.

Lib. 11. cap. 25.

Tomo 6.

Cerua in Ecclesia offerēs hinnulū suum.

Lib. 6. de solert. anim.

Magis mirum quod de Mithridatis Ponti regis ceruo recitat Aelianus in hæc verba: Mithridates Ponticus cùm somnum caperet, sui corporis custodiam non modò satellitibus committebat, sed & tauro, & equo, & ceruo, quos mansuefactos habebat. Ij enim ad custodiam eius dormientis aduigilantes, siquis accederet, quod ex ipsa respiratione statim percipiebant, ille mugitu, alter hinnitu, ceruus sua propria voce, eum è somno excitabant. Hæc Aelianus. Rectè autem videtur vigilem adhibuisse ceruum, cùm is parum dormiat, vt ostendit Scaliger, addita etiā ratione non meatuum angustorum, vt nonnulli arbitrantur, sed quod nubes illa vaporum, qui sursum rapiuntur, in cerebro non residet, sed vlterior fit ad exeundum, vnde cornua confirmentur. Habuit itē Sertorius insignis ille Romanus, Hispanorum dux contra Romanos, ceruam cicurem, quam in expeditionibus suis semper habebat comitem, fingens Dianæ esse numen, à quo res gerendas auspicaretur. Vt verò ex tam varijs rebus cōstat, ceruos dociles, & industrios esse, sic potissimùm illud quod B de Ptolomæi secundi, siue Philadelphi ceruo narratur, innotescit. hunc enim cerui hinnulum munere accepisse refert Aelianus, quē cùm aleret, sic ad Græcum sermonem assuefecisse, vt loquentes intelligeret, cùm tamen ante hunc ipsum creditum esset, solam Indorū linguam ceruos percipere. Tradit verò etiam Lippomannus in vita Metaphrastis ceruam in rebus quoque diuinis miraculo magis, quàm doctrum in modum edoctam probè munus suum implere inuentam esse, miraculo magis, quàm suum litate; Nam ceruam Athenogenis euangelicæ lectionis tempore in diuinis officijs hinnulum suum ecclesiæ offerre consueuisse tradit; Non deesse autem & ceruo suum ingenium, ex ijs quæ dicentur, manifestum erit; Aristoteles enim tradit, parere eas iuxta vias maximè solere metu belluarum. Idem Plutarchus scribit, sed imperitus interpres pro ceruis elephantos posuit. Idem & Plinius: In pariendo, inquit, *semitas minus cauent, humanis vestigijs tritas, quàm quæ secreta, & feris opportunæ.* Hinc apud Oppianum vbi habet; cerua cùm parit:

Τρίβον ἀνθρώπων ἀλεείνει.
Οὕνεκεν ἀτραπιτοὶ μερόπων θήρεσσι βέβηλοι.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Hoc eſt: Semitas hominum vitat: nam humana veſtigia belluæ auerſantur. Legendum videtur Τρίβον ἀνδρῶν οὐ ἀλεείνει, ideſt, ſemitas virorum non vitat. Nam & rem ita ſe habere, præter præcitatos authores, Aelianus etiam teſtatur, idemq; ſenſiſſe poetam ex proximo verſu, quo cauſam eius facti reddit, apparet. Secundum vias, inquit Aelianus, interprete Gillio, cerua parere ſolet, quod quidem ſapienter facere videtur, vel quod hinnulis ſuis inſidias à feris timeat fieri, vel quia celeritatis fiducia homines egregiè contemnat. Non enim, tametſi infirmior, dubitat eos effugere poſſe: Poſtea autem quando ſe opimo corporis habitu affectam ſentit, non amplius iuxta vias partum edit, quod iam ſe minùs accommodatam ad currendum intelligit: At enim vel in ſaltibus, vel conuallibus parit. Sic ille. Vbi tamen Aelianus erraſſe videtur; neque enim de cerua apud alios legas, quòd, vbi iam corpulentior eſt facta, iuxtà vias parere deſinat &c. ſed de ceruo mare hoc ferri, quòd cùm pinguiorem ſe ſenſerit, ideoque tardiorem, loca remota, & ſolitaria petat ex Ariſtotele, Plutarcho, alijſque recitauimus. Cæterùm nunquid reuera iuxta ſemitas pariat, non ſolùm quis dubitet, ſed refragetur etiam, cùm apud diuinum Iobum ceruarum partum legamus

B adeo occultum eſſe, vt nequeat ab homine ſciri, ſed verba adſcribam: *Nunquid parturientem ceruam obſeruaſti? Nunquid numeraſti menſes conceptus eius, & noſti tempus partus eius?* Vide quàm malè conueniunt philoſophi cum theologo iſto antiquo. Torſit me certè locus iſte, quare refugiendum mihi fuit ad textum Hebraicum, in quo *iahale* legitur, quam vocem alij docti, vt annotat etiam Auguſtinus Steuchus, ibicem vertunt, & à verbo *alah* deducunt, quod eſt aſcendit, quòd ſit ſcilicet animal perniciſſimum: Quæ res occaſionem D. Hieronymo dederit, vt ceruam verteret, quæ & ipſa perniciſſima eſt. Repetit eundem pariendi locum, nimirũ iuxta vias, Ariſtoteles, quaſi rem pro certo habuiſſe videatur, additque & aliam ceruæ ſolertiam in partu: Ferarum quadrupedum, inquit, cerua maximè prudentia pręſtare videtur, tum quia circa ſemitas pariat, quo videlicet belluæ propter homines, minus accedunt: Tum etiam, quia cùm peperit, inuolucrum primũ exedit, mox ſeſelin herbam petit, quam cùm ederit, redit ad prolem. Quẽ philoſophi locum præcipitanter admodum reddidiſſe Plinium, apparet in hæc verba: *A partu duas habent herbas, quæ aros, & ſeſelis appellantur*; niſi deprauatum habuiſſe codicem arbitremur, nã pro χωρίον, quod eſt inuolucrum fœtus, vel vertit, vel legit ἄρον: quod animaduertit quoq; Dalechãpius, & Geſnerus.

Ceruæ poſt partum aſtutia.

C Teſtatur verò idem Plinius eaſdem ceruas ante partum purgari ſeſeli, faciliori vtentes ita vtero; vt falli etiam credendum ſit Aelianum in varijs, dum ait: Phyſici referunt ceruum purgationis indignum apia comedere: non enim ſelinum, ideſt, apium, ſed ſeſeli, & non, τὸν ἔλαφον, ſed τὴν ἔλαφον, dicere debuerat: nam & Cicero, referente Gillio, dicit ceruas paulò antè partum perpurgare ſe quadam herbula, quæ ſeſelis dicitur: Et ipſe rurſus alicubi Plinius: *Silis, vel ſeſelis folia quoque vtilia ſunt, vt quæ partus adiuuẽt, etiam quadrupedum: hoc maximè paſcunt ceruę parituræ.* Haud verè itaque Albertus ſcripſit, per eſum ſileris (ſiler montanum ſeſeli videtur Maſſilienſe, quod inter tres ſeſeleos ſpecies eſt vſitatiſſimum) vterum præparare ceruas, vt faciliùs cõcipiant, eò quòd propter duritiem virgæ non accipiunt ſemen niſi fugiendo: non enim ad conceptum, ſed partum faciliorem ceruas hoc pabulo vti, cæteri authores aſſerunt. Addit modò etiam Ariſtoteles ceruæ ſolertiam exaltaturus, quòd hinnulum ſuum ducens in ſtabula, aſſuefacit, quò refugere debeat. Saxum hoc eſſe, ait, abruptum vno adito, quo loco eam, ſiquis inuadit, expectare, repugnareque, eſſe qui affirmant. Repetit autem hoc aliàs Ariſtoteles; addit inſuper Plinius, partus ſuos exercere curſu, & fugam meditari docere, ad prærupta ducere, ſaltumque monſtrare. Solinus verò etiam:

Cerua hinnulũ docet fugere, & ſaltare.

D *ceruas non qualibet partus ſuos*, ait, *educare, teneros ſtudioſè occulere, & abſconditos inter profunda fruticum, vel herbarum, pedum verbere caſtigare ad latendum: cùm maturuerit ad fugam robur, exercitio docere curſus, & aſſuefacere ſalire per abrupta.* Quidam ex recentioribus ſcribit fœtum à ceruo occuli, ne à mare deprehendatur: quod cùm neque veterum authoritate, neque vlla certa obſeruatione confirmet, fidem, puto, non meretur: Nam & ex recentioribus Albertus hinnulos tenellos adhuc cerua, inquit, abſcondit; poſtea ad curſum maturos exercet, & fruteta tranſire docet, ne dum per loca fruticibus, arbuſtiſque referta currunt, cornibus hæreant, & capiantur. Cerua autem in educando fœtu ſola intenta eſt, mas nullam eius curam ſuſcipit, eſtque ceruæ erga fœtum non mediocris στοργὴ, quin accedentes etiam, teſte Xenophonte, ad eum non ſemel impugnat. Quem amorem atteſtans Ieremias, grandis ſterilitatis indicium facit, cùm ceruæ in agro parientes, fœtus ſuos relinquunt, vt explicat D. Hieronymus. Eundem expreſſit Hieronymus Vida in B. Virgine Maria, cùm filium ſuum, Saluatorem noſtrum intellexiſſet iam ad mortem raptum, ſine vllo mortis timore per medios eum ſatellites inquirente:

Cerua ſola fętus curam gerit, & quantam.

Cap. 14.

iamque illa per vrbem
Atque huc, atque illuc errat, triſtemque requirit
Indefeſſa locum, nunc hic, nunc hæſitat illic

Vestigans oculis, atque auribus, omnia captans,
Sicubi concursum, voces aut hauriat vllas.
Ac veluti pastu rediens vbi vespere cerua
Montibus ex altis ad nota cubilia fœtus
Iam dudum teneri memor, omnem sanguine circum
Sparsam cernit humum, catulos nec conspicit vsquam:
Continuò lustrans oculis, nemus omne peragrat
Cum gemitu, tum si qua lupi, si qua illa leonis
Rapteris signa in triuijs conspexerit, illac
Insequitur tota obseruans vestigia sylua
Perque viam passim linquit pede signa bisulco.

Musica quãtopere delectentur.

Inter alia, quæ à naturalibus historicis de ceruis narrantur, eos summopere symphonia mulceri, ac oblectari referunt, Plinius scilicet, Solinus, & Aristoteles, quorum ille: *mulcentur*, inquit, *fistula pastorali, & cantu*; addit Solinus ita pastorum musica oblectari, vt interim negligant pascua, Aristoteles verò tãta hinc affici, ait, voluptate, vt immemores sui, nullo prorsus negotio capiãtur, F quod scilicet propter animi abalienationem adesse tunc minimè suspicantur, è vestigio transfodiantur, atque ita fiant adblandientium præda, lætum aliquod conuiuium suo ludibrio exhilaraturi: sed testimonium philosophi adscribam: Cerui, inquit, sibilo, & cantu venantium capiuntur; mulcentur enim, alliciunturque ea voluptate; itaque alter venantium cantat palam, aut sibilat, alter clam ferit à tergo, vbi socius iam tempus esse significarit: Vnde est, quòd musicam in conuiuijs reijci præcipit Clemens Alexandrinus: *Fistula*, inquit, *tribuatur pastoribus: tibia autem superstitiosis hominibus, qui ad cultum idolorum contendunt; reuera enim hęc instrumenta sunt à sobrio conuiuio amandanda, quæ magis bestijs, quàm hominibus conueniunt, & ijs hominibus, qui à ratione sunt alieniores. Ceruas enim fistulis demulceri accepimus, & in laqueos, inter venandum, cantu duci à venatoribus*, &c. Addit nihilominus Aristoteles; si ceruus erectas auriculas teneat, acerrimè sentire, nec latere insidias posse; sin demissas, facile interimi; vt inde colligere liceat cùm sibilo, aut cantu capitur, demissas aures tenere. Idem legere est apud Plinium, & Solinum. Quas de auditu authoritates citat author adagiorum in prouerbio, *auribus arrectis*; Quanquam enim & aliæ animantes (nam soli homini immobiles sunt) si quid eminus audierint, auriculas surrigant: G ceruo tamen, ijs arrectis, peculiaris, & acerrima auditu percipiendi vis est. Odore similiter valere, inde conijcere licet, quòd, vt dictum fuit, dum maria tranant, non uident terras, sed in odore eadem natant. Arbitror item ualere uisu, idque habere cum capreis commune, nec aliunde μυγαλωπὲς uocauerit Oppianus.

Lib. 2. pędag. c. 4.

Quantũ polleant auditu, & odoratu, visuque.

LIBIDO. COITVS. PARTVS.

Cerui libidinosi.

VEHEMENTI amoris libidine cerui, teste Oppiano, flagrant, ut tanquam gallinacei toto die ad uenerem non cessent incumbere. Budæus hac flagrantissima libidine ad mensem, ait, agitari, tuncque rabie pruriginis efferatos, & canes, & homines atrociter inuadere; Deinde paulatim desæuientes alterum paulò minus mensem absumere: Atqui alij, non homines, & canes inuadere tunc, tradunt, sed sibi inuicem pugnare. Albertus: Cerui, inquit, tempore libidinis efferantur, & certant pro fœminis, seque mutuis interdum uulneribus, uel mortis periculo conficiunt; Nec aliunde est, quod ceruorum genus ἀρίζηλον Oppianus dixit. Meminit eiusdem ceruorum pugnæ etiam Virgilius loquens de libidine animalium:

Quid quę imbelles dant pręlia cerui.

Item Seneca in Hippol.

Si coniugio timuere suo
Poscunt timidi pręlia cerui,
Et mugitu dant concepti
Signa furoris.

Hinc & Herminia apud Torquatum Tassum furiis æstuans amoris ex imbelli puella arma induitura, ait:

Si potrò si, che mi farà possente
A tolerar il peso Amor tiranno,
Da cui spronati ancor s'arman souente

D'al-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *D'ardire i cerui imbelli, e guerra fanno.*
Victori, vt domino, victum obedire, & ſequi eum tanquam herum, teſtatur Albertus. Et Ariſtoteles ait: cùm mares impleuerint fæminas ſeparari per ſeipſos, & propter libidinis graueolentiam, quemque ſolitarium ſcrobes fodere, fœtere more hircorum: facies quoq; eorum nigreſcere aſpergine, vt hircorum: degere ita, quo vſque imber accedat, tum paſcua repetere. Hæc ideo ceruo accidere, quia ſalax ſit ſua natura animal, atque etiam, quia pingui abundat. Coire incipit, teſte eodē Ariſtotele, menſe Auguſto, & Septembri ab Arcturo, implenturque paucis diebus, & ab eodem multæ. Idem de coeundi modo hæc retulit: Inter ea, quæ animal generant, augenturque magnitudine inſigni, nec ceruæ mares ſuos patiuntur, niſi rarò, nec vaccæ tauros propter rigorem genitalis, nimiamque tentiginem, ſed clunibus ſubſidentibus ſemen recipiunt genitale: Sic in ceruis manſuetis fieri viſum eſt. Et rurſus: Cerua plurimum ſubſidens coit, vt dictum iam eſt; marem enim ſuſtinere non poteſt ob eius contentiſſimum impetum. Veruntamen aliquando etiam ſuſtinent modo ouium, & ſocias declinant, cùm turgente iam venere, coitum appetunt. Tradit & Oppianus, ceruos non ſimiliter, atque aliæ feræ ſolent, coire, neque enim ſtantes, neque
B cubantes, ſed magna celeritate currentes inire fæminas, & tamen properantes fugere vxores pedibus amplectuntur, non earum tamen curſum retardare poſſe: ſed inexorabiles illas ad conſiſtēdum maritos ferre, & fugere perſeuerare: Eos autem duobus pedibus quantum poſſunt, curſimq; ſequentes coitum abſoluere. Addit item Ariſtoteles, marem non in eadem immorari, ſed mutare, breuique interpoſito tempore aliam, atq; aliam ſupergredi, quod poſtremum ſic repetijt Plinius: *Cerui in coitu viciſſim ad alias tranſeunt, & ad priores redeunt.* Eodem Plinio teſte, mares iam ſoluti deſiderio libidinis, auidè petunt pabula. Licet autem fæminæ conſerantur, non concipiunt *Lib. 10. cap. 63.* tamen, ſi Solino credimus, ante Arcturi ſidus. Plinius verò etiam teſtatur ceruas cicures non concipere, niſi ab infantia fuerint educatæ, inquit enim: *Quæ ex feris mitigentur, non concipere, vt anſeres: apros verò tardè, & ceruos, nec niſi ab infantia educatos.* Ferunt vterum, teſte Ariſtotele, *Quādiu ferāt vterum.* octo menſes, pariunt autem magna ex parte vnum, ſed nonnullas etiam geminos peperiſſe, addit perſpectum eſſe. Idem legimus & apud Plinium, vt verè ſcripſerit Xenophon, hinnulos vere naſci. *Quando pariant.* Incrementum hinnulorum celere, vt idem Ariſtoteles meminit. Cerua dum lactat, ſeſe dimittit, *Quomodo lactent.*
C vel procumbit, vt Pollux ait, quod inficiatur Geſnerus, ſeſe obſeruaſſe ſcribens, hinnulos vel ſtantes, vel in genua demiſſos à matribus etiam ſtantibus lactari. Negat Ariſtoteles cæteris temporibus ceruæ vllam euenire purgationem, ſed cùm parit pituitoſo quodam humore purgari.

SYMPATHIA. ANTIPATHIA.

Amantes ſunt hominis.

HOMINEM naturaliter amare videntur; vrgente enim vi canum, vltrò ad eum, teſte Plinio, confugiunt: quin inſidiantem ſibi non videntur perhorreſcere, quod ex hiſce eiuſdem Plinij verbis colligo: *Animal eſt ſimplex, & omnium rerum miraculo ſtupens, in tantū, vt bucula, aut equo accedente propriùs, hominē iuxta venantē non cernat, aut ſi cernat, arcum ipſum, ſagittaſq; miretur.* Meminit Ouid. hoc diſticho: *2. de ponto eleg. 2.*

Nec ſe vicino dubitat committere tecto,
Qua fugit infeſtos territa cerua canes.

Attagenum in eos amor.

Ex auibus amicas habet attagenes, qui tam mirificè eos amant, vt non ſolùm cùm vnà paſcuntur,
D diſcedere ab ipſis nolint, verùm etiam dorſo ipſorum inſidentes, pilos vellicent, cuius amicitiæ teſtis eſt Oppianus, cùm canit:

Θάμβος ὅτ' ἂν κερόεσσαν ἀχαιΐνην πτερόεντες
Ἀτταγέες νώτοισιν ἐπὶ ϛικτοῖσι θορόντες,

Ideſt, vt Bodinus transfert:

An non prodigium Atagenes eſt terga ſalire
Cornigeri cerui.

E contrà inimicas habet aquilas, ſaltem primum, & ſecūdum genus, quod meminit idem Plinius: *Primo & ſecundo,* inquit, *generi aquilarum non minorum tantum quadrupedum rapina, ſed & cum ceruis prælia. Multum puluerem volutatu collectum, inſidens cornibus aquila excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes.* In capiendo autem hinnulos, nullo aquila aſtu vtitur, cuius rei monumentū reliquit Homerus, in quodam prodigio, quo Iupiter indicat ſe preces Agamemnonis exaudiuiſſe per aquilam Hectorem ſignificans, per hinnulum ceruæ, Græcos fugiētes:

Αὐτίκα δ' αἰετὸν ἧκε τελειότατον πετεηνῶν,
Νεβρὸν ἔχοντ' ὀνύχεσσι, τέκος ἐλάφοιο ταχείης. ideſt,

Mox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Mox autem aquilam miſit perfectiſſimam volucrum,
Hinnulum tenentem vnguibus, ſobolem ceruæ velocis.

Vultures ceruis inimici ſunt.

Oderunt aquilas & vultures. Sed & vultures inuicem pro ceruina carne decertāt, quibus pugnantibus Cygnus, & Hercules inuicem decernentes armis aſſimilantur ab Heſiodo, dum canit:

Οἱ δ' ὥς' αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες ἀγκυλοχεῖλαι,
Πέτρῃ ἐφ' ὑψηλῇ μεγάλα κλάζοντε μαχέσθω
Αἰγὸς ὀρεσσινόμυ, ἢ ἀγροτέρης ἐλάφοιο
Πίονος, ἥντ' ἐδάμασσε βαλὼν αἰζήϊος ἀνὴρ
Ἰῷ ἀπαὶ νευρῆς, αὐτὸς δ' ἀπαλήσεται ἄλλη
Χώρυ ἄϊδρις ἐών. οἱ δ' ὀξαλέως ἐνόησαν,
Ἐσσυμένως δέ οἱ ἀμφὶ μάχλω δριμεῖαν ἔθεντο.
Ὣς οἱ κεκληγόντες ἐπ' ἀλλήλοισιν ὄρυσαν. ideſt,
Atque vt vultures incuruis vnguibus repandi roſtrè
Rupe in excelſa, magno clangore dimicant,
Capræ montiuagæ gratia, aut feræ ceruæ
Pinguis, quam interfecit iaculando iuuenis vir,
Sagitta è neruo emiſſa: ipſe autem vagatur alio loco
Loci ignarus exiſtens, at illi celeriter animaduerterunt,
Certatimque pro ea pugnam acerbam inſtituerunt:
Sic & hi duo cum clamore contra ſe mutuo irruerunt.

Ceruus ſerpentibus, vt inimicus.

Mutuo item inter ſe odio, vt Oppianus docet, interprete Gillio, omne ſerpentium, ceruorumque genus flagrat inexpiabili. Serpentem ceruus longè latèque inquirens tandem in illius veſtigia longis flexionibus apparentia, iucundè peruenit, naribuſque ad cauernam admotis, ad pugnam pugnare nolentem ipſum attrahit. Serpens extracta in altum tollit collum, & crepitu dentiū horribilis eſt, & acerba ſibila anhelat: Contrà ceruus ridenti ſimilis è veſtigio inaniter pugnantem, & cerui collum, & crura circumplicantem, in ſexcenta fruſta lacerat. In Libycis finibus, magna vis ſerpentum, ceruum, cùm ſolus humi ſtratus iacet, vndique inuadit, & in eius pellem dentes configit, neque cerui vlla pars eſt, quæ non ſerpentibus circumfuſa ſit: Aliæ caput mordicus premunt, aliæ collum & pectus, ventremque diſtrahunt, aliæ item vtrimque circum latera verſantes inſtāt, & nonnullæ crura, aliæ dorſum depaſcuntur, aliæ ex inguinibus pendent hoſtiliter infixæ. Hic omnibus doloribus refertus, primùm fugere tentat, & rugit, & quoquouerſum ſe verſat, ſed magna turba circumſeſſus, non poteſt elabi, ſed tamen ore dilaniat infinitam, & bellicoſam gentem, & cornibus inſequitur: Illæ verò nihil remittunt, ſed etiam ceruinis dentibus demorſæ audacter incumbunt. Is alias dentibus diſſecat, alias pedibus perdit, ac ſerpentum per terram permultus ſanguis diffluit, earumque membra ſemicomeſta ad terram abiectā palpitant, aliæ laceratæ in latera magno dentium robore inhæreſcunt, & ſola capita à reliquo corpore abſciſſa, cerui pellem adhuc pertinaciter retinent. Cùm autem ceruus ſe ita affectum ſentit, diuino quodam naturæ munere fluuium inquirit, vnde cancellos corripiens, medicinam ſibi facit, confeſtimque ferarum reliquiæ ex eius pelle excidunt, cicatrices autem obducuntur. Huc vſque Gillius, ex Oppiano. Cæterùm alij authores repugnare ceruis ſerpentes minimè tradunt, licet veriſimile illud videatur: Nam præterquam quòd Plinius, & ante eum Dioſcorides, famam eſſe tradant elaphobosci pabulo ceruos reſiſtere ſerpentibus, hoc eſt, ſerpentum morſibus, apud Orum in hieroglyphicis etiam legimus ceruum, quoties viperam viderit, fugere, licet id falſum alij dicant. *Ceruis*, inquit Plinius, *cum ſerpente pugna: inueſtigant cauernas, nariumque ſpiritu extrahunt renitentes.* Et rurſus: *Eximio ſerpentibus eſſe ceruos, nemo ignorat, et ſi quæ ſunt extractas cauernis mandentes: Nec verò ipſi ſpirante ſque tantum aduerſantur, ſed membratim quoque fugantur nidore cornus ceruini ſi vratur: pelles cerui ſubſtratæ ſecuros præſtant ab eo metu ſomnos*, &c. Eandem cerui cum ſerpente diſcordiam, hiſce verſibus oſtendit Lucretius:

Cum ſerpētibus acerrime pugnant.

Lib. 6. de rer. nat.

Naribus alipedes vt cerui ſæpe putantur,
Ducere de latebris ſerpentia ſæcla ferarum.

Lib. 6.

Meminit eius & Lucanus inquiens:

Defuit et cerui paſti ſerpente medulla.

Lib. 5. de cauſ. plant.

Quomodo è cauernis hoſtē trahant.

Theophraſtus item ceruis ſcribit ſerpētes in pabulo eſſe, alijs verò veneno. Quomodo modò è latebris ſerpētes extrahat ceruus, Aelianus docere videtur his verbis: Mirifico quodam naturæ munere ceruus ſerpentem fundibus vincit, neque enim ipſum, tametſi hoſtis in latebram abditus, effugere poteſt: Etenim ille naribus ſuis in ſerpentis cauernam incumbens, vehemētiſſimè inſpirans & ſpiritu ſuo, quaſi amatorio quodam alliciens, extrahit, inuitumque profert, ac nimirum procumben-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cumbentem mandræ ingreditur, quod hyeme facere maximè solet. Videtur enim sanè Aelianus vim, qua ceruus serpentem è latibulo extrahit, philtro comparasse, ac si ita à spiritu cerui traheretur, vt à magnete ferrum, à succino paleæ. Quod si autem eo tanquam philtro serpens allicitur, non antipathia, sed sympathia quædam inter cerui, & serpentis naturam fuerit. Atqui ipse tamen Aelianus, hostem cerui appellat serpentem, vt & alij authores, sicut ex suprà dictis manifestũ est. Quod si tamen aliquis spiritum saltem cerui gratum inquiat esse serpentibus, siue caloris ratione, quo vt valde egent propter naturæ suæ frigiditatem, ita vehementer desiderant: siue alia quadam ignota, vnde hoc etiam eueniat, quod Plinius tradit, vt è summo cerui gutture (ex quo scilicet spiritus meat) vstis ossibus serpentes congregari dicantur: respondet Gesnerus, cùm plurimæ, inquiens, cerui partes serpentibus aduersentur, ita, vt vel auertant earum morsus, vt authores referunt, vel morsis iam lęsisque veneno, singulari remedio sint, non verisimile esse, quod Plinius de gutture vsto scribit, præsertim, cùm id neque authoritate alia vlla, neque experimento constet. Quamobrem non spiritum cerui, quatenus à ceruo proficiscitur, sed cõiunctum illi calorem, quatenus calor est, serpentes sequi cõcesserim, præsertim cùm id Aelianus scribat, hyeme potissimùm
B fieri, quo tempore etiam reliquæ animantes, somno id temporis, & frigido veterno obnoxiæ, si incaluerint, moueri, & interdum progredi solent. Calfieri autem latibulum serpentis, spiritu tãtum immisso, potest, eò scilicet modo, quo frigidas hyeme manus fouemus. Hinc fortassis Aelianus dixit, ceruum naribus admotis, vehementissimè in serpentis cauernam inspirare. Simpliciter quidẽ inspiratio est, cùm aer externus ab animante attrahitur, expiratio verò cùm internus emittitur. Aelianus sentire videtur ceruum expirantem, idest, emittentem halitum suum, illum inspirare, hoc est, immittere in latibulum. Ego, inquit Gesnerus, modò serpentem trahi contrario existimo, ceruo nimirum non emittente halitum, eoq; implente latibulum, sed potius aerem latibuli quantum potest exhauriente, vt respirationis suctu eo euacuato serpens sequatur, non aliter, quàm vinum, aut alius liquor, canali immisso, & aere extracto: Quo quidem modo etiam cucurbitulæ sanguinem hauriunt. Et sic propriè serpentem trahere, licet inuitum, & renitentem, vt ipse Aelianus, & alij scribunt: Superiore enim modo non inuitus, sed sponte progrederetur serpens, gratum sibi calorem secutus, vt verno solet, cùm solis calorẽ percepit. Rursus opponi, inquit, potest, quod
C Plinius inquit, cerui animam serpentes vrere: (Plinii verba sunt: *elephantorum anima serpentes extrahit: ceruorum item vrit)* Atqui extracto, haustoque aere, vri non possunt, halitu autem suo immisso, & in latibulum, continuo ductu, inspirato, possunt. Respondet non tanti apud ipsum Plinii verba esse, quanta rei ipsius ratio, certis argumentis considerata. Adstipulari opinioni suæ, siue Oribasius, siue alius author, cuius commentarios in Hipp. aphorismos Ioan. Guinterius Andernacus primus nostro sæculo in lucem dedit, is in lib. 1. aphorismum 29. scribens, ad quæstionem, qua ratione semen viri genitale ad fundum vsque vteri veniat: sciendum, inquit, sic matricem illud exugere, quemadmodum ceruus ad orificium cuniculi, appositis naribus, inde extrahit serpẽtem. Qui geoponica græca collegit, Xenophontem testem adducit, quod ceruus spiritu suo (sic ipse Gesnerus vertit) serpentem, ceu vertigine affectam, ad sese adducat, & rapiat attrahendo: Vbi græcè sic legitur: ἔλαφος ἀνεμωμένη, καὶ ἐφελκομένη τῷ πνεύματι σκοτοῖ τὸν ὄφιν, καὶ καθέλκει πρὸς ἑαυτ. Cornarium, qui hæc rectè conuerterat, Andreas à Lacuna temerè repręhẽdit, & ita reddenda fuisse ait: Exhaustus ceruus, & vulneribus exasperatus, suo spiritu serpentem obtenebrat, ad seseque trahit: Et in castigationibus seorsim subiectis, ἀνιμάεσθαι, inquit, exinaniri, exhaurirìq; est, ἑφελκοῦσθαι verò, exulcerari, nec non exasperari vulneribus: Quæ quidem interpretationes tam ri-

Lib. 19. c. 5.

D diculę hoc in loco sunt, vt refutare pigeat. Ε᾿φελκοῦσθαι quidem rectè exponit, sed nihil ad hunc locum, vbi ἐφελκομένη per ε in secunda syllaba, & ο in tertia legitur, hoc est, attrahens, non ἐφηλκωμένη per η, & ω, vt ipse somniat. Fefellit eum, vtputo, quod sequitur, verbum καθέλκει, quasi idem repeteretur. Cæterùm ἀνιμᾶν, vel ἀνιμᾶσθαι, exhaurire quidem significat, non ita tamen, vt animal viribus exhauritur, & destituitur, vel sanguinis, sudorisque fluxu, aut labore debilitatur, sed propriè aquam, vel alium humorem alicunde, vt ex puteo, exhaurire, καὶ ἄνω ἕλκειν ἱμάντι, idest, loro extrahere, vel attrahere sursum: Vsurpatur verò etiam de iis, quæ sine fune, quouis modo sursum trahuntur: quod etsi multis testimonijs clarissimum facere possem, nolo hac in re esse prolixior; Cui vacat, & libat, & adeat Varini dictionarium. Hæc itaque omnia Gesnerus. Causam verò cur serpentes deuorent cerui, suprà tactam hic omittimus. Caue autem ne in serpentem incideris cum ex latebris cerui anhelitu extracta effugerit, tum enim propter iracundiam vehementius ei venenum est, vt Nicander his asserit versibus:

ἀνιμᾶν quid propriè significet.

Serpenti potentius venenum postquam a caverna extractus.

In Theriaca.

Ἤ ὁπότε σκαρθμοὺς ἐλάφων ὀχεῇσιν ἀλύξας
Ἀνδρὸς ἐνισκήψῃ, χολόων θυμοφθόρον ἰόν,
Ἔξοχα γὰρ δολιχοῖσι κινωπησταῖς κοτέουσι

Νεβρο-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Νεβροτόκοι, καὶ ζόρκες, ἀνιχνεύουσι δὲ πάντα
Τροχαλάθ' αἱμασιάς τε, καὶ εἰλυὰς ἐρέοντες
Σμερδαλέῃ μυκτῆρος ἐπισπέρχοντες ἀϋτμῇ.

Ideſt, vt Petrus Iacobus Steue medicus Valentinus latino reddidit carmine:

Nec quando inſultus ceruorum feruidus ira
Deuitat ſerpens, vaſto ac ſe condit hiatu
Telluris, tetrum iaculans ex ore venenum.
Haud vulgaris enim eſt, quam ſeruant anguibus ira
Cornibus inſignes cerui, damæque fugaces,
Per luſtra horriſonos efflantes naribus orſus.

Canes naturali quodã odio ceruos perſequuntur.

Naturaliter præterea canes perhorreſcit ceruus, & canes ipſi, quamuis ad eorum venatum minimè inſtituti, ipſos perſequuntur. Affert Nonius ex ſatyra Varronis, cuius titulus erat, *pranſum paratum*, verſus hoſce: F

Contra coactus ceruus latratu canum
Fertur biſulcis vngulis necem videns.

Lib. 6. ſaturn.

Citat & hoſce Macrobius ex Vario:

Ceu canis vmbroſam luſtrans Cortynia vallem,
Si veteris poterat ceruæ compendere luſtra,
Sæuit in abſentem, & circum veſtigia luſtrans
Aethera per nitidum tenues ſectatur odores:
Non amnes illam medij, non ardua tardant,
Perdita nec feræ meminit decedere nocti.

Lib. 4.

Tanta autem inſita eſt voluntas, voluptasque canibus capiendi ceruos, vt etiam per ſomnia ijs inſidientur, quod teſtatum reliquit Lucretius, his verſibus:

Venantumque canes in molli ſæpe quiete
Iactant crura tamen ſubitò, voceſque repentè
Mittunt, & crebras reddu cunt naribus auras, G
Vt veſtigia ſi teneant inuenta ferarum
Expergiſactique ſequuntur inania ſępe
Ceruorum ſimulacra fuga quaſi dedita cernant,
Donec diſcuſſis redeant erroribus ad ſe.

Lib. 3. Georgic.

Virgilius loquens de immani peſtilentiæ vi, animalia dicit naturæ ſuæ robur obliuiſci, ac inter alia ceruos tunc nihil ſibi de canibus timere:

timidi damæ, ceruique fugaces
Nunc interque canes, & circum tecta vagantur.

Ouidius pariter hoc canum diſſidium, in canibus Actæonis ita expreſſit, vt nec transformato in ceruum domino ſuo, quod adhuc verbis profitebatur, parcerent:

Vndique, inquit, *circumſtant, merſiſque in corpore roſtris*
Dilacerant falſi dominum ſub imagine cerui.

Idem alibi hac vtitur ſimilitudine:

5. triſt. eleg. 10.

Vtque canum timidæ nactum veſtigia ceruæ
Latrantem fruſtra copula dura tenet. H
Vtque fores nondum reſerati carceris acer
Nunc pede, nunc ipſa fronte laceſſit equus.
Sic mea lege data vincta, atque incluſa Thalia,
Per titulum vetiti nominis ire cupit.

Metam. 13. Ceruus inſtãtibus canibus velociſſimè currit.

Ceruum verò etiam cùm inſequentes habet canes velociori, quàm aliàs, curſu ferri Polyphemus apud eundem Galateæ exemplo indicat:

Non tantum ceruo claris latratibus acto
Verùm etiam ventis volucrique fugacior aura.

Lib. 7.

Simili planè ſenſu Silius Italicus dicebat:

Ceu pernix cùm denſa vagis latratibus implet
Venator dumeta Lacon, aut exigit Vmber
Nare ſagax è valle feras: perterrita latè
Agmina præcipitant volucres formidine cerui.

Lib. 2. Chriſtiad.

Appoſitè etiam Hieronymus Vida Iudæos Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum rapientes, & in eum ſæuientes, canibus aſſimilat, qui ceruum cicurem inuadunt, cùm tantùm ſit canum in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A in ceruum odium, ac dissidium, vt ne cicuri quidem per vrbem, vaganti parcant:

Veluti aspexit si fortè magistri
Assuetum imperij ceruum media vrbe Molossus
Syluestrem ratus insequitur, vix voce coercet
Venator rapido instantem ceruicibus ore.

Idem author, cerui, dum à canibus lacessitur, pauiditatem eleganter expressit in Susanna Virgine lapidibus obruenda, dum canit: *Lib. 1. Christiad.*

Stabat conspectu in medio tremebunda puella
Iam suffusa oculos mortis nigrore propinquæ,
Et positis terram genibus submissa petebat:
Non minus exanimata metu, quàm in retia cerua
Acta canum latratu, & longo exercita cursu,
Cùm iam consumptæ vires, cum se vndique cinctam
Hoste videt, mortemque instantem certa moratur.

B Timiditas autem cerui, cùm à tergo habet canes, eò sæpe progreditur, vt etiamsi quàm maximè sitibundus, & iam fonti propinquus, ne tentato quidem fonte, fuga sibi consulat, sicuti eleganter hisce versibus expressit Torquatus Tassus:

Si come cerua, ch'assettata il passo
Moua à cercar d'acque lucenti, e viue;
Oue vn bel fonte distillar da vn sasso,
O vede vn fiume tra frondose riue,
Se incontra i cani all'hor, che'l corpo lasso
Ristorar crede à l'onde, à l'ombre estiue,
Volge indietro fuggendo, e la paura
La stanchezza obliar face, e l'arsura.

Meminit denique huius dissidij etiam Petrarcha:

C

Ch'io senti trarmi dalla propria image,
Et in vn ceruo solitario vago
Di selua in selua ratto mi transformo,
Et ancor da miei cani fugo il stormo.

Iam verò alias feras penè omnes, quæ ex raptu viuunt, inimicas sibi habent cerui; Calaber id ostendit de lucta loquens Aiacis, & Diomedis in honorem Achillis: commissi sunt, inquit, ferarum in morem, quæ in montibus ob ceruum in prælia ruunt, pabuli inopia laborantes, & pari robore præstantes: neutra ne tantum quidem de impetu remittit, cùm vtraque sit intrepida: sic isti æquis viribus in prælium descendunt. Homerus ex his aliquot nominat, Troianos ceruis assimilans, Græcos istiusmodi feris: *Rapaces feras omnes pro hostibus habet ceruus. Lib. 4. Iliad. N. Cerui timidorũ typus.*

Ὦ πόποι, ἦ μέγα θαῦμα τόδ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι,
Δεινὸν, ὃ οὔποτ' ἔγωγε τελευτήσεσθαι ἔφασκον,
Τρῶας ἐφ' ἡμετέρας ἰέναι νέας, οἳ τοπάρος περ
Φυζανικῇς ἐλάφοισιν ἐῴκεσαν, αἵτε καθ' ὕλην

D

Θωων, πορδαλίων τε, λύκων τ' ἤια πέλονται,
Αὔτως ἠλάσκουσαι, ἀναλκίδες, οὐδ' ἔπι χάρμη.
Ὥς τρῶες τοπρίν γε μένος, καὶ χεῖρας Ἀχαιῶν
Μίμνειν οὐκ ἐθέλεσκον ἐναντίον οὐδ' ἠβαιόν.
Νῦν δ' ἕκαθεν πόλιος κοίλης ἐπὶ νηυσὶ μάχονται.

Sensus versuum istorum est: O facinus! quid nouitatis? quid ego prodigij video? quod me vnquam suspicatus sum fuisse visurum, Troianos in castra venisse, qui antehac, neque conferere nobiscum manus, neque expectare nos vel momento temporis audebant: non secus ac imbelles, fugacesque cerui, non resistunt alijs feris, vt lupis, pardalis, lupis ceruarijs (alij lycopantheris vertunt) sed in syluis huc illucque discursantes harum ferarum pabulum fiunt. Nunc verò longè ab vrbe ad ipsas naues præliantur. De lupo, vt ceruo inhiet Aesaci Hesperien virginem insequentis exemplo, sic indicauit Ouidius, inquiens: *11. Metam.*

Visa fuit Nymphe veluti perterrita fuluum
Cerua lupum, longèque lacu deprensa relicta
Accipitrem fluuialis anas: quem Troius heros
Insequitur, celeremque metu celer vrget amore.

Sta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Statius item ſummam indicaturus hoſtium puſillanimitatem fugientium, eos ceruæ aſſimilat, E
Lib. 2. Thebaid. quæ inſequentem fugit lupum:

qualis cùm cerua cruentis
Circumuenta lupis nullum cui pectore molli
Robur, & in volucri tenuis fiducia curſu
Præcipitat ſuſpenſa fugam, iam iamque teneri
Credit, & eluſos audit concurrere morſus.

Θῶες item, ideſt, lupi ceruarij, plures ſimul ceruum inuadunt, laniantque: nam vulneratum (ſagitta ſcilicet) effugientem perſequuntur, Oppianus:

Ὁ δ' ἀμασσων ὀδύνῃσι,
Βεβρυχὼς ὀλοῇσι περίπλεος ὠτειλῇσιν,
Ἄλλοτ' ἐπ' ἀλλοίων ὀρέων διαπάλλεται ἄκρας,
Οἱ δέ μιν οὐ λείπουσιν, &c.

Senſus eſt: Fugit ille cruentus aliàs ad alia montium iuga, non deſerunt tamen eum thoes, ſed ſubinde infeſtant, & per interualla tandem conſumunt. Aparet autem Oppianum imitatum fuiſſe F præcitatum Homeri locum. Apud Homerum Myrmidones lupis comparantur, qui ceruum de-
Iliad. π. uorant, hiſce verſibus:

Οἱ δὲ λύκοι ὣς
Ὠμοφάγοι, τοῖσίν τε περὶ φρεσὶν ἄσπετος ἀλκὴ,
Οἵτ' ἔλαφον κεραὸν μέγαν οὔρεσι δῃώσαντες
Δάπτουσιν. ideſt,

Hi verò, lupi tanquam
Crudiuori, quibuſque circamentes immenſum robur,
Qui ceruum cornutum magnum in montibus cæſum
Vorant.

Lib. 1. carm. od. 14. Similiter perfectæ formæ inter ſe conferuntur apud Horatium Paris ceruo, Diomedes lupo: G
Antipathia cum lupo.

Ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre
Quem tu, ceruus vti vallis in altera
Viſum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ.

Idem poeta de Hannibale, qui iam deſperabat ſe Romanos vincere poſſe, ſe ſuoſque ceruos illos,
4. carm. ode 4. quia author nominis illorum à lupa nutritus dicitur, lupos vocat:

Dixitque tandem perfidus Hannibal
Cerui luporum præda rapacium
Sectantur vltrò, quos opimus
Fallere, & effugere eſt triumphus.

Lib. 5. Strabo ceruos cum lupis aggregari fabulari nonnullos aſſerit in lucis Venetorum, ita illic manſueſcere feras profitentes. Sed quomodo lupi ceruos inuadant ex nuperis Petrus Angelius Bar- H
Lib. 5. Syriados. gæus tradit in hæc verba:

Præcipites primam in pugnam, cædemque ſequuntur,
Inque aduerſa ruunt Graiorum terga: rapaces
Non ſecus atque lupi, quos alta excedere ſylua
Dira fames, luciſque vagæ mora tarda coegit
Si quando longo paſcentes agmine ceruos
Ire vident, primùm taciti veſtigia ponunt,
Mox propius ſaltu ſimul exiluere, feruntur
Vnà omnes: adiens hic illum euiſcerat atris
Dentibus: ille alium traiectum vulnere fauces
Occupat & rabido diſcerpit viſcera morſu.

Eſt etiam vbi Homerus Vlyſſem vulneratum ceruo, Traianos cum Græcis eripere conantes lyncibus, mox Aiacem ſuperuenientem leoni comparat:

Ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτὸν
Τρῶες ἕπονθ', ὡσεί τε δαφοινοὶ θῶες ὄρεσφιν
Ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον, ὅντ' ἔβαλ' ἀνὴρ
Ἰῷ ἀπὸ νευρῆς. τὸν μέν τ' ἤλυξε πόδεσσι

φύγῃ

A

Φεύγων, ὄφρ' αἷμα λιαρὸν καὶ γούνατ' ὀρώρῃ.
Αὐτὰρ ἐπειδὴ τόν γε δαμάσσεται ὠκὺς ὀϊστὸς,
Ὠμοφάγοι μιν θῶες ἐν οὔρεσι δαρδάπτουσιν,
Ἐν νέμεϊ σκιερῷ. Ἐπί τε λῖν ἤγαγε δαίμων
Σίντην. θῶες μέν τε διέτρεσαν, αὐτὰρ ὃ δάπτει.
Ὥς ῥα τότ' ἀμφ' Ὀδυσῆα δαΐφρονα ποικιλομήτην
Τρῶες ἕπον πολλοί τε καὶ ἄλκιμοι. αὐτὰρ ὅγ' ἥρως
Αΐσσων ᾧ ἔγχει ἀμύνετο νηλεὲς ἦμαρ
Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε, φέρων σάκος ἠΰτε πύργον
Στῆ δὲ παρέξ, &c.

Inquit poeta: Offendūt Vlyssem tū plurimorū, tum præstantissimorū hostium ferro uallatū, & veluti quēdam inter crudos lynces ceruū, quē sagitta confixū, sed fuga ab oculis sagittātis elapsum, ferę illę montoso, sylnestriq; loco circūsistunt iā virib. ex cursu defectū, iā sanguine frigescēte, dolorib. ex vulnere confectū laniant, deuorantq;. At si immanē illuc leonē fortuna demū adduxerit, B diffugiūt, relicta feræ fortiori ad deuorandū præda: Sic postquā Aiax Vlyssi proximus astitit præferens illū turris instar clypeū, Troiani alij alio diffugerūt. Assimilatur itidē ab eodē Agamemnō leoni, Troiani verò fugientes, occisosq; ab eo nō audētes eripere, cerue, q̄ leoni fetus suos relinquit deuorādos: *Iliad. λ.*

Ὥς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα
Ῥηϊδίως ξυνέαξε, λαβὼν κρατεροῖσιν ὀδοῦσιν,
Ἐλθὼν εἰς εὐνὴν, ἁπαλόν τε σφ' ἦτορ ἀπηύρα.
Ἡ δ' εἴπερ τε τύχῃσι μάλα σχεδὸν, οὐ δύναταί σφιν
Χραισμεῖν. αὐτὴν γάρ μιν ὑπὸ τρόμος αἰνὸς ἱκάνει.
Καρπαλίμως δ' ἤιξε διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην
Σπεύδουσ' ἱδρώουσα κραταιοῦ θηρὸς ὑφ' ὁρμῆς.
Ὥς ἄρα τοῖς οὔτις δύνατο χραισμῆσαι ὄλεθρον
Τρώων, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ ὑπ' Ἀργείοισι φέβοντο.

C Quasi diceret: Interfectos cùm inspexissent cæteri Troiani non aliter ab Agamemnonis manibus subleuare aut potuissent, aut ausi essent, quàm cerua teneros fœtus, si fortè vel interfuit, vel interuenit, cùm eos in ipso cubili nactos immanis leo statim acri dente confringit, atque exanimat. Atque vt misera illa hoc ipso, quod tam filijs vicina est, timidior pro sua, quàm audacior pro illorum salute, in confragosas syluas, saltusq; se proripit, tremebunda, anxia, sudorib. manans: sic Troiani sibi timentes se auerterunt. Menelaus etiam summa affectus lætitia, quod singulari certamine cum Paride esset congressurus leoni assimilatur, qui famelicus ceruum deuorandum inuenit:

Ὥστε λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας,
Εὑρὼν ἢ ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα,
Πεινάων (μάλα γάρ τε κατεσθίει, εἴπερ ἂν αὐτὸν
Σεύωνται ταχέες τε κύνες, θαλεροί τ' αἰζηοί)
Ὥς ἐχάρη Μενέλαος Ἀλέξανδρον θεοειδέα
Ὀφθαλμοῖσιν ἰδὼν, φάτο γὰρ τίσασθαι ἀλείτην. idest,

D

Sicut leo gauisus est, qui in magnum corpus inciderit,
Inueniens vel ceruum cornutum, vel syluestrem capram,
Famescens (valdè etenim deuorat, etiamsi ipsum
Agitent veloces canes, florentesque iuuenes)
Sic gauisus est Menelaus Alexandrum diuinum
Oculis conspicatus: sperabat enim vlturum se eum, qui peccarat.

Idem rursus Menelaus in procos Penolepes stomachans exclamat: O ignauos homines, qui in thoro viri fortissimi cubare volunt, veluti cerua in syluæ recessu in leonis cubili catulos nuper natos locans, ipsa per saltus discurrit altas pascendo valles: At ille cubile repetens matri, ac natis fatum affert: Sic Vlysses illis perniciem tulerit: *Odyss. ρ.*

Ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ κρατερόφρονος ἀνδρὸς ἐν εὐνῇ
Ἤθελον εὐνηθῆναι ἀνάλκιδες αὐτοὶ ἐόντες.
Ὡς δ' ὁπότ' ἐν ξυλόχῳ ἔλαφος κρατεροῖο λέοντος
Νεβροὺς κοιμήσασα νεηγενέας γαλαθηνοὺς,
Κνημοὺς ἐξερέῃσι, καὶ ἄγκεα ποιήεντα
Βοσκομένη ὁ δέ τ' ὦκα ἑὴν εἰσήλυθεν εὐνὴν,
Ἀμφοτέροισι δὲ τοῖσιν ἀεικέα πότμον ἐφῆκεν.
Ὣς Ὀδυσεὺς κείνοισιν ἀεικέα πότμον ἐφήσει.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Eſt etiam ubi Hectoris & robur, & Græcos diſſipandi præcipuum deſiderium indicaturus, leoni E illum, Græcos canibus ceruos uenantibus comparat. Quemadmodum, inquit, agreſtibus uiris, agreſtibuſque canibus aliquando contingit, ut dum cornigerum ceruum, aut feram capram indagant, nec adipiſcuntur, quippe defendentem ſe aut inacceſſa petra, aut horrido ſaltu, ſi eis itaindagantibus, ac clamantibus interueniat ipſa uia uilloſus leo, ſtatim, quantumlibet animoſi auertuntur in fugam: Sic &c. Verſus græci hi ſunt; *Iliad. O.*

Οἱ δ᾽ ὥς ἢ ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα
Ἐσσεύοντο κύνες τε, καὶ ἀνέρες ἀγροιῶται.
Τὸν μέν τ᾽ ἠλίβατος πέτρη, καὶ δάσκιος ὕλη
Εἰρύσατ᾽ οὐδ᾽ ἄρα τέ σφι κιχήμεναι αἴσιμον ἦεν.
Τῶν δέ θ᾽ ὑπαὶ ἰαχῆς ἐφάνη λῖς ἠϋγένειος
Εἰς ὁδὸν, αἶψα δὲ πάντας ἀπέτραπε καὶ μεμαῶτας
Ὣς Δαναοὶ, &c.

Iliad. Π. Et rurſus eũdem Hectorem, nec non & Patroclum, dum alteri alter eripere Cebrionem conatur, F leoni comparat, inquiens:

Ἕκτωρ δ᾽ αὖθ᾽ ἑτέρωθεν ἀφ᾽ ἵππων ἆλτο χαμᾶζε.
Τὼ περὶ Κεβριόναο λέονθ᾽ ὣς δηρινθήτην
Ὥ τ᾽ ὄρεος κορυφῇσι περὶ κταμένης ἐλάφοιο,
Ἄμφω πεινάοντε, μέγα φρονέοντε μάχεσθον
Ὣς περὶ Κεβριόναο δύω μήστωρες ἀϋτῆς.
Πάτροκλός τε μενοιτιάδης, καὶ φαίδιμος Ἕκτωρ.

Senſus eſt: Hector è curru deſilijt Diomedi occurſurus, ut quales duo leones, tum natura, atque ætate magnanimi, tum præſente fame ſæuiores, circa interempti cerui corpus in montibus præliãtur: Tales duo hi præſtãtiſſimi belli principes, circa Cebrionẽ cõcurrentes, mutuum exitiũ inferre nitebãtur. Quẽ Homeri locum de ſingulari Cygni & Herculis certamine, ſic imitatus eſt Aſcræus:

Ὡς δὲ λέοντε δύω ἀμφὶ κταμένης ἐλάφοιο
Ἀλλήλοις κοτέοντε, ἐπὶ σφέας ὁρμήσωσι,
Δεινὴ δέ σφ᾽ ἰαχὴ, ἄραβός θ᾽ ἅμα γίνετ᾽ ὀδόντων. G
Ὣς οἱ κεκληγόντες ἐπ᾽ ἀλλήλοισιν ὄρουσαν. ideſt,

Vt autem leones duo, pro occiſa cerua
Sibi mutuò ſuccenſcentes in ſeipſos impetum faciunt,
Sæuuſque inter ipſos rugitus, ſtrepituſq; exoritur dentium:
Sic & hi duo cum clamore contra ſe mutuò irruerunt.

Odyſ. Z. Comparat Homerus itidem leoni famelico ceruum, uel aliud quoduis animal quærenti, & famem ſedare anhelanti Vlyſſem naufragum, & ex longo itinere fame languentem:

Βῆ δ᾽ ἴμεν ὥς τε λέων ὀρεσίτροφος, ἀλκὶ πεποιθὼς,
Ὅς τ᾽ εἶσ᾽ ὑόμενος, καὶ ἀήμενος, ἐν δέ οἱ ὄσσε
Δαίεται. αὐτὰρ ὁ βουσὶν ἐπέρχεται, ἢ ὀΐεσσιν,
Ἠὲ μετ᾽ ἀγροτέρας ἐλάφους. Κέλεται δὲ ἑ γαστὴρ
Μήλων πειρήσοντα καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν
Ὣς Ὀδυσεὺς κούρῃσιν ἐϋπλοκάμοισιν ἔμελλε
Μίξεσθαι, γυμνός περ ἐών. χρειὼ γὰρ ἵκανε.

Senſus eſt: Statimque exijt leonis more, qui in monte nutritus fidens, minitans, ſpiranſq; ac oculis ardentibus ingreditur in boues, aut oues, aut ceruas agreſtes inuaſurus, fame ſuadente in domum frequentem irruit, & in pecudes graſſatur. Hunc eundem leonis, famelici hoſtilem in ceruum impetum in Mezentio duce ſic expreſſit Virgilius: H

10. Æen.

Impaſtus ſtabula alta leo ceu ſæpe peragrans
(Suadet enim veſana fames) ſi fortè fugacem
Conſpexit capream, aut ſurgentem in cornua ceruum:
Gaudet hians immane, comaſque arrexit, & hæret
Viſceribus ſuperaccumbens, lauat improba teter
Ora cruor.
Sic ruit in medios alacer Mezentius hoſtes.

7. Thebaid. *Leoni quam grata cerui caro.* Docet & Statius Capanei ſtrenui ducis ſimilitudine, quantopere cerui eſu delectetur leo, necnon etiam, quàm hoſtili animo eum inuadat:

Iactanti talia fruſtra
Turbidus aerea Capaneus occurrit in haſta,

Qualis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A
Qualis ubi primam leo manè cubilibus altis
Erexit rabiem, & sæuo speculatur ab antro,
Aut ceruum, aut non lum bellantem fronte iuuencum:
It fremitu gaudens, licet arma, gregesque lacessant
Venantum: prædam videt, & sua vulnera nescit:
Sic tunc congressu Capaneus, &c.

Ouidius uerò Arionis harmoniæ dulcedinem indicaturus, ei animalia, etsi naturaliter inuicem diffidentia, ita aures præbuisse ait, ut naturæ quasi propriæ oblita, unà tanquã amica auscultarẽt: *2. Fastor. Arionis ars, vt feras demulserit.*

Sæpe sequens agnam lupus est à voce retentus
Sæpe auidum fugiens, restitit agna, lupum.
Sæpe canes leporesque vmbra iacuere sub vna,
Et stetit in saxo proxima cerua leæ.

Et aliàs rursus: *Sic agna lupum, sic cerua leonem* *1. Metam.*
Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ.

B Scribit porrò Aristoteles ceruos ab ursis inuadi, quod idem meminit Ouidius, dum canit: *8. hist. 5.*

Vtque fugax auidis ceruus deprensus ab vrsis, *3. trist. eleg. 10.*
Cinctaque montanis, vt pauet agna lupis.
Sic ego belligeris à gentibus vndique septus,
Terreor hoste meum penè premente latus.

Idem & sæuitiam tigridis in ceruum ostendit in Progne Ityn Therei filium dilaniante: *Metam. 6. Tigridẽ inimicissimã sibi habet belluam.*

Nec mora traxit Ityn veluti Gangetica cerua
Lactentem fœtum per syluas tigris opacas.

Silius uerò pauorem, quem, uisa tigride, concipit ceruus, sic expressit: *Lib. 5.*

Tum verò aspiciens pauitantem, & condere semet
Nitentem socijs iuuenem: ceu tigride cerua
Hircana cum pressa tremit, vel territa pennis
Colligit accipitrem cernens, in nube columba.

C Hinc est quod & Horatius inter alia ἀδύνατα recenset & hoc:

Iuuat vt tigres subsidere ceruis.

Fugit & arietem ceruus, ut apud ueterem Ori interpretem legimus, sed in textu græco ἔλεφας est, non ἔλαφος. Horrent denique cerui, teste Alberto, gannitum uulpium. Dantur modò etiam plantæ, quibuscum non benè conuenit ceruo. Κάκτος, inquit Varinus, genus est spinæ, qua hinnulus ictus inutilia habebit ossa ad tibias. At uerò Antigonus in congerie mirabilium narrationũ, uulgatum esse scribit, spinæ genus in Sicilia, quod uocatur cactus, quam si ceruus calcet, & saucietur, ossa eius nullum sonum edere posse, unde etiam Philetas, inquit, de ea hæc exposuit: *Ceru⁹ arietem fugit, et vulpium gãnitum. Antipathia cum cacto.*

Atque euitato cacti mihi vulnere acutæ
Argutum carmen mortuæ cerua canat.

Est & asphalathus spinæ genus, quo ceruum tactum emori scribit Pierius. Postremò rubras pennas è funiculo pendentes, mirum est, quantum formident cerui; qua de re sic legimus apud Cælium; *Ceruos*, inquit, *rubræ pennæ aspectu terreri nonne & Ausonius comprobat illis versibus?* *Cum Aspalatho spina. Rubras pennas fugit.*

D
An cum fratre vagos dumeta per auia ceruos
Circumdas maculis, & multa indagine pinnæ?

Id & Seneca uidetur significare libro de clementia 1. *Si feras*, inquit, *linea, & pinna conclusas contineas, iubeasque telis incessi, tentabunt fugam per ipsa, quæ fugerant, proculcabuntq; formidinem.* *Pennis vt terreantur cerui.*

Sed & in georgicis commeminit Virgilius, ubi de ceruis ait; *Lib. 3.*

Puniceæve agitant pauidos formidine penna.

Et Ouidius; *Metam. 15.*

Nec formidatis ceruos includite pennis.

Quin & Lucanus:

Sic dum pauidos formidine ceruos
Claudat odoratæ metuentes aera pennæ.

Quòd autem odoratas ait pennas, ad id referri potest, quod ustulari ab plerisque solent, sicut Insubribus est mos. Hoc ipsum & Hieronymus innuit in Luciferiani, & Orthodoxi dialogo; *Et pauidorum more ceruorum, dum vanos pennarum euitatis volatus, fortissimis retibus implicamini.* Hactenus Cælius. Meminit & Oppianus ubi Pelamydum capturam describit, quas funibus in mare demissis, motisque piscatores terrent, & sic adigunt in retia: similiter, inquit, uenatores in syluis, aut in montibus: *Lib. 4. de pisc. Pelamydes vt capiãtur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Εἶλον ἀναλκείλω ἔλαφον ἐυαγρεῖ τέχνῃ.
Μηρίνθῳ ςέψαντες ἅπαν δρυὸς, ἀμφὶ δὲ κύφων
Ὀρνίθων δήσαντο θοὰ πτερὰ, &c.

Meminit & Xenophon: maximè, inquit, timent cerui funem aliquem, ex quo pennæ ſuſpenſę ſunt,
In geopon. imaginantes nimirum ipſam pennæ agitationem: ſed addit Xenophon, nec non & Democritus, timorem eum ponere, vbi homines ipſis adſtantes vident. Venatores hodieque formidinem vo-
Linea formido, quæ dicta. cant quandam lineam, varios variarum plumarum nexu colores habentem, nec aliam ob cauſam puniceam pennam dixit Virgilius, & ob eandem varietatem Oppianus δεῖμα vocauit πολύχροον, & δειμαλέλω μήρινθον.

ÆTAS.

Cerui longæuitas. CELEBRATVR paſſim, & præcipuè apud poetas, ceruornm longæuitas. Heſiodus (verba ſunt Plinij) cornici nouem noſtras tribuit ætates; quadruplum eius ceruis: id triplicatum coruis. Heſiodi verſus (quos in operibus, quæ extant, nuſquam reperio) hi ſunt:

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακερύζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβώντων, ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος
Τρεῖς δ᾽ ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται, αὐταρ ὁ φοῖνιξ
Ἐννέα τοὺς κόρακας, δέκα δ᾽ ἡμεῖς τοὺς φοίνικας
Νύμφαι ἐϋπλόκομοι κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο.

Quos verſus interpretatus videtur, quiſquis tandem ille fuerit, hoc carmine, quod extat inter reliquas Virgilij appendices, quod tale eſt:

Ter binos, decieſque nouem ſuperexit in annos,
Iuſta ſeneſcentum quos implet vita virorum.
Hos nouies ſuperat viuendo garrula cornix.
At quater egreditur cornicis ſecula ceruus.
Alipedem ceruum ter vincit coruus, at illum
Multiplicat nouies phœnix reparabilis ales.
Quam vos perpetuo decies prævertitis æuo
Nymphæ Hamadryades, quarum longiſſima vita eſt.

Quia autem cornicis ætatem hic quater ſuperare dicitur, Oppianus ſimiliter de ætate ceruiloquens, eum vocat τετρακόρωνον, hiſce duobus verſibus:

Ζώει δ᾽ αὖτ᾽ ἔλαφος δηρὸν χρόνον ἀτρεκέως δὲ
Ἀνθρώπων γενεή τις ἐφήμισε τετρακόρωνον.

Hoc eſt, vt vertit interpres:

Sic longam voluit diuturno tempore vitam
Quatuor vt ſuperet cornicis ſecula ceruus,
Quod verè perhibent doctorum ſcripta virorum.

6. hiſt. c. 29. Qua ratione ceruus annos viueret 3600. coruus verò 10800. quæ fabuloſa eſſe iudicabis, ſi mundi ætatem tecum reputes: vnde fortè eſt, quod Ariſtoteles de ætate ceruorum loquens, hanc longæuitatem non approbauerit. Vita eſſe, inquit, perquam longa hoc animal fertur, ſed nihil certi ex ijs, quæ narrantur, videmus: nec geſtatio, aut incrementum hinnuli ita euenit, quaſi vita eſſet prælonga. Idem alibi aſſerit, hominem plus temporis, quàm quoduis animal, viuere, excepto ele-
de generat. anim. 4. cap. 10. phante. Atqui Pauſanias ceruum elephanto viuaciorem eſſe, addito experimento, tradit, ſed teſtimonium eius adſcribam: Arcades, inquit, aiunt Arceſilaum quendam in Lycoſura habitantem vidiſſe ceruam ſacram dominæ appellatæ (τὴν ἱερὰν τῆς καλουμένης δεσποίνης ἔλαφον) ſenio gra-
In Arcadic. uatam, cui torques circum collum fuerit hoc verſu inſcripta:

Νεβρὸς ἐὼν ἑάλων ὅτ᾽ ἐς Ἴλιον ἦν Ἀγαπήνωρ. Hoc eſt:
Hinnulus excipior ſoluente Agapenore Troiam.

Quo quidem teſtimonio confirmari poteſt ceruum elephanto etiam longè viuacius eſſe animal. Tantum Pauſanias. Elephantos verò tum ducentos, tum trecentos annos viuere, tum ex alijs, tum ex ipſo etiam Ariſtotele, ſuo loco, diximus. Aliud viuacitatis teſtimonium legitur apud Plinium his verbis: *Vita ceruis in confeſſo longa, poſt centum annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis iam cute in magna obeſitate.* Clariùs Solinus: *Ad dignoſcendam,* inquit, *viuacitatem Alexander Magnus torques plurimis ceruis innexuit, qui poſt annum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *annum centesimum capti, necdum senij indicium preferebant.* Sed & apud Aristotelem in mirabi-
libus legimus, apud Peucetinos (Peucetios potius legerim, Peucetia autem Italiæ regio est, alijs
nominibus Calabria, Iapygia & Messapia dicta) aiunt esse Dianæ templum, vbi dedicata Deæ
visatur torques ænea, cum inscriptione: *Diomedes Dianæ*; fertur enim ille torquem cerui collo
addidisse, circa quam aucta sit caro, & ceruus postea captus ab Agathocle rege Siciliæ in templo
Iouis consecratus: Inter Diomedem autem, & Agathoclem longa annorum sęcula intercessere.
Idem etiam Cæsarem fecisse putarunt: nam circa schisma Clementis contra Vrbanum Sextum
annis iam ab hinc exactis supra ducentos, cùm Carolus Gallorum rex Syluanectum se contulis-
set canum latratibus in fugam excitatus ceruus torquem collo gerens inuentus est, quem ferro
appeti, rex vetuit, tandem retibus captus est: erat in torque latinis literis scriptum: *Hoc me Cæsar
donauit*, interpretantibus id nonnullis, de Caio Iulio Cæsare intelligi non posse, alij responde-
runt, quòd vltra annos mille cerui eius ætas fuisset protensa, quod longissimè abesset à verisimili.
Alij igitur id Imperatori adscribendum fuit. Ex eo itaque tempore Carolus ceruum allatum,
aream collo coronam gestantem, pro insigni habuit, & regijs insignibus, quæ lilijs aureis tri-
B bus constant, hinc atque hinc cerui duo adijci consueuerunt, vt Guagninus annotat. Cæsaris au-
tem Augusti ceruam innumeris propemodum lustris à pacatissimo ipsius imperio deprehensam
fuisse, annalium monumentis mandatum fuisse, Aemilianus tradit, quæ à venatoribus nunquam
iugulari potuerit, torque scilicet prohibente temporis diuturnitare cute obducto, vbi hæc verba
erant exarata: *Noli me tangere, quia Cæsaris sum.* De qua eadem cerua Petrarcha commemo-
rans, sic cecinit:

Nessun mi tocchi, al bel collo d'intorno
Scritto hauea di diamanti, e di topatij,
Libera farmi al mio Cesare parue.

Sunt itaque qui ita ab Aristotele scriptum arbitrantur, quia ea, quæ citauimus tempora, non at- *Lib. 9.*
tigit: nam & Theophrastus eius discipulus, & successor vix tandem extremo senio confectus, ęta-
tem ceruorum, quibus Alexander torques innexerat, didicisse poterat aliqua ex parte, qui mo-
riens idcirco naturam accusasse dicitur, vt est apud M. Tullium, quod ceruis, & cornicibus vitam
C diuturnam, quorum nihil interesset, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam de-
disset. Iniquus profectò in naturam fuisse videretur, nisi longissimam vitam ceruos degere, per-
spectum habuisset, cùm ipse annos quinque & octuaginta vixerit, vt Laertius, ex Suidas prodide-
runt. Sed & ipse Aristoteles ceruum non solùm longæuum esse testatur, verùm etiam longæuita- *Cur longæuus.*
tis causam affert, quia felle caret; esse autem quædam longæua felle carentia meminit etiam Cæ- *4. de part. cap. 2.*
lius, cerui ac delphini adducto testimonio: *Qui verò sedimen*, inquit, *fel est, & exuperans inuti-*
lisque materia, inde veterum nonnulli vita longioris, ac (vt Græcis dici assueuit) *polychronia ex fel-* *Lib. 4. c. 17.*
lis vacuitate dimanare id, sunt suspicati, argumento ex ceruorum vita deducto. Sed & delphinus,
qui & fellis expers est, longæuus est. Columella verò etiam ceruum in viuarijs compluribus an-
nis sustinari posse ait, *nam diù iuuenis*, inquit, *possidetur, quod æui longioris vitam sortitus est.* Non
immeritò igitur viuacis epitheto à poetis celebratur, & ceruina senectus, de ætate non vulgari di-
citur, quæ apud Iuuenalem filio patris mortem optanti exosa est. *Satyr. 14.*

Iam torquet iuuenem (inquit) *longa & ceruina senectus.*

D Sacerdotes Aegyptij volentes indicare hanc cerui viuacitatem cornua eius, quàm maximè ra-
mosa faciebant, siquidem vnoquoque anno horum cornibus ramus adijcitur. Cæterùm Ari- *Vnde eius ætas colligenda.*
stoteles senium ex ramorum multitudine, in quos sparguntur cornua, nequaquam agnoscendum
esse docet, quin imò dentium caritate, atque adminiculorum inopia coniectandam illorum æta-
tem esse suadet. Quandoquidem si singulis annis ramus propagaretur, cùm maximè longæui sint *9. hist. 5.*
cerui, ijs profectò, quos vltra centum annos vixisse, perhibent historici, proceris pinis, & quercu-
bus multo grandiora cornua erupissent. Inquit, itaque Aristoteles ceruos senes, cùm cornuum
indicia desierunt, cognoscimus maximè indicio duplici illo: Dentes enim, aut nullos, aut paucos
habent, atque adminiculis carent: vocantur adminicula rami, qui imis cornibus prominent ante
frontem, quibus in pugna vtuntur iuniores, senes autem carent. Hinc dicebat etiam Ouidius: *3. de arte amand.*

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,
Nec faciunt ceruos cornua iacta senes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

V O X.

Vox quæ, & qualis pro ætate, & sexu.
5. hist. c. 24.

AVTHOR Philomelæ ceruos, ait, & onagros glocitare, catulis verò glaucitare tribuit, & glocire, glocidareque, apud Columellam, & Festum, proprium est gallinarum, cum ouis incubaturæ sunt. Cæterùm Virgilius de ceruis dicebat in georgicis: *grauiterque rudentes cædunt*. Mutat autem vocem ceruus pro sexu, vt ait Aristoteles, dum inquit: Vox maribus in hoc genere cùm tempus coeundi est, fæminis autem cùm metuerint: breuis vox fæminæ est, maris productior. Idem in physiognomonicis ceruum & leporem, vtpotè timida animalia, acutam vocem edere tradit. Seneca verò, dum in Hippolyto mugitu Veneris furores indicari ait, vel impropriè locutus est, vel indicat, nisi quo tempore soboli procreandæ dat operam, mugire, nam aliàs ceruorum est bardire, & rugire, Græci, F vt apud Glossarium legimus, κράζειν dicunt.

CAPIENDI RATIO. VENATVS.

Qui cerui venatione impetantur.
Lib. 2. de philologia.
Magnitudo cerui, quib. signis à venatorib. colligatur.

CERVORVM venationem ἐλαφυβολίαν Græci vocant, ipsum verò venatorem ἐλαφηβόλον, quamuis hæc vox aliquando idem sit apud ipsos, quod κυνηγὸς, estq; eadem vox in fæminino genere Dianæ epithetum. Quamuis autem cuilibet ceruo venator insidias parat, moris tamen est egregijs venatoribus, teste Budæo, non gregarium ceruum, non quemlibet etiam soliuagum venari. Quin solenne est, inquit, ipsis non minorem ad cursum eligere, quàm qui iustę proceritatis esse videatur. Id autem nó aspectu modò cerui, sed plerumque ceruinis vestigijs, excrementorumque sterculculis indicatur: Quæ inuenta venatores diligenter colligere solent, atque intra cornu venaticum condere. Sunt & magnitudinis indicia: affrictus ad arborum stipites, qui conspicui sæpe sunt intra fines stabulationis eius: Tum cubilis inuenti amplitudo, & substramenti laxitas, vbi interquieuerit. Hæc enim & alia renunciari in concilio venatico à vestigatoribus solent: quos reges habent, velut mancipes G instrumenti venatorij, atque ministerij, eorumque arbitratu, concilio saltuensi dimisso, venatum committere solent: quod sermone peculiari dicitur, ceruum aut feram cuiusuis generis canibus permittere: & copulas canum, quasi iuga soluere. Cùm verò cerui adhuc sunt ætate gregaria, aut licet soliuagi sint, indigni tamen venatu iudicantur, quasi nondum annos ætatis impleuerint curricularis: reijculi à venatoribus appellantur.

Mediocrem ceruũ, quib. verbis denotent venatores.
Ceruus grãdis quis.

Mediocrem ceruum cùm venatores significare volunt, aiunt ceruum esse uenabilem, venabuli magnitudine, venatui iam adultum, sed veluti tyronem, & nouitium. His enim verbis vtuntur indagatores, cùm indagationem antelucanam, & matutinam renuntiant, in conuentu saltuensi significantes ceruum quasi subdecumanum. Dixerat autem ceruum grandem eum vocari demum, qui decem corniculis, quod minimum sit, insignitus est: eundemque eximium vocat, & decumanum, non quasi denarium, sed quasi eminentem, & egregium.

Indagandi mos.

Diuersæ prouinciæ mandari indagatoribus solent, ita, vt quisque suam obeat, in alienam pedem non inferat indagandi gratia, nevè in ea quid obturbet, neu pro potestate faciat. Indagator vestigijs cerui instat, aut soleatis, si locus vliginosus est, vel pluuiæ antecesserunt: aut odoratis arente solo: atq; sequente molosso vestigatore vtitur, atque eò vsque persequitur, quoad decumanum recubuisse in proximo, certis signis, explorauerit.

Canes vestigatores quales.

Verùm ne ille fortassis, aut accessu indagantis propinquiore, aut molossi fremitu, aut panico (vt fit interdum) territus inde excesserit: tametsi enim eiusmodi canes insigniter auriti, genere sint Harprocratici, tamen cùm propius accessere, nescio quid præ feruore obloqui, atque gannire plerumque solent, malisque increpitare. Ne igitur ceruus huiusmodi casu, aut culpa è cubili matutino prosilierit, indeque longiùs abierit, solemnis est cautionis indagine latiore cubilis locum circumscribere: Molossum numella retinentem, & compescentem, nec inde discedere, donec exploratum habeat, feram intra spacium à se circinatum iacere. Gyro ceruum claudere vocant, & ibidem sistere.

Venandi modus Francisci Gallorũ regis.

Rex (Gallorum) Franciscus huius nominis primus hanc propèmodum formulam venatici processus instituerat. Cùm post renunciationem circuitorum de concilij sententia decumanum vnum, aut alterum ad eius dici spectaculum delegisset (nam interdum pomeridianam etiam venationem matutinæ addere solebat: cùm succenturiatas canum copias haberet) geminumque instrumentum conuentus soluebatur: ad vadimonij locum ibatur. Molossus rursus è loro numellæ cubilis indicium faciebat. Feram inde impetu facto excitabat, quod uulgò lancinare dicitur. Tunc decuriæ canum leuis excursus solue-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A soluebantur: buccinis signum venatus commissi dabatur, & tanquam bellicum canebatur ad ca-
nes exhilarandos, & acuendos. Subsidiariæ canum decuriæ ad locos destinatos dimittebantur,
quæ fessis succederent, si res ita ferret: Et aliæ rursus, ad pomeridianum missum asseruabantur in-
tegræ. Decumanus ipse ceruus canibus excursoribus, equis celeribus, buccinarum clangore, uena-
torum clamore, concentu allatrantium canum vrgebatur. Quod si casu aliquo eueniebat, ut ante
uenatus auspicatum indagator, non liquere, renuntiaret, certamen in posterum diem reijcieba-
tur, aut ceruus comperendinabatur. Nam, ut diutius spectaculo eximeretur, & certamini, rarissi-
mè contingebat. Sin cæli intemperie, aut antiquioris curę auocamentis eueniebat: uelut reus am-
pliatus, primo quoque die uenatico ad cursum repetebatur impetu atroci, & peruicaci. Illud uerò
præcipua admiratione dignum est, quòd is eximius ceruus, quem uenationi destinatum, canibus
peritis magistri semel exagitandum dederunt, ita in prædam illis obiectus est, ut interdictum sibi
esse omnibus alijs, intelligant. In multiplicia autem sæpe uestigia medijs in saltibus, ut incur-
rant necesse est, præsertim in quibus feri greges sacrosancti sunt legum regiarum sanctionibus,
quas aquarias, saltuariasque dicimus. In auspicando uenatu nonnunquam noxia admittitur, &

Aquariæ, saltuariæq; leges quæ.

B ab ipsis statim quasi carceribus perperam cursus instituitur, si impostura fiat canibus, quę quomo-
do fiat per ueteratorem ceruum, suprà ubi de astu, dictum est ex eodem Budæo. Mira autem est
certè agriophagæ illius turbæ, inquit hic idem, pertinacia: dirum autem fatum cornigeræ animã-
tis cùm ad extremum lassitudinis adducta, operiri cogitur atrocem illam, clamosamque coronam
undique se rictu petentem minacissimo, atque infestissimo, qua tandem circumuenta post omnia
salutis præsidia deplorata, repentè sæpe assiliens, primum quemque uenantium, in quem incur-
rit, cornu petere solet, nisi ferro protinus excipiatur. Quod ubi factum est, aut si aliàs fera afflicta,

Cerui, desperata salute, temeritas.

& strata est, tum demum receptui canitur ab eo, qui primus in eam confectam occurrerit. Tum si-
monum chorus ille, silonumque inclamatur, & uenatores coeunt, quoquo uersus palantes: quæ
tanquam ouatio est ob rem benè, & feliciter gestam, quam deinde ipsam excipit uisceratio ex-
temporalis, quæ sic debetur ipsis canibus uenaticis, ut libamentum capturæ accipitribus in aucu-
pio uolucrum. Visceratorem autem peritum esse oportet, qui lauienam ferinam uenatoria cum
palæstra exequatur, qui scitè feram deglubere nouerit, membratimq; incidere, & prosecare in-

Visceratoris officium.

C cisam. Tergore autem detracto caput abscindendum est, molossoque therelencho porrigendum,
& permittendum, quem & indagatorem appellamus. Has enim ei primitias peculiares placita
maiorum largiuntur ob indicium feræ; nimirum, ut in capite ferino lacerando, & obrodendo fru-
ctum nauatæ operæ ipse percipiat ante omnes alios, in posterumque irritetur is, cuius auspicijs,
ductuque rem alij executi sunt: Cùm interim uiscerator gratulabunda uoce fruenti parte sua ani-
mali blandiatur, & tanquam mactum uirtute, industriaque therelenchica ipsum esse iubeat. De-
inde uenatoriæ plebi, infimoque ministerio uenationis, suæ sunt partes uiscerationis, ijsdem scitis
attributæ. Epulum caninum omnibus in unum euocatis uenatoribus, & cunctis classibus canum,
decurijsque coeuntibus, fieri hoc modo solenne est: Venatores intra tergus ferinum panis frag-
menta sanguine feræ madentia miscent cum omaso in minutas particula conciso. Nonnunquam
præterea, si canes strigosi sint, & macie exhausti, aut si strenuam insignitè operam eo die nauaue-
rint, liberalitatis est uenatoriæ opiparis eos impensius epulis accipere, ceruicem extis addentes, &
nonnihil (ut ita loquar) è uiuo resecare. Hæc cùm rectè, atque ordine facta concinnatæque epulæ

Therelech canis portio ex præda.

Reliquorum canum merces quæ.

D fuerint exerti manu uenatoris: tum denique luculentos illos Deæ uenatricis epulones ad epulum
sui generis admittunt cum ouantium uociferatu. Nam antea, & interim dum epulæ illæ parabi-
les expediuntur, coronæ gestientis, ac canoræ rapacitas, culinæ circumfusæ, nidoremque captan-
tis à ministris arcetur, fustes in manu gestantibus. Priore epulo peracto, fit & alterum eodem mo-
mento, sed non eodem loco; Ex interaneis perpurgatis, & dilutis (sunt enim hæc quoque Dianæ
sacra, eiusq; satellitio) non concisis frustillatim, aut prosectis, sed integris, ita ut cùm aliquamdiù
illa uiscerator sublimia tenuerit, & ostentarit ad irritandam edacis agminis uoracitatem, tum ea
demum repente in medium porriciat. Inter cæsa uerò, & porrecta cuncta uenatorum cohors cum
auxilijs, & calonibus sublatis buccinis canere capturam, quam uocant debet, eo, quo suprà dictũ
est, modo cùm ceruus in potestatem uenit agminis uenatorij. Iam uerò buccinaturæ modos, ue-
natores alios atque alios habent pro significationum uarietate; quandoquidem indagatores non
alio uocis commercio utuntur, interim dum in quæstione cerui sunt; qui absque eo foret, aut in-
ter seipsi cùm noxæ incurrerent, aut longius interdum euagarentur inquirẽdo, cùm receptu opus
esset; Nam si onus fortè (ut fit) fortuna primore inquisitione ceruam decumanum indagine op-
portuna uadatus fuerit, confestim signũ receptus cæteris buccina sua dabit, ut illi ad conuentum
extemplo se recipiant. Est interdum uenandi ratio, inquit idem, ita constituta, aut casu compara-
ta, præsenti ut consilio opus sit, ut si diffusus dies hesternus fuerit, & sisti tum ceruus certo loco

Buccinaturæ varietas necessaria.

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

non poſſit: Aut ſi ceruus, qui ad quæſtionem deſtinatus eſt, ſtabulum certum nullum habeat: Si E meticuloſus, & panico conſternabilis, qui inter quieſcere interdiù, cubileque mutare itentidem gaudeat: nam & ij, qui recenti venatu exagitati fuerunt, ad omnem ſtrepitum conſternabiles, ſtatarij ferè non ſunt. Sunt & qui cubili excitati illicò in pedes ita ſe conijciant, vt non per finitima ſtationis ſuæ loca curſitare, & commeare, remeareque ſoleant, (quod plerique cerui faciunt) ſed rectis itineribus porrò ſemper excurrant. In hac igitur ſpecie, is, qui canibus regendis præfectus eſt, ſimulac id comperit, ſignum canoræ buccinæ dare ſolet, vt ij, qui in ſubſidijs locati ſunt, & reliqui omnes venatores, atque auxiliarij, caloneſque venatici, ſui miniſterij protinus vaſa colligãt, cùm ceruus caſtra mouerit. In ſuperioribus autem ſpeciebus ſignum copulis ſoluendis canitur in ſemita veſtigiali, ſimul vt inuenta fera eſt. Et rurſus: Non dicam quod viridi veſte ad venatum

Venatorum veſtitus, vt variandus pro ferarum variatione.

cerui, fuſca, &, villoſa ad apri vtendum eſt, maiorum inſtituto, quòd certo quodam modo amictũ eſſe oportet, quod enſe ſuccinctum, & cultro ad improuiſa munitum; quod ternos, aut minimum binos equos vno die, eoſque pegaſidas, oris morigeri, ac ductilis habere ad deſultoriam viciſſitudinem è feſſo in recentem aſſiliendi. Non venatoris inſignia, non geſtamina, non inſtrumentum F enarrabo: non genera canum, non formas, non naturam, non educationem, non inſtitutionem, non probationem generoſorum, non degenerum notas dicam, non blateronum, atque petulantium caſtigationem attingam. Omittam etiam, quòd vt pueris ingenuis pædagogi, ſic canibus generoſis ſynagogi ſui attributi ſunt. Cùm poſt coitionem illam ſyluestrem de cerui nece coactã, & ſolutam ad locum indaginis ventum eſt à cohorte venatoria, princeps ille venator, qui ductor eſſe canum, moderatorque iuſſus eſt, & penes quem faſces, vt ita dicam, eius diei eſſe contigit: priuſquam paria canum reſoluuntur, ſtatuere ſolet, quo loco grandiores canes, veloceſque locandi ſint, quos licebit ceruarios vocemus, quamuis eos in ordinem leporariorum lingua vernacula redegerit, quomodo & ſuarios, lupariosque: qui etiam ceruipetæ, apripetæ, & lupipetæ dici poſ-

Canes, vt diſponendi.

ſunt. Sic autem ferunt placita huius iuris prudentum, vſuſque comprobauit, vt pernices illi canes, atque emiſſarij ſtationatim collocentur in locis abditis, latera procurſus ceruini cingentibus, quem procurſum ad apertum locum ſyluæ, & veluti glabrentem, vel in ſyluam glandiferam, proceram, & illuſtrem pertinere oportet, vt natura, habituſque locorum tulerit, quàm maximè veri-

Canum, pro vario officio, varia nomina.

ſimile eſt, ceruum tãdem tranſiturum: quia ea via forſan fert ad amnem, aut ad aliud perfugium, aut ſtabulum ceruo notum, & amænum, iuſtum eſſe aiunt ternas quidem ſtationes diſponere, ſed G geminas: ſenos verò in ſingulis ceruarios, hoc eſt, vtrimque ternos, medius vt ceruus tranſcurrens vtrimque ab ipſis vrgeatur, ſenis autem ceruipetis (qui terni, vt dixi ſibi aduerſo collocati ſunt) latrunculi bini è numero miniſterij aſſignantur, quos titularios appellare ſolent, qui numellis eos cohibeant, quoad ceruus pręterierit: tuncque demum à latrunculis canes emiſſi, illicet emicantes, & improuiſi ceruum tanquam ex inſidijs territum adoriuntur. Interdum etiam bini ternorum vicem ſupplent, ſi fauces procurſus longiores ſunt, pluresque latrunculorum ſtatiunculas poſcere videantur. Procurſum autem conſtitutum eſſe oportet loco delecto, & quam fieri poteſt apertiſſimo: quippe in quo ſyluaticum ſpectaculum editur, vel principibus fæminis, vel proceribus, quorum gratia interdum vnius diei venatus comparatus eſt, quique per ſyluam euagari grauantur, & aut ceruum è veſtigio perſequi. Perniciſſimorum porrò canum latebra primo loco ſtatuenda, & deinceps perniciorum ad vltimam procedendo, quæ ipſa eſſe debet validiſſimorum, atque atrociſſimorum. Id quod ideo conſtitutum eſt, vt primi, qui ſunt velociſſimi, præcipiti curſu alipedem ipſum exerceant, tum deinde ſecundi primis ſuccedentes, & accedentes, & tertij rurſus ſecundis, quatuor ſint ſtatiunculæ, fractum iam, & exanimatum ad vltimos vrgeant: Si quidem ad triarios, vt dicitur, res ipſa redierit, & manus ſupradictus ceruus eluctatus ſit. Hæc porrò manus non H à tergo, vt aliæ, quæ velocitate valent, ſed aduerſæ feræ obijcienda: quia robore, & ferocia præualens ſiſtere eam poteſt, & morſu retinere, cæteriſque lacerandam ocioſè præbere. Cæterùm non

Latrũcularij munus, quibus demandãdum.

cuiuslibet miniſtri latruncularium munus eſt: Namque niſi canes emiſſarii tempeſtiuè emancipentur, & appoſitè, extemplo inſidias fera ſuſpectans, ac tergiuerſans retro recurret: Aut tranſuerſo impetu aliquà erumpet ex anguſtiis illis, ſicubi rimam nacta fuerit, aut clauſtra curriculi perrumpet. Quod ſi ſemel fecerit, nulla vi poſtea ſubigi poterit, in eandem vt curriculi naſcam, vel caput ſolum inſerat. Id ne qua ratione eueniat, alariis aſtitibus latera procurſus frequentari ſolent, quorum munus eſt, ſimul vt fera carceres curriculi egreſſa eſt, eam vociferatu, & equitatu vtrimque abſterrere, quo ipſa intra ſepta curriculi compulſa ad vltimum tandem ſinum, fatalemque irrumpat: cùm egreſſus nullus ei pateat propter aſſeclas illos quadrupedes vociferatores in-

Canis excurſores qui.

feſtiſſimos. Eſt pręterea ſupradicti venatoris primarum partium actoris, ſubſidia canum veſtigatorum, qui excurſores vocantur, opportunis ſtationibus deponere, miniſtriſque committere. Ad hoc autem ſunt decuriæ canum integrę comparatę, quas relictas appellant, vt decuriis iam feſſis ſucce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ſuccedant, aut temerè exſpatiatis: ceruumque qui ſui furtum fecerit, ſi per ſubſidiorum loca veſti-
gia duxerit, recenti venatu profligant, atque exaniment. Secundæ igitur tertiæque manus excur-
ſores ea de cauſa diſponuntur, vt ſi res ad ſubſidiarios, aut triarios deuenerit, ab ipſis venatus de-
nuò inſtauretur. Verùm hoc maximoperè cauendum, ne ſubſidiarij ipſi canes auerſa veſtigia pro
tinus pro aduerſis ineant, quod tanquam in portu eſt impingere, auerſaque, vt aiunt, aue certamē
auſpicari. Cùm verò architectus ille, & inſpector, arbitratorque venationis ſupradicta rectè, atq;
ordine diſpoſuerit, quaſique omnes eius certaminis acies inſtruxerit, ad eum ipſe locum reuerti-
tur, vnde copulæ reſoluendæ ſunt, ceruuſque agmini latrabili ad excurſum obijciendus, & expo-
nendus ad prædam: Sic autem rem temperant, vt ab ipſo commiſſu venatus hortamenta primum
remiſſiora faciant, quia canes ſuoptè ipſi impetu ab initio ardentius feruntur. Leniter ergo vena-
tor cogere agmen flaccorum gentis debet, ſinereque eos certa veſtigia legere. Simulac verò cer-
uus longiùs ſeſe in pedes dederit, gyroſque quoſdam circumſcripſerit, ſolet primùm per veſtigia
ſua regredi, vt derelictæ ſtabulationis memor, æſtiuorumque ſuorum amænitatem requirēs blan-
dam, atque iucundam: quam tamen poſtquam perſentiſcere cœpit, ſe retinere ſine præſentaria,
B certaque nece non poſſe, tum denique ſalutem illi, quaſi vltimam dicit, identidem reſtitans, &
mæſtus ſolum vertit. Eſt etiam cùm præceleri fuga ingens ſyluæ ſpatium præcipiens, ex inarbi-
tratu ſuo alias, atque alias in alijs ſtrophas comminiſcitur. Poſcit autem ipſius venatoris officiū,
vt ipſe agmini illi clangenti, atque excurſorio aſſeclam ſeſe è veſtigio præbeat, quo ad fieri poteſt,
&, vt dicere ſolent, vt actus canini tractum inoffenſo tenore perequitet. Actum autem appello
verbo quaſi venatorio, & ſaltuēſi ſemitam, per quam canes ipſi veſtigatores agere ceruum dicun-
tur. Sin ſalebrarum, montiumque occurſu homo inhibeatur, quo minus id faciat, debet quàm ci-
tiſſimè poteſt, aut circuitu, aut flexu compendioſo canibus occurrere, idque aduerſo vento: tum
actum ab eo interciſum illico repetere; qui niſi ſub oculis identidem agmen ſuum habuerit, men-
doſam ſuorum excurſionem emendare non quibit. At vbi conticuiſſe canes ſenſerit, aut incertas
voces, ambiguaſvè edere, metuere iam à cerui dolo malo incipit, aut ab hallucinatione canum ve-
ſtigia eius legentium: ne aut ſemita exceſſerit actuaria, aut venatum uerterint, & ceruum ipſum
decumanum temere pro quolibet ceruo dereliquerint. Quod, ut comperire poſſit, receptui canere
C moris eſt, & retrorſus retrorſus, iterum atque iterum ingeminare canoro uociferatu. Fecerint por-
rò verſuram cerui canes, nec ne fecerint, hac ratione quiſpiam maximè compererit. Alicubi inſi-
ſtat, vnde canes arbitretur, & obſeruet commeantes: Nam ſi dolus fugitiui in cauſa eſt illius re-
pentini conticinij, omnis canum caterua eodem ſtupore affici videbitur: Sin verſura temerè à ca-
nibus arrepta eſt (quod venatores dicunt, colligere, quaſi agglomerare permutationis actū) Claſ-
ſis excurſoriæ ductores, & coryphæi caninæ ſymphoniæ, qui ad huiuſmodi ſpecies vſu occallue-
runt, actum verſuræ cum tyronibus nequaquam exequentur. Huiuſmodi enim excurſores vix vn-
quam nuncium remittunt prædæ ſibi ab initio deſponſæ, atque deſtinatæ. Errore igitur intelle-
cto, actuarius venator eos retrò inhibitos reducet, vnde repetere priſtinum actum certius legiti-
mumque poterunt cum clangore ſymphoniaco: aut ſi error dolo ferino admiſſus eſt, unde eos in
gradum, ut ita dicam, reponere legitimæ excurſionis, ex adulterina, aut ſubdititia, poterit. Ecce
autem rurſus aliud atque aliud incommodum, quod ſæpenumero negotium illis exhibet, & quaſi
uitium auſpicantibus affert: Canes ſic errore, aut fraude lapſi in integrumque ſubinde reſtituti in
D errorem nonnunquam denuò æquè grauem impingunt, auerſis ungulis uenatum illum ineuntes
repetitum: totaque adeo ſylua, quaſi toto cœlo, quod aiunt, aberrantes excurrunt: nonnunquam
huc, illucq; tranſuerſim rapiuntur ferarum gregariarum ſequentes ueſtigia, aut ceruorum etiam
quorumuis aggregatorum, quibus ſyluarum ſemitæ, trāmiteſque referti ſunt. In qua ſpecie non
modò uenatore circumſpecto, ſed perſpicaci opus eſt, qui fugacis feræ ueſtigia ungulata colligat
cernuus ex ephippio, uel equum poſt ſe trahens: alioquin inter artis magiſtros præuaricari per in-
ertiam dicitur. Et quidem ut in cane uulturina ſagacitas, ſic acies aquilina in uenatore neceſſaria.
Iam uerò unius, eiuſdemque cornigeri ueſtigia ſoleata, odorata, cubiliaria, ſedentaria, & curricu-
laria, non eadem, non paria, non ſimilia ubiq; ſunt, ex quo alia rurſus exiſtit, nec modica difficul-
tas, & erratio. Interdum enim euenit, ut ſelectus ceruus nactus uiam quandam ſqualidam, & pul-
uerulentam, tum diù, tum longè per eam ueſtigia faciat, in quo canum ſagacitas cum experientia
fallitur. Nam præterquam quòd canes tum exiſtimant ceruum uiam ab hominibus tritam uitaſ-
ſe, in denſaque & auia penitus ſe condidiſſe, ob idque uia trita decedunt; exilis etiam odor, & fu-
gax in locis illis hæret glabris, & ſqualore, puluereque obſitis: cùm alioqui ſolis ardor in uniuer-
ſum omnem ſtatim humorem, in quo ueſtigij odor hæret, haurire, & abſumere ſoleat. Contrà in
locis herbidis, & in uepreculis odoratiora, ideo ſunt ueſtigia, quod non ſolo tantùm pedum, ſed &
cruribus, & corporis affrictu ueſtigiaria ſemita odorata remanet. In locis etiam opacis odor mi-
nùs

In emittendis canibus cautio.

Venatoris requiritur perſpicacia.

Cauſæ ob quas canes cerui veſtigia amittāt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nùs fugere ſolet. Iam paſtores loca in ſyluis caluentia, & retorridis herbulis, ſcabriſque virgultis obſita, ob id ſæpe incendunt, vt ex ſolo concalefacto herbida ſeges exoriatur, quæ armentis perutilis eſt. Ita cùm per buſta, vt ſic dixerim, illa recentibus adhuc fauillis, ceruus viam fecerit, canes odore fuliginis offenſi, ac crebrò ſternutantes veſtigationem deſerunt: qui ſi etiam ipſi ibidem pertolerarint, tamen odorari veſtigia nequeunt, hebetante vtique ſenſum, & præualente odore fuliginoſo. Hoc vbi venator actuarius animaduertit, lacunam illam, vt ita loquar, veſtigiorum, circumactu vitare debet, deinde interciſam veſtigij ſemitam ſarcire, & actum repetere: duntaxat niſi ceruus in ſua retrorſus veſtigia ceſſerit. In ſumma autem addubitatione Harpacratidem illum Labeonem è numella venator ipſe conſulit, quem therelenchum ſuprà, ab indicio feræ, diximus: qui quaſi quidam antiſtes Dianæ, non voce, ſed caudæ verberatu, atque murmure, & gannitu dare reſponſa ſolet: Non flexiloqua, non ambigua, omnique veſtigiali argumento, indicioque certiora. Solet etiam in huiuſmodi caſu ductor ipſe agminis, & moderator aptus, cùm fera per detrectationem, ac dolum abeſt, & buccinæ canore, & inclamatu palabundos canes, ſocioſque ludicri, & miniſtros iubilatu euocare, & ſeleuſina requiſitorium edere, quod requeſtam canere vocant. Ideſt fermè, perinde ac ſi iuriſconſultorum verbo dicerem, ceruum requirendum adnotare, vt relatum, ac reum doli mali, buccinæque præconio peruulgare furtum ſui feciſſe. Tum autem operæ eſſe putant pretium caninum comitatum ſqualore, feruore, laſſitudine confectum, ob idque imperia, hortamentaque detrectantem quæſito fonte recreare, ibique pane, & quaſi curandis corporibus reficere, tum cornuum clangore alacritati reſtituere: plauſu, & blandimentis ad venatum ab integro ineundum exſuſcitare: Interim etiam actum a capite denuò arceſſere, quaſique ad carceres reuocari excurſo penè ſpatio. Cur verò cerui, cùm profligatos ſe ſentiunt ſyluarum opaca relinquant, atque in campeſtria ſe conijciant, antè explicatum eſt, quod vbi contingit, tunc venatoris eſt officium, nec inertis, nec præuaricatoris oculis veſtigia in mollibus locis legere, tum canum languorem, impetumque ſeneſcentem hortatu, claſſicoque ſylueſt.. erigere, & renouare: Venatoris verò etiam ipſius & canum calliditas, & ſolertia, &, vt loquuntur venatores, ſapientia in verſuris extricandis, & in emendanda canum hallucinatione, maximè vendibilis, vt ſi in vlla venationis parte.

Canum error vt emendandus.

Verſuræ duplex modus.

Verſuræ duplicem modum eſſe aiunt, vnum ſi ceruus ſelectus, & curriculo præſentis diei deſtinatus, aut ſatellitem ſuum, aut vegrandem alium ceruum, ſimonibus illis pediſſequis ſuis ſubobiecerit, quaſi pro ſe piacularem hoſtiam: tumque intorta vertigine impoſtoria protinus ſe ſubduxerit. In qua ſpecie venator peritus, & veterator non temerè fallitur, ſi modò canes prætereuntes obſeruauerit, aut eorum tantùm clangorem exaudierit, quippe omnium cerui aſſectatorum voces notas habere debet, eorum præcipuè, qui claſſis ductores appellantur, & naris emunctioris eſſe noſcuntur. Sermone ſyluatico fauces, & actum cuiuſque canis noſſe venatorem dicunt. Alter modus eſt, ſi decumanus, qui primum quemque ceruum in venatum, aut paraſitum ſuum in diſcrimen, quaſique in reatum tranſcripſit, ſocium fugæ ſeſe tranſcripto illi adiunxit: quod idcirco interdum facit, vt maiori ſtupore, & perplexiore venatu homines, caneſque afficiat, atque implicet. Id quod vbi accidit, dicere ſolent venatores, legitimum actum vnà ferri cum verſura. Huius modi impoſturæ duas indices notas minimè, vt perhibent, fallaces, à technologis venationis proditas eſſe comperi: Si compertæ fidei auriti excurſores, nec vaniloquentiæ quoquo modo ſuſpecti, repente ita inſiſtant, vt nec progredi videantur, nec regredi, ſed quaſi ſtare in veſtigio. Aut ſi porrò ita agant, vt inerter ſe id facere, ac ſine ſpe præ ſe ferant, ob idque vocem baubantium non edant: nimirum quos veluti deprehenſos pigeat, & pudeat incaſſum porrò progredi, quaſi per caliginem. Is caſus etiam præſentis conſilij hominem poſcit, qui ſtratagematibus venaticis aliquando documenta luculenta ſolertiæ ſuæ dederit: qui in eodem, vt dicitur, veſtigio conſilio expedire ſtratagematica alia atque alia poſſit. Poſtremò ceruus diù exercitus, & iam fatiſcens, omnibus commentis fugę, ac pręſidij conſumptis ſolet, vt antè dictum eſt, aut flumen, aut ſtagnum perquirere, in idque ſe ſaltu conijcere. Quod interdum refrigerandi cauſa facit, ſæpius tamen Nympharum ædem, quaſi aſylum vltimæ ſpei, & deploratæ petens: Ob idque inde plerumque non niſi captus eijci poteſt: Ibi autem modò aduerſa vnda, modò ſecũda fertur. Quò cùm uenator feſtinus, & curriculo venit, inprimis animaduertere ſolitus eſt, quo loco ceruus in flumen inſilijt, locumque animaduerſum deſtricta fronde, aut humi ſtrata notare, aut ex arbore ſuſpenſa: reliqua uix memoratu digna, quę in utraque ripa facienda ſunt, quibus modis innatans corniger urgendus ſit, & lancinandus: quomodo fugitiuus enatator perſequendus, ſi ulteriorem ripam ſuperauerit, aut ſi per citeriorem retroceſſerit. Hactenus de uenatione cerui ex philologia Budęi. Nunc ex Xenophontis de uenatione libro, quę ad ceruorum, & hinnulorum uenationem pertinent, Omnibono Leoniceno interprete, recitabo. Aduerſus hinnulos, & ceruos, inquit, canes Indicas eſſe oportet (Atqui Indicus ille Alexandro Magno donatus, ceruum, aprum, & urſum tanquam indignas ſe feras

Hinnulos teneros capiēdi ratio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A feras contempsit, in solum verò leonem insurrexit, vt in canis historia dicemus ex Aeliano) sunt enim validæ, magnæ, veloces, nec pusillanimes: & cum tales sint, laborem facilè tolerant. Tenellos igitur hinnulos verno tempore venabitur: tunc enim nascuntur. Primum igitur lucos (ὀργάδας) ingressus venator contempletur, in quibus cerui plurimum conuersantur. Et ad locum vbi fuerint, cum canibus, & iaculis ante lucem veniens, canes procul à sylua releget, ne si ceruam viderint, latratus emittant. Ipse verò de specula prospiciet, & ceruas simul cum luce, hinnulos ad locum deducere videbit, in quo suum quæque fotura est. (μέλλῃ ἐυνάσκειν, legit Gesnerus ἐυνάσειν, idest, ad quietem depositura) Cæterùm vbi recubuerint (κατακλίνασαι, posset etiam actiuè exponi, inquit idem, vbi hinnulos cubare fecerit, vt idem κατακλίνειν, quod ἐυνάσειν esset: sed Pollux: cerua, inquit, sese demittens, vel recumbens, ἑαυτὴν καταβαλῦσα, lactat hinnulum: Atqui Gesnerus scribit, se obseruasse hinnulos vel stantes, vel in genua demissos à matribus etiam stantibus lactari:) & lac præbuerint, & ne ab vllo videantur circumspexerint, suum quæque in opposita statione seruabit (ἀπελθῦσα εἰς τὸ ἀντιπέρας, idest, longiùs ab eo, sed rectà è regione recedens: Pollux non ceruam, sed ceruum genitorem longiùs recedere, & custodire scribit, & accedentes impu-

Lib. 5. c. 12.

B gnare: quod non fecisset puto, si κατακλίνασαι apud Xenophontem actiuè accepisset: nunc cùm in neutra significatione ponat, & ceruam cubantem faciat, non simul etiam in oppositum locum eam recedere dicere potuit, sed patri hos tribuit, quod minus placet: Aristoteles enim, mares à fæminis extra tempus libidinis separari tradit, & notum est, quòd mares in quadrupedum genere nullam sobolis curam suscipiant.) Hæc vbi viderit venator, canes soluat: ipse verò sumptis iaculis ad primum hinnulum procedat, locorum memor vbi iacentem (ἐυνασθέντα) vidit. πολὺ γὰρ ἀλλιῦνται, fortè ἀλλιῦνται τῇ ὄψει ἐγγὺς προσιόντι, ἢ οἷ (fortè οἷοι) πόρρωθεν ἔδοξαν εἶναι, idest, longè enim alia apparet locorum facies, cùm quis propiùs accesserit, quàm qualis ex longinquo prius videbatur. Cùm autem viderit iam hinnulum, accedat propriùs. Ille immotus iacebit, velut terrę affixus, & se opprimi (ἀνελέσθαι) sinet valde rugiens: nisi cùm fuerit imbre perfusus, (ἐφυσμένος, quidam ἐψυγμένος, idest, refrigeratus, legit, sed prior lectio probatur) tunc enim haud quaquam manebit, siquidem humor in ipso (idest, humiditas pluuialis in cute eius) rigebit frigore (nam cutis humida facilè friget, præsertim matutino tempore) quod eum fugere cogit. Capietur autem à canibus cum labore insequentibus. Captum custodi retium tradat: rugiet ille; Cerua partim vi-

C dens, partim audiens, tenentem inuadet, vt ipsum eripiat, tunc igitur canes hortetur, & iaculis vtatur. Hunc vbi obtinuerit, ad alios tendat, in quos simili venatione vtetur. Et iuniores quidem hinnuli hoc modo capientur: Iam verò grandiusculi difficilius: nam cum matribus, alijsque ceruis pascuntur, quibus in medijs, cùm agitantur, fugiunt, sæpe inter primos, rarò inter postremos, & pro illis pugnantes ceruæ canes proterunt. Itaque non facilè capi possunt, nisi quis inuadens subitò dissipet, vt ex ipsis quispiam vnus destituatur: quod vbi coactis eis acciderit, hinnulum secuti canes primo cursu superant: nam trepidum illum facit absentia ceruarum, & hinnulorum in ea ætate celeritas incomparabilis est. (quasi dicat hinnuli iam grādiusculi tum natura celerrimi sunt, tum auget celeritatem metus, quo soli relicti afficiuntur.) Secundò tamen, tertiovè statim capientur. Corpora enim illorum cùm adhuc tenera sint, labori sufficere non possunt: Quin etiam tendiculæ (podostrabæ) ceruis ponuntur in montibus circa prata, secus fluenta, prope saltus (νάπας) in biuijs (ἐν ταῖς διόδοις, significat autem δίοδος etiam simpliciter viam, vel semitam) in aruis quocunque adierint. Tendiculas autem oportet ex similace plicari, & delibrari (idest, cortice spo-

Grandiores hinnuli, & cerui quomodo, et quibus instrumentis venandi.

Modus figēdi podostrabas, seu tendiculas.

D liari) ne putrescant. Harum corona, siue flexus (Omnibonus spira vertit) perpulchrè rotundus sit, & incertos habeat clauos ferreos, ac ligneos alternatim, quibus πλόκαμος, (idest, laqueus intra coronam: Pollux sic habet, καὶ πλόκαμος ἐν μέσῳ πλέγματι πέπλεκται: fortè autem idem fuerit πλόκαμος, & βρόχος, etsi Pollux πλόκαμον, nescio quam plicationem in ipsius plegmatis, idest, coronæ parte media, dicere videtur, vt non intra ipsam, sed in ipsa, & pars ipsius sit: & forsan nec ipse quidem Xenophontis sententiam assecutus est, nam cùm verba eius transcribat, hoc in loco aliter habet, quàm in Xenophonte legatur:) implicetur. Debent autem ferrei claui robustiores esse, vt si lignei cesserint, hi pedem premant. Cæterùm laqueus funiculi coronæ superponendus, & funis ipse è sparto contextus sit, nam sparti materia putredini minimè obnoxia est. Laqueus ipse, funiculusque validi sint: lignum à fune pendeat querneum, aut iligneum longitudine trium dodrantum, crassitudine palæstæ, idest, palmi (Omnibonus vertit vlnæ) cum cortice. Porrò tendiculæ ponendæ sunt aperta scrobe, quinque palmos profunda: ea supernè rotunda sit, & coronis tendicularum æqualis: Interius verò fundum versus, magis magisque in angustiam colligatur. Similiter funiculo, & ligno scrobs aperienda est, quanta vtrisque conueniet. Hæc vbi fecerit, summam tendiculæ scrobem substernat: (sic transfert Omnibonus, locus videtur obscurus, græcè sic legitur, ἐπὶ τὸ βάθος τῆς ποδοστράβης ἐπιθεῖναι κατωτέρω ἰσόπεδον) Circa coronam autem laqueum funis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nis, funemque ipſum, & lignum deponat, in ſuum vtrumque locum: poſtea coronæ imponat atra- E
ctylidis caules tranſuerſos (Omnibonus vertit, virgulas enodes) qui non promineant foras. His folia minuta inijciat, quæ tunc anni tempus habebit. Poſtremò ſcrobem terra implebit, ea primùm, quæ ex ſuperficie cùm fodere inciperet, ablata eſt, deinde terra firma procul inde ſumpta, vt ceruæ quàm maximè occultus ſit locus. Quod ſupererit terræ, aſportetur longè à tendicula. Quia ſi recenter motæ terræ odorem cerua ſenſerit, ſentit autem ſubitò, auertetur. Porrò ceruas montanas venator cum canibus in aurora potiſſimùm, quamquam & reliquo die, obſeruabit: Campeſtres verò diluculo tantùm. Nam in montibus non noctu ſolùm capiuntur, ſed etiam interdiù propter ſolitudinem: in agris autem nocte tantùm, nam in die homines metuunt. Poſtquã igitur tendiculam abſtractam (ἀνεϛραμμένην, Omnibonus reſupinatam transfert, quid ſi ἀνεσπασμένην, inquit Geſnerus, ideſt, retractam, legas?) inuenerit, ſolutis canibus tranſcurrat, ligni tractum, quocumque ferat, obſeruans. Erit enim plerumque non incertus, quippe motis lapidibus, & limite in agris ducto, via manifeſta erit; quod ſi per aſpera loca feratur, raptus de ligno cortex, lapidibus hærebit, & ſic facilior erit perſecutio. Iam ſi pede vinctus fuerit anteriore, citò ca- F
pietur: nam lignum inter currendum, corpus totum, & ora ferit: Sin poſteriore, lignum, quod trahitur, vniuerſum corpus impediet. Plerumque etiam inter ſtipites, & arbuſta diuaricata retento hæret ligno, & niſi funiculum abruperit, illic deprehenditur. Quod ſi mas fuerit, ſiue ita captus, ſiue labore victus, non eſt cominus adeundum, nam cornibus ferit, & pedibus: eminus igitur iaculis vtendum. Hactenus Xenophon. His libet etiam Pollucis eadem de re, venatione dico per podoſtraben, ſeu pedicam, verba adijcere ex verſione potiſſimùm Geſneri: Podagria dicta (ποδάγρεια, aliàs ποδάγρα, quàm ſcriptionem præfert Geſnerus, quia & apud Varinum exponitur genus laquei) ponitur ceruis, & apris interdum: poteſt autem etiã podoſtrabe vocari. Circulus eſt ex ligno ſmilacis. (Cælius, & Rodolphus Gualtherus Tigurinus Pollucis interpres, vertunt hederaceo: eſt enim ſmilax hederæ genus: ſed arbor quoque taxus latinis dicta, Græcis vocatur ſmilax, & eſt ſmilax denique etiam inter glandiferas) Is circulus ſtephane, ideſt, corona dicitur, & ferreis, ligneiſque clauis alternatim infixis intercipitur. In medio huius πλόκαμος, ideſt, laqueus nectitur, vt animal pede calcans, & in ſcrobem illabens, podoſtrabe euerſa, laqueo (ἑτέρῳ βρόχῳ, ideſt, alteri laqueo, quod non placet) arte ad hoc ipſum facto, detineatur. Deponitur autem podoſtrabe G
in ſcrobem. Cæterùm laqueo circa coronã, funis quidam annectitur, quem Græci σειρὰν, vel σειράδα (apud Xenophontem legitur σειρίδα) vel ἀρπεδόνην vocant, is è ſparto (Rodolphus Gualtherus ineptè vertit, ex ſcirpo) contextus, & ſolidus eſt. Ab hoc lignum pendet in alia ſcrobe vicina obrutum, vt cùm fera in foueam pede illapſam, podoſtraben ad ſe conuerterit, funem cum ligno ſecum trahere cogatur, & ita impediatur ad curſum, maximè ſi prioribus pedibus detineatur. Poterit autem venator inſequi, ſi veſtigia, & tractum ligni obſeruet, quę in terra molli faciliùs notantur: Sin aſpera, & ſalebroſa fuerit, ligni ramenta paſſim ex tractu, attrituque relicta, viam ſequendi oſtendent. Eſt quando lignum ipſum denſis retentum fruticibus, aut arbuſtis, vel inæqualiter prominentibus ſaxis, feram ſiſtit. Scrobem allata ſolida terra, aut herbis, folijſvè tegere oportet; recentem verò terram nuper è ſcrobe effoſſam procul auferre, ne recẽs commotam terram fera (τὸ θήριον φερόμενον, ideſt, fera adueniens) odorata (ὀσφραινόμενον, ſic ex Xenophonte legit Geſnerus) reformidet. Hactenus Pollux. Contexebantur iſtiuſmodi pedicæ neruis potiſſimum ceruinis, quod meminit Gratius his verſibus:

Lib. 5. c. 4.

Podagria & podoſtrabe ſynonymicῶs poni poſſe.

In Octauia.

Nam fuit & laqueis aliquis curracibus vſus. H
Ceruino iuſsere magis contexere neruo.
Fraus reget (fortè teget) *inſidias habitu mentita ferino.*
Quid qui dentatas iligno robore clauſit
Venator pedicas, cum diſſimulantibus armis.
Sæpe habet imprudens alieni lucra laboris?

De laqueo, quo etiam capiuntur, ſic meminit Seneca:

Fluctibus tectos graues
Extrahere piſces rete, vel calamo leui
Decipere volucres crate: ceruos aut leues
Tenere laqueo, premere ſubiectos iugo, &c.

Vbi tamen laquei nomine eruditi intelligi volunt, omne id, quo feræ illaqueantur, quare & caſſes, retiaque. Cerui, inquit Blondus, tenſis retibus comprehenduntur: moloſſis etiam canibus, ac Teucris (Turcicis puto) immiſſis dilacerantur. Quamuis autem & ſubterraneis foueis, & reticulis, & alijs venationum inſtrumentis capiantur, præcipuè tamen, teſte Beliſario, intercipiuntur canibus. Xenophon etiam, cùm dixiſſet ſine tendiculis itidem capi, cùm ſcilicet agitantur æſtate,

valde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A valde eos defatigari, inquit, vt stantes iaculis confodiantur. Quo venandi ritu vtitur etiam Ascanius apud Virgilium: *Lib. 7. Aen.*

Quo littore pulcher
Insidÿs, cursuque feras agitabat Iulus.
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Obÿcit, & noto nares contingit odore,
Vt ceruum ardentes agerent, &c.
Hunc procul errantem rapidæ venantis Iuli
Commouere canes, fluuio cùm forte secundo
Deflueret, ripaque æstus viridante leuaret.
Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore,
Ascanius curuo direxit spicula cornu, &c.

Verùm enim verò canum clamore, & latratu pelluntur in retia, vt docet idem Virgilius, dū canit: *Georg. 3.*

B
Et canibus leporem, canibus venabere damas
Sæpe volutabris pulsos syluestribus apros
Latratu turbubis agens, montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia ceruum.

Quem venationis modum sub persona Memnonis delineat etiam Q. Calaber: Memnon, inquit, stomachatus ob interfectum amicum deuastabat magnam Græcorum cateruam, vt quando per montes venator insultans veloces ceruos premit ad retia, & illis iam turmatim pernicioso lino coactis, & extremo capturæ dolo circumuentis iuuenum consilio, canes crebro latratu omnia miscent: Tum hic telis exultans lacrymabilem hinnulis velocissimis cædem infert. Iam verò quantopere pennas perhorrescant puniceas suprà indicatum fuit, & in Turno etiam expressit Virgilius, quem attonito quodam pauore perculsum, ceruo æquiparat, *puniceæ septo formidine pennæ*. Hinc etiam excogitatum istiusmodi pennis ceruos venari. Id quod inter cæteros meminit Lucanus Octauium Libonem Illyrici maris custodem, venatoribus istiusmodi comparans, hostium verò naues ceruis: *Lib. 4.*

C
Noluit Illyricæ custos Octauius vndæ
Confestim tentare ratem, celerisque ruinæ
Continuit, cursu crescat dum præda secundo,
Et temerè ingressos repetendum inuitat ad æquor
Pace maris. Sic dum pauidos formidine ceruos
Claudat odoratæ metuentes aera pennæ:
Aut dum dispositis attollat retia varis
Venator leuis ora tenet clamosa Molossi,
Spartanos, Cretasque ligat, nec creditur vlli
Sylua cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, & præda nescit latrare reperta
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.

Libet autem hoc loco ex Pierio historiam enarrare, quæ, & Virgilio, & Lucano plurimum afferet claritatis. Narrabat, inquit, mihi Io. Antonius Pollio Geloum Princeps, Pontificij contubernij mihi socius, stare adhuc in Sicilia hanc venationis antiquæ rationem, quæ sic fieri soleat. Nobiles, vbi renunciatum fuerit ceruorum greges vsquam oberrare, alter alterum inuitantes propè conueniunt, afferuntque secum scorpionem, aut arcum singuli, & fasciculum virgarum, quæ omnes ferrea cuspide præpilatæ sint, quarum caput alterum in summo perforatum est, funiculo perpetuò per virgas singulas eo transmisso. Longitudo earum ad pedes quatuor, vel circa. Cùm ad locum peruenere, vbi ceruos congregatos norunt, latè diffusi equites, peditesque modum agri, quanto satis est ambitu circūsistunt, stationemq; vnusquisq; suam per interualla certa suscipiunt. Hic fascem quisq; suū explicat, primaq; virga ad finitimi vltimam alligatę, reliquas per decempedæ circiter interuallū singulas terræ affigit: Idem alter, idem alij faciunt, donec ceruos vndecunq; conclusere. Virgis ita dispositis pennarum punicearum, quas in hunc vsum magno numero fucatas habent, fasciculos licio suspensos ad traductum per virgas funiculum hic, & illic alligant, qui aura vel leuissima impulsi, varia iactatione moueantur. Stationarij mox in proxima sese quisque abdunt virgulta, sagittisque intentis expectant taciti. Liciorum hoc septum ingreditur eques tantùm vnus cum odorisequis canibus, ijsque non admodum magnis. Hunc venationis magistrū vocāt. Is vbi gregem nactus est, sensim accedit, latratuq; catulorum tantùm fretus, agmen incipit agitare: illi conferti omnes vnà fugam capessunt: at cùm ad licia, pennasque illas pensiles peruenere, *In Sicilia, vt ceruos venentur nobiles.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nere, ſubitò pauefacti vlterius progredi non audent, ſed illarum motum, & fulgorem declinantes ad læuum non procul flectunt, & rutilantes faſciculos illos proſpectantes tanquam muro incluſi circumaguntur: ſubſequitur magiſter, nomine quemque vocans ex ſtationarijs, prout vnicuique ſit proximus, atque huic primum, vel ſecundum, illi tertium, aut quintum, aut ſeptimum ex libidine ſua telo excipiendum deſtinat, futurum ſagittario dedecori, & ignominiæ, niſi oblatum à magiſtro ſauciarit, vel ſi alium, quempiam quàm nuncupatum appetierit. Magiſter ita agmen tamdiù circumagit quaſi per pomœria progreſſus, donec ita præda omnis per omnium vices concidat exanimata. Hæ ſunt itaq; pennę illæ quarum formidine attoniti, ſtupidivè facti cerui, abalienato prorſus animo conſternantur. Hæc ille. De pinnatis autē, ideſt, retibus, quibus pennæ imponūtur leges Gratiū poetam. Sunt & aliæ etiam capiendi rationes, atq; imprimis fiſtula paſtorali, vt vertit Plinius, vel ſibilo, vt Gaza: Cerui, inquit Ariſtoteles, capiuntur συρίττόντων, & cantu venantiū, mulcētur enim (καταχλίνονται, Gaza legit κατακηλῦνται) alliciunturq; ea voluptate, itaq; alter venantium cantat palam, aut ſibilat, alter clam ferit à tergo, vbi ſocius tempus iam eſſe ſignificarit: Sed ſi ceruus erectas auriculas teneat, acerrimè ſentit, nec latere inſidiæ poſſunt, ſin demiſſas, facilè interimitur. Albertus hunc venationis modum fieri ait, cùm aliquis folio ſub lingua poſito ſibilat, imitando vocem hinnuli, ad quē ſonum prodeat ceruus, præcipuè verò capreolus, &c. Aelianus itidem Tyrrhenorum ſermone peruagatum eſſe ait, apros, & ceruos apud eos cum retibus, & canibus, vt venandi ſanè vſus ferre ſolet, tum multo maximè muſicæ adiumento capi, quod quidem ipſum quemadmodum fiat, iam porrò, inquit, dicam: Circumiectis retibus, & cæteris inſtrumentis accommodatis ad faciendas beſtijs inſidias collocatis, homo ad tibiam canendi benè peritus, quoad eius fieri poteſt, omnē cantus contentionē remittit, & relaxat, & quidlibet ad canendum ſuaue, præclarè vſurpat, & ſenſim, pedetentimq; progrediens in montiū vertices, & conualles, atq;, vt breui explicē, in omnia luſtra ferarū, & cubilia tibię cantu influit. Ac nimirū primò in eorum aures influentis ſoni inſolentia, ipſos exterret: deinde cùm impotenti voluptate aures tenentur, tū nullo negotio cōprehenduntur, cantuſq; ſuauitate permulſi, & deliniti, in eorū, quę procreauerint, & domeſticarum ſedium obliuionē veniunt: etiam ſi feræ beſtiæ non à locis, vbi verſari aſſueuerunt, aberrare ſolent. Sic igitur terrenę beſtiæ paulatim tanquā ſuadæ illecebra ducūtur, & quaſi cantu præſtrictæ, in laqueos ſeſe inſerunt, quib. illaqueatæ comprehenduntur. Hactenus Aelianus. Circa Romanos agros, inq; ſyluis ſuburbanis inſidiatores, teſte Blondo, noctu ad lumē lunę iaculis, vel machina ferrea, igni crepitāte, transfigunt, capreas, ceruos, vrſos, & apros. Regem verò Mogù referunt ceruis altilibus, agreſtes capere, laqueis cornib. illorū alligatis, quibus ſylueſtres innectant. Vtuntur & Indi induſtria ad capiēdos ceruos nunquā à nobis antè conſpectamaximorū, quos capere potuerunt, ceruorū pelles, ita corpori applicare norunt, caput ſuo capiti accōmodantes, vt per oculorum foramina tanquā per laruā conſpicere poſſint: ita compti, quàm proximè poſſunt, ad ceruos, nihil metuentes, accedunt, prius tempore obſeruato, quo cerui ad flumē bibendi cauſa eunt: eos, arcū & ſagittā manu tenentes facilè figere poſſunt, cùm frequentes admodū in ea ſint regione, (Florida) arboris tamen cortice ſiniſtrū brachiū muniunt, ne ab arcus neruo lædantur à natura ita edocti. Pelles verò ceruis detractas non chalybe, ſed conchis adeo accuratè parare norunt, vt mirū ſit, nec quenquā in vniuerſa Europa inueniri exiſtimo, qui tāta arte eas parare queat. Non eadē etiā Batauis venatorib. ceruorū capiendorū ratio, quę Gallis, & Britannis in vſu eſt, qui plerumq; plagarum indagine, aut carbaſeo ſepto includunt circūdatos: Bataui verò, referente Adriano Iunio, numellarijs canibus paſſim per inſidias diſpoſitis exceptos inuadunt, aut in agmen Dianium aliundè vrgens reijciunt, vbi conficiātur. Ariſtoteles apud Celtas pharmacum, ſi dici eſſe ait, (ideſt, herbam venenoſam, vel confectum ex eius ſucco venenum, nam & aconitum, quod pardalianches in Armenia naſcentem, herbam venenoſam, ſimpliciter pharmacū appellat) quod Xenicū ab ipſis appellatur, mira corrumpendi celeritate, quāobrem venatores cùm ceruū, aut aliā feram tinctis eo ſagittis percuſſerint, mox accurrere, & carnē circa vulnus exſcindere, ne venenum ſubeat, eo enim infectū corpus, inquit, putreſceret, & in cibo venenoſum eſſet. Plinius herbā ipſam limeū vocat: *Limeum*, inquit, *herba appellatur à Gallis, qua ſagittas in venatu tingunt medicamēto, quod venenū ceruarium vocant*, &c. Niſi fortè apud Plinium Xenicū legendum fuerit, nam cur limeum dicatur, ratio nulla ſe offert: Xenicum verò tanquam arſenicum ab eadem veneni vi dictum, aliquis coniecerit. Hoc an ſit aconitum primum Dioſcoridis, vt exiſtimat Geſnerus, ſuo loco ventilabo. Cùm volueris ceruos alicuius nemoris in vnum congregare locum, facè cupro, inquit Antonius Mizaldus (ex manu ſcripto Ptolomæi commentariolo de imaginibus) aſcendente prima facie leonis, imaginem cerui, quaſi coeuntis cum cerua, & dum illam facis, & formas, dic, ligo & conſtringo omnes ceruos, qui ſunt in iſto nemore, per hāc imaginē, vt, vbi ſepulta fuerit, ad eam omnes conueniant, & non recedāt, deinde ſepelias in medio nemoris, & miraberis effectum:

Lib. 9. hiſt. cap. 5.

Cantu quomodo capiātur.

Capiuntur iaculis.

Laqueis.

Exuuio.

In Batauia.

In mirabil.

Toxicis.

Ceruos in vnum cogēdi ſuperſtitioſa ratio.

Centur. 2. aphor. 99.

Tem.

A Tempus venationi aptissimum Virgilius hyemem fecisse videtur, dum canit:

Tunc gruibus pedicas, & retia ponere ceruis,
Auritosque sequi lepores, tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ,
Cùm vix alta iacet, glaciem cùm flumina trudunt.

Lib. 1. Georg. Venationi tempus accõmodum.

PRÆSAGIA. AVGVRIA.
Somnia.

HYEMIS tardioris signum esse, conijci volunt, si cerui tardius libidinari incipiant: quo autem anni tempore id fiat, suprà ostensum est. Cùm cerua à lupo fugata inter duas acies euasisset illæsa, insignem victoriam Romanis dedit, & è diuerso, cerua à lupo fugata & occisa, ab eo exercitu, ad quem fugeret, illi exitium portendit. Vtriusque huius augurij authorem citat Tiraquellus, in annotationibus suis ad dies geniales Alexandri, Liuium. Fuit verò Sertorio felici augurio cerua sua cãdida, quod his verbis recitat Appianus: Ad Sucronem demum signa collata sunt, vbi cùm sereno cęlo, quod mirum est, crebra fulgura micarent cum tonitru, nihil territi, vt veterani, magnam cædem vtrimque edidere, donec Metellus Perpenna in fugam uerso, castra eius diripuit. In altero uerò cornu Sertorius Pompeium hasta in femore periculosè sanciatum profligauit, euentu totius pugnæ ancipiti. Erat Sertorio candida cerua mãsueta, & uagari solita, quæ cùm nusquam compareret, imperator ominosum hoc ratus cessabat ab armis æger animi, hostibus irridentibus. Vt uerò animaduertit accurrentem è nemoribus, ipse quoque prosilijt, & uelut augurio lætus, (cæpit hostem uelitatione lacessere, nec multò pòst magno prælio certatum est ad Seguntium à meridie noctem vsque: vbi ex æquo pugnans vicit Pompeium cæsis hostium VI·M, desideratis suorum, tribus M. Thyatera (Θυάτειρα) vrbs est Lydiæ, quæ etiam Mysorum vltima vocabatur: Mysi enim vrbem condituri, oraculum acceperunt illic, vt conderent, ὅ ἂν ὁραθείη ἔλαφος τετοξευμένη, καὶ τροχάζουσα, C idest, vbi ceruus sagitta saucius currere videretur. Inuento igitur ceruo, & vrbe condita, thyatera nominauerunt, διὰ τὸ θέειν, καὶ τροχάζειν τὴν ἔλαφον. Fuluio item Consuli Capuam oppugnaturo tale contigit augurium, canente Silio:

Hyemis tardioris signũ. Cerua quomodo & victoria & exitij fuerit omen.

Lib. 1. de bello ciuili.

Sertorij candida cerua.

Lib. 13.

Cerua fuit raro terris spectata colore,
Quæ candore niuem, candore anteiret olores,
Hanc agreste Capys donum, cùm mœnia sulco
Signaret, grato paruæ mollitus amore
Nutrierat, sensusque hominis donarat alendo.
Inde exuta feram, docilisque accedere mensis:
Atque vltro blanda, attactu gaudebat herili:
Aurato matres aßuetæ pectine mitem
D *Comere, & humenti fluuio renouare colorem.*
Numen erat iam cerua loci, famulamque Dianæ
Credebant, ac thura Deum de more dabantur.
Hæc aui, vitæque tenax, felixque senectam
Mille indefessos viridem duxisse per annos,
Sæclorum numero, Troianis condita tecta
Aequabat, sed iam longo mors venerat æuo:
Nam subitò incursu sæuorum agitata luporum,
Qui noctis tenebris vrbem (miserabile bello
Prodigium) intrarant, primos ad luminis ortus
Extulerat sese portis, pauidaque petebat
Consternata fuga positos ad mœnia campos.
Exceptam læto iuuenum certamine ductor
Mactat Diua tibi (sibi enim hæc gratissima sacra)
Fuluius atque adsis orat Latonia cœptis
Inde alacer fidensque Dea, circumdata clausis
Arma mouet &c.

Scribit etiam Procopius Gothos cùm ceruum in venatione persequerentur, Tanaim fluuium traic-

traieciſſe, & cùm ab hac parte agros vidiſſent fertiliſſimos, mox ſuos ad eos inuadendos inuitaſſe. E
Cùm Stymphaliæ Dianæ ſolenne ſacrum indiligentius omni ex parte factum eſſet, ac in primis patrij ritus prætermiſſi, lacus repentè ſuper eam cauernam, quam ſubter Stymphalus amnis meat, oritur. Obſepto igitur oſtio, aqua refluens, latè omnem campum haud minùs ſtadiorum CCCC. perpetuo ſtagno occupauit, vt memorat Pauſanias. Fortè ita, inquit, accidit, vt venator fugiẽtem ceruam perſequens, cùm illa ſe in eius paludis cœnum abieciſſet, animi impetu concitatus per aquam natans eam vrgere non priùs deſierit, quàm idem hiatus, & feram, & venatorem abſumpſerit, mox & ſtagnantem aquam, amni via patefacta, conſecutam, & totam paludem vno die ſiccatam tradunt. Ex eo tempore ſacrum Dianæ apparatiùs, & magnificentius factum. Hęc Pauſanias. Gaguinus verò tradit, Clodoueo primo Francorum regi ſacris Chriſtianis initiato contra Alaricum Gothum pugnare volenti, ceruum, vadum inundati fluminis monſtrauiſſe; & cùm rex cum toto exercitu ſequeretur, flumine tranſuecto, Gothum fuderit, & infidelem ſuperauerit. Nicocreon Cyprius, vt apud Aelianum legimus, ceruum habuit quadricornem, quem Pythio conſecrauit. Sed & Apollonius vltra Catadupa Nili procedens reperit, referente Philoſtrato, belluas quaſdam ex boue, ceruoque compoſitas. Et Geſnerus quoq; ex amico quodam ſe accepiſſe narrat, viſum in aula regis Galliæ Franciſci equum poſteriore parte ceruum; quod & Bellonius aſſerit, addens plurimis ideò viſum fuiſſe, vt hippelaphus vocaretur, quod tamen ipſe improbat, cùm ſit hippelaphus animal ſui generis, addit item hunc eũdem prodigioſum equum dici à ceruo, qui in ſylua equam inijſſet, fuiſſe procreatum. Iam verò coniectores tradunt, eum, qui per nocturnam quietem imaginatus fuerit videre ſe ceruum, quempiam inſtantem tergo, longèque ſequentem, futurum, vt qui tale ſomnium viderit, ea ſit formidaturus, ex quibus nulla offenſio ſit ſubſecutura, ac perinde fruſtrà timeat. Hecuba verò apud Euripidem ex ſomnio quod noctu videbat, ceruam videlicet à lupo è gremio ſuo diripi, ceruam interpretatur filiam, lupum verò Achillem, qui eam diriperet:

In Arcadic.

Equus poſteriore parte ceruus vbi viſus.

Lib. 1. obſer. cap. 53.

Ceruus in ſomnio viſus quid velit.

Actu 1.

Εἶδον γὰρ βαλιὰν ἔλαφον
Λύκου αἵμονι χαλᾷ σφαζομέναν,
Ἀπ' ἐμῶν γονάτων σπασθεῖσαν ἀνάγκᾳ G
Οἰκτρῶς, καὶ τόδε δεῖμά μοι
Ἦλυθ' ὑπὲρ ἄκρας τύμβου κορυφᾶς,
Φάντασμ' Ἀχιλλῆος.
Ἤτει δὲ γέρας, τῶν ϖολυμόχθων
Τινὰ τρωϊάδων.
Ἀπ' ἐμᾶς οὖν ἀπ' ἐμᾶς τόδε ϖαιδὸς
Πέμψατε, δαίμονες, ἱκετεύω. idest,
Vidi ſiquidem maculoſam ceruam
Vi è gremio meo direptam,
Quam lupus laniat ore cruento;
Viſu miſerum. Obiectum eſt, & illud
Terriculamentum veniens in ſummum
Monumenti tumulum umbra Achillis.
Petebat autem ſibi præmium, aliquam
E miſeris Troadibus, H
A noſtra igitur procul hoc filia,
Dij quæſo, depellite.

STRATAGEMA.

Lib. 15. c. 22.

Sertorij militaris aſtutia.

SERTORIVS vir acer, egregiuſq; dux, & vtendi, regendiq; exercitus peritus fuit, inquit A. Gellius, is in temporibus difficilimis mentiebatur ad milites, ſi mendacium prodeſſet, & literas compoſitas pro veris legebat, & ſomnium ſimulabat, & falſas religiones conferebat; Si quid eæ res eum apud militum animos adiuuabant. Illud adeo Sertorij nobile eſt: Cerua alba eximiæ pulchritudinis, & viuaciſſimę celeritatis à Luſitano quodam ei dono data eſt, hanc ſibi oblatam diuinitus, & inſtinctã Dianæ numine, colloqui ſecum, monereq; & docere, quę vtilia factu eſſent, perſuadere omnib. inſtituit, ac ſi quid durius videbatur, quod imperandũ militib. foret, à cerua ſeſe monitum tum ſeſe prædicabat. Id cùm dixerat, vniuerſi, tanquam ſi Deo, libentes parebant. Ea cerua quodã die cum incur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A incursio hostium esset nunciata, in fugam se proripuit, atq; in palude proxima delituit, & postea requisita, perisse credita est, neque multis diebus post inuentam esse ceruam Sertorio nuntiatur. Tum qui nuntiauerat, iussit tacere, ac ne cui palam diceret, interminatus est: præcepitque, vt eam postero die repente in eum locum, in quo ipse cum amicis esset, immitteret: admissis deinde amicis postridie visum sibi esse ait in quiete ceruam, quæ perierat, ad se reuerti: & vt prius consueuerat, quod opus esset facto prædicare. Tum Sertorio, quod imperauerat, significante, cerua emissa in cubiculum Sertorij introrupit. Clamor factus, & orta admiratio est, eaque hominum barbarorum credulitas Sertorio in magnis rebus, magno vsu fuit. Memoriæ proditum est ex ijs nationibus, quæ cum Sertorio faciebant, cùm multis prælijs superatus esset, neminem vnquam ab eo desciuisse, quamquam id genus hominum esset mobilissimum. Hæc A. Gellius.

PROBLEMA.

B PLVTARCHVS quærens, quid causæ est, quòd lacryma syluestrium suum dulcis est, cerui salsa, & vitiosa? Videtur, inquit, in causa esse horum animalium calor, & frigus. Nam frigidus est ceruus, aper admodū calidus, & igneus. Itaq; ille fugit, hic se defendit aduersus insectantes: Cùm quidem maximè excandescentia ei lacrymas exprimit: multo enim accidente ad oculos calore, sicut dixit Homerus:

In quæst. natur.

Cerui lacryma cur salsa sit, & apri dulcis.

Igne oculos ardens, setisque horrentibus asper.

Odyss. τ.

id quod eliquatur, dulce redditur. Quidam in sententiam Empedoclis concedunt, qui à sanguine conturbato lacrymā excerni putauit, quo modo serum à lacte agitato. Cùm itaq; aprorū sanguis ob calorem asper sit, & niger: tenuis, & aquosus ceruorum: consentaneū est tale esse, quod ita concitatum alterum, timore consternatum alterū animalium excernit. Plutarchi sententiam sequitur Bernard. Gomesius: Ceruus, inquiens, cùm in fugā vertitur à venatoribus, lacrymā salsam exprimit, in causa est illius ex leuitate corporis, & siccitate cerebri orta timiditas, quâ occurrente, spiritus præ dolore compressi humorem excutiunt, qui transiens per siccum quasi per cineres lixiuium, sicuti dulcis rursus, quæ apris etiam, vrgentibus venatoribus, lacryma emittitur, quoniam calida, C humidaque quia & animosę naturę aper est, nec in fuga collocat sui pręsidiū, vti ceruus, quin imò pręira ruit pręceps in inuadentes. Quo tempore fundit lacrymam plurimo feruore raptim sese ad oculos promeantem, prorsusque inde humor calore temperato dulcescit. hęc ille.

In addition. ad lib. de sale.

EPIGRAMMATA.

EPIGRAMMA Ἀπολλωνίδου in ceruos glacie constrictos, atq; ita captos à rusticis:

Δειματόεις ἐλάφων κεραὸς λόχος, εὖγε κρυώδεις
 Πλῆσαν ὀρῶν κορυφὰς χιόνεαι νεφάδες,
Δείλαιαι ποταμοῖσιν ἐφώρμισαν ἐλπίσι χρησαῖς,
 Χλιῆναι νοτεροῖς ἄσθμασιν ὠκὺ γόνυ.
Τὰς δὲ, περιφράξας ἐχθρὸς ῥόος ἀθρόον ἄφνω,
D Χειμερίῃ συστρέψ δῆσε πάγοιο πέδῃ.
Πληθὺς δ᾽ ἀγροτέρων ἀλίνε θοινήσατο θήρης,
 Ἣ φύγεν ἀρπεδόνην πολλάκι, καὶ στάλικας. idest,

Timida ceruorum cornigera turba, cùm gelidæ
Impleuerant montium vertices niuales niues:
Miseri flumina accesserunt spebus bonis
Tepefacere humentibus anhelitibus celer genu.
Hos autem circumsepiens inimicus fluxus confertim subitò,
Hyberna odiosa ligauit glaciei compede.
Multitudo autem agrestium non retibus capta epulata est ex præda,
Quæ effugerat laqueum sæpe, & perticas bifurcatas.

Aliud Tiberij Illi, quo ceruæ recèns enixæ vbera viperæ morsu infecta lethifero, & hinnulum matris ex vberibus, sugendo extraxisse venena, & saluasse, asserit:

Κεμμάδος ἀρτιτόκου μαζοῖς βρίθουσι γάλακτος
 Ἡ φονίη δακετὸν ἰὸν ἐνῆκεν ἔχις.
Φαρμαχθὲν δ᾽ ἰῷ μητρὸς γάλα νεβρὸς ἀμέλξας,
 Χείλεσι τὸν κείνης ἐξέπιεν θάνατον. idest,

Cerua nuper enixæ vberibus turgentibus lacte E
Lethifera morſu venenum inflixit vipera.
Infectum autem veneno matris lac hinnulus exugens,
Labris hanc illius ebibit mortem.

Aliud Leonidæ, vel Mneſalci tetraſtichum in ceruum venabulo occiſum:

Τὰν ἔλαφον Κλεόλαος ὑπὸ κναμοῖσι λόχησας
Ἔκτανε Μαιάνδρου παρ' ἑλικτὸν ὕδωρ
Θηκτῷ σαυρωτῆρι. τὰ δ' ὀκτάρριζα μετώπων
Φράγμαθ' ὑπὲρ κραναὰν ἄλλος ἔπαξε πίτυν.

Ideſt: Cleolaus dum ceruo in ſaltibus inſidiatur, eumq; occidit iuxta ſinuoſam Mæandri aquam admirabili venabulo, alter cornua in octo ramos ſecta ſterili inſigit pinu. Aliud Antipatri hexaſtichum in alium ſimiliter ceruum occiſum:

Τὰν ἔλαφον λάδωνα, καὶ ἀμφ' ἐρύμανθιον ὕδωρ, F
Νῶτα τε θηρονόμου φερβομέναν φολόης,
Παῖς ὁ Θεαρίδεω λασιώνιος εἷλε λυκόρμας,
Πλήξας ῥομβωτῷ δούρατος οὐριάχῳ.
Δέρμα δὲ καὶ δικέραιον ἀπὸ στόρθυγγα μετώπων
Σπασάμενος, κούρᾳ θῆκε παρ' ἀγρότιδι.

Ideſt: Ceruum Ladona iuxta, & Erymanthum, & per dorſa feras nutrientis paſcentem Pholoes puer Thearidæ Laſionius ſuſtulit Lycormas feriens oblonga haſtæ cuſpide. Cutem, & vtrumque cornu auellens poſuit puellæ ſylueſtri, ideſt, Dianæ.

EMBLEMATA. SYMBOLA.

ALCIATI Emblema in receptatores ſicariorum:

Latronum, furumque manus tibi Scæua per vrbem G
It comes, & diris cincta cohors gladijs.
Atque ita te mentis generoſum prodige cenſes,
Quod tua complures allicit olla malos.
En nouus Actæon, qui poſtquam cornua ſumpſit
In prædam canibus ſe dedit ipſe ſuis.

Temporis typus.

Carolus ſextus Frācorum rex venationis ſuæ in ſylua Senliana de ceruo ſingulari, cui adaptatum fuerat collare æneum deauratum, nec non inſcriptio in hæc verba; HOC CAESAR ME DONAVIT. Memorabilem ita prædam in poſteritatis cognitionem diffundere cupiens, cerui alati ideo ſignum nobile ſibi vendicauit, vt memorat Claudius Paradinus, hoc ſymbolum inter heroica recenſens. Eſt verò etiam alatus ceruus tergo ferens Saturnum, qui dextra manu falcem, & cornu, ne decidat, corripit, ſiniſtra ſerpentem detinet, ſymbolum temporis prætereuntis quàm perniciſſimè. Pingitur à Ioanne Fayrabend typographo Francofurtenſi ad Mœnum, & typis eius præfigitur cum his verbis:

Res age prudenter fugit, & ſecat omnia tempus
Auolat aeripes, falx demetit, & cauet anguis.

Ad res difficiles, & arduas ſuperandas ſumma induſtria, labore, ac diligentia opus eſt, idque aquilæ ceruino capiti inſidentis pictura ſignificat idem Paradinus cum verbis: H

Ardua deturbat, vis animoſa quatit.

Aquila, vt ceruos capiat.

Diximus autem aquilam, dum ceruum adoritur in eius cornua ſe conijcere, conquaſſare, puluereque (quem plumis ſuis antè ad hanc rem congerit) ita huius oculos opplere, vt tandem de rupe aliqua, vel montis altiſſimi iugo ſeſe præcipitem det. Symbolum aliud Achillis Bocchij, in quo Pallas dextra librum ferens, ſiniſtro brachio ægidem, ſiniſtraque manu haſtam ad curſum ceruo incitato à duobus canibus, quorum alter καματηρὸς, alter θαυμαστὸς nuncupatur, inſidens delineatur cum verbis: AMOR LABOREM FERT, EVM ADMIRATIO.

Palladа miraris ceruo inſediſſe fugaci
Quem ſequitur duplex, aſſequiturque canis.
Thaumaſtus petit hinc, acris Camaterus & illinc
Admirator hic eſt, improbus ille labor.
Diſcendi mirum parit admiratio amorem,
Quid non improbitas dura laboris agit?

EPI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

EPITHETA.

EPITHETA cerui, & ceruæ, conueniunt enim omnia vtrique sexui, præter cornigerum. A pedum velocitate χαλκόπυς, latinis æripes, quod tamen epithetum nonnulli grammatici ex Græcorum fabulis desumi dixere, qui eam ceruam vocãt χαλκόποδα, quia talem reuera fuisse eam ceruam, fingunt poetæ: perperam igitur nonnullos etiam veteres interpretatos esse æripedem, ἀερσίποδα, aut ἀερίποδα, quorum sententiam refellit Scaliger Iunior in lectionibus suis Ausonianis, quoniam hoc perpetuum ceruis epithetum Ausonius attribuat, vt hic nullus ad fabulas Græcorum perfugio sit locus. Omnes ceruos poetę, inquit, χαλκόποδας dicunt, neque tantum ceruos, sed omnia quibus celeritas attribuitur. Quare Hesychius rectè χαλκόποδας interpretatur ἰσχυρόποδας, & poeta tragicus Χαλκόποδα ἐριννὺν vocauit, quod interpres exponit στερεὰν, καὶ ἀκοπίαστον ἐν τῷ ἐπιέναι κατὰ τ̃ φονέων. Eadem ratione dicitur etiam, alatus, celeripes, celer, velox, velocipes, volucer, volucripes, agilis; Tasso, snello; A timore, formidans, fugax, fugitiuus, pauens, pauidus, territus, timidus, trepidus, errans, vagans, leuis. Ab ætate, viuax, vetus. A loco, quem habitant, syluicultrix cerua dicitur à Catullo: Cretæa, idest, Cretensis Senecæ in Hippolyto. A cornibus, corniger, surgens in cornua Virgilio:

Epitheta à pedum celeritate. *Lib. 1. c. 16.* *A timore.* *Ab ætate.* *A loco, & cornibus.*

NVMISMATA.

HVBERTVS Goltzius duo pingit Ὑελητῶν, siue Hyeletarum numismata, quæ aduerso latere caput ostendunt Palladis; auerso autem leonem mordicus cerui tergus dilaniantem. Vtrumque Palladis caput galeatum est, atque cristatum, sed alteri galeę insidet Pegasus, alteri Sphynx, vtrique circumscribitur ΥΕΛΗΤΩΝ. Cur autem ceruum ita in numis depingerent, non meminit. Pingit item quatuor τῶν Καυλωνιατᾶν numo cum Iouis imberbis, & fulgur vibrantis imagine ab vno latere, ab altero cum imagine cerui, literis in prioribus duobus auerso ordine positis ΚΑΥΛΩΝΙΑΤΑΝ. In secundo supra cerui dorsum crater, siue aliud vasis patuli, & capacioris genus cõspicitur. In tertio verò, & quarto appictus est ramus, cuiusdam plantæ, quam Goltzius addita quodammodo etiam ratione dictamnum esse arbitratur, sed verba adscribam: Cauloniatarum, inquit, quęcumque in manus nostras incidere numismata, aduersa parte Iouis imberbis effigiem exprimunt, auersæ partes ceruum cum diptamno herba referunt. Cretenses ijs potissimum signis in numismatis vsos, proditum memoriæ inuenio: ob Iouis in Creta educationem, vnde verisimile videri posset, Cretenses primùm Cauloniam incoluisse; appictus tamen ramus cum diptamno Cretensi nullam habet similitudinem, cum vulgari autem diptamno, quod quibusdam veterum Τράγιον esse creditur, nõ exiguam. Hoc tamen diptamni genus fuisse non dixerim, sed fortè laurus est. Inter Aeliæ, siue Alliæ familiæ numismata ęrea vnum est, quod aduersa parte Allij Balæ caput ostendit cum literis BALA C, auersa Dianam currui insidentem, cui cerui, quos impellit, iuncti sunt cum tritici aristati spica, Dianæ, inquam, ἐλαφηβόλυ, & ἀμφιπύρυ, vt est apud Sophoclem in Trachinijs. Appictum autem forsan fuerit triticum, quod Allius rei frumentariæ præesset: nam & in Axsij Nasonis numo similiter à Fuluio depicto, Axsius frumenti mutili spicas gestat in casside, vel pileo, & ab altera numi parte idem ipse, non Diana, vt Fuluius putat, indutus enim est femoralibus, bigæ insidet, cuius ceruos canes hinc inde ad cursum propellunt. Exhibet idem inter numos Durmiæ familiæ, numum æreum aduerso latere qui leonem habet ceruum dilacerantem, cũ inscriptione: M. DVRMIVS III. VIR. ab altero viri imberbis caput, cum inscriptione: AVGVSTVS CÆSAR. Percussus est iste numus, vt Fuluius iudicat, in honorem ludorum secularium, quos exhibuit Augustus in honorem Dianæ. Addit Sebastianus Eritius fieri posse, vt percussus fuerit iste numus tempore, quo circa Actium promontorium M. Antonium superauit Augustus, cùm leo fortitudinis, ferociæque symbolum sit, ceruus timiditatis, & fugæ. Constantinus Landus, vidisse se, ait, argenteum numisma antiquum, & pulcherrimum Cn. Plancij Aedilis currilis, quasi nuper cusum apud M. Antonium Pectium Ioannis Vamptæ Pectij Senatoris Mediolanensis nepotem, in cuius numi primo latere erant hæ literæ: GN. PLANCVS ÆD. CVR. S. C. In posteriori verò latere erat ceruus cornibus eminens, ac inibi, & sagitta, quodam vinculo ad iaciẽdum apto. Mysterium numi non explicat, aliàs tamen se explicaturum promittit, sed sat esse pro nunc putat,

Hyeletarũ. *Cauloniatarum.* *Aeliæ familiæ.* *Axsij.* *M. Durmij.*

anno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

annotaſſe, quòd Aedilium munus fuerit, circa venationes occupari. Oſtendit nobis eundem numum Vrſinus, eandemque addit explicationem. Aediles enim, vt ſcribit Cicero, curatores erant ludorum ſolemnium, in quibus præter alia, venationes, & gladiatorum munera exhibebantur: Cæterùm animal in numo expreſſum non ceruus eſt, ſed capra. Pingit Sebaſtianus Eritius numū Valeriani Salonini, exiguum, æreum, græcis literis exaratum iſtiuſmodi: ΛΙΚ. CΑΛΩΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. hoc eſt. Licinius Salonius Valerianus; Altera verò numi parte haud inuenuſta figura eſt Dianæ proſtrati in terra cerui ſingulis manibus ſingula tenentis cornua, cum inſcriptione pariter græca: Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΕΦΕCΙΩΝ. Ex qua inſcriptione colligit, percuſſum hunc numum in honorem Valeriani Salonini ab Epheſijs, apud quos celeberrimum erat illud Epheſiæ Dianæ templum. Pingit item Commodi græcum alium numum, in cuius interiore parte diuinitas exprimitur Dianæ binos à ſiniſtro, & totidem à dextero latere habentis canes venaticos, quos ipſe imperitè ceruos iudicat. Videas tamen paſſim (Pierij Valeriani verba ſunt) Dianæ ſimulachro ceruum vt plurimùm in venatum obijci, qualem præcipuè ſpeciem in Hadriani numo cernere eſt, cum inſcriptione: ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΑ. In alijs quoq; eiuſdem Hadriani Dianæ itidem Epheſiæ ſimulacrum geminis duorum ceruorum inter ſe auerſorum clunibus inſidere conſpicias, atque aliter in alijs. Et cerua eſt in multis Gallieni numis cum inſcriptione: DIANAE. CONS. AVG. Ea enim ambitione fuit, ingenio vir alioquin impuriſſimo, vt Deos omnes ad ſui cuſtodiam, & conſeruationem occupatos eſſe iactaret. Hinc feras ferè omnes, quotquot numinibus dicauit antiquitas, numis ſuis eadem inſcriptione cudendas curauit, quorum vis magna, paucis antè annis, in agro Bellunenſi reperta eſt: Extat & Maximiniani numus aureus, qui ab vna parte Herculem oſtendit nudum cerui cornua apprehendentem; quo ſcilicet typo vnus ex duodecim laboribus exprimitur. Inſcriptio eſt VIRTVS AVGG. Conuenit autem Maximiniano Herculis figura, propterea, quod ſe Herculeum cognominaret.

Valeriani Salonini. *Commodi.* *Hadriani.* *Gallieni.* *Maximiani.*

I C O N E S.

In Arcad.

INTER Damaphontis opera, Ceres ipſa, teſte Pauſania, facem dextera præfert, læuam Heræ admouet: Hera ſceptrum, & vas, quæ ciſta dicitur, genibus ſuſtinet; aſſiſtit ſolio quàm latè vtrumque patet latus Diana ceruina pelle velata, pendente ex humeris pharetra; altera manu lampadem, dracones duos altera geſtat. Adiacet canis de venaticorum genere. In templo verò Delphici Apollinis, vt idem ſcribit, erat Actæon Ariſtæi filius, ac mater eius cerui hinnuleum manibus tenentes, accerуinæ inſidentes pelli. Adiacet venaticus canis. Ad vitam hęc omnia, & actionem pertinent. Quintus Calaber Eurypilum omnes Herculis labores in ſcuto depictos habuiſſe ſcribit: Ergo & ceruam pedibus velocem affabrè factam, quæ miſeris modis incolarum arua deuaſtare videbatur, & hanc quidem aureo cornu præſtans heros arripere cernitur, vnde pernicioſi ignis fulgor abſiſteret. Circundabant autem triſtes hinnulæ; hę quidem telis deiectæ in puluere expirare, aliæ autem fugę memores per aerem rapi conſpiciebantur: At his iracundia accenſus Hercules aliud ad aliud telum immittere admodum properanti ſimilis.

In Phocic. *Lib. 6.* *Lib. 6.* *Eurypili ſcutum Herculis labores depictos referebat.*

S I M V L A C H R A.

Lib. 37. c. 2. *Mōs aureus in triumpho inductus.*

PLINIVS author eſt, inter alia in tertio Pompeij triumpho translata, montem fuiſſe aureum tranſlatum cum ceruis, & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea. Romę in palatio Farneſiorum inter alias ſtatuas etiam ſtatuam proſtrati cerui incumbentis leonis obſeruaui, qualem in numis exprimi dixi, tergo ſcilicet proſtrati cerui conſidentem, & mordicus dilaniantem, conſpiciebanturque ibidem duo cerui communiter paſcentes. In baptiſterio Conſtantinianæ baſilicę Hilarius I. inter alia ornamenta etiam ceruos poſuit argenteos tres octoginta librarum, aquam fundentes, vt teſtatur Platina, & ante eum Sixtus III. in baſilica B. Mariæ Virginis, quę ab antiquis Liberij cognominabatur, iuxta macellum Liuiæ, ceruum dederat argenteum fundentem aquam in fontem baptiſterij. Sed & ante hunc Innocentius I. in baſilica Geruaſij, & Protaſij ad ornatum baptiſterij ceruum obtulit quinque & viginti librarum fundentem aquam.

Ceruorum argenteæ ſtatuæ.

H I E-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

HIEROGLYPHICA.

Adulatorũ mecænates quo typo exprimantur.

CERVVS apud Agyptios hominis dolo ab adulatoribus circumuenti hieroglyphico typo exprimebatur; Insitum enim ei natura, vt pastorali fistula, vel quouis alio suaui modulantium concentu demulceatur, tantaque indè afficiatur voluptate, vt immemor sui, nullo prorsus negotio capiatur, quo modo capiuntur etiam, seseque capiendos offerunt, qui adulatorum lenocinijs aures præbent. Eidem Aegyptij quempiam percito ingenio, temerèque ac nulla ratione sese mouentem (vt plerumque furores sunt qui Panici vocantur, quippe cùm nulla vrgente causa quis in fugam se proripiat, negotiumve, quod præ manibus erat, statim abijciat, inceptumque deserat) per ceruum, & viperam adpictam intelligebant: pugna enim huic cum serpente, cuius etiam cauernas inuestigat, vt suprà dictum est. *Temerariæ præcipitãtiæ typus.*

B Si quid verò ad vetera significata addere concedatur, inquit Pierius, cum vipera sit profligatissimis tota vita sceleribus inquinatissima, alia mariti, alia matris parricidio polluta, venenumque eius atrocissimum, quod omnem, vt aiunt, exuperat medicinam, aptè mihi fecisse videbitur, si quis vel regem, vel magistratum, vel iudicem, quempiam, in scelera vindicem sese acerrimum exhibentem, per ceruum & è cauernis extractam viperam, quam mordicus apprehenderit, figurarit. Eodem etiam hieroglyphico virum, inquit idem, intelligemus, qui morum impuritatem corrigat, scelera eluat, prauitatem emendet, & quod ait Lucretius: *Syncerivindicis vitiorum, & morum.*

Veridicis hominum perpurget pectora dictis,
Et finem statuat cupedinis, atque timoris
Exponatque bonum summum, quò tendimus omnes
Quale sit, atque viam commonstret tramite paruo,
Qua possimus ad id recto contendere cursu,
Quidve mali immineat rebus mortalibus passim.

Hoc enim est maleficum serpentem, qui clam in insidijs excubat, è latebris extrahere, extractum interficere, interfectum denique deuorare. Fugitiuum procul dubio hieroglyphico notare qui C vellent, currentem ceruum describebant, cui fugacitas scilicet natura insita est, vt suprà dictum. *Fuga hieroglyphicum.*

Quamuis autem cursum pernicissimum Aegyptij ex cerui currentis specie intelligi monuissent, quia tamen is requiem inter currendum aliquam facit, consistensque manet, dum, qui sequitur, appropinquet, tum fugam iterum arripit, factum est, vt hominem aliquam laboribus suis requiē interponentem significare si vellent, currentem quidem ceruum pingerent, sed retrò spectantem cùm in solius tantum fugacitatis significato caput surrectum statuerēt, vt cornua per dorsum demissa residerent. Verùm hoc & alia de causa, & alio etiā potest modo pingi Quippe si tres, duosvè ceruos natantes feceris, capitibus alterius clunibus impositis, atque eorum primum auertentem se, quasi ad postremum se locum recepturum, quo quidem officio mutuo se adiuuant. Si cui tamē quod prius positum est hieroglyphicum, magis placuerit, res in medio posita est. *Mutui auxilij.*

Stuporem præter hæc, formidinemque per ceruum, & puniceas pennas prætentas, significari, omnibus innotuit, qua de re etiam supra dictum est. *Stuporis.* Vehementissimi porrò desiderij signum esse ceruum ad aquæ fontem adspectantem, diuinæ indicant literæ, dum ita canunt; *Quemadmodum sitibunda ceruа* D *inhiat ad aquarum riuos, ita anhelat anima mea ad te Deus.* *Maximi desiderij.* Surrectas verò auriculas cerui, auditus acris significatum esse ostendit illud, quod ὦσιν ἐσῶσι prouerbium fertur, quod *arrectis auribus* Maro, & *arrigere aures*, Terentius interpretatur. *Auditus acris.* Contrà verò pro surditate easdem demissas pingere moris est, quia tunc cerui acutissimè audiunt, cùm surrectas aures protendere: cùm verò eas demisere, vix proximum excipiunt sonum: *Surditatis.* Nam cùm auditus, vt placet Empedocli, fiat illisu spiritus in clauiculatam aurium partem introrsus adnexam, quam tintinabuli vicem præbere dicit, vtpotè celso loco sitam, pulsuique obuiam, accidit, vt negato per huiusmodi aurium depressionem ingressu surditas obueniat necessario. *Auditus, vt fiat Empedocli.* Alia quædam medici comminiscuntur, sed quæ nihil ad rem nostram attinent: hoc siquidem significatum ex gestu desumitur auris, quæ cum surrigitur, patefit: cùm verò dimittitur, auditum obturat. Nam & Aristoteles ceruos, ait, cùm aures demiserint, facilè capi, quod insidias non senserint, cùm verò eas intenderint, facilè insidiarum admoneri. Si qui verò mulierosum hominem, & multarum concubitum appetentem notare vellēt, ceruum exporrecto genitali pingebant. *Mulierosi.* Is siquidem cùm turgente iam venere coitum appetit, non in vna tantùm immoratur, sed mutat, breuique interposito tempore aliam, atque aliam supergreditur: Illud rursus spectandæ probitatis exemplum est, quod volentes hominem propter propriam petulantiam, qua lapsus fuerit, pudore affectum ingenuo significare, ceruum in scrobe

deli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

delitescentem ostentabant: Is enim cùm fæminam implerit, separatur per se ipse, & propter libidinis graueolentiam solitarius scrobes fodit. Alia itidem de causa latitare ceruum cùm obseruassent antiqui, hominem, qui vel candidatus turpem esset repulsam passus, vel partam dignitatem amisisset, Vatiniana aliqua affectus ignominia, & propterea tãto perfusum pudore, vt in frequentiora loca prodire non audeat, ostendere si vellent, ceruum marem sine cornibus inter virgulta, fruticesvè abditum pingere soliti sunt. Cornibus enim amissis tamdiù præ pudore latent, quoad altera renasci cœperint. Alij dicunt, non præ pudore fieri hoc à ceruo, sed natura duce, quòd selatebrarum præsidio tutari velit, qui se armis priuatum cernat. Excogitarunt etiam iuniores, inquit idem Pierius, quædam argumenta, quæ passim referre, vt deposcere locus videbatur, haudquaquam puduit, cuiusmodi hoc est, quo apparatum bellicum frustratorium, & inanem esse, nisi præsens, ardensque adsit animus, per ceruum magnis insurgentem cornibus significari posuerunt. Naturam enim inquiunt ceruo animali admodum degeneri, cornua magnitudinis adeo spectādæ, ac asperitatis horrificæ contribuisse, quò argumentum esset, eos, qui audacia, & fiducia ipsi præditi non essent, frustra illum armorum apparatum, & instrumenta bellica comparare. Viuacitatem etiam ex picto ceruo significari, quod Aegyptiorum commentum est, magis exploratum arbitror, quàm vlla sit opus commentatione perquirere: datum enim illi à natura est, vt quàm diutissimè viuat. Verùm cùm id sacerdotes ostendere volebant, haud rectè cornua ramosa faciebant, vt antè monuimus. Quoniam verò ceruus ad lunæ similitudinem cornua nunc amittit, nunc reparat, (nam & sideri cornua & decidere, & succrescere videntur) hieroglyphicum nonnulli ponunt cornua cerui, si quempiam ab ignobilitate modò àd honores euectum, modò ab honoribus ad ignobilitatem redactum assiduo fortunæ rotatu, varioque euentu, significare voluerint: solis enim animalium cornua decidua, reciduaque annis omnibus. Aristoteles Achaicis ceruis id ait accidere, eosque ut prædictum præ pudore tamdiù latitare, & loca accessu difficilia petere, donec alia renascantur. Hinc denique aliud nascitur hieroglyphicum, ut sacrosancta dignitas ex uno quoque cornu significetur, ut quod antiquissima ueterum indicat disciplina: Honoris enim, ut dicebamus, & potentiæ signum, tam apud gentiles, quàm apud Christianę pietatis cultores, quique eos præcesserunt, Hebræos, habita cornua.

Hominis ob peccatũ, vel amissam gloriam latentis typus.

Armati pusillanimitas quo referatur hieroglyphico.

Viuacitas.

Potentia, honorisque typus.

APOPHTHEGMATA.

PASSIM apud scriptores egregium illud, siue dictum, siue apophthegma Chabriæ Atheniensium ducis, quod & Philippus usurpare solitus est, recitatur, formidabiliorem esse ceruorum exercitum leone duce, quàm leonum duce ceruo. Tantum is animorum uigori, quo dux ipse polleret, tribuerat, idque multis stratagematum exemplis apud rerum scriptores passim uerum esse comperitur. In quam sententiam Demades Philippo, qui contra Atheniẽses superior euaserat, adulaturus: Nosses, inquit, ò rex ciuitatis robur, si Atheniensium Philippus, Macedonum uerò Chares exercitui præfuisset: Chares enim dux fuerat Atheniensium. Huc etiam referendum, quod Tertullianus nosse ait se Christiani gregis pastores aliquos in pace leones, in prælio ceruos, quod quidem uis ad martyrij cruciatus impauidus, & paratissimus, ad ineptias tollendas feruentissimus, neque animos pusillos, neque ignauiam quorundam ferre poterat. Mulsumanes Turcorum imperator, referente Chalcocondila samno, & conuiuijs deditus quodam tempore cùm phialam manibus teneret, & ceruus in castra penetrasset, in ijsque oberraret: Tumultuantibus militibus propter cerui in castra aduentum, interrogauit, *num phialam cornibus gestat? quod si est, hac redimam.*

Chabriæ dictum in belli duces.

Lingua bellatores. Lib. 4.

APOLOGI.

AESOPVS de ceruo, & leone istiusmodi narrat fabulam: Ceruum persequitur leo: is fugiens, sese ex oculis leonis subducens, in profundum conijcit nemus. Leo uerò quantum uiribus præstaret, tantundem uelocitate superatur. Quamobrem accedens ad nemus, pastorem interrogat, num latitantem uiderit ceruum? Pastor uidisse se negat, ac nihilominus inter loquendum, protensa manu latibulũ ostendit: Leo itaque ceruum inuadit. At uulpes (ea enim semper apud Aesopum callida inducitur) pastorem hìs uerbis alloquitur: Vt tu pauidus simul, atque improbus es, pauidus quidem aduersus leones, improbus aduersus ceruos. Phrygio eiusmodi ænigmate, si uiuat, utetur Epicurus aduersus

Aliud loquitur, aliud sentit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A sus eum, qui voluptatem accusat, cùm tamen mentem perinde ac pastor manum ad voluptatem intendat. Hinnulum cum ceruo sic locutum aliquando ferunt: Mi pater cùm multo sis maior canibus,& pedum his celeritate præstes, præterea cùm sint tibi ardua cornua,quibus à te vim facilè propulsare possis, qui fit, vt canes, tantoperè metuas? Ibi ceruus ridens, mi nate, vera, inquit, memoras,mihi tamen nescio quo pacto, semper accidit,vt,audita canum voce,in fugam statim conuertar. Apologus indicat timidos,& fugacis ingenij qui sunt,nullis armis protegi posse. Alij fabulam referunt sic: Percontabatur venatorem asinus, cur ceruus tam grandibus præditus cornibus, viso tamen hoste quàm primùm à pedibus consilium peteret, vt salutem fuga quæreret. At ille,vt intelligas, inquit,nihil arma prodesse,si animus desit. Apologus alter de cerua altero oculo obcæcata. Cerua altero obcæcata oculo in littore pascebatur, sanum oculum ad terram propter venatores habens, alterum verò ad mare,vnde nihil suspicabatur. Præternauigantes autem quidam, & hoc coniectantes ipsam sagittarunt. Hæc autem seipsam lugebat, quod vnde timuerat,nihil passa foret,quod non putabat allaturum malum,ab eo proditam. Fabula significat sæpe, quæ nobis noxia videntur, vtilia fieri,quæ verò vtilia,noxia. Alter de cerua & leone. Cerua venatores fugiens in speluncam ingressa est, in leonem autem ibi cùm incidisset, ab eo comprehensa est, moriens autem dicebat: Heu mihi quòd homines fugiens, in ferarum immitissimum incidi. Fabula significat, multos homines dum parua fugiunt pericula, in magna incurrere. Alter de cerua & vite: Cerua venatores fugiens, sub vite delituit. Cùm præterijssent autem parumper illi, cerua iam prorsus se latere arbitrata, vitis folia pasci incepit. Illis autem agitatis, venatores conuersi,quod erat verum, arbitrati animal aliquod sub folijs occultari, sagittis confecerunt ceruam. Hæc autem moriens, talia dicebat: Iusta passa sum,non enim offendere oportebat,quæ me seruarat. Fabula significat, qui iniuria benefactores afficiunt,à Deo puniri. Apologus alter de ceruo & equo, qua indicatur libertatem natura nobis insitam, perire seruitute, quam totis viribus consectamur, vt effugiamus pauperiem, idest,frugalem uitam,quam falsò nobis habemus hostem. Recenset apologum Horatius his uersibus: *Lib. 1. epist. 10.*

Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
C *Implorauit opes hominis, frenumque recepit.*
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso non frenum depulit ore:
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Seruiet æternum, &c.

Alter. Ceruos, ceruasque ab initio rerum natura pariter cornipetas creauerat, sed cùm fæminæ insolentia uterentur, seque maribus studerent præferre, indignata natura, cornua execuit, & ,ut imposterum excornes nascerentur, perpetuò damnauit.

F A B V L O S A.

D INTER duodecim certamina, laboresque, quos Eurystheus Herculi imposuit, etiã recensetur, quod ceruum æripedem, pernicissimum in Arcadia cum cornibus aureis uiuum in conspectum illius adduxerit. Alij non ceruum, sed ceruam fuisse inquiunt, ut suprà, vbi an fęmina cornua habeat, dictum est. Sunt qui fabulam referant hoc modo: Cùm cerua quædam pedes æreos haberet, atque cornua aurea apud Oenonem Dianæ sacra, neque quisquam mortalium posset illam cursu compræhendere, habitaretque in Mænalo monte, iubetur Hercules Mycenas eam adducere. Sed cùm neque occidere eam Hercules, ut Dianæ sacram, neque uulnerare uellet, annum totum currendo est insecutus, sed illa denique fessa, in montem Arthemisium confugit,& ad Ladonem amnem iam iam tranatura capta est,& Mycænas super humero deportata. Alij aiunt Taygetam Atlantis filiam ceruam ab Hercule captam Dianæ consecrauisse, ferturque quod, cùm Hercules eam Eurysteo traderet, collo eius inscriptum fuerit, Ταϋγέτη ἱερὰν ἀνέθηκεν. Scholia in Pindarum, Herculem, dum hanc persequeretur, ad Hyperboreos usque peruenisse tradunt. Grapaldus autem, constare ait ex Callimacho in hymno Dianæ, è quinque ceruis secus Parrhasij montis radices inuentis, quarum de cornibus splendebat aurum, quatuor ipsam sine canibus cepisse, curruque adiunxisse: Fugientem aliam Iunonis uoluntate, Herculi ut certamen fieret, rupem excepisse Ceruniam. Fuisse aiunt hunc quartum Herculis laborem, unde Ausonius, uel quisquis ille fuit, uersum Q. Smyrnæi hunc:

Ex Herculis duodecim laboribus, ceruus aripes cursu superatus.

Diana quales quotque ceruos suo iũxerit curru.

Χρυσό-

Χρυσόκερων δ' ἔλαφον μετὰ ταῦτ' ἤγρευσε τέταρτον.

Ita reddidit:

Aeripedis quarto tulit aurea cornua cerui.

Huncque ceruum intellexit Toxilus ſeruus Plautinus in Perſa, dum inquit:

Qui amans egens ingreſſus eſt princeps in amoris vias,
Superauit ærumnis is ſuis ærumnas Herculis:
Nam cum leone, & cum excetra, cum ceruo, cum apro Aetolico,
Cum auibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mauelim,
Quàm cum amore.

In Hercule furente. Martinus Antonius Delrius ad hunc Senecæ locum:

Mænali pernix fera
Multo decorum præferens auro caput
Deprenſa curſu eſt.

Fabulæ, qua Hercules ceruam auricornem fingitur cepiſſe, moralis expoſitio. Poetas ait, dum hanc fabulam ſunt commenti, voluiſſe innuere viro, qui ſuperbiam ſubiugarit, F iracundiam repreſſerit, reliquos prauos animi motus ſuſtulerit ad vnum omnes, hoc eſt, leonem, aprum, & hydram reſecatis cunctis capitibus ad immortalem gloriam comparandam, quam indicant aurea cornua, in primis neceſſarium eſſe, æripedem ceruam conſequi, eamq; non antè dimittere, quàm, quod petit, fuerit aſſecutus, videlicet eo vſq; animum ſuum in humilitate, patientia, cæteris virtutibus ſubigere, donec hac aſſiduitate benè viuendi habitus comparetur, qui eum nunquam ſinat ab æquo, bonoq; deflectere. Quod qui fecerit, debita claris hominibus gloria ne post mortem quidem carebit, ſed nomen ipſius omni auri ſplẽdore clarius in omni memoria eluceſcet. Tantum Delrius. *Iphigenia fabula.* De Iphigenia Agamemnonis, & Clytemneſtrę filia ita etiam fabulantur poetæ: Cùm Agamemnon in Aulide ceruum Dianæ ignarus occidiſſet, Dea irata ventorum flatus amouit, vt nauigare non poſſent. Quapropter cùm oraculum conſulerent reſponſum eſt, Agamemnonio ſanguine Deam eſſe placandam. Miſſus igitur Vlyſſes Iphigeniam filiam aſtu à matre Clytemneſtra ſub prætextu facti cum Achille matrimonij, adduxit; cùmq; iam immolari patrabatur, Dea miſerta ipſam ſuſtulit, ceruamque pro illa ſuppoſuit, virginem autem in Tauricam regionem tranſtulit. Alij ipſam eo profugiſſe aiunt ad Tauricæ Dianæ templum, ibique, G in omnes Græcos hoſtilem animum exercuiſſe, illoſque eidem ſupplicij genere addixiſſe, cui ipſa, antequam fugeret, addicta fuerat: Sacrificij huius ſic meminit Ouidius:

12. Metam.

neque enim neſcitvè tacetvè
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Eſſe Deæ, poſtquam pietatem publica cauſa
Rexque patrem vicit, caſtumque datura cruorem
Flentibus ante aram ſtetit Iphigenia miniſtris.
Victa Dea eſt, nubemque oculis obiecit, & inter
Officium, turbamque ſacri, vocemque precantum,
Suppoſita fertur mutaſſe Mycænida cerua.

Actæonis fabula. Sed de hoc ſacrificio poſt copioſius Actæon, vt ſcripſit Tzetzes, cùm mirum in modum venatione delectaretur, vtpote à Chirone educatus, vt ait Apollodorus, fertur ſupra ſaxa defeſſus dormire *Chiliad. 6. hiſt. 61. lib. 2.* ſolitus, quod fuit non procul à Megaris Plateam contendentibus, indeque, teſte Pauſania, Actæonis ſaxum nuncupatum, qui præterea ſcribit Actæonem in fonte illi ſaxo proximo lauantem ſe Dianam vidiſſe, quod illa cùm moleſtè ferret, rabiem canibus Actæonis immiſit, vt illum laniarent. *In Bœoticis.* Fabulam multis verbis complexus eſt Ouidius, ſed mutationem eius in ceruum ſic venuſtiſ- H *3. Metam.* ſimè expreſſit:

nec plura minata
Dat ſparſo capiti viuacis cornua cerui,
Dat ſpacium collo, ſummaſque cacuminat aures,
Cum pedibuſque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus, & velat maculoſo vellere corpus
Additus & pauor eſt, &c.

In hoc autem à Pauſania diſcrepat Ouidius, quòd non ſuper ſaxo dormire ſolitum ſcribit. Hyginus vero non ſolùm Dianam ab Actæone lauantem ſe viſam eſſe ait, ſed etiam Actæonem ipſam voluiſſe violare; vnde etiam alij aliter fabulam interpretantur, atque explicant. *Fabulæ moralis ſenſus.* Anaximenes qui de picturis antiquis diſſeruit ait, referente Fulgentio, Actæonem venationem dilexiſſe, cui cùm ad maturam peruениſſet ætatem, conſideratis venationum periculis, ideſt, quaſi nudam artis ſuæ rationem videns, timidus factus eſt. Et paulò pòſt: Sed cum venandi periculum fugeret, affectum tamen

A tamen non depoſuit, quos inaniter paſcendo penè omnem ſubſtantiam perdidit, ob hanc rem à ſnis canibus deuoratus eſt. Hæc ille. Vnde eſt quòd canum nomine multi adulatores intelligant, citaturque à Stobæo ex Varino ni fallor, ὥσπερ ὁ Ἀκταίων ὑπὸ τῶν τροφομένων ἀπ' αὐτῦ κυνῶν ἀπέθανεν, ὕτως οἱ κόλακες τὺς τρέφοντας καταλύεσιν, ideſt, quemadmodum Actæon à canibus, quos alebat diſcerptus eſt, ita paraſiti, & aſſentatores eos, à quibus aluntur, miſerè perdunt. Nonnulli autem ſeſe putant nobiliores, & inſigniores, ſi quoſuis ſicarios, nulliuſque frugis homines, & ganeones inertes domi, & menſæ ſuſcipiant, haud ſano mentis oculo præuidentes, ſe vnà cum patrimonij comminuti damno, nominis, & plerumque vitæ iacturam facere. Tutiſſimos enim ſe fore credunt, vtpotè, tanto, tamque generoſo ſatellitio ſtipati, & tamen non aduertunt, quanti conſtet, quamque noxia ſit ea familiaritas. Anulus in picta poeſi ſic:

Adulatorū patronis quę damna immineant.

Cornibus in ceruum mutatum Actæona ſumptis
Membratim proprij diripuere canes.
B *Nam miſer eſt dominus paraſitos quiſquis edaces,*
Paſcit, adulantum præda parata canum.
Se quibus irridendum ſuggerit, & comedendum,
Ceruus, & ex domino corniger efficitur.

Qui mythologica tractarunt, hoc de Actæone figmentum ad venatores referunt, qui ſuas opes miſerè dilapidant in venandi luxu inutili admodum, & ſumptuoſo: Etenim à canibus, quos aluere tandē vltione diuina quaſi mēbratim dilaniantur. Nā tametſi nihil aliud ſceleris admitterent niſi in eo, quod erogent in victum canum, quod commodius poſſet egenis, & pauperie preſſis conferri: Ea tamen culpa ſatis habet grauitatis ad prouocandum iuſtam Dei præpotentis iram, qui tot bona nobis non eſt elargitus, vt ijs tam malè vtamur. Eoque grauiùs illi peccant, quòd rebus neceſſarijs animum non applicent, vt agriculturæ, vt reipublicæ, vt alijs honeſtis actionibus, ſed omnem temporis vſuram collocent in venatu, quo fit vt in vrgentem, minùſque ſibi notam penuriam præcipites ruant. Itaque dici non abs re poteſt, eos non à canibus modò, ſed auibus, & equis quoque abſumptos, & dilaceratos: In quo ſenſu Euripides:

Merces eorū qui canes, equos, et aues magnis ſumptibus alūt.

In Bacchis.

C Ὁρᾷς τὸν Ἀκταίωνος ἄθλιον μόρον,
Ὃν ὠμόσιτον σκύλακες ἃς ἐθρέψατο,
Διεσπάσαντο κρείσσον' ἐν κυνηγίαις. ideſt,
Nam cernis Actæonis improbam necem?
Canes voraces, ille quas nutriuerat
Nam dilaniauere optimum venatibus.

Palæphatus ait poetas hoc figmento nihil aliud docuiſſe, quàm homines cauere maximè debere, ne quid agant, quod Dijs inuiſum ſit, aut ingratum, aut quod eos in iram prouocet. Ad hoc omnes olim labori fuiſse intentiſsimos, & manibus victum quæſiuiſse, non ſeruis, aut exteris ſua negotia, ſed ſibi tantùm commiſiſse, ideoque qui laborioſi eſsent, opibus, & facultatibus præ cæteris abundaſse: Contra qui ſeſe otio dedebant, voluptates conſectabantur, venationi, & aliæ dabant operam in extremam rerum penuriam decidiſse, & opibus exhauſtos eſſe, quemadmodum & ipſi Actæoni contigit. Sed id ſpeciatim in prodigos adoleſcentes non abre licet conuertere, qui promi magis, quàm condi, vt Phryges ſerò ſapiunt, & tum fortè, ſed fruſtra reſipiſcunt, cùm nihil amplius eſt in loculis. Sibi quidem mirè placent cum ſecundis fortunæ ventis opes ſuppetunt, quibus impudentes, & inanes ganeones (qui nullum aliud ſibi penſum relictum habent, quàm vt lautas culinas aſsectentur, alienaque quadra viuant) paſcant, & enutriant. At exhauſtis patrimonijs ab ijs relinquuntur, longumque valere iubentur, à quibus in conditionem tam miſeram, tamque abiectam coacti ſunt. Non piget huc traducere, quæ Dion Chryſoſtomus de ſeruis appoſitè ſcribit, ſe non putare, damna à malis canibus plures accepiſse, quàm à malis hominibus. Etenim à canibus pernicioſis vnum Actæonem aiunt, inquit, perditum, & his quidem cùm in rabiem acti eſsent: A pernicioſis verò hominibus dici non poſse, quot perierint, & plebei, & reges, quot etiam ciuitates: Hi quidem à ſeruis, illi autem à militibus, & ſatellitibus: Conſtantinus Manaſses eleganter etiam Michaelem Imperatorem cum Actæone à canibus diſcerpto comparat, ſiquidem inconſulto illi principi, quod ab aſsentatoribus obſeſsus eſset, miſerè omninò ceſsit. Cæterùm iſtiuſmodi interpretatio, qua Actæonis facultates à paraſitis, tanquā canibus, diſsipari dictum eſt, Natali Comiti, perridicula videtur, non enim ad venationem, inquit, hortari poſteros, vel retrahere conſilium fuit antiquis, ſed minus rectos mores emendare. Per hanc igitur fabulam nos ad beneficia in uiros bonos conferenda adhortatos eſse exiſtimat, ac retraxiſse à benè merendo de ingratis, & immemoribus acceptorum hominibus, idque uideri etiam ſignificaſse Theocritum in eo uerſu:

Laboris vtilitas.

Prodigalitatis exitus.

Paraſitarū mores.

Orat. 10.

Lib. 6. Mythol. c. 24.

In quos conferenda beneficia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Τρέφε κύνας ὥστε φάγοντι, ideſt, nutri canes,vt te edant. Omnium enim beneficiorum optimum eſ-
ſe illud, quod apud virum bonum, memorem, & gratum collocatur,quod verò in maleficum, &
ingratum collatum eſt, omninò malè collatum eſſe,quippe cùm improbi homines ne parem gra-
tiam referre cogantur, ſæpius pro acceptis beneficijs ſimultatis cauſas aucupentur, ſeque vel qua-
uis leuiſſima de cauſa iratos fingent,vt ſic deletum appareat quicquid in eos collatum ſit. Vt pru-
dentiores igitur eſſemus in conferendis beneficijs, ne honori, facultatibus, vitæque noſtræ inſi-
diatores noſtris ſumptibus aleremus, rationem conferendorum beneficiorum nos antiquos do-
cuiſſe credit,quippe cùm beneficium viro bono facere,ſit propè accipere,atque hęc nonnulla pars
eſt iuſtitiæ, vt traditum eſt in officijs. Admoneri præterea per hanc fabulam, ne ſimus nimis cu- [*Curioſitas vitanda.*]
rioſi in rebus nihil ad nos pertinentibus, quoniam multis pernicioſum fuit res arcanas aliorum,
cognouiſſe, aut principum, ciuitatum, ſummorumque virorum, aut Deorum præcipuè, quorum
vel aliqua minima ſuſpicio,arcanorum conſcium,facilè poteſt opprimere: Atque vt ſummatim [*Fabularum poeticarum ſcopus.*]
dicam,eas,inquit,fabulas,quas inſulſi,& imperiti plerique aniles nugas tantùm eſſe crediderunt,
ad poſteros tradiderunt antiqui, vt per illas nos à temeritate, crudelitate,arrogantia,libidine,il-
legitimiſque facinoribus retraherent, & ad humanitatem,prudentiam,beneficentiam,integrita-
tem,temperantiamque adhortarentur. Quam poſteriorem interpretationem,ne ſcilicet ſimus ni-
mis curioſi,Ouidius ipſemet mihi videtur ſecutus,dum exilij ſui cauſas recenſet,inquiens:

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita cauſa mihi?
Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam
Præda fuit canibus non minus ille ſuis.

Fingitur verò in ceruum conuerſus Actæon non abs re, nam ſic aptè ſignificatur ſtultitia. Dixi- [*Stultitiæ typus.*]
mus enim ex Plinio ceruum animal eſſe ſimplex, & omnium rerum miraculo ſtupens. Significa-
tur denique per eandem fabulam, omnem Dijs immortalibus honorem deberi,ideoque non leue
ſupplicium ſubijſſe Actæonem, quod nudam Dianam intueri, &,vt Hyginus addit,ad amplexus
inuitare auſus eſſet. Sunt denique,qui Actæonem non in ceruum verſum, neque cerui pelle rectũ
fuiſſe arbitrantur, ſed opinionem canibus immiſſam, vt feram putarent, quod attigiſſe volunt
Ouidium hoc diſticho:

Teſtis, & Actæon quondam fera creditus illis
Ipſe dedit letho cum quibus antè feras.

Steſichorus denique Himeræus Actæonem,referẽte Pauſania, à Diana cerui pelle circumdatum
ſcripſit,incitatis ad eum lacerandum canibus,ne Semelen vxorem duceret. Ego verò,inquit Pau-
ſanias, canes Actæonis facilè adducor, vt credam rabie percitos, cùm in quem ſæuirent furentes [*In Bœotic.*]
non ſentirent, in quemuis obuium fuiſſe impetum facturos. Quam ſententiam amplectitur Nata-
lis, quid enim prohibet, inquit, cum ſol leonem ſignum ingreſſus fuerit, lunæ vi aucta in eodem
ſigno, rabiem canibus eſſe natam per dies caniculæ præſertim? Aut canibus rabie exagitatis, quæ
vis, quæ ratio, quæ cognitio poteſt reſiſtere, quo minus vel in dominum ſæuiant?

HISTORICA.

MIRVM videri debet, inquit Symon Maiolus in diebus canicularibus, ceruam,
quæ errare conſueuit per nemora, & campos, vt viuat, alere hominem. Aegidius [*B. Aegidius à cerua nutritus.*]
enim Athenienſis cum in Gallia ad B. Cæſarium Arelatum contendiſſet, ſeceſſi-
ſetque, poſtea in eremum, vbi diutius herbarum radicibus victitabat, cerua ſtatis
ad eum horis veniens, vbera porrigens lacte eum pauit, quam inſequentibus
quodam die canibus regijs,cùm in antrum Aegidij confugiſſet Galliæ regem impulit ab eo ſum-
mis precibus petere, vt in loco ſpeluncæ monaſterium extruit pateretur, quod effectum eſt. Hæc [*Lib. 4. c. 2.*]
calend. Septembris ab vniuerſa Eccleſia commemorantur. Meminit etiam Marulus hiſtori- [*Telephus à cerua nutritus.*]
cus: Aegidius Abbas,inquit,ad Rhodani oſtia latebram ſibi eligens,triennio nulli cognitus,cer-
ua lac præbente nutritus eſt,poſtea inuentus, & inde deductus,præeſſe monachis cæpit. Nutriuit
etiam cerua Telephum,teſte Aeliano, Auges(aliàs Agaues) & Herculis filium. Meminit & Dio- [*Lib. 5.*]
dorus. Telephus,inquit,Herculis filius ex Augea Alcæi regis Arcadiæ filia aui iuſſu expoſitus in [*In Achaic.*]
ſyluis, & à cerua nutritus, donoque datus Teutrati Myſię regi pro filio educatus eſt. Pauſanias [*Lib. 44.*]
locum addit Tegeatæ, inquit, tradunt Augen clam patre Telephum enixam in Parthenium [*Mellis uſũ,,*]
montem, cum abijciendum curaſſe, ibique puero expoſito ceruam lac præbuiſſe. Idem tradit [*quis prim',,*]
Iuſtinus hiſtoricus de Habide Tarteſsiorum rege: Tarteſsiorum, inquit, rex vetuſtiſsimus Gar- [*inuenerit.,,*]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Gargoris mellis colligendi vsum primus inuenit. Huic cùm ex filiæ stupro nepos prouenisset, pudore flagitij varijs generibus mortis extingui paruulum voluit, sed per omnes casus fortuna quadam seruatus ad postremum ad regnum tot periculorum admiratione peruenit. Primùm omnium cùm eum exponi iussisset, & post dies ad corpus expositi requirendum misisset, inuentus est vario ferarum lacte nutritus; deinde relatum domum tramite angusto per quem armenta cõmeare consueuerant, proijci iubet, crudelis prorsus, qui proculcari nepotem, quàm simplici morte interfici maluit. Ibi cùm inuiolatus esset, nec alimentis egeret, canibus primò ieiunis, & multorum dierum abstinentia cruciatis, mox etiam suibus obijci iubet. Itaque cùm non solùm non necaretur, verùm etiam quarũdam vberibus aleretur, ad vltimum in Oceanum abijci iussit. Tum planè manifesto quodam numine inter furentes æstus, ac reciprocãtes vndas velut naue, non fluctu cũ veheretur, leni salo in littore exponitur, nec multò post cerua adfuit, quæ vbera paruulo afferret. Inde denique conuersatione nutricis eximia puero pernicitas fuit, interque ceruorum greges diù montes, saltusque haud inferior velocitate peragrauit. At postremum laqueo captus regi datus dono est &c. Miles quidam Iulianus nobilis cùm quadam die venationi insisteret, &

Iuliani historia, vt parentes proprios occiderit.

B quendam ceruum repertum insequeretur, hic versus eum se vertisse dicitur, ac dixisse: Tu me insequeris, qui patris, ac matris occisor eris. Quod ille audiens vehementer extimuit, ne fortè sibi contingeret, quod à ceruo audierat. Relictis ergo omnibus, clam discessit, & ad regionem valde remotam peruenit, ibique cuidam principi adhæsit, à quo, cùm strenuè cùm domi, tum foris se gereret, vxorem accepit, & castrum pro dote. Interea verò parentes eius, ob amissum filium dolentes, vbicumque locorum summa cum diligentia perquirebant, & cùm tandem ad castrum, cui præerat Iulianus, peruenissent, vxor eius, cum mariti sui parentes esse intellexisset, liberaliter, & cum lætitia primum exceptos, vt fessa lassaque corpora reficerent, proprium eis lectum concessit. Et cùm illa sequenti die summo mane ad ecclesiam iuisset, ecce aduenit Iulianus, & in thalamum quasi excitaturus vxorem cùm intrasset, & duos ibi dormientes adinuenisset, suspicatus vxorem esse cum adultero, euaginato gladio vtrosque interemit; Exiens autem domum, factus vxori ab ecclesia reduci obuiam, attonitus interrogauit, quinam essent illi, qui in lecto suo dormirent? Respondit illa, parentes vestri sunt, qui vos diutissimè quæsiuerunt; quod audiens ille penè exanimis effectus amarissimè cœpit flere, & dicere: Heu miser quid faciam, quia dulcissimos meos paren-

C tes occidi? Et ecce impletum est verbum cerui, quod dum vitare volui, miserrimus adimpleui. De Basilio Imperatore, vt à ceruo occisus est, hæc ferè referunt historici, Zonaras, Cedrenus, & alij. Imperator progressus in venationem ceruo occurrit, qui irã erectis cornibus præ se ferebat, toruè regem inspiciens, cui gladium magnum attollens in collum vibrabat. Sed rex cerui cornibus implicitus zona, qua cingebatur altero eius cornu ramo adhæsit, vnde in altum ejectus in cornibus feræ rex tũ vitam finiuisset, nisi quidam ense stricto zonam abripuisset. Quare in terram delapsus saluatus est. Cui ingratus rex mox caput pro salutaribus donis ademit, quod nudum ensem in se strinxisset, non in feram, falsò illud in innocentem simulans, qui pro salute regis male mulctatus fuit. Sed mox diuina vltio adfuit, lethaliter enim sauciatus à ceruo, qui cornibus violento insultu in imum ventrem adactis equo eum excussit, paulò pòst eo vulnere mortuus est. Eustachius seu Placidas, quomodo in cerui cornibus visa Christi imagine, eius fidem susceperit, his verbis recenset Metaphrastes: Quando ei à bello in hostes gerendo dabatur requies, oblectatur, inquit, venatione, quæ est belli meditatio. Porrò autem cùm ei aliquando egresso ad venandum renunciasset

Basilius Imperator à ceruo occisus.

Eiusdẽ crudelis ingratitudo.

20. septem. Placidæ ad fidem Christianam cõuersio.

D explorator, ceruos in armentum non procul pasci, Placidas quidem, (vt mos est) disponebat eos, qui secum venabantur, & ordinabat venationem. Interim autem dum occupati essent, qui cũ eo erant, in dumis apparens quidam ceruus ingentis magnitudinis, & cursu alios anteuertens, illius ad se conuertit oculos, & tanquã insignis quidam hostis, prouocabat illũ, vt secũ confligeret, atq; eorum quidem, qui cum eo venabãtur, alios sicut ordinauerat, ita armentum ceruorum persequi fiuit, ipse autem cum paucis laxatis frenis vehemẽter illum magnum persequebatur, deinde alijs iam defessis, solus ipse post eum currebat, cum nec equus eius esset defessus, neq; retardatus esset eius impetus, donec ceruus cũ eũ vidisset solum relictum ab alijs, in verticem montis, & præruptã petrã, quod quidem cerui naturam superat, insiliẽs & pedes repressit à cursu, & venatorem à persecutione: Hoc autem erat non venatorem esse prædæ propinquum, sed ipsum cerni captum ab eo, quem persequebatur. Nam cùm Placidas consideraret, quanã via posset petram conscendere, & à tanta præda non excidere, capitur ipse potius à diuina, & magna sapientia: Nam supra caput cerui, qui apparuit, & ex vero eius cornu salutaris crucis erat signata figura, colore admodum splendido, & luminoso, in ipsa autem ille, qui carne fuit pro nobis passus, tanquam in tabula formatus erat in aere: Ex illo autem spectaculo vox quædam audiebatur dicens: Placida, quid me persequeris? & quæ sequuntur, nam & Christi fidem suscepit Eustachij nomine sumpto,

& egregius poſtea martyr effectus, vt vel ſic gaudere licuerit ei aliquando fuiſſe venatorem, E
quando ex venatione, & ſalutis, & gloriæ occaſio aliquando per Dei gratiam ei fuerit oblata. Hęc
ille, quæ & Nicephorus affirmat, anno 849. cùm fames admodum grauis Germaniam maximè
Lib. 4. annal. circa Renum attereret, apud Thuringos quidam à Graberfeld oriundus, dum ſyluas cum infante
petit, & filium interficere, atque comedere meditatur, ſubito duos lupos, referente Auentino,
alijſque atteſtantibus ceruam laniantes conſpicit: manus à filio abſtinet, à fera lupos abigit, cadauere feræ veſcitur. Clodoueus Francorum rex poſt orationem ad ſuos de violato ab Alarico
Gothorum rege paterno oratore ſuo, exercitum aduerſus Gothum ducturus, priuſquam in aciem
prodiret ad Diui Martini ſepulchrum donaria mittit tanquam de futura victoria oraculum expectaret. Venientes qui miſſi erant, dum ad fores templi accedunt, audiunt pſallentes ſacerdotes
Dauidis hymnum: *Protexiſti me Domine virtute ad bellum*; quod ominis loco ſuſcipientes oblatis
muneribus, ad regem perniciter pergunt. Oraculo accepto rex erectior factus ad hoſtem feſtinat.
Dum procedit agmen Vienna amnis obſtitit, qui crebris imbribus intumuerat, ita vt vado tranſiri non poſſet. Impeditum dolens exercitum Clodoueus, Deus, inquit, optime in tribulationibus F
„ adiutor, attende quod in hoſtes tuos proficiſcor, faue religioni tuæ, quam tueor, & ne differ de hę-
„ retico Gotho ſumere vltionem, & qui nos præpedit, da fluuium vadabilem: Hoc precantem
„ Clodoueum non eſt aſpernatus Deus. Ad primam enim inſequentis diei lucem ceruus è ſylua
Ceruus vadum monſtrat. nemine inclamante in conſpectum ſe prorupit, qui magnis militum vocibus inde excitus, fluuium
enatans, quaſi itineris explorator, vadum monſtrauit. Hunc ſecuti milites in vlteriorem fluenti
ripam, qua ceruus traiecerat, euadunt. Vltra progreſſus exercitus ad Diui Hilarij Pictauienſis
ædem conſiſtit. Vbi intempeſta nocte quieſcente Clodoueo ignis in tentorium decidere viſus
eſt, quod prodigium plerique bonam in partem interpretabantur, cum non procul abeſſet hoſtis, milites in aciem rex eduxit, moxque atrox vtrimque prælium committitur. Rex inter præliantes Alaricum conſpicatus, eum inuadit, & ſolus ſoli congrediens, ſolo deiectum Gothum
necat.

M Y S T I C A. G

Ceruo aſsimilat Chriſtus. CERVO Saluatorem noſtrum, & Dauidem regem prophetamque aſſimilari appoſitè docet in hæc verba Diuus Ambroſius præfaturus in Pſalmum 41. Multi
quidem, inquit, deplorauerunt infirmitatem fragilitatis humanæ: Excellentius
tamen cæteris S. Iob, & S. Dauid: Ille ſuperior directus, vehemens, & acer, &
quaſi grauibus exaſperatus doloribus maiore cothurno: Hic blandus, placidus, &
manſuetus, mitiore affectu: vt verè quem ſibi imitandum propoſuit, cerui imitaretur affectum.
Nec te moueat ſi tantum prophetam feræ ſimilitudine videar prædicare, cùm legeris ad apoſtolos dictum: *Eſtote aſtuti ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. Sed tamen quamuis iſtiuſmodi ſimilitudines pijs aſtruantur exemplis, ſitque innocēs, & mitis natura ceruorum, illum ceruum
ad imitationem prophetæ propoſitum hoc loco arbitror, de quo Salomon paternæ mentis aſſertor
Prouerb. 5. tor in prouerbijs dixit: *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum confabuletur tibi*. Verus enim Dei
filius in ſemetipſo naturam, quam animantibus ipſe donauit, expreſſit, qui in hunc mundum tanquam ceruus aduenit: Et cum his ſe mira ſimplicitatę iungebat, à quibus ei parabantur inſidiæ.
Fertur enim huiuſmodi ceruorum eſſe ſimplicitas, vt cùm ſe exagitari viderint, his ſeſe equitibus H
adiungant, qui miniſterio fraudis appoſiti, fugæ ſpecie, ac ſimulatione ſocietatis inductos, ad retia vſque deducant. Ita ergo Dominus tanquam ignarus periculi, atque improuidus, Iudęis ſibi
dolum ſtruentibus admiſcebatur, & ſocietatem Iudæ proditoris ſibi adſciuit, cuius ſimulatione
funeſta vſque ad crucis laqueos, & paſſionis retia peruenit. Vnde conuerſus ad eum dixit: *Iuda
oculo filium hominis tradis?* Et hoc quidem modo venit ad ſynagogæ retia volenſque ſe induit,
ſed nō implicitus eſt, nec inſtrictus, qui omnes reſoluit. Deniq; eminebat ſuper retia, & quia eum
ſui non receperant, vocabat eccleſiam, & ſuam ei gratiam conferebat, ſicut ipſa ſancta Eccleſia in
Lucæ 22. canticis proteſtatur dicens: *Adiuraui vos filiæ Ieruſalem in virtutibus, & fortitudinibus agri, ne
ſuſcitaueritis, & ne excitaueritis charitatem vſque quò voluerit*. Petit ergo in odore agri, quem
olebat Sanctus Iacob, ideſt, illa fide, illa deuotione excitari ſponſam ſuam à filiabus Ieruſalem,
Cantic. 2. vt reſtinet ad ſponſam, & excitari eius in ſe charitatem, aut etiam ipſum excitari, quia charitas ſponſus eſt; Deus enim charitas eſt, ſicut dixit Ioannes. *Sed ille non eſt paſſus ſe ab eis
excitari, quia ſponte properabat egreſſus de thalamo exultauit, vt gigas ad currendam viam.* Vidit eum ſponſa, & vocem venientis audiuit, ſubitòque conuerſa ait: *Ecce hic aduenit ſaliens*
in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *in montes, transiliens super colles*. Maiores enim salit, minores transilit, ne piæ festinationis impedimenta patiatur. *Similis est*, inquit, *meus capreę, hinnuloque ceruorum super montes Bethel*. Bonus ceruus, cuius mons est domus Dei, in quam tanta celeritate currebat, vt sponsæ vota, & desideria præueniret. Denique quem de longinquo venientem viderat, repente sibi adesse cognouit, vnde & ait: *Ecce hic stat post parietem nostrum prospiciens per fenestras, eminens per retia*. Hæc Ambrosius, & mox rursus explicaturus psalmi exordium, quod est: *Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Cerui similitudinem, inquit, suscipit etiam Christus, quia ueniens in terras serpentem illum diabolum sine vlla sui offensione protriuit, cui calcaneum suum obtulit, sed eius venena non sensit. Vnde dictum est ei, *super aspidem, & basiliscum ambulabis*. Simus ergo & nos cerui, vt super serpentes ambulare possimus. Erimus cerui, si vocem Christi sequamur, quæ nos & præparat ceruos, & facit morsus serpentium non timere: Ac si qui fortè fuerint vulnerati, aufert eorum dolorem, soluendo delictum. De his ceruis dicit dominus ad Iob: *Obseruasti partus ceruarum, numerasti autem menses earum plenos partus? dolores autem earum soluisti, enutristi filios earum, vt non timeant?* Audi quomodo non timeant filij ceruarum ta-

Ceruis assimilantur Christi fideles, & maximè apostoli.

B lium. Doceat te Isaias, dicens: *Et puer paruulus mittet manum in cauernam aspidum, & non illi nocebunt*. Et vt agnoscas, quod ecclesiæ filios significare videtur, addidit: *partus autem earum emittes, dirumpent filij earum, & multiplicabuntur in generatione: exibunt, & non reuertentur retrò. Nemo enim mittens manum ad aratrum, & aspiciens retrò, habilis est regno Dei*. Meritò ergo ceruus factus est dominus, vt tales sibi ceruos domini vox præpararet, de quibus ait: *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Tollebant enim serpentes cùm spiritu oris sui sancti apostoli de latebris corporum eruerent nequitias spiritales, nec venena mortifera sentiebant. Denique cùm exiliens de sarmentis Paulum vipera momordisset, videntes barbari pendentem viperam de manu eius, putabant repentè moriturum, at ille stabat intrepidus, nec vulnere mouebatur, nec veneno infundebatur. Vnde videntes eum non tanquam hominis cõditione genitum, sed tanquam Dei gratia editum, supra hominem esse arbitrabantur. Vide ceruum viperam de latebris eruentem, spiritu diuino, qui erat in naribus eius, sicut dixit dominus ad Iob. Conuersus, inquit, Paulus in spiritu, & respiciens cum dolore ait ad Pythonem: *Præcipio tibi in nomine domini nostri Iesu Christi, continuò exire ab ea: Et exiuit eadem hora*. Vide ceruum venientem ad baptismum, qui sacri fontis ablutus irriguo omnia persecutionis venena reiecit. Vide ceruum dominum Iesum quando venit ad Ioannem Baptistam, & dicente sibi Ioanne, *Ego debeo à te baptizari, & tu uenis ad me*. Respondit, *sine modò*, & hoc dicto in aquas salutem sitiens publicam tota auiditate descendit. D. Chrysostomus ceruos deuorantes serpentes esse ait omnes discipulos Christi, quippe qui aduersus spirituales serpentes vim habeant, iuxta id, quod à Christo dictum est: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici*. Ceruos autem, quia animalia munda sunt iuxta legem, necessariò animas iustorum esse, qui quidem legẽ seruarunt. Similiter Theodoretus explicans illud psalmistæ: *Vox domini pręparantis ceruos, & releuabit condensa*. Natura ceruis, inquit, insitum est, reptilia animalia despicere. Hanc autem potestatem & sacris apostolis dominus dedit: *Dedi enim vobis*, ait, *potestatem conculcare supra serpentes, & scorpios, & supra omnem potentiam inimici*. Hoc sermone corroborati, insidiatores orbis dęmones exegerunt, atq; idolorum imbecillitatem patefecerunt, & hoc vaticinantis sermo prædixit. *Vox domini pręparantis*

Iob. 39.
Isaiæ 11.
Actor. 28.
Iob. 27.
Actor. 17.
Homil. in psalm. 103.
Ceruus mũdum animal iuxta legẽ.
Psal. 28.
Luc. 10.

D *ceruos, & releuabit nemora*. Nam hoc est inauditum, vt per ceruos, multitudinem omnis generis ferarum cornu feriret, & vanam philosophorum scientiam per illiteratos, & idiotas homines redargueret, atque diaboli tyrannidem per piscatores euerteret. Porrò nemus appellauit idolorum lucos, vt penitus steriles: Huiusmodi enim sunt nemora, quæ optimè agricolæ excidere solent, & aperta terra, quæ sub ipsis est, fructuosas arbores conserere, atque esculenta semina iacere. Hoc fecerunt orbis agricolæ, quando quidem cùm idolorum lucos altis radicibus innixos extirpassent, pro illis tenuẽs ecclesias fundarunt. Et rursus, dum explicat hanc cantici canticorum sententiam, *Ecce hic venit, saliens super montes, transiliens colles. Similis est nepos meus capreę, & hinnulo ceruorum in montibus Bethel*. Operæ precium est, quærere, cur eum capreæ, hinnuloque ceruorum similem dicat: & quinam sint montes Bethel, quid salire, quid transilire significet, quid colles, & montes, in quibus hæc geruntur. Capream ex videndi acumine dorcadis nomine vocatam, ferũt. Cernit enim quàm acutissimè. Aiunt & ceruos ferarum serpentium naturali quodam odio teneri, adeo, vt angues, & viperas, & alias huiusmodi bestias non aliter, atque herbas deuorent, cùm ex eo cibo nullo afficiantur incommodo. Proinde cùm dominus Christus, quatenus homo, sit illa radix, quæ egressa est, de radice Iesse, super quem requieuit spiritus Dei, spiritus sapientiæ, & intellectus: spiritus consilij, & fortitudinis: spititus scientiæ, & pietatis; & repleuit eum spiritus timo-

Per nemora quid intelligat sacra pagina.

Christus capreę quomodo comparetur.

ris Dei: cum ſponſa propter eximiam oculorum aciem, ac perſpicacem intuẽdi vim, & futurorum
Christus hinnulo ceruorũ cõparatus.
prouidentiam capreæ ſimilem aſſerit. Ceruorum autem hinnulo ipſum comparat, vt qui capita
draconum confregerit ſuper aquam: & qui capita draconis colliſerit, & tanquam gladius ſinuo-
ſum anguem, & egredientem draconem, qui erat in mari, ſuſtulerit: poteſtatemque dederit diſci-
pulis ſuis calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: quique pecca-
tum non fecerit, ſed ſuſtulerit peccata mundi, eaque tanquam ſerpentes profligarit: At hinnulo
cerui illum aſſimilat, quia nõ ſolùm homo, ſed & filius hominis dicitur: nec leo tantùm, ſed etiam
catulus leonis. *Accubans enim*, inquit, *dormiuit, vt leo, & quaſi catulus leonis*. Nec verò alienum
Num. 24.
eſt, à ſponſa illud ſignificari, quòd cùm paruula adhuc eſſet corporis ætatula, diaboli potentiam,
veluti ſerpentes quoſdam deuorauit, cùm magos, qui diaboli vates erant, confeſtim, vt natus eſt,
ad adorationem protraxit. Porrò inter animalia, quæ munda ſunt, caprea, & ceruus numerantur
Fidei typus caprea.
in lege. Iam caprea prior, quàm ceruus nominata eſt, quia figuram obtinet fidei, propter excellen-
tem in proſpiciendo vim oculorum. Credere enim oportet primùm accedentem ad Deum, quòd
ipſe eſt, & accedentibus ad ſe remunerator ſit. At ceruos quidem nominat diuina ſcriptura: Et
nunc quidem inquit in 17. pſalmo B. Dauid: *Deus, qui præcinxit me virtute, & poſuit immacula-
tam viam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum.* Immaculata, inquit, facta eſt via
mea, poſteaquam perfecti ſunt pedes mei, tanquam ceruorum. Potui namque calcare ſuper ſer-
pentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: Nunc autem in pſalmo 28. *Vox*, inquit,
domini concutientis ceruos, & reuelabit condenſa: Ceruos hic vocat beatos apoſtolos, quorum pe-
des ſpecioſi euangelizantium bona, vtpotè conculcantes ſerpentes, qui hominibus inſidias ſtruũt,
& mortem afferunt. Per quos apoſtolos reuelata ſunt condenſa ſyluarum infructuoſa: per quos in
templo Dei omnis dicit gloriam. His haud diſſimilia pronunciat beatus Abacuc propheta, *Do-
minus Deus*, inquiens, *fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa deducet
me, vt vincam in cantico eius*. Sed tempus eſt, vt ad propoſitum reuertamur. *Ecce hic venit ſaliens
ſuper montes, tranſiliens ſuper colles. Similis eſt nepos meus caprea, aut hinnulo ceruorum in monti-
bus Bethel.* Docet hic ſponſa internecionem idolis illatam à ſponſo ſuo. Montes enim, & colles
vocat lucos, & delubra dæmonum in montibus olim ſita, & ædificata, ſuper quæ, verborum ſapiẽ-
tia, & miraculorum virtute ſaliens, atque tranſiliens penitus euertit, atque deſtruxit. Quem qui-
dem ſenſum Symmachus magis perſpicuum reddit, interpretans ad hunc modum: Aſcendens cõ-
tra montes, proſiliens aduerſus colles. Huc vſque Theodoretus, ante quem ſuper iiſdem verbis, ſi-
mili ſenſu commentatus eſt diſertiſſimus Origenes: Hæc duo, inquit, animalia (caprea & ceruus)
in ſcripturis frequentius nominantur: & quo amplius admireris, ſæpius iuncta ponuntur, Et hæc
ſunt, ait, *quę manducabis*, pòſt paululum inferens capream, & ceruum. In præſenti quoque libro
pariter nominantur ceruus, & caprea. Quodammodo enim cognata ſibi ſunt, & vicina iſta anima-
lia. Caprea, ideſt, dorcas, acutiſſimè videt. Ceruus interfector ſerpentum eſt. Quis putas eſt dignus
è nobis, qui iuxta dignitatem loci, atque myſterii, plenam poſſit explicare rationem? Oremus do-
minum, vt nobis largiatur ſenſum ad aperiendas ſcripturas, & poſſimus dicere, quomodo aperuit
nobis Ieſus ſcripturas. Quid igitur? dicimus quia dorcas, hoc eſt, caprea ſecundum eorum phyſio-
logiam, qui de naturis omnium animalium diſputant, ex inſita ſibi vi nomen acceperit. Ab eo
enim, quòd acutiùs videat, ideſt, παρὰ τὸ ὀξέως δέρκειν, dorcas appellata eſt. Ceruus verò ſerpen-
tum inimicus, ac debellator eſt, ita vt ſpiritu narium eos extrahat de cauernis, & ſuperata perni-
cie veneni eorum pabulo delectetur. Forſitan Saluator meus caprea ſit iuxta θεωρίαν, ceruus iuxta
opera. Quænam iſta ſunt opera? Interficit ipſe ſerpentes, contrarias fortitudines iugulat: Ideo di-
cam ei. Tu contriuiſti capita draconum ſuper aquas, tu contriuiſti caput draconis. Similis eſt fra-
truelis meus capreæ, vel hinnulo ceruorum ſuper montes domus Dei. Bethel quippe interpreta-
Bethel quid ſignificet.
tur domus Dei. Non omnes montes domus Dei ſunt, ſed qui montes eccleſiæ ſunt. Inueniuntur
quippe & alii montes erecti, & conſurgentes aduerſus ſcientiam Dei, montes Aegyptiorum, &
Allophylorum. Vis ſcire quia ſimilis eſt fratuelis méus capreæ, aut hinnulo ceruorum ſuper mon-
tes Bethel? Eſto mons Eccleſiaſticus, mons domus Dei, & veniet ad te ſponſus ſimilis capreæ, vel
hinnulo ceruorum ſuper montes Bethel. Ita etiam D. Cyrillus in explicatione verborum iſtorum
Iſaiæ: *Et ſeruauit terra filios eius cum ſecuritate, illic cerui occurrerunt & viderunt facies inter
ſe. Numero tranſierunt, & vna ex eis non periit, altera alteram non quęrebat, quia dominus pręcepit
ipſis, & ſpiritus eius congregauit ipſas. Et ipſe immittet eis ſortes, & manus eius diuiſit ipſis, vt pa-
ſcerentur.* Memorat, inquit, eos, qui ex Iudæis ſeruati fuerunt, nimirum per fidem. Ab his autem
filiis, qui ſeruati ſunt cerui quodammodo nati ſunt diuini diſcipuli, comparantur & meritiſſimè
ceruis: Eſt enim animal ſerpenticida, & aquarum fontes ſæpe, & libenter frequentat. Tales ſunt
omnes ii, qui in ſortem diuinæ religionis aſſumpti ſunt ad euertendum intelligibilem draconem inſtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A instructi, & idonei, gloriam eius subuertendo, & nequitiæ illius venenum infirmum, inefficaxque
reddendo. D. Augustinus itidem exponens illud psalmistæ: *Quemadmodum desiderat ceruus ad*
fontes aquarum. Curre ad fontem, inquit, desidera fontem, sed noli vtcumque, noli vt qualecum-
que animal currere, vt ceruus curre, non sit tarditas in currendo, impiger curre, impiger desidera
fontem. Inuenimus enim insigne velocitatis in ceruo. Ceruus serpentes necat, & post serpentium
interemptionem maiore siti inardescit, peremptis serpentibus acrius ad fontes currit. Serpentes
vitia tua sunt, consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. Sed &
alio sensu acceptus ceruus apostolos, aliosque doctores Christi significat: nam D. Gregorius in pri *Ceruarum*
mis id ostendit in hæc verba: Ceruarum, inquit, moris est inuentos serpentes extinguere, eorumq; *proprietates*
membra morsibus dilaniare. Fertur autem, quia si quando flumina transeunt capitum suorũ one- *vt apostolis*
ra dorsis præcedentium superponunt, sibique inuicem succedentes laborem ponderis omninò nõ *applicẽtur.*
sentiunt. Magistri igitur, atque doctores ceruæ vocati sunt sicut per Ieremiam de doctoribus geni- *Ierem. 14.*
tos filios incautè deserentibus dicitur: *Cerua in agro peperit, & dereliquit.* Ipsi more ceruarum, in-
teremptis vitijs quasi extinctis serpentibus bibunt, & de ipsa extinctione vitiorum ad fontem vitę
B acrius inardescunt, vnde psalmista ait: *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat ani-*
ma mea ad te Deus. Ipsi etiam dum labentia huius temporalitatis momenta quasi quædam flu-
mina transeunt, compatientes charitate, onera sua sibi inuicem superponunt, quia cauta obserua-
tione custodiunt id, quod scriptum est: *Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legẽ Chri-*
sti. Quia verò post aduentum domini spiritales magistri per mundum sparsi sunt, qui auditorum *Gal. 6.*
animas in conuersatione prædicando genuissent, & hoc idem tempus incarnationis Domini, ante
prophetarum voces cognitum non fuit, benè B. Iob de tempore partus ibicum, ceruarumque di-
scutitur, eique dicitur: *Nunquid nosti partus ibicum in petris, vel parturientes ceruas obseruasti?*
Ac si dicatur ei idcirco te egisse aliquid sublimiter credis, quia illud tempus necdum præuides,
quo spirituales magistri in mundum missi per doctrinam antiquorum patrum filios generant,
suisque laboribus animarum mihi lucra comportant: Nam si illorum fructum, quasi ibicum, cer-
uarumque partus aspiceres, valde humiliter de tua virtute sentires. Possunt verò ceruarum signifi-
catione doctores, appellatione autem ibicũ, qui animalia sunt minima, auditores intelligi. In pe-
tris verò ibices pariunt, quia ad exercenda sancta opera, exempla patrum præcedentium fœcun-
C dantur. Et cùm fortasse præcepta sublimia audiunt, & infirmitatis propriæ conscij, ea se implere
posse diffidunt, maiorum vitam conspiciunt, atque in eorum considerata fortitudine bonorũ ope-
rum fœtus ponunt. Hinc est quòd auditores suos quasi ibices in petris parere Paulus admonebat
cum enumeratis maiorum virtutibus diceret, *habentes tantam impositam nubem testium, deponen-*
tes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certa-
men. Et rursum, *quorum intuentes exitum cõuersationis; imitamini fidem*, sed cùm diuina pręcepta
corde percipimus, non statim quasi iam solidè cogitata parturimus. Vnde & B. Iob non de partu
ibicum, sed de tempore partus inquiritur. Quod videlicet tempus, dum in nobismet ipsis vix cõ-
prehendimus, multò magis in aliena mente nescimus. Vel, inquit, *parturientes ceruas obseruasti?*
Hoc est, illos labores patrum, qui spirituales filios generant cauta consideratione pensasti? Nihil
verò obstat, quod verba Deus de doctoribus faciens, non ceruorum, sed ceruarum eos specie desi-
gnat, quia nimirum illi verè doctores sunt, qui cùm per rigorem disciplinæ patres sunt, per pieta-
tis viscera esse matres nouerunt. Et D. Hieronymus exponens illud prophetæ: *Et pones pedes* *Lib. 2. in A-*
D *meos quasi ceruorum*: vt calcem, inquit, super aspidem, & basiliscum, & quasi puer paruulus mit- *bacuc. c. 3.*
tam manum in foramen, & extraham serpentem, ludamque de colubro, similis enim est fratruelis
meus capreæ, aut hinnulo ceruorum. Et quia ipse est ceruus, mihi quoque donauit, vt ceruus es-
sem sublimis cornibus, findens vngulas, cibos ruminans, & ad odorem meum serpentes fugans,
de quo dicitur; *qui perficit pedes meos quasi ceruorum*; Et rursus: *Vox domini perficientis ceruos.* *Psalm. 17.*
Ponet ergo pedes meos inter cæteros ceruos suos, & ad cælestia perducet me, vt inter angelos ca- *Psalm. 28.*
nam gloriam domino, & super terram pacem hominibus bonæ voluntatis annuntiem. Hæc Hie- *Esaię 34.*
ronymus, quæ de Saluatore nostro dicuntur. Exponens verò secundum Septuaginta illud Esaiæ:
Ibi obuiauerunt sibi cerui, & viderunt facies suas, &c. transfert ad apostolos, & sanctos doctores:
Allegoricè, inquit, interpretabimur, vt doceamus ceruos, idest, apostolos, & sanctos quosque do-
ctores, de quibus scriptum est: *Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, &c.* Et alibi: *Vox domini*
perficientis ceruos: & rursum: *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum loquantur mihi.* Beda pariter *Ceruorum*
per ceruos in hoc psalmistæ: *Vox domini intonabit preparantis ceruos*; interpretatur apostolos exu- *natura apo-*
peratores, & repulsores venenatæ doctrinæ, & persuasionis illorum, qui in terrenis veram beati- *stolis, & pijs*
tudinem posse haberi putabant, & alios docebant, in quo sunt, inquit, ceruis comparabiles. Cer- *fidelibus ac-*
uorum enim est natura, singulis annis, vt cornua deponant, & innouentur, venenatum serpentem *cõmodatur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ſine aliqua læſione tranſglutientes, & per hos ceruos, ideſt, per hos apoſtolos, reuelabit dominus E
condenſa, quod eſt dictum ad ſimilitudinem. Solent enim cerui inter condenſa nemorum ingre-
dientes ramos ſuis cornibus ſeparare, & campum vbi paſcantur, ſibi & alijs animalibus aperire,
ſicut ſancti apoſtoli opacitates, & occulta myſteria ſcripturarum, in quibus & ipſi paſcerentur, &
alios paſcerent, aperuerunt, & his condenſis per apoſtolos & eorum ſucceſſores reuelans omnes,
In comm. ideſt, aliqui de ſingulis gentibus dicent gloriam &c. Et rurſus alibi, cùm dixiſſet domum hero-
pſalm. 103. dij eſſe Chriſtum, & eſſe paſſeribus ducem: Excelſi, inquit, etiam montes, ideſt, apoſtoli ſunt du-
ces ceruis. Cerui dicuntur illi, qui iam habent agiles pedes, ideſt, affectiones ad tranſiliendum.
Hæc etiam vepribus & ſentibus plena, & ad conſcendendum ardua, ideſt, cæleſtia, & his talibus
montes excelſi, ideſt, apoſtolici ſunt duces doctrina ſua, & exemplo. Gilbertus abbas de Hoilan-
dia in Anglia ordinis Ciſtertienſis, qui ſermones ſuper cantica cãticorum ab eo loco, quo B. Ber-
Serm. 14. nardus morte præuentus finierat, inſecutus eſt, explicans hunc cantici locum: *Adiuro vos per ca-
preas, ceruoſque camporum*, ſimili ferè ſenſu hæc ſcripta reliquit; Noua planè adiuratio, inquit, nec
plus habens admirationis in ſpecie, quàm in virtute myſterij. Quærens quid in ſe ſacramenti in- F
uolutum contineant hæc animalia, quandam liberæ mentis alacritatem, & agilitatem ſpiritus
curſim ſe & ſaltatim, vt ſic dicam, ad ſuperiora ferentis intelligo adumbrari in illis. Annon & tibi
velut capreæ, & cerui videntur, qui licet in corpore commorantes, corporis tamen euaſerunt in-
commoda, & ſpirituali leuitate pondera carnis penè non ſentiunt, & terrenæ molis materiam ne-
ſciunt mentis beneficio? Hi ſunt qui ſpiritu ambulantes vltra non ſentiunt deſideria carnis, aut ſi
ſentiunt, languida certè, ac quaſi palpitantia ad extremum ducentia halitum. *Vos* (inquit apoſto-
lus, his qui huiuſmodi ſunt) *non eſtis in carne, ſed in ſpiritu*. Denique etſi cognouimus Chriſtum
ſecundum carnem, iam non nouimus. Iam totius ſpiritualis factus eſt, iam ſe ad ſolitudines cæle-
ſtes contulit, iam conſcendit ad ſuperiora. Ideò dicit eccleſia: *Similis eſt dilectus meus capreæ hin-
nuloque ceruorum ſuper montes Bethel.* Ad hos te montes inuitat, qui dicit: *Si conſurrexiſtis cum
Chriſto*, &c. quaſi capream te ſpiritualem fieri vult Paulus, qui ad illos te cæleſtes montes prouo-
cat, qui ſingularis illius hinnuli te veſtit imaginem. *Sicut*, inquit, *portauimus imaginem terreni,
portemus & imaginem eius, qui de cælo eſt.* Bonus ceruus & ipſe Paulus, qui ait: *noſtra conuerſatio
in cælis eſt*. Bonus planè ceruus, quem ſpiritus domini vegetat, & agit. Spiritus enim domini ſub- G
tilis, & mobilis. Boni cerui, quos vox domini præparat, quibus reuelat condenſa myſteriorum,
condenſa, in quibus benedictus ille latitat hinnulus. Bona certè caprea, quæ ad omnia, quæ vel ſi-
bi propoſita ſunt, vel impoſita, impigra, & indefeſſa deuotione ſpiritus dicere poteſt: paratũ cor
meum Deus, paratum cor meum. Quæ ea, quæ retrò ſunt, obliuiſcens, ad anteriora extenditur.
Audiuiſti communia, audi ſingularia, vt aliquid diſtinctionis inter hæc aſſignemus animalia, nec
confuſa, & indifferens ſit de vtriſque diſputatio. In ceruis antiquitatem attendi viuendi, & viden-
di acumen in capreis. Cerui quadam arte naturali à ſenio ſe tueri perhibentur, & vergentem in
defectum vitam rediuiua nouitate ab interitu reuocare. Chriſtus ſingulariter non tam ceruus,
quàm hinnulus dicitur, qui nititur ęterna nouitate, nec habet aliquid vetuſtatis admixtum, quod
ſubinde renouatione indigeat. Ille ſingulariter caprea videndi priuilegio. Denique *nemo nouit
Capreæ qui *patrem, niſi filius, & cui ipſe voluerit reuelare*. Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius. Er-
dici poſſint. go & hi quoque quaſi capreæ quædam ſpirituales intelliguntur, qui reuelatos habẽt mentis ocu-
los in agnatione Dei, qui ſpirituales effecti dijudicant omnia, & perſcrutantur, qui reuelata facie
Cerui qui. gloriam domini contemplantur. Cerui verò ſunt in eo, quod in eandem imaginem transforman- H
tur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu, qui veterem deponentes hominem nouũ
induunt eum, qui creatus eſt iuſtitia, & ſanctitate veritatis, qui ſeneſcentem deuotionem, & quo-
dam languentem tædio in nouum denuò feruorem reducunt, & perſeuerantiæ faſtidia neſciunt
reparatione frequenti. *Qui*, inquit Eſaias, *confidunt in domino, mutabunt fortitudinem*, non quidẽ
vt veterem perdant, ſed vt nouam adijciant. Mutabunt fortitudinem inſtauratis frequenter in-
crementis. Mutabunt, inquit, fortitudinem, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non defi-
cient. Mutatio hæc profectuum videtur innouatio iugis ſine defectu, ſine fatigatione. Bona qui-
dem fortitudo, quæ currens, licet cum labore, tamen ad defectum declinare non nouit. Melior
planè quæ nec laboris ſentit moleſtias, ſed oppoſitarum difficultatum tranſilit ſcandala, & velut
in campeſtri planitie explicitis greſſibus vtens, iuxta quod ſcribitur: *Curſor leuis explicat vias
ſuas*. Hoc eſt, quod in præſenti, ceruos camporum dicit, quod illis quælibet aſpera, & ardua, quæ-
libet plana ſunt, & peruia, & inoffenſis expoſita curſibus, quaſi planioris æquora campi. Vox do-
mini, vox intimæ inſpirationis, mentis auribus ſuauiter illapſa. Illa eſt vtique quæ ceruos huiuſ-
modi præparat, quæ reuelat condenſa. Nam ſi qua condenſa ſunt, & crebris ſcandolorum, quaſi ceruorũ,
ſpinarum aculeis obſita, illis condenſa non ſunt, quorum dominus perficit pedes, quaſi ceruorũ,
qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A qui nullo iniuriarum obice tardari possunt. Huc vsque ille. Aptè etiam inscribitur ab Hebræis
psalmus 21. Pro cerua matutina: nimirum quia dominus, qui illic extrema omnia passus fuisse
memoratur, miserabilis prçda fuit impijs Iudæis illum crudeli venatione in casses suos agentibus.
Obseruatur autem eiusdem allegoriæ tenor, psal. 41. dum ostenditur, pios eo Dei desiderio tene-
ri, quo misera cerua longa venatione lassata, fontes aquarum sitit. *Quemadmodum cerua deside-
rat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Proinde in diuino præsidio situm esse,
vt hostium nostræ salutis insidias, & conatum omnem fallamus, non aliter atque cerui venatorū
spem eludentes, in psalmo decimo septimo describuntur, dum propheta ait, de domino: *Qui per-
fecit pedes meos tanquam ceruorum*. Ad quem modum in Abacuc quoque capite tertio legitur:
Sic in psalmo vigesimo octauo inter cæteras virtutes verbi Dei, & illa prædicatur: *Vox domini præ-
parantis ceruos*. Quanquam in ea re quidam aliam ceruorum naturam contemplantur, quæ verè
conuenit Euangelij diuini præconibus, quando peruersam doctrinam, perinde atque illi serpen-
tes ex latibulis, narium odore, extrahunt, atque interficiunt. Est vbi in sacris literis cerua chari-
Cerua charitatis symbolum.
tatis symbolum est, vt in hoc loco prouerbiorum Salomonis: *Cerua charissima, & gratissimus hin-*
B *nulus, vbera eius inebrient te omni tempore, in amore illius delectare iugiter*: Innuere enim vult
Salomon, vt ait Ioan. Arboreus in suo comment. coniugem viro suo debere esse charissimam, &
Cap. 5.
pro viribus adniti, vt fœdus coniugij tueatur, quæ non minus scorta persequatur, quàm cerua ser-
pentes sit & natus ex ea filius, castitatis amator gratissimus, & quemadmodum hinnulus ceruæ
pullus suæ matri acquiescit, sic & vxor sui viri imperio pareat, eumque moderato, & temperato
amore delectet, nec ad alterius thorum diuertat maritus, sed pudico suæ coniugis congressu satie-
tur, & hoc est, quod dicit: vbera eius inebriēt te omni tempore, non quod vxorio operi semper in-
sistendum esse, doceat, sed moneat, ne vel prima viuente aliam ducas, vel fœdæ meritrici copule-
ris. Nam viuente vxore alligatus es legi, quod si cum altera congrediaris, in detestandum adulte-
rij vitium prorues. Quidam dicunt, hanc ceruam charissimam, & gratissimam esse sanctam Eccle-
Ecclesiæ typus cerua.
siam, quæ serpentinam solet odio habere, & conterere doctrinam. Gratissimus hinnulus, populus
est eius virtutum varietate delectabilis, & eadem castæ fidei semper æmulatione succensus; cuius
vberibus inebriamur, cùm vtriusque testamentis scripturis contra hæreticorū fraudes instruimur,
cuius pace, & amore iugiter delectari magna est exercendarum occasio virtutum. Beatus verò
C etiam Augustinus eandem hanc Salomonis sententiam edisserit, enarrans quod dicit Paulus ad
Galatas: *Inuicem onera vestra portate*. Sicut, inquit, de ceruis nonnulli talium cognitionum stu-
Lib. 83. quæstion. 71.
diosi scripserunt, cùm fretum ad insulam transeunt pascuarum gratia, sic se ordinant, vt onera ca-
pitum suorum, quæ gestant in cornibus, super inuicem portent, ita vt posterior super anteriorem
Cerui ut maria tranet, & eius mystica analysis.
ceruice proiecta caput collocet. Et quia necesse est, vnum esse, qui cæteros præcedens non ante
se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur, vt lassatus sui capitis onere, ille qui præce-
dit, post omnes redeat, & ei succedat, cuius ferebat caput, cùm ipse præiret. Ita inuicem onera sua
portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. Istam fortasse ceruorum natu-
ram intenderat Salomon, cùm ait: *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum colloquantur te-
cum*; nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. Assimilatur præterea
ceruo homo, qui peccatorum suorum pænitet apud eundem D. Augustinum citantem hunc psal-
mistæ locum: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te
Deus*: Ceruo, inquit, homo assimilatur: est enim primo animal innoxium, deinde velocissimum,
D tertiò desiderio inardescente siticulosum, serpētes naribus trahit, quos vt vorauerit veneno çstuā-
Ceruo peccator comparatur.
te permotus ad fontem aquarum, quanta potest velocitate, festinat. Amat enim aqua dulci, puris-
simaque satiari. Huius decora comparatio nostrum desiderium ardenter instigat, vt quando ve-
nena antiqui serpentis haurimus, & eius facibus æstuamus, ad fontem diuinæ misericordiæ illicò
festinemus, quatenus quod peccati aduersitate contrahitur, dulcissimi haustus puritate vincatur.
Nec vacat, quod, ad fontes aquarum dixit, non ad aquas. Fons enim aquarum Christus est Do-
minus, vnde omnia fluunt, quæcunque reficiunt. Fluenta enim plerumque siccari possunt, fons
Christus fonti assimilatur.
autem aquarum semper irriguus est, vnde meritò dictum est, ad liquorem sacræ originis festinan-
dum, vbi desiderium nostrum nunquam possit habere ieiunium. Desideremus velut ceruus fon-
tem excepto illo fonte, quem propter remissionem peccatorum desiderant baptizandi &c. Epi-
phanius quoque de ceruo hæc protulit: Ceruus similis est syluestri capreæ. Illius cornua tribus ra-
In physiol. cap. 5.
mis distinguuntur, vt & triplex est eius vitæ reparatio: Viuit enim annos quinquaginta, nemo-
rumque syluas, & montium valles, vt velocissimus cursor contento gradu perlustrat, serpentium-
que cauernas odore indagat, & sicubi serpens delitescit, è vestigio subodoratur, statimque nares
ad limen cauernæ admouet, halitumque trahit: prodiens igitur serpens in fauces cerui, sese inge-
rit, ille obuium deuorat: Qua de causa appellationem sortitus est, videlicet quod eximo serpentes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ad ſe attrahat. Poſtquam autem ſerpentem ex cauerna cepit, illicò ad aquarum fontes decurrit: Quod ſi trium horarum ſpatio aqua ſe explere non poteſt, moritur: ſin autem aquæ potus obtingat ad annos denuò quinquaginta vitam protrahit, vnde propheta Dauid, *ſicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ſic deſiderat anima mea ad te Deus.* Tu igitur ſpiritualis homo tres habes reſtaurationes, baptiſmum ſcilicet incorruptionis, filialis adoptionis gratiam, atque pænitentiam. Si quando ſerpētem, ideſt, peccatum intra cordis receſſus deprehenderis, ad fontes aquarum, hoc eſt, ad ſcripturarum ſcaturigines ſtatim cōfuge: ſanctam videlicet gratiam (quemadmodum prophetæ interpretantur) hauri; nam ſi pænitentiam egeris, ab ea iterum deleto penitus peccato, reparaberis. Hæc Epiphanius, ex quibus, quæ enarrauit de ceruo D. Aſcanius Martinengus Brixianus Canonicus regularis in ſuæ gloſſæ magnæ parte altera, duplicem, inquit, poſſumus contexere contemplationem, allegoricam nempe, ac moralem. Allegorica hæc eſſe poteſt, ceruorum morem eſſe, nemora, ſyluas, montes, valleſque dum perluſtrant, ſerpentium cauernas odore indagare, halituque ipſos trahere, attractos deuorare, velociterque ad fontes percurrere, adeo, vt ſi trium horarum ſpatio ad fluenta non perueniant, mox moriantur: ſin autem aquas hauriant, ad quinquaginta annos vitam protrahant. Tertullianus id ipſum atteſtatur, cùm ait: *Taceo ceruum, quod & ipſe ætatis ſuæ arbiter, ſerpentis paſtus veneno langueſcit in iuuentute.* Gloſſa in pſalmi locum, *ſicut deſiderat ceruus ad fontē aquarum*: Ceruus, ait, ſenio grauis, excreſcentibus pilis, & cornibus, ſerpentem naribus haurit, mox hauſto æſtuat veneno, vnde fontem ad bibendum ardentiſſimè deſiderat, quo poto pilos, & cornua deponit. Cæterùm allegoricè id contemplemur. Ceruus Chriſtus eſt, quin imò ceruа illa matutina in ſcripturis celebrata. Perluſtrauit hic triginta annis mundum, ſerpentis, ideſt, mortis cauernas indagans, & è veſtigio in monte Caluariæ eam ſubodoratus afflatu, nempe ſpiritu eam attraxit cùm inclinato capite emiſit ſpiritum, & proinde deuorauit cùm mortem oppetijt. Sed trium dierum ſpatio ad fontem diuinitatis peruolauit, aquamq; gloriæ hauriens non ad annos quinquaginta vitam traxit, ſed ad immortalitatem, & perennitatem. Ceruus eſt etiam appetitus noſter per ſyluas, nemora, montes, & valles diſcurrens, peccatique voluptates inquirens. Nam benè ſerpens peccati typus eſt, quoniam ipſius ſuggeſtu peccatum ingreſſum eſt in mūdum, afflatu, ingluuie videlicet voluptatis ipſum attraxit. Fontes porrò aquarum ipſa ſunt ſacramenta præcipuè baptiſmus & pænitentia, in quibus hauriuntur gratiæ aquæ. Ad hos cæleſtis aquæ fontes ſi iuuentute, virilitate, vel ſenectute proficiſcetur ceruus noſter, ipſiſque explebitur, vitam iterum viuet ſpiritualem: Sin autem ſerpentis veneno ſeu delicti culpa infectus, tres horas, vitæ nimirum præſentis curricula patietur elabi, in mortem corruet ſempiternam.

Ceruus vt vitam ſuam reparet. *Serpens peccatum.* *Lib. de pallio.* *Ceru⁹ Chriſtus.* *Ceruus affectiones carnales denotat.* *Fontes aquarum qui.*

PROVERBIA.

OΠΟΥ αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι. Vbi cerui cornua abijciūt. Hoc adagio ſignificabant, inquit author Adagiorum, quempiā in negotio difficili verſari. Siquidē cerui cornua depoſituri, ſecedūt in loca aſpera, & inacceſſa (qua de re ſuprà diximus cùm ex alijs, tū Ariſtotele, qui etiā huius prouerbij meminit) Cōueniet in eos, qui à communi hominū conuictu ſeducunt ſeſe, item in locum vehementer abditum, abſtruſumque. Poſtremò quòd innuemus nuſquam inueniri, illic eſſe dicemus, vbi cerui cornua abijciunt, vt quemadmodum ad Græcas Calendas de tempore Suidas, & ab eo mutuatus Apoſtolius hoc prouerbium exponunt, ἐπὶ τῶν ἐρζώδεις τὰς διατριβὰς ποιουμένων. Ἐλάφειος ἀνὴρ, ideſt, *ceruinus vir.* Olim dicebatur formidoloſus & fugæ fidens magis, quàm viribus: Ceruus enim animal curſu perniciſſimum, & in venatu pedibus ſibi quærit ſalutem. Hunc etiam ceruum aliquis prouerbialiter dixerit, & cor cerui habere, & nebridem geſtare. Inter adagia quibus ἀδύνατα, ſiue præpoſterum quid ſignificamus, adnumerandum & illud, quod eſt apud Theocritum in Thyrſide, τοὺς κύνας ὁ ἔλαφος ἕλκει, ideſt, *canes ceruus trahit*: præpoſterum eſt enim, vt ceruus venetur canes: Carmen Theocriti ſic habet:

Δαφνὶς ἐπεὶ θνάσκει, καὶ τὼς κύνας ὁ ἔλαφος ἕλκει. ideſt,
Poſtquam Daphnis obit, ceruus trahat ipſe moloſſos.

Simile quodammodo eſt Ouidij hoc:

Non docet infeſtos currere ceruа canes.

Et ad ἀδύνατα etiam referendum hoc Virgilij:

Ante leues ergo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces.

Prouerbialis itidem allegoria eſt, ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα, ideſt, *hinnulus leonem*, ſubaudiendum, vicitce.

Ceruinus vir. *Cor cerui habere.* *Nebridem geſtare.* *Canes ceru⁹ trahit.* *Eclog. 1.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cepit, aut prouocat, aut id genus aliquid pro ratione fententiæ, quoties præpoftero rerum ordine, qui viribus multo eft interior, prouocat potentiorem. Lucianus de captatore teftamenti, qui iuuenis à fene, captator à captato captus eft. Τȣ̃το ἐκεῖνο τὸ τ̃ παροιμίας, ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα, hoc eft, illud, quod prouerbio dicunt: *hinnulus leonem*. Huc refpexit quifquis fuit, qui fcripfit Megaram Herculis:

Ἤρα τι ἄλγεα πάσχει ἀπείριτα φαίδιμος υἱὸς
Ἀνδρὸς ὑπ' ȣ̓τιδανοῖο, λέων ὥσει ὑπὸ νέβρȣ. ideft,
An quoniam immenfis affligitur inclyta proles
A viro inerte, leonem vt fi hinnulus vrgeat acrem.

Non incominnè trahetur ad id quoque, quod fit, vt longe inferior laceffat potentiorem, aut multis partibus indoctior certet cum eruditiffimo. Γῆρας λέοντος κρεῖσσον Ἀκμαίων νεβρῶν, ideft, *Leo fenex vigente potior hinnulo.* Citatur apud Stobæum ex Hippothoonte poeta. Senectus viri fortis, ac ftrenui præftantior eft iuuenta quorundam ignanorum, & imbecillium iuuenum. Venuftius fiet, fi longulè transferatur: Veluti fi quis ingenium docti fenis, & exercitati, præferat ingenio parum eruditi iuuenis. Dicetur non ineptè in fenectutem crudam, viridemque, animique viribus adhuc pollentem, in quam competet illud Euripidis in Ione:

Leo fenex vigente potior hinnulo.

B

Τὸ τȣ̃ ποδὸς μὲν βραδὺ, τὸ δὲ νȣ̃ ταχύ. ideft,
Tardus quidem pes, animus eft velox tamen.

Eodem pertinet illud eiufdem in Andromacha:

Πολλῶν νέων γὰρ κἂν γέρων εὔψυχος ᾖ
Κρείσσων. ideft,
Gnauus fenex, & iuuenibus compluribus
Præftat.

Apud Ariftophanem fimile in fenfum legitur fic:

Ἐγὼ τὸ ἐμὸν νομίζω γῆρας εἶναι κρεῖττον, ἢ πολλῶν
Κικίννȣς νεανιῶν. ideft,
Meam fenectam præferendam exiftimo
Complurium comis adolefcentium.

C *Ceruus ad fagittam properat*: Rectè conueniet, inquit Polydorus Vergilius, impio fugienti, qui dum fuga falutem quærit, vrgente fato, in fupplicium aliquando incidit. Sed & vnicuique congruet, qui imprudens it fe perditum, aut dolo ducitur in interitum. Tractum à more venandi: folent enim venatores abdere fagittarios in ferarum faltus, atque mox ceruos, ac damas canibus, & clamore agitare, qui in diuerfum fugientes, & plerumque in ipfos fagittarios recta properantes, ab eis configuntur. In hanc quoque fententiam Salamon alibi ait: *Auis feftinat ad laqueum, & nefcit de periculo animæ fuæ agi.* Verùm metaphora in eum fpeciatim eft, qui pergit peccare, animam perditurus.

Ceruus ad fagittã properat.

DENOMIMATA. COGNOMINATA.

D ἘΛΑΦΗΒΟΛΟΣ quamuis exponatur venator, & propriè qui ceruos iaculis, & fagittis figit, vt annotat Euftathius in hoc Homeri loco:

Ὥσπερ λὶς ἠϋγένειος
Ὥς ῥάθ' ὑπὸ σκύμνοις ἐλαφηβόλος ἁρπάσῃ ἀνήρ.

Ἐλαφηβόλος.

Eadem tamen vox in fæminino genere Dianæ fiue epitheton, fiue cognomen eft, quafi in ceruorum venatione, ac nece intenta, dicebaturque etiam elaphebolia, quo nimirum cognomine culta eft à Phocenfibus, qui cùm à Theffalis obfeffi in fumma defperatione victoriam obtinuiffent, anniuerfarium elaphebolia Dianæ inftituerunt, vt Paufanias pluribus recitat. Meminit item elaphiæ Dianæ Strabo, & elaphiæam Dianam à ceruorum venatione appellatam ab Eleis exiftimat Paufanias, traditum tamen ab ipfis etiam effe ait, nutricem fuiffe Dianæ Elaphiũ indigenam mulierem, à qua Deæ fuerit nomen inditum. Et Suidas ellophonon etiam dictam fcribit à ceruorum fcilicet etiam venatione, qui ἔλλοι, quoque nominantur. Elaphis, apud Oppianum in Ixeuticis nomen eft auis, quafi dicas ceruariam, quod pennas pelli ceruinæ fimiles habeat colore nimirum, & maculis. Gefnerus in epitome auium ultimò edita hanc Oppiani elaphin ardeam ftellarem, aut cognatam ei effe conijcit, cùm alioqui prius, vel eãdem, vel cognatam faltem effe cum glottide, feu lingulaca Ariftotelis, quam gallinulis facit congenerem. Elaphin autem ita dictam conijcit, quod pennas varias, & maculofas habeat inftar hinnulorum: nam & lupus ceruarius,

Lib. 8. geog.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

rius, qui & hodie apud Italos, & Gallos nomen retinet ab ijſdem maculis ſic dictus videtur, & in piſcibus in muſtelorum, hoc eſt, galeorum genere, nebrias. Oppianus quidem elaphi pinnas in dorſo ceruinæ pelli colore ſimiles tribuit, & linguam longiſſimam, qua in aquam protenſa ſen-
ſim ad fauces deceptum aliquem piſcem, qui ad conſpectam adnatarit linguam, attrahat: (ad cu-
ius nimirum imitationem piſcatores ad longam arundinem ex pilis equinis lineam ſuſpendunt)
quod ardeolarum ſanè naturam ſapit, ſi tamen hanc ardeam elaphin eſſe dicamus, neceſſe erit
Elaphis. illi vim tribuere in lingua, quam alijs ardeis tribuimus in pedibus, nempe piſces alliciendi. Ne-
Νεβροφό-νος. βροφόνος, ideſt, ceruorum catulos enecans, celebratur inter canes Actæonis ab Ouidio. Ouis vero
Ouis cerua-ria. ceruaria dicebatur, teſte Feſto, quæ pro cerua immolabatur. Alcem Albertus equiceruum appel-
lat. Eſt tamen equiceruus, ſiue hippelaphus ab alce diuerſus, ſed idemnè hippelaphus ſit cũ trage-
Hippela-phus. lapho, hoc eſt, hircoceruo, proprio loco examinabo. Georgius Agricola germanica voce, Geſnero,
licet Germano, ignota, brandhirtz interpretatur. Ceruum volantem Galli vulgo appellant, &
nos etiam inter ſcarabæos maximum, & ramoſis cornibus, quibus ceruum refert, inſignem. Car-
Ceruus vo-lans. danus non inuenuſto vocabulo ſcarabelaphon nuncupat, Nigidius lucanum, Scaliger taurum,
nonnulli ſcarabæum bicornem. Eſt in multis Italiæ locis, vt in Apulia, montibus Anconitanis, &
Scarabela-phus. iuxta Iuſtinopolim ceruona vulgò dictus, quod ceruum colore æmuletur; ſequi ſolet armenta bo-
um, vnde boazzaro vocatur, & tetta vacce, quòd lac è vaccarum vberibus exugat, innoxius eſt, fa-
Ceruona ſer-pens. cilè cicuratur, & Romæ à mulieribus in delitijs habetur: Iſidorus itaque boan vocat his verbis:
„ Boas anguis Italiæ immenſa mole, perſequitur greges armentorum, & bubalos, & plurimo lacte
„ riguis ſe vberibus innectit, & ſugens interimit, atque inde à boum populatione boas nomen acce-
Spina cer-uina. pit. Sic Iſidorus, in eo deceptus, quòd ſugendo interimere armenta exiſtimet. Vocamus itidem
vulgò ſpinam ceruinam fruticem quendam ſpinoſum, cuius granis diuerſo tempore decerptis ad
, diuerſos colores vtuntur: rotunda verò ſunt, myrti ſimilia, initio foris viridia, matura verò foris ni-
gra, intus viridia, ob id colore eo pingentibus idonea: ijs enim aqua diſſolutis, in qua liquatum
alumen ſit, color viridis fit, pictoribus noſtris, aqua verde nuncupatus: ijſdem non maturis in ea-
dem aqua diſſolutis, color luteus; ſucco eius vis ineſt purgatoria, ex quo ſyrupus fit ſolutiuus, qui
quamuis ventriculo non ſit adeo commodus, cùm aqua tamen cinnamomi dilutus, in affectibus
podagricis, vtiliter poteſt exhiberi. Auguſtæ Vindelicorum, teſte Camerario, nominant ſyrupum
familiarem. Quidam rhamni generibus adnumerant, & rhamnum ſolutiuum nuncupant, quos
Rubus cer-uinus. Matthiolus reprehendit; rhamnum tamen à Romanis ſpinam cerualem dici, inter nomenclaturas
apud Dioſcoridem legitur: Vocant præterea in Italia nonnulli ſmylacem aſperam, rubum cerui-
Lib.3.c.24. num, ego neutrius cognomenti rationem reperio. Sylueſtris ſeu montanæ ſambuci quoddam ge-
Sambucus ceruina. nus in opacis, vliginoſiſque ſyluis proueniens Hieronymus Tragus ſambucum ceruinum nuncu-
pat, quod à ceruis magnopere expetatur: illud enim ſe experientia didiciſſe affirmat, ceruum hanc
ſambucum auidiſſimè per ſyluas ſectari, vbi namque locorum duas huiuſmodi ſtirpes proueniſſe
ſenſerit, eò accurrit: quod mirum eſt ſambucus hæc ac vulgaris eoſdem ſitus occupant. His cer-
uus mirificè delectatur, folia vtriuſque non baccas depaſcens, ex quo intelligi poteſt, haſce baccas
frigidioris eſſe temperaturæ. Iam verò quod maiore dignum eſt admiratione, obſeruarunt cer-
Radix cer-uina alba. uum ſolum folijs his veſci, non ceruam, niſi prægnans fuerit, ceruumque in vtero geſtarit: tunc
enim & folia hæc appetit, & illa deguſtat, aliàs nunquam. Superiores Germani vveiſzhirtz vvurtz
appellant, quaſi albam ceruinam radicem, quam Geſnerus, & Fuchſius ſeſeli Aethiopicum vete-
rum eſſe arbitrantur, Matthiolus, & Camerarius ſeſeli Aethiopicum vulgare, Cluſius in Pannoni-
cis ſeſeli Aethiopicum ſecundum, Lobelius libanotidem Theophraſti maiorem, Bauhinus liba-
notidem latifoliam maiorem, Tabernomontanus Libanotidem albam Theophraſti ſecundam: H
Radix cer-uina nigra. radicem habet percraſſam, longam, & amaram, reſinoſamque. Alia minor eſt, radice foris nigra,
ſubdulci, etiam reſinoſa, ſvvartzhirtz vvurtz, ideſt, ceruina radix nigra, nuncupata. Fuchſius ſeſeli
Peloponneſiacũ facit, quod facilius, inquit Geſnerus crederẽ, ſi locis humidis naſceretur, ego ſemper
in ſiccis reperi. Matthiolo eſt daucus ſecundus ſelenoides, & Bauhino daucus montanus apij folio
maior, Geſnero libanotis nigra, & Dodonæo libanotis alterum genus, & Cornario libanotis fe-
cunda fertilis. Cluſio verò ſeſeli ſecundum montanum, vulgò etiam ſaxifragiæ Venetorum nomi-
Elaphobo-ſcum. ne oſtenditur. Elaphoboſcum, quaſi dicas cerui pabulum, ſed cerui ocellum vertunt recentiores,
ſic dictum videtur, quod hanc plantam ceruæ nobis monſtrarint, id quod tradit Plinius his ver-
Lib.25.c.8. bis: *Simplicius* (quam canes herbam qua ſibi ſerpenter medentur) *ceruę monſtrauere elaphoboſcum,*
Lib.22.cap.22. *de qua diximus.* Dixerat autem, vtile eſſe contra ſerpẽtium, omniumque aculeatorum ictus. *Qui-*
pe fama eſt, inquit, *hoc pabulo ceruos reſiſtere ſerpentibus.* Ita & Dioſcorides elaphoboſci, inquit, ſe-
Ophioctonõ. men contra ſerpentium ictus datur in vino: fama eſt, hoc pabulo ceruos ſerpentum morſibus reſi-
ſtere: hinc nimirum etiam ophioctonon, & ophigenium appellari meruit: Inuenio & elaphicum
appel-

A appellari. Apud Hesychium & Varinum ἐλαφοβοσκὸς masculinum, & oxytonum nomen scri-
bitur: Alij elaphoboscum genere neutro proferunt. De hoc veterum elaphobosco quid sit sta-
tuendum in tot recentiorum opinionibus, suo loco indicabo, hoc tantùm hic additurus, Cornariũ
arbitrari eam esse herbã, quam Germanis albam cerui radicem diximus vocari, quoniam hęc ap-
pellatio græcam aliquo modo referat. Est & elaphoscorodi herbæ descriptio apud Dioscoridem, *Elaphosco-*
idest, ceruini allij, quod & ophioscorodon, idest, anguinum vocat. Gesnerus genuinam Dioscori- *rodon.*
dis descriptionem esse negat, & in duobus, quæ habeo, græcis exemplaribus ea vox non legitur:
Potuit tamẽ fortassis hoc allij genus ita vocari, quòd non aliter atque ceruus serpentes interimat,
vt inde etiam ophioscorodon dictũ sit. Est & pulegij genus syluestre satiuo simile, nisi tenuius es- *Pulegiũ cer-*
set, & acutiorib. folijs prodiret, Monspeliensibus ceruinũ cognominatũ, vbi vbiq; obuiũ est, vligi- *uinum.*
nosis potissimùm, & stagnãtibus locis. Vtuntur eo Monspeliẽses medici, ꝙ viribus sit, vt putãt, quã
domesticũ efficacioribus, & probatioribus. Cęterùm vnde ceruinũ cognominetur, obscurũ est, nec
ipsi tradunt, sed fortè inde ortũ est, quòd quidã dictamno, qui pulegiũ etiã syluestre nuncupatur, *Cornu ceruì*
B deuorato ceruo vulneratos sagittas excutere tradunt. Herbariorum vulgus cornu cerui nuncupat. *olus.*
Gallorũ imitatione, quibus corne de cerf, id genus oleris, quod nobis vulgò, herba stella dicitur.
Dioscoridi verò, alijsq; Græcis κορωνόπους, quasi cornicis pedem dicas, folia profert longa, angu-
sta, hirsuta, & in singulis lateribus terna, quaternavè foliola, ita vt integra ramosis cerui cornibus
similia sint. Eisdem Gallis langue de cerf, & Germanis hirtzunge, quasi lingua ceruina vocatur,
vt in officinis etiam, quæ Græcis φυλλίτης, quasi foliosa vocata, vt quæ caulis, floris, seminisque ex-
pers nihil nisi folia, aut foliosus cespes appareat: Officinæ itidem scolopendriam dicunt, sed perpe-
ram. Gesnerus verò etiam filicem fœminam à Romanis linguam ceruinam vocari scribit, à suis ve- *Lingua cer-*
rò hodie hemionitin Dioscoridis, cuius scilicet folia cum lingua ceruina similitudinem obtinent. *uina.*
Elaphine inter nomenclaturas hellebori nigri apud Dioscoridem legitur, & elaphion exponitur
ocymastrum, Hesychius tamen, & Varinus interpretantur κόνιον, idest, cicutam. Trifolium cerui- *Elaphine.*
num suis etiam vocari scribit Gesnerus herbam bicubitalem, aut procerioris locis nascentẽ aquo- *Elaphion.*
sis odoratam, folijs ternis, oblongis, crenatis, vmbella purpurea, &c. quam pleriq; inquit pharma- *Trifolium*
copolæ vulgò hactenus eupatorium vocarunt, Ruellius, eumq; secuti alij hydropiper, Cordus ve- *ceruinum.*
rò cratæogonon, Cæsalpinus Britannicam Dioscoridis esse existimãt, nonnulli, teste Iunio in no-
C mẽclatore, πολύκαρπον, aut πολύκριτον Hippocratis. De fungo ceruino cùm apud nos, & sub hoc
nostro cælo planè sit incognitus, sed peculiariter in Bohemia nascatur, lubet integram ex P. An- *Fungus cer-*
dreæ Matthioli epistola ad Iulium Moderatũ pharmacopęum Ariminensem scripta huic loco in- *uinus.*
serere historiam, & vires. Fungum itaq; hunc tuberum vulgarium modo sub terra nasci affirmant
venatores, vbi ceruino semine in coitu inficitur solum. Id quod plerumq; fieri solet exẽpto è vulua
genitali adhuc seminis aliquid continente, maris impetũ fugiente fęmina. Hunc fortasse inuenire
nemo posset, ni cerui ipsi locũ quodã statuto anni tempore ostẽderent. Scalpiunt.n. naturali quo-
dam instinctu ducti, anterioribus pedibus locum, vbi globosus fungus sub terra delitescit, quod ol-
factu eos percipere affirmant. Spirat enim fungus graui odore præsertim recenter effossus. Qui
secreta hæc norunt venatores, & rustici, qui syluas frequentant, loca diligenter obseruant, cerui-
nis pedibus diducta, effossaque scrobe, fungos eximunt, & pharmacopœis vendunt, qui dissectos
in particulas, & filo traiectos siccant postea in vmbra, seruantque in medicum vsum. His eadẽ fe-
rè facies inest, quam in cæteris spectamus tuberibus, globosa tamen in omnibus, & inæqualis. Ex-
D tima cuticula subnigricat, carnosa verò, & ipsa fungosa substantia albicat. Sunt etiam, qui genus
aliquod reperiri dicant, erectæ virilis mentulæ forma, adeo vt in altera parte detecta glans, in al-
tera globuli quidam testiculos referentes conspiciantur. (talis est fungus ille, quem phallum Ho-
landicum vocant, de quo suo loco, sed hic non sub terra, sed supra terram nascitur, more aliorum
fungorum) Hic fungus in ciborum vsum hactenus non venit, nec eo vescũtur Bohemi, sed eo ijs in *Eius vires.*
medicamentis vtuntur, quæ venerem mouent: siquidem ad hoc plurimum eum valere putant, &
præsertim, qui humani genitalis faciem refert. In quem vsum, sicci puluerem ex vino dulci propi-
nant drachmæ, vel sesquidrachmæ pondere. Lactis vbertatem hunc etiam afferre aiunt ex pty-
sana, vel muliebri lacte potum, sed valentiùs id agere, si longi piperis aliquid addatur. Suffitũ
fœminarum occlusos locos resecare tradunt, & vuluæ strangulatus auertare. Non desunt su-
perstitiosæ mulierculæ, quæ ijs abutuntur in amatorijs poculis, quibusdam prius admurmuratis
incantationibus. Affirmant præterea valere ceruinum fungum ad epota venena ex mero haustũ,
quin etiam ad venenosorum omnium morsum non modò potum, sed etiam illitum. Excalfacere
hunc ex odoris graueolentia quispiam facilè iudicabit. Optarem, vt tam rarum medicamentum
Italiæ hactenus ignotum seri, uel transplantari posset, & inter cætera rara simpiicia, quæ tuo tam
celebri viridario diligenti admodũ cultura alis, hic etiã uiueret fungus &c. Hæc itaq; Matthiolus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Cui tamen non omninò adſtipulatur Thomas Iordanus in ſuo tractatu de peſtilentia, quare tum ob hoc, tum etiam quia antidotum ex eo præſcribit, eius etiam hic verba repetam. Fungum inquit, quem boletum ceruinum vocant, è ſemine eius animalis genitali ortum, à capellis ſcalpendo effoſſa terra deprehenſum magnis exornant elogijs. Sanè reperti ſunt ijs locis, vbi ab hominum memoria nullus viſus eſt ceruus. Ad Trenzinium nobile Vngariæ oppidum circum Carpathi iuga frequentiſſimus montuoſis locis, ſyluis opacis, vbi licet ceruos reperias, non tamen eorum tanta copia, quæ plauſtris fungorum ſatisfaceret, ſiquidem vera cenſenda, quæ de eius generatione ſcribuntur. Inter tubera ſatius fuiſſet collocare, etſi refragari poſſit viroſus odor, qui neq; in tuberibus adeo ſuauis, potiſſimum cùm ambo veneri extimulandæ opitulari dicantur. Ex eo quibuſdam antidotus parantur. Terunt lamellas ſiue bracteas auri plures marmore pluuia aqua priùs madefactas, ceu roris modo aſperſas. Deinde extrahunt ſpiritum vini cum zuccharo candi per tartarum calcinatum. Aurum tritum quintę huius eſſentię vini permiſcetur, & alembico committitur. Eo qui tranſcendit liquore imbutus fungus ceruinus digitis exprimitur, (alij trituratum è mergunt, & torculari exprimunt) rurſus maceratur, denuò exprimitur toties, donec vis vniuerſa è fungo extracta appareat. Eam expreſſionem drachmæ pondere in aqua cardui peſtilentia correptis exhibent. Fecem, ſiue reſidentiam non quidem fungi, ſed tartari quinque granorum pondere aluum mitiſſimè ſoluere dicunt. Hactenus Iordanus. Ceruiſca pirum à Cloatio inter reliqua pirorum genera nominatur apud Macrobium. Feſtus ceruarium venenum vocat, & eo ſagittas perungi ſolitas teſtatur. Martinus Delrius in comm. in Herculem furentem Senecæ interpretatur ſagittariam herbam Hiſpanis nuncupatam yerua baleſtrera, qui ceruis tranſfigendis ea vtuntur: ſicque intelligendum exiſtimat, quod Iulius Scaliger libro 1. commentar. Ariſtotelis de plantis, ſcribit toxico Alpinos, Pyrenæoſque latrones tela inungere. Elaphuſſam à Græcis appellari ſcribit Stephanus, teſte Ortelio, inſulam in mari Adriatico, quæ Brettanis (βρήττανις) & Brettotia (βρεττετία) dicitur. Hæc eſt, quæ vt Hermolaus cenſet, Brattea à Plinio & Antonino dicitur contra Surium ſita, bobus, & capris laudata. Sic ille: Et ceruis fortè etiam, vt inde nominata ſit. Elaphuſa verò eidem Plinio inſula eſt haud procul à Corcyra, & Elaphites inſula maris Adriatici duodecim millibus paſſuum à Melita, inſula ſcilicet finitima Chio, vt idem ait. Eſt & Elaphoneſus Stephano vna Sporadum inſularum vna cum vrbe eiuſdem nominis; dicitur Eunebris, Plinio teſte, item Stephano, necnon etiam Proconneſus, & in Etymologo Adelphoneſus. Βρεντήσιον vrbs ad mare Adriaticum ſic dicta, quoniã ἔχει λιμένας κέρασιν ἐλάφυ παραπλησίυς, i. quòd habeat portus cornu cerui ſimile, nam βρένδον Meſſapij, vt dictũ eſt, vocant τ̃ ἔλαφον, & βρέντιον ipſe τὴν κεφαλὴν τῆς ἐλάφυ, teſte Etymologo, qui tamen prius dixerat denominatam eſſe à Brento Herculis filio, mutuatus eã à Stephano: Sed prius etymum eo confirmari videtur, quod idem Stephanus τὴν βρεντίαν νῆσον (quæ & ipſa ſita eſt in Adriatico mari) à Græcis vocari ſcribat ἐλαφῶσαν, cuius incolas à Polybio βρεττιανὺς nominari ait, ab alijs βρεττίυς, vt à Strabone quoq;. Latini Brentήσιον appellant Brunduſium, βρεντίαν, vel βρεττίαν Brutiam. Brunduſij portus, inquit Strabo, ſua excellentia præſtat, multi enim ore vno includuntur, qui nulla fluctuum agitatione turbantur, cum interni ſinus excipiant, vt forma ipſa cerui cornibus ſimillima ſit, vnde & nomen inditum, locus enim cum vrbe ceruino capiti maximè eſt comparandus, nam lingua Meſſapiorum Brunduſium cerui caput nominatur. Paulò aliter Iſidorus Brunduſium, inquit, dictum eſt græcè quod bronda caput cerui dicatur: Sic eſt enim vt & cornua videantur, & caput, & lingua in poſitione ipſius ciuitatis. Ceruaria locus ad templum Veneris Galliæ Aquitanicæ finis inter Pyrenæi promontoria in ſinu ſalſo ad mediterraneum mare, vt meminit Mela. Nebriſſa fertiliſſima Bæticæ regionis Hiſpaniæ vrbs à pelle ceruini pulli dicta, quæ Græcis νεβρὶς dicitur, Plinius eam Veneream cognominat, hodie Nebrixa vocatur.

Antidotus ex boleto ceruino. — *Ceruiſca.* — *Lib. 3. c. 19.* — *Ceruarium venenum.* — *Elaphuſſa.* — *Elaphuſa.* — *Elaphoneſus.* — *Eunebris.* — Βρεντήσιον. — *Lib. 6.* — *Lib. 15. c. 1.* — *Ceruaria.* — *Lib. 2.* — *Nebriſſa.*

VSVS IN SACRIS.

Lib. 4. carm. od. 6. — *Cerui Dianæ ſacri.*

ERANT cerui olim in Dianæ tutela, Deæ ſcilicet venationis præſidi, Horatius:

Deliæ tutela Deæ fugaces
Lyncas, & ceruos cohibentis arcu
Lesbium ſeruate pedem.

Quare & iugum currus eius ſubijſſe poetæ fingunt. Ouidius:

Tardos luna boues, annoſos Delia ceruos.

Claudianus:

Dixit & extemplo frondoſa fertur ab Alpe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Trans pelagus cerui currum subiere iugales,
Quos decus esse Deæ primi sub lumine cæli
Roscida iucundis concepit luna cauernis.

Sed & capita ceruorũ, aprorumq; eidẽ Deę suspendebantur, venatoria. s. munera, vnde Corydon Virgilianus: *Eclog. 7.*

Setosi caput hoc capri tibi Delia paruus,
Et ramosa Mycon viuacis cornua cerui,
Si proprium hoc fuerit læui de marmore tota
Puniceo stabis suras euincta cothurno.

Vbi quod infra statuam positurum vouet cruribus cothurnatis, ne in eo quidem à venatorum habitu discedit. Sic enim Venus schemate venatorio Aeneæ filio in media sylua se offerens, & Carthaginensem virginem simulans ait: *Lib. 1. Aen.*

Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetram
Purpureoque altè suras vincire cothurno.

Erant autem Romæ multa Dianæ fana: & cùm reliquis ceruorum cornua affigi mos esset; ei, quod
B in Auentino erat, boum cornua affigebantur, cuius rei causam tradidimus ex Plutarcho suo loco. *Gaudet ceruis Diana.*
Gaudere autem Dianam ceruis, & capris meminit sic etiam Homerus: *Odyss. 6.*

Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα,
Ἢ κατὰ τηΰγετον περιμήκετον, ἢ ἐρύμανθον
Τερπομένη κάπροισι, καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι. idest,
Qualis autem Diana incedit per montes sagittis gaudens
Aut per Taygetum arduum, aut Erymanthum
Sese oblectans capris, & velocibus ceruis.

Hinc & ἐλαφοβόλον, & Elaphiæam, & elaphonon dictam suprà diximus. Erant itidem elaphobolia festa, quę celebrabãtur mense Februario ab Atheniẽsibus, qui inde elaphobolion dictus est. Sacrificabantur autẽ in ipsis cerui ipsi Deæ, quod Iphigeniæ exẽplo corroboratur. Qua de re sic Pausanias. Ad Euripi, qua parte is Euboeam à Boeotiorum finibus diuidit, ad Mycalessiæ Ceres dexterã paulo longiùs progressis est aulis. Nuncupatã credunt ab Ogygi filia. Est ibi Dianæ ædes, & duo in ea è candido marmore signa: faces altera præfert, iaculãti est altera similis: ad eius templi
C arã, cũ ex Calchãtis vaticinio essẽt Græci Iphigeniã immolaturi, pro puella ceruã mactandã submisisse Dianã perhibẽt. Historiã siue fabulã de Iphigenia suprà etiã tetigimus, neq; nũc repetijsse nocuerit. Agamemnon vniuersi exercitus declaratus imperator cũ animi gratia venatũ exijsset, in luco vicino ceruũ quendã insignẽ, & notis certis distinctũ, Dianæq; sacrũ interemit: Ob quod facinus irata Dea copias omnes tẽpestate detinet, vt neq; domũ redeundi, neq; quò destinauerant, proficiscẽdi facultas esset. Itaq; consulto numine irã Deæ placari posse vates negauerũt, nisi Agamemnõ loco cerui, interfecti filiã suã Iphigeniã victimam immolaret. Super qua historia consulendus Sophocles, & Euripides. Fiebat autem hæc immolatio in Taurica, vt meminit Ouidius his versibus:

Diana epitheta.
Elaphobolia festa.
„ In Bœot.
4. de tristib. eleg. 4.

Nec procul à nobis locus est vbi Taurica dira
Cæde pharetratæ spargitur ira Deæ.
Nec prius (vt memorant) non inuidiosa nefandis
Nec cupienda bonis regna Thoantis erant.
D
Hic pro supposita virgo Pelopeia cerua,
Sacra Deæ coluit qualiacunque suæ.

Meminit eiusdem sacrificij etiam in fastis: *Fastor. 1.*

Quod semel est triplici pro virgine, cæsa Dianæ,
Nunc quoque pro nulla virgine cerua datur.

Dianæ Laphrię verò apud Patrenses, teste Pausania, magno in ara igne excitato apros, ceruos, & alia animalia viua inijciũt, & sacrata virgo in postremo agmine põpę curru ceruis iũcto inuehitur. Cùm Taygetã Atlantis filiã Iupiter deperiret, in ceruã à Diana permutatã esse aiunt, sicq; Iouis conatũ effugisse, moxq; eius etiã beneficio humanã suam priorẽ formã recepisse. Eã deę gratiã referre cupientẽ, ceruam cornua auro exornata gerentẽ, vt Pindarus habet, cõsecrauisse, hac sentẽtia cornib. inscripta: Ταϋγέτη τάντlω ἀφιεροῖ Ἀρτέμιδι, idest, Taygeta hanc Dianæ dicat. Strabo verò etiam author est, post Colophonen esse Coraciũ montẽ, & insulã Dianæ sacram, in quam ceruas parituras tranare crediderunt. Sed vt ad Elaphebolia reuertamur, Plutarchus in volumine de virtutibus mulierum, Phocenses, tradit, omnium festiuitatum suarum maximam Elaphebolia Mineruæ in hunc vsque diem peragere atq; celebrare, vocemq; esse à feriendis ceruis deductam. Cæterùm mirari subit, cur non etiam Apollini fuerit sacer ceruus, cum multas habeat proprietates soli conuenientes, ideoq; solstitij æstiui symbolum etiam fuerit, sicut ostendit Stephanus Viman-

In Achaic.
Iouis amor in Taygetã elusus.
Taygeta in ceruam mutata.
Lib. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dus Pighius in ſua mythologia in anni partes ex ſymbolis antiqui cuiuſdā toreumatis argentei, q extat apud Reuerendiſſimum Epiſcopum Atrebatēſem: Ceruus, inquit, alto iugo apud Panis laruam inſidens ſolſtitij æſtiui imaginem nobis præbet, quando ſol cancri tropicum occupans toto die quieſcere videtur, viæ reliquū ſibi decliue reſpiciens. Habet enim hoc ex natura ceruus, vt in ipſa perniciſſima fuga ſtationem faciat, & requiem interponat, donec qui ſequitur, appropinquet, tum fugā rurſus arripit. Eſſe autē nondum ætatis perfectæ curta, & non valde ramoſa cornua indicant, vt iuniori laruæ Panicæ aptius accommodaretur, quod cur ita factum fuerit, ſuperiùs inquit declarauimus. Cemadem igitur potiùs appellabimus, quæ proxima adultis ſpecies eſt. Nominat & dorcades τὰ τ ἐλάφου γεννήματα ob acutiem viſus, ὀξυδερκὲς γὰρ τὸ ζῶον ἐςὶ, καὶ εὐόμματον, inquit Varinus. Quapropter nō ineptè ſoli, quē mundi oculū, & luminis fontē nominant philoſophi, poteſt attribui. Noćte enim videre, & apertis oculis dormire dorcades, authores aſſerunt: Deniq; nō ſolùm perſpicere acerrimè, ſed etiam humorem quendam habere intra viſcera, qui caliginem depellit oculorū, tradunt, vt apud Originē legimus in vna ex homilijs, quę extant in cant. canticorū. Porrò ſolis æſtiuo calori rectè ceruū comparaſſe veteres ex varijs, quas habet huic ſideri conuenientes proprietates, animalis naturam indaganti facilè patebit. Viuaciſſimū imprimis eſt; ob idq; ſoli vitæ principia excitanti ſacrū, vt ceruus Apollini, qui ſol eſt exoriens. Mutat annuatim ſemel cornua, & ijs amiſſis ſemet abſcondit, quoad altera renaſci cœperint, velut ſol hyeme à nobis refugere videtur radiorum vigore deſtitutus. (ſimiliter Lunæ ſiue Dianæ ſacer fuerit, nam & hęc ſingulis menſibus cornua amittit, amiſſis latet, renaſcentibus rurſus prodit) Seriatim tranant maria, ac flumina porrecto ordine, & capita cornibus ponderoſa præcedentium imponunt clunibus, & primus defatigatus poſtremum ſe in locū recipit, requiem capiti quærens, atq; ita in orbē redeuntes ſolis reuolutionē ſeriatim dies connectentis imitari videntur. Deniq; quod Panicę libidini, vel ſolis vigori viuifico conuenit: cùm coitum appetit ceruus, calore exaſperatur, & fit ferocior, neq; vna tantùm contentus eſt, ſed mutat ſæpius, & diſcurrens aliam, atq; aliā ſubitò ſupergreditur, ſubigitq; non ſtando, ſed currendo, atq; implet vnus multas breui tēpore. Veluti ſol in continuo motu paſſim, & vbiq; generationē propagat diuerſiſſimiſq; plagis rerū natura ſatisfacit. Huc vſq; Pighius, qui & antè dixerat, hinnulū ſiue ceruam ſemper naſcentium, tum anno exurgente rerū nobis eſſe notam: Ceruam autē huic loco non malè conuenire ob Telephi fabulā, quē à cerua nutritum fingunt poetæ, ſolē orientem nobis deſcribentes, Τήλεφος enim quaſi Τηλεφῶς procul radians lumen eſt, licet, inquit, qui rationem nominis ad hiſtoriam ipſam referunt, vt διὰ τὸ θηλάσαι αὐτὸν ἔλαφον, Telephus ſit nominatus. Auges fertur filius, αὐγὴ ſplendorē ſignificat, & auroram: Cerua, quę eum lactauit, principiū motus vult eſſe, & temporis. Ἔλαφος enim quaſi ἐλαφρὸς agilis, leuis & velox. Suſpicandum itaq; eſt hanc ob cauſam Floridæ incolas ſoli ceruū quotannis conſecrare, cuius conſecrationis ſolemnes ritus leguntur in eo volumine, quo Gallorū, Duce Renato Laudoniero, nauigatio in Americam deſcribitur, in hæc verba: Regis Outina ſubditi ſingulis annis paulò ante ipſorum ver, nempe ſub Februarij finē, maximi quem capere potuerunt, cerui pellem cornua retinentem ſumunt, eā omni ſelectiſſimarum, quæ apud ipſos naſcuntur, ſtirpiū genere impletam denuò conſuunt, cornibus, gutturi, & reliquo corpori ſelectiores fructus in corollas, vel longas tænias nexos appendunt. Ea ſic exornata ad fiſtularum & cantionum harmoniam in amplissimam, & elegantiſſimam planitiē defertur, & altiſsimæ iſtic arbori imponitur, capite & pectore eius ad orientem ſolem obuerſis, ſubinde precibus ad ſolem repetitis, vt in eorū ditione ſimilia, quæ illi oblata ſunt bona renaſci faciat. Rex cum ſuo mago proximus eſt arbori, & verba præit, vulgo, quod longiùs abeſt, reſpondente. Deinde rex, & reliqui ſalutato ſole abeunt, pelle iſtic relicta in ſequentem annum. Singulis annis repetuntur eiuſmodi cerimoniæ. Fuit denique ceruus, ſiue hinnulus, id eſt, ἡ νεβρὸς Baccho ſacer quod vel inde colligas, quod in eius orgijs pellibus ceruinis, quas nebrides vocant, vterentur. Attribuitur autem hoc genus pellis Baccho, eo quod homines ebrij varij, & inconſtantes ſunt, ſicut etiam pelles iſtæ vel propter diuerſum in vnis colorē, vel deniq; quod ebrietas infirmos, & timidos reddat, quemadmodum & νεβρὸς, ſiue ceruus animal imbelle, & ad fugam natum eſt, vt Euſtathius conijcit in comm. Dionyſij Afri, qui Camaritas populos ex Indico bello redeuntem Bacchum excepiſſe tradit, σώματα καὶ νεβρίδας ἐπὶ ςήθεσσι βαλόντες. Et apud eundem Bacchus nuper natus νεβρίδα καὶ τωμαδίω ἐτανυσσεν. ἥγεν ἐξεκρέμασεν, ἐνήψατο. Meminit & Varinus in παρδαλὲη; Φορεῖν δὲ καὶ νεβρίδα, inquit, ῥηθείη ἂν Διονυσιακῶς, ὁ δειλὸς, καὶ μέθυσος, ἤδη καὶ ποικίλος, καὶ παλίμβολος. Ἐπεὶ καὶ ςικτὸν ἡ νεβρὶς. Apud Phornutum, vbi & ipſe meminit his verbis: Τὰς δὲ παρδάλεις ὑποζευγνύασι τῷ Διονύσῳ, καὶ παρακολουθοῦσι, καὶ περίπτεται, καὶ ἢ σαγῶν ἤθοι διὰ τὸ ποικίλον τῆς χροίας, ὡς τὸ (fortè ὡς καὶ) νεβρίδα αὐτὸς περίπτεται Βακχαῖς: verba hæc διὰ τὸ ποικίλον τῆς χροίας, id eſt, propter varietatem coloris, fortè accipi poſſunt, inquit idem Geſnerus, quod ebrij colorem mutent, & alij aliter colorati fiant. Aut

Solſtitij æſtiui typus.

Dorcades ut ſolem referant.

Ceruus ut ſoli comparari poſſit.

Telephi etymon.

Vbi ceruus ſoli conſecretur.

Hinnulus Baccho ſacer, & eius rei variæ rationes.

A Aut dicendum est deesse vocem σαφυλῶν, idest, vuarum; sic enim Eustathius habet in comm. in Dionysium Afrum: Διὰ τὸ τῶν σαφυλῶν πολύχροον. Et alibi: αἱ δὲ διονυσιακαὶ νεβρίδες, τῶν σαφυλῶν ἐν χρόᾳ αἰνίττονται πολυείδειαν. πολύχροοι γὰρ καὶ αἱ νεβρίδες, καὶ ποικίλαι τοῖς σίγμασιν. Hinc νεβρίζειν, idest, hinnuli, vel cerui pellem gestare Etymologo, quo verbo vtitur Demosthenes pro Ctesiphonte tanquam is, qui sacris initiabat, nebridem indutus fuerit, & initiandos eisdẽ pelibus cinxerit, ἐπὶ τῷ νεβρὰς διασπᾶν κατά τινα ἄρρητον λόγον, vt Suidas, & Varinus citant. Ouidius describens ritus, & habitus bacchantium in Prognes fabula etiam meminit, dum canit:

Νεβρίζειν quid.

Metam. 6.
Bacchantiũ ritus.

Tempus erat quo sacra solent trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus, nox conscia sacris
Nocte sonat Rhodope tinnitibus æris acuti,
Nocte sua est egressa domo regina, Deique
Ritibus instruitur, furialiaque accipit arma,
Vite caput tegitur, lateri ceruina sinistro
Vellera dependent, humero leuis incubat hasta, &c.

B Est & nebrites gemma Libero patri sacra à nebridum pellium similitudine, teste Plinio, cuius itẽ gemmæ meminit Orpheus in libro de lapidibus, etsi νευρίτης pro νεβρίτης perperam scribatur:

Lib. 37.
Nebrites gẽma Baccho sacra.

Ἔνθεν ἐγὼν ἐδάλω καὶ Βακχίδα (Βάκχικα) νεβρίταο
Δῶρα λίθῳ βρομίῳ κεχαρισμένα, &c.

Citat & Suidas ex epigrammate quodam pentametrum, quod ad hos Bacchicos ritus refertur.

Κισσωτὴν σέρνοις νεβρίδ᾽ ἐναπτομένην.

VSVS IN CIBIS.

INTER epulas, inquit Iulius Alexandrinus, quæsitus honos & ceruinæ carni. Præstat hinnuli, quanquam & vetustioribus laus, neque tamen vetulis; ætatis longitudo in causa, vt vel in trimatu commendari possint. Diutissimæ enim cùm viuãt,
C prima illis in bimatu adhuc ætas & veluti infantia, quo tempore nondum temperamenti sui siccitatem iustam accepisse videri possunt, minusque ideo, tenerioris, humidiorisque ætatis adminiculo, succi mali, & acceptiores palato sint, minusque ventriculo aduersentur. Tum consistendi ætas longissima, eadem, & deterior crescente semper siccitate, & duritia carnis: vnde concoquendi difficultas, crudi, ac crassi, & improbi succi, melancholicique sanguinis prouentus, paratusque interdum in quartanam incursus: Atque hæc met ipsa reliquis quidem ætatibus mala insunt, at minora tamen semper. Bubulam hæc refert, vt veruecina damarum. Ioannes Bruyerinus etiam ceruinam Gallicæ nobilitati imprimis familiarem esse ait, quippe quæ frequenter ad similitudinem bellicæ disciplinæ in venando se exercet, addit tamen partem præsertim quandam gulæ delitijs seruire, quam Gallis simmerium appellant. Ex hinnulis verò epulas generosas principibus, & potentioribus fieri, carnesque non admodum insalubres, saporeque mirè suaui sentiri. Tradit itidem Isidorus carnes habere teneras, & faciles concoctu propter motus frequentiam: Et si castrentur antequam cornua crescant, carnem meliorem fieri, magisque temperatam in calore, & siccitate. Atqui Galenus cùm dixisset carnem leporum sanguinem qui-
D dem gignere crassiorem, sed melioris succi, quàm bubula, & ouilla, subiungit ceruinam non minus ijs succum vitiosum generare, & concoctu difficilem: Et in libro de curatione affectuum renũ, carnem ceruinam vitari iubet, quippe quæ dura sit, difficilis concoctu, & melancholica: Et rursus in libro de attenuante victus ratione: equorum inquit, & asinorum esum hominibus asininis relinquo: proximi asinis sunt cerui, eoque ab eorum esu est abstinendum. Galenum sequitur Aegineta, duram & difficilem præbere alimoniam, inquiens, & Symeon Sethi, ceruorum carnes, inquit, mali succi sunt, & difficilis concoctionis, & bilem atram gignunt. Oportet autem cauere ab ijs, qui æstate capiuntur, quod videlicet eo tempore viperis, ac serpentibus cerui vescantur, vnde siticulosi fiunt. Hoc suaptè natura norunt, quòd si aquam ante illorum concoctionem hauserint, intereant, propterea sitim tolerant, atq; incenduntur. Ceruorũ igitur carnes eo anni tempore sum ptæ venenosæ sunt, & valdè noxiæ: Et idcirco cauendum ne eis æstate vescamur. Per hyemem verò tutius sumuntur, meliusque concoquuntur propter interiorem caliditatem. Nam si non probè concoquantur, crassum humorem gignunt, iecurque & lienem obstruunt. Quin etiam fertur, si crebrius, & sine modo sumantur, corpus tremulum, & quod non consistat, facere. Tantum ille. Cæterùm quòd ceruorum carnes æstiuo tempore venenosas esse inquit, hoc fortassis in calidioribus regionibus eueniat: nam aliàs eo tempore, ac potissimùm augusto tanquam pinguissimi præ-

Lib. 11. salubr. c. 11.
Caro ceruina, prout ætas variarit, in cibis probatur, vel improbatur.
Lib. 13. cap. 23.
Lib. 3. de al. facult.
Cap. 6.
Cap. 8.
Quando venenosa sit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

feruntur: Quin & Platina ſcribit, æſtate ſuauiores eſſe, ſuntque qui hyeme etiam ſerpentibus, quas ex cauis extrahunt, veſci eos narrent: non probo autem, quod idem Platina parum alere hanc carnem ſcribit, nam ſi bubulæ ferè ſimilis eſt, vt ipſe fatetur, multum potiùs alere dixeris, quod & Celſus teſtatur. Ariſtoteles tempore libidinis vitiari eam, & fœtere ait perinde quaſi hircorum.

Tempore libidinis fœtet.

Iſaacus duram quidem eſſe concoctu, & melancholicam aſſerit, ſed differre ſecundum temperamenta, & ætates animalium: lactentes reliquis præferendos: ſi teneri adhuc caſtrentur, meliores eſſe, & in calore, ſiccitateque remiſſiores. Iulius Alexandrinus excindi de ventre nondum natos, & potentiſſimis principibus maximis in delitijs eſſe, ait, quod maximè miratur cùm mucoris adhuc pleni ſint, & haud dubiè crudioris ſucci certa materia. Caro adultorum ſecundum Rhaſin calida eſt, & lenis, & ſecundum Auicennam prouocat vrinam. Idem Auicenna aſſerit quartanas huius carnis eſu induci. Atqui Plinius quaſdam ſe principes fœminas ſcire teſtatur, omnibus diebus matutinis carnem eam deguſtare ſolitas, & longo æuo caruiſſe febribus, quod ita demum exiſtimant ratum, ſi vulnere vno interierit. Atque hinc forte eſt, quod Blondus dixerit, ſeruare eam hominem à calidis affectibus.

Ceruinæ eſu à febribus præſeruaſſe.

Inuenio fuiſſe nonnullos, qui vitam ſibi longiſſimam polliciti ſunt ex ceruinæ carnis eſu ob tantum videlicet æui, quod animal degit, quos ex eorum numero fuiſſe arbitror, illiuſque conditionis, qui immortalitatem captare auſi perpetuare ſe æuum ſuum poſſe crediderunt, vt nunquam inter homines eſſe deſinerent, vtrique longè ſua opinione falſi; nam, vt hi fruſtra id ſperarunt, ſic & illi, qui de ceruina ſibi blandiuntur, ignorare videri nobis dicemus alimenti naturam, cuius in vno viuacitas tranſire in alium, tot antea immutationibus aliud factũ, nequeat: neque ſpiritus eos procreare, quos in ceruo, temperamenti diuerſitati, quod rei totius τὸ τί ἐ͂ιναι vocauit Ariſtoteles, vitales queat. Quippe nobis id ipſum hoc aliud eſt τὸ ἐ͂ιναι, temperamẽtum aliud, totiuſque ſubſtantiæ natura alia, vt alij quoque glutiuo merito inhæreat calor inſitus noſter. Et iuuari quidem alimentorum vſu ad viuacitatem poſſumus, quod ad hanc rationem attinet, ſi benè concoctibilibus, benèque alibilibus nutriemur, conuenientibus nobis, perdurãtibus, nulla non ex parte laudatis: ſed ſic vt intra deſtinatas nobis vitæ noſtræ metas cõſiſtamus. Etenim nunquam quiſquam toto licet, quo vitam traducturus ſuam ſit, tempore ceruinis carnibus veſcetur tantum modò, hominis tamen exuet temperamentum, vt ceruorum induat: Quamuis aliquando permagnam in eo fieri mutationem fateri neceſſum ſit, ſed ad manifeſtiores qualitates illas primum quatuor tum verò ex parte inſecutas haſce alias quoque aliquas. Vt, quos perpetuò enutritos venenis ferunt, veriſimile eſt, venenoſam ſimul non parum induiſſe naturam: Cæterùm intra naturæ, temperamentique humani conditionem adhuc, quam non omni prorſus ex parte, neque in vniuerſum ſemper ſic venenis repugnare didicimus, quin illorum aliquando naturam ſubeat, vt in quibus ſponte ſua, ex inſigni aliqua humorum malitia, veneni vim generari compertum eſt.

Ceruinæ præparatio varia.

Paſtillus.

Lib. 9. c. 8.

Quod ad apparatum huius carnis attinet Platina anteriorem cerui partem in iuſculo laridario coqui iubet, lumbos verò aſſari: Ex coxis paſtillos, aut pulpamenta fieri, eandemque aſſe & capreoli, ſimiliumque cocturam. Idem in opere de honeſta voluptate; Ex ceruo, inquit, vel capreolo paſtillum ſic facies: In fruſta haud magna carnem concides: vna bullitione cum aqua, & aceto, ſaleque remollitam, ex cacabo eximes, ſineſque in quadra, donec ius exinaniet: piper deinde, & cinnamomum contritum ſimul cum larido tunſo in modum placentæ ſubiges, carnemque additis quibuſdam per longum laridi teſſellis, hoc quaſi foliato inuolues, indeſque circumquaque caryophylli genera: farinam deinde benè excretam ſubiges: ex ſubacta cruſtam groſſiorem vnicuique fruſto circumuolues, in furnoque lento igne optimè coques. Apponi hæc ſtatim conuiuis, vel ſeruari in menſem, aut ſaltem dies quindecim poſſunt. Parum omninò alit, tardè concoquitur, ſtomachum laxat, ſpleneticis, & hepaticis nocet, pectus exaſperat. Plutarchus 3. ſympoſ. quæſt. 10. cùm aprum aut ceruum confectum è longinquo aduehunt venatores, æreum ei clauum tanquam putredinis amuletum infligere tradit.

Lib. 8. c. 2.

Ius in ceruum.

Apicius varium cerui, ideſt, ceruinæ carnis apparatum docet his verbis: *Ius in ceruum*: Teres piper, liguſticum, careum, origanum, apij ſemen, laſeris radicem, fœniculi ſemen: fricabis: ſuffundes liquamen, vinum, paſſum, oleum modicè: cùm ferbuerit amylo obligas, ceruum coctum intro foras, tanges & inferes. In Platycerote ſimiliter, & in omne genus venationis, eadem conditura vteris. Aliter: Ceruum elixabis, & ſubaſſabis: teres piper, liguſticum, careum, apij ſemen, ſuffundes mel, acetum, liquamen, oleum calefactum: amylo obligas, & carnem perfundes.

Ius in ceruo.

Ceruinæ cõditura.

Iura feruẽtia in ceruo.

Ius in ceruo: Piper, liguſticum, cepullam, origanum, nucleos, caryotas: mel, liquamen, ſinape, acetum, oleum. *Ceruinæ conditura*: Piper, cuminum, condimentum, petroſelinum, cæpam, rutam, mentham: mel, liquamen, paſſum, caræ̃num, & oleum modicè: amylo obligas, cùm iam bullijt. *Iura feruentia in ceruo*: Piper, liguſticum, petroſelinum, cuminum, nucleos toſtos, aut amygdala: ſuffundes mel, acetum, vinum, oleum modicè, liquamen, & agitabis embamma. In ceruinam aſſam: Piper, nardoſtachyon, folium, apij ſemen, cæpam aridam, rutam viri-

A viridem: mel, acetum, liquamen: adiectas caryotam, vuam passam, & oleum. Aliter in ceruum assum iura feruentia: Piper, ligusticum, petroselinum, damascena macerata: vinum, mel, acetum, liquamen, oleum modicè: Agitabis porro, & satureia, Hucusque Apicius. Scribit Gesnerus apud suos ex sanguine cerui ius fieri nigrum, quod vulgò piperatum vocant, à colore vt putat, licet absque pipere plerumque paretur. Qui de arte coquinaria germanicè scripserunt, præcipuè Balthasar quidam Dilingensis, ex ceruina, eodem Gesnero teste, pastillos parare docent, nec non pulmonis, & hepatis apparatum, & condimenta. Hepar verò cerui omninò prauum esse, & malè temperatum Vincentius Bellunensis scribit tanquam ex Aristotele, apud quem tamen id me legisse non memini. Apparet verò peculiarem medullæ in cibis vsum fuisse, vt scilicet eius esu ceruinam velocitatem edentes acquirerent: Hac enim Achillem à Chirone nutritum fuisse referunt, nequaquam verò lacte, indeque nominis etymologiam deducunt Etymologus, & Varinus, nimirum διὰ τὸ μὴ θίγειν χείλεσι θηλῆς, ὅ ἐςι τροφῆς, hoc est, quòd labris papillam non attigerit, vbi tamen apud vtrumque legẽdum videtur, διὰ τὸ μὴ θίγειν χείλεσι, θηλῆς ἢ χιλοῦ ὅ ἐςι τροφῆς, hoc est, Achillem dictum esse, vel quod pupillam non attigerit, vel chylum, idest, alimentum, vt commune vo-
B cabulum χιλὸς, ad lactis alimentum infantibus proprium hic contrahatur. Citant autem hoc Euphorionis:

Hepar cerui prauum.
Achilles à quo enutritus, & quib. cibis, eiusq; nominis etymon.

Ἐς φθίλω χιλοῖο κατήιε πάμπαν ἄπαςος
Τοὔνεκα Μυρμηδόνες μιν Ἀχιλλέα φημίξαντο.

Huc referendum illud Tertulliani: Naturam concussit Larissæus heros in virginem mutando, ille ferarum medullis educatus, vnde & nominis consilium, quandoquidem labijs vacuerat ab vberũ gustu: Ille apud rupicem, & syluicolam, & monstrorum eruditorem scrupea schola eruditus. Hinc natum Achilli miram celeritatem tradunt, vt ab Homero dicatur ποδάρκης, καὶ πόδας ὠκὺς: & à Pindaro sine reti, & canibus ceruos assecutus, κτείνων τ' ἐλάφους ἄνευ κυνῶν δολίων θ' ἑρκέων. Sed quod de Achillis nutrimento, & nomine positum, est Gregorius Nazianzenus cõfirmat Achillem dictum, quòd sine cibo fuerit educatus: α priuatiua est, & χιλὸς, cibus, siue pabulum. Sunt tamen qui Achillem (Ἀχιλλέα) sic dictum esse velint, quod alterum labrum combustum haberet, indeque esse hoc Agamestoris.

Lib. de pallio.
Achillis celeritas.
In Nemeis.

C

Ἀχιλλῆα
Πηλεὺς κικλήσκε χείλεος εἵνεκα μιν. idest,
De labro Peleus nominat ipsum Achilem.

Postremò cornua quod mireris iam recenter enata, gulæ portentosa ingenia in ganeam vertere nouerunt, regumque eum cibum haberi, Bruyerinus refert, elixari, & postea in frustula frigi tradens. Quis hoc primùm excogitauit? inquit Iulius Alexandrinus præcitato loco: Quorumnam inuentum hoc? Quæ tanta gulæ libido? Aut quod potiùs tantum, tam salubrium, tam sapidarum rerum aliarum copiam auersantis stomachi fastidium? vt ista expeteret, in quibus nec salubritas vlla, glutinosis, aut terrestribus: & sapor (gustasse namque libuit) qualis fungorum ferè in exciso fœtu: in cornibus, tuberum, sed solutili magis, minusque concreta materia. Mirari hæc liberet, nisi in tanto iam luxu, & portentosæ, flagitiosæque ganeę licentia, nihil iam factum esset nobis reliqui, quod miraremur. Blondus verò ex teneris istiusmodi ceruorum cornibus cibaria parari existimauit, propterea quod possident maximas, & preciosissimas dotes in aconitum, aconiti nomi-
D ne, vt apparet, abusus, & pro quauis venenata herba, vt multi alij per imperitiam solent, accepta.

Cornua recenter enata vt in cibũ delicatorum veniant.

VSVS IN MEDICINA.

PLVRIMA debet medicina ceruo, cùm totus ferè ad antidotos expetatur, & vt ab exterioribus exordiamur, pilo eius vuluas suffiri prodest, teste Plinio; Et Sextus contra aborsum ex pilis ceruinis suffitum fieri iubet, exque eo mulierem sanari profitetur. In secundo euporisticon Galenus vel quisquis ille author est, tradit si pellis cerui, & pedes dextri infigantur portæ, prohibere ingressum cuiuslibet animalis venenosi: sed & apud Plinium legimus in pelle ceruina amuleta multa adalliganda à Magis præcipi, quæ singula, ne vanus, & loquaculus videar, prætereo. Legimus & apud eundem ramenta pellis ceruinæ desecta pumice, & ex aceto trita illini igni sacro. Petrus Aponensis morsum a serpente vlmo mox ligari iubet locum cum corio cerui, deinde imponi theriacam iubet, & eandem bibi. Ad inuoluntarium vrinæ exitum in stratis remedium ex tertio euporisticon Galeni; Alterci succum, aut semen in asinino lacte maceratum corio cerui includito, & dextero femori apponito, miraberis inquit. Aduersus comitiales morbos aliud similiter superstitiosum remedium

Pili.
Cap. 143.
Pellis.
Cap. 257.
Nerui.

exco-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

excogitarunt Magi: Draconis scilicet caudam in pelle dorcadis alligatam ceruinis neruis: Nec E
minus etiam nugax est hoc quod idem recenset Plinius, ceruinis neruis dentes draconum illigati
pedibus caprearum mites præstare dominos, potestatesque exorabiles. Frequentissimus verò &
varius vsus est apud Medicos ceruini cornus. Symeon Sethi frigidum & siccum esse tradit, quod
miteris alioqui cùm, si huiusmodi sit, obstructionibus medeatur, quod idem Symeon profitetur.
Adhæc obstructo etiam spleni conferre ipsum & morbo regio volunt, qui ferè obstructo iecinore
fit. An quia, inquit Gesnerus, vt cinis, & vsta omnia nisi lauentur empyreuma quoddam, & reli-
ctas vi ignis tenues aliquot, calidasque partes sibi retinet: Ablutum verò ijsdē priuatur, nec aliud,
quàm siccum, & emplasticum est? Vsus habet & crudum, & vstum vt in sequentibus apparebit,
vrendi modum docet Dioscorides his verbis: Cerui cornu contusum (sic vertit Ruellius: græcè le-
gitur κοπὲν, idest, in frusta vel assulas sectum, vt Marcellus habet) crudo fictili luto circumlito, &
in furnum indito: vritur donec albescat. Alij id vrunt super prunas & perflāt folle, donec albescat.
Plinius, & Solinus dexterum præferunt, Aristoteles sinistrum, vt suprà indicauimus, circa quam
controuersiam Aemilianus in opere de rumin. scribit in hæc verba: Quod nam verò cerui cornu F
magis salutare sit, dexterum, sinistrumne, haud prorsus compertum videtur, cùm in hoc sibi ipsi
non constet Aristoteles, siquidem lib. 9. histor. cap. 5. dotes omnes sinistro cornu, & lib. de admi-
rand. audition. historia 72. dextero tribuit. Hæ discordantes philosophi authoritates hoc forsitan
pacto conciliari possunt, si eum ibi de maris cornu, hic de fœminæ cornu locutum dixerimus, cu-
ius hæc sunt verba; Ceruas quæ in Epiro oriuntur, dexterum cornu defodere ceu multa præditum
vtilitate aiunt. Plinius priorem Aristotelis authoritatem castigasse visus est sic: *Dexterum cornu*
negant inueniri ceu medicamento aliquo præditum. Quam sanè sententiam ab Aristotele (vt sæpius
solet, præsertim vbi de animalibus disserit) excerpsit, quippe qui in nono historiæ cap. 5. monu-
menti, consignauerat cornu sinistrum compertum à nemine adhuc fertur, occulit enim hoc tan-
quam quodam medicamento præditum. Tantum Aemilianus, cuius conciliatio profectò nulla
esse videtur, cùm ceruas cornutas esse neget Aristoteles, nullaque est authoritas Aristotelis quam
adducit de cerua in Epiro, nā Atticè ἡ ἔλαφος, vt ostēdimus, tā marē, quàm feminam denotat. Mu-
crones etiam efficaciores videntur, vtpotè solidiores. Quæ abiecta in syluis reperiantur, ferè cua-
nida, & nimis leuia sunt, medicamentis inutilia. Vsto hoc cornu serpentes fugari, suprà etiam an-
notauimus, & in tertio euporisticon cap. 149. Galenus istiusmodi recitat remedium: Cornu cer-
uinum vstum, & ex aceto tritum illinito ad serpentium morsus. Aut calami radices, & cicer, &
baccas cupressi, & cornu cerui, combusta omnia, tritaque in vnum misceto, & ex aceto, ac porrò
propinato. Videtur autem priuatim vim habere aduersus rubetam: nam Plinius, *ceruus*, inquit,
dexterum cornu terra obruit contra rubetarum venena necessarium. Cur autem hoc ceruinum
cornu tantopere aduersus venena valeat, tres rationes adducit Cardanus in opere de venenis, vbi
de cura veneni putrefacientis agit, in hæc verba, adducto primùm hoc remedio: In hoc genere est
aqua, & aer terra minor, quæ è cornu ceruino destillantur. Namque cornua cerui tyrocnesticom-
minuta, maximè iuuenum destillantur balneo Mariæ, & vt cinnamomum, exitque aqua minor,
quæ venenum potu auocat; reliquum destillatur in oleum per duplicem ollam sub terra conditā,
quo loca arteriarum inunguntur. Est autem ceruus tota sui natura contrarius omni venenorum
generi: Causam autem demonstrabo, & primùm quòd siccissimum sit omnium sanguineorum
animal, idque tribus certis rationibus constat. Prima, quod omnium animalium maxima pro cor-
poris magnitudine cornua gerat. Quod si de vngifero opponas, (alcen videtur intelligere) ille nō
est animal commune toti orbi, vt cerui, sed neque illius maiora sunt cornua, licet plura, & minus
ramosa, & forsan quod ex eorum genere est. Sed etiam ceruus solida habet, & quæ singulis annis, si
si Aristoteli credimus, mutet. Certè sæpe mutare ostendunt cornua passim inuenta. Nam multi
credunt, non posse tantam molem singulo anno excrescere. Indicio tamen est pro philosopho om-
nis magnitudinis cornua in magnis etiam ceruis inueniri: Sed, vt dixi, creditum est ramis à mu-
tatione annos numerari, vt cùm absoluta fuerint, tunc decidant. Secunda causa est, quod felle ca-
reant, vt idem author est, vnde amarissimum illi intestinum, ait. Et Achainis (genus idest ceruorū
non à regione dictum) in cauda, quare hi venenum in cauda ferre dicti sunt. Atque hi soli, sed non
fel, verùm virus quoddam, & venenum, vt quidam dicunt lethalissimum. Tertia quòd plurimum
se exerceat, atque hæc procul à dubitatione. Quòd si addamus etiam prodita ab alijs, ceruos ede-
re serpentes cauernis spiritu eorum extractos, nil superaddi potest: nam quòd oderint serpentes,
quod e cauernis extrahant, dixit etiam alibi. At quòd edāt, etiam Scribonius author est. Et quod
illis esitatis ad aquas confugiant, ab eodem dictum est. Minus sanè mirum videri poterit, verba
Aristotelis consideranti. Cerui, inquit, à phalangio icti, vel consimili animali, cancros edunt. Er-
go si ita est, primum qui edat carnem ceruorum assiduè, nil mirum sit, si perpetuò febre cariturus
sit.

Lib. 29. c. 4.

Cornu ceruini temperamentum, & eius vsus.

Vrendi modus.

Aristotelis contradictio circa cornu ceruinum.

Lib. 8. c. 32.

Lib. 3. c. 7.

Cur aduersus venena tantopere cōmendetur.

Esse omniū sanguineorū siccissimum ceruum.

A sit, quod etiam Plinius in posteriore loco testatur; sed & si siccitate tanta sunt, diutius viuunt, quàquam de hoc Aristoteles addubitauerit. Quod si siccissimi sunt, & sanguinei, serpentes autem, & insecta siccitate sua venenum fundunt, cùm participent in qualitate, dissideant in materia nobiscum, contrà constabit antipathia primi generis. Quare omnium venenorum ex animalibus certus erit alexipharmacum. Et nō solùm dormire sub eorum pelle, aut cornua exurere, nos tutos ab eiusmodi animalibus præstabit, quod omnes authores fatentur: Sed etiamsi quis carnibus eorum vescatur, tanquam Psyllus, aut Marsus euadet, nec subijcietur periculo putrefacientium venenorum. Et si bibat perpetuò ex vase facto è ceruino cornu. Demum, vt dixi, aqua & oleo illitos quibuslibet venenis ex animalibus, tum etiam putrefacientibus, seu metallica sint, seu plantæ, egregium erunt alexipharmacum. Hæc Cardanus. Est præterea hæc ceruini cornus facultas aduersus venena barbarissimis etiam Floridæ insulę hominibus haud ignota: nam labia infantium suorum perforant, ceruini cornu particulam foramini imponentes, itaque à veneno illæsos fore sibi persuadent. Sextus author est vim habere omnes humores siccandi, indeque natum esse, quod eo in collyrijs ocularibus vtantur medici. Collyrium ex eodem cornu Ioannis Guinterij Andernaci:

Ceruini cornus vsus apud Floridæ incolas.

Vsus in collyrijs.

B Cornu cerui vsti, & eloti, thuris, plumbi vsti, & eloti singulorum drachmæ quatuor, squamæ æris lotæ drachmæ duæ, opij drachma, gummi drachmæ quatuor, ex aqua pluuiali conficiatur collyrium. Vlcera, inquit, & pustulas oculorum sanat, cicatrices exterit. Aliud. Plumbi vsti, & eloti, cornu cerui vsti, & eloti singulorum drachmæ sexdecim, thuris, acaciæ, spodij, singulorum drachmæ octo, amyli drachmæ quatuor, opij, squamæ æris, singulorum drachmæ duæ, croci drachmæ octo, myrrhæ drachmæ quatuor, tragacanthi drachma, gummi, seminis alterci singulorum drachmæ octo: Ex cremore seminis alterci fiat collyrium. Eisdem quibus superius præditum existit. Idem Andernacus oleum è cornibus ceruinis sic componit: Cornua in mense Augusto collecta lima in scobes rediguntur, coquunturque ex aqua, quod satis est, deinde per balneum aqua detrahitur, postea illi eximuntur, laterumque frustulis adiectis ampullæ incuruatę induntur, & ex arena oleū clarissimum euocatur, quod singulari artificio corrigitur. Hæc ille, sed vsum subticens. Sunt qui ceruinum cornu cum oleo rosaceo fronti contritum mederi affirmant capitis dolori ex incerta causa. Orpheus in libro de lapidibus: si oleum cerui cum oleo tritum capiti illinatur caluò etiam pilos producere promittit, versus eius hi sunt:

Oleū ex cornu.

Ad defluuiū capillorum.

C

Αἰεί τοι θέσει λασίην ἐπὶ κράατι λάχνην,
Εἰ καὶ ψεδνοκάρηνος ἔοις, εἰ γάρ μιν ἐλαίῳ
Τριβόμενον τρίβοις κροτάφους πάνθ' ἤματα σεῖο,
Αἱ δὲ νέαι περὶ βρέγμα τεὸν τρίχες ἀνθήσουσι.

Marcellus etiam ad fluentes capillos scobem de cornu ceruino permisceri iubet cum semine myrtinigrę, adiecto butyro, oleoque, & capiti raso densissimè oblini, etiam ex infirmitate fluentes capillos sic efficaciter contineri asserens, & Plinius, si decocto cornus partes foueantur, pilorum eruptionem prohiberi ait his verbis: *Equisspuma illita per dies quadraginta, priusquam primum nascātur pili, restringuuntur, item cornus ceruini decocto, melius si recentia sint cornua.* Idem ad porriginem cinerem eiusdem è viuo prodesse ait, vtque non tædia animalium capillis increscant. Galenus 3. euporiston 278. ramenta huius cornu acerrimo aceto incoquit, vsque dum tertia pars remaneat: Ex eo impetigines illinit. Similiter Sextus combustum cum aceto tritum mirificè sanare prodit. Vlcera cætera (præterquam in tibijs cruribusque) cornus ceruini cinere vel medulla cerui

Ad porriginem.

Ad impetigines.

D explentur, authore Plinio, & purgantur: Idemque cinis ex aqua pustulis illinitur. Idem ait maculas in facie aboleri taurino seuo, vitulinovè felle cum semine cunilæ, ac cinere è cornu ceruino, si canicula exoriente comburatur. Ad lentigines de facie tollendas Marcellus lenticulam cum scobe tenui de cornu ceruino, & seuum ceruinum pariter diuidi iubet, coqui, & teri, atque inde faciē, vel ante horam balnei, vel etiam in balneo frequenter illini, ita vt quasi pro pane molli vtaris, efficacissimum medicamen experieris, inquit, si lenticulę maior pars sit, cornus & seui æqualis mēsura. Sextus etiam combusto hoc cornu in sole faciem illinit, & detersa subinde renouat, hocque in ortu solis faciendum monet, mirèque ita tolli lentigines de facie. Hic & author est combustum ad drachmas tres adiecta spuma argenti duarum drachmarum, & ceroto macerato mixtum, interrigines dolentes mirè sanare. Testatur Marcellus ceruini cornus scrobes limatas, & ex vino pō tuidatas pedunculos in capite, lendesque nasci non sinere. Ad capitis dolorem Sextus cornū ceruini in cinerem redactum, deinde drachmam cum vini cyatho, & aquæ cyathis duobus dat bibere. Sed & cinis fronti illitus ex aceto, vel rosaceo capitis dolores sedare tradunt Plinius, Marcellus, & Galenus. Eodem autem Plinio teste, ceruini cornu nidor comitialem morbum deprehendit. Idem alibi inquit cornibus siue dexteris, siue sinistris accensis odore comitiales morbi deprehenduntur. Et Solinus ait. Vstrina hæc nidore vitiū aperit, ac detegit, si cui inest morbus comitialis:

Advlcera.

Lentigines.

Pediculos.

Comitialem morbum manifestat nidor cornu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Blondus adultis cornibus,& in ramos diffuſis eam facultatem attribuit. Sunt qui aridum hoc me- E
dicamentum comitialibus commendent, quod miſcetur ex viſci quercini vncia vna, mucronum
de cornibus cerui drachmis duabus, & cordis lupini drachma vna, quibus addunt ſcobem tritam
de occipitio cranei humani. Qui poſt ægritudines aliquas, vt lethargum, aut peſtilentiam in
obliuionem inciderunt, eos maximè iuuat, vt ait Aetius, hiera Ruffi: & poſt purgationem hieræ
Ad ſcrophulas. ſcobem dentis elephantis circiter drachmam vnam è mulſa potam non parum iuuare creditur, &
cornu ceruinum ſimiliter. Aduerſus ſcrophulas gutturis quidam ceruinum cornu tritum cũ ſpon-
Ad vlcera oculorum. gijs,in quibus lapides reperiuntur,æquali menſura ex vino aut aqua quotidie manè à ieiunis bibi
iubent: Sic aboleri ſi adhuc increſcant, ſin iam conſtiterint,non augeri. Vlceribus oculorum, &
defluxionibus vſtum, & cadmiæ modo elotum, ſalutare eſſe docet Dioſcorides. Galenus, & Sex-
tus nonnullos tradunt idem vſtum, elotumq; miſcuiſſe collyrijs deſiccãtibus oculorum defluxio-
nes;eſſe enim omnium talium vim exiccatoriam. Sed & Plinio teſtante ceruini cornus cinere, ſca-
Ad polypũ. britias oculorum inungunt, mucrones autem efficaciores putant. Ad polypum ex primo euporiſt.
Pro dẽtium albedine. Galeni 26.cornu cerui vſtum,& ſandaracham naribus inflato. Puluis ad conſeruandam albedinẽ F
dentium;Recipe cornuum cerui vſtorum in olla noua ad cinerem redactorum vnciam vnã ſemis,
maſtices Chiæ vnciam ſemis, ſalis ammoniaci drachmas ſex,miſce. Vſtum præterea, elotumque
Gomphij dẽtis qui. infrictum,dentes,vt Dioſcorides teſtatur,expurgat, crudumque in aceto ferueſactum ſi eo gingi-
uæ colluantur, maxillarũ à dentitione dolorem adimit: græcè legitur παρηγορεῖ γομφιάσεις. Gom-
phij dentes molares ſunt, vt γομφίασις illorum duntaxat dentitionem ſignificet, etſi Marcello in
annotationibus id nõ placeat,omnium ſimpliciter dentium emiſſionem, hoc remedio faciliorem
fieri exiſtimanti, quoniam alij authores in remedijs ex cornu cerui γομφιάσεως non meminerint,
& dentes tantùm mobiles confirmari, & gingiuas flaccidas compeſcere ſcripſerint. Addit inſuper
nouam eſſe hanc vocem, & neſcire ſe an iterum in tota Dioſcoridis opere reperiatur: Adhæc in
Græcorum lexicis γομφιασμὸν exponi ait αἱμωδιασμὸν ὀδόντων, ideſt, ſtuporem dentium. Ruellius
cuius interpretationem retuli,nulla gomphiorum,ideſt, molarium mentione facta, ſimpliciter ma-
xillarium à dentitione dolorem hac collutione adimi ſcribit. Et quanquam γομφίασιν, ita mola-
rium emiſſionem ſonare videtur, vt ὀδοντίασις ſimpliciter, tamen ipſa remedij facultas eiuſmodi
eſt, inquit Geſnerus, vt neque molarium, neque aliorum dentium productioni conueniat, vt quæ G
gingiuas adſtringere, indurareque poſſit, quamobrem vſus eius eſt,cùm dentes confirmare mobi-
les,& gingiuas laxas conſtringere libuerit: cùm illæ mólliri, lenirique opus habeant. Sed neque
ad dentium ſtuporem hoc aut ſimile remedium ab alio authore poſitum reperio, quamquam re-
media aduerſus hunc affectum pleriq; putant non certa qualitate vlla, ſed ex tota ſubſtantia age-
re. Quamobrẽ γομφίασιν, vel γομφιασμὸν, vt Heſychius exponit, accipio συνθλασμὸν, aut συντριμ-
μὸν ὀδόντων, hoc eſt, dentium confractionem, vel contritionem, quæ ſcilicet, vel ictu, vel caſu fit.
Hoc non animaduertiſſe Marcellum Vergilium valde miror, cùm è medio horum verborum di-
ctionem αἱμωδιασμὸν citauerit: ſic enim habet Heſychius γομφιασμὸν, συνθλασμὸν, ἢ συντριμμὸν,
ἢ μωδιασμὸν (coruptè pro αἱμωδιασμὸν) ὀδόντων. Debet autem ὀδόντων ad ſingula præcedentium
referri. Apud Varinum & Suidam dentes anteriores non rectè gomphij vocantur, melius Gaza
apud Ariſtotelem, maxillares, ideſt, molares interpretatur. Videntur autem illi gomphij dicti, q
pluribus quaſi gomphis, ideſt,cuneis,& clauis radicibus nempe ſuis in præſepia ſua (ſic enim Græ-
ci dentium loculamenta vocant) infigantur. Vetus Dioſcoridis interpres apud Serapionem pro
gomphiaſi ſimpliciter dentium dolori exponit. Quod ad medicamenti naturam, id mihi vtile vi-
detur, tum ad dentes ſimpliciter dolentes, tum etiam mobiles,& laxos, ſiue ſimpliciter, ſiue exter- H
nam ob cauſam violentam, vt ictum, & caſum: Ad dentitionem verò, ſiue aliorum, ſiue molarium eſſe
dentium non tantùm inutile, ſed etiam noxium: monent enim Medici non adſtringendam eſſe
gingiuam, ne calloſior reddita naſcituros dentes impediat. Quod cùm ita ſe habeat Hermolaum,
Marcellum, & Ruellium Dioſcoridis interpretes pariter omnes erraſſe fatebimur. Huc vſque Geſ-
Ad dentes confirmandos eorumq; dolorem ſedandum. nerus. Plinius certè dentes mobiles confirmari ſcribit ceruini cornus cinere, doloreſque illorum
mitigare, ſiue infricentur, ſiue colluantur: additq; quoſdam efficaciorem arbitrari ad omnes eoſ-
dem vſus crudi cornus farinam, fierique dentifricia vtroque modo. Galenus 2.euporiſton 12.ſcri-
bit eundem cinerem dentes dealbare, & dolores tollere, cùm prius libro ſcilicet primo cap.58.cer-
ui cornu iuſſiſſet in oxygaro decoqui, ſæpeque eo os ablui: Sed & in opere de ſimplicium medica-
mentorum facultatibus, cornibus cerui, & capræ vſtis, inquit, maximè vtuntur, vt & nos ſæpe vſi
ſumus, tum ad candorem dentium, tum ad contrahendas mollitie fluidas gingiuas: Cæterùm cer-
uinum maximè commendatur ab ijs, qui talia ſcribunt. Et rurſus in opere ad Piſonem cornu cerui
ramentum (ῥίνημα, ideſt ſcobem lima factam) aduſtum & cum vino tritum, deinde circumlitum,
vacillantes dentes confirmare aſſerit: Quod & apud Aeginetam legere eſt. Lego & apud Sextum
cornu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A cornu cerui combustum dentes, qui mouentur confirmare, si eo pro dentifricio quis vtatur. Marcellus cornu id combustum, tritumque cum aceto dentibus appositum prodesse ait, & Albertus, & Rhasis decoctum cum aceto, si eo colluatur os, sedare dicunt dolorem dentium, & consolidare gingiuas. Aiuntque ex puluere eius dentifricium fieri expurgandis dentibus. Sunt qui etiam modum miscendi præscribant huiusmodi, vt aceti sint vnciæ tres, cornu cerui vsti drachmæ duæ, inde collui os iubent. Marcellus verò etiam ramenta eiusdem vel scobem lima factam cum vino vetere ad tertias coqui iubet, & inde assiduè os elui: mirè profuturum roborandis dentibus hoc remedium profitetur. Ad dentes mobiles, & dolentes, & gingiuarum tumorem remedium aliud ex eodem: Accipit cornus ceruini combusti vncias duas, folij scrupulum vnum, salis ammoniaci tantundem, piperis grana nouem, iris Illyricæ scrupulos nouem: ex his puluerem tenuissimum facies, & eo dentes quotidie perfricabis: Si mobiles erunt, & dolebunt, facilè cadent, & si sine dolore validi sunt, confirmabantur, & candidiores, & odoratiores erunt: Melius autem proficient, si in iuncturis, aut radicibus, aut cauaturis eorum de hoc dentifricio aliquid resederit. Meminit denique huius facultatis Serenus poeta, dum canit:

B

Quod verò assumpsit nomen de dente fricando
Ceruino ex cornu cinis est.

Eiusdem cornus exusti cinis in potione datur, authore eodem Marcello empyicis, & hæmoptoicis medetur. Symeon Sethi verò pulmonem vsu eius lędi scribit. Apud Dioscoridem, vbi ait cornus ceruini cinerem elotum excreantibus sanguinem prodesse; Marcellus Vergilius interpres addit, cum tragacanthæ lacryma duorum cochlearium mensura: quod in græco textu non hoc in loco, sed mox in remedio ad dolorem vesicæ subijcitur: nihil tamen periculi fuerit si ad vtrumque affectum tragacantha adijciatur. Galenus vstum, & lotum dysenteriam, & sanguinis excreationē, præterea cœliacos affectus sanare, & aurigini vtile esse vulgò dici ait, præcipi autem ad ista omnia duo cochlearia exhiberi, & apud Plinium habemus sanguinem expuentes eodem cinere sanari. Idem etiam testatur stomachi rheumatismos eodem refici, & regio morbo prodesse dici. Marcellus item ad vomitum nimium reprimendum, sulphuris uiui pusillum, & ramenti de cornu ceruini tantundem in ouo sorbili tritum, & permixtum bibi vtiliter tradit, & Sextus ad morbum regiū, cineris cornu cerui drachmam cum vini cyatho vno, & aquæ duobus propinari iubet, addens mi-

Ad empyema, & hæmoptoisin.

Dysenteriā.

Auriginem.

Vomitu nimium.

C randū esse bonum eius effectum, & Rhasis contra hunc eundem morbum circiter trium aureorum pondere bibi præcipit. Sed at præterea lienem, teste Plinio, in aceto cinis eiusdem. Sextus combustum ex oxymelle potui exhibet, splenemq; siccare, & dolorem tollere testatur. Sed & Galenus in libro de theriaca ad Pisonem cùm scripsisset scobem (ῥίνημα) cornus ceruini vstam, & illitam dentes labantes firmare; addit, idem efficere talum bouis, aiunt. Educit autem & lumbricum rotundum cum melle potus, & cum oxymelli lienem minuit, & vitiliginem albam illitus: denique mediocriter venereus est. Quæ omnia non ad cerui cornu, sed ad talum bouis ab eo referri apparet, quoniam in textu græco καταχριόμενος, & ἀφροδισιαστικὸς masculino genere ponūtur. Sed cùm alij authores easdem vires de cornu ceruino etiam prædicent, aut talum bubulum, & cornu ceruinum ijsdem viribus pollere dicendum monet Gesnerus, aut καταχριόμενον, & ἀφροδισιαστικὸν genere neutro legendū, vt ad cornu cerui tantùm referantur. Cæterùm cùm inter remedia ex boue, Rhasin, etiam, & Halyn Arabicos scriptores, tali bubuli vim aduersus lumbricos, vstilaginem albam, & splenem turgentem ex aceto mulso, valere, denique venerem excitare citatum sit, præstiterit,

Splenicam.

Ad dysentericos.

D inquit, nihil in Galeni lectione mutasse, sed easdem vtrique in plerisque facultates esse putare, etsi vim veneris ciendæ ceruino cornu attribui, nusquam hactenus legerim. Sic ille. Epotus modò idē cinis lotus duorum cochlearium pondere dysentericis, & cœliacis prodest, vt ait Dioscorides, & Galenus, vt citauimus. Et Plinius annotauit eisdem affectibus cinerem huius cornus tribus digitis captum in potione aquæ vtilem esse. Rhasis verò tradit vstum, & potum ad pondus trium aureorum, & semis fluxum sanguinis restringere, qui fit sine putredine, valereque contra vlcera intestinorum, & fluxum ventris antiquum. Ad dysentericos remedium Galeni primò euporiston 112. cochlearum integrarum vstarum vncia vna, cornu cerui vsti vnciæ duę, vniantur succo plantaginis: fabæ magnitudine datur febre carentibus cum vino, cum aqua verò febricitātibus. Aliud ex eodem 2. euporiston 46. cornu ceruinum mollius vstum cum gallæ pari portione in potum dato ad ventris profluuium. Aliud inscriptum ad ventris solutionē Sexti; Cineris cornu cerui drachma ex vini cyatho, & aquæ duobus epota fluxum omnem cohibet, & dolorem sedat. Aliter Marcellus: ceruini cornus, inquit, de radicibus ipsis, quæ capiti hærent, scobes lima tenuissimus factus, & ad drachmę mensuram cum uini austeri cyatho datus, sistit nimios uentris fluores, si vel triduo iugiter bibatur. Ad coli dolorem, inquit idem Marcellus, faciunt quidem mirificè, quæ superiùs posita sunt, sed cætera medicamenta in alijs uitijs dolorem leuant in præsentia, hoc uerò quod di-

Ventris profluuium.

Ad colicam ex cornibus teneris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

cturus ſum ſupra hominis ſpem, conditionemque eſt: Ideo primo tempore ne fidem quidem habet, poſtea à nullo ſatis dignè laudari poteſt: nam & in præſentia dolorem tollit, & in futurum remediat, ne eum vnquam repetat. Rarò enim quis iterum, vel ad ſummum tertiò hoc accepto medicamento vexatas eſt; quamobrem ſi quando repetierit iterum dolor, danda erunt per triduum, & tunc potiones eodem modo, quo prima data fuit. Interdum verò & tertio in dolore eodem genere potiones dabuntur, quod rarò quidem accidet, vt poſt primam potionem dolor redeat; ſed ſi admonente cauſa, iterum, atque iterum data fuerit, in futurum quoque ita remediabit, vt ne ſuſpicio quidem vlla huic vitio relinquatur: Si quando tamen repetierit hoc malum, frigus ex multitudine cibi præcedit, grauitatemque quandam, & torporem eius loci, ideſt, coli, ſed ſiue vllo dolore ſentiendum infert, planè vt tum intelligant, quanto malo caruerint, qui illa moleſtia liberatur. Hoc medicamento primùm muliercula quædam ex Africa veniens multos Romæ remediauit: poſtea nos per magnam curam compoſitione eius accepta, ideſt, pretio dato ei, quod deſiderauerat, qui venditabat, aliquot non humiles, neque ignotos ſanauimus, quorum nomina ſuperuacuum eſt referre.

Remedij deſcriptio.

Conſtat autem remedium ex his rebus: Cerui cornua ſumuntur, dum tenera ſunt, & quaſi in tabulas, vel partes breues, & tenues diuiſa in olla fictili componuntur, & operculo ſuperpoſito, & argilla vndiq; circumdata, fornace, aut furno vruntur, donec in cinerem candidiſſimum redigantur, atque ita trita in vaſe vitreo mundo reponuntur. Cum dolorem coli habebit aliquis antè diem abſtinebitur, quàm poturus eſt, medicamento ab omni cibo, atque ita poſtera die digeſtus, atque ieiunus accipiet ex hoc puluere cornuum exuſtorum cochlearia tria cumulata, ſatis ampla, quibus miſceri debent piperis albi grana nouem trita, & myrrhæ exiguum, quod odorem tantummodò præſtare poſſit. Hæc in vnum commixta in mortario diligenter agitantur, & teruntur: Deinde cochlea vera Africana, ideſt, inde allata ſumitur quàm maculoſiſſima, & viua ſi fieri poteſt, in alio mortario cum ſua teſta contunditur, atque ita teritur, donec nullum veſtigium aut aſpritudo appareat teſtularum: Poſtea vini falerni non ſaccati cyathus adijcitur, & nihilominus rurſus teritur, magis enim tunc apparebunt aſpritudines, ſi quę reſederint, quibus leuatis (fortè pro læuigatis) iterum adijciuntur duo cyathi eiuſdem vini, atque ita cum priore compoſitione benè admiſcentur, poſtea transfunduntur, quæ ſunt in mortario in calycem nouum, qui calyx ſuper aliud vas ponitur ad carbones, & aſſiduè mouetur cochleario liquor, ne quid ſubſidat, aut peruratur. Vbi benè incaluerit, adijciuntur in eũdem calycem de his, quæ ſuprà ſcripta ſunt, cochlearia tria, & rurſus permouetur vniuerſa permixtio. Cùm autem calore ſufficienti temperata erit potio, dabitur epotanda verſus orientem: ſtatim dolor ſine dubitatione ceſſabit: Sed vt penitus aboleatur, dari potionem ſimiliter oportebit per inſequens biduum, ſed quibus hoc remedium dabitur, cibum in prandio tantummodò, aut de tempore in cæna exiguum capient, quò facilè conficiant, ne crudi eam ſumant: poſtea verò in conſuetudinem victus ſui remittentur. Oportebit autē remediatos non intemperanter in futurum vinum bibere: tametſi enim à coli dolore tuti fuerint, metuere nihilominus debent, ne alia parte corporis æquè afficiantur ob intemperãtiam, ob quam vtique colo antè fuerant vexati. Hactenus Marcellus. Lubuit autem hoc remedium recenſere, etſi prolixè nimis expoſitum, propter promiſſi magnitudinem, eoque magis, quia eiuſdem breuis mentio eſt apud Plinium his verbis: *Cornus ceruini teneri cinis, cochleis Africanis cum teſta ſua tuſſis mixtus in vini potione colo magnopere prodeſt.* Aetius etiam inter colicorum pharmaca hoc medicamentum deſcribit ex Aſclepiade his verbis: cerui cornu recens enati adhuc piloſi, tenerrimiq; ac vſti, cochlearia maioris modi tria, piperis albi grana nouem, myrrhæ exiguum ad commendandū odorem. Contere omnia eiſque cochlearum terreſtrium magnarum vnà cum teſtis ſuis, quantum viſum fuerit adijce, omniaque ſimul trita, & vino falerno mari mixto trium cyathorum menſura permixta, & ad mites prunas in vaſe fictili calefacta, ac ſedulò ne quid in fundo reſideat, agitata, præbe bibenda, ita vt nihil reliqui maneat: atque id maximè tempore acceſſionis, & ieiuno adhuc ægro fiat. Deinde verò cibum, qui facilè conficitur, præbe; Atque hoc ex ordine ad dies tres exhibe. His verò qui cochleas ſumere non poſſunt, reliqua præbe ſicca cum vino. Scribonius Largus idem etiam remedium, nulla tamen cochlearum facta mentione, recenſet inquiens: Si iuuenum ceruorum tenerrima cornua, dum adhuc lanuginoſa cuticula cooperiuntur, in taleolas ſcindātur, & fictili nouo diligenter operculato torrefacienda clibano committantur, factus ex ijs puluis addito pipere, & myrrha coli cruciatibus cum vino generoſo mirificè confert.

Lib. 9. c. 31.

Ad lumbricos.

Idem Scribonius aduerſus lumbricos hoc pacto idem cornu exhibet: Cornu cerui, inquit, limatum lima lignaria quātum quatuor, vel quinque cochlearia ex aquæ myxorum coctorum cyathis tribus pridie maceratum, deinde tritum, & datum, aqua exigua adiecta. Galenus verò ad lumbricos ventris, cornu cerui ramenta ex vino vetere potui dare iubet à balneo. Aliqui cornu cerui, & ebur mixta propinant, vt exigātur lumbrici, ſed per ſe idem etiam efficere videtur; nam Plinius: *tinearum*, inquit, *genera* pel-

3. euporiſt. 188.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *pellit ceruini cornus cinis potus*; & Marcellus ait, ceruini cornus combusti cinis tritus ex aqua potus, tineas potenter expellit, & Sextus combustum datum in vino, vel aqua calida lumbricos necat, & eijcit. Aliàs tamen idem Marcellus limatum lignaria lima scobem quantum quatuor, vel quinque cochlearia sint, ex aqua, in qua decoctus fuerit ipse scobes, potum ad cyathos tres, testatur mirificè facere aduersum lumbricos. Rhasis eumque secutus Albertus potum cum modico melle expellere vermes inquiunt. Sunt, qui admiscent cretam, semen sanctum, vitellum assum, & cum melle placentam, siue pastillum conficiunt, vnde modicum exhibent tam pueris, quàm adultis. Ad strangurias præterea in vsu esse, author est Symeon Sethi. Galenus verò etiam ad aquosum ramicem acetum potui dari iubet, & cerui cornu vstum ad cataplasmatis modum imponi. Nonnulli remedijs, quæ ad sanguinis mictum dantur cornu ceruinum admiscent, referente Gesnero, Rhasis tradit vstum, potumque trium aureorum & semis pondere, contra vesicæ dolorem prodesse, additque eodem modo potum humiditates ex vteris manantes cohibere, si mulier profluuio laborans, vstum & mollissimè tritum cum vino bibat, sanatam iri Sextus pollicetur. Galenus verò ad muliebre profluuium cornu cerui vstum per se in potu exhiberi iubet: hinc B apud Plinium vbi ait: *mulierum purgationes adiuuat cornus ceruini cinis potus, item vuluas laborantes illitu quoque*: adiuuare purgationes mulierum, menses promouere, & ciere, interpretari debemus, vt affirmat Gesnerus, sed ego potius abundantes menses, vel pituitosas fluxiones sistere iudico. Mulier si suffocatur à vulua, Sextus ex ceruino cornu puluerem per triduum cum vino exhibet, sed si febricitat in aqua calida, mirabilemque remedij effectum pollicetur. Inest & sanguinem sistendi potestas: Nam præterquam quod Plinius scribit aluum sistere, Dioscorides inassatum sartagine sistere dysenterias, & cœliacorum profluuia testatur. Si cornu ceruinum appenderis bobus, vel equis, nullo prementur morbo, vt Mizaldus ex Absyrto refert: Et Orpheus in libello de lapidibus, citante eodem Mizaldo, cornu ceruinum à sponso gestari præcipit; Sic enim perpetuam ei cum sponsa concordiam futuram pollicetur. Legimus verò etiam apud Rhasim, & Albertum ceruinum sanguinem frixum oleo si fiat ex eo clyster, sanare intestinorum vlcera, & fluxum antiquum remouere. Periti tamen medici in clysteribus non vtuntur, sed bibi, vel illini ad fluxiones sistendas perhibent. Galenus mixtum cum aceto, & inunctum psilothrum esse asserit. In vino potus contra toxica, teste Dioscoride, efficax est. Eodem authore laudatissima etiam C est ceruina medulla. Aetius in pharmaco quodam contra podagram tantundem adipis ceruini substituit: Solinus ait vnguenta ex istiusmodi medullis confecta languentium hominum calores sedare: Albertus immunem conseruare à febribus, quam tamen facultatem ceruinæ carni in cibo sumptæ Plinius attribuit, vt superius retuli. Aesculapio teste, sedat dolores, & Galenus ad Pisonem pharmacum esse scribit paregoricataton idest, mitigando, & leniendo dolores præstantissimum. Serpentes inunctam fugare suprà diximus. Esse testatur Gesnerus, qui ceruinam medullam peculiare faciant remedium perfusis aqua, aliovè liquore feruido. Emollit eadem dura carcinomata foris imposita, vt scribit Symeon Sethi: Idem de adipe eiusdem tradit. Gyraldus verò in sua translatione discutiendi vim etiam ijsdem tribuit, quod in græco codice impresso non legitur. Plinius cùm de tibiarum crurumque vlceribus dixisset, *cætera*, inquit, *cornus ceruini cinere, vel medulla cerui explentur, & purgantur*. Idem ait cotyledonem cum medulla ceruina calefactam impositam fistulis mederi: Et alibi, inquit, *Cotyledon etiam purulentis auribus infunditur, & cum medulla ceruina calefacta*. Idem rursus ad labiorum fissuras hirci seuum efficax esse asserit cũ adipe anserino, ac medulla ceruina, resinaque & calce. Idem remedium apud Sextum paucis tantũmodò immutatis legimus hoc modo: Sepum capreæ, & adipem anserinum, & medullam cerui, & D cæpæ cum resina simul & calce viua, fac vt malagma, mirè sanat labiorum fissuras. Et Plinius rursus: *Seuum vituli cum medulla cerui, & albæ spinæ folijs vnà tritis vlcera oris, & rimas*, inquit, *emendat*. Eandem medullam in aqua calida potui datam ad intestinorum dolorem etsi tormina fuerint, mirè prodesse Sextus tradit. Et Celsus inter alia ad dysenteriã medicamenta, si vetustior morbus est ex inferiorib. partibus infundere iubet medullam ceruinam, vt quæ dolorem leuet, & mitiora vlcera efficiat. Hippocrates in opere de natura mulieb. inter subdititia medicamenta, quę vterum emolliunt, medullam cerui, & adipẽ liquefieri iubet, & in lana apponi: Et in lib. de morb. muliebribus, medicamentum subdititium purgatorium his verbis describit. Medullam anseris, aut cerui magnitudine fabæ affuso vnguento rosaceo, & lacte muliebri terito, velut pharmacum teri solet, & cum hoc os vteri illinito. Galenus itidem ex vitulina, & ceruina medulla pessos componi scribit, qui vteros emolliant, & extrinsecus medicamẽta vteris imponi, quæ ex medulla pręparantur, vim habentia emolliendi: Accipi autem non solùm veram medullam ex ossibus. Ioãnes Agricola mensibus euocãdis pessum ex medulla ceruina cõmendat: huius medullæ, inquit, drachmas duas, aut tres muliercuIæ ratione habita, inuolue sindone munda, & si licet de filo appende.

Ad strangurias.

3. euporist. 159.

Ad aquosum ramicem.

Ad profluuium muliebre.

2. euporist. 73.

Ad præfocationem.

2. euporist. 85.

Ceruinæ medullæ vsus varij.

11. simp. c. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Curandum est tamen, vt reliqua satis respondeant, corporis videlicet præparatio,& habitus con-
stitutio,victus,& ætas,nec ita multùm post sequetur mensium eruptio. Hoc nouum experimentum
vocat,cuius admirandæ facultatis,inquit,non reddidit nos certiores scriptorum quispiã. Repetit
hoc secretũ in suis memorabilib. Antonius Mizaldus;Si medullę ceruinę,inquit,drachmę duę,vel
Centur. 6. aphor. 96. tres pro corporis & ætatis modulo includantur in linteolo mũdo, & raro, postea pudẽdo muliebri
inserantur filo extra pendente, vt retrahi possint, mensium suppressionem emendabunt, ac solitos
effluuij riuulos aperient,modò tunc se offerat opportunũ,ac statũ purgationis tẽpus,& præparatũ
fuerit corpus, imperataq; victus ratio idonea. Res multis experimentis confirmata. Magnus itidẽ
seui ceruini vsus est: quod quomodo odoramentis imbui debet,aliàs ex Dioscoride dictum est,&
Seui ceruini variæ dotes. quomodo etiam simpliciter sit curandum,alibi etiam ex eodem ostendimus. Perunctos eo serpen-
tes fugere ex eodem Dioscoride,& Plinio etiam est ostensum. Aetius in pharmaco quodã contra
podagram pro ceruina medulla tantundẽ adipis ceruini inijci posse monuit. Medicamentorũ au-
tẽ mollientium nullo est inferior,teste Galeno in opere de comp.medic.secundum genera. Rhasis
ait calefacere,& lenire,& ex Symeone Sethi paulo antè dicebamus hoc eodẽ pingui,nec non me-
dulla,dura emolliri carcinomata. Nigrandis capillis infectio optima,ex hirundinum stercore pa-
ratur,vt in earum historia recitauimus:Oportet autẽ,inquit Marcellus,seuo ceruino priùs faciem
perungere,ne quid ex medicamẽto destillans eã cõmaculet. Vsum autem huius seui ad lentigines
faciei memorauimus etiam inter remedia ex cornu. Idem Marcellus picẽ præcoquam,siue quam
viscosam vocant, & rubricã Scythicam, quã alij pissasphalton,inquit,vocant,cum seui ceruini re-
missi cyatho vno,& lactis bubuli,vel ouilli pari mensura,si quis iam periclitanti phthisico in potu,
vel in cibo quotidie dederit, mirè ei subuenire asserit. Et Absyrtus quoq; ad tussim equorũ ex fri-
gida causa,remedia præscribens,post purgationẽ,& suffitum,in vino dulci liquari iubet adipẽ cer-
uinum, aut ouillum cum cera,& lingua apprehensa infundere. Cùm verò equi sanguinẽ per vrinã
reddunt, Anatolius lomentum purgatum coctum, & adipem ceruinum vino pauco misceri,& tri-
duo per os infundi iubet. Idem seuũ combustũ simul cum ostrea testa commixtum,& factum qua-
si malagma,Sextus si pernionibus imponatur,mirè sanarę pollicetur. Hippocrates in libro de mor-
bis mulieb. vteris exulceratis ceruinum adipem recentem, ac viridem subdit: & alibi in eodem li-
bro, mulieri vt vterus purgetur, allium & nitrum rubrum,& ficum paribus portionibus melle ad-
Cerebri vsus. mixto subdit,& vbi amouerit cerui adipẽ apponit,in vino liquefactum. Cerebrũ Albertus & Rha-
sis prodesse attestantur cõtra dolorẽ coxarum,& laterum,& in restituenda fractura,quam etiam,
Pulmonis. inquiunt,mitigat. Albertus insuper addit valere contra pulsum cordis,quod improbat Gesnerus,
qui etiam cerebrum pro medulla ipsos accipere admonet. Pulmo huius animãtis clauos,& rimas,
callique vitia sanat,teste Plinio, similiter vt fimum suis recens illitum,ac tertia die solutum: Mar-
cellus verò pulmonem ceruinum impositum , & sæpe renouatum ex calceamento læsos pedes si-
ne dolore persanare asserit,leporinum tamen pulmonem impositum multo efficacius curare. Cę-
terùm apud Plinium quidem statim à ceruini pulmonis mentione remedium ad calceamentorũ
attritus subijcitur, vnde forsan deceptum esse Marcellum Gesnerus conijcit. Quod autẽ ceruino
pulmoni apud Plinium nihil cùm attritibus calceamẽtorum sit,inde,inquit,constat, quia Plinius
hoc obseruat,vt morbos,& affectiones priùs, remedia posteriùs nominet, ijs quidem in locis, vbi
remedia secundum affectionum genera partitur,nec qua possit oriri confusio. Hæc de Pliniana le-
ctione:nam quod ad naturam remedij,hoc est ipsum cerui pulmonem,an ad alterum affectũ ma-
gis conueniat , an æquè ad vtrumque,experturis iudicandum relinquit,quãquam inter tam mul-
ta,& obuia remedia horum vitiorum neminem cerui pulmone opus habere putat. Idem Plinius
eundem pulmonem cum gula sua arefactum in fumo , dein tusum cum melle quotidiano eclig-
mate tussim testatur sanare:efficaciorem esse ad id subulonem ceruorum generis. Et alibi: *Sunt,* in-
quit, *qui cerui pulmonẽ phthisico profuisse scripserint, maximè subulonis, siccatum in fumo, tritumque*
in vino. Repetit & hoc remedium Marcellus his verbis: Cerui pulmones cum suis gurgulionibus,
virgulis tensos in fumo, donec arescant, suspende, & ex his aliquid contusum, tritumq; diligenter
adiecto melle, ecligmatis modo phthisico dato, quẽ sanari citissimè voles. Sed & Galen. ad phthi-
2. euporist. 27. sin non perfectam sanandam, hoc recitat remediũ, pulmo cerui calamo extractus,& arefactus cõ-
teratur:& cochlearia eius tria ex mellis cyathis tribus exhibeantur, deinde paucis diebus interpo-
Genitalis vis. sitis iterum propinetur. Testatur denique Marcellus cinerem pulmonis cerui in olla fictili exusti,
multis ad suspiriũ,& dyspnœam profuisse. Genitale cerui tritum , & in vino potũ à vipera demor-
sis auxiliũ habemus apud Dioscoridem; quẽ locum annotans Marcellus Virgilius, certius, inquit,
remedium, quàm Dioscorides, Paulus Aegineta docuit: siccari enim priùs, tum teri, sicque cum vi-
no bibi genitale id cerui iussit, additq; misceri remedijs, quæ ad viperarum morsus componuntur.
Equidem etiam Symeon Sethi, desiccatum, & lima in scobem redactum cum vino potum morsi-
bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A bus viperæ succurrere asserit. Similiter etiam Sextus, naturæ cerui siccatæ, inquit, & corrasæ si drachmam vnam in sorbitione oui potaueris omnis morsus serpentis apud te innocuus fiet, & idem potus, viperarum morsus efficacissimè curat. Si quis idem genitale vstum, & tritum cum vino illinat testibus, & pudendo animalis admissarij, vehementiùs ipsum, teste Xenophonte, reddet ad coitum. Idem alibi in eodem opere geoponicorum græcorum ex Quintilijs refertur his verbis: Quòd si tauri ad coitus torpescant, genitale ceruinum vrens, & conterens, & læuigans vino, pudendum tauri, atq; testiculos vngito, confestimque vel ad insaniam vsque pruriet in venerem: Quod quidem haud in tauris duntaxat, sed etiam in animalibus cæteris, in ipsoque hominum genere similiter possit vsu venire. Soluit autem pruritum illum exorbitantem oleum inunctum. In græcis quidem pro genitali primo loco κέρκον legitur, secundo οὐρὰν, quæ licet caudam quidem propriè significent, hic tamen pro genitali, siue pudendo maris accipiūtur, vt Græci etiam Grammatici exponunt in lexicis. Sic quoque Horatius caudam pro virga virilis membri, vt Acron interpretatur, accepit, vbi scribit:

In geopon. græc. 19. 5.
1. Serm.

B

quin etiam illud
Accidit, vt quidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferro.

Eadem vis ad libidinem excitandam testibus: nam Sextus, ceruini testiculi, inquit, sicci aliquam partem potato, concubitum excitat, & fit cum voluptate veneris. Valet præterea genitale aridum contra difficultatem mingendi, aut colicam, vt Rhasis, & Albertus tradunt, monentes insuper bibi aquam solummodò in qua ablutum fuerit. Magi, vt author est Plinius, partus contineri promittunt, si mulieri candida à pectore hyænæ caro, & pili septem, & genitale cerui illigentur dorcadis pelli, & collo suspendantur. Idem testes cerui inueteratos, vel genitale maris, salutariter dari in vino, item ventres, qui centipelliones vocantur, aduersus serpentium morsus. Creditur & medica vis inesse inuolucro fœtus, sed ceruæ id statim à partu deuorant, teste Aristotele, nec fieri potest, vt id accipias. Ossium ceruinorum, aut bubulorum ex suris recentium, & , vt probè conteri queant, vstorum drachmæ quinquaginta, adijciūtur ab Aetio in antidoto Philagrij aduersus podagram, monet tamen, sine ossibus eandem antidotum parari: Ossium, inquit, substantia facultatem habet consumendi, & resiccandi, adeo vt è etiam sola, & assiduè, & opportunè exhibita C inueteratum articularem morbum curet. Vt verò ne quid ex humoribus resiccetur, ac lapidescat, incurabileque aut ægrè medicabile reddatur, tempore præseruationis eam minimè miscebimus, sed postea si ita videbitur: consumit enim, & resiccat humores in ipsis articulorum iuncturis relictos. Recipiuntur hæc eadem ossa vsta apud eundem in antidotum Iuliani ad calculum, & comitiales. Ad ventris profluuium Galenus ceruorum ossa contusa ventri illini iubet. Sextus verò patellam ceruinam, hoc est genuinum, si tecum habeas, negat surgere inguina, & quæ antè surrexerunt, eadem tacta redire. De osse cordis cerui, nec non de bezoartico lapide, suprà abundè dictum est. De ipso verò corde legimus apud Galenum in euporistis istiusmodi remedium. Cor cum pelle, & cornu cerui combure, & ex oleo vulnus inunge. Tradūt, teste Plinio, ceruas cùm senserint se grauidas lapillum deuorare, quē in excrementis repertū, aut in vulua (nā & ibi inquit inuenitur) custodire partus adalligatum. Inueniuntur & officula in corde, & in vulua perquam vtilia grauidis, parturientibusque. Meminit eiusdem lapidis, eorundemque officulorum etiam Sextus his verbis: Lapis qui in vulua, aut in ventriculò cerui inuenitur phylacterium est prægnanti, & perficit, vt partum perferat, eoque ratio colligit velocissimum esse illud animal, nec tamen aborsum facere. Simili ratione osicula inueniuntur in corde cerui, aut in vulua eius, quæ idem præ D stant. Idem, vt mulier non concipiat, eadem ossa in brachio suspensa efficere attestatur. Habet coagulum etiam suum in medicina vsum. Id in hinnulo laudatissimum esse testatur Aristoteles. Dioscorides verò leporinū præferēs huic tamē coagula hædi, agni, hinnuli, dorcadis, platycerotis, dorci & cerui pares vires habere scribit, & Plinius coagulum hinnuli, leporis, hędi laudatū quidem esse ait, præcipuū tamen esse dasypodis. Idē ait contra serpentium morsus præcipuū remediū esse ex coagulo hinnuli in vtero occisi; quod aliàs etiā repetit, & Solinus eius simia, sed vniuersaliter vim ad venenū quodlibet transferēs: Aduersus venena mirificū est, inquit, hinnuli coagulum occisi in matris vtero. Legas & apud eundē Plinium coagulū cerui ex aceto potum ab ictu serpentium iuuare, & si omninò tractatum sit, eò die non ferire serpentem. Damacrates apud Galenum vtiliter bibendum dari, author est, morso à cane rabido. Haly præterea etiam contra cicutæ, & fungorum esum. Iam verò Marcellus in potione solutum vtiliter ait bibi ab empyicis, vel hæmoptoicis; & Plinius ex aceto sanguinem sistere profitetur. Et Galenus etiam leporis, aut hinnuli coagulum ex vino potum, nec non immissum, cum oryzæ cremore cœliacos, & dysentericos iuuare asserit. Prodest præterea, authore Plinio, decoctum cum lente, betaq; atque ita in cibo sumptum intesti-

9. hist. 5.
Ossium facultas.
Lib. 12. cap. 47.
Euporist. 2. cap. 42.
Lib. 2. cap. 184.
Cordis.
Lapilli in quibus cerui partibus inueniantur, eorumq; efficacia.
Coagulum ad quæ mala proficiat.
Lib. 2. de antidot.
1. euporist. 113.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

 A

norum magnopere vitijs, Dioſcorides deniq; teſtatur hinnuli coagulum priuatim triduo à purga-
Fimus. tionibus admotũ, ſpem partus intercipere. Fimi ceruini maximè ſubulonis cinis cochlearium triũ
Vrina. in mulſi hemina hydropicis auxiliatur, vt Ariſtoteles tradit: vrina verò ſplenis dolorẽ ſanat, teſte
Venenũ in cauda cerui quale, quæ ſymptomata inducat, & eius curatio. Haly, ventriculoq; & inteſtinis inflatis prodeſt, auribus item inſtillata medetur earum vlceribus. Extrema pars caudæ cerui venenum continet, vt inter cæteros ſcribit Auicenna, quod potum vehementem ait inducere anguſtiam, ſyncopen, & mortem; curandi verò rationem eſſe, vomitu excitato cum butyro, oleo ſeſamino, & anetho: poſt vomitum exhibere oportere medicamentum ex auellanis, & piſtacijs cum lycio miſtis. Ferdinandus Ponzettus ſcribit, humorem aduſtum in caudam cerui tranſmitti, ne inficiatur reliquum corpus: ſumptum in cibo hoc venenum, triſtitiam, & mœrorem inducere, & reliqua, vt ſuprà: addit tamen antidotum eſſe oculum cerui, vel eiuſdem, vel alterius. Matthiolus venenum iſtud viridis, aut flaui coloris eſſe ſcribit (vnde veriſimile eſt nõ aliam quàm fellis eam eſſe ſubſtantiam: Ceruis quidem Achainis cognomine fel contineri in cauda creditur: Eſt autem illud colore quidem ſimile felli, non æquè tamen, vt fel, humidum, ſed lieni ſimile parte interiore vt Ariſtoteles teſtatum reliquit) venenum planè ſæuiſſimum: quod in cibo, potuve ſumptum intolerabilem corporis anguſtiam, ſyncopẽ, & alia ſymptomata afferat, quę napellus excitare ſolet: auxilium eſſe ſi poſt vomitum, ex butyri potu dimidius triti ſmaragdi ſcrupulus cum vino bibatur, piſtacia & auellanæ edantur: Poſtea verò corpus vniuerſum perfricetur cũ oleo ex ſemine citri, & theriacæ drachmæ duæ propinentur. Eadẽ etiã ſcribit Petrus Aponẽſis. B

VSVS ALII.

Pellium ceruinarum vſus. EX corio ceruino, inquit Blondus, fiunt tegumenta hominum, & rerum multarum operimenta: Teſtatur verò etiam Geſnerus has ceruinas pelles à ſuis parari, vel cũ pilis, illas præſertim quæ elegantiores, & maculoſæ ſunt, vt puluinis ſedilium inducantur: vel pilis demptis ad caligas, femoralia, chirothecas &c. Hoc eodem corio Minerua deformatura Vlyſſem ne cognoſceretur à ſuis, cum induit, vnde vile C
Odyſſ. V. olim fuiſſe indumentum conieceris: Verba poetæ ſunt:

Ἀμφὶ δέ μιν μέγα δέρμα ταχείης ἕσσ' ἐλάφοιο
Ψιλόν. δῶκε δέ οἱ σκῆπτρον καὶ ἀεικέα πήρην. ideſt,
Circum autem ipſum magnam pellem velocis induit cerui
Nudam: dedit autem ei virgam, & deformem baculum.

Orat. I. Sed & Plutarchus in volumine de fortitudine Alexandri, ſcribit, eos qui feras venantur, pellibus
3. de arte aman. ſe ceruorum amicire. Ex medulla cerui medicamen faciei fieri ſolere diſcimus ex hoc Ouidij:

Nec coram miſtas ceruæ ſumpſiſſe medullas,
Nec coram dentes perfricuiſſe probem.

Sed & cornibus ad fucandã faciam vti ſolere mulierculas meminit in libro de medicamine faciei:

Et quæ prima cadent viuaci cornua ceruo
Contere: in hæc ſolida ſexta face aſſis eat.

12. Metam. Idem præterea docete videtur in bello cornuum fuiſſe vſum, dum canit:
Cornuum vſus pro armis.

Non impunè feres teli modò copia detur, D
Dixerat Exadius, telique habet inſtar in alta
Quæ fuerant pinu votiui cornua cerui:
Figitur hinc duplici Gryneus ſua lumina ramo,
Eruiturque oculos, quorum pars cornibus hæret,
Pars fluit in barbam concretaque ſanguine pendet.

Oſſium vſus in tibijs. Inuenio cerui, aut leporis pedes, ſi circa fulcra lecti alligentur iuxta dorſum, quo te reclines, non
Lib. 5. c. 7. de vita Apoll. ſinere naſci cimices. Ex oſſibus ceruinis olim fiebant tibiæ admodum canoræ, quod meminit inter alios Philoſtratus de Canio tibicine loquens, taleſque eſſe tibias Canadum Indiæ populorum teſtatur Theuetus. Hiſce tibijs cum cacto ſpina maximum eſſe diſſidium ſupra, vbi de antipathia
Lib. 2. Americ. annotauimus. Earundem tibiarum vſus etiam apud Thebanos erat, quod tradit Pollux nulla facta oſſium mentione his verbis: Θήριος αὐλός: Θηβαῖοι μὲν αὐλὸν ἐκ νεβρῶν κώλων εἰργάσαντο· χαλκήλατος δὲ ἦν ἔξωθεν ὄψιν: ideſt, ferina tibia quam Thebani ex hinnuli membris compegerunt,
Lib. 9. c. 7. ſed huius exterior pars ære inducta erat. Cælius græcam vocem ſeruans tibiam theriam vocat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

C

DE CERVO PALMATO. Caput XXVIII.

D IXIMVS ex Iulio Capitolino Gordiani syluam memorabilem pictam in domo rostrata Cn. Pompeij inter alias picturas ceruos continuisse 200. palmatos: Hosq; Gesnero primùm visos eosdem cum dorcadibus platycerotis. Ceterùm cùm postmodum Ioannes Caius medicus Britannus hæc illi cornua, quorum iconem hic exprimimus ex Britannia misisset, mutata sententia doctissimo illi medico, qui ceruum palmatum reuera esse iudicabat, quod & mihi videtur, assensit: Nam cùm cornua hęc, aut ęquent, aut etiam superent, & longitudine, & crassitudine ceruinum, consonum est corpus animalis cerui potius, quàm platycerotis simile esse. *In Gord. I.*

D

DE TRAGELAPHO. CAP. XXIX.

T ΡΑΓΕ΄ΛΑΦΟΣ, quasi hirci ceruum dicas, inde nomen accepisse videtur, quod animal sit hirco, & ceruo simile, seu cerui & hirci figuram mixtam habens: Equidem Plinius cùm de ceruis tractasset, caput insequens sic orditur: *Eadem est specie, barba tantùm, & armorum villo distans, quem tragelaphum vocant non alibi, quàm iuxta Phasim amnem nascens*. Eadem legas apud Solinum in fine capitis 22. sed

Etymum. *Lib. 8. c. 32.* *Forma.* *Locus.* *Lib 3.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

quamuis vterque ſcribat iuxta Phaſim amnim tantummodo naſci, legimus tamen apud Diodo- E
Lib. 3. rum Siculum etiam naſci in Arabia. Raph. Volaterranus eũdem eſſe arbitratur cum hippelapho
Hippelaph⁹. memorato ab Ariſtotele, cuius iudicium ſequitur etiam Geſnerus inquiens, cerui ſimilitudinem
vtroſque in hoc animali vidiſſe, tum qui tragelaphum, tum qui hippelaphum nominaruut, ſed
Equiceru⁹. hi, inquit, propter iubam, equiceruum (ſic apud Ariſtotelem aliquando transfert Theodorus) di-
Hircoceru⁹. cere maluerunt, illi propter barbam ſimul & cornua hircoceruum. Nec mihi differre videtur, vter-
que enim peregrinum facit animal, (etſi de loco diſcrepent) eademque ei tribuit, barbam nempe,
armos villoſos, & cerui ſimilitudinem, tum magnitudinẽ corporis, tum quod fæmina in eo genere
Forma. cornibus caret. Hippardium, & hippetaphus, inquit philoſophus, tenuiſſimo iubæ ordine à capite
ad ſummos armos crineſcunt. Proprium hippelapho villus, qui eius gutturi modo barbæ depen-
det. Gerit cornua vtrumque, excepta fęmina hippelaphi: & pedes habet biſulcos. Magnitudo hip-
pelaphi nõ diſſidet à ceruo. Gignitur apud Arachotas; & alibi; hippelaphus ſatis iubę ſummis cõ-
tinet armis, qui à forma equi, & cerui, quam habet compoſitam, nomen accepit, quaſi equiceruus
dici meruiſſet. Et rurſus: Equiceruo cornua ſunt capræ proxima. Mirum itaque cur Albertus ra- F
moſa, & ceruini ſimilia cornua tribuat; mirum etiam quomodo Volaterranus tanquam ex Ælia-
no tragelaphum cætera ceruo ſimilem eſſe dicat, barba tantùm, & armorum villo hirco propiorẽ.
Exerc. 207. Mirum denique cur doctiſſimus Scaliger hippelaphi cornua non deſcripſiſſe Ariſtotelem dicat, in
deſcriptione eiuſdem: Nec tragelaphus, inquit fabula eſt, quippe hircus facie, & cornibus, ceruus
magnitudine, pilo, cauda, clunibus. Pectus villorum frequentia tectum, vt & hinc hircus ſit quaſi
in eos abierit aruncus. Si philoſophus ſui hippelaphi cornua deſcriberet; intelligeremus an idem
eſſet cum tragelapho, aut tarando. Cùm verò propter raritatem natiuique ſoli diſtantiam vix co-
gnitum ſit animal, nonnullis tragelaphus nominatur de re, quæ nulla ſit, nec vſquam in rerum na-

turæ

A tura reperiatur, vt Stephanus citat, & Etymologus. Figuram hanc ad viuum expressam vir doctissimus,& egregius poeta Georgius Fabritius Gesnero transmisit ex Misena Germaniæ vnà cum literis, quibus hæc continentur: De ceruorum generibus, quæ ex venatoribus didici, quamuis infirma authoritate vulgi scilicet nituntur, tamen vt tuæ voluntati videar satisfecisse, adscribã. Tria igitur dicunt esse ceruorum genera, non singulari quidem naturæ discrimine, sed aliquo tamen nominis, formæ, virium. *Ceruorum tria genera.* Primum illud notum omnibus, quod diligenter Aristoteles & Plinius descripserunt. Alterum ignotius, quod græco nomine tragelaphus dicitur priore maius, (vnde forsan hippelaphon dixerit Aristoteles videlicet à magnitudine, vt inter herbas hipposelinum) pinguius, tum pilo densius, & colore nigrius: vnde Germanis à semiusti ligni colore brandhirtz nominatur. Hoc in Torantinis, & Konigsteinianis Misenæ saltibus, Bohemiæ vicinis capitur. Vulgus venatorum ait nomen reperisse à locis, in quibus carbones fiunt, quod ea frequentet, & herbis ibidem renascentibus libenter pascatur. Hoc verum sit, an ex errore, ac opinione propter nomen fabella nata, in medio relinquo: Certè vulpes etiam villi densioris, & nigricantis à colore eodẽ modo brandfuchse nominãtur, quos in arcis illis carbonarijs versari non est vero simile. Tertium ge-
B nus, quod reliquorum ceruorum more non amittit cornua: hoc castratis accidere ait Plinius, sed & vitio accidere affirmant, qui feras apud nos consectantur. Ceruo enim fuga, sitique fesso, & flumini se committenti, in ipsoque anhelitu auidius bibenti, pinguedinem, qua abundat resolui, & diffundi aiunt, ex eoque aut mori eum, aut superstes si sit, cornua ei nunquam decidere, idque fieri eo maximè tempore, quo ardentissimè fœminam appetit. Hoc genus cerui proprio nomine ein kummerer appellant. Hæc G. Fabritius, qui simul etiã præstantissimi, & eruditissimi viri Georgij Agricolæ Kempnitij consulis literas ad me misit, quibus ille suam de tragelapho sententiam, quam meo nomine Fabritius petiuerat, hiscè verbis exponit: Tragelaphus ex hirco, & ceruo nomen inuenit; nam hirci quidem instar videtur esse barbatus, quod ei villi nigri sint in gutture, & in armis longi: Cerui verò gerit speciem, eo tamen multo est crassior, & robustior: Ceruinus etiã ipsi color insidet, sed nonnihil nigrescens, vnde nomen Germanicum traxit, veruntamen suprema dorsi pars cinerea est, ventris subnigra, non vt cerui candida, atque illius villi circa genitalia nigerrimi sunt: Cæteris non differunt. Vterque est in nostris syluis, quanquam plures tragelaphi in his, quæ finitimæ sunt Bohemicis, quàm in alijs reperiuntur. Quare Plinius haud rectè scripsit tra-
C gelaphum non alibi, quàm iuxta Phasim amnem nasci. Hæc Agricola. Ego, inquit Gesnerus, huius animantis cornua, quæ ciuis quidam nostræ ciuitatis tanquam valde rara asseruat, diligenter inspexi, cùm de ceruo scriberem, vbi descriptionem eorum apposui his verbis: Obseruaui etiam in consummati cerui (nam quod genus cerui hoc esset adhuc ignorabam) cornibus mucrones, siue ramulos supremos, qui bini alioqui plerumque, aut terni spectantur, septenos. Et eodem in loco stipitis latitudinem sex digitorum: Inferius autem erant, & alij bini rami & adminicula. Inquirẽt studiosi an hoc ceruorum genus à specie cornuum, quæ in suprema sui parte tanquam palmæ in digitos findũtur palmatum latinè dici rectè possit: Nam ceruos palmatos Capitolinus memorat. In Anglia ceruos nigricantes reperiri audio, qui an ijdem sint cum illo, cuius effigiem posuimus non sum adhuc certus. Hæc itaque omnia ex paralipomenis Gesneri. Athenæus tragelaphos pocula quædam dicta Alexidis, & Eubuli testimonijs comprobat, qui simpliciter inter pocula hoc nomen posuerunt. *Lib. 11. cap. 18.* Tertiò Menandri, apud quem τραγέλαφοι λαβρώνιοι leguntur: Quartò Antiphanis, qui diuitem quendam præter alia possidere scribit, phialas, triremes, tragelaphos, carche-
D sia, ampla nimirum, & pretiosa pocula. Forsan inde sortita fuerint id nomen, quòd tragelaphi figuram, vel repræsentarent aliquo modo, vel insculptam ferrent. Apud Bartholomæum Anglicũ aliud ab hoc animali simile tamen pygargus vocatur ex glossa in deuteron. 14. pygargus, inquit, *Pygargus.* animal est cornutum, & barbatum hirci instar, minus ceruo, maius hirco, simile hirco ceruo, sed longè minus.

DE TARANDO. CAP. XXX.

HESYCHIVS & Varinus tarandum interpretantur animal simile ceruo, ex cuius pellibus apud Scythas Χιτῶνες, idest, thoraces fiunt. Stephanus item in Γελωνὸν, & Eustathius in Dionysium Afrum, scribunt apud Budinos Sarmatiæ populos tarandum nasci animal admirabile, magnitudine bouis, facie ceruum repræsentans: difficile captu propter mutationem pilorum, quos pro loci colore immutat, vt Chamæleon etiam, & Polypus. Barbari quidam authores pro tarando corruptè parandrum, *Parandrus.* & pyradum, teste Gesnero, scribunt, aliqui etiam tanquam diminutiua voce tarandulum, quod, *Pyradus.*

in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

inquit, ridiculum eſt, cùm animal boui ſimile fateantur. Quidam adhuc abſurdius faciunt cùm tarandum à tarandulo diſtinguunt. Apud Heſychium, & Varinum ξάνδαρος exponitur animal ſimile boui iuxta Atlanticum mare. Sed & vox omnino videtur corrupta à tarando; nec obſtat inquit Geſnerus, quod tarandi nomen apud eoſdem ſuo loco legatur, nam & alia huiuſmodi errata in ipſorum lexicis deprehendimus. Dicat aliquis Xarandum à tarando diuerſum eſſe, quoniam ad Atlanticum mare naſcatur, quod de tarando à nemine memoriæ proditum ſit. Reſpondeo tarandum in Scythia naſci, quæ Aſiæ, & Europæ partim maritimas ad Oceanum regiones complectatur: Atlanticum mare autem dici, non ſolùm occiduum illud, & Africani partem Oceani, ſed

Atlanticum mare.

vniuerſum etiam Oceanum apud veteres, vt apparet ex his verbis Ariſtotelis in philoſophiæ ad Alexandrum compendio: Πέλαγος δέ τὸ μὲν ἔξω τ̃ οἰκυμένης Ἀτλαντικὸν καλεῖται, καὶ ὁ Ὠκεανὸς περιῤῥέων ἡμᾶς. Hoc eſt, vt Guilhelmus Budæus tranſtulit: Porrò autem pelagus, quod extra orbem nobis habitatum fuſum eſt, & Atlanticum dicitur, & Oceanus à quo ipſi circumluimur. Pli-

Deſcriptio.

nius hoc animal pulcherrimè delineauit his verbis: *Tarando magnitudo, quæ boui, caput maius ceruino, nec abſimile, cornua ramoſa, vngula bifida, villus magnitudine vrſorum. Sed cùm libuit ſui coloris eſſe aſini ſimilis eſt. Tergori tanta duritia, vt thoraces ex eo faciant. Colorem omnium arborem, fruticum, florum, locorumque reddit metuens, in quibus latet, ideoque raro capitur. Mirum eſſet habitum corpore,* (ideſt, cute) *tam multiplicem dari, mirabilius & villo*. Et paulò antè: *Mutat colores,* inquit, *Scytharum tarandus, nec aliud ex ijs, quæ pilo veſtiuntur, niſi in Indis lycaon, cui iubata traditur ceruix*. Habere magnam admirationem in hoc animali coloris immutationem ſic oſtendit Aelianus: Ruborem, pallorem, liuorem, homini, & beſtijs cutem mollem habentibus, & minimè villoſis, accidere, nihil mirum: tarando verò animali, cui eſt tergus impenetrabile, & villus vrſorũ magnitudine, admirabile videri debet: ſeipſum enim cum villis ſuis hic vertit, milleque colorum ſpecies cum ſummo videntium ſtupore reddit. Scythicum animal eſt, dorſo, & magnitudine tauro ſimile, eius corium ne ſpiculo quidem penetrari poteſt. Cæterùm Solinus cùm lycaonem di-

Cap. 33. polyhiſt.

xiſſet Aethiopia mitti ſubdit, *mittit, & tarandum*, cuius erroris occaſionem præter oſcitantiam, & negligentiam ipſius nullam video, cùm Plinius dilucidè Scytharum, ideſt Scythicum tarãdum appellet: Lycaonem verò non in Aethiopia, vt ipſe Solinus, ſed in Indis naſci ibidem ſcribit. *Hunc* tarandum, addit Solinus, *affirmant habitum metu vertere, & cùm delitescat, fieri ſimilem cuicumque proxima uerit, ſiue illa ſaxo alba ſit, ſeu fruteto virens, ſiue quam aliam præferat qualitatem. Faciunt hoc idem in mari polypi, in terra chamæleontes. Sed & polypus, & chamæleon glabra ſunt, & pronius eſt cutis lauitate ſpeculi modo proximantia æmulari: In hoc nouum eſt, ac ſingulare, hirſutiæ*

Quomodo colore mutet.

pili colorum vices facere. Meminere eiuſdem colorum mutationis Ariſtoteles in opere de admir. auſcult. & Theophraſtus in fragmento de ijs, quæ colorem mutant, vt citat Iacobus Dalechampius in comment. ad nouiſſima Plinij verba. Cauſam huius mutationis tradũt eſſe, quod pili eius, vel cutis potius ſpeculi naturæ ſit aſſimilis: vnde ſpecies circumſtantium rerum per aerem diffuſæ, & ad huius generis animalia terminata reddunt eis talem colorem, qualis earum rerum fuerit,

Tarandus qui ſit.

quibus proximant. Quis ſit modò reuera iſte tarandus, non facilè licet iudicare. Ioannes Agricola Ammonius, tarandulum (ſic loquitur) interpretatur germanicè elend. Quam ſententiam improbat Geſnerus, docẽs Germanorum elend alcem eſſe; Georgius verò Agricola vir & doctrina, & iudicio ſummus, tarandum interpretatur reen, (quo nomine, vt in ſequenti capite apparebit, Septentrionales rangiferum intelligunt) rangiferum cum tarãdo eundem eſſe exiſtimans. Quam quoque opinionem Geſnerus in cap. de tarando, modeſtè ſic refutare conatur: quanquam pleraque, inquit, tarando, & rangifero noſtro eadem ſint, libet tamen ab eo (Georg. Agricola) diſſentire, non certè doctiſſimum virum reprehendendi animo, ſed vt hominibus ſtudioſis diligentiùs inquirendi occaſionem præbeam. Tarandum igitur eſſe exiſtimo feram illam, quam Poloni tur, vel

Turo Polonorum.

thuronem appellant. Inuenitur in vna tantùm parte regni Polonici in ducatu Mazouiæ, inter Oſzczke, & Garuolijn: maior boue manſueto, minor vro, ore diſſimilis vtrique, præacutis in fine cornibus, perniciſſimo curſu, & valde robuſta. Deſcriptionem hanc nobis communicauit nobilitate, doctrina, & omni virtutum genere vir ornatiſſimus Florianus Suſliga Rolꝫ à Varshauia Polonus. Hęc fera ſi iubata eſſet, quod nondum certò ſcio, biſonti deſcriberem: nam recentiores quidam thuronem Polonorum, Zubronis, ideſt vri ſpeciem faciunt. Cæterùm vt tarandum credam, plura concurrunt, primum magnitudo, & ſpecies bouis, ſed caput & os abſimile, deinde quod bos ſyluestrium rariſſima eſt, & in Sarmatia capitur vicina Gelonis, apud quos tarandum reperiri legimus: Accedit etiam nominis affinitas, nam in barbarorum quorundam recentiorum libris, daran huius bouis nomen legitur, quamuis alij duran, vel durau ſcribant, & bona ſon interpretetur. Vnum eſt, quod obijci poteſt, cornua thuroni non eſſe ramoſa, qualia Plinius ſuo tribuit tarando. Reſpondeo, videri mihi veteres tarandum, vel cum alce, vel cum rangifero fortè confudiſſe: Nam &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A &alce, & rangifer ramosa prætendunt cornua. Describunt autem alcen quoque veterum alij aliter: quod in adeo perigrinis animalibus mirum non est: cùm ea ferè soleamus, vt ex diuersis auditu accepimus, describere. Hæc si cui non satisfaciunt, vel tarandum pro rangifero accipiat, vt Georgius Agricola, & ante ipsum Elicta Anglus, quibus cum de hac re ego non contenderim; aut si quid melius inuenerit, in commune proferat. Hoc addam pro corollario ex Plinij descriptione tarandum animal inter ceruum, bouemque medium videri posse: cerui enim cornua, & metum habet, cætera ferè bouis. Thuronem sanè taurum non meticulosum, sed taurorum omnium, præsertim syluestrium instar, animosum esse crediderim. Iam quod Pliinus scribit caput ei maius cer-

B

C

D

uino

uino eſſe, & magnitudinem bouis, rangifero ſatis conuenit, quoniam in vniuerſum multo maior ceruo eſſe fertur. Capiuntur etiam apud Gelonos, aut vicinos populos: Quidam etiam aſininum ei tribuunt: præterea biſulcos eſſe conſtat. Hæc tam multa cùm cõueniant ſi de coloris etiam mutatione certior fiam, ſine cunctatione rangiferum pro tarando accipiam, & Polonicum thuronem biſontibus adiungam. Nam quod de corio fertur, vſum eius eſſe ad thoraces, vt quod ferrum non facilè tranſmittat, nihil impediet, pleraſque enim magnas feras in regionibus frigidis huiuſmodi pelles habere crediderim, quales etiam alces habent, quæ ad hunc vſum in Germania communiores ſunt. Omninò quidem maiora minoribus, fera domeſticis, & in frigidis regionum quàm calidis animalia pelles craſsiores, ſolidioreſque gerunt. Sed rangiferi hiſtoriam integram in R, litera dabimus, in præſentia ſatisfuerit, mihi non tam diſſentiẽdo, quàm dubitando de eruditorum quorundam interpretatione, vel ipſos, vel alios ad thuronis ſimul, & rangiferi hiſtorias maiore ſtudio inueſtigandas excitaſſe, & ſcepticorum inſtar in vtramque partem rationes attuliſſe. Hæc itaque omnia Geſnerus incertus opinionis ſuæ. In capite verò de rangifero Georgio Agricolæ ſubſcribẽs

Geſneri alia opinio.

rangiferum cum tarando eundem iudicat. Et rurſus in appendice quadrupedum viuiparorum: tarandi, inquit, eiuſque cornuum falſam imaginationem, tabulæ regionum Septẽtrionalium Olai Magni imitatione decepti poſuimus in libro de hiſtoria quadrupedum viuiparorum pag. 950. rangiferi nomine. Dubitabam enim adhuc an tarandus idem rangifero eſſet, quod doctiſsimo viro Georgio Agricolæ videtur, cui ego nunc magis aſſentior, etſi tunc quoque non omninò negaui, ſed dubitatione aliqua motus, quę de tarando veteres ſcripſere, in boum ſylueſtrium hiſtoria conſcripſi pagina 156. & rurſus ſeorſim, quæ de rangifero recentiores pag. 950. quo loco (ſequente mox pagina) poſitum à nobis cornu tarandi, ſiue rangiferi non eſſe, nunc certò ſcio, tum enim dubitabam; Cuius verò animantis id ſit, niſi alces eſt (quãquam differt ab eo cornu alces, quod aliàs ab amico quodã ad me miſſum in alces hiſtoria poſui) ignorare me ingenuè fateor. Id verò quod in pręſentia damus animal (eſt autem cuius hic icon exprimitur) à clariſsimo viro Valentino Grauio ad nos miſſum, tarandum, ſiue rangiferum ad viuum expreſſum eſſe non dubito. Nam cornuũ quoque omninò ſimilium effigiem doctiſsimus vir Benedictus Martinus Bernenſis qualia Bernę in curia ſpectãtur, nuper miſit. His addam, quę de hoc animãte Georgius Fabricius ad me ſcripſit.

Tarandi icõ vera ſecundum Geſnerum.

Tarandus, inquit, quem populi Septentrionales ſua lingua rehenſchier nominant, formam cerui habet, ſed corpus robuſtius: colorem ſecundum anni tempus mutat, etiam pro locorum, in quibus vixerit, varietate, vt author admirãdorum ſcribit, ſiue Ariſtoteles ille ſit, ſeu Trophilus. Arborum autem, & locorum, & rerum, quas attigerit vniuerſarum colorem imitari, nobis adhuc compertũ non eſt. Eum autem quod anni temporibus mutet, inde colligitur, quod alij colore aſini, alij cerui eſſe dicant. Pectus toroſum, & villis albis, prominentibuſque denſum, atque rigidum, crura piloſa, bifidæ concauęque vngulæ, & mobiles, in curſu enim eas explicat. Ipſe ad celeritatem expeditiſsimus, ita vt & ſummas niues calcet non impreſsis altè veſtigijs, & pernicitate inſidiã in valibus animalia effugiat. Cornua geſtat prææalta, quæ ſtatim à fronte ramis duobus latis mucronatur, quaſi in digitos: In medio ramulus veluti internodium interiectus, inde rurſus in ramos latos, digitorum expanſorum ſpecie mucronatos exeunt. Cornua ſunt alba, venuliſque longis diſtincta, differunt ab alces cornibus altitudine, à cerui latitudine, ab vtriſque colore, & ramorum multitudine, quamuis aliter ſcribat Zieglerus Landauus. Currendo ea in tergum demittit: nam ſtanti frontem penè inferiores rami tegunt. His inferioribus concreta frigoribus flumina ad potum capiendum rumpere fertur. Syluarum fructibus, & arborum muſco veſcitur. Latibula ſtruit in montibus Septentrionalibus, & in Moſibergum alioſque montes Nort Vvegiæ intentioribus frigoribus procedit. Capitur ab hominibus ad vſus domeſticos: nam ad conficienda itinera domatur à curſoribus, ad opera ruſtica ab agricolis. Infeſtatur ad prædam è multis animantibus. Caro enim

Caro qualis.

tarandi è ferinis illorum locorum optima, & delicatiſſima. In primis autem infeſtos habet lupũ, gulonẽ, & quod propter horrorẽ vlulatus vulgò feldgeſchrei ab Olao propter feritatẽ grimbklaw appellatur. Hoc animal ad prædam exit gregatim lupo minus, maius uulpe, pilis nigris, maximè ferum, & tarando præ cæteris inimicum. Sigiſmundus Liber, qui de rebus Moſcoiticis ſcripſit, ait apud Lappos ceruorum eſſe greges, ut apud nos boum, qui Nort Vvegiorum lingua reen nocentur, noſtratibuſque ceruis eſſe aliquanto maiores: ijs Lappos uti equorum, iumentorumque uice hoc modo: Vehiculo in ſcaphæ piſcatoriæ formam facto ceruos iungunt, in quo homo, ne citatiore animalis curſu excidat, pedibus alligatur. Lorum quo id gubernat, ſiniſtra tenet, dextra baculum, quo uehiculi, ſi quam fortè in partem plus æquo uergat, caſum, euerſionemque ſuſtinet. Tali curriculo ſe uiginti milliaria uno die confeciſſe ait, ceruumque dimiſſum ad conſueta ſtabula nullo duce rediſſe. In hanc ferè ſententiam ille. Animal hoc natura congregabile, & ſocietatis

Mores.

eſt amans, nam armenta mille tarandorum in uaſtis illis ſyluis ſimul conſpici ferunt. Quod fieri

posse

A posse, etiā vox psalmi 50. testatur, in quo Asaphi ore loquitur Deus: *Omnes bestiæ terræ meæ sunt, & armenta montium, in quibus numero millenario congregantur*. Fæmellæ in hoc genere ramis carent, & lactis abundantia gentem colunt. Tarandos in Nortvvegia reperiri mercatores asserunt, in Suecia superiore Olaus Magnus (ego tarandi nomen apud Olaum non inuenio, sed rangiferi tantùm, vt modò patebit:) In Lapponia Sigismundus Liber: (sed nec hic tarandi meminit) In Polonia interdum Agricola Ammonius. Superioribus annis bini cum frenis, sellis, & phaleris Augustam Vindelicorum dicuntur adducti. Hæc diuersis temporibus, ex Alenpeciorum Fribergensium (qui illis in locis negotiantur) relatione, & ex adductis authoribus scripsit ad me vir humanitate, & integritate præstans Valentinus Grauius, qui quoniam reipublicæ negotijs atque principis occupatus est, per me tibi significari voluit, idem etiam picturam ad te mittit. Huc vsque Gesnerus. Cæterùm hisce relationibus nimis confidens, rangiferum tarando eundem credit. Ego cur inuicem distinguam, & Olai Magni iconi credam, impellunt me & Cæsar in commentarijs suis, & Albertus Magnus in descriptione rangiferi, quam subinde referam.

B

DE RANGIFERO. CAP. XXXI.

TARANDVM nonnulli, vt in precedenti capite dictum est, quod rangifero eundem crederent, reen vocant, cum sit hoc nomen rangifero, proprium: pro qua voce inuenias etiam reiner, reinger, renschieron: hinc latini recentiores alij rangiferum, alij raingum nominant: quanquam Albertus rangiferum vocari scribit quasi ramiferū. Describit autē ipsum animal his verbis:

C

D

Ran-

Rangifer,inquit,in Septentrione verſus polum Arcticum generatur,& in regionibus Nortvvegię,
Deſcriptio. ac Sueciæ,& alijs,quæ ſunt minoris latitudinis,ſpeciem cerui repræſentat, ſed maior eſt corpore,
colore inſignis,& ad fugam celerrimus. Tres ordines cornuum gerit in capite,ita vt in ſingulis bi-
na ſint cornua,& caput eius virgultis(aliàs virgulis)compoſitũ videatur. Ex his duo cæteris ma-
iora ſunt, in loco cornuum cerui, quæ ad perfectam magnitudinem augentur, adeo vt quinq; cu-
bitorum menſuram aliquando attingant, & ramis conſpiciantur viginti quinque. (Idem de ra-
morum numero huius feræ, Robertus Stephanus ſcribit in obſeruationibus ſuis venaticis circa fi-
nem dictionarij gallicolatini.) Duo etiam in medio capitis,vt damarum habentur, mutilis &
breuibus ramis mucronata. Deniq; alia in fronte antrorſum verſa,oſſibus ſimiliora,quibus in pu-
gna potiſſimùm vtitur. Tantum Albertus. Cæterùm in deſcriptione cornuum rangiferi,& tarandi
cornua inuicem implicare videtur, cùm non ſit veriſimile vnum animal tot, & tantæ altitudinis,
totque ramis prædita ferre poſſe: Olaus enim Magnus Archiepiſcopus Vpſalenſis vir propter eru-
Lib.17.c.8. ditionem,vitęque genus,& regionis vicinitatem fide dignus,tricorne tantum animal rangiferum
facit, & his verbis delineauit, addita etiam hac animantis effigie: In partibus, inquit, Septentrio-
nis vtriuſque Bothniæ (ſic enim extremi aquilonis terræ,quaſi à fundo vaſis vocantur) & magnæ
Lapponiæ beſtia tricornis eſt de genere ceruorum,ſed longè procerior,longior,ac velocior,rangi-
fer duplici ratione dicta,vna quod in capite ferat alta cornua velut quercinarum arborum ramos:
alia, quòd inſtrumenta cornibus pectorique quibus hyemalia plauſtra tradit, impoſita, ranga &
loga patrio ſermone vocantur. Quorum cornuum duo cæteris maiora,eo loco,quo ceruus habet:
ſed ramoſiora, ac extenſiora ad ramos quindecim alta. Aliud verò in medio capitis, ramuſculis
circumſtantibus cęteris breuioribus,ſitum eſt,caput vndiq; contra inimicas beſtias pręcipuè lupos
armatũ reddens,imò admirationis decus inter cætera monſtra præſentans. De hoc rangifero for-
tè accipienda fuerit hæc Ioan. Agricolæ Ammonij relatio: Eſt in Poloniæ vaſtiſſimis ſaltibus ce-
lebre animal renſchieron ab incolis appellatum nuſquam ab vllo authore deſcriptum, quod ma-
gnitudine exæquat ceruum, cornibus præarduis armatum, quorum vtrumque in faſtigio triden-
tem,hoc eſt,triplicem verticem oſtendit. Huiuſmodi fera pro ſplendido munere Saxonię, Thurin-
giæ, & Myſniæ principi Georgio miſſa eſt anno trigeſimo primo ſupra ſexquimilleſimum. Ap-
paret autem virum doctum non crediddiſſe, quod tricornis eſſet hæc fera, ideoque in faſtigio tri-
dentem attribuiſſe. Tricornem tamen etiam facit Iulius Cæſar in ſuis commentarijs: *Eſt, inquit, 6*
Lib.6.de bello Gall. *bos in Hercynia ſylua cerui figura, cuius à media frõte inter aures vnum cornu exiſtit excelſius, ma-*
giſque directum his quæ nobis nota ſunt cornibus: Ab eius ſummo ſicut palmæ, ramique latè diffun-
duntur, eadem eſt fæminæ, mariſque natura, eadem forma, magnitudoque cornuum. Quod ſi quis ta-
men Cęſarem dixerit bouem nobis deſcribere vnicornem, non tricornem, quoniam vnius tantùm
cornu mentionem facit. Reſpondeo id ideo factum, quòd hoc medio cornu aduerſus inimicas fe-
ras ſe tueatur, ut ex Olao diximus. Et ipſe etiam in fine dum dicit, fæminę, mariſque eandem cor-
nuum magnitudinem eſſe, plura quàm vnicum illis tribuere videtur. Vocauit verò bouem potius
quàm ceruum, quoniam etſi cerui cornua gerat, magnitudine tamen eſſet bouis. Damianus à Go-
es etiam rangiferum nobis delineauit, & vt ipſe dicit αὐτόπτης, Lappi, ſiue Lappones equorum lo-
co vtuntur animalibus, quæ raingi ſuo ſermone vocant, quibus magnitudo, & color aſini, vngulæ
bifidæ, forma, atque cornua ceruorum, ſed cornua quadam lanugine cooperiuntur, eadem humi-
liora, & ramis rarioribus quam ceruina ſunt, vt ipſi vidimus. Cæterùm nunquid hæc deſcriptio ra-
gifero conueniat, addubito; nam alci ea non malè adaptari poteſt, cum ſit pilo aſinino, & rangifer
iuxta Olaum cornua ceruis habeat maiora. Et cùm Damianus etiam addat in progreſſu illorum
lento, vel celeri, ex tibiarum articulorum agitatione ad inſtar nucum colliſionis crepitus audiri, ſi
iam non amplius dubito quin ſit alce, cui id priuatim ab alijs adſcribitur. Apollonius Menabe-
nus Medicus, & Philoſophus de rangifero tractatu rangiferum ab alce etiam diſtinguit, & Olao
Magno(ex quo etiam pleraque tranſcribit) fidem adhibendam eſſe aſſerit, cùm tamen in deſcri-
ptione non parum ab ipſo euariet: Olaus enim tricornem facit, vt diximus, & ceruo longè proce-
riorem, longioremque; hic contrà longè minorem, & tertij cornus nullam mentionem habet, ſed
verba eius adſcribam. De ſingularibus, inquit, ac memorabilbus Suecorum regni quibuſdam re-
bus verba facientes, genus illud ceruorum, quos reen, ſiue rangiferos vocant, ſilentio præterire nõ
poſſumus. Rangiferi itaque cerui in Suecia tantum, vt audiuimus reperiuntur in intima parte re-
gni, ex quo fit, vt paucis noti ſint. Non enim multi intimas illas frigidiſſimaſque partes petunt.
Nos verò cùm inde deducuntur ad regem, opportunam nacti occaſionem, horum planè cognoſce-
dorum hanc noſtram cognitionem cæteris omnibus patefaciendam duximus. Sunt igitur illi cer-
ui tam altitudine quàm craſſitudine aſello pares, tibiarum gracilitate ſuperant: Caput habent in-
ſtar vituli, collum iubatum velut equus, vt Olai Magni verbis vtar, cornua frõdoſa, lęuia, gracilia,
oblon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A oblonga ad tergum porrecta: Cætera habita ratione,& seruata magnitudinis proportione ceruos
communes imitantur. Iulius Cæsar Scaliger itē, quæ cùm alij, tum Olaus Magnus rangifero tri- *Exerc. 206.*
buunt,alci adscribit,additq; alcem Suecis renger dici,à quibusdam Gothis rangifer. Vehiculo,ꝗ *n. 2.*
inquit, birotū est, & sannus dicitur à Sarmatis,iunctū inoffenso tenore super glacie quatuor & vi-
ginti horarum spacio trecenta Germanica milliaria transmittere cursu scribunt,tantæ vires,tanta
pernicitas, tanti spiritus, tanta pertinacia: Quod quidem & alci ab alijs tribui video, etsi interim
de milliaribus in rangiferi historia multa diminuant: quare & ipse Scaliger,cùm id quod scripse-
rat,parum verisimile videtur, subiungit,hoc nos neutiquam affirmamus,virum enim nobilem ca-
rere decet & crimine mendacij,& criminis suspicione. Quo minus autem alcem cū rangifero ean-
dem arbiter, facit Olaus Magnus separatis de vtroque agens locis. Cibus huius bestiæ (rangiferi
scilicet)est muscus montanus (verba sunt Olai,ex quo ferè reliqua quæ sequuntur)candidus,præ- *Cibus.*
sertim in hyeme,niuibus in superficie soli coopertus:quas niues,licet dēsas,naturę instinctu(quasi
syluester equus)perforat,cibū quæsiturus. In æstate verò folijs,ac frondibus arborum,stando eun-
doq; melius,quàm se inclinādo floribus,ac herbis, propter cornua nimis antrorsum incuruata ve-
B scitur:idq; laterali,& obliqua capitis inclinatione. Iubatū habet collū veluti equus, vngulas bisul-
cas,& ferè rotūdas,à natura tributas,eo ꝙ eius transitus,aut cursus etiā admisso sessore,fit super al-
tas niues in vallibus,cāpis,aut montib. condensatas. Mansuefacta hęc animalia veluti armentarij
greges, maximā præstāt dominis suis vtilitatē,videlicet,in lacte,pelle,neruis,ossib.,vngulis,pilis,
ac carnibus ad victū delicatiorē. Quidā terrarū incolæ possident. 10.15.30.70.100.300. vel 500.
qui pastorū cura ad pascua ducuntur,& reducūtur,stabulisq; ob agmina montanorū luporū cæte- *Patriæ a-*
ris ferociorum grassantia claudūtur. Educti in terras alienas pręsertim vltramarinas ob cęli, soliq; *mor.*
mutationē, aut insolitā escā (nisi pastore consueto cibētur)non diù supersunt,quemadmodū olim
Illustriss. Principem Sueciæ Stenonem Sturæ iuniorē,duci Holsatię Friderico sex huiusmodi ani-
malia misisse,notatū est,duosq;,masculū, & fæminā Lapponicę gentis coniuges eisdē animalibus
adiunxisse custodes: quib. è sua natiua terra translatis,atq: alienę directioni subiectis,quia optata
quies,viuendiq; ratio subtracta erat,nec ipsi,nec bestiæ singulari cura destitutę diutiùs in vita mā-
sere. Similiter & à rege Sueciæ Gostauo circa annū Dñi 1533. postquā aliquot illustrib. viris ter-
ræ Prussiæ cùm ad spectaculū, tū ad generis propagationē decem similes vtriusq; sexus rangiferi
C emissi essent, syluestri libertate donati sunt; At nihil inde cōpertum erat,an ipsa mutatio loci pro-
fuerit stirpis propagationi. Videndū est duo esse genera rangiferorum(verba sunt Olai)syluestriū *Rāgiferorū*
videlicet,& domesticorū,qui vsib. humanis subdita mansuetudine fideliter inseruiūt,vbi feræ na- *duo genera*
turæ reliqui in solitudine relicti augmēto generis se sociant,vt interim venatione premantur. Qui
domestici sunt,curulibus plaustris aptātur,optimè grauissima plaustra,per rura,cāposq; deducūt,
res scilicet pretiosarū pellium,pannorum,piscesq; diuersæ speciei continentia;eo quod pro maiori
parte Lappones Ichthyophagi sunt,inexhausta fertiliū aquarū piscatura viuentes: Iter itaq; eorū
est in vallibus planis, Nortvvegiā,(ad quam frequentius proficiscūtur)respiciens,tanquā in rerum
commutatione locū viciniorē,ac populum fidelioris amicitiæ seruādæ commodiorē. Qui verò his
curribus præfecti sunt,vulgari gentis nomine Quenar appellantur,singulis diebus si ita benèplaci-
tum est, aut exegit necessitas,centū & quinquaginta millia passuū,idest,triginta milliaria Gothi-
ca, siue Germanica conficientes, cursusq; eorū animalium nō minoris grauitatis,quàm equorum
reputantur. Hyemaliū vehiculorū vsu mirā cōmoditatē assequuntur prædicti Lappones,maximè
quod lubricitate huiusmodi vehiculorum cum niue conformi longa peragunt itinera ad loca re-
D rum commutationibus deputata,prout superiùs de forma eorū extitit declaratū: Et edicto ne ex-
ternis hominibus ob maximā celeritatē accommodentur. Hic verò ostenditur,quod ea velocitas
causatur ex pellib. tenerrimorū rāgiferorū, vehiculis his hyemalibus subductis,hac præcipuè arte,
vt anterior pars pellis antrorsum consuatur sub rheda: quo fit vt pili foras euersi,nedū lubricitatē
generent progrediendi, sed & resistendi firmitatem, ne retrò labatur auriga: alioquin in collibus
altis nunquā haberetur,aut perficeretur optatū iter. Imò eo cōpendio viatores arcubus, sagittisq;
extensis syluestres rangiferos uenatu acquirere solent. Lac deputatur ad vsum domestici nutrimē- *Lac.*
ti(hoc quoq; non rectè alci tribuit Scaliger)ac serum illius ad potum conuenientem. Pellis pro tē- *Pellis.*
gumento humano tam corporis quàm lectorū,imò equestrium sellis,culeis,& follibus artificū di-
uersorū aptatur,valdè enim tenax, & fortis est,& durās: Nerui loco lini ibidem ob frigora nō cre-
scentis ad indumentorum vsum instar fili præparati deputantur. Ossa,atq; cornua arcuū,& bali-
starū artificibus auidè ea pro rerum commutatione quærentib. applicantur. Similiter & vngulæ
spasmaticis prosunt. Pili pro farciendis,mollificandisq; sellis equestribus, atque puluinaribus pro
hospitibus honorandis,& hyeme reprimenda. Carnes eius animalis optimæ,& salubres sunt, sale *Carnes.*
ventoque siccatæ, durabiles ad plures annos: licet interim mos genti sit ex venatione veteribus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

adiungere recentiores. Hæc itaque omnia Olaus, qui præterea, referente Geſnero, Tengillum Scricfinnorum in Scandinauia regem ſcribit equitatum habere rangiferis inſidentem, & vincere tamen Helſinglandiæ regem Argrimum, cuius equites equis vtuntur. Ait denique neruis rangiferorum vti ad arcus, & alicubi vbi clauis carent, ad nauium tabulas compingendas.

DE ALCE. CAP. XXXII.

Alcida quid. DIFFERT alce, & alcida. Alce enim fera eſt naturalis, alcida verò fabuloſa, de qua
Lib.4. Diodorus Siculus de fabuloſis antiquorum geſtis ſcribit in hęc verba: Mineruam
ferunt Alcidam peremiſſe feram ſtupendam ex terra natam, & antea vt quæ natura
plurimum ignis ex ore euomeret, inſuperabilem pugna. Ea primùm in Phrygia
apparuit, regionem quandam comburens, quæ huc vſque exuſta Phrygia dicta
eſt. Deinde ad montem Taurum deſcendens, ſyluas continuas vſque ad Indos incendio vaſtauit.
Poſtmodum per mare in Phœniciam reuerſa ſyluas Libani incendit, perque Aegyptum in
Libyā profecta ad loca peruenit occidua. Poſtremò ſyluis circa Cerānia deſtructis, omniq; incēſa
regione cùm homines partim flāma abſumpti eſsēt, partim timore patriā linquētes ad remotiora
diffugerēt loca, Mineruā ferunt eā ferā necaſſe, pellem pectori circūdediſſe. At vero alcidæ morte
2.decad.5. terra cōmota Deorū hoſtis, gigātes peperit. Hęc ille. Mineruā Alcidam cognominatā fuiſſe teſta-
Alce quæ ſit. tur Liuius ab hac, vt puto Alcida. Quę modò ſit alce, quā diximus ferā eſſe naturalem, & minimè
fabulam, vix adhuc conſtat, quod de ea, vtpotè fera peregrina & noſtro orbi incognita, veteres alij
aliter ſcripſerint. Inter Gręcos ſolus Pauſanias (qui Antonini tēpore claruit) in Eliacis differens de
elephanti vulgò creditis dentibus, quòd cornua ſint, nō dentes, haud omnibus.n. eodem loco cornua
naſci, argumento ſunt, inquit, Aethiopici tauri, & alcæ feræ Celticæ, ex quibus mares cornua
in ſupercilijs habent, fæmina caret. Eiuſdē in Bœoticis verba hæc ſunt: Alce nominata fera ſpecie
inter ceruū, & camelū eſt, naſcitur apud Celtas, explorari, inueſtigariq; ab hominib. animaliū ſola
non poteſt, ſed obiter aliquando, dum alias venantur feras, hæc etiam incidit. Sagaciſſimā eſſe
aiunt, & hominis odore per longinquum interuallū percepto, in foueas, & profundiſſimos ſpecus
ſeſe abdere. Venatores montē, vel campum ad mille ſtadia circumdant, & contracto ſubinde ambitu,
niſi intra illū fera deliteſcat, non alia ratione eā capere poſſunt. Hęc Pauſanias, qui vt plerique
Lib.6. de bello Gal. veteres Germaniā totā, & Septentrionales finitimas regiones vno Celticæ nomine cōprehendit.
De alce etiam ſic Cæſar in cōmentarijs: *Sunt*, inquit, *item in Hercynia ſylua, quæ appellātur alces,
harum eſt conſimilis capris figura, & varietas pelliū, ſed magnitudine paulo antecedunt, mutilæque
ſunt cornibus, & crura ſine nodis articuliſq; habent, neq; quietis cauſa procūbunt: neq; ſi qua afflictæ
caſu cōciderunt, erigere ſeſe, aut ſubleuare poſſunt. His ſunt arbores pro cubilib. ad eas ſe applicant,
atq; ita paulū modo reclinatę quietē capiūt, quarū ex veſtigijs cū eſt animaduerſū ex venatorib. quò
ſe recipere conſueuerint, omnes eo loco, aut à radicib. ſubruunt, aut abſcindūt arbores tātùm, vt ſumma
ſpecies earū ſtantium relinquatur: Huc cùm ſe cōſuetudine reclinauerint, infirmas arbores pondere
affligunt, atq; vnà ipſæ concidunt.* Tantum Cæſar. Sub Gordiano Romæ fuerunt alces decē, Iu-
Lib.8.c.15. lio Capitolino teſte, qui totidē quoq; fuiſſe ſcribit in Gordiani ſylua memorabili picta in domo
Machlis. roſtrata Cn. Pompeij. De alce etiam Plinius: *Septentrio fert alcen, ni proceritas aurium, & ceruicis
diſtinguat, iumento ſimilem. Item notam in Scandinauia inſula, nec vnquam viſam in hoc orbe,
multis tamen narratam machlin haud diſſimilem illi, ſed nullo ſuffraginum flexu: ideoque non cubantem,
ſed accliuem arbori in ſomno, eaque inciſa ad inſidias capitur, aliàs velocitatis memoratæ.
Labrum ei ſuperius prægrande, ob id retrograditur in paſcendo, ne priora tendens inuoluatur.* Hęc
Cap.32. & 33. Plinius, qui vt apparet alcen à machli diſertiſſimè diſtinguit. Solinus item eius ſimia ſcribit ſic:
*Sunt & alces mulis comparandę, adeo propenſo labro ſuperiore, vt niſi recedentes in poſteriora veſtigia
paſci non queant:* Et mox: *Scandinauia inſula è regione Germaniæ mittit animal quale alces, ſed
cui ſuffragines, vt elephantis flecti nequeunt, propterea non cubat cum dormiendum eſt. Tamen ſomnolentum
arbor ſuſtinet, quæ prope caſura ſecatur, vt fera, cum aſſuetis fulcimentis innititur, faciat
ruinam. Ita capitur: Alioqui difficile eſt eam manu capi. Nam in illo rigore poplitum incomprehenſibili
fuga pollet.* Hęc itaq; ſunt, quæ de alce apud veteres reperio: ad quā tamen Rēbertus Dodonęus
Lib.4. in epiſt. de alce, hæc Strabonis verba, quę ex Polybio adducit, pertinere aſſerit: *Habent*, inquit, *Alpes
equos agreſtes, & boues, vtq; memorię prodidit Polybius peculiaris formæ belluā gignunt, habitu
quidē ad cerui ſtaturā, collo dūtaxat excepto, & villis, in quib. capro perquā ſimilis eſt, geritq; ſub mento
carnis globū ad palmę magnitudinē capilloſum, craſſitudinē pro equini pulli cauda habentē.* Idem
Dodonæi error. Dodonæus Pliniū, quæ de alce, & machle ſcribit ex Solini polyhiſtore tranſcripſiſſe, non rectè putat,
cū ſit Solino Plinius antiquior, vel ſaltem coętaneus, quod & Io. Camertes, qui vitam Solini con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A conſcripſit, fatetur, eũdem accuſans ingratitudinis, quòd Plinij, ex quo omnia ſua ferè hauſit, nuſquam meminerit. Arbitratur præterea Dodonæus ordinem dictionis in nonnullis apud Plinium permutatum eſſe: nam quod Solinus de labro alcis propendẽte habet, id Plinium ferè ſibi machli appellatæ non rectè adſcripſiſſe, vt in marginibus nonnullorum Plinij exemplarium rectè, inquit, & diligenter annotatum. Solini autem exemplaribus maiorem habendam videri ait fidem, non modò quòd author diligentior habeatur, ſed & quod hæc ipſa minùs vitiata ad poſteritatem peruenerint, quàm Pliniana varijs ſæpe locis corrupta & mutila. Similiter in margine Plinij, quem nouiſſimè annotationibus illuſtrauit Dalechampius, annotatum reperio. Cæterùm cùm tam diuerſimodè alce à veteribus delineetur, alij aliam feram pro alce oſtendũt. Hieronymus Cardanus ſolam alcem à C. Iulio Cæſare deſcriptam agnoſcit, alcem verò alijs creditam vulgarem ſecutus nomenclaturam animal Magnum (vulgò gran beſtia) nuncupat, alcem nullo modo vocandum cenſet, quoniam vt patebit in multis à Cæſaris alce differt. *Magnũ animal.* Iulius Cæſar Scaliger licet duas dicat eſſe alces, hoc tamen animal alcem non appellat, ſed cum quibuſdam alijs biſontem nuncupat, & ſub hoc nomine à Plinio deſcribi putat. Olaus Magnus hanc feram alcem vbique vocat, &

B onagrum, quod nouiſſimum nomen Eraſmus Stella in libro de origine Boruſſorum, refutãs quodammodò ait: Ibidem ſunt alcæ, non tamen ex aſinorum agreſtium genere, nam illi tantùm in Africa, & Aſia reperiuntur, Alce autem quaſi medium genus inter equos, & ceruos cornua quotãnis amittit, & propter timiditatem gregarium eſt. Reprehendit id nomen etiam Cardanus. *11. Simplic.* Cæterùm ita fortaſſis etiam vocauerint Galenus, Aetius, Alexander Trallianus, Auicenna, & Serapio. *Lib. 1.* *Lib. 2. tr. 2.* Nam hi combuſtos aſinorum vngues comitiali morbo mederi ſcribunt. Per aſinos enim onagros fortaſſe intellexerint, & ſub onagri nomine Magnum hoc animal, & ipſius vnguis efficaciam cognouerint. Quod ſi verò ſylueſtris aſini vnguIæ contra epilepſiam, hanc vim aſſignarunt, dubitare poſſumus, num ipſis hoc animal cognitum fuerit, quod tamen à vero non abhorret. Qui modò hoc animal alcem dicunt, neque ipſi omninò concordes ſunt, inquit Apollonius Menabenus tractatu proprio de Magno animali. *Magnũ animal an alce.* Nam quidam in animalium hiſtoria egregiè verſati poſtquã huius animalis multa collegerunt nomina, alcem dicunt eſſe, cùm tamen alteram Cæſaris alcen agnoſcant. Horum ſententiam ſequi videntur Prutheni Medici non vulgares, quibus notiſſimum eſt hoc animal: quando pro huius vngula alcis vngulam ſcribunt in ſuis ſchedulis. His tamen ſicu-

C ti non omninò derogo, ita non multum tribuo. Antonius Mizaldus inter recentiores ſcriptores non mediocriter eruditus, cùm abſolutè vngulam alcis ſcribat, incertam nobis ſuam relinquit ſententiam. At Leuinus Lemnius in lib. de occultis naturæ miraculis, de ſola Cæſaris alce meminit, & ipſius vngulam præſentanea vi pollere dicit aduerſus comitialem morbum: Alcis, inquit, vires excutiamus, quod caprarum eſſe generis, ſed maiore corporis mole Caius Cæſar in comm. teſtatur. Matthæus Michauanus in deſcriptione Sarmatiarum apud Moſchos biſontes eſſe ait, & alces, quarum crura ſint abſq; articulis prælonga. Moſchis appellari Lozzos, & Germanis hellend. Plerique tamen abſque aſpiratione ellend, vel etiam elend vocant Magnum hoc vocatum animal, quod tamen articulis in cruribus non caret. Aliqui etiam elch, Illyricè los dicitur, ſimiliterq; Polonicè, & apud alios puuod, vt ex indigena quodam accepiſſe ſe tradit Geſnerus. Illyri etiam ceruum Gelen vocant, fierique poteſt, inquit Geſnerus, vt inde nomen huius animantis ad Germanos translatum ſit propter ſimilitudinem eius cum genere ceruino. Aliàs, eodem etiam Geſnero teſte, Germanicum hoc nomen elend miſeriam ſignificat, & verè, inquit, miſerum eſt animal, ſi credendum eſt; *Elẽd cur dicatur.* quod ſæpe audiuimus, quotidianum ei morbum comitialem ingruere, à quo non priùs leuetur, quàm dexteri (ſi benè memini) poſterioris pedis vngulam auriculæ ſiniſtræ immiſe-

D rit. *Cap. 2.* Capta vel modico vulnere læſa expirat ſtatim præ timiditate nimirum. Eandem huius vocis etymologiam habet Apollonius Menabenus: Hoc animal, inquit, qui Germanico idiomate loquuntur elend appellare conſueuerunt: quæ dictio ſi latinè vertetur, miſeriam ſignificat, & huic quidem ſcitè admodum inditum eſt hoc nomen: miſerrimum enim eſt animal multis de cauſis; primò quia ſæpenumero comitiali morbo corripitur, quo non liberatur, niſi appoſita prius fuerit auri altera poſterior vngula. Miſeriæ etiam huius animalis cauſas referunt, quia timidum eſt valdè, & homines procul olfaciens fugit, & quolibet vel paruo vulnere moritur, quinimò ſi tantùm ſuum ſanguinem videt, illicò exanime concidit. Cùm inſuper iam propè captum tenetur, non reluctatur, ſed fugam tantùm molitur: tamen canes vnguibus repellit, & conculcat. Sed quia Germanis elch quoque vocari diximus, ſcire conuenit duo in Germania hoc nomine venire animantia, *Elch.* Magnum ſcilicet hoc animal, & aliud apud Heluetios, vt oſtendit Iulius Scaliger his verbis: Elch dicunt vocari aſinum ſylueſtrem, nihil tamen habet aſini. Suizeri ſic appellant animal cerui facie, collo, cornibus, vngula. Cui præterea ſunt in armis iubæ, coxendices hirtiſſimæ, villi rariores ad palearia. Idcirco hunc eſſe puto quem Plinius biſontem vocat &c. *Biſon.* Tantum Scaliger. Sed vt ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Magnum animal, ſiue putatam alcem reuertamur, Sigiſmundus Liber Baro ſcribit Polonos velle onagrum, hoc eſt aſinum agreſtem eſſe, ſed reſpōdente forma: Sectas enim vngulas, inquit, habet, quanquam & quæ ſolidas haberent, repertæ ſint, ſed id perrarum eſt, animal eſt altius ceruo, auribus, & naribus prominulis, cornibus à ceruo nonnihil diuerſis, colore item magis ad albedinem tendente. Curſus eſt velociſſimi, non quo cætera animalia modo, ſed gradarij inſtar. Deſcribit & Cardanus his verbis: At contraria aeris qualitate penitus (dixerat monocerotem naſci inter ſolitudines Aethiopiæ) ſub boreali polo animal naſcitur ceruo ſimile, cruribus anterioribus longioribus, carneam habens promuſcidem, breuem tamen: timidū eſt & imbecille ſuprà quàm credi poſſit, & ex quocumque minimo vulnere moritur: eſt enim cordis frigidiſſimi, ac cerebri non ſolum frigidi, ſed pituita redundantis. Habet autem cornua peculiari quadam forma prædita, & nulli fermè animali ſimilia: Nam craſſa ab imo, vbi aſcendunt, latiora palmo ſunt. Abundat apud Dacos, finitimaſque regiones, vulgarique nomine vocant magnum animal. Cæterùm ab alce plurimum differt; alces enim, vt Cæſar eam deſcripſit, capro ſimilis eſt, & maculoſa pelle, & crura ſine iunctura habet. Huius verò iuncturas videmus, & pellem ceruo ſimilem. Aduerſus hanc Cardani ſententiam Iulij Scaligeri exercitationem refutare conatus eſt Menabenus, qui præterea extrinſecarum partium hanc poſuit deſcriptionem: Habet hoc animal craſſitiem, altitudinem, & proceritatem mediocris & pinguis equi, vt ego vidi. Humeri depreſſiores, & humiliores ſunt, partibus poſterioribus; Capite aliquantulum pronum incedit, à ſummo capite vſque ad humeros, & maximè in ceruice eſt huic magna pilorum prolixitas, & ſylua, ita vt collū, & barbam hircire præſentet, vnde iubatos biſontes non immeritò vocat Plinius. (nos pro biſonte iubato aliud animal dedimus) In alijs corporis partibus pilorum longitudine non differt ab equo, ſed denſitate ſuperatur, craſſitie verò ſuperat. Color plerumque vergit ad cinericeam albedinem, pro viciſſitudine tamen anni temporum pili varias habent in colore mutationes. Caput eſt oblongum, & gracile, ſi conferatur cū toto corpore: Labra magna, prominentia, & craſſa, & maximè ſuperius, quod accommodato ſatis vocabulo promuſcidem vocauit Cardanus, propter ipſius magnitudinem, & eminentiam, & hac de cauſa retrogreditur in paſcendo, inquit Plinius, ne in priora tendens inuoluatur. Os longum, dentes non admodum magni, nec longi, aures longæ, lataq́; . Fæmineus ſexus cornibus caret, at maſculinum genus multifida, & vt ita dicam ramoſa cornua producit, ſed non tam longa, & frondoſa, vt cerui vulgaris, cæterùm lata, vel vt dicit Scaliger, latiuſcula ſunt craſſitie duorum ferè digitorum tranſuerſorum, ſi unius cornu figuram ſpectas, triangularem ferè formam deprehendes, & magnæ auis alam extenſam dices: ſi pōdus, duodecim fermè librarum maiorum erit. Cornua mutat hoc animal ſtatutis quibuſdam temporibus, ut cerui ſolent. Vnum aliquamdiu fuit apud me huius animalis cornu, quod, ut matura poma ſolent, ſponte deciderat. Id ſtirpe manifeſtè dignoſcitur: duo alia parua habeo duorum, aut trium ab ortu fortè menſium, quæ me præſente ex craneo animalis paulò antè mortui abſciſſa ſunt, & hæc molli quadam lanugine ſanguine etiam imbuta erant, unde cùm ipſum animal vnde pullularant ad metam ſuæ magnitudinis perueniſſet, & tam parua haberent cornua, ſtatui ſine controuerſia poteſt, ab hoc animalis genere, ut dictum eſt, etiam cornua mutari, ut de ceruis ſcriptum reliquit Ariſtoteles. Eſt præterea obeſo, & grādi uētre ferè ut uaccæ ſunt. Cauda mirū in modū breuis, ungulę bifidæ, ut bobus. Hæc quidem uera cùm ſint non eſt, quod aliquis de ipſis dubitet, nos enim quæ uidimus, referimus. Huius animalis imaginem apud quoſdam uidere eſt, ſed an referant ad uiuum, uideant etiā alij. Nos aliquando cùm maius dabitur ocium, ad uiuum ut referatur, dabimus operam. Hæc itaque Menabenus, quæ modo Dodonæus omnia ad alcem refert. Recitatis enim ijs omnibus, quæ alij à ueteribus tribuuntur, ſcribit in hæc uerba: De alce quæ hactenus ex ueteribus in medium attulimus ita Magno animali Sueco conueniunt, ut in nullo repugnent, & ſic quidem, ut ueterum ueram alcem eſſe negandum non uideatur. Menabenus cornua adeſſe mari ſcribit, fæminæ uerò nulla, quod & de alce Pauſanias. Labrum illi tam magnum eſſe affirmat, ut in paſcendo impedimento ſit futurum, niſi animal retrogrediatur, Solinus & Plinius ſimile de alce referunt. Pili magno animali Sueco maxima prolixitate propendent. Strabo alcen animal eſſe habitu ad cerui ſtaturam, collo duntaxat, & uillo exceptis, in quibus capro perquam ſimilis. Addit uerò Strabo alcem ſub mento gerere carnis globum ad palmæ magnitudinem capilloſum: Hoc quidem Menabenus nō refert, ſed Geſnerus in animalium quadrupedum hiſtoria alcis imaginem cum globoſo quodam ſub mento dependente exhibet. Iam & alcem hoc Magnum animal elend dictum Sueciæ, & Septentrionalium illarum regionum medici alcem latinè nominant. Olaus Magnus in gentium ſeptentrionalium hiſtoria alcem quoque appellat. Atque hæc quidem omnia hactenus Magnum illud animal Suecum, elend dictum, alcem ueram, & legitimam eſſe, comprobant. Sed repugnat Hieronymus Cardanus: alce etenim fera quam Iulius Cæſar deſcripſit, differens eſt ab hoc animali

Deſcriptio Magni animalis.

Lib. 10. de ſubtil.

Promuſſis quid Cardano.

Magnum animal alcē eſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A mili Sueco, vt ex ipsius descriptione manifestò apparet: rectè quidem idcirco Cardanus sentit:nã alce Cæsaris non est Magnum illud animal, quod elend dicitur, sed omninò alia fera, & illa quidem quam absque nomine Solinus ex Scandinauia insula mitti ait, cuique suffrugines flecti nequeunt, quæ Plinio Machlis dicta est, vt ex ipsius Cæsaris verbis, si cum Plinij, & Solini conferantur, apparet. Ex Cæsaris enim verbis luce clarius est non alcem, sed Machlin ostendi, & Cæsarem non rectè alcis nomen huic tribuisse, vt & Scaliger testatur. Proinde & Cardanus Magnum illud animal Succum Cæsaris alcem esse, rectè negauit, sed tamen machlin esse non rectè idcirco consequitur. Magno animali suffragines flectuntur, absque flexu machlis has habet. Neque aduersatur nobis, quod labrum superius pręgrande machli Plinius tribuat, veluti Magno est animali, nam superiùs ostendimus hæc verba transposita esse, & ad alcem referenda veluti Solinus habet. Magunm igitur animal Succum elend dictum non Iulij Cæsaris alce, nec Plinij Machlis est, sed alio.

Alce Cæsaris à Magno animali differt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Pellis. rum veterum alce. Hactenus Dodonæus. De pelle ſcribit Geſnerus alutarios eam ad thoraces,piſcium adipe ad hunc vſum alumini præferendo, præparare, vt imbres arceat. Venire ſingulas tribus,aut quatuor aureis denarijs. A ceruina,cui ſimilis ſit,inſpiratam diſcerni:ferri enim tranſmittere ſpiritum, vt ab oppoſita manu percipiatur, eſſe enim plenam meatibus, & pilos in ea concauos. Ipſe verò in vngula integra,quam cum ima parte tibiæ piloſa ſe vidiſſe affirmat,nullam in pilis cauitatem reperit:quamuis,inquit,fieri poteſt vt meatus quidam,qui in viuis erant,mortuis collabantur,præſertim longo poſt tempore. Ad hęc pellem denſam,& ſolidam eſſe adeo,vt vehemẽtes etiam ictùs punctim,cęſimq; factos auertat, & ferrei thoracis inſtar hodie expetatur: quod
Cornua. Aelianus tarando etiam attribuit. Idem Geſnerus cornua huius feræ libras circiter duodecim appendere tradit, eſſeque longitudine ferè duorum pedum, non ramoſa, vt ceruorum, mucronibus tamen aliquot diuiſa,dodrantem lata,armi potiùs,quàm cornu figura,aduehi ex Lituania. Quod verò mihi cornus Magnæ feræ nomine miſſum eſt ſeptem tantùm libras duodecim vnciarum appendit,iuxta caput craſſitudine,vt vix manu comprehendi poſſit,quinque ornatum mucronibus, hinc inde binis, mox ab vno latere,alio,& ab altero etiam alterius oſtendens rudimentum,latitudo inter primos ramos trium ferè dodrantum. Tota ferè tibia ſimul cum vnguibus libras pendit
Tibia. tres cum dimidia. Cornua itaque huius,quam exhibeo,feræ,quam genuinam eſſe nulli dubium eſſe

A esse debet, cùm ad viuum animal factam mihi communicauerit Serenissimus Ferdinandus Magnus Hetruriæ Dux, imperfecta adhuc fuisse credendum videtur, mutare enim diximus. Addidi fœminæ etiam iconem acceptam Cracouia. Describit hoc animal etiam Erasmus Stella,& quia breuiter,eius quoque verba clarioris doctrinæ gratia nefas sit præterire. Borussia,inquit,gignit & alces,quos falsò syluestres asinos quidam autumant,cùm hos Asia tãtum,& Africa procreet:Specie media inter ceruinam, & iumenti nisi quantum aurium proceritas ipsaque ceruix distinguit: Magnitudine inter camelum,& ceruum. Maribus in supercilijs cornua nascuntur,quæ quotannis amittunt,latiora quàm ceruinis,ramosa tamen,& per totum concreta, & solida. Vngula bifida, coloreque ceruum imitatur. Venatorem è longinquo sentit,animal certè simplex,& quod plus latebris,quàm fugæ fidat. Si vi canum vrgetur,magis in canes se calce,quàm cornibus tuetur. In locis palustribus sese plurimum condit, illic & partus edit suos. Formidinis eius argumentum esse aiunt, quod rarenter solitarium in armento multùm appareat. Hallucinati sunt,qui hanc feram nullo suffraginum flexu dixerunt. Postremò alces figuram Seb.Munsterus ad Gesnerum misit ad viuum,vt aiebat,pictam,quam nihil differre Gesnerus inquit à sua,nisi quod iubata non est:vnde

Natura.

B iudicat Gesnerus non rectè huic quadrupedi iubam addi. Eadem cornuta erat geminis cornibus (talibus quale vnum separatim ipse dedit) tergum versus reclinatis,ita vt pars in mucrones diuisa frontem spectet, opposita tergum. Vt modò de natura ipsius Magni animantis, siue alcis rursus aliquid dicamus, tradit idem Gesnerus, à peregrino quodam se accepisse eam à venatoribus agitatam ad aquas confugere, atque in ijs stantem aquam ore haustam in canes feruidam eructare. Menabenus verò etiam à quibusdam probatis viris ei summa necessitudine coniunctis,& in huius animalis venatione versatis, tradit se accepisse, perraró vnum huiusmodi animal solum conspici, sed plura simul, modò quinque, modò septem, modò plura simul degere, & progredi,& quando in syluis terra niuibus obtegitur, mihi,inquit,se obseruasse retulerunt, ipsa tunc maximè in vnum se conferre,ac simul progredi hoc ordine:vnum præcedit properando,vt occasio postulat,alia singula sequuntur eundem tenorem,& modum seruando,& primi vestigia calcando,ita vt si quis rei inscius,ipsa prætergressa insequatur,vnius tantum vestigia cernere se existimet. Quod alterum ita ad vnguem alterius vestigijs insistendo,alterum sequatur,cuidam ipsorum prudentię naturali adscribunt venatores. Aiunt enim ipsa per primi vestigia incedere, ne numerus ex vestigijs digno-

Astus.

C scatur. His animalibus huiusmodi inesse prudentiam verisimile est,cùm sint ex ceruorum genere cui inter quadrupedes maximam prudentiam tribuit Aristoteles. Quod sint ex ceruorum genere tum hæc prudentia, tum alia non pauca his communia cum ceruis, quæ Aristoteles vni ceruorum generi tribuit, satis superque demonstrant: inquit, enim ceruo ex cornigeris vni cornua tota solida,cæteris caua quadantenus: & paulo pòst:soli etiam ceruo cornua omnibus annis decidua &c. Quòd horum animalium cornua tota solida sint,sicuti ceruorũ,apud me dubium,inquit,non est: Quòd etiam decidua,non ambigo,cùm ipsorum plurima viderim: Quòd verò omnibus annis,ex multorum assertione probare possum. Sed ex Olai Magni historia huc ad verbum aliqua transferamus: Vehemẽtissimus,inquit Olaus,est eius cursus in trahendis vehiculis, in niuosa glacie apud quosdam:nam horum celeritas longè superat omnium equorum velocitatẽ. Sed apud alios quosdam ob regium edictum in vsu non habentur,ne scilicet eorũ currendi celeritate proditores vtantur in secretis regni inimicis,quam ocyssimè reuelandis. Famis,ac sitis,laborisque patientissima est hæc bestia, vt diem, noctemque immensa spacia D. milliariorum Italicorum valeat conficere priuata cibo. Et rursus:Alces pulli venatorum industria capti ita successiuè mansuescunt,vt naturali vrgente siti epotent maxima cereuisiæ vasa à discumbentibus eisdem propinata. Et paulo

Lib. 11.
Cursus.

Patientia.
Lib. 18.

D post: Alces instar ceruorum gregatim in vasta solitudine vagantur, insidijsque extensorum telorũ industria venatorum sæpissimè capiuntur, vel maximè canũ insultu retruduntur in antra rupium, vt inde raró viuæ euadant, imò quiescentes humi,vel erecti stantes onagri (sic alces etiam vocare diximus) maximi à minima quandoque mustela guttur insiliente mordentur,vt sanguine decurrente illicò deficiant mortui. Et mox rursus: Sed nec sufficit commodo,atque vtili animali homines sustinere venatores telis asperis,sagittisque latis millenis insidijs sese in vasta solitudine impetentes, imò & bestiolas contemptibiles mustelas scilicet præmissas respectu tam proceræ altitudinis suæ,nisi & ferocissimos lupos,montanos præsertim,sufferat insidiatores,eo videlicet modo,vt cùm asperrimæ hyemes sint, densæque niues, ipsi lupi fame pressi eremi latebras vasto agmine circumeuntes expostulent prædam. Lacubusque congelatis onagros inesse speculantur,in quos irruentes,& vngulis,& cornibus vel interimuntur,vel effugantur. Tanta enim vis est in ictu vngulę, vt illicò tactum lupum interimat, aut fodiat: quod sæpius in canibus robustissimis venatores experiuntur,imò elabente cane opposita arbor eliditur,quasi fungus adesset. Onagri naturæ instincta norunt apta certamini loca, scilicet in lubrica glacie, in qua mucronatis vngulis sunt solidiores,

Pugna cum lupis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

res, vbi lupi quasi in vaginis vngulas retinent viribus vacuatas, atque ita in conflictu manentes non procul absunt venatores, qui fatigatam partem prælio excedentem ad interitum vsque subsequi solent, alieno periculo prædas opulentiores conquisituri: fit enim atrox certamen, vt pauci onagrorum, at multi luporum lacerati linquantur, quos ob pellium valorem venatores acceptat, atque interim onagri, seu alces in tota recedunt. Lupi procul dubio super congelatum niuium cacumen tanquam leuius insultantes exciperent victoriam, vbi alces graui pondere niuibus immersæ lupis fierent esca. Ita prouidens natura vnicuique animanti idoneum campum pro sui defensione distribuisse videtur. Hactenus Olaus. Cæterùm autumno, hyeme, & verè ista animalia

Card.

paruis bombardis nec tempore, teste Menabeno, interfici solent à venatoribus, rusticis potissimùm, & ad regem omnia deferri. Hoc fieri asserit in Suecia. Carnibus istorum vbique vesci illius regionis incolas, & recentibus, & sale conditis. Ipse autem cùm eiusmodi carnes recentes comederet, crassi, & melancholici succi esse iudicauit: Quid de salsis censendum sit, iudicium alijs ferendum committit.

Medicus vsus.

Secundum eundem Menabenum tria præbet vsui medico cornua, neruos, & vngues. Exorditur autem à cornibus, hoc priùs admonens antea nullam facultatem medicam præter astrictiuam cornibus huius animalis attributam essem, neque hoc tempore in Suecia tribui, sed nõ multò ante Prutenos Principes, & episcopos medicorũ fortassis industria, & auxilio suffultos rasuram siue ramenta huius cornu plurimum posse in epileptico morbo cognouisse, idque mirum non esse cùm

3. de par. an.

vt infrà dicetur eadem virtute procul dubio eiusdem etiam vngues, inquit, polleant. Aristoteles eandem tribuit uaturam vngulæ quam cornu ceruino. Verùm hoc additur, vt ista cornua, inquit, hac prædita sint facultate, oportet vt ab animali ablata sint inter festum assumptionis B. Mariæ Virginis, & Natiuiuitatis eiusdem.

Cornua quãdo epilepsiæ vtilia.

Alij fortasse superstitiosi aiunt (omnia hæc ex Menabeno) in festo B. Aegidij abbatis, quod calend. Septemb. celebratur, cornua cum vnguibus præcidenda esse, vt hac imbuta sint virtute. Nam si alio die ab animali erunt ablata, inutilia erunt. Hac in re vt sententiam meam proferam, vanum & ridiculum esse dico aliquid pro certo affirmare, quod nullis rationibus comprobari potest. Hoc quod aiunt, quibus rationibus probabunt? Si ad occultam, siue diuinam aliquam causam confugient, hanc ego potiùs fugam, quàm probationem appellabo: Postea experientię telo ipsos iugulabo. Nam cornua & vngues ab animali aliquot diebus antè, vel post calendas Septemb. præcisa eadem ad sanandam epilepsiam facultate insignita erãt, vt experiẽtia rerum magistra docuit. Quod autem ipsæ animalis partes extremæ hac tantùm imbutæ sint proprietate, si abscindatur inter festum Assumptionis, & Natiuitatis eiusdem B. Mariæ magis consonum videtur; quandoquidem eo dierum interstitio animalia ipsa calida, & vegeta, & succulenta quodam agitata furore in venerem ruunt, ex qua occasione succus velut quædam materia turgens per vniuersum corpus diffunditur, quo cornibus, & vnguibus solidis, ac duris participatione bus imbutis ea vis, ac facultas producitur in ipsis: Qua cessante ipsa animalis ex coitu succulentia

Radices quãdo colligendis.

agitatione, & in venerem propensione desinit, nec mirum cùm doctissimus Matthiolus, & alij radices pro re medica facienda seruandas veris potissimùm tempore colligendas esse sentiant, hac potissimùm ratione ducti, quòd tunc succulentæ sunt, ac, vt ita dicam, vtero gerentes: Quia necdũ ipsarum humor in flores, folia, ramos, aut fructus abierit: vbi autem hæc veluti à pariete in lucem producta sunt, ipsæ feræ euanidæ, ac virtutis expertes euadunt. Hæc ita de cornuum facultate à nobis declarata corroborant principes, qui vt huiusmodi cornua cũ hac insigni facultate habeãt, quo dixi tempore hoc animal potissimum venari solent, quia cornua ipsa tunc temporis decerpta hanc contra epilepsiam vim obtinere non dubitant. Calculo albo hoc comprobauit primarius vnus nostræ ætatis princeps in reconditis & abditis naturæ rebus indagandis sagacissimus, cuius nomen in re tam parua supprimo, quanquam ipsum humilimè coluerim, obseruarim, & fortunatissimum voluerim. Is igitur inter alia, quæ obseruauit secreta, hoc habuit: rasuram cornu ceruini ablati ab animali inter festum Assumptionis B. Mariæ, & Natiuitatis eiusdem lumbricorum interficiendorum præsentanea vi pollere, si stomacho ieiuno exhibeatur cum vino, aut aqua graminis, aut alio idoneo liquore. Idem insuper obseruauit, limaturam cornu ceruini eodem tempore ablati habere eandem facultatem contra venenum, quam habet limatura cornu monocerotis. Vnde vt hoc alexipharmacum haberet in promptu eo potissimum tempore ceruos venari solebat. Si igitur hæ facultates insint ceruinis cornibus illo tempore ablatis sine controuersia quoque admitti debet ad epilepsiam curandam facultatem inesse cornibus Magni animalis eodem tempore demptis, & potissimùm cùm id vsus ipse doceat, & hoc animal inter ceruorum genera numeretur. Atque hæc de cornibus.

Neruorum vis.

De neruorum verò huius animalis facultate, neque aput Pruthenos, neq; apud alios scriptores penitus quicquam audiui, aut legi: In Suecia tamen quosdam nouisse dici solet, qui cùm sæpissimè corriperentur ea conuulsionis specie, siue spasmo, qui Italicè ranfo dici solet, cingulo facto ex huius animalis neruo circumdabant, & ligabant membra illa nuda, quæ conuel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A uellebantur. Vnde cum neruum hunc eo modo noctes, atque dies gestarent, maximum se inde leuamen sentire prædicabant, quia alius per longa interualla ea passione carebat, alius omninò liber euadebat. Inter cæteras modo huius animalis partes vnguibus plurimum tribuunt & Sueci, & Prutheni, & alij scriptores non pauci. Vngues enim epilepsiam ita auferunt, vt incantamento simile quid facere videantur, nec mirum, cùm hoc animal eo morbo laborare sæpius, & remedium secum portare certum sit. Verum hoc admiratione dignius est hunc vnguem non tantùm therapeuticum esse, sed etiam prophylacticum, non enim solùm factam iam epilepsiam curat, sed futuram etiam prohibet, quod ego vix crederem, nisi ipsa me docuisset experientia: non enim verisimile videbatur huius vnguis facultate à morbo præseruari quicquam aliud posse cum animal, cuius vnguis est, seipsum non possit. Non omittendum est hoc eodem vngue hystericam passionem remoueri, remotamq; arceri. Eodem apposito membris cor respicientibus egregiè succurritur multis affectibus cordis. Sed hoc remedium quomodo & quando applicandum sit, & exhibendum, vt curet, & præseruet dicemus paulò pòst. Nunc quoque in quæstionem trahi potest prius explicandum est, nimirum an omnes huius animalis vngues eandem habeant facultatem. Cùm itaq; va-

Vnguiũ facultas.

B riæ sint opiniones de his vnguibus an omnes hanc facultatem, & proprietatem obtineant, quid ab alijs ipse audiuerim, & quid ipse sentiam in medium proferre operæpretium esse duxi. Non desunt qui sinistro vngui posteriori plus tribuunt, quàm alijs, quia vt aiunt animal hunc auri apponendo morbum propellit. Ego uerò dextero potiùs, quàm sinistro posteriori primas tribuendas esse censerem. Si enim utriusque usum respicimus, dexter faciliùs quàm sinister auri apponitur; aut utrumque sine discrimine eadem pollere facultate pronuntiarem, cùm uterque auri admoueri, & applicari sine difficultate iuxta appetitum animalis, & loci, & situs opportunitatem posſit. Anteriores ungues hac uirtute a cæteris omnibus uno ore priuantur, uerùm ego non possum adduci ut credam eos omnino hac uirtute spoliatos esse. Nam si usus & experientia docuit, cornibus eandem esse facultatem, quam pedes habent posteriores, quanto uerisimilius est pedes alijs pedibus eiusdem animalis similem habere facultatem? non est tantum discriminis ponendum inter pedes anteriores, & posteriores eiusdem animalis, quantum ponitur inter radices pæoniæ maris, & fæminæ, quarum prior recens collo appensa puerum epilepticum illicò sanitati restituit, vt Galenus, & alij docuerunt, & ego nonnullis experimentis in Suecia vidi, vbi istius pæoniæ magna

An omnes vngues in epilepsia vtiles.

Pæonia mas fæminæ præstat.

C est copia, & colligitur ad hunc vsum decrescente Luna; altera nempe fæmina hoc præstare nõ solet, vt multis multorum experimentis compertum est. Pedes enim anteriores, & posteriores in eodem sunt corpore, specie non differunt, at pæoniæ duæ diuersæ sunt species, & seiunctæ. At dicet aliquis hoc animal non dicitur apponere auri anteriores pedes, vt liberetur à morbo, & propterea id facit, quia posteriores pedes illã possident facultatem, & non anteriores. Huic ego obijcerem quædam experimenta, quibus comprobatum est pedes anteriores suppetias minimè ficulneas epilepticis attulisse. Præterea responderem ipsum argumentum necessitatem non inducere. Potest enim esse vt pedes anteriores eandem illam obtineant facultatem, quàm posteriores, & tamen auri non ita commodè admoueãtur, sicuti posteriores: Videre est enim omnes quasi quadrupedes quando corpus volunt scalpere, aut molestiam aliquam mollire, posteriorum pedum seruitio vti sæpissimè, anteriorum ferè nunquam. Hisce experimentis & rationibus ego adductus pedes huius animalis anteriores inutiles esse ad hanc rem, statuere non possum. Non desunt multæ existimationis viri, sed à musis alieni, qui sic anterioribus vnguibus facultatem hanc egregiam tribuant, vt his solis & præcipuè sinistro omnia impectiant: posterioribus verò nihil aut parum. Hanc suam sententiam hac potissimum ratione cõfirmant: hoc animal cùm eo corripitur morbo,

D in terram supinum concidit, quemadmodum homines quoque solent. Ita dum iacet animal vngues anteriores ex flexura genu ad regionem cordis se demittunt frequẽti motu: Ex quorum appositione, & tactu cor refocillatur, ac resumit vires, & propulso morbo in pristinum statum restituitur animal. Hoc ipsis tam verisimile videtur, quàm quod verisimilimum. Quod verò hoc idem animal epilepsia oppressum eam propellat posteriorem vnguem auri apponẽdo, vt antea dictum est, vt credant adduci non possunt, cùm tamen argumentis cõtradicere nequeant. Doctus autem aliquis hoc modo pro illis refellere posset, cùm epilepsiam definiant Medici conuulsionem esse totius corporis cum principum operationum læsione, quis tam mentis inops est, vt credat durante morbo animali facultatem, aut pedes suum officium præstare? Hoc fieri non posse quotidiana hominum experientia demonstrat. Si igitur animal neque voluntatis officio, neque membrorum seruitio, tunc temporis vti potest, quomodo vnguem posteriorem applicabit? quo autem modo anterior ad cordis regionem suaptè natura concidat quilibet ipse oculis cernere potest in brutis animalibus recenter claua prostratis, ac supinè iacentibus, quibus anteriores vngues cordi adiacent. Hoc argumentum quamuis multum roboris habere videatur, parum tamen me mouet.

Epilepsia quid.

Plu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Pluris enim meo iudicio facienda eſt in hac re multoium aſſertio, & experientia artis effectrix, quàm eiuſmodi argumenta. Rationi ſiquidem, inquit Ariſtoteles, fides adhibenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, conueniunt cum ijs, quæ ſenſu percipiuntur. Ego in Suecia, vbi magna eſt copia horum animalium, & hiſtoriam hanc didici, ne verbum quidem audiui de anteriorum vnguium appoſitione ad cor, neque de morbi ex ea leuamine. De propulſione morbi per appoſitionem vnguium poſteriorum ad aures vno ore omnes aſſerunt, & venatores & ſenes ipſi, quorum opinionibus ſine demonſtratione non minus inhærendum eſſe cenſet Ariſtoteles, quàm demonſtrationib. ipſis.

Lib.6. Eth.

Sed an hoc abſurdum, illud verò probabile ſit, pluribus non diſputo. Accipiat quam quiſque vult opinionem, modo non ſit dubium de virtute vnguium, parui enim ſcire refert, quo modo ſuũ morbum propulſet animal. Attamen ne priorem, & vniuerſaliorem opinionem oppugnatam omninò deſtituam, hoc vnum addo. Quæ egregiam hãc vnguibus facultatem indidit natura, eadem huic animali elargiri particulatim potuit, vt ingruente morbo, quemlibet ex vnguibus auri porrigere, & extendere valeat. Cum igitur hoc animal', vt dictum eſt, poſteriorum pedum ſeruitio, & vſu morbum pellat, ſi quis à me exactius quæreret, quid de ſingulis pedibus ſiue vngulis ſentiam, plus ne vni quàm alteri tribuam, ita ſatisfacerem, primas tribuendas eſſe dextero, ſecundas ſiniſtro poſterioribus: duos anteriores in poſtremis conſtituendos eſſe: Ita tamẽ vt non omninò illius facultatis expertes cenſeantur. Iam verò qui horum vnguium facultates ſe noſſe arbitrantur, & in vſum deduxerunt, conſtanter affirmant, hos præcidendos eſſe ab animali adhuc viuente, & quo ſuprà dictum eſt tempore, alioquin ad rem inutiles eſſe. Olaus Magnus alias quoque conditione in his vnguibus, vt contra epilepſiam ſint efficaces, requirit. Inquit enim: vngula exterior dexteri lateris poſterioris pedis onagri maſculi, qui non genuit, abſciſſa à viuo pede ſecuri, vel alio inſtrumento auulſa poſt medium menſis Auguſti, ſpaſmum aut morbum caducum patienti adhibita continuo ſanat.

Vngues quãdo animali auferendi. Lib.18.

Arduæ ſanè, ac difficillimæ conditiones, quæ ſi omnes eſſent neceſſariæ, non pauciores pro ea vngula aſſequenda difficultates, & labores eſſent ſuperandi, quam pertulit Iaſon pro rapiendo vellere aureo, & facilius fortaſſe eſſet plures phœnices, aut coruos inuenire albos, quàm huiuſmodi vngulas efficaces, ſed harum non parua eſt copia, quare his, quę ſuperſtitionem & vanitatem ſapiunt poſthabitis conditionibus de probabilioribus dicamus. Has itaque vngulas à maſculis tantum animalibus abſcindendas eſſe affirmare non audeo, cùm de ea re ne verbũ quidem audiuerim, aut legerim. Verùm neque pertinacius negare poſſum. Cùm enim corporis bona conſtitutione, robore & alijs tum animi, tum corporis bonis maſculinus ſexus longè ſuperet fœmineum, quem philoſophi imperfectum, diminutum, & mancum vocitare conſueuerunt, non mirũ, imò veriſimile eſt, maſculinum hoc animal vngulæ præſtantia ſuperare fæmineum.

Vnguem maris fœmina præſtare.

Detur itaque hoc Olao, quod eo potiſſimum tempore ſint abſcindendæ facile aſſentior cùm propter ea, quę antea dixi, tum quia ea temporis intercapędine eo morbo grauiùs & ſæpius afficitur animal, quàm alijs temporibus. Veriſimile enim eſt naturam ſagacem, & prouidam, quæ neque in aliquo deficit, neque quicquam fruſtra facit, auxilium indidiſſe pro temporis neceſſitate, atque animalis indigentia. Sed hic duæ poſſunt inſurgere difficultates ſatis graues, quarum prima eſt: veriſimile videtur magis ipſas animalis partes ea vi propulſandæ epilepſiæ vigere quolibet anni tempore. Nam cùm quolibet tempore ſine diſcrimine animal ipſum eo infeſtetur morbo, & appoſitione pedis, aut ad cor, aut ad aurem ſemper refociletur, argumento eſt ipſam vim ſemper illis ineſſe, alioquin non ſemper, ſed eo tantùm tempore, quo virtus ineſt, pedis appoſitio prodeſſet.

An omni tẽpore ablatus vnguis ſit bonus.

Sed ſuppoſitum iam eſt animal ipſum quolibet tẽpore eo corripi morbo, & vngue ſemper ſanari. Quocunque igitur tempore anni abſcindetur vnguis, virtus ei inerit, niſi experientiæ repugnaret multum roboris haberet hoc argumentum. Sed ipſa iam docuit virtutem hanc vnguibus certo tantum tempore abſciſſis inhærere; at poſthabita pauliſper experientia detur animal quolibet anni tẽpore eo inuadi morbo, & pedis appoſitione ſemper ſanari, non tamen neceſſariò ſequitur, quod obijcitur. Dicimus enim vnguem ablatum alio, ac dictum eſt tempore, non tantum roboris, & facultatis obtinere, quantum ſi conſtituto iam tempore ablatus eſſet, & hoc non propter ſucci inopiam, ſed propter aliarum occaſionum defectum. Nihilominus ipſa exigua, & quantumuis debilis facultas ſufficit ſemper pro ſanando corpore cui ineſt, non autem ſufficiet pro altero, cui non ineſt, curando. Separatus verò vnguis quo dictum eſt tempore, cùm multo maiorem vegetioremque vim obtineat, alteri quoq; opem ferre poteſt: quod prouidentiæ ipſius naturæ aſſignare quoque abſurdum non erit, vt antea dictum eſt. Altera difficultas eſt huiuſmodi: non videtur rationi cõſentaneum has animalis partes ea pellendæ epilepſiæ facultate pollere magis, quando animal ipſum eo grauiùs infeſtatur morbo, quàm quando ſanum degit, aut leuiùs afficitur. Veriſimile enim eſt largiorem, & ſalubriorem eſſe animalis ſuccum cùm valet, quàm quãdo infirmatur, aut languet. Quod medicorum authoritate comprobatur, qui quando ad rem medicam aliqua ex anima-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A animalibus conferunt ex boni habitus animalibus,& sanis desumenda præcipiunt. Hoc argumen-
tum sanè validum est, sed non ex omni parte verum;& necessarium: Quandoquidem ex animali-
bus putrida quædam ad rem medicam adhibentur opportunè. Præterea in multis ipsi experien-
tiæ aduersatur,quod si cui mirum videtur, sedato animo quæ sequuntur,audiat: Si iecur canis ra-
bidi assum edatur, remedium esse ijs, qui ab ipso fuerint morsi,proditum est, vt Galenus inquit.
Rhasis quoque inquit: sumere sanguinem canis rabiosi contra morsum eiusdem est certa res,&
experta. Nonne tamen verisimilius esset iecur & sanguinē canis sani sanare, & rabientis morsum
magis lædere? Lapis ab homine extractus, & contritus, & in potu exhibitus calculum in renibus
frangere,& comminuere dicitur ab vniuersa penè medicorum schola. Rationi tamen magis con-
sentaneum videtur ex substantia lapidis apposita lapidi additionem potius, quàm diminutionē,
aut comminutionem fieri, hoc tamen non fit. Oleum scorpionum præsentissimum remedium est
ijs,qui à scorpione morsi sunt. Hæc Galenus ait in libro ad Pisonem de theriaca(sit ipsius aut alte-
rius hic liber non disputo in præsentia)& quæ sequuntur: Vulneri à crocodilo illato adipem ipsius
admotum summopere profuisse animaduertimus,itemque aranei muris morsus, qui etiam inter-
B ficiunt ipso mure araneo contrito, & imposito sine dolore persanari. Simili modo à viperis icti
periculum effugiūt,si trita ipsorum corpora vulneri imposita fuerint. Sed ad rem redeamus, quod
viuente adhuc animali vngues sint præscindendi, ridiculum mihi videtur, nam qui hoc asserunt
timere videntur,ne mortuo animali simul pereant vngues,& illa facultas euanescat. At si viuente
animali præcisi sint,putant fortassis vngues adhuc viuere,& ipsis cōseruare illam virtutem. Quod
quàm absurdum sit, & puerile,aliorum sit iudicium. Mihi quidem videntur vngues nihil inter se
differre,& eodem modo exanimes remanere,tam si ex viuente adhuc animali, quàm si ex mortuo
exscindantur. Si hoc animal paulatim,& sensim,ac tardè aut interitu naturali animam efflaret,
ego in istorum facilius sententiam descenderem, quia in longo temporis curriculo aliquid de fa-
cultate vnguium cum toto corpore consumi,& euanescere posset; Sed cùm ex minimo vulnere,&
ex timore illicò concidat,& pereat,nescio cur de pinguedine,& natura aliarum partium nihil pe-
nè deperdatur, & soli vngues suam illam facultatem eo temporis momento penitus exuant. Hic
mihi negotium faciet rerum nouarum studiosus aliquis, quædam obijciendo, quæ ad fabulosam
magiam potiùs,quàm ad physicam speculationem pertinebunt,cuiusmodi sunt hæc: Caudæ lu- *Mirāda quæ*
C pi creditur inesse amatorium virus exiguo in villo, eumq; cum capitur abijci, nec idem pollere, *dā remedia.*
nisi viuenti direptum. Chelidonius lapis hirundinum ventribus dissectis erutus curat melancho-
liam,& gestantem amabilem facit; sed nisi extractus sit viuente adhuc animali,euanescit eius vir-
tus,extractus verò ex viuente virtutem retinet. Eisdem,& alijs præditi virtutibus dicuntur gera-
nites, draconites, alectorius, & borax lapides, modò quilibet ipsorum ex viuente animali fuerit
extractus. Vnde à simili ducto argumēto,ex istius Magni animalis vnguibus hi tantùm retinebūt
potestatem, qui à viuente sunt decisi. Hæc quidem si ita se habere constaret,probationem aliquā
contra nos facerent. Sed cùm incerta sint, & minimè digna,quæ sine probatione admittantur à
philosophis,hoc vnum dicemus,ignotum per ignotius probari. Demus tamen hæc de cauda lupi,
& lapidibus adducta aliquam veritatem habere, non ideo sententia nostra corruit. Nam & nos
afferre possumus exempla quarundam rerum,quæ ex vita carentibus animalibus dempta operā-
tur,& agunt eadem ferè,quæ ipsa animalia vitam adhuc habentia efficiebant: Ferunt enim lupi-
na pelle tympanum constructum maximè ouibus esse terrori non aliter ac lupus ipse,& quod ma-
ius est eo tympano concusso ea dicuntur tympana dissolui, quæ ex agnino corio sunt confecta.
Tympanum ex vrsi, vel lupi corio confectum & longè pulsatum equos in fugam abigit. Leonis *Antipathia*
D pellis cæterorum animalium pelles absumit non aliter ac leo ipse animalia. Si hæc ita sunt,(dice- *quorundam*
mus nos etiam)cur Magni animalis vngues à cadauere ablatos omni illa virtute spoliatos esse cre *mortuorum*
damus? Sed his omissis, sententiam nostram efficacioribus argumentis roboremus. Facultas igi- *cum viuis.*
tur illa vnguium,quę epilepsiam aufert,aut est quid materiale siue corporeum,aut quid spiritua-
le, siue aereum. Si materiale est, illud remanebit in vnguibus,quouis modo præcisis:sin spiritua-
le,eodem modo prodibit ex vngue tam viui,quàm mortui animalis,quare in neutro remanebit,
sed in aliquo remanebit, ergo illud materiale est, & si huiusmodi, ergo in vtrouis modo præciso
permanebit virtus. Hoc idem exemplis comprobari potest, nam de calculo hominis, vt alterius
calculum conterat,& de lapillis cancrorum nemo dicit eos tantùm ex viuis esse extrahendos. Qui
fibri testiculos commendant,non ex uiuo euiscerandos asserunt. De pretiosissimo lapide bezoar
uocato nostra tempestate tantopere celebrato qui diligentius,fideliusque scribunt,non ex uiuen-
te animali eruendum esse docent,ut mirificis suis floreat dotibus. Quinimò confecto animali la-
pidem è bursula,siue uentriculo extrahi solitum tradunt. Huius generis alia multa adducere pos-
sem,sed prolixitatis euitandæ gratia adductis contentus ero. Non possum igitur nō mirari,quod

ea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ea tam fabuloſa protulerint quidam; ſomniauerunt fortaſſis rem ita ſe habere, & ſua ſomnia, ſiue E
commenta hominibus obtrudere voluerunt, vt vngues iſtos in ſublimi, & inacceſſibili quodam
ſolio collocarent, quo principes, ac magnates tantùm peruenire poſſent. Si enim ita res eſſet, ſicuti
ipſi autumant, maxima vnguium huiuſmodi vbiq; eſſet penuria, quia difficillimum eſſet eo modo
habere. Aſtutia igitur, & calliditate aliquorum arbitror illud in vulgus emanaſſe. Dum enim ma-
gnam prædicant difficultatem in vnguibus iſtis aſſequendis ipſi ſoli, quibus eſt copia aſſequendi,
aliquid ſingulare, & exquiſitum habere videntur, & quando ad principes huiuſmodi vngues do-
no mittunt, illa expoſita difficultate munus ſuum ornant, commentis ac veluti fuco decorant, quo
illud maius videatur, & gratius euadat. His non contradicendi ſtudio, ſed veritatis illuſtrandæ
gratia habitis, finem huic diſputationi facio. Reliquum nũc eſt, vt quomodo applicandus, aut ex-
hibendus ſit hic vnguis, vt malè affectis eam, quam pollicemur opem præſtet, oſtendamus. Si quis
igitur epilepſia correpto partem huius vnguis ſiniſtræ manus digito, quem annularem dicunt, &
rectitudinem habere ad cor, medicorum ſchola aſſerit, intrepidè applicauerit, æger ab hoc morbo
tanquam ex ſomno excitatus, in pedes ſe eriget illicò, ac liber euadet. Si etiam annulus ex eodem F
vngue confectus patientis eundem digitum veſtiuerit, efficacius idem præſtabit, quia non pars,
ſed totus digitus annulum attingit. Si inſuper pars huius vnguis ſiniſtræ palmæ imponatur, ma-
nuſque in pugnum complicetur, morbum confeſtim depellet. Si eiuſdem quoque portiuncula in
aurem ſiniſtram miſſa, & aliquamdiu veluti ſcalpendo mota fuerit, idem ipſum non ſine miraculi
ſuſpicione feliciter præſtabit. Non tantum autem dictis membris hunc unguem applicandum
cenſeo, ſed cordis etiam regioni apponendum ſuadeo. Quamuis enim in hoc morbo cerebrũ pri-
mariò afficiatur ut inſtrumentale, tamen etiam cor per ſympathiam affici certum eſt. Cui ſi ſuc-
curratur eodem ungue, eximiè operam ſuam præſtat ad expellendam craſſam illam materiã, quæ
cerebri meatus occupans hunc morbum facit. Huius vnguis raſuram ipſe dedi, & ab alijs cum fe-
lici ſucceſſu datam ſcio epilepticis pueris cum aqua liliorum conuallium, aut ſpicæ, quam lauen-
dulam uocant. Hic locus mihi in memoriam reuocat, non uulgaria quędam contra eundem mor-
bum remedia, quæ communis utilitatis cauſa huc afferam. Inter omnia primas tenet hic puluis:
Recipe caluariæ humanæ ſiccatæ, & uſtæ unciam unam, raſuræ ungulæ alcis iuſto tempore cæſæ, G
cornu ceruini uſti ana drachmas duas, uiſci quercini, granorum pæoniæ, rad. pæoniæ maris mun-
datæ, rad. tormentillę, rad. & ſem. diptami albi ana drachmam unam & ſemis, ſem. antherę, atri-
plicis ana ſcrupulos duos, coralli utriuſque præparati, eboris recenter raſi, margaritarum præpa-
ratorum ana drachmam unam, fol. auri num. xxx. ſpinarum piſcium unciam ſemis, ſacchari albiſ-
ſimi uncias duas, miſce, & terantur omnia ſubtiliſſimè in lapide porphyrij, & fiat puluis, qui uoce-
tur epilepticus: detur ex eo ad ſummum drachma una cum iulep. viol. aut cum aqua liliorum cõ-
uallium, aut florum tiliæ, aut ceraſorum. Ego aliquando cum felici ſucceſſu exhibui puero epile-
ptico puluerem ex æquali portione raſuræ iſtius vngulæ, rad. pæoniæ maris, & ſuccini candidiſſi-
mi cum aliqua ex iam dictis aquis. Experientia etiam compertum eſt hunc vnguem ſuffocatis mu-
lieribus præſentiſſimè ſubuenire. Nam quotieſcunque parum raſuræ huius addita eadem portio-
ne Zedoariæ cum aliquo conuenienti liquore datum eſt ſuffocatę mulieri, felicem ſucceſſum cum
magna laude inuenerunt medici, quapropter Prutheni medici non contemnendi compoſitis me-
dicamentis nõ ſolùm ad epilepſiam, ſed etiam ad hyſterica dicta ſymptomata hunc vnguem ad-
diderunt. Nec inſidias irem quo minus in vtroque affectu idem etiam præſtari poſſit, ſi pars huius
vnguis alligaretur alicui membro ſuperiori, vbi manifeſtè arteriæ pulſus ſentitur, nec habenda eſt H
ratio dexteræ, aut ſiniſtræ partis hominis in applicatione, ſed rectitudo tantùm inſpicienda eſt,
quam habet ad cor pars illa, cui applicatur. Hæc de therapeutica huius ungulæ facultate ſufficiãt,
nunc ad prophylacticam tranſeamus. Vt igitur aliquis tutus ſit ab eo morbo aliquid de ipſo un-
gue ſecum portare debet. Quot autem modis ad hunc finem quis portare debeat, etiam dicendum
eſt: Qui ex hoc ungue annulum gerit circa digitum, qui minimo proximus eſt ſiniſtræ manus, li-
ber creditur ab hoc morbo. Hunc modum approbant Pæoniæ artis non uulgares artifices. Si quis
etiam fruſtulum ungulæ annulo inſeruerit, ac ipſum ita geſtauerit, ut unguis ſemper digitum illũ
tangat, idem aſſequetur. Nonnulli etiã particulã huius unguis collo appenſam ita ut cõtinuo cor-
dis regioni ſit cõtigua, gerere ſolent, neq; id ſine felici euentu, unde Prutheni multi unguis partẽ
cordis figuram habentem tanquam monile aliquod collo pendens geſtare ſolent. Contra matri-
cis quoque ſuffocationem hunc unguem præſentaneum eſſe remedium, & ab alijs audiuiſſe, &
periculo facto me cognouiſſe fateor. Nam accerſitus, ut medicam manum adhiberem cuidã mu-
lieri ſuffocationi oppreſſę, data huius unguis raſura cum radice zedoariæ alijſque auxilijs ex arte
adhibitis optatum finem cum honore ſum conſecutus. Cùm præterea intelligerem eandem ſæpe
numero eo ipſo morbo tentari, ut partem huius unguis collo appenſam iugiter portaret iniunxi,

Vnguis quomodo applicandus, & exhibendus.

quod

A quod cùm sedulo fecisset, quamdiù ego interfui tribus nempe mensibus semper molestia caruit. Sed si quis cùm applicat, & exhibet hunc vnguem spe, & fine frustratur aliquando, quæso ne aut mendacij notam mihi inurat, aut vngui omninò detrahat, verùm rationem in cõsilium adhibeat, & meminerit morbum ipsum quando diutino tempore inueterauit, & altas radices egit, difficillimè euelli, licet opportunè per se adhibeantur remedia, aliquando etiam vnguis ipse est virtutis expers, aut quia antiquitas, quę omnia consumit, illam perdidit, aut quia idoneo tempore vnguis non est abscissus. Non erraret etiam si quis frustratæ spei causam conferret in immoderatam, & ęrumnosam ęgri victus rationem Si quis modò à me quæreret, qua facultate partes huius animalis, quas recensui agant in corpora nostra, an qualitatibus primis, vel secundis, vel à tota substantia, quam proprietatem occultam, seu formam specificam appellant, facilè respõderem: ipsas agere à tota substantia, quod enim non agant à primis qualitatibus, paucis probatur; cùm enim hę partes temperamento frigidæ sint, ac siccæ, ab his effectus similis effluere non potest: non quia frigidæ, alioquin contra medicos canones frigidus morbus curaretur à simili; non quia siccæ quandoquidem ipsarum tanta quantitas non exhibetur, quæ morbi causam exiccare valeat. A secundis

Vnguis qua vi agat.

B quoque ipsarum qualitatibus nempe duritie, aut mollitie hunc fugari morbum non tutum est asserere; non quidem à duritie, quam obtinent alioquin ossa eiusdem animalis duriora contra eundem morbum efficaciora essent, quod compertum non est: præterea ab his qualitatibus per se nulla prouenit actio. Sumpto igitur argumento a sufficienti partium enumeratione, statuendum est ex modo compositionis, & commixtionis talis succi cum tali materia congenitam esse ipsis animalis membris qualitatem hanc, siue formam specificam, à qua sola propellitur hic sacer morbus, non aliter ac lupinum hepar hominis hepati indurato eximiè medetur à tota substantia, non secundum vnam, aut alteram qualitatem, &c. Vt autem antea dictis adhibeatur fides sciant omnes me hæc omnia, quæ scripsi à probatissimis medicis, & ab alijs non vulgaris famæ, & doctrinæ viris priùs accepta partim multis experimentis cum felici successu comprobasse, partim comprobata ab alijs audiuisse. Hæc itaque omnia Apollonius Menabenus. Scribit verò etiam Gesnerus non rarò profuisse annulum ex hoc vngue amuletum gestare epilepsiæ, sæpius tamen id frustra tentatum, aliosque causam in morbi discrimen reijcere, se verò, animi persuasionem superstitiosis

C rebus magis minusve, aut nullo modo confisam effectus rerum maximè variare credere; Vtcumq; est tam altas hæc persuasio radices in animis hominum egit, vt multos diuersis temporibus vngues in plurimas laminas dessectos amicis petentibus coactus fuerim communicare. De hac fera elegans, & peracutum Andreæ Alciati epigramma est, & à nobis minimè silentio premendum cum lemmate, NVMQVAM PROCRASTINANDVM.

Emblema.

Alciatæ gentis insignia sustinet alce,
Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλλόμενος.
Constat Alexandrum sic respondisse roganti
Qui tot obiuisset tempore gesta breui?
Nunquam, inquit, differre volens, quod, & indicat alce
Fortior hæc, dubites, acyor annè siet.

Familiæ suæ gentilitium stemma hoc emblemate proponit, & explicat Alciatus: Alciatos enim ab alce fera nuncupatos, à fortitudine nimirum & diligentia commendabiles tacitè indicat, sumpto argumento: ab alces feræ natura, quæ vt ex præcedentibus constat equi robore, cerui sceleritate

Alciati vnde dicti.

H commendatur; quod quidem appositè illustrat eleganti Alexandri apophthegmate, qui quęrenti qua tandem via tanta sibi adeo celeriter comparasset, respondit (quod vnguibus alces insertum in emblemata legitur) μηδὲν ἀναβαλλόμενος, nihil differendo, aut recrastinando. Siquidem optima, & accommoda est belli festinatio, quo fit, vt, qui imperant quo rerum difficultates, quæ nonnihi remorando vltrò sese offerunt, arcere facilius possint, eò pede citissimo necesse sit properare, eam enim ob rem Alexander ab omnibus fermè laudatur, quod sua præcipiti in rebus agendis cura, & industria principum omnium celeritatem multis quasi stadijs anteuerterit. Narrant enim pedites sic instituisse, vt sua celeritate equorum cursum adæquarent, ipse ne quidem sibi parceret, noctes vt plurimum insomnes traduceret, seq; crepitaculo excitaret si quando somno corripi se sentiret, quo maximè vigilandum esse intelligeret. Emblema aliud Camerarij inscriptum, ET INFIMA PROSVNT.

Alexander à celeritate laudatus.

Vilior haud pars est alci, nec dignior vngue,
Ergo etiam paruis, gratia magna data est.

Quæ sit in vnguibus vtilitas abunde indicatum est, discere autem inde debemus sępe etiam humilia, & abiecta, atque contempta non exiguam in se vtilitatem continere, quare Plinius rectè dicit: Nihil tam paruum est, quod non gloriam parere possit.

Lib. 15. cap. 14.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

DE RHINOCEROTE. Cap. XXXIII.

Ordo & nexus cum ſuperioribus.

SEPTEM animalia *Monocerota*, ſiue vnum tantùm cornu habentia viri eruditi obſeruarunt, præ alijs Iacobus Dalechampius animaduerſionibus Plinianis lib. 11. cap. 37. His adnumerant *Rhinocerotem* plerique. Ipſe Plinius loco laudato; Sunt, inquit, cornua *alijs* animantibus quadrupedibus *Singula, & hæc medio capi-te, aut in naribus*. Quod tamen quam rerum ſit, nos in ſequentibus diſcutiemus. Malè Albertus Magnus Rhinocerotem & monocerotem idem animalis genus lib. 22. de animalib. iudicat, & cum alij ſequuti, nec minùs imperitè quidam negant vllum eſſe vllibi in rerum natura Rhinocerotem: quando & belluam multi deſcripſerint veteres, recentioreſque, & in theatro aliquoties populus Romanus ſpectauerit. Nec vllum animal eſſe reor, cuius natura, & deſcriptio magis ſit in lubrico, incertoque. Conſulendi ſunt Bellonius, Geſnerus, Ioachimus Camerarius, Angelus Politianus cap. 56. Miſcellaneorum & alij, qui non ſunt mihi ad manum. Etymon illi à cornu, quod ex naſo pullulat, quod infrà quale ſit, videbitur: Et licet ſecundum nonnullos duo habeat cornua, vnum in naſo, alterum paulò ſuprà in frõte, aut vt non nemo exiſtimat, in humero dextro, tamen quia prius eſt longius, fortius, vtilius, ab eo ſumpſit appellationem; Sed hæc infrà fuſius.

Error inſignis nonnullorum.

SYNONYMA.

Piſcis.

HOC nomine veniunt, piſcis, auis, quadrupes fera; *rhinoceros piſcis*, plerumque in mari rubro capitur, & vix aliud tributi genus ab incolis illius fractus, Abyſſinorũ regi pẽditur, vt ex Aluaro Bermudeſio ex alijs auctoribus Samuel Purchaſius lib. 7. peregrinationis Africanæ exequitur cap. 4. Martinus Frobiſſerus ſuſcepta in Americam peregrinatione ſub annum ſalutis reparatæ 1576. cum Oceanum Septentrionalem menſe Iulio glacie conſtrictum, & tranſitu perdifficilem inueniſſet, ibi cõſiſtere coactus multos piſces frigore, vt putatur, enectos reperit, & in his *rhinocerotem* ingentẽ inter ingentes glaciei montes fluctuantem, *rotundum inſtar hiſtricis, duodecim pedes longum, cornu duabus vlnis extenſo, minus duobus digitis, è naſo extuberante, quod rectiſſimum ijs viſum eſt, qui viderunt, eodemque modo, ac pene forma pari cum ijs, quæ Venetijs, ac Diui Dionyſij ſpectantur, pars ſumma reſecta aut fracta erat, cui araneæ impoſitæ ſtatim expirarunt, id Angliæ Reges Vindſoræ inter pretioſiſſima aſſeruandum collocarunt.* Verba ſunt Caſparis Enſij Luſitani lib. 2. hiſtor. Indiæ Occident. cap. 26.

Cornua Rhinocerotis reperta.

Relatum eſt à rerum Britannicarum Scriptoribus ſub annum 1588. inuentum huiuſmodi cornu in littore Sudouolgio ab imperita muliercula, diuenditumque exiguo pretio, poſtea vſui magno fuiſſe, vt in litteris retulit Robertus Saimonius de actis ſui æui. Sed & piſcis iſte eodem nomine varia deſcriptione apud modernos audit Geographos; nam quæ in terra viridi in nouo orbe cornua ſũt, longè figura diſſident ab illis, quæ in mari rubro frequenter viſuntur, vt Ludouicus Vrreta Franciſcanus exquirit lib. 1. hiſtor. Aethiop. pag. 247. Nuper ante annos decem Thomas Button, & Robertus Baffin in Inſula Fœminea in Atlantica deprehenderunt totam incolarum opulentiam conſiſtere in iſtiuſmodi cornibus, quibus maxima virtus aduerſus quælibet venena, vt fuſiùs habetur peregrination. Americæ lib. 8. cap. 3. Obſeruaui etiam in inſula Ramea, & toto maris adiacentis tractu inuſitatum noſtro hoc orbe piſcem memorari, quem *bouem marinum* nominant, cuius magnitudo bouem quemlibet æquat, aut ſuperat, corio duplo craſſiore, duo dentes elephantinos referunt, etſi paulò breuiores, cornu è naribus excreſcente, cuius incredibilis aduerſus quælibet toxica vis eſt, ſi vera ſunt, quæ tradidit Iacobus Chartier in Noua Francia.

Bos marin⁹.

Auis.

Rhinoceros auis volatu admodum pernici, & incitato fertur, *corporis magnitudine aquilam ſuperare, roſtro incuruo, quatuor pedes longo, inter oculos cornu extante, quod nigra linea continuo producta diſterminatur. Eſt auis crudelis, & immanſueta, ſequiturque exercitus, & cadaueribus depaſcitur. Viſa eſt vna à Luſitanis enauigato mari rubro, cùm Solimanus Eunuchus claſſem circumduceret, eadem virtus huius cornu, ac quadrupedis,* vt narrauit Ludouicus de Vrreta lib. 1. hiſt. Aethiop. pag. 344. Recolo ſub annum 1595. *in Guianu viſam auem, & Gualthero Raleo in portu Morequito oblatam à rege Armadillam,* ita indigenæ vocant, *cuius pennæ ita diſpoſitæ, vt loricæ ſquammas referant,* excreſcente longo cornu, quo illi vtuntur pro tubis. Petrus Martyr Decad. 3. lib. 6. *Roſtrum cius*

Tuba ex cornu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *eius porcino non esse longius, & sub terra, vt talpam viuere, interdum etiam altum volare, carnē esui non insuauem, cornu præcipuum antidotum haberi* prodidit Monardus author verax cap. 37.

Rhinoceros quadrupes fera nobis hoc opere est describenda, quam solam veteres, nec omnes quidem illi cognouerunt, *auem* eo nomine, & *piscem* penitus ignorarunt. Nos succintè de fera acturi à naturali descriptione exordium ducemus.

GENERATIO, ET COITVS.

GENERATIO eius qualis sit C. Plinius expressit lib. 10. cap. 63. *Coitus aduersus Elephāti, Camelis, Tigribus, Lyncibus, Rhinoceroti, Leoni, Dasypodi, Cuniculis, quibus auersa genitalia.* Eodem ferè tenore C. Iul. Solinus cap. 40. polyhistor. *Auersi coeunt nec hi tantùm, Leones, sed & Lynces, & Cameli, & Rhinocerotes, & Elephanti, & Tigrides.* Siue ille Plinium transcripsit, siue illum Plinius fontem, à quo hauB riret, habuit, alter certè ab altero dissidet, nam Dasypodi, & Cuniculi ab isto omittuntur, ab eo enumerantur, & minùs incuriosus vtroque est Aristoteles lib. 5. de histor. animal. cap. 2. ὀ μὴν ὁμοίως γε πάντα πλησιάζουσι ἀλλὰ τὰ μὲν ὀπισθουρητικὰ συνίοντα πυγηδὸν, οἷον λέοντες, καὶ δασύποδες, καὶ λύγκες. *Verum non omnia simili modo coniunguntur, sed quæ retrò vrinam emittunt, auersa coeunt, vt leones, lepores, lynces.* Ita vertit Theodorus Gaza imperitissimè: nam Δασύποδες non sunt lepores, sed diuersum longè animal, quod Latinum nomen non habet. C. Plinius lib. 8. cap. 55. *Lepus omnium præda nascens, solus præter Dasypodem, superfetat.* Sed & ipse Philosophus lib. 1. histor. animal. cap. 1. ad finem, ἔλαφος, λαγὼς, δασύπους. *Ceruus, Lepus, Dasypus.* Ibi æquali inconsiderantia idem vertit, *Cerui, lepores, cuniculi*, cùm vertere debuisset, *Ceruus, Lepus, Dasypus.* Idemque error in translatione eiusdem de opere lib. 3. cap. 12. & lib. 8. cap. 28. Sed & apertissimè hæc animalia distingui probant apud Athenæum lib. 9. versus cultissimi Archestrati, Callicratis Comici, Alcæi, Aristophanis, Xenophontis, & aliorum. Verùm ad generationem redeo Rhinocerotis, de qua nihil Aristoteles, Aelianus, Phile, nec Agatharcidas, nec quisquam Græcorum, quod sciam, C vt appareat nusquam perfectam huius animalis cognitionem haberi. Nam nec quot cōcipiat, aut pariat, quamdiu viuat, aut qua cura fœtum educet? apud vllum deprehendi.

Coitus auersus.

Dissidēt Latini a Græcis.

Gazæ error.

NATVRA, DESCRIPTIO, sexus, locus.

FERAM istam Aristoteles notam non habuit, ieiunè, præter morem suum delineauit C. Plinius lib. septimo cap. vigesimo. *Rhinoceros vnius in nare cornu, alter hic genitus hostis elephanto, cornu ad saxa limato præparat se pugnæ, in dimicatione aluum maximè petens, quam scit esse molliorem, longitudo ei par, crura multò breuiora, color buxeus.* Remissè, ac parcè ille, quod parua admodum eo adhuc sæculo istius quadrupedis Romanos attigisset notitia, nec quequā Iuba Mauritaniæ Rex, D cuius authoritati plurimum Plinius defert, super eo prodidisset, vberius Agatharcides polyhistor. excerptis Historicis apud Photium Patriarcham Bibliothecæ Codice 250. Cuius antiqui Scriptoris verba ex lib. primo de mari rubro cap. trigesimosexto, apposui ex versione Laurentii Rhodomanni, nam Græcus Codex non est ad manum. *Rhinoceros vastitate quidem non minor, sed altitudine inferior est Elephanto, buxique refert colorem, pellis etiam contactu tenuior, is repandum in naribus fert cornu, ad ferri vim, & rigorem proximè accedens, quo cætero quidem tempore, ad quamcunque approximet cautem, limato, præcordia verberat impetens, sed in dimicatione cum elephanto* (cum hoc enim de pascuis continuas habet conflictationes, ac capitales luctas) *ventrem subit, & perrupto carnium ambitu exanguem facit, plurimique Elephantum ita exanimati cernuntur; at si aluum contingendi copia non datur, contra ipse à proboscide, & dentibus ictus, varijs modis amittit vires, & deficit, quia robore, & vi ab illo permultum differt.* Concordes illi sanè, sed non parum ab illorum sententia dissident, qui res Americæ exequuti sunt: Nicolaus de Comitibus Venetus in itinerario suo ad Indos. In Mangi prouincia *Rhinoceros suillo capite, bouina cauda, in fronte cornu gestat non breuius bipedali longitudine, Elephantino est colore, cum quo illi perpetuum bellum. Cornu huiusmodi in pretio est apud omnes, quod venenatis rebus remedio esse censeatur.* Hæc tam sunt aliena à descriptione veterum, vt aliud illud animal esse, ac Monocerotem verius, quàm Rhinocerotem suspicari iure liceat; ita censuit Simon Maiolus vir litteratissimus Dier. Cunicular. colloq. septimo.

Neoterici dissident à priscis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Quale cornu, & quotuplex?

Nec minor eſt diſſenſus de cornu, nam laudati hactenus vnum ei tantùm cornu adſignant, Pauſanias, grauis, & fidelis Scriptor, duo, *alterum inſigni magnitudine de naribus extans, alterum quod ſupernè erumpit, exiguum quidem, ſed validiſſimum.* Adducit ſanè me locus ille, vt de ſuccincta relatione C. Plinij iterum querar, & exiſtimem quibuſdam Rhinocerotibus duo eſſe cornua, ſed non omnibus; nam nec veriſimile Agatharchidem cum Plinio, & alijs intrà citandis, hoc tam ſupinè neglexiſſe, nec locus M. Martialis Coqui explicari poteſt, niſi duo cornua admittamur, ita enim libro ſpectaculorum epigr. 22.

Namque grauem gemino cornu ſic extulit Vrſum.

Pulchrè deſcribit Oppianus Cilix lib. 2. Cyneget. V. 552, ſed inaudita ab alijs ratione, quod ſciam, Sexum in eo animante ſequiorem non eſſe, nec in ſpecie fœminam eſſe, quæ pariat, concipiatve: verba eius ſunt,

Ρ'ινόκερως δ' ἔρυγος μὲν ἔφυ δέμας αἰθυκτῆρος
ὐ πόλλον μείζον, ὀλίγον δ' ὑπὲρ ἄκρια ῥινὸς
Α'ντέλλει κέρας, αἰνὸν, αἰκαχμένον, ἄγριον ἄορ
κείνῳ κεν χαλκόν τε διατρήσειεν ὀρούσας
οὐτήσας, βριαρήν τε διατμήξειε χαράδρην
κεῖνος, καὶ σθεναρῷ περ ἐφορμηθεὶς ἐλέφαντι
Πολλάκις ἐν κονίῃσι νίκην τοιοῦτον ἔθηκεν
Η'ρέμα δὲ ξανθοῖς ἐπὶ καλλικόμοισι μετώποις,
καὶ νώτῳ ῥαθάμιγγες ἐπήτριμα πορφύρουσι.
Πάντες δ' ἄρρενες εἰσὶ, καὶ οὔποτε θῆλις ὁρᾶται,
καὶ πόθεν οὐκ ἐδάην, φράζω δ' οὐχ ὡς δεδάηκα
εἴτ' οὖν ἐκ πέτρης ὀλοὸν τόδε φῦλον ἐπῆλθεν,
εἴτ' αὐτόχθονές εἰσιν, ἐπαντέλλουσι δὲ γαίης,
εἴτε πρὸς ἀλλήλων, τέρας ἄγριον, ἐκφύονται.
Νόσφι πόθων, καὶ νόσφι γάμων, καὶ νόσφι τόκοιο.

Ea ſic Latinè ſonant, nam vulgata verſio haud quaquam conſona Græcis

Rhinoceros autem Oryge, aſino Indico, *eſt corpore impetuoſo*
Non multo maior, paruum vero ſupra ſummitatem naſi
Surgit cornu, graue, acutum, indomitum telum:
Illo ferrumque penetrarit impetu facto
Vulnerans, ſolidumque diſſecuerit ſaxum.
Sæpe in pulueribus mortuum ipſum proſtrauit,
Senſim verò in ruffa, & pulchricoma fronte,
Et in dorſo maculæ confertim purpuraſcunt.
Omnes verò mares ſunt, nec vnquam fœmina conſpicitur,
Et vnde naſcantur non noui, loquor non tanquam ſciam,
An ex petra pernitioſum hoc genus prodierit;
An ex terra geniti ſint, exiſtantque è tellure,
An ex ſeſe mutuo, portentum horrendum, procreentur,
Sine amoribus, & ſine nuptijs, & ſine puerperio.

Perierunt multi veteres auctores

Multa ille ab alijs prætermiſſa nos in iſto quadrupede docet, vt reor ſanè, quod viſum ſemel animal ad ſui explicandam naturam multos vtriuſque linguæ auctores excitarit, ita ſuadet Claudius Aelianus lib. 17. de animalib. cap. 44. Ρινοκέρωτος εἶδος γράφει τις ἔωλον ἐστὶν, ἴσασι γὰρ καὶ Ἑλλήνων πόλλοι, καὶ Ρ'ωμαίων τεθεάμενοι, τὰ δ' ἴδια αὐτοῦ κατὰ τὸν βίον εἰπεῖν, οὐ χεῖρον ἐστὶ. In primis verbis latet mendum, ideo reſcribendum εἶδος γράφειν μὲν, & ſic ſenſus conſtat. Petrus Gillius vertit: *Rhinocerotis figuram deſcribere, nimis frigidum eſſet, cùm Græcorum permulti, & Romanorum qui illum viderint, eius formam planè ſciant, at enim vim, & naturam eius actionum exponere alienum non eſt.* Sed vereor ne illi perierint, nec ad nos peruenerint. Et certè multum Oppianus ab alijs differt, nam aſino Indico, ſeu orygi tantùm magnitudine parem vult, cùm alij æqualem Elephanto extollunt: Quæ illi eſt ruffa frons, & dorſum maculis purpureis diſtinctum, aliis eſt color buxeus: Omnes mares eſſe fidem omninò ſuperat, tam vaſtum animal ſine ſemine, aut coitu poſſe prodire: Et tamen id probat exemplis idem Aelianus.

Η'δη καὶ διερῇσιν ἐν ὑγροπόροιο θαλάσσης
Βένθεσιν, αὐτόρρεκτα φύει, καὶ ἀμήτορα φῦλα
Ο'στρεον ἠπεδανάιτ' ἀφύαι, κόχλων τε γένεθλα
Ο'στρακάτε, στρόμβοιτε, τά, τε ψαμάθοισι φύονται.

Ita verſa concipiuntur.

Iam

Iam etiam in humidis vndosi maris
Gurgitibus, à seipsis facta nascuntur sine matre secula;
Ostreum, imbellesque apuæ, cochlearumque genera
Testaceaq́, conchyliaq́, & quæ in arenis nascuntur.

Commentum hoc ab ignoratione naturæ, vt puto, profluxit, non aliter quàm *hyænam alternis annis marem, alternis fœminam fieri, & sine coitu parere vulgus credit.* Plin. lib. 8. cap. 30. & lib. 28. cap. 8. & tamen illud negante Aristotele lib. 3. de generat. animal. cap. 6. asserere non dubitarunt plerique veterum, & in his Aelianus disertus, & Phile lib. de proprietate animal. cap. 43.

Error ab gnorantia.

Ἄῤῥην μὲν ἦν ὕαινα τὸν χθὲς πȣ̃ χρόνον,
θῆλος δὲ τὸν νύν.
Hyæna quæ mas pridie videnda erat
Nunc fœmina est.

Auget suspicionem ignorantiæ antiquorum, & firmat sententiam meam vel illud præcipuè, quod pauci explicant qua regione potissimùm Rhinoceros proueniat, aut ubi gentiũ uiuat? Paulus Dia-
B conus Epitomastes, Festi Pompeij lib. 16. *Rhinocerotem quidam esse aiunt bouem Aegyptium* falsò planè, nec unquam in Aegypto uisus ille, nisi fortuito casu illatus, ut ex Strabone infra patebit; Alij *Aethyopicum quadrupedem* contendũt ex loco Pausaniæ in Bœoticis, siue *Taurum* uocari, quod erroneum, nam ibi loci ait ille in Aethyopia taurum esse, qui ob similitudinem cornu ab ignaris appelletur *Rhinoceros*. Relinquitur ergo certum & in Africæ desertis, ubi *Elephanti* sint, ibi & Rhinocerotes esse, & in India, quod nouo orbe detecto patrum nostrorum memoria rerum esse est deprehensum. Anton. Fernand. Soc. Iesu. epist. datis anno 1610. in Abassia regno reperiri ait. Peregrin. lib. 7. cap. 6. Et in Asiæ multis locis hodie uisitur, maximè in regno Bengala. Vide infrà in speciebus uarijs.

De loco non conuenit.

CORNV, ET PVGNA cum Elephanto.

C NONNIHIL suprà de cornu obiter attigimus, hic fusius idem pertractandum; Nonnulli ergo unum ei tantùm cornu adsignant, præter naturalium rerum auctores Septimius Florens Tertullianus lib. 3. contra Praxeam. *Non vtique destinabatur Rhinoceros vnicornis, nec Minotaurus bicornis.* Non omnes istum sequũtur, sed & Martialis duobus illum cornibus depræliari, loco suprà laudato, asseruit, quod Angelus Politianus *geminum illud cornu ad Vrsum* retulerit, ut sit *Datiuus*, ut ipse loquitur, ferri non potest; Vrsus enim cornua non habet: ad ipsum Rhinocerotem geminũ cornu spectare docent uerba Pausaniæ loco proximè supra laudato. ὅτι σφίσιν ἐπ' ἄκρα τῇ ῥινὶ ἐν ἑκάςῳ κέρας, κὶ ἄλλο ὀπὲρ αὐτὸ ȣ̓ μέγα, ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς ȣ̓δ' ἀρχὴν κέρατα ἐςὶν. *Quoniam illis in summa nare singulis vnicum cornu, tum aliud suprà non magnum, verùm in capite, ne initio quidem cornua.* Vtrũq; hoc cornu in capite, secũdũ Martialem, & Pausaniam; at quidam *in humero dextro cornu illud secundum, & breuius esse* contendũt Indicar. rerũ relat. lib. 3. c. 7. Domitiũ Calderinũ teprehendit Angelus Politianus, defendit uiriliter Iacob. Mazzonius lib. 1. defens. Dant. c. 35. Vtcumq; sit, cornu, quod è nare
D surgit, & nomen tribuit, & à uirtute præcipua extollitur, quod ut Monocerotis cornu uenena propulset, auctores supracitati, Phile lib. de propriet. anim. c. 36. Io. Tzetzes histor. Chiliad. 5. c. 7.

Pugna Grãmaticorum.

Τὸ κέρας τȣ́τȣ κόπτȣσιν, ἀντιπαθὲς φαρμάκȣ
Τὸν θῆρα δὲ φιλόκερων ἐῶσιν ἀποτρέχειν.

Paulus Lacisius Veronensis uertit benè.

Cornu huius incidunt, venenis contraria vi præditum
Feram autem spoliatam cornu sinunt aufugere.

Sunt porrò alij, qui fabulas meras putãt, quicquid de cornibus Monocerotis, aut Rhinocerotis dicitur, nec quippiam uirium ijs inesse ad uenena depellenda, aut indicãda, omniaq; ea, quæ Principes pleriq; inter pretiosissima asseruant, fictitia esse, ut quòd habent Rex Britanniæ ad Vindsore, rex Galliæ ad Diui Dionysij, Veneti ad Diui Marci, quodq; Clemens VII. Pontifex Regi Francisco donauit, quodq; in direptione ædium Petri Medicæi Florentiæ à Gallis occupatũ memorant Paradinus, & Paulus Iouius lib. 18. histor. talem enim uirtutem illis inesse nec ueteres ulli prodiderunt, & negant nostro æuo docti: aut si quid mirabilium in ueneno detegendo ab illis fieri compertum sit, id non naturæ ipsorũ adscribendũ censent, sed antidotis quibusdam, ex quibus cornua ista

Vis venena pellendi an insit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

temperentur,& manu fiant, quod in Iudæi cuiuſdam artificio manifeſtum volunt, qui tale cornu E Reip. Venetæ vendidit. Sed vt de virtute illa venenum extinguendi, depellendique incertum, ita illud exploratiſſimum cornu Rhinocerotem vti cùm pugnam cum Elephanto init. C.Plinij locus corruptus eſt lib. 18. cap. 1. *cùm arbore exacuant, limentque cornua Elephanti, & ſaxo Rhinocerotes & vtroque apri dentium ſicas.* Legendum eſt plano, apertoque ſenſu. *limentque cornua Elephanti, & ſaxo Rhinocerotes, & vri, & apri.* Eodem enim pugnæ genere vti *Rhinocerotem*, & vrum, dicetur infra. Denique omnem hunc inter feras iſtas inimicitiæ naturalis, & pugnandi ritum expreſſit Cl. Aelianus lib. 17. cap. 44. Latini interpretis verba ſufficient: *In ſumma nare, cornu gerit, cuius mucro acutus exiſtit, ex eoque nomen traxit, neque ipſum illud in robore concedit ferro, quod quidem ipſum, cùm eſt contra Elephantum pugnaturus, ſaxis exacuit, & limat. Cætera non ei paria cum Elephanto, nam hic & proceriſſimus eſt, & fortiſſimus. Cornu igitur cuſpidato Elephanti crura ſubiens, aluum diſcerpit, & lacerat, iſque effuſo ſanguine decumbit; pugna eorum eſt de paſtionibus, pro ijſque tuendis multi mori dicuntur. At ſi aluum non præoccuparit Rhinoceros, ſed inter hunc conatum ab Elephanto præueniatur, illius proboſcide apprehenſus, attrahitur, & retinetur, & dentibus ceu ſecuribus conſcinditur, ac tametſi eius pellis ea exiſtat firmitate, vt ægrè iaculo penetrari queat, tamen tam* F *violentus eſt Elephanti impetus, vt eam traijciat.* Hinc ille fortè à pellis duritia nomen videri poſſet mutuatus, nam Græci vt ῥίνα *naſum*, ita ῥινὸν *pellem* appellant; pugnat tamē cum Plinio Aelianus; nam iſte duriſſimū huic, & vix iaculo penetrabile corium attribuit, ille multo tenuiorem Elephantinæ pellem ac delicatiorem adſignat. Sed parum intereſt, dummodo vtriuſque belluæ natura, pugnamque ineundi ratio conſtet, & percipiatur.

Negant antiqui, & docti quiq;.

Etymon nouum.

QVANDO PRIMVM in Europa viſus.

EXOTICVM eſt, peregrinumque animal, nec æuo Ariſtotelis Græcis, nec Romanis quidem ante annum Vrbis conditæ 666. cognitum ſed per quos Italiæ mō ſtratum, aut cuius opera productum, inter antiquarios nō conuenit, quam contro- G uerſiam tangit Cælius Rhodiginus lib. 16. Antiquar. lection. cap. 15. Dio Cocceianus lib. 51. vult Auguſtum Octauianum, deuicta Cleopatra, cùm anno 12. triumphum de ea duceret, qui fuit Vrbis annus 725. Rhinocerotem omnium primum in triumphali pompa traduxiſſe, & publica ludorum ſolemnitate confeciſſe, θηρία κὶ βοτὰ ἄλλα τε παμπληθῆ, καὶ ῥινόκερως, ἵππος τε ποτάμιος, πρῶτον τότε ἐν τῇ Ρώμῃ ὀφθέντα ἐσφάγη. Καὶ ὁ μὲν ἵππος ὁποῖός τις ἐστι, πολλοῖς τε εἴρηται, κὶ πολὺ πλείοσιν ἑώραται, ὁ δὲ δὴ ῥινόκερως τὰ μὲν ἄλλα ἐλέφαντί πῃ προσέοικε, κέρας δέ τι κατ᾽ αὐτὴν τὴν ῥῖνα προσέχει, nalim προέχει κὶ διὰ τοῦτο οὕτω κέκληται. Vertit Franciſcus Sylburgius: *Multæ feræ, ac animantia* in triumpho Actiaco traducta, aut prælata, *& inter hæc Rhinoceros, & equus fluuiatilis:* Hippopotamum Latini Græca voce appellant, *tunc primum, & viſi Romæ, & occiſi ſunt. Equus ille quale ſit animal, multi tradiderunt, multo plures viderunt. Rhinoceros autem cætera Elephanto ſimilis eſt, cornu autem ex ipſo naſo prominens habet, & hinc nomen ſuum inuenit.* De vtroque animali falſum; nam Hippopotamus ludis Aedilitijs M. Scauri primùm populo Romano oſtenſus, Plinio auctore lib. 8. cap. 26. & Rhinocerotem primus Cn. Pompeius magnus H ludis editis exhibuit, multis antequam naſceretur Octauianus annis. Idem Plinius lib. 8. cap. 20. qui cùm Romanus eſſet, & claſſis Romanæ præfectus, & ducentis annis, vt minus, ſæculo illi vicinior fuit, erraſſe Græculum in re peregrina facilè apparet. Adde, contra Dionem pro Plinio ſtare C. Iulium Solinum Polyhiſtor. cap. 43. *Ante ludos Cn. Pompeij Romana ſpectacula Rhinocerotem neſciebant.* Hanc ſententiam vt veriorem ſequuti viri graues. Anton. Coccius Sabellicus in paraphraſi ad Suetonij locum laudatum. Patrum etiam noſtrorum memoria Emanueli Luſitaniæ Regi oſtenſum, donoque datum Rhinocerotem recentiores Hiſtorici adnotarunt, & in his Laurentius Surius commentar. Rer. ſui tempor. ad annum 1513, & alij. Et qui hodie Americam nauigando explorarunt, frequenter feram ipſam vident, frequentius abiecta cornua, neglectim iacentia reperiunt.

Pugna Hiſtoricorum.

Error Dionis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

VSVS IN SPECTACVLIS Romanis, & cruentus conflictus.

VSVS eius Romæ, nisi explendæ populi libidini, nullus; nam in eo, præter atrocem, cruentamque dimicandi naturam, nihil memoratu dignum, aut vitæ necessarium, deprehenderunt, itaque vt quæcumque alia animantia visu rara, aut corporis mole horrenda, ita *Rhinoceros*, & in pompa Triumphali prælatus, & gladiatorijs ludis in arena theatri, aut Circo producebatur. Hostes ei componebant, & cum illo committebant, vt verbo proprio vtar, vel hostem suum naturalem, scilicet Elephantem, qui plerumq; ab illo superabatur, vt ex superioribus constat, & experientia nuper comprobatū, cùm anno 1515. Emanuele Portugalliæ rege spectaculum edente Vlysippone Elephantem post longum certamen prostrauit, vel hostes ei in spectaculo nulli, ita intelligendus est C. Suetonius in Augusto cap. 43. *Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quando quid inusitatum, dignumve cognitu aduectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare, vt Rhinocerotem apud septa, Tigrim in scena, anguem quinquaginta cubitorum pro comitio.* Innocua hęc erant spectacula, nec effuso sanguine populus oblectabatur, sed sola oculorum voluptate erat contentus. At in cruento arenæ certamine aliquoties à Domitiano productus, ac cum Tauro commissus. Martialis coquus libello Amphiteat epigr. 9. *Elephātem superat.*

B

Præstitit exhibitus nuper tibi, Cæsar, arena,
Quæ non promisit prælia Rhinoceros.
O quam terribiles exarsit pronus in iras?
Quantus erat cornu, cui pila Taurus erat?

Nullum animal ferocius eo, nec quod valentius in arena depugnaret. Culpant autem Martialem nonnulli ex Criticorum grege, quod belluæ iram tribuerit, sed nec malè id ille, nec sine exemplo fecit. Martian. Capella lib. 4. pag. 361. L. Seneca lib. 1. de Ira cap. 3. dixi ad Claudianum consulatu Olybrij, & Probini in principio. Eodem opusculo Martial. epigr. 22. *Ira belluę.*

C

Sollicitant pauidi dum Rhinocerota magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ:
Desperabantur promissi prælia Martis:
Sed tamen is redijt, qui fuit ante furor.
Namque grauem gemino cornu sic extulit Vrsum,
Iactat vt impositas Taurus in astra pilas.

Penultimum versiculum liquet esse vitio librarij deprauatum, neque enim tam vasto, & forti, cornutoque animali, ac est *Rhinoceros*, credibile videtur *Vrsum* oppositum, qui nec corporis mole, nec robore, nec armis ei vllatenus conferendus foret, quare refingendum

—— *grauem gemino cornu dum sustulit Vrum.*

Domitius Calderinus, & Angelus Politianus retinuerunt malè *Vrsum*, quum *Vri* natura vis, proprietas, illi loco potiùs conueniant: Plinius lib. 18. cap. 1. suprà à me correctus, & lib. 11. cap. 37 tam lata Vri cornua describit, vt rarò alijs poculis barbari ad Septentrionem vergentes vtantur, Seruius ad lib. 2. Georg. Eadem alij. L. Seneca Hippolyto Act. 1. Sc. 1. *Vrus hostis.*

D

Tibi dant variæ pectora Tigres,
Tibi villosi terga Bisontes,
Latisque feri cornibus Vri.

Hucusque de indomito eius robore, pugnacitate, naturaque, attexui, pergo porrò.

CORNV QVALE.

INGENS auctorum dissidium cogit hic ampliorem de cornu eius disquisitionē instituere, omnia enim sunt in incerto. 1. Sunt qui duo, vt dixi, cornua ei affingāt, vt præter laudatos suprà, *Nummus Domitiani* repræsentatus à Pierio lib. 2. Hieroglyph. ad finem. Eucherius vetustissimus auctor. *Terribilis fera Rhinoceros, cui gemina in naribus cornua.* Et euicit pæne eruditorum consensus, vt duo cornua eam habuisse constet. 2. quo in loco hæc cornua, quave figura? Valde est ambiguum, in eodem Domitiani nummo cornua æqualiter, parique magnitudine ē naso excrescunt, nisi fortè, quod credibi- *Nūmus Domitiani.*

lius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

lius eſt, formā illa Elephantis eſt, non Rhinocerotis, vt ſchema oſtendit, à Pierio ibidem loci productum.

Alijs placet duo quidem eſſe cornua, ſed inæquali magnitudine, & illi in diuerſas ſententias abeuntes, Domitius Calderinus, & Theodorus Marcilius cornu maius in nare collocāt, minus in humero, Nonnulli demum maius cornu in naſo, minus in fronte, aliquo ſupra ſpatio, conſtituunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Eſt & quorundam Doctorum opinio, & in his ſunt Ioannes Bodinus, & Conradus Ritethuſius comment. in lib. 2. Oppiani, qui cenſent maius cornu ſuprà, minus verò infrà eſſe, ſed nos arbitrio Lectoris, quid ſequendum ſit, relinquimus.

3. Nec minus difficultas eſt de forma ipſius cornu. Suprà obiter attigi *rectum* fuiſſe *inſtar tubæ, linea nigra tranſcurrente:* Alijs rectum quidem eſſe iudicatur, ſed ſine linea. ſunt viri clari, qui cornu illud incuruum, forma litui credunt fuiſſe. Præeat Artemidorus Geographus apud Strabonem lib. 16, cuius verba Latina ſunt, nam Græca non ſunt ad manum. *Rhinocerotes longitudine parum ab Elephantis exceduntur, quos Alexandriæ vidiſſe affirmat colore buxeo, Elephanti ſimilis, magnitudine Tauri, forma Apro proxima, præſertim quoad rictum, præter naſum, qui cornu quoddam eſt recuruum, omni oſſe durius, eo pro armis vtuntur, quemadmodum aper dentibus, habet enim duo cingula tanquam Draconum volumina dorſo vſque ad vterum circumeuntia, alterum iubam verſum, alterũ ad lumbum. Hæc dicimus de eo, quia nobis viſus eſt.* Diodorus Siculus eadem ſcribit lib. 4 Biblioth. cuius verba, interprete Laurentio Rhodomanno, hæc ſunt: *Eſt animal, quod ab re Rhinocerotem vocant, par viribus Elephanti, magnitudine inferior, pelle duriſſima, colore buxi, in ſummitate naſi cor-*

Cornu forma.

B *nu gerit, ſimum forma, durumque inſtar ferri, hoc pabuli cauſa cum Elephante certat: acuit enim ad ſaxa cornu, deinde cum Elephante congreſſus, ventrem grauiter ictum cornu, tanquam gladio proſcindit, hoc pacto pugnans, belluam exanguem reddit: Si verò Elephas illius ictum præoccuparit, proboſcide captum, cùm ſuperior ſit viribus, dentibus laniat.* Et cornu ille, & pugnam egregie deſcribit.

Præſtantia.

Agatharchidas vetuſtiſſimus auctor. σιμὸν δὲ ἐπ' ἄκρων φορεῖ τῶν μυκτήρων κέρας, σιδήρῳ τὴν βίαν παραπλήσιον. *Repandum in naribus fert cornu, ad ferri vim & rigorem proximè accedens.* Ea etiam Latinorum ſententia eſt. C. Iulius Solinus polyhiſtor. cap. 63. *In naribus cornu vnicum, & repandum, quod ſubinde attritum cautibus in mucronem excitat, eoque aduerſus Elephantos præliatur, par ipſis propè longitudine, breuior cruribus, naturali telo aluum petens, quã ſolam intelligit ictibus ſuis peruiam.* Ita ergo, antea malè *ſolum* legebatur. Euincunt ergo tot illuſtrium, & antiquorũ Scriptorum teſtimonia, vt exiſtimem non rectum, neque linea diſtinctum, ſed planè leniter inflexum, ac recuruum fuiſſe, ita tamen vt curuatura illa modica nulla ratione pugnam cum hoſte impediret, haud longè figura abſimili ab aprorum dentibus, vt arbitror, quando *Vrum* facilè eo tol-

C lere potuiſſet.

CORNV VSVS IN BALNEIS.

MAxima in thermis, ſi vlla in re, Romanorum ſuperbia, nam & ingens in ijs apparatus, & ſumptus immodici, & quotidianus luxus. Q. Symmach. lib. 8. epiſt. 23. M. Plaut. Trucul. Act. 2. Sc. 3. Ad has Capſarij, ſeu quadrantariæ mulieres guttos habebant, in quibus oleum reſeruabant vulgaribus loturis idoneum. Vetus Scholiaſtes Iuuenalis ad Satyr. 3. V. 262, *Guttus ab eo, quòd guttam mittit, quem habent Capſarij*, Ipſe Satyricus ibi loci:

Iam lauat, & bucca foculum excitat, & ſonat vnctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.

Vt gutto tenuioris fortunæ homines contenti, lautioribus cornu Rhinocerotis pro gutto erat.

D Vetus Scholiaſtes Iuuenalis ad Satyr. 7. V. 130. *Magno Rhinocerote, ideſt, magno gutto, quod ſicut Rhinoceros ſit ingentis naſi.* Ipſe poeta

Gutti balnei.

——— *Matho deficit, exitus hic eſt*
Tongilli, magno cum Rhinocerote lauari.

Ex cornu iſto guttus erat grãdi pretio. M. Martial. lib. 14. epigr. 53. cuius lemma eſt *Rhinoceros.*

Nuper in Auſonia Domini ſpectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila Taurus erat.

Præcedentis epigrammatis lemma fuit, *guttus corneus*. Vt appareat ipſa Rhinocerotis, & bouis cornua, nulla facta mutatione, guttos facta. Ipſe Epigrammatarius:

Geſtabat modò fronte me iuuencus,
Verum Rhinocerota me putabas,

Erant paupere Republica gutti etiam fictiles, & lignei, vſibus domeſticis, & ſacris peragendis apti. M. Varro lib. 4. de lingua Latina. Aliqui hunc eum *Lecytho*, & *ampulla* confundunt malè. Tabula ſacrorum apud Bartholomæum Marlianum de Topogr. Vrb. Rom. C. Plin. lib. 16. cap. 38. *Curius iurauit ex præda nil attigiſſe, præter guttũ faginum, quo ſacrificaret.* A. Gell. lib. 17. Noct. Atticar. cap. 8. *guttum, hominum oretenus imprudens, ac ſi ineſſet oleum, affert.* Et paulo poſt. *Aſpicit*

puer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

puer guttum atrocibus oculis,& concuſſum vehementiùs,iterum in ollam vertit. Sunt tamē qui per E
Rhinocerotem apud Iuuenalem intelligi contendunt labrum,in quo ſe lauarent,manifeſtè falsò:
nam nec vllum cornu tam vaſtum,& ingens,vt homines capere poſſit: Deinde labra omnia ex me-
Balnearia ex argento. tallis. L,Seneca epiſt.86. *Sordidus*, inquit, *quiſpiam ſibi nunc videtur,niſi aquam argentea epiſto-
mia fuderunt*. Sic optimè Iuſtus Lipſius legit, licet Iacobus Cuiacius *Epitonia* malit. Æuo ergo diuite labra caldaria epiſtomia ex auro,argentoque quæ olim ex ære. Vlpian.I.C.L.XXV.ff.de auro & arg.leg.Claudian lib.1.in Eutrop.

—— in argento lympham portabat alumna.

Phædrus lib.4.fab.63. *Limationem argenteam,Eunuchos glabros.* Vtrumque ritum ſignanter attigit Papinius Statius Neapolitanus lib.1.Sylu.5.

Nil ibi plebeium,nuſquam Temeſæa videbis
Aera,ſed argento felix propellitur vnda,
Argentoque cadit,labriſque tumentibus inſtat
Delitias mirata ſuas.

Sed & diuerſum quippiam de *Rhinocerote* iſto apud Satyricum ſentit Hieronymus Mercuria- F
lis,eſſe ſcilicet probè naſatum, aut inſigniter peculiatum, qui impudicitiam profeſſus cum diuiti-
bus ad ſpurcos vſus lauaretur;quod erroneum omnino,& à mente poetæ alieniſſimum; nam licet eodem labro meretrix, & matrona caſta,vt eſt in veteri parœmia,vnà lauarent, licet in eodem ſo-
Ridiculus error Mercurialis. lio pudicus cum impuro aqua perfunderetur, quod tamen æuo Iuuenalis fortè lege Cenſoria iam ſublatum,tamen verſus Martialis de homine non poſſunt intelligi,ſed de gutto tātum,quo oleum balneatores reſeruabant,eruditè obſeruat Matthæus R. derus. Quod autem cornu iſtud vim quā-
dam veneni expultricem habere nonnulli tradiderint, & veteres ignorarunt, & ego fabulam pu-
to,neque enim ſagacem id Romanorum,& Græcorum cur.m fugiſſet,non me latet tamen maxi-
mas Abyſſini regni diuitias haberi,animalium pelles,Elephātum dentes, Rhinoceroton cornua.
Ioan.Boter.Relat.Afric.pag.144.

P A R OE M I AE. G

PLVRIMÆ ab iſto quadrupede loquendi prouerbiales formulæ, ſeu parœmiæ
Bronchi. defluxerunt. 1.Ore deformis,ſeu dente *Bronchus* translatè vocari ſolebat *Rhinoce-
ros*,quod ſcilicet dentes eminerēt,vt videri poſſent cornua Rhinocerotis. Adrian. Turneb.lib.17.aduerſarior.cap.24. Lucilius Satyricus.

Bronchus Bouillanus dente aduerſo eminulo, hic eſt
Rhinoceros.

Eamque idem ille deformitatem pulchrè deſcribit, per oppoſitionem ornatus, aut pulchritu-
dinis. Verſus eius ſunt.

Non cenſes καλλιπλόκαμον,καλλίσφυρον illum
Non licitum eſſe vterum,atque etiam inguina tangere mammis?
Compernem,aut varam fuiſſe Amphytruonis ἀκοίτην
Alcmenam,atque alias: Ledam ipſam denique nolo, H
Dicere,tute vide,atque diſyllabon elige quod vis,
εὔριν,εὐπατέρεια,aliquam rem inſignem habuiſse
Verrucam,neuum dictum, dentem eminulum vnum.

Lucilij affectatio Græci ſermonis. Hanc nimiam Græcanicarum vocum affectationem in Lucilio ridiculam ridet,& exagitat non vno loco Horatius. Vide lib.1,Satyr.10.

At magnum fecit,quod verbis Græca Latinis
Miſcuit.

2.Per *Rhinocerotem* prouerbialiter notatum vult Hieronymus Mercurialis hominem indomi-
Libido. tæ libidinis,& immensè peculiatum,vt ſunt plerumque naſuti, Æl.Lamprid.in Heliogabalo,& ex illo Cæl.Rhodigin.lib.27.cap.27.Auctor obſcæni carminis in priapis

Grandia Dulychij vaſa tuliſse viri.

Ex quo appareret non *naſatos*, ſed *vaſatos* legi debere. Ipſe viderit,modeſtia me,& Chriſtia-
nus pudor,vltrà progredi,in re tali,non patiuntur; nec locus Iuuenalis,ab eo laudatus,quippiam conducit,alium enim ipſius ſenſum ſuprà oſtendimus.

Deriſores. 3. Deriſores per parœmiam *Rhinocerotes* eſſe,aut Rhinocerotis naſum habere dicuntur. Mar-
tialis lib.1.epigr.4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Maiores nusquam ronchi, iuuenesque, senesque,*
Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Sidon. Apollinar. carm. 3.

Nec nos ronchisono Rhinocerote notet.

Et carm. 9.

Rugato Cato tetricus libello
Narem Rhinoceroticam minetur.

Et sanè nulla humani corporis pars erat, quæ non alicui affectui esset dicata, sic *caput Diuinitati, frontem Genio, renes libidini, oculos Amori, genas Pudori, supercilia fastui, pectus consilio, genua Misericordiæ, aures imas Memoriæ, crines luctui, dextrã Maiestati, sinistram furacitati, nasum irrisioni*, dicauit Antiquitas. Et cætera quidem per se nota sunt, aut parerga nobis. De naso paulo accuratius differam. C. Plin lib. 11. cap. 37. *altior homini tantum, quem noui mores subdolæ irrisioni dicauere, nasus.* Hinc Græcis μυκτηρίζειν naso agitato aliquem *subsannare*, siue quod ait Plautus, *frigidam subdolè suffundere.* Ioan. Brod. lib. 4. Miscellaneor. cap. 32. Sic passim intelligendi auctores. Artemidor. Daldian. lib. 1. Oneirocrit. cap. 29. Helenus Acron, & Porphyrion ad Horatij Satyr. 6. lib. 1. *Partes humani corporis Dijs dicatæ.*

B *Vt plerique solent, naso suspensis adunco*
Ignotos.

Pseudo-Cornutus ad Satyr. 1. A. Persij V. 61. & ad illud Satyr. 3.

Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.

Quintilianus ex Aristotele. *Nasus significat ingenium, contemptum, risum, fastidium.* M. Martialis lib. 13. epigrammi. 2.

Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
Vt possis ipsum iam deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas.

4. *Rhinoceros* adagio quadrat in iracundum, est enim *nasus*, vt prædicta omittam, *bilis sedes*, *Bilis.*
C Plaut. Amphitruone. Sc. Dij.

A. Persius Sat. 5. V. 91.

—— ira cadat naso, rugosaque sanna.

Cùm ergo nullum animal tam ingentem nasum habeat, meritò in derisores, & iracundos prouerbialiter detorquebitur, de posteriori etiam Martialis suprà

O quàm terribiles exarsit pronus in iras.

Vnum tantùm addo, & sermonem finio.

HIEROGLYPHICA.

HABET etiam in arcana Aegyptiorum Theologia mysticas quasdam significationes *Rhinoceros*, quas ex vnico Pierio Valeriano, quia non est ad manum Horus Apollo, deducam. Is ergo lib. 2. Hieroglyph. ad finem nonnullas ponit.

1. *Iracundiam ex tarditate ferociorem factam*, qui describere velit, huius quadrupedis emblema exhibeat, qui diu in arena, verbere, stimulis, flammis etiam irritatus, nulla ferociæ signa exhibuit, dum concepto, licet lento, furore, egregio spectaculo fuit, vnde Martialis suprà. *Iracundia.*

Desperabantur promissi prælia Martis,
Sed tamen is rediit, qui fuit antè, furor.

2. *Rex quilibet potens inferioris artibus petitus per Rhinocerotem cum Elephante pugnantem exprimetur:* nam etsi Elephanto longè viribus sit inferior; tamen & naturalis ei nascitur hostis, & acuminato cornu dolosè aluum petit molliorem, quam si adacto cornu perfodere possit, certa victoria potitur, vt ex Agatharchida, Plinio, Aeliano, Strabone, Diodoro Siculo, & alijs suprà laudatis abundè liquet, nec repeto. *Rex potens.*

3. *Robur, & fortitudo per Rhinocerotem* denotatur. Eucherius ex sacro Iobi libro: *Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi?* Et apud Balaam hęc verba extant. *Cuius fortitudo, quasi Rhinocerontis.* Sed & in Psalmo 21. Chaldæi, & Arabes rectè exposuerunt, *Salua me à feroce fortissimo, sicut Leone, à Rege potente, cuius potentia sit sicut Naricornis.* Quod fugit omnes quos viderim hactenus, qui versibus Latinis donarunt Regium Psalmisten. *Robur.*

4. Stul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

In Iob. cap. 39. Ibid.

4. Stultitiam & arrogantiam hoc animal notat. D.Gregorio teste. *in nare fatuitas, in cornu elatio.* 5. *Buxeus in eo color, abstinentiæ pallor est.* ait idem sanctissimus Scriptor. A

SPECIES VARIAE.

Africanus. Bēgalensis. Error Gesneri. Coriati. Scaligeri.

DIuersas esse *Rhinocerotis* species, etsi nec Græci, nec Latini prodiderunt, recentiori tamen diligens obseruatio persuasit, nam in Africa *Rhinocerotem* quendam viuere deprehenderunt *magnitudine asini syluestris, cornu bicubitali, pedibus ceruinis, auribus equinis, cauda bouina.* Peregrinat. African. lib. 6. cap. 12. In regno quodam Asiæ *Bengala* dicto ingens est *Rhinoceroton* copia, quos *Abadas* patria lingua vocant videndi sunt Ioan. Boterus, Antonius Maginus, Artus Histor Indiæ Orient. pag. 282. Linschot. cap. 16. in illius regionis descriptione. Huius quadrupedis *cornu, quod ex naso pullulat, dentes etiam, caro, sanguis, pedum vngulę, & quicquid est in toto corpore, præcipuam aduersus venena qualibet virtutem habere creduntur. Cutis supernè corrugata, vt laminas, & bracteas referat,* siue vera est descriptio eius apud Linschotum cap. 49. Hunc viri docti existimant esse *Monocerotem,* siue vnicornu, quod nostra ætate, præter hunc, nemo alium vidit, excepto Ludouico Vertamanno, seu Barthama, qui lib. 1. cap. 19. ait se duos *Monocerotes* vidisse, quorum alter habebat *cornu bicubitale, ipse magnitudine pulli equini, alter paulo minor, dono missus Sultano Meccæ.* Cuius auctoritate Conradus Gesnerus lib. de quadrupedib. censuit varias esse species *Monocerotis*, quàm verè ipse viderit, nam illa ipsa animalia in *Magorri* aula pridem visa, viris eruditissimis *Rhinocerotes* sunt habita, cornua enim ea non è fronte, sed è naribus nascuntur, & extuberant; quare & Thomas Coriatus, qui non ita pridem eorum picturam exhibuit, manifesti erroris conuincitur, qui cornu ijs in frontibus dedit, quæ constat in naribus locunda. In pari errore versatur Iulius Cæsar Scaliger exercitat. in Cardan. 205. Neque tantum istæ duæ species recentiorum cura innotuerunt, sed & pleræque aliæ, quas reperies apud Samuelem Purchasium in peregrinationibus suis non vno loco, ad quem te, lector, remitto. Denique nec veteres vnam tantùm eius animantis speciem cognouisse videri possunt, quando alij vnum cornu, alij duo, nonnulli vtrumque in nare, quidam vnum in nare, alterum in humero ponunt; sed & illi, qui vtrumque in nare cornu collocant, diffident ab inuicem, dum hi minus supra maius, isti contrario situ collocant. Hæc omnia eo tendunt, vt diuersas eius species tum visas argumento sit probabili.

Diuersitas ex Cornib⁹.

B C

QVOTIES ROMAE VISVS.

Quater Romę visus.

HOC corollarij vice fuerit, nunquam Romę visum, nisi ad spectaculorum pompam, *Rhinocerotem*, nec id quidem sæpe. 1. stante Republica Cn. Pompeius dedit, & in arena confectoribus exhibuit. Plinius, & Solinus. 2. ab Augusto Principe extra ludorum ordinem in septis ostensus. Dio Cocceianus, & C. Suetonius, quanquam ille in manifesto errore. 3. à Domitiano, aut vt quibusdam probabilius habetur à Tito Romam allatus, & populo monstratus, Nummus Domitiani, & Martialis, 4. Gallieni fuit munificentia, nam inter alias feras ludis illius Imperatoris interfectas enumeratur etiam *Rhinoceros.* Trebellio Pollione in vita Gallieni auctore, nec pluries memini.

D

VENATIO.

Differentia Monocerotis & Rhinocerotis.

DIFFICILEM esse eius venationem, ac longè difficiliorem capturam pleriq; existimarunt. D.Gregorius Magnus exposit. Morali in Iob. cap. 39. *Rhinoceros indomitæ est naturæ, nec captus, quia nimium impatiens, in vita retineri potest, sed illico moritur;* putauit vir sanctissimus eundem esse *Rhinocerotem*, ac *Monocerotem*, & quod & multis alijs eo sæculo imposuit, in his sunt Albertus Magnus, vt dixi, & Vincentius Bellouacensis lib. 18. cap. 104. sed euicit experientia, & sequentium assiduitas, vt planè, plenèque hæc distincta esse animalia liqueret, nam Monocerotem non posse viuum capi, constans est opinio, cùm venatores cornu tantùm requirant. Ioan. Tzetz chil. 5. c. 7.

Δραμόντες πάντες οἱ λοιποὶ τῶν θηρευτῶν, ὡς ἔφην,
Τὸ κεράς τούτου κόπτουσιν, ἀντιπαθὲς φαρμάκοις

Τὸν

A

Τὸν θῆρα δὲ ψιλόκερων ἐῶσιν ἀποτρέχειν.

Vertit Paulus Lasicius.

Currentes alij omnes venatores, quos dixi,
Cornu huius insidunt, venenis contraria vi præditum,
Feram autem spoliatam cornu sinunt aufugere.

At de *Rhinocerote* omnia secus se habent, nam & captus sæpe, & Romæ in arena spectatus, vt dixi. Sed aperta illa est distinctio, quam adferam ex idoneis auctoribus: nam inter venandum *Rhinoceros* capientibus est pæne immobilis, & se robore suo, non etiam cursu tuetur, ac vindicat: contro *Monoceros* incitatissimo fertur cursu, ac persequentibus pernicitate pedum se eripit. De prioris captura Oppianus Cylix lib. 4. Cyneget. in principio statim

οὐκ ἔλαφος κεράεσσι θρασὺς, κεράεσσι δὲ ταῦρος,
οὐ γενύεσσιν ὄρυξ κρατερὸς, γενύεσσι λέοντες,
οὐ ποσὶ, Ῥινόκερος πίσυνος, πόδες ὅπλα λαγωῶν.

B

Verbatim sic verto.

Non ceruus cornibus audax, cornibus verò Taurus,
Non genis oryx validus, sed genis leones,
Nec pedibus Rhinoceros fretus est, pedes arma leporum.

De posteriori Phile propriet. Animal. cap. 36.

—— ἀλλ' ἀνάρθρους τοὺς πόδας
Ἀσπάζεται δὲ τοὺς ἀπανθρώπους τόπους.
Idoneosque cursibus licet rudes
Gestat pedes, amatque solitudinem.

DE CAMELO.
Cap. XXXIV.

C

CAMELI sequitur consideratio, de quo quadrupede, non quid dicatur, sed quo delectu, studiose videndum, nam illum Græci, Latini, barbariq; Scriptores ita certatim extulerunt, vt licet vtrique populo sit animal exoticum, nullum tamen celebrius, vtiliusque censent, nec felicius expresserint, non, vt puto, quia experiundo naturam ipsius explorassent, rarus quippe Romanis, nullus Græcis erat vsus, sed quia Naturam in Vniuersum executi, agmen ducat C. Iulius Solinus polyhist. *Bactri Camelos fortissimos mittunt, licet & Arabia plurimos gignat, verum hoc differunt, quod Arabici bina in dorso tubera habent, singula Bactriani: hi nunquam pedes atterunt, sunt enim illis reciprocis quibusdam palmunculis vestigia carnulenta, vnde & contraria est labes ambulantibus nullo fauente præsidio ad visum insistendi, habentur in duplex ministerium, sunt alij oneri ferendo accommodati, alij perniciores,* aut vt in quibusdam codicibus melius habetur, *alij ad pernicitatem leues; sed nec illi vltra iustum pondera recipiunt, nec isti amplius, quam solita spatia volunt egredi. Genituræ cupidine,* in meliori codice, *præter genituram, inexhausta libidine efferantur adeo, vt sæuiant cum Venerem requirunt. Oderunt equinum genus. sitim in quatriduum etiam,* sic rectius, *tolerant, verum cum bibendi occasio data est, tantum implentur, quantum & satiet desideria præterita, & in futurum diu prosit. Lutulentas aquas captant, puras refugiunt, denique nisi cænosior fuerit liquor, ipsi assidua proculcatione limum excitant vt turbetur. Durant in annos centum,* supplet Codex bonus, *domi, aut amplius, nisi forte translati in peregrina, insolentia mutati aeris morbos trahant, ad bella fœminæ* in M.S. additur *maxime præparantur, inuentumque est, vt desiderium eis coitionis quadam castratione exsiccaretur, putant enim validiores,* in Codice M.S. bonæ notæ erat, *velociores, si à coitibus arceantur.* Locum ideo integrum adscripsi, vel quia parum sanus erat, & medica manu egebat, vel quia ex parte mutilus & imperfectus videretur, nec satis *Cameli* naturam exprimeret, denique quod aut interpretatione non leui pleraque indigeant, quippe alijs contraria scriptoribus, quod sigillatim perpendendum hic erit.

Cur tā multa de Camelo prodita Cap. 62.

Varia in Solino lectio.

D

Solinus correctus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ETYMON, ET SYNONIMA.

Iſidorus notatus.

Euen⁹ Amatoriorũ ſcriptor.

VARIÆ etymologiæ pro naturæ diuerſitate. 1. *Camor* eſt *curuum*, vt ſit nomen *a dorſi curuitate* impoſitum ita Iſidor.lib. 12. Orig. cap. 1. ſed longe nimium earatio eſt petita. 2. *nomen dedit cauſa*, vt ibidem loci teſtatum reliquit Iſidorus ſcriptum, *ſiue quod quando onerantur, vt breuiores, & humiles fiant, procumbant, quia Græci* χαμαὶ *humile & breue dicunt*. 3. aliam originationem nonnulli alij expreſſerunt. Euenus Parius antiquiſſimus Scriptor in Amoribus apud Artemidorum Daldianum lib. 1. Oneirocrit. cap. 5. ἐπεὶ καὶ τὸ ζῶον τὸ καλούμενον κάμηλον, μέζους κάμπτει τοὺς μηροὺς ἐπιτεινόμενον τοῖν σκελοῖν, τὸ ὕψος ἑτοίμως κεκλήμενος. Κάμηλος ὁ ἱονεὶ καμμηρος, cum Iano Cornario ſic verti. *Quandoquidem animal appellatum Camelus media femora curuat, vtpote iuxta crurum altitudinem conciſum ac decurtatum, vnde etymon & originatio eius Græcis*, Κάμηλος *quaſi* κάμμηρος, *hoc eſt curuans femora*. Eodem plane ſenſu Horus Apollo in Hieroglyphicis quia τὸν μηρὸν κάμπτει *femur flectat* nomen habet, Cæl.Rhodigin.lib.7.cap.18. M. Varro lib 4 de ling.Lat. *Camelus ſuo nomine Syriaco in Latium venit.* quam originem alijs potiorem, ac multis nominibus præferendam cenſet V.Cl.Nicolaus Rigaltius, Not.ad Artemidor. iure quidem: quis enim in re Romana omniſcio Varroni anteferendus? aſtipulatur Strabo Amaſian.lib. 17. qui Aſſyriam eſſe vocem vult, vnde *Gangamela vicus*, quaſi *domus Cameli*. Geographi Neoterici, & in his Dominicus Niger. Varia ſignificat. 1. *Camela* aut *Camelus* κάμυλος Vrbs eſt *Gaulanitidis* in Syria, quia formam *Cameli* referat Egeſippo auctore lib. 3 belli ſacri cap. 7. Eſt *ad lacum Semichonitidem contra Taricheas*. lib. 4. cap 1. Hanc corrupta voce populari *Gamelam* aut etiam *Gamalam* vocatam tradunt, vt obſeruat Philippus Beroaldus in Annotationibus Suetonianis. Fl. Ioſephus meminit lib. 3. Belli Iudaici, & lib. 13. Antiquitat qui in eius ſitu diſſidet à Plinio lib. 5. cap. 13. niſi forte duæ ſint eodem nomine vrbes, quod facile vt credam, inducor, nam vnam memorabili clade afflixit Titus, vt ne vllus excidio, præter duas mulieres ſuperfuerit, Egeſippus & Ioſephus accedente Suetonio in Tito cap. 4. alteram nõ à Romanis exciſam, ſed terræ motu abſorptam prodit Plinius lib. 2. cap. 91. memorat præterea eam, vt *validam vrbem, & ea ætate præpollentem*, Stephanus Byzantinus περὶ πόλεων alij etiam de illa eadem. 2. τὸ ξενοδοχεῖον κάμηλον καλούμενον. *Hoſpitium Camelus denominatum.* Artemidor.lib. 1. cap. 5. puto quia appenſum *Cameli* ſignum, aut aliquid ſimile. 3. per *Camelum* funis nauticus ſignificatur, ſed *craſſus, quo nautæ illigandis anchoris vtuntur*. Antiquitat, Roman.lib. 10. cap. 20. Ammian. Marcellin. apud Cælium Rhodigin. loco laudato, *per anchoralia quadrupedo gradu, repentes in ſcaphas ſeſe iniectabant.* de hoc tunc Euangelicum illud intelligi volunt, de quo infra, licet Græca conſuetudo κάμιλον *Camilum* receperit, Suida & Ariſtophanis Scholiaſte auctoribus, alijſque pleriſque: ſed & *Gamilum* vocant, vt notat Spiegelius in Lexico Iuris. 4. quadrupes *Camelus* eſt, de quo hic ſum acturus.

Plinius et Ioſephus diſſident.

Funis Nauticus.

GENERATIO, PARTVS, & Genitale.

Coitus auerſus.

Græci latius contrarij.

GENITVRAM & coitum deſcribit C. Plinius lib. decimo cap. ſexageſimotertio. *coitus auerſus Elephantis, Camelis, Tigribus, Lyncibus, Rhinoceroti, Leoni, Daſypodi, Cuniculis, quibus auerſa genitalia. Cameli etiam ſolitudines aut ſecreta certe petunt*, ſic legendum, male prius, *neque interuenire datur ſine pernicie, coitus tota die, & in his tantum*, recta iſta lectio, male vulgati Codices, *quibus ſolida vngula*. Eadem apud C. Iul. Solinum cap. quadrageſimo, ſed Latinorum ea tantum ſententia, ſiquidem Græci contra cenſent Ariſtot. lib. quinto Hiſtor. Animal cap. ſecundo in pudibundo receſſu conuenit, in modo coeundi omnino diſcrepat. ſic enim ille. αἱ δὲ κάμηλοι ὀχεύονται, τῆς θηλείας καθημένης περιβεβηκὼς δὲ ὁ ἄῤῥην, ὀχεύει οὐκ ἀντίπυγος, ἀλλὰ καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα τετράποδα, καὶ ὅλην ἡμερεύει τὸ μὲν ὀχεῦον, τὸ δὲ ὀχευόμενον ἀπὸ χωροῦσι δὲ εἰς ἐρημίαν ὅταν ποιῶνται τὴν ὀχείαν, καὶ οὐκ ἔστι πλησιάσαι, ἀλλ' ἢ τῷ βόσκοντι. *Cameli ſedente fœmina coeunt, nec auerſi, ſed complectente mare, vt ceteræ quadrupedes agunt, & coitum toto die exercent, petunt receſſuum ſolitudines, cum libet coire, nec aliquis eo poteſt tuto accedere, præterquam paſtor armenti.* idem denuo ille confirmat eodem libro

A bro cap.decimoquarto in fine.qui.addit ὀπισθουρητικὸν. *Vrinam retro reddit.* quod C.Plinium forte fefellit. Vter fidem meretur? mihi sane dissidium notasse suffecerit, alius sit qui inter tanti momenti Scriptores litem componat. Illud sane memorabile in brutis, eos nunquam cum matre coire, quod etsi Latini omiserunt, erit tamen ex Græcis supplendum. id diserte tradunt Auicenna lib. nono de Animalibus. Cl.Ælian.lib.tertio de Animalibus cap quadragesimoseptimo. Ο'ὐκ ἂν γοῦν ποτε τῇ τεκούσῃ ὁμιλῆσαι κάμηλος, ὁ γάρ τοι νομεὺς τῆς ἀγέλης κατακαλύψας τὴν θήλην, ὡς οἷόν τε ἦν, καὶ ἀποκρύψας πάντα πλὴν τῶν ἄρθρων, τὸν παῖδα ἐπάγει τῇ μήτρι, καὶ ἐκεῖνος λάθριος ὑπὸ ὁρμῆς τῆς πρὸς μῖξιν, ἔδρασε τὸ ἔργον, καὶ συνῆκε, καὶ τὸν μὲν αἴτιον τῆς ὁμιλίας, οἱ τῆς ἐκθέσμου δάκνων καὶ πατῶν, καὶ τοῖς γόνασι παίων ἀπέκτεινεν ἀλγεινότατα, ἑαυτὸν δὲ κατεκρήμνισεν. Latine ita sonant. *Etenim Camelus cum matre nunquam concumbit, cuius rei exemplo est pastor quispiam, Is cum fœminam, quoad eius fieri poterat exceptis genitalibus, obtexisset, deindeque filium matri sic opertæ admisisset, hic ex latebris, appetitione coitus falsus matrem imprudens superuenit suam, quod vbi intellexisset, Camelarium scelerati coitus admissarium & mordicus premens, & ad terram abiectum genibus affligens, cum summis doloribus interfecit, atque seipsum præcipitem agens, voluntariam mortem sibi consciuit.*

Reuerentia in matrem.

B Quæ ille ex Aristotele hausit, licet verbis differat, ita enim ille lib. nono Histor. Animal. cap. quadragesimoseptimo. οἱ δὲ κάμηλοι οὐκ ἀναβαίνουσιν ἐπὶ τὰς μητέρας, ἀλλὰ κἂν βιάζηταί τις, οὐ θέλουσιν, ἤδη γάρ ποτε ἐπειδὴ οὐκ ἦν ὀχεῖον, ὁ ἐπιμελητὴς περικαλύψας τὴν μητέρα, ἐφῆκε τὸν πῶλον, ὡς δὲ ὀχεύσαντος, ἀπέπεσε τότε μὲν ἀπετέλεσε τὴν συνουσίαν, μικρὸν δ' ὕστερον δακὼν τὸν καμηλίτην ἀπέκτεινε. *Cameli matres nunquam superueniunt suas, sed etiamsi quis cogat, ipsi non patiuntur. Iam cum aliquando admissarius non haberetur, curator pullum matri opertæ admisit, qui dum coiret, delapso operimento agnouit matrem, & quamuis coitum absoluerit, memor tamen commissi sceleris, paulo post Camelarium illum defixo morsu interemit.* Hanc naturæ in Camelo reuerentiam sunt etiam qui equis tribuere velint, sed frustra illi, nam etsi Plinius dicat lib.octauo, cap.quadragesimosecundo. *equum detracto oculorum operimento, & cognito cum matre coitu, petijsse prærupta, atque exanimatum.* contrarium tamen loco proxime laudato Aristoteles asserit, & lib. sexto, vt Cælius Rhodiginus obseruat lib.septimo cap. decimooctauo adstipulante P. Ouidio lib.decimo Metamorphoseos.

Equus nō abstinet a matre.

Plinius notatus.

C

———— coeunt animalia multo
Cætera delicto, nec habetur turpe iuuencæ
Ferre patrem tergo, fit Equo sua filia coniux.

Ita coeunt Cameli.de partu subiungo paucula. Suidas Monachus in voce Σκυξᾶν. Ex antiquo quopiam Scriptore. *Camelus decem menses gestat in vtero, vndecimo parit, & anno intermisso rursus prurit.* paruo discrimine eadem alij. C Plin.lib.decimo cap.sexagesimotertio. *Cameli duodecim mensibus ferunt, a trimatu pariunt vere, iterumque post annum implentur a partu.* Aristotel.lib. sexto Histor.Animal.cap.vigesimosexto. ἡ δὲ κάμηλος κύει μὲν δέκα μῆνας, τίκτει δ' αἰεὶ ἓν μόνον, μονοτόκον γάρ ἐστι, ἐκκρίνουσι δὲ ἐκ τὸν κάμηλον ἐνιαύσιον τὸ ἔκγονον. ζῇ δὲ χρόνον πολὺ πλείω ἢ πεντήκοντα ἔτη, τίκτει δὲ τοῦ ἔαρος. *Camelus fert vterum menses decem, parit semper vnum tantummodo, vnipara namque est, separant prolem a parente anniculam, viuit diu, plus quam quinquaginta annos, parit in vere.* Hæc de generatione satis.

Conceptio. vteri gestatio, partus.

Genitale quale sit Herodoti auctoritate docemur ex Aeliano lib.decimo cap.tertio. *Veretrum inter posteriora crura caudam versus spectare.* Vberius Aristoteles lib.quinto cap.secundo ad finem

D Histor. Animal. τὸ δὲ αἰδοῖον ἔχει ὁ κάμηλος νευρῶδες οὕτως, ὥστε καὶ νευρὰν ἐκ τούτου ποιεῖσθαι τοῖς τόξοις. *Genitale Cameli neruo ita constat, vt vel ex eo confici possit, quo arcus fidissime intendatur.* C. Plinius transcripsisse videtur. cuius hæc sunt. *Genitalia maribus quibus essent retro satis diximus, ossea sunt Lupis, Vulpibus, Mustelis, Viuerris, vnde etiam calculo humano remedia præcipua, Vrso quoque simul atque expirauerit, cornescere aiunt, Camelino arcus intendere, Orientis populis fidissimum.* prætermissum hoc Antiquarijs nostris, Certe enim olim vt genitali Cameli arcus tendebant, hastas amentabant, machinas bellicas promouebant, ita crine equino, & setis porcinis in eandem rem vtebantur. alij præoccuparunt. Stat.Papin.lib.7.Thebaid.

Lib. 11. c. 49.

Arcuū chordæ.

———— neruoq; obuersus equino
Intendit telum.

Sext.Propert.lib.4.Eleg.1.

Verbera pellitus setosa mouebat arator.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

DESCRIPTIO, ET an fera an pecus?

Lib.2.hiſtor. cap.1.

DESCRIPSERE auctores varij: Iulius Solinus ſupra, & alij Latini inferius aduocandi, cultiſſime & operoſiſſime Ariſtoteles. αἱ δὲ κάμηλοι ἴδιον ἔχουσι παρὰ τὰ ἄλλα τετράποδα, τὸν καλούμενον ὕβον, ἐπὶ τῷ νώτῳ. διαφέρουσι δ' αἱ βακτριαι τῶν Αραβίων, αἱ μὲν γὰρ δύο ἔχουσιν ὕβους, αἱ δ' ἕνα μόνον, ἄλλον δ' ἔχουσιν ὕβον τοιοῦτον οἷον ἄνω, ἐν τοῖς κάτω, ἐφ' οὗ, ὅταν κατακλιθῇ εἰς γόνατα, ἐστήρικται τὸ ἄλλο σῶμα. θηλὰς δ' ἔχει τέτταρας ἡ κάμηλος ὥσπερ βοῦς, καὶ κέρκον ὁμοίαν ὄνῳ, καὶ τὸ αἰδοῖον ὄπισθεν, καὶ γόνυ δ' ἔχει ἐν ἑκάστῳ σκέλει ἕν, καὶ καμπὰς οὐ πλείους, ὥσπερ λέγουσί τινες, ἀλλὰ φαίνεται διὰ τὴν ὑπόστασιν τῆς κοιλίας, F καὶ ἀστράγαλον δὲ ὅμοιον μὲν βοΐ, ἰσχνὸν δὲ μικρὸν ὡς κατὰ τὸ μέγεθος. ἐστὶ δὲ διχηλόν, καὶ οὐκ ἀμφόδουν, τὸ δὲ διχηλὸν δ' ὧδε. ἐκ μὲν γὰρ τοὔπισθεν μικρὸν ἔσχισται, μέχρι τῆς δευτέρας καμπῆς τῶν δακτύλων, τὸ δ' ἔμπροσθεν ἔσχισται μικρὰ ὅσον ἄχρι τῆς πρώτης καμπῆς τῶν δακτύλων ἐπ' ἄκρων τέτταρα, καὶ ἔστι τι διὰ μέσου τῶν σχισμάτων ὥσπερ τοῖς χησίν. ὁ δὲ πούς ἐστι κάτωθεν σαρκώδης, ὥσπερ καὶ οἱ τῶν ἄρκτων. Latine ita ſonant.

Tubera in dorſo. Tubera in ventre. Papillæ. Cauda. Genitale. Genua. Flexura. Talus. Clunes. Pes biſulcus Dentes. Pes.

Camelus proprium inter cæteras quadrupedes habet in dorſo, quod Tuber appellatur, ſed ita vt Bactriani ab Arabicis differant, alteris enim bina, ſingulis alijs ſingula Tubera habentur, ſunt etiam ſingula omnibus parte ima, qualia in dorſo, tubera, quibus incumbat reliquum corpus & firmetur, quoties in genua inclinantur, papillas quatuor modo vaccæ habet camelus fæmina, caudam aſino ſimilem, genitale retro, genua ſingula in ſingulis cruribus ſunt, & flexus artuum, non vt quidam perhibent, plures, ſed propter alui interuallum plures eſſe videntur, habet enim talum ſimilem bubulo, clunes proportione magnitudinis paruos. biſulcum id animal eſt, nec vtrinque dentatum, ſed biſulcum ſic eſt, vt pes parte ſuperiore ſciſſus paululum ſit ad flexum digiti ſecundum, parte autem priore ſumma quadripartito ſindatur diſcrimine paruo quanto primotenus digiti inflexu, & quiddam inter fiſſuras perinde vt in anſerum pedibus adiectum contexat, pedes veſtigio carnoſus, vt Vrſarum. quæ ſi vera G ſunt tertium quoddam genus quadrupedum Camelus haberi debuit, nec enim ſolidipes, cum ſint ſciſſuræ, nec biſulcus, cum digiti Anſerino more cohæreant. porro ibidem loci paulo poſt Ariſtoteles pergit de mammis & papillis, ἔχει δὲ καὶ ἡ κάμηλος μαστοὺς δύο καὶ θηλὰς τέτταρας, ὥσπερ ὁ βοῦς, ἐν τῇ γαστρί. *Camelus quoque in ventre mammas duas cum papillis quatuor habet vt bos.* Nec Aeliani

Mamma et papillæ. Lib.10.c.3.

paucula prætermitto. qui Ἡρόδοτος λέγει τὰς καμήλους ἐν τοῖς ὀπισθίοις σκέλεσιν ἔχειν τέτταρας μηροὺς, καὶ αὐτοὶ καὶ γόνατα τοσαῦτα: τὰ δὲ ἄρθρα διὰ τῶν σκελῶν, κατόπιν εἰς τὴν οὐρὰν τετράφθαι αὐτοῖς. *Herodotus ſcribit Camelum in poſterioribus gerere quatuor femora, & totidem genua, & veretrum inter poſteriora crura verſus caudam ſpectare.* Sed & porro de alijs partibus eſt inquirendum Vincentius Bellouacenſis auctor diligens & pro æuo illo etiam eruditus. *Camelus*, inquit, *eſt animal deforme, gibboſum, habens collum longum, crura perplexa, lentum inceſſum, victu immundum.* eadem alias omnes, & præcipue recentiores, & in his verbatim Vincentium exſcripſit Albertus Magnus. alias quoque proprietates ſparſas ex eodem Vincentio habes. *Camelus*, inquit, *iratus ſtridet horribiliter.* Alibi etiam *fæminæ quattuor mammillas habent.* quæ vero in hac deſcriptione de ſingulis ſigillatim partibus eſſent pertractanda, vt de felle, dentibus, carne, ſanguine, lacte, vrina, fimo, & alijs H inferius hoc ipſo tractatu fuſius exequar, vbi de Medicina.

Femora. Genua. Veretrum. Lib.19.c.23. Forma. Collum. Crura. Inceſſus. Lib.22.de animal. Ibidem. Ira.

Anceps eſt inter Iuriſconſultos quæſtio. ſitve Camelus inter feras an vero inter Iumenta, & domeſtica, ſeu cicurata animalia numerandus? Sunt qui inter iumenta Camelos locent. Caius I.C. *Elephantes autem & Cameli quaſi mixti ſunt, nam & iumentorum operam præſtant, & natura eorum fera eſt, & ideo primo capite contineri eas oportet* ſubſcribit Plinius. *Camelos inter armenta paſci oriens.* Huc etiam inclinat verſio vulgata ſacræ Scripturæ ex recognitione D. Hieronymi, in qua multis locis *Cameli inter Gregis capita* recēſentur, grex autē etſi oues, capras, ſues proprie cōtineat, tamē eo etiam nomine maiora animalia cōprehēdētur, ſic Cic. dixit *Equarū greges*, ſed & *Armentorū greges* apud eundē inſuper Pōponius I.C. diſerte repoſuit in grege *Bouē*, nec ab hac ſignificatione Grammatici veteres *Camelos* excludunt, quum greges interpretetur Feſti Epitomaſtes Paulus ἀγέλας quibus Cameli agi poſſit. loca euidētiora ex veteri teſtamēto, & ex interpretū ſeptuaginta verſione, quibus Cameli inter Cicurata animalia reponūtur, indicabo. ἐγένοντο αὐτῷ πρόβατα καὶ μόσχοι καὶ ὄνοι, παῖδες καὶ παιδίσκαι, ἡμίονοι καὶ κάμηλοι. *fuerūt ei oues, & boues, & aſini, & ſerui, & famulæ, & aſinæ, & cameli.* rurſus. καὶ ἔν τε τοῖς ἵπποις, καὶ ἐν τοῖς ὑποζυγίοις, καὶ ταῖς καμήλοις, καὶ βουσὶ, καὶ προβάτοις θάνατος μέγας

Lib.19.c.25. Cameli inter iumenta. L.2.ff.ad leg. Aquil. Lib.8.c.18. Grex quid. 3.Verr. 3.Philip. L.22.ff leg.1 Non.cap.3. 109. Lib.7. Geneſ c.12.

A *μίγας σφόδρα. Et super equos, & asinos, & Camelos, & boues, & oues pestis grauis valde.* Sit versio vulgata. Et nescio an ὑποζύγνοι vnquam pro asinis sumi possent, cum significent *iumenta iugo eidem subiecta*, deinde θάνατος *mors* est, raro *pestis* apud probatos auctores, hoc tamen omne Censuræ Sanctæ Ecclesiæ submissum. Et alio item loco? ἀπὸ μόσχȣ ἕως ϖροβάτου, ἀπὸ καμύλον ἕως ὄνου. *a boue ad ouem, a Camelo ad asinum.* Nec alio sensu alibi? ᾐχμαλώτευσαν καμήλους ϖεντακισχιλίους, προβάτων διακόσιας πεντήκοντα χιλίαδας, ὄνους δισχιλίους. *Cæperunt Camelorum quinquaginta millia, & ouium ducenta quinquaginta millia, asinorum duo millia.* Ex his & alijs plerisque sacrarum litterarum locis apparet clare, & euincitur in Syria saltem Iudæos Camelos recensuisse inter animalia domestica; nec pro feris eos habuisse, quum asinis & ouibus & iumentis permixti alterentur, & semper in parte facultatum haberentur.

1. Reg. c. 15.
1. Paralip. cap. 5.
1. Esar. 1. c. 2
Tobiæ. c. 2.
Iob. c. 1.
Zachar. c. 14

Contra tamen nonnullis visum, qui Camelos Feris annumerarunt. Vlpian. Iur. Consult. *Mancipi res sunt prædia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quam vrbana, qualis domus: item iura rusticorum prædiorum, velut via, iter, actus, & Aquæductus, item serui & quadrupedes, quæ dorso collove domantur, velut boues, muli, equi, asini, cæteræ res nec mancipi sunt, Elephanti & Cameli quamuis collo dorsove domantur, nec mancipi sunt, quoniam Bestiarum numero sunt.* Sed hanc controuersiam facile tollemus, si Caium dicamus loqui de Camelis in locis suis naturalibus, in quibus sunt inter iumenta numerandi, Vlpianum vero de Romanis, aut certe Italis, qui Camelos non habebãt, nisi aliunde aduectos, & ad spectacula, non etiam onera dorso ferenda, quo sensu, vt Elephantes inter feras videntur reponendi.

B

Cameli sunt feri.
Tit. 20.

LOCVS.

REGIONES variæ habent aluntque Camelos. 1. *Bactri fortissimos mittunt* ait Iulius Solinus Polyhistor. consentit Plinius. Camelorum *duo genera Bactriani & Arabici.* Sunt ergo in Asia, in qua olim, si fides Trogo Pompeio apud M. Iunianum Iustinum *Bactriana regio mille Vrbium regnum* memorabatur, & hodie pars est Tartariæ Asiaticæ. maxime sane tota ea regione illorum vsus. Claud. Aelianus de Animal. οἱ κάσπιοι θηρῶσιν αὐτȣ̀ς, καὶ διαπάσαντες ἅλσι, καὶ ταρίχους ἐργασάμενότο, καὶ ἀποφήναντες αὐτȣ̀ς, ἐπισάξαντες καμήλοις κομίζουσιν εἰς Ἐκβάτανα. *Eos captos* Oxyrinchos pisces ab acumine rostri sic dictos *Caspij distrahunt, & sale conditos atque desiccatos Camelis dorsuarijs Ecbatana vehunt.* 2. In Arabia Camelorum magna frequentia, vsusque creberrimus, qui, quomodo a prioribus distinguantur, infra expedietur. 3. Fl. Renat. Vegetius de re militari. *Camelos aliquantæ nationes apud veteres in acie produxerunt, vt Vrciliani in Africa* 4. Vbicumque sunt Leones, ibidem etiam sunt *Cameli*, licet inter vtrumque animal naturalis quæpiam sit Antipathia, vt infra fusius dicam. Aelian. eleganter expressit ἴσασι δὲ καὶ Ἄραβες ταῦτα, καὶ ὅσοι λέοντον καὶ καμήλων μητέρα ἅμα καὶ τροφὸν γῆν ἔχουσι. *Arabes sciunt hæc, & quicumque Leonum simul & Camelorum regionem parentem atque nutricem habitant.* 5. In nouo orbe seu Atlantico ali etiam & haberi Camelos, qui terram illam lustrarunt, & descripserunt, monimentis suis prodiderunt, vt extat in peregrinatione illa famosa. 6. Sola Europa tam vtili caret quadrupede, licet non longe ab ea proueniat, Certe enim in Ionia ad vrbem Clazomeniam, Anaxagoras ille Philosophiæ studio celebratissimos, *agros suos gregibus, & Camelis depascendos reliquit*, vt ex Suida vertit Hieronymus Volfius. Hæc obiter de loco naturali Camelorum, ad alia nunc pergo.

G D

Cap. 62.
In Bactris.
Lib. 8. c. 18.
Lib. 41.
Lib. 17. c. 31.
In Arabia.
In Africa.
Lib. 3. c. 23.
Vbicumque Leones.
Lib. 17. c. 36.
In America
Lib 9. c. 13.
Non in Europa, licet prope eam.
In Anaxagora.

QVANDO PRIMVM ROMAE? & vsus in spectaculis.

PEREGRINVM hic animal, vt dixi, nec in Europa natum, nec nisi sero Romæ spectatus, scilicet Africa interiore & Asia deuictis, fuit enim moris regionibus quibusuis debellatis, præclara quæque inde exportare, ac Romæ Triumphali in pompa exhibere, sic inter alia ex gentibus illis & *Cameli* in Italiam translati. quando, & qua id factum ratione, Plutarchi auctoritate docemur. ita enim ille. Σαλȣσίȣ δὲ θαυμάζω, τότε πρῶτον ὦφθαι Ῥωμαίοις καμήλους λέγοντος, εἰ μήτε πρότερον τοὺς μετὰ Σκίπίωνος νικύσαντας Ἀντίοχον ᾤετο, μήτε τοὺς ἔναγχος πρὸς Ὀρχομενῷ καὶ περὶ χειρώνειαν Ἀρχελάῳ μεμαχημένȣς ἐγνωκέναι κάμηλον. *Salustium vero demiror, qui tum primum autumat visos Romanis*

In Lucullo. pag. 493.

Saluſtius reprehenſus.

Vſus Romæ in Theatro. In Circo. lib. 5. in Athen. cap. 8. Nerone c. 11

Pag. 10.

Camelos, quod neque olim illos, qui duce Scipione Antiochum deuicerunt, neque hos, qui ad Orchomenon & Cheronęam decertarunt cum Archelao, noſſe putauerit Camelum. Reprehendit ergo Plutarchus C. Saluſtium Hiſtoricum, quod exiſtimauerit, ſuperato ad Rhyndacum amnem, per Lucullum, Mithridate, viſos primum Romæ Camelos, cum diu antea, bello ſcilicet Aſiatico, & Achaico videri potuerint, ſed opus illud Saluſtij perijt, nec alij vlli Scriptores Latini aut Græci, quando in Italiam illati fuerint illi, meminerunt: quod mirari impēſius ſubit, cum vſum illius in Amphithealibus & Circenſibus ſpectaculis præcipuum agnouerint Barbari & Romani, & in Amphitheatro quidem aut ſimpliciter ſpectabantur, vti ſupra de Rhinocerote eſt explicatum, aut alijs beſtijs committebantur, in Circo vero quadrigis iuncti inferebantur, vt ſe docturum promittit Iſaacus Caſaubonus, nec fidem liberauit. Vnicus eſt, quod ſciam, inter Hiſtoricos Romanos ſuper ea re locus. is eſt Suetonij. *Circenſibus loca Equiti ſecreta à cęteris tribuit, commiſitque etiam Camelorum quadrigas.* Alibi ſane inſigni pompa ſpectatum docemur exemplo Ptolomæi Aegyptiorum Regis, de quo hiſtoriam lepidam repetam ex Luciano in Prometheo. Πτολομαῖος οὖν ὁ λάγου δύο καινὰ εἰς Αἴγυπτον ἄγων, κάμηλόν τε Βακτριανὴν παμμέλαιναν, καὶ δίχρωμον ἄνθρωπον, ὡς τὸ μὲν ἥμισυ αὐτοῦ ἀκριβῶς μέλαν εἶναι, τὸ δ᾽ ἕτερον ἐς ὑπερβολὴν λευκὸν, ἐπίσης δὲ μεμερισμένον ἐς τὸ διάτομον αὐτοῦ, ἀκριβῶς μέλαν εἶναι, τὸ δ᾽ ἕτερον ἐς ὑπερβολὴν λευκόν, ἐπίσης δὲ μεμερισμένον ἐς τὸ θέατρον συναγαγὼν τοὺς Αἰγυπτίους, ἐπεδείκνυτο αὐτοὺς ἄλλα τε πολλὰ θεάματα, καὶ τὰ τελευταῖον καὶ ταῦτα, τὴν κάμηλον, καὶ τὸν ἡμίλευκον ἄνθρωπον, καὶ ᾤετο ἐκπλήξειν τῷ θεάματι. οἱ δὲ, πρὸς μὲν τὴν κάμηλον, ἐφοβήθησαν, καὶ ὀλίγου δεῖν ἔφυγον ἀναθορόντες, καίτοι χρυσῷ πᾶσα ἐκεκόσμητο, καὶ ἁλουργίδι ἐπέστρωτο, καὶ ὁ χαλινὸς ἦν λιθοκόλλητος Δαρείου τινὸς, ἢ Καμβύσου, ἢ κύρου αὐτοῦ κειμήλιον. Vertit eleganter Iacobus Mycillus. *Ptolomęus igitur Lagi filius, cum aliquando duas res nouas in Aegyptum adduxiſſet, Camelum videlicet Bactrianam, totam nigram, & hominem bicolorem, cuius altera pars plane nigra, altera autem excellenter candida erat, per totum corpus ęqualiter diſtincta atque diuiſa, congregatis in Theatrum Aegyptijs, exhibuit illis cum alia multa ſpectacula, tum inter poſtrema, hęc quoque, Camelum videlicet, & ſemialbum hominem, putauitque ſe magnam admirationem iſto ſpectaculo concitaturum eſſe: at illi ad Cameli aſpectum perterriti ſunt, & parum abſuit, quin exilientes profugiſſēt, quamquam tota ea auro exornata, ac purpura inſtrata erat, frenum autem etiam gemmis compactum habebat, ex Darij alicuius, aut Cambyſis aut etiam ipſius Cyri theſauris depromptum.* Hominem autem vt monſtrum ſunt abominati, qui apud Regem ideo viluit, ἡ μὲν κάμηλος ἀπέθανεν ἀμελουμένη. *Camelus deſerta & neglecta mortua eſt.* qui locus ex Cteſia depromptus duo potiſſimum docet, alterum raro in Aegypto viſos Camelos, alterum ab Aegyptijs morem hauſiſſe Romanos inuſitata quæq; populo oſtentandi, & ludis Theatralibus exhibendi; quod ab alijs non eſt obſeruatum.

Romani Aegyptios imitati.

VSVS IN BELLO.

In voce Semiramis.

VARIVS non vnus eorum erat in bello vſus, vt ex Antiquiſſimi cuiuſdam Scriptoris auctoritate docet Suidas, cuius textus Græcus cum non ſit ad manum, Latina verſio Hieronymi Vuolfij ſufficiet. *Semiramis ait Dercetęo, abi, adorna in tertium annum expeditionem, auſpicatus ab Helleſponto & Libya vſque ad Bactra, peditum myriadas 300. equitum 100. falcatorum curruum myriadas 10. virorum è Camelis pugnantium totidem, aliorum Camelorum ad quoſuis varios vſus myriadas 70. coria boum cruda, ad myriadas 30. naues longę Bactris ędificentur 3000. roſtris ęneis, quę compleantur viris itidem a Syria, Phęnicia, Cypro, Cilicia, & ora maritima vſque ad Helleſpontum.* Eadem illa Regina poſtquam Meſopotamicam expeditionem adornaſſet, & innumerabili exercitu hoſtem terruiſſet, aduerſus Indos aliam ſuſcepit, quam in ſequentibus verbis. Idem Scriptor delineat. *Indos aggreſſura ſimulachra Elephantorum lignea eburnea* in Græco codice eſt εἴδωλα ἐλεφάντινα ξύλινα. *20 000. circiter compegit, quę Cameli geſtarent, intrinſecus impleta virgultis & puluere, quo facilius ferri poſſent, exteriora vero corijs contexit, & ſingulis Camelis binos Aethiopes ſagittarios & iaculatores impoſuit: Indumq́; flumen, qui eſt amplius 100. ſtadiorum latitudine, traijcit, ponteq́ iungit, qua anguſtiſſimus eſſe videbatur.* Ex eo loco multiplex Camelorum in exercitu vſus & officium videtur inſinuari, nam aut viros præliaturos dorſo ferunt, aut quadrigas ducunt, aut annonam geſtant, aut munimenta impedimentaque ſubuectant. ita ambigue Ariſtoteles διὸ καὶ τὰς εἰς πόλεμον ἰούσας ὑποδύουσι καρβατίναις, ὅταν ἀλγήσωσιν. *qua de cauſa eas quę ex longinquitate itineris per exercitum ſatiſcunt, calceant Carbatinis.* ſiue illæ impedimenta circumuectant, ſiue ſagittarios vehunt. Certe tamen etſi ſarcinas interdum circumferrent, tamen frequentior vſus erat ipſos pugnaturos geſtare. quod pluſculi auctores teſtantur. Fl. Renat. Veget. de re militari. *Camelos aliquantę nationes apud*

Ibidem pag. 485.

Multiplex in exercitu vſus.

Lib. 2. hiſto. cap. 1.

Milites vehunt.

Lib. 3. c. 23.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *apud veteres in acie produxerunt, vt Vrcilani in Africa, Mahetes hodie quoque producunt, sed hoc genus animalis, arenis & tolerandæ siti aptum, confusas etiam in puluere vento vias absque errore dirigere memoratur, Cæterum propter nouitatem si ab insolitis videatur, inefficax bello est.* accedit C. Plinius. *atque etiam equitantur in prælijs.* sic recta constat lectio. late exequitur Herodotus. Cyrum immissis in exercitum Cræsi Camelis, turbatisque repetiuo malo equis victoria insigni fuisse potitum, tu adi ad locum. locus est etiam celebris Ioan. Tzetzis in Historiar. Chyliad. eandem enim expeditionem Semiramidis Indicam describit, quam nos supra ex Suida attulimus: Verba eius apponam.

Lib. 8. c. 18.
Lib. 1.
Chiliad 13. cap. 452.

κὰὶ ταυροβάτην τῶν Ἰνδῶν πώποτε ςεφηφόρον
δολοις βοϊδελέφαντας ποήσασα, ἐκτρέπει.
ἐπεὶ δ' ἐκεῖνος ἔγνωκε μαθὸν ἐξ ἀυτομόλȣ,
ὅτι μελάνων μὲν βοῶν δέρματα συῤῥαφέντα
εἰς μίμημα ἐγένετο εἰδώλων ἐλεφάντων
B *Ἄνωθεν εἰς κάμηλον δὲ εἰσὶν ἐντεθειμένα*
Ἀντιςροφῇ συνίμιξαν βουῇ τε ἀκοντίȣ
τὴν χεῖρα Σεμιράμιδος τρώσας βολῇ καιρίᾳ
παλίντροπον ἐποίησε τὴν συῤῥαγὴν τῆς μάχης
Σώζεται δ' ἡ Σεμίραμις τῷ ταχει τῆς καμήλȣ.

Latinè ita sonant;

Et Taurobatem Indorum olim Regem
Dolis Bouelephantes cum fecisset, in fugam vertit,
Postquam autem ille cognouit, discens ex transfuga,
Quod nigrorum boum coria consuta
Ad imitationem fuerunt simulachrorum Elephantorum
Superne autem in Camelum sunt imposita,
Conuerso commixti sunt iactu iaculi.
C *Manu Semiramidis vulnerata ictu certo*
Reconuersum fecit conflictum belli.
Seruatur autem Semiramis celeritate Cameli.

Stratagema autem hoc Camelis Elephantorum simulachra imponendi, adscribitur Perseo Philippi filio, a Polyæno: sed vetustius Semiramidis tempus, vt Suidæ & Tzetzis probabilior sententia videri iure possit, sed ad *Camelos* redeo. qui in exercitu Antiochi Regis contra Scipionem, vt ex Plutarcho supra innuimus, & clare describit T. Liuius. *Inde auxiliares mixti omnium gẽtium duo millia & septingenti, & tria millia cataphractorum Equitum, & mille alij Equites, regia ala leuioribus tegumentis suis equorumq́; aliud haud dissimili habitu, Syri pleriq́; erant Phrygibus & Lydis immisti, ante hunc Equitatum falcatæ quadrigæ, & Cameli, quos appellant Dromadas, his insidebant Arabes sagittarij, gladios habentes tenues, longos quaterna cubita, vt ex tanta altitudine contingere hostem possent.* Locum Appiani Alexandrini conformem huic obseruat eruditissimus Carolus Sigonius Scholijs in Liuium. idipsum de Cræsi exercitu infra dicetur, vbi de Antipathia. & notauit Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico. plura etiam infra, vbi de Castratione ex Claudio Aeliano. & in sacris litteris expetibilem liquet ad bellicos vsus Camelorum fuisse operã,
H ita enim Græcus textus septuaginta. *καθότι προσέταξ εν ἀυτῷ ὁ κύριος ἀυτȣ εἰς μυριάδας δεκαδυο, καὶ ἱππεῖς τοξότας μυρίȣς δυχιλίȣς, καὶ διέταξεν ἀυτοὼς ὅν τροπον πολέμȣ πλῆθος συντάσσεται, καὶ ἔλαβε καμήλους, καὶ ὄνους εἰς τὴν ἀπαρτίαν ἀυτῶν, πλῆθος πολὺ σφόδρα, καὶ πρόβατα, καὶ βόας, καὶ ἄιγας εἰς παρασκευὴν ἀυτῶν.* Versio vulgata in nonnullis differt. *Et præcepit dominus ipsius, & numerauit centum viginti millia pugnatorum, & equitum sagittariorum duodecim millia. omnemq́; expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium Camelorum, cum his quæ exercitui sufficerent copiose, boum quoq́; armenta, gregesq́; ouium.* omisit vulgata interpretatio & *asinos*, & *capras*, & in numero non parum variauit. sed hæc his exigua est, & in solis verbis discrepantia. quantum hucusque probatum in acie ad pugnandum duplex Camelorum vsus ducibus cognitus, vel vt inequitarentur a sagittarijs, vt copiose probatum, vel vt quadrigas ducerent, quod VVilhelmo Godeleuæo est obseruatum. quas describit T. Lucretius Carus de rer. natur.

Lib. 4. Stratagemat. in fine.
4. Decad. li. 7 cap. 40.
Ibidem.
Verbo Vrcilani.
Lib. 4. c. 55.
Iudith. c. 2.
Quadrigis apti.
In Annota. Liuian. li. 5.

Et bijugo prius est, quam bis coniungere binos
Et quam falciferos inuentum adscendere currus.

Sed operosius Q. Curtius, Arrianus Nicomediensis, apud Barnabam Brissonium Xenoph. in Cyropæd. laudante Dionysio Lambino. Vegetius de re militari. & Modestus eleganti illo opusculo. & Aelianus, & Aeneas vetustissimus Scriptor, publici nuper iuris factus cum Polybio, & Leo

Lib. 6.
Lib. 3. c. 24.

Imperator,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

De vocabulis militaribus. in Tacticis. lib. 3.

Imperator, & plerique veterum. ipſe idem Lucretius. cuius verba apponam.

Falciferos memorant currus abſcindere membra
Sæpe ita de ſubito, permixta cæde calentes,
Vt tremere in terra videatur ab artubus, id, quod
Decidit abſciſſum, cum mens tamen, atq; hominis vis
Mobilitate mali non qui ſentire dolorem:
Et ſimul in pugnæ ſtudio quod dedita mens eſt
Corpore cum reliquo pugnam cædeſq; petiſſit
Nec tenet, amiſſam læuam cum tegmine ſæpe
Inter equos abſtraxe rotas, falceiſque rapaces:
Nec cecidiſſe alius dextram, cum ſcandit, & inſtat,
Inde alius conatur adempto ſurgere crure
Cum digitos agitat propter moribundus humi pes, F
Et caput abſciſſum calido viuenteque trunco,
Seruat humi vultum vitalem, oculoſq; patenteis.

Falcatos iſtos currus non modo Cameli ducebant, ſed & Elephantes, & Muli, & Equi, ſed iſti frequentius, quorum vſus ſolemnis fuit Britannijs noſtris. Silius Italicus.

Lib. 17.

Cærulus haud aliter cum dimicat incola Thules
Agmina falcifero circumuenit arcta Couino.

Lib. 12. epig. 24. In vita Agricolæ. Lib. 3. cap. 6.

Porro quadrigam hanc falcatam, Britannis & Scotis *Couinum* dictam celebrat Martialis: & *couinarium Equitem* memorat Cornelius Tacitus. Eum non Britannis tribuit, ſed Gallis Pomponius Mela de ſitu orbis. *bigis & curribus gallice armati, Couinos vocant.* pulchre in ludicro certamine Sidonius Apollinaris.

Carm. 23.

Iamque & pectora prona de Couino
Extenſi rapiuntur.

Lib. 1. V. 426

M. Lucanus, non Britannis aut Gallis, ſed Belgis vſum eius tribuit.

Qua docilis rector monſtrati Belga Couini.

Sarcinas vehunt & pecunias. Lib. 3. Lib. 7.

Hæc de vſu Camelorum ad bellicas res, & pugnam ipſam ineundam, obiter nunc de neceſſaria G eorundem in ferendis ſarcinis opera aliquid delibandum eſt. Darium Perſarum Regem in Alexandrum monentem operoſo apparatu deſcribit Q. Curtius Rufus. poſt Pellices regias *ſexcenti muli & trecenti Cameli gazas regias vehebant adiuncta ſagittariorũ manu.* Datamis Stratagema refertur a Polyæno, cuius verba Græca non ſunt ad manum, Latina vero interprete Iuſto Vulteio hæc ſunt: *Cumq; vnius diei itinere abeſſent, iuſſit eos in iſto loco ſubſiſtere, & quietem capere, aſſumptis autem ſecum Camelis & Mulis, cum perueniſſet ad templum vernaculis opibus ornatum, accepit talenta argenti triginta, hæc Camelis & Mulis impoſita deuexit ad exercitum, paucisq; impletis vaſis alia multa ad ſimilitudinem impletorum comparauit.* narratur & *Archelaus* L. Syllam oppoſitis *Camelis ita terruiſſe, vt diu congredi non auderet, mox & difficilem admodum habuerit victoriam,* licet paulo aliter rem illam narret Iulius Frontinus in Stratagematis.

Lib. 2. cap. 3.

Siue ergo opus ſit magna celeritate in exercitu ad res præclare agendas, ſiue robore indomito, ad onera dorſo vehenda, ſeu denique tolerabilis rerum neceſſariarum, annonæ ſcilicet & aquæ copia requiratur, nullum animal rei bellicæ aptius Camelo natura produxit. H

VSVS IN ITINERIBVS.

Cap. 62. Lib. 8. c. 18. Regum Perſarum mos. Tom. 1. Summar. Rer. Orient. Cent. 1. Reb. Afric. par. 8. Vita Malchi Monachi.

NON minor animalis huius dignatio ad itinera conficienda. Ariſtoteles ſupra laudatus. Iul. Solin. Polyhiſtor. *nec iſti amplius quam ſolita ſpatia volunt egredi.* camdem C. Plinius. *nec vltra aſſueta procedunt ſpatia.* ſpatium autem illud eſt centum millia paſſuum vno die. Nec temere in Arabiæ deſertis alia animantia ad vſus itinerum deligere ſolent. D. Hieron. in Epiſtolis. *poſt diem tertium dubio proſectu procul aſpicimus duos Camelis inſidentes venire concitos.* Enucleate Aelius Lampridius in vita Heliogabali. *Imperator vero ſexcenta vehicula dicitur duxiſſe, aſſerens decem millibus Camelorum Perſarum regem iter facere, & Neronem quingentis carrucis iter iniſſe.* id etiam obiter adnotauit Ramuſius. ideo propter incredibilem illorum velocitatem tam breui tempore, & tam paucis diebus, tres Magos illos Reges ad Chriſtum adorandum perueniſſe exiſtimauit Gulielmus Eiſengrinius. fidem illo meretur ampliorem, quod *ſexto aut ſeptimo die vnum Camelum nongenta milliaria indefeſſe confeciſſe* tradat author haud futilis Ioannes Leonius. ſed hæc paulo infra. elegans eſt *[illegible]*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A locus Iubæ Mauritaniæ Regis de vngendis Camelis ne muscæ in itinere eos infestare, aut affligere possint. teste Plinio. *Iuba in his voluminibus quæ scripsit ad Caium Cæsarem Augusti filium de Arabia, tradit vitulos ternas heminas capere. Cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intrasse, pinguisq; eius negotiatores, & omnium piscium adipe Camelos perungi in eo situ, vt Asilos ab his fugent odore.* Sunt autem asyli, seu Tabani, muscæ morsu venenato, a quibus grauissime infestantur toto eo tractu animãtia. dicam inferius, Vbi de *Antipathia.* Et in sacris litteris non vno loco iter conficientes vtuntur opera Camelorum. vt in Tobia. *assumens quatuor ex seruis Raguelis, & duos Camelos in Rages ciuitatem Medorum perrexit.* Et in Isaia. καὶ εἶδον ἀναβάτας ἱππεῖς δύο, καὶ ἀναβάτην ὄνου, καὶ ἀναβάτην καμήλου. ita Septuaginta. Versio vulgata. *Et vidit currum duorum equitum, & ascensorem asini, & ascensorem Cameli.* Definite Isidorus Hispalensis in Originibus. *centum & amplius milliaria vno die conficere solet.* Hæc olim de ijs vetustis auctoribus prodita; at Modernorum scriptorum diligentia longe pleniora nobis subministrauit. asserunt enim non contemnendæ fidei viri, *transeuntes per Arabiam, spirante Borea, vix vltra decimũ passum se videre posse, atq; ideo arena violenter mota, Camelis insidentes asseribus includi vndiq; solere, foraminibus quibusdam pertenuibus ad respiracula & aerem captandum relictis, Ducibus præeuntibus, acumq; nauticam, vt in vasto mari, præferentibus, quod si quem vel siti, vel nimia bibendi satietate, vel a comitatu desertum contingat mori, quod frequentissime euenire solet, ex Cameli pariter & hominis cadauera, Mummia, vt vocant, perfectissime generatur.* ita visum Iulio Cæsari Scaligero in Cardanum, & alijs. quorum verba, si tanti putabis esse, tu ipse consulere potes. Scio non omnibus eã placere opinionem, & probabilius duco *Mummiam* ex corporibus, citreo succo, sale, melle, balsamoq; conditis optimam haberi, id enim meliores auctores affirmant. quorum illustriora loca adscriberem, nisi tu consulere leui opera posses. C. Plinius. Xenophon histor. Græc. M. Cicero Thusculan. quæstion. Diogen. Laertius apud Petrum Victorium in Var. lection. Georg. Alexandrinus vir doctus pridem obseruauit ex Columella Moderato rei rusticæ scriptore. idem etiam notare libet ex Aeliani varia historia. & vt nostra tempora attingamus etiam hodie eo ritu condire cadauera passim in Africa & Asia Turcos scribit Philippus Lonicerus histor. Turcica. ita Poetas censeo intelligendos. Sil. Italic.

Lib.32. cap. 1. fi. — Cap.9. — Cap.11. — Lib.12.c.1. — Hodierna in Camelis per Arabiam itinera. — Mummia vnde? — Exercit 104 — Lit. Chytræi Insep. Scalig. Epist ad Casaubon. — Condita cadauera. — Lib.22.c.24. — Lib.5.pagin. 564. — Lib.1.ad fi. — Lib.19.c.1. — Lib.6.c.32. — Lib.12.c.vlt. — Tom.1.par.2 cap.19. — Lib. 13. Punicor — Li 3 Num.1. — Lib.3.Silu.2. — Cap.3.num. 261.

C

Claudit odorato post funus stantia busto
Corpora, Aegyptus scilicet.

Corippus Africanus. de Laud. Iustini.

Thura habaa crepant. fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo,
Centum aliæ species, vnguentaq; mira feruntur
Tempus in æternum sacrum seruantia corpus.

Papin. Stat. in Siluis.

Duc & ad Aemathios Manes, vbi belliger vrbis
Conditor, Hyblæo *perfusus nectare durat.*

M. Varro in *Crono* περὶ τρυφῆς apud Nonium.

Quare Heraclides Ponticus plus sapit
Qui præcepit vt comburerent, quam Democritus
D
Qui vt melle seruarent, quem si vulgus
Secutus esset, peream si centum denarijs
Calicem mulsi emere possimus.

Hæc obiter, nunc ad Camelos redeo. sine quibus nullum iter *Meccam*, aut *Memphim* hodie suscipitur, vt Hakluytus indicat, & Ludouicus Vertomannus. *Amarilla Haggs qui dux est Comitatus, postquam octodecim crumenas a principe accepit, in quarum vnaquaq; sunt sexcenti trigintaduo aurei nummi, conducit Chausios quatuor, qui sunt illi a latere, quadringentos pedites, ducentos Equites, Spachios vocant, Dromedarijs vectos, totidem Ianizarios Camelis insidentes, octo Duces, qui iter ducant.* Sunt etiam in eodem comitatu Cameli vacui ad ægrotantes ex itinere deuehendos, quos Medici continuo sequuntur, & eorum etiam numerus magnus est. Atque illi, vt equi, tum ephippijs, tum frenis conscenduntur, at qui in *Bili dulgerid* siue Numidia equitantur, alio longe sunt ritu, *nam neq; ephippijs insternuntur, sed nudo dorso sessorem admittunt, nulla sunt calcaria, sed pro ijs oblongiore virga vtuntur, pro freno est strigmentum coriaceum, quod perforato naso inditum ac transuersim actũ, longius habænis ad manum protenditur;* Vt describit diligenter Mormannius. ita quoq; veteres eundem populum descripserunt Claudian.

Tom.2. Lib.1.c.14. — Carauana vt se habeat. — Peregrinat. Asiat. lib.3. cap.6. — In Theatro. — Lib.1. Laud. Stilic. — De bello Gildon.

Hi virga moderantur equos.

Cultius idem Poeta alibi.

Exarmatus

Exarmatus erit, cum miſſile torſerit hoſtis,
Dextra tenet iaculum, prætentat pallia læua,
Cætera nudus equos, ſonipes ignarus habenæ
Virga regit.

[*Lib.4.Cyneget.V.50.*] Inter Græcos idem teſtatur Oppianus.

— ἠ λιβύεσσιν, ὅσοι μὴ κάρτει χειρῶν,
Α῎λχονται ψελίοισι βιαζομένοιο χαλινοῦ.
πείθονται δὲ λύγοισιν.

aut Numidis, qui non robore manuum,
Cohibentur lupatis violenti fræni,
Sed obtemperent virgis.

[*In Milit. Rom.*] Ita ſe habere in Equis Numidicis ex varijs veterum ſcriptorum locis docuit Iuſtus Lipſius, at
ita quoque Camelos conſcendi docet Samuel Purchaſius Relationibus ſuis: cõſulatur P. Bellonius, [*Lib.6.cap.13*] [*Lib.2.cap.49*]
qui omnia de Natura Cameli arcana exacte proſequitur, ſed non eſt ad manum.

VSVS IN ONERIBVS FERENDIS.

[*Cap.62.*] NON minor vtilitas in *Camelis* ad onera ferenda. C. Iul. Solinus Polyhiſtore. *haben-*
tur in duplex miniſterium, ſunt alij oneri ferendo accommodati, ſed nec vltra iuſtum
[*Lib.8.cap.18*] *pondera recipiunt.* paria plane apud C. Plinium. *ſed ſua cuiq; menſura, ſicuti vires,*
nec plus inſtituto onere recipit. Diodorus Siculus in Bibliotheca. de Gabino Mon-
[*Lib 4.*] te & Debis populis hæc habet in Latina verſione, nã Græca non ſunt penes me. *Ca-*
melos ad omnem vitæ vſum paratos habent, nam in his bellant, in his varia ferunt onera, horum lac po-
[*Lib.3.*] *tant, ſuper his diuerſa perambulant loca.* Idem rurſus ſcribit *in Arabia eſſe Camelos ferendis oneribus*
[*Merces geſtant.*] *aptiſſimos, qui ſupra decem frumenti minas, homines vero quinque in lecto iacentes vehant.* ſed &
& mercimonia quæque deferunt in ſacris litteris non vno loco. καὶ ἰδοὺ ὁδοίποροι ἰσμαηλῖται ἤρχοντο
[*Geneſ.c.37.*] ἐκ γῆς Γαλαὰδ καὶ αἱ κάμηλοι αὐτῶν ἔγεμον θυμιαμάτων καὶ ῥητίνης, καὶ στακτῆς. *Viderunt Iſmaeli-*
tas viatores venire de Galaad, & Camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtacten. & alio in
[L.3. cap.10.] loco, in hiſtor. Reg. ἦλθε εἰς Ἱερουσαλὴμ ἐν δυνάμει βαρείᾳ σφόδρα, καὶ κάμηλοι αἴρουσαι ἡδύσματα
καὶ χρυσίον, πολὺ σφόδρα, καὶ λίθον τίμιον. ita Septuaginta, qui ex duobus capitibus nono ſcilicet &
decimo, vnum tantum faciunt, at vulgata verſio diſtinguit. *ingreſſa Ieruſalem multo cum comitatu*
& diuitijs, Camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas. Eademque
[*Lib.2. cap.9.*] denuo repetuntur in Paralipomenis ijſdem verbis. & plerisque alijs in locis. *portantes ſuper gibbum*
[*Iſa.cap.30.*] *Camelorum theſauros ſuos ad populum, qui prodeſſe non poterunt.* plura infra in Paræmijs. Et vt quam
hodiernus vſus Camelorum plane intelligatur, & cum veterum ſentẽtia congruat, verba apponam
[*Lib.6.cap.1.*] Gulielmi Sandiſij apud Samuelem Purchaſium. *Cameli in Africa ſunt audaciores ijs qui ſunt in qui-*
buſuis alijs regionibus, & nec tantum ingentia ferunt onera, ſed moleſtias itineris non intermiſſi quin-
[*Tolerantia.*] *quaginta diebus totis haud ægre ſuſtinent, etiamſi nihil frumenti quod porrigatur ijs, circumferatur,*
[*Paſtus facilis.*] *ſed noctu in paſcua ieiuna dimittunt, vbi carduis, virgultorum ſummitatibus, aut exili gramine ve-*
ſcantur, nec vero minus ſunt ſitis patientes, cum ſine vllo potu quindecim dies totos pergere haud gra-
[*Sitis.*] *uate valeant, ſi vſus ita ferat, & ordinario ritu quinque dies. Arabes eos inter præcipuas ſuas diuitias*
reputant, nam ita illi alicuius opulentiam deſcribunt, dicendo, eum multa millia Camelorum poſſidere,
horum illi beneficio in ſolitudine & deſertis illi viuere ſolent, quorumlibet regnum contempto imperio.
[*Onus.*] *Sexcenta pondo communiter geſtant, licet, ſi neceſſitas vrgeat, mille ferre poſſint. dum onerantur, aut*
[*Vt oneretur.*] *onere leuantur, in ventrem procumbunt, & vt ſentiunt ſe æquale viribus ſuis onus habere impoſitum,*
exſurgunt, nec plus recipiunt.

VSVS IN CONVIVIIS.

PLERÆQVE gentes magnis in delitijs Camelos habuiſſe deprehendi primum
[*Arabes edũt*] Arabes, quod paulo infra liquebit Cælius Rhodiginus. *Quippe Arabas nouimus Ca-*
[*Lib.28 c.2.*] *melorum lacte veſci, ac carnibus, quod deteſtantur in Septentrionem reiecti.* Sed &
[*Integri menſis illati.*] Regis Magni menſis integri Cameli appoſiti, quod præoccupatum video ab erudi-
[*Li 5.pag.210*] tiſſimo Iacobo Dalechampio in Iudice Athenæi, locus autem ille eſt apud omni-
[*Vlt.edit.*] [illegible] cum authorem. Vbi de Conuiuio ſumptuoſo. ſed vereor ne lapſus ſit vir egregius, nã nec Ca-
meli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A meli assati vlli, eo loco, aut mensis inter edulia, illati, sed conuiuis donati, verba sunt, ex Possidonio
vetusto Scriptore. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον ἀναδόσεις ἐποιήσατο κατ᾽ ἄνδρα ὁλομελῶν βρωμάτων, μετὰ δὲ *Lipsus Dale champ.*
καὶ ζώντων χηνῶν, λαγωῶν, καὶ δορκάδων, ἀνεδίδοντο δὲ καὶ χρυσοῖ στέφανοι τοῖς δειπνοῦσι, καὶ ἀργυρωμάτων πλῆθος, καὶ θεραπόντων, καὶ ἵππων, καὶ καμήλων, καὶ ἔδει ἀναβάντα ἐπὶ τὴν κάμηλον, πιεῖν ἕκαστον, καὶ λαβεῖν τὴν κάμηλον, καὶ τὸν παρεστῶτα παῖδα. *primum enim viritim integra fercula & cibaria distribuit conuiuis, ac deinde viuos lepores, anseres, damas, cum aureis coronis, multisq; argenteis vasis, famulis, equis, camelis, quibus insidentes sigillatim conuiuę bibere cogebantur, suum sibi Camelum abducentes cum insidente puero.* Viui ergo in conuiuio cameli, & pro Xeniolis aut Apophoretis conuiuantibus domum abeuntibus, cum Ephæsis adsessoribus, dono dati, quod maioris fuit magnificentiæ in Antiocho Rege, quam si epulandos exhibuisset. Vnde alter error, nec enim *Magni* id *regis* cōuiuium, sed *Antiochi*. Esūm tamen Camelinæ Alexādrinis in vsu fuisse docet Galenus. Cuius verba Latina sunt Martino Gregorio interprete. *quid iam loquor de ouilla aut caprina? cū in Alexādria Camelina quoque vescantur & asinina.* Et alibi eodem opere. interpretis verba sunt. *Sunt tamen, qui & Asinorum domesticorum, vbi senuerint, carnes comedant, quæ pessimi sunt succi, & concoctu difficillimæ,*

[Margin: Conuiuæ insidentes Camelis, ijs donantur. — Lib. 1. de Aliment. facult. cap. 2. — Lib. 3. cap. 2.]

B *stomachumq; lędant, & præterea inter edendum sunt insuaues, quemadmodum equorum ac Camelorum carnes, quibus & ipsis homines, animo ac corpore asinini & Camelini, vescuntur.* Idem vero medice explicat, quid de carne illa sentiendum sit, Opere de locis affectis. Verba sunt in versione Gulielmi Copi, recognoscente Augustino Gadaldino. *porro qui melancholicum sanguinem efficiunt, hi fere sunt, caprina, bubulaq; raro, magisq; hircinæ & taurinæ, sed maxime Asinorum Camelorumq; carnes, nam & his nonnulli vescūtur.* de Alexandrinis & Bactrianis iam liquet, de Romanis ipsum hoc ostendendum. Aelius Namprid. scribit tam perditæ & insanientis luxuriæ fuisse Imperatorem illū, vt *Struthiones & Camelos exhibuerit in cenis aliquoties, dicens præceptum Iudeis, vt ederent.* locum esse corruptum viri docti suspicati, quod falsum sit Iudæis præceptum vt Camelina vescerentur, & ideo legendum censuerunt *Struthio camelos exhibuerit in cenis*. locum depositum Isaacus Casaubonus ad eum locum fatetur, sed potest tamen leui opera sanari, si legamus. *edicens pręcepto Iudęis,* vt sit sensus, illum Camelinæ esum populo Romano indulsisse, Iudæis etiam contra legem suā edicto imperasse, deinde cur non ea ipsa auctoris verba sint sana, hoc sensu, vt *dicat preceptum* idem sit

[Margin: Insuauis Caro. — Lib. 3. cap. 6. — Melancholiam gignit. — In Heliogabal. — Lampridius correctus.]

C atque imperet? Vt scilicet præcepto suo vim legi Mosaicæ adferret, quæ esum Camelinæ penitus interdicebat: non erit ergo *dicens* affirmans, sed *edicens*, & τὸ *pręceptum* non est *passiuum*, sed *actiuū*, quod videlicet non a lege, sed ab ipsius festiuo ioco proficisceretur. non potuisse Iudæos ea vesci conuincit sacer Codex in quo hæc sunt. *omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus comedetis, quicquid autem ruminat quidem & habet vngulam, sed non diuidit eam sicut Camelus, & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.* idemque præceptum denuo iteratur. Sed ad Gentiles, relictis Hebræis, redeo, inter quos Saraceni, præter eos, quos iam dixi, *Camelina* victitabat, quin imo & *tota barbaries eremi.* Vt verba D. Hieronymi vsurpem. & multa apud Marmanniū super ea re. quem adi. & plene satisfacit idem ille D. Hieronymus apud Purchasium. & Doctores alij, sanctique Patres in expositionibus suis ad Hieremiam. Illud autem non est prætermittendum, *Camelos* quidem in ordinario esu non fuisse, sed *calcanea* tantum, idque profundæ luxuriæ exemplo ab Apicio illo nepote tracto, teste Aelio Lampridio. *comedit sæpius ad imitationem Apicij calcanea Camelorum, & cristas viuis gallinaceis demptas, linguas pauonum, & lusciniarum, quod qui ederet,*

[Margin: Iudæi abstinebant. — Leuit. c. 11. — Deuterono. cap. 14. — Lib. 2. cont. Iouinian. — In Theatro. — Lib. 3. cap. 2. — Cap. 49. — Calcania in delitijs ex Apicio.]

D *tutus esse ab epilepsia videretur.* id iam obseruatum animaduerti a Cælio Rhodigino. causa sane harum delitiarum non ea quam helluo ille prætendit, epilepsia cura & cautio, sed mollities, & teneritudo, vt apparat ex Herodiano. αἱ κάμηλοι μάλιστα ἔχουσιν ἁπαλὰ τὰ πέλματα. *Cameli habent calcanea maxime tenera.* hæc de vsu eius in cibis.

[Margin: In Heliogab. — Lib. 28. c. 7. — Lib. 4.]

VSVS IN SACRIFICIIS.

PVLLVS apud antiquos fuit, quantum reminiscor, Camelorum in sacrificijs vsus, neque vlli, quod quidem obseruauerim, immolabantur, at per impietatem Mahometicam capit victima fieri, quod sic expressum in Relationibus Rerum Arabicarum a Samuele Purchasio, sic ex Anglico Latine sonant. *Calipha palatio semel in anno egreditur, mense, qui vocatur Ramedan, ipso die paschatis apud se solemni, quo tempore ingens ex prouincijs vicinis, ad eum videndum, concursus ipse vehitur Mulo, regio instrato, coronatus diademate inæstimabilis pretij, in cuius apice pannum nigrum ventilat, vt mystice omnem illam pompam ac splendorem Mortis aduentu obnubilandam ostendat, adsistunt principes Arabiæ, Mediæ, Persidis, Tubothi, eo ille comitatu in magnum templum defertur, populus vtriusq; sexus, & omnis*

[Margin: Lib. 3 cap. 2. Num 4. — Vt impij Mahometani festa sua agāt?]

ætatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ætatis purpura byſſoq; veſtitus, eum ſalutat, ipſe mota manu, aut iactata veſte reſalutat, donec in porticum deueniat, vbi ſuauiſſimus eum omnium Muſicorum inſtrumentorum concentus accipit, cum Tripudijs; ipſe deinde ſuggeſtum ligneum conſcendit, & ſuper legis ſuę expoſitione ſermonem adornat, Iſmaelitis, qui ſapientiores inter eos habentur, doctrinam eius, & ingenij acumen mire extollentibus, mox finita oratione populo, ſuo more, propitiatur; Tum adducitur ad eum Camelus, quem è veſtigio mactat in ſignum magnę illius ſolemnitatis, & vt Iudęi agno, ita illi Camelo, tanquam legitima hoſtia litant. deniq; per adſtantes principes partes victimę viſceratę curat optimatibus quibuſq; elargiri, atq; illud honorificentiſſimum munus habetur. Nec alibi, aut in alio ſacri Ethnici ritu Camelum immolatum aut olim, aut hodie, mihi ſuccurrit. porro diſtributio illa carnis diſſectæ ab antiquis visceratio, & partes ipſæ *porricię*. Briſſonius in Formulis, & alij: nec abſimile etiam in nefanda prodigioſaque Gallorum veterum celebritate tradunt Stephanus Forcatulus & Ioannes Picardus in Celtopædia, ex C.Plinio. ſed mota hæc. & ego porro pergo.

Lib.3.
Lib.16.c.44.

VSVS IN SACRIS certaminibus.

Ortel. Theſaur. Geogr. Lib.12.c.34.

IN ſacris agonibus & ludicris commiſſionibus *Cameli* a quibuſdam gentibus Equis prælati. id autem de *Sagarçis* populis prodit nonnemo. Claud. Aelian. claro id elogio conſignatum voluit, cuius ſunt hæc. Σαγαρέοι δὲ τῇ Ἀθηνῇ καμήλων ἀγῶνα ἐτησιον σὺν αἰδοῖ τῇ τῆς θεοῦ ἐπιτελοῦσι. *Sagarçi ſiue Sagarenſes*, vt Iuſtus Vulteius vertit *quotannis ſumma aduerſus Mineruam obſeruantia celebrant Camelorum certamen*. Et rationem ſubiungit, quod ijs in locis δρομικώταται *velociſſimi* ſint, de quo infra dicam. Certamē illud erat quadrigarum, vti ſupra videbis probatum, vbi egi de vſu in Spectaculis. Addendus eſt locus egregius Aelij Lampridij. *Fertur in Euripis vino plenis circenſes nauales exhibuiſſe, pallia de Oenanthio fudiſſe, & Elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitaſſe, dirutis ſepulchris, quæ obſtabant. Iunxiſſe etiam Camelos quaternos ad currus in circo priuato ſpectaculo.* Pro Equis ergo Nyſæis velociſſimis, quibus Græci Romaniq; vtebantur, & pro Equabus, quas maribus certaminibus ſacris aptiores, quia incitatiores, Sagaræi Camelis vſi. Dixi ad Corippum Africanum, & late explicat Seruius Maurus Honoratus ad illud Virgilij.

Quadriga Camelorum.
In Heliogab.
Lib.1.Georg.

— *Eliadum palmas Epirus equarum.*

Li. 3. Georg.

Et rurſus ad illud.

— *Quadriiugos agitabo ad flumina currus.*

CVLTVS.

VTI hoc animal vetuſtas inter hoſtias neſciuit, ita nec inter deos vllibi coluit, at poſterioribus ſæculis Mahometana perfidia nouum hoc ceu idolum, ſeu numen nefarie excogitauit. nam in ea lege illa lege *Alcorani* frequentiſſima eſt mentio *Cameli ſuperſtitioſe colendi*, & Beniamin Tudelenſis ante trecētos annos in prouincia Baydar, ſcribit moris fuiſſe illi populo, vt *Alcoranum Camelo proceriſſimo impoſitum ad Hperegrinationem Meccanam deferrent, qua finita, Camelum in minutiſſimas partes diſſectum religioſiſſima obſeruantia in templis aſſeruarent, & diuino cultu honorarent.* quod & in Aegypto olim conſuetum, dum ſacerdotes in palatia Soldanorum legem ſuam portarent, idemque hodie Conſtantinopoli obſeruari legitur apud Nonneminem. Sed mira inſania audiatur ex peregrinatione Meccana. *prope ſepulchrum Mahometi eſt monimentum ingens, altum, vaſtum, quadratum, lapide ſecto & cæmento erectum, intus arena plenum, in quo conditum volunt Camelum illum, quem ipſe Mahometus aſcendere & equitare ſolebat:* quod maxima ſuperſtitione, & affectu pijſſimo frequentatur, cum tamen ibi non ſit Cameli corpus, ſed *cenotaphium:* nam Memphi in Aegypto *tibia illius ipſius Cameli, quem Mahometus inequitauit, ſplendidiſſima pompa in carpento per vias publice fertur, mulieribus veſtes prætendentibus & tangere ſtudioſiſſime nitentibus*. hæc non duxi omittenda, addo inſuper quod proditum a verace ſcriptore Doula. *Camelum qui Alcoranum defert tanta haberi veneratione a Mahometanis, vt nihil ijs ſit religioſius, quibuſdam pilos auellentibus, quos, ſacrarum inſtar Memoriarum, continuo penes ſe habeant, nonnullis ipſam belluam oſculantibus, alijs ſudorem detergentibus, quo vultum totum, & maxime oculos perungant, madefaciant, atq; illinant, omnibus vero ad eum certatim*

In Itinerario.
Camelus ſectus & cultus.
Ian. Donſa. In Epiſtol. Lib.3. cap.6.
Tibia Cameli colitur.
In Itinerario.

A *tatim concurrentibus,& seu viuam deitatis imaginem, deuenerantibus, carnem eius denique frustatim concisam ac diribitam esitantibus.* hæc pene Samuel Purchasius in Itinerario illo erudito.

Lib.6.c.4.

VSVS IN VESTITV, & fullonia.

VSVS etiam *pilorum Camelinorum* ad vestes texendas,& *Vrina Cameline* ad vestes mundandas,maculas eluendas,& a fullonibus præparandas.ac primum sacerdotalia indumenta ex Camelorum pilis facta. probat locus insignis Cl.Aeliani in propriet. Animal.de Caspijs Camelis. αἱ μέγισαι κατὰ τὰς ἵππους τὰς μεγίσας, εὔτριχες ἄγαν ἁπαλαὶ γάρ εἰσὶ σφόδρα, αἱ τούτων τρίχες, ὡς καὶ τοῖς μιλισίοις ἰρίοις ἀντικρίνεσθαι τὴν μαλακότητα καὶ οἱ τῶν Κασπίων πλουσιώτατοι καὶ δυνατώταται καὶ ἱερεῖς ἐκ τούτων ἔσθητα ἀμφιέννυνται. B *quorũ maximi ad equorum maximorum accedunt magnitudinem, eorum villi adeo sint molles, vt cum Milesijs lanis mollitudine comparare possint, ex ijsque Caspiorum ditissimi & potentissimi, & sacerdotes vestimenta conficiant.* Milesia autem lana in pręcipuo pretio. Seruio Mauro Honorato teste. D.Matth. αὐτὸς δὲ Ιωάννης εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου. *ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis Cameli.* eadem repetuntur a D.Marco. ad illum priorem locum D.Hieronymus. *de pilis, non de lana, aliud austerę vestis indicium est, aliud luxurię mollioris.* ad posteriorem vero. *pilis cameli, diuites gentium, zona pellicea, pauperes mundo mortui significantur.* & ad eundem Diui Matthæi locum Albertus Magnus. *in pilis Cameli tria notantur, communitas, quod de facili apud quoslibet in terra inueniebantur, vilitas, quod nullius quasi precij reputabantur, asperitas, quod ijs caro ita regebatur, quod macerabatur.* Et paria plerique alij inter veteres recentioresque: Vt mirum sit Aelianum tam molles fecisse pilos Camelorum, vt lana quamlibet tenerrimam mollitie superarent, cum asperi admodum sint & pungentes, nisi forte dicamus pilos molles habere Camelum Caspium, quemlibet alium asperos & duros, quod verum existimo, vt proceres quidem Caspios C vestes delicatiores gestarint ex pilis Camelorum suorum, & Diuus Ioannes Baptista pœnitentiam, non alio melius habitu, quam eo, qui ex ordinariorum Camelorum pilis constarent, ostendere potuit.

Vestes ex pilis Cameli.
Lib.17.c.34
Ad lib. 4. Georg.
Cap.3.
Cap.1.
Nicol. Gorram.
Claud.Guilliand.
Alf. Tostat.
Vestis S Ioannis Baptistæ.

Ad alium vsum venio, qui in vrina, de qua Apollonius Medicus Opere de Parabilibus ad Achoras apud Galenum. cuius verba sunt interprete Iano Cornario, & recognoscente Nicolao Macchello. *Cameli vrina capite affricto, illud euacuat, vtendum autem est ea ad plures dies, verum ego vtique dixerim ad ipsum, non esse, quod ad multos dies, sed ne ad vnum quidem, purus homo tolerare queat, vt vllius alicuius huiusmodi animalis vrina capiti suffundatur, pręsertim in affectione adeo parua, & quę facile curari potest.* Inutile ergo hoc, aut certe Parum profuturum remedium. Illud tamen certum fullonibus vrinam hanc pernecessariam. C.Plinius. *Vrinam fullonibus vtilissimam esse tradunt* Cameli. notauit vir doctus Matthæus Raderus Commentarijs in Martialem poetam eo loco.

Lib.1.de Cõpos.Medica. sec. loc. pag. 129.
Vsus vrinæ. Reprobatus Galeno.
Vsus in fullonia.
Lib 28. c.8.
Lib.6.epigr. 93.

> *Tam male Thais olet, quam non fullonis auari*
> D *Testa vetus.*

Nec *Camelina* vrina, sed & quælibet alterius animalis fulloniæ conueniebat, ideo per vias publicas in angiportis disposita dolia, in quibus prætereuntes meierent. Caius Titius scriptor vetustissimus. *dum meiunt, nulla est in angiportu amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant, veniunt in comitium tristes, iubent dicere, quorum negotium est narrant, iudex testes poscit, ipsus it mictum, vix præ vino sustinet palpebras.* ita ille apud Fl. Macrobium, ita facili negotio intelligitur quale fuerit vectigal vrinæ, quod Vespasianus instituit, quoque nomine auaritiæ ille insimuletur. Vt est apud Suetonium. *Reprehendenti filio Tito, quod etiam vrinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admouit ad nares, sciscitans num odore offenderetur? & illo negante, atqui, inquit, è lotio est.* Hoc vectigal eo modo constabat vt fullones amphoras illas in angiportu collocatas conducerent, indeque vrinam pannis parandis efferrent. Vnde celebre illud Quinti Medici vetustissimi apophthegma apud Galenum. Vbi sic vertit Thomas Linacer Anglus. *Vrinas nosse non ad Medicum, sed ad pictorem pertinere.* falsissimo sane ioco, quid enim Pictori cum vrina, aut quis eius in arte pictoria vsus? nec qui recognouit libros illos, Hieronymus Donzellinus, deprauatam versionem animaduertit, inductus, vt puto, fuerat Interpres a codice malę manus, qui forte habebat γραφέως, quod *pictorem* sonat, cum reuera γναφέως, quod *fullo* est, legi debuit, & sic

In Suasione legis Fãniæ.
Lib.3. c.17.
Vectigal vrinæ.
Vespas. c.23
Conducunt fullones.
Lib.3. sanit. tuend. c.13.
Ignorantia Linacri Angli.

Cõſid eratio vrinæ fullonis eſt, non Medici.
Lib. 4.

argutum eſt, licet ignorantiæ plenum verbum, *non eſſe Medici, ſed fullonis vrinam conſiderare.* quia nulla ſanitatis aut morbi ſigna ex ea colligi poſſunt, cum veſtibus parandis ſit vtiliſſima. deſcribit T. Lucretius Carus.

Fuſi ſæpe lacum propter ſe, ac dolia curta,
Somno deuincti credunt extollere veſtem,
Totius humorem ſaccatum vt corporis fundant,
Cum Babylonica magnifico ſplendore rigantur.

Foricarij.
1. ad Corin.
Omnibus ſordibus vectigal impoſitũ.
In Anaſtaſio imp.
Lib. 22. c. 34.
Sat. 3. V. 38.
L. 17. ff. de vſur.
Contra gloſſographos.
Paulus correctus.
Chiliad. 1.

Conductores iſti *foricarij* vocati, & Græcis Καπρῶνες, quaſi dicas *ſtercorum exactores,* vt apud D. Ioannem Chryſoſtomum. certe enim non vrinæ modo, ſed & ſtercori humano, & fimo equino, & ſordibus quibuſcumque tributum impoſitum, vt ex narratione Georgij Cedreni colligitur. late explicat Iacobus Cuiacius in obſeruationibus, huc etiam referendus D. Iuuenalis locus.

Conducunt foricas.

Vetus Scholiaſtes *foricas, ſtercora, hoc eſt vectigal: forire eſt pro deonerare ventrem, forire eſt, non foris eijcere, alij tabernas dicũt foro vicinas, alij domos publico ſumptu ædificatas ad locandum, quarum conductores lucra captabant.* Paulus I. C. eleganti loco corruptus. *fiſcus ex ſuis contractibus vſuras non dat, ſed ipſe accipit, vt ſolet, a fornicarijs,* gloſſographi imperite, vt ſolent. *fornicarij, ideſt qui furnum, aut fornacem, vel apothecas, vel quid ſimile a fiſco conducunt.* ſed deprauata eſt lectio, & reſtituenda. *ipſe accipit, vt ſolet, a foricarijs.* videatur Tzetzes.

Vſus vrinæ ad dẽtes purgandos.
Lib. 1. Apolog.

Eſt & alius *vrinæ Camelinæ* vſus, ſcilicet ad dentes mundandos, purgandos, leuigãdos, eam enim vim habere credebatur, vti & vrina Muli. teſte L. Apuleio. elegans eſt teſtimoniũ Valerij Catulli.

——— *ſua ſibi vrina*
Dentem atq; ruſſam primicare gingiuam,
Miſi, vt petiſti, munditias dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus
Tenuem, candificum, nobilem puluiſculum
Complanatorem tumidulæ gingiuulæ,
Conuerritorem pridianæ reliquiæ,
Ne qua viſatur tetra labes ſordium,
Reſtrictis forte ſi labellis riſerit.

Catullus correctus.

Sunt qui de Cameli vrina intelligant quartum verſiculum, & ex M. S. legunt.

Nitelas oris ex Arabicis belluis.

Plurima de vrina proxime in ſequentibus, ex Medicorum ſententia, inuenies.

VSVS PARTIVM eius in Medicinis.

Lib. 28. c. 8.
Cerebrum.
Fel.
Vrina.
Cauda.
Fimus.
Cinis.
Setæ.
Plinij locus auctior.

MVLTA Medici de remedijs ex Cameli partibus deſumptis differunt, ad quos vberius ſuper hac re differentes remitto lectorem, interim obuia quæque expedio. præibit Plinius. 1. *Cameli cerebrum arefactum, potumque ex aceto, comitialibus morbis, aiunt mederi. 2. Item fel cum melle potum: hoc & anginæ. 3. Vrinam fullonibus eſſe vtiliſſimam tradunt, itemq; vlceribus manantibus.* & de felle infra videbitur, de vrina ſuperiori excurſu actum. 4. *cauda arefacta ſolui aluum. 5. fimi cinere criſpari capillum cum oleo. 6. Dyſentericis prodeſt illitus cinis, potuſque quantum tribus digitis capiatur, & comitialibus morbis. 7. Setas è cauda contortas, & adligatas ſiniſtro brachio quartanis mederi.* ita ibi, ſed paulo aliter de tertio boni codices, qui ſic habent. *Vrinam fullonibus eſſe vtiliſſimam tradunt, itemque hulceribus manantibus: barbaros conſtat eam ſeruare quinquennio, & hominis potum ciere aluum.* Vt minus mirum ſit ſupra in Catullo miſſam amico ad dentes purgandos, ſequatur Auicenna. cuius hæc ſunt apud Vincentium Bellouacenſem.

Lib. 19. c. 26.
Caro
Adeps.
Cerebrum.
Sanguis.
Lac.

1. *Caro prouocat vrinam. 2. Adeps gibbi ſuffumigatus, confert hemorrhoidibus. 3. Cerebrum exſiccatum, aceto bibitum confert epilepſiæ. 4. Ad idem valet ſanguis, poſt purgationem menſtruorum iuuat ad impregnationem, & confert præfocationi matricis. 5. lac eſt valde ſubtile, & aquoſum, nec facit oppilationes, ſicut cætera, in eo eſt ſalſedo, quia Cameli diligunt acetoſum, confert aſmati, & frequentiæ ſpiritus, hydropi nocet, hepatico confert, excitat deſiderium cibi, & facit tuſſim, lenit ventrem. 6. Stercus mundificat, & deſtruit verrucas, abſcindit fluxum ſanguinis è naribus, reſoluit vlcera, & ſchrophulas, ſedat dolores iuncturarum.* Dioſcorides apud eundem. *Fimus albus cum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *cum melle tritus tumores reprimit, vulnera permundat.* denique Hali Arabs eodem referente sic censet. *Sanguis* Cameli *frictus dysenteriam iuuat, venenum pellit, auget venerem.* nec plura de medicinis ex partibus eius deprehendi.

Ibidem. Sanguis frictus.

DE PARTIBVS SIGILLATIM.

PARTES singulas retracto. Ac primum de felle ago. de quo haud æque omnes sentiunt, sed a Latinis Græci discrepant, vti breuiter dicam, pro his stat C. Plinius, illorum partes tuetur Aristoteles. Ille quidem sic habet. *Fel non omnibus datum animalibus, in EubϾ Chalcide nullum pecori: in Naxo prægrande geminumque, vt prodigij loco vtrumque sit aduenis.* ita locum illum lego, & interpungo. *Equi, muli, asini, cerui, capræ, apri, Cameli, delphini non habent.* locum lubet ad incudem reuocare, est enim difficultatis plenum, ac primum *capras fel habere* ipse est auctor Plinius. quare legendum putant verisimiliter B *capreæ*, nam πρὸξ est *capreæ species*, seu *dama*, quæ felle caret. deinde videtur vox *Apri* in textum, ex vicinia vocis *capræ*, irrupisse, certe enim *Afrum fel habere* notum est ex eodem Plinio. Tum etiam imperfecta enumeratio animalium est felle carentium apud Plinium, quando quædam deficiant, vel Aristotele teste. apud quem felle dicuntur carere φώκη, καὶ τῶν μυῶν ἔνιοι, *vitulus marinus, & murium aliqui.* Sed quod maximi hic momenti est, falsum est non habere fel Camelum. Aristotele auctore. τὰ μὲν γὰρ ὅλως οὐκ ἔχει χολὴν, ὡς ἵππος, καὶ ὀρεὺς, καὶ ὄνος, καὶ ἔλαφος, καὶ πρὸξ· οὐκ ἔχει δὲ οὐδὲ ἡ κάμηλος ἀποκεκριμένην, ἀλλὰ χολώδη φλεβία μᾶλλον. *quædam felle omnino carent, vt equus, mulus, asinus, ceruus, dama. Camelus non discretum, sed venulis quibusdam confusum habet.* Dentes a Plinio describuntur. *Camelus vna ex ijs quæ non sunt cornigera, in superiori maxilla primores dentes non habet.* eadem pæne verbatim Aristoteles. Cuius verba hæc sunt Theodoro Gaza interprete. *in sanguineo genere vtrinque dentata, & viuipara, simplicem ventrem habent, vt homo, canis, leo, & reliqua, quorum pedes in plurimos digitos finduntur, & quæ aut solipeda sunt, vt equus, mulus, asinus, aut bisulca quidem, sed vtraque parte dentata, vt sus, nisi aliqua præ sui corporis magnitudine, aut dif-* C *ficultate cibi non ad concoctionem idonei, sed spinosi, & lignei, multiplicem habeant, vt Camelus, quemadmodum cornigera habent, quippe quæ non vtraque parte dentata sunt, & Camelus quidem, quanquam cornibus caret, ideo non superne dentatus est, quod ei magis necessarium est, ventrem talem habere, quam dentes priores.* Duos ergo ventriculos habet solus ex quadrupedibus non cornigeris, vt late exequitur Galenus de Anatom. administrat. quem locum infra produco, vbi de cibo. interim ibidem loci membranam pingit, interprete Ioanne Andernaco. *quia spinosum ligneumque alimentum depascitur, huius gratia membrana oris interior, ex toto aspera est, & ea quæ ventribus obducta est, similiter.* Idem etiam Galenus de compositione Medicamentorum localium meminit *Cameline medullæ*, quæ obturationibus medetur ex sententia Herodoti, quod in cura Astaini verum esse comprobatum. *Seui* quoque Camelini mentio apud Anonymum auctorem libri de Oculis, quem falso Galeno attribuunt, eo igitur loco oculorum vitia & ægritudines leuari *a seuo Cameli, & porci,* prodit. *Vngulam* vero non habet: nam in sacris litteris præceptum populo sancto, per Moysen. καὶ ταῦτα οὐ φάγεσθε, ἀπὸ τῶν ἀναγαγόντων μηρυκισμὸν, καὶ ἀπὸ τῶν διχηλούντων τὰς ὁπλὰς, καὶ ὀνυχιζόντων ὀνυχιστῆρας, τὸν κάμηλον, καὶ τὸν δασύποδα, καὶ χοιρογρύλλιον. ita Septuaginta. Versio vulgata D sic habet. *de his autem quæ ruminant, & vngulam non findunt, comedere non debetis, vt Camelum, Leporem, Chærogryllum.* idem inter profanos Scriptores asserit Achmes Seirim, qui falso primum a Ioanne Leunclauio Apamasaris nomine prodijt, sed Latine tantum. is ergo in Oneirocrit. εἰ δ' ἴδῃ τοιαύτη, μία κάμηλος ἀπ' αὐτῶν ἐλάκτισεν αὐτὸν, φόβον ἐξουσιάζοντος, εὑρήσει ἀβλαβῶς, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ὄνυχα τὸν κάμηλον ἱππίαν. *si videre visus fuerit, quasi Camelus eiusmodi calces ipsimet impegerit, sine detrimento suo terrebitur a principe, propterea quod Camelus vngulam equinam non habeat.* de collo in descriptione supra nonnihil, eius enim beneficio tam immensum vastumque corpus alit, ac sustentat, alioquin certe ex tanta altitudine vix vnquam ad terram peruenire[.] Hinc M. Cicero argute. *Cameli collorum proceritate adiuuantur.* discursis ita partibus ad *lactis* Cameli in considerationem venio, quo viuere plerique populi creduntur, nec alio potu egere. Diodorus Siculus in Bibliotheca, auctor est circa montem Gabinum *Debos populos*, ita Latina verba refert Camers, nam textus Græcus ad manum non est, *Camelos in omnem vitæ vsum habere, his bellare, varia onera ferre, lac potare.* agit fuse ex Medicorum placitis Gulielmus Pantinus Commentario in Cornelium Celsum: & ego nonnihil exquiram, ac, ex bonorum auctorum relatione, quantum satis instituto meo, adferam. prætcat Plinius *lac Cameli habent, donec iterum grauescant,* sed legēdum est omnino,

Dissidet Plinius ab Aristotele. Lib. 11. c. 37. Locus Plinij discussus. Lib. 28. c. 10. Lib. 28. c. 16. Hist. Anim. lib. 2. c. 15. Part. Anim. lib 4. c. 2. Lib. 11. c. 37. Dentes. Part. Anim. lib. 3. c. 14. Venter. Lib. 6. cap. 3. Membrana oris, & ventris. Lib. 9 cap. 6. Medulla. Cap. 3. Seuum. Vngula caret. Deuter. c. 14. Achmetis editio prima. Cap. 238. Collum Lib. 3. Nat. Deor. Lac. Lib. 4. Lib. 2. c. 18. Lib. 11. c. 41 Plinij locus correctus.

grauideſcant, ideſt grauidæ fiant. ſed longe etiam aliter nonnulli codices. *Cameli lac mulgetur, ne iterum grauideſcant*. Vtra lectio potior ſit, pertinet ad phyſicos, ſed qualitatem lactis huius inue- A
Qualitas. ſtigemus. iterum Plinius. *lac dulciſſimum ab hominis camelinum*. addit Ariſtoteles has differentias
Lib.28.c.9.
Lib.3.c.20. in hiſtoria Animalium. τῶν δ' ἀμφοδόντων οὐ πήγνυται, ὥσπερ οὐδ' ἡ πιμελή, καὶ ἔστι λεπτὸν καὶ γλυ-
Galenus Ariſtotele tranſcribit. κύ· ἔστι δὲ λεπτότατον μὲν γάλα καμήλου, δεύτερον δ' ἵππου, τρίτον δ' ὄνου. *eorum autem quæ vtrinque dentata ſunt, lac coire non poteſt, ſicut nec pingue, tenue, dulceque tenuiſſimum autem lac Cameli, tum equæ, tertio aſinæ.* quem locum Galenus eſt ab Ariſtotele mutuatus. ſic enim in Alimentorum facultatibus interpres Latinus Martinus Gregorius, Græca ad manum non ſunt. *boum lac craſſiſſimum eſt, ac pinguiſſimum, liquidiſſimum autem & minime pingue, Camelorum, mox equarum, deinde aſinarum.* Et rurſus apertius definit libello de Succorum bonitate, & vitio, vbi hæc ſunt Iulij Alexandri interpretis verba: *Ex tribus ſubſtantijs conſtat lac quodlibet, diſſimilium inter ſe partium, quarum*
Cap.4. *vna seroſa eſt tenuiſque, craſſa altera ac caſeoſa, tertia vero pinguis atque oleoſa: neque in omnibus tamen animantibus æqua harum portio eſt, ſed in Camelorum, atque aſinarum lacte seroſæ humiditatis plurimum, caſeoſæ in ouillo, pinguis in bubulo.* nihil diuerſum apud Anonymum auctorem libri de B
diſſolutione continua, quem Galeno falſo adſcribunt, & Incertus vertit. verba ſunt. *nutrimentum*
Cap.4. *lactis eſt craſſum, licet minus nutriat, & craßum incraſſat, ſicut vaccæ, & ſubtilius eſt lac aſinæ, lacte*
Cap.238. *Cameli, & lac capræ eſt medium inter iſta.* Achmes Oneirocrita ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι γάλα καμήλου ἔπιεν, εὑρήσει ἀπὸ ἐξουσιαστοῦ πλοῦτον καὶ φόβον, καὶ νόσον. *ſi quis lac Cameli bibiſſe ſibi vſus fuerit, a principe diuitias habebit cum terrore ac morbo.* populos autem non paucos lacte tantum viuere notius eſt,
Lib.5.c.31. quam vt dici debeat, videatur Ioannes Sauaro vir doctiſſimus ad Sinodium Apollinarem, Virgi-
Li.1.pag.46. lius & Callimachus apud Ioannem Brodæum in Miſcellaneis. Athenæus in Dipnoſophiſtis. Iunius
Li.7 Rei Ruſtic.c.2. Moderatus Columella. *Nomadum Getarumque plurimi* γαλακτοπόται, *lactis potores, ſunt.* ſed hæc obiter. qua vero menſura mixturaque Camelinum lac bibatur, vt eo redeam, eſt egregie ab Ariſto-
Lib.6. Hiſt. Anim.c.26. tele præſcriptum. cuius ſunt hæc. κάμηλος τίκτει δὲ ἔαρος, καὶ γάλα ἔχει μέχρις οὗ ἂν ἐν γαστρὶ λάβῃ· ἔχει δὲ τὰ κρέα, καὶ τὸ γάλα μέχρις οὗ ἂν ἐν γαστρὶ λάβῃ, verba hæc iterata culpa Librariorum, de-
Ariſtoteles correctus. lenda ſunt ἥδιστα πάντων, πίνουσι δὲ τὸ γάλα, δύο καὶ ἕνα, ἢ τρία καὶ ἕνα, πρὸς ὕδωρ κεράσαντες. *parit in vere, & lac ſuum vſque eo ſeruat, quo iam conceperit. Tum lac, tum caro* Cameli *ſuauiſſima omni-* C
Aquæ admixtum lac Cameli. *um ſunt, bibitur eius lac ad vnam menſuram, duabus aut tribus aquæ admiſtis* κεράσαντες autem eſt In cornu miſcentes, vt locum illum obiter attingam, nam antiqui miſcebant & diluebant vinum in
κέρασαι quid ſit? corneis poculis. ex Diuo Ambroſio, Xenophonte, Athenæo, Pindaro, Hermippo, Aeſchylo, Sophocle, Nonno Panopolita, Homero & Cteſia docui in Antiquitatibus Romanis. Sed ad lac Cameli
Lib.5.c.30. regredior. Adnotatum eſt eos qui Libyam & Numidiam hodie incolunt, quæ *Biledulgerid & Sara* dicuntur, *lac Cameli purum, mane, ieiunos bibere ſolere, toto deinde die aqua admixta temperare.*
Lib.6.c.13. Sam. Purchaſius late & vere exequitur.

CIBVS ET RVMINARE.

PROPIVS ad naturam huius animalis indagandam accedo, & quidem primum de cibis, quibus veſci ſolet, inquiro, Galeno duce. cuius verba ſunt interprete Ioan-
Lib.6.adminiſt. Anato. c.3. ne Andernaco, ex recognitione Andreæ Veſalij. *cornigeris ſupernos dentes magna ex parte abeſſe nouimus, vt quibus terreſtre capitis partium recrementum in cornua abſumatur: ſed non quia cornigera ſunt, ideo plures habent ventriculos, vel ruminant, D*
Cibus ſpinoſus. *quia autem durum ſpinoſumque cibum aßumunt, non indigent dentibus ſuperioribus, quippe & camelus quamquam cornibus careat, tamen & ruminat, & multos habet ventres, quoniam ſpinoſum lignoſumque alimentum depaſcitur.* Hic quidem in genere Cameli cibus eſt, nos peculiari quærimus
Hordeum, et fænum. ratione, quis ille fuerit. 1. conſtat *hordeo fænoque* victitare ſolitum, quod ex Luciano apertum.
In Aſino. ille enim ſic habet ἡ δὲ παρθένος πολὺν λόγον εἶχεν ἐμοῦ δίκαιον ποιοῦσα, τοῦ συναιχμαλώτου, συναποδράσαντος, καὶ τὸν κοινὸν ἐκεῖνον αὐτῇ θάνατον συγκινδυνεύσαντος, καὶ μοι τοῖς κεκτημένοις ἄριστον πα-
Apuleius Luciani tranſcriptor. ρέκειτο μέδιμνος κριθῶν, καὶ χόρτος, ὅσος καὶ καμήλῳ ἱκανός. Latine ſonant. *Virgo multo de me ſermone habito, & captiuitatis & fugæ ſocio, & vna ad mortem deſtinato, cura mei demandata cæteris, Me-*
Lib.7. *dimnum hordei præberi iuſſit, etiam fænum, quantum ſufficeret Camelo.* quod verbatim pæne L. Apu-
Notatur Beroaldus. leius ab illo eſt mutuatus, in illa ſua Mileſia fabula, niſi quod addit epitheton *Bactrianæ* quo maximus camelus denotetur, quod minor fugiſſe interpretes, & maxime Philippum Beroaldum, qui
Hordeum ſolum. fontem ipſum ignorare non debuerat, vnde aquam per riuulos in fundum ſuum ille deriuaſſet.
Lib.19.c.23. 2. Cibus ordinarius eſt hordeum purum ſine fæno. auctor eſt Vincentius Bellouacenſis. *hordeum cito*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *cito tranſglutientes reſeruant; vt rurſus ruminando tota nocte manducent.* eadem Albertus Magnus,& alij. 3. Virgulta, thyrſi, gramen tenue, & humile in ſolo ſterili natum,& in arenoſis ſalebris publicò itinere ortum, ſpinarum germina, & cardui, ſi aliud alimentum deſit, ſufficere creduntur. ſupra attigi, nec repeto. 3. Iuncum inuenio Camelo amatum, teſte Galeno. cuius hæc ſunt, interprete Iulio Martiano Rota. *Schænum, id eſt iuncum ex Arabia petitum, ad hæc idem auctor imponere præcipit, neſcio qua de cauſa, Schoenanthum, id eſt iunci florem a vulgaribus appellatum, nobis ſiquidem, cum florum copia non adſit, iunco vtimur ex Arabia comportato, cuius ſummitatem Cameli ſæpenumero abroſerunt, iucundiſſime namque hunc iuncum Cameli paſcuntur, ſecus vias ibi plurimum naſcentem. Eſt autem iuncus iſte exigui pretij medicina, ſolaque odoris integritate dijudicanda, quoniam celeriter ipſius odor expirat.* Hæc ille ex Andromacho Iuniore celeberrimo Medico, qui patris ſui ſcriptis egregio opere eſt patrocinatus, cui titulum fecit. *de Medicinis intro aſſumendis.* Andromachus etiam Pater in Theriaca Tranquilla ad Neronem culto poemate Schoeni meminit,

Obuia quæq; in vijs.
Iunci.
Lib. 1. de Antidot. c. 14.
Schoenum.
Andromachi Medici clari.

Et Caſiæ calamos, & quam tulit India nardum,
Teq; Arabi Schoenum gloria prima ſoli.

B 4. Denique obſeruatum modernorum cura, nihil aliud etiamnum hodie dari ſolere Camelis Arabiæ deſerta tranſmittentibus, *præter hordeacea liba quotidie quinque, quæ malum Cydonium non ſuperent magnitudine,* tam paruo impendio tam vaſtum, tamque neceſſarium animal homini conſtat, hæc fuſius vide diſcuſſa a Ludouico Vertamanno. Ruminare Camelum & ſupra obiter indicaui, vbi de dentibus,& pluribus hic expediam. Ariſtoteles rationem reddit. μηρυκάζει δὲ ἡ κάμηλος, ὥσπερ τὰ κερατοφόρα, διὰ τὸ τὴν κοιλίαν ὁμοίος ἔχειν ἐκείνοις. *Camelus etiam ruminat, more cornigerorum, quoniam ventres ſimiles cornigeris habet.* Eadem etiam ex illo, pæne verbis totidem Galenus, vt multa alia eſt mutuatus. In ſacris litteris Iudaico populo vetatur eius in cibis vſus, quia cum cornua non habeat, tamen, præter ſui generis naturam, ruminat. locus eſt Leuitico. ita verſio vulgata. *Quicquid autem ruminat quidem, & habet vngulam, ſed non diuidit eam, ſicut Camelus, & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.* iteraturque idem præceptum denuo in Deuteronomio. *de his autem quæ ruminant, & vngulam non findunt, comedere non debetis, vt Camelum.* culte & eleganter ruminationem Diuus Hieronymus deſcripſit. *egredimur ad veſperam, vidimuſque Ca-* C *melos, præteritos cibos in ore voluere, & in aluum miſſos iterum retrahere.* quod ſit ruminare inter Grammaticos ſatis liquet. Iſidorus Hiſpalenſis in Originibus. *quod animal, ſicut bos, & ouis, & Camelus, ruminat. Ruminatio autem dicta eſt a rumine eminente gutturis parte, per quam dimiſſus cibus, a quibuſdam animalibus reuocatur.* diſcrepat Nonnius Marcellus. *Rumen dicitur locus in ventre, quo cibus ſumitur, & vnde redditur.* ſiue a gutture extante, ſiue a ventris parte, quod probabilius duco, etymon habeat, illud ſane in confeſſo eſt, pleraſque quadrupedes cornutas, & inter non cornutas ſolum Camelum,& iuter piſces, ſolum Scarum ruminare. T. Pomponius Bononienſis Comicus vetuſtiſſimus in proſtibulo.

Hordeacea liba.
Lib. 1. cap. 7.
Ruminat.
Part. Anim. lib. 3. cap. 14.
Galenus trãſcribit Ariſtotelem.
Lib. 3. Anat. Admin. c. 3.
Cap. 3.
Cap. 11.
Cap. 14.
In vita Malchi Monachi.
Ruminare quid?
Lib. 12. cap. 1
Cap. 1. Num. 64.
Põponius Bononiẽſis Comicus correctus.

Ego rumorem paruifacio, dum ſit mihi
Rumen quod impleam.

Verſus illi ſic a me reſtituti, leguntur enim corrupti mutilique.

Ego rumorem paruifacio, dum ſit rumen
Qui impleam:

D Interdum & metaphorice *ruminare* eſt *retractare.* ſic *ruminare libros veterum* eleganter eſt ab Aurelio Symmacho dictum. nec alio ſenſu apud eundem eſt *ruminare carmina.* quod eſt ad incudem reuocare, exactiſſime limare. Eſt & *in memoriam reuocare.* efferturque in paſſiuo, *Ruminor.* Leuius primus Latinus Poeta, non *Liuius,* vt imperiti volunt, in Aegyſto ſic legendus.

Li. 1. Epiſt. 5.
Lib. 3. Epiſt. 13.
Leuius primus Romæ Poeta. Correctus.

Nemo hæc veſtrum ruminabitur mulieri.

Varro in *Tanaquille* Satyra.

Sed etiam ruminabitur humanitatem.

Idem in *Bimargo,* ſed titulus ille fæde corruptus, inſcripſerat enim ille, vt puto, Satyram contra nobiles ignauos, & nimium ſanguinem ſuum altum iactantes, titulumque fecit *Bimarcus,* quaſi diceret eo inſolentiæ faſtuſque deuentum, vt ſimplex nobilitas fæteret, cuperentque omnes dici *Bimarci,* quaſi *bis Marci,* ſeu duplici nobilitatis ſtemmate inſignes. in ea ergo fabula.

Varro correctus.

O diſſeam enim Homeri ruminari incipies.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

POTVS ET CONTINENTIA.

Cap. 62.
Abſtinentia.
Aqua turbida.
Lib. 8. c. 18.
Lib. 3. c. 23.

A CIBO ad potum tranſeo. in quo duo ſunt obſeruanda, primum genus potus, deinde continentia & abſtinentia. C. Iul. Solinus Polyhiſtore. *ſitim etiam in quadriduum tolerant*, Cameli, *verum cum occaſio bibendi data eſt, tantum implentur, quantum & ſatiet præterita deſideria, & in futurum diu proſit. Lutulentas aquas captant, puras fugiunt, denique niſi cænoſior liquor fuerit, ipſi aſſidua proculcatione limum excitant, vt turbetur*, eodem ſenſu, verbis nonnihil diſcrepantibus, habes paria apud Plinium. *Sitim & quatriduo tolerant, implenturq́; cum bibendi occaſio eſt, & in præteritum, & in futurum, obturbata prius conculcatione aqua, aliter potu non gaudent.* Fl. Renat. Vegetius in re militari. *Sed hoc genus animalium*, Camelorum, quos in Africa, & alibi ad bellicos vſus alunt Vrciliani, & Mahetes, *arenis, & tolerandæ ſiti aptum, confuſas etiam in puluere vento vias abſq́; errore dirigere memoratur*. dicam plura infra hic, vbi de paræmijs agendi locus, qui res Geographicas accuratius pertractarunt, noſtra hac ætate docent nos, Camelos non in quatriduum tantum abſtinere ſolere a potu, ſed in duodecim, imo & ſi ſors ferat, in quindecim dies totos, vt in peregrinatione Africana adnotatũ. quod vt veriſſimum in itineribus, ita veraci relatione conſtat, tam oculata virorum doctorum fide, in Libya & Numidia, quæ modo *Sarra & Bilegulderid* ab incolis dicuntur, toto veris tempore, nũquam Camelos bibere, quamdiu viride gramen, quo depaſcant, inuenire poſſunt, exemplo hominum, qui in deſertis & aquam ſitientibus arenis habitantes, aquam nec curant, nec nanciſci valent, contenti iure ſolo carnium, & lacte Camelorum, qui vberrimum prębent, ſi quando aliquid herbarum depaſti fuerunt. Hoc ex alijs retulit Samuel Parchaſius. Hinc natam exiſtimo poetis Græcis fabulandi occaſionem, vt fingerent Baccham Cameli caput amputaſſe, quod ſobrietas inimica ebrietati, & ob id Bacchæ inuiſus moderationis ac continentiæ nomine Camelus id ſolus, quod ſciam, prodidit Nonnus Panopolita in Dionyſiacis, ſonorus quidem, nec tamen magni iudicij poeta.

Lib 4 c 21.
Io. Leonius.
Reb. Afric.
par. 8.
Simõ Maiol.
Dieb. Canicul. Colloq. 7.
Lib 6 c. 13.
Mythologia.
Li. 14. V. 374

χἠ τις ἐφαρπάξασα τανυκνήμιδι καμήλῳ
καμπύλον ἀμητῆρι διεθρίσεν αὐχένα θύρσῳ
χἠ τυφλοῖσι πόδεσσι περιπταίουσα κελεύθῳ
Ἡμιφανὴς πεφόρητο πολυγνάμπτῳ δὲ πορείῃ
φοιταλέης ἀκάρηνον ἐπείγετο σῶμα καμήλου.

Latine ſic ſonant, verbatim.

Et quædam rapiens longas plantas habenti Camelo
Incuruam meſſorem penetrauit ceruicem Thyrſo,
Et cæcis pedibus aberrans a ſeuicta,
Semiapparens ferebatur, multiflexo vero tranſitu.
Vagantis ſine capite incitabat corpus Cameli.

VARIAE SPECIES,
& de Velocitate.

Cap. 62.
Lib. 8. c. 18.
Arabes Cameli.

DISTINGVENDÆ ſunt ſpecies, neque omnia quæ dicta ſunt, in quoſcumque Camelos cadunt, differunt enim ab inuicem forma, magnitudine, viribus, opere, & velocitate. C. Iulius Solinus Polyhiſtore. *Bactri Camelos fortiſſimos mittunt, licet & Arabia plurimos gignat, verum hoc differunt, quod Arabici bina tubera in dorſo habent, ſingula Bactriani, hi nunquam pedes atterunt, ſunt enim illis reciprocis quibuſdam palmunculis veſtigia carnulenta.* Eadem C. Plinius. *Camelorum duo genera, Bactriani & Arabici, differunt quod illi bina habent in dorſo tubera, hi ſingula, & in pectore alterum cui incumbant.* In quibuſdam Codicibus prima verba aliter concipiuntur. *Bactria & Arabia paruo* admodum diſcrimine. Et hæc Arabici Cameli figura eſt.

Hunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

C

D

Hunc quia duplici gibbo insignem, itineribus magis idoneum iudicarunt, quod nihil esset, quo præpediret assiduam profectionem. tales Græci vocant *δικύρτυς καὶ διτύλυς* *gemino gibbo, gemino tubere conspicuos.* Hesychius illustrius, quem vide. accurate Diodorus Siculus in Bibliotheca. *πλεῖστα δὲ καὶ διαφορώτατα γένη καμήλων τρέφει τῶν δὲ ψιλῶν, καὶ δασέων, καὶ διπλοῦν ἀνατεταχότων τὸ κατὰ τὴν ῥάχιν κύρτωμα, καὶ διὰ τοῦτο διτύλων ὀνομαζομένων.* Latine sic sonant. *Multa quoque & multum differentia Camelorum genera nutrit,* Arabia scilicet, *tum pinguium, tum macilentorum, quorum nõnulli gibbum duplicem in dorso habent, a quo & Dityli nominantur.* Versio vulgata corruptissima est ea tamen contentus fuit Ioannes Camers. Aristotelem illi omnes fontem habuerunt, apud quem legerant. *αἱ δὲ κάμηλοι ἴδιον ἔχυσι παρὰ τὰ ἄλλα τετράποδα, τὸν καλούμενον ὕβον ἐπὶ τῷ νώτῳ διαφέρουσι*

δίκυρτοι καὶ δίτυλοι.

In voce τύλοι.

Lib. 3.

Duæ species eorum.

In Solinum.

Lib. 2 Hist. Anim. c. 1.

ρουσι δ' αἱ Βάκτριαι τῶν Αραβίων; αἱ μὲν γὰρ δύο ἔχουσιν ὕβους, αἱ δ' ἕνα μόνον, ἄλλον δ' ἔχουσιν ὕβον τοιοῦτον ὀιζανω ἐν τοῖς κάτω, ἐφ' οὗ, ὅταν κατακλιφῆ εἰς γόνατα, ἰσηρίκναι τὸ σῶμα. *Camelus proprium inter Cæteras quadrupedes habet in dorſo, quod Tuber appellant, ſed ita vt Bactriani ab Arabicis differant, alteris enim bina, alteris ſingula Tubera habentur, ſunt etiam omnibus ſingula, parte ima, quale in dorſo, tubera, quibus incumbat reliquum corpus, & firmetur, quoties in genua inclinantur.* Eadem omnes. Hæc prima ſpecies, altera eſt *Bactrianiorum*, habent illi, vt ex auctoribus laudatis conſtat, in dorſo vnum gibbum, in ventre alterum, vt hæc figura oſtendit.

Cameli Bactriani.

A Isti non tam itineribus conficiendis sunt idonei, quam oneribus ferendis, nam & robustiores sunt, & a naturali constitutione ad procumbendum gibbo suo in ventre adiuti, vt & facile in ventrẽ procumbentes onera suscipiant, & eadem facilitate exonerentur. Hos corpore vastiori præditos omnes sciunt. D. Hieronymus haud obscure indicat. *In quibus Camelum Bactrum enormis magnitudinis, qui multos iam obtriuerat, triginta & eo amplius viri, distentum solidissimis funibus, cum clamore adduxerunt.* [*In vita Hilarionis*] [*Vastitas corporis.*] Et pro corporis ingenti magnitudine etiam plus cibi illi exigebant L. Appianus in Metamorphosi illa sua iocosa, *factum affatim ingessit, quantum Camelo Bactriano satis fuerat.* [*Cibus.*] [*Lib.7.*]

2. Sunt & Camelorũ accidentariæ quædam differentiæ, quæ Historicis species diuersas faciunt, vt sunt Camelorum nonnulli ψίλοι *pingues*, alij vero habentur δασεοι *macilenti*, nec plura. [*Aliæ species.*]

3. Differentes etiam species ex colore facere videntur, nam cum ordinarius sit ijs omnibus color fuscus, reperiuntur *in India* tamen *Cameli albi*, si vera est relatio Philostrati Lemnij in vita Apollonij. [*Aliæ species.*] [*Lib.2*]

4. Memorantur *Cameli Caspij*, qui diuersam quamdàm ab alijs prædictis speciem constituunt, sunt sane longe minores. Cl. Aelianus. ἡ κάμηλοι κάσπιοι μέγισαι κατὰ τὰς ἵππυς μεγίσυς. Cameli B Caspij sunt maximi, & ad equorum maximorum magnitudinem accedunt, sed vtcumque verum illud fuerit, equus maximus magnitudine longe fuerit Camelis, quos iam descripsimus, inferior. [*Aliæ species.*] [*Lib.17. Animal. c.34.*]

5. Hæc veteribus tradita, at qui hodie res Africanas exquirunt, hæc de ijs memoriæ tradiderunt, In his Samuel Purchasius, *Camelorum tres species habent, prima vocatur Hugium, ingentis staturæ, & roboris, pondo mille librarum ferens, secunda minor duplice in dorso tubere, oneribus ferendis, & equitationi apta, Becheti dicta, quam solam Asiatici agnoscunt, tertiam vocant Raguahil, macilentam, & gracilem, ad sola itinera non accommodatam, eam quippe inequitant, cõficitq́; vno die amplius quam centum passuum millia: atque ijs Rex Tambuti solet mittere Nuntios Segelmessem aut Darham nongentis millibus passuum distantem, septem, aut vt summum, octo diebus, sine vlla in itinere mora, aut requie.* [*Alia species*] [*Lib.6. cap.1.*]

6. Est denique quędam species celebratissima, quam a velocitate *Dromedarios* appellant, de qua sic Isidorus Hispalensis. *Dromeda genus est Camelorum, minoris quidem staturæ, sed velocioris, vnde & nomen habet, nam* δρόμος *Græce cursus velocitas appellatur; centum & amplius milliaria vno die* C *pergere solet, quod animal sicut bos, & ouis, & Camelus, ruminat.* D. Hieronymus. *Egredimur ad vesperam, vidimusq́; Camelos ob nimiam cursus velocitatem, Dromedarios appellatos, præteritos cibos in ore voluere.* [*Vltima species*] [*Lib.12.c.1.*] [*Dromedarij.*] [*In vita Malchi Monachi*] Eos etiam in exercitu Macedonico locat T. Liuius. *ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ & cameli, quos appellant Dromades, his sagittarij Arabes insident.* [*4. Decad. li.7*] Velocitatem hanc in Camelis istius speciei innuit Cl. Aelianus. Σαραγαῖαι κάμηλοι δρομικώταται καὶ ὤκισαι. *Sagaræi Cameli cursu peruici incitatissimi, & velocissimi.* [*Lib.12.c.34.*] Immẽsam eius animalis celeritatem habes apud Aristotelem in Historia Animalium, κάμηλοι θέουσι δὲ θᾶττον τῶν νισαίων ἵππων πολὺ, ἐὰν θέωσι διὰ τὸ μέγισος τῦ ὀρεγμάτος. *Cameli currunt celerius quam equi Nisani, propter laxiorem sui gradus glomerationem.* [*Lib.9.c.50.*]

Et de *Equis Nisæis* quibus Cameli comparantur, inquirendum, Suidas. *Nisæum locus Persidis, vbi nascuntur equi celerrimi, qui Nisæi dicuntur, alij dicunt magnum esse Campum Mediæ, cui nomen sit Nisæum, equos magnos gignit campus ille.* [*Equi Nisæi.*] [*In voce Νισαιον.*] Vltima sententia verior est. Idem tamen variat alibi, & ex Herodoto, Orpheo, & Polemone, diuersum tradentibus sic scribit. *Equus Nisæus, intra Susianam & Bactrianam locus est Gatastigona, Græce Nisus, vbi equi præstantes, ijq́; rufi omnes nascuntur, Herodotus Nisæum Mediæ locum, Orpheus vero maris Erythręi esse dicit, Polemon equum Nisęum male dicit* D *candidum.* [*In voce ἵππος Νισαῖος.*] [*Color eorũ.*] [*Polemonis error.*] Campum illum ἱπποβότον idest equorum altorem nominanr, per quem transeunt, qui a Perside & Babylonia ad Caspias pilas ire solent. *Nesęum* νησαῖον vocat Arrianus in rebus Alexandri: sed corrupte, cõcors enim scriptura, & melior illa, quam probat Suidas, astipulatur Hesychius. [*Lib.6.*] [*In voce νίσαιος.*] Hi regibus Persarum in delitijs, quam solos conscendebant, amicis donabant, vt ex Luciano notũ, quo libro de historia scribenda agit, ad reges alios mittebant, tanta vero eorum ea regione generabatur copia, vt quotannis viginti millia ad Regem mitterentur, quod ex Strabone obseruatum est ab Isaco Casaubono in Athenæum, qui plura cupis adi ad Herodotum, & Barnabam Brissonium in Regio Persarum principatu, qui non sunt ad manum corruptum, puto Athenæum in Dipnosophistis, aut verius Polybium apud illum, in descriptione pompæ Antiochi superbissimæ. [*Pag.366.*] [*Lib.5. cap.5.*] Τούτων κατόπιν ἦσας ἱππεῖς Πισαῖοι μὲν χίλιοι, πολιτικοὶ δὲ τριχίλιοι, ὧν οἱ μὲν πλείους ἦσαν χρυσοφάλαροι καὶ χρυσοςέφανοι, οἱ δ᾽ ἄλλοι ἀργυροφάλαροι. *Horum a tergo fuerunt equites pisęi mille, vrbani ter mille, & horum complures cum aureis phaleris ac coronis, alij cum argenteis.* [*Lib.5. pagin. 194.*] Leuis est error, vnaque mutata littera facile eluitur, ἱππεῖς Νισαῖοι. *Equites Nisęi.* Hunc equum nobilem totus Oriens existimauit, describit vero Oppianus Cilix Cynegeticis. [*Polybius correctus.*] [*Lib.1. V.309*]

κάλλεϊ δ᾽ ἐν πάντεσσι πέλει πανυπείροχος ἵππος
Νισαῖος, τὸν ἄγουσιν ἐρικτέανοι βασιλῆες,

καλὸς ἰδεῖν, ἀταλός τε φέρειν εὐπειθεῖ δεσμῷ
Βαιὸς μὲν κεφαλὴν, πολλὸς δὲ βαθύτριχα δειρὴν
Κυδιόων ἑκάτερθε μελιχρύσοισιν ἐθείραις.

Quæ ſic ſe habent Latine.

Pulchritudine vero inter omnes eſt excellentiſſimus equus,
Niſſæus, quem equitant opulenti reges,
Pulcher aſpectu eſt, molliſq; ad portandum facili habena,
Argutus quidem capite, denſus promiſſa iuba in ceruicibus,
Exultans vtrinq; flauis comis, mellis & auri concoloribus.

In vita Aureliani. — *Vopiſcus Zoſimi exſcriptor.* — *Pag. 508.* — *Lib. 1. Reg. cap. 30.* — *Iſaiæ cap. 60* — *Cap. 17.* — *Velociores fœminæ* — *Cap. 238.*

Hæc obiter ad illuſtrandum Ariſtotelis locum, vt facilius Cameli velocitas intelligatur, ſint dicta, nunc intermiſſum de Dromedarijs ſermonem repeto. Flauius Vopiſcus. *Victa igitur Zenobia, quum fugeret Camelis, quos Dromadas vocitant, atq; ad Perſas iter tenderet, equitibus miſſis eſt capta, dum Euphratem fluuium exiguo lembo traijceret, atq; in Aureliani poteſtatem redacta.* paria habet Zoſimus, ex quo hæc verbatim ſunt a Flauio Vopiſco tranſlata, verba in Commentarijs Casauboni vide. mentio inſuper velocitatis huius in ſacris litteris. *non euaſit de ijs quiſpiam, niſi quadringenti viri adoleſcentes, qui aſcenderunt Camelos, & fugerunt.* Et alibi. *Inundatio Camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Epha, omnes de Saba venient, aurum & thus ferentes.* In Septuaginta eſt ſemper *κάμηλοι*, & pro *Epha* legunt illi *γηφὰρ Gefar*, ſed vulgatam lectionem probat D. Hieronymus Commentarijs in Matthæum. Illud ſane non prætermiſerim, velociores eſſe fœminas, quod vt naturæ conſonum, ita a Scriptoribus ſedulo obſeruatum eſt. Achmes Seirimius in Oneirocriticis. *ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐπωχήσει εἰς ἐξ αὐτων, καὶ συνεπῆγαρ αὐτὸν εἰς δρόμον, ἀρεῖ αὐτῶν ὁ χάραν, διὰ τὸ μηδὲν τῶν ζώων συνεξισοῦσθαι αὐτῷ ἐν δρόμῳ* *Si quis harum* Camelorum fœminarum *aliqua vehi viſus fuerit, ita quidem, vt ab ea curſu auferretur, eum hominem orcus auferet, idq; propterea quod nullum animal cum hiſce,* Camelis fœminis, *quod curſum attinet, in comparationem venire poſſit.* quales autem ſint iſtæ, aut ad quam ſpeciem ex prædictis pertineat, eodem ille loco expedit. *αἱ κάμηλοι Ἀραβιαι αἱ ταχεῖς, εἰς ἀνάγκην, καὶ θάνατον, καὶ κρίσιν κρίνονται. Arabici Cameli, fœminei ſexus, quæ veloces ſunt, miſeriam, mortem, & damnationem portendunt.* Ratio eadem, quæ perſuaſit veteribus in ſacris Græcorum certaminibus, & ludicris Romano Circenſibus potius equabus, quam equis vti; quod ſcilicet *inter currendum vrinam emittant.* Vt verba vſurpem doctiſſimi Probi. Nec aliter in venationibus potiorem curam Canum fœminarum, quam marium agebant, vt ex L. Apuleio, Vario apud Macrobium, Q. Ennio apud Feſtum, Seneca, Lucretio, Adæo Smyrnæo in Anthologia, & alijs ſuſe docui in Antiquitatibus Romanis. porro Camelorum celeritatem firmat locus Ioannis Tzetzis de formicis Indicis.

Et Equæ. — *Ad li. 3. Geo.* — *Et Canes fœminæ* — *Lib. 2. c. 7.* — *Chiliad. 12. c. 404.*

Ἁι κάμηλοι τῷ πόθῳ δὲ τῶν πώλων τῶν οἰκείων
Τρέχουσι συντενώτερος, καὶ φεύγουσιν ἐκείνους.
Cameli autem deſiderio pullorum ſuorum
Currunt contentius, atq; fugiunt illos.

Vſus varij Dromedariorum. — *Lib. 7.* — *Chiliad. 13. c. 451.*

His vtebantur præcipue in bellicis expeditionibus, vt ſupra ex Liuio probatum, deinde ad rem magni momenti celeritate ſumma nuntiandam, ſic ab Alexandro in Mediam miſſus Polydamas ad conficiendum Parmenionem, quam pauciſſimis diebus per inculta illa, & ſquallida teſqua, Dromedarijs aſſumptis, penetrauit, auctore Q. Curtio Rufo. Denique duces magnorum exercituum ſuperati, ijs ad fugiendum potiſſimum fidebant, ſuperius, de victa Zenobia, ex Vopiſco, dictum, de Semiramide profligata, ac, tanto exercitu ſtrato, fugiente, Tzetzes.

Σωζεται δ᾽ ἡ Σεμίραμις τῷ τάχει τῆς καμήλου
Seruatur Semiramis velocitate Cameli fœminæ.

VINDICTA.

Hexamer. homil. 8.

AD mores nunc excutiendos me confero, naturaleſque propius affectiones perſcrutor. Ante omnia deprehendo in eo ſingularem vindictæ, & belluinæ vltionis reminiſcentiam, quæ in nullo animante maior apparet, quo nomine Diuum Baſilium lubenter audio, qui *Camelo iniuriarum memoriam, iraq; grauitatem, & ad vlciſcendum conſtantiam* attribuit, & ſubiungit ibidem loci, *percuſſa aliquando bellua hæc, longo tempore iram reponit, & vbi occaſionem nacta fuerit, malum retribuit.* deinde diuino eleganti que præcepto mores humanos format, & hæc occaſione admonet. *Audite vos qui grauiter iraſcimini, qui memoriam iniuriarum velut virtutem colitis, cui ſimiles eſtis, cum offenſam contra proximum velut*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *velut scintillam quandam in cinere occultatam tamdiu seruatis, donec materiam adepti, velut flammam, iram reaccendatis.* quod cultissimus poeta Erricus expressit. *Lib. 4.*

Sicut Arabs bruta desæuit gente Camelus
Custodemq́ suum, longo post tempore, læsus
Dente petit memori, & totos depascitur artus:
Aut Tigris, catulusve Leæ.

Extat memorabile huius facti exemplum apud Rabinos ad Genesin, vt in Collectaneis de Terra sancta Vuolfardi habetur, sed nec illi mihi ad manum. *Ad cap. 31. Pag. 367.*

RABIES.

HANC prauam affectionem, sæpissime, si non semper comitatur rabies, iraq; supra modum effrænis, describit apposite D. Hieronymus in Epistolis. *In quibus Camelũ Bactrũ enormis magnitudinis, qui multos iam obtriuerat, triginta & eo amplius viri, distentũ solidissimis funibus, cũ clamore adduxerunt, sanguinei erant oculi, spumabat os, uolubilis lingua turgebat, et super omnẽ terrorẽ rugitus personabat immanis.* Signũ ergo & effectus vltimę in eo rabiei est voce illa horrẽda stridere. Vincẽt. Bellouac. paucis. *Irati stridẽt horribiliter.* Causa nõ vna a recẽtioribus huius pathematis adsignatur, sunt qui id vindictæ cupiditati volunt attributũ, quod. s. cũ non possint iniurias suas, vt optarent, vlcisci, in rabiem agãtur, vt Simon Maiolus in diebus Canicularibus prodidit. non desunt, qui ad ardorem Veneris affectum hunc referant, tota enim hieme fœminam deperit mas, qua si non potiatur, quadraginta totos dies rabie efferatur, quo æstu indignationis durante, tenacissimæ solet esse memoriæ, & si custos vel quilibet alius occurrat, quo duriter habitus fuit, statim irruit, ac morsu primũ petit, deinde in sublime dentibus arreptum proiectat, tum humi affligit, omniaque membra elidit, demum discerpit & lacerat, & mirum in modum, in cadauer debacchatur, quod ex C. Solino Polyhistore colligo. *genituræ cupidine efferantur adeo, vt seuiant, dum Venerem requirunt.* & liquet apertius ex Samuele Purchasio in peregrinatione. *Ineunte vere plane mentes fiunt, & in rabiem, coeundi libidine aguntur, quo tempore facile in ductores suos desæuiunt, rectores interficiunt, & quoslibet occurrentes violant, memores a quibus læsi fuerint.* Indifferenter Plinius dixisse contentus est *vtcumq́ rabiem & ipsi sentiunt.* plura ex Ioanne Leonio non contemnendo scriptore in rebus Africæ, vberius discas. Reperiuntur & nonnulli, qui rabiem hanc ad occultum quendam cœli influxum reijciant, vt Canum, Suum, aliorumque animalium morbos, haud sane probabili ratione, nam id si a cœlo contingeret, non hiberno tempore, sed æstate potius, tantus calor ferueret; quin imo & illud non negligendum, nusquam hac passione eos tangi, dum labore & oneribus ferendis exercentur, sed otiosis tantum & bene pastis obrepere. Sed ego causam nullam reperio, cur, cum omnia animalia æstiuis caloribus efferantur, morbisque, ac turbidis passionibus conflictentur, Cameli media hieme iram concipere, ineunte vere in rabiem efferri debeant? nisi occultam naturæ esse proprietatem sentiamus, quod & verũ est.

Vita Hilarionis. *Lib. 19. c. 23* *Causa ab vltionis cupiditate.* *Colloq. 7.* *A coitus desiderio.* *Cap. 62.* *Lib. 6. c. 1.* *Lib. 8. c. 18.* *Part. 8.* *A cœlo. Aloysius Codemust.* *Noua in eo passio.*

DOCILITAS, ET
Musices Amor.

DOCILITATEM in eo probant varijs rationibus. primo enim *fræno in prælijs regitur.* ait Plinius. deinde ipse impensius amat Musicam, & discit ad modulos tympani, aut instrumenti alicuius Musici, choreas ducere, & tripudiare. Verba Ioannis Leonij sunt hæc apud Simonem Maiolum, in diebus Canicularibus. *Docilitatem alio argumento idem Leonius indicat, tradit enim eos ad tympani sonitum choreas ducere doctos, eosque hac doceri industria commemorat. Includitur iunior Camelus, vbi pauimentum præcalidum sit, vt alternatim pedes attollat, dum calor vrget, idque frequentissima alternatione facit, dum hunc dum illum pedem attollit pungente calore, atq́ interim semper ad fores tympanum a Doctore percutitur. In schola huiusmodi scholasticus exercetur hic ad annum integrum, aut circiter, vsu igitur confirmato hac diuturnitate, quotiescumque tympani sonitum audierit, eadem pedum alternatione, eodemq́; loco persistens, dum insonet tympanum, choreæ ductum spectatoribus præ se fert.* Nec tantum ad ludicra isthæc spectacula musico concentu deliniri se patiuntur Cameli, sed ad itinera promptius alacriusque facienda, viæ molestiam, & onerum ferendorum lassitudinem amoliendam non mediocriter

Lib. 8. c. 18. *Rer. Afric. part. 8. Cap. 7.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ibidem pag. 145. diocriter eadem hæc Muſica conferre creditur. Eodem Maiolo auctore. *Eſt in Camelo commemoran-* E
dum, quod Muſica ac modulatione ille plurimum oblectatur, quandoquidem etiam feſſus longo itinere, ſi
ſubſiſtat, ductor, non flagris aut verberibus ad progrediendum eum ſtimulat, ſed ſonitu cantuq́; demulcet,
cet, alioquin ageret fruſtra, quoniam & in onere, & itineris menſura terminum præfixum inuertibiliter
ter ſeruat, vt non maius ſolito onus, nec longior itineratio ab illo ſuſcipiatur, dixi plene ſupra. *Cum igi-*
tur paulo longius progrediendum fuerit, quam conſuetudo ipſius ferat, tametſi feſſus ad progrediendum
ſponte excitatur, cum Ductor cantilenam, aut aliam Muſices modulationem melodiamve inceperit. Ea-
Lib. 1. c. 1. dem alijs verbis Samuel Purchaſius doctiſſima illa peregrinatione, ſi ſibi pauliſper interdum tem-
peraret. *Cameli Africani dociles ſunt, ac potius patiuntur ſibi perſuaderi, vt grauius ſolito onus ferãt,*
aut longius aſſueto progrediantur, cantibus, quam verberibus. Hæc vſque adeo vera ſunt, vt nullus co-
mitatus Arabiam tranſmittat, ſine tympaniſtis, qui feſſos & pæne oneribus ſuccumbentes Came-
los excitent, ac recreent; Denique illud haud vulgare habendum, vocem eas humanam pluris lon-
ge facere, & facilius eius audita dulcedine mulceri, quam vllo inſtrumento Muſico: vt ſcribit Gu-
In Itinerario. lielmus Sandiſius, ſaltationem hanc Camelinam, & pronum in Muſicem affectum perſtringit ſan- F
ctiſſimus Doctor Ioannes Chryſoſtomus, verba Interpretis ſunt, græca enim ad manum non ſunt.
Homil. 49. Matt. 14. *Vt impudẽter Camelorum more ſaliamus, nec enim ſolum fœminæ, ſed etiam Cameli, turpiter ſaliunt.*

VERECVNDIA, & reuerentia in Matrem.

NATVRALEM quendam pudorem, & humanam pæne in coeundo verecun-
diam obſeruarunt in Camelo, nam nec patitur ſe tum temporis videri ab vllo ho-
mine, & ſi quis forte interuenerit, grauiter indignatur, Vincentius Bellouacen-
Lib. 19. c. 25 ſis in hiſtoria Naturali. *ſecreta petit Camelus coiturus, ſeq́; occultat, homines, & ani-*
malia occurrentia lædit, ac lethaliter inſectatur. Eadem ex illo tranſcripſit Albertus G
Lib. 22. Magnus de Animalib. Deſcripſit, eleganti cum Maſſagetarum inuerecundia comparatione, hunc
Lib. 6. c. 60. in bruto affectum Claudius Aelianus de Proprietate Animalium. Μασσαγέται μὲν, ὡς Ἡρόδοτος
λέγει, τῶν φαρετρεῶνα πρόγε ἑαυτῶν κριμάσαντες, εἶτα μέν τοι ὁμιλεῖ τῇ θηλείᾳ ἐμφανῶς ὁ ἄῤῥην εἰ καὶ
ὁρῶσιν αὐτοὺς οἱ πάντες πεφροντικότος οὐδὲν ἐκείνων γε. Καμήλων δὲ ὁμιλία οὐκ ἄποτε ἐμφανὴς γένοιτο,
οὐδὲ ὁρώντων οἱονεὶ μαρτύρων, ἀλλ' εἴτε αἰδῷ φαμὲν, εἴτε φύσεως δῶρον ἀπόῤῥητον, ταῦτα Δημοκρίτῳ τε
καὶ ἄλλοις καταλίπωμεν; ἐλέγχει δὲ, καὶ τὰς αἰτίας οἴεσθαι λέγειν ἱκανοὺς ὑπὲρ τῶν ἀτεκμάρτων τε καὶ
συμβλήτων. ἴδη δὲ καὶ ὁ νομεὺς ἀπαλλάττεταί ποι ὅταν δέωνται τῆς συμμαιοτήσεως αὐτοῖς τῆς πρὸς ἀλλή-
λους τὴν ὁρμὰν, ὡς πρὶν ἀριστάμενος παροῦσιν εἰς θάλαμον νύμφῃ τε καὶ νυμφίῳ. Latine ſic ſonant. *Maſ-*
ſagetæ, vt Herodotus ait, ſuſpenſa ad plauſtrum pharetra, cum vxoribus aperto & propatulo loco con-
Hoĩes quoſdã moribus ſuperat. *cumbunt, ſi concubitum omnes aſpiciant, præclare contemnunt, & ſuſq; deq; habent. At contra Cameli,*
nunquam coeundi palam ſocietatem, aut Veneris inter ſe mixturam apertam ducunt, quod quidem ip-
ſum factine verecundia, an admirabili Naturæ munere faciant, Democrito, alijſque, qui vel obſcuriſſi-
marum rerum cauſas ingenio ſe poſse conſequi confidunt, diſputandum relinquo. Cum autem inter eos
coniunctionis appetitum paſtor exoriri ſentit, aliquo concedit, &, tamquam ſponſo ingrediente thala-
Lucret. li. 3. & lib. 5. *mum ſponſæ, abit.* Hic eſt ille Democritus, cognomento Phyſicus, qui multa præclara volumina ſu- H
per rerum Natura dicitur reliquiſſe, quæ omnia omnino perierunt, quæ tanta iactura omnibus Na-
turæ arcana ſcrutantibus iure eſt deflenda. Porro tanta eſt Cameli naturalis in Matrem ſuam reue-
Cap. 2. rentia, vt morte grauius ducat cum ea concumbere. Ariſtoteles libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων
de mirabilibus auſcultationibus, ſi tamen eius eſt, ac non verius alterius, quod verum exiſtimo. Ibi
enim. τοὺς ἐν Ἀραβίᾳ φασὶ καμήλους μὴ ἀναβαίνειν ἐπὶ τὰς μητέρας, ἀλλὰ κἂν βιάσηταί τις οὐ θέλου-
σι, καὶ γάρ ποτε λέγεται, ἐπεὶ οὐκ ἦν ὀχεῖον, τὴν ἐπιμελητὴν καλύψαντα ἐφεῖναι τὸν πῶλον, ὡς δ' ὀχεύων
ἐπέβη, τότε μὲν ὡς ἔοικε συνετέλεσε; μικρῷ δ' ὕστερον δάκνων τὴν καμηλίτην ἀπέκτεινεν. *In Arabia aliã*
Camelos non inire matres ſuas, ſed etiam ſi quis cogat, non patiuntur; porro admiſſario aliquando cu-
ratorem deſtitutum, opertam matrem ſubmiſiſse pullo, paulo tamen poſt eum hominem morſibus neca-
Camelorum arma. *uit.* Sunt ergo, vt obiter hic adnotemus, Camelorum arma morſus, ſeu dentes, qui adeo habẽtur va-
lidi, vt quemlibet hominem ijs correptum in immenſam altitudinem proijciant, atq; equos etiã ip-
ſos morſu extinguant, ſupra aliquot locis eſt dictũ, & in ſequẽtib. aliquid addetur. Siue ergo vera ſit
eorum ſententia, qui opus illud Ariſtoteli adſcribunt, ſiue ipſius genuinus fœtus non eſt, res ſane ip-
ſa eſt in confeſſo eſt, nam idem confirmatum ab Ariſtotele & Aeliano ſupra hoc ipſo Tractatu, vbi
Lib. 8. Trac. 5. c. 2. *de Genitura & coitu* diſſerui, & multi auctores graues confirmant, in his Albertus Magnus.

A

PIETAS ET PROLIS AMOR.

ALIA etiam pathemata in eo reperiuntur, quibus proxime ad humanam naturam accedere operationibus suis videri posset, ac illud imprimis, quod aliorum morbo afflictorum misereatur, & quadam compassione ducatur, quam pietatem improprie nonnulli Scriptores antiqui, & Ecclesiastici uocauerunt. Vincentius Belloua-censis speculo historiali. *Tota nocte manducant, quod si in stabulo aliquis ęgrotet, tāta reliquis omnibus pietas inest, vt cibo abstineant.* plenius hoc in Theologicis infra. Hanc egregiam in bellua virtutem comitatur amor in prolem, tantus, vt nec Tigridi, nec Simiæ, nec Pelicano cedat, hoc apprime Indi cognoscentes, cum celeritate maxima vti cupiunt, fętus Cameli per aliquot milliaria abducunt cum matre, deinde illa abacta, pullos eo loci relinquunt, præda capta reuertuntur, mater amore pullorum derelictorum quam celerrime agglomerat passumque duplicat, atq; B ita & prædonibus consulat, & affectum maternum exhibet Ioannes Tzetzes. cuius hæc sunt, de formicis Indicis aurum diligenter custodientibus.

Lib. 19. c. 23. *Stratagema Indorum.* *Chiliad. 12. c. 404.*

μύρμηκες χρυσωρύχοι γὰρ μέγεθος ἀλωπέκων,
τὰς φωρεοὺς τὰς ἑαυτῶν ἔχουσι χρυσοσώρους,
Σάκκους λαβόντες δ' οἱ Ινδοὶ, καὶ δρομικὰς καμήλους,
Πώλους ἐχούσας νεογνοὺς, τὰς πώλους μὲν λιπόντες
αὐτοὶ μόναις ὁδεύουσι, πτοούμενοι τὰς χρῦσας
Τοὺς σάκκους δὲ πληρώσαντες, ἄξαντες τὰς καμήλους
φεύγουσι, διωκόμενοι τοίς μύρμηξιν ἐκείνοις,
Αἱ κάμηλοι τῷ πόθῳ δὲ τῶν πώλων τῶν οἰκείων
Τρέχουσι συντονωτέρως, καὶ φεύγουσιν ἐκείνους.

Latine sic reddita sonant verbatim.

C

Formicæ autem auri fossores, magnitudine vulpium,
Inlustris suis habentes aureos cumulos
Saccos autem accipientes Indi, & Dromedarias Camelos
Pullos habentes nuper natos, pullos relinquentes quidem,
Ipsi solis pergunt illuc cum Camelis,
Saccos autem implentes, agentes Camelos
Fugiunt insecuti a formicis illis,
Cameli autem desiderio pullorum suorum
Currunt impetuosius, atq; fugiunt illas.

Formicæ auri custodes.

De hac auri custodia multi inter veteres accurate, Herodotus, Strabo, Philostratus Lemnius in vita Apollonij. meminit Lucianus in Epistolis Saturnalibus his verbis. Μύρμηκάς τινας, οἵους τοὺς Ἰνδικοὺς ἀνορύττοντας ἐκ τῶν θησαυρῶν, ἐκφέρειν νύκτωρ ἐς τὸ δημόσιον. *Vt formicæ tales, quales feruntur Indicæ, aurum è thesauris effossum in publicum efferant noctu.* meminit & C. Plinius. *Amphitane alio nomine appellatur Chrysocolla, in Indiæ parte, vbi formicæ eruunt aurum.* C. Iulius Solinus D Polyhistore. *formicæ ad formam canis maximi, arenas aureas pedibus eruunt, quos Leoninos habent, quas custodiunt, ne quis auferat, captantesq; ad necem persequuntur.* Cl. Aelianus. οἱ μύρμηκες οἱ Ἰνδοὶ τὸν χρυσὸν φυλάττοντες, οὐκ ἂν διέλθοιεν τὸν καλούμενον καμπύλινον ποταμόν. ita locum illum, antea corruptissimum, legendum censeo. *formicæ Indicę auri custodes, nunquam transeunt fluuium Campylium appellatum.* Itaque si eo pręedones auri deuenerint, & flumen traiecerint, incolumes periculum euadunt, & ideo in altera ripa pullos eorum Camelorū relinquunt, quibus vecti auri furtum patrant, illi itaque amore pullorum magis, quam periculi magnitudine accensi, quam velocissime amnem traijciunt, raptores interim aliarum ferarum carnes sparsim per viam abijciunt, quas formicæ non mediocriter gaudent. Strabo loco laudato. rem totam expedio ex Plinio. *Indicæ formicæ cornua, Erythrus in æde Herculis fixa, miraculo fuere: Aurum ex cauernis egerunt terrę, in regione Septentrionalium Indorum, qui Dardæ vocantur, ipsis color felium, magnitudo Aegypti luporū,* fortassis *Vulpium* foret legendum, ex Strabonis ac Tzetzis auctoritate. *erutum hoc ab ijs tempore hiberno, Indi furantur ęstiuo feruore, conditis propter vapores in cuniculis formicis, quę tamen odore sollicitatę prouolant, crebroq; lacerant, quamuis pręuelocibus Camelis fugientes, tanta pernicitas feritasque est cum amore auri.* alijs quoque stratagematis vtuntur Indi, vt fallant formicas, sed ego tantum de Camelis ago.

Aurum custoditum. *Lib. 3.* *Lib. 15.* *Lib. 6.* *Pag. 1031.* *Lib. 37. c. 10* *Formicæ quales?* *Cap. 43.* *Lib. 3. c. 4.* *Aelian⁹ correctus.* *Lib. 11. c. 31*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ANTIPATHIA,
& Hoſtilitas.

Equus ei hoſtis. *Cap.62.* *Lib.8.c.18.* *Lib.3.c 7.* *Timent, timentur.*

HOSTES Naturales habet, quod etſi nunquam viſos, tamẽ ad internecionem primo quoque occurſu aut congreſſu inſectantur. 1. Equum timent, & ab equo viciſsim timentur. Iulius Solinus Polyhiſtore. *Oderunt equinum genus.* Et Plinius. *Odium aduerſus equos gerunt naturale.* Aelianus Chryſogloſſus ille non vno loco hoc ipſum prodidit. ita enim in hiſtoria naturali. Κάμηλον δ᾽ ὡς δέδοικεν ἵππος, ἔγνω Κῦρός τε καὶ Κροῖσος, ὥς φασὶ *quantum vero Camelum equus reformidet, Cyrus et Crœſus cognouerunt, vt aiunt.* Hiſtoria illa, quam indicat, ſic ſe habet. *Cyrus edoctus ab Harpago Medo, vel, vt alijs placet, ab Artaxerſe, Camelos Equis maximo terrori eſſe, adeo enim Camelos equi reformident, vt nec ſpeciem quidem, nec odorem ſuſtineant, Camelos quidem, quos in vſu belli plurimos habebat, contra Crœſi equitatum immitti iuſſit ſicque equitatum Crœſi, quo ille ſe præualiturum ſperabat, inutilem omnino reddidit, nam ſimul atq; in pugnam itum eſt, equi olfactis protinus, conſpectisq; Camelis, retro ſe auerterunt, vnde omnis Crœſi ſpes fruſtrata interijt.* Hæc Herodotus, Græcus textus non eſt ad manum.

Cyri victoria. *Lib.1.* *Philipp. Beroaldus.*

Hanc naturæ diſſidentiam expreſſit haudquaquam ignobiliter Poeta quidam

Vtq; Aquilam Cygnus, Congrum Muræna, Camelus
Odit Equum.

Lib.2. Method. *Lib.1. cap.2. pag.304.* *Lib.9.c.36.*

Nec cum equo modo ille diſſidet, & ab eo mutuo timetur, ſed & *Aſinis eſt maximo terrori*, nec vlla conſuetudine Aſini timor tollitur, vt ex Claudio Galeno video obſeruatum a cl. V. Ioanne Vterne rio in Aldrouandino opere de quadrupedibus, nec ego locum tranſcribo, tu adi. Id autem ne deinceps ipſi Cyro præiudicio ad ſequentium rerum gerendarum ſucceſſus foret, aut nocumento, perpetua lege id deinceps cautum, vt vno eodemque paſcuo equi Camelique agerent. auctor Aelianus. Πέρσαι δὲ μετὰ τὴν Κύρου μάχην ἐν Λυδίᾳ, καμήλους τοῖς ἵπποις συντρέφουσι, τὸ δέος τῶν ἵππων τὸ ἐκ τῶν καμήλων εἰς αὐτοὺς ἐξαπτόμενον, ἐκβάλλειν πειρώμενοι τῇ συντροφίᾳ. *Perſæ poſt Cyri pugnam in Lydia, Camelos ſimul cum equis alunt, equorum metum ex Camelorum conuictu conantes expellere.* Miror autem cur idem auctor cum, φιλίαν καὶ ἔχθραν *amicitiam & hoſtilitatem* quam ſingulæ inter ſe animalia exercent, dinumerare in ſe ſuſcepit, ne verbum quidem de Camelo fecerit? quod Ariſtoteles non omiſit, nam in hiſtoria Animalium hæc habet. ὁ κάμηλος περὶ τὴν ὀχείαν ὁ ἄρρην χαλεπὸς, ἐάν τε ἄνθρωπος, ἐάν τε κάμηλος πλησιάζῃ, ἵππῳ μὲν γὰρ ὅλως ἀεὶ πολεμεῖ *Camelus etiam mas ſæuit tempore coitus, ſiue homo, ſiue Camelus accedat, nam cum equo inceſſanter bellũ gerit.* Hoſtilitas illi haud exigua eſt cum Leone, & cauſa maxima ferinæ huius hoſtiliſque acerbitatis, quod

Aelianus notatus. *Lib.5 c.48.* *Lib.6. c.18.*

Leo carnem Cameli appetit. *Lib.17.c.36.*

Leo carne Camelina mirifice afficitur. Aeliani verba Latina ſunt. *Cameli carnes a Leonibus comedi ſolere teſtimonio eſt Herodotus, cum in Xerxis Camelos, qui commeatum portarent, dicit Leones inuaſiſſe, & ex alijs animalibus nulla, neque iumenta, neque homines attigiſſe, idq; factum miratur, præſertim cum Camelos ante illud tempus nunquam vidiſſent, & aliunde eſſet, vnde famem explerent. At mihi Herodotus paucarum in natura rerum peritus videtur, qui Leones Thracios miratur voluptatem in cibo vnam alteri præpoſuiſſe, nam Camelos quantopere appetant, Arabes ſciunt, & quicunque regionem Leonum ſimul, & Camelorum parentem habitant. Itaque non admiror ſi Leo, vi quadam naturali & occulta, Cameli carnem appetat, & in hoc animal etiam ſibi antea nunquam prius viſum, ſuauiſſimum inde ſatiandi cauſa irruat, appetitus enim naturalis eos, etiam cum primum vident, vt ſuauiſſimum ſibi futurum parent alimentum, incitat.* Eandem hiſtoriam ſi quis vberius narratam cupit, adeat ad Herodotum, e quo pleraque eo loco ſunt tranſcripta. Nec quis hanc inter Leones & Camelos internecinam Antipathiam alius ſcripſerit, non memini, & maxime admiror Ariſtotelem, qui cum ex profeſſo de Leonum cibo tractaret in Hiſtoria Animalium, hoc tamen prætermiſiſſe: vti Plinium, Solinum, alioſque. 3. hoſtilitatem cum Camelo exercet alijs quadrupedibus communem Tabanus. de qua ſic Plinius. *Cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum ſexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intraſſe, pinguiq; eius negotiatores, & omnium piſcium adipe Camelos perungere in eo ſitu, vt Aſilos ab his fugent odore.* Eſt autem Aſylus ſeu Tabanus, Muſca quædam aculenta μύωψ ab Ariſtotele dicta in Hiſtoria Animalium. naſcuntur autem illa inſecta ex lignis, vt ibidem ab Ariſtotele traditum, nec ab eo id mutuari erubuit, vt nec pleraq; alia, Plinius. diſtinguunt non nulli *Tabanum ab Aſylo*, in his Cl. Aelianus: qui & figuram, & bombum, & aculeum deſcribit, quẽ adi. Aliorum ſane apud me maior eſt auctoritas, qui confundant, idemque inſectum faciunt, *Aſſylum,*

Herodotus culpatus.

Cauſa occulta.

Lib.7. *Herodotum Aelian' trãſcribit.* *Lib.8.c.5.* *Tabani infeſtant Camelos.* *Lib.32. c.1.* *Lib.5.c.19.* *Lib.11.c.33* *Lib.4 c.51.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *lum,& Tabanum.* Nigidius Figulus vetustissimus, nec leuis nominis, Scriptor apud Iunium Philargyrium ad illud Virgilij in Georg. *Lib. 3.*

——— *Cui nomen Asylo.*

Simpliciter *Muscam* interpretatur *Tabanum*, siue *Asylum* Glossæ veteres Isidori Hispalensis corruptæ nitori suo sunt restituendæ. Tabæ, Mutiæ, verborum portenta, legendum, *Tabani, Muscæ.* Hoc etiam omnium, vt monebam, quadrupedum malum est, sed maxime Boum. M. Varro de re Rustica. *eas æstate Tabani concitare solent.* Definite ex Grammaticis antiquis Isidorus. *Oestrum Græcum est, quod Latine Asylus, vulgo Tabanus vocatur.* L. Seneca Ad Lucilium. *hunc quem Græci Oestrum vocant, pecora peragentem, & totis saltibus dissipantem, Asylum nostri vocant.* meminere & Græci poetæ, vt Latinos omittam. Sophocles, Lycophron, Alexis, Theatetus, qui consulantur. Aeschylus.

Isidori glossæ correctæ.

Lib. 12. cap. vlt.

Epist. 58.

In Supplicibus. V. 310.

Βουλάτην μύωπα, κινητήριον
Οἶστρον καλοῦσιν αὐτὸν οἱ Νείλου πέλας.

B Ita vir doctissimus olim verterat.

Boues impellentem Tabanum incitatiuum
Stimulum vocant ipsum Nilum pueri.

Non dubito quin multa super hoc animalculo vir immortalis famæ, & Herculei laboris Vlysses Aldrouandus attulerit in opere *de Insectis*, sed adhuc non vidi: & ideo pauca admodum hic de *Tabano*, ne eadem frustra iterentur.

MORBI, ET TEMPERATVRA.

MORBI illius in duplici genere censentur, sunt enim aut temporarij, & intermissi, aut continui, & letales, primi generis sunt *Rabies* ex coitus desiderio concepta, de qua supra. C. Iulius Solinus *genituræ cupidius efferantur adeo, vt sæuiant cum* C *Venerem requirunt.* Sed morbus iste etiamsi ad tempus grauis, paruo tamen tempore durat, nec enim vltra quadragesimum diem eius cursus, nec alia causa, quam amor, & coeundi intemperies. Alij morbi sunt continui, & ad exitum vitæ deducunt, qualis est podagra. Vincentius Bellouacensis. *his etiam rabies accidit & podagra, qua facillime moriuntur, non autem virgulas eijciunt, sed vehementissimo dolore grauantur, quoniam duras, & laboriosas vias incedunt.* Alfonsus Tostatus in Leuiticum. *patet in Camelis, quibus aliquando rabies accidit, & podagra, vnde constringuntur pedes sui, & interficit eos ista infirmitas.* Causa varia huius valetudinarij affectus traditur, illa verissima mihi videtur, quæ apud Iulium Solinum. *durant in centum annos, nisi forte translati in peregrina, insolentia mutati aeris morbos trahant.* Ad Temperiem venio, de qua altum apud antiquos, quod sciam, est silentium, Recentiorum nonnulli obiter attigerunt, In his Alfonsus Tostatus, auctoritate Constantini, qui de Geoponicis eloquenter scripsit, putaturque male a quibusdam fuisse Imperator. Is ergo sic Latine, nam textus Græcus non est ad manum. *Camelus est calidus natura, ideo est macilentus naturaliter, calor enim totam trahit sanguinis vnctuositatem, & remanet sibi nulla crassities; & ob hoc lac Camelinum subti-* D *lius est aliorum animalium lacte.* Ab isto immodico calore proficisci credita incredibilis, vt mouebam, salacitas. Vnde illud Aristophanis in Vespis.

Morbi quidam ad tempus.

Cap. 62.

Alij perpetui, & letales.

Lib. 18. c. 23.

Podagra.

Cap. 11. pag. 106.

Causa vera morbi.

Cap. 62.

Tẽperies calida.

Ibidem.

Cur lac Cameli subtile?

In Parabasi pag. 883.

φώκης δ' ὀσμὴν, λαμίας δ' ὄρχεις ἀπλύτους,
πρωκτὸν δὲ καμήλου.

Phocæ odorem, Lamię testiculos illotos,
Et podicem Cameli.

Omnia enim animalia, quæ in Venerem prona, censentur mali odoris; nota sunt, quæ portenta de libidine muliebri, & Equina, ab auctoribus referuntur. Pergendum deinceps, & eruendum quicquid occurrerit animaduersione dignum: Inter quæ & illud memorabile. *Caluescere, & depilari, vt solent homines.* Alfonsus Tostatus ibidem loci, quod eo lubentius obseruaui, quod ille solus inter quadrupedes hoc cum homine habeat commune, & inter aues *Struthiocamelus, Coruus aquaticus*, vt frequentior habet opinio, & vt verax & diligens Scriptor, Rupertus Tuitiensis contendit, etiam *Aquila.* Scio tamen hanc esse regulam vniuersalem, *nullum animal, præter hominem infra aures & tempora, caluitiem habere.* C. Plinio auctore.

Caluities.

Cõmẽtar in Michæam

Lib. 11. c. 37

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

CASTRATIO VTRIVSQVE SEXVS.

Lib.4.c.55. *Cur Bactricos castrent?*

EST animal libidinoſum Camelus,& vt dixi,coitum deſiderãs, etiam amens & furioſo impetu malignum, ideo qui eo vti in bellis aut itineribus volunt,demptis genitalibus mari,vulua exuſta fœminis,mitiores fortioreſq; reddũt. Cl. Aelianus in Naturali hiſtoria. *Cum Camelos quinquaginta annis viuere percepi,tũ Bactrianos ad centeſimum annum,tum mares,vt pugnaciores ſint,a Bactris populis castrari,ita petulantia exciſa maiori robore eſse. Camelis etiam fœminis vuluas aduri,vt partibus illis,quę ad furorem libidinis incitant,adustis,ad bellum aptiores exiſtant.* de Rationibus iſtis paulo inferius diſputabitur,hic qua ratione caſtrentur animalia aperiam,ex Magone Carthaginienſi,qui libris vigintiocto punica lingua ſcriptis rem ruſticam extulit,quos Caſſius Dionyſius Vticenſis Græce vertit, & in libros viginti redegit, & Sextilia Prætori miſit, quos poſtea ad ſex retraxit Diophanes in Bithynia,regiq; Deiotaro inſcripſit,vt auctores ſunt Terentius Varro & Iunius Columella. Is etiam poſtea verſus in Latinum procurante Senatu. Cuius verba ſunt.apud eundem Columellam. *dum teneri ſunt adhuc,castrandi ſunt,neq; id ferro faciendũ,ſed fiſſa ferula comprimendi teſticuli,& paulatim confringendi,id enim optimum genus castrationũ videtur,quod adhibetur teneræ ætati ſine vulnere. & vbi id indurauit,melius bimus,quam anniculus caſtratur.* quæ totidem verbis pæne ſunt expreſſa apud Palladium Rutilium Aelianum in re ſua ruſtica. Vide vtriuſq; auctoris locũ,& confer. Eſt & in Iulij Solini Polyhiſtore ratio quædã naturalis,cur caſtrentur Cameli,de qua paulo infra diſcutietur. Verba eius ſunt. *Ad bella fœminæ præparãtur,inuentumq; eſt,vt deſiderium ijs coitionis quadam caſtratione exſecaretur,putant enim fieri validiores,ſi a coitibus arceantur.* Ariſtoteles & ipſe huius caſtrationis in fœminis tantum meminit in Hiſtoria Animalium. ἐκτέμνονται δὲ καὶ αἱ κάμηλοι αἱ θήλειαι,ὅταν εἰς πόλεμον χρῆσθαι αὐταῖς βούλωνται,ἵνα μὴ ἐν γαστρὶ λαβῶσι. *Cameli etiã fœminæ caſtrantur,cum eis vti in bello lubet,ne concipiant vtero.* in facto ipſo conuenit,& caſtrari ſolitos mares pariter ac fœminas certum,de cauſis,non æque inter hiſtoricos & rerum naturalium inueſtigatores conſtat. Ariſtoteles proxime laudatus,*ne concipiant*,alij & plures,vt fortiores fiant,quod a veritate videtur longe eſſe alienum,nam teſtibus ademptis, vires non mediocriter diminui certum eſt. qua de re diſputationes vtiles ſunt Celſi & Offilij Iuriſconſultorum apud Pomponiũ I.C. *ſunt quædam quæ in hominibus quidem morbum faciunt,in iumentis non adeo,vtputa ſi mulus caſtratus eſt,neque morbi,neque vitij habere videtur,quia neque de fortitudine eius quid detrahitur,neque de vtilitate,cum ad generandum nunquam ſit habilis. Celſus quoque ſcribit non omnia animalia caſtrata ad idipſum vitioſa eſſe,niſi propter ipſam caſtrationem facta ſint imbecilliora,& ideo mulum nõ eſſe vitioſum. Idem refert Offilium exiſtimaſſe equum caſtratum ſanum eſſe,ſicuti Spado quoque ſanus eſt,ſed ſi emptor ignorauit,venditor ſcit,ex empto eſſe actionem,& verum eſt quod Offilius ait.* Cl. Claudiani locus eſt appoſitus.

Mago Scriptor. — *Lib.6.c.26.* — *Lib 6 c 7. Palladius trãſcribit Columellam.* — *Cap.62.* — *Lib.9.c.50.* — *L.38.ff.de ædilit. edict.* — *Castrati an debiliores?* — *Lib.1.in Eutrop.*

Aduolat Armenius certo mucrone reciſos
Edoctus mollire mares, damnoque nefandum
Aucturus pretium,fœcundum corporis ignem
Sedibus exhaurit geminis,vnoque ſub ictu
Eripit officium patris,nomenque mariti.
Ambiguus vitæ iacuit,penituſque ſupremum
In cerebrum ſecti traxerunt frigora nerui.
Laudemuſve manum,quæ vires abſtulit hoſti?
An potius fato cauſam tribuiſſe queramur?
Profuerat manſiſſe virum,fœlicior extat
Opprobrio,ſeruiret adhuc ſi fortior eſſet.

Lib.4. Silu.3

Papinius Statius eadem in Domitiani factis habet,licet diſpari ratione.

Qui fortem vetat interire ſexum,
Et Cenſor prohibet mares adultos
Pulchræ ſupplicium timere formæ.

Castratio bruta reddit fortiora. — *Lib.6.c.7.* — *Homines debiliores.* — *Lib.5.in fin.* — *Epigr.71.* — *L.27 ff.ad legē Aquil.*

Longe ergo diſpar ratio in brutis exſecandis, atque in hominibus, bruta enim validiora fiunt, vt dictum ſupra,& confirmat Rutilius Palladius in re ruſtica. *Non omnino iuuencos ſubductio roboris virilitatis effœminat.* at homines redduntur caſtratione debiliores,& effœminati magis, ideoq; in vſus turpiores virilitatis dehoneſtamento euirabantur. M. Varro in Satyra illa Menippæa, cui titulus λογομαχία. Arnobius contra gentes. Ennodius Ticinenſis Antiſtes in Epigrammatis,quæ non ſunt ad manum. Sæua ergo illa & nefanda libido pueros teneriores ferro præparat,vnde locus Vlpiani I.C.corruptus, vbi de corpore humano debilitando, ex Viuiano & ipſo Iuriſconſulto

in hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A in hæc verba agit. *& si puerum quis castrauerit, & preciosiorem fecerit, Viuianus scribit cessare Aquiliam, sed iniuriarum erit agendum, aut ex edicto, aut in quadruplum.* Vltima sane ex legibus 12. tabularum verbatim sunt deprompta, vt in earum editione nos docuisse visi sumus. Et locum Vlpiani leuiter restituo. *si puerum quis castrauerit, vt pretiosiorem faceret.* & ita legendũ censuisse video Ioãnem Mercerium in Opinionibus suis & Obseruationibus. Correctionis ratio optima ex Fabio Quintiliano in Institutione Oratoria. *Mancipiorum negotiatores, formæ puerorum excisa virilitate, lenocinantur*, paucis interiectis ibidem loci. *libidinem iuuet ipsum effœminati sexus mendacium, nunquam tamen hic continget malis moribus regnum, vt si quę fecerit pretiosiora, fecerit & meliora.* sic Martialis. *Vlpian' correctus.* *Lib. 1. c. 1.* *Lib. 5. c. 12.* *Lib. 9. epigr. 9.*

Iam cunę lenonis erant, vt ab vbere raptus
Sordida vagitu posceret ęra puer.

à Mangonibus in cunis ergo a parentibus empti, & in abominandæ luxuriæ abusum exsecti, exẽplo Semiramidis Reginæ, vt est apud Ammianum Marcellinum, Prosperum in Chronico, Eusebium, Claudianum, & alios. Idem Martialis. *Lib. 9. epigr. 7.*

B *Non puer auari sectus arte Mangonis.*

Sed ad Camelos redeo. quos non putabant tantum bello aptiores, quia incentiua libidinis carerent exsecti, nec etiam fortiores, sed & esu delicatiores, nam & in alijs animantibus idipsum obseruatũ, est enim *veruecina caro* suauior *arietina*, vt docte Theodorus Marcilius adnotauit, & auctor est M. Plautus in Captiuis, quod nec Philippus Paræus inanimaduersum omisit. Verba Plauti sũt. *Delicatiores esu.* *Act. 4. sc. 2.*

Qui Petroni nomen indunt verueci sectario.

Ita licet quemlibet Camelum in solemnioribus festiuitatibus comedendum apposuerint, vt supra abunde a me probatum, tamen peculiari quodam delectu castrati Cameli a lautioribus commendati. Verba Leonis in Africana Historia, vbi de Numidia seu Biledulgerid agit, hæc sunt apud Samuelem Purchasium in peregrinatione. *Cum deserta, cum ingenti commeatu comitatuq́ mercatorũ transmitteremus, Princeps Zauagę obuius est nobis factus cum quingẽtis hominibus Camelis vectis, & a nobis tributa debita exegit, & mox ad tẽtoria sua nos inuitauit vbi multos Camelos iugulari pręceperat, vt nos laute exciperet, erãt illi Iuniores senioresq́, sed maxime castrati, quod & tenerior eorum caro, & esui accommodatior, qui elixi, atq́ etiam verubus assati magna copia nobis exhibiti.* eadem apud alios. Porro, vt semel dicam, & cum Plinio concludam. *castrandi genus etiam fœminas, quę bello pręparentur, inuentum est, fortiores ita fiunt coitu negato.* hæc ille ex Aristotele. *Lib. 1.* *Lib. 6. c. 13.* C *Lib. 9. c. 18.*

ORNAMENTA.

ORNABANTVR Cameli in spectaculis superuacaneo cultu, vti paulo hic infra expediemus, insuper ornatu necessario ad bella & longiora itinera parabãtur, inductis scilicet calceis. Vincent. Bellouacens. *ad longiora itinera & graues bellicas expeditiones obeundas sotularibus induebantur*. quos *Sotulares* ille nuncupat alij Scriptores vetusti *Carbatinarum* crepidarum appellatione insigniunt. Aristoteles præ alijs, in Historia Animalium. ὁ δὲ πούς ἐστι κάτωθεν σαρκώδης, ὥσπερ καὶ οἱ τῶν ἄρκτων, διὰ καὶ τὰς εἰς πόλεμον ἰούσας ὑποδύουσι καρβατίναις, ὅταν ἀλγήσωσιν. *pes autem* Cameli *vestigio carnosus est, vt vrsarum, qua de causa, eos qui itinere longiore in bello fatiscunt, calceant carbatinis.* non fero illiteratissime in Politianum, Scaligerum, aliosque viros debacchantem Robertum Titium, cuius indoctissimas nugas vix tanti est, vt hic referam, nisi vt adolescentes bonæ frugis & eruditionis cupidi admoneantur: ille ergo, blatero & bleunus in locis suis Controuersis, magnus, si ipsi creditur, Cato aut Aristarchus, *cercolipas* non *carbatinas* admittit, sed in eum stat tota Antiquitas. quale hoc calceamentum est perquirendum. existimaui in Romanis Antiquitatibus ex corio bubalino carbatinas factas, adducor, vt id censeam loco Xenophontis, qui sic Latine versus ab Angelo Politiano. *Cum defecissent veteres calcei habebant ex recentibus coriis bubulis carbatinas confectas.* ortum ad Cares retulit Iulius Pollux in Onomastico ad Commodum Cæsarem. καρβατίνη μὲν ἀγροικῶν ὑπόδυμα, κλῆθον ὑπὸ καρῶν. *Carbatina vero rusticorum calceus, a Caribus dictum*, quo etiã vsi Philosophi, Luciano auctore in pseudomante. καὶ κήρυκές τινες Παφλάγονες, καρβατίνας ὑποδεδεμένοι. Et præcones Philosophicum habitum mentiti *aliqui Paphlagones, Carbatinis calceati.* Hęc quidem de ornatu Camelorum ordinario: de quo C. Plinius. *Talos quę bisulca sunt, habent, ijdem digitos habentibus non sunt, neq́ in prioribus pedibus omnino vlli, Cameli tales similes bubulis, sed minores paulo, est enim bisulcus discrimine exiguo pes imus, vestigio carnosus, vt vrsi*, in quibusdam codicibus, *vestigio carnoso*, vtrumque recte, prior tamen lectio auctorem habet Aristotelem, quẽ Plinius *Lib 18 c. 23.* *Sotulares.* *Lib 2. c. 1.* D *Carbatinæ.* *Lib. 9. c. 13.* *Materia.* *Lib. 3. Anabas.* *Origo.* *Lib. 7. c. 22.* *Pag. 490.* *Lib. 11. c. 45* *Plini' Arist. trãscriptor.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

nius more ſuo tranſcribit, *qua de cauſa in longiore itinere ſine calciatu paſciſcunt.*

Ornamenta ad pompam ludicram aut ſpectacula ſcenica communia Camelo, & exoticis animantibus populo productis, atque etiam equis Regijs, vt paulo infra obiter perſtringam. insignis

In Prometheo. eſt apud Lucianum locus. ὁ. δὲ πρὸς μὲν τὴν κάμηλον, ἐφοβήθησαν, καὶ ὀλίγου δεῖν ἔγυλον ἀναθορόντες καίτοι χρυσῷ πᾶσα ἐκεκόσμητο καὶ ἀλουργίδι ἐνέστρωτο, καὶ ὁ χαλινὸς ἦν λιθοκόλλητος, Δαρείου τινὸς, ἢ Καμβύσου, ἢ Κύρου αὐτοῦ κειμήλιον. *At illi ad Cameli conſpectum perterriti ſunt, & parum abſuit, quin exilientes aufugiſſent, quamquam totus is auro exornatus, & purpura inſtratus fuit, frænum autem etiam gemmis compactum habebat, ex Darij alicuius, aut Cambyſis, aut Cyri ipſius theſauro depromptum.* Id etiam in ſacris litteris liquet, nam Zebee & Salmana Reges Madianitæ a Cedeo-

Iudicum c.8 ne debellati ſpoliantur: *Surrexit,* inquit ſacer textus verſione vulgari, *Gedeon, & interfecit Zebee & Salmana, & tulit ornamenta & bullas, quibus colla regalium Camelorum decorari ſolent.* Et paucis interiectis, ibidem loci. *fuit pondus poſtulatarum inaurium mille ſeptingenti ſicli, abſque ornamentis & monilibus & veſte purpurea, quibus reges Madian vti ſoliti erant, & præter torques aureas Camelorum.* Vt Cameli ſtudioſe ornabantur, ita Equos Regijs vſibus aſſuetos ingentibus di- F

Ornamenta Equorum. uitijs onerabant, interdum etiam priuatorum miniſterijs dedicandos cum iſtiuſmodi ſuperbiſſimis opulentia inſignijs venales oſtentabant. conſulantur qui nō ſunt ad manum, Achilles Tatius

Li.3. pag.72 in Amatorijs Clitophontis & Leucippes, Apollonius Collatius in obſidione Hieroſolymitana,

Li.1. pag.12 Aegydius Maſerius Grammaticus & enarrator exactus Valerij Flacci Setini in Argonauticis. Pau-

Li 6. pag. 93 lus Varuefridus cognomento Diaconus in hiſtoria Longobardorum. L. Apuleius in Mileſijs contentus fuit dixiſſe, *phaleris aureis & fucatis ephippijs.* L. Seneca apposite. *Equum empturus, ſolui iu bes ſtratum, detrahis veſtimenta venalibus, itaque ementibus ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt.* Aure-

Lib. 6. pagi. 273. Lib.10. Epiſt.80. Lib.1.Satur. c.11. lius Macrobius. *Stultus eſt qui empturus equum, non ipſum inſpicit ſed ſtratum eius, & frænum.* Apuleius in eundem ſenſum. *Neque in emendis equis phaleras conſideramus, & balthei polimina inſpicimus, & ornatiſſimæ ceruicis diuitias contemplamur, ſed iſtis omnibus exuuijs amolitis & amotis,*

Lib. de Deo Socratis. *equum ipſum nudum contuemur.* Ipſius hoc Socratis dogma fuit & præceptum, Cuius, referente

Serm.1. Ioanne Stobæo in collectaneis, hæc ſunt. οὔτε ἵππος εὐγενὴς κρίνοιτ' ἂν ὁ πολυτελῆ σκευὴν ἔχων, ἀλλ' ὁ τῇ φύσει λαμπρός. *Vt neque equus generoſus iudicetur, qui ſtratum & inſtructum ſplendidum ha-* G

In Epigrammatis. *beat, ſed qui natura ſit talis.* operoſe deſcripſit Claudianus.

Dumq; auro phaleræ, gemmis dum fræna reuident,
Ac vterum Zona cinge frementis equi.
Sanguineo virides morſu verſare Smaragdos,
Et Tyrio dignum terga rubere croco.

Ibidem loci. Idem Equum Imperatoris Honorij depingens, ſic ait.

Accipe regale cultus, & crine ſuperbus
Erecto, virides ſpumis perfunde Smaragdos,
Luxurient tumido gemmata monilia collo,
Nobilis auratos iam purpura veſtiat armos,
Et medium te Zona liget, variata Serenæ
Floribus, & caſtæ manibus ſudata, colorum
Perſarum gentile decus.

Horati' correctus. Horatij locus ſuo nitori reſtituendus, contra Aſcenſij Badij, Mancinelli, Dionyſij Lambini, & aliorum præpoſteram lectionem, quam tamen probauit Thomas Treterus. ſic enim H

Lib.1.Sat.2.

Regibus hic mos eſt, vbi equos mercantur, apertos
Inſpiciunt. non, vt vulgo peſſime, *opertos.*

Lib.1. c.14. Tom.2. Ad Cameli ornamenta regredior. de quo ſic in peregrinatione Meccana Ludouicus Vertomanna, & Hackluytus diligentiſſimus Scriptor in Nauigationibus ſuis vniuerſalibus. *poſt languentes & medicos loco proximo ducitur Camelus ſtaturæ eminentiſſimæ, quæ reperiri in omnibus illis gentibus poteſt, tectus ornatuſque panno aureo, dependentibus fimbrijs ſericis, tergo geſtans arculam auro, & gemmis elaboratam, quem circumambiunt chori Muſicorum, omni inſtrumentorum genere perſonantes, ſequuntur quindecim alij Cameli, & ipſi pulcherrimi, proceriſſimi, vndique phalerati, ac fa-*

Lib.3.c.6. *ſcijs ſericis ad terram, vſque dependentibus accincti.* Vide plura apud Samuelem Purchaſium in Aſiaticis.

ÆTAS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

AETAS.

VT laborioſum animal Camelus, ita etiam viuax, quod valde rarum in Natura, quamquam de tempore quo viuat aliqua ſit inter Scriptores diſſentio. Ariſtoteles in Hiſtoria Animalium. ζῇ δὲ κάμηλος χρόνον πολὺ πλείω ἢ πεντήκοντα ἔτη. *Viuit Camelus diu, plus enim quam quinquaginta annis.* paulo aliter Claudius Aelianus, & fortaſſe verius in Naturali relatione. *Cum Camelos quinquaginta annos viuere percepi, tum Bactrianos ad centeſimum annum.* Erit ergo vita non vna omnibus Camelis, ſed pro ratione ſpecierum, de quibus plene ſupra. diſſentit ab vtroque Iulius Solinus in Polyhiſtore. *Durant Cameli in centum annos, niſi forte translati in peregrina, inſolentia mutati acris morbos trahant.* omnium opiniones conciliare vult C. Plinius non incommode, licet breuiter. *Viuunt quinquagenis annis, quidam & centenis.* Illud ſane indubitatum Camelos illos diutius viuere, qui bel- B licis impendantur muneribus, vt Criticus quidam ex phlegonte Tralliano in Mirabilibus pridem obſeruauit, nam in Bactris præcipuæ opes in numero Camelorum conſiſtunt, deprehenſumque ad centum & ſexaginta annos eos pertingere ſolere, qui oneribus ferendis nō ſunt addicti. de vſu eorum in bello, vide quæ ſupra dixi & adde ex Iulio Polluce nomina iſthæc armaturæ variæ, quibus in expeditionibus Cameli muniantur; arma ergo a fronte dependentia, *Prometopidia* vocari ſolent, quæ aures protegunt, *Parotia*, quæ maxillis ſunt munimento, *Pareia*, pectoribus appoſita, *Proſternidia*, latera defendentia, *Parapleuridia*, cruribus circumpoſita, *Parameridia*, quæ barbaris quibuſdam *coxalia* audiunt, tibias armantia, *Paracnemidia*. Suntque eadem vocabula Equorum cataphractorum armaturis conuenientia, quæ eo libentius hoc loco inſerui, quod & pleriſque incognita animaduertiſſem, & in tractatu de Equo Cataphracto ſupra deſiderari: & nec ego mihi ipſi hac in parte ſatisfacio, qui & Iulio Polluce, & Græcorū Interpretibus omnibus omnino careā.

Lib. 5 c. 26.
Lib. 4. c. 55.
Cap. 62.
Lib. 8. c. 18.
Diuturnior vita aſſuetorum bello.

C

HISTORICA DE VECTVRA.

MEMORABILE ſane illud duco ex Hiſtoria Procopij & Agathiæ Græcorum, qui res geſtas Iuſtiniani Cæſaris poſteritati prodiderunt, Camelo vehi ſolere proditionis, & imminutæ Maieſtatis reum, & quia illi non ſunt ad manum verba. Cælij Rhodigini ſufficient in Antiquis lectionibus. *ſciendum porro inſignioris cenſeri notæ, ſi quis Camelo inſidens ac per vrbem circumductus, viſendum ſe omnibus præbeat, quod contumeliæ genus Byzantij in Arſacem Armenium proditionis conuictum promſit quandoque Iuſtinianus*. non alia de cauſa hoc ſupplicium excogitatum reor, niſi vt vaſtiſſimo animali impoſitus perduellis, & ab omnibus vndecumque videatur, & delicti etiam immanitas comparatione maximi & deformis adeo belluæ manifeſtior euadat. alio ſenſu in ſacro Geneſeos textu habetur. *Surrexit itaque Iacob, & impoſitis liberis ſuis ac coniugibus ſuper Camelos, abijt, tulitque omnem ſubſtantiam ſuam.* ad quem locum Sancti Patres conſulantur, & præ alijs, Petrus Berchorius Pictauenſis in Moralibus.

Proditionis pœna.
Lib. 7. c. 18.
Cap. 31.

D

MYTHOLOGICA.

SIGNIFICATIONES Cameli Mythologicas lubenter eram poſiturus, ſed nec qui fabulas ſcripſiſſent, nec earum interpretes ad manum vlli erant, quippe deſiderabantur *Babrias*, ſeu *Gabrias* Platone antiquior, *Iulius Hyginus* Auguſti libertus, *Phædrus* Tiberij, quem Notis eruditis donatum Nicolaus Rigaltius pridē publicauit, *Feſtus Auienus* ſub Theodoſio, impius ille Porphyrius ſub Conſtantino Cæſare, Cuius opus de fabulis laudat Georgius Piſides libro de Mundi Fabrica: *Antonius Liberalis*, *Maximus Planudes* itidem Græci & eloquentes, quorum poſterior non tantum de fabulis ſcripſit, ſed etiam quindecim Ouidij de Metamorphoſi varia libros Græce tranſtulit, vt in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi extat; ſed & recentiores, qui Patrum noſtrorum memoria, Aeſopi iucundiſſimi fabulas in verſum coegerunt, ſunt *Ioachimus Camerarius* Germanus, & *Gabriel Faernus* Italus. Ne tamen omnino hoc caput non tangeremus, libuit etiam ex ignobilioribus Scriptoribus aliquid tenuioris licet riui in fundum noſtrum deriuare. Incerti interpretis Aeſopicarum fa-

Scriptores Fabularum
Verſ. 1044.

bularum

Fab.67. bularum verba ſunt hæc. *Cum primum viſa eſt Camelus, homines perterriti & magnitudinem admi-*
rati, fugiebant, vbi vero procedente tempore cognouerunt ipſius magnitudinem, confiſi ſunt vſq; adeo,
vt ad eam accederent, at intellecto paulo poſt belluæ non ineſſe bilem, eo contemptius habuerunt, vt
quod fræna ei imponerentur, & pueris agendam traderent. Mythologicus ſenſus moralis ſic habet.
Fab.8. *Terribiles res conſuetudine contemptibiles fieri.* Altera eſt Gulielmi Hermanni. *Camelus ſui pæni-*
tens gerebatur tauros inſignes ire geminis cornibus, ſe inermem obiectum cæteris animalibus, orat
Iouem donari ſibi cornua: Ridet Iupiter ſtultitiam Cameli, nec modo votum negat, verum auriculas
belluæ decurtat. ſenſus moralis fabulæ. *ſit quiſq; fortuna contentus ſua, etenim multi fortunam me-*
liorem ſecuti, incurrere peiorem. Venit, dum hæc ſcriberem, in manus Feſtus Anienus, apud quem
Fab.8. Fabula hæc cultis verſibus extat.

Contentum proprijs ſapientem viuere rebus,
Nec cupere alterius, noſtra fabella monet.
Indignata cito ne ſtet fortuna recurſu,
Atque eadem minuat, quę dedit ante rota.
Corporis immenſi fertur pecus iſſe per auras,
Et magnis precibus ſollicitaſſe Iouem.
Turpe nimis cunctis, irridendumq; videri
Inſignes geminis cornibus ire boues
Et ſolum nulla munitum parte Camelum,
Obiectum cunctis expoſitumq; feris.
Iupiter arridens poſtquam ſperata negauit,
Inſuper & magnę ſuſtulit aures onus.
Viue minor merito cui ſors non ſufficit, inquit,
Et tua perpetuum liuide damna geme.

Anienus correctus. In ſecundo verſiculo error infantilis in metri ratione, ſed reſcribendum aperto ſenſu.

Nec cupere alterius, noſtra tabella mouet.

Eſt & lepida narratiuncula ex eodem Aeſopo Incerto interprete. *Camelus cum ob deformitatem ſe*
Fab.12. *omnibus ridiculam eſſe quadrupedibus animaduertiſſet, orauit deos ſaltem gibbos dorſo auferrent,*
qui indignati, tam iniquas preces aſpernati, ventri etiam gibbum alium addiderunt. Mythologicus
ſenſus. *nullum probe ſentire, qui diuini conſilij rationes contemnit, aut mutare eas ſtudet.* Plura in
hoc argumentum peti commodius poterunt ex auctoribus nuper laudatis.

NVMISMATA.

PLERISQVE Numiſmatis antiquis, varia de cauſa, inſculpi Camelum ſolere,
Rei Nũmariæ Scriptores. patet ex Huberto Goltzio, Antonio Auguſtino, Adolpho Occone, Oreſmio Lexo
nieſe, & alijs rei Nummariæ Romanæ peritis. Quædam nunc mihi ſuccurrũt, nam
auctores illi non ſunt ad manum In Aemiliæ familiæ, quæ patricia erat, Trophæis
habetur Nummus cuſus a M. Aemilio Scauro dum Aedilis eſſet, *in cuius parte v-*
Scauri ædilis Nũmus. *na equi pictura cernitur, in altera Cameli, forte per Antipathiam illorum animalium, Romani Magi-*
ſtratus cum hoſtibus diſſidium notare voluit, Camelo adſidet mulier, habænas eius manu ſiniſtra mo-
derata, ramos lauri dextra prætendens, cum elogio ſupra M.SCAVR.AED.CVR. infra REX ARE-
TAS. in medio vero, vt in omnibus. EX.SC. Aretas Rex ſane, vt illud obiter dicatur, Arabum auxi-
lijs fretus Vrbem ſanctam obſederat, quam ab infenſiſſimis hoſtibus Scaurus liberauit quadrin-
gentis talentis ab Ariſtobulo acceptis, vt ex narratione Ioſephi clarum. aliter tamen alijs hoc ſu-
Fuluio Vrſino. mi placet, vel vt in ludis ſuis Aedilitijs Camelos exhibitos ſignificaret, vel certe, quod magis viro
claro arriſit, vt Camelus ad Arabiæ Regulum Bacchium Iudæum referatur, qui a Plautio Pom-
peij in Aſia legato, ſuperatus fuerit, vti Aretas rex, ab eodem Scauro Pompeij etiam proquæſto-
Plautiorum Nummus. re, bello deuictus. Reperitur & Plautiorum Patriciorum numiſma. cum hac Inſcriptione. L.HY-
PSÆVS.ÆD.CVR. ſubſcriptione adiecta tali. C.HYPSÆ.COS.PREIVER.CAPTV. In vna
parte *Scorpii ſub equis* picti, in altera eſt *Camelus ſarcina onuſtus*, ad latus cuius *quidam genuflexo*
lauream oſtentat. Euidenter apparet nummum eſſe *C.Plautii Hupſæi*, qui cognomento *Decianus*
Priuernates victi. in Faſtis Capitolinis audit, vt ad Aurelij Caſſiodori Cronicon notat Ioannes Cuſpinianus, *onu-*
ſtus Camelus eſſe poteſt *indictio munerum & onerum Priuernis.* de quibus triumphaſſe eum Hiſto-
ria aſſerit. nec plura.

FIG-

A

FIGMENTA.

HVCVSQVE naturalem huius quadrupedis descriptionem adumbraui, leuia sunt quæ sequuntur, nec tamen omittenda, Alfonsus Tostatus indiligens, sed varius Scriptor, in Theologicis, quam humanioribus, meo iudicio, melior. Is ergo in Leuitici enarrationibus. *aliquando in corde Cameli inuenitur os, sicut in corde Cerui*. Hoc vnde ille desumere potuit, haud facile dixerim, illud modo exploratum mihi Leonardum Fuschium claro nomine Medicum, de Camelo penitus hoc inficiari, nec quippiam simile illum ex Arabum monimentis explorare potuisse, nec apud vllum magni nominis scriptorem id extat: vt omittam tot celebres auctores Græcos, Latinos, barbaros vix tanti momenti rem præterire voluisse. Illud tamen minime negauerim in multorum animantium cordibus lapides reperiri vel C. Plinio teste, *In equorum corde & boum ossa reperiuntur interdum*. Iacobus Dale- B champius magni nominis, maioris meriti Medicus in Annotationibus Plinianis videtur Tostati sententiam confirmare. *reperiuntur interdum ossa in corde Equorum, Boum, Ceruorum, & omnium prægrandium animalium*. si postrema sunt vera, ergo & in corde Camelorum ossa reperientur, frequentissima eorum est relatio, qui de lapide in corde Ceruorum reperto agunt, qui de Camelo id nominatim prodiderit, præter eum, quem laudaui, non memini, & ego hic de Ceruino lapide hic nunnulla pertractarem, nisi hoc eodem opere supra præoccupatum, nec actum ago.

Cap. 4. pagi. 106.
Error Tostati.
Lapis in corde belluarũ.
Lib. 11. c. 37

CAMELARIVM,
Camelasium, Camelasia.

C AD Cameli tractatum plenius intelligendum, Iurisconsultorum placita erunt discutienda, apud quos *Camelarium, Camelasia, Camelasiumque*, tam varie corripitur, vt a nonnullis confundantur, eędemque res habeantur, ab alijs distinguantur. nos probabiliora adferemus. Est ergo *Camelarium nuda custodia Camelorum*, vti & *Camelarii* censentur simpliciter *custodes Camelorum*, siue vt loquitur Barnabas Brissonius in Lexico Iuris, *quibus Camelorum cura demandatur*. quæ sententia habet assertorem Hermogenem I.C. in Pandectis. Est vero *Camelasium tributum nomine Camelorum* indictum, sic πορθμεῖον *tributum portorium*, δυλεῖον quod *seruorum capitibus* impositum est Græci auctores vocauerunt, ita ἱππασία *quod pro equis penditur*, ita *pascua* tributo suo nomen fecerunt. Natura autem huius tributi erat, vt *auri Coronarii*, & similium exactionum, Principes enim, fisco exhausto, aut auaritia exigente, indicebant pecunias a prouincialibus soluendas, quas initio Principatus *aurum coronarium*, quasi illis sumptus coronationis solueretur, appellare solebant, aut certè cum insignem de hostibus victoriam retulissent, aut cum successorem adoptassent, Suidas vocat στεφανικὸν τέλεσμα *coronariam exactionem*. Dio Cocceianus χρυσίον ἐν τοῖς στεφάνοις. *aureum pro* D *coronis*. meminere præ alijs Aelius Spartianus, & Aelius Lampridius. vt omittam veterem lapidẽ Ancyræ, quem video iam ab alijs expositum: & multa a me dicta in Antiquitatibus Romanis, ita *Camelasium* huiusmodi fuisse impositionis alicuius speciem manifeste constat, & initio quidem in ijs tantum prouincijs indictam, in quibus Camelorum necessaria Principi opera, postea etiam ad alias regiones traductum exemplum. Ammianus enim Marcellinus ita habet. *Vt nemo Gallis exprimere quicquam conaretur Camelasii nomine*. Vt primus obseruauit, quod sciam Ludouicus Rusardus apud Adrianum Turnebum Aduersarijs. *Huius animalis nomen monet me, ne ita Camelariam amplectar, vt Camelasiam eiiciam, præsertim cum nobilissimus Iurisconsultus Ludouicus Rusardus certiorem me fecerit apud Marcellinum Camelasium reperiri, vt Camelasia sit munus, Camelasium indictum eo nomine tributum, ego ideo Camelasiam probare non poteram, quod istam declinationem deducere non poteram: vt nec Budæus sine controuersia, omnium doctissimus, potuerat, nunc verò vt ab* ἵππος ἱππάζειν, & ἱππασία *deducitur, ita quasi à* κάμηλος καμηλάζειν *declinetur* καμηλασίαν. *rectè deriuari censeo*. Hæc de Camelasio satis.

Custodes.
L. 1. ff. de Munerib. & honorib.
Aurum coronarium.
In Adriano.
In Alexandro Seuero.
Lib. 10 c. 29 pag. 810.
Lib. 17.
Lib. 22. c. 28.

Camelasia inter munera ciuilia & personalia enumerabatur, *nam animi prouisione & corporalis laboris intensione hoc munus absque aliquo gerentis sumptu, & detrimento sustinebatur, propterea quod ratione habita, & alimentorum, & Camelorum certa pecunia Camelariis dari debebat, vt solo corporis ministerio obligarentur*. Vt ait eruditissimus Barnabas Brissonius in Verborum significa-

tionibus:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Lib.9 Obſeruat.c.9. L.vlt.ff.de Munerib.& honorib. Arcadius I.C.correctus. Albũ quid?

tionibus:& non longe diuerſa clariſſimi Iuriſconſulti Guglielmus Budæus in Annotatibus in Pandectas, Franciſcus Hottomannus, Equinarius Baro, Dionyſius Gottefredus, ad locum paulo infra citãdum, quem diſcuſſit Iacobus Cuiacius. locus autem, quia eget correctione integer apponetur, ſic autem Arcadius I.C. *Camelaſia quoque ſimiliter perſonale munus eſt, nam ratione habita & alimentorum & Camelorum, certa pecunia Camelarijs dari debet, vt ſolo corporis miniſterio obligentur, hos & alio ordine vocari, nec vlla excuſatione liberari, niſi ſola leſi, & inutilis corporis infirmitate ſpecialiter ſit expreſſum.* Verba ea de *ordine alio* non videntur ſana, quare melius Pandectæ Piſani ſeu Florentini. *hos & Albi ordine vocari.* totidem enim verbis libri Baſilicon expreſſerunt πρὸς τὴν τάξιν τοῦ λευκόματος, *in ordinem Albi.* paucis quid I.C. notent nomine *Albi* expediendum, non eſt tabula dealbata, in qua Prætores ſua Edicta proponebant, vt apud L. Senecam, & Fabium Quintilianum in Inſtitutionibus Oratorijs, & in Declamationibus, ſed tabula, in qua Decurionum nomina ſecundum ordinem ſuum ſcribebantur, vt titulo liquet *de Albo ſcribendo* in Pandectis, Codice Iuſtinianæo, & Codice Theodoſiano, ac in Nouellis: quæ ſignificatio frequentiſſima apud Iuriſconſultos, & Hiſtoricos, vſurpanti Aurelius Caſſiodorus non vno loco, Suetonius ſæpius, Cornelius Tacitus, Dio Cocceianus, L. Seneca in Beneficijs. Q. Symmachus, Cicero, Liuius, & alij. vult ergo Arcadius loco laudato Camelaſiæ nomine Camelarios in Albo nomina ſua ſcripta habere, ideoque & præſcriptum in colonia Municipioque locum, & quandam ex officij dignitatis prærogatiuam, exemplo Decurionum ipſorum, aliorumque Magiſtratuum prouincialium, qui non alio regula vſi ad dignitatem ſuam conſeruandam, niſi Albo. Confer cum his ea, quæ de Beſtiarijs & Velarijs, qui Theatrales ludos procurabant, in Antiquitatibus Romanis pridem docui.

Epiſt.49. Lib.12.c.3. Declamat. 34. Nouell.119. In Claud. c. 16. In Domit. c. 8. Lib.3.c.7. Lib.10.Epiſ. 55.

PAROEMIAE.

In vita Hilarionis.

ADAGIA ab huius animalis natura pleraque profluxerunt. 1. *Cameli nomen pro maximo quadrupede* vſurpatur, corpore enim eſt adeo vaſto, vt nullum animal cũ eo comparari poſſit. D. Hieronymus, in Epiſtolis. *& in vulpecula, & in Camelo vnus, atque idem es.* ſic audio Iuuencum presbyterum Hiſpanum.

Deformis poterunt immania membra Cameli.

Fab.8.

Feſtus Anienus.

Corporis immenſi fertur pecus iſſe per auras.

2. quia πολυδίψιος *ſitim diu ferens* animal ſit Camelus, & data bibendi occaſione tam largeſcat potu ſatiet, vt in quatriduum deinceps ſufficiat, *elegans hinc in bibulos ſumetur adagium, Camelina potatio,* ait Ioannes Camers. Auli Perſij verſus eſt ab Iſaaco Caſaubono non intellectus, vbi prouerbialiter *Camelum* videtur Satyricus nepotem luxu, & helluatione perditum ſignificare, & ideo iubet remoueri *piper a Camelo,* hoc eſt aromatibus conditas epulas, quæ ad large potandum inuitant.

Notis in Solinum. Error Caſauboni. Saty. 5. verſ. 136

Tolle recens primus piper a ſitiente Camelo.

Pag.10.

3. *Camelum in Aegypto* de re mirifice inaudita, nouaque Lucianus extulit in verbis Promethei. δέδοικα δὲ μὴ κάμηλος ἐν Αἰγυπτίους, ἢ. οἱ δ᾽ ἄνθρωποι τὸν χαλινὸν ἔτι αὐτῆς θαυμάζουσι, καὶ τὴν ἀγουργίδα. *Porro vereor ne & mea, Camelus in Aegypto, ſint, homines autem frenum ipſius, & purpuram admirentur.*

Pag.1029.

3. *Vehementer inæqualia per Camelum & formicam* apud Paræmiographos notantur, notat Gilbertus Cagnatus. Lucianus in Epiſtolis Saturnalibus. ὡς δὲ νῦν ἔχομεν, μύρμηξ ἡ κάμηλος, ὥς ἡ παροιμία φησί. *nam vti nunc res habet, formica Camelus, quemadmodum aiunt prouerbio.* 5. iactatur & illud prouerbiale ab Apoſtolio Scriptore antiquiſſimo κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων, καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν. *Camelus dum affectat cornua, & aures inſuper perdidit.* quadrabit in eos, quicunque ſtulte peregrina ſectantur, ſua amittunt. vide ſupra in Mythologicis Anienus.

Fab.8.

Iupiter arridens poſtquam ſperata negauit
Inſuper & magnę ſuſtulit auris onus.

6. ſi quis inuito Genio aliquid molietur, in eum dicetur *Camelus ſaltat.* vſurpat in Heluidium D. Hieronymus ineptum & ſtupidum, *riſimus in te prouerbium, Camelum vidimus ſaltantem.* Ille vt apparet, cum eſſet a Muſis alieniſſimus, videri tamen alijs volebat diſertus. adeundi ſunt Diomedes vetus Grammaticus, & Ariſtophanes in Nebulis cum ſuo ſcholiaſte, vbi de Pyrrhica Cyneſij Poetæ, vnde illud vulgatũ apud Zenodotũ, Diogenianũ, Scholiaſtẽ Apollonij Rhodij, & alios.

Pyrrhica quid?

Ἡ κάμηλος πυῤῥίχαν ἐμαθε κινησίου.
Diſcit Camelus Pyrrhicam Cineſię.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Pyrrhica autem saltatio armata quid sit? a quo inuenta? quibus legibus obita? quis eius varijs gentibus vsus? ex Claudiano, L. Apuleio, Nicolao auctore Græco vetustissimo, Lactatio Placidio, Suetonio, Vlpiano, Polluce, Sereno Medico, Festo Pompeio, Ammiano Marcellino, Mario Plotio antiquo Grammatico manuscripto, & alijs, abunde expediui in Antiquitatibus Romanis. nec hic repeto, & longe plura in Commentarijs Claudiani. eo loco.

Lib. 5. c. 25. De 6. Hon. consul.

> *Hic & belligeros exercuit area ludos*
> *Armatos hic sæpe choros.*

7. si quis potentem olim, nunc gratia lapsum denotare volet, magno tamen adhuc loco esse, vsurpabit illam paræmiam, qua vtitur S. Synesius, adducunt ijdem Zenodotus, Diogenianus, & Suidas. ἡ κάμηλος ψωριῶσα πολλῶν ὄνων ἀνατίθεται φορτία. *Camelus scabiosus multorum asinorum fert sarcinas*. De Laide hoc meretrice vsurpatum putat Suidas, quæ etsi senio languenti, & rugis exarata, superabat tamen venustate gregarias mulieres, vt Camelus vetulus scabieque vexatus, florentissimos tamen Asinos vincit, & longe a tergo relinquit.

Pag. 372. Lais meretrix.

8. Est adagium diuersum ab istis apud Claudium Galenum Medicum. sed non est ad manum, B & facile consuli potest.

Oper. class. 2. pag. 26. edit. Brassauol.

ONEIROCRITICA.

SOMNIORVM Interpretamenta quam vim habeant, & non est huius loci, & dixi in vberi commentario ad Claudianum, nec hic repeto, tantum veterum placita circa Cameli in somnis oblati significationes pauca repetam, Ea quæ ex Artemidoro, & Cælio Rhodigino supra adducta sunt, vbi de Etymologia, & varijs significationibus, inde peti possunt; Hic vero ex Achmete Seirimi filio quædam apponam ex opere illo, quod ab Arabum, Persarum, Aegyptiorum, & Chaldæorum monimentis cōpilauit. Somnium de Camelis varium est, & interdum per illud notatur ἀναγκη, θάνατος, κρίσις, *miseria, mors, damnatio*. sed & νόσον σκληρὸν καὶ ἀναβαλλεῖν αὐτὴν. *duram ægritudinem* significat, *&* C *ab ea liberationem.* & ἐξουσίαν ἀπὸ βασιλέως, *potestatem a rege concessam. & qui tale somnium oblatum habuerit, sine detrimento terrebitur a Principe, & a Magistratu vexabitur, & potestatem aduersus Saracenorum gentem inueniet, & nationem extraneam in potestatem redegit, & diutino morbo vexabitur, & conualescet, &, opinionem de se falsam concitabit, &, potestatem, & opes consequetur, &, vel morte, vel diuortio a mala fœmina liberabitur. &, de mala muliere fœtum noxium suscipiet, &, a principe diuitias habebit, &, inueniet a principe terrorem, cruciatum, morbum, & miseriam. &, impressionem nationum hostilium patietur, &, opes regias ab hoste ablatas videbit, &, opes alicuius principis, vel magnatis lucrabitur, &, hostium facultates consequetur;* hæc ille nugamenta delira ex Persarum, & Aegyptiorum traditionibus, aut potius affanijs, nobis propinauit, quæ tamen, quia instituto nostro operi erant idonea, prætermittere nolui.

Præfat. ad Sext. consul. Honor. Cap. 237.

HIEROGLYPHICA.

D IN profanis illis Mysteriorum Aegyptiacorum & remotis a sensu disciplinis, varia habebat Camelus significata. 1, *profanus affectus* per Camelum denotabāt. 2. *Imperitus disceptator*, quod animal illud nec facile surgat, nec nisi incommode loco se moueat. 3. *debilis infirmusque incessus, sunt enim Camelo crura femoraque succidua*, ideo supra animaduerti quatuor illū habere femora, & idipsum adstruit Herodotus, ita qui sub onere aliquo deficiebant, hieroglyphice per Camelum designati, talem descri bit historia Romana Claudium Imperatorem. *ingredientes poplites minus firmi destituebant*, sic declamator ille apud Arbitrum Satyrij limine, *date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites membra non sustinent.* allusit eleganti Epistola Circe ad Polyænum apud eundem auctorem. *negant Medici sine neruis homines ambulare posse.* quare hostibus superatis solemne fuit poplites incidere, & eo militiæ inutiles reddere, quod Archilochi locus ostendit apud Plutarchum in Galba. Ioan. Zonaras, C. Plinius, in naturali historia, Liuius non vno loco, Ammianus Marcellinus, & Valerius Maximus adstipulantur. 3. *fortitudinis* typus Camelus, quod immensa pondera dorso suo sustineat, & subnectet, nugatur toto cœlo Pierius Valerianus, dum fortitudinem Cameli ad constellationes refert cœlestes, eandemque esse genesin brutorum ac homi um, siue idē Thema, insinuat. 5. *diuitis* imaginem Camelum pinxerunt, vnde illud Aristotelis supra notissimum,

Profanus. Iuidoneus lu ctator. Debilis. Sueton. c. 30. Poplites succidui. Pœna victorum. Lib. 1. Lib. 8. c 7. Lib. 17. Lib. 9. c. 2. Fortitudo. Diuitiæ.

multos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

multos in Arabia eſſe,qui ad decem millia Camelorum poſſideant,& in ſacris literis,ipſo aſſerto-
re humani generis nuntiante Camelo onuſto diues peccator aſſimilatur. hæc enim verba ſunt in
[*Cap.19.*] D.Matthæi ſacro Codice. εὐκοπώτερον ἐςὶ κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς
τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. verſio vulgata ſic reddit. *facilius eſt Camelum per foramen acus trã-
ſire,quam diuitem intrare in regnum cælorum.* eademque parabola totidem verbis in Diuorũ Mar-
[*Cap.20.*] ci, & Lucæ Euangelio reperitur; ſcio alias expoſitiones huius ſacri textus alijs placere, ſed ego ſic
[*Cap.18.*] ſtatuo. 6. *Zelotypia* Camelo occulta ſignificatione tribuitur; quod tempore coitus ſecreta petat, &
[*Zelotypia.*] in Venerem acrius efferueſcens in occurrentes ferociter irruit,ſupra multis expoſui: hũc affectum
[*Reuerentia in matrem.*] in brutis animantibus reperiri,& præcipue in Leone, & Camelo certum. 7. *reuerẽtiam in matrem*
depingere cupientes Camelum ponebant,quod ille nũquam cum matre miſceatur,ac ne ſibi qui-
dem,multo minus paſtori ſuo ignoſcit,ſi temere ei ſe commiſcuit, vt notum ex Plinio, Ariſtotele,
[*Tractabilitas.*] Solino, & Aeliano ſupra liquet. 8. *Tractabilitatem* idem quadrupes pictus deſignat, nam cum ſit
vaſtiſſimi corporis,a puerulo tamen ſe regi tractarique permittit. *Continentia & abſtinentia a cibo*
[*Continẽtia.*] *potuque* per hunc quadrupedem apud veteres notata fuit, nam tam ingens corpus & potu & cibo
abſtinere aiunt quatriduum,octiduum, imo etſi res ferat, quindecim dies totos. qui plura cupis, F
[*Lib.12.in fine.*] conſule Horum Apollinem,qui mihi non ad manum,& Pierium Valerianum.

THEOLOGICAE MYSTICA.

NON modo Ethnici magnam Cameli in arcanis ſuis dogmatis rationem habue-
runt,ſed & ipſi ſacri Patres,quædam,non etiam omnia, percurram. 1. *Camelus eſt*
[*Aſſertor humani generis.*] *dominus noſter humani generis aſſertor, qui ſponte ad noſtra mortalitatis onera ſe-*
renda deſcenderat. vt verbis vtar ſanctiſſimi Gregorij.nec diſſentit Diuus Augusti-
[*Expoſit Moral. In Iob. Lib.1.*] nus in Euangelicis quæſtionibus: Accedit huc quod bile dicatur carere Camelus,
& ideo plenius dei filium mortalium omnium manſuetiſſimum denotare iure poterit. 2. *tortuoſa*
[*Gentiles.*] *ac plena vitijs gentilitas*, vt loquuntur ſacræ paginæ interpretes, per nullum animal melius,quam G
per Camelum exprimi poſſe videtur,id ego ex gibbi Camelini deformitate natum auguror,plene
[*Cap.44.*] idem S.Gregorius Moralibus expoſitionibus in Iob.ex Geneſeos capite trigeſimoquarto.Huc ver-
ba Diui Ambroſij in Lucam ſunt referenda. *Camelus populus gentilis,onuſtus auro,actus in deſer-*
[*Diſpenſatione terrenæ.*] *tum,a Leone,& tribulatione.* 3. *Camelus eſt terrenæ diſpenſationes.* Vt idem S.Gregorius interpreta-
tur expoſitione Morali in Iob 4. *peccatores Iudæi,qui ſacras literas ruminant,ſed vngulam non fin-*
[*Cap.14.*] *dunt,vt nec Camelus:* vt in capite decimoquarto Zachariæ Prophetę habetur,hoc eſt *iuxta literam*
[*Iudæi.*] *hiſtoriam audiunt,ſed virtutem ſpiritualiter neſciunt.* Vt ait idem ille ſanctus & moralis Doctor
[*Cap.20.*] opere toties laudato. 5. *Diuites per Camelum onuſtum* vult ſignificari omnium Eccleſiaſticorum
[*Diuites.*] ſcriptorum doctiſſimus S.Hieronymus in Commentario in Iſaiam prophetam,nec alio ſenſu idẽ
[*Cap.60.*] exponit *Camelos Madian & Epha.* Addit S. Ambroſius in Lucam quod permagni hic habet mo-
[*In D. Matt. c.19.*] menti. *Camelus moraliter de omni peccatore,& diuite arrogante.* Et ab illis mutuatus Sanctes Pa-
gninus in Iſagoge ad myſticos ſacræ ſcripturæ ſenſus. *Cameli ſunt peccatores, Iudæorum populus.*
[*Cap.31.*] 6. *magnitudo præceptorum,iudicium,miſericordia,fides* Camelo ſignificantur,vt placet D.Ambro-
[*Præcepta legis.*] ſio Enarrationibus in Sanctum Matthæi Euangelium. addenda verba Ruperti Abbatis Tuitien-
[*Cap.23.*] ſis præclaro opere de Trinitate. vbi ſic: *Cameli decem,quos ſeruus Abrahæ abduxit,ſunt decem præce-* H
[*Cap.40.*] *pta.* Sed priuſquam finiam Petri Berchorij Pictauenſis ex promptuario Morali verba apponam.
Camelus ſecundum varias conditiones,quas habet,poteſt ſignificare contrarias perſonas tam in bono,
quam malo: vnde videtur quod generaliter poteſt ſignificare hominem gratijs ornatum,ſuperbum vi-
[*Iuſtus.*] *tijs deprauatum,diuitem vitijs cumulatum,hoſtem malitiis occupatum. Chriſtum iuſtitiis coronatũ;*
quia ſcilicet vir perfectus ad modum Cameli onera portantis,ſe Deo vel Prælato inclinat per ſubiectio-
nem,& humilitatem,& oneribus pœnitentiæ ſe dedicat,per patientiæ ſtrenuitatem,ideo tales figuran-
[*Lib.3. Reg. c.10.*] *tur in illis Camelis,quibus Saba regina intrauit Hieruſalem,cum comitatu magno & multo,& diui-*
tiis,& Camelis portantibus aromata: Regina vero iſta eſt Eccleſia,quæ reuera comitatũ fidelium ha-
bet multum,& diuitias chariſmatum & donorum,Camelos habet, ideſt viros iuſtos,qui aromata re-
[*Superbus.*] *dolentia gratiarum & virtutum non ceſſant continue deportare.* 2. *Camelus eſt ſuperbus vitiis depra-*
uatus,nam vltra conſuetam dietam non vadit,& ſi quis vltra conſuetũ ducere vult,totum onus reii-
cit,& ſuperbus,ad modum Camelini gibbi,inflaturam ſuperbię ſecum portat,& ſane tales pręter con-
ſuetum non faciunt,quia ſi onus aliquod mandati a Pręlatis ſolito maius imponatur,totum per protér-
[*Iſai.c.30.*] *uitatem & inobedientiam ab iis repellitur,ideo de ſuperbis dicitur,Leo,Leęna,& regulus volans,por-*
tantes ſuper gibbum Camelorum theſauros ſuos,Leo,Leęna,& regulus,ſignificant tria genera ſuper-
biæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *biæ, de generis nobilitate superbiam leo, de rerum fæcunditate, leæna, de officiorum sublimitate Regulus volans, ista enim tria genera superbiæ. hodie portant thesauros vitiorum & demeritorum super gibbos Camelorum, id est super gibbosam conscientiam peccatorum, & sicut Camelus patet in ventre quatuor distinctiones, quibus cibum quadruplici officio committit, vt scilicet prima distinctio, vel primus venter recipiat cibum omnino crudum, secundus agat principium digestionis, tertius digerat, quartus digestionem omnino perficiat: sic sunt in superbo & peccatore quatuor cellulæ, in quibus per ordinem recipitur peccatum, cogitatio, delectatio, consensus, operatio: ideo de talibus finaliter accidet illud, quod dicitur, Cameli eorum erũt in direptionem. 3. Camelus signat virum diuitijs cumulatum, Camelus enim habet supra se magnum gibbum, & infra se plures ventres ad herbas, & alia nutrimenta recipienda, sic diues magnum habet gibbum, & cumulum diuitiarum, & plura receptacula pro ijs capiendis, de quibus dicitur illud Matthæi. facilius est transire Camelum per foramen acus, quam diuitem in regnum cælorum. 4. Camelus signat hostis peruersitatem, est enim inimicus Equi, & animal ruminans, & animal gibbosum, sic diabolus est inimicus hominis, ruminans per desperationem, gibbo-*
B *sus per præsumptionem. Vnde illud, Rabach in habitaculum Camelorum erit. 5. Camelus signare potest Christi benignitatem, Camelus enim felle catet, & ad onera se inclinat, sic Christus felle caret, per virtutem benignitatis, & ad onus mortis se inclinat, per virtutem humilitatis, & sicut Camelus habet asperos pilos, sic conuersatio Christi fuit aspera, per virtutem pœnitentiæ, & austeritatis, & hoc supponitur, quando de beato Ioanne dicitur, quod vestimenta eius de pilis Camelorum erant.* Hæc ille Benedictinus Monachus, pro sæculo sui conditione & æuo longe doctissimus. quod de vestitu ex eius pilis addit, & nos plene supra, & Mirandulani versus confirmat, sic enim ille.

Quatuor ventres Cameli. *Hiere. c. 49.* *Diues.* *Cap. 19.* *Hostis peruersitas.* *Ezech. c. 25.* *Christus.* *Vestes ex eius pilis* *Matt. c. 3.*

Tegmina caprarum, atq; hirti tegumenta Cameli.

Sed hæc plura sunt quam volui, pauciora quam debui.

DENOMINATA.

MVLTA a *Camelo* denominationem suam sortiuntur, ego supra vbi de Synonimis eius quædam obiter obseruaui, scilicet vrbs *Camela, Gamela, Gamila, Camelus* in
C Palæstina, & *Gangamela quasi Camelorum domicilium* vicus in Assyria, hinc nomen suum traxerunt. 2. sacrificum quoddam poculum *Camella* aut *Camela*. P. Ouidius lib. 4. Fastor.

Vrbs & vicus. *Poculum sacrificijs aptum.*

Dum licet, apposita, veluti cratere, Camela,
Lac mundum potes, purpureamq; sapam.

Vtitur Petronius in magica illa expiatione. *Enthea mensam veterem posuit in medio altari, quam viuis impleuit carbonibus, & Camellam etiam vetustate ruptam pice temperata refecit.* sed & postea in eodem sacro. *infra manus meas Camellam vini posuit, & cum digitos pariter extensos porris apioq; lustrasset, auellanas nuces, cum precatione mersit in vinum.* nomen hoc ei poculo impositum, quod, vt puto, tortuosum esset, &, instar Cameli, gibbis excrescẽtibus ad sacerdotales vsus accommodatum, sic *Naustibulum a forma nauis poculum*, ait Festus Pompeius, dicebatur, sic Cymbium poculum *in modum cymbæ factum*, ait Seruius Honoratus ad librum tertium Aeneidis, qui corruptus in eodem vocabulo ad librum quintum. *Cymbia pocula sunt in modum cymbæ nauis*, rescribe
D omnino, *in modum cymbæ aut nauis*. Et quam variæ sint poculis a forma sua appellationes, & Iulius Pollux, Atheneusque, & ego libro quinto Antiquitatibus Romanis fuse. 3. Auis quæpiam Indica sic vocatur, vt author est Raphael Mapphæus Volaterranus gente nobilissimus, scriptis clarissimus, vitę sanctitate spectabilis. Hanc auem describit Aelianus de Animalium proprietatibus. Lemma capitis est περὶ τῆς ὄρνιθος ὃν καλοῦσι κήλαν οἱ Ἰνδοί. *de Aue quam Indi Celan vocant.* sed magis est potiusque, vt credam *Camelam* auem eam dici, quam Celam, idque ex descriptione apud eundem autorem. γίνεσθαι δὲ καὶ κήλαν ἐν Ἰνδοῖς ἀκούω ὄρνιν, καὶ τὸ μέγεθος τριπλάσιον ὠτίδος, ἐστὶ καὶ τὸ στόμα ἔχει γενναῖον δεινῶς, καὶ μακρὰ τὰ σκέλη, φέρει δὲ καὶ πρηγορεῶνα καὶ ἐκεῖνον μέγιστον, προσεμφερῆ κωρύκῳ, φθέγμα δ᾽ ἔχει καὶ μάλα ἀπηχές, καὶ τὴν μὲν ἄλλην πτίλωσιν ἐστὶ τεφρός, τὰς δὲ πτέρυγας ἄκρας ὠχρός ἐστι. sic verto, nam Conradi Gesneri versio haud quaquam proba. *Generari Celam apud Indos audio auem, magnitudine triplo maiorem otide, ore permagno, ingluuie etiam maxima, & longis cruribus, absonum quiddam sonare, eiusque summas alas pallidas, cæteras vero pennas cineritias esse.* & magnitudo, & crura, & vox, & color, manifeste euincunt κάμηλαν *Camelam*, non κήλαν *Celan* debere in Aeliano legi. Obiter ipse ille omniscius Vlysses Aldrouandus hanc difficultatem attigit, vbi de *Onocrotalo* agebat. Scio lectionem vulgatam defendi posse, cum κήλη sit *gutturis tumor*, seu *glandula*, in quem tumorem auis illa vorax super fluos cibos, in famis futuræ

Naustibulum. *Cymbium.* *Seruius correctus pagina 373.* *Auis.* *Lib. 16. c 4.* *Volaterrani vera laudes* *Aeliani Codex correctus.* *Lib. 19 Ornitholog. c. ... Animal ... struosum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ſubſidium,condat,& veluti ſeponat.4.Animal monſtruoſæ portentoſæque formæ apud Americanos memoratur, quod a nonnullis Cameli nomine, ab alijs Leonis, a quibuſdam Equi,bouis,Ouis,aut Capræ compellatur,quod deſcribunt Franciſcus Vaſques,Marcus de Niſa, Lopes de Gomara,Ramuſius,& alij in rebus Prouinciæ Quiniræ. illi non ſunt mihi ad manum,ideo contentus ero verbis Samuelis Purchaſij. *Animalia ſunt,quæ Tauros noſtros magnitudine æquent, ſed cornibus minoribus,inter humeros habent ingentem gibbum,& a parte anteriori capillum longiorem,quam a poſteriori,lanam illũ referat,habent in dorſo quippiam inſtar equitis cũ ingentibus villis a genibus deorſum,crinium cincini a capite inante propendent,& ſub mento prope guttur aliquid eſt quod barbam referat,mares enormes caudas habent, in quarum extremitate ingens eſt glomus, ita vt in quibuſdam referre videantur Leonem,Camelum, Equum, bouem, Ouem,& Capram,irata cornibus feriunt,& celeritate equum intercipiunt,& necant,qui fugere ſolet,vel ob deformitatem portentoſam, vel quia nunquam ei ante a id animal viſum, populus non habet alias diuitias, ſunt enim ei cibus,potus,veſtis,tergora ad domos ſtruendas, funeſque faciendos valent,ex oſſibus cultri,ex neruis fila,ex veſicis vaſa,ex cornibus varia colendæ terræ inſtrumenta, ex fimo, ignis, ex iuniorum pellibus ſacci conficiuntur.* Eadem alij. 5.a Camelo nomen habet *Struthiocamelus*.de quo immortalis famæ Vlyſſes Aldrouandus,cui nihil eſt magni momenti,quod addi debeat,racematio tamen hæc erit exigua. Flauius Vopiſcus.*ingentibus Struthionibus vectum,quaſi volitaſſe*. Iulius Capitolinus.*Struthiones Mauri miniati trecenti*. Herodianus Hiſtoricus. Μαυρουσίας σρȣθοὺς eadem ratione dixiſſe viſus eſt, eſt & locus elegans in Epigrammatis, & Poematijs veterum a Pithæo editis, ſed illa nec ad manum, Iuſtus Lipſius præceptor meus non contemnenda habet in Epiſtolicis quæſtionibus,quæ videantur:vt & Iulius Pollux in Onomaſtico ad Commodum Imperatorem diſcipulum ſuum,& D. Auſonius. Iocus ille inſignis apud L.Senecam libro de Conſtantia Sapientis. *In Senatu flentem vidimus Fidum Cornelium,Naſonis generum,cum illum Corbulo Struthiocamelum depilatum dixiſſet*. quo dicterio vel ridiculam corporis formam,crurumque exilitatem,vel ſtultitiam, quæ in illa aue,dum venatores vrgent, maxima, vel mollitiem vulſi corporis, vel egregiam, ſtomacho in infinitum ſufficiente,edacitatem notare voluit.vel certe deformitatem,nam cum Iulianus Auguſtus ἄμορφον,aut δυσείδεα ſubſanna notare voluit in Anthologia

Lib. 8. peregrinat. Americ. c. 8.
Struthiocamelus.
Lib. 9. Ornithol. c. 2.
In Firmo.
In Gordianis.
Lib. 1.
Pag. 313.
Li. 4. Epiſt. 9
Lib. 1. c. 10.
Epiſt. 11.
Cap. 17.
Seneca explicatus.
Lib. 2. c. 13.

ὄψιν ἔχεις σρυθιῷ πανόμοιον.

Faciem habet Struthiocamelo perſimilem.

Toto cælo errauit Elhardus Lubinus,dum vertit *Strutoſimilem*, fefellit eum locus ille in vulgatis editionibus hactenus deprauatiſſimus,legebatur enim σρȣθῷ *Strutho*, ſed locum ego primus, & reſtitui, & explicaui. Hoc non omittendum olim *Struthiocamelorum*,ſeu σρȣθιοκαμήλων nomen ignotum, vocataſque aues eas χηνῶν anſerum nomine, vel ipſo Galeno teſte, vnde lux T. Petronio Arbitro in Satyrio. *rogo,inquam,noli clamare,ego tibi pro anſero Struthiocamelum reddam*. Sed ratio nominis haudquaquam ab vllo recte,vt puto,aſſignata, nam qui ad corporis figuram tantum,quam confugiunt,haud recte ſentire videntur, potior illa,quæ non a corporis proportione tantum, ſitim tolerat,ſic vocata fuit. Lucianus auctor in Dipſadibus ſub principium. ἡ θηρα δὲ ἐςὶν ὄνων τῶν ἀγρίων, καὶ σρȣθῶν τῶν μεγάλων χαμαιπετῶν, καὶ πιθήκων μάλιςα, καὶ ἐλεφάντων ἐνίοτε, ταῦτα γὰρ μόνα διαρκεῖ πρὸς τὸ δίψος, καὶ ἀνέχεται ἐπὶ πολὺ ταλαιπωρέμενα ὑπὸ πολλῷ καὶ ὀξεῖ τῷ ἡλίῳ. *Venantur autem aſinos ſilueſtres,& magnos Struthiones humi volantes,cum primis vero ſimias,aliquando etiam Elephantos,hæc enim animantia ſola aduerſus ſitim perdurant,tum magnopere ſufferre poſſunt immodici & feruentis Solis moleſtias*. Hæc quidem ratio victus perſuadere poterat,niſi etiam & externa corporis forma foret ſpectanda.ita ergo Oppianus in Cynegeticis.

Error Lubini.
Anthologia correcta.
Lib. 3. de Alimen. fac.
Ratio nominis.
Sitim fert, vt Camelus.
Lib. 3. Verſ. 464.

Αμφίδημον,μέγα θαῦμα,μετὰ σρȣθοῖο κάμηλον

Geminum,magnum miraculum,cum paſſere Camelum.

Deſcribit deinde,& percurrit veluti ſingulas partes corporis.

καὶ πόδες ὑψιτενεῖς,ἴκελοι νωθοῖσι καμήλοις

Βυαιὴν μὲν κεφαλὴν,πολλὴν δὲ τανύτριχα δειρὴν

κανένν κίνυσι πολύπτερον.

Βάκτριον οἷά τε φῦλον.

Et pedes alti ſunt ſimiles tardis Camelis

Breue quidem caput,longum,ac hirſutum collum

Nigrum motat,atque plumoſum

Bactrium veluti genus.

Rara quæpiam de ea Aue apud Philem reperire eſt, libello de Animalium proprietate.

Cap. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Στρουθὸν δέ φασι τὴν μεγάλην ... φρύγες
οὖσαν πτερωτὴν, τοῖς ποσὶ χρῆσθαι πλέον.
Cum penniger sit, vtitur pedibus tamen
Magis marinus Passer, vt Phryges ferunt.

Totum locum Latina interpretatione adponam, quo facilius animalis illius natura percipiatur.

Vrgensq́ cursus, alleuatas explicat
Alas, vt implens has Notus, ceu carbasa,
Ipsum secundo prouehat spiramine,
Cumq́ oua pariat copiosa segregat
Quæ procreando sunt inepta fœtui,
Exclusit at quæ vi calor genitabili
Hæc defluenti nutrit in testa fouens:
Quod si quis insectetur illum cominus

B

Lapidum repellens impetit hunc verbere
Iaculationibus pedum non irritis:
Hic eminentem super arenis construit
Nidum, pedibus quem firmat affabre in solo:
Eiusq́ nerui, Rex, adepsq́ plurimos
Leuant dolores vtili medicamine
Oculisq́ tollunt ægritudinem, cauo
In ventre dissecti reperti calculi.

Prona sunt quæ de ea scribunt Albertus Magnus, Vincentius Bellouacensis, & Bartholomæus Franciscanus Opere de rerum proprietatibus, & si quis plura cupit, recurrat ad Commentarios vberes, quos ante decennium dedi in Claudianum, & plene sibi satisfaciet. ille enim *Lib. 1. in Eutrop.*

Vasta velut Libyæ venantum vocibus ales
Cum premitur, calidas cursu transmittit arenas,
Inq́ modum veli sinuatis flamine pennis

C

Puluerulenta volat.

6. *a Camelo Camelopardalis*, & naturæ partem, & appellationem desumpsit, cuius animalis descriptio, generatio, victus, proprietas, aliaque huc spectantia, hic omittimus consulto, sequenti capite fusius prosecuturi. *Camelopardalis.*

DE CAMELOPARDALE. CAP. XXXV.

CAMELOPARDALIS, aut, vt barbare quidam, *Camelopardalus* sequitur, & quia fissa eius est vngula, vt cæterorum supra quadrupedum, & potius quod a *Camelo*, de quo proxime supra, & denominationem, & aliquam naturæ suæ qualitatem, atque etiam formę similitudinem, sortiatur: erronea omnino est quorundam scriptorum sententia, qui existimarunt *Camelopardalem*, ideo sic vocari, quod ex *Camelo* & *Pardale* generetur, illud autem longe est falsissimum, cum & *Pardus* ipse, siue *Pardalis*, qui Græcis Πανθὴρ *Panther* dictus, generare non possit, est enim Hybrida vt præter Naturalium rerum scriptores, cultissimus Claudianus. *Ordinis ratio.* D *Error quorundam.* *De Consul. Manlij.*

Obuia fulminei properent ad vulnera Pardi,
Semine permixto geniti, cum forte Leænæ
Nobiliorem vterum viridis corrupit adulter:
Hi maculis referunt patres, & robore matres.

Nominis igitur ratio non a generatione inter *Pardum Camelumque* est, sed a colore, & formæ magnitudine, est enim vasto corpore, vt *Camelus*, varijs maculis, & notis toto corpore, sed maxime in collo, notatus, vt hac re videri possit *Pardus*, cuius tergus mira colorum varietate distinguitur: quod non spernenda versus elegantia Natalis Comes describit, opere illo, haud quaquam vili de Venatione. *Lib. 4.*

Desertis Libyæ gentes nascuntur in oris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

 E

Quæ maculis atris ſignantur tergora, Pardo
Iuncta Leæna tulit, referunt matremq́ue, patremq́ue,
Nec ſimplex ſpecies, retinent hinc nomina miſta,
Venandi eſt eadem ratio, quæ patribus ipſis.

Appellatio illi ergo, vel a *Pardo*, vt frequentior ſuadet ſcriptorum autoritas, vel etiam a *Leopardo*, cuius aliquam Naturæ proportionem refert, vt paulo intra apparebit: & vel maculæ illæ crebris vndique notis diſcurrentes teſtari nominis originationem poſſunt, ſunt enim vterque punctis quibuſdam variegatus, de quo diſerte C. Plinius, ſed neſcio an vere. *Panthera & Tigris varietate macularum, prope ſolæ beſtiarum, ſpectantur*. Hoc verum ſit, an non? alij viderint, ego certe lapſum haud leuiter exiſtimo, nam de Leopardo, & Lynce notius eſt, quam, vt dici debeat, & niſi ab omniſcio Vlyſſe Aldrouando præoccupatum hoc ipſo opere exiſtimarem, poſſem multis rationibus, & locis oſtendere, & Leopardum, & Lyncem, & ſpeciem non vnam Moloſſorum, ſed & Vros maculoſa eſſe pelle, & de *Camelopardale* ipſe Plinius capite ſequenti fatetur, & ego fuſius videbo in deſcriptione huius animalis. & de *Panthera* quidem Oppianus, quod magnopere ad figuram noſtri *Camelopardalis* cognoſcendam attinet, ſic paucis perſtringit F

Lib. 8. c. 17. — *Error Plinij* — *Lib. 4. Cyneget. Verſ. 64.*

Εἴδεα δ' ἀμφοτέρησιν ὁμόϊα δαιδάλλονται
Νοσφὶ μόνης ἐρῆς.
Formæ autem vtriſq́ue ſimiles variegantur,
Præter ſolam caudam. eadem vera in *Camelopardale.*

Menſæ Pantherinæ. — *Lib. 13. c. 15.* — *Epidic. Act. 1. Sc. 1.*

Tanta ſane macularum in Panthera diuerſitas, vt menſis pretioſiſſimis inde nomen fuerit. Plinius loco ſupra proxime laudato, videatur, & Iacobus Dalechampius ibidem: Idem rurſus Plinius. *Menſis præcipua dos in vena criſpis, vel in cortice varijs, illud oblongo euenit diſcurſu, ideoque Tigrinæ appellantur, hoc intorto, & ideo tales Pantherinæ vocantur.* de quibus capio illud Plautinum.

— *Perpetuon' valuiſti?* TH. *varie.* EP. *qui varie valent,*
Caprigenum hominum non placet mihi, neq́ue
Pantherinum genus.

Lib. de Tranqu. Anim. c. 1 — *Li. 7. Benef. c. 9.* — *Petronius inſigniter correctus.*

Menſas iſtas vocari *lignum Reticulatum* ex Seneca recte cenſuit Ioannes Bourdelotius. Ipſe Seneca audiendus. *Menſa non varietate macularum conſpicua, nec permultas elegantium dominorum ſucceſſiones ciuitati nota.* Et alibi. *Video iſtic menſas, & æſtimatum lignum Senatoris cenſu, eo pretioſius, quo illud in plures nodos arboris infælicitas torſit.* ita corrigendus locus deprauatiſſimus T. Petronij Arbitri in Bellorum ciuilium deſcriptione. G

Citra menſa, greges, ſeruorum, oſtrumque renidens
Ponitur, & maculis imitatur vilibus aurum
Quæ ſenſum turbant, hoſtile ac male mobile lignum
Turba ſepulta mero circumuenit.

Tertius verſiculus varie concipitur, quibuſdam placet legi

— *Maculis minitatur vilibus auro*

Reuera exactius longe, vt Iuſto Lipſio præceptori meo aſſentiar

— *Maculis mutatur vilibus aurum.*

Quartus verſus, nullo hactenus ſenſu, mutilatus ac veluti depoſitus, ſic a nonnullis nitori ſuo reſtituitur.

Quæ cenſum turbant.

Rectius ad mentem Petronij, & Senecæ, &, vt ſemel dicam, æuum illud

Quod cenſum trahat, hoc ſterile, & male nobile lignum
Turba ſepulta mero circumuenit.

Aut certe appoſite magis.

Ebria turba mero circumuenit. non ſepulta.

Vt ſit ſenſus apertus, viliſſimis menſarum citrearum Pantherinarum maculis aurum mutatum, & cenſu Senatorio eas emptas, cum lignum & ſterile, & ignobile ſit, nec quicquam in ſe habeat, quo tantis diuitijs æquiparetur, niſi quod ebrioſorum nocturnæ libidini inſeruiat. de menſis iſtis, & inæſtimabili pretio, Budæo recte reprehenſo, ex Tertulliano, & alijs, doctus vir Matthæus Raderus diſquirit, in Commentarijs in Martialem, eo verſu.

Budæus reprehenſus. — *Lib. 12. epig. 67.* — *Lib. 14. epig. 89.*

Et Mauruſiaci pondera rara Citri.

Et ipſe Epigrammarius correctioni noſtræ haud leuiter videtur fauere, dum ſic.

Accipe fælices Atlantica munera ſiluas,

Aurea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Aurea qui dederit dona, minora dabit.

A *Panthera* igitur *mensæ pantherinæ* vocatæ, vel a maculis, quæ mensæ & quadrupedi communes, & in vtroque similes omnino erant, vel certe, quod a nullo, quod sciam, est obseruatum, quia fulcra huiusmodi mensarum referebant figuram *Pantheræ*, clare Vetus Scholiastes Iuuenalis.

Mensæ pãtherina curæ

Sat. 11 vers. 124.

At nunc diuitibus cœnandi nulla voluptas,
Nil Rhombus, nil dama sapit, putere videntur
Vnguenta atq; rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande Ebur, & magno sublimis Pardus hiatu.

Obiter hæc de *Pardo* perstrinxisse sit satis, ad *Camelopardalim* redeo, de quo quadrupede nihil Aristoteles, aut Aelianus, & ideo erit maioris difficultatis eius naturæ inuestigatio, præsertim cum Romanis exoticum sit animal, nec frequenter adeo spectatum, vt perfecta relatione eius conditiones omnes exploratas habere ipsi, aut alijs tradere potuerint, quid tamen eruerim ex alijs, hic apponam.

B

DESCRIPTIO,
& Natura.

QVADRVPEDEM istum varie descriptum inuenio, nec sane inter veteres ipsos satis conuenit, nec recentiorum vnanimis est sententia, Ad manum non sunt Conradus Gesnerus, vti nec Ioannes Lerius, nec Petrus Bellonius, qui Naturæ arcana diligenter disquisiuerunt, & docte posteris publicarunt, consuli illi possunt. hoc vnum ego in illorum descriptionibus olim obseruasse visus fui, diuersa eos tradere, præcipue in figura huius delineanda. Samuel Purchasius satis curiose in illa sua peregrinatione. *Camelopardalis animal non sæpe visum, sed tamen valde cicuratum, & mirabilis compositionis, mixtum ex Leopardo, Ceruo, Bubalo, Pardale, Camelo, & ratione posteriorum tibiarum curtarum, anteriorum multo longiorum, gramine, sine summa difficultate, depasci non potest,*

Io. Ler. lib 9. P. Bellon. li. 2. c 49. Lib. 6. c. 1.

C *sed ingenti suo & elato capite, quod ad lanceæ altitudinem erigere solet, tenerioribus arborum ramis, & internodijs ramorum progerminantibus vescitur.* Hæc ille, qui ex varijs animalium speciebus conflatum subindicat, & naturam apposite mansuetam dixit, & paucis verbis, tibias, caput, cibos expressit haud dubie vere, nisi forte imperfecte. Veteres conferam, quorum primus in re sit Strabo Amasianus Geographiæ accuratus & bonus scriptor. Γίγνονται δ' ἐν τούτοις τοῖς τόποις καὶ αἱ καμηλοπαρδάλεις, ἐδὲν ὅμοιον ἔχουσαι Παρδάλει τό γὰρ ποικίλον τῆς χρόας νευρίσι, sed legendum est omnino νεβρίσι μᾶλλον ἔοικε, πίλοις κατεσιγμέναι τελέως δὲ τὰ ὀπίσθια ταπεινότερα τῶν ἐμπροσθίων ἐςὶν, ὥςε δοκεῖν συγκαθῆσθαι τῷ ἐραίῳ μερει; τὸ ὕψος βοὸς ἔχοντι, τὰ δ' ἐμπρόσθια σκέλη τῶν καμηλείων, ὀν λείπεται τράχηλος δ' εἰς ὕψος ἐξηρτημένος ὀρθὸς, τὴν κορυφὴν δὲ πολὺ ὑπερτέραν ἔχει τῆς καμήλε, διὰ δὲ τὴν ἀσυμμετρίαν ταύτην, ἐδὲ τάχος ὅμαι τοσἕτον εἶναι, περὶ τὸ ζῶον ὥσον εἴρηκεν Ἀρτεμίδορος, ἀνυπέρβητον φήσας, ἀλλ' ἐδὲ θηρίον ἐςὶν, ἀλλὰ βόσκημα μᾶλλον, ἐδεμίαν γὰρ ἀγριότητα ἐμφαίνει. Ita Latine ea sonant. *In ijs locis,* Troglodytarum scilicet regione, *Camelopardales nascuntur nulla re Pardali similes, cutis enim varietate Hinnulo simillima est bellua, virgatis pilis distin-*

Lib. 16. pag. 533.

D *cta posteriora quoque humiliora sunt anterioribus, vt a cauda sedere videatur; ad bouis altitudinem, anteriora vero crura cruribus Cameli non sunt humiliora, collum rectum est, & in altum exsurgit, verticem paulo sublimiorem Camelo habet, propter quam partium inconcinnitatem, nec tantam celeritatem habere puto, quantam affirmauit Artemidorus, insuperabilem dicens: ac ne fera quidem est, sed pecus, nullam enim feritatem præ se fert.* Solus ille inter tot illustres scriptis viros negauit *Pardali* similem esse maculis *Camelopardalim*. Agatharchides in Excerptis Historicis, vbi de mari rubro apud Photium Patriarcham in Bibliotheca ex aduerso communem firmat opinionem contra Strabonem. sic enim ille. ὅτι παρὰ τοῖς τρωγλοδύταις ἐςὶν ἡ λεγομένη παρ' ἕλλησι καμηλοπάρδαλαις, σύνθετον τρόπον τινὰ, κατὰ τὴν φύσιν λαχοῦσα, τὴν μὲν γὰρ ποικιλίαν, ἔχι Παρδάλεως, τὸ μέγεθος δὲ, καμήλε, τὸ πάχος δὲ ὑπὲρ φυὲς τὸν δ' αυχένα, τοιοῦτον, ὥςε ἀπ' ἄκρων αμέλγεσθαι τῶν δένδρων τὴν τροφὴν. sic Latine redduntur. *Apud Troglodytas bestia est, quæ a Camelopardalis dicitur, nam vt nomen, ita & natura quodammodo composita est, varietatem enim a Pardale habet*, non ab Hinnulo, vt placuit Straboni, *magnitudinem a Camelo, monstrosa ei crassities, collumque adeo prælongum, vt a summis arboribus pabulum carpat.* ita Laurentius Rhodomannus vertit, reuera verba quippiam diuersum sonant, scilicet, *ab arborum summitatibus*. Eadem inter Antiquos censuit

Artemidor' Geographus reprehensus.

Cod. 250. c. 37.

Agatharcides a Strabone dissidet.

Rhodomãn' notatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Cap. 9.

Frons. Cornua. Tuber. Collum. Capitis altitudo. Tibiæ. Crura. Dorſum. Maculæ. Corporis figura. Pes. Labia. Cauda. Cibus. Iuba. Greſſus. Narratio in Strabo defenſus experientia. Veterum error.

Dio Agatharchidæ concors, cuius verba infra ponentur. Recentiorum etiam felix in hoc quadru- E
pede deſcribenda curioſitas, in his ſunt Itali, Hiſpani, Galli, Germani, præter laudatos quamplurimi, paucorum ego relatione ero contentus. præeat Petrus Gillius, qui ſolertiſſimus harum rerum inueſtigator, fructuoſos longiſſimi itineris laboris Cardinali Armaignaco dedicauit, in quo opere ſic ait. *Giraffam Græci & Latini vocant Camelopardalem, vidi in vrbe Cayra,* Memphis ea veteribus fuit, *tres, duo cornicula ex fronte eminebant circiter ſex digitos, in fronte media tuberculum exiſtebat, velut tertium cornu, altum circiter duos digitos; collum longum ſeptem pedes, cum caput extollit, ſexdecim pedes a terra effert, illius longitudo a cauda ad capitis verticem eſt duodeuiginti pedum; tibiæ tam altæ poſteriores quam priores, at femora anteriora longe altiora poſterioribus, nimirum dorſum a cauda ad ſummum capitis verticem, velut ſcala, velutque tectum carinatum attollitur, totum corpus grandibus maculis diſtinguitur, coloris ceruini obquadratis, ſed in collo, magiſque in corpore quoquo verſus latis circiter dodrantem, at clauſula macularum alba digito latior, itaque totum corpus reticulatum eſt, neque tamen, vt Pardalis, maculas habet rotundas, ſed aut obquadratas; aut rotundas, pes biſidus, vt bubulus, labrum ſuperum longe eminet infra inferum, cauda tenuis, & exi-* F
gua, in acumine piloſa, ruminat vt bos, edit fœnum, & cætera quæ boues edere ſolent, iubam habet, vt equus, a dorſo ad capitis verticem, in gradiendo claudicare videtur, nunc dextris, nunc ſiniſtris, non modo cruribus, ſed etiam lateribus, cum ex terra aut potum aut cibum capere neceſſe haberet, crura latiſſime diſtendit priora, non enim niſi late diductis, longeque diu aricatis tibijs, cibumque ex terra capere poteſt. Exquiſita ſane eſt deſcriptio, quæque Straboni patrocinari videtur, ait quippe ille, *Camelopardale,* quam nihil habere, quo ſimilis Pardali dici poſſit, iſte maculas alterius formæ in *Camelopardale,* quam in *Pardale* eſſe oculari experientia docet, quod ſi verum eſt, certe non Strabo, ſed Dio, Agatharchideſque, & eos ſecuti errarunt; nec modo illi in macularum modo, & colore lapſi videntur, ſed multo magis in ipſo corpore, omnes enim illi, & hos ſecuti recentiores nonnulli, anteriores tibias poſterioribus longe altiores eſſe affirmarunt, cum illud a veritate alienum re ipſa compertum ſit, ſiquidem, vt verum ſit corpus quibuſdam veluti gradibus ab ima ſpina dorſi, ad ſummam excreſcere, inequalitatis ratio non procedit a tibijs, ſed a cruribus, quæ inſigni differentia conſtant, ſunt enim poſteriora curta, priora longiſſima, quod in illo quadrupede ſingulare, nec cum vllo alio G
commune: poſtrema deſcriptionis verba videntur duplicem eius victus rationem denotare, nam ſi in regione depaſcit arboribus conſita, facilis ei parabiliſque cibus offertur, folia arborum, & ramuli gemmantes, quos ſine vlla moleſtia decerpat, ſin vero arbores nullæ ſint, & gramine veſci oporteat, magna contentione inclinat in terram corpus, nec niſi difficulter admodum naturæ ſatiſfacit.

Lib. 3. c. 36. *Cap. 10.* *Lingua.*

Concors ei eſt Marcus Polus, qui ijſdem pæne verbis, quibus Gillius, eum delineauit, ſed non eſt ad manum, nec magni intereſt, Eſt & Ioſophati Barbari Veneti deſcriptio Gilliana auctior, is enim luſtrata Perſide itinerarium de ea edidit, in qua regione viſum ſibi Camelopardalim, deſcribit accurate, additque Gillianæ delineatione quippiam notatu omnino neceſſarium, nec ab aliis explicatum. *linguam* ſcilicet ipſo corpore magis portentoſam, *longã duobus pedibus, ſubobſcuri quaſi violacei coloris, te retem ſicuti anguillis, qua ramos, herbas, frondeſque carpat, mira celeritate in os trahens, vt vix ab attento ſpectatore videatur.* Quæ ſi vera ſunt, lingua ei eſt, quod homini manus, elephanto proboſcis: ſed vt ſingula plenius intelligantur, ſubiecta hæc figura proponatur.

Natuam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

B

C

Naturam ei manſuetam, minimeque feram eſſe, cum autoritas Strabonis ſupra laudati, tüex- E
Lib.8.c.18. perientia conuincit, accedente C. Plinij ſuffragio. *ex eo ſubinde*, inquit ille, *cernitur, aſpectu magis quam feritate conſpicua, quare etiam ouis feræ nomen inuenit*, in alio codice erat, *Ouiferæ*. aſſentitur
Lib.4. Herricus cultus eo æuo poeta.

Aethiopes animal mittunt, cui nomina mixta,
Vt corpus, maculæ Pardum, anteriora Camelum
Oſtentant, pede Bos, iuba Equus, extima mandit
Ramorum, ſumma quos carpit ab arbore lingua
Vibrata, facilis natura, & mitis, vt illum
Haud veritus tractare puer: feritatis imago eſt,
Non etiam mores, in poſteriora reclinans
Claudicat alterno inceſſu: ſpectacula Circo
Lata dedit. F

ETYMON ET VARIA Nomina.

ETYMOLOGIA non vna, vti nec nomen ſimplex, communior ergo receptior-
que eſt ſententia a duobus illis quadrupedibus, quos ſæpe memoraui, appellatio-
Lib. 4. ling. Lat. nem ei datam; ſed, tamen togatorum doctiſſimus M. Varro, diuerſum cẽſuit. Vult
enim ille, vt animal ipſum, ita & nomen in Latio peregrinũ eſſe, nec vllos eius om-
Non eſt vox Latina. nino in ſermone Romano fontes reperiri: ſic enim ille. *Camelus ſuo nomine Syria-
co in Latium venit, vt Alexandria Camelopardalis nuper adducta, quod erat figura,* G
vt Camelus, maculis, vt Panthera. Ita ergo *Camelopardalis* etymologica ratio, vt *Cameli* Syriacæ
eſt, non Latinæ originis: id enim omni pæne populo, ſed maxime Romanis familiare, rebus lon-
Nomina multiplicia. ge aduectis nomina & idioma proprium ſeruare. Nec vllum ſane animal eſſe puto, cui plura nomi-
na impoſita a veteribus ſimul & recentioribus, antiquiora percurram. 1. *Ouis fera*, ſiue, vt nonnul-
Ouis fera. li codices præferunt, *Ouifera* appellabatur, *fera* quidem dicta, quia non ſit domi natum, ſed in
auijs regionibus, nec niſi rarenter viſum animal, *ouis* vero a naturæ manſuetudine, & tractabilita-
Lib 8.c.18. te, carere enim felle, vt *Camelus* ipſe, creditur, ita innuit C. Plinius. mouet me hic locus, vt de ani-
Oues feræ a Camelopardale diuerſa *bus feris* aliquid obiter attingam, nam etſi *oues feræ* ſint *Camelopardales*, tamen eſt & aliud ge-
nus verarum *ouium* quas a naturali loco in quo naſcuntur, & affectu ferino *feras* apposite vocant,
de quibus ex Plinio & Ariſtotele alij præoccuparunt, & ego paucis retracto. Eſt ergo certum ani-
malia pleraque domeſtica, & cicurata ferinam naturam induere ſolere, vt ſunt in America *Canes*
Canes feri. Boues feri. & *Boues* feri, & *Canes* quidem illi *turmatim incedunt, & plus damni gregibus inferunt, quam lupi,
aut quodlibet aliud ferarum genus*, ſi vera ſunt, quæ ſcriptis de nouo orbe, non vno loco commiſit
Lib.1.c.21. et lib 4.c.34. Ioſephus A Coſta: ideo qui illos necare poſſunt, eadem præmia conſequuntur, ac illi qui lupos H
aut Leones interimunt, vt Petrus Martyr tradidit. eandemque *ferorum Canum* ſpeciem in Hiſpa-
In Inſulis. niola generari certis relationibus a multis compertum: ſed & Naturalium rerum ſcriptores, feri-
Ouid. lib.15 c.8. nam hanc in belluis qualitatem in cicuratam quibuſdam artibus & herbis comeſtis mutari poſſe,
Plin. lib. 24. c.17. deprehenderunt. Sic *oues* fieri *feras* nemo negat, qui M. Varronem in Re Ruſtica legerit. *Etiam
nunc*, inquit, *in locis multis genera ſunt pecudum ferarum aliquot, vt in Phrygia ex Ouibus, vbi
Lib.2.c.1. greges videntur complures*. pergit deinde, & Capras, & Sues, & Boues, & Aſinos varijs in re-
gionibus feros eſſe & haberi præſcribit. Sic vere, licet fabuloſe Arundo illa apud L. Apuleium
Lib.6. ad Pſychen in Metamorphoſi Mileſia. *neque tua miſerrima morte polluas meas ſanctas aquas: nec
vero contra formidabiles oues iſtius oræ feras aditum, quoad de Solis flagrantia mutuato calore, tru-
Error Beroaldi. ci rabie ſolent efferri, cornuque acuto, & fronte ſaxea, & nonnunquam venenatis morſibus, in exi-
tium ſeuire mortalium.* Nugatur ad eum locum Philippus Beroaldus, & de Camelopardale inter-
In cibis. pretatur, quod alienum a mente autoris, & naturali ratione, ſiquidem *oues feras* in cibis Romanis
Lib.8.c.4. fuiſſe doceor autoritate L. Apicij, apud quem in Re Culinaria condimenta *Oui ſiluaticæ* præſcribū-
In ludis. tur: Et, vt omnis dubitatio tollatur, Gordianus Senior Auguſtus *Oues feras* in ſcenam produxit, ita
Iul. Capitol. in Gordianis enim vetus ſcriptor. *In qua pictura etiam nunc cõtinentur Cerui palmati ducenti Britannis mixtis,
equi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *equi feri triginta, Oues feræ, centum, Alces, decem, Tauri Cypriaci, centum, Struthiones Mauri mi-*
niati, trecenti, Onagri triginta, Apri centum quinquaginta, Ibices ducentæ, Damæ ducentæ: hæc om-
nia concessit populo rapienda die muneris, quod sextum edebat. Iam redeo ad relictum sermonem.
2. Vetusta ei etiam appellatio *Nabis*. C. Iulius Solinus in Polyhistore. *quæ locorũ Aethiopes tenent,*
feris plena sunt, è quibus quam Nabin vocant, nos Camelopardalũ dicimus. Est ergo Nabis Aethio- *Nabis.*
pica dictio. 3. *Nabuna* itidem ei nomen, & in ea voce, & reliquo textu Plinius loco laudato corru- *Cap. 43.*
ptus, restituere integritati illum curiose annitar. *Horũ,* Camelorum, *aliqua similitudo in duo trans* *Nabuna.*
fertur animalia, Nabuna Aethiopes vocant, collo similem equo, pedibus & cruribus boui, Camelo capi- *Plinius cor-*
te, albis maculis rutilum colorem distinguentibus, unde appellata Camelopardalis. quænam illa duo *rectus.*
animalia, in quæ similitudo Cameli transfertur? nugæ, MSS. varij, præcipue Dalechampij, recto
sensu, sic præferunt. *Horum similitudo in vnum transfertur animal.* Non me latet in eodem illo Pli
nij loco, in vulgatis non *Nabuna*, sed *Nabin* haberi. 4. *Anabula* dicitur idem, idque ex autoritate *Anabula.*
Plinij ab Alberto Magno egregio illo de Animalibus opere, *Anabula, vt scribit Plinius, bestia est* *Albertus Ma-*
B *Aethiopiæ, quam Arabum quidam, & Italicorum Saraphat appellant,* vtrumq; nomen ab illo depra- *gnus notatur*
uatum, sine quia in vitiosos inciderat codices, seu quia forte ipse aliter scripserat, vt sit pro *Anabu-* *lib. 22. de A-*
la, Nabuna; pro *Seraphat Girafa,* vt infra dicetur: quinimo idem autor sana Plinij ex laudato loco *nimal.*
verba adfert, *est autem capite Cameli, collo equi, cruribus & pedibus bouis, prætēdens similitudinem.*
Est alijs in locis *Camelepardalis* nominatus, sed tanquam aliud animal, sed danda est ei æuo, &
rudi sæculo venia. 5. Appellationem longe aliam ei affingunt, & Naturam appellationi plane ido-
neam, in his Simon Maiolis septimo Dierum Canicularium colloquio, qui *Orasium* dici Camelo- *Simon Maio*
pardalim contendit, adducto ad id probandum Vincentij Bellouacensis loco. *Est,* inquit, *in hoc a-* *lus notatur.*
nimante nihil aliud memorabile, nisi forte, quod de Orasio Vincentius tradit, Orasium enim, vt puto, *Orasius.*
Camelopardalim nuncupat, eandem enim effigiem conscribit, quam modo diximus, adijcit autem tan- *Lib. 19. c. 97*
tæ animal esse pulchritudinis, vt vix penicillo imitari eadem elegantia possit, ipsam autem suæ tantæ
venustatis non esse ignaram, nam cum circumspectantes spectatores viderit, vertit, & inuertit sese
in quamlibet partem, vt omnium obtutus in sui admirationem conuertat. paria apud Albertum Ma-
gnum, & totidem verbis, qui Vincentij locum illum, vt multos alios, transcribit. quæ vt vera sint *Li. 22. tract.*
de *Orasio*, falsum enim est de *Camelopardali* ea dici posse, nam neque vlla in eo pulchritudo est, sed *2. c. 1.*
C potius monstrosa deformitas, ex tot variorum animantium partium compage, deinde nec ille sui
decoris tantus est admirator, vt spectatorem ad se allicere velit; &, vt semel dicam, *Orasium* aliud a
Camelopardale animal esse necesse est, & nec mihi nunc inquirere vacat, & puto in hoc ipso opere
præoccupatum: Hæc sunt nomina vetusta, de quibus obiter Philippi Beroaldi Commentarios in
Apuleium consule. 6. dici *Camelopardum* docet Vincentius Bellouacensis, sed vereor, ne minus ve- *Camelopar-*
re, verba illius sunt. *Camelopardus est dictus, eo quod cum sit ut Pardus, maculis albis superaspersus,* *dus.*
collo equo similis, pedibus bubulis, capite tamen Camelo similis est. laudat testem suæ sententiæ Isido- *Lib. 19. c. 9.*
rum, sed apud illum, *Cameleonpardus,* diserte legitur, nisi forte & ibi mendose legatur, aut certe a- *Error Bello-*
liud animal esse id oportet: Alter error illius, quod *pedes* ei *bubalos* attribuat, cum ex omnibus lau- *uacensis.*
datis *pedibus* referat *Bouem*: idem imposuit Abulensi, qui *Bubalos* ei *pedes*, vt ille, esse voluit. Aeuo *Lib. 12. c. 2*
posteriori cæpit vocari *Giraffa* seu *Gyrapha,* vt est apud eundem Beroaldum in Annotationibus in *Alter error.*
Horatium, & paruo admodum discrimine *Girafa* audit vulgo in Italia, vt refert Angelus Politia- *Abulensis er*
nus, & in ea voce corruptum supra Albertum Magnum ostendimus, nec magni refert, & si alij a- *ror in Deu-*
lia quadrupedi huic nomina imponant, dum ex veterum recentiorumque diligenti relatione, & *ter. quæst. 3.*
D consensu, constet de eius natura. *Girassa.*

Thesau. Crit. Tom. 1. Syllog. 2. Miscella. c. 3

QVANDO PRIMVM ROMAE?
& vsus in spectaculis.

ROMANIS illum omnium primus ludis suis exhibuit C. Cæsar Dictitator: idq;
concordi Latinorum Græcorumque scriptorum consensu liquet. C. Plinius. *Nabu* *Lib. 8. c. 18.*
na Aethiopes vocant, collo similē equo, collo & cruribus boui, Camelo capite, albis ma-
culis rutilum colorem distinguētibus, vnde appellata Camelopardalis, Dictatoris Cæ
saris Circensibus ludis primum visa Romæ. Eadem ex illo C. Iulius Solinus in poly- *Cap. 43.*
histore. *Nabim vocant, nos Camelopardalim dicimus, collo equis similem, pedibus bubulis, capite Came*
lini, nitore rutilo, candidis maculis superspersa: hoc animal Romæ Circensibus Dictatoris Cæsaris pri *Quo Anno*
mum publicatum. Fuitq; ille annus ab Vrbe condita septingentesimus octauus, vt ex Tabulis Capi *Romæ visus?*
tolinis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

tolinis, Faſtis conſularibus Caſſiodori, & alijs colligitur, quod ideo memoraui, quòd nonnullos in hac recte annorum ſupputatione lapſos animaduertiſſem, in his eſt Franciſcus Robortellus, qui in homine clariſſimo Carolo Sigonio contradicendi ſtudio, & inſcitiam ſuã prodidit, & hiſtoriæ Romanæ altas tenebras induxit, cũ etiã alijs inconſiderate ſequuti. Sigonij numerũ rectũ eſſe, vel Dionis Cocceiani autoritate admouemur. qui ſic ait. καὶ ἐπὶ τούτῳ, καὶ ἐπὶ τῇ θυγατρὶ καὶ θηρίων σφαγὰς, καὶ ἀνδρῶν ὁπλομαχίας ἐποίησεν. περὶ δὲ δὴ τῆς καμηλοπαρδάλεως, in alio codice, καμηλοπαρδάλιδος erat, ὠνομασμένης ἐρῶ, ὅτι τότε πρῶτον ἔς τε τὴν Ῥώμην ὑπὸ αὐτοῦ ἐσήχθη, καὶ πᾶσιν ὑπεδείχθη, τὸ γὰρ ζῶον τοῦτο τὰ μὲν ἄλλα κάμηλός ἐστι, πλὴν καθ' ὅσον οὐκ ἐκ τοῦ ἴσου τῶν κώλων ἔχει, τὰ μὲν γὰρ ὀπίσθια αὐτοῦ χθαμαλώτερά ἐστιν ἀρχόμενον δὲ ἀπὸ τῶν γλουτῶν ὑψοῦται κατὰ βραχὺ, ὥστ' ἀναβαίνοντι ποιεῖν ἐοικέναι, καὶ μετεωρισθὲν ἐστὶ πλεῖστον, τὸ μὲν ἄλλο σῶμα ἐπὶ τῶν ἐμπροσθίων σκελῶν, τὸν δ' αὐχένα ἐς ὕψος αὖ ἴδιον ἀνατείνει; τὴν δὲ δὴ χροίαν, aut vt in alio eſt codice χρόαν non minus recte κατέστικται ὥσπερ, Πάρδαλις, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὸ ὄνομα ἐπίκοινον ἀμφοτέρων φέρει Gulielmus Xilander ita reddidit. *deinde in honorem filiæ,* Iuliæ Pompeio dẽptæ, *venationes, ludoſq́; gladiatorios exhibuit,* (paulo aliter verba græca ſonant *ferarum inſecutiones, & ſingulares virorum pugnas*) *Nunc id commemorabo animal, quod Camelopardalis nominatur, tunc primum a Cæſare Romam adductũ publicèq́; oſtenſum fuiſſe; eſt autem Cameli omnino ſimile animal, niſi quod membrorum non eandem vbiq; proportionem ſeruat, nam partes eius poſteriores humiliores ſunt, a clunibus paulatim, videturq́; quaſi aſcendere, cumq́; diu altius ſubinde factum eſt, reliquam corporis partem prioribus pedibus eleuat; collo vero ſuo peculiaris altitudo adeſt, colore, vt Pardalis, variegate eſt, vnde & nomẽ ex Camelo & Pardali cõpoſitum habet.* Primus vſus illius in ſpectaculis, vt opinor, fuit idem, quẽ *Rhinocerotis* fuiſſe ſub Auguſto ſupra, aut *Cameli* ſub Ptolomæo in Aegypto, oſtẽdebam, vt ſcilicet a Romanis ſpectaretur, non etiam alijs committeretur, aut pugnaret. Sic Horatius culpandam Romanorum ſtultitiam exagitans, ait effuſe riſurum Democritum, ſi reuiuiſceret, cum Romanos Camelopardalis aſpectu, & admirabundos, & ſtupentes videret. Verſus ipſi ſunt

Error Robortelli.

Lib.43. pag. 225.

Deſcriptio eius alia.

In ludis tantũ ſpectabatur. Lib.2. epiſt.1

Si foret in terris rideret Democritus, ſeu
Diuerſum confuſa genus Panthera Camelo,
Siue Elephas albus populi conuerterat ora:
Spectaret populum ludis attentius ipſis
Vt ſibi præbentem Mimo ſpectacula plura.

Fuiſſe tamen ſequenti æuo non ſpectatam modo, ſed & in arena commiſſam, atq; etiam confectã facile apparebit ex hiſtoriæ Auguſtæ lectione, & intra hic paucis interiectis expediam, vbi diſquiretur *quoties in Europa viſus*? quod mirum videri debeat a VVolfgango Lazio, & alijs, qui ex profeſſo prouinciam illam ſuſceperunt, omiſſum, ſed quis omnia?

Etiã pugnabat.

Lazij negligentia.

LOCVS ET VSVS IN CIBIS.

HOC tam portentoſæ formæ monſtrum generat Africa, ratio elegans ex Plinio. *Africa hæc maxime ſpectat, inopia aquarum ad paucos amnes congregãtibus ſe feris, ideo multiformes animalium ibi partus, varie fæminis cuiuſq; generis mares, aut vi, aut voluptate miſcente, vnde etiam vulgare Græciæ dictum, ſemper aliquid noui Africam adferre.* Græci id dicunt Ariſtotele teſte ὡς αἰεί τι τῆς λιβύης τρεφούσης καινόν. idemque repetit alibi, & elegantem adfert rationem, quam totidem pæne verbis ex Plinio recitaui, qui eum, vt ſolet, tranſcripſit: vſq; adeo monſtra hæc informia generat alitq; Africa, vt nec ceruí, nec apri, nec capreæ in ea viſantur, vt poſt rerum naturalium ſcriptores pæne omnes, videre potes apud Claudium Aelianum: & plerunque ad ludos ſuos Romani ex Africa feras aduehebant: Claudianus de ludis a Stilicone conſule exhibitis.

Lib.8. c.16.

Lib.2. Gene. Anim. c.7.
Lib. 8. Hiſt. Anim. c.28.

Lib.17. c.10.

Lib.3. de lau. Stil.

Nanq́; feras alijs tellus Mauruſia donum
Præbuit, huic ſoli debet, ceu victa, tributum:
Dum nos horribiles Libyæ ſcrutamur alumnos,
Europæ vos interea perquirite ſaltus.

Eodem loco interiori Africa gigni alique ferociores has belluas indicat

Iamq́; pererratis Libyæ flagrantibus oris
Legerat eximios Phœbi germana Leones
Heſperidas qui ſæpe fugant, ventoque citatis
Terrificant Atlanta iubis, armentaque longe
Vaſtant Aethiopum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Inter hæc prodigia sunt *Camelopardales*, nam Plinius & Solinus supra laudati in Aethiopia eos collocant, in Troglodytarum regione Strabo: Et qui hodie regiones illas lustrarunt, confirmãt vera esse, quæ de hoc quadrupede Antiquitas prodidit, Epistolæ Antonij Fernandi Societatis Iesu Presbyteri datæ Anisio: apud Samuelem Purchasium in Itinerario suo. *Vnum animal tam vastum est, in Aethiopia, vt eques rectus sub dorso illius transire possit, vescitur solis frondibus, ex arborũ cacuminibus, formæ similitudine accedit ad Camelum.* Natalis Comes in venatione. Lib. 7. cap. 6. Lib. x.

Aethiopum terris speciem monstrare Cameli
Et Pardi, cernes animalia mixta, Cameli
Hinc nomen commune tenent, & pardalis acris,
Forma genusque feris tribuerunt nomina multis
Diuersis, sed Leucrocutæ quia multa sequuntur
Nullius certe illorum sunt nomen adeptæ.

Hinc subit mirari, cur Heliodorus *Camelopardalim* dono Hydaspi Aethiopũ regi ab Auxiomatum populis oblatum admirationi fuisse Aethiopibus dicat, cum id animalis ea in regione, ex cõ- B sensu veterum recentiorumque, proueniat verba eius Latina, interprete Politiano, hæc sunt, nam Græca non sunt ad manum. *Postremo accessere Auxiomatarum legati, nõ vectigales illi quidem, sed amici, & fœdere iuncti, qui beneuolentiam rebus prospere gestis indicantes; cum alia & ipsi munera obtulerunt, tum imprimis animantem inusitata specie, naturaq́, ad cuius magnitudinem Cameli proceritas, color, pellisq́, pantheræ, maculis veluti florentibus variegata, postremo infra aluum partes humi subsidebant, sicuti in leonibus videmus, humeri, pedesq́, priores, atq́, ipsum pectus, præter rationem cæterorum membrorum procera, tenuis ceruix, & quæ de reliqua corporis mole in olorinum collum se tenderet, caput Camelo simile, maior ipsa pæne duplo, quam Libyssæ Struthi, subscriptosq́, velut oculos torue motans conniuebat, incessus autem animantium cæterarum terrestrium, vel aquatilium dissimilis, neque enim vicissatim crura simul, sed dextra pariter, deinde sinistra vtraque agitabat, cumq; ijs suspensa proferebat latera, tractu motuq; tam facili vt eam, quo vellet, tenui capistro, vertici deuincto, veluti fortissimo vinculo, magister perduceret: hæc vt est conspecta animans, omnem continuo multitudinem obstupefecit, speciesq; nomen inuenit ex ijs, quæ præcipua in corpore, sic vt eam ex tempore populus Camelopardalem appellarit.* Sed tota ea narratio, vt ipsa Historia, fabulosa, nam præterquam C quod animal illud Aethiopibus, apud quos generatur, inusitatum esse nõ poterat, & ob id, nec admirationem mouere, ita qui illi Auxiomatarum populi? in quibus nati *Camelopardales* spectaculo tam insolenti Aethiopibus esse potuerunt? nugamenta mera.

Heliodorus notatus. — *Lib. 10. Aethiop.* — *Proceritas. Color. Pellis. Humeri. Pedes. Pectus. Ceruix. Collum. Caput. Magnitudo. Oculi. Incessus.*

Suspicari posset in Asia etiam *Camelopardalim* nasci, est enim populo Iudaico interdictũ ne cibis quibusdam vescatur, aliorum vsus permissus, & in his *Camelopardalis* recensetur, cum autẽ Terra sancta, seu Palestina, tota sit in Asia, videtur aut ille ibidem loci natus, aut frustraneũ fuisse præceptum, quod impium esset cogitare, quo eius in cibis vsus permitteretur. Locus autẽ in sacro textu sic se habet. *Ne comedatis quæ immunda sunt, hoc est animal, quod comedere debetis, bouem, & ouẽ, & capram, ceruum, & capream, bubalum, Tragelaphum, Pygargum, Orygem, Camelopardalĩ.* ita textus vulgatæ versionis, vox ea aliter paulo in Septuagintis καμηλοπάρδαλιν, sed parum interest. Deuter. c. 14

VENATIO CIRCENSIS ET SILVESTRIS.

D VENATIONEM eius Circensem, & Amphitheatralem nemo describit, vt suspicer tantum populo ostensum, non etiam cum alijs feris aut gladiatoribus commissum, sed iudicium fieri solidum poterit ex authorum locis infra citandis, proximo titulo, huc traho locum Martialis ex coniectura, & collatione loci Heliodori, licet plerique doctorum de Elephanto intelligi velint, ego optimo sensu ad Camelopardalin trahi censeo.

Et molles dare iussa quod choreas Lib. 1. epigr.
Nigro bellua nil negat magistro. 105.

Venationem siluestrem operose describit Oppianus, cuius verba, quia multum ad naturam huius quadrupedis intelligendam conducunt, apponam ex Cynegeticis.

Εννεπέ μοι καὶ κεῖνα, πολύθρος Μοῦσα λιγεῖα, Li. 3. V. 462
μίκτα φύσιν θηρῶν, διχόθεν κεκερασμένα φῦλα,
Πάρδαλιν ἀκολόνωτον, ὁμοῦ ξυνήντε καμήλῳ
Ζεῦ πάτερ, ὅσσα νόησας, ὅς εἴδεα νῶϊ φύτευσας
ὅσσα βροτοῖσιν ὄπασας, ὅς ἐιναλίοις νεπόδεσσιν;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ος τοδ' εμήσαο, πάγχυ καμήλων αἰόλον εἶδος,
Αμφιέσας ῥινοῖσιν ἀναιδέσι παρδαλίεσσι,
φαίδιμον, ἱμερόεν, τι θασὸν γένος ἀνθρώποισιν
Δειρή οἱ Ταναὴ, σικτὸν δέμας, οὔατα βαιὰ,
ψιλὸν ὕπερθε κάρη, δολιχοὶ πόδες, εὐρέα Ταρσὰ,
κώλων δ' οὐκ ἴσα μέτρα, πόδες δ' οὐ πάμπαν ὁμοῖοι,
Αλλ' οἱ πρόσθεν ἔασιν ἀρείονες, ὑστάτιοι δὲ
πολλὸν ὀλιζότεροι, κατὰ τ' ὀκλάζουσιν ὁμοῖοι,
ἐκ δὲ μέζης κεφαλῆς δίδυμον κέρας ἰθὸς ὀρούει,
οὔτι κέρας κεράεν, παρὰ δ' οὔατα μεσσόθι κόρσυς,
Αβληχραὶ κροτάφοισιν ἐπαντέλλουσι κεραῖαι
Αρκίον, ὡς ἐλάφοιο, τέρον στόμα, λεπταλέοι τε
ἐντὸς ἐρειρέδαται γαλακτόχροες ἀμφὶς ὀδόντες,
Αἴγλην παμφανόωσαν ἀπαστράπτουσιν ὀπωπαί,
οὐρὴ δ' αὖτ' ἐλάφεια, θοαῖς ἅτε δορκαλίδεσσιν
Ακραισιν μετόπισθε μελαινομέναισιν ἐθείραις.

Latine ſic ſonant verbatim.

Dic mihi etiam illa ſonora Muſa, canora,
Mixta, naturam ferarum ex diuerſis confuſam habentia genera
Natura. *Pantheram variam tergo: ſimul communemque Camelo*
Iupiter pater, quot quantaque excogitaſti, quot genera nobis plantaſti?
Quot mortalibus largitus es, quot marinis piſcibus?
Qui hanc excogitaſti Camelorum prorſus variam figuram:
Dum induiſti pellibus ferocibus pantherinis
Illuſtre, placidum, ac manſuetum genus hominibus
Collum. *Collum ei longum, maculoſum corpus, aures breues,*
Corpus. *Exile ſuperne caput, longi pedes, latæ plantæ,*
Aures. *Crurum vero non æquales menſuræ, pedeſque non ſimiles,*
Caput. *Sed anteriores ſunt longiores, poſteriores autem*
Pedes. *Multo breuiores, & claudicantibus ſimiles;*
Plantæ. Crura. Cornua. *E medio capite cornu prorumpit recta geminum:*
Non tamen cornu corneum, ſed ſecundum aures in medio capitis
Molles ſupra tempora exoriuntur apices,
Dentes. *Amplum, quaſi cerui, rotundum os, tenueſque*
Oculi. *Intus infixi ſunt, & lactei circa dentes,*
Cauda. *Splendorem illuſtrem effundunt oculi ,*
Cauda vero porro eſt ceruina, velocibus veluti damis
Summis pæne nigrantibus villis.

Oppianus notatus. Hæc ille, nec plura de ratione eum capiendi, & quod maxime intereſt ipſius, nihil de velocitate, quam *in Ichnenmone, Vulpe, Struthiocamelo, lepore* haud quaquam ibidem loci omiſit, credo quia nuda deſcriptione contentus, reliquo, vt incognitis, conſulto abſtinuit: At Artemidorus Geographus vetuſtiſſimus, exiſtimauit omnium animantium eſſe citatiſſimum, & velociſſimum, quod a partium inconcinnarum confuſione negauit poſſe fieri Strabo, vt ex loco ſuperius laudato videri poteſt.

QVOTIES IN Europa viſus?

Iul. Capitol. ROMANI primum viderunt eum ludis a Cæſare exhibitis, vt ex Varrone, Dione, Plinio, & Solino ſuperius oſtenſum: ſæpius poſtea in Europam illatum reperio. nã *Oſtendit Gordianus Tertius.* Gordianus tertius oſtendit. *fuerunt ſub Gordiano Romæ Elephanti triginta & duo, quorum ipſe duodecim miſerat, Alexander decem, Alces decem, Tigres decem, Leones manſueti ſexaginta, Leopardi manſueti triginta, Belbi, ideſt Hyenæ decem, gla-* *Capitolinus correctus.* *diatorum fiſcalium paria mille, Hippopotamus & Rhinoceros vnus, Archoleontes decem, Cameloparдali decem,* legendum ex conſuetudine Græca & Latinis melioris notæ codicibus, *Cameloparдales decem,*

A *decem, onagri viginti, equi feri quadraginta, & cætera huiusmodi animalia innumera & diuersa, quæ omnia Philippus ludis sæcularibus vel dedit, vel occidit.* doleo nihil distincte de Camelopardalibus dixisse, vtrum illi in venatione circensi, an in amphiteatro occisi, contectique, an vero amicis donati. In Triumphi sui pompa Aurelianus Augustus, Palmyrenis victis, & Zenobia regina capta, etiam duxit, & populo Romano ostendit, ita enim Flauius Vopiscus. *Capitolium Aurelianus inuectus est, vt illic cæderet ceruos, quos cum eodem curru captos vouisse Ioui optimo maximo ferebatur, præcesserunt elephanti viginti, feræ mansuetæ, libycæ, Palestinæ, diuersæ, ducentæ, quas statim Aurelianus priuatis donauit, ne fiscum annonæ grauaret, Tigrides quatuor, Camelopardali, Alces, cætera talia per ordinem ducta.* ex bonis codicibus legendum monuit Isaacus Casaubonus, *Camelopardales, Alces.* Leoni quoque Imperatori narrat sequioris æui historia Camelopardales dono oblatos. Suidas illustris testimonij. cuius sunt hæc ex Latina VVolfij interpretatione, nam Græca non sunt ad manum. *Sub Leone Imperatore Romanorum, Aethiopes attulerunt Camelopardales, & duos viros vacordes, statura breuissima, quos Pygmæos Homerus appellauit.* locus Homeri, quem indicat est, puto lib. 3. Iliad. in principio.

Duxit Aurelianus.
Vopisc⁹ correctus.
Leoni Ang. dono missus.
In voce φρενοβλαβὴς.

B — κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ
Αἵτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον
Ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι.
clangor gruum est in sublimi aere
Quæ postquam frigus fugerunt, & immensum imbrem,
Viris Pygmæis cædem & mortem ferentes.

Pygmæi.

Horum, vt id obiter attingam, meminerunt Geographi Strabo, Plinius, Solinus, Aristoteles, Isidorus, Gellius, D. Augustinus Ciuitate Dei, Iuuenalis Satyra 13. & alij. sed ad *Camelopardalim* redeo, qui a Sultano Babyloniorum rege ad Federicum Romanorum Imperatorem missus, vt testatum reliquit Vincentius Bellouacensis, & ex eo idem repetit Albertus Magnus Tractatu de Animalibus, qui pleraq; alia ab illo autore mutuatus est, Federicus hic Ænobarbus fuit, de quo plenius Annales Germanici. Denique Laurentio Medicæo, literatorum ac literarum Mæcænati dono transmissum *Camelopardalim* plerique prodidere a Sultano, seque cum alijs ad eum ab eodem Principe muneribus transmissum vidisse Angelus Politianus testatur, & eiusdem sæculi scri-
C ptor suffragatur Philippus Beroaldus: & hæc de eo dicta sufficiant.

Tractabilitatem in eo expressit Heliodorus supra, cui nihil addo.

Lib. 16 c. 8.
Federico Imper. oblatus.
Lib. 19. c. 97.
Lib. 22. c. 1.
Laurẽt. Medicæus habuit.
Miscellan. cap. 3.
Notis Horatianis.
Tractabilitas.

DE SVE, SYNONYMIA, & Etymologia. Cap. XXXVI.

SVS recta sequitur ratione, cum sit, vt cæteræ quadrupedes, de quibus hoc libro est disputatum, fissis pedibus, & solidis, sed illa frequentior proprietas, definite Claudius Aelianus de proprietatibus Animalium. μώνυχα, δὲ ἵππος, ὄνος, βοῦς, ἐλέφας, αἴξ, χοῖρος, locus fæde est mutilatus, atque correptus, vtroque vitio sic eum libero, & lego. μώνυχα δὲ ἵππος, ὄνος, δίχηλα δὲ βοῦς, ἔλαφος, αἴξ, χοῖρος. *solipeda equus, asi-*
D *nus, bisulca, Bos, Ceruus, capra, Porcus.* clare Aristoteles in Historia Animalium. τὸ δὲ τῶν ὑῶν γένος ἐπαμφοτηρίζει, εἰσὶ γὰρ καὶ ἐν Ἰλλυριοῖς, καὶ ἐν Παιονίᾳ, καὶ ἄλλοθι, μώνυχες ὕες. *Genus sane Suillum ambiguum est, nam & in Illyricis, & in Pæonia, & alijs in locis, Sues solipedes sunt.* Hæc etsi vera videantur, est tamen vsitatior Suum bisulcorum tractatio, vt ipse Aristoteles probat, vbi de partibus Animalium. Et quicquid de ea re sit, inquiram plenius infra, vbi de Speciebus varijs agendum erit. Varijs nominibus hoc animal effertur, quorum Etymologias inuestigabo: sunt enim hæc tria nomina eadem, *Porcus, Sus, scropha.* Isidorus Hispalensis. *Porcus, quasi spurcus, ingurgitat enim se cœno, luto immergit, limo illinit, Porcorum pilos setas vocamus, & setas a Sue dictas, a quibus sutores vocantur, quod ex setis suant, idest consuant pelles.* M. Varro in latinæ linguæ origine, & alii eum sequuti. *Porcus, quod Sabini dicunt de Aprino porco Poridus, inde Porcus, nisi a Græcis, quod Atheneis in libris sacrorum scriptum est* κάπρῳ καὶ πόρκῳ. locus est difficillimus, & retractari vult. prioris partis verba immutata conseruat Antonius Augustinus, vt sit sensus, *Sabini catulum capri vocabãt Porcum,* Adrianus Turnebus suis in Varronem lucubrationibus aliter paulo, *Sabini dicunt a primo porco, inde porcus.* sensu valde obscuro, multis mutatis Iosephus Scaliger, *Sabini dicunt Aprum Porcum, proinde Porcus.* Dionysius Gottofredus in obseruationibus. *Sabini dicunt de Aprino Porco, Porrigus, vel Porgus, inde Porcus.* putaui legi posse, vt in Farnesiano Codice, diserte videbatur, *Sa-*

Ratio ordinis.
Lib. 11. c. 37.
Aelian⁹ correctus.
Lib. 1. c. 1.
Lib. 3. c. 14.
Porcus vnde?
Lib. 12. c. 1.
Lib. 4.
Varronis locus discuss⁹.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Lib. 15. *binis Porcopor eſt puer Suis.* nam *Por* laconibus & Dorienſibus eſt *Puer.* Feſt. Pompeius in fragmẽ E
tis. *Quintipor ſeruile nomen frequens apud antiquos erat, a prænomine domini ductum, vt Marcipor, Gripor, quamuis ſint, qui a numero natorum quinto loco ex ancilla dictum putent.* Eadem Paulus in ſchedis, Feſti corruptor. erit ergo *Publipor filius Publij, Marcipor, filius Marci, Quintipor, filius*
Cap. 2. num. 371. *Quinti,* Varro Epiſt. ad Fuſium apud Nonium.

Quintiporis clodiant Foriæ ac poemata,

Varro correctus. Et locus ille corruptus ita legendus.

Quintiporis Clodiani feriæ, ac poemata
Gargaridians.

Satyra Marcipor. Eratq; *Marcipor* eiuſdem Varronis Satyra, in qua de ſeruitute diſſerebat, & herili imperio, ueteresque laudabat qui clementer & humaniter ſeruis imperabant, quos paucos & dominorũ gentiles habebant, contra homines ſuæ ætatis reprehendebat, qui tot agmina, tot legiones, ut ita dixerim, potius quam familias ſeruorum habebant, quibus aſpere & ſæuiter imperabant, ut exiſtima-
Lib. 24. c. 46. uit Adrianus Turnebus. redeo ad *Porci* deſitum ſermonem, ait Varro loco laudato eſſe dictionem F
Porcus dictio Græca. pure Græcam, quod & uerum, nam πόρκος reperitur apud Lycophronem in Alexandria, idem il-
Lib. 2. c. 4. le M. Varro in re Ruſtica. *Porcus græcum eſt nomen antiquum, ſed obſcuratũ, quod nunc eum vocant*
Sus vnde? χοῖρον. ita ſe habet porcus. *Sus* pure etiam Græcum eſt, ὗς enim Latinis eſt *ſus, υ,* ſane eſt υ, & ſpiritus aſper mutari ſolet in S. ut ὑπὲρ *ſuper,* & alia paria. M. Varro in re ruſtica, loco proxime ſupra
Thyſus ſus. laudato. *Sus Græcis dicitur ὗς, olim Thyſus dictus, ab illo verbo quod dicunt θύειν, quod eſt immolare,*
Scrofa. *a ſuillo enim genere pecoris immolandi initium primum ſumptum videtur.* Dicitur & *ſcrofa,* ſed origine incerta, aut enim ſimplex eſt, & antiqua latinorum dictio, aut a *ſcrobe,* quam roſtro fodit, etymologia deriuari poteſt.

SPECIES VARIAE, & Differentiæ.

NVLLVM animal magis diuerſum, nec in ullo genere, plures ſpecies deprehen- G
duntur, ego percurram nobiliores. 1. cum natura Suum ſit fiſſos pedes habere, re-
Solidipedes Sues. periuntur & Solidipedes, dixi ſupra, & obſeruat Philippus Beroaldus Commen-
Lib. 3. Aſini. tario in Apuleium: & Plinij locus eſt *Sues in Illyrico, quibuſdam in locis ſolidas ha-*
Lib. 11. c. 46. *bent vngulas, cornigera fere biſulca, ſolida vngula, & bicorne nullum, vnicorne, aſinus tantum Indicus, vnicorne & biſulcum, Oryx, tales aſinus Indicus vnus ſolipedum habet, nam Sues ex vtroque genere exiſtimãtur: ideo fœdi earum:* locus eſt fœde corruptus, ſup-
Plinius Ariſtotelis tranſcriptor. plent nonnulli, *ideo feruntur diuerſi earum fetus,* nam totus locus ex Ariſtotele tranſcriptus, quem conſule in Hiſtoria animalium. Nec prima quidem verba ſana ſunt, tu reſcribe, *Sues in Illyrico, &*
Lib. 2. c. 12. *quibuſdam alijs in locis ſolidas habent vngulas,* ſcilicet in Pæonia, ſiue Emathia Macedoniæ regio-
Correctus. In voce Emathia. ne, in Theſauro Geographico adnotauit vir doctus Abrahamus Ortelius. 2. eſt etiam Suũ ſpecies
Muti. quædam in Macedonia, quibus nulla uocis aut grunnitus uſura, & ideo muti dicuntur ab Aeliano.
Lib. 3. c. 35. 3. reperiuntur ſues alati eodem Aeliano autore, cuius narratio talis fere eſt. *apud Clazomenios Suẽ alatum exortum fuiſſe auditum eſt, qui Clazomenios vaſtaret agros, quod quidem ipſum in libro de*
Alati. *Clazomeniorum finibus Artemon confirmauit, vnde illic locus decantatus, Sus alatus nominatur, id ſi*
Lib. 12. c. 38. *quod ſi cuiquam fabula videatur, non prohibeo, ego quod de animali dictum ab alijs, non ignorabã, non*
Artemõ ſcriptor. *inuitus retuli.* Hic eſt Artemon ille, qui apud Athenæum a mollitie culpatur, cuiuſq; hiſtoriæ fabularum plenæ male audiebant, obiter ex Pindaro in obſeruationibus in Athenæum Iſaacus Ca-
Lib. 12. c. 9. ſaubonus, ſed hiſtoria illa penitus iniuria temporis periit. 4. memorantur ſues cornuti, vt ex Aga-
Cornuti. tharchide proditum ab eodẽ Aeliano. Ἀγαθαρχίδης δὲ τὰς ἐν Αἰθιοπίᾳ ὗες κέρατα ἔχειν. *Agathar-*
Lib. 5. c. 27. *chides refert in Aethiopia ſues cornua habere.* & ex Dinone vetuſtiſſimo ſcriptore idem plenius de-
Lib. 17. c. 10. finiuit. λέγει δὲ Δίνων ἐν Αἰθιοπίᾳ γίνεσθαι τοὺς ὄρνιθας τοὺς μονόκερως, ὗς τετράκερως, καὶ πρόβατα ἐρίων μὲν ψιλά, τρίχας δὲ καμήλων ἔχοντα. *Dinon autor eſt gigni in Aethiopia aues vnicornes, & ſues quadricrrnes, itemq́; ouillum pecus a lana quidem inops, veruntamen pilis Camelorum hirſutum.* Et
Diaon ſcriptor. Dinonis naturalis Hiſtoria periit, vt vix aliqua ſuperſit memoria, & in Philippinis quidẽ Aſiæ inſulis etiam hodie Porcos bicornes, tricornes, quadricornes videri, ex Pigafetta Samuel Purchaſius
Sine cauda. in Itinerario ſuo teſtatur. 5. Eſt & genus Suũ in Darieni Prouincia, nõ procul ab inerti illo freto, quod Americã mediã interſecat, & Mexico a Peru ſeiungit, hi caudis carẽt, cætera noſtris ſimiles,
P. 5. cap. 11. ſed paulo ampliori corpore, vt memorat Petrus Hiſpalenſis in noui Orbis deſcriptione. 6. viſuntur & in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A & in nouo orbe Sues, quorum vngulæ in prodigiosam magnitudinem excrescant, scilicet *sesquipedali mensura.* idque in Insula *Cubagua* adnotatum ab eodem autore ibidem loci. 7. qui Americanas res diligentius sunt executi tradiderunt ibidem esse Sues, quibus vmbilicus sit in dorso, & ex Petro Martyre, Ouiedo, Iosepho Acosta describit Samuel Purchasius. *Indiarũ porci in spina dorsi vmbilicum habent, gregatim incedunt, & homines aggredi audent, quorum tali, nouaculis sunt acutiores, venatores suos venantur, & in arbores compellunt, qui desuper eos facile interficiunt dum illi mordendo trunco immorantur.* 8. memorantur porci *gramine pascentes in aqua quiescentes*, vt ex Botero in Relationibus de Brassilia liquet, *in vtroq; inquit ille, elemento viuunt. anteriores pedes ad posteriores collati, breuiores paulo videntur, vnde illi velocitatem nullam habent, ideoq; cum venatores acrius instant, aquæ se derepente committunt, vt quod a pedibus in terra præsidium sperare nequeunt, in aquis natantes consequantur.* 9. obseruatum in Guiana duas species Suum reperiri, quorum nonnulli vmbilicum in dorso habeãt maiores quidem, atque alterius generis, quam sint illi de quibus supra, licet vmbilici loco illis haudquaquam dissimiles: alii sunt nostris omnino similes, sed multo maiores, vt est in historia Guianæ Francisci Sparræi apud Hackluytum. 10. illud etiam a fide di-
B gnis refertur, in eadem Brasilia Sues esse Hermaphroditas, & non modo ambiguæ naturæ, sed subinde sexũ commutant, & ex mare fit fœmina, & vice versa, fœmina mas fit, quod Societatis Iesu literis exploratum, Iosepho scribente Anno millesimo quingentesimo sexagesimo, notauit Simon Maiolus Canicularibus diebus. 11. in eiusdem anni actis eadem literę indicatur. *Suem esse leonum colore, leporinis dentibus, molares autẽ illius dentes partim in mandibula superiore, partim palato affixos, cauda carere, cicurẽ fieri, domo ad pascua egredi, ac sponte redire, canũ more.* 12. non omiserim in Asia, & maxime in Perside *Sues agrestes esse, qui in venatores & canes spinas iaculẽtur, nec nisi ictu destinato*, vt Marcus Polus autor est, suntq; iidem *bobus nostratibus Europæis grandiores, quorũ molaris dens aliquãdo compertus est pondo quatuordecim*, si idem autor vera retulit. 13. sunt etiam *Sues & Siluestres*, de priori specie hoc loco acturi sumus, posteriorem in sequens caput reiecturi. 14. *Sues monstruosæ portentosæq; figuræ, nec minus naturæ*, in noua Hispania, in Vraba, in Portu veteri noui orbis Alumnus Ferdinandi Cortesii prodidit apud Ramusium tomo tertio, ea deniq; repetit Petrus Hispalensis, & Ouiedus in Summa, & alii, quos, tu lector, consulere potes. Hæ etiam
C *Piaculares* illi *Sues* reuocãtur, qui in prodigiorũ cõmemoratione, capite, pedibus, manibus, aut alia parte, humanis corporibus simillimi nascũtur, quorũ cura ad aruspices, & Põtifices, olim apud superstitiosos Ethnicos, pertinere credebatur, & nos infra expediemus. 15. deniq; species accidentaria a colore inducitur in Suibus, sunt enim *subflaui, cinericij, ruffi, nigri, albi*, in quibus omnibus albi fœcundissimi, ruffi esu suauissimi: sed vix hoc speciem variare potest.

Vt species Suum variæ, ita differentia eorundem notatur multiplex, sunt enim *Vitellini, Flacciani, Laureati, Frontoniani, Cæsiani, Hortulani, Tragani*, quorum conditturas exequitur fuse L. Cęlius Apicius in re Culinaria, & alii. Sunt & quędam impropria, vt *Erinaceum* vocant Itali *Porchetto.* de quibus hic non agimus.

Vngulis miris. *Lib. 8. c. 2.* *Vmbilicũ in dorso habentes.* *In terra & aqua viuentes.* *Duæ Species* *Tom. 3.* *Hermaphroditæ.* *Colloq. 7.* *Leoni, Lepori, et cani similes.* *Bobus grandiores.* *Lib. 1. c. 24* *Lib. 3. c. 35* *Cicures, & domestici.* *Monstrosæ. Cap. 19.* *Humano capite.* *Coloris varij.* *Differentia Suum.* *Lib. 8.*

AEQVIVOCA.

D MVLTA hoc nomine haud contemnẽdæ autoritatis viri significari aiunt, ante omnia pudendum muliebre denotatur. Cælius Rhodiginus. *Verum & nutrices naturam muliebrem χοῖρον idest Porcum vocabant, quod Aristophanes significat, ex quo facetissime quibusdã cõcinnatũ verbũ χοιροπωλεῖν, quod significat Porcũ vẽdere. i. capturas corpore quærere.* & Etymologici. iãpridẽ adnotauit vir indefessę industrię Vlysses Aldrouandus immortali opere de Testaceis, qui cõsulatur. γυναικεῖον αἰδοῖον quasi *muliebre pudendũ* audit apud Fauorinũ. Fons & origo vocabuli apud Suidã ex vetusto autore. Ἀκροκορινθίαν ἔοικας χοιροπωλήσειν. *Videris in Acrocorintho porcos vendituræ esse, idest fore meretrix Corinthi, vbi pudenda muliebria Porci appellãtur.* ita vertit Hierony. VVolfius, haudquaquã recte, quippe χοιροπωλεῖν Porcũ vendere est de vna singulari fœmina vsurpatũ, cui vnus tantũ sit χοῖρος, è quo quæstũ faciat, non plures, & locus est Aristophanis, qui de vno Porco vẽdito, nõ vero pluribus, necessario capiẽdus. Ne id tãtũ Græcanicæ fuisse cõsuetudinis videri possit, eadẽ vim vocis in Latino receptã sermone persuadet M. Varro in Re rustica. *nã & nostræ mulieres, maxime nutrices, naturã qua fœminæ sũt, in virginib⁹ appellãt Porcũ, & Græce χοῖρον, significãtes esse dignũ insigni nuptiarũ.* Apparet hinc nõ cuiuslibet fęminę pudendũ χοῖρον esse aut dici, sed virginis tantũ, vt iure sint ea quæ illi de Porco asseruerũt supra laudati autores, restringẽda ad purũ virginitatis florẽ. 2. *Porcus* est ẽt Piscis, siue a formæ cõsonantia, quæ inter illum & quadrupedem est, vt aliis placet, siue a carnis in edendo conformitate, quod alii asseruerunt, & de eo paulo altius repetam: non in mari modo, sed

Lib. 25. c. 26. *Pudendam muliebre.* *Lib. 3. c. 82.* *VVolfii error.* *Lib. 2. c. 4.* *Piscis Porcus quis?*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Lib.12.c.23. & aquis dulcibus alitur, nam inter Danubii piſces χοῖροι *Porci* numerantur ab Aeliano hiſtoria na- E
turali: illud ſane longe admiratione dignius de eo exiſtimo *eſſe loquacem & habere vocis vſurã.* Vt
Natura loquax. ex Philoſopho obſeruat Gilbertus Cagnatus Annotationib in Lucianum. Hoc tamen negauit vir
doctus ſuis in Oppianum obſeruationibus, & diſſerui plene ad illud Claudiani lib. 2. in Ruffinum.

Piſces muti.

Qui iuſto plus eſſe loquax, arcanaq́ ſueuit
Prodere, piſcoſas fertur victurus in vndas
Vt nimiam penſent æterna ſilentia vocem.

Lib.2.c.18. Certe illa vera eſt ſententia Artemidori in Oneirocriticis. ἡ γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα, ἰχθὺν εἰ ὑπολά-
βοι τεκεῖν, ὡς μὲν οἱ παλαιοὶ λέγουσιν, ἄφωνον γεννήσει. *ſi mulier prægnans piſcem ſe parere ſomniet, iux-
ta veterum ſententiam, mutum pariet*, etſi verum ſit ordinaria naturæ conſtitutiones *piſces eſſe mu-
In Arcaditis. tos* tamen piſcis ποίκιλος *varie notatus tergo* vocalis eſt, licet negare id Pauſanias videatur, ratio
certa apud Ariſt. in Hiſtor. Animal ἰχθύες ἄφωνοι μὲν εἰσιν, οὔτε γὰρ πνεύμονα, οὔτε ἀρτηρίαν, καὶ φά-
Lib.4.c.9. ρυγγα ἔχουσι. *piſces ſint vocis expertes, quippe qui neq́ arteriam, neq́ pulmonem, aut guttur obtineãt.*
ſubdit deinde exempla quorundã piſcium, qui quod querulum aliquem ſonum edant, vocis vſurã F
habere ideo dicantur, & de Delphino ipſe noſter Aldrouandus: atq; idẽ erit de piſce Porco, cuius
Lib.1.de Gentis c.7. natura deſcripta non incongrue ab Iſidoro Hiſpalenſi. *Porci marini, qui vulgo vocantur Suilli, qui
Lib. 12. c.6. Etymol. dum eſcam quærunt, more Suis, ſub aquis fodiunt, circa guttur enim habent oris officium, & niſi ro-
ſtrum arenis immergant, paſtum non colligunt.* C. Plinii ſententia his verbis continetur, ex Apione,
Lib.32.c.2. cuius opera penitus perierunt. *Apion maximum piſcium eſſe tradit Porcũ, quem Lacedemonij Orthra-
goriſcum vocãt, grunnire eum cum capiatur.* neſcio quomodo hæc cũ Aeliani verbis ſupra laudatis
Diſſidium Plinij & Aeliani. conuenient, ille fluuiatilẽ piſcẽ, & in Danubio capi, iſte piſciũ maximũ facit, qui certe non videtur
in fluuio alendus, accurate diſputat Rondeletius, qui conſulatur. Nec vt Porcus terreſtris tantũ ro-
Lib.15.c.7. ſtro arenas fodit, grunnit cum capitur, ſed Aprorum inſtar ſetis toto dorſo horreſcit eodem Plinio
Lib.32.c.5. narrante. *Inter venena piſcium ſunt Porci marini ſpinæ in dorſo, cruciatu magno læſorum, remedium
eſt limus ex reliquo piſcium eorum corpore.* ſed vt maior oſtendatur ſimilitudo, traditur Strabone
autore *Thynnos* dici poſſe *Sues marinos* qui glãde ad littus deciduo veſcantur, & impingueſcãt. Eſt
& *Porcus Niloticus*, ſeu ποτάμιος χοῖρος *fluuialis ſus*, de quo ex Strabone, & aliis accurate diſputat
noſter Aldrouandus, nec indiligens eſt Geſnerus: & diſtinctius Iulius Cęſar Scaliger, qui Delphi- G
Lib.4. de piſcib.c.8. norum quãdam ſpeciem ait eſſe, quam *Marſupas minores vocent aut Marſuinos quaſi maris Sues*,
Lib.7.pagin.326. meminit Epicharmus in Nuptiis Hebes apud Athenæum.

ὕες, ὑαινίδες βούγλωσσοί τε καὶ κίθαρος ἐνῆς.
Sues, Hyænides, Soleæ, ac Citharus,

Et eodem in loco ipſe Epicharmus.

χαλκίδες τε ὕες τε ἱερακές τε χ᾽ ὤπιων κώων.
Chalcides, Sues, Milui, ac pinguis Canis,

Sordidus, luxurioſus, indoctus. 3. *Porcus* eſt homo gulæ deditus, ac ſaginæ, illiteratus, ſordidus, quique porcinæ quam humanæ
conditioni ſit proximior, Suidas βοῦς ἕβδομος *Bos ſeptimus de hominibus ſtupidis, erat enim porcus
ex farina* Idem βοιωτία ὗς. *Bæotius Sus de ſtupidis & indoctis.* & alias notum eſt Bæotos ſtupidita-
tis & ignauiæ argui ſolere ex tritiſſimo Horatii & Ciceronis conuitio. denuo Suidas τοῖς ἱπποκρά-
τους ὕεσιν ἔξεις. *Hippocratis filijs ſimilis eris teq́ vocabunt Blitomammam. hi deridebantur vt Suilli, &* H
Act.1.Sc.1. *indocti, & Capitones.* ita capienda mens feſtiuiſſimi Plauti in Moſtellaria.

Dijq́ omnes perdant, oboluiſti allium,
Germana illuuies, ruſticus hircus, hara Suis,

Li.1.Epiſt.4 Q. Horatii notus eſt de ſe ipſo verſus.

Cum ridere voles Epicuri de grege Porcum,

Iulii Cæſaris Scaligeri eſt lepidum epigramma,

Rogabat in conuiuio ſatis claro
Vbi ſederent nobiles magiſtratus
Ciſtertiorum floſculus Monotarum
Potiſſimum quæ a carnibus probaretur,
Nihil alios moratus vt decet fortem,
Statim Picatus dixit eſſe Porcinam:
Tum Præſul, ergo quid lepuſculis fiet,
Perdici, & Attagenæ, Phaſianoq́?
Hic ille nare bis terq́ permuncta,
Hoc, quod gerebat, vnctiore mantili,
Ceruice fluxa, pendulum librens mentum,
Suo canora labra more diſplodens;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Istas alendo ineptiusculas, dixit,
Illam similimam esse carnis humanę:
Macte, inquit ille, vera si canit vates
Vester Galenus, de Canopicis scribens,
Vocans Asellos a cibis asellinis,
Non lędet is, qui vos vocauerit Porcos.

Plura infra hoc ipso tractatu, vbi Denominata, & ardor in Venerem expedientur. 4. Porca in re rustica verbum est vsitatissimum, de cuius significatione haud æque inter scriptores conuenit. Festus Pompeius definiuit ex Varrone. *quę inter duos sulcos sunt.* Idem alibi. *Imporcitor qui Porcas in agro facit arando, Porca autem est inter duos sulcos terra eminens.* Festi corruptor Paulus. *Porcę in agris sunt dictę, quod porcant, idest prohibeant aquam frumentis nocere, nam crebriores sulci lumi solent vocari.* Nonius Marcellus. *Porcę quam significationem habeant, Varro designat lib. 1. de re rustica cap. 29. qua aratrum vomere lacunam Istriam facit, sulcus vocatur, quod inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quod ea seges frumentum porrigit.* ac deinde paucis interiectis subiungit. B *Porcę sunt signa sulcorum, quę vltra se iaci semina prohibent, porcere enim prohibere sępius legimus.* Accius Parergorum libro primo.

In Re Rustica.
Lib. 14.
Lib. 9.
Cap. 1. num. 305.

Bene proscissas cossigerare ordine porcas
Bidentes ferro tectas deruere.

Pacuuius Atalanta.

Magnate, vt verear eloqui, porcet pudor.

Ennius Telamone.

Dum me sentit facere Pietas, ciuium porcet pudor.

Varro Maino.

Hunc Cereris ministra frugibus suis porcet.

Lucelius lib. 6.

Non te porro procedere porcent.

Hinc mendam eluo ab Vlpiani Iurisconsulti textu, qui ex Sabino & Cassio ita ait. *sulcos tamē aquarios, quę Gręce Gincelicę appellantur, si quis faciat, aquę pluuię arcendę actione eum teneri* ait. C Legendum est, *Elicę aut Helicę appellantur*, Græci ἕλικας, aut ἕλικας vocant. Dubius est, & variæ lectionis eiusdem Vlpiani locus. *Vicinus loci superioris pratum ita arabat, vt per sulcos, itemque portas, aqua ad inferiorem veniret.* glossographorum mira inscitia est, *portas* interpretantium, *quę portant aquam ad fundum inferiorem*, cum sit legendum *porcas*. Festus Pompeius. *Elices sulci aquarij, per quos aqua collecta educitur e liris.* Et alibi idem Grammaticus. *Iucillę, fossę, quę in vijs fiunt, ad deducendam aquam, siue deriuationes de riuo communi factę.* Et eodem libro. *Inlices, canales, in quos aqua confluit in vijs lapide stratis ab eliciendo dicti.* inde vox antiquis vsitata *inlicitores*, & *elicatores* glossæ Philoxeni. *elicatores* ὑδροσκόποι. redeo ad porcam. Isidorus Hispalensis. *porcam* definit, *quę in arando extat, quod vero defossum est, liram dici.* glossæ Latino Græce *porca* τὸ μεταξὺ τῶν αὐλακῶν ὕψος, *quod in sulcorum medio altissimum.* Sic explicatur non intellectus Claudiani locus.

Vlpian' correctus. l. 1. ff. de aq & aq. plu.
Vlpiani varia lectio l. 24. ff. eod.
Glossographi reprehensi.
Lib. 5.
Lib. 9.
Lib. 15. c. 9.
Lib. 1. in Eutrop.

——— *Qualis sitientibus aruis*
Arida ieiunę seges interlucet aristę.

6. *Suculam* appellant *machinam Tractoriam*, a forma, vt puto, quod ea Suis rostrum referat, D sic *Equus, Aries*, & alia, apud Poliorceticos, instrumenta sunt oppugnandis præsidijs. fuse Adrianus Turnebus in Aduersarijs. forma eius talis est, plura ligna rotunda vectibus traiectis, vtrinque pari longitudine extantibus, quæ dum versantur, funis ductarius circa eos retorquetur: Galli, teste Gulielmo Budæo, vocant *Turnum*, quod dum pōdera attrahat, circumagatur nostrates *Gruem* a colli longitudine, appellant, de quo qui plura cupis, consule Pollionem Vitruuium in Architectonice. & meminit Polybius, & Cassiodorus, qui non sunt ad manum, & non tam ad res bellicas pertinet, quam ad rusticas, vt colligo ex Neratio Iureconsulto apud Vlpianum. *quod si regulis olea premant, & pręlum, & suculam, & regulas, & tympanum, & trocleas, quibus releuatur pręlum, dominum prestare oportere.* in melioris fidei codicibus, est, *olea prematur*, quod obseruasse comperi viros doctissimos Spiegelium, Brissonium, & nouissime Caluinum.

Machina Tractoria.
Lib. 23. c. 30.
Lib. 10. c. 4. et Cap. 5.
L. 20. ff. loca.
In Lexico Iuris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

COITVS, PARTVS, fœtuum numerus, electio, vox.

Lib. 8. c. 51. Tempus. Aetas. *Fœtuum numerus.* Coitus. Abortio. *Senũ coitus.* *Lib. 2. c. 4.* Tempus partus. *Luto gaudẽt dum coeunt.* Mas fœminã vi genitura præuenit. *Fœtus proprios deuorat, & homines.* *Lib. 10. c. 16.* *Lib 2. c. 1.* *Genitale.* *Aetas.* *Lib. 5. c. 14.* *Plinius Aristotelem trã scribit.* *Lib. 6. c. 18.* *Pluralitas fœtuum.* *Apria.* *Metachær°.* *Primo ortus porcus.* *Aures flaccidæ.* *Tempus mẽsis quo coitus.* *Lib. de Iside & Osiride.* *Caſtitas poſt cõceptum fœtum.* *Pag. 990.*

AD naturam introſpiciendam accedo. ac de admiſſura quidem recte Plinius, & fuſe. *Suilli pecoris admiſſura a Fauonio ad æquinoctium vernum, ætatis octauo menſe, quibuſdam in locis etiam quarto, vſque ad ſeptimum annum, in alijs erat, ad octauũ annum, partus bis anno, tempus vtero quatuor menſium: numerus fœcunditati ad vicenos, ſed educare tam multos nequeunt: Diebus decem circa brumam ſtatim dentatos naſci Nigidius tradit, implentur vno coitu, qui & geminatur propter facilitatem abortiendi, remedium ne prima ſubatione, neque ante flaccidas aures coitus fiat, mares non vltra trimatum generant, fœminæ ſenectute feſſæ, cubantes coeunt, comeſſe fœtus his, non eſt prodigium.* Explicatior M. Varro in re ruſtica. *ad fœturam Verres duobus menſibus ante ſecernendi, optimum ad* E *admiſſuram tempus a Fauonio ad æquinoctium vernum, ita enim contingit, vt æſtate pariat, quatuor enim menſes eſt prægnans, & tunc parit, cum pabulo abundat terra, neque minores admittendæ, quam anniculæ*, contra Plinium, qui ſeptimo aut octauo menſe admitti ſolere aſſeruit. *melius viginti menſes expectare, vt bimæ pariant, cum cæperunt, id facere recte dicuntur vſque ad ſeptimum annum, admiſſuras cum faciunt, prodigunt in lutoſos limites ac luſtra, vt volutentur in luto, quæ eſt illorum requies, vt lauatio hominis, cum omnes conceperunt, rurſus ſegregant Verres*, hæc omiſit Plinius, vti & id, quod ſequitur. *Verris octo menſium incipit ſalire, permanet vt id recte facere poſſit, ad primum, deinde it retro, donec perueniat ad lanium.* quod Varro omiſit, & Plinius aſſeuerauit Suem tam impatienter famem ferre, vt proprium fœtum abſumat, alio cibo deficiente, veriſſimum eſt & experientia, & veterum teſtimonio. Claud. Ælianus. *Suillum pecus explendo abdomini tãtopere deditum eſt, vt ne proprijs quidem fœtibus ſuis parcat, neque helluationem ſuam ab humano corpore abſtineat, quæ cauſa eſt, cur huiuſmodi animal impurum, deteſtabile, & voraciſſimum, apud Aegyptios ſummo odio habeatur.* pergo porro, & naturam inueſtigo. Ariſtoteles in Hiſtoria Animalium. *Sub fœmina* G *genitale ea continet parte, qua pecoris vbera habentur, & cum per libidinem turget ac prurit ad coitum, ſurſum tantiſper hoc retrahit, vertitque foras, vt inde mari facilior ſit coitus, reſciſſum id longe, productius, & dehiſcens amplius eſt.* Et de ætate verris ac ſcrofæ, qua generare, concipere, ac parere ſolent eodem illo opere philoſophus. *Sues tum mares, tum fœminæ coire incipiunt menſe octauo ætatis ſuæ, quamquam mas, antequam ſit anniculus, prolem generat vitioſam, fœmina anniculа pariat, ſic enim tempus gerendi vteri exigit, ſed non omnibus locis eadem ætatis ratio eſt, vt dixi, iamenim Sues, nonnuſquam tam mares, quam fœminæ, quarto coeunt menſe, ſexto tamen ita, vt & progenerare & educare poſſint.* Diligentius eodem opere executus eſt ea quæ ex illo Plinius antea tranſcripſerat, ita ergo eo loco. *Sues cicures vterum ferunt menſes quatuor, numerus partuum, plurimũ ad vicenos, ſi tamen multos pepererint, educare omnes non queunt, ſeneſcentes etiam pariunt quidem ſimili modo, ſed tardius coeunt, implentur vno coitu, ſæpius tamen ſuperuentum patiuntur, ea cauſa, quod poſt coitum humorem, quod nonnulli Apriam appellant, emittunt, quod quidem commune omnibus incidit, ſed aliquæ vna cum hoc, ſemen etiam admiſſum eijciunt: fœtus, qui in vtero læſus minutuſque fuerit, Metachœrum dicitur, quaſi Poſthumum voces, quod in parte qualibet vuluæ accidere po-* H *teſt. cum ſcrofa peperit, primam mammam porco, qui primus natus eſt, præbet. Cauendum, ne prima ſubatione, ante auras flaccidas, coitus fiat, fruſtra etenim fuerit, at ſi plena iam auiditate, & deſiderio libidinis turgido admiſſura fiat, vnus, vt modo dixi, initus ſatis ſit.* Hæc ita ſe habent, at de tempore menſis, quo illi admiſſuram auidius expetunt, ex Aegyptiorum arcanis rationibus quippiam diuerſum adfert Plutarchus. ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ὗν ἀνίερον ζῷον ἡγοῦνται, ὡς μάλιστα γὰρ ὀχεύεσθαι δοκεῖ τῆς σελήνης, φθινούσης, καὶ τῶν τὸ γάλα πινόντων ἐξανθεῖ τὰ σώματα λέπραν καὶ ψωρικὰς τραχύτητας. *Suem quoque alienum a ſacris animal cenſent, quod maxime coeat luna decreſcente, & lacteus bibentium corporibus, lepram, aſperamque ſcabiem afferat.* Miram continentiam, & caſtimoniæ prærogatiuam expreſſit in ſuo ſexu & genere, apud eundem autorem Gryllus ille Circæus. *non hic, vt inter homines, fœminæ ſimulatione recuſationis ludunt, aut libidini fraudes, præſtigias, denegationeſque prætexere ſolent, neque mares ſtimulo & luxuria agitati, mercede, labore, atque obſequijs coitum redimunt, ſed doli expertem, & ſine mercede tempeſtiuam ſectamur venerem, quæ ſtato anni tempore, cupiditatem animalium, velut germen quoddam excitans, illico reſtinguit:* addit deinde, quod Varroni videtur pugnare, qui Verres a cõceptu fetu ſeparandos cenſuit, ne iterum coirent. ὅυτε τȣ̃ θήλεως

A λεως προσιεμένον μετὰ τὴν κύησιν, οὔτε πειρῶντος ἔτι τοῦ ἄῤῥενος. *neque femella marem a conceptu admittente, neque aggrediente mare.* Hoc sane verum in omnibus omnino brutis, plerique veterum affirmauere. hinc scitum est apophthegma *Populiæ M. filiæ, quæ miranti cuidam, quid esset, quapropter aliæ bestiæ nunquam marem desiderarent, nisi cum prægnantes fieri vellent*, verba sunt Aurelij Macrobij, *respondit, bestiæ enim sunt.*

Bruta grauida coitũ non cupiunt.
Lib. 2. c. 11.

De fætus multiplicitate, ac numero, varie autores disseruerunt, vsque ad vicenos procedere solere Plinius ex Aristotele supra laudatus indicauit, ego vsque ad triginta progressos docebo infra, vbi de Augurijs. Tantæ fæcunditatis rationem ex Democrito reddit Aelianus. *Cur Sus & Canis sint tam fæcundæ, & multiparæ, Democritus causam adfert, quod multiplicem vuluam, & seminis sellas receptatrices multas habeant, eas omnes semen non vno initu implet, sed iterum, & sæpius illæ proseminantur, vt frequentia seminis receptacula impleantur.* Sic coit, concipit, parit, educat suos fœtus Sus, sequitur vt de ratione pecus hoc eligendi dicatur. M. Varro in re rustica. *qui suum gregem habere vult idoneum, eligere oportet primum bona ætate, secundo bona forma, ea est cum amplitudine mẽbrorum, præterquam pedibus, capite, vnicoloris verius quam varij, cum hæc eadem vt habeant verres,*
B *videndum, tam vtique sint ceruicibus amplis, boni seminis. Sues animaduertuntur a facie, a progenie, a regione cæli, a facie, si formosi sint verres, & scrofa, a progenie, si porcos multos pariunt, a regione, si potius ex his locis, vbi nascuntur, amplas, quam exiles pararis. Emi solent sic, illasce sues bonas esse, habereque recte licere, noxisque præstare, neque de pecore morboso esse, spondesue? quid aut adijciunt perfunctos esse a febri, & a foria.* Hanc stipulationem in omnium animalium emptionibus, atque adeo seruorũ distractionibus solemnem fuisse nemo ignorat, stipulabantur enim venditores mancipia & sana esse, nec fugitiua. vt l. 32. ff. de euiction. & l. 4. ff. de ædil. edicto. Marculfus in formulis, & dixi ad illud Claudiani.

Causa fæcunditatis.
Lib. 12. c. 16.
Electio.
Lib. 2. c 4.
Color.
Descriptio.
Ceruix.
Facies.
Progenies.
Regio.
Forma ĩ emptione, & stipulatio.
Lib. 2. c. 22.

> —— *Medicum dum consulit emptor.*
> *Ne qua per occultum lateat iactura dolorem.*

Lib. 1. in Eutrop.

Conformia his apud Moderatum Columellam. *In omni genere quadrupedum species maris diligenter eligitur, quoniam frequenter patri similior est progenies, quam matri. quare etiam in suillo pecore probandi sunt totius quidam corporis amplitudine eximij, & qui quadrati potius, quam qui longi, aut rotundi sunt, ventre promisso, clunibus vastis, nec proinde cruribus aut vngulis proceris:*
C *amplæ & glandulosæ ceruicis, rostris breuibus & resupinis, maximeque quod ad rem pertinet, mares oportet esse quam salacissimos, qui & ab annicula ætate commode progenerant, dum quadrimatum agant, possunt tamẽ etiam semestres implere fœminam. Scrofæ probantur longissimi status, & vt sint reliquis membris similes descriptis verribus. si regio frigida & pruinosa est, quam durissimæ densæque & nigræ setæ gres eligendus est, si temperata atque aprica, glabrum pecus, vel etiam pistrinale album potest pasci. fœmina sus habetur ad partus edendos idonea fere vsque in annos septem, quæ quanto fœcundior est, celerius senescit. Annicula non improbe concipit, sed iniri debet mense Februario, quatuor quoque mensibus fœta, quinto parere, cum iam herbæ solidiores sunt, vt & firma lactis maturitas porcis contingat, & cum desierant vberius ali, stipula pascantur, cæterisque leguminum caducis frugibus*, quæ totidem pæne verbis, licet arctiore stilo, transcripsit Palladius Aemilianus. addit non insalubre consilium. *Vbi facultas est transigendi, venditis, qui subinde nati sunt, celerior matribus fœtura reparatur.* Deinde commode sex a matre nutriri posse, plures non posse, quam octo, *ne exsucta deficiat.*

Lib. 7. c 9.
Quadrati.
Venter.
Clunes.
Crura.
Vngulæ.
Ceruix.
Rostra.
Aetas.
Scrofa.
Setæ.
Menses conceptionis, & partus.
Cibus porcellorum.
Palladi' Columellæ trãscriptor.

Vocem etsi aliquibus porcis negatam superius indicaui, tamen communior sententia attribuit, id κοίζειν Græci, Latini *grumire* vocant, Iuuenale Satyra decimaquinta, & alijs autoribus. accedit
D Aelius Spartianus *familiare fuit illi, has quæstiones Grammaticis proponere, vt dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi seuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudiunt, tauri mugiunt.* Dicit se Isaacus Casaubonus locum hunc illustrasse in Diatriba de vocibus animalium, quo opere se opes Græcæ linguæ cum Latinæ paupertate comparauit, sed nihil in eo genere ab illo editum. Nonius Marcellus. *grunnire dicuntur Porci, quod eorum proprium vocis est.* Cicero Tusculanarum lib. 5. *aut grunnitum, cum iugulatur Sus.* Varro Aboriginibus περὶ ἀνθρώπων φύσεως. *de hominum Natura. grunnit tepido lacte satur, mola mactatur porcus.* Laberius Sedigito.

Februar. c. 26.
Grunnire.
κοίζειν.
Aristophan. Acharnæus. Act. 3. Sc. 3.
In Geta.
Cap. 2. num. 356.

> *Grunnientem aspexi scrofam.*

Ouidius aut quilibet alius Incertus Poeta in Elogia de Philomela

> *Sordida sub pascens ruris per gramina grunnit.*

Illud non omiserim vocem Porcorum *Gry* vocari. autor est Ioannes Tzetzes

Chilia. 4. c. 7

> Τὸ γρὺ ῥύπος τοῦ ὄνυχος, καὶ ἡ φωνὴ τοῦ χοίρου,
> καὶ γρυτὴ δὲ σευαρία μικρὰ τῶν ὀστρακίνων
> Τὸ γρὺ γοῦν τὸ σμικρότατον ἅπαν σημαίνειν θέλει.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Gry vox porci.

Gry ſordes vnguis, atque vox porci,
Et Gryte vaſcula pura ex teſtis,
Gry igitur minimum omne ſignificare vult.

Quod vocem humanam percipiant, & maxime paſtorum ſuorum Sues, & quænam ſit ea vox, quam agnoſcant, & ſequantur, cui reſpondeant, in ſequentibus fuſe aperiam.

PASTVS, CIBVS, ſaginandi modus.

Locus paſcendi. Lib.2.c.4. Paluſtris. Lib.7.c.9. Montes. Campi. Silua.

PORCVM ſic conceptum, vtero geſtatum, natum, & electum conſequens eſt vt a
matris vbere diſtractum nutriamus: id vt fiat, duo conſideranda, locus, & cibi qua
litas; ac de loco quidem M. Varro in re ruſtica. *In paſtu locus huic pecori, porco, ap-* F
tus vliginoſus, quod delectatur non ſolum aqua, ſed etiam luto: itaque ob eam rema-
iunt lupos, cum ſint nacti ſues, trahere vſque ad aquam; quod dentes feruorem carnis
ferre neque ant. latius in præcepto illo Iunius Columella excurrit. *Omnem porroſi-*
tum ruris pecus hoc, porcus, *vſurpat; nam & montibus & campis commode paſcitur, melius tamen pa-*
luſtribus agris, quam ſitientibus, nemora ſunt conuenientiſſima, quę veſtiuntur quercu, ſubere, fago,
cerris, ilicibus, oleaſtris, tamaricibus, corylis, pomiferiſque ſilueſtribus, vt ſunt ſpinę albę, grecę ſili-
quę, Iuniperus, lotos, pinus, cornus, arbutus, prunus, & paliurus, atque Achrades pyri, hęc enim diuer
ſis temporibus miteſcunt, ac pęne toto anno gregem ſaturant: at vbi penuria eſt arborum, terrenum
pabulum conſectabimur, & ſicco limoſum prę feremus, vt paludem rimentur, effodiantque lumbricos,
atq; in luto volutentur, quod huic pecori eſt gratiſſimum: quin etiam vt aquis abuti poſſint, namq; &
id feciſſe maxime per ęſtatem profuit, & dulces eruiſſe radiculas aquatilis ſiluę, tanquam ſcirpi iunci-
que, degeneriſq; arundinis, quam vulgus cannam vocat: nam quidem cultus ager opimos reddit Sues,
cum eſt graminoſus, & pluribus generibus pomorum conſitus, vt per diuerſa anni tempora, mala, pru- G
Cap.26. *na, pyra, multiformes nuces, ac ficum prębeat.* Eadem verbis nonnihil mutatis Palladius Taurus re-
tulit in Februario. *genus hoc,* porci, *in omnibus locis haberi poteſt, melius tamen agris paluſtribus,*
Loca graminoſa. *quam ſiccis, præcipue ubi arborum fructuoſarum ſilua ſuppetit, quæ ſubinde maturis frugibus alterna*
per annum mutatione ſuccurrat, maxime locis graminoſis, & cannarum uel iunci radice nutriuntur.
Cibus. Hæc de loco abunde ſint dicta, ſequitur victus ipſe, aut cibus, qui mirum quam varius, C. Plinius
Lib.10.c.73. vix ſibi ſatisfacit, quædam eius loca adſcribam, *e biſulcis Sues omni cibatu, & radicibus aluntur.*
Lib.13.c.18 & de loti radice agens alibi. *nec aliunde magis, quam purgamentis eius Sues craſſeſcunt.* at cũ glan-
Loti radix. dibus frequentius, quam vllo alio cibo veſcatur, videndum ex eodem autore, quo glandium gene
Glandes. re maxime capiantur, & an ex omnibus æqualiter comeſtis eadem caro generetur. ſic ergo. *glans*
Lib.16.c.6. *fagea Suem hilarem facit, carnem coctibilem, ac leuem, & vtilem ſtomacho, iligna, ſuem anguſtam,*
Fagea. *nitidam, ſtrigoſam, ponderoſam, querna diffuſam & grauiſſimam. & ipſa glandium dulciſſima, proxi-*
Quernea. *mam huic Cerream tradit Nigidius, nec ex alia ſordidiorem carnem, nec duram, Iligna tentari Sues,*
Cerrea. *niſi paulatim detur, hanc nouiſſimam caderę: fungoſam carnem fieri Eſculo, robore, ſubere. quæ glan-*
Iligna. *dem ferunt omnes & gallam, alterniſque annis glandem.* hæc ſunt glandium genera præcipua, qui- H
Eſculea. bus caro diuerſiſſima generatur, & infra diffuſe exquiram. nec hic omittam Salamandram impu-
Suberea. ne nec arbori increpere, ſed poma omnia veneno inficere, & edentes necare, *& tamen tanta vis ve-*
Roborea. *neni a Suibus manditur, domante eadem illa rerum diſſidentia.* ait idem Plinius. alios percurro au-
Salamãdra. tores, qui obuia quæque de Suum cibis ſubminiſtrant. Palladius Rutilius in re ruſtica in Febrŭa-
Lib.28.c.4. rio. *deficientibus alimentis per hiemem, nonnunquam prębenda ſunt pabula glandis, caſtaneæ, vel ſfru-*
Cap.26. *gum vilia excrementa cæterarum.* apertius Modeſtus Columella. *Nec tamen propter hæc parcetur*
Hiemalis cibus. *horreis, nam ſæpe de manu dandum eſt, cum foris deficit pabulum, propter quod plurima glans vel ci-*
Lib.7.c.9. *ſternis in aquam, vel fumo tabulatis recondenda eſt. fabæ quoque & ſimilium leguminum, cum vilitas*
Vt recondatur. *permittit, facienda eſt poteſtas, & vtique vere, dum adhuc lactant. viridiæ pabula plerunque nocent,*
Faba. *itaque mane priuſquam procedant in paſcua, condititiis cibis ſuſtinendæ ſunt, ne immaturis herbis*
Quæ noceãt? *cictur aluus, eoque vitio pecus emacietur.* ſed & Varro in re ruſtica idem ante illos præſcripſerat.
Lib.2.c.4. *hoc pecus,* porcus, *alitur maxime glande, deinde faba, hordeo, & cætero frumento, quæ res non modo pin*
Hordeum. *guetudinem efficiunt, ſed etiam carnis iucundum ſaporem. Paſtum exigunt æſtate mane & antequam*
Glandes homini & porco cõmunes. *æſtus incipiat, ſubigunt in vmbroſum locum, maxime vbi aqua ſit, poſt meridiem rurſus lenito feruore*
paſcunt, hiberno tempore non prius exigunt paſtum, quam pruina euanuit, ac colliquefacta eſt glacies.
Lib.7.c.56. Glandibus autem non Sues modo, ſed & homines antiquitus veſcebantur C. Plinius. *inuenit fru-*
menta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *menta Ceres, cum antea glande vescerentur.* & alibi cum stomacho. *summumq; munus homini datū arbores siluestres intelligebantur, hinc primum alimentum* & multa apud Theophrastum in historia Plantarum, qui, quia non est ad manum, consulatur. Vetus Scholiastes Iuuenalis. *quia antea, fraga & glandem homines comedebāt.* Arnobius *sit pauis ex farre, aut, vt secula imitemur antiqua, ex calido cinere glandes.* L. Apuleius Millesiis. *Vetustæ glandis ferino remoto pabulo.* Suidas perite in voce βάλανοι. *glandes palmarum, quales apud Græcos cernuntur, pro seruis reponebantur, quæ vero ipsis dominis asseruabantur, erant selectæ, & vinum bibebant de glande palmæ.* Seruius Maurus Honoratus *in Chaonia Epirotica abundant glandes, quibus antea homines vescebantur.* Vnde ad veteris vitæ parcimoniam, aut verius siluestrem cultum cum lautitia mutatum, significandam, Puer quidā in Nuptiis Athænis solebat inclamare ἔφυγον κακὸν εὗρον ἄμεινον *fugi peius, inueni melius*, quod tractum ab Arcadibus persuadet vetus Oraculum apud Herodotum. Lib. 12. præfat. Lib. 3. c. 9. Ad Sat. 14. V 187. Lib. 2. Lib. 11. prin. Vinū ex glāde. Ad lib. 1. Georg. Lib. 1.

> Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν.
> *Multi in Arcadia glandiuori viri sunt.*

B Sic Poetæ intelligendi. Sulpitia Poetria in Satyra

> *Glandibus, & puræ rursus concumbere lymphæ.*

Festus Auienus ad Theodosium Aug. In Descript. Ter.

> *Coniugibus natisq; simul cibus aspera glando.*

Archæus vetus poeta apud Artemidorum in Oneirocriticis. Valerius Flaccus in Argonautic. Lib. 2. c. 25. Lib. 1.

> —— *Flaua quercum damnauit arista.*

P. Ouidius in Amoribus. Lib. 3. eleg. 9.

> *Sed cibum glandes oracula prima ferebant,*
> *Hæc cibus.*

Cl. Claudianus de Raptu Proserpinæ. Lib. 3.

> *Quid nomen traxisse polo? quid profuit altum*
> *Erexisse caput? pecudum si more pererrent*
> *Auia? si frangant communia pabula glandes?*

Ioannes Meursius plura ad lycophronem. viri docti ad Q. Horatium. Aelias Vinetus ad D. Ausonii Monosyllaba. Pag. 313. Lib. 1. Sat. 3.

C

> *Olim communis pecori cibus, atque homini glans.*

Sidon. Apollinaris Carmin. 9. & alii. Scio apud I. C. *glandis nomine omnes fructus contineri*, vt definitum a Caio. atq; ita *actio duodecim Tabularum* intelligitur. vt est in Vlpiani textu apud imperatorem. ad Porcos redeo, qui glande pinguiores fiebant, ut hæc probant loca. Virg. li. 2. Geor. Quilibet fructus. L. 236 ff. de verb. signifi. L. vn. C. de glande leg.

> —— *Glandemq; Sues fregere sub vlmis.*

Et eodem libro ad finem.

> *Glande Sues redeunt læti.*

Homerus, & ad eum in Odyssæa locū Didymus Grammaticus, & Eustathius Archiepiscopus. Li. 13. V. 404

> Δήεις δέ γε συέσσι παρήμενον, αἱ δὲ νέμονται
> Παρ' κόρακος πέτρῃ, ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ
> ἔσθουσαι βάλανον μενοεικέα, καὶ μέλαν ὕδωρ
> Πίνουσαι, τά θ' ὕεσσι τρέφει τεθαλυῖαν ἀλοιφήν.
> *Inuenies illic suibus assidentem, hæ autem pascunt*
> *Apud Coracis petram, ad fontem Arethusam,*
> *Comedentes glandem gratam, & nigram aquam*
> *Bibentes, quæ Suibus nutriunt florentem pinguedinem.*

Glande pinguescunt.

D Præter laudatos cibos, erant alii, præsertim frugum quarumlibet retrimenta, aut purgamenta, vnde Paræmia vetus *Porcum colluuiarem* appellauit. Festus Pompeius. *Colluuiaris porcus dicitur, qui cibo permixto, & colluuione nutritur.* Erant denique & furfures in cibis Suum frequentes. Vnde Plautus in Captiuis lepido scommate. Colluuiaris Porcus. Furfures. Act. 4. Sc. 2.

> *Tum pistores scrophipasci, qui alunt furfuri Sues,*
> *Quarum odore præterire nemo pistrinum potest,*
> *Eorum si quoiusquam scrofam in publico conspexero*
> *Ex ipsis dominis, meis pugnis, exculcabo furfures.*

De sagina agendum, sed paucis; locus insignis est Aristotelis in historia Animalium. τὰ δὲ κερατώδη τῶν ζώων, καὶ ἥμερα καὶ ἄγρια, καὶ ὅσα μὴ καρχαρόδοντα, πάντα καρποφάγα, καὶ ποηφάγα ἐστὶ, μὴ λίαν κατεχόμενα τῷ πεινῆν, ἔξω τῆς ὕος, αὕτη δὲ ἥκιστα ποηφάγον καὶ καρποφάγον ἐστὶ ῥιζοφάγον δὲ μάλιστα ἡ ὗς ἐστὶ, τῶν ζώων, διὰ τὸ εὖ πεφυκέναι τὸ ῥύγχος πρὸς τὴν ἐργασίαν ταύτην, καὶ εὐχερέστατον πρὸς πᾶσαν τροφὴν τῶν ζώων ἐστὶ· τάχιστα δὲ καὶ ἐπιδίδωσιν εἰς παχύτητα, ὡς κατὰ μέγεθος, παί- Sagina. Lib. 8. c. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

νεται γὰρ ἐν ἑξήκοντα ἡμέραις. Latine ſic ſonant. *Cornigera animalia tam fera quam vrbana, & qui-* E
Radices edit. *bus dentes ſerrati non ſunt, omnia fruge herbaq́; veſcuntur, niſi vehemẽter eſuriant, excepto ſue, qui*
minime herbæ frugumq́; appetens eſt, ſed radicum maxime ex omnibus animalibus, quoniam rictu ap-
tiſſimo ad id negotij eſt, facillime etiam omnium idem hoc animal ad quoduis pabulum aſſueſcit, & ce-
lerrime quoq́; in pinguedinem proficit, pro ſui corporis magnitudine: ſexaginta enim diebus pingueſcit.
Explicat in ſequentibus deinde, varios ritus in porco ſaginando, & cibos, Latina apponam, quia
Græca egregie expreſſerunt. *Pingueſcit fame præfatigatus triduo, & cætera quoq́; omnia fere melius*
Potus. *præfatigata fame pingueſcunt, ſaginant a triduo iam qui Sues obeſant, Thraces cum per ſaginam po-*
Cibi. *tum primo die præbuerint, poſt interpoſito vno die præbent, tũ duobus, deinde tertio, atq́; ita ſubinde au-*
gendo numerum, vſq́; ad ſeptimum, curant. pingueſcit hoc animal hordeo, milio, ficu, glande, pyro, cucu-
Quies. *mere, ſed maxime tum hoc, tum cætera, quibus venter calidus eſt, quiete, immotione pingueſcunt.* Præ-
Cap. 21. cautio illa non leuis de glande eodem libro. καὶ πρὸς τὴν τροφὴν ἐστὶ χρήσιμον ἡ τίφα, ἄριστοι δὲ πρὸς τὸ
παίνειν καὶ τρέφειν, οἱ ἐρέβινθοι καὶ τὰ σῦσα, τὸ δὲ ὅλον μὴ ποιεῖν ἁπλῆν τὴν τροφὴν, ἀλλὰ ποικίλην, χαί-
ρει γὰρ μεταβάλλουσα, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ζῶα, καὶ ἅμα φασὶ τὸ μὲν ἐμφουσᾶν, τὸ μὲν πιαίνειν τῶν F
προσφερομένων τὰς δὲ βαλάνους μόνον ἡδέως μὲν ἐσθίειν, ποιεῖν δὲ ὑγρὰν τὴν σάρκα, καὶ ἐὰν ἐγκύουσαι
πλείους ἐσθίωσιν, ἐκβάλλουσιν, ὥσπερ καὶ τὰ πρόβατα. *In cibatu Tipha vtilis eſt, ſed præcipue alunt &*
Ficus. *opimant ficus & cicer: Cibus deniq́; non ſimplex ſed varius, ſagina optima eſt, gaudent enim Sues pabu-*
Cicer. *li mutatione, quemadmodũ & cætera animalia, tunc enim fieri aiunt cibi varietate vt partim inflētur,*
partim impleatur carne, partim opimetur. Glandes ſuauiter quidem a Suibus comeduntur, ſed carnẽ
Abortus. *humidam faciunt, ſi ſolæ dentur, & ſi grauidæ glandem copioſius ederint, abortum faciunt, vt oues.* Eſt etiã
Lib. 8. c. 51. illo paucis C. Plinius. *pingueſcũt ſexaginta diebus, ſed magis tridui inedia ſaginatione orſa.* Eſt etiã
Mytuli. genus quoddam conchæ marinæ, quam vocant *Mytulum,* quo pinguitudinem in Suibus velgene-
Lib. 3. c. 7. rari ſcripſit Leuinus Lemnius in occultis naturæ miraculis *Cõcharum hoc genus,* inquit, *quo littora*
oræq́; maritimæ apud nos ſcatent, Mytulos vocant Muſſelen, mirifice ſues reficit, ſi affluẽtiore huius li-
quamine decoctum ijs obijciatur. miranda Apicii circa hanc ſaginam induſtria, aut veſania. *Inuentũ*
M. Apicij, verba ſunt Plinii, *fico, carica, ſaginatis, ac ſatie necatis, repẽte Mulſi potu dato.* qui locus e-
Lib. 8. c. 51. get ſuſpenſa virga cenſoris. & ſic videtur legendus. *fico arida ſaginatis, ac ſiti necatis,* vel ſic, *fico &*
Ficus.
Carica. *carica ſaginatis, & a ſatietate necatis.* Nec minus pinguitudo cauſabatur *a caſtratione.* Plinius lo- G
Plinius correctus. co iam vltimo laudato. *Vulua reciſa celerius pingueſcunt,* adde ex Galeno, *& caro ſuauior fit.* Ae-
lianus vero Prænestinus quatuor res præſtare ad ſaginationem ſcribit ex Homero. primo vt luto
Lib. 1. de Semine. ſe volutare poſſint, & ideo vocat χαμαιευνάδες *quaſi humo volutatas* dicas, deinde vt cibos come-
Lib. 5. c. 45. dant, qui inſient, tertio, vt aquam limoſam, aut turbidam bibant, quarto denique vt Verres a ſcro-
Quatuor res ſaginant. fa ſecubet, mutua enim fœminæ cum mare ſocietas pinguitudinem impedit. Eſt apud eundẽ ſcri-
ptorem τῆς μίνιας ὁ κάρπος *fraxini fructus* ad Sues opimandos vtilis. Denique generalis illa cibo-
Olyſſ. lib. 14. princ. borum Suum diuiſio, vt alius ijs æſtate, alius hieme, alius Verri ituro, alius ſcrofæ parturienti, a-
lius lactanti, alius grauidæ, alius ægrotanti ſubminiſtretur, vt nullum animal ſordidius, nullum ci-
Lib. 8. c. 9. batu difficilius, in rerum natura, dicam & aliud non minus verum, nullum vtilius reperiatur. Illud
Fraxinus. obiter adnotarim viliſſimos quoſque cibos tantum impendium explere. Horatius recte.
Generalis ciborũ diuiſio.

— *Hac Porcis hodie comedenda relinques.*

Li. 1. Epiſt. 7. Pinguitudinem incredibilem Suum retulere pleriq; , in iis eſt M. Varro loco in re Ruſtica toties
Obeſitas mira. laudato, ſed fidem ſuperat quod ibidem habetur. *In Arcadia ſcio ſuem eſſe a me ſpectatum, quæ præ*
pinguitudine carnis, non modo ſurgere nõ poſſet, ſed etiam vt in eius corpore ſorex exeſa carne nidum H
Lib. 11. c. 37. *feciſſet, & peperiſſet mures.* meminit tam prodigioſi facti C. Plinius. *pleriſq́; animalium eſt pingui-*
tudo ſine ſenſu, quam ob cauſam, Sues ſpirantes a muribus tradunt arroſas. Nec illud omiſerim hoc
Pingnitudo. loco *pinguedo* non eſſe vocem Latinam, ſed *pinguitudo.* alii præoccuparunt, & ego ad alia tranſeo.

VSVS IN CIBIS
apud Romanos.

SVILLI pecoris vtilitatem nihil æque teſtatur ac frequentiſſima eius in omnibus Romanorum lautitijs, ac cupediarijs oblectamentis mentio, legum etiam Cenſoriarum crebra edicta, quibus id toties Ciborum genus interdictum reperitur, vberem de re ea dicẽdi campum aperiunt. agmen ducat M. Varro. *Suillum pecus a na-*
Lib. 2. rei Ruſtic. c. 4 *tura donatum dicunt ad epulandum, itaq́; ijs animam datam eſſe proinde ac ſalẽ, quæ*
Lib. 8. c. 51. *ſeruaret carnem.* C. Plinii verba ſunt. *Neq́; alio ex animali numeroſior materia ganeæ, quinquaginta*
prope ſapores, cum cæteris ſinguli. Vt hæc planiora fiant, locum apponam ex Tito Liuio huic quam

tractamus

A tractamus rei peraccommodam. *Est enim res simillima cænæ Chalcidensis hospitis mei, hominis & boni, & sciti conuiuatoris, apud quem solstitiali tempore comiter accepti cum miraremur, unde illi eo tẽpore anni tam multa, & varia venatio, homo, non quam isti sunt, gloriosus, renidens, cõdimentis ait varietatem illã, & speciem ferinæ carnis ex mansueto Sue factam. Hoc dici apte in copias Regis, quę paulo ante iactatæ sunt, posse, varia enim nomina armorũ, & multa nomina gentiũ inauditarũ, Dahas, & Medos, & Cadusios, Elimæos, Syros omnes esse, haud paulo manciplorũ melius, propter seruilia ingenia, quã militũ genus.* quã scitissimã fabellã ad redarguendã Antiochi Regis legati vanitatẽ excerpsere pleriq;, Hẽricus Glareanus in Annotationib. Liuianis, & Parœmiographus in Chiliadib. Et istiusmodi narrationis genus Græcis λόγος vocatur ex Aristotele Petrus Victorius in variis lectionibus, VVilhelmus Godeleuæus. Plutarchi nõ est lõge dissimilis eiusdẽ rei narratio. δειπνοῦντος αὐτοῦ παρὰ τῷ ξένῳ, καὶ μεμφομένου τὸ πλῆθος τῶν κρεῶν, καὶ θαυμάζοντος πόθεν οὕτω ποικίλης ἀγορᾶς εὐπόρησεν, εἰπεῖν τὸν ξένον, ὡς ὕεια πάντα ἐστὶν, τῇ σκευασίᾳ διαφέροντα καὶ τοῖς ἡδύσμασιν. μὴ τοίνυν, ἔφη, μηδὲ ὑμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀχαιοὶ, θαυμάζετε Ἀντιόχου δύναμιν, λογχοφόρους, καὶ ξυστοφόρους, καὶ πεζεταίρους ἀκούοντες, πάντες γὰρ οὗτοι Σύροι εἰσὶν, ὁπλαρίοις διαφέροντες.

B *Cũ apud hospitẽ suũ cænaret, & copiã reprehẽderet ferculorũ, stuperetq́, unde tã variã venationẽ cõparasset, respõdisse hospitẽ, omnia ex mãsueta Sue facta, paratu tãtũ, & cõdituris discrepãtia. Nolite ergo, insit, viri Achæi, nec vos copias mirari Antiochi, cũ hastatos, speculatores, & satellites auditis; nã omnes Syri sunt armatura differẽtes.* ideq; aliis verbis repetit in Apophthegmatis. ἔφη γὰρ ἐν Χαλκίδι παρὰ τῷ ξένῳ δειπνῶν θαυμάζειν τὸ τῶν κρεῶν πλῆθος, εἰπεῖν δὲ τὸν ξένον, ὅτι ταῦτα πάντα ἐστὶ χοίρεια, ἡδύσμασι καὶ σκευασίαις διαφέροντα. *dixit se Chalcide apud hospitem in cæna quadam miratũ fuisse multitudinẽ carniũ, hospitẽ vero sibi dixisse, omnes illas suillas esse, cõdimẽtisq́ dũtaxat, & apparatione eas differre.* Festus Pompeius. *penẽ antiqui codã vocabant, a qua antiquitate etiãnũ offa porcina cũ cauda in cænis puris, offa penita, vocatur.* eadẽ repetit Paulus Festi corruptor. Aelius Spartianus in Getæ Principis lautioribus epulis, Porcelli meminit. sic enim in vita eius. *habebat etiã istã cõsuetudinẽ, vt cõuiuia, & maxime prandia per singulas literas iuberet scientibus seruis, velut in quo erat Anser, Aprugna, Anas, itẽ, pullus, perdix, pauus, porcellus, piscis, perna, & quę in eã literã genera eduliũ caderent, & itẽ, Fasianus, farta, ficus, & talia.* Hunc cõuiuii apparatũ instituit Geta Augustus, sed locus est mutilus, tu supplere potes.

C *prandia per singulas literas iuberet, scientibus seruis disponi,* aut *instrui,* aut aliquid simile, & locũ quidem mancum esse adnotauit Casaubonus, sed non restituit. Multa eruditi saporis, & doctorũ palato congrua condiuit in hanc rẽ Cælius Rhodiginus in Antiquis lectionib. quẽ cõsule. Artemidorus Daldianus in Oneirocriticis. ἄριστα δὲ πᾶσι τὰ χοίρεια, καὶ γὰρ εἰκὸς, ζῶν μὲν γὰρ χοῖρος, οὐδὲν εὔχρηστος ἀνθρώποις ἀποθανὼν δὲ, μᾶλλον ἐδώδιμος τῶν ἄλλων. *optimæ omnibus sunt carnes porcinæ, atq́ id verisimiliter, Porcus enim viuens nullius vtilitatis hominibus existit, mactatus vero magis aliis animalibus nutrit.* Et paucis interiectis. βελτίονα ἡ ἀναιρεθέντα καὶ τὸ μὲν ἐπτὰ δοκεῖν ἐσθίειν τὰ χοίρεια, παντελῶς ἀγαθὸν, προστίθησι δὲ τάχος ταῖς ὠφελείαις διὰ τὸ πῦρ. *suillas carnes assatas comedere, omnino bonum est, accedit autem & celeritas vtilitatis propter ignem.* Hoc sensu poetas intelligo veteres. Homerum in Odyssæa.

Πεντήκοντα σύες χαμαίευνάδες ἐρχατόωντο
Θήλειαι τοκάδες τοὶ δ' ἄρσενες ἐκτὸν ἴαυον,
Πολλὸν παυρότεροι, τοὺς γὰρ μινύθεσκον ἔδοντες
Ἀντίθεοι Μνηστῆρες, ἐπεὶ προΐαλλε συβώτης
D Αἰεὶ ζατραφέων σιάλων τὸν ἄριστον ἁπάντων.
Quinquaginta Sues iacentes continebantur
Fæminæ fetæ, mares autem foris dormiebant
Multo pauciores, hos enim minuebant comedentes
Diuini Proci, quoniam mittebat subulcus
Semper saginatorum pinguium optimum omnium.

Interpres Latinus χαμαίευνάδες vertit *iacentes* pessime, verti debuit *humicubæ.* Idem diuinus poeta paulo post, notat *Suillæ* diuersitatem Heroico sæculo, serui enim *macilenta* vescebantur, *pinguior* in Dominorum vsus asseruabatur, vt præoccupat Ioannes Brodæus in Miscellaneis. Homeri locus est, ad eum autem Eustathius & Didymus

Ἔσθιε νῦν, ὦ ξεῖνε, τά τε δμώεσσι πάρεστι
χοίρε' ἀτὰρ σιάλους γε σύας μνηστῆρες ἔδουσιν
Comede nunc, o Hospes, quæ seruis adsunt
Porcina, at pingues porcos proci comedunt.

Antiphanes in Cyclope, cibos lautos enumerans.

ὗς οὐτομίας, δέλφαξ, δασύπους, ἔριφοι

4. Decad. lib. 5.
Varia condimenta uenationem ferinã imitata.
Adag. ex vno multa facere.
Lib. 17. c. 10
In Flaminio pag. 378.
Pag. 197.
Lib. 14.
Offa porcina
Conuiuia ordine literarũ disposita.
Spartianus correctus.
Lib. 19. c. 25.
Lib. 1. c. 72.
Suillam edere quid
Heroico æuo Suilla in pretio.
Homeri Interpres reprehensus.
Lib. 6. c. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Sus non ſectus, Porcellus, Lepus, Hædi. E

Leonides vetus poeta in Anthologia lib. 2. cap. 47.

Μὴ πάλι μοι μετὰ δόρπον, ὅτ᾽ οὐκ ἔτι γαστέρα πείθω
εὔθατα, καὶ χοίρων ἄρτι τίθει τεμάχη.
Ne rurſus mihi poſt cænam, vbi non amplius ventri obtempero,
Sumina, & porcorum mox appone fruſta.

Et *Suillæ* præſtantiam in Didus magnificentia explicãda, Virgilius exhibet, ſiue Africani eam
Lib. 1. Aenei. in pretio habebant, ſiue ad Romanæ conſuetudinis vmbram reſpexit. ſic enim

Nec minus interea ſocijs ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga Suum: pingues centum cum matribus agnos,
Munera, lætitiamq; Dei.

Martialis ex Porcorum progenie videri poteſt, adeo porcinam in omnibus cænis extollit, quæ-
Lib. 7. epigr. 53. dam loca adſcribam. F

Non porcus, non cortis oues, non oua ſuperſunt.

Lib. 8. epigr. 21. Et alibi videtur vili loco eam habere, certe longe Aprugno poſtponit

Iunitas ad Aprum, ponis mihi, Gallice, porcum,
Hybrida ſum, ſi das, Gallice verba mihi.

Sat. 1. A. Perſius exprimens ruſticam opulentiam, ſic ait.

Et focus, & porci, & fumoſa palilia fœno.

In Saturnalibus. Denique ſolemnitas Saturnalium, non alio pæne cibo, certe non lautiori, tranſigebatur, notant viri docti, Iuſtus Lipſius in Saturnalibus, Scaliger ſenior. Multa habes in Antiquitatibus noſtris
Lib. 4. in fin. Romanis. Martialis multorum inſtar.

Iſte tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Interſpumantes Ilice paſtus Apros.

Nec tantum varijs condimentis imitabantur ferinas carnes, ſed integros *Sues* apponebãt, Turdis & Ficedulis, aliarumque minutarum auium, ſed lautarum carnibus, ſaginæ modo, fartos, di- G
Porcus Hortulanus. ctuſque inde Apicio & Platinę *Hortulanus Porcus* notat vir omniſcius Vlyſſes Aldrouandus tom. 2. Ornithologia. deſcribit in Nuptiali Darani Macedonis apparatu Hippolochus hunc Porcum,
Lib. 17. c. 38. & ex eo Athenęus in Dipnoſophiſtis. ἔπειτ᾽ εἰσφέρεται πλοῦτος ἀντὶ δείπνου, πίναξ ἀργυροῦς ἐπίπα-
Lib. 4. princ. χος οὐκ ὀλίγον περίχρυσος, ὅσος ὥς τε δέξασθαι μέγεθος χοίρου τινὸς ὀπτοῦ, καὶ σφόδρα μεγάλου, ὃς ὕπτιος ἐπέκειτο, τὴν γαστέρα δεικνὺς, ἄνω πλήρη οὖσαν πολλῶν ἀγαθῶν, ἦσαν γὰρ ἐν αὐτῷ συνωπτημέναι κίχλαι, καὶ μῆτραι, καὶ συκαλλίδων πλῆθος ἄπειρον, καὶ ὠῶν ἐπικεχυμέναι κελίθοι, καὶ ὄστρεα, καὶ κτένες, καὶ ἑκάστῳ πεπυρωμένος αὐτοῖς πίναξιν ἐδόθη. *allatus deinde eſt cænæ loco opulentia, argẽteus diſcus, non parum craſſus, circumauratus, tam amplus, vt Suem aſſum valde magnum contineret, in eo recubantem ſupino corpore, aluum ſurſum conuerſam oſtendentem, & eam lautitijs omnibus refertam, aſſinamq; ſimul inerant turdi, vuluæ, innumeræ ficedulæ, vitelli ouorum affuſi, oſtrea, pectines, datus il-*
Fartus alijs edulijs, & lautitijs. *le porcus adhuc igne calens conniuarum ſingulis, vna cum ipſo diſco.* Suffarcire igitur Suem cicurem moris erat alijs delicatioribus cupedijs, vnde & *Porci Troiani* nomen inſanienti luxuria inductũ,
Porcus Troianus. vt notant Paræmiographi, & Cincius autor eſt apud Aurelium Macrobium in Saturnalibus. *Ipſa vero edulium genera quam dictu turpia? nam Cincius, in ſuaſione legis Fannię, obijcit ſæculo ſuo, quod* H
Lib. 3. c. 7. *Porcum Troianum menſis inferant, quem illi ideo ſic vocabant, quaſi alijs incluſis animalibus grauidum, vt ille Troianus equus grauidus armatis fuit.* Sed ſuperat luxum omnem Athenæi locus, cu-
Lib. 9. pagi. 376. ius latina Dalechampij verſione ero contentus. *Cum deinde allatus nobis fuiſſet Porcus, cuius dimidium aſſatum magna induſtria areſecerant, dimidium vero alterum elixum aqua, ideòque molliuſcu-*
Vna pars elixa, altera aſſa. *lum, tanquam liquauerant: cunctis coci ſapientiam admiratione proſecutis, ob artis ſuæ peritiam gloriosus ille, ac de ſe magnifice ſentiens, quin veſtrum nemo, inquit, oſtendere poſſit, qua parte iugulatus eſt, aut qua venter impletus omnifariam lautitijs; nam & Turdis farctus eſt, & alijs auiculis, & portionibus quibuſdam abdominis porcarum, & vuluæ conciſis particulis, & ouorum vitellis, & Gallinis, quarum venter plenus eſt, tum vuluæ fruſtis, tum lautis bucceis, & lucanicis confectis ex carnibus minutim tritis, ac cum pipere ſubactis.* Ita ergo farciebatur Porcus, vt qua parte illa tum fuiſſet farctum agnoſci vix poſſet, aut qua parte occiſus, vnde Coqui, ibidem loci, ad conniuas verba. ὑμεῖς οὖν ἐπιδείξατε, πῶς τε ὁ χοῖρος ἐσφάγη, καὶ πῶς ἐξ ἡμισείας μὲν ἐστὶν ὀπτὸς ἑφθὸς δὲ κατὰ θάτερα. *Vos itaque porcus quomodo iugulatus eſt indicate, atque etiam quomodo altera ex parte elixus eſt, aſ-*
Lib. 9. c. 5. *ſus altera.* Viri docti eſt obſeruatio, nec prætereunda, animaduerſionibus in Athenæum. *Elegans fuit illius Coqui artificium, qui Dipnoſophiſtarum menſæ Porcellum intulit ab altera parte ὀπταλέον, καὶ κραμβαλέον aſſatum, & probe toſtum, ab altera vero ὡς ἂν ἐξ ὕδατος ἑψυμένον ταχερῶς, inrulentum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *tum, vt pote in aqua coctum, tot hisce verbis nihil aliud significatur, nisi quod vno vocabulo paulo post dicitur* ἐφθόν. *Accedebat aliud subtile commentum, quod erat* ἄσφακτος *hic Porcellus, vt loquitur Coquus, neque vllum exhibebat vestigium letalis sui vulneris, aut vllius apertionis, cum tamen non solum exenteratus, verumetiam impensa multa farctus & oppletus esset, quod ad farturam attinet, similem habes locum libri quarti initio, sed sine vlla subtilitate: de isto autem fuse paulo post idem qui parauerat coquus, lege* ὑπογάστριων τε μέρη χοιρείων, *sic melius libri: non* χοῖρον, *farcum ventris ex partibus porcinæ; non vero Porcorum.* ἐφθὸν quid? Athenæ' correctus.

Sciendum non omnes *Sues* in conuiuiis expetitos, sed *Porcellos* tantum, seniores enim ad fœtu ram custodiebant, & ab esu illarum abstinebant, *Porcellis* tantum vesci soliti. Flauius Vopiscus ex Epistola Valeriani. *Panes militares mundos sedecim, panes militares Castrenses quadraginta, vini mensalis sextarios quadraginta, porcellum dimidium, gallinaceos duos.* Et in eadem historia ad finem. *vehementissime autem delectatus est ...hagone, qui vsque eo multum comedit, vt vno die ante mensem eius aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum comederet.* Latinis *Porculus*, vt in textu Suetonii in vita Neronis cap. 33. *recoctum sæpius porculo obiecit.* in aliis est *porcello obiecit,* sed parum interest, hinc *porculatio porculorum educatio, & porculator, porculorum custos* apud rei rusticæ scriptores non semel, & infra dicam. & *porcellus* vox vsitatissima: sed & *Nefreus*, vt definiuit ad librum octauum Aeneidos Seruius, *quilibet infans, cui non sunt dentes,* sed lata nimis ea significatio, propius nostro instituto Varro in re Rustica. *Cum porci depulsi sunt a mamma, Delici a quibusdam appellantur, neque iam lactentes dicuntur qui a partu decimo die habentur puri, ab eo appellantur ab antiquis sacres, quod tum ad sacrificium idonei dicuntur primum, itaque apud Plautum in Menechmis, cum insanum quem putat, vt pietur in oppido Epidamno, interrogat, quanti hic porci sunt sacres? si fundus, ministrat, dari solent vinacea, ac scopi ex vuis. amisso nomine lactentis dicuntur nefrendes, ab eo, quod nondum fabam frendere possunt, idest frangere.* Isidorus Hispalensis. *frena dicta sunt, quod equos fremere cogant, vel hoc equi frendant, idest imprimant dentibus & obmordeant, vnde & nefrendes dicti adhuc lactentes porculi, quod nondum aliquid frendant, idest comminuant dêtibus.* Duplex ergo subrumi Porcelli apud veteres repræsentatur vsus, vel enim adhibebatur sacrificiis, vt infra fuse aperiam. vel in conuiuiorum delitiis habebatur, quod ista loca indicant. Cælius Apicius *Porcellum lacte pastum* mirifice extollit, & gulæ helluonum commendat, variaque eius condimenta præscribit, quæ videantur. Martialis de insigni nepote. In Aureliano. Porculus. Porcellus. Suetonius restitutus. Porculatio. Porculator. Nefreus. Lib. 2. c. 4. Delicus. Lactens. Sacres. lib. 20. c. 16. lib. 8. rei Culinar. cap. 7. Lib. 3. epigr. 48.

B

C

> *Illic coronam pinguibus grauem Turdis,*
> *Leporemq́; læsum Gallici canis dente,*
> *Nondumq́; victam lacteum faba porcum.*

Lacteum ibi vocat *Porcum* pro *nefrende*, qui tamen reuera *lactens* ab aliis. Lemma quadragesimum eiusdem poetæ in Xeniis, est, *Porcellus lactens*, pro quo in editionibus Aldi, & aliis *lacteus* male scribitur, & errorem illum Domitius Calderinus secutus. Martialis correctus. Calderini error.

> *Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum*
> *Ponat, & Aetolo de Sue diues edat.*

Eadem res δέλφαξ Græcis, non minore luxu apud illos fuisse censenda est, illi enim δέλφακες. & δελφάκια pro *altili porcello* vsurpant. verba Athenæi in Dipnosophistis, hæc sunt. Δελφάκων τε σιτευτῶν ὀφλυακογράφος Σώπατρος ἐν Βακχίδος γάμῳ οὕτος δέλφαξ. δελφάκια. Lib. 14. pag. 656.

> ἔπου κλίβανος ἦν πολυδέλφαχ σιτευτὸς ἔτρυξε

D Δελφάκια δὲ Αἰσχίνης εἴρηκεν ἐν Αλκιβιάδῃ οὕτως, ὥσπερ αἱ καπηλίδες τὰ δελφάκια τρέφουσιν. Αντιφάνης δ' ἐν φυσιογνωμονικῷ.

> καὶ γὰρ ἐκεῖναι τὰ δελφάκια πρὸς βίαν χορτάζουσιν.

καὶ ἐν Προτρεπτικῷ.

> ἀντὶ δελφακίων τρέφεσθαι.

Altilium porcellorum sic meminit Sopater nugarum & ridiculorum scriptor in Nuptijs Bacchidis. Porcelli altiles.

> *Sicubi furnus erat, stridebat multum Porcellus altilis.*

Exiguos porcellos Aeschines sic dixit in Alcibiade veluti cauponaria mulieres altiles porcellos nutriunt. Antiphanes in Physiognomico.

> *Nam per vim illæ altiles porcos saturant.*

Idem in Exhortatorio.

> *Altilium porcellorum loco nutriti.*

Plato in Poeta extulit genere masculino. dum dixit δέλφακα δεραιότατον *altilem porcellum ceruicis maxime prolixæ*, vnde Varro sua hausit, *tum vtique sint ceruicis amplæ.* Sophocles in Iniuria, quæ fabula intercidit. Sophoclis fabula vna, ryt.

> ἐσθίειν ἐθέλω τὸν δέλφακα.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Comedere nolo Porcellum altilem.

Et Cratinus in Vlyſſibus δέλφακας μεγάλους *Porcellos altiles magnos* vſurpauit. frequentior tamen Antiquorum vſus fæminino genere habet eandem vocem, vt Nicochares dixit κύουσαν δέλφακα *prægnantem porcellam altilem.* Eubolus in Aureo genere.

> ὀκ ἀλεύθιον δέλφακα ὀδόυ θ' ἐιςία καὶ μάλα καλὴν.
> *Non contemnendam porcellam, ſed pulchram in conuiuio exhibuit.*

Plato Comicus in Io.

> Πρόσφερε δεῦρα δὴ τὴν κεφαλὴν τῆς δέλφακος.
> *Huc adfer caput iugulatæ porcellæ.*

Theopompus in Penelope.

> καὶ τὴν ἱερὰν ἡμῖν σφάττουσι δέλφακα.
> *Sacram vobis mactans porcellam altilem.*

lib.3.c.16. *Epicharmus* *Porcelli aſſi.*

Differentiam hanc grammaticalem animaduertit vir doctus in Atheneum. Et erat Epicharmi vetuſtiſſimi ſcriptoris, fabula δέλφαξ, quam laudant Euſtathius, Iulius Pollux, & Athenæus. Porcellos iſtos aſſos apponebant, non elixos, vnde apparet celebrem eorum heroico ſæculo fuiſſe vſum, F quo quidem, vt ex Scholiaſtis Homeri liquet, carnes omnes aſſabantur. Epicrates antiquus Comicus in Mercatore ſic eius meminit.

> οὐ κήλις ἔνθα δελφακῶν ἐγὼ κρέα
> κάλλις' ὄπωπα πυρὸς ἀκμαῖς ἠνθισμένα.
> *Huc ego profecto diuerſatus, Porcellorum carnem*
> *Ignis vi aſpexi, efflore ſcentem pulcherrime.*

Alexis in Improba.

> τριοβολοκρέισκον, ἀςεῖον, πάιυ
> ὕειον, ὀπτὸν, καὶ θερμὸν, εὐχυλώτερον
> ὅταν ἦ προσφέρον.
> *Tribus emptam obolis carnem, elegantem,*
> *Suillam, aſſam, calentem, ſapientem iucundius*
> *Cum apponet.* G

Aſſiorũ mos. *Albi Porcelli delicatiores.*

Ptolemæus rex Aegypti libro nono ſuorum Commentariorum narrat de Aſſij conſuetudine, vbi iuuenes χοῖρον ὕιον *iuuenem porcum* adducere hoſpitibus in more habent, duos cubitos & ſemiſſem altum, cui par eſſet corporis longitudo, coloris niuei, narrabantque loci incolæ, Eumenem Regem tales ab ijs magno ſtudio mercari ſolere, vel drachmarum quatuor millibus vnum. Magnum ſane pretium tam vulgaris pecoris, itaque albos hoſce nefrendes eodem, quo coquebantur, inſtrumento, ad menſam ferebant. teſtis eſt Aeſchylus.

Cribanus, teſtus, coci inſtrumẽtum.

> ἐγὼ δὲ χοῖρον καὶ μάλ' εὐθηλούμενον
> τὸν δ' ἐν νοθοῦντι κριβάνῳ θύσω, τί γὰρ
> ὄψον γένοιτ' ἂν ἀνδρὶ τοῦ δὲ βέλτιον;
> *Ego porcum opimum valde lactatu*
> *In teſtu calente ponam, quod enim*
> *Præſtantius hoc fuerit hominibus obſonium?* H

Idem autor rurſus.

> λευκὸς, τί δ' οὐχὶ καὶ καλῶς ἠρευμένος
> χοῖρος, ἕψου, μὴ δὲ λυπηθεὶς πυρί.
> *Albus porcus? quidni? iam pulcher & grandiuſculus eſt,*
> *Aſſa, igne tam leni, vt te non offendat.*

Denique Ariſtophanes Conuiualem hunc δέλφακα in Acharnenſibus deſcribit. Act.3.Sc.3.

> νέα γὰρ ἐςὶν, ἀλλὰ δελφακουμένα
> ἕξει μεγάλην τε καὶ πωχεῖαν κ' ἠρυθράν
> Ἀλλ' αἴ τράφεν λῇς ἁ δὲ τοι χοῖρος καλά.
> *Iuuencula eſt, ſed cum in porcam creuerit.*
> *Caudam habebit rubram, magnam & craſſam,*
> *Educare ſi placet, porca futura eſt ſpecioſa.*

Cauda rubra, & magna probata

Tantum gulæ veteribus ſtudium, vt cum omnes animantes, atque adeo omnes pæne naturæ fætus abligurirent & conſumerent, mirum tamen delectum obſeruabant, & notis quibuſdam animalia profundæ ingluuiei ab ortu ipſo deſtinarent, & Græcorum inſolentia in hoc longe Romanos eſt prætergreſſa. & de Medica Suillæ ratione, late infra tractabitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

EDVLIA VARIA ex Suilla.

SIC se habet Porcus ipse in Romanorum conuiuiis, at nunc sigillatim varios eius vsus, variaque singularum partium nomina, formas, figurasq; excutio. Ante omnia frequens *Suminis* vsus, *suminatam* enim *Suem* cum *lactente* coniungit Aelius Lampridius, quod illi hæc delitiarum ratione proxima sit. verba sunt. *cum vilitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogauit per Curionem, quam speciem caram putarent, illi continuo exclamauerunt, carnem bubulam, atq; porcinam, tunc ille non quidem vilitatē proposuit, sed iussit ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis Damalionē, tantumq; intra biennium, vel prope annum Porcinæ carnis fuit & bubulæ, vt cum fuisset octominutalis libra, ad duos, vnumq; vtriusq; carnis libra redigeretur.* Mira edicti grauitas ab octo minutis nūmis ad duos Porcinæ libram redegisse. locus videtur mutilus, itaq; supplendus, *ne quis Suem seminatam.* Est enim *suminata sus*, uel saginata, ut uiris doctis placuit, uel quæ recens a partu ubera lacte distenta habet. nam *pinguiorem* interdum *partem* in uentre femellarum quadrupedum *sumen*, in masculorum uteris *abdomen* uocamus, & licet *sumen*, quasi *sugimen* a Suibus uidelicet dixerint, tamen sæpe pro quolibet ubere usurpatum reperiemus. Lucilius Satyrarum lib. 4. *Sumen.* *In Alexandro Seuero.* B *Pretiū porcinę mire minutum.* *Lampridius correctus.* *Suminata Sus.* *Abdomen.* *Sugimen.*

Quod si nulla potest mulier tam corpore duro
Esse, tamen tenero moueat succussa lacerto
Et manus vberior lactanti in sumine sidat.

Definit C. Plinius ad Palatum nepotum. *Sumen Suis vno die post partum occisæ si modo fætus non hauserit*, locum supple, *si modo fætus lac non hauserit.* Petronius in cæna illa Trimalcionis lautissima. *Procurrerunt, superioremque repositorij partem abstulerunt, quo facto videmus infra, scilicet in altero ferculo altilia, & sumina, leporemque in medio.* Poetæ præsertim sumen extulerunt. Aristophanes in Tagenistis, de ijs scilicet, qui in sartagine frigunt, lautitias, ut apparet, culinares ea fabula, quæ interijt, perstrinxerat. *lib. 11. c. 37.* *Plinij locus suppletus.* C *Tagenistæ fabula Aristophanis pijt.*

τῆς δ' ἐλφακος ὀπωρίνης ἠτριαῖον.
Porcę autumnalis sumen.

Antidotus in Querula *ὑπογάστριον, quod sub ventre sit*, pro *sumine* dixit apud Athenæum li. 14. C. Lucilius lib. 16. Satyrar. *ὑπογάστριον*

Fingere preterea afferri, quod quisque volebat,
Illum Sumina ducebant, atque Altilium laux,
Hunc pontes Tiberinos duo inter captus Catillo.

Sunt qui *spectile* dictum contendant, aut uerius *Spetile*. Festus Pompeius. *Spetile vocatur, quod est infra vmbilicum Suis, carnis, proprij cuiusdam habitus exos, qua etiam antiqui per se vtebantur. Plautus enumerandis vilibus obsonijs in Carbonaria sic ait.* *Spectile, aut Spetile.*

Peto pernam, sumen, sucres, spetile, callum, glandia,

Vile Festus *sumen obsonium* uocat, haudquaquam, ut uidetur, recte, quando inter primarias cupedias semper id fuerit, uel ipso Plauto teste. in Pseudolo. *Festus notatus.* D *Act. 1. Sc. 3* *V. 33.*

Nam mihi hodie natalis dies est, decet eum omnes concelebrare.
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua iaceant, satis audin?
Magnifice enim volo summos viros accipere.

Et in Cuculione Act. 2. Sc. 3. V. 44.

Pernam, abdomen, sumen, suis glandium. ain tu omnia hæc?
In carnario fortaſse dicis.

Idem in Captiuis. Act. 4. Sc. 3.

Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido?
Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas.

Alii poetæ. A. Persius Sat. 1.

—— calidum scis ponere sumen.

Omitto Plutarchi autoritatem apud Cælium Rhodiginum, & Apicium, qui ex professo Suminum præparationem, & condituram præscribit. Martialis libro secundo epigramm. trigesimoseptimo. *lib. 9. c. 12.* *lib. 7. c. 2.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Quicquid ponitur, hinc & inde verris,
Mammas suminis, imbricemq́; Porci.

Et magis ad palatum helluonum lib. 13. epigr. 44.

Esse putes nondum Sumen, sic vbere largo
Effluit, & viuo lacte papilla tumet.

Abdomen. lib. 11. c. 37. Sat. 2. v. 86. Sat. 4 v. 197. Petimen.

In maribus *abdomen* est illud idem, quod in scrofa *Sumen*. C. Plinius. *Antiqui abdomen vocabāt priusquam calleret id, scientes, occidere non assueti.* Plautus supra laudatus. Iuuenalis tamen *abdomine Porcæ* dixit, & *Montanum pinguem ventrem vocauit abdomen.* Erat in luxu illo erudito quædam Porci pars, quam dixerunt *Petimen* nepotes. Festus Pompeius. *Petimina in humeris iumentorum vlcera & vulgus nominat, & Lucilius meminit, eo nomine autem & inter duos armos suis quod est, aut pectus, appellari solitum testatur Nonius in descriptione Suillæ.*

Petimine Porcino qui meruerat.

Callum. Lib. 8. c. 51.

Sequitur *callus*, vel *callum* hoc est caro pinguior Suilla durata & mirum in modum densata, vt videatur callum a natura obduxisse, Plautus & Plinius locis supra citatis. & alibi quidem Plinius. *Hinc neque alio ex animali numerosior materia ganeę, quinquaginta pęne sapores, cum cęteris singuli. Hinc Censoriarum legum paginę, interdictaque cęnis abdomina, glandia, testiculi, vuluę, sincipita verrina, vt tamen Publij Minorum poetę cęna, postquam seruitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo imposito, placuere autem & feri Sues, iam Catonis Censoris orationes Aprugnum exprobrant callum.* meminit Plautus Captiuis Act. 4. Sc. 3. sed deprauato loco est medicina opus.

Plautus correctus.

Dij immortales, vt ego iam callos prætruncabo tergoribus.

Rescribe leui opera sic.

— *callos prætruncabo tergoreos?*

Glandium.

Glandium quoque memorāt in lautioribus epulis summo pretio habitum, est enim pars in Sue callosa circa iugulum, sic dicta, quod glandis figuram & duritiem referat, Plautus aliquot locis meminit. Et Martialis infra citandus in voce Vulua. Captiuis. Act. 4. Sc. 4.

Esuriens deturbauit totumcum carne carnarium.
Arripuit gladium, prætruncat tribus tergoribus glandium.

Et in Menæchm. Act. 1. Sc. 3. ad finem.

Iube igitur nobis tribus apud te prandium accurariet,
Atque aliquid scitamentorum de foro obsonarier,
Glandionicam, suillam.

Vulua. lib. 11. c. 37. lib. 25. c. 26. lib. 9. pagina 375. δελφύα. ἄδελφοι. lib. 3. c. 7. ἐκβολὰς. ἐκτόμις.

Nec *Vulua* non erat in delitiis, eam insanientis & profundæ gulæ lasciuiam describit Plinius. *Vulua eiecto*, aut exsecto, *partu melior, quā edito, eiectitia vocatur illa, hæc Porcaria. primiparę Suis optima, contra effœtis, a partu, preterquam eodem die Suis occisæ liuida ac macra, nec nouellarum Suum, preterquam primipararum, probatur, potiusq́; veterum, dum ne effętarum, nec biduo ante partū, aut post partum. huius & sumen optimum.* Cælius Rhodiginus non indocte quædam huc spectantia prodit. Epicharmus apud Athenæum in Dipnosophistis. *etsi δέλφαξ sit porcus, tamen sic proprie Sues vocantur, quibus sunt vteri, δελφύας enim vuluas nuncupant, vnde petitur τῶν ἀδελφῶν fratrum nomenclatura, & Interpretatio.* Vir doctus, ex Plutarcho, in Athenæum obseruauit non valde *Vuluarum* esum fuisse antiquum. Certe sciti conuiuatores duo vuluarum genera probarūt, quarum ista, vt dixi, ἐκβολὰς a Gręcis, Eiectitia Latinis vocetur, illa ἐκτόμις, quæ & *Porcaria* dicta Plinio, eodem Athenæo teste. Hanc vuluam eiectitiam Græci scriptores extulerunt. Hipparchus H autor Aegyptiacæ Iliadis.

ἐν λοπάσιν μ' ευφαίνει μήτρης καλὰ πρόσωπα
ἐαβολάδος, δέλφαχ ἐν κλιβάνῳ ἡδέα ὄζων.
In lancibus ne delectat vuluæ pulchrę facies,
Eiectitiæ, ac porcellus qui suauiter in clibano oleat?

Sopater in Hippolyto.

Α'λλ' οἷα μήτρα καλλίκαρπος ἐκβολὰς
δίεφθα, λευκανθεῖσα, χοῖρουτε δέμας.
Sed veluti fęcunda eiectitia vulua
Elixa, dealbata, & Suis corpus.

Sopater correctus.

In secundo versu male legebatur, nec vllo sensu probabili, ante meam correctionem.

— τῦρουτε δέμας

Casti

A

— *Casei corpus.*

Idem rursus in Physiologo.

μήτρας ὑείας ἐκ ἀφεψηθεὶς τόμος

Suillæ vulua non elixum frustum.

Archestratus vetus & ipse Comicus, condimenta ei ac præparationem præscribit. *Vt condiretur?*

γαστέρα καὶ μήτραν ἑφθὴν ὑὸς ἔν τε κυμίνῳ

ἔν τ' ὄξει δριμεῖ, καὶ σιλφίῳ ἐμβεβαῶσαν.

Suis ventrem, elixæ porcæ vuluam, cum Cymino,

Cùm aceto acri, & silphio accedentem.

Aelius Lampridius corruptus est in hac voce, in Heliogabalo. *exhibuit sumina Aprugna per decem dies tricena quotidie cum suis bulbis*, restituo, & lego. *tricena quotidie cum Suis Vuluis.* Error obuius, vt B. pro V. vsurpetur, quo nihil frequentius, non in libris modo, sed & Inscriptionibus ipsis. Lapis Caietæ apud Manutium & Gruterum. *Lampridius correctus. B. pro V. Pag 541.*

B

D. M.

TI. FLAVIO. T. F. TALLIONI.

MIL. VRB. COHOR. XI. VRB.

STIP. XI.

Q. B. A. XXX.

FL. ELPIS. MAT. P.

Aliam Inscriptionem vide in Commentario in Corippum. Erat ea integra, & hodie fragmenta restant in Ponte viæ salariæ. *Li. 3. num. 6.*

HIC. VBI. CVRBATI. DIRECTA.

EST. SEMITA. PONTIS.

Ita Cuiacio teste, in Pandectis Florentinis fuit *Abita patrimonia*, pro *auita*, *Cluentius Habitus* pro *Auito*. L. Apuleius Apologia. *vt bono potui poculum prælabitur*, pro *prælauitur*, quod est *prælauatur*. Ouidio *genitalia naulia* sunt *nablia*, Fruterius notat, & Politianus. Martialis pelle detracta apponi solere innuit. *Lib. 7. epigr. 19.*

C

Et Punicorum pauca grana malorum,

Et excauatæ pellis indecens vuluæ.

Et in Xenijs Epigram. 55.

Te fortasse magis capiet de virgine Porca;

Me materna graui de Sue vulua capit.

Q. Horat. lib. 1. Epist. 15.

Quicquid erat nactus prædæ maioris, vbi omne

Verterat in fumum, et cinerem, non, Hercule, miror,

Aiebat, si qui comedunt bona, cum sit obæso

Nil melius Turdo, nil vulua pulchrius ampla.

Folliculum & *Bulgam* veteres vuluam. Plinius loco supra proxime laudatus. *vesica iunctus vtriculus, vnde dictus vterus, quod alio nomine locos appellant, hoc in reliquis animalibus, vuluam.* Lucilius lib. 21. Satyrar. *Folliculus. Bulga. Locos.*

Ita vt quisque nostrum è bulga est matris in lucem editus.

D

De *larido* seu *lardo* paucis ago. definit Aurelius Macrobius in Saturnalib. *salitam carnem, quã laridum potamus, vt opinor, quasi large aridam.* atque id quidem duplex, & pingue illud candidũq; suillum, quod vulgo audit lardum, sed quælibet caro salita porcina, ac deinde arefacta rursus. Nõ placet quod ait ineptè Isidorus dum a laribus deriuat. *lardum dicitur eo quod in domo repositũ conseruatur, nam antiqui domos lares dicebant. Taxea lardum est Gallice dictum, vnde dicit Afranius* *Lardum. Lib. 7. c. 12. Isidorus reprehensus li. 20. c. 2.*

In rosa Gallum saginatum pingui pastum taxea. *Taxea.*

Axungia ab vnctione vocata, Sebum a Sue dictum, quasi Suebum, quod plus pinguedinis hoc animal habeat, ita ille tam bene vltima, quam male prima. fuit autem lardum cibus militaris, quod ex Diuo Gregorio Nazianzeno, in Athanasio, Iacobus Cuiacius, probat rescriptum Constantini Augusti & Iuliani Cæsaris. *repetita consuetudo monstrauit expeditionis tempore, buccellatum ac panem, vinum quoque atque acetum, sed & lardum, carnem veruecinam etiam, milites nostros ita solere percipere, in duobus diebus buccellatum, in tertio die panem, vno die vinum, altero die acetum, vno die lardum, biduo carnem veruecinam.* Vulcatius Gallicanus narrat Auidium Cassium multæ fuisse feueritatis. Nam *præter lardum, & buccellatum, atque acetum, militem in expeditione portare prohibuit, & si aliud quippiam reperit, luxuriem non leui supplicio affecit.* Est epistola Valeriani ad Zosimionem Syriæ procuratorem, cuius hæc sunt apud Trebellium Pollionẽ. *Salariũ de nostro pri-* *Axungia. Sebum. Cibus militaris. L. 1. C. de erogat. mili. Annon. lib. 12. In Claudio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

uato ærario dabis annuos frumēti modios tria millia, hordei ſex millia, laridi libras duo millia. Hinc E intelligendum Edictum Conſtantini Principis L.4. C.de Erogatione militaris annonæ. *Præcipimus ſpecies annonarias viciniorıbus limitibus a prouincialibus ad caſtra conferri:* quod etiam mandatum a Valentiniano & Valente Auguſtis, & confirmat Iulius Capitolinus in Gordianis. *nulla erat ciuitas limitanea potior, quæ totius anni in aceto, & frumento, & larido, atque hordeo, & paleis condita non haberet.* Vetus Scholiaſtes Iuuenalis. *Sicci terga Suis,* exponit *in crate pendens laridū.*

Coacti prouinciales ad lardum conferendum.
L. 6. C. de Annon. & Trib. lib. 10.
Ad Sat. 11. V. 84.

Qui meminit calidæ ſapiat quod vulua popinæ,
Sicci terga Suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam feſtis ſeruare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente noua, ſi quam dabat hoſtia, carne.

Succidua.

Rara ergo eius commendatio, etiam ad conuiuia Natalitia. Appellatur *Succidua,* vt Ioannes Britannicus vir doctus obſeruat. M. Varro loco toties laudato. *& qui non audierit patres noſtros dicere ignauum & ſumptuoſum eſſe, qui ſucciduam in carnario ſuſpenderit potius ab lanario, quam ex domeſtico fundo?* M. Cicero. *Iam hortum ipſi agricolæ ſucciduam appellant.* quomodo autem condiatur, docet Palladius Taurus in Decembri, *Pernas etiam & lardum conficimus non ſolum menſe hoc, Decembri, ſed omnibus, quos hiemalis algor aſtringit.* M. Plautus Captiuis Act. 4. Sc. 2. F

De Senectute.
Vt condiatur?
Cap. 6.

Laridum atque epulas foueri foculis ardentibus.

Et in Menæchmis Act. 1. Sc. 3.

Glandionicam, Suillam, laridum.

Tenuiorū victus.

Horat. lib. 2. Satyr. 6, tenuiorum victum & obuium, maximeque parabilem videtur facere.

O quando faba Pythagoræ cognata, ſimulq́,
Vncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?

Et ibidem loci aliquot interiectis.

Aridum & ore ferens acinum, ſemeſaq́, lardi
Fruſta dedit.

Locus Martialis corruptus, in quo vilia edulia enumerantur lib. 5. epigr. 79. G

Non deerunt tibi ſeſſiles propinqui. Errant alij.
Viles Cappadocæ, graueſq́, porri,
Diuiſis Cybium latebit ouis
Ponetur digitis tenendus vnctis, male *vſtis,*
Nigra collicupus virens patella,
Algentem modo qui reliquit hortum,
Et pultem niueam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.

Martialis correctus.

Carnarium.

A *lardi* conſeruatione frugi illi & modeſti Romani, paucis contenti, nondum luxuria nata, *carnarium* vocare ſolebant, locum *Suillæ* reponendæ, quia tum rarę carnes, niſi porcinæ, atque illæ a fundo, vt loquitur Varro ſupra laudatus, non a lanario. C. Lucilius.

Sed quid Mutino, ſubiectoq́, hic opus ſigno?
Vt lurcaretur lardum, & carnaria furtim
Patrum conficeret. H

M. Varro in Manio.

— *Hæc aduentribus accedunt cellæ,*
Claues, clauſtra, carnaria, dolia.

Perna.
Lib. 4. ling. Lat.
Aſſum.
Elixum.
Iurulētum.
Succidua.
Tergus.
Perna.
Offula.
Inſicia.
Profectum.
Lucanica.
Faliſcum.
Fundulum.
τυφλὸν ἔντερον.
Farcimina.
Hila.

Lardo affinis *Perna,* nam eodem modo ſalitur, vt ex Aemiliano Palladio ſupra didicimus. M. Varro. *Hinc ad pecudis carnem peruentum eſt, Suilla ſic ab illis generibus cognominata, hinc primo aſſueſſis Aſſam, ſecundo elixam, tertio è iure vtique cæpiſſe natura docet, dictum aſſum, quod ab igne aſſudatum.*—*Vuidum eſt, quod humidum, & ideo vbi id non eſt, ſuccus abeſt, & ideo ſudando aſſum diſtillat calore, vt crudum nimium habet humoris, ſic excoctum, parum habet ſucci. Elixum eſt è liquore aquæ deductum, & ex iure, quod iucundum magis conditione eſt. Succidua a Suibus concidendis, nam id pecus primum occidere cæperunt domini. & vt ſeruarent, ſalire. Tergus Suis ab eo eſt, quod tegitur. Perna a pede Suis, a nomine eius. Offula dicta, vt offa minima in Sue. Inſicia ab eo quod inſecta caro, vt in carmine Saliorum eſt, quod in extis dicitur profectum, Murtatum a Myrto, quod eo largefarium intestinum craſſum. Lucanicam dicunt, quod milites a Lucanis didicerunt, qui & Falerys Faliſcum ventrem. Fundulum a fundo, quod non vt reliquæ partes, ſed ex vna parte ſola apertum, ab hoc Græco putos τυφλὸν ἔντερον appellaſſe (cæcum inteſtinum) ab eadem fartura farcimina in exteis appellata, a quo quod in eo tenuiſſimum inteſtinum fartum; Hila, ab Hilo dicta, id eſt minimo, quod ait Ennius, neque diſper.*

A *disperdefacit hilum, quod in hoc farcimine summum quidam eminet, ab eo quod vt in capite apex, Apexabo dicta, tertium fartum est longabo, quod longius, quam duo Hila. Agumentum, quod ex immolata hostia desectum, in iecore imponendo agendei causa. Magnentum a Magis, quod ad religionē magis pertinet.* Ista quidem Varro nomina diuersa Suillæ attulit, licet scriptura multis in locis deprauata, & hæc omnia, maxima ex parte ad sacrificia pertinent: Et variam quidem scripturam viri docti obseruarunt, & prima verba legunt, *Suilla sic a suillis generibus*. de Iurulento obseruādum est, tertium quoddam parandæ Suillæ genus, quod neque assabatur, neque elixabatur, sed cum iure suo in patina mensæ inferebatur, quod Itali *Stuffam* vocant Isidorus Hispalensis. *Ius coquinæ magistri a iure nuncupauetunt, quia ea lex condimenti eius.* corrigendum videtur. *Ius coquinæ Magiri a iure nuncupauerunt*, hoc condimenti genus apud nullum melius, quam Plautum expressum legere me memini, qui sic in Asinaria. Act. 1. Sc. 3.

Apexabo.
Longabo.
Agumētum.
Magnētum.
Variæ lectiones in Varronis textu.
Ius.
Lib. 20. c. 2.
Isidorus correctus.

Is habet succum, is suauitatem, eum
Quouis pacto condias,
Vel patinarium, vel assum.

B Non tantum ergo carnes Suillæ, in iure sic coquebantur, sed quorumlibet quadrupedum carnes, atque adeo etiam pisces ipsi, sed ad locum Varronis redeo, sequitur postea, *& vt seruarent salire*, ita vulgata lectio, sed meliores Codices præferunt *salere*, atque ita legit Diomedes Grammaticus lib. 1. cap. 4. deinde est scriptum. *Tergus Suis, ab eo, quod eo tegitur*, legendum omnino *Tegus suis*: ita enim & ratio nominis, & versus Trochaici apud Plautum mensura suadent, sic enim ille in Captiuis.

Salere.
Tegus.

—— Callos detruncabo tegoribus.

Et in octonario eadem fabula.

Prætruncauit tribus tegoribus glandia.

Quod deinde subditur, *Perna a pede Suis*, longe aliter concipit Scaliger, *Perna a pede, Sueres a nomine eiusdem*, veteres enim *Sueres* pro *Sues*, & *Boueres*, pro *boues* vsurpabant. Turnebus vero in Aduersarijs. *Perna a pede, Sueris a nomine eius*, veteres quippe *Suera*, pro *Suilla* efferebant. Mox in Varrone, *offula dicta, vt offa minima in Sue, refingendum offula, ab offa minimæ Sueræ.* De aliis infra dicam fusius, contentus hic admonuisse, *Apexabo, longauo, augmentum, Magnentum* dictiones C esse Hetruscas, vt Arnobius lib. 7. nos docet, & ego fusius sum executus in Hetruria mea Regali, vbi de lingua Thuscorum antiqua, nec ea hic repeto. Ad Pernas relictas regredior. quarum salsurā habe ex Catonis re rustica *caro carnem non tangat, post diem duodecimum eximantur, sal detergatur, in vento per biduum, suspendantur, spongia detergantur, oleo vngantur, biduo in fumo figantur, oleo & aceto permixtis perungantur, in carnario suspendantur, sic nec tineæ, nec vermes nocebunt.* De tempore salsuræ idoneo, dubium non est, quin quolibet tempore frigido, sal melius inhæreat, Palladius supra Decembrem præfiniuit, at in Februario Idem. *hoc tempore lardi, Echini salsi, raporum condiendorum, & Pernarū iusta confectio est.* Meminit Athenæus omniscius. At quæ optimæ? è Gallia laudatissimas reperio, autore Varrone in re rustica. *E queis succiduas & optimas Gallia facere consueuit, optimarum signum, quod etiam nunc quotannis è Gallia apportantur pernæ Romam Tomacinæ, & Taniacæ, & Petasiones* sed quænam illa Gallia? Togata scilicet, quæ & Longobardia hodie dicta. docet Strabo infra laudandus, vbi de loco Suum agetur. Athenæus adstipulatur, cuius hæc verba sunt ex versione Iacobi Dalechampij, quæ probissima est. *quoniam vero Petasonis, quam* D *Pernam vocant, portio cuique data est, agedum, sermonem de illa nunc habeamus. & an quisquam id nomen vsurpauerit, perscrutemur, optimæ quidem Pernæ ex Gallia, quibus tamen nec cedunt aduectæ ex Asiatica Cibyra, nec Lyciæ.* mox ex Strabone lib. 3. *Cerretanos*, maximam Hispaniæ gentem, prope Pampilonem, *excellentes Pernas* conficere asserit. Inter hodiernas Pernas prima gloria *Italicis*, secunda *Moguntinis*, nec insuauis *Britannicæ*, & delicatissimæ *Rutenicæ*. Sed quibus maxime conuiuiis adhiberentur, disquirendum. Vetus Comicus Ameipsias præcipuos vsus facere videtur in Solemnibus Sacrorum cænis, ita enim *κόννῳ barba.*

Lib. 14. c. 1.
Suera.
Voces Hetruscæ.
Lib. 1. c. 20.
Salsura.
Cap. 162.
Quo tempore
Cap. 16.
Li. 2. pag. 57
Lib. 2. c. 4.
Gallia Togata.
Lib. 4. pagin. 657.
Asiaticæ.
Lyciæ.
Cerretanæ.
Italicæ.
Mogūtinæ.
Britannicæ.
Rutenicæ.
In Epulis sacris.

δ'δοται μάλιθ' ἱερωσύνα
κωλῆ, τὸ πλευρὸν, ἡ μίκραιρ' ἀριστερά.
In sacrorum epulis perna maxime datur,
Latus, & dimidiati pars, sinistra capitis.

Et liquet suspicari adhibitam Nouendiali cænæ, seu silicernio, quod ad rogum tenuioris fortunæ hominibus dabatur, vt lib. 5. Antiquitatum Romanorum expeditum a me. firmat Euripides in Scirone

In funebri conuiuio.
Sciron fabula Euripedis interijt.

οὐδὲ κωλῆνες νεκρῶν.
Nec mortuorum Pernæ.

κωλῆ. Græci ſane tum κωλῆν, tū κωλῆνα pro perna frequenter vſurpaſſe viſi ſunt. Eupolis in Antolytō E

Σκέλη δὲ καὶ κωλῆνες εὐθὺ τοῦ ῥόθου.

Crura & petaſones ſtatim diluculo.

Ariſtophanes in Secundo Pluto, quæ fabula interijt.

οἴμοι δὲ καὶ κωλῆνες, ἣν ἐγὼ κατήσθιον.

Hei mihi; qualis fuit perna, quam comedi.

Idem poeta in Conuiuatoribus.

καὶ δελφακίων ἁπαλῶν κωλαῖ, καὶ χναυματία
πτερόεντα.

Porcellorum tenellorum petaſones, & cupediæ
Alatæ.

Marſæ. Marſas Pernas memorat A. Perſius Satyr. 3. V. 74.

Pernæ Marſi monimenta clientis.

Quanto pretio Romæ fuerit, hæc autorum loca oſtendunt, Horat. lib. 2. Satyr. 2. alluſit ad Etymologiam. F

—— Præter olus fumoſæ cum pede pernæ.

M. Martialis lib. 10. epigr. 48.

—— cæniſque tribus iam cœna ſuperſtes.

Plautus Captiuis Act. 4. Sc. 2.

—— Pernam, atque ophthalmium.

Et in Menæchmis Act. 1. Sc. 3. in fine.

—— Aliquid ſcitamentorum de foro obſonarier
Glandonicam, ſuillam, laridum, peronidem, aut
Sinciput.

In Pſeudolo Act. 1. Sc. 2.

Pernam, callum, glandium, ſumen.

In Sticho Act. 2. Sc. 3. G

Alij piſces depurgate, quos piſcator attulit,
Pernam & glandium deficite.

Eſt *perna pars Petaſonis*, vt viri eruditi adnotarunt Philippus Paræus, Matthæus Raderus, & vtroque prior Adrianus Turnebus in Aduerſariis. Athenæus adſtipulatur *πετασῶνος μέρος, ἣν πέρναν καλοῦσι. Petaſonis pars, quam pernam vocant.* vtriuſque, tanquam diuerſorum præparationem petere licet ex Cœlio Apicio in re Culinaria, & B. Platina eodem opere. uideri poſſet *Petaſo & perna* etiam diſtingui ex uerbis Varronis, ſupra laudatis. Martialis ſæpe lib. 3. epigr. 77.

Pentaſonis pars perna.
Lib. 16. c. 16.
Lib. 14. pag. 657.
Lib. 7. c. 9.
Lib. 6.

Et pulpam dubio de petaſone vores.

Fuit ergo petaſo recens in delitiis, dum ſucco abundabat, ubi uero ſucco uento exhauſto uetulus erat, quod nos *rancidum* appellamus, & ingratus menſis, nec ullius pretii reputabatur, ſic intelligendi poetæ. Martialis lib. 13. epigr. 54.

Caretana mihi ſiet, vel maſſa licebit
De Menapis, Lauti de Petaſone vorent.

Et eodem libro lemmate ſequenti. H

Muſteus eſt, propera caros nec differ amicos
Nam mihi cum vetulo ſit petaſone nihil.

D. Iuuenalis Satyr. 7. V. 119.

Quod vocis pretium? ſiccus petaſunculus, & vas
Pelamidum.

Hila. *Lib. 8.* Varronem denuo illuſtro. *Hila* eſt farcimen, aut inteſtinum minimum, vt Feſtus Pompeius autor eſt, quanquam *Hila* ad inteſtinum referatur, *hilum* pro leuiſſima reſumatur, Lucilius libro trigeſimo Satyrar.

Quodq; tuas laudes culpas, non proficis hilum.

Hira. Hira eſt apud Plautum Curculione Act. 2. Sc. 1.

Radices omnes pereunt, hiræ omnes dolent.

Stomachum languentem excitabat. Huius præcipuus vſus oppreſſum cibis ſtomachum releuare, & nouis epulis præparare. Horat. lib. 2. Satyr. 4.

Toſtis marcentem Squillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea, nam lactuca innatat acri
Poſt vinum ſtomacho, perna magis, ac magis Hilis

Flagitat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Flagitat in morsus refici.

Offa etiam retractanda est, quam nos supra leuiter ex Varrone & Festo descripsimus, fiebat autem ex intestinis Suillis, & qui parabant *Bubularij* dicti, in ludicro testamento Grunii Porcelli Corocottæ, inter legata variis relicta, Bubulariis legat ĩtestina, Isiciariis femora, & infra LARDIO. SIGN. OFFELLICVS. SIGN. meminit duobus locis Arnobius Contra gentes: & notus est locus; Isidori Hispalensis. *Offa est præcipue frustum edentium, cuius diminutiuum offellam dicit, vnde & Offarij coci, quia particulatim, idest offatim excoquunt. delira sunt, quæ sequuntur.* mentio apud poetas: Martialis lib. 12. epigr. 48.

Offa. *Bubularij.* *Lib.6.* *Lib.20.c.2.* *Offarij.*

Et quæ non egeat ferro structoris ofella,

Parabilem & obuium cibum idem facit lib. 12. epig. 48.

Vilis cibus.

Me mens ad subitas inuitet amicus ofellas,
Hæc mihi, quam possim reddere, cœna placet.

Nec magni pretii innuit lib. 14 epigr. 221.

Parua tibi curua craticula sudet ofella.

B

Plautus Milite Act. 3. Sc. 1.

Iube illud denuo tolli, hanc patinam remoue,
Pernam nihil moror.
Aufer illam offam porcinam,

Iuuenalis Criticis non intellectus, qui offam hanc penitam egregie describit Satyr. 7. v. 82.

Iuuenalis nouo modo explicatus.

Aspice quam longo distendat pectore lancem,
Quæ fertur domino Squilla, & quibus vndiq; cincta
Asparagis, qua despiciat conuiuia cauda?
Cum venit excelsi manibus sublata ministri.

Aurelii Prudentii locus insignis, qui etiam in sacrificiis deorum *offas* receptas docet.

Deasciato supplicare stipiti,
Tetro cruore scripta saxa spargere
Aras ofellis obsecrare bubulis.

C

Nec minori olim in pretio helluonibus *Suum testiculi*, vt ex legum Censoriarum querelis, & sui sęculi corruptela docet C. Plinius. *Hinc Censoriarum legum paginę, interdictaq; cęnis abdomina, glandia, testiculi, vulue, sincipita verrina.* C. Petronius in Trimalchionis cęna. *Structor imposuerat super Geminos, Testiculos ac renes.* hoc castiori voce νεφρὸς, communi dictione παραστάτας, Atheneus, Iulius Pollux, & Hesychius Illustrius, omnes magni nominis Grammatici apud Bourdelotium in Cõmentario, Petroniano id Latini *Polimenta* dixerunt, M. Plautus Menęchm. Act. 1. Sc. 3

Testiculi Suis. *Lib.8. c.51.* *νεφροὺς quid vocent.* *παραςαται* *Polimenta.*

Iube igitur nobis tribus apud te prandium accurarier,
Atque aliquid scitamentorum de foro obsonarier,
Glandionicam, Suillam, laridum, Peronidem, aut
Sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum.

Imbrex dicitur idem: quod *Imbrices* sint tegulę, per quas aqua defluat, inde *clypei imbricati* ab ea forma dicti, noti ex Vegetio & Modesto de uocabulis militaribus, sed & *Imbrex narium* in Arnobio, sic *imbrex Porci* pars ea quę urina emittatur, inter delitias ciborum collocat Martialis lib. 2. epigram. 37.

Imbrex. *Plaut Mostell. Act. 1. Sc. 2. Milit. Act. 2. Sc. 6.*

D

Quicquid ponitur, hinc & inde, verris,
Mammas suminis, imbricemque porci,
Communemque duobus Attagenam,
Mullum dimidium, lupumque totum
Murenęque latus, femurque pulli.

Credebatur Veneri parare. Philippides Comicus in renouatione, de gula Guathenę scorti

Veneris incentiua.

ἔπειτ᾽ ἐπὶ τούτοις πᾶσιν ὐκ ὄρχεις φέρον
πολλὺς, τὰ μὲν ὖυν γύναια τ᾽ ἀλλ᾽ ἰνκκίζετο
ἡ δ᾽ ἀνθρωφόνος Γνάθαινα γελάσασα,
καλοί γε, φησὶν, οἱ νεφροὶ, νὴ τὴν φίλην
Δήμητρα, καὶ δύ᾽ ἁρπάσασα κατέπιεν
ὥς θ᾽ ὑπτίους ὑπὸ τὸυ γέλωτος καταπεσεῖν.

Secundum uersum sanum esse, contra Iacobum Dalechampium assertor est Isaacus Casaubonus, Latine sic uertes.

Deinde post hęc omnia accessit, quę testiculos ferebat
Multos muliercula, eosque apposuit,

Virorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

 E

Virorum autem internecio,tum ridens Gnathana
Specioſi ſunt,inquit,renes hi,per charam
Cererem,arreptoſq́; duos deuorauit,
Vt præriſu ſupini conuiuæ caderent.

Ariſtomenes in Præſtigiatoribus adiungendus eſt.

καὶ ὄρχεις ἤσθιον οὖς, καὶ νεφρὺς ἐκάλουν
Manducarunt & teſtes antiqui,quos renes appellabant.

Sincipita. In cibos etiam delitioſos recepta *Sincipita verrina* ſeu *porcina*, vt in decretis Cenſoriarum le-
gum luxus eo æuo reprimentibus,ex Plinio ſupra laudato,docui,& Plautus ibidem loci

Sinciput,aut polimenta porcina.

Caput Arietinum. Sic & *caput Arietinum* inter miſſilia apud Martialem,vt ex lemmate 211.lib.14.conſtat,Iuue-
nalis adſtipulatur Satyr.3.V.291.

——— *Quis tecum ſectile porrum*
Sutor,& elixi veruecis labra comedit.

li.9.pag.384 Eodem ritu & pars anterior porcini capitis inter exquiſitas cupedias.Athenæus.ἦσαν δὲ καὶ ἡμί- F
κραιραι πολλαὶ δελφάκων. μνημονεύει δ' αὐτῶν κρωβύλος ἐν ψευδυποβολιμαίῳ

οἱ σῆλθεν ἡμίκραιρα ταχερὰ δέλφακος
ταύτης μὰ τὸν Δί' οὐχὶ κατέλιπον γ' ἐγὼ
οὐδέν.

*Adfuerũt & in eo conuiuio dimidiata capita multa Porcellorum,quorum meminit Crobylus in fal-
ſo Suppoſititio.*nomen id fabulæ eſt.

Acceſſerunt ſincipita liquata Porcelli
Horum ego,per Iouem,reliqui
Nihil.

Nænius in Decuma apud Nonium.

——— *iam ego illi ſubiens*
Sublabrabo eſui illud Sinciput.

Ophthalmiũ. Plautus ioculariter *ophthalmium* vocat, licet non deſint,qui exiſtimauerint *piſces* quoſdam ſic G
dictos,ab *oculorum magnitudine*,& ideo Plinius *oculatam*, Ariſtoteles vero & Græci μελάνουραμον, appellant, Robertus Conſtantinus, & alii, ſed falſo, eſt enim *ophthalmium* anterior pars ca-
Supplem.lat. ling. pitis,in qua *oculi*,vnde illi nomen.Plautus vero in Captiuis Act.4.Sc.2.V.71.

Alium piſces præſtinatum abire. H.*hic vigilans ſomniat.*
AR.*alium porcinam,atque agninam,& pullos Gallinaceos.*
H.*ſcis bene eſſe,ſi ſit vnde.* ER.*Pernam atque ophthalmium,*
Hornum Scombrum,& Trigonum,& Cetum,& mollem carnem.
H.*Nominandi tibi iſtorum erit magis,quam adeundi copia*

Fortaſſe idem erit *caput*,quod in delitiis enumerat Lucilius Satyrar.lib.4.

Aſſequitur nec opinantem, in caput inſilit, ipſum
Commanducatur totum complexa,comeſtque.

Iſicia. De *Iſiciis* obiter tractandum : quid ea ſint Varro ſupra in libris de Latina lingua laudatus, do-
li.9.pag.376 cuit, deſcribit pulchre Leonides apud Athenæum, qui ἰσίκια *Iſicia* vocat, & vult dictionem eſſe H
Græcanicam,ſeu Atticam,cum Macrobius liquido poſt Varronem Latinam faciat, in quo Furius
Lib.7.c.8. Albinus,quaſi inſitium ab inſectione carnium vocari ſcribit, ſed Arnobius lib.7.contra gẽtes vult
Lib.1.c.20. vocem eſſe Hetruſcam,& ego obſeruaui in opere de Hetruria Regali.& ciuitate Romana,vt mul-
tas alias voces Thuſcas,donatam liquet.vel ex eo,quod Cælius Apicius eius præparationem in re
Paxam' no- ſua culinaria,habeat:vt merito culpari debeat Paxamus vetus ſcriptor Græcus,&,vt colligo,arte
tatur. etiam cocus,cuius circumferebantur Commentarii *de re ruſtica,de paratu ciborum,de tincturar-*
Non facile *te* Suida autore.Illud ſane non omiſerim,Iſicia difficillimæ fuiſſe digeſtionis,aut concoctionis,&
digeruntur. cauſa euidens apud Macrobium loco laudato,qui tranſcripſit Alexandrum Aphrodiſæum,& pæ-
Lib.1.proble- ne verbatim expreſſit,Addit Varro,*in Saliorum carmine* olim *Iſicia* dicta, quod poſtea ſuo ſæculo
mat.22. nominatum fuerit *Proſectum*:& familiare ſane in Latinorum ſacris vocabulum *Proſecare*, & *proſe-*
Proſectum. *ctum*.Sueton.Auguſto.*Nuntiata repente hoſtis incurſione, ſemicruda exta rapta foco proſecuit*.T.
Cap.1. Liuius.*qui eius hoſtiæ exta proſecuiſſet,ei victoriam dari*.Q.Florens Tertullianus.*Gallum Aeſcula-*
1.Decad.lib.5. *pio proſecari mandauit Socrates*.Licinius Macer in Ornithologia.
Apologet.

——— *vulgari toſta vapore*
Cum virgis proſecta ferunt.

Sic Poetæ capiendi.Statius Papirius lib.5.Thebaid.

vbi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

— *vbi aduerso dederat profecta Tonanti.*

Lutatius Placidius vetus interpres ad eum locum, *profecta dicũtur exta cum redduntur insecta, & est vsus verbo sacrificantium, particulæ enim minutæ membrorum omnium, profecta dicuntur in sacris, quæ inferuntur aris.* M. Lucan. lib. 6.

— *laui calido profecta cerebro.*

Valerius Flaccus lib. 2. Argonaut.

Tum piceæ mactantur oues, profectaque partim
Pectora.

P. Ouid. lib. 6. Fastor.

Sic vbi libauit profecta calentibus extis.

Et lib. 12. Metamorphos.

— *vt imposuit profecta, sub æthere ponit.*

Plaut. Pænulo. Act. 2. Sc. 1.

Abeo illinc iratus, vetuique exta prosecarier.

B

Inde & *Prosiciæ*, vt notauit Barnabas Brissonius in formulis. Arnob. lib. 7. *si omnes has partes, quas prosicias appellamus, dij amant.* Martian. Capella in Nuptiis Mercurii. *physiculatis extorum prosicijs viscera loquebantur.* vide plura apud Brissonium. ego pergo. *Lucanica*, ex carne porcina, a *Lucanis* populis, qui primi farcturam inuenerũt, nomen habent. Varro supra laudatus. longus est de ijs excursus apud Athenæum quem vide. sed & lib. 12 φύσκην *Lucanicam* vertit Interpres, & alibi fusius ex Eubulo in Leda: κρέα δελφάκυυν, χορδαί τ᾽ ἐρίφων, ὗπαρ τε κάπρου, κριοῦ τ᾽ ὄρχεις, χόλικές τε βοός, κράνιά τε ἀγνῶν, νῆστις τ᾽ ἐρίφυ, γαστὴρ τε λαγῶ, φύσκη χορδὴ, πνευμων. ita in Latinum viri eruditi transtulerunt.

Proficiæ. lib. 1. lib. 1. Lucanica. li. 9. pag. 376

Porcelli caro, lactes, ieiunumque intestinum hædi,
Apri iecur, veruecis testes, exta bouis,
Agni caput, leporis venter, omasum, flexuosa
Intestina, pulmo, lucanica.

Martialis lib. 13. epigr. 34. lemma est lucanicæ.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ.

C

Viri docti *omasum* id intestinum, ex quo Lucanica fierent, vocant Dalechampius ad Athenæi librum nonum. Nænius Aulularia, siue, vt aliis placet, Ennius Herularia. *Omasum.*

Præcisum, omasum, pernam, callum, glires, glandia.

Non desunt, qui cum *Lucanica* ἴσικον, seu *Isiciam* confundant, sed distinguunt omnes Latini scriptores, in his Apicius separatim de ijs agit, eumque secutus Platina lib. 6. rei Culinariæ, ut appareat diuersa esse. Vt *Lucanica* a Lucanis, ita *Phalisci* farciminis suilli genus, a *Phalerijs* seu *Faliscis* Hetruriæ ualidissima gente, nomen acceperunt. probaui hoc Faliscorum inuentum multis in Hetruria Regali. sic poetæ capiendi. Martialis lib. 4. epigr. 46.

Error quorundam. lib. 2. c. 1. & Cap. 6. Falisci. lib. 3. c. 104.

Et Lucanica ventre cum Falisco.
Et nigri Syra defruti lagana.

P. Statius lib. 4. siluar. 9. Silua.

Non lardum graue, debilisve perna.
Non Lucanica, non graues Falisci.
Non Sal.

D

Inter delitias è porcina carne exquisitas *Tucetum* ponunt. L. Apuleius describit. Fotis *suis dominis parabat, viscum fartim concisum, & pulpam frustatim collectam, abacum pascue vinulentam, & quidem naribus iam ariolabar mihi tucetum perquam sapidissimum.* notat Philippus Beroaldus *Tuceta* dici *regias escas*, sed hoc unde ille hauserit, quærat alius. Glossarium Isidori. *Tucetum, bula condita apud Gallos Alpinos.* aliud glossarum ueterum fragmẽtum, siue excerpta Pithoeana in quo *Tuætum* corrupte pro *Tucetum* legitur Callimachus

Tucetum. lib. 2. Milesiar.

— *Ambrosios redolent tuceta sapores.*

Glossæ veteres correctæ

A. Persius Satyr. 2. V. 41.

Poscis opem neruis, corpusque fidele senectæ
Esto, age, sed grandes patinæ, tucetaque crassa
Annuere his superos vetuere, Iouemque morantur.

Sunt *farta, farcimina, farturę*, de quibus Varro supra aliquoties laudatus, & Isidorus in Originibus, quos uide, & sunt hodie in omnibus pæne Europæ regnis cupediæ illæ suillæ, nisi in Scotia, ubi magnus illius pecoris prouentus, rarus in cibis usus, Parisienses uocant *Cerebella Ceruellades*, *Salsitias* Mediolanenses, *Mortadellam* Bononienses, alii aliter; sed ego ad condituram pergo. quæ *lib. 20. c. 2.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Salſura duplex. *lib. 12. c. 53.* *Epiſt. ad Euſiochium.*

duplex, una ſuperius expoſita eſt ex Varrone, & Palladio, debetque fieri Decembri aut Ianuario, E ut dictum eſt, adde etiam & Februarium peridoneũ ſalſurę; altera ratio ſalſurę, *vt ſemper in muria caro libratim conciſa conſeruetur, nec vnquam vento aut fumo exponatur, poteſtque ſic condiri etiam feruentibus æſtatis caloribus*, autor eſt Moderatus Columella in re ruſtica. Condimenta vero eius conuiuiis publicis inſtaurandis quæ fuerint, Cælius Apicius, & B. Platina ſcriptis de culinaria libris expreſſerunt, & mihi non ſunt ad manum: & nonnihil obiter, ioculare illud Grunij Corocottæ Porcelli teſtamentum, attingit, quod quia lepidiſſimum eſt, & a Diuo Hieronymo laudatum, integrum hic apponam.

Grunij ludicrum teſtamentum.

M. Grunnius Corocotta Porcellus teſtamentum fecit, quod quoniam mea manu ſcribere non potui, ſcribendum dictaui, Magirus coquus dixit: veni huc euerſor domi, ſoliuerſor fugitiue Porcelle, ego hodie tibi vitam adimo, Corocotta Porcellus dixit, ſi qua feci, ſi qua peccaui, ſi qua vaſcula pedibus meis confregi, rogo domine coce, veniam peto, roganti concede, magirus cocus dixit, tranſi puer, adfer mihi de culina cultrum, vt hunc porcellum faciam cruentum, porcellus comprehenditur a famulis, ductus ſub die XVI. Kal. Lycerninas, vbi abundant cymæ, Clybanato & piperato coſſ. & vt vidit ſe moriturum F eſſe, horæ ſpatium petijt, cocum rogauit, vt teſtamentum facere poſſet, inclamauit ad ſe ſuos parentes, vt de cibarijs ſuis aliquid dimitteret ijs, qui ait, Patri meo Verrino Lardino DO, LEGO, dari glandis modios triginta, & matri meæ Veturrinæ Scrofæ, do dari ſiliginis Laconicæ modios XL. & ſorori meæ Quirinæ, in cuius votum intereſſe non potui, do, lego dari hordei modios XXX. & de meis viſceribus DABO, LEGABO ſutoribus ſetas, rixatoribus capitinas, ſurdis auriculas, cauſidicis & verboſis linguam, Bubularijs inteſtina, Iſiciarijs femora, mulieribus lumbulos, pueris veſicam, puellis caudam, cynædis muſculos, curſoribus & venatoribus talos, latronibus vngulas, & nec nominando coco, do, lego, ac dimitto, popam, & piſtillum, quæ mecum detuleram a querceto vſq; ad haram, liget ſibi collum de reſte. volo mihi fieri monimentum ex literis aureis ſcriptum, M. Grunnius Corocotta Porcellus vixit annos D.CCCC.XCIX. quod ſi ſemis vixiſſet, mille annos impleſſet. Optimi amatores mei, vel conſules vitæ, rogo vos, vt corpori meo benefaciatis, bene condiatis, de bonis condimentis nuclei, piperis, & mellis, vt nomen meum in ſempiternum nominetur, mei domini, & conſobrini mei, qui meo huic teſtamento interfuiſtis, iubere ſignari. G

Lucanicus ſignauit. Tergillus ſignauit. Nuptialicus ſignauit. Celſanus ſignauit.
Lardio ſignauit. Ofellicus ſignauit. Cymatus ſignauit.

Kalendæ Lucernina. *Cærei Saturnalium.* *Cymæ.* *lib. 12. c 7.* *Afratum.* *κύματα.* *Cap. 16.*

Ritum teſtamenti legitimi expreſſit, & ſingulas ceremonias autor quiſquis fuit, ad amuſſim eſt ſecutus, nam & tempus mortis *ad Calendas Lycerninas*, aut *Lucerninas* funus inſtruit, quas ego Decembrem menſem exeuntem intelligo, nam Kalendis Ianuariis Cærei noui mittebantur, quibus etiam Saturnalibus vtebantur, vt in Antiquitatibus Romanis docui, & multis Iuſtus Lipſius in Saturnalibus. Macrob. in Saturn. lib. 1, cap. 7. Martial. lib. 10, epigram. 87. per *Cymas*, vel intellige ſummitates olerum, quæ coquebantur cum larido, vel in muria aſſeruabantur, vt præſcribit Iunius Columella. Aut certe *Afratum* deſignat, genus porcini edulii teſte Iſidoro, quod ſpumeum dicitur, quia iure ſpumam referente, vt opinor, apparabatur, κύματα enim Græci fluctus vocant, aut forte a Iuriũ colore, eſt quippe cymatilis marinus aut cæruleus color, vt definit Nonius Marcellus. Titinnius in Setina.

Et quem color cymatilis deceat.

Sic in codice Commodiani antiquiſſimi ſcriptoris librarii inſcitia eſt, & quia nondum editus H eſt, apponam verba ex lib. 1.

Commodianus MS. correctus.

Neptunum facitis deum ex Saturno procreatum,
Et tridentem regit, vt piſcis ſufficere poſſit
Patet eſſe, deum Cumeralem, illi parate
Troianos non ille cum Apolline muros edixit
Vnde deus factus inops cimentarius ille,
Non Cyclopem genuit monſtrum, non Marſus & ipſe
Viuere non poterat de ſuo, quod ſtructura gerebat
Sic genuit generatus, qui fuit iam mortuus olim.

Tertius verſiculum mire afflictus, & pæne depoſitus, tu reſtitue

Neptunus Cumatilis Deus.

Patet eſſe deum Cumatilem, illi parete,

Quartum verſiculum ſic lege.

Troianos non ille cum Apolline muros eduxit?

Clibanus.

Redeo ad Porcelli teſtamentum *Clybanatus* a *clybano* in quo edulia illata, conſul nomẽ habet. Hipparchus autor Iliadis Aegyptiacæ. ἐν λεπτῷ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ἐν λοπάσιν μ' ἐυφαίνει μήτρης καλὰ πρόσωπα
ἐκβολάδος, δέλφαξ ἐν κλιβάνῳ ἡδέα ὄζων.
In lancibus me delectat vuluæ pulchræ facies
Eiectitiæ, ac porcellus, in clibano suauiter olens.

Septem deinde Testes ex iure ciuili requisiti, plenam vim & vigorem concesserunt, sed & testium nomina ciborum porcinorum naturam & qualitatem significant. nam *Lucanicus* a *Lucanicarum* fartura, *Tergillus a tergore*, *Cymatus a Cymis*, *ofellicus ab offarum præparatione*, *lardio a lardo*, vt supra, *Nuptialicus a Nuptiarum* solemnitate, qua mactabatur, vt infra dicetur. *Magirus* siue μάγειρος & cocus, eadem sunt, reliqua sunt antea explicata.

Septē testes.
μάγειρος.

QVI POPVLI ABSTINERENT à Suilla, & qui ea vescerentur?

B ROMANOS mores attigi, nunc historica relatione excurram quibus odio Suilla, aut delitiis olim fuerit? Ante omnia ergo Iudæi suilla abstinebant olim, & pertinaciter hodie etiamnum abstinent, vt multiplici scriptorum testimonio comprobabo, quare insignis est, & non ferendus error veteris Iuuenalis Scholiastis, qui ad Satyram 6. V. 159. Iudæi *maioribus porcis parcunt, minores manducant*. non illi a porcis tantum maioribus abstinebant, sed ab omni penitus porcinæ esu. idque ex præcepto Dei Moysi inuulgato, vt habetur Leuitici cap. 11. repetitumque Deuteronom. cap. 14. ita profani scriptores tamen, hoc diuinum mandatum ignorātes, varias causas finxernnt, vt alter altero insanior, & magis ridiculus videri possit. Strabo Amasianus. ἐκ μὲν τῆς δεισιδαιμονίας αἱ τῶν βρωμάτων ἀποχέσεις, ὥσπερ καὶ νῦν ἔθος ἐςὶν ἀυτοῖς ἀπέχεσθαι. *superstitio inuexit abstinentiam a carnibus, quam etiamnum retinent*. C. Tacitus. *Sue abstinēt, memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpauerat, cui id animal obnoxium*. Callistratus & Policrates apud Plutarchum in Symposiacis existimant eam abstinentiam a religiosa quadam obseruantia prouenire, aut cultu secreto, quo animal illud
C prosequuntur. verba Polycratis hæc sunt. ἐγὼ δὲ καὶ προσδιαπορῶ πότερον οἱ ἄνδρες τιμῇ τινι τῶν ὑῶν, ἢ μυσαττόμενοι τὸ ζῶον ἀπέχονται τῆς βρώσεως ἀυτȣ. τὰ γὰρ περὶ ἐκείνοις λεγόμενα, μύθοις ἔοικεν, εἰ μήτινας ἄρα λόγους σπουδαίους ἔχοντες ȣκ ἐκφέρουσι. *Ego quidem vehementer dubito, vtrum Iudæi in honorem porci, aut quod animal illud abominentur, esu carnium suillarum sese abstineāt, nam quæ apud illos dicuntur, fabularum sunt similia, nisi fortassis habent serias quasdam rationes, quas non efferunt*. Subdit deinde ibidem loci Callistratus ἐγὼ μὲν τοίνυν οἶμαί τινα τι μὴν τὸ ζῶον ἔχειν παρὰ τοῖς ἄνδρασι. *Ego itaque arbitror id animal in aliquo esse apud eam gentem honore*. Hæc est illa gentilium opinio inueterata Iudæos Animalis cuiusdam occultati caput in adytis colere, quod nondulli *Arietis*, caput, quidam *Asini*, sed & alii *Porci*, esse dixerunt. Verum ista alii discutiant.

Iudæi Suillā abstinebant.
Scholiastes Iuuenalis errat.
Ex præcepto
Ex superstitione.
lib. 16.
Ex metu scabiei.
lib. 5. Histo. princ.
lib. 4. quæs. 5
A cultu religioso.

Celebre illud fuit Augusti Principis apophthegma quod retulit Aurelius Macrobius, in hæc verba. *Augustus cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum, intra bimatum, iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait, melius est Herodis Porcum esse, quam filium*. Festiuum hoc Augusti dictum excipit graue factum Antiochi Regis apud Suidam. *Antiochus Iudaicam gentem
D quæ ob insolita tributa seditionem mouerat, rursus subegit, templique donariis spoliatis, & omnibus peruestigatis, sigillum inuenit, librum tenens manibus, promissa barba, cui & lucernula auro distincta adstabat, hac suillo inuncta sanguine in templo reliquit, & Iudæis incolis multis talentis multatis, quæ tributi nomine penderent, in Syriam est reuersus*. non minus memorabile est illud Hadriani Augusti, qui veteres Hierosolymas tot seditionum & impietatum nidum tandem destruxit, & nouam vrbem inibi fundauit, vocauitque *Aeliam*, vt in Actis Concilii Niceni. *Episcopus Aeliæ ab omnibus honoretur*, & late VVilhelmus Tyrius in sacri belli historia, nec contentus caput genti ab stulisse, exilio etiam multauit Iudaici sanguinis omnes, & dira supplicia edixit, si vnquam in Palestinam inspicere auderent, vt Tertullianus autor in Apologetico est, ad vltimum *marmori Suem insculpi fecit, & portæ affigi, quæ Bethleem ducebat, vt execrandum dirumque animal honoratum Iudæi acrius ingemiscerent*, notat Petrus Pithæus, aut sane, *vt illis Ianitoribus populum superstiosum omni aditu prohiberet*, vt ait Samuel Purchasius in Itinerario. vide narrationem Aurelii Cassiodori. Hanc abstinentiam descripsit lepide Iuuenalis Sat 6. V. 159.

Augusti Apophthegma.
lib. 2. c. 10.
Antiochi Regis factum.
Et Adriani Aug.
Lib. 8. c. 2.
Sus in porta Hierosolymarum.
Lib. 2. subcisiuor. c. 3.
lib. 2. c. 10.
In Chronico

Obseruant vbi festa mero pede sabbata reges,
Et detus indulget senibus clementia porcis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Et Satyr. 14. V.96.

Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cœli numen adorant,
Nec diſtare putant humana carne Suillam.
Qua pater abſtinuit.

Iudæis Aegyptij ſimiles, A Iudæis, vt putatur, Aegyptiis hæc abſtinentia communicata, vt ex Herodoti Melpomene,
colligunt viri docti, in his Ioannes Camers, Samuel Purchaſius, & eſt altius repetendum. Vel er-
go ex conuictu populi Hebraici Aegyptii circuncisionis turpitudinem, & a ſuilla abſtinentiam ad
didicerunt, vt Clementi Alexandrino & aliis viſum; vel ſane ſponte ſua animal id ob immundi-
tiem habuerunt, vt infra hic dicetur, vel quia leproſum eſt Sus animal, vſque adeo, vt ſi quem Ae- E
gyptium in via forte terigerit, expiatum ſe ille non putet, niſi totum corpus, & veſtimenta ablue-
rit, vel quia morbum ſuum facile in homines diffundit. Plutarchus loco poſtremum laudato, vel
denique quia tam immodicæ & abominandæ gulæ ſolet eſſe, vt ne fœtui quidem ſuo parcat, vt
lib. 10. c. 16. eleganter apud Cl. Aelianum; quem locum tu vide, ego non tranſcribo, alii cum præoccupa- F
Et Arabes, runt. Eadem opinio immunditiei ſordiumque deterruit Saracenos, qui Arabum ſunt progenies,
atque illi quidem non minori religione, quam Iudæi, eſum porcinæ deuitabant. Iul. Solinus Poly-
Cap. 46, hiſtore. *Arabes nobiles monte Caſio, qui Scenite cauſam nominis inde ducunt, quod tentorijs ſucce-
dunt, nec alias domos habent, ipſa autem tentoria cilicina ſunt, ita nũcupant velamenta è Caprarum
pilis texta, præterea carnibus ſuillis prorſus abſtinent, ſane hoc animalis genus, ſi inuectum illo fue-
Et Saraceni, rit, moritur illico.* Eadem inquam opinio Saracenos, diu etiam ante Mahometis tempora, tetigit,
qui a porcina cautiſſime ſibi cauebant, ex aliis Samuel Purchaſius notat. Eandem gentem impo-
Lib. 3. cap. 2. *Et Mahometani.* ſtor Mahometus ſuis præceptis poſtea informauit, & ſupra omnia, illud religioſa cuſtodiendum
obſeruantia iniunxit, *ne carne porcina veſcerentur, neve vllis animalibus ſponte mortuis, & quibus
Azoar 33. 34. collum inciſum,* Alcorani hæc ſunt verba, alibi non *caro* modo *ſuilla*, ſed & *ſanguis inhibetur.* Por-
Cur? tentoſa cauſa abſtinentiæ Mahometanæ hæc fertur, *cũ arca Noa in vnũ latus inclinaſſet, Noe adhi-
buit Deum in conſilium, qui iuſſit eum Elephantem producere, ex cuius fimo, humano admixto, ſtatim
ortus eſt Porcus, qui cœnum illud roſtro repando eruit, & ex illo fœtore, proceſſit è naribus Porci Mus, G
qui eueſtigio tabulata Arcæ incepit arrodere; id cum Noe non leuiter timeret, leonem in ſincipite per-
cuſſit, qui graueolenti illo ſuo halitu generauit felem, muri capitalem hoſtem, ita felis murem, Ele-
phas porcum peremerunt,* Sexcenta talia impio & execrando eo opere ſunt nugamenta, Reperio e-
Et Mauri. tiam. *Mauros in China habitantes omnia pene arcana Alcorani obliuioni tradidiſſe, circumciſionem
& ſuillæ abſtinentiam illibato cultu obſeruare,* vt retulit Perera. Et eadem apud alios rerum Chi-
In Rela. Chinen. nenſium ſcriptores probata. qui res modernas Tartarorum memoriæ mandarunt, *abominandum
Et Tartari. hunc quadrupedem, quia immundum, nec vlla ratione in cibos admittendum* prodiderunt, in hiſce
Apud Hakluyt. tomo 3. Nauigat. Ioannes de Plano Carpini, alunt tamen & vicinis gentibus vendunt, facturi inde vberem prouen-
tum. Denique Peſſinuntii in Galatia opulenta & valida ciuitas abſtinent omnino a ſuilla, Pauſa-
nia autore,

Veſcuntur Perſæ. Hi quidem abſtinent, ſed maior longe gentium numerus, certiorque populorum concordia ve-
ſcentium. Primum, illud omnino certum, letale inter Perſas, & Turcos odium eſſe, maxime reli-
gionis nomine inualeſcens, *vt Iſmael Perſa dicatur non modo Suillam ſuis ſubditis permiſiſſe, ſed
etiam porcum in aula delicate nutriiſſe, eique, in contemptum Ottomannorum, nomen Baiazeti impo-
Cent. 3. c. 12. ſuiſſe.* Philippus Camerarius in operis ſubciſiuis id ſcripſit. Eſt ſane memorabile, quod de Canton H
Et Chinenſes. ciuitate Chinarum, quam incolæ vocant *Canceu*, reperi, *tantam ibi eſſe annonæ omnis generis abun-
dantiam, vt die vnoquoque ſex millia Suum, vndecim millia Anatum, cum infinita boum multitudi-
ne, conſumantur, præter aues feras, gallinas, cuniculos, ranas, Canes, piſces omnifarias, quod admira-
bile cenſebitur, ſi meminerimus ordinarium Chinenſium cibum eſſe oryzam puram aqua ſola decoctã.*
Hiſt. Chin. Hoc referunt Gaſpar de Cruz, Antonius Dalmeida Barros, & Eſcalanta quos vide. *Syri quoque,*
Et Syri. qui *immundum hoc animal*, forte ex Iudæorum vicinia, *reputabant, hodie tamen veſcuntur eo,* qui
lib. 1. c. 15. non ſunt Mahometano furori & impietati ſubiecti: Samuel Purchaſius in Itinerario. Varia eſt eti-
Et Phœnices. am *Phœnicum* circa hoc obſeruatio, nam *nonnulli eorum carnes ſuillas auide appetebant, quidam in
honorem Veneris, quam ſpecie Piſcis colebant, non abſtinebant modo ab ea, ſed profanum* abominan-
dumque id animal cenſuerunt, vt ex relatione Petri Martyris, & Tremellii, aliorumque legenti-
bus eſt obuium. plura in hanc rem infra expedientur, vbi de loco.

VSVS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

VSVS IN GENTILIBVS variorum idolorum sacris.

QVI diligenter de Hostiarum ratione inter Antiquos prodiderunt, testatum nobis reliquerunt, primos mortales non cruentis victimis deos suos placasse, sed frugibus, floribus, farreis libis, placentisque, & adoreis, & thure eos honorasse, vt autor est Porphyrius, postea aras cruentarunt animalium sanguine, ac primi omniũ *Hyperbius Martis filius*, patris sui immanitatem expressurus *animal occidisse* fertur, & *Prometheus bouem*, vt autor Plinius. veteris quidem æui frugalitatem collatam cum insana posteriorum temporum profusione contulerũt multi, & ad eum ritum alludit Albius Tibullus lib. 4. ad Messallam in princip. Suillæ locus est. *Bos septimus de hominibus stupidis. nã cum pauperes animal*
B
nullum sacrificare possent, taurum è farina fingebãt, cum autem ex animalibus immolentur, Ouis, Capra, bos, porcus, gallina, anser, septimus immolabatur ex farina, qui, quod inanimis esset, in prouerbiũ abiit. causam autem cur porca cæsa fuerit, hæc a Plutarcho refertur libello de Solertia Animaliũ. καὶ βοῦς τις ἢ σῦς αἰτίαν ἔχε προκειμένων ἱερῶν γευσάμενος, ἐπιτήσειος ἀποθανεῖν. *Deinde Bos aut Sus quod proposita sibi sacra gustasset, causam suæ necis præbuit.* causam huic affinem, sed tamẽ diuersam adferunt, quud noua sata rostro eruisset. Ouid.

Prima victima. *Lib. de Abstinẽtia carniũ* *Lib. 7. c. 56. fine.* *Cereri porca cæsa.* *In βοῦς ἕβδομος.* *Cur?* *Pag. 959.* *Lib. 15. Metamorph.*

Hostia Sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerat rostro, spemq́ interceperat anni.

Et lib. 1. Fastorum.

Hic qui nunc aperit percussi viscera Tauri,
In sacris nullum culter habebat opus.
Prima Ceres auidæ gauisa est sanguine porcæ
Vlta suas merita cæde nocentis opes.
Nam sata vere nouo teneris lactentia succis
C
Eruta setigerę comperit ore Suis.
Sus dederat pęnas.

Si vera Porca defuisset, imaginariam ex auro, argentoque, aut quolibet alio nobili metallo aris admouebant. Ateius Capito apud Festum Pompeium. *Porcam auream aut argenteam dici ait Capito Ateius, quæ etsi numero hostiarum non sint, nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam adhiberi sacrificio Cereali.* Eadem hæc victima *Præcidania* audit Festus eodem libro. *Præcidania porca, quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo iusta non fecißet, id est glebam non obiecißet, quod mos erat facere ijs prius, quam nouas fruges gustassent.* de Tralatitio isto sepeliendi ritu plena manu in Antiquitatibus Romanis disserui. præcidaniam hanc porcam definit etiam Aulus Gellius in Noctibus Atticis. *Eadem quoque ratione verbi pręcidanię quoque hostię dicuntur, quę ante sacrificia solemnia pridie cęduntur, porca autem pręcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges nouas fieri ceptas, immolare Cereri mos est, si qui familiam funestam, aut non purgauerant, aut aliter eam rem, quam oportuerat, procurauerant.* quibus id verbis, quave solemnitate fieri consueuerit, ex Catone in re rustica docemur. *Priusquam messem facies, porcam præcidaniam hoc*
D
modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porco fœmina, priusquam hasce fruges condantur, far, triticum, hordeum, fabam, semen rapicium, thure, vino, Iano, Ioui, Iunoni pręlato, priusquam porcum fęminam immolabis, Iano struem commoneto. Varro libro tertio de vita populi Romani apud Nonium Marcellum. *Quod humanitus non sit, hęredi porca præcidanea suscipienda Telluri & Cereri, aliter familia pura non est.* Isti vero teneriores erant porcelli, qui *quoniam puri sunt ad sacrificandum, ait M. Varro, vt immolentur, olim appellati* Sacres. dicũtur autem *Puri*, siue ad sacrum idonei, quod censuerunt fieri quinto aut sexto die. C. Plinius. Suis fætus sacrificio die quinto purus est. Idem valent *Sacres*, vt Varro iam insinuauit, & viri docti obseruarunt. M. Antonius Muretus, Hadrianus Turnebus, Iacobus Renardus in Coniecturis Plautinis, lib. tertio, cap. decimooctauo, nec soli Cereri, sed & diis præstitibus immolati ab iis qui insani erant, aut mentis impotes. M. Plautus Menæchm. Act. 2. Sc. 2.

Aurea porca Lib. 14. *Præcidauia.* *Lib. 5. c. vlt.* Lib. 4. c. 6. Cap. 134. *Cap. 2. num. 724.* *Puri porcelli.* *lib. 2. rei Rustic. c. 1.* *lib. 8 c. 51.* *Sacres, & Sinceri.* *lib. 3. c. 18.* *Insaniorum victimæ.*

Adolescens, quibus hic pretijs porci veneunt
Sacres, sinceri? nummos eos a me accipe,
Iube te piari de mea pecunia,

Nam ego quidem inſanum eſſe te certo ſcio, E
Qui mihi moleſtus homini ignoto.

Ob auctā familiam. Et aucta familia idem erat ſacrificium, hoc eſt liberata puerpera. Idem Plautus Rudente Act. quarto Scen. ſexta.

Atque adornare, vt rem diuinam faciam, cum intro aduenero
Laribus familiaribus, cum auxerunt noſtram familiam.
Sunt domi agni, & Porci Sacres.

In Myſticis initijs Eleuſinorum. *lib. 10. c. 16.* *In Drachmas.* *In χοιρίων μυϛηριακῶν.* *In καθάρματα.* *In Cretenſiū ſacris.* *lib. 9. pagina 376.* Nec illud omittendum, hanc eandem hoſtiam in myſticis ſacrorum Eleuſinorum initiis vſitatam receptamque olim a viris doctis traditum Aelianus in Animalium proprietatibus. *Tum Athenienſes in Myſterijs iure optimo Sues immolant, propter perniciem quam ſegetibus moliuntur, nam ex ſpicis ſæpe illas quæ nondum ad maturitatem peruenerunt, vaſtant, alias effodiunt.* Scholiaſtes Ariſtophanis, & Euſtathius multis, ſed illi non ad manum. Suidas illud neſcio cuius antiquiſſimi ſcriptoris attulit. εἰς χοιρίδιον δάνεισόν μοι τρεῖς δραχμάς. *ad Porcellum emendum mutuo mihi tres Drachmas, de ijs qui vel morituri, vel initiandi erant, qui enim initiabantur, porcellum immolabant,* F *quo viderentur in numerum piorum referri.* Idem alibi. *In Cereris initijs porcus ſacrificabatur, eanim beſtia illi deæ ſacra eſt.* ad expiationes valde hæc victima efficax credita. Idem Suidas. *ſolent Athenienſes porcellum mactare, & ſubſellia ſanguine aſpergere.* Nec id Athenienſium modo in more poſitum, ſed & aliis populis factitatum, ſiquidem idem genus ſacrificii apud Præſios Cretæ gentem, autore Stephano, inualuit, teſtis eſt Athenæus. Πράσιοι δὲ καὶ ἱερὰ ῥέζουσι ὑΐ, καὶ αὐτὴ προτελὴς αὐτοῖς ἡ θυσία νενόμισται. *Præſij quidem Sues immolant, quo ſacro ipſos initiari lege ſtatutū eſt.* Multis hoc tractat vir doctiſſimus Antonius Muretus in variis lectionibus. Tibullus lib. 1. Eleg. vlt.

l. ö. 3. c. 7.

At nobis ærata Lares depellite tela,
Hoſtiaq́; a pura ruſtica porcus hara.

Tibullus correctus. Poſterior verſiculus etſi in MSS. & editis ſic ſe habeat, & ſanum eſſe Achilles Tatius Neapolitanus liquido iuret, tamen fidenter corrigo.

Hoſtiaq́; a pura Myſtica porcus hara.

Act 3. Sc. 2. Suaſor correctionis faceti ſſimus Ariſtophanes in Acharnenſibus, vbi ſic Megaricus filias ſub larua venditurus. G

Myſteriaci Porci.

Ἀλλ' ἀμφίθεσθε, καὶ τὰ δὴ τὰ ῥυγχία
κἤπειτεν ἐς τὸυς ἄκκον, ὧδ' ἐς βαίνετε
ὅπος δὲ γρυλλιζεῖτε, καὶ κοίζετε
κἠ σεῖτε φωνὰν χοιρίον μυϛηρικῶν.

Floreus Chriſtianus lepide vertit.

Sed & ſuilla hæc applicate roſtra, tum
In ſaccum hunc irrepite, grunnite, inſuper
Coiſſate, & porcarum vocem emittite
Quaſi Myſticam.

Flore' Chriſtian' reprehenſus. Vltima verba male tranſtulit, nam φωνὴ χοιρίων μυϛηρικῶν, non eſt *vox quaſi myſtica porcarum*, ſed potius *vox Porcorum Myſticarum*, aut *Myſtericarum*. ſequitur enim apud eundem Comicum.

Sc. 3.

τί δαὶ φέρεις; χοίρως ἐγών γα μυϛικάς.
Quid ergo adfers? Porcas mecum apporto Myſticas.

Genij hoſtia. *lib. 3. Od. 17.* Qui plura de myſticis hiſce initiis cupis, adi ad Scholiaſtem Ariſtophanem in Pluto Act. 4. ſc. 2. H fuit Porcus & Genii victima. Horatii Interpretes.

——— *cras Genium mero*
Placabis, & porco bimeſtri
Cum famulis operum ſolutis.

Telluris. Et victima eadem telluri. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 7. *affirmant quidam, quibus Cornelius Labeo conſentit, hanc Maiam, cui menſe Maiores diuina celebratur, Terram eſſe, hoc adeptam nomen a magnitudine, ſicut & mater magna in ſacris vocatur, aſſertionemque æſtimationis ſuæ colligūt hinc,* *lib. 2. Epiſt. 1* *quod Sus prægnans ei mactatur, quæ hoſtia eſt propria Terræ.* Horatius.

Cum ſocijs operum, & pueris, & coniuge fida,
Tellurem porco, Siluanum lacte piabant
Floribus & vino Genium.

Larium. *lib. 3. Od. 23.* Lares etiam Sue placabantur, id probat locus ex Rudente Plautino paulo ſuperius a me allatus vbi de voce *Sacres*. addendus Horatius.

Si fru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Si fruge placaris, & horna
Fruge Lares, auidaq; porca.

Et in Sermonibus lib. 2. Satyr. 3.

Non est periurus, neque sordidus, immolet æquis
Hic porcum Laribus.

Et Bona Dea hanc etiam quadrupedem oblatam accipiebat. Iuuenalis Satyra secunda Vers. octuagesimoquarto.

Bonæ Deæ.

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ
Et magno cratere Deam.

Aegyptii quoque Soli & Lunæ, sues offerunt. Aelianus hæc habet. *Aegyptij vero, quibus persuasissimum est, Sues Soli & Lunæ inimicissimos esse, semel tantũ, cum festos dies agitant, alias vero nunquam, nec huic ipsi, nec cuipiam alij deorum sacrificant, idq; propterea faciunt, quod execrandos & detestabiles ducunt.* nec minus Lucorum præsidibus victima Sus erat. Cato in re rustica. *lucum conlucare Romano more sic oportet, porco piaculo facito, verba sic concipito, si deus, si dea es, quorum illud sacrum est, vti tibi ius si & porco piaculo facere.* Nympharum non minus hostia & ipse Porcus, sic capio Martialem.

Solis Lunæq; Lib. 10. c. 16
Præsid. luci.
Cap. 139.
Nympharũ. Lib. 6. epig. 47.

B

Siue Numæ coniux, Triuiæ te misit ab antro,
Siue Camænarum de grege Nona venis.
Exoluit votis hac se tibi virgine porca
Marcus.

Ioui ipsi oblatam Suem suadet Iuuenalis Sat. 13. V. 117.

Iouis.

In carbone tuo charta pia thura soluta
Ponimus, & vituli sectum iecur, albaque porci
Omenta.

Et Manibus Mortique hoc animal sacrum. Virgil.

Mortis. Lib. 11. Aen.

Multa Boum circa mactantur corpora Morti,
Setigerosq; Sues, raptasq; ex omnibus aris
In flammam iugulant pecudes.

C

Contraria causa Sus Veneri immolata, quia id animal ei deæ multis de causis odiosum. Festus Pompeius. *Suillum genus inuisum Veneri prodiderunt poetę, ob interfectum ab Apro Adonium, quem diligebat dea, quidam autem quod immundissimi sint Sues ex omni mansueto pecore, & ardentissimæ libidinis, ita vt opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum Subare, & Subire dicuntur.* notauit Natalis Comes in Mythologia, & Strabo ex Callimacho in Iambis.

Veneris. lib. 17.
Lib. 4. c. 13. lib. 9. pagina 301.

τὰς Ἀφροδίτας, ἡ θεὸς γὰρ οὐ μία
τὴν κασινήτην ὑπερβάλλεσθαι πάσας τὸ φρονεῖν.

ὅτι μόνη παραδέχεται τὴν τῶν ὑῶν θυσίαν. posteriorem versiculum corruptum, nitori suo restitue, & lege.

Callimachus correctus.

τὴν κασινήτην ὑπερβάλλεσθαι πάσας τῷ φρονεῖν.
Veneres, hęc dea enim non est vna, cęteras
Sapientia omnes Castinęa vicerit.

Quia scilicet sola Porci sacrificium admittit. Scholiastes Aristophanis Acharnen.

Act. 3. Sc. 2.

D

M. ὁμομητρία γάρ ἐστιν, κἠκ ταυτοῦ πατρός
Ἃ δ᾽ ἂν παχυνθῇ, κἀναχνοανθῇ γ᾽ ἐν τριχί,
κάλλιστός ἐστι χοῖρος Ἀφροδίτᾳ θύειν,
D. Ἀλλ᾽ οὐχὶ χοῖρος τῇ Ἀφροδίτῃ θύεται.
M. οὐ χοῖρος; Ἀφροδίτᾳ μόνᾳ γε δαιμόνων
καὶ γίνεταί γα τᾶνδε τᾶν χοίρων τὼ κρῆς
Ἅδιστον, ἂν τὸν ὀβελὸν ἐμπεπαρμένον.

Sic sonant hæc Latine.

M. *Quia ex eadem sunt matre, & vno patre*
At cum pingues fuerint, & hirtis crinibus
Tum Veneri sacrificare Porcam erit optimum.
D. *At Veneri Porca sacrificare non solet.*
M. *Non Porca? imo soli Veneri ex Dis omnibus.*
Et harum Porcarum caro fit suauissima,
Cum figitur Veru.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Siluanus quoque Suem pro hoſtia habuit. Romæ enim ſub Capitolio, in vico, qui ab Aracæli E ducit in Piſcariam, ſupra oſtium domus cuiuſdam priuatæ, *Siluani ſimulachrum eſt rudi ſculptura, corpore toto nudo, exceptis pedibus cruribuſque, in quibus ecreæ ſparteæ, dextra falcem, ſiniſtra ramum pineum gerens, a dextra, adſtat canis cum ara ad arborem, a ſiniſtra Porcus cum mactatore ſub quercu*. Smetius meminit in Inſcriptionibus, & Ianus Gruterus, & alii. ſubtus eſt.

Inſcript. pagina 62.

TI. CLAVDIVS. CHRESIM. ET. CLAVDIVS. HERIDANVS.
ET. FELIX. FECERVNT. D. D.
SILV. SACR.

Huc pertinet illud Petronianum.

Et quandoque mihi fortunæ arriſerit hora,
Non ſine honore tuum patiar decus, ibit ad aras
Sancte, tuas, hircus, pecoris pater, ibit ad aras
Corniger, & querulæ fœtus Suis, hoſtia lactens,
Spumabit pateris hornus liquor.

Martis.
1. Decad. lib. 8.
Suenetaurilia.
1. Decad. lib. 1.

Marti etiam cæſam Suem loquitur Titus Liuius in Decii voto. *Vulcano arma, ſiue cui alij diuo,* F *hoſtem deuouere velit, ſiue hoſtia, ſiue quo alio volet, ius eſto, Telo, ſuper quod ſtans conſul precatus eſt, hoſtem potiri fas non eſt. ſi potiatur, Marti Sueonetaurilibus piaculum fieri.* Eius Martialis ſacrificii genus, & cauſas expreſſit in Seruii rebus idem ſcriptor. *Cenſu perfecto, quem maturauerat metu legis de incenſu latæ, cum vinculorum minis mortiſq; edixit, vt omnes ciues Romani Equites peditesque in ſuis quiſque centurijs, in campo Martio prima luce adeſſent, ibi inſtructum exercitum omnem Sueconetauribus luſtrauit.* Sacrum iſtud a tribus animalibus, ex quibus conſtabat, nomen accepit, Sue, Oue, Tauro, ita Aſconius Pædianus vetuſtiſſimus Grammaticus, Gloſſæ Philoxeni Solitaurilia θυσία ἔκτος καὶ κρίϐ, καὶ ταύρου *ſacrificium Verris & Ouis, & Tauri.* Vtroque ergo modo veteres dicebant

Solitaurilia
Lib. 17.

ſcilicet *Solitaurilia* Hetruſca voce, & *Sueconitaurilia* Romana, Feſtus Pompeius. *Solitaurilia hoſtiarum trium diuerſi generis immolationem ſignificant, Tauri, Arietis, Verris, quod omnes eæ ſolidæ ſint integriq; corporis, quia Sollum oſce totum & ſolidum ſignificat, vnde tela quædam ſoliferrea vocantur tota ferrea, & homo bonarum artium ſollers, & quæ nulla parte luxata cauaq; ſunt, ſolida nominãtur:* G *atque harum hoſtiarum omnium inuiolati ſunt Tauri, quæ pars cæditur in caſtratione. Sunt quidam qui putent ex tribus hoſtijs præcipue nomen incluſum cum ſolido Tauri, quod ampliſſima ſit earum, quidam dixerunt omnium trium vocabula confuſa, Suis, Ouis, Tauri, adfeciſſe id, quod vno modo appellarentur vniuerſæ, quod ſit a ſollis & Tauris earum hoſtiarum ductum eſt nomen antiquæ conſuetudinis. Per vnum l. enuntiari non eſt mirum, quia nulla tunc geminabatur litera in ſcribendo, quam conſuetudinem Ennius mutaſſe fertur, vtpote Græcus Græco more vſus.*

Sollum vox Oſca.

Sollitaurilia

Ergo antique & Sollitaurilia dicta ante Ennium, vox ea tamen vſitatior, vt in Liuio ſupra laudato cõcepta. Quintilianus. *Nam Sueouetaurilia iam perſuaſum eſt eſſe ex Sue, Oue, & Tauro.* ſunt in Tacito aliquot loca, vt in Annalibus. *ſacrificantibus cum hic more Romano Suecouetaurilibus litaret, ille equum placãdo amni.* Idem in Hiſtoria eget Cenſoria manu. *Tum Heluidius Priſcus Prætor, præeunte Plato Aeliano pontifice, luſtrata boue Tauriſque arca, & ſuper ceſpitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, præſideſque Imperij Deos precatus, vti cæpta proſperarent.* Locus reſtituendus ſic. *luſtrata Sueonetaurilibus arca.* M. Cato in re Ruſtica. *Agrum luſtrare ſic oportet, impera Sueonitaurilia circumagi cum diuis volentibus, quodque eueniat, mandô tibi Maui, vti illace Sueonitaurilia, fundum, agrum, terramque meam, quota ex parte ſiue circumagi, ſiue circumferenda cenſeas, vti cures luſtrare.* M. Varro in re iti H dem ruſtica. *& quod populus Romanus cum luſtratur, Suecouitaurilibus circumaguntur verres, aries, taurus?* Non prætermiſero hic ſolemne ſacrum Philippinarum Inſularum, quam ſolemnitatem feſtiuam ſic habe. *In Megindanao Inſula multas obſeruant cæremonias in Sue mactanda, id genus eſt, vt apparet, ſacrificij, quod Soli offerunt, poſt cymbala & ſiſtra concuſſa, feles quaſdam in paropſidibus repandis collocant, tum duæ vetulæ prodeunt, cum tubis ex oblongioribus cannis, & Solem cernua adorant, & indutæ ſacerdotales veſtes, altera illarũ ſinciput ornat vitta, cui cornua duo adnexa, altera manu tænia alia protenſa, ita incipit ipſa ſiſtra concutere, choræas ducere, Solem inuocare, quam altera ſequitur, ambæque iunctis manibus tripudia ducunt circa porcam, quæ ibi arbori vinctaeſt, cornuta continuo verba quædam ſubmurmurat Soli, reſpondente comite, mox cymbium vino plenum manu capit, & poſt occultas quaſdam iteratas cæremonias, porcæ fronti inuergit, quam. poſt iterata tripudia, lancea interficit, toto hoc mactationis tempore, exigua facula ardet, quam illa ore apprehenſam mordet, altera tubas illas, ſeu cannas Porcino ſanguine abluit, & digitis ſanguini intinctis, primum mariti ſui frontem notat & veluti ſtigmatijs inurit, tum reliquorum omnium qui ſacro adſunt, tum amictus ſacros exuunt, & ſolis fœminis manentibus, paratum epulum, in cathedris ſedentes, ordiuntur,*

Tacitus correctus.
Cap. 141.
lib. 5.
lib. 4.
lib 2. cap. 1.
Solis .[
Maſ. Tranſiluano.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *tur, Porcam igne deglabratam continuo in frusta secant, & solidam absumunt.* Similia de rebus Aegyptiorũ apud eos, qui Orbis Noui Historias conscripserunt, tu adire potes, ego consulto omitto.

VSVS IN LVSTRATIONIBVS.

HÆC de Sacris deorum Superorum, quibus Porca dicata, nunc de Inferorum. videbo, ac primum familiam funestam, piaculum aliquod graue admissum expiaturi, aqua pura, laureo ramo, face accensa, sulfure, ouo, & porca vtebantur, de singulis aliquid obiter delibabo, etiamsi supra ex Plauto quædam loca adducta sint, tamen hic plenius agam, & dixi in Commentariis Claudiani ad illud de Sexto Honorii Consulatu. *Sacrum Inferorum lustrale ex Aqua pura. Lauri ramo. Face ardẽte. Sulfure. Ouo. Porco.*

Lustralem sic, triste, facem, cui lumen odorum
Sulfure cæruleo, nigroq; bitumine fumat,
B *Circum membra rotat doctus purganda sacerdos*
Rore pro spargens, & dira fugantibus herbis
Numina, terrificumq; Iouem, Triuiamq; precatus,
Trans caput auersis manibus, iaculatur in astrum,
Secum rapturas cantata piacula tædas.

Ouum hic & Porcum omisit. L. Apuleius. *nauem, summus sacerdos tæda lucida, ouo; & sulfure, solemnissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam deę nuncupauit.* Ac de Sulfure quidem, vt Homerum omittam ad finem libri vigesimi secundi Odysseas, Plinium, non vno loco, Sextus Propertius lib. 4. eleg. 9. *Lib. 11. Milesiar.*

Terq; meum tetigit sulfuris igne caput.

Albius Tibullus lib. 1. eleg. 5.

——— te circum lustraui sulfure puro

Oua vero, quæ Luciano sunt καθαρσίων ὦα, *expiationum oua*, Ouidius libro secundo de Arte coniunxit sulfuri. *In Syria D.*

C *Nam veniet quæ lustret anus tectumq; laremq;,*
Præferat & tremula sulfur & oua manu.

Præclarus est Seruii Honorati locus ad Virgilium. ibi. *Ad lib. 6. Aeneid.*

————— aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igne.

De *Porco lustrali* aut expiatorio Scholiastes doctissimus Apollonii Rhodii ad Argonautica, vbi multa præclare. Suidas etiam. *Mos Athenis fuit lustrare concionem, Theatra, denique conciliabula populi, minutissimis porcellis, quos lustrales vocabant, hoc vero faciebant ii, qui, vel a circumeundo, vel a Vesta, Peristiarchi dicebantur.* Iuuenalis Satyr. 6. V. 444. *Ad lib. 4. In καθάρσιον. Peristiarchi*

Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cædere Siluano Porcum.

In votis etiam Porcus valebat. Idem Satyr. 10. V. 354.

Et tamen vt poscas aliquid, voueasq; sacellis
Exta, & candiduli diuina Tomacula Porci.

D Eustathius rationes consuetudinis adfert, & veterum quibusdam locis idipsum probat, maxime ex Aeschylo. Addendus ei Apollonius Rhodius lib. 4. Argonaut. V. 701. *Ad Iliad. li. 19.*

Πρῶτα μὲν ἀτρέπτοιο λυτήριον, ἧγε φόνοιο
Τειναμένη καθύπερθε, συὸς τέκος, ἧς ἔτι μαζοὶ
Πλήμμυρον λοχίης ἐκ νηδυος, αἵματι χεῖρας
Τέγγεν, ἐπιτμήγουσα δερὴν, αὖτις δὲ καὶ ἄλλοις
Μείλισσεν χύτλοισι, καθάρσιον ἀγκελέουσα
Ζῆνα, παλαμναίων τιμήορον ἱκεσιάων.
Primum quidem immutabilis expiationem ista cædis
Producens desuper fœtum Suis, cuius adhuc vbera
Turgebat recens enixa ex vtero, cruore manus
Tinxit, incidens collum, rursus autem & aliis
Placabat lustrationibus, expiatorem inuocans
Iouem, ob cædem commissam, patronum supplicationum.

Vt verum est Sues primum omnino inter Ethnicos illos gentilitatis errore delusos, sacrificii genus, *Homines succidaniæ Suibus hostiæ.*

nus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Fragm. περὶ θαυμας. ἱϛορ. In Auguſt.c. 15. 1.Decad.lib. 7. Lib.1.de Clemen.c.11. Lib.1.in fin.

nus,& victimam fuiſſe primam,ita illis ſucceſſerunt homines,& vt Porci antea,fuerunt idolis immolati,vt ex Phlegonte Tralliano legere memini. Vnde crebra in melioris notæ ſcriptoribus feritatis illius cruētæ memoria. C·Suetonius. *trecentos ex dedititijs vtriuſque ordinis electos,ad aram Iulio extructam,idibus Martijs,Hoſtiarum more mactatos.* T.Liuius.*milites captos immolarunt,qua fœditate ſupplicij ignominia populi Romani inſignior fieret.* L.Seneca.*Poſtquam terra mariq; pax parta eſt,non occidere conſtituat, ſed immolare?* copioſe Polybius Mágapolitanus de Captiuis Romanis Carthagine immolatis. Poetæ.Sidon.Apollin.Car.2. E

——— Peregrino cecidit tua victima ferro.

Silius Italicus lib. 10.Punicor.

———— ——— ſic victima prorſus
Digna cadat Decius.

Virgilius lib.12.Aeneid.

——— Pallas, te hoc vulnere, Pallas
Immolat. F

Claudianus de bello Gildonico.

Agnoſcatq; ſuum, trahitur dum victima, fratrem.

Et de quarto Honorii Conſulatu,vbi plura.

Anguſtas par victima mitigat vmbras.

Populi Humanas victimas offerentes.

Et vt varijs Dijs *Sues* impenſi ad ſacrificia, ita nulla pæne gens eſt, quæ non idola ſua humano ſanguine ad aras effuſo placarit,quis enim neſcit quam inhumani fuerint dum homines immolarent,*Phœnices,Arabes,Taurici,Galatæ,Armenij,Albani,Scythæ,Aegyptij,Heliopolitani,Blemmyes,Aethiopes,Galli,Germani,Britanni,Iſtri,Sarmatæ,Carthaginenſes,ipſa Italia?* Et qui Acta noui orbis legerunt,ignorare non poſſunt,etiam hodie,diritatem illam ijs in locis adhuc vigere.nam qui flumini *Panuco* vicini ſunt,& *Zaclotenſes*,& *Tezencani*, & *Mexicani*, & qui in *Nicaragua* ſunt,& in *Arma*,& in *Pancora*, & *Popayan*, & in ipſo regno *Peruano*,& Imperio *Inguas*,raro aliter idola ſua placant,quam hoſtiis humanis. ſed nos ad Porcum redimus: qui etiam in ſacro *Ambaruali*,ſiue *Amburbali* immolabatur,de quo vide Antiquitates Romanas,& Feſtum: Ioſephum Scaligerum Annotationibus in eum. Lucan.lib.1.V.594. G

Ambaruale. In Amptermini.

Mox iubet & totam pauidis a ciuibus vrbem
Ambiri,& feſto purgantes mœnia luſtro
Longa per extremos pomæria cingere fines
Pontifices.

VSVS IN AVGVRIIS.

Ad lib.3 Aenei.pag.290

TAGES & Bacchis Hetruſci,Melampus,Telegonus Græci,& Bigois Nympha, & quicumque alij *Acheronticos libros* poſteris reliquerunt, & Auguralem ſcientiā præceptis certis obſeruationum incluſerunt,hoc præ cæteris de *Sue* præſcripſerūt, fortunatum illius occurſum eſſe,& fælix præſagium. Seruius Honoratus Maurus, ex editione Danielis I.C.auctior.*de hac Sue alij dicunt,ſecundum Virgilium,quod in Italia inuenta ſit,alij quod ſecum eam,more nauigantium,Troiani portauerint, & oraculo cognouerint ibi condendam eſſe ciuitatem, vbi ſus illa fuiſſent inuenta, dicitur ergo in Campaniam fugiſſe, & inuentam in Laurolauinio,a qua Aſcanius poſtea Albæ nomen impoſuit. Triginta capitum fœtus enixa, prodigiale hoc eſt, quo ſignificatur triginta annis regnaturus Aſcanius. Varro dicit etiam hoc ſigni fuiſſe,quod cum etiam alterius coloris porci,in fœtu huius porcæ fuerint albi tantum modo circa vbera reperti ſint.* Ipſe Virgilius ibidem loci. H

Signa tibi dicam,tu condita mente teneto,
Cum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis vndam
Littoreis ingens inuenta ſub Ilicibus Sus
Triginta capitum fœtus enixa iacebit,
Alba ſolo recubans,albi circum vbera nati,
Is locus vrbis erit.

Lib.8.Aene. pag.489.

Idem Grammaticus alibi.*Hanc autem porcam,vt diximus ſupra, ſecum habuere Troiani,quam amiſſam in Campania inuenerunt cum fœtu circa Laurentem agrum, quam ideo Aeneas immolauit Iunoni,quia ipſa dicitur Terra,vt eſt,coniugis in gremium læta deſcēdit. Alij de ea Sue dicunt,habuiſſe eam Troianos,& vbi primum generaſſet,ibi certam ſpem ſedis concepiſſe, Alij in littore Laurentii inuentam,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

uentam, quam secutus Troianus, in eum montem peruenisse, vbi postea Alba a colore porcæ, longa a positione sit condita. Enixa iacebit. participio vtens tangit historiam. Ipse Poeta.

Iamq; tibi, ne vana putes hæc fingere Somnum
Littoreis ingens inuenta sub Ilicibus Sus
Triginta capitum fœtus enixa iacebit,
Alba solo recubans, albi circum vbera nati,
Is locus vrbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo terdenis vrbem redeuntibus annis,
Ascanius clari condet cognominis Albam.

Sed ne Poetæ credatur, verax scriptor, Romanæque Antiquitatis callentissimus M. Varro in re rustica audiendus. *Parere tot oportet porcos, quot mammas habeat, si minus pariat, esse portentum: In quo illud antiquissimum fuisse scribitur, quod Sus Aeneæ Lauinij triginta porcos pepererit albos, itaq; quod portenderit, factum, triginta annis, vt Lauinienses condiderint oppidum Albam, huius Suis ac Porcorum etiam nunc vestigia apparent Lauinij.* Vetus Scholiastes Iuuenalis. *Albam longam significat, quam condidit Iulus Ascanius, Suis albæ augurio, concessa nouercæ sui nominis ciuitate, id est Lauinio.* Ipse Satyricus.

lib. 2. c. 4.

Ad Saty. 12, V. 71.

Spes vitæ cum Sole redit, tum gratus Iulo
Atq; nouercali sedes prælata Lauino,
Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.

Quartum versiculum varie legit idē vetus Scholiastes. *aut mirabile, quia triginta fœtus habuit, aut miserabile, quod miseratum sit Phrygibus.* quare sic legi posset.

Varia in Iuuenale lectio

—— *lætis Phrygibus miserabile sumen.*

Sed minus placet posterior lectio. Sext. Propertius lib. 4. eleg. I.

Et stetit Alba potens, albæ Suis omine nata
Hac vbi Fidenas longe erat ire vias.

Albius Tibullus lib. 2. eleg. 6.

Ante oculos Laureus castrum, murusque Lauini est,
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.

Hanc cognatam licet, & ab Ascanio conditam ciuitatem, vt memorant Liuius, & Iulius Solinus. Romani tamen post annos plus minus trecentos, destruxerunt, nobilissimas familias Romam traduxerunt, & id solum honoratæ memoriæ superesse passi sunt, vt magistratus Romani ibi sacrificarent, Strabone cum aliis narrante, & obiter causam fundationis habemus apud Statium Papinium in Siluis.

lib. 1. Cap. 8.

li. 5. pag. 158 lib. 3. Silu. 3.

Iugera nostra tenens, vbi post Aenera fata
Solatus, Latijs ingessit montibus Albam
Ascanius, Phrygio dum pingues sanguine campos
Odit, & infaustæ regnum dotale nouercæ.

Neque sane minor celebritas in Albano sacro obseruabatur, quam in Capitolino, vt ex Tito Liuio persuadet VVolfgangus Lazius in Commentariis Reipublicæ Romanæ. Et erat *Albanus Agon* a Domitiano institutus, longe clarissimus Poetarum certaminibus, vt præter Dionem, Suetonium, & alios Historicos apud Censorinum de die Natali, & Papinium Statium non vno loco, videre potest.

lib. 11. c. 3. *Albanus Agon.*

VSVS IN FOEDERIBVS feriendis.

NVLLA publica fœdera sine Porca feriri firmarique poterant, Isidorus Hispalensis. *Alij fœdera dicta putant a porca fœde crudeliterque occisa, cuius mors optabatur ei, qui a pace resilißet.* Seruius Maurus Honoratus. *Fœdus dictum est vel a Fetialibus, qui olim Fœdales dicti, id est Sacerdotes, per quos fiunt fœdera, vel a porca fœde, id est lapidibus occisa.* Et alibi. *fœdera, vt diximus, dicta sunt a porca fœde & crudeliter occisa, nam cum ante gladijs configeretur, a Fetialibus inuentum, vt silice feriretur, ea causa, quod antiquum Iouis signum lapidis siliceni putauerunt esse. Cicero fœdera a fide dicta putat: sed huius por-*

lib. 18. c. 1. Ad lib. 1. Aenei. pag. 172. Ad li. 8. Aenei. pag. 525.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Virgilius reprehenſus a Seruio. cę mors optabatur ei, qui a pace reſiliſſet. Deinde Virgilium reprehendit. Falſo autem ait porca, nam E
ad hoc genus ſacrificij porcus adhibebatur. Ergo aut vſurpauit genus prout, timidi venient ad pocula
damæ, aut certe illud oſtendit, quod in omnibus ſacris fęmininei generis plus valent victimę, ſi autem
per marem litare non poſſent, ſuccidanea dabatur fęmina, ſi autem per fęminam non litaſſent, ſuccida-
Cōuincitur erroris ab aliis. nea adhiberi non poterat: quidam porcam euphonię gratia dictam putant. Hunc errorem alii argu-
unt, ſcribentes non porcam, ſed porcum fœderibus adhibitum. M. Varro in re ruſtica. *ab ſuillo gene-*
re pecoris immolandi initium ſumptum videtur, cuius veſtigia, quod initiis Cereris porci immolātur,
lib.2.c.4. *& quod initiis pacis fędus cū feritur, porcus occiditur.* Fabius Quintilianus in Inſtitutionibus Ora-
lib 8.c.3. toriis ſic ſermo adſtipulatur. *Quędam non tam ratione, quam ſenſu indicantur, vt illud, cęſa iunge-*
bant fędera porca. fecit elegans fictio nominis, quod ſi fuiſſet, porco, vile erat. Habent illi ſuffragato-
lib.1.c.24. rem grauiſſimum contra Virgilium Titum Liuium in fędere cum Albanis percuſſo. *ſi prior defixet*
populus Romanus *publico conſilio, dolo malo, tu illo die, Iupiter, populum Romanum ſic ferito, vt ego*
hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque. id vbi dixit, porcum
ſaxo ilice percuſſit. Ecce ibi diſerte porcum, non porcam ſilice mactat. vt & alibi in eadem Hiſto- F
lib.9.c.5. ria. *per quem populum fiet, quominus legibus dictis ſtetur, vt eum ita Iupiter feriat, quemadmodum*
Defenſus. *a fętialibus porcus feriatur.* Hæc etſi vera ſint, tamen non erraſſe Virgilium Nicolaus Erythræus
lib.14. docte oſtendit, & calumnia eum liberat Feſtus Pompeius. *Quia confecto bello inter quos pax fieret,*
lib.6. *cæſa porca fędus firmari ſolebat.* Idem Grammaticus alibi. dubitanter viſus eſt aſſeruiſſe, & nec por-
cum, nec porcam nominauit. *Fœdus appellatum ab eo, quod in paciſcendo fędere hoſtia necaretur.*
Virgilius, & cæſa iungebant fœdera porca, vel quia in fędere interponatur fides. illuſtris illa ac præ-
Cap.25. clara Virgilii defenſio ex C. Suetonii in vita Claudii. *cum regibus fœdus in foro icit, porca cæſa, ac*
vetere fetialium præfatione adhibita. Ipſius Virgilii verba tantopere controuerſa ſunt.

Poſt iidem inter ſe poſito certamine reges
Armati Iouis ante aras, paterasque tenentes
Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca.

Si quis plura de fœderibus, eorum legibus, differentiis, formulis cupiat, adeat incomparabilis
lib.4.in fine Barnabæ Briſſonii opus de Formulis. Illud hoc addiderim a tot eruditis omiſſum, publica percuſ-
ſi iam fœderis acta lineis mappis perſcripta ad Saturni, aut cuiuſuis alterius Dei, ferri, conſeruari- G
1.Decad.lib.4. que conſueuiſſe. autor Liuius. *prętermiſſa nominum Conſulum horum, Licinius Macer autor eſt, &*
in fœdere Ardeatino, & in linteis libris ad Monetę inuentos.

VSVS IN BELLIS.

VARIVM Porci in bello expeditioneque Romana vſum fuiſſe reperio, Ante om-
Inter vexilla nia conſtat inter ſigna militaria eum locatum. Feſtus Pompeius. *Porci effigies in-*
Lib.14 *ter militaria ſigna quintum locum obtinebat, quia confecto bello inter quos pax fie-*
ret, cęſa porca fedus firmari ſolebat. Nec alibi apud tot rerum bellicarum ſcripto-
res, vlla mihi *Porci* inter militaria ſigna reperti mentio, niſi dicamus idem eſſe
Suem, ſeu *Porcum*, & *Aprum*, de quo ſequenti tractatu diſquiretur. Certe inter ve-
lib.10.c.4 xilla priſcæ reipublicæ *Aprum* reponit C. Plinius. *Romanis eam*, Aquilam, *legionibus C. Marius in*
ſecundo conſulatu ſuo proprie dicauit, erat & antea prima cum quatuor aliis, Lupi, Minotauri, Equi, H
lib 10.c.vlt. *Aprique ſingulos ordines anteibant.* Vide quæ in Antiquitatibus Romanis fuſe ſuper iis attuli, ad-
lib.3. dendus cultiſſimus Gulielmi Britonis locus.

Suſpirat blande Zephyrus, vexilla coruſcant
Impoſita aereo conto, longeq́; micanti
Lumine perſtringunt acies, non illa Draconum
Ora, nec informis Minoia probra iuuenci,
Nec qui ſopitis Lupus inſidiator oberrat,
Nec qui ſanguineos minitans Sus exerat vngues,
Sed rutilans Labarus fulgenti texitur auro,
Et tremulos iterat ſudo criſpante colores
Ingeminanſq́; volat ferali fulmine mortem.

Aciei forma Eſt in exercitu Cuneus quidam aut acies militaris, quam a forma *Porci caput* appellarūt, quia,
vt opinor, prima frons hoſti obiecta tenuis, exilis, atque anguſta erat, ne facile tentari, aut rumpi
poſſet, creſcentibus deinde ordinibus paulo laxior effuſiorque ſe dilatabat. Modeſtus libello de
Vocabulis Militaribus, Aeneas, Aelianus in Tacticis, Polybius, Iuſtus Lipſius ad manum non
ſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A sunt,& consuli possunt. Ammiani Marcellini locus est. *vergente in vesperam die, cum dux moras rũpere moueret, excedens erectis vexillis, in eos ignaeo miles impetu ferebatur, qui conuersi, acieque densiori contracta, aduersus ipsum principem stantem, vt dictum est, altius omnem impetum cõtulerunt, cum oculis incessentibus, & vocibus truculentis. Cuius furoris amentiam exercitus ira ferre non potuit, eosque imperatori acrius, vt dictum est, imminentes, desinente in angustum fronte, quem habitum, caput porci, simplicitas militaris appellat, impetu disiecit ardenti.* Plura quære apud VVolfgangum Lazium in Commentariis Reipubl. Roman. quædam huc spectantia in meis Commentariis ad illud Claudiani, Lib.17. lib.4 c.3. lib.2. in Rufin.

— Et clypeis in se redeuntia iunctis
Curuo paulatim sinuantur cornua ductu.

Nec iniuria locum hoc animal inter acies militares inuenit, est enim bellicosum, pugnax, & Marti sacrum, vt fusissime in *Apro* dicetur. Fulgentii Carthaginiensis ad Chalcidium Grammaticum verba apponam. *Nefrendes Diophantus Lacedæmonius, qui de sacris deorum scripsit, ait apud Messenios Ioui sacrificari solere sacrum, quod ἑκατον φόνια appellatur, si quis enim centum hostes* B *interfecisset, Ioui hominem sacrificabat apud Ithomen, quod sacrificatum est a duobus, Aristomene Gorthynensi, & Theocio Eleo, sicut Sosicrates scribit, sed postquam hoc Atheniensibus displicuit, cœperunt offerre porcum castratum, quem nefrendem vocabant, quasi sine νεφροῖς, i. renibus. At apud Romanos Marcus Varro scribit Sicinium Dentatum centies & vicies pugnasse singulari certamine, cicatrices habuisse aduersas quadraginta quinque, post tergum nullam, coronas accepisse viginti sex, armillas centum & quadraginta, & istum Porcum primum sacrum fecisse Marti.* Hinc occasionem sumpsit Petrus Porcius poeta Placentinus ridiculum poema conficiendi in scriptũ *Pugna porcorum*, in quo omnes dictiones a P. incipiant, initium eius. lib.de prisc. Sermone. Porcus Martis victima. Pugna porcorum.

Plaudite, Porcelli, Porcorum pigra propago,
Pugnantes Porci pergunt pinguedine pleni
Per plateas plures pecudum pars prodigiosa.

Huius meminere etiam Iulius Solinus in Polyhistore, & C. Plinius in septimo, & alii. fuit & *Porcina* cibus militaris, supra attigi, & pluribus infra, vbi de *foro Suario*. Cibus militaris.

C

VSVS IN SPECTACVLIS Theatralibus.

QVAM bellicosum Sus animal sit, ex Amphitheatralibus Romanorum spectaculis facile est dignoscere, nam & sæpe in arena productus, & semper summa populi voluptate pugnauit. L. Seneca mirifice extollit. *ridere solemus inter matutina arenæ spectacula, Tauri & Vrsi pugnam inter se colligatorum, quos, cum alter alterum vexarit, Sus confector expectat. Idem facimus, aliquem nobis alligatum lacessimus, cum victo victorique finis æque maturus immineat.* Lipsio sana hæc lectio non videtur, ego nec solus nec primus Crotone saniorem contendo. sensus est manifestus, cum Vrsus, & Taurus in scenæ arenam producti fuerunt, nec alter alterum cõficere potuit, Sus immissus vtrumque confecit, idest interfecit. Sane ea vox in ludorum cruentorum commissionibus solemnis fuit, D aliquoties apud Suetonium. *In Circo aurigas cursoresque, & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobilissima iuuentute produxit.* Et rursus alibi. *super quadrigarum certamina Troiæ lusum exhibuit, & Africanas, conficiente turma equitum Prætorianorum, ducibus Tribunis, ipsoque præfecto.* Et alio loco denuo. *Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos Senatores, sexcentosque equites Romanos, et quosdam fortuna ac existimationis integræ ex iisdem ordinibus, confectoresque ferarum, & varia arenæ ministeria.* Sed & alibi. *Centenas varij generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectauere plerique, atque etiam ex industria ita quarundam capita figentem, vt duobus ictibus quasi cornua effingeret.* Trebellius Pollio in hac voce corruptus. *Cum Taurum ingentem in arenam misisset exissetque ad eum feriendum vector, neque perductum decies potuisset occidere, coronam venatori misit, mussantibusque cunctis quid rei esset quod homo ineptissimus coronaretur, ille per curionem dici iussit, Taurum toties non ferire difficile est.* Locum a deprauata operarum inscitia corruptum esse liquet, sic restituendus suo nitori, & sic legendus. *exissetque ad eum feriendum venator*, aut rectius, *exissetque ad eum feriendum confector*; & sequentia itidem corrigẽda. *neque productum decies occidere potuisset.* vox ea aliquoties apud Manilium, sed ille non est ad manum. C. Lucilius Satyrar. lib. 30.

lib.3. Ira ca. 43. — Senecæ locus asseritur. — Confectores. — In Augusto c.43. — In Claudio c.21. — In Neron. c.12. — In Domit. c.19. — In Gallienis — Trebellius Pollio correctus. — Iterum.

Conficit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

— Conficit ipſe comeſtque. E

Mane in arenam productus.
Epiſt.7.
Epiſt.70.

Sus autem noſter matutinis ſpectaculis exhibitus, vt ex Seneca clarum. Idem rurſus Seneca. *mane Leonibus, & Vrſis homines, meridie ſpectatoribus ſuis obyciuntur.* Vt qui ſcilicet in arena cum beſtiis depugnauit mane, cum aliis gladiatoribus ſui ſimilibus, prandentibus ſub meridiem patriciis, mori certus deprelietur. Et rurſus alibi idem. *cum aduceheretur nuper inter cuſtodias quidam ad matutinum ſpectaculum miſſus.* Martialis lib. 13. epigr. 95.

Matutinarum non vltima præda ferarum
Sæuus Oryx.

Calderini error.
lib.2. cap.15

Domitium Calderinum peſſime hunc locum interpretantem iure reprehendit Georgius Merula, adi ad Iuſtum Lipſium in Saturnalibus. rurſus Martialis lib. 10. epigr. 25.

In matutina nuper ſpectatus arena
Mutius,

A Domitiano exhibitus

Raram *Suis* exhibiti mentionem deprehendo in arenariis commiſſionibus. Eidem Martiali debemus multum, qui a Domitiano productum ſic extulit in libro Spectaculorum epigr. 12. F

Inter Cæſareę diſcrimina ſęua Dianę
Fixiſſet grauidam cum leuis haſta Suem,
Exilijt partus miſeræ de vulnere matris
O Lucina ferox? hoc peperiſſe fuit?
Pluribus illa mori voluiſſet ſaucia telis,
Omnibus vt natis triſte pateret iter.
Quis neget eſſe ſatum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite, nata fera eſt.

Caſum huic ſimilem ex Philippo epigrammatario Græco, Gratio, & Auſonio vir doctus contulit Matthæus Raderus, quem tu vide, ego non exſcribo. ipſe Epigrammatarius rem eandem deſcripſit.

Icta graui telo, confoſſaque vulnere mater
Sus, pariter vitam perdidit, atque dedit. G
O quam certa fuit librato dextera ferro,
Hanc ego Lucinæ credo fuiſſe manum.
Experta eſt numen moriens vtriuſque Dianæ
Quaque ſoluta parens, quaque perempta fera eſt.

Explicat eleganti collatione epigrammatis ex Anthologia hanc venuſtatem ab oppoſitis, ſeu repugnantibus idem Raderus. pergit Martialis.

Sus fera, iam grauior, maturi pignore ventris
Emiſit fœtum, vulnere facta parens.
Nec iacuit partus, ſed matre cadente cucurrit.
O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium.

Plura ſequenti capite, vbi de Apro, & neſcio an Sus Cicuratus vnquã in Amphitheatro viſus, hic certe, quem populo Romano, Theatri ſui dedicatione, oſtendit, ferus fuit non domeſticus.

CVLTVS ET HONOR ei diuinus delatus. H

lib.3. pag.96
Colitur ab Argiuis.

Athenæ' correctus.
Hyſteria Suis ſolemnitas.
lib.3.c.15.
Iliad.10.
Act.3. Sc.3.

SACRVM animal Porcus, quemque Antiquitas Veneri dedicauerit. Athenæus in Dipnoſophiſtis. ὅτι δὲ ὄντως Ἀφροδίτῃ ὗς θύεται μαρτυρεῖ Καλλίμαχος, ἢ Ζηνόδοτος, ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι, γράφων ὧδε. Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗς θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται ὑστυρία. *Suem Veneri immolari teſtatur Callimachus ſiue Zenodotus, in hiſtoricis Commẽtarijs ſic ſcribens. Veneri Suem Argiui ſacrificant, eumque feſtum diem vocant Hyſteria.* Feſtum illud Hyſteria ſiue ὑστυρία, non recte, ſed ὑστήρια ſcribi debere iampridem viris doctis eſt animaduerſum, & neſcio quis vetuſtiſſimus ſcriptor Argiuus, patriæ ſuæ Antiquitatem illuſtrans apud Harpocrationem, vt puto, & Iulium Pollucem, meminit Iudex correctionis eſt Iſaacus Caſaubonus in Athenæũ: & copioſe Euſtathius ad Homerum, vetus Scholiaſtes Ariſtophanis ad Acharnenſes.

κάλλιστός ἐστι χοῖρος τῇ Ἀφροδίτᾳ θύειν.
Ἀλλ᾽ οὐχὶ χοῖρος τῇ Ἀφροδίτῃ θύεται.

οὐ χοῖροσι

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

ὀυ χοῖρος; ἀφροδίτα, μόνα γε δαιμόνων.
Tum Veneri sacrificare Porcam erit optimum.
At Veneri porca sacrificari non solet.
Non porca zimo soli Veneri ex omnibus Dijs.

Callistratus Philosophus apud Plutarchum in Sympoſiacis, putat coli solere a Iudæis, nã postquam deformitatem & sordes obiecit, quibus odio esse hominibus posset, virtutes deinde, ac in hominem collata enumerat beneficia, quibus diuinitatem promereretur, concludit paucis. *lib. 4. quæst. 5* *Et Iudæis.* καὶ ἴσως ἔχει λόγον, ὡς τὸν ὄνον δὲ ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσι, οὕτως καὶ τὴν ὗν σέβεσθαι σπόρου καὶ ἀρότου διδάσκαλον γενομένην. *Fortaſſe rationi hoc conſentit, ſicut Aſino ſuus eſt apud eos honor, qui fontem aquæ ijs demonſtrauit, ita Suem eos religioſe reuereri, vt ſatianis & arationis magiſtram.* Asinum autem diuinis ab eo populo honoribus cultum credula fuit apud Ethnicos opinio. de Sue solus hic, quod sciam, autor est Plutarchus. Vt illud ab inuidia & calumniandi gentem illam vnius Dei colentem studio profectum, & falsissimum est, ita verissimum diuinis honoribus *Et Cretensibus.* Sues coluisse Cretenses. Athenæus diserte id scribit. περὶ τῶν ὑῶν. ὅτι ἱερόν ἐστι τὸ ζῶον παρὰ κρησὶν, *li. 9. pag. 375*

B

Ἀγαθοκλῆς ὁ Βαβιλώνιος ἐν πρώτῳ περὶ κυζίκου φησὶν οὕτως. μυθεύουσιν ἐν κρήτῃ γίνεσθαι τὴν διὸς τέκνωσιν ἐπὶ τῆς Δίκτης, ἐν ᾗ καὶ ἀπόρρητος γίνεται θυσία. λέγεται γὰρ ὡς ἄρα θηλὴν ὑπέσχεν ὗς, καὶ τῷ σφετέρῳ γρυσμῷ περιιχνεῦσα, τὸν κνυζισμὸν τοῦ βρέφεος ἀνεπάϊστον τοῖς παρεοῦσιν ἐτίθει. διὸ πάντες τὸ ζῶον τοῦτο περίσεπτον ἡγοῦνται, καὶ ὕος φησὶ τῶν κρεῶν οὐ δαίσαιντο. Latine ea sic sonant. *Suem ſacrum eſſe apud Cretenſes animal Agathocles Babilonius libro de Cyzico, vt legitur in Indice ſcriptorum, ad hunc modum, ſcribit. Iouem in Creta partu editum fuiſſe ad Dictam montem fabulantur, in quo & arcanum ſacrum peragunt: ferunt enim porcam mammas infanti præbuiſſe, & circumcurſantem grunnitu ſuo, ne a præſentibus exaudiretur, vagitum eius occultaſſe, quamobrem animal id ſumma veneratione dignum arbitrantur, & Suilla, inquit, ea gens non veſcitur.* locus contextus Græci haudquaquam sanns videtur, & peo περιχνεῦσα legendum est περιοιχνεῦσα, quod est *circumcurſans*, male Critici quidam περινηχνεῦσα, falsa scilicet dialecto. deinde pro κνυζισμον lege κνυζηθμὸν *vagitum*. quod est σφετέρῳ γρυσμῷ, de vna tantum vsurpari non potest, quo nomine & Aristophanem Grammatici accusant, & vetus Scholiastes Apollonium Rhodium suum, quod simili locutione sit vsus, culpat. Antiphanis Comici vetustissimi locus apponatur, quo Suibus diuinitas adstruitur. *Agathocles correctus.* *Ad lib. 3.* *Veneri Sus ſacra, & dilecta.*

C

ἔπειτα καὶ ἀκροκώλιον ὕειον
Ἀφροδίτῃ, γελοῖον, ἀγνοεῖς ἐν τῇ κύπρῳ
δ' οὕτω φιλιθεῖ ταῖς ὕεσι δέσποτα,
ὥστε καταφαγεῖν ἀπεῖρξε τὸ ζῶον, δὲ τοὺς
βοῦς ἠνάγκασε.

In quarto versu fædum vitium est in re fædissima, nam pro καταφαγεῖν quod est *comedere* lege σκατοφαγεῖν, quod est *ſtercoribus veſci*. & sic Antiphanis verba Latine redduntur. *Ita Sues amat Venus, vt in Cypro cum cogeret ſtercoribus veſci, boues, ſues ea neceſſitate exemerit, imo facere vetuerit.* Et hoc mihi Antiphanes debet, qui primus in leges metricas verba ipsius compegerim. Boues autem, atque adeo homines in Cypro insula, stercoribus victitabant. Festus Pompeius. *Cyprio boui merendam, Ennius Sotadico verſu cum dixit, ſignificat id, quod fieri ſolet in Inſula Cypro, in qua boues humano ſtercore paſcuntur.* consulendi Paræmiographi, abiit quippe in prouerbium *Bouis Cyprij merenda*. siue βοῦς κύπριος *Bos Cyprius* apud Diogenianum & Suidam. sunt uiri eruditi, qui Festum falsitatis arguant, quod nulli animanti cornigero stercora edere conueniat, sed conuincitur illorum error, & Festo patrocinium præstatur, cum Boues omnes in Bæotia σκοταφάλους *ſtercus olentes* uocet Aristophanis Scholiastes, & C. Plinius dicat. *boues in Cypro contra tormina hominum excrementis ſibi mederi.* Cum ergo omnia animantia bruta in Cypro stercore humano uescantur, sibi Suem dedicatum Venus, ne stercore cum aliis uescatur, prohibet. Denique ob conculcata, & in humum depressa semina, ne ab auibus temere eruantur, Sues Aegyptus est deuenerata, quod eorum maxime industria occulerentur, quod proditum ab Aeliano. & infra dicam, ubi de Industria. *Antiphanes correctus.* *Stercora hominis in Cypro edũt, Boues.* *lib. 3.* *Feſtus reprehenſus.* *Defenſus.* *In Plutum.* *lib. 28. c. 20.* *Et Aegyptij* *lib. 10. c. 16.*

D

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

VSVS IN SACRO Nuptiali.

QVANTI Suem fecerint priſci illi Aborigines, Hetruriæque incolæ, ex M. Var-
lib.2.c.4. ronis in re ruſtica verbis apparet. *Sus Græce dicitur ὗς, olim Thyſus dictus, ab illo verbo quod dicunt θύειν, quod eſt immolare, ab ſuillo enim genere pecoris immolandi initium primum ſumptum videtur, cuius veſtigia, quod initys Cereris porci immolantur, & quod initys pacis fœdus cum feritur porcus occiditur & quod nuptiarum initio, antiqui reges ac ſublimes viri in Hetruria in coniunctione nuptiali noua nupta & nouus maritus primum porcum immolant. priſci quoque Latini & etiam Græci in Italia idem feciſſe videntur, nam & noſtræ mulieres, maxime nutrices, naturam, qua fœminæ ſunt, in virginibus appellant porcum, & Græce χοῖρον, ſignificantes eſſe dignum inſigni nuptiarum.* Præclarum hoc fuit F
Hetruſcorum, & vetuſtiſſimum inuentum in ſolemnitate nuptiali porcum immolare, quod in He-
lib,3.c.19. truria mea Regali diligenter, vt potui, magis certe, quã debui, olim eſt diſquiſitam. & cætera qui-
lib 5.c.37. dem de nuptiali Latinorum, aliorumque populorum apparatu, in Antiquitatibus meis Romanis diſcuſſa inuenies, ad quas te remitto. Hoc neutiquam omiſerim, non minus ſolemnem adipẽ Suil-
lib.28.c.9. lum in Nuptiis fuiſſe, quam porcum in prima coniunctione. C. Plinii verba ſunt. *proxima in commu-*
Vngere poſtes adipe Suillo. *nibus, adipis laus eſt, ſed maxime Suilli, apud antiquos etiam religioſi, certe nouæ nuptæ intrantes, etiamnum ſolemne habent, poſtes eo attingere.* Hæc etſi ſint veriſſima, alii tamen contradicunt, qui
Ad lib.4. Aeneid. pagina 343. non adipe Suillo poſtes perungi volunt, ſed oleo. ita Seruius Maurus. *moris fuerat, vt nubẽtes puellæ, ſimul ac veniſſent ad limen mariti, poſtes antequam ingrederentur, propter auſpicium caſtitatis, ornarent laneis vittis, & oleo vngerent, vnde vxores dictæ ſunt, quaſi vnxores.* Eadem verbatim Iſido-
Et oleo. rus tranſcripſit. Et eadem habentur apud Donatum vtroque antiquiorem, in Hecyram Terentii.
lib.9.c.8. Scio & bonos autores eſſe qui aſſeuerent, nec oleo, nec adipe Suillo poſtes ſolitas nouas nuptas o- G
Et adipe lupino. bliuere, ſed adipe Lupino, quod vel ipſo Plinio autore certum eſt, tanta inter veteres rerum varie-
lib.1. ſiluar. tas, & diſcrepantia. Antonius Codrus Vrceus Brixianus ex Herberia in Renouatione Bononiæ.

Iam Lupi promit noua nupta pingue,
Flammeum Nymphæ, Charites pudici
Pectoris Zonam, reficitq́ currum
Pronuba Iuno.

Reliqua huc ſpectantia, paulo inferius exquirentur, & pleraque ſunt præoccupata.

DE PARTIBVS EIVS ſigillatim,

Setæ. PARTES ſingulas iam percurro, a magis inutilibus exordior. *Setæ pili ſunt porco-*
Sutores. *rum* etiamſi Horatius, Iuuenalis, Martialis, Plautus, & alii ad hirſutos homines id
lib.19.c.34. nomen traxerunt, Iſidorus. *Sutores nuncupati ſunt, quod inſertis filo porcorum ſetis, ſuant, id eſt conſuant, quaſi Setores.* & ſupra attigi. alter vſus in flagris ruſticis, H
Verbera, aut flagra. aut verberibus, notat vir ornatiſſimus Ioannes Meurſius in Criticis exercitationibus, & autorem habet Sextum Propertium lib.4. Eleg. 1.
Part.2. pag. 81.

Verbera pellitus ſetoſa mouebat arator
Inde Liccus Fabius ſacra Lupercus habet.

Setigeri. Vnde perpetuo epitheto *Sues Setigeri* dicuntur. Virgilius non vno loco. libro ſeptimo Aeneid. in limine.

Setigeriq́ Sues, atque in præſepibus Vrſi.

Et lib. 11. Aeneid. in funere Pallantis.

Setigeroſq́ Sues, raptaſq́ ex omnibus aris
In flammam iugulant pecudes.

Plura dixi ad illud Claudiani in Epigrammatis.

— *Hic ſetis ſæuior, ille iuba.*

Stercus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Stercus* deinde *Sucerda* veteribus vocata, quasi *Sus merda* vt opinor, itaque rectissime Philoxe *Sucerda.*
nus in glossis. interpretatus *Sucerda* χοιρεία κόπρος. *Suillum stercus.* Festus Pompeius. *Succerda* *lib.17.*
stercus Suillum. Titinnius.

Quid habes nisi vnam arcam sine claue?
Ea condis Succerdam.

Male Festus *Succerdam* pro *Sucerda* posuit, est enim prima breui. C. Lucilius lib. 30. Satyrar. *Festus correctus.*

Hic in stercore humi, fabulisq́, fimo, atque Sucerdis.

Lucilii etiam versum corruptum esse liquet, in vulgatis Nonii editionibus, *in stercore humi, fa-* *Lucilius cor*
bulisq́, deteriori sensu erat, tu lege *rectus.*

Hic in stercore humi, stabulisq́, fimo, atq́ sucerda.

Ab hoc *stercore* seu κοπρῷ dicti sunt *Scurræ, Copreæ,* vt ex Dione Cocceiano notat vir eruditissi *Caprea.*
mus ad Festum suum, & Comes Ponzanius Marcellus Donatus, ex illo, vt existimo, Annotationi *lib.50.*
bus variis. Ex quo facile est maculam eluere ex codice Suetonii. *Interrogatum eum subito, & clare* *Pag.638.*
a quodam nano adstante mensæ inter capreas, cur Pacouius, Maiestatis reus tamdiu viueret? quid si- *In Tiberio c.*
B bi vult *inter Capreas stare?* ad mensam Imperatoriam, corrige igitur, & lege, *a quodam Mano ad* *61.*
stante mensæ inter Copreas. Idem rursus Suetonius eget manu Critica. *Interdum ferula, flagrone,* *Suetoni° cor*
velut per ludum, excitabatur a tropeis, solebant & manibus stertentis socci induci, vt repente exper- *rectus.*
gefactus faciem sibi confricaret. corrigendus idem locus, vt antea, *per ludum excitabatur a copreis,* *In Claudio*
nam quid sint *tropei*, nemo deprehendet, Certe λεγωτοποιοὶ, Βωμολόχοι, vt Græci dicunt, *dicaces,* *c.8.*
scilicet *scurræ*, quique *risui mouendo* dicteriis suis in aula morarentur, sic eo æuo appellati. Suidas. *Iterum Sue-*
Ἀστυνόμοι δὲ ἔμελλε περί τε τῶν αὐλητρίδων, καὶ ψαλτριῶν, καὶ κοπρολόγων. *Astynomi sunt quibus cu-* *tonius corre*
ræ sunt Tibicines, saltatrices & scurræ seu *Copreæ,* & Græci vocant ἄνδρας κοπρίους *homines Co-* *ctus.*
preas, & κοπρίαι *Copreæ* in Sancta Synodo Ephesina tertia. Abdias Babylonius, si tamen autor il- *Tom.1.Sect.*
le bonus & legitimus, ac non verius suppositititius in historia Apostolica. *audi domine rex, ista sterco* *10.*
ra abiicienda sunt, & ex tuo regno emundanda, ne forte omnibus putredinem generent. vox κοπρίων *lib.6.*
Græcis vsitatissima est, Plutarcho, Straboni, & Georgio Cedreno, apud Isaacum Casaubonū. Sed *Stercora.*
& Latina ciuitate eadem vox donata. glossæ Isidori. *Scurra qui incopriatur,* & rursus, *scurrula qui*
incopriat. Et Laberius Mimorum festiuissimus poeta fabulam scripserat, cui titulus *Coprinum* fe- *Laberius cor*
C cerat, pessime apud Nonium in *Cophino* citatur, ea ille fabulas aulicas, vt puto, muscas, & importu *rectus.*
nas adulantium præstigias exagitabat. M. Varro in Modio apud eundem Nonium cap. 2. nu. 623.

Omnes videmur esse nobis festiui
Belli, Saperdæ, cum simus κάπροι.

Qui locus Varronis est corruptus, Dionysius Gothefredus legebat, *Cū simus* σάπροι. sed legēdū *Varro corre*

Belli, saperdæ, cum simus Copreæ. *ctus.*

Sed & ipsam dictionem Græcanicam Latina voce extulerunt. Idem Varro. *Copron.*

Non Herculeis potest, qui Anglæ agebat
Copron.

Sic per ludibrium Christianæ pietatis apicem *Cyprianum*, quidam vir doctus apud Lactātium *Coprianus.*
Firmianum, *Coprianum* vocare est ausus, vt Lipsio in electis pridem est obseruatum. Adrianū Tur *lib.2.c.17.*
nebum cōsule in Aduersariis, qui Copreas, honestiori vocabulo, vsurpasse, pro stercorariis scribit. *lib.22. c.31.*
vir tamen doctissimus Læuinus Torrentius ad vtrumque Suetonii locum, in veteris scripturæ de-
fendenda veritate constans est: & ego ex tam fætida dissertatione exiturus, vnum addo ex Plinio. *lib.28.c.9.*
D *neque est occulta virium causa, quoniam id animal herbarum radicibus vescitur, itaque etiam fimo* *Fimi Suilli*
innumeri vsus. Et alibi idem. *M. Varro Principatum dat Turdorum fimo ex auiariis, quod etiam ex* *usus innume*
pabulo boum, Suumq́ magnificat. Et paucis interiectis. *proxime spurcitias Suum laudant, Columella* *ri.*
solus damnat. Locus Columellæ sic se habet in re rustica, *post hæc, quæ diximus, Ouillum, & ab hoc* *lib.17.c.9.*
Caprinum est, mox cæterorum iumentorum armentorumq́: deterrimum ex omnibus Suillum habetur. *lib.2.c.15.*
Concors ei est Rutilius Palladius. qui illum, vt solet, verbatim transcripsit. *Stercus Asinorum primū* *lib.1.c.34.*
est, maxime hortis, deinde Ouillum & Caprinum, & iumentorum, porcinum vero pessimum. ad alia
transeo, satis enim de excrementis. Succedat *Lac porcinum:* & ipsum non pars quidem Suilli cor- *Lac.*
poris, sed quoddam genus excrementi. C. Plinius de eo. Lac *Suillum vtilissimum tenesmo, dysente-* *lib.28.c.9.*
riæ, necnon phthisicis, hoc & mulieri saluberrimum qui dixerent, fuerunt, scilicet, si tenesmo, dysente
ria, aut phthisi laboraret, vt Iacobus Dalechampius admonuit. Galenus vero nunquam meminit *lib.10.de sim*
aut *fimi*, aut *lactis Suilli*, nisi vnico loco de posteriori. qui ait illud esse *aquosum valde & humidum.* *plic.medi.fa*
Contra Manethon ille apud Claudium Aelianum. *Manethonem porro Aegyptium summa sapiētia* *cult.pag.73.* *lib.10. c.16.*
virum accepi dicere, eum qui Suillo lacte vescatur, vitiliginibus & lepra oppletum iri, quod quidē mor *Lepram generat.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

hos Aſiani omnes peſſime oderunt. Non eſt ille Manetho, quem in literarum ludibrium, & meliorũ E ſcientiarum dedecus, ridicule, patrum noſtrorum memoriæ, Ioannes Annius Viterbii, in vinea a ſe defoſſum, ac mox erutum, & compoſito ad ſe, cum Catonis fragmentis, Beroſo, Zenophonte, Sempronio, & aliis, ſuppoſuit. Porro eandem rem confirmat eo poſterior, Plutarchus. ſic enim ille ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ὗν ἀνίερον ζῷον ἡγοῦνται, ὡς μάλιστα γὰρ ὀχέυεσθαι δοκεῖ τῆς σεφήνης, καὶ τῶν τὸ γάλα πινόντων ἐξανθεῖ τὰ σώματα λέπραν καὶ ψωρικὰς τραχύτητας. *Suem quoque animal a ſacris alienum cenſent, quod maxime coeat Luna decreſcente, & lac eius bibentium corporibus lepram tetramq́; ſcabiem afferat.* Nec plura ibi, tranſeo ad *adipem Suillum*, de quo ſupra nonnihil, addo hic M. Varronem in re ruſtica. & C. Plinium. *Adeps inueteratur duobus modis, aut cum ſale, aut ſincerus, tanto vtilior, quanto ſit vetuſtior: Axungiam etiam Græci appellauere eum in voluminibus ſuis, neque eſt occulta virium cauſa, quoniam id animal herbarum radicibus veſcitur, itaque etiam fimo innumeri vſus. quamobrem non de alia loquimur Sue*, quam quæ exeat, vbi radicibus herbarum veſcatur, non uero illa, quæ domi in hara concluſa alitur: *multo efficaciore fæmina, & quæ non peperit, multi vero præſtantior in Apris eſt.* Galenus ſæpiſſime adipem hũc commendat, & quibus conueniat, uel quibus obſit, diligenter exequitur multis locis. Iuuenalis Satyr. 6. V. 630. F

Annÿ impoſtoris Suppoſititius Manentho.
Lib. de Iſide & Oſiride pag. 353.
Adeps.
lib. 2. c. 1.
lib. 28. c. 1.
Axungia.
lib 7. Cõpoſ. Medicam. p gener. pagin. 263.

Cuſtodite animas, & nulli credite menſæ
Liuida materno feruent adipata veneno.

Iuuenalis duobus verſibus auctus.

Duos verſiculos Iuuenali hic addo ex veteris Scholiaſticæ autoritate.

Mordeat ante aliquid, quicquid porrex erit illa
Quæ peperit, timidus prægustet pocula poppas.

Pedes & roſtrum in pretio.

De pedibus paucis præſumo. hos in delitiis eſſe, ac tuto ſiue noxa mãducari poſſe, conſtans poſt Galenum medicorum eſt dogma. meminere plerique inter veteres. Antiphanes in Nuptiis.

—— ἐκτιμὼν χορδῆς μέσαιρν
ποδῶν τε, καὶ ὠτίων, ἔτι δὲ ῥύγχους.
Cum excidiſſet mediam lactium partem,
Et pedum, & auricularum, & inſuper roſtri.

Theophilus in Pancratiaſte. G

—— ἑρθῶν μὲν σχεδὸν
τρεῖς μνᾶς, λέγ' ἄλλο, ῥυγχίον, κωλῆν πόδας
τέτταρας ὑείους.
—— *Elixæ carnis propemodum*
Libras tres, reliqua memora, roſtrum, armum, pedes
Quatuor Suillos.

Anaxilas in Coquis.

Ακροκώλι' ἑψεῖν ἐστὶ, ῥύγχη, πόδας,
Extremos artus elixare, roſtra, pedes.

Idem poeta in Circe fabula.

δεινὸν μὲν γὰρ ἔχονθ' ὑὸς ῥύγχος ὦ φίλε
Magnum habentem roſtrum Suillum o amice.

Denique idem in Campſo.

ῥύγχος φερῶν ὕειον ᾐσθόμην τότε.
Roſtrum ſuillum geſtans id tum ſenſi.

Ariſtophanes in Proagone, Pherecrates in Nugis, Anaxandrides in Satyro, Axionicus in Chal H cide, Steſichorus in Venatione, Archippus in Amphytruone Secundo, Araros in Adonide, conſulantur apud Athenæum, quos non exſcribo. *Cerebrum Suillum*, & ipſum inter lautiſſimas cupedias, etiamſi diu nullus cerebrum comedere, non dicam Suis, ſed ne vllius animalis, auderet, & ratio illa a neſcio quo veterum, allata, *quod omnes ſenſus propemodum Cerebro ineſſent*, quare apud Euſtathium, Prouerbium illud celebratur de homine impuro & flagitioſiſſimo. ὡς οὐδ' ἂν ἐγκέφαλον γ' ἔσθον λίποι. *hic ſine fine cerebra comederit.* tamen poſtea in vſu apud lautiſſimæ gulæ homines inceperunt eſſe: verba interpretis Latini Athenæi hæc ſunt. *Cerebrum Suillum, eo veſci nos Philoſophi non ſinebant, aſſerentes ſi quis id guſtaret, par flagitium admitti, ac ſi roderet fabam, vetabantq́; non capita tantum parentum comeſſe, verum etiam animalium, quantumuis immũda & profana ſint, narrantes priſcos homines religioſe abſtinuiſſe. Apollodorus Athenienſis, ne veterum quidem vllum cerebrum nominaſſe ait.* recepere, inquam, poſtea nepotes, & λευκὸν μυελὸν albam medullam vocarunt, Sophocles in Trachiuiis. Ariſtophanes tum inter primos fuit, qui ipſum cerebrum nominauit in epularum apparatu ita enim

lib. 3. pag. 95
Cerebrum.
Non edebatur.
lib. 2. pag. 65.
Alba medulla.

Απολίσαι

A

Ἀπολέσαι μ' ἂν ἐγκεφάλου θρίω σύω.
Perdiderim cerebri thria duo.

Est autem *Thrion particula cerebri garo condita, addito caseo, obuoluta folio ficulneo.* Philocles & ipse vetustissimus poeta. [*Thrion.*]

ὀυδ' ἂν ἐγκεφάλου γ' ἔθων λίποι.
Cerebri pinguitudinem non comedo.

Quæ vix facile siue Plinio intelliguntur. *hominibus hoc siue sanguine, siue venis, & reliquis siue pingui:* Cerebrum, scilicet. Vide Aristotelem. [*lib.11.c.37.*] *Oculum* Suis perspicacem valde volunt, sed alterutro effosso, moritur, Aristotele teste, quem alii secuti. [*Oculus.*] C. Plinius. *Suem amisso oculo putant cito extingui, alioquin vita ad viginti quinque annos, quibusdam & vicenos.* [*lib.8.c.51.*] Plutarchus in Symposiacis. [*lib.4.c.5.*] *oculi porcorum ita dicuntur confracti, & humi defixi, vt nihil eorum cernant vnquam, quæ supernæ sunt, neque in cælum intueantur, nisi supini contra naturam facti, pupillas sursum obuertant, ideo animal hoc alias clamosissimum, vbi supinatum fuerit, tacere attonitum insolenti conspectu cæli, maiorique metu vociferationem eius reprimi putant.* Hoc omnibus Brutis commune, solique homini erectum vultum

B

deus concessit, vt apud plerosque melioris notæ scriptores. L. Senecam [*Lib. de vit. Beat.c.32.*] Arnobium lib. 8. principio, Freculphum Lexoniensem in Annalibus lib. 1. cap. 3. Ouidium, notissimo loco, Silium Italicum, [*lib.15. Punicor.*]

Nonne vides hominum vt celsos ad sidera vultus
Sustulit Deus, ac sublimia finxerit ora,
Cum pecudum, volucrumque genus, formasque ferarum
Segnem atque obscenam passim strauisset in aluum.

Corippum Africanum lib. 2. Num. 2.

Produxit pronis animalia cætera membris,
Solum hominem rectum,

Dentes habent admodum firmos, nec vllis morbis obnoxios, Aristotele teste in Historia Animalium. [*Dentes.*] [*lib.2.c.1.*] *ὗς δ' ὅλως ὀυθένα βάλλει τῶν ὀδόντων. Sus nullum omnino dentem amittit.* Ex eo C. Plinius. [*lib. 11. c.37.*] *Dentes Suibus nunquam decidunt.* Illud memorabile, quod retulit Claudius Aelianns. [*lib.5.c.45.*] *Suis viridem segetem depastæ dentes infirmiores postea semper reddi:* Sed hoc fusius infra, vbi de solertia eius in Agricultura, agam *Costas*, sic breuiter tetigit idem Plinius, loco laudato. [*Costæ.*] *Costæ homini tantũ octonæ, Suibus denæ, cornigeris tredecim, serpentibus triginta.*

C

quem locum vir doctus aliter legit. [*Pliniij varia lectio.*] *Costæ homini tantum duodenæ,* quæ verior est censenda lectio, nisi forte superiores octonas intelligat veras, & legitimas, non adnumeratis quatuor aliis spuriis. *lienem* interdum saluo Sue consumi posse, pleraque probant, experientia, & doctorum autoritas. [*Lien.*] C. Plinius. [*lib.24.c.9.*] *arbitrantur quidam hanc esse tamaricem, sed ad lienem præcipua est, si succus eius expressus in vino bibatur: adeoque mirabilem eius antipathiam contra solum hoc viscerum faciunt, vt affirment, si ex ea alueis factis bibant Sues, siue liene inueniri.* Et alibi idem autem. [*lib.25.c.5.*] [*Splen.*] *Inuenit & Teucer eadem ætate Teucrion, quam quidam Hemioniam vocant, spargentem iuncos tenues, folia parua, asperis locis nascentem, Austero sapore, nunquam florentem, neque semen gignit, medetur lienibus, constatque sic inuentam, cum exta super eam proiecta essent, adhæsisse lieni, eumque exinanisse, ob id a quibusdam Splenion vocatur: narrant Sues, qui radicem eius ederint, sine splene inueniri.* quo in loco, quod Suum splenem perimat Teucrion herba, malim legere, *ob id a quibusdam Asplenion vocatur,* aut *Asplenion.* [*Pliniij lectio varia.*] De lingua aliquid delibandum, nam ne ei quidem gulæ intemperies pepercit, nam & linguas in conuiuiis auide porcinas esitabant, ac deinde [*Lingua.*] *σπένδοσι καὶ ἐπὶ ταῖς γλώσσαις ἐκ τῶν δείπνων ἀπιόντες. soliti facere libationes super linguis cum*

D

è conuiuio discederent. [*Super ea libationes.*] id versu Homerico probat vir doctissimus in Animaduersionibus, [*lib.1.c.14.*] nec vero Suillum iecur tantopere nepotibus expetitum prætereo. [*Iecur.*] Plinius. [*lib.8.c.51.*] *adhibetur & ars iecori fæminarũ, sicut anserum, inuentum M. Apicij fico, carica, saginatis, ac satie necatis, repente Mulsi potu dato.* de hoc autem cupediarum oblectamento Aristophanes in Tagenistis, Alcæus in Palestra, Eubulus in Deucalione, Archilochus, Hegesander Delphus abunde satisfaciunt, ab aliis laudati, nec repeto, & puto ab Vlysse Aldrouando, vbi de Ansere agebat, non prætermissos. vnius Alexidis in Medicamentario locus impræsentiarum sufficiet,

κρεάδια, ποδάρια, ῥύγχη τινὰ, ὠτάρια
ὕειον ἡπάτιον ἐγκεκαλουμένον.
Caruncularum pulpas, pedes, rostra quædam, auriculas,
Suillum iecusculum circum opertum.

Varii certe modi iecinorum parandorum, hic, vt apparet, aliis cibis inuoluebantur, apud Athenæum libro tertio, *sartagine frigebantur,* more Græcanico *in cinere terrebantur,* autore Hippocrate. [*lib.2. Morb. muliebr.*] viri docti consulantur ad Iuuenalem Satyr. 5. V. 114.

Anseris ante ipsum magnum iecur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Ad Martialem lib. 13.epigram. 58.

Aſpice quam magno tumeat iecur anſere maius.

Ad Horatium lib. 2.Satyr.8.

Senſus.

Pinguibus & ficis paſtum iecur Anſeris albi.

Odoratum, guſtum, & olfactum, in ea perfectione Sues habere, vt homines longe illis ſuperent, rationibus ex ipſius naturæ gremio depromptis probat, apud Plutarchum, Circeius ille Gryllus, nec ego id huc transfero.

Pag. 990.

AETAS. CASTRATIO, & Sagina.

Aetas. lib. 8. c. 51.

PROPIVS ad naturæ ipſius inueſtigationem accedo, longiſſimum viuendi tempus expreſſit Plinius *Suem oculo amiſſo putant cibo extingui, alioqui vita ad quindecim annos, quibuſdam & vicenos.* cauſa præcipua, quod præter cæterorum animalium conditionem, quam citiſſime ad fœturam admittantur, & coitum appetant, vt ſupra eſt oſtenſum. Caſtrantur tam mares, quam fœminæ, ſed difficilius longe fœminæ, & maiori periculo. Ariſtoteles autor eſt in Hiſtoria Animalium. ἐκτέμνεται δὲ καὶ ἡ καπρία τῶν θηλειῶν ὑῶν, ὥστε μηκέτι δεῖσθαι ὀχείας, ἀλλὰ πιαίνεσθαι ταχέως, ἐκτέμνεται δὲ νηστεύσασα δυο ἡμέρας, εἶτα κρεμάσαντες τῶν ὀπισθίων σκελῶν, τέμνουσι τὸ ἦτρος, ᾗ τοῖς ἄρρεσιν οἱ ὄρχεις μάλιστα φύονται. ἐνταῦθα γὰρ ἐπὶ ταῖς μήτραις ἐπιπεφυκὲν ἡ καπρία, ἧς σμικρὸν ἀποτέμνοντες συῤῥάπτουσιν ἐκτέανονται. *Apria etiam ſcrofarum caſtratur, ne praterea coitum appetat, ſed breui tempore obeſetur, caſtratur autem cum biduo ieiunarit, ſuſpenſa pernis prioribus, reciſa cute inter feminà, qua maribus teſtes maxime continentur, hac enim parte adharet vuluis Apria dicta, cuius exigua parte abſciſſa conſarcinant.* Duplex ergo caſtrandi finis, vel vt pinguior Sus fiat, vel vt coitu abſtineat, vt ſic *Apriam caſtrare* omnem libidinis fomitem penitus exſcindere, pari forma dixit Claudianus lib. 1. in Eutropium.

Castratio. lib. 9. c. 50. — *Apria.* — *fit pinguior*

Quid neruos ſecuiſſe iuuat? vis nulla cruentam
Caſtrat auaritiam.

lib. 7. c. 11.

Tempora caſtrationi idonea maxime ſunt *ver & autumnus*, vt Iunius Moderatus Columella, præſcribit modum deinde ibidem aperit, *aut cum duobus vulneribus impreſſis, per vnamquamque plagam ſinguli exprimuntur teſticuli, aut cum virilem partem vnam ferro reſectam detraxeris, per impreſſum vulnus ſcalpellum inſerito, & mediam quaſi cutem, qua interuenit duobus membris genitalibus, reſcindito, atque vncis digitis alterum quoque teſticulum educito: ſic fiet vna cicatrix.* atque poſterior hæc ratio ſpecioſior quidem eſt, ſed periculoſior. C. Plinius. *caſtrantur famina quoq; Sues, ſicut Cameli, poſt bidui inediam, ſuſpenſa pernis prioribus, vulua reciſa, ita celerius pingueſcunt.* Ariſtotelem ille, vt ſæpe ſolet, tranſcribit, ſed tamen ab eo diſſidet, nam in caſtratione ſuſpendi eos vult pedibus ſeu *pernis poſterioribus* Ariſtoteles, Plinius *prioribus*, ſed hæc res ad ruſticas pertinet. In caſtratione etiam Lunam obſeruant. eodem Plinio teſte. *Verres, Iuuencos, Arietes, hædos, decreſcente Luna caſtrato.* Eſt & tertia ratio cur Sues caſtrare moris fuerit, quod Caro ſuauior inde fiat vſque adeo, vt Suum grandiorum caſtratorum Sanguis commode edatur, vel Claudio Galeno teſte. *A Suibus ad feminas* tractum caſtrandi exemplum, vt admonuit Ioannes Brodæus, & eſt autor Xanthus libro ſecundo Lydiorum. *Andramytem Lydorum Regem omnium primum mulieres caſtraſſe, & loco Eunuchorum habuiſſe.* Athenæus. Sus priuſquam caſtretur, mas *Verres*, fœmina *Scrofa*, vbi exſectus eſt, fœminæ nomen *Porcæ*, mari *Maialis* impoſitum reperio: & *Maialis* forte, quia ineunte Maio ſiue vere primo, vt dixi, caſtretur. M. Varro in re ruſtica. *caſtrantur Verres commodiſſime anniculi, vtique ne minores quam ſemeſtres, quo facto nomen mutant, atque è Verribus dicuntur Maiales.* Et eodem libro rurſus idem. *propter quod diſcrimen maxime inſtitutum, vt caſtrentur equi, demptis enim teſticulis fiunt quietiores, & ideo quod ſemine careant, ij cauterij appellati, vt in Suibus Maiales.* Iſidorus in gloſſis. *Maialis porcus pinguis, quod deæ Maiæ ſacrificabatur: quaſi matri Mercurij*, quænam hæc *Maia* dea? *Mater Mercurij*, inquit gloſſographus, ea indubie, in cuius tutela menſis *Maius*, vnde & nomen. Porci iſti ſeu Maiales ludis, & feriis Compitalitiis caſi, de quibus nonnihil Cato in re ruſtica, & ego plena manu Antiquitatibus Romanis. Sextus Propertius lib. 4. Eleg. 1. & Ioannes Paſſeratius ibi.

lib. 8. c. 51. — *Plinius mutat ſententiã Ariſtotelis.* — *lib. 18. c. 32.* — *Caro ſuauior.* — *lib. 3. de Alimen. fac.* — *Lib. 5. Miſcell. c. 3.* — *Lib. 12. pag. 515.* — *Maialis.* — *lib 2 c. 4 fin.* — *Cap. 7. fin.* — *Cauterij.* — *Maia Dea.* — *Cap. 57.* — *lib. 4. c. 9.*

Parua ſaginati luſtrabant compita porci,
Paſtor & ad calamos exta litabat ouis.

Erunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Erunt ibi *saginati, sacrificijs apti.* vt M. Varro in re rustica interpretatur. Eratque id hominum genus, qui saginam idest saginata animalia tantum venderent. Nicophon priscę Comedię poeta. *Saginati. lib. 2. c. 1. fin. Saginæ uenditor. ἐγκριδοπώλαι.*

> Βιβλιοπώλαις, κοσκινοπώλαις, ἐγκριδοπώλαις.
> *Librorum, Cribrorum, Saginarum venditoribus.*

Multus est Plautus. Mostell. Act. 1. Sc. 1.

> *Quomodo occæpistis, bibite, pergræcamini,*
> *Este, effercite vos, saginam cædite.*

In eadem fabula & Actu Sc. 3. *Sagina p loco.*

> *Iam ista quidem absumpta res est, noctes diesq́ estur.*
> *Bibitur, neq́, quisquam parcimoniam adhibet, sagina plane est.*

Et interdum pro ipsis animalibus saginatis vsurpatur sagina. Symmach. *saginę cędundę cura posterior erit.* Philippus Paræus in Indice Plantino. *Pro Animalibus. lib. 1. Epis. 7*

B LOCVS ET NATVRA.

TANDEM illud expediendum, quo loco, aut quibus regionibus Sus commode viuat, quibus ali & prouenire non possit; primum sciendum in Arabia nec viuere, nec nasci Suem, etsi forte eo inferatur, euestigio exspirare, quod docet Iulius Solinus in polyhistore, loco superius adducto. C. Plinius. *At in Arabia Suillum genus non viuit.* Vt de Asiæ illa parte ibi ab eo affirmatum, ita de Africa in genere idem autor asseuerat. *mirabilius est in eadem insula Ceruos, præterquam in Cydoniatarũ regione non esse, in Africa nec apros, nec ceruos, nec capreas, nec vrsos.* In Creta Insula nullum Suem ferum esse, ex eodem loco constat. *In Olympo Macedonię monte non sunt lupi, nec in Creta insula, ibi quidem non vulpes, vrsive, atque omnino nullum maleficum animal, præter phalangium aranei id genus est, de quo dicemus suo loco: Mirabilius in eadem insula Ceruos, præterquam in Cydoniatarum regione, non esse, item nec Apros, nec Attagenes, nec Herinaceos.* In India Suem nec gigni nec haberi autores habeo probatos. Claud. Aelianus. *Hęc etiam inter cętera quę circa animantes quippiam eximij habent, non prætererim Suem apud Indos, neque ferum, neque mansuetum nasci Ctesias prodit.* Copiosius ex eodem Ctesia rerum Indicarum & Persicarum scriptore. *Porro apud Indos nullũ Suem, neque ferum, neque cicuratum nasci Ctesias Gnidius ait, & suilli generis vsum a se Indos detestari, & tantopere abesse ab eo vescendo, quam ab humanis carnibus abhorrere.* periit id Ctesiæ opus, neque hoc, in fragmentis, quę circumferuntur, reperitur. De locis, in quibus hoc pecoris viuat, non est multum laborandum, cum supra ex gentium pæne omnium consensu docuerim plerosque populos porcina vesci, addo hic etiam in Terra Australi vix bene adhuc detecta, versus fretum Magellanicum, nihil esse animalium, quæ in nostro orbe viuunt, saltem quadrupedum, præter *Bubalos, vaccas, Capras, & Porcos,* vt ex Hessellio Gerardo perspicuum est In detectione Australis Terræ incognitæ per Petrum Ferdinandes de Quir. Illud præclarum est, Galliam olim Togatam tam abundantem Suibus fuisse, vt maximum inde vrbi commodum. Strabo Amasianus. καὶ γὰρ ἡ γεωργουμένη γῆ πολλὰς καὶ παντοίους ἐκφέρει καρπούς, καὶ αἱ ὕλαι τοσαύτην, ἔχουσι βάλανον, ὥστε ἐκ τῶν ἐντεῦθεν ὑοφορβίων ἡ Ῥώμη τρέφεται. *Nam quę colitur terra omnis generis copiosos præbet fructus, & siluæ tantum glandis suppeditãt, vt ex porcorum gregibus, qui ibi pascuntur, Roma fere alatur.* Idem Geographus Galliam etiam Lugdunensem eo nomine celebrat. ὅθεν αἱ κάλλισαι ταριχεῖαι τῶν ὑείων κρεῶν εἰς τὴν Ῥώμην καταχομίζονται. *Ex his optima Suilla salsamenta Romam perferuntur.* Nec ingloriæ sunt Syracusæ eo nomine. notum enim illud Græcorum prouerbium.

Non est in Arabia. lib. 8. c. 52. Nec in Africa. lib. 8. c. 58. Nec in Creta Insula. Nec in India. lib. 3. c. 3. lib. 16. c. 37. Sunt in Terra Australi. Ex Gallia Togata Romã aduecti. lib. 5. pag. 151 C D *Et Gallia Lugdunensi Lib. 4. pagin. 133. Et Syracusis*

> τυρὸς Σικελικὸς, ἐκ Συρακουσῶν σύες.
> *Caseus Siculus, a Syracusis Sues.*

Hermippus Comicus,

> Αἱ δὲ Συρακοῦσαι σῦς, καὶ τυρὸν παρέχουσι.
> *Inde Syracusis aduectus caseus, & Sus.*

Hoc pecus maxime Brutum inter omnia animantia. M. Varro in re rustica. *Itaque ijs Suibus animam datam esse proinde ac salem, quæ seruaret carnem.* Ex illo C. Plinius. *Animalium hoc maxime brutum, animamque ei pro sale datam haud illepide existimabatur.* Nec plura super hoc. *Brutum. lib. 2. c. 4. lib. 8. c. 51.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

SPVRCITIES. ET ſordium amor.

Lib.12.c.1. Spurcitia. Spurius. lib.17. Subare. Gaudet ſub cœno. Tempore admiſſuræ. Requies volutatio. Varro correctus. χαμαιέυναδες. Loca paluſtria. lib.7.c.9. Abuti aquis lib.1.Georg. lib.8.c.51. Cœno lauari Apri vt Sues luto gaudẽt. Volutabra. lib.16.c.1.

IN quo præcipue bruta hæc & belluina adeo natura conſiſtat inueſtigandum. Iſidorus. *Porcus, quam ſit ſpurcus, ingurgitat enim ſe cœno, luto immergit, limo illinit, Horatius, amica luto Sus, hinc etiam ſpurcitia, vel ſpurius nuncupatur.* Ea de cauſa cum Venus eſſet φιλόκαλος *munditiei ſtudioſa*, odio habuiſſe Suem, animal ab impuritate abominandum, fingebatur. Feſtus Pompeius. *Suillum genus inuiſum Veneri prodiderunt poetæ, ob interfectum ab Apro Adonium, quem diligebat dea: quidam autem, quod immundiſſimi ſint Sues ex omni manſueto pecore, & ardentiſſimæ libidinis, ita vt opprobrium mulieribus inde tractum ſit, cum Subare, & Subire dicuntur.* Exprimit M. Varro in re ruſtica. *In paſtũ locus huic pecori aptus vliginoſus, quod delectatur non ſolum aqua, ſed etiam luto, itaque eam ob rem aiunt lupos, cum ſint nacti Sues, trahere vſque ad aquam, quod dentes feruorem carnis ferre non poſſent.* id præcipue curant ſubulci, vt admiſſuræ tempore lutum habeant, quo ſe volutent, & totum corpus demergentes oblinent. Idem Varro paulo infra. *Admiſſuras cum faciũt, prodigunt in lutoſos limites & luſtra, vt volutentur in luto, quæ eſt illorum requies, vt lauatio hominis.* locus non videtur ſanus, itaque corrigendum cenſeo. *Porro adigunt in lutoſos limites*, aut ſic. *producunt in lutoſos limites*, quid enim ſit *prodigere* hoc loco, non aſſequor: Hac de cauſa Homerũ ſcimus Sues χαμαιέυναδες quaſi *volutatrices, humi cubantes, aut cœnoſo cubitu delectantes*, appellaſſe. qui eas diligentius ad fœturas habebant, obſeruarunt locum paſtui idoneum non eſſe ſiccũ, aut ſcabrum, aut aquarum penuria laborantem. Iunius Columella. *omnem porro ſitum ruris hoc pecus vſurpat, nam & montibus & campis commode paſcitur, melius tamen paluſtribus agris, quam ſitientibus.* Paucis interiectis ſubdit, *vbi penuria eſt arborum, terrenum pabulum conſectabimur, & ſiccoli moſum præferemus, vt paludem rimentur, effodiantque lumbricos, atque in luto volutentur, quod eſt huic pecori gratiſſimũ, quin etiam vt aquis abuti poſſint.* Seruius Maurus Honoratus. *immundi Sues luto gaudentes.* C. Plinius. *In luto volitatio generi grata*, notum celebre eſt illud Heracliti Epheſii, qui dicere erat ſolitus. *Sues cœno lauari, vt cortales aues puluere & cinere.* id fuit, quod ſupra Varro requiem Suum lutum, vt lauationem hominum dicebat. Hoc non tantum Suibus domeſticis, ſed etiam Apris, commune, vnde *loca in quibus ſe voluunt*, id eſt volutant, Latini *volutabra* dixerunt. vt verbis vtar Seruii. ad lib. 3. Georgicon. inde tranſlate Cicero lib. 2. de Republica volutabũdum pro voluptatibus immerſo, vt Sues ſunt cœno, vſurpat. *cupido autem & expetenti, & lubidinoſo, & volutabundo in voluptatibus.* Iſidorus. *volutabra appellata, quod ibi Apri volutentur.* alluſit C. Lucilius lib. 30. Satyr.

Quid tu iſtuc curas, vbi ego obliner, atque voluter,

Ita intelligendi poetæ. T. Lucretius lib. 5.

Multaque vincebant, vitabant pauca latebris,
Setigeriſque pares Suibus ſilueſtria membra
Nuda dabant terræ nocturno tempore capti,
Circum ſe folijs, & frondibus inuoluentes.

Varietas lectionis in Lucretio.

In tertio verſiculo MS. legit paruo admodum diſcrimine.

Nudabant terræ.

Et lib. 6. idem. quem locum varie Critici torſerunt. Dionyſius Lambinus ibi conſulatur.

At contra nobis cœnum teterrima cum ſit
Spurcities, eadem Subus hæc res munda videtur,
Inſatiabiliter toti vt voluantur ibidem.

Virgilius lib. 1. Georgic.

——————— *non ore ſolutos*
Immundi meminere Sues iactare maniplos,

Et lib. 3. eiuſdem operis.

Sæpe volutabris pulſos ſilueſtribus Apros
Latratu turbabis agens.

Iuuat volutatio ad ſaginam. lib.8.c.6.

Verba Ariſtotelis Latina, quia fideliter verſa ex hiſtoria Animalium appoſui; cum etiam quod optime totam Porci noſtri naturam expreſſerunt. *Sus minime herbæ frugumque appetens eſt, ſed radicum maxime ex omnibus animalibus, quoniam rictu aptiſſimo ad id negotij eſt: facillime etiam omnium*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *nium ad quoduis pabulũ assuescit, & celerrime quoque in pinguitudinem proficit, pro sui corporis magnitudine, sexaginta enim diebus pinguescit, quantum autem profecerit, ij cognoscunt, quibus ea res curæ est, vbi ieiunium ad saginam constituerint, pinguescit fame præfatigatus triduo, saginant a triduo iam, qui Sues obesant. Thraces per saginam cum primo die potum præbuerint, post interposito vno die præbent, tum duobus, deinde triduo, atque ita subinde augendo numerum vsque in septimum, curant. pinguescit hoc animal hordeo, fico, milio, glande, pyro, cucumere, sed maxime tum hoc, tum cætera, quibus venter calidus est, quiete immotioneq́; pinguescunt. Cæterum Sues pinguiores redduntur etiam cum in luto se volutant.* Non igitur tantum grata est Suibus volutatio, sed etiam necessaria, licet maximus inde fætor, & pestifer veluti quidã odor ingratus sit. Horatius lib. Epodon. od. 12. *Thracũ mos in saginãdo.* *Fætor inde.*

Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis,
Quam Canis acer, vbi lateat Sus,
Quis sudor vietis, & quam malus vndique membris
Crescit odor.

B Horat. lib. 1. Epist. 2.

Quæ si cum socijs, stultus cupidusq́; bibisset
Sus domina meretrice fuisset turpis & excors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto Sus.

Et rursus lib. 2. Epist. 2.

Hac rabiosa fugit Canis, hac lutulenta ruit Sus.

M. Plautus Captiuis Act. 4. Sc. 2.

Tum pistores scrofipasci, qui alunt furfuri Sues
Quarum odore præterire nemo pistrinum potest
Horum si quoiusquam scrofam in publico conspexero.
Ex ipsis dominis, pugnis meis, exulcerabo furfures.

Spurcum ergo quidlibet *obscænum* interpretor, cum Nonio, & vt homines *spurcos, porcos* vocari solere supra est animaduersum, ita impurum domicilium, aut ædes alicuius spurcitie illuuieq; fædas *Haras* dixerunt. M. Varro lib. 1. de Prometheo. *In tenebris, ac Suilli viuunt, nisi non forum hara atque homines, qui nunc plerique, Sues sunt existimandi.* M. Cicero in Pisoniana. *Epicure noster ex hara producte, non ex schola.* M. Plautus Captiuis. Act. 2. Sc. 4. *Hara.* C *Aedes sordidi.*

—— Herus in hara, haud ædibus habitat.

Et in Mostellaria Act. 1. Sc. 1. at te Iupiter.

Diq́; omnes perdant, oboluisti allium,
Germana illuuies, rusticus, hircus, hara Suis.
Canem capra commixta.

Quod eo admirabilius duco in ipsis ædibus regiis olim fuisse haras, ob perpetuam scilicet pecoris pascendi curam, quæ priscis illis heroibus fuit. Homerus supra laudatus. P. Ouidius Epistola Penelopes. *Regijs proxima.*

Hoc faciunt custosq́; boum, longæuaq́; nutrix,
Tertius immundæ cura fidelis haræ.

Sordium & illuuiei ei animali cura crescit ex continuo in terram pronoque intuitu, quãdo omnia quidem animalia deorsum visum dirigant, præter hominem, sed præ aliis omnibus hoc Sui conuenire supra est ostensum. vnde Ouidii locus est peropportunus, vbi de Circea mutatione. libro decimoquarto. D

Spargimur ignotæ succis melioribus herbæ
Percutimurque caput conuersæ verbere virgæ,
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis,
Quo magis illa canit, magis hoc tellure leuati
Erigimur, setæq́; cadunt, bifidumq́; relinquit
Rima pedem, crescunt humeri, & subiecta lacertis
Brachia sunt.

Huc spectat fabula illa decantatissima de Sociis Vlyssis in Sues a Circe conuersis, quo voluptatum nimiarum illecebræ, & fædissima Suum natura pariter designantur, sed infra loco suo id explicabitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

ARDOR IN VENEREM, & in menſa libido.

FAEDISSIMVM hunc altumque ſordium gurgitem excipit immoderatus coeundi appetitus, & vſque ad furorem Veneris frequentiſſimæ inſania. Feſtus Pompeius. [Lib.17.] *Suillum genus inuiſum Veneri prodiderunt poetæ, ob interfectum ab Apro Adonium, quem diligebat Dea, quidam autem, quod immundiſſimi ſint Sues ex omni manſueto pecore, & ardentiſſimæ libidinis, ita vt opprobrium mulieribus inde tractū ſit, cum ſubare & ſubire dicuntur.* A Suibus ergo vox obſcæna deducta, *Subare*, & [Subare. Subire, Surire.] *Subire*, quaſi Suillam libidinem, indomitam quippe imitari. Eadem vox in quibuſdam codicibus Feſti eſt, *Surire*, adſtipulantur gloſſæ philoxeni *Surit. καπρᾷ.* rectiſſime ex Ariſtotele in Hiſtoria [lib.6.c.18.] Animalium. *καὶ αἱ ὕες ὅταν ἔχωσι πρὸς τὴν ὀχείαν ὁρμητικῶς, ὃ καλεῖται καπρᾷν, ὀθοῦνται καὶ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους. Sues fœminæ cum libidine excitantur, quod Subare dicitur, vel homines aggrediuntur.* [Homines impetunt. Et ſe armāt.] qua ratione porro ſe arment, ex initio eiuſdem capitis docemur. *Commune autem omnium animalium eſt, vt cupidine voluptateque rei Venereæ maximè geſtiant, atque incitentur. ferociūt fœminæ in partu, mares tempore coitus. Sues feri acerrime ſæuiunt, quanquam imbecilles per id tempus ex coitu reddantur, dimicant inter ſeſe mirum in modum, armantes ſe, & cutem quam craſſiſſimam præparantes indurāteſq́; attritu arborum.* Seruius Maurus Honoratus. [Ad lib.3.Georg. pag.131] *dicit Suem domeſticum, quem cicurem vocant. hæc enim vult probare non tantum feras, ſed & manſueta animalia amore in furorem verti.* [In furorē acti.] *quod pugnaturi Sues facere conſueuerūt ad ea proſubigit, fodit terram, & pedibus impellit alternis; & a pedū moquirendum robur, vnde etiam latera, & coſtas terentes, durant ea in futura certamina, & a pedū motu, & ab attritione coſtarum.* Helenius Acron vetus Grammaticus ad Horatium. [Epod.od.12.] *Subaudo metaphora a Sue, quæ Subare dicitur. dum ergo tu cales tanta libidine, rumpis ſtratum, vt in coitum properes.* Porphyrio ibidem loci & ipſe vetus Horatii Interpres. *Subare proprie Sues dicuntur cum libidinantur, inde tranſlatio facta in cætera animalia.* Vetus Scholiaſtes Iuuenalis. ad Satyr.2.V.50. [Subare. Subire. Iuuenalis correctus.]

Hiſpo ſubit Iuuenes, & morbo pallet vtroque.

Malim cum vetere Scholiaſte *Hippo*, vt ſit *equina libido Suillæ* coniuncta, fœdum hoc dictu, ſed verum de Heliogabalo apud Aelium Lampridium. *Ergo cum Hibernaſſet Nicomediæ, atque omnia ſordide ageret, inireturque a viris, & ſubaret, ſtatim milites facti ſui pœnituit.* Lexicon Latino Græcum MS. *ὀργᾷ ὀργαν. complexum maris aut fœminæ appetere.* Lucretius lib.4. [ὀργᾷ. Lucretij loc. correctus.]

Nam facit ex animo ſæpe, & communia quærens
Gaudia, ſollicitat ſpatium decurrere amoris
Nec ratione alia volucres, armenta, feræq́;
Et pecudes, & Equæ maribus ſubſidere poſſunt.
Si non ipſa, quod illorum ſubat, ardet abundans
Natura, & Venerem ſalientum læta retractat.

Penultimum verſiculum nonnulli deprauarunt, legentes,

— — Quod illorum ſubito ardet,

Horat. loco proxime laudato,

Indomitam properat rabiem ſedare, nec illi
Iam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus Crocodili, iamque ſubaudo
Tenta cubilia, tectaque rumpit.

[Subatio.] Hinc *Subatio coitus Suum* Plinio autore. [lib.8.c.51.] *remedium, ne prima ſubatione, neque ante flaccidas aures coitus fiat*, tantæ porro eſt, & tam indomitæ libidinis Sus, vt ne grauida quidem coitu abſtineat, ſed præter omnium animantium vel admittat, vel auide requirat. eodem Plinio teſte. qui ſic [GrauidaSus coit.] ait. *Quadrupedum Venerem prægnantes arcent. præter equam & Suem.* Illud vero non leuis hic fuerit obſeruationis, quod ibidem Plinius refert. [Lib.10.c.63. fine.] *Equos, & Canes, & Sues coitum matutinum appetere, fœminas autem poſt meridiem blandiri, diligentiores tradunt, Equas domitas ſexaginta diebus equiſ* [Mas ſpumat] *re, antequam gregales, Sues tantum coitu ſpumam ore fundere, Verrem Subantis audita voce, niſi admittatur, cibum non capere vſque in maciem, fœminas autem in tantum efferari, vt hominē lacerent, candida maxime veſte indutum. rabies ea aceto mitigatur, naturæ adſperſo. Auiditas coitus putatur & cibis fieri, ſicut viro eruca, & pecori capa, quæ ex feris mitigentur, non concipere, vt anſeres, Apros vero tarde & ceruos, nec niſi ab infantia educatos.* Scio omnibus his contraria ab aliis tradi, ac præ aliis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A alijs, Gryllus ille apud Plutarchum miram Suum in coeundo continentiam & moderationem, ex naturæ fontibus deriuatam, probat. sed receptam sententiam omnes veteres amplectuntur. T. Pōponius in Comedia cui titulus *Maialis*, apud Nonium. *Maialis. Cap. 2. num. 876.*

Animos Venus veget voluptatibus.

Et quod rarum in aliis animantibus, in quibus fere fæminas pudor regit, hic non minore lasciuia fæmina in amplexus fertur, non minore insania debacchatur, quam mas. Virgilium habeo autorem. *Vterque sexus pari affectu. lib. 3 Georg.*

Tempore non alio Catulorum oblita leæna
Sæuior errauit campis, nec funera vulgo
Tam multa informes Vrsi, stragemq́; dedere.
Per siluam tum sæuus aper, tum pessima Tigris,
Heu male tum Libyæ solis erratur in agris.
Nonne vides vt tota tremor pertentet equorum
B *Corpora, si tantum notas odor attulit auras?*
Ac neque eos iam fræna virum, nec verbera sæua
Non scopuli, rupesq́; cauæ, atque obiecta morantur
Flumina, correptos vnda torquentia montes:
Ipse ruit, dentesq́; Sabellicus exacuit Sus,
Et pede prosubigit terram fricat arbore costas,
Atque hinc, atque illinc, humeros ad vulnera durat.

Qui locus manifesti erroris Petrum Victorium conuincit, qui fidenter asseuerare ausus est, nullam vllibi in Georgicis Suum mansuetorum mentionem factam a Virgilio, cum tamen sæpissime in eo opere Suum mansuetorum sit natura descripta, hunc locum proxime laudatū diserte *de Sue domestica quam cicurem vocant*, intelligi debere, docet, & rursus lib. 2. Georg. *Error insignis Petri Victorij. Lib. 17. var. lect. c. 11.*

—— *Glandemq́; Sues fregere sub vlmis*

Et eodem libro ad fidem.

Glande Sues redeunt læti.

Et vide infra hoc tractatu vbi de Morbis Suum differam ex eodem Virgilio in Georgicis, &
C pluribus stultum hoc Victorii erratum detexi & reprehendi Commentario in Aeliani variam historiam. Prætermiseram pene Pythagoræorum pene Metempsychosin tradidisse luxuriosos & Veneri plusquam par esset, deditos, in Porcos mutatos, quod, quia abunde ostensum in Hetruria Regali mea, & in Commentariis in Claudianum lib. 2. in Ruffinum, contentus ero loco vnico illius poetæ mei, & altero Græcanici. meus sic habet. *lib. 1. c. 7. lib. 3. c. 74.*

Nam iuxta Rhadamantus agit, congesta superni *Metempsychosis.*
Curriculi, totosq́; diu perspexerit actus,
Exæquat damnum meritis, & muta ferarum
Cogit vincla pati, truculentos ingerit Vrsis,
Prædonesq́; lupis, fallaces vulpibus addit,
At qui desidia semper, vinoq́; grauatus,
Indulgens Veneri voluit torpescere luxu,
Hunc Suis immundi fœdos detrudit in artus.

Affinia habet Anaxilas in Circe.

D τȣ̃ς μὲν ὀρεινόμους ὑμῶν ποιήσει δέλφακας
Αλιβάτȣς, τȣ̃ς δὲ πάνθηρας, ἄλλους ἀγρώστας
λύκους, λέοντας, ἐπὶ δὲ τῶν θηλειων.

Ita Iacobus Dalechampius vertit.

Pascentem in montibus vestrum quosdam
Faciet errabundos porcos, seu Delphacas
Quosdam Pantheras, alios Lupos, Leonesq́;
Ad venatum pernices.

Multa huc spectantia eruditæ lectionis reperies apud Aeliam Viuetum in Commentariis ad Ausonii epigrammata, quæ non exscribo.

VORA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

VORACITAS, ET PRAETER naturam ingluuies.

Sus guloſus. lib.25.c.26.
Laphygmũ quid vocẽt?

BELLVINVM hunc & brutum libinandi furorem peſtis deterior ſequitur profunda ingluuies, & fætuum propriorum, præter Naturæ legem ab aliis animantibus obſeruatam, comeſtio. de immenſa voracitate Cælii Rhodigini eſt locus in lectionibus antiquis. *Inuenio & Laphygmum dici canum & Suum erudite inexplebilem vorandi auiditatem, inclinata vocabuli proprietate a verbo λάπω, καὶ λαπάζω, καὶ λαφύσσω, ſorbeo, & deuoro, vnde ab impenſa magnitudine conuiuium ilapinē vocant magnificum, quod eo appoſui gratius, quoniam Rhodigini mei ex verbo veteri græco parum excidentes, pro eo quod eſt λάπτειν, confinxere ſibi plebeiam vocem ſlapare.* Nec tantum cibum quemlibet ſibi appoſitum auidiſſime conſumit, ſed & porcùlos ſuos vorat, cauſa illa elegans apud Moderatum Columellam in re ruſtica.

Famis impatiens. lib.7.c.11.

illud autem quod ad religionem patris familias attinet, non putaui reticendum, ſunt quædam ſcrofę quę mandunt fœtus ſuos, quod cum ſit, non habetur prodigium, nam Sues ex omnibus pecudibus habentur impatientiſſime famis, ita vt aliquando ſi indigeant pabuli, non tantum alienam, ſi liceat, ſobolem, ſed etiam ſuam conſumant. Anceps ſane inter Augures, & portentorum interpretes quæſtio fuit, an hęc Suis famelicæ immanis edacitas prodigium eſſet, & victima expiandum? reſponſumque a collegio, *prodigium non eſſe*. Columella proxime ſupra, & C. Plinius. *comeſſe fœtus his, non eſt prodigium.* M. Varro in re ruſtica, eadem aſſerit. Hinc Aeliani eſt exclamatio ſuper eo, *Porcus ſane iniquum iniuſtumque eſt animal, & ne cadaueribus quidem ſui generis abſtinet.* Magnam tamen illi pecori pietatem ineſſe, & religioſam in fætu ſuo educando curam laudat Gryllus Circeius apud Plutarchum; ſed eloquentiſſimus ille ſcriptor ingenium eo opere ventilare voluit.

Non eſt prodigium. lib.8.c.51.
Cadauere paſcitur. lib.7.c.19.

PRAESAGITIO FVTVRORVM.

Prædicũt peſtem. lib.6.c.16.

HÆC quidem in Sue noſtro culpanda videbantur, nunc ea quibus laudari debeat, exponamus. præ aliis eſt certa quædam rerum futurarum præcognitio, qua illum dotatum veteres prodiderunt. Aelianus in Animalium proprietatibus. Canes, boues, Sues, Capræ, ſerpentes, & beſtiæ aliæ cum impendentem peſtem, & ſterilitatē terræ, tum vero terræ motum, & cæli ſalubritatem, & frugum fertilitatem præſentiunt, neque tametſi ratione carent ab eorum, quæ ſibi aut ſalutem, aut perniciem adferre queunt, intelligentia aberrant. Pluuiam per eos ſignificari, apud eundem eſt autorem, licet indicibus nonnullis μῦαι non ὗες muſcæ non *Sues* diſerte habeatur. nec iſta tantum Sues præſentiunt, ſed quacumque aeris ſubinde mutationes, teſtis eſt Plinius, qui poſtquam tempeſtatum præſagia hominibus denuntiata per cælos, res inanimes, elementa, rerumque principia oſtendit, ad aues deſcendit, atque vltimum ad quadrupedes. ſic enim. *pecora exultantia & indecora laſciuia ludentia eandem ſignificationem habent, & boues cælum olfactantes, ſeque lambentes contra pilũ, turpeſque porci, alienos ſibi manipulos fæni lacerantes.* ingruentem ruri quamlibet tempeſtatem itidem præſentiſcunt, obſeruatum id Germano Valenti. Virgilius in præſagiis ruſticis. lib. 1. Georg.

Et pluuiam. lib 7.c.8.
Et quoslibet cæli motus.
lib. 18.c.35. in fine.
Et tempeſtates.

Non tepidum ad Solem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi Alciones, non ore ſolutos
Immundi meminere Sues iactare maniplos.

Conuitia maligna.
Anima ei pro Sale.

Hoc ſi verum eſt, iniurii ſane Porco fuerunt illi, qui tam vtile animal, tamque ſagax, vſq; adeo depreſſerunt, vt nullum ei vilitate comparandum cenſerent, in his erat Chryſippus apud Ciceronem in Finibus. *Sus vero quid habet præter eſcam? cui, ne putreſceret, animam ipſam pro ſale datam eſſe dicit Chryſippus, qua pecude nihil genuit natura fœcundius.* Et rurſus idem Cicero. *non inſcite illud dictum videtur in Suem, animum illi pecudi datum pro ſale ne putreſceret.* ita vulgata editio Nizolii & aliorum, at Nonius legit *putiſceret*. Et plura apud Plutarchum in illo Circes Gryllo.

Cap.2. num. 706.

SOLER-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

SOLERTIA ET INTELLECTVS vocis humanæ.

SCIENTIÆ isti naturali accedat Solertia, quæ fortasse non minor, certe in aliquibus maior, quam in vllo quadrupede, depingit Phile. *Cap. 14.*

χῖνας δέ τις, βιτισοὺς, τούτους δὴ λέγω
τοὺς ὗς δι ἠρῶν βιάλους, ἴσως οἰήσεται
Ἀλλ' οὐδὲν εἶναι τούσδε πλὴν κρέας μόνον
ἔχον ἀνθ᾽ ἁλὸς ψυχῆς τι. πρὸς τὸ διαμένειν
ἄφθαρτον, ἢδ᾽ ἄσηπτον, εἶδαρ εὔτροπον
B ἔνεθ᾽ ὅμως γε τοῖς δὲ νοῦ τι καὶ φρενός
Βλάψῃ σύας γὰρ οὐδὲ συννόμοις λύκους
γλυσμῷ συναιθροισθέντας, ἢδὲ συστάτας
τόσσον πάρεσι θάρσος ὁμονοητικόν.

Ea sic Latina ciuitate donata sonant.

Forte anseres hos altiles, inquam, videns
Porcosq́; distentos sagina, duxerit
Nil esse, carnem præter, illos quippiam, *Anima pro sale.*
Quæ pro sale animam acceperit, putredinẽ
Ne colliquescat, ferculum pascens probe.
Sed mentis illis haud inest prorsus nihil,
Nam nec Sues lupus aggredi compascuos *Solertia lupis resistunt.*
Ac congregatos audeat grunnitibus,
Concordiæ tantum prodest consensio.

Admirabilius est hac solertia, quæ quasi naturalis est, quod voces etiam humanas & intelligũt C probe, & ijs parent. Aelianum habeo grauem autorem, qui sic in Animalium proprietate. ἡ ὗς γνωρίζει τοῦ συβότου τὴν φωνήν, καὶ ὑπακούει καλέσαντος κἂν ᾖ πλανηθεῖσα, πλησίον δὲ τούτου τὸ μαρτύριον. *Porculatoris vocem Suillum pecus sic agnoscit, vt etiamsi ab eo procul seductum fuerit, appellantem intelligat, cui quidem rei testimonium est, quod proxime sequitur.* narrat deinde lepidam historiam, quam Latine, quia probe versa est, attexam. *quum maris prædones ad Tyrrhenicam terram nauem pyraticam adpulissent, ex hara permultos Sues furto abactos imposuerunt in nauim, quam soluentes ad nauigandum incubuerunt. Subulci præsentibus pyratis silentium tenebant, Suesq́; eatenus abduci quiescebant, quoad ex portu latrones se eripuissent, & a terra tantũ abessent spatij, quanto adhuc vox clamantis audiri poterat, Tum voce Suibus audiri solita, Suarij quam maxime poterant, exclamãtes, eos retro versos ad se reuocabant, porci primum, vt sublatum clamorem, pastorum exaudiuerũt, statim se in alterum nauis latus compellentes, eam euerterunt, ita malefici pyratæ naufragio quam mox funditus perierunt, Sues vero ad suos enatarunt.* locum putaui corruptum esse, & probare volui an nõ, sic Aelianus forte scripsisset. τῇ γῇ οἱ τυρρηνικοὶ κακοῦργοι λῃσαὶ ναῦν ἀποπροσέσχον. *Cum maris prædones Tyrrheni nauem ad terram adpulissent*, rectissime meo iudicio, Erant enim Tyrrheni seu Hetrusci pyratica olim infames, vt multis ex Hygino, Eustathio, & aliis probabam in Hetruria Regali. videatur Diodorus Siculus in bibliotheca. Suidas, Zenodotus, Hermogenianus, & alii paræmiographi in voce δεσμοὶ τυρρηνοὶ *vincula Hetrusca*, quibus illi scilicet in terra captos mari vinctos abducebant. clare Athenæus in Dipnosophistis. τυρρηνοὺς λῃστρικῷ τε βίῳ χρωπένους dixit *Hetruscos pyraticam vitam agentes.* Isidorus Hispalensis. *Tubam a prædonibus Tyrrhenis excogitatã dicunt, cum dispersi circa maritimas oras, non facile ad quamq́; prædæ occasionem voce aut buccina conuocarentur.* Homerus in Hymno Bacchi.

Vocẽ humanam intelligunt. lib. 8. c. 19.

Euertunt nauem.

Aelianus insigniter correctus.

D

Hetrusci pyratæ.

lib. 3. c. 84.

lib. 5. pagina 316.

lib. 15. pagina 672.

lib. 18. c. 4.

λῃσαὶ προγένοντο θοῶς ἐπὶ οἴνοπα πόντον
τυρσηνοί.
Latrones peruenere velociter ad nigrum pontum
Tyrrheni.

Et Euripides in Cyclope Act. 1. in limine.

ἐπεὶ γὰρ Ἥρα σοὶ λένος τυρσηνικὸν
λυσῶν ἐπῶρσεν.
Postquam enim Iuno tibi genus Hetruscum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Latronum immiſit.

lib.8.c.51. Error Roberti Titij. lib.2.c.12.

Ad porcos redeo. C. Plinius *compertum agnitam vocem Suarij furto abactis, merſoq; nauigio inclinatione lateris vnius rem eaſſe.* non parum hallucinatus eſt Robertus Titius, meo iudicio, qui locum Ariſtophanis de hac voce Subulci intelligendum exiſtimauit in locis ſuis controuerſis, eoque nomine ab Iuone Villiomaro recte coercetur, officijq; & modeſtiæ admouetur. Verba Ariſtophanis, qui deſiderat, ea ſunt in Pluto. Act. 2. Sc. 1.

ὑμεῖς δὲ γρυλλίζοντες ὑπὸ φιληδίας
ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι.
Vos igitur hac voluptate illecti, ite grunnientes
Porcam Sues ſecuti.

Et paucis deinde interiectis.

τὴν ῥῖνα σὺ δ' Ἀρίστυλλος ὑποχάσκων ἐρεῖς
ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι.
Tum tu, vt Ariſtyllus, riſu modice diducto, intonabis
Matrem ſequare Porca.

Martialis correctus.

Sed tamen Martialis locus haud incommode huc transferri poteſt, nam cum legatur lib. tertio epigramm. 57.

Auidi ſequuntur villicæ ſinum porci.

Poterat vnica litera mutata, ſic legi.

Auidi ſequuntur villica ſonum porci.

Officiũ Suarij. lib.2.c.4. fine. Bucina aſſueſcunt.

Siue villica cibos oſtentet, ſiue voce gregem Suum vocet, parum intereſt, dummodo vtrumque verum ſit, & naturam Suum explicet. M. Varro hanc intelligendi voces humanas facultatem non omnino naturalem eſſe contendit, ſed ab aſſidua cura Subulci. ſic enim præcipit in re ruſtica. *Subulcus debet conſueſcere omnia, vt faciant ad bucinam, primo cum incluſerunt, cum bucinatum eſt, aperiunt, vt exire poſſint in eum locum, vbi hordeum fuſum in longitudine, ſic enim minus diſperit, quam ſi in aceruos poſitum, & plures facilius accedunt, ideo ad quodecim conuenire dicuntur, vt diſperſi ſiluestri loco ne diſpereant.* Vox autem qua vocantur, eſt κοὶ κοὶ, ea enim eſt, ab onomatopœia, porcellorum vox, Ariſtophanes in Acharnenſibus Act. 3. Sc. 3.

κοὶ κοὶ.

χοῖρε, χοῖρε, κοὶ κοὶ.
Porce, Porce, Coi Coi.

Mira in varijs rebus ſolertia.

Sed & Plinius loco proxime ſupra laudato, multa adfert ſagacitatis & ſolertiæ porcinæ argumenta. ſic enim ibi. *quin & duces in vrbe forum nundinarium domoſq; petere diſcunt, & feri ſapiunt veſtigia palude confundere, vrina fugam leuare.* Hæc omnino conuincunt Suem intellectu, & ſagacitate naturali non carere, & non minus ſolertia celebrandum, quam cæteras quadrupedes: multa apud Plutarchum Gryllus diſſerit in hanc rem.

MORBI ET REMEDIA.

lib.8.c.21. Tres Suum morbi. Raucedo.

VENIO ad infirmitates Suum, quas grauiſſimas perpetiātur, & magno numero, quibus enumeratis medicinam adhibebimus. præeat Ariſtoteles in hiſtoria Animalium, Cuius verba, quia fideliter probeque ab Interprete verſa, Latina apponam. *Quadrupedum, Sues tribus morborum generibus laborant, quorũ vnus Raucedo vocatur, quo maxime fauces maxillæq; inflammantur, ſed idem malũ vel quabet alia corporis parte contrahi poteſt, iam enim plerunq; in pedem, alias in aures incumbit, putreſcit protinus membrum, & vlcus ſerpit, donec ad pulmonem deueniat, quo tacto, mors ſequitur. creſcit hoc vitium celeriter, nec Sus quidpiam comedere poteſt, cum ita ægrotat. Curatur ſi carijs, cum malum incipere ſenſerint, haud alio modo, quam tota abſciſſa, qua cęperit. reliqua duo genera eodem vocabulo nominantur ſtruma:* quorum alterum dolor capitis *grauitas eſt, quo plurimi laborare ſolent, alterum alui profluuium eſt, quod irremediabile incidit alteri ſuccurritur, ex vino adhibito naribus, eoq; ipſo dilutis, ſed difficulter eo quoque periculo ſubtrahitur, biduo enim aut quatriduo interitus obuenit. rauceſcunt potiſſimum anno, quo montes abunde tulerint, & pinguiſſimi ſint. Iuuat mora celſi deinde in cibatu, & balneum multum & calidum, & venæ ſub lingua ſitæ cultello ſanguinem adacto detraxiſſe. Grandinoſi autem fiunt Sues, quorum crura, & collum, & armi, carne conſtant humidiore, quibus partibus vel grandines plurimum innaſcuntur. Caro dulcior eſt, ſi grandines habet paucas, ſed ſimultas, humida valde & inſipida eſt. facile qui grandent, cognoſcuntur, parte enim linguæ inferiore grandines habentur, & ſi ſetam dorſo euellas, cruorem in radice pili euulſi videbis,*

Remedium. Struma. Dolor capitis. Alui profluuium. Remedium. Grando. Signa morbi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *debis, pedibus etiam posterioribus stare non possunt, qui grandent, carent grandine, cum adhuc lactent tolluntur grandines tipha, quæ vel in cibatu vtilis est.* Latet hic morbus interdum in viuentibus, & ideo coqui enecta Sue, an grandinosa sit carne, solent explorare. Suidæ verba sunt. *Aut est laxo podice, aut grandinosus, morbus autem est pecorum, qui viuentibus illis latet, mortuis & occisis conspicitur, carnibus enim illorum est admixta, & insita grando. solent autem coci palo rictus porcorum post iugulationem aperire, & videre grandino siue sint, grando autem omne malum porcorum est.* Aliud ab his morbi genus in Suibus loquitur Moderatus Columella. *solet vniuersum pecus ægrotare ita, vt emacietur, nec cibos capiat, productumque in pascua medio campo procumbat, & quodam veterno pressum somnos æstiuo sub sole captet.* addit remedium deinde, ac post paucula interiecta, ait, *nisi poculis affatim satientur Sues, pulmonarios fieri.* In fine capitis deinde subnectit eos *in magna siccitate fieri spleniticos.* remedium contra hæc mala esse, *domi continere, tamaricinis canalibus aquam subministrare.* Sunt & *pediculi*, qui Suillum genus infestent, neque temere vllum animal quadrupes, præter Asinum, pediculis caret, vt obseruatum ab Vlysse Aldrouando nostro erudito opere de Insectis, ad quem te remitto.

Remedium. Coqui explorant. In χάλαζα. Grando. lib.7.c.10. Pulmonarij. Splenitici. Remedia. Pediculi.

B Sed frequentissimus Plinius in morbis Porcorum describendis, medicandis, aliquot loca adscripsi. *Morbum Verris vsque ad maciem, non tantum cibi abstinentiam*, ait esse *si coitu prohibeatur*, locum supra attuli, vbi de ardore nimio in Venerem disputabam. Et ex Druydarum veteri disciplina hæc alibi idem prodidit. *Iidem Samolum herbam nominauere nascentem in humidis, & hanc sinistra manu legi a ieiunis, contra morbos Suum, Boumque, nec respicere legentem, nec alibi quam in canali deponere, ibique conterere poturis.* Hanc herbam *Pulsatillam* eruditi existimarunt, & Bononienses *Samiolo* hodie vocant, vt libro 11. Anguillara scribit. rursus ex Magorum nugamentis. *Atque etiam quadrupedes homines sanauere, contra inflationes Boum, perforatis cornibus inserentes ossa humana, vbi homo occisus esset, aut crematus, siliginem quæ pernoctasset, Suum morbis dando.* sed has præstigias ipse Plinius execratur. Efficacius, vt existimo, remedium est in eodem illo scriptore. *Rubeta decocta, & in aqua potu data, Suum morbis medetur, vel cuiuscumque ranæ cinis.* Sunt & alii Suum morbi, vt *lepra*, neque enim ipsi Sues leprosi sunt, sed etiam leprosos sui lactis potu faciunt. vt Manethon Aegyptius prodidit, & ex eo Aelianus cuius locum supra habes. quomodo morbi Suum detegantur, Plutarchus egregie, vbi de Oraculorum defectu. expressisse visus est.

lib.5.c.3. A negato coitu. lib.10.c.63. lib.25.c.11. Samolus seu Pulsatilla. lib.28.c.1. Magica. lib.32.c.10. Lepra. lib.10.c.16. Vt pateat morbus.

C τὴν δὲ ψυχὴν δοκιμάζουσι, τοῖς μὲν ταυροις ἄλφιτα, τοίς δὲ χοῖροις ἐρεβίνθους παρατιθέντες. τὸ γὰρ μὴ γευσάμενον, ὑγιαίνειν οὐκ οἰόνται. *animam explorant, farinam Tauris, ciceres Suibus apponentes, si enim non gustent, non esse sanos indicant.* Idem rursus ἐπιλευκίαν καὶ λέπραν, *vitiliginem & lepram* generari docet. ex esu carnis Suillæ, Et remedium præsentaneum Cancros fluuiatiles comedere eodem autore in Gryllo. παρὰ τίνος γὰρ ἡ μεῖς ἐμάθομεν νοσοῦντες ἐπὶ τοὺς ποταμοὺς χάριν τῶν καρκίνων βαδίζειν. *nam a quo didicimus porci, quando ægrotamus, ad fluuium descēdere, Cancrorum capiendorum gratia?* Est & Hyoscyamus herba præsentaneam Suibus ægritudinem adfert, quæ esu *Cancrorum fluuiatilium* statim tollitur dixi in Commentariis ad Aeliani variam historiam. Seruius Honoratus Maurus ad librum tertium Georgicon. *Angit, bene ait, quia Angina dicitur Porcorum morbus, qui occupat fauces. tussis anhela, idest quæ totum corpus cōmoueat.* ipse Virgilius loco iam laudato.

Pag.437. lib.4. Symp. c.5. Vitiligo. Cancri fluuiales. Hyoscyam. lib.1.c.7. Tussis. Angina.

Hinc Canibus blandis rabies venit, & quatit ægros
Tussis anhela Sues, & faucibus angit obæsis.

Idem ergo morbus Aristoteli χάλαζα *raucedo*, aliis ab effectu *tussis*, vulgari nomine *Angina*, quæ etiam Græcis κυάγχη, *quod Canes infestet*, λυκάγχη *quod Lupos diuexet*, appellari solet. glossæ

D philoxeni apud Iosephum Scaligerum Annotationibus in Festum. & ἄγχυρα, siue etiam *Anguina*, quod reperi a Dionysio Gotefredo notatum, nec omisit Adrianus Turnebus in suis aduersariis, quæ non sunt ad manum. *Porrigo* etiam a *Porcis* nomen sortita videtur, licet non tam porcos, quam homines tabes ea afficiat, autore Cornelio Celso, qui consulatur. Iuuenalis Satyr. secunda, Vers. octuagesimo.

κυάγχη. λυκάγχη. ἄγχυρα. Anguina. Porrigo. Scabies.

——— dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures, veluti grex totus in aruis,
Vnius scabie cadit, & porrigine porci,
Vnaq; conspecta liuorem ducit ab vna.

Sic M. Plautus intelligendus Mostell. Act. 1. Sc. 3. V. 60. ita enim Seruius citauit.

In anginam ego me nunc velim verti
vt veneficæ illi
Fauces prehendam, atque euicem scelestam
stimulatricem.

Rursus Trinummo. Act. 2. Sc. 4. V. 139.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

 E

Magis, Apage, dicas, si omnia ex me audieris.
Nam fulguritæ sunt hic alternę arbores,
Sues moriuntur hic angina acerruma,
Oues scabræ.

συνάγχη. Cum Sues infestat, propriȩ vocatur συνάγχη, quasi *suilla infestatio* aut verius *inflammatio*. Nonio Marcello autore, Lucilius lib. 30. Satyrar.

Insperato abijt, quem una Angina abstulit hara.

Sunt & alii Suum morbi, aliaque remedia forsitan, sed medicorum illa disquisitio est, non philologorum, & hæc sunt pręcipua, vel ipso Aristotele teste, & reliqua facile aliunde haberi possunt.

ANTIPATHIA.

Elephãtis S. hostis. INTRINSECVM malum morbi, extrinsecum hostes quibuscum Sus letaliter diffidet. Ante omnia cum Elephante capitalia odia exercet, quod & infra fusissime dicetur, vbi de Stratagematis, & obiter hic nonnihil attingo. semper sane fuit F
In κεκραγμόν. obseruatum grunnitum Suis Elephanti fuisse formidabilem. Suidas. *porco statim de turre suspenso, periculum, quod ab Elephanto imminebat, effugerunt, quod id grun-*
lib. 1. c. 38. *nitum Suis tetrũ moleste ferens recedebat.* Aelianus. ὀῤῥωδεῖ ὁ ἐλέφας κεράςην κριὸν, καὶ χοίρϐ βοὴν. *Elephas abhorret a cornuto Ariete, & Suis grunnitu.* addit more Græcanico deinde nugas, Romanos Pyrrhi regis victores hac arte fuisse, sed de eo inferius disquiretur. Idem rursus
lib. 8. c. 28. inter occultas Naturæ proprietates reponit *cur Elephas horreat Porcum?* hanc antipathiam expressam habemus a Phile. Cap. 14.

καὶ δὴ τὸν ὗν, ζῶον ἐλέφας ὅτω μέγα
Ηδ᾽ ἀλκιριον, φοβεῖτ᾽ ἀκηκοὼς μόνον
γρυλλισμοῦ ἐγγύθ᾽ ὄντος, εἴκαι μὴ βλέπαι
Quin & Sues tam grandis, elephas, bellua, G
Robustaq; exhorrescit, hunc si audiuerit,
Vel grunnientem comminus, vel viderit.

Et Lupis. Est & capitalis inimicitia inter *Lupum & Suem*, nam Aristoteles in Historia Animalium ait, *Lupo posse porcum obsistere.* & Phile ibidem loci expressit vide locum.

——— γὰρ ὐδὲ συννόμους λύκος
γρυσμῷ συναθροισθέντας, ἠδὲ συςάτας
τοσσον πάρεςι θάρσος ὁμονοητικόν.
Nam nec Sues Lupus aggredi compascuos,
Ac congregatos audeat grunnitibus,
Concordiæ tantum potest consensio.

Et Salamandris. Nec minus cum *Salamandris* graue ei diffidium est, & non pacatur. nisi hostem suum deuorauerit, quod longe duco admirabile, nam cum salamandra pestilentissimum sit virus, a Suibus tamen
lib. 9. c. 28. impune manditur, quod ex Plinio supra est relatum, & addenda hic Aeliani autoritas idem disserte affirmantis. *Suis canes suauitate inter cæteras præstare, vetus persuasio est, hoc quidem experientia non obscure constat, si quando Sus Salamandram comederit, ipsum extra periculum esse, eos autem,* H
lib. 28. c. 4. *qui Suis illius carne vescantur, perire.* non dissimilia Plinius. nec sane quippiam mirabilius in rerũ natura, quam esum veneni animali illi innoxium esse, mortiferum carnem suam gustantibus, nota est historia de puella Alexandro oblata, quæ nutrita veneno, osculo necabat, ipsa formæ speciosissimæ, & vt videbatur, maxime sanæ. sed ad Suem redeo, qui non leuiter odit vnguentum omne,
Et Amaracino vnguento sed præcipue *Amaracinum*, vt præoccuparunt Critici, Ludouicus Carrio, Philippus Beroaldus, Dionysius Lambinus, & alii. vnde vulgatum illud inoleuit *Sui olere suauius cænum, quam vnguentum*. T. Lucret. lib. 6.

Denique Amaracinum fugitat Sus, & timet omne
Vnguentum, nam Setigeris Subus acre venenum
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.

Et Mustela Naturalis etiam Sui cum Mustela legitur diffidentia, & ratio eadem quæ in aliis, occulta, nec
lib. 10. c. 74. explicata facilis cõtrarietas. C. Plinius simpliciter. *diffident Vulpes, & Nili angues, mustelę & Sues.*
Et Hyoscyamo. Illa quoque sensim a natura infusa est pugna inter *Suem*, & *Hyoscyamum*, ut herba ea comesta statim emoriatur, nisi *Cancros* illos *fluuiales* comedere possit, ut Claudius Aelianus scripsit in uaria
lib. 1. c. 7. historia. Cancros autem illos Gręci παγούρϐς appellant, & Latini eam uocem sua ciuitate donasse vi-
πάγουρος.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A se uidentur, Palladius Rutilius in re rustica. Et hoc memini alicubi apud Eustathium Thessalonicensem, & Isacium Tzetzem obseruare. Nec bene *Scorpiones* consulunt *Suibus*, quando in Scythia Sus nullus morsum Scorpionis, qui terræ illius frequentissimus incola, euitare potest, & fertur Scorpio magno impetu in Suem, quem ictu uno exanimat, nec ullum tanto malo remedium, quod ex Aristotele notum in Historia animalium, & obseruat Vlysses Aldrouandus egregio opere de Insectis. Vix ullum sane animal, cui plures hostes, nam & cum *Equo* capitalis *Sui* dissensus, & omnia hic pugnant, *odor teter, turpis grunnitus, fœdus halitus*, omnia disparia inter fœdissimum & generosissimum pecus, sed hoc aliis dictum. Denique uel *nouella virentia Suibus* sunt exitialia, ut in Februario habet Palladius, & cum id animalis nunquam amittant dentes, debiles tamen, & tota uita infirmi redduntur post gustatas segetes nouellas, natura pæne indomitam obscæni pecoris ingluuiem sic plectente, quando aliter reprimi non potest.

lib.1.c.35. *Et Scorpionibus.* *lib.8.c.29.* *lib.5.c.11.* *Et Equis.* *Et nouellis segetibus.*

HISTORICA.

B PERCVRRENDA hic quædam sunt, quæ etiamsi ad alia capita referri poterant, tamen proprie ad relationem historicam spectant, quorum illud primum erit de Suibus in Atho Monte referente Aristotele historia Animalium. *Morũ diuersitatem loca efficiunt, vt montana & aspera suas belluas reddant & aspectu efferatiores, & viribus robustiores, quam plana & molliora: Argumento est, quod de Suibus Athi montis accepi, quorum ne fœminas quidem spectare mares inferioris situs audent*. Illud in Græcorum fabulis tritum *Suem Arcadiam* Iouem vberibus lactasse, & ne ploratus puerilis proderetur grunnitu suo præcauisse, vti supra de *Sue Cretensi* dixi, vbi de cultu meminit Claudius Galenus Opere de Compositione Pharmacorum secundum locos. *viginti drachmas seminis Hyoscyami inijcere iubet, quod ænigmatice fabam Suis Arcadicæ appellat*. Philo vetustissimus Medicus in Antidoto.

Sues in Atho Monte. lib.8.c.29. *Sus Arcadia* *lib.9.c.4.*

Viginti & drachmas candentis conijce flammæ.
Et totidem fabæ post Suis Arcadicæ.

C Inter Herculis labores reponunt, nos infra pluribus, obiter Lucretius sub initium libri quinti.

Quid Nemæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille Leonis obesset, & horreus Arcadius Sus?

Lego & Suem Crommyoniam præcipua dignatione in veterum monimentis. Strabo Amasianus. ὑ δὲ κρομμυὼν ἐςὶ κώμη τῆς κορινθίας, πρώτερον δὲ τῆς Μεγαρίδος, ἐν ᾗ μυθεύουσι τὰ περὶ τὴν κρομμυωνίαν ὗν, ἣν μητερα τȣ̃ καλεδωνίȣ κάπρȣ φασὶ. καὶ τῶν Θησεως ἄθλων ἕνα τȣ̃ τὸν παραδιδόασι τὴν τῆς ὑὸς ταύτης ἐξαίρεσιν, Crommyon pagus est agri Corinthii, olim Megarici, vbi fabulantur Suem fuisse Crommyoniam, matrem Apri Calедonii, cuius Suis cædes inter ærumnas Thesei numeratur. Plutarchus in Theseo. ἡ δὲ κρομμυωνία ὗς ἣν φαιὰν προσωνόμαζον, ὀυ φαῦλον ἦν θηρίον, ἀλλὰ μάχιμον καὶ χαλεπῶν κρατηθῆναι. Ταύτην ὁδοῦ πάρεργον ὡς μὴ δοκοίη πάντα πρὸς ἀνάγκην ποιεῖν ὑποςὰς ἀνειλεῖ. καὶ ἅμα τῶν μὲν ἀνθρώπων τοῖς πονηροῖς ἀμυνόμενον ὀιόμενος δεῖν τὸν ἀγαθὸν προσφέρεσθαι, τῶν δὲ θηρίων, καὶ προεπιχειροῦντα τοῖς γενναίοις. μάχεσθαι καὶ διακινδυνεύειν ἔνιοι δὲ φασὶ τὴν φαιὰν λῃςρίδα γενέσθαι γυναῖκα, φονικὴν καὶ ἀκόλαςον αὐτόθι κατοικοῦντα ἐν κρομμυῶνι, σῦν δὲ ἐπονομασθεῖν διὰ τὸ ἦθος καὶ τὸν βίον, εἶτα ὑπὸ Θησέως ἀποθανεῖν. vertit Hermannus Cruserius. *Crommyonia Sus, quam Phæam dicebant cognomine, fera erat non contemnenda, sed pugnax, & haud quaquam prompta superatu, haud obiter, ne omnia videretur necessitate agere, exceptam occidit, existimans iuxta decere fortem virum homines improbos vt ad vindicandum se aggrediatur, & feras generosas pugna lacessat, & cum ijs depugnet. Sunt, Pheam qui mulierem fuisse atrocem & lasciuam latronem referant, quę ibidem habitabat in Crommyone, Suem appellatam ex moribus, & vita, quæ sit inde a Theseo trucidata.* Et in Gryllo idem. ἀλλὰ καὶ κρομμυωνίαν τινὰ σῦν ἀκούεις, ἣ πράγματα πολλὰ θῆλη θυρίον ȣ̃σα τῷ Θησεῖ περέσχε. *sed & Suem quandam Crommyoniam celebrari audis, quæ multum negotij Theseo exhibuit*. Plato in Lachete seu in fortitudine. δῆλον δὲ ὦ Νικία, ὅτι ὀυδὲ τὴν κρομμυωνίαν ὗν πιςέυεις σύγε ἀνδρείαν γεγονέναι. *Constat itaque, O Nicia, quod neque Crommyoniam Suem fortem fuisse credas*. Memoratur *Sus Cephisodori* siue fabula fuerit illius comici, siue reuera Sus educata a Cephisidoro Plano, quem Nicostratus in Syro ait mollitiei, otio, ac desidiæ multum addictum prædicat, vt videretur *Sus* moribus impuris & luxuria esse. Eius mentio apud Isaacum Causabonum semel aut iterum in Obseruationibus in Athenæum suis. Suidas contra sensit. qui ait illum *antiquę Tragedię poetam, cuius fabulę sint, Antilais, Amazones, Trophonius, & Sus*. Ex hac Tragædia hic versus refert Cephisodorus ἐν ὑί. *in Sue*.

Sus Crõmyonia. lib.8.pagina 262. *Pag.987.* *Sus Cephisidori.* *lib.3.c.22.et lib.8.c.*

κρεάδιόν τι φαῦλον, ἢ ταρίχιον.
Carunca miſella quædam, aut Tarichium.

Nec minus & illud deprehendi,
δ' ὀψοφάγος, οὐδ' ἀδολέσχης.
Cum obſonij abligurritor ſis, ne tantum garrias.

Vocabant etiam *Parmenonis Suem*, rem ſupra modum placituram, quod ea reuera talis fuit,
Sus Parmenonis. deſcribente Plutarcho in Sympoſiacis, verba ſunt hæc, *alioquin enim quid paſſi, aut qua extrinſe-*
lib. 5. quæſ. 1. *cus affectione accedente, Parmenonis Suem ita admirati ſunt homines, vt in prouerbium abiret? &*
quidem ferunt, Parmenone ob hanc rem celebri, quoſdam idem æmulando certaſſe, cumq́; homines præ-
iudicio occupati dicerent; bene hoc, ſed nihil ad Parmenonis Suem, quendam cum porcello ſub axilla ge-
ſtato prodijſſe, & cum vero Suis grunnitu, homines tamen dicerent, & quid hoc ad Parmenonis Suem?
eum emiſſo in medium porcello arguiſſe, non veritatem eos in iudicando, ſed opinionem ſequi. Hãc rem
etiam alii attigerunt, an idem ſit ille Parmeno qui Nicanorem Philippo regi detulerit? vt faceta F
Parmeno qs? relatione Tzetzes complexus eſt, haud ſane affirmarim, tempus tamen non abhorret. Suidas &
Chiliad. 6. c. 51. Harpocration meminerunt. Hoc minime omittendum, *Sergium* I. illius nominis Pontificem Ma-
Sergius I. Pont. ximum, cum vocaretur *os porci* obſcœnum id tanto faſtigio nomen exiſtimaſſe, & ideo mutaſſe,
vnde mos in auguratis Pontificibus hodie durat, vt aliud nomen aſſumant. Anaſtaſius Bibliothe-
carius, & omnes Hiſtorici Eccleſiaſtici. Ex Euangelica hiſtoria, ſi lubet ad Iudaici populi ritus
tranſire, inueniemus *Antiochum Syriæ Regem Iudæis porcinæ eſum imperaſſe, & Eleazarum id ſua-*
Antiochus Rex porcinæ eſum imperat. *ſiſſe*, vt habetur in ſacris literis: & *miram conſtantiam ſeptem fratrum* ex eadem relatione, *licet ob-*
ſeruare, qui maluerunt fricturam ſartaginis pati, quam a lege diſcedere, origo illius Antiochi vio-
lentæ iuſſionis eſt Machabæorum lib. 1. cap. 1. Ad Hodierna accedamus. Habent Bonon ienſes ſo-
lib. 2. Machab. cap. 6. Cap. 7. lemne feſtum, quod *Porculæ* vocant, id contigit Anno 1281. hæc occaſio fuit, *Hieremei* potentes
vrbe *Lambertazzios*, contrariam quippe factionem, exegerunt, illi Fauentiam ſe receperunt, &
cum porcellum *Tibaldelli Zaratonis* quidam illorum abſtuliſſet, ille, diſſimulato dolore, vindictæ
Porculæ Bononienſis feſtum. xxv. Augusti. certus, amentem ſe finxit, dum *Hieremeos*, aperta noctu porta, Fauentiam induceret, qui *Lamber-*
tazzios ad vnum omnes interficientes, & victoria preſenti potiti ſunt, & rempublicam in futurum G
ſuam metu liberarunt. Pompeius Vizanius Patricius Bononienſis in Hiſtoria. Fuiſſe ad Hieroſoly-
lib. 4. pagina 150. mas capiendas a Chriſtiano exercitu bellicam machinam, nomine Suis, excogitatam docet Gu-
lib. 4. hiſtor. pag. 79. lielmus Malmesburienſis. *Vnum fuit machinamentum, quod noſtri Suem, Veteres vineam vocant,*
quod machina leuibus lignis colligata, tecto cratibus, tabuliſque contexto, lateribus crudis corijs com-
Sus vinea. *munitis, protegit in ſe ſubſidentes, qui quaſi more Suis ad murorum ſuffodienda penetrant fundamen-*
lib. 1. pagina 100. *ta.* de quo alii plerique. Ab eodem in Hiſtoria Nouella notatur in Anglia regno Henrici I *tam in-*
gentem, & ſæuam peſtem ortam, vt plenæ porcorum haræ ſubito vacuerentur, & integra Boum præſe-
Suum peſtis *pia deſtituerentur.* Cumbræ conſulis Porcarius in Silua Andredeſvvald, Sigebertum Anglorum
lib. 4. pagina 196. regem interfecit, vt narrat Henricus Huntindouienſis in hiſtoria Anglicana. Circa annum 987. ſi
ver a eſt narratio Rogeri de Honeden, *duæ Anglorum gẽti incognitæ peſtes, febres hominum & lues*
Annal. par. 1 245. *animalium, quæ Anglice Scitha nominatur, Latine autem fluxus interraneorum, dici poteſt, totã An-*
Scitba. *gliam plurimum vaſtauerunt, hæc in porcos maxime ſæuijt.*

MAHOMETANA DELIRIA. H

NON erat tanti, vt Mahometanæ impietatis placita circa Suem noſtrum referre
vellemus, ſed tamen quia magna Orientalium populorũ portio, Lydi, Syri, Cap-
Sus execrabilis Mahometanis. padoces, Lycij, Paphlagones, Galatæ, Armeni, Iberi, Albani, Hircani, Medi, Pon-
ti incolæ, & qui mare Caſpium accolunt, Alcoranum venerantur, tã longe a Deo
quam a bona mente poſiti, videndum, quid de hoc pecore, quod tantopere abo-
minantur, impoſtor ille prodiderit? Extant Commentarii Speculationum Maho-
metanarum, & explicationum legis, *Scala* dicti, ab Arabico ab Hermanno Dalmata verſi, ea ver-
ba ego Anglice tantum vidi, & ſic ſonant. *Qui in Paradiſo ſunt, illi citis cibis non veſcentur, vt eſt*
Cap. 11. *porcina. Et ſi ſcire cupis, quare id animal eſt impurum, intelligendum tibi eſt Ieſum die quodam Iape-*
tum a ſe amandaſſe, qui Hiſtoriam Arcæ diſcipulos doceret, qui retulerũt pondere rerum fætidarum
arcem in alterutrum latus propendere, ac inclinare, quare Noe conſilio cum Deo communicato, præcipi-
Ortus Porci. *ci imperauit Elephantem, ex cuius fimo, humano admixto, ortus eſt porcus, qui coenum illud roſtro ce-*
pit inuertere, & funditus eruere, & ex eo fætore, qui a naribus illius late ſe diffudit, progreſſus eſt
Ort⁹ Muris. *Mus, qui ligna Arcæ e veſtigio arroſit: Noe periculum hoc haud vulgariter veritus, iuſſus eſt Leonem*
ſincipite

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *sincipite ferire, & ex halitu graui Leonino felis processit, cum quo capitalis cum mure dissensio.* Hæ sunt ridiculę affaniæ, & arundinei ponticuli, quibus legem suam firmauit subditis, & ratio tam insanæ amentiæ petitur ab ipsa horum animalium natura, est enim aliqua formæ proportio inter Elephantem & Suem, vt & Catum & Leonem licet summa sit inter eas quadrupedes Antipathia, vt supra ostendi. hoc Scaliger Senior in Exercitationibus contra Cardanum, ex Alcorano, & ex Scaligero Vlysses Aldrouandus desumpsit, vbi de Culice in Insectis disputat. Et Ioannes Cornelius Vteruerius compilator Scriptorum Aldrouandi repetendum duxit in tractatu de Elephanto. Sed ad Alcoranum redeo, in quo grauis illa odii in *Suem* occasio, quod omnes alios pæne colores exprimat, album, nigrum, flauum, rufum, aliosque, nunquam *viridi* conspiciatur, quem Mahometani *solum diuinum, & prophetis dignum colorem* iudicarunt. quare cum Turcæ Hierusalem expugnarunt, circa annum millesimum ducentesimum decimum nonum, *Suem* quidem, quam *in marmore Adrianum Cæsarem fixisse* diximus, grauibus ludibriis habitam in frusta comminuerunt, & iuxta Sepulchrum Domini nostri in ventos disperserunt, vt est in Itinerario. & plura ibi impiæ superstitionis vestigia, quæ non libet calcare.

Ortus felis.
Sus Elephāti similis.
Exercit. 293 lib. 3. c. 5.
lib. 1. de Quadrup. c. 9.
Viridis color.
Hierosolymæ capta a Turcis.
lib. 3. c. 5.

B

POLITICA. ET de Porcinarijs.

INGENS in ciuili vrbis Romæ administratione circa hoc animal obseruatio, nā & *Caro porcina* frequentissime populo Romano diuidebatur, & erat *porcinæ* vendendæ aut diuidendæ *præfectus*, & qui inferebant *porcinarii* dicti, & *forum* in vrbe, quod *Suarium* dictum, de quibus omnibus sigillatim ago. Ac primum, vt oleum, vinum, frumentum, & in annona arcta, panis Gradilis viritim distribuebatur, ita & Porcina. Zosimus τῶ χοιρείω κρεῶν *Suillarum carnium* a Luciano pręfecto diuisarum meminit, sed codex non est ad manum. quis autor sit tantæ munificentiæ non est vsque adeo exploratum. probabilius existimo ad Aurelianum Augustum ritus illius exordium referendum. ita enim in eius vita Flauius Vopiscus. *nam idem Aurelianus & porcinam carnem populo Romano distribuit, quæ hodieque diuiditur.* de consueta hac Porcinæ distributione capio Epistolam Valeriani Augusti ad Ceionium Albinum Præfectum Vrbi. *Panes militares mundos, sedecim, panes militares castrenses, quadraginta, vini mensalis sextarios quadraginta, Porcellum dimidium, Gallinaceos duos, Porcinæ pondo triginta, bubalæ pondo quadraginta.* Eiusdem Principis altera Epistola est ad Aelium Xifidium Pręfectum ærarii, in qua, *tunicas multicias viriles decem, lineas Aegyptias viginti, mantelia Cypria paria duo, Tapetia Afra decem, stragula Maura decem, Porcos centum, oues centum, conuiuium autem publicum edi iubebis Senatoribus.* Et caro quidem ista, non vt alię res, populi impensa, subministrata, aut in vrbem inuecta, sed gratuita Principum indulgentia ciuitati cōcessa: locum elegantem eiusdem Vopisci adposui. *Statuerat & vinum gratuitum populo Romano dare, vt quemadmodum oleum, & panis, & porcina, gratuita pręberentur, sic vinum etiam daretur, quod perpetuum hac dispositione conceperat. Hetruriæ per Aureliam vsque ad Alpes maritimas, ingentes agri sunt, iique fertiles ac siluosi, statuerat igitur dominis locorum incultorum, qui tamen vellent pretia dare, atque illic familias captiuas constituere, vitibus montes conserere, atque ex eo opere, vinum dare.* Idem denuo. *In salario diurno, bubulæ pondo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem.* sic illud Aelii Lampridii intelligunt viri docti. *Congiarium populo ter dedit. donatiuum militibus ter, carnē populo addidit.* vide quæ supra a me allata. Pomponius in Rustico.

Porcina populo diuisa.
lib. 2.
C
Auctor Aurelianus.
Gratuita.
In Aureliano ad finem.
D
In Probo.
In Alex. Seuero.

——— *Quid nunc vis fieri?*
Verrem sume dapsile ac dilucide.

Versus Senarius Iambicus sic fieret.

Hunc sume Verrem, dapsile ac dilucide.

Pomponius correctus.

Ne porcina ciuitati deesset Corpus seu collegium institutum fuit *Suariorum*, qui scilicet terra marique comportarent *Sues* annonæ vrbicæ sufficientes, eratque delegatio Corporis illius in Sardinia, vt est in libro Theodosii Aug. legum Nouellarum. verba sunt. *Patronis corporis Suariorum intuitu sacræ vrbis Romę imprimis hoc beneficium debere præstari, vt delegatio, qua his intra prouinciam Sardiniam præbebatur, de qua propter incertum nauigationis, illatio fluctuabat, ad arcam prætorianam reducta cum aliis prouinciis sub refusione vniuersorum titulorum, qui dispersi ante hac plurimum in reliquis habere probabantur, de vicinis prouinciis, idest de Lucania, sex millia quadringentorum, Campania M.D.CCCCL. solidorum debita emolumenta oportet decerni.* Reuocatum Suariorū

Suarij.
Corpus ī Sardinia.
Tit. 33.
Ad arcā Pratorianam reuocatum.

corpo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

corporis delegatio ex Sardinia, ob crebra naufragii pericula, ibi collocata, forsitã, quia multę ini- E
Lib. 1. bi ſiluæ glandiferæ, alendo illi pecori aptæ Prudentius in Symmachum,

— *Melius quernas Sardinia glandes*
Suppeditat.

Immunitas. Collegii illius immunitatem a principibus prioribus conceſſam ſic confirmant Theodoſius & Valentinianus Auguſti eadem illa conſtitutione. *Suarios ipſos nullius apparitionis, neque iniuriæ, neque diſpendijs ſubiacere, manentibus circa eos, quæ ſuperiora ſcita ſanxerunt.* Et plenius in Codice Theodoſiano, titulo *de Suarijs, pecuarys, ſuſceptoribus vini, cæteriſq. corporatis.* ubi ſic habet iuſ-
L. 6. ſio Valentiniani Theodoſii & Arcadii AAA. *Porcinary Vrbis æterni cum peruigilem laborem populi Romani commodis exhibeant, id ſe diuæ memoriæ Gratia in beneficio meruiſſe proponunt, ne ſordidis vnquam muneribus ſubiacerent, illuſtris igitur autoritas tua diu aliam præceptorum formam conſeruans, etiam cum interminatione competenti ſuo inſiſtat officio, quatenus id, quod & antea conſtitutum eſt, & nulla poſtmodum iuſſione mutilatum, indubitatum atque intactum faciat perdurare.* ijdem F
Imperatores cauſas reſcindũt, *cur vires Suariorum concid rint*, eademque priuilegia *filijs ipſorum* benigne indulgent, Arcadius & Honorius Imperatores, de quibus etiam in Codice Iuſtinianeo:
L. 5. & paulo infra verba apponam. Hic præterire non poſſum, Suariis equorum uſum cõceſſum ex Va-
L. 7. lentis Auguſti reſcripto, ſic enim in Codice Theodoſio titulo *quibus equorum vſus cõceſſus eſt aut*
Tit. 17. lib. 11 *denegatus.* uerba ſunt. *poſtea ſanximus, vt Suary quidem equis vterontur, verum ad periculum ipſo-*
Equorum v. ſum habent. *rum pertinere cognoſcent ſi quid in his regionibus ſceleris eſſet admiſſum.* Curam hãc & ſollicitudinem porcinæ prouidendæ Imperatores modo *Suariam functionem*, modo *Suarium obſequium* ſo-
L. 3. lent appellare. *quoniam Suariorum corpus ad paucos deuenit, iubemus eos adſtante populo Romano di-*
Suaria functio. *cere, quibus excuſatio ſit delata, quibus prouenerit opus, vt in his medium publicæ rationis edoctiſe-*
Suarium obſequium. *xemplum rei nauiculariç proponatur. Itaque dignoſcant facultates proprias Suariorum eſſe obnoxias muneri, ac de duobus alterum eligant, aut retineant bona, quæ Suariæ functioni deſtricta ſunt, ipſique*
L. 1 d Tit. *Suario teneantur obſequio, aut alios quos volunt, idoneos nominent, qui neceſſitati eidem ſatisfaciant,*
lib. 10. Epiſ. 34. *nullum enim vacare ab huius rei munere patimur.* Aurel. Symmachus. *Nouerat horum corporum miniſterio tantæ vrbis onera ſuſtineri, hic lauati pecoris inuector eſt, ille ad victum populi cogit armentū,* G
hos Suillæ carnis tenet functio, & pars vrenda lauacris ligna comportat, ſunt qui fabriles manus anguſtis operibus accommodant. per alios fortuita arcentur incendia: iam cauponas, & obſequia piſtoria, frugis & olei baiulos, mulioſq. ad id genus patriæ ſeruientes enumerare faſtidium eſt. Ad ſummam linquet priuilegium vetus magno impendio conſtare Romanis, iugi obſequio immunitatis nomen emerũt.
Porcinarij. Ijdem dicti Porcinarij, ut in priuilegio Valentiniani Theodoſii & Arcadii Principum in Codice
L. 1. lib. 11. Iuſtinianeo extat his uerbis. *Porcinary vrbis æterni cum peruigilem laborem populi Romani commodis exhibeant, ſordidis ſemper muneribus liberentur.* atque a Græcis χοιρέμποροι quaſi *Suum venditores* dicti. Hinc, ut nec deficeret tantæ utilitatis res, nec populo morboſi Sues offerrentur emen-
Tribunus fori Suarij. di, *Tribunus* erat *fori Suarij* conſtitutus, ut in Notitiam utriuſque Imperii Scoti noſtri Anonymi
Forum Suarium. obſeruat Guido Pancirolius, Et *forum* hoc *Suarium* uel *Syarium*, ut habet Onuphrius Panuinius in libello de quatuordecim urbis Romæ regionibus, quos Sues ibi tantum uenderentur, ut forum
Cap. 12. Boarium, forum Cupedinarium, forum Piſcatium denominata accepimus, Extat uetus lapis ex
Pag. 282. num. 4. ſchedis Vrſini & Kuibbii apud Gruterum. ſic ergo marmor Romanum. H

DOMINO. NOSTRO.
FL. CLAVDIO. CONSTANTINO.
FORTISSIMO. AC.
BEATISSIMO. CÆSARI.
FL. VRSACIVS. V. P.
TRIBVNVS. COHORTI.
VM. VRBANARVM.
X. XI. ET. XII. ET. FORI.
SYARI. . . . .

Meminit & Plautus in Captiuis Act. 4. Sc 3.

Quanta peſtis pernis veniet, quanta labes larido?
Quanta ſumini abſumedo, quanta callo calamitas?
Quanta lauijs laſſitudo? quanta Porcinarijs?

Hoc addo cauſas ipſorum Suariorum, filiorum, aut hæredum in foro Vrbano, nec alibi tractari
lib. 11. Cod. L. 2. potuiſſe, decretum extat Arcadii & Honorii in dicto titulo *de Suarijs & ſuſceptoribus vini, & cæteris corporatis*, ubi ſic. *quicumque ex corporibus Suariorum, ſiue excipiendç neceſſitate litis adſtrictus, ſeu inferendç voluntate ſpontanea prouocatus, iudicium voluerit experiri, fori vrbani adiutoria prçſtoletur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *præstoletur*. Porcinarii ergo, aut Suarii curam foro inferendorum Suum habebant, vendendis, ne
fraus aliqua fieret, præerant præfecti fori Suarii, & hæc quasi præcipua illius magistratus munia,
ne morbosi aut grandinosi pecoris caro venderetur, & ne non iustum pretio pondus cederet, quod
dicitur *ad Exagium vendere*. id est trutinam. glossæ Philoxeni *Exagium* etiam in *pane vendendo* *Exagium.*
adhibitum testantur, vnde autoritas illa Aproniani præfecti vrbis, qua iniungitur, *vt sublata mi-* *Pondere vē-*
candi consuetudine pecora sub exagio vendi, ita tamen vt lauio caput, pedes, & senum lactans, & sub *dita porcina*
gulare cedant, reliqua caro cum pelle & interaneis appendatur, & a venditore emptori præstetur. gra
ue illud Iuliani Augusti Edictum est Codice Theodosiano: ibi enim, *quibus in rebus illud quoque* *L.4.d.Tit.*
a decessore tuo salubriter institutum, quo Suarijs æstimandi licentia denegetur, pondusque porcorum
trutinæ examine, non oculorum libertate quæratur, ita videlicet, vt ne volenti quidem possessori tra-
dere animal liceat, cuius modum non prius ponderatione certa deciderit Suarius. Animal vero a pos *Viui porci*
sessore tradendum, ob digeriem prius vnius noctis tantum ieiunitate vacuetur. Hoc puto pręceptum *ad stateram*
Suariis ad lanios etiam extendebatur, vt hodie per totam Italiam fieri videmus, vt nec illi pretio, *empti.*
nec emptores re sua destituantur: Theodosii & Valentiniani in Nouellis præclarum hoc est decre
B tum. titulo *de pretio solidi, & ne quis solidum integrum recuset, æquabilitas enim pretij, & commodū* *Nouella vni*
venditoris & omnium rerum venalium statuta custodiet, de ponderibus quoque vt fraus penitus am- *ca.*
putetur, a nobis aguntur exagia, quæ sub interminatione superius comprehensa sine fraude debeant cu
stodiri, A doctissimo Iacobo Cuiacio obseruatum. constat autem *exagium siliquis vigintiquatuor*, *Exagiū quā*
vt ex Actuario lib. 5. Methodi, Zonara in Nicephora Phoca, & Nicandri Scholiaste clarum est, vi- *ti valeat?*
de Metium Volusianum, Priscianum Cæsariensem, & Q. Rhemmium Palæmonem, & alios. Cer- *Opere de pon*
te olim res omnes, adeoque pecunias ad pondus pendebant. Cornutus ad A. Persiii Satyram se- *deribus.*
cundam V. 59. ex Plinio, Floro, Plutarcho, Silio Italico, Iuuenale & aliis dixi ad Corippum libro *Pecunia pen*
secundo Num. vlt. *sitata.*

> *Hinc chartas subigunt flammis, hinc pondere fusos*
> *Exæquant solidos, & lancem pollice pulsant.*

Claudian. lib. 1. in Eutrop.

> —— *in geminas mutat prouincia lances.*

C Sulpitia poetria in Satyra.

> —— *Trutina Galli fugere relicta.*

Redeo ad forum Suarium, in quo Edicta illa de Suariorum immunitatibus, & vendendæ por-
cinæ ratione, de quibus diximus, affigebantur, sic enim Valentinianus & Valens præcipiunt, *hæc* *L.4.d.Tit.*
autem omnia æneę tabulę in foro Suario collocandę, ad æternam memoriam oportebit insculpi. Leges *Foro Suario*
autem & Edicta ęneis tabulis aut columnis insculpi, locisque publicis affigi consueuisse notius est, *Edicta affi-*
quam vt hic dici debeat, & confirmatum, videbis a me in Antiquitatibus Romanis. nec hic repe- *xa.*
tendum duxi. Denique qui porcinam pendebant, dicti *Aginatores*. Festus Pompeius libro primo, *lib. 8 pagina*
Agina est qua inseritur Scapus Trutinæ, id est in quo foramine trutina se vertit, vnde Aginatores *638.*
dicuntur. Veteres Philoxeni glossæ *Aginari τραχτέυειν* negotiari, in iis tamen glossis vitiose *ςρατέ-* *Aginator.*
υεςαι, & *ςρατένει* pro *τραχτέυεσθαι*, & *τραχτέυει* legitur, adi ad Nouellam Iustiniani trigesimam *Glossæ philo*
cap. 2. quid sit *Tractatores* Ioannis Sauaronis ad Sidonium Apollinarem diligentiæ debemus, ve *xeni corre-*
tus Scholiastes Iuuenalis ad illud Satyræ 1. *ctæ.*
Tractatores.

> ——— *iurisq́; peritus Apollo.*

D

IVRIDICA.

SVNT non pauca in Iurisconsultorum libris super hoc quadrupede dissertata, ego
aliqua delibabo. Ac primum quæstio illa cebratissima est, quam proponit ex Pom
ponio Iureconsulto Vlpianus, & ex ipsis Apicibus iuris resoluit. *Cum pastori meo lu* *L.44.ff. de ac*
pi porcos eriperent, hos vicinæ villæ colonus cum robustis canibus, & fortibus equis, *quir. rer. do*
pecoris sui gratia pascebat, consecutus eripuit, aut canes extorserunt, & cum pastor *min.*
meus peteret porcos, quærebatur vtrum eius facti sint porci, qui eripuit, an nostri ma- *Sues a Lupo*
neant? nam genere quodam venandi id erant nacti. Cogitabatur enim quemadmodum terra mariq́; ca *abducti.*
pta cum in suam naturalem laxitatem peruenerant, desinerent eorum esse, qui ceperunt, ita ex bonis
quoque nostris capta a bestijs marinis & terrestribus desinant nostra esse, cum effugerint bestiæ nostrā
prosecutionem, quis denique manere nostrum dicet, quod auis transuolans ex area, aut ex agro nostro
substulit? aut quod a nobis miluus eripuit? Si igitur desinit, si fuerit ore bestiæ liberatum, occupantis e-
rit, quemadmodum piscis, vel aper, vel auis, quæcum potestatem nostram euaserit, si ab alio capiatur,
ipsius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Porci nō sūt feræ naturæ.
ipſius ſit,ſed putat potius noſtrum manere,tamdiu,quamdiu recuperari poſſit,licet in auibus,in piſci- E
bus,in feris,verum ſit,quod ſcribit. Ratio diuerſitatis ea eſt,quod feræ,aues,piſces,tamdiu noſtra
cenſentur,quamdiu aut in poteſtate noſtra manſerint,aut cum abierint, vel extra conſpectum nō
ierint,vel animum reuertendi habuerint,ſecus mutant dominum,& fiunt primi inuolantis,at por
ci ferinæ naturæ non ſunt, ſed inter animalia domeſtica & cicurata cenſendi, ideo in retinentem
eos *duplex actio* vero domino conceditur *condictionis furtiuæ,& ad exhibendum.* vt concludit Vl-
L.d.in fine. pianus. Altera ſane queſtio in iure,nec ipſa leuis de *Porcis Abactis*,ſunt enim animalia *abacta,quæ*
Abacti. *per vim abiguntur*,aut è loco paſtionis abſcedere compelluntur,quod crimen frequentiſſimum in
Seru. ad lib. 3. Georgico. Hiſpania, vt oportuerit Senatum Romanum ad Conſulem Bæticum ſuper ea decretum interpo-
nere.hinc *abactos caballos* dixit Aurelius Caſſiodorus in Variis,& *pæna abactorum* memoratur ſæ-
pag.137. pe in Codice Theodoſiano.titulo.*quibus equorum vſus conceſſus eſt,aut denegatus.* vbi ſic Valens
lib.8. Epiſt. 32. Aug. *hi vero,qui minime animos ab huiuſmodi vſurpatione deflectunt, Abactorum ſupplicio tenean-*
tur. Et rurſus. *ſub hac interminatione, vt hi, qui noſtræ manſuetudinis ſtatuta tentauerint violare,*
L.1. *Abactorum ſupplicia tolerare cogantur.* Idem iterum Princeps ad Rufinum præfectum prætorio.
L.2.d.t. *cum omnifariam vrbicarias regiones ab omni crimine, & aſſiduis Abactorum rapinis quietas eſſe cu-* F
L.3.d.t. *peremus,eo vſque intentio noſtra proſpexit.* Translate etiam *venter abactus* dicitur Paulo Iurecon-
L.4.Sent.c.9 ſulto,*aborſus* ſcilicet,fætu per violentiam aliquam eiecto, vt Græcis ἐγχυμονούμενος recte dicitur,
lib.31. Elog. 6. in ſynopſi Baſilicon.hæc tamen ſignificatio nonnihil detorta eſt,& frequētiſſimus vſus in proprio
ſignificatu, ita L. Apuleius ſeptimo Mileſiarum,& Iulius Firmicus Maternus in Matheſi. Recep-
lib.6.c.31. tius tamen eſt a Iuriſconſultis,& vſitatius, vt *porcos Abactos Abigeatus* appellatione vocent, & ſic
Abigeatus crimen. non *Abactores*,ſed *Abigei* cenſentur,& crimen ipſum Abigeatus, & delinquentes *Abigeatores*, vt
eſt in lege Dei,Græcis Ἀπελάται,vt ex gloſſariis antiquis Barnabas Briſſonius notat, & Iuſtinia-
Nouell.22. nus docet,vt omittam Moſchopulum in libello de collectione Vocum Atticarum.& differunt. *fu-*
Abigei differunt a furibus. *res ab Abigeis ſola quantitate, nam qui ouem vnam, Suem vnam, ſurripuerit,vt fur coercetur, qui*
gregem,Abigeus. vt definit Claudianus Iureconſultus. Hic genuinus eſt ſenſus Calliſtrati Iurecon
ſulti,dum ſic diſcrimen inter Abigeum & furem conſtituit. *Oues pro numero abactarū aut Abigeū,*
L.16.§.quantitas.ff.de pœnis. *aut furem faciunt,quidam decem oues gregem eſſe putauerunt,porcos etiam quinque vel quatuor aba*
ctos,equum vnum,vel bouem, abigeatus crimen facere. Eſt & aliud diſcrimen inter Abigeos ipſos, G
nam grauiori pæna multatur,qui nobiliora animalia abegerit,quā qui viliora,deciſio eſt Hadria-
L.3.ff.de Abig. ni Imperatoris ad Conſulem Bæticum apud Vlpianum. *Sciendum eſt qui Porcum,vel Capram,vel*
L.1.d.t. *Herbicem abduxerit,non tam grauiter,quam qui maiora animalia abigit, plecti debet.* Locus eſt de-
Vlpian' correctus. prauatus,quid enim eſt *Herbicem abducere*? cęcutiunt & ineptiunt toto cęlo Gloſſographi, cū ſuo
Error gloſſographorum. Accurſio,tu lege,*vel Capram,vel Veruecem abduxerit.* E contra, augetur Abigeatus crimen,& na
tura ſua, in vilibus iſtis pecoribus abactis,leue,maius fit,ſi alterius criminis communio accedat, i-
ta miles,qui deſertionis poſtulatur,ſi Abigeatus intētetur,grauiori pœna caſtigatur,vt voluit Ar-
rianus Iureconſultus,& *pæna* quidem *Abigeatus eſt gladius*, vt ex locis laudatis apud Iureconſul-
L.5.§.qui.ff. de re milita. tos deprehendas, etſi ſciam ad hoc & qualitatem perſonarum ſeu dignitatem, & pecora conſide-
rari ſolere. Illud ſane ſemel conſtituendum eſt, Abigeatum admitti, ſi quis quinque porcos abege
Quinque porci gregem faciunt. rit,vt ſuperiora probāt,addendus & Paulus. *Abactores ſunt,qui vnum equum,duas equas,totidēq;*
boues,vel capras decem,aut porcos quinque abegerit. Denique Abigeatum multum Principes dete-
Lib. 5. Sent. tit.18. ſtati, vſque adeo vt cum nullus in ordinario vllo crimine reus, ſiue ſubſcriptione conſtitui poſſit,
hoc eſt,niſi Actor Prætori libellum cum crimine & ſubſcriptione ſua obtulerit, hoc crimen,puto, H
quia a ruſticis plerumque intentatur, ſiue ſubſcriptione valere decernunt Honorius & Arcadius
L.vn.C.de Abig. Principes,vide locum. Multa diſquirit Ianus Langlæus in Semeſtribus lib.8.cap.1.

RVSTICA.

NVNC ad res ruſticas nos conferamus, quas Suis induſtria non parum promotas
lib.4.quæſ.5 reperiemus. Plutarchus ſic narrat,in Sympoſiacis. τὴν δὲ ὗν ἀποχρῆσθαι καὶ τιμᾶ-
Agricultura Sus inuētrix. σθαι λέγουσι, πρώτη γὰρ σχίσασα τῷ προὔχοντι τῆς ὀρυχῆς, ὥς φασι, τὴν γῆν. ἴχνος ἀρό-
σεως ἔθηκε, καὶ τὸ τῆς ὕνεως ὑφηγήσατο ἔργον. ὅθεν καὶ τοὔνομα γενέσθαι τῷ ἐργαλείῳ
λέγουσιν ἀπὸ τῆς ὑός. *Quod autem Sui parcitur, iſq; in honore habetur, non caret ra-*
tione, prima enim Sus, vt aiunt, roſtro terram findens, veſtigium arationis impreſſit,
ac vomeris opus ſubminiſtrauit, quem Hynin inde dictum ſunt qui putent. Hoc ſi verum eſt, certe
Et vinearū culturæ. nec Ceres, nec Cereris miniſter Triptolemus celebrabuntur. At ne Baccho amplius Antiquitas
debeat, ob monſtratum vini vſum, hanc quoque Agriculturę partem Sus prima hominibus ape-
ruit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A ruit. Taurus Palladius in re rustica ita extollit. *In porcis etiam illud est commodum, quod immissi vi* *Febr.c.26.*
neis necdum turgentibus, vel exacta vindemia gramine persecuto, diligentiam fossoris imitantur.
Atque hæc verisimiliora videbuntur, si verba Eudoxi Latine facta apud Aelianum apposuero. *lib.6.c.16.*
Aegyptios ait ab immolandis Suibus parcentes se abstinere, quod postea quam sementem fecerunt, eo-
rum greges ad conculcandam, & proterendam frumentorum sationem atque depellendam in altiorem
terram, & humidiorem inducere soleant, vt hac quasi occasione terra obducta ne ab auibus semina ex-
hauriantur. Hæc sane Aegyptiorum philosophia circa Suem, vt in multis aliis est valde ridicula,
nam nullum frugibus magis noxium viuere animal experientia testatur, & Antiquitatis is fuit cō *Frugib' no-*
sensus, ideoque & Cereri immolatam supra docui, non alia de causa, quam quia & semina nuper *cet.*
in terram coniecta rostro eruisset, & nouellas segetes mira ingluuie depascens, spem agricolæ sole-
ret frustrari. Hoc insigni & memorabili consuetudine, atque illam confirmante lege Cypriorum *Dentes Sui-*
docemur, apud quos inualuit, *vt possessores fundi a Suibus vastati, aut segetis depastæ, Sues, qui dā* *bus trūcati.*
num fecisset, aut pauperiem, truncatis dentibus, plectere possent. Homeri interpres id asseuerat Eu-
stathius ad Odyss. Σ. & ex eo Ioannes Hartungus in memorabilium locorum enarrationibus. Et *Decur.3.c.8*
B vt semel dicam, longe aliter de Sue, atque Aegyptij, sensit Callimachus in Hymo Dianæ. V. 154. *§.5.*

> Βάλλε κακοὺς ἐπὶ θῆρας, ἵνα θνητοῖσι βοηθὸν
> ὥς ἐμὲ, κικλήσκωσιν, ἔα πρόκας ἠδὲ λαγωούς
> οὔρεα βόσκεσθαι τί δὲ κεν πρόκες, ἠδὲ λαγωοὶ
> ῥέξειαν, σύες ἔργα, σύες φυτὰ λυμαίνονται.
> *Deijce noxias feras, vt mortales te auxiliatricem,*
> *Sicut me inuocent, siue capreas & lepores*
> *In montibus errare. quid enim Caprea & lepores*
> *Perpetrant? sues opera, Sues plantas vastant.*

Et ea causa cur Subulcus Homericus Suem hospiti immolet, libro laudato V. 417.

> Δὴν ἔχομεν πάσχοντες ὑῶν ἕνεκ' ἀργιοδόντων
> Ἄλλοι δὲ ἡμέτερον κάματον νήποινον ἔδουσιν,
> *Diu habemus patientes Suum gratia albos dentes habentium,*
> *Alij autem nostrum laborem impune edunt,* idest rusticorum.

C Plura dixi in Mythologia, quam ante decennium ex autoribus nondum editis, vetustis Inscri-
ptionibus, & numismatis in lucem emisi. & Mythologi omnes in narratione de Cerere.

MAGICA.

VT Agricolis noxium Sus animal, ita & in sacris literis abominandum, plenius in-
tra, hic tantum præstigias circa eum retulero, id suppeditat Georgius Pictorius in
Isagoge de Dæmonibus Sublunaribus, ille enim narrat *Subulcum quendam fuis-*
se, qui in Scipione suo vel baculo pastorali schedulam nomine B. Blasij inscriptam ha
bebat, cuius baculi vi & potenti a porcos suos ab omni luporum vi & raptu tutos crede
bat, ac tantum schedulæ numinis tribuebat, vt etiam porcos in agris solos pascendos
abigeret. tamen contingente quodam tempore, cum gregi pastor abesset, & quidam præteriens Dæmonē *Sues Dæmon*
custodire vidisset, illiq; dixisset, quid ipse hic custodiret? qui hominum salutis persecutor foret pessimus *custodit.*
D *respondit, porcos custodio. retulit alter, cuius iussu? dæmon inquit, stultæ pastoris confidentiæ: nam sce-*
dulam quandam suo baculo inclusit, cui diuinam adscribit virtutem, vel inde, quod Sancti Blasij nomi
ne est inscripta. & eam porcos suos a luporum iniuria defendere contra legem suam, credit, mihi falsa
superstitione inhærens: vbi cum per me fuisset vocatus, & denuo vocatus, & non comparuisset, me san-
cti Blasij vice custodiendum huc contuli, vt enim semper libens Dei & sanctorum vices gero, ita &
nunc libentissime, pro suo sancto Blasio, illi porcos custodio, vt stultum hominem in sua vana confiden-
tia extollam, & roborem, ac eo perducam, vbi talem scedulam pluris, quam Deum faciat. hanc ille fa-
bellam ex Ioanne Trithemio desumpsit, & ex eo referendam censuit doctissimus Delrio in disqui
sitionibus Magicis. Multa ex Magorum Druydumque vanitate circa Suem ex Plinio attuli, quæ *Lib.6.cap.2.*
satis ostendunt quantopere Magicis incantamentis animal sit Sus obnoxium. Nec vero minor est *Sect.1.*
Cacodæmonis vis in Zytone Bohæmo Mago, qui porcorum & ipse effigie, vt artis suæ specimen
præberet, vtebatur. verba Dubrauii sunt. *Zyton artem suam ostentans, nunc sua, nunc aliena facie sta* *lib.33 Hist.*
turaq; ita in purpura ac serico, confestim in panno & lana sordida regi se offerebat, ambulantiq; in ter
ra, ipse tanquam in aqua adnauigabat, aliquoties equis rhedarijs vectum, gallis gallinaceis ad epirhe *Zyton Ma*
dium suum alligatis prosequebatur: conuiuas præterea regis varie ludebat, interdum manus illorum, *gus.*

ne illas

ne illas in patinas porrigere valerent, in pedes Boum, interdum in vngulas equorum transformans: Et aliquoties fronti illorum cornua ceruina latiſſima adijciens, quoties videlicet è feneſtris ad ſubitum ſpectaculum proſpicerent, ne rurſus caput & ora ad menſas referre poſſent. Atque vt oſtenderet, ſe pecuniam quoque pro ſuo vſu facile conſtare poſſe, triginta Sues bene ſaginatos, ex manipulis fœni effinxit, illoſq; paſtum prope Michaelis cuiuſdam piſtoris locupletis extrudit, propoſuitq; venales, quo piſtor voluit pretio, hoc tantum emptorem mouens, ne gregem nouum ad flumen lotum compellat, qua ille monitione neglecta cernit in flumine manipulos fluitare, Suibus ſubmerſis. Ergo diu venditore quæſito atque in taberna vinaria tandem reperto, in qua porrectis pedibus in ſcanno recubabat, dum ſtomachabundus altero pede correptum excitare vult, eum a corpore penitus cum coxendice auellit, clare Zytone quiritante, & obtorto collo emptorem ad iudicem trahente. Hiſtoriam ſuæ ætate deſcribit VVilhelmus Malmesburienſis de geſtis Regum Anglorum. *Erant in ſtrata publica, qua Romam itur, duæ auiculæ, quibus nihil bibacius, nihil putidius, vno commorantes tugurio, vno imbutæ maleficio, hæ hoſpitem, ſi quando veniebat ſolus, vel equum, vel Suem, vel quodlibet aliud videri faciebant, & mercatoribus vanum proponebant, nummos inde acceptos abligurientes.* vide quæ ſequuntur de Ephæbo circulatore in Aſinum verſo, & in humanam formam deinde regreſſo. pro *ſtrata* forte fuerit legendum *ſtrada*, ſic enim Itali viam publicam ſua lingua vocant, & ea voce plerique illo ſæculo vſi. vide *Antipathiam*.

E — F

Sues ex fæno.

lib. 2. pag. 37

Malmesburienſis correctus.

STATVÆ.

ALBANI *Suem* originis ſuæ autorem ſtatua honorarunt, non minus quam Romani *Lupam*, ſupra in Auguriis, adde hic Dionyſium Halicarnaſſeum. τῇ δ᾽ ἑξῆς ἡμέρᾳ τριάκοντα λέγεται χοίρους ἡ ὗς τεκεῖν. *poſtera die Sus triginta porcos peperiſſe dicitur.* Hanc Suem Aeneas Diis penatibus immolauit, & locum, in quo ſacrificium peractum, Lauinienſes ſacrum reputabant, & inacceſſam ſeruabant, vt late exequitur idem Hiſtoricus. Origo Gentis Romanæ. *recordatum Aeneam, quod aliquando ei reſponſum eſſet, vrbi condendæ quadrupedem futuram ducem, tum ſimulachris Deorum Penatium proſecutum, atque illum, vbi illa procubuit, enixaq; eſt porculos triginta, ibidem auſpicatum.* Cato in origine generis Romani, *Suem triginta porculos peperiſſe in loco vbi Lauinium fuerit,* ſcribit, ſtatua ergo Lauinii huic Sui in tam religioſi facti memoriam, erecta, non Albæ, vt ex Halicarnaſſæi & Valerii Antiatis relatione videtur colligi, M. Varro in re ruſtica. *In quo illud antiquiſſimum fuiſſe ſcribitur, quod Sus Lauinij Aeneæ triginta porcos pepererit albos, itaque quid portenderit, factum triginta annis, vt Lauinienſes condiderint oppidum Albam, huius Suis ac Porcorum etiam nunc veſtigia apparent Lauinij, quod & ſimulachra eorum ahænea etiam nunc in publico poſita, & corpus matris a ſacerdotibus, quod in ſalſura fuerit, demonſtratur.* Illud obiter non omiſerim ſimulachra ahenæa maximæ fuiſſe dignationis, ea enim materia ſtatuarum optima. Aurelius Caſſiodorus. *ſimulachris æneis fides ſeruatur.* Plinius Iunior in Panegyrico Traiani. L. Seneca in Naturalibus quæſtionibus. *quod æs vnius ſtatuæ diſruptum eſt.* C. Suetonius in Auguſto. *ſtatuam ære collatô poſuit.* Sidon. Apollinar. Carm. 8.

G

lib. 1 pag. 46

Victima Penatium.

Pag 774.

Statua decreta Lauinij.

lib. 2. c. 4.

Aerea ſtatuæ.

lib. 8. epiſt. 2.

lib. 6. c. 29.

Cap. 59.

> *Vlpia quod rutilat porticus ære meo.*

Claudianus eget cenſoria virgula, ſic enim in præfatione ad Bellum Geticum. — H

Claudianus correctus.

> *At prior effigiem tribuit ſucceſſus amænam,*
> *Oraq; patricius noſtra dicauit honos.*

Paucis mutatis legendum eſt.

> *At prior effigiem tribuit ſucceſſus ahænam.*

Iterum. Et corruptus alter in eodem locus de Conſulatu Mallij.

> *Publica manſuris teſtantur vocibus æra,*
> *Inde tibi Macedum tellus, ac condita Pellæ*
> *Mænia. lege, credita Pellæ mænia.*

Seruius correctus. Ad Suis ſtatuam reuertor. & corrigo Seruium Maurum. *Siluium peperit & Albam condidit, ab omne Porcæ Albæ repertæ, vel citu ciuitatis,* lege *ſitu ciuitatis.* vetus Lapis in Grutero ex Hiſpania Municipio Pontifienſi a Busbequio ad Lipſium miſſus, meminit & Antonius Auguſtinus.

Ad 1. Aenei. 188.

Pag. 105.

C. CORNELIVS. C. F. C. N. GAL. CÆSO. ÆD. FLAMEN. II. VIR.
MVNICIPI. PONTIFICIS. C. CORNELIO. CÆSO. F. SACERDOS.
GENI. MVNICIPI. SCROFAM. CVM. PORCIS. TRIGINTA.
IMPENSA. IPSORVM. D. D.

Apparet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A Apparet ex hac inscriptione statuam huic Porcæ etiam in Prouincijs poni solere, nec per Italiã modo, sed & in transmarinis regionibus. Romæ etiam illius memoriam statua atque aris cultam euincit Nonij Marcelli locus. *Grundules lares dicuntur Romæ constituti ad honorem Porcæ, quæ triginta pepererat.* Christiani etiam in contemptum Iudæorum Porcarũ simulachra ædibus fatis affigebãt. Adscribam ea quæ tractatu de Iudęorum perfidia habet Simon Maiolus literatissimus Antistes. *recordor cuiusdam scrofæ, estq́; in ignominiam & confusionem Rabbinorum Iudæorum, ad parochialis templi VViteberge, celeberrimæ Saxoniæ vrbis, muri, versus ortũ antiquitus posita.* verba deinde ponit Laurentij Fabritij professoris Hebraicę linguę VVitembergici. *quid dicemus de profunda Iudæorum Αναιδησίᾳ, venerat filius dei saluare populum suum, ac sui eum non agnouerunt,* multis interiectis. *hanc fœditatem abusus fœdissimi Schemhamporash, vt religiosi Christiani Iudæis sibi cohabitantibus ob oculos ponerent, atque illos a suis ritibus & aris arcerent, vere sacras ædes ingressi, aduersus sanctam Trinitatem, aduersus Christum vnigenitum Dei filium nascentem, patientem, & ad cælos ascendentem, aduersus Mariam castissimam Christi genitricem, blasphemias eiacularentur, scrofam, aut Porcam saxo incisam aut pictam, in frontispicio portarum, aut templorum collocabant, &* B *eorum conspectui obijciebant: didicerant enim ex lege Dei Christiani, scrofæ non solum esum interdictum esse, adeo, vt, qui comederent carnem Suillam, inter maximos legum diuinarum contemptores haberentur, qui quotidie Deo in faciem peccarent, sed etiam sacrificium Suillæ carnis fuit prohibitũ, qui enim sanguinem suillum afferebat, ille summa ignominia Deum afficiebat, ideo sacrificia porcorũ non inter concessa sacrificia, sed gẽtilium legibus, in ignominiam veri Dei introducta fuisse, alibi legimus. Cum ergo Christiani scirent non solum esum & sacrificium porcorum, sed etiam imaginem Suis in loco sacro Iudæis esse inuisam, ideo locis, quæ intacta ab accessu Iudeorum blasphemorum esse volebant, scrofas apponebant, non vt sacrum locum fœdarent, vel Deum in suis sanctionibus illuderent, ac quadam sacrificia probare, nonnulla improbare viderentur, sed vt loca diuinis cultibus dicata impuris Iudęis redderent inuisa, vt porcę imagine, ab eorum ingressu arcerentur. Iudęi enim hodierni non solum Christianos, sed & loca, in quibus conuenitur ad præstandum Deo cultum, extreme oderunt & abominantur. Hęc fuit causa scrofę templi VViteberge affixę.* Est ea porca parieti lapideo insculpta cum inscriptione *Rabbini Schemhamporasch.* pergit deinde & describit imaginem, *offertur porcæ sculptæ imago, videas ibi ingentem scrofam mamillis dependentibus stare, non alio modo, quam cum porcæ* C *lactantes grunnitu seu screatu blandiore lac nutrimentale porcellis propinant, habet vero porca sub se puerulos tres Iudaicos, quorum duo auersa facie, ex scrofæ sugunt mamillis, tertius horum aperta facie sub aluo scrofæ, ad spectatores prospectat, sub collo scrofæ accurrit porcellus, vt cum pueris mamillas Suis vna sugat. In parte scrofę posteriore videbis grandæuiorem Iudæum, mitra professionis rabbinicæ ornatum, hic accumbens, videtur sinistra caudam porcæ eleuare, & dextra pedem dextrũ Suis, non in codicem, sed in podicem eius limis oculis prospectare, vt meditabundus, intentis sensibus, nescio quæ mysteria in Thalmud scrofæ rimari, tumultuantesque intestinorum flatus audire, horum oraculo edoctus, noui quippiam ad suos auditores Iudæos referre queat.* Explicat deinde sensu literali quid sibi imago illa velit? *Totam hanc sculpturam in odium Rabinorum, osorum Dei, blasphematorũ Messiæ, & eius sanctissimæ Matris, collocatam esse, certum est, qui cum toto grege Iudaico nihil sapiunt, nihil oraculorum diuinorum sacris Bibliorum libris comprehensorum intelligunt, sed mera Rabinica, sed potius Ethnica & diabolica tradunt & hauriunt dogmata, quique pro scaturientibus aquis in vitam æternam, sugunt lac Suillum, qui pro articulis Euangelicis, fimos & sterquilinia amplectuntur. Attende vero ipsorum παιδείαν, habent porcam magistram, porcarium padagogum, & vt vno verbo di*D *cam, tota ipsorum doctrina est porculatio, omnes ipsorum doctores porculator, quam enim porcam olim Iudæi ad esum & sacrificium non admittebant, illam hodie Iudæi ignari sibi magistram constituunt, qui relicto sacro codice, occupantur in magistræ suę podice: Nec iuniores Iudæi salubrius lac sugunt, quam grandiores suppeditant quærunt hi omnia sua mysteria in Thalmud porcino, sugunt illi omnem impuritatem ex mamillis porcinis, deserto Christi adherent scrofę, spreta doctrina Messiæ stercora vorant, neglecto verbo vitæ, lac Suum lutulentum sorbent.*

Nec vero templis tantum hæ Suum imagines, sed & diuersorijs, ad quæ Iudæos diuertere nolebant, vt Berlini & alibi. Et varijs alijs locis sacris *Suis* effigies, vt in magno templo Magdeburgi, in sacello, in quo Ottonis Primi Imperatoris est sepulchrum, & in Curiæ Salisburgensi, & in vrbe Soraborum, ducatu Anhaltino, exteriori templi columnæ porca visitur insculpta, quæ fœditatem illius populi impij & scelus, profanumque Thamuldicæ doctrinæ errorem ostendunt. Et statuam quidem Scrofæ huius Lauinij & Albæ fuisse in honore diu ante Romam conditam suspicari licet, eam vero Romæ erexit ipse vrbis conditor Romulus, Cassius Hemina vetustissimus Historicus apud Diomedem Grammaticum. *Grundiles Lares a grundio antiquo verbo dictos accepimus, quos Romulus cõstituisse dicitur in honorem scrofę, quę triginta pepererat porcos: hoc ita eße affirmat Cassius*

Et in Prouincijs.
Et Romæ.
Cap. 2. num. 357.
Pag. 814.
Orat de Scembãphorasb vsu & abusu.
Sus in tẽpli vestibulis.
Cur?
Quid significet?
In diuersorijs.
A Romulo erecta.
lib. I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

sius historiarum secundo.pastorum vulgus siue contentione consentiendo,præfecerunt æqualiter impe- E
rio Remum & Romulum,ita vt in regno pares inter se essent,monstrum fit Sus,parit porcos triginta,
Locus Cassii su spectus. *cui rei fecerunt Laribus Grundiles*. Postrema verba suspicor non esse sana, sensus est, Romulum &
Remum facti nouitate permotos,quod scrofa triginta fetus edidisset, illam inter Lares Grundiles
collocasse verborum contextum non attingo.

STRATAGEMATA.

Stratagema Romanorũ. lib.1.c.38.

DE vsu Suis in bello,supra actum,hic stratagemata referenda,ante alia Romani oc
currunt, qui cum Pyrrho primo hoste peregrino varia quidem fortuna, sed pessi-
mo euentu,bellum gessissent, nisi Porcorum opera vsi essent. Aeliani verba sunt.
ἀῤῥωδεῖ ὁ ἐλέφας κεράσιν κριὸν, καὶ χοίρυ βοὴν, ἔτω τοίνυν φασὶ καὶ Ῥωμαῖοι τὰς συν
Πύῤῥῳ τῷ Ηπειρώτῃ ἐτρέψαντο ἐλέφαντας, καὶ ἡ νίκη σὺν τοῖς Ρωμαίοις λαμπρῶς ἐγέ-
νετο. *Ariete cornuto & Suis grunnitu abhorret Elephas. sic Romanos Pyrrhi Epirota-* F
rum Regis Elephantes in fugam vertisse homines dicunt, victoriamque amplam ex eo bello retulisse.
Aelianus notatus. Hoc alias non legi, Porcis vsos Romanos vt Elephantos seu boues Lucas proterrerent, nam quo-
modo milites nunquam visas belluas sibi antea scire potuissent porcos abhorrere? quid?quod in-
dubitatum est, *Proboscide casu a milite quodam abscissa,compertum mori belluam*, vt verbis vtar Flo
lib.1.c.15. ri in Historia Romana. Ex eodem autore aliud est præclarum stratagema Megarensium obsiden-
Et Megarẽsium. lib.16. c.36. te Antipatro,cuius verba Latina sic sonant. *Elephantum a suillo timere pecore iam dixi,nunc expli-*
care placet,quod ad Megaram accidit,cum ab Antipatro Megarenses obsiderentur,acerrimeque Ma-
cedones incumberent,primo in Sues pice liquida oblitos,oblitos incendium Megarenses excitarunt,de-
inde sic incensos in hostem immiserunt: hi itaque furore inflammati, cum in Elephantorum agmina
incurrerunt,tum clamantes, nempe igne flagrantes, quasi quibusdam furijs Elephantos incitarunt,
& grauiter perturbarunt, itaque nullum neque ordinem tenebant,neque amplius,quamuis a primo
ætatis tempore domiti fuissent,mansuefacti erant,siue quod sua recondita natura a suillo pecore lon-
Sues cum Elephãtis educati. *ge abhorreant,grauique in id odio sint,siue etiam quia horum absonum vocis acumen perhorreant:cu-*
ius rei non ignari educatores generis Elephantini,vna cum Suibus pullos alunt,ex consuetudine eos, G
vt minus horreant. Hanc historiam transcripsit Claudius Minos præceptor in Alciati Emblema.
Polyænus ab Aeliano dissidet. lib.4.Stratagem. 123. & Polyænus retulit, sed nonnihil ab Aeliano in narratione discrepans, quippe obsessorem
non Antipatrum,sed Antigonum facit,& verba Latini interpretis hæc apposui. *Antigonus in op-*
pugnatione Megarorum Elephantos adduxit,Megarenses Sues liquida pice vnguebant,eaque incen-
sa dimittebant, quæ cum vrerentur igni, grunnientes incitato cursu in Elephantos incidebant, illi
metu perterriti & conturbati,alius alio fugam faciebant. Antigonus postea Indis imposterum man-
dauit, vt Sues cum Elephantis alerent, vt ad earum aspectum clamoremque ferendum assuefierent
belluæ. Suspicor diuersum hoc esse facinus, nam quid Megarensibus cum Indis? qui in Macedo-
nia sunt,aut vt alijs placet,in Thessalia? Erunt ergo Megarenses Græci ab Antipatro obsessi,Me-
Megari. gari Indiæ populi circa Indum,ab Antigono debellati. Aliud non minus memorabile Ptolomei
Et Ptolomæi factum ex eodem Polyæni libro ad finem adferam. *Ptolomæus cum perdicca flumen iuxta Mem-*
phim transmitteret, & iam magna pars transisset, contraxit ex omni regione greges Caprarum, Su-
umque, & boum armenta, mandauitque vt quamplurima sarmentorum onera ex vnoquoque iumen-
to suspenderentur,vt attracta maximum puluerem excitarent;quæ a pastoribus;atque etiam ab equi- H
tibus agitata, magnam vim pulueris suscitauerunt. ille vero ijs equitibus assumptis, qui erant reli-
qui contra hostes duxit,qui ex puluere coniecturantes innumerabiles copias aduentare,repente fugæ
Et Marij. *se mandarunt,& plurimi flumine perierunt,multi etiam viui capti sunt*. Non absimile his est,quod
de Mario cum Teutonibus dimicaturo ad Aquas Sextias relatum in acta est, nam Marcello exi-
guam militum manum concessit, *adiunctis ei Agasonibus & gregibus Suum armentorumque, vt*
Et Atheæ. *speciem a tergo magni auxilij aduentantis,motu a lixis illis & animalibus puluere,præberet*. Nec o-
mittendum celebre facinus Atheæ Scytharum Regis, *qui cum aduersus ampliorem Triballorum e-*
xercitum dimicaret,iussit a feminis & pueris,omnique imbelli turba,greges Asinorum,Suum,& Bo-
um ad postremam hostium aciem admoueri,& erectas hastas præferre,famam deinde diffudit, tan-
quam auxilia sibi ab vlterioribus Scythis aduentarent,qua asseueratione auertit hostem. possent &
alia huius farinæ adferri,sed ea lectoris diligentiæ relinquo,contentus viam tutissimam aperuisse.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

EMBLEMATA.

PROFICIENDVM esse in virtute, aut *in dies meliora* speranda Emblema hoc de *Sue* significat, quod inter Andreæ Alciati est quadragesimum quintum. *Progrediendum semper.*

Rostra nouo mihi setigeri Suis obtulit anno,
Hæcque, cliens, ventri Xenia, dixit, habe.
Progreditur semper, nec retro respicit vnquam,
Gramina cum pando proruit ore vorax.
Cura viris eadem est, ne spes sublapsa retrorsum
Cedat, & in melius, quod sit, & vlterius.

Claudium Minoem ibi loci consule, aliud est non minus lepidum Hieronymi VVolfij de Naturali rerum Antipathia, siue *quod idem prodest & nocet.*

B

Letiferam mandit Salamandram gutture Porcus
Innocuo, & pondus pinguius inde fluit.
O miras Naturæ artes, quod profuit vni
Hoc alijs, certa conditione nocet.

Est & illud Ioachimi Camerarij de Porco resupinato, & subito obmutescente, & ad radios Solis expauescente, quo innuitur brutas cogitationes nunquam terra leuari, nec ad cælestia se erigere, ac ne diuinæ quidem lucis patientes esse, versus non sunt ad manum, nec magni interest.

PRODIGIA.

HANC etiam profanæ veterisque superstitionis partem attingamus, nihil erat, quod Quindecim viri, & ostentorum Interpretes magis expiabant, quam ostenta circa hoc animal. quædam ex libello Iulij Obsequentis de Prodigijs selegi. Cô-

C

sulibus Ser. Sulpito Galba, & C. Aurelio Cotta. *Frusinone agnus cum Suillo capite, Sinuessæ porcus cum capite humano, fœda omnia & deformia, errantisque in alienos fetus naturæ visa.* Et M. Valerio Leuino II. M. Claudio Marcello IIII. coss. *Tarquinijs porcus cum ore humano genitus.* Et Q. Veturio Philone Q. Cecilio Metello Coss. *Ceræ Porcus biceps natus.* Et Sex. Aelio Pæto T. Quintio Flaminio Coss. *natus Sinuessæ porcus cum humano capite.* Et T. Graccho M. Iuuentio coss. *Cære porcus humanis pedibus & manibus natus.* Talia apud T. Liuium non vno loco. vt cum ait. Suessæ Auruncæ nuntiabant *agnum cum duobus capitibus natum, & Sinuessæ porcum capite humano.* Prodigia autem non tam fuse Historici, quam Poetæ describunt, omnium cultissimi sunt Virgilius sub finem lib. 1. Aeneid. Lucanus lib. 1. Pharsaliæ ad finem, Claudianus lib. 1. in Eutropium in limine. quo modo prodigia hæc expiarẽtur ad illum locum Claudiani vltimo laudatum ex Græcis & Latinis disserui.

Cap. 46. *Cap. 37.* *Cap. 41.* *Cap. 48.* *Cap. 73.* *4. Decad. libro 2.*

Consule lustrandi fasces, ipsoque litandum
Prodigio.

Et multa in Antiquitatibus meis Romanis inuenies, si modo tanti putabis, vt consulas.

D

FABVLÆ ET MYTHOLOGIA.

PLVRIMÆ fabularum circa Suem ambages, nam Circen Socios Vlyssis in Sues conuertisse antiquitas finxit. Isidorus Hispalensis. *fertur quædam Maga famosissima Circe, quæ socios Vlyssis mutauit in bestias.* Seruius Honoratus Maurus. *Scylla Phorci & Cretheidos Nymphæ filia, pulcherrima, quam cum amaret Glaucus marinus deus, dum ipse amaretur a Circe, & eam contemneret, illa irata fontem, in quo se Scylla solebat abluere, venenis tinxit, in quem cum descendisset puella, media sui parte, in feram mutata est, Hanc postea Glaucus fecit deam marinam, quæ socios Vlyssis in Porcos mutauit, & classem euertit.* quod alij omnes de Circe asserunt, id ille de Scylla, solus, quod sciam, affirmauit, & vt certum Circen veneficam huius Metamorphoseos autorem, ita non solos Vlyssis socios, sed & Philonidæ illa etiam Sues reddidit, vt paulo infra dicam. sic poetæ. Homerus.

Socij Vlyssi in Sues. *Ad Eclog. 6.* A *Scylla.* *A Circe.* *Et socij Philonidæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

lib. 10. Odyſ. V. 239.

φάρμακ λύγρ' ἵνα πάγχυ λαθοίατο πατρίδος αἴης E A
Αυταρ ἐπεὶ δῶχέν τε καὶ ἔκπιον, ἀυτικ' ἔπειτα
Ράβδῳ πεπληγυῖα, καὶ συφεῖοσιν ἐέργου,
ὁι δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς, φωνὴν τε δέμας τε,
καὶ τρίχας, ἀυτὰρ νους ἦν ἔμπεδος, ὡς τοπόρος περ
ὡς ὁι μεν κλαίοντες ἐέρχατο, τοῖσι δὲ Κίρκη
Παρ ῥ' ἄκυλον βάλανον τ' ἔλαβε, κάπρον τε κρανείης
Ε'δμεναι, οἷα σύες χαμαίευναδες αἰὲν ἔδουσιν.

Latine ſonant ſic verbatim. commiſcuit ἀνέμισγε

Venena nocentia, vt prorſus obliuiſcerentur patriæ terræ.
Ceterum poſtquam porrexitq́ & ebiberunt, ſtatim deinde
Virgula percutiens intra haras concluſit.
Illi Suum habebant capita, voceſq́, corporaq́,
Et ſetas, ceterum mens erat firma, vt ant ea F B
Sic hi quidem flentes concluſi ſunt, his ante Circe
Appoſuit glandem Ilicis, fructumq́ Corni arboris
Edere, perinde ac Sues humi cubantes ſemper edunt.

lib. 14. Metamorp. Euſtathius ad locum illum, ex quo Latini omnes hauſerunt, operoſiſſime Ouidius.

—— miſceri toſti iubet hordea grani,
Mellaq́, vimq́ meri, & cum lacte coagula paſſo
Quiq́ ſub hac lateant furtim dulcedine ſuccos
Adijcit, accipimus ſacra data pocula dextra,
Quæ ſimul arenti ſitientes hauſimus ore
Et tetigit virga ſummos dea dira capillos,
Et pudet, & referam, ſetis horreſcere cepi,
Nec iam poſſe queri, pro verbis edere raucum
Murmur, & in terram toto procumbere vultu,
Oſq́ meum ſenſi pando occalleſcere roſtro, G C
Colla tumere thoris,

Act. 2 Sc. 1. Ariſtophanes paulo aliter in Pluto,

ἐγὼ δὲ τὴν Κίρκην γε τὴν τὰ φάρμακ' ἀνακυκῶσαν
ἢ τοὺς ἑταίρους τοῦ φιλονίδου ποτ' ἐν κορίνθῳ
ἔπεισεν, ὡς ὄντας κάπρους.

At ego omnibus modis Circen imitabor, quæ venenis
Ex arte confectis, ſocios Philonidæ apud Corinthum
Mutauit in fœdos Sues.

Lycophron in tenebroſa illa ſua Muſa,

ποίαν δὲ θηρόπλαστον οὐκ ἐπόψεται
δρακαίναν ἐγκυκῶσαν ἀλφίτῳ θρόνα
καὶ κῦρα κνωπόμορφον. ὁι δὲ δύσμοροί
στένοντες ἄγας ἐν συφοῖσι φορβάδες.

Quas nos ferarum figulam intuebitur H D
Dracena ſubiget vt farinis hordea,
Fatumq́ vertet in feras, miſelli at hi
Querentur infortunium facti Sues.

lib. 7. Aenei. princ. Virgilius hos ſecutus, Circes regiam deſcribit,

Hinc exaudiri gemitus, iraq́ Leonum
Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum:
Setigeriq́ Sues, atque in Præſepibus Vrſi
Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum:
Quos hominum ex facie, dea ſæua, potentibus herbis,
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.

Ratio manſit. Sic tranſmutatis intellectum manſiſſe, atq; etiam rationis vſum non penitus extinctum volunt, ſic Apuleius forma tantum Aſinum ſe induiſſe ait, & viuacem in cætera memoriam, idem Lucianus in Lucio aſſeruit, & vir doctus in Notis ſuis in eundem ſcriptorem, & ne quis id eſſe ita ſubdubitet, idem docet Diuus Auguſtinus in Ciuitate Dei. Mythologici, & præ alijs Fulgentius Carthaginienſis Epiſcopus, qui non eſt ad manum. Seruius Maurus loco laudato. *Dea ſæua, aut per ſe, aut*

Pag. 649. lib. 18. c. 17. Pag. 450.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *aut herbis potentibus sæua, Circe autem ideo Solis fingitur filia, quia clarissima meretrix fuit, & nihil est Sole clarius. Hæc libidine sua & blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat, vt libidini & voluptatibus operam darent, vnde datus est locus fabulæ apertæ.* Horatius. *Circe meretrix.* *lib.1. Epist 2*

Sirenum voces, & Circes pocula nosti,
Quæ si cum socijs stultus cupidusq; bibisset
Sub domina meretrice fuisset turpis & excors,
Vixisset Canis immundus, vel amica luto Sus.

Sic igitur qui belluinas turpitudines sectabantur, in fœdissimos belluarum Sues recte mutati ferebantur, quod idem exprimere voluit. *lib.2. Saty.3*

Cum rapies in iura malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo auis, modo saxum.

Vt rem ridiculam auersatur Iuuenalis. Satyr. 15.

—— tenui percussum verbere Circes
Aut cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.

B In pristinam autem formam redierunt rursus, quia amor illicitus non semper afficit, & immodicæ voluptatis saties ac pœnitudo tandem subit, Ouidius multis exequitur. Horatius. *Epod. od.17*

Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Vlyssei
Volente Circe membra, tum mens, & sonus,
Relapsus, atque notus in vultus honor.

Potior mihi ratio visa, Circen veneficam fuisse, herbarumque peritam. C. Plinius. *durat tamen tradita persuasio in magna parte vulgi, veneficijs, & herbis id cogi, eamque nunc fœminarum scientiam præualere. Certe quid non repleuere fabulis Colchis Medea, aliæque imprimis Italia Circe, dijs etiam adscripta, vnde arbitror natum, vt Aeschylus è vetustissimis in poetica, refertam Italiam herbarum potentia diceret. multiq; Circeios, vbi habitauit illa, magno argumento etiamnum durante in Marsis a filio eius orta gente, quos esse domitores serpentium constat.* Eadem Dioscorides, Strabo, & alij, sed maxime poetæ, quorum aliquos adscribo. Claudian. *Circe venefica perita herbarum.* *lib.25.c.2.* *lib.1. in Ruffin.*

———— funestarumq; potestas
C *Herbarum, quicquid letali germine pollens*
Caucasus, & Scythiæ vernant in gramine rupes,
Quas legit Medea ferox, quas callida Circe.

Rursus in laudibus Stiliconis. *lib.2.*

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis illecebris, hebetat caligine sensus,
Membraq; Circæis effeminat acrius herbis.

Et in laudibus Serenæ vxoris Stiliconis.

Armauit quod Scylla canes, quod pocula Circe.

Sane in Herbarum cognitione totam vim Magicarum artium veteres ponebant. poetæ id affirmant. P. Ouidius. *Magia ex herbis.* *lib.1. Amor. eleg.14.*

Nec te cantatæ læserunt pellicis herbæ.

M. Lucan. lib.6. Pharsal. V.441.

———— & terris aduena Colchis
D *Legit in Aemonijs, quas non aduexerat herbas.*

Rursus Ouidius. lib. 2. de Arte.

Non facient, vt viuat amor, Medeides herbæ,
Mixtaq; cum magicis Colcha venena sonis.

Et lib. 1. de Remedio Amoris.

Quid te Phasiacæ iuuerunt gramina terræ
Cum cuperes patria, Colchi, manere domo.

Virgilius lib.7. ad finem.

—— Marsis quæsitę in montibus herbę.

Longa narratio Virgilij est in Didus insania, conciliare amorem conantis herbarum veneficio, & Seruius Honoratus ad eum locum. Statius lib.9. Theb. V.735. *Ad libro 4 Aeneid. pag. 347.*

—— secretis quæ Colchides ipsa sub antris
Nocte docet, monstratque feras quærentibus herbas.

Silius Italicus libro octauo Punicorum. Inuentionem Magiæ herbariæ Circæ adscribit. adi Strabonem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Herbaria Magia inuẽtrix Circe. Tibullus correctus.

Aeætæ prolem anguitiam mala gramina primam E
Præmonstraſſe ferunt.

Alb. Tibullus lib. 1. eleg. 2.

Sola tenere malas Medææ dicitur herbas.

Sic correxi, peſſime in codice Achillis Statii, & quibuſdam vulgatis codicibus.

—— *tenere malas Medææ dicitur artes.*

Sext. Propertius lib. 4. eleg. 7.

Sed tibi nunc mandata damus, ſi forte moneris,
Si te non totum Chloridos herba tenet.

Chloris.

Poſteriorem verſiculum ſic efferunt vulgatæ editiones, & defendi lectio poteſt, ex Incerti ſcriptoris autoritate, qui vna cum Cenſorino, ante Ludouici Carrionis curas, edebatur, is enim cap. 10. *Chloridem filiam* facit *Tireſiæ*, & vt videri poſſet, vt hunc augurandi ſcientia clariſſimum, ita iſtam magicorum veneficiorum peritam fuiſſe, & forte eadem eſt iſta *Chloris*, quæ aliis *Manto* appellatur, quæque apud Senecam in Oedipo, patri ſacrificãti ponitur comes. Hæc etſi tueri poſſent priorem lectionem, puto tamen ſic melius concipi. F

Propertius correctus. Colchidos Herba.

Si te non totum Colchidos herba tenet.

Autor reſtitutionis Albinouanus in Elegia de Mecenatis obitu, quæ falſo adſcribitur Ouidio.

His te, Mecenas, iuueneſcere poſſe decebat
Hæc vtinam nobis Colchidos herba foret.

Ipſe Propertius fauet lib. 2. eleg. 1.

Si mihi Circæo pereundum eſt gramine, ſiue
Colchis Colchiacis vrat ahæna foris.

Lib. 10. Mytholog. Sus inuiſa Veneri.

Hæc quidem Hiſtorica eſt, moralis, & naturalis fabulæ huius explicatio, philoſophicam rationem ab Natali Comite require. ego nunc ad fabulas Aeſopæas me confero. Incertus Interpres è Græco ſic vertit. *Sus & Canis mutuo conuiciabantur, & Sus iurabat per Venerem, procul dubio, dentibus diſciſſurum Canem. Canis ad hæc diſſimulanter, dixit, bene per Venerem nobis iuras, ſignificas enim ab ipſa vehementer te amari, quod impuras tuas carnes deguſtantem nequaquam in ſacellũ admittat, propter hoc igitur, ait Sus, magis præ ſe fert dea amare me, nam occidentem aut alio quouis modo lædentẽ omnino auerſatur, tu tamen male oles & viua & mortua. Adfabulatio eſt, Oratores eloquentes quælibet in vituperium ducta, in laudem vertere ſolere.* Gabriel Faernus ſic vinxit. G

Magna inuicem contentione exarſerant
Sus & Canis, magnamq́, voce diſſona
Rixam ciebant, atque acerba iurgia:
Tandem ſuperbis exacerbatus minis
Sus, per Venerem, ait, ſi mihi perrexeris
Moleſtus eſſe, dente te transfodero.
Tum Canis amaris ſalibus aſpergens Suem,
Bene, inquit, atque appoſite, eam iuras deam,
Quæ te odit adeo, vt qui ex tua impuriſſima
Carne ederit, eum illa arceat templo ſuo.
Imo potes, Sus inquit, hinc dignoſcere,
Quam diligat me diua, quæ hunc, qui læſerit H
Me, quique carnes dente violarit meas
Eum, vt profanum, nolit ad ſe admittere.
Prudens vir, ea quæ exprobat aduerſarius,
Ipſe in ſuam torquere nouit gloriam.

Lupi diſſidium cum Sue. Fab. 30.

Gulielmi Canonici ex Aeſopo hæ narratio eſt. *parturiebat Sucula, pollicetur ſe Lupus cuſtodem fore fatus, reſpondit puerpera lupi obſequio ſe non egere, ſi velit pius haberi, ſi cupiat gratum facere, longius abeat, Lupi enim officium conſtare, non præſentia, ſed abſentia.* adfabulatio eſt hæc. *multi officia efferunt, non tui, ſed ſui commodi amore.* Anienus ad Theodoſium Auguſtum.

Vaſtantem ſegetes, & pinguia culta ruentem
Ruſticus abſciſſa liquerat aure Suem:
Vt memor accepti referens monimenta doloris,
Vlterius teneris parceret ille ſatis.
Rurſus in excepti deprenſus crimine campi,
Perdidit indultæ perfidus auris onus.
Nec mora, prædictæ ſegeti caput intulit horreus,

Pæna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Pani sed indignum congeminata facit.
Tum domini captum mensis dedit ille superbis,
In varias epulas plurima frusta secans.
Sed cum consumpti dominus cor quęreret Apri
Impatiens, fertur quod rapuisse Cocus;
Rusticus hoc iustam verbo compescuit iram,
Affirmans stolidum non habuisse pecus.
Nam cur membrorum toties in damna redisset
Atque vno demens posset ab hoste capi?
Hæc illos præcepta mouent, qui sæpius ausi,
Nunquam peccatis abstinuere manus.

Sus animal insipidum.

Sunt & fabulæ aliæ de Apro, siue Sue fero, & suis locis sequenti tractatu expedientur, nam licet vtriusque pecoris vna sit, & earum natura, multa tamen de vno dicuntur, quæ in alterum quadrare commode non possunt.

B

NVMISMATA.

VARIIS *numismatis* plurimarum gentium, & variarum Romæ familiarum insculptus *Sus* erat, vt ex Huberto Goltzio, Adolpho, Occone, Antonio Augustino, Gulielmo du Choux Gallico scriptore, & aliis, qui nõ sunt ad manum. Hoc vnum addiderim hic, primum pecuniarum characterem fuisse animalia, vt *Capram, Bouem, Ouem, Suem*, & similia, quia, vt diuitiæ hominum, ætate ea in pecudibus erãt, ita æquum erat, monetam sic signari. Critici obseruant, & de Suillo numismate Philippus Beroaldus Commentariis in C. Suetonium. ibi enim autor ipse refert Augustum diuisisse *modo numos omnis notæ, etiam veteres, Regios, & peregrinos.* Ad eum locum viri docti & de nota seu charactere Numismatum plene alibi, Ac nescio an numini illi Romani veteres porcum prætulerint, ac non verius peregrini. sic enim vir doctus Guidus Pancirolius ad Notitiam Imperii Orientalis. *Id apud veteres non solum Aegyptios, sed omnes alios populos, & principes, obseruatum fuisse videmus, vt animali, fructu, vase, aliove signo depicto, occultum aliquid significarent, sic Byzantij vuæ racemum nummis imprimebant, Ilienses Suem, Thebani Testudinem, Chij & Africani Spicam, his se abundare indicantes.* & *Testudinem* præferebat numus *Peloponnesiorum*, vti *Cyzicenorum leporem*, & *Rheginorum* autore VVolfgango Lazio Commentariis Reipubl. Roman. Adeundi libri de re Numminaria doctissimorum Marguhardi Freheri, & Gasparis VVaseri: addendus Plutarchus in problematis Romanis. ἕτερο δὲ ἐχρήσαντο νομίσματι, βοῦν ἔχοντι καὶ πρόβατον, καὶ ὗν, παράσημον: εὐποροῦντες ἀπὸ τῶν θρεμμάτων, μάλιστα, καὶ τὴν περιουσίαν ἀπὸ τούτων ἔχοντες. *alio etiam vsi sunt numismate, cui Bos erat insculptus, & Ouis, & Sus, quod re maxime pecuaria se alterent, indeque opes pararent.* Idem in Publicola. καὶ τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βοῦν ἐπεχάραττον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν. *Et vetustissimi nummi Boue, vel oue, vel Sue fuerunt signati.*

Pecudibus signati nummi.

Ad August. c. 75.

C

ONEIROCRITICA.

D

QVÆ somniorum circa *Suem* obseruatio sit, ex Artemidoro repetendum est. qui sic ἄριστα δὲ πᾶσι τὰ χοίρεια, καὶ λὰρ εἰκὸς, ζῶν μὲν γὰρ χοῖρος οὐδὲν εὔχρηστος ἀνθρώποις ἀποθανὼν δὲ, μᾶλλον ἐδώδιμος τῶν ἄλλων, τὰ δὲ ἄλλα ζῶντα βελτίονα ἢ ἀναιρεθέντα, καὶ τὸ μετὰ ὀπτὰ δοκεῖν ἐσθίειν τὰ χοιρεία, παντελῶς ἀγαθόν, προστίθησι δὲ τάχος ταῖς ὠφελείαις διὰ τὸ πῦρ. *Optimæ omnibus sunt carnes porcinæ, atque id verisimiliter, porcus enim viuus nullius vtilitatis hominibus existit, mactatus vero magis animalibus alijs nutrit, reliqua animalia meliora sunt viuentia, quam mactata: sed Suillas carnes assatas edere, omnino bonum est, accedit enim & celeritas vtilitatibus propter ignem.* rursus idem scriptor. ζῶων δὲ χοῖρος καὶ τὰ ὅμοια τάχεως καὶ τὰ καλὰ, καὶ τὰ κακὰ ἐπάγει. *Ex animalibus vero porcus & similia, cito etiam tum bona, tum mala inducunt.* Achmes Seirimi F. ὁ χοῖρος εἰς πρόσωπον καταπεφρονημένου ἐχθροῦ δυνατοῦ κρίνεται. *porcus ad personam hostis, qui contemnitur, & tamens potẽs est, refertur.* Duodecim capita deinde sigillatim de porco in somnis oblato interpretatur, quæ, quia facili negotio consuli possunt, non exscribo.

lib. 1. c. 72.

lib. 4. c. 12.

Cap. 281.

HIERO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

HIEROGLYPHICA.

Pernicies. Cogitatio terrena. Vaniloquentia. lib.8.c.9. Puſillanimitas. Sophiſtæ. Fuga bonarum rerum. Ignau' Sus.

MYSTICAS huius animalis apud Aegyptios antea innui,& Plutarchus ſæpe ingerit. 1.ergo *Perniciem* per Suem exprimebant,*quia nec lanas habet,& ſegetes corrumpit,nec mortuus prodeſt,niſi ad hebetandos ſenſus.* Vnde iocus inclaruit Diogenis Cynici. *Athletas non ſentire ictus,quia porcina alerentur.* 2.Senſus maxime brutus,humique defixus,ac cogitatio rebus abiectiſſimis impenſa hac pecude notatur, ſupra ex Varrone,Plinio, & Cicerone,notatum. 3.*Vaniloquentiæ* typus eſt *Sus auerſo Elephanto inſiſtens*, Pierius ex Horo Apolline, id maxime,quod ſacrum cum ſit ac diſciplinæ capax animal Elephas,Bruti Suis ſpeciem; odorem,abſonum grunnitum non fert,vide Antipathiam ſupra. & adde locum Plinij. *proſternunt acies, proterunt armatos, ijdem minimo Suis ſtridore terrentur,vulneratiq; & territi retro ſemper cedunt,haud minore partium ſuarum pernicie.* 4 ſimili naturę contrarietate aiunt *Leonem*,ſi obuium habeat *Suem*,retro territum ſe recipere,non quidem, quod ſibi ab vllo animali leo metuat, ſed quia formam tam diſſonam ferre non poteſt. 5.Nec aliud Sophiſtarum Hieroglyphicum fuit,id enim interpretatur Philo Iudæus ſignificare præceptum a Moyſi datum,vt Suilla abſtinerent,hoc eſt Sophiſtas euitarent. 6.qui merſum a bonarum rerum ſtudio animum deſcribere volebant,ponebant *Suem flores omnigenas*,ſed maxime *roſas* conculcantem, vnde illud Cratetis ὗς διὰ ῥόδων *Sus ſuper roſas*,quod in opere illius eſt,quod inſcripſit γείτονας vicinos,quicquid igitur lautum,aut delicatū erat,id Suem offendebat, vt *ignauus* iure vocetur. Fauſtus Andrelinus.

Cænoſa ignaui non grunnit inertia porci.

Ouidius lib.4. Faſtor.

Bos aret,ignauam ſacrificate Suem.

Et ſupra in Antipathia. Augerianus,nec cultus,nec elegantis venæ poeta.

Et ſpurcæ ſordent cinnama rara Sui.

Profanus error. Voluptas nimia.

7.Irreuerentiam & profanum errorem per Suem etiam denotabant, more ab Aegyptijs repetito,vt autor eſt in Clio Herodotus.quare nec Scythæ porcum vlla ratione alebant,& flamē Dialis eius guſtu,attactuque abſtinebat.8.*ſordida voluptas* non alia figura,quam *Suis* ſignata,nam cum omnium quadrupedum ſit ſalaciſſimus,omnes ſordium affectu ſuperat.ſupra dictum. Iouianus Pontanus.

——— *ſupra lutoſam*
A ſtabulis,vitreo perluis amne Suem.

Angelus Politianus in Nutricia.

Obſcænos hinc pelle Sues.

Indotilitás. lib. de Clar. Grammat.c.23. Tarditas. Salacitas. Profuſio. lib.8.c.51. Aeſtas. Certus numerus. lib.2.c.4. Latro. Ferocia.

9.rudes affectus & *Indocilitatem Sus* figurabat, is enim inter omnia animantia ſolus nihil vnquam diſcit,quare Hippocratis filij inertes,& a paterna virtute degeneres Sues dicti: & Philoſtratus Arcadas inceſſit,vocatque *Suibus ſimiles*,ob hebetem ſcilicet ſenſum, auerſoſque a literis motes: & Palæmon Vicentinus,Grammaticorum ſtolidiſſimus, Varronem Togatorum doctiſſimum Porcum vocare non verebatur, Suetonio autore. Non me latet tamen a Spartanis inuentum, vt Porcos in aciem militarem cogerēnt, & veluti ad militiam informarent, quod Plutarchus docet, erantque,vt gallorum gallinaceorum,& Canum,& cothurnicum pugnæ,ita Suum marium luctæ Lacedæmone. 10.Ingenij obtuſioris *tarditas* hanc Indocibilitatem conſequitur,quod redundauit in Bæotos, vnde Pindaro in Olympicis *Sus Bæotius* ſignificat tardo ad literas ingenio homines. Tzetzes ibidem Scholiaſtes. 11.nec minus ſalacitas per Suem expreſſa, alij de *Menis ſtatua* abunde diſſeruerunt,& copioſe Muſonius libro de victu,& Plotinus, & Xenophon, vbi de Socratis ritu conuiuia frequentandi. & ſupra in fabulis. vbi de Circe. 12.dapſilem conuiuandi apparatum,inſolentem ingluuiei ganeam repreſentat *Sus,ex cuius ſolius carne quinquaginta ſapores conficiuntur*,vt Plinij verba vſurpem.& ſupra hoc tractatu,abunde,vt puto,diſſerui 13.quod certum ſtatutumque coeundi, & pariendi tempus *Sus* ſeruet, imo, quod ineunte vere admiſſuram petat, in æſtate paritura,recte per eam *æſtatem* exprimi iurarunt. 14.tot parit ſcrofa porcellos,quot mā-mas habet,& ſi plures paucioreſve producat,prodigium eſt, vt voluit M.Varro in re ruſtica. vnde recte per eam depictam *certus numerus* notabatur. 15.*Latrones* per *Sues* innui,teſtis eſt,quam ex Platone,Strabone,Plutarcho, & alijs ſupra attuli,*de Sue Crommyonia*,relatio. 16.*ferocia bruta,belluinaq; vindictæ cupido,per Suem ſilueſtrem*,nuntiata. Ariſtophanes Lyſiſtrate.

——— *Si per deum hodie me commonetis*

Soluam

A *Soluam ego Suem meum.*

17. per *Venerem* æstatem, per *Suem*, qui vt hiems cænosa est, pluuijs abundans, & hispida, ita il- *Hiems.*
le hispidus locis aquosis & lutosis gaudet Virgil. lib. 4. Georg.

Fiet enim subito Sus horridus.

Sidon, Apollinar. Carm. 5.

——— *velut hispidus alta*
Sus prope tesqua iacet.

18. *Sus tenebræ* est, & ideo nonnullorum opinio est Aegyptios ab eius animalis carnibus absti- *Tenebræ.*
nuisse, quod diuinitatem quandam præ se ferret, vt Aelianus & Plutarchus supra laudati, satis pro
bant, & maxime *Suem*. quia oculis infirmis, pro tenebris, obseruātia mira coluerunt; quas luce an-
tiquiores longe esse comminiscebantur. Esse autem *Suem* lumine admodum imbecillo, Aphrodi-
sæus in Problematis autor est. 19. *diuino honore* Suem Cretenses extulerunt, quod mammis suis Io *Diuinus ho-*
uem inibi lactauerit. abunde antea. 20. *Sus est militiæ* figura, vel quia animal est bellicosum, & su- *nor.*
pra fidem pugnax, vel quia Aciem quandam a dispositione vocabant *os porci*, & *frontem porcinam* *Militia.*
B supra. Hinc *Iouij* Milites *Suem rufi coloris sedentem, sed reliquo corpore subrecto in clypeis ferebant,* *Iouij.*
quorum marginem ruber circulus ambibat, hi sub Diocletiano Augusto sumpserunt exordium, &
militabant *sub Illustri viro, Magistro peditum*. Hi quidem in pedestribus vexillationibus merebāt,
at ab *Honorio* Principe instituti *Honoriani* equestria stipendia faciebant *sub Magistro equitum*, *Honoriani.*
his erat *Albus clypeus cum aureo vmbilico, quem luteus circulus claudebat, circulo innitebantur duo*
dimidiati porci præsiui coloris, altero alterum inspectante. VVolfgang. Laz. in Commentariis Rei- *lib. 5 c. 5.*
pub. Rom. fuse, & dictum a me in illud Claudiani, *de bello Gil-*
don.

Herculeam suus Alcides, Iouiamq́; cohortem
Rex ducit superum, premitur nec signifer vllo
Pondere, festinant adeo vexilla moueri,
Neruius insequitur, meritusq́; vocabula felix,
Dictaq́; ab Augusto legio. Idest Honoriani.

21. *Sus Agricolationem* rusticos docuit, ideo eo depicto illa intelligebatur, vnde & Porca sulcus *Agricolatio.*
optimus habetur, supra multis. 22. *Sus Expiatio*, seu sacrum, quod dijs Manibus offerebatur ab ijs, *Expiatio.*
C qui graue aliquod delirium passi essent, & iam ad se redijssent notum illud Plautinum Menechm. *Act. 2. Sc. 2.*

—— *Quibus hic Porci pretijs veneunt*
Sacres, sinceri, nummum en a me accipe,
Iube te piari de mea pecunia:
Nam ego quidem insanum esse te certo scio.

23. *Sus Iuramenti* imago, nam Homerus Agamemnonem inducit iurantem *per porcum*, & *por-* *Iusiurādum*
ci setas, & iurat euellentem, ac deinde iugulatum ab Agamemnone *porcum* Talthybius in mare
deuoluit. verba sunt hæc Homeri in Iliade, de Talthybio. *li. 19. V. 251*

κάπρον ἔχων ἐν χερσὶ, παρίστατο ποιμένι λαῶν
κάπρου ἀπὸ τρίχας ἀρξάμενος.
Aprum tenens in manibus, astitit pastori populorum
Apri setas delibans, hoc est abscindens.

Et completo iuramento ipse Imperator.

—— καὶ ἀπὸ στόμαχον κάπρου τάμε νηλέϊ χαλκῷ
D τὸν μὲν ταλθύβιος πολιῆς ἁλὸς ἐν μέγα λαῖτμα
ῥίψ᾽ ἐπιδινήσας, βόσιν ἰχθύσιν.
—— *Et iugulum Apri abscidit sæuo ferro,*
Hunc quidem Talthybius caui maris in magnum fluctum
Iecit rotans, escam piscibus.

24. *Nuptiarum* typus *Sus*, repetito ab Hetruscis optimatibus ritu; qui ante nuptialem festiuita- *Nuptiæ.*
tem inchoatam *Suem* solebant immolare, ex Varrone, & Hetruria Regali mea, supra expositum,
addendus senarius ille Veteris Comici apud Paræmiographum. *Chiliad. 4.*
Cent. 1.

Ἀπώλολον γ᾽ ὗς, καὶ τάλαντον, καὶ γάμος.
Perijt quidem Sus, & Talentum, & nuptiæ.

25. *Humana hostia Sus*, quia antiquissima sæculorum memoria nullæ idolis victimæ, præter ho *Humana*
mines, in hanc diram feramque crudelitatem gentes pæne omnes conspirauerant, donec *Sus* cæ- *Hostia.*
pit immolari, & vicariam, vt ita dixerim, lanienam pro homine subire incæperunt, Diophantus
Lacedæmonius libro de Sacris Deorum, aperte docet Athenienses omnium primos impios sacri-
ficandi homines ritus sustulisse, & *porcum* dijs suis obtulisse, quanquam sciam multa ab Appione

& Iu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Iudaorũ impietas. *Orat. 3. contra Iulianũ.* *Ciborum varietas.*

E & Iuliano Parabata in Iudæos ſuper iſta re iaci, ſcilicet quod illi veterem humanæ hoſtiæ impietatem reduxerint, hoc fuſe inter noſtræ religionis Apices confutarunt, vel reprehenderunt contra Iulianum illum Apoſtatam, & Iudæos ipſos Adamantius & Chryſoſtomus. 26. pæne omiſerim variam ciborum opulentiam, multarumque epularum ſaginam, per *Suem* ſignificatam, unde trito prouerbio helluo profunde ſe ingurgitans, nec vllo ciborum generi parcens, *os porci* appellatus, quod id animal nulli omnino frugum, fructuum, radicum, animalium generi abſtineat, quin imo & cadaueribus quantũlibet putreſcentibus auide adlubeſcit, ſed nec proprijs fætibus parcit, monſtruoſo contra Naturam euentu, vt ſupra dictum eſt. Denique *Terra, Venus, Iuno,* alijque dij per *porci* emblema ſignificati, ſed minus longe petita illa ratiocinatio, & qui plura deſideras, lege Pierium in Hieroglyphicis, a qua hæc qualiacumque, de Myſtica Suum apud Aegyptios ſignificatione, magna ex parte deſumpſi.

Terra, Venus, Iuno. *Lib. 11. toto.*

F



G

MEDICA CIRCA Suillam obſeruatio. H

De Remed. par fac. pag. 159. *li. 10. de Medic. ſimp. fac. pag. 75.* *De fatu for. pag. 322.* *li. 10. de ſimpl. Med. fac. pag. 72.* *Lib. 2 Alim. fac. pag. 22.* *Lib. 3. Alim. fac pag. 25.* *Athletarum cibus.*

QVIA multa ſuperius de vſu Suillæ in edulijs allata, aliquid hic de Medicorum circa illam placitis ſunt delibanda. In genere conſtat *extremas partes.* ſine noxa manducari poſſe, ſunt enim *boni ſucci*, ut autor eſt Galenus. Eſt *in quartana febri ab ouini Suilla abſtinendum.* Et *caſtrati porci maxime cum hominis temperatura cõueniunt*, quod de cicuratis, aut *domeſticis* omnino eſt capiendum: nam domeſticis *feri* ſunt *ſicciores.* nec id modò in interioribus ſpectandum, ſed etiam *in fætu.* Et ideo eius *caro hominibus conuenit*, uſque adeo ut *quidam hoſpites humanam carnem pro porcina vendidiſſe comperti.* & tempus anni comedendæ ſuillæ a ruſticis olim obſeruatum fuit *initium hiemis*, ratione *ab humiditate* illius animalis petita, eodem autore. & *omnium carnium firmiſſime nutrit*, quod *Athletis* ſeu Brabentis perſuaſit, vt *ne alia carne, quam ſuilla veſcerentur.* & Verrium quidẽ caro auſteri magis guſtus cenſebatur, *caſtratorum ſuauioris*, ibidem loci pagina 27. Et de *iecinore*, quia

A quia supra in delitiis fuisse demonstrauimus, sciendum hic, *omnia viscera*, non tantum *iecur*, *meliora esse*, *si caricas comederint*, *& ficuum* præcipua etiam ad saginandos Sues, *iecurque* mire augendum, commendatio, quod inde *ficatum* appellatur: idemque in *hepate* obseruatum, vt caricarum esu commendabile fiat. Alia sparsim apud illum, & alios Medicos, qui non ad manum. *De bon. & vit. suc. pa 35.*

P A R Æ M I Æ.

FREQVENTES etiam de *Sue* circumferuntur paræmiæ, aliquas adscribam. 1. ἀντὶ κακȣ̃ κυνὸς σῦν ἀπαιτεῖς. apud Suidam *pro malo cane Suem reposcis*. *prouerbium in eos qui bona pro malis repetunt*, siue vt Diogenianus vult, *pro re vili pretiosam*, Sus enim cibis est gratus, Canis nequaquam. *Sus pro Cane.*
B 2. Βοιωτία ὗς. *Boetia Sus*, *de stupidis & indoctis* apud eundem Suidam. talis enim populi illius natura, notum ex Geographis, & Horatio. *Sus Bæotia.* differentiam etiam vteri gestationis sic præscribunt Grammatici ex Festo Pompeio. qui sic ait. *lib. 7.* *grauida est, quę iam grauatur conceptu: prægnans, velut occupata in generando, quod conceperit: Inciens, propinqua partui, quod incitatus sit fętus eius.* *Grauida. Prægnans. Inciens.* primam & vltimam vocem alii illustrarunt ex glossis latinis P. Pithęi, in quibus, *grauidauit, impleuit*, vltima dictio ex iisdem clara est. *Inciente, enitente, pariente, a ciendo & inuocando proximos quosque auxiliatores.* locum ex origine gentis Romanæ sic corrige. *scrofam etiam incientem, quam cum è naui produxissent, vt immolarent, & se ministrorum manibus eripuisset*. antea male legebatur *intimentem*, vt testis est Andręas Schottus. *Origo Gent. Rom. correcta.* firmat correctionem Ouidius vulgato loco, plura in Antiquitatibus Romanis.

Lucinam Nixosque pares clamore ciebam.

3. Elatum & illud prouerbij vice apud eundem Grammaticum. τοῖς ἱπποκράτȣς υἱέσιν ἔξεις. *Suilli blitei.*
C *Hippocratis filijs similis eris: teque vocabunt Blitomanniam, hi deridebantur, vt Suilli, & indocti, & Capitones. Eupolis in Demis, eos appellat subditos, & balantes filiolos, minimeque moribus commodis. Eorum nomina sunt Telesippus, Demophon, Pericles.* fons Prouerbij, vt puto ab Aristophane in Nubibus. *Filij Hippocratis. Act. 3. Sc. 3.* scio alijs nominibus illos ab alijs vocari, sed parum interest, dummodo constet longe a paterna illos virtute & existimatione abfuisse, quod in Ciceronis, Marij, Catonis, aliorumque magnorum virorum filijs contigisse sciunt omnes. 4. ὗς ὑπὸ ῥόπαλον. *Sus sub fustem.* Prouerbium apud Dinolochum, *in eos qui sese in pręsens periculum & perniciem conijciunt*. *Sus sub fuste.* 5. Est & illud Aristophaneum in Prouerbii vicem detortum in eiusdem obseruationibus. *Vos prę voluptate grunnientes, sequamini matrem porcelli.* Videtur & nota gaudia continuo sectantes, vsurpari. *Voce θιληδία.* 6. A Diuo Hieronymo, prouerbium factum est, & Iuris Pontificii decretis insertum. *Sus lota est in volutabro luti.* supra nos multis, vbi de Spurcitia. *Voluptas nota.* *Sus lota in luto.* 7. *Sus Mineruam.* abiit in Adagium, quum indoctissimus doctiorem instruit. Extulere varii Diuus Hieronymus in Ruffinum. *pretermitto Grecos, quorum tu iactas scientiam, & dum peregrina sectaris, pęne tui sermonis oblitus es, ne vetere prouerbio, Sus Mineruam, docere videatur.* *Sus Mineruam.* vsurpat & in Epistola ad
D Marcellam. Euhemerus & Varro apud Festum Pompeium. *lib. 19.* *Sus Mineruam, in prouerbio est, vbi quis docet id alterum, cuius ipse inscius est, quam rem, in medio, vt aiunt, positam, Varro & Euhemerios ineptis mythis inuoluere maluerunt, quam simpliciter referre.* *Varro reprehensus.* Celebre apophthegma est Demadis & Demosthenis. illle enim cum obiecisset. δημοσθένης ἐμὲ βȣ́λεται διαρθοῦν, ἡ ὗς τὴν Ἀθηνᾶν. *Demosthenes vult corrigere, Sus Mineruam.* alter respondit, αὐτὴ μέντοι πρώην ἡ Ἀθηνᾶ μοιχεύουσα εἰλήφθη. *Atqui nuper hęc Minerua in adulterio fuit deprehensa.* *Apophthegma Demadis & Demosthenis. Plutarch. pagin. 803.* L. Cęsar Orator apud Ciceronem. *sic ego, Crasso audiente, primum loquar de facetijs, & docebo, Sus, vt aiunt, Oratorem eum, quem cum Catulus nuper audisset, fęnum alios aiebat esse oportere.* *lib. 2. de Ora.* Et rursus idem alibi. *nam etsi non Sus Mineruam, vt aiunt, tamen inepte quis Mineruam docet.* *lib. 1. Acad. quæst.* Q. Symmachus. *Quicquid in poetis lepidum, apud oratores graue, in Annalibus fidele, inter Grammaticos eruditum fuit, solus hausisti, iustus hæres veterum literarum, ne mihi verba dederis, noui ego quid valeat adagio, Sus Mineruam.* *li. 1. Epist. 3.* Et alii meminere, nec est quicquam vulgarius. 8. affine huic est quod Theocritus scribit in Hodęporis. *Sus certat cū Minerua.*

ὗς ποτ' Ἀθηναίαν ἔριν ἤρισε.

Cum diua est ausus Sus decertare Minerua.

Cum

Cum ſcilicet illiteratiſſimus,& naturæ ſtupidiſſimus quiſque,cum viris omni eruditionis gene E
re inſtructiſſimis audet concurrere: vt nuper barbarie ipſa barbariores,& toti mundo,non ſolū Eu
ropæ, mendicitate vilissima noti Hiberni, apud quos ne nomen vnquam literarum auditum, auſi
ſunt, famoſo libello edito, Scotos & Scotiam vniuerſam impetere, ſed faxo, haud impune, nam
Mendicabula barda ita repreſſi, vt Scotia inde illuſtrior, illi vero fronte impudentiſſima ſcurræ,
doctrina & moribus veri Sues, nec vlla re, niſi circumforanea mendicitate noti, exemplum præſta-
re,& documento eſſe poſſent, quantum gloriæ gens noſtra poſſideat, quam contempta, nuda, mē-
dica, eſſet Hibernia: id modo autores libelli illius de ſe dictum intelligant, quod propudium me-
retur. Prouerbium hoc ſic extulit Scholiaſtes Theocriti loco laudato ὗς ὤν πρὸς Ἀθήνην ἐρίζεις. *Sus*
ἐρίζειν. *cum ſis cum Minerua contendis.* alter quiſpiam Scholiaſtes Græcus ἐρίζειν dici vult *verbis contende*
ἐρείδειν. *re*, ἐρείδειν *factis aliquem lędere*. 9. Habet & illud vim Prouerbij, quod ex Luciano deducūt in Dia-
Sus Acarnanius. logis meretricijs. λεῖος μοί, φασί, χαιρέας, καὶ χοιρίσκος Ἀκαρνάνιος. *Leuis, vt aiunt, mihi Chęreas, &*
Porcellus Acharnanius. vſurpatur in mollem, delicatū,& delitiis deditum, alluſione facta ad por-
cellum, quem in Acharnenſibus inducit Ariſtophanes, ſymbolum eorum membrorum, quibus ob
Suem irritat ſcænæ voluptates peraguntur. 10. ὗν ὀρίνει. *Suem irritat.* in auidum rixarum dicebatur, ſus enim fe- F
rus recta petit eum, a quo læſus eſt, ſciunt enim venatores non lędentes modo Apros impetere, ſed
Suem Veneri immolat. & eos, qui cuſpidem ſolam, aut venabulum intentarint. 11. Ἀφροδίτῃ ὗν τέθυκεν. *Veneri Suem im-*
molat. de iis, qui munus haudquaquam gratum alicui offerunt. Suem quippe Veneri eſſe inuiſiſſi-
mam & Agricolæ ſciunt, quod frugibus noceat,& fingunt poetæ, ob interfectum Adonidem: Aut
certe gratum munus Veneri cenſebatur Sus, quia contrariis hoſtiis dii quondam placabatur, ſic
Sus in volutabro. Baccho Caper. quia vitem nouellam roſerat, oblatus, atque alia animalia aliis Diis. 12. ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου. *Sub lota redyt ad volutabrum luti.* de iis qui ad ſolitam peccandi libertatē
redeunt, aut qui ad ſtultitiam ſuam, ſiue peccatum, volens regreditur, vt in ſacris habetur,& inter
Epiſt. 2. c. 2. pretantur ſacri Patres. vſurpat de peccatore D. Petrus eodem modo in Prouerbiis *Canis ad vomi-*
Sus peperit. *tum* per paræmiam dicitur. 13. valet hoc antiqui poetæ pro prouerbio apud Plutarchum. de Cau-
ſis Naturalibus.

μηκέτι νυκτὸς ὕειν, ἥκεν τέκη ἀγροτέρα σῦς.

Non iam nocte pluet, Sus qua enitetur agreſtis.

Iculariter locum habet, ſi dicamus res trāquilliores fore, ſi rixis deditus, & moroſus quiſpiam G
Genio ſuo ſatisfecit,& inſolentiæ ſuæ potitus eſt fine. pertinet ad naturam Suum, maxime cicuro-
Partus Suū. rum, quæ cum pariant frequentiſſime,& tempus partui deligunt fere ſemper ineunte ęſtate, vt ra-
rę admodum pluuię partum ſequantur: de agreſte etiam vſurpari poteſt, non incommode, quan-
Sus uuas corrumpit. quam ea nunquam niſi ſemel tota uita pariat. 14. Et hoc prouerbialiter effertur, ex ueteri poeta
quopiam.

ἀποτίσεις χοῖρε γίγαρτα.

Acinos Sus improba pendes.

Verba videntur cuiuſdam villici ad Suem vuas nondum maturas corrumpentem, futurum mi-
nantis, vti hanc noxam ſanguine ſuo luat. quadrat in eum, qui puſillum commodum magno mali
Acinæ et Duracinæ vuæ quæ? detrimento eruit. Sunt autem *Acini*, & *duracini* callo gratiſſimi, vt ait M. Sabellicus paraphraſi
ſua in Suetonium. multa viri docti, maxime Læuinus Torrentius Commentario in Suetonium,&
Plinius fons illi,& aliis de Acinis, aut Duracinis diſputantibus, vnde hauriant. duplex ea vua, aut
Cap. 76. edulis, a guſtu, ſic dicta, aut vino faciendo, quod ab auſtero etiam guſtu, & vuis illis *acinatitium*
lib. 14. c. 1. audit teſte Aurelio Caſſiodoro libro variarum duodecimo,& meminit Vlpianus I.C. ipſius Augu H
L. 19. ff. vin. trit. & oleo leg. ſti Epiſtola apud Suetonium. *dum lectica ex regia domum redeo, panis vnciam cū paucis acinis vuæ*
Duracinę comedi. locum eſſe ſanum & textus ipſe ſenſuſque verborum abunde probat,& defendit
Sus ſaltat. Iſaacus Caſaubonus. 15. ὗς ἐκώμασεν. *Sus ſaltauit.* autore Diogeniano conuenit in eos, qui pręter
decorum quicquam faciunt, quique inſperato rerum ſucceſſu elati, inſolentius ſe gerunt, Suidas &
κωμάζειν. Zenodotus tetigere. Eſt quippe κωμάζειν Iuuenum amantium more, coronis, cantilenis, ſaltatio-
nibus, cæteriſque iuuenilibus oblectamentis inſanire,& in domos alienas, vt Sues facere ſolent, ir-
rumpere Theocrit. Syracuſis.

Ἀθρόος ὄχλος ὠθεῦνθ' ὥσπερ ὕες.

Turba ſimul conſerta, Suum more irruit.

Porcinū numen. 16. *Porcinum numen* adagii vicem obtinuit, pro ridiculo & vili Deorum cultu, quod a Iudæis
Iudæorum cultus. tractum, qui *caput porcinum*, vt ſæpe dixi, venerari credebatur. Lepidum eſt Petronij epigramma.

Iudęus licet & porcinum numen adoret,
Et Cilli ſummas aduocat auriculas.
Ni tamen & ferro, ſucciderit inguinis oram,

Et niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

Et nisi nodatum soluerit arte caput.
Exemptus populo grata migrabit ab vrbe,
Et non ieiuna sabbata lege premet.
Vna est nobilitas, argumentumq; coloris
Ingenui, timidas non habuisse manus.

In secundo versiculo mendum erat, legebatur, *Petronius correctus.*

Et cæli summas aduocet auriculas,

17. *Pinguis Porcus* de eo, qui immodice est obesus, cuique ut Persius ait Satyra prima, *Pinguis porcus.*

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extat.

Vnde celebratum illud ueteris poetæ.

Παχεία γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.
Subtile pectus venter obesus non parit.

Vis inde Adagio maior, quod nullum animal tantum pinguitudinis contrahit, atque Porcus, uel ipso Galeno approbante, cuius uerba uide, neque enim exscribo.

B

GRAMMATICA.

LEVIA sunt hæc, sed tamen non prætereunda: nam & huc etiam tenuium confert cognitio, præsertim omnia scrutantibus. dicebant ergo *Suera* non *Sus* antiqui, ut ex libro quarto Varronis de lingua Latina notant Critici, maxime Adrianus Turnebus in Aduersarijs. sic & plurali numero non *Suum*, sed *Suuerum* in usu, eodem modo. & *Bouerum* pro *Boum*, apud Catonem legi omnes sciunt. Vnde, eleganti uoce *Sueres*, partes carnis Suillæ, uetus illa Plauti fabula Carbonaria, quæ intercidit, appellat. *Suera. lib. 14. c. 1. Suuerum. Sueres.*

Ego pernam, sumen, sueres
Spetile, callum, glandia,

Dicunt & *Subus* pro *Suibus*. Plinius. *Subus pinguitudo sine sensu*, & eodem loco paulo ante. *Elephantis ventres quatuor, cætera Subus similia*. Lucretius. *Subus. lib. 11. c. 37.*

C

——— *Setigeris Subus acre venenum est.*

Communiori uoce *Porcellum* dicimus, reperitur tamen & *Porculus*. Plauto autore. Menæchm. Act. secundo Sc. secunda. *Porculus.*

Iubeas, si sapias, porculum offerri mihi.

Et in Milite glorioso Act. 4. Sc. 2.

——— *Quemq; porculum impertitus est.*

Eadem phrasi Suculam pro lactente porculo idem Comicus extulit, quanquam translata significatione, in Rudente Act. 4. Sc. 4. *Sucula.*

——— *cum sucula, & cum porculis.*

Gryllus autem est lacteus *Porcellus*, seu δέλφαξ, ut supra. id nomen feriæ illi disputationi imposuit Plutarchus, quo de animalium solertia quæritur. unicum Aelii Lampridii locum in Heliogabalo, quia uariæ omnino lectionis est, adposui. *quod quidem & in ludis suis exhibuit, cum & Vrsos decem, & decem Gryllos, & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit, vt veræ sortes essent & fata tentarentur.* In Codice regiæ Bibliothecæ decem *Grues*, nonnemo legit decem *glires*. sed nihil ad Suem nostrum. *Porcetra* quid esset Helius Melissus Grammaticus libro *de loquendi proprietate* apud Aulum Gellium in Noctibus Atticis, definiuit, *Matrona est, quæ semel peperit, quæ sæpius, Materfamilias, sicuti Sus, quæ semel peperit, Porcetra, quæ sæpius Scrofa* & quamquam ineptissimum Scriptorem, constet ex eodem Gellio, esse Melissum, tamen uera ea est inter *Porcetram* & *Scrofam* differentia: nam Pomponius uetus poeta unam ex suis *Atellanis Porcetram* inscripsit. Animalium omnium pinguissimum Porcus, ideo *pinguissimos Sues Petalidas dixerũt*, ait Cælius Rhodiginus in Antiquis lectionibus, *ex vitulorum ratione, qui a cornibus dici solent Petali, quando cepatala habent ea, id est patula, vel parua, exiliaq; nam & petalas dicunt palmas minutas*. Est & in porcino genere uarietas in nascendo, ideo Sues serius nascentes μεταχοῖρα *Metachœra* autore Aristotele dixerunt. Denique *Siali* sunt Porci mares, qui, ut pinguiores fiant, coitu prohibentur. Scio eo uocabulo sputum significari. *Gryllus. Varia lectio in Lãpridio. Porcetra. lib. 18. c. 6. Scrofa. Helius Melissus futilis scriptor. Petalides. lib. 25. c. 26. μεταχοῖρον. Siali.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

THEOLOGICA.

HABET & in sacris literis significationes suas Porcus, præcipuas referam, quando prohibetur diuino præcepto porcinæ esus, in Leuitico & Deuteronomio, quia *immundum sit animal, & ruminet, nec vngulam findat, fugam peccatorum* præcipi Lactantius, Firmianus existimat, multis disputat Sanctus Bernardus Epistola nonagesima octaua. Dum autem Euangelica historia fert *in Porcos Dæmones* ab Assertore salutis nostræ *coniectos*, Diuus Augustinus interpretatur *immunditiæ symbolum esse Porcos*, idque libris contra Faustum Manichæum. Rursus idem differens in Sermonibus de verbis Domini. *Porcos Veritatis contemptores* exponit. Elegans & pia ratiocinatio apud Diuum Ambrosium libro sexto in Lucam. *Porci sunt, qui immundorum vsu animalium, vocis & rationis expertes, lutulentis vitæ suæ actibus, naturalium coinquinauerunt ornamenta virtutum, qui impetu feruntur in præceps, quia nullius meriti contemplatione reuocantur, sed tanquam è superioribus ad inferiora per improbitatis procliue suffocantur in aquis, & fluido voluptatum æstu hinc atque hinc feruntur incerti*. Idem denuo sanctissimus Doctor, vbi de filij Prodigi Historia *Porci sunt in fætore, & sordibus viuentes*. D. Hierony. Commentario in Matthæum, videtur peccatum nomine Porcorum intelligere, quando ait *ex interfectione Porcorum hominibus salutis occasionem præberi*. Sed & Floreus Tertullianus lib. de Iudaicis cibis. *Cibo Suem prohibet assumi, reprehendit enim cænosam, & luteam, & gaudentem vitiorum sordibus vitam, bonum non in animi generositate, sed in sola carne ponẽtem*. Plura in hanc rem pete a diligente, & erudito Theologo Alfonso Tostato in Leuiticum.

Fuga peccatorum. — *Immũditia. lib.6.c.7.* — *Veritatis cõtemptus.* — *Præceps lapsus in peccatum.* — *Vita in sordibus.* — *Cap.8.* — *Peccatũ gratiam impediens.* — *Vitiorũ sordes.* — *Cap.11. quæstio.23.*

E F

DENOMINATA.

ANullo fere Animalium plura denominationem acceperunt. præcipua tantum persequar. Primum *Suillos fungos*, quos Itali, vt Iacobus Dalechampius notat, *Porcinos* etiam hodie dicunt, hinc nomen suum hauserunt, forte quia vt *Porcina* inter carnes laudatissima eius, ita inter *fungos, isti*. Præclare C. Plinius *fungorum lentior natura & numerosa genera, sed origo nonnisi ex pituita arborum, tutissimi, qui rubẽt callo, minus diluto robore, quam Boleti, mox candidi, velut apice Flaminis insignibus pediculis, Tertium genus venenis accommodatissimum Suilli, familias nuper interemere, & tota conuiuia, Annæum Serenum præfectum Neronis vigilum, & Tribunos, & Centuriones, quæ voluptas tanta ancipitis cibi?* Hic est ille Annæus Serenus, cuius meminit Tacitus & cui Seneca libros de Tranquillitate inscripsit, & mortem deflet alibi. Hoc intelligendum si, vt collecti sunt, comeduntur, at lauandi sunt diligenter, & iunco transfixo in aere suspendendi, quo inter delitias summas habeantur. idem Plinius. *Boletos, Suillosq; gulæ nouissima irritamenta, quæ circa radices gignuntur, quercus probatissimos, robur autem & cupressus, & pinus, noxios*. Ex his cibus helluonibus charus, licet *succi frigidissimi, glutinosissimi, & crassi*, vt Galenus definiuit, adeo *vt multi tam noxio alimento interierint*, eodem autore quæ signa sint bonorum, & quæ noxiorum Matthiolus disquirit in Pedanium Dioscoridem, & vt præparari, & conuiuiis inferri debeant, ex M. Apicio docemur, qui in re Culinaria, de ijs abunde. Martialis lib. 3. epigramm. 60.

Suilli fungi. lib.22 c.23. — *venenis apti* — *Annal. li.13* — *Epist.64.* — *lib.16.c.8.* — *Cibus.* — *De Bonit. & vit. suc. lib.4.c.28. lib.7.c.13.*

G H

Sunt tibi Boleti, fungos ego sumo suillos.

Frequentissima apud Græcos mentio. Aristeas.

Μύκαισι δ' ὀρέχθει τὸ λαῖνον πέδον.

Fungos concupiscit lapidosus ager.

Poliochus Comicus Atheniensis.

ὤπτᾶτο καὶ μύκης τις ἐνίοτ' ἄν.

Aßabatur fungus interdum quispiam.

Strangulãt. Et letales hos suillos etiã Græci deprehẽdere. Epicharmus strãgulationis vim habere prodidit.

οἷον αἱ μύκαι ἄρ' ἐπεσκηλότες πνιξεῖσθε.

Emaciati ac strigosi velut Suillis strangulabimini.

Nicander in Georgicis.

οἰδαλέα, σύκολλα βάρη, πνιγόεντα μυκήτων.

Tumidi, glutinosi, malefici, strangulantes Suilli.

Ephippus & ipse vetus poeta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Ἵν ὥσπερ οἱ μύκητες ἀποπνίξαιμί σε*

Et te, velut Suillus, strangulem.

Eparchides narrat Euripedis poetæ familiam esu suillorum extinctam. Vide epigramma apud Athenæum. Et vti Sus hominem stupidum, barbarum, insipidum significat, ita Suilli pro eodem vsurpantur. Plaut. Bacchid.

Act. 2. Sc. 3.
Fatui, incon siderati, per Suillos.

Adeon' me fuisse fungum, vt qui illi crederem?

Eadem fabula Act. 4. Sc. 7.

Tanti est, quanti est fungus putidus.

Et in Trinummo. Act. 4. Sc. 2.

Antipites.

Pol hic quidem fungino genere est, capite
se totum operit.

Cibum ancipitem supra vocauit Seneca cum Plinio, & confirmat Iuuenalis Satyr. 5. V. 145.

Ad mensam quoties parasitus venerit infans,
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,

B Ab hoc etiam quadrupede familiæ Romanę originem nominum suorum repetunt. *Suillij*. teste Plutarcho in Problematis Romanis. *ἑτέρῳ δὲ νομίσματι ἐχρήσαντο, βοῦν ἔχοντι καὶ πρόβατον, καὶ ὗν παράσημον, εὐποροῦντες ἀπὸ τῶν θρεμμάτων μάλιστα καὶ τὴν περιουσίαν ἀπὸ τούτων ἔχοντες, διὸ καὶ τῶν ὀνομάτων πολλὰ τοῖς παλαιοῖς Σουίλλιοι καὶ Βουβολκοὶ καὶ Πόρκιοι ἦσαν, ὡς Φενεστέλλας εἴρηκεν. Alio etiam vsi sunt numismate, cui Bos erat insculptus, aut Ouis, aut Sus, quod re maxime pecuaria se alerent, indeque opes pararent, hinc & nomina multa apud veteres sunt deducta, vt Suilliorum, Bubulcorum, & Porciorum, autor Fenestella.* Eadem paulo immutatis verbis narrat idem Publicola. *διὸ καὶ τὰς οὐσίας ἄχρι νῦν ἀπὸ τῶν προβάτων πεκούλια καλοῦσι. καὶ τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βοῦν ἐπεχάραττον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν. ἐτίθεντο δὲ καὶ παισὶν αὐτῶν, Συίλλους, καὶ Βουβούλκους, καὶ καπραρίους ὀνόματα, καὶ Πορκίους. κάπρας μὲν τὰς αἶγας, πόρκους δὲ τοὺς χοίρους ὀνομάζοντες. Vnde facultates suas a pecudibus peculium etiam nunc nuncupant, & vetustissimi nummi Boue, vel Oue, vel Sue, fuerunt signati; filijsque suis Suillijs, Caprarijs, Bubulcis, Porcijs nomina indiderunt.* Vltima verba Latine reddi non possunt, ideo ab Interprete omissa, nam *Caprinum pecus αἶγας. & Sues porcos*, inquit, *dixerunt*. Ex hac gente fuit P. Suillius Germanici quæstor, & accusatus sub Claudio, &

Familiæ. Suillij. Cap 40. pag. 274.
Pag. 103.

C pulsus in Balearicas Insulas, vt C. Tacitus fuse narrat. Et alij eo nomine in historia Romana. fuerunt & *Porcij* a Porcorum videlicet cura dicti, Plutarchus locis proxime laudatis, & quicumque de rei pecuariæ inter veteres dignitate disseruerunt. M. Varro in re rustica. *Multa nomina habemus ab vtroque pecore, a maiore & minore, a minore, Porcius, Ouinius, Caprilius, sic a maiore Equitius Taurus cognomina adsignificari, quod dicuntur, vt Annij Capræ, Statily Tauri, Pomponij Vituli, sic a pecudibus multi alij.* Cognomentum hoc fuit *Catonum*, & aliorum, maxime *Liciniorum*, vnde *Porcij Licinij* veteris & celebris poetæ versus referuntur ab Aulo Gellio. Sunt & ab eadem voce *Porcilij*, licet eos non a *Porcis*, sed potius a *Porcijs* deriuatos existimet Carolus Sigonius, libello de Nominibus Romanis. tu vide *Constantini Censuram* de nominibus impositiuis, quæ Tito Probo adscribitur. & est cognomen hoc familiæ *Leccarum*, vide quamplurimos Porcios siue *Porcilios Licinios & Leccas* apud Titum Liuium tota pæne historia. *Verres* cognomen dedit clarissimæ genti, ex qua C. Verres fuit, qui Cn. Pompeio, & M. Crasso Coss. Siciliam obtinuit, & per triennium fœde, auare, crudeliter administrauit, & succedente Metello, a Siculis est accusatus, patrocinante Cicerone, in quem eloquentissimæ extant actiones, quæ *Verrinæ* dicuntur. Et est viuax leporisque plenũ Ci-

lib. 3. Annal. & lib. 3.
Porcij. lib 1. c. 1.
lib. 17. c. 21.
Porcilij.
Verres.
Verrinas.

D ceronis in eundem dicterium, ex pecoris illius, vnde illi gentilitium nomen erat, natura depromptum. *nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigijs inuenimus?* Hinc etiam & clarum *Verriorum* genus, ex qua Verrius Flaccus insignis Grammaticus oriundus: Cuius schediasmata ad nos peruenerunt: Est enim Verres Porcus Masculus non castratus ineundis Suibus seruatus, vnde illud in Agricolarum pastorumque ore frequens, *decem Verres centum Suibus sufficere. Scrofa* & ipsa cognomen dedit. M. Varro in re rustica. *ignorare, inquit videre, cur appeller scrofa, itaque vt etiam hi propter se sciant cognosce meam gentem Suillum nomen non habere, nec me esse ab Eumæo natum, auus meus primum appellatus est scrofa, qui quæstor cum esset Licinio Neruę Prętori in Macedonia Prouincia relictus, qui præesset exercitui, dum prętor rediret, hostes arbitrati habere se occasionem victoriæ, impressionem facere ceperunt in castra, auus cum cohortaretur milites vt caperent arma, atque exirent contra, dixit celeriter se illos, vt scrofa porcos, disiecturum: id quod fecit nam eo prælio hostes ita fudit, & fugauit, vt eo Nerua Prætor Imperator sit appellatus, auus cognomen inuenerit, vt diceretur Scrofa, itaque proauus, ac superiores nemo appellatus Scrofa, nec minus septimus sum deinceps Prætorius in gente nostra. Nec tamen defugio quin dicam, de suillo pecore.* fuit ergo cognomentum hoc familiæ Tremelliæ, ex qua oriundus Tremellius ille

Verrij.
Scrofæ. lib. 2. c. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

lib. 1. c. 2. *Grylli.*

ſcrofa, qui a Varrone introducitur in re ſua ruſtica, quique *rem ruſticam*, vt ait Iunius Columella, *eloquentem reddidit*. Inter gentes Romanas *Gryllos* reperio. Martialis lib. 1. epigr. 60. E

Redde Lupi nobis, tenebroſaq́; balnea Grylli,
Tam male cum cænem, cur bene, Flacce lauor?

Familia.

Balnea hæc tenebricoſa Grylli iterum memorat, lib. 2. epigr. 14. ſed in qua parte vrbis ſit, non inueni apud Topographos: ſed publica ſuſpicor fuiſſe.

Nec Fortunati vitat, nec balnea Fauſti,
Nec Grylli tenebras, Aeoliamq́; Lupi.

Pictura. lib. 35. c. 10. fin. *lib. 29. c. vlt.* *lib. 12. c. 3.* *Aruina.*

Eſt præterea nomine Grylli picturæ cuiuſdam ridiculæ genus expreſſum, cuius autor Dionyſius Pictor teſte Plinio. Apud eundem Plinium. *Gryllus eſt animal cui magnam autoritatem tribuit Nigidius, maiorem Magi, quoniam retro ambulet terramq́; terebret, ſtridat noctibus. venantur eum formica circumligato capillo in cauernam eius coniecta, efflato prius puluere, ne ſeſe condat, ita formicæ complexu extrahitur*, vide vanitatum plura inibi argumenta. locum eum exſcribit, vt ſolet, Iſidorus. & addit. *Grillus a ſono vocis nomen habet. Aruinas* quoque ab hoc pecore nomen accepiſſe exiſtimo, nam cum Virgilius lib. 7. Aeneidos dixiſſet. F

Pars laues clypeos, & ſpicula lucida tergent
Aruina pingui.

lib. 11. c. 1. *Cognomina a vitio corporum.* *lib. 1. c. 11.* *1. Decad. lib. 8. fine* *1. Decad. libro 9.* *lib. 11. epigr. 42.*

Seruius Maurus ſubdit. *Aruina eſt pingue durum, quod eſt inter cutem & viſcus, alij Aruinæ nomine Laridum intelligunt, ſecundum Suetonium in libro de vitijs corporalibus.* Sed opus illud Suetonii interiit. Iſidorus in Etymologiis. *Aruina eſt pinguedo cuti adhærens.* puto ergo a vitio corporis id nomen impoſitum, ſicut *Halas* dicebant *a fœdo oris halitu, Coſſos a rugoſo corpore, Plantios a planis pedibus, Plaucos a vola pedum lata, Pauſas, a pedum latitudine, Valgios, a Suris introrſum intortis, Malicos a malis tumentibus, Bruncos a producto ore, Ceneſtellas a Caluitie*, vt eruditiſſimus Andreas Tiraquellus ad Alexandri Neapolitani dies Geniales fuſe exquirit. Eadem ratione *Aruinæ* a pingui obæſoque corpore nomen fuerint ſortiti, ex hac familia cenſentur multi præclari nominis Romani, in his eſt *A. Cornelius Aruina* dictator apud Liuium. & *P. Cornelius Aruina* Conſul cum Q. Martio Tremulo, eodem autore. Sues ſane præ omnibus animalibus & pinguiſſimos eſſe, & plus aruinæ habere, non experientia modo probat, ſed & Medicorum placita. Martialis. G

Pingues Lygde Sues habeat vicinus Iolas.

Porculatio. *lib. 2. c. 4.* *lib. 7. c. 9.* *Porculator.* *Subulcus.*

Ab huius pecoris cuſtodia *Porculatio* dicta. M. Varro in re ruſtica. *In nutricatu, quam porculationem appellabant, binis menſibus ſinunt porcos cum matribus, ſed eos, cum iam paſſi poſſunt, ſecernunt.* Hinc & *Porculator*. Moderatus Columella. *itaque porculatoris maximum officium eſt, vt vnamquamque cum ſua prole claudat, qui ſi memoria deficitur, quo minus agnoſcat cuiuſque progeniem. pice liquida eandem notam ſcrofæ & porcis imponat, & ſiue per literas ſiue per alias formas, vnumquemq́; fœtum cum matre diſtinguat, nam in maiore numero diuerſis notis opus eſt, ne confundatur memoria cuſtodis.* qui antea Porculator ei dictus, hic dicitur idem cuſtos. idem in præfatione ad librum primum *Porculatoris vero & ſubulci diuerſa profeſſio, diuerſæ paſtiones, nec eundem glabra Sues, denſaq́; cæli ſtatum, nec eandem educationem cultumq́; quærunt.* Illud vltimum obiter obſeruamus, domeſticam educationem porcorum porculatori committi, donec ſecernantur a matre, tum ſubulcus curam ſuſcipit. Virgilius Eclog. 10.

Venit & Vpilio, tardi venere ſubulci,
Vuidus Hiberna venit de glande Menalcas.

Cap. 15. *ὑφορβός.*

Seruius Maurus. *Subulci dicuntur paſtores porcorum qui per hiemem glandem colligunt, id eſt in hiemem reponunt.* Septuaginta apud D. Lucam, in Euangelio, Periphraſtice dixit ἔπεμψεν αὐτὸν εἰς τοὺς ἀγροὺς αὐτοῦ βόσκειν χοίρους. *miſit illum in villam ſuam vt paſceret porcos.* Græcis ὑφορβός. Homerus lib. 14. V. 414. Odyſſ. H

—— ἑτάροισιν ἐκέκλετο δῖος ὑφορβός.
Socijs præcepit diuinus Subulcus.

συβώτης.

Apud eundem συβώτης dicitur lib. 21. V. 379.

τὰ δ᾽ ἐς τόξα φέρων ἀνὰ δῶμα συβώτης.
Arcus ferens domum Subulcus.

σύφεος.

Eumæus autem nominatiſſimus eſt *Subulcus* apud Homerũ lib. 22. Odyſſ. V. 190. ſic σύφεος eſt *Suille*, hara ſcilicet eidem lib. 14. Odyſſ. V. 70.

Βῆ δ᾽ ἴμεν ἐς συφεούς, ἔνθ᾽ ἔθνεα ἔρχατο χοίρων.
Perrexit ire ad Suilia, vbi grex continebatur Porcorum.

Quid eſſet *Suarij, Porcinarij, Porcarij*, item *præfectus fori Suarij*, aliaque id genus, ſupra, vt potui, deduxi, & qui plura in naturam Suum cupis, adi ad opus *de Nobilitate Porci* D. Cognaci in Se-

natu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A natu Allobrogum Camberiæ præsidis,non vidi opus, sed magna illius viri fama,maius meritum, varia lectio, limatum iudicium, quid plura? quæ hic oscitanter tacta,aut omissa,ibi copiose digesta reperias:nec fama fallit.

DE APRO, LOCVS, ET GENERATIO.
Cap. XXXVII.

QVÆCVMQVE de natura *Suis* antea a nobis sunt dicta,omnia,paucis exceptis,in *Aprum* quadrant,est enim vtrique quadrupedi eadem natura,ortus,partus, victus,forma,inclinatio,nisi quod hic domesticus,& cicuratus,ille syluestris & ferinæ vitæ. quare a Græcis σύαγρος,& ὗς ἄγριος dicitur,(vt ex Homero,Aeliano,Artemidoro,& Aristotele,alijsque paulo post laudandis apparebit.M. Varro in re ru B stica. *de Suibus nemini ignotum,nisi qui Apros,non putat Sues vocari.* nec multum dissimiliter Isidorus. *Aper à feritate vocatus,ablata E litera,& subrogata P. vnde apud Græcos σῦς ἄγριος dicitur,idest ferus,omne enim quod ferum est,& immite,abusiuè agreste vocatur.* quæ hic ergo subiectimus, spicilegia tantum erunt laboriosi illius Autumni, aut ἐπιφυλλίδες, seu racemationes anteactæ vindemiæ. Primum de loco quæro,qui idem cum *Suibus*,vel sane exigua differentia,nisi quod Plinius ad finem libri octaui dicat *in Africa nec Apros* esse, *nec Ceruos,nec capreas,nec Vrsos*, quam verè dicat in Africa Vrsos nō esse,viderint alij,ego scio Acestem *pelle Libystidis Vrsæ* apud Virgilium indui,& ex Iuuenale,Martiale,Statio, & Solino *productas* in Amphitheatrum Romanum *Vrsas Numidicas*, quin imo Bicrius vetus scriptor, & Ludouicus Mermolius recens autor, qui Numidiam lustrarunt, testantur ibi *Vrsas* videri, quare putarim legendum, *Nec Vros.* ad *Apros* redeo,quod in Africa non esse testis. Cl. Aelian. ἐν δὲ λιβύῃ συῶν ἀγρίων ἀπορία ἐστι,καὶ ἐλάφων. *In Africa nulli neque Apri sunt,neque Cerui* Interdum sono seu voce carent. C.Plin. *Multū tamē in ijs refert & locorum natura,mutæ in Macedonia ranæ traduntur,muti & Apri.* Est obseruatum a recentioribus,qui res Asiaticas memoriæ prodiderunt,*esse Apros prope Scassem Persidis vrbem,qui cū C sciunt se petu,ingentes lapides eminus in homines et Canes librent*,& grande interdum iis damnum adferant.quod retulit Marcus Polus. In eodem illo tractu Persidis,dicunt esse *Apros tātæ magnitudinis,vt Boues etiam grandissimos Europæos,corporis mole longè superent*,& totius quidem corporis proportio vel ex eo facile elici potest,quod *dentes* eorum quidam reperiantur *molares,quorum singuli sint pondo quatuordecim.* vt idem Marcus Polus autor est. Relicto orbe igitur reliquo de solis Italicis Apris ago,& sane nulla prouincia vberiori Aprorum prouentu se potest iactare. celebrātur enim *Apri Marsi.* idest *Sabellici.* vt exponit Helenius Acron ad illud Horatij lib. 1. od. 1.

Ordinis ratio. — σύαγρος. ἄγριος ὗς. — *lib. 1. c. 11.* — *lib. 12. c. 1.* — *Aper Sus ferus.* — *Non sunt in Africa.* — *Plinius correctus.* — *lib. 17. c 10.* — *Muti.* — *lib. 11. c. 51.* — *venatores petunt.* — *lib. 1. c 24.* — *Grandes.* — *lib. 3. c. 35.* — *Marsi.*

Seu rupit teretes Marsus Aper plagas.

De *Vmbris & Laurentibus*,idem lib. 2 Sat. 4.

Vmbri. — *Laurentes.*

Languidus in cubitum iam se conuiua reponet
Vmber,& Iligna nutritus glande,rotundas
Curuet Aper lances,carnem vitantis inertem:
Nam Laureus malus est vlnis,& arundine pinguis.

Vmbros celebrant poetæ. Stat. lib. 4. silu. 6.

Vmbri.

D *Ah miseri quos nosse iuuat,quid Phasidis ales*
Distet ab Hiberna Rhodopes grue,quis magis aufer
Exta ferat,cur Thuscus aper generosior Vmbro.
Lubrica quæ recubent conchylia mollius alga?

Catull. epigramm. 37.

Quare metuendus es mihi,bone ignati,
Si Vrbanus esses,aut Sabinus,aut Tiburs,
Aut parcus Vmber,aut obesus Hetruscus
Aut lannuinus acer.

Locus corruptus est,Petrus Daniel ex MS. lexico apud Turnebum lib. 14. cap. 8. legit.

Catullus correctus.

Aut pinguis Vmber.

A. Persius Satyr. 3. V. 74.

De locuplete penu defensis pinguibus Vmbris.

Reuera legendum est. Emericus Cruceius.

Aut Porcus Vmber,aut obesus Hetruscus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Lucani. De Lucano idem libri eiuſdem Satyr. 8.

In primis Lucanus aper leui fuit Auſtro
Captus, vt aiebat cœnæ pater.

Hetruſci. Sed pretio & bonitate, atque etiam vicinia, omnibus aliis prælati *Hetruſci*, quod ea regio amplos & ſiluoſos, & ingentes agros haberet, vt ait Flauius Vopiſcus in Aureliano, & eadem ſentit *lib. 1. c. 10.* Rutilius Numatianus libro primo Itinerarii, ego abunde diſſerui in Hetruria Regali. meminit Martialis lib. 7. epigramm. 26.

Thuſca glandis Aper populator, & ilice multa
Iam piger, Aetolæ fama ſecunda feræ.

Idem in vulgatis editionibus corruptus. lib. 12. epigr. 14. Vbi ſic plerumque legitur.

Si te delectant animoſa pericula, tu ſcis
Tutior eſt virtus, inſidiemur apris.

Martialis correctus. Sed leui mendo ſic locus liberatur.

Si te delectant animoſa pericula, Thuſcis,
Tutior eſt virtus, inſidiemur Apris.

Generatio. Si quid addendum ſit ijs de Suum generatione ſuperius dictis, ſuppeditabit Ariſtoteles in Hi- *lib. 5. c. 14.* ſtoria Animalium. *Apro ad triennium coeundi probitas edurat, vetuſtioribus proles deterior gigni-* *Coitus.* *tur, nullus enim præterea profectus ei accedit, nulla virium recreatio: ſolet inire pabulo ſatiatus, & cum alteram non ſubegerit, vel initus breuior agitur, & fœtus corpore minore creatur. Pauciſſima Sus edit prima parturitione, viget ſecunda, nec ſeneſcens copia fœtus deficitur, quamquam lentius coit, vbi vero decimum quintum annum nacta eſt, non præterea generat, ſed efferatur: ſi pinguet, ocyus, &* *Aetas.* *iuuenis, & ſeneſcens, mouetur ad coitum, ſi grauida admodum pingueſcat, efficitur vt fœta minus ha-* *Fœtus.* *beat lactis. Proles, quod ad ætatem optima eſt, cum vigent parentes, quod ad tempus, præſtantior quæ* *Tempus.* *hiemis initio gignitur, deterrima quæ æſtate. quippe quæ parua, exilis, & perhumida ſit. Mas ſi pinguet, inire omnibus anni temporibus poteſt, nec ſolum interdiu, ſed etiam noctu, aut certe matutino potiſſimum tempore; ſeneſcens autem, minus ſubinde agit, vt dictum eſt. Sæpe qui vel per ætatem, vel per infirmitatem ſuæ naturæ nequeunt expedite coire, cum fœmina impotens ſuſtinendi maris feſſa clunes* *Conceptio.* *dimittat, cubantes vna cum fœmina coeunt. Concipit præcipue Sus; cum præ libidine geſtiente pruriens, auriculas flaccidas demittit, aliter ſemen a vulua reſpuitur, relapſumque euaneſcit.* quod de cu- *lib. 8. c. 51.* bitu, breuiter Plinius *fœminæ ſenectute feſſæ cubantes coeunt.* Expreſſius autem omnia idem Philo- *lib. 6. Hiſto. c. 28.* ſophus pertractat. αἱ δὲ σύες αἱ ἄγριαι τοῦ χειμῶνος ἀρχομένου ἀχεύονται, τίκτουσι δὲ ἔαρος, ἀποχωροῦσαι εἰς τοὺς δισβατωτάτους τόπους, καὶ ἀποκρήμνους μάλιστα, καὶ παραγγόδεις, καὶ συσκίους. διατρίβει δὲ ὁ ἄῤῥην ἐν ταῖς ὑσὶν, ὡς ἐπιτοπολὺ ἡμέρας τριάκοντα. τὸ δὲ πλῆθος τῶν τικτομένων, καὶ ὁ χρόνος τῆς κυήσεως, ὁ αὐτός τε, ὥς καὶ ἐπὶ τῶν ἡμέρων ὑῶν ἐστὶ, τὰς δὲ φωνὰς παραπλήσεως ἔχουσιν τοῖς ἡμίροις, πλὴν μᾶλλον ἡ θήλεια φωνεῖ, ὁ δὲ ἄῤῥην σπανίως. τῶν δὲ ἀῤῥένων καὶ ἀγρίων οἱ τομίαι μείζους γίνονται καὶ χαλεπώτεροι, ὥσπερ καὶ Ὅμηρος ἐποίησε.

θρέψεν ἐπὶ χλούνην σῦν ἄγριον, οὐδὲ ἐῴκει
θηρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι.

Γίνονται γε τομίαι, διὰ τὸ νέους οὖσιν ἐμπίπτειν νόσημα κνυσμῶν εἰς τοὺς ὄρχεις, εἶτα ξυόμενοι πρὸς *Locus part.* τὰ δένδρα ἐκθλίβουσι τοὺς ὄρχεις. *Sues fere principio hiemis coeunt, vere pariunt, petentes maxime inuia, anguſta, prærupta, & opaca, mas cum fœminis conuerſari dies triginta, magna ex parte ſolet, nu-* *Vox.* *merus, partus, & tempus ferendi idem atque in cicuratis Suibus eſt, vox etiam ſimilis, ſed fœmina vocalior eſt, mas raro vocem emittit mares caſtrati maiores, fortioreſque euadunt, vt ſcite Homerus fingit, cum dicit.*

Nutriit exſectum ſiluis horrentibus Aprum,
Inſtar non bruti, ſed dorſi montis opaci.

Caſtratio. *Caſtrantur, quod recentibus adhuc morbus incumbit in teſticulos, quo atterentes eam partem ad arbores, ſibi teſticulos extingunt.* Vti partus idem Apris & Suibus domeſticis habetur, ita & victus, *Potus.* qui in cibo & potu. & potus quidem aqua turbida, & commoto limo cœnoſa. Seruius Maurus Honoratus. ad Virgilii Eclogam ſecundam. *Apri puros fontes cœnoſos efficiunt.* ipſe Bucolicus.

—— liquidis immiſi fontibus apros.

Et lib. 3. Georgicon.

Sæpe volutabris pulſos ſilueſtribus apros
Latratu terrebis agens.

Cibus. Nec cibus alius Apri; quam cicurati porci, glandes, poma, hordeum, herbæ, lumbrici, radices, talia. M. Martialis lib. 14. epigramm. 70.

Iſte bonus faciet tibi Saturnalia porcus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Inter spumantes Ilice pastus apros.*

Adde & ficus aridas supra modum quadrupedem illum appetere. locum pulcherrimum Claudi Aeliani apponam. *In Armenia excelsum saxum auditione accepi permultam aquam emittere, atque sub ipsum subijci fontem vndequaque quadratum, tres passus altum, singulaque eius latera stadij dimidium occupare, & simul cum aqua pisces frequentes excidere, cubiti magnitudine, tum maiores, tum non multo minores, & ex ijs partim delabi semimortuos, partim adhuc palpitantes, ad mortem præcipitare, & peruagatum est eos esse colore nigerrimos, & non aspectu insuaues: veruntamen si quid eorum vel homo, vel fera bestia gustarit, statim mori: propterea vero Armenios, quod ferarum multitudine redundent, primum eos collectos ad solis radios exsiccare, deinde hausta piscium aspiratione graui, & pestilenti, aut excitato inde puluere hausto pereant, ore, & naribus obturatis hoc piscium genus contundere, & in farinam redigere, & in ficus admixtas, in ea loca, quæ maxime abundant feris, disseminare, bestiæ vt primum eas attigerunt, statim moriuntur, atque ea fraude Apri, feræ capræ, Cerui, Capræ, Vrsi, Asini siluestres necantur, nam eiusmodi animalia ficuum, & farinarum auidissima sunt. perimuntur vero hoc modo, quod nimium abundent, iam vero alio* B *modo tollunt Leones, Pardales, Lupos, nam in domesticarum ouium aut caprarum discissum latus, quatenus manus inseri queat, farinas ex ijs piscibus abdunt, post vero hanc escam ad eos alliciendos obijciunt, ac cum eiusmodi quippiam Leo, Pardalis, Lupus gustarint, continuo moriuntur. Est autem cum omnis Armenia mater & nutrix ferarum, tum præcipue campestris circa fluuium.*

Ficus aridæ lib. 17. c. 31.

Pisces miri.

Armenia ferarũ ferax.

SYNOMIA ET BREVIS Descriptio.

HABET *Aper*, non minus quam *Sus*, suas varias significationes. 1. est piscis eo nomine. C. Plinius. *mollia & crusta intecta nec vocem, nec sonum vllum habere, sed & cæteri pisces, quamuis pulmone & arteria careant, non in totum, sine vllo sono sunt,* C *stridorem dentibus eum fieri cauillantur, & is qui Caper vocatur, in Acheloo amne, grunnitum habet, & alij de quibus diximus.* locum corruptum esse, & librariorum incuria deprauatum cuilibet liquet. corrige itaque & lege, *Et is qui* A*per vocatur in* A*cheloo amne, grunnitum habet*. Atque ita in veteri codice fuisse testis est Conradus Gesnerus, & ita censuit legendum Hermolaus Barbarus, sed & ratio ipsa suadet legi debere, nam totum illum locum. vt plures plerosque ex Aristotele exscripsit Plinius, imo totum illud suum caput ex libro quarto historiæ Animalium capite nono formauit, vbi κάπρος legitur, & Theodorus Gaza vertit peritissime, A*per*. in qua voce vertenda quamplurimi viri doctrina illustres exerrarunt, aliquoties Gentianus Heruæus, magnus alioquin vir, lapsus est, & Franciscus Sylburgius, & Hermannus Cruserius, dum illud Plutarchi ex libro περὶ ἀοργησίας *de non irascendo* καὶ γὰρ κάπρον φριξαύχενα ἡ μόνον γυνή. vertunt, *etenim ferocem, non modo mulier Caprum*, pessime, vertendum fuerat A*prum*. eidem errori affinis fuit Gyraldus in Philonidis versione, id fugit interpretem veterem Xenophontis in Hippice. μὴ ὥσπερ κάπρου προσσετης πεφύκος, sic reddentem, *non oriatur ceruix tanquam Hirci prona*, vertendum erat, A*pri*. Eundem errorem incurrit vir doctus, qui Lati- D ne reddidit Clementem Alexandrinum, vide in Pædagogo libro primo capite septimo; & libro secũdo capite primo, & libro tertio capite tertio, quibus omnibus locis κάπρον vertit male *Caprum*, nec maior felicitas fuit Interpretis Diodori Siculi, qui eandem vocem male transtulit libro quarto capite secundo Rondeletius putat eundem esse piscem κάπρισκον *Capriscum* Oppiani, sed duplici errore, nam neque *Capriscus* Apro similis, sed *Capro*, nec in fluuio capitur, vt A*per*, sed in mari: huius figuram habes apud Vlyssem nostrum Aldrouandum erudito opere de Piscibus, ad quem te r emitto, tanti enim nominis virum ornare cupio, non transcribere. Et quidni, cum idem sit *Sus quadrupes & A*per, idem quoque sit *Sus marinus cum Apro marino*, item & *Porcus fluuialis, cum Porco siluestri?* *Suem* sane *Piscem* Ouidius celebrat in Halieutici fragmento.

Piscis. lib. 11. c. 51.

Plinius correctus.

Plinius Aristotelis exscriptor.

Gẽtiani Heruæi error. Et Sylburgij Et Herui Cruserij. Et Gyraldi. Et interpretis Xenophõtis. Et interpretis Clemẽtis Alexãdrini. Et interpretis Diodori Sicul. Et Rondeletij. lib. 3. c. 12.

Sus piscis.

Et nigrum niueo portans in corpore virus
Lolligo, Durique Sues.

Rursus Aper familia erat Romana, aut potius nomen multarum familiarum. nobilis illa est de Diocletiano Augusto Historia, quam huc spectantem apponam, vti eam ex aliis exscripsit Celius Rhodiginus. *Agenti in Gallia Diocletiano dicebat Dryas, nimium, Diocletiane, auarus, nimiũ parcus es, cui per iocum is, tum ero largus, cum Imperator fuero, at Dryas, noli Diocletani iocari, nã Imperator*

Aper nomen familiæ. lib. 25. c. 26.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

perator eris, cum Aprum occideris: ex eo venationibus deditus Apros forte oblatos enixius occidebat, dicti euentum expectans, quo eſt fruſtratus, donec præfectum Pratorio Aprum interemit. Vnde cum diu incaſſum & venaretur, & Apros occideret, quaſi de Dryadis fallaci pollicitatione, aut ſuo infortunio conquerens ſubinde ingerebat, *ego quidem Apros occido, ſed pulpamento alter veſcitur.* A profanis ad ſacra migrantes, *Aprum* Tullenſium antiſtitem magna vitæ continentia vixiſſe reperiemus, & Sanctorum numero adſcriptum cultumque decimoſeptimo Kalendis Octobris, vt retulit Ioannes Molanus ad Vſuardi Martyrologium. Et *Troſius Aper* Grammaticus Philoſophum & Imperatorem Antoninum docuit Iulio Capitolino autore. Et *Apro & Pollione conſulibus* Imperator vocatus eſt Commodus, vt in Aelio Lampridio legitur. eodemque rurſus conſule idem Imperator triumphauit. Et *Aper Arrij* cognomento, ſocer Numeriani Auguſti, factione concitata imperium ſtrenuè inuaſit, ſed ipſo tumultu interfectus pœnas defectionis luit, Flauio Vopiſco ſcribẽte. Nec prætererim epigramma de *Vrſo & Apro* fratribus, quod ad S. Mariæ Rotundæ legitur Rauennæ in tumulo Theodorici Regis, & ſic ſe habet. E

Aper Prætorio Præfectus. *S. Aper Epiſcopus.* *Aper Grammaticus.* *Aper Cõſul.* *Aper ſocer Numeriani Aug.* *Aper & Vrſus fratres.*

Vna Ioannina domus hos produxit alumnos,
Libertatis opus contulit vna dies. F
Naufraga mors pariter rapuit, quos iunxerat ortus
Et duplices obitus Mors periniqua dedit:

Quamplurimi apud Martialem eo nomine celebres, vt lib. 10. epigr. 15.

Dotatæ vxori cor arundine fixit acuta:
Sed dum ludit Aper, ludere nouit Aper.

Martialis correctus. Inſulſum geminare erat ludere, itaque putaui corrigendum.

Sed dum ludit Aper, lædere nouit Aper.

Et lib. 11. epigramm. 35. lepidiſſimo acumine.

Aedes emit Aper, ſed quas nec noctua vellet
Eſſe ſuas, adeo nigra vetuſq́; caſa eſt.
Vicinos illi nitidus Maro poſſidet hortos,
Cænabit bellè, non habitabit Aper.

Et de alio lib. 12. epigramm. 30.

Siccus Sobrius eſt Aper, quid ad me? G

Et libro eodem epigramm. 71. ſed quia locus varie legitur, vide Adrianum Turnebum lib. 27. Aduerſarior. cap. 31.

Tunc cum pauper erat, non ſitiebat, Aper.

Nunc Aprum ſuccincte deſcribam, idque ex poetis præcipue, quorum primus Oppianus Cilix lib. 3. V. 364. Cynegeticis, quo loco non tam corporis, quam Naturæ deſcriptio continetur.

κάπρος ἐνυάλιος δὲ μέγ᾽ ἔξοχος ἐν θήρεσσιν
εὐνὰς μὲν ποθέει πυμάτοις ἐνὶ βένθεσι κρημνῶν
ἔξοχα δὲ ϛυγέει δοῦπον πολυηχέα θηρῶν
Θηλυτέρῃ δι ἀλιάϛος ἐφορμαίνων ἀλάληται
καὶ μαλ᾽ ἐρωμανέων σφριγᾷ, κατὰ δ᾽ αὐχένας ὀρθὰς
φρίσσουσι τρίχες, οἷα περισσολόφων πηλήκων
Αφρὸν ἀποϛαλάει τε κατὰ χθονὸς, αὐταρ ὀδόντων
πολλὸν ἐπικροτέει λευκόχροον ἆθματι θέρμῷ
καὶ χόλος ἀμφὶ γάμοισι πολὺ πλέον ἢ ἐπερ αἰδώς
θηλυτερη δ᾽ ει μὲν κεν ὑποπτήξασα μένησιν
ἔσβεσε παντα χόλον, κατὰ δ᾽ εὔσασε θηρὸς ἐρωὴν.
εἰ δὲ κ᾽ ἀνηναμένη φεύγῃ φιλοτήσιον εὐνὴν
αὐτίκ᾽ ὀρινόμενος θερμῷ πυρόεν τι μύωπι
Ἡ γάμον ἐξετέλεσσεν ἀναγκῃ ἶφί δαμόσσας,
ἢ νέκυν ἐν κονίῃσι βάλεν γενύεσσιν ὀρύσας.

Quæ ſic verbatim reddidimus.

Aper autem martius valde excellens eſt inter feras
Concubitus appetit extremis in vallibus præcipitiorum.
Valde odit autem ſtrepitum ſonorum ferarum: H
Coitus. *In fœminam vero pertinax irruens oberrat,*
Et admodum amore inſaniens laſciuit, circa collum arrectæ
Horrent ſetæ inſtar criſtarum galearum:
Spuma. *Spumamque diſtillat in terra, at dentibus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Copiosam pulsat candidam anhelitu feruido:* *Iracundia.*
Et bilis circa coitum multo maior, quam verecundia.
Fœmina vero si quidem succumbens maneat,
Extinguit omnem iram, consopitq́ feræ impetum,
Sin autem auersata fugiat connubialem lectum
Illico percitus calido & igneo astro
Aut nuptias facit, vi fortiter cogens, *Fœminā recusantem necat.*
Aut mortuam in pulueribus abijcit malis irruens.

Claudianus Poematio de laudibus Herculis.

Manalium petis inde nemus, fletamq́ colonis
Arcadiam, & steriles raro iam robore siluas,
Namque hic immensa membrorum mole cruentus *Dentes.*
Indomitus regnabat aper, soloq́ tremendus
Corpore, lunatis findebat dentibus ornos,
B *Sternebatq́ suos lugentia rura colonos.*
Horrebant trifidis nigrantia corpora setis, *Setæ.*
Duratosq́ armis scopulos, totosq́ per artus
Difficilis potuisse mori, non spicula in illum,
Nodosumve rapis grauato pondere robur,
Armati viduatur honos, nec vulnera virtus *Debilis oculorum acies.*
Extemplo tibi facta timet, iamq́ arripis vltro
Spumantem, cogisq́ diem sufferre tuendo
Atque supinando mirantem numina vinci
Argolici victor portas sub tecta tyranni.

Versus ille corruptissimus, in omnibus editionibus, quas hactenus vidi, corrigi sic potest. *Claudianus correctus.*

Nodosumve rapis geminato pondere robur.

Deserta loca & inuia tesqua Aprum amare Aristoteles supra, & Oppianus asseruerunt, præcipue dum coit aut parit, & adstipulatur Ouidius in fabula Canentis lib. 14. Transmutationum. *Tesqua amat.*

C *Dixit, & effigiem nullo cum corpore falsi*
Finxit Apri, præterq́ oculos transcurrere regis
Iussit, & in densum trabibus nemus ire videri,
Plurima qua silua est, & equo loca peruia non sunt:
Haud mora continuo prædæ petit inscius vmbram
Picus, equiq́ celer spumantia terga relinquit
Spemq́ sequens vanam, silua pedes errat in alta.

Penultimus versus non videtur sanus, melius fuerit epitheta mutare. *Ouidius correctus.*

—— *Equiq́ celer spumantis terga relinquit.*

Horatius libro Epodon. od. 5. naturam ferocem bene videtur expressisse.

Horret capillis, vt marinus, asperis
Echinus, aut currens Aper.

Currens idest furens, ait Helenius Acro, vt inhorruit armos, sic *Aprum*, seu *Suem Horridum* dixit Virgilius in fabula Prothei, & *Horrentem* Ouidius, ex Tito Lucretio. vnde illa Epitheta poetis D vsurpata, *horridus, horrens, hirtus, hirsutus* implacabilem belluæ istius truculentiam notant. causa ea ex Aristotele bona libro secundo de partibus Animalium cap. 4 *fibræ solidæ terrenæque sunt, itaque quasi fomenta in sanguine efficiuntur, feruoremq́ per iram accendunt, ex quo fit, vt Tauri & Apri animosi, iracundi, furibundiq́ sint, sanguis enim eorum fibris refertior est.* ita poetæ. Ouidius libro 1. Metamorph. *Horreus. Horridus. Hirtus. Hirsutus. Iracundus. Cur?*

Non Aper irasci meminit, non fidere cursu
Cerua, nec armentis incurrere fortiter Vrsi.

L. Apuleius libro octauo Milesiarum. *sed eum Aper furens inuadit iacentem.* & ibidem loci. *tum Aper immanis atque inusitatus exsurgit.* L. Sen. Thyeste.

At ille, vt altis hispidus siluis Aper.

Papinius Statius lib. 8. Thebaid. V. 531.

Qualis setigeram lunata cuspide frontem
Strictus Aper penitus cui non infossa cerebro
Vulnera, nec felix dextra tenor, in latus iras
Frangit, & expertæ iam non venit obuius hastæ.

Primus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Statius correctus. Primus verſiculus haud recte conceptus, lege. E

—— *Setigeram lucana cuſpide frontem.*

Apri enim *Lucani* ferocia inſignes. remittit tamen multum de illa ſæuitia & iracundia, ſi ſe inferiorem ſentiat, præclare idem Papinius lib. 1. Achilleid. V. 460.

—— *ſic torua feras indago latentes*
Claudit, & admotis paulatim caſſibus arctat.
Illæ ignem, ſonitumq; pauent, diffuſaq; linquunt
Auia, miranturq; ſuum decreſcere montem,
Inq; vicem ſtupuere greges, ſociaq; timore
Manſueſcunt ſimul hirtus Aper, ſimul Vrſa, Lupuſq;
Cogitur.

Indago.

Linea. Quam ille *indaginem* vocat, alijs *linea* eſt, quare Ceruus prætenta penna purpurea pauorem ſignificat apud Hieroglyphicorum ſcriptores. Virgilius lib. 3. Georgicon. V. 374. Et lib. 12. Aenei. V. 750. Aurelius Nemeſianus Cynegetico. F

Linea quin etiam magnos circundare ſaltus
Quæ poſſit, volucreſq; metu concludere prædas.

Et paulo poſt ibidem loci.

—— *lineumque vetat conſcendere ſeptum.*

L. Seneca Hippolyto Act. 1. Sc. 1. & ibi Delrio doctiſs.

Picta rubenti linea penna
Vano claudat terrore feras.

Formido. Et ab effectu formidinem dixerunt Oppianus libro primo Cyneget. Verſ. 157. inter arma venatoria ponit.

Σπαρτόδετον μήρινθον. *E ſparto tortam formidinem.*

Et lib. 4. eiuſdem operis V. 386.

πουλύχροα δείματα θηρῶν.
Verſicoloria terriculamenta ferarum.

lib 5. c. 5. Diuus Hieronymus in Dialogo Luciferiani & Orthodoxi. Turnebus in Aduerſarijs. Aurelius *lib. 1. Epiſt. 53.* Symmachus. *nodoſa retia, pennarum formidines & ſagaces canes, omnemque rem venaticam meliorum oblitus affectas.* P. Ouidius lib. 5. Faſtor. G

—— *Terret pauidos formidine Ceruos.*

Et lib. 1. de Remedio Amoris eadem phraſi.

Aut pauidos terre varia formidine Ceruos,
Aut cadat aduerſa cuſpide fixus Aper.

Sagacitas. lib 8. c. 27. Plinius ſuppletus. Muſicam amant. lib. 12. c. 46. lib. 6. c. 18.

Iam nec ſagacitatem huius quadrupedis præterierim. C. Plinius. *Ciconia origano, vulneri admoto* ſupplet codex Manuſcriptus. *hedera Apri in morbis ſibi medentur, & Cancros veſcendo, maxime mari eiectos.* alius liber præfert. *Cancris veſcendo, maxime mari eiectis,* ſed parum intereſt. Addo & Muſicam impenſius amare Cl. Aeliano teſte in natura Animaliũ cuius verba in ſequentibus producam. Et vt plene Naturalem Apri propenſionem exploratam habeas, adi ad Ariſtotelis Hiſtoriam Animalium Theophraſtum eius diſcipulum, & alios, & omnia cum Sue cicurato, vt dixi communia.

VENATIO SILVESTRIS & Circenſis. H

Hetruſcorũ mos.

CAPIEBANTVR aut formidine, vt ſupra proxime dictum, aut Muſico concẽtu deliniti. Claudi Aeliani locum integrum adpoſui, quia a Iuſto Vultero fideliter Latine redditum. *Tyrrhenorum ſermone peruulgatum eſt, Apros & Ceruos apud eos, cum retibus, & Canibus, vt venationis vſus ferre ſolet, tum multo maxime Muſicæ adiumento capi, quod quidem ipſum quemadmodum fiat, iam dicam, circumiectis retibus, & cæteris inſtrumentis accommodatis ad faciendas beſtijs inſidias, collocatis, homo ad tibiam canendi peritus, quoad eius fieri poteſt, omnem cantus contentionem remittit & relaxat, & quilibet ad canendum ſuaue præclare vſurpat, & ſenſim pedetentimque progrediente illa in montium vertices & conualles, & denſa frutetis loca, atque vt omnia breuiter explicem, in omnia luſtra ferarum & cubilia, tibiæ cantus influit, ac nimirum primo in eorum aures influentis ſoni inſolen*

tia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *tia ipsos exterret, deinde cum impotenti voluptate aures tenentur, tum nullo negotio comprehenduntur, tantusq; suauitate permulsi & deliniti, in earum quæ procreauerint, & domesticarum sedium obliuionem veniant. etiamsi feræ bestię non a locis, vbi versari assueuerunt, aberrare solent: sic igitur Tyrrhenę bestię paulatim tanquam suadę illecebra ducuntur, & quasi cantu per strictę, in laqueos se insérunt, quibus illaqueatę comprehenduntur.* Seruius Maurus optimus Virgilii Scholiastes, *Setosi caput hoc Apri. si Apri, tanquam venator, si Capri, tanquam pastor.* videtur diuersam lectionem asseuerare, vt sit. *Setosi caput hoc Capri.* Rursus ad illud. *Aut acres venabor Apros. Parthenius mons Arcadiæ, dictus a virginibus, id est ἀπὸ τῶν παρθένων, quæ illic venari consueuerant.* Eratque hic venatus omnium periculosissimus, nam *nunquam siue strage canum, aut hominum, aut vtriusque ille contingebat:* vt ex Xenophontis venatione seu Cynegetico liquet, vnde venatoribus nostratibus & Gallis prouerbium frequens & verax *Cerui chirurgus, Apro Sandapila:* quia scilicet vulnera a Ceruo inflicta curari possunt, Aprina mors præsens insequitur. notat Matthæus Raderus vir doctissimus ad Martialem. apposite ad periculum hoc Ouidius lib. 2. *κακοτεχνίας.* — *Musica Apri capiütur* / *Ad Eclog. 7. Varia lectio in Virgilij. Eclog. 10. Venatio periculosa.* / *lib. 12. epigr. 14.*

Nam neque læsus Aper media tam sæuus in ira est
B *Fulmineo rabidos dum rotat ore Canes.*

Et in fragmento Halientici.

Quid nisi pondus iners, stolidaq; ferocia mentis,
Actus Aper setis iram denuntiat hirtis?
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri,
Pressus & emisso moritur per viscera telo.

T. Lucretius lib. 5. dum belluarum vires describit.

Ac validis socios cędebant dentibus Apri.

C. Suetonius in Augusto. *Diomedem dispensatorem, a quo simul ambulante, incurrenti fero Apro repente per metum obiectus est, maluit timiditatis arguere quam noxæ, remque non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in locum vertit.* voluptatem hanc Romanis ordinariam fuisse & ex historicis, & poetis passim docemur. Martialis lib. 12. epigramm. — *Cap. 67. Augusti periculum. Frequens ea voluptas.*

Retia dum cessant, latratoresq; Molossi,
Et non inuento silua quiescit Apro.

C Et lib. 14. epigramm. 30. lemma est Venabula. — *Venabulum Seruius ad 4 Aenei. pag. 321.*

Excipient Apros, expectabuntq; Leones,
Intrabunt Vrsos si modo firma manus.

Et lemmate sequenti, culter venatorius. — *Culter. lib. 2. c. 7.*

Si deiecta geres longo venabula rostro,
Hic breuis in grandem cominus ibit Aprum.

Erant qui ad retia hæc cum venabulis, aut cultris starent, parati impetum ferarum excipere, vt in Antiquitatibus Romanis dixi. Sidonius Apollinaris V. 199. Carm. 7. & Ioannes Sauaro multa & erudita collegit ad eundem lib. 8. Epist. 6. quem vide. duobus ego locis contentus ero. L. Senecæ in Hippolyto in limine.

Tibi libretur missile tetum,
Tu graue dextra, lęuaq; simul
Robur lato dirige ferro,
Tu præcipites clamore feras
D *Subsessor ages, tu iam victor* — *Subsessor.*
Curuo solues viscera cultro.

Papinij Statij lib. 2. silu. 5.

Occidis altarum vastator docte ferarum,
Non grege Massylo, curuaq; indagine clausus,
Non formidato supra venabula saltu
Incitus, aut cęco cancę deceptus hiatu,
Sed victus fugiente fera.

Qui ad retia sedebat, vulgato venantum vocabulo dicebatur *Clusor Statarius* Sidonius Apollinaris, & viri docti. idem ἀρκυόρων φύλαξ *retium custos* Xenophonti Cynegetico non vno loco, quod Aemilius Portus obseruauit. Elegans locus Plinii Iunioris. *Apros tres, & quidem pulcherrimos cæpi. ipse? inquis. ipse, non tamen omnino vt ab inertia mea, & quiete discederem, ad retia sedebã, erant in proximo, non venabulum aut lancea, sed stilus & pugillaris.* D. Ausonius Epistola quinta. — *Clusor statarius. Lib. 2 Epist. 2. Retium custos. Pagina 983. 984. 986. Lib. 1. Epist. 6.*

An cum fratre vagos dumeta per auia Ceruos
Circumdas maculis, & multa indagine pinnæ?

Aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Aut ſpumantis Apri curſum clamoribus virges E
Subſidiſq; fero? moneo tamen, vſque recuſes,
Stringere fulmineo venabula cominus hoſti.

Neceſſarius ſane retium in venationibus Aprorum vſus fuit, ſic Iulius Pollux in Onomaſtico
Retia. ἄρκυες, καὶ δίκτυα, καὶ ἐνόδια, *retia, laquei, caſſes*, & retibus quidem linum præſcribit Aegyptium,
lib.5.c.4. Colchicum, Carthaginienſe, aut Sardienſe, ſeu mauis Sardianum. vide locum. retia iſta aliis vali-
Apraria retia. diora robuſtiorisque texturæ vocabant *Apraria*, apris ſcilicet capiendis idonea ſic Paulus I.C. in
Sententiis. *retia apraria, & cætera venationis inſtrumenta continebuntur.* quænam autem ſint hæc
lib.3.tit.7. venationis inſtrumenta, abunde docet Vlpianus I.C. lege duodecima ff. de fundo inſtructo & in-
l.22. ff. de Inſt. & Inſtrum. leg. ſtrumento legato. & quod huic facit, idem Paulus ſuppeditat. cuius hæc ſunt, *fundo legato vti opti-
mus maximuſq; eſt, retia capraria, & cætera venationis inſtrumenta continebuntur, quę etiam ad in-
ſtrumenta pertinent. ſi quæſtus fundi ex maxima parte in venatione conſiſtit.* locum eſſe corruptum
Paulus I.C. correctus. in aperto eſt, vel ex priore loco ipſius Pauli, itaque corrigendum eſt, *retia Apraria, & cætera vena-
tionis inſtrumenta.* Textum coinquinatum gloſſa impurior ſecuta eſt, ſic enim illa. *legaui tibi fun-
Gloſſa correcta. dum, vti optimus maximus eſt, Certe continentur legato retia capraria, & cętera inſtrumenta vena-* F
Viuiani error. *tionis*, & idem error cadem medicina ſananda, ſcribendumque *retia Apraria*. Viuianus, qui fæti-
diſſimis ſuis ſcoriis nitidum Iuriſprudentiæ Romanæ corpus conſpurcauit, in maiori delirio eſt,
nam in legis laudatæ explicatione. *legaui tibi fundum cum mancipijs & pecoribus, & cum omni in-
ſtrumento ruſtico & vrbano, & poſtea deceſſi. modo quęritur, an pertineat ad te legatarium peculium
Actoris ſerui ſeu Caſtaldionis, qui erat ex eodem fundo, & qui defunctus erat ante me teſtatorem.*
Caſtadus. Guaſtadius. Ignorantia non ferenda, *Caſtaldionem* in ſeruorum numero exponere, quod nos breui excurſu de-
monſtrabimus. Primum *Caſtaldionem* apud nullum bonum ſcriptorem legi, *Caſtaldum, Guaſtal-
dium, aut Gaſtaldeum* in multis monimentis reperio. fuitque non villicus, colonus, Venator, aut
ſeruus aliquis actor, vt imperite voluit Viuianus, ſed Princeps Prouinciæ magiſtratus, vt recte no-
lib.5. pagin. 122. tatum a docto Volaterrano, & facile id conuincitur ex optimis & certæ fidei autoribus, Anaſtaſio
Bibliothecario in vita Gregorij Tertij pagina centeſimanona, Paulo VVaruefrido in Hiſtoria
lib.5.c.29. Longobardica, Et Leonis Marſicani Cardinalis verba clara ſunt, in hiſtoria Caſinate, & Præſidē,
lib.1.c.28. aut Præfectum Prouinciæ fuiſſe oſtendunt, vocem eam Longobardicæ originis, & a Longobardis
lib.6.c.2. Principibus inuectam dignitatem ſuſe probaui in Hetruria Regali. At Amerbachius interpreta- G
Amerbachij error. tus eſt ex idiomatis Germanici hodierni vigore *Caupones*, vt Nicolaus Serarius erudite notat, &
refellit noua editione Bibliothecæ Sanctorum Patrum Tomo octauo. Et ſane manifeſti erroris A-
merbachius conuincitur, vel ex ijs, quos iam laudaui, autoribus, vel ex Epiſtola Gregorij Secundi
Prior Comite. Pontificis, quæ numero eſt centeſima vigeſima tertia inter Bonifacij Epiſtolas, vbi *Comitibus Ca-
ſtaldi præponuntur*, quod neque de Caupone, vt voluit Amerbachius, nec de ſeruo intelligi poteſt,
vt gloſſatori inepto viſum, & multa illius farinæ apud illum.

Canes Aprarij. Ad venationem Apri redeo, ad quam *Canes* electi *Aprarij*, ideſt alijs valentiores robuſtioreſ-
que. Autorem habeo Xenophontem in Venatione. πρὸς δὲ τὸν ὗν ἄγριον κεκτῆσθαι κύνας Ἰνδικὰς,
Pag.991. κρητικὰς, λοκρίδας, λακαίνας, ἄρκυς, ἀκόντα, προβόλια. *At in Aprum ſilueſtrem Canes comparet In-
dicas, Creticas, Locrenſes, Lacænas, caſſes, iacula, venabula*, de hac Apri per Canes venatione Oui-
dius lib. 10. Metamorph.

Per iuga, per ſiluas, dumos, & ſaxa, vagatur
Nuda genu veſtem ritu ſuccincta Dianę,
Hortaturq; Canes, tutęq; animalia prędę, H
Aut pronos lepores, aut celſum in cornua taurum,
Aut agitat damas: at fortibus abſtinet Apris,
Raptoreſq; Lupos, armatoſq; vnguibus Vrſos
Vitat, & armenti ſaturatos cæde Leones.

Et eodem libro ad finem.

Forte Suem latebris, veſtigia certa ſecuti
Excinere Canes, ſiluiſq; exire parantem
Fixerat obliquo iuuenis Cynyreius ictu:
Protinus excuſſit pando venabula roſtro
Sanguine tincta ſuo, trepidumq; & tuta petentem
Trux Aper inſequitur.

Canes Scotici. Canes iſtos & mole vaſtiſſimos, & ferocia præcipuos exigebant, vt habebantur, præter nomina-
lib.2. epiſto. 77. tos a Xenophonte ſupra, *Canes Scotici*, ſiue *Britanni*, Q. Symmachi locus eſt obuius. *vt nunc ſeptē
Scoticorum Canum probauit oblatio, quos pręluſionis die ita Roma mirata eſt, vt ferreis caneis putaret
aductos.*

Early Europeon Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *aduectos*. de ijs late Simon Maiolus in laboriosissimo opere diebus Canicularibus, & Hector Boethius in patria historia. Aurelius Nemesianus, & plerique alii Britannos appellauere. *lib. 6. pag. 97.*

Sed non Spartanos tantum, tantumve Molossos *Canes Britanni.*
Pascendum catulos, diuisa Britannia mittit
Veloces, nostriq. orbis venatibus apros.

Gratius, Ouidio antiquior, in Cynegetico.

O quanta est merces, & quanta impendia supra?
Si non ad speciem, mentiturosq. decores,
Protinus hæc vna est catulis iactura Britannis.

Plura dixi ad illud Claudiani,

——— *variæ formis & gente secuntur* *lib. 3. laud. Stilic.*
Ingenioq. canes, illæ grauioribus apræ
Morsibus, hæ pedibus celeres, hæ nare sagaces:
Hirsutæq. fremunt Cressæ, tenuesq. Lacænæ, *Notæ in Gr... pian. pag. 45*
B *Magnaq. Taurorum fracturæ colla Britannæ.*

Q. Symmachus. *incertus agricola in officia diuersa discurrit, alij scalis ad arborum summa perrepunt, plerique condita musta defæcant, nonnulli aprorum odora vestigia canum sagacitate disquirunt, & ferarum domos indago sollicitat.* Virgilius libro quarto Aeneidos de Iulo pericula iuueniliter amante, *lib. 3. epis. 23*

Spumantemq. dari, pecora inter inertia, votis
Optat Aprum.

Hęc venatio plerumque etiam in Ceruos occupata, nam etsi id animal natura pauidum est, tamen ijsdem fere modis capitur. Aurelius Symmachus rursus. *ideo necessitatem tibi a filio meo scribis inuictam, vt publici negotij excusatione purgeris: alterum igitur religioni tuæ ex vtroque faciendum est, vt aut Ceruorum & Aprorum copias mittas, aut in conspectum amici celerius reuertaris.* ita capiendum est illud Varronis in Satyra ὄνος λυραν. Asinus lyram, *Venatio exdē Ceruorū. lib. 8. epis. 52*

——— *nempe Sues siluaticos*
In montibus sectaris venabulo aut Ceruos.

C Omnibus notum est venationem rem esse nobilissimam, & heroicis sæculis vsitatam, & maxime in Italia *asper victu venatus alebat*, vt poetæ verbis vtar, tamen id quod dicam, obseruationis est meæ, nec a quoquam adhuc notatum, Italos illos primos non voluptate aliqua ductos venatui operam dedisse, sed cogente necessitate, vt scilicet se a feris tuerentur. verba Seruij Mauri ex Codice Manuscripto Fuldensi excerpta a Iacobo Bongarsio, & in lucem emissa a Petro Daniele, Iureconsulto, hæc sunt ex Sanseio vetustissimo scriptore. *Sanseius Latium dictum ait, quod illi latuerunt incolæ, qui quoniam in cauis montibus vel occultis, cauentes sibi a feris belluis, vel a valentioribus, vel a tempestatibus habitauerint, Cassei vocati sunt, quos posteri Aborigines nominauerunt, quoniam alijs ortos esse recognoscebant, ex quibus Latinos etiam dictos.* Hæc de venatione siluestri, quam scite expressit Silius Italicus. cuius hæc sunt Punicorum lib. I. *Ioachim Zehner. Sacr. Adag. Venatio Italis a metu nō voluptate. Pag. 21. Sanseius auctor antiquissimus. Cassei. Aborigines.*

Fulmineus seu Spartanis latratibus actus
Cum siluam occursu venantum perdidit, hirto
Horrescit sæuus dorso, & postrema capessit
Prælia, candentem mandens Aper ore cruorem:
D *Iamque gemens geminum contra venabula torquet.*

Vltimum versiculum corrige. *Silius correctus.*

——— *gemens geminum intra venabula torquet.*

Dente scilicet uenatoria instrumenta tentat, si possit euadere. Iulius Scaliger libro quinto poetices capite decimoquarto, culpat Silium, quod *gemere* dixerit *Aprum*, at ego, naturam eius sic expressam optime, contendo, quippe non tantum *gemit* deprehensus, sed & *fletum emittit*, obseruatumque *Apri lachrymam* esse *salsam*, *Cerui dulcem*. *Defensus.*

In Circo etiam *Aprum* inter belluas ferocissimas producebant, aut in Amphitheatro id passim in spectaculorum monimentis probatum, ideo paucorum locorum testimonio contentus, a Iulio Capitolino incipiam. *Quæsturam magnificentissime gessit, Aedilitatis suæ tempore feras Libycas vna die centum exhibuit, vrsas vna die mille, extat silua eius memorabilis in domo rostrata Cn. Pompeij quæ ipsius, & patris, & proaui fuit, quam Philippi temporibus vester fiscus inuasit. In qua pictura etiam nunc continentur Cerui palmati ducenti mixtis Britannis, equi feri triginta, Oues feræ centum, Alces decem, Tauri Cypriaci centum, Struthiones Mauri miniati trecenti, Onagri triginta,* *In Gordianis. Silua in ludis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Apri centum quinquaginta, Ibices duæ, damæ ducentæ: Hæc autem omnia populo rapienda conceſſit E
die muneris, quod ſextum edebat. In eadem hiſtoria poſtea ſubdit, vt aliud ſpectaculorum genus
exprimat, nam cum hic populo libertas data fuerit rapiendi, ſecumque abducendi, quas poſſent,
feras nonnunquam feræ illæ vel oſtendebantur tantum, gratæ ſcilicet populo, ob nouitatem futu-
ræ, vel in arena conficiebantur a gladiatoribus, de primo, locus allatus abunde probat, de ſecun-
do paulo infra, de vltimo locus iſte Capitolini, oſtendit ſub Gordiano Romæ Elephanti triginta
duo. integrum in Camelopardale ſupra proximo tractatu produxi, de ſecunda populi voluptate.
In Probo. Flauij Vopiſci eſt præclarus textus. *Venationem in Circo ampliſſimam dedit, ita vt populus cuncta*
diriperet, genus autem ſpectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicibus vulſæ conuexis lon-
Silua Circi. *ge lateque trabibus affixæ ſunt, terra deinde ſuperiniecta, totuſque Circus ad ſiluæ compoſitus ſpeciem*
gratia noui effronduit, immiſſi deinde per omnes aditus Struthiones mille, mille Cerui, mille Apri, mil-
le damæ, Ibices, oues feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inueniri, im-
miſſi deinde populares, rapuit quiſque quod voluit. addidit alio die in Amphitheatro vna die centum
iubatos Leones, qui rugitibus ſuis tonitrua excitabant, qui omnes a contificijs interempti ſunt, ſic le- F
Vopiſcus correctus. go, male antea, *non magnum præbentes ſpectaculum, cum occidebantur, neque enim beſtiarum impe-*
tus ille, qui eſſe ab eis egredientibus ſolet. Occiſi ſunt præterea multi, qui diripere volebant, ſagittis:
Raptor populus occiſus *Editi deinde centum Leopardi Libyci, centum deinde Syriaci, centum Leænæ, & Vrſi ſimul ducenti,*
quarum omnium quidem ferarum magnum magis conſtat fuiſſe ſpectaculum, quam gratum. Silua
hæc erat, arbores radicitus euulſæ, vt in Circum magna machinarum induſtria perlatæ, vt ex A-
thenæo docemur libro quinto, ita fiebat, vt verum naturalemque feris locum æmularentur, quo
Vopiſci lectio defenſa. certior deinde pugna eſſet. quod nonnulli lectionem variam inuehere voluerint, vt pro *herbatica*
animalia legerent, *erratica*, non placet, nam rerum naturalium ſcriptores ζῶα ποιηφάγα *animalia*
herbis veſcentia, vocant nonnulla, vt ſunt bos, Capra, aſinus, & talia, alia ſunt καρποφάγα *fructu*
ποιηφάγα. *victitantia*, vt Aper hic, Camelopardalis ſupra. autore Ariſtotele. ſunt & qui κρεοφαγα inter ſpe-
καρποφάγα cies ponant, ſeu *carne veſcentia*, vt ſunt Leo, Lupus, Tigres, aliaque eius farinæ, & ſecundum hanc
κρεοφάγα. naturæ diuerſitatem, varia etiam erat venatio, nam conficiebant quaſdam feras conto, alias cul-
tris, nonnullis necandis vtebantur lancea, ſagittiſque, quod alijs iam plene præoccupatum.

Feras has vel ipſas ex arena rapiebant viuas, ſuique iuris eſſe faciebant, vel non feras, ſed teſſe-
ras populo ludorum editores Principeſve permittebant, & eas, dum iacerentur, *Sparſionem*, aut G
Sparſio. *Miſſilia*, vocabant, dum a plebe raperentur, *Rapinas* dicebant. Sparſio quidem olim ſtante liber-
tate a magiſtratibus fieri ſolita, mutata Reipublicæ forma non niſi coronatis Principibus indulta,
ἐπικόμβια. vt ex Paulo VVarnefrido in Hiſtoria Longobardica adnoto, Græci ἐπικόμβια autore Curopala-
te, ſeu Georgio Codino, dicunt. Statius lib. 1. ſilu. vltima.

Iam noctis propioribus ſub vmbris
Diues ſparſio quos agis tumultus?

Imbrem, & *nubes*, a teſſerarum multitudine, vſurpari comperio. Papinius ibidem loci.

Nubes. *Inter quæ ſubito cadunt volatu*
Immenſæ volucrum per aſtra nubes.

Paulo antea dixerat.

Non tantis Hyas inſerena nimbis
Terras obruit, aut ſoluta pleias:
Qualis per cuneos, hiems Latinos H
Plebem grandine concutit ſerenam:
Ducat nubila Iupiter per orbem,
Imbres. *Et latis pluuias minetur agris,*
Dum noſtri Iouis hi ferantur Imbres.

Corippus meus, elegantiſſime, etſi Africanus, in coronatione Iuſtini Minoris libro quarto Nu-
mero primo.

Diſpoſuere gradus, quo ſtaret in ordine longo
Diuiſum in turmas, atque in ſua corpora vulgus,
Poſſet & exertas ad munera tendere palmas,
Liberius ſpectare oculis, manibuſque fauere,
Et donis aptare ſinus, quæ plurima conſul
In plebes miſſurus erat, palmaſque capaces
Tendere, quo veniens late pluat aureus Imber.

Rapinæ. *Rapinam* vero, quia auidiſſima plebs aut numiſmata deſuper pluentia, aut feras ipſas, aut teſ-
feras

A ſeras ludicras, rapiebat, appellarunt. Martial. lib. 8. epigramm. 78.

Omnis habet ſua dona dies, nec linea diues
Ceßat, & in populos multa Rapina cadit.
Nunc veniunt ſubitis laſciua numiſmata nimbis,
Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras Teſſeræ.
Nunc implere ſinus ſecuros gaudet, & abſens
Sortitur dominos, ne laceretur auis.

Ac *teſſeræ* quidem huius Circenſis mentio apud Proculum I. C. & alios. manibus exporrectis longeque exertis miſſilia ea rapiebant, in ſinus auide condebant. Statius loco laudato.

Deſunt qui rapiant, ſimulq́ pleni
Gaudent, dum noua lucra comparantur.

Ideſt quod auare auideque rapere Græci κυλλὴν χεῖρα *manum cauam* vocant. Ammianus Marcellinus. *non vt moris eſt, expanſa chlamyde, ſed cauata manu*, malim *caua, ſuſcepit, at Imperator, rapere, inquit, non accipere, ſciunt Agentes in rebus.* erat ergo auaritiæ argumentum cauam manum protendere, cõtra modeſtiæ expanſo togæ ſinu Sparſiones accipere. Suetonius in Auguſto. *cauam manum aſſes porrigentibus præbens*, Albius Tibullus. Manus caua. lib. 16. Ammianus correctus. Cap. 91.

B

Illa caua pretium flagitat vſque manu. lib. 2. eleg. 4.

Caſſelius Durantius notat, & probatio plena apud Laberium Mimum in poematis Veterum pagina centeſima quadrageſima, & Rutilium Numatianum libro primo Itinerarij, qui non ad manum Corippus lib. 4. Num. 2.

—— *Prætendunt dextras, & præmia ſumunt.*

Et eodem libro Num. 3.

—— *Palmaſq́ ſinuſq́ parabant.*

Cauæ manus elegantiſſima deſcriptio in Claudiano meo, dum Ruffini inexplebilem diuitiarum cupiditatem inſimulat, hiſtorica narratio apud Sozimum. Socratem, Euagrium, alioſque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ autores. ſic ille. lib. 2. in Ruf fin.

Dextera quin etiam ludo conceſſa vagatur
Aera petens, pœnaſq́ animi perſoluit auari
C *Terribili lucro, viuoſq́ imitata retentus*
Cogitur adductis digitos inflectere neruis.

Sed qui plura cupis ſuper iſtis ferarum in Circo aut amphitheatro rapinis, adi ad Curopalatem ſeu Georgium Codinum libello de officijs Aulæ Conſtantinopolitanæ: & ſuper ea re multa conſtituit Iuſtinianus Imperator, vt eſt in Conſtitutione Nouella centeſima quinta, & Henricus Schrimgerus Scotus ad eum locum. Denique cum immenſa eſſet profuſio, & nouo Imperatori ſæpe damno cederet tanta munificentia, id ne fieret impoſterim, lata lege in perpetuum canit Leo Auguſtus. ita tamen, vt ipſis Imperatoribus neceſſitas abſtinendi non eſſet, ſed tantum Magiſtratibus ordinarijs, Conſuli, Quæſtori, Prætori, & alijs, ipſi ſane Principes magnificentiſſime, diu poſt Leonis conſtitutionem, in hiſce ludis populo exhibendis, ſe geſſerunt, vt ex Niceta Choniate, Nicephoro Gregora, Zonara, & Cedreno notum. Ad Apri Circenſem vſum reuertor. hic certe vel interficiebatur, vt ex Martiali in libello de Spectaculis conſtat epigrammate duodecimo, & duobus ſequentibus: & ad ea Theodorus Marcilius. Iuuenalis Satyr. 1. V. 24. Pag. 180. Miſſilia vetita. Nouell. 94. Duplex Apri in arena vſus.

Cum tener vxorem ducat ſpado, Maula Tuſcum
D *Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma.*

Guntherus Ligurini lib. 4. alluſit.

Vaſtus Aper fuſo procumbit ſanguine Circo
In medio.

Ipſam feras conficiendi figuram pingit pulcherrime Claudianus. lib. 2. in Ruffin.

Vt fera quæ nuper montes amiſit auitos,
Altorumq́ exul nemorum damnatur arena
Muneribus commota ruit, vir murmure contra
Hortatur, nixuſq́ genu venabula tendit,
Illa pauet ſtrepitus, cuneoſq́ erecta Theatri
Suſpicit, ac tanti miratur ſibila vulgi.

Sic emendaui, antea erat contrario ſenſu, *cuneoſque erecta theatri deſpicit*, at ſi *pauet*, quomodo *deſpicit*? deinde illud adiectum *tanti vulgi*. non placet, nec feræ admirationem exprimit. vel cicuratarum beſtiarum ritu in pompa circumducebatur, vt ex eodem Martiale notum. Claudianus correctus. Notatus. lib. 1. epigr. 105.

E

Picto quod iuga delicata collo
Pardus ſuſtinet, improbaque Tigres
Indulgent patientiam flagellis,
Mordent aurea quod lupata Cerui,
Quod frænis Libyci domantur Vrſi,
Et quantum Calydon tuliſſe fertur
Paret purpureis Aper capiſtris,
Turpes eſſeda quod trahunt Biſontes,
Et molles dare iuſſa quod choræas,
Nigro bellua nil negat magiſtro,
Quis ſpectacula non putet Deorum?

Apri Cicures.

Metellus Tergerſenſis aut Tegerſeenſis in Quirinalibus.

Præbent applicitas quoque
Ludi ſorte feras Iona plurimas,
Quæ donaria publica
Nomen ducta trahunt Ioaio mari.
Pantheræ, Tigrides, Leo,
Campos innumeri ſanguine martios
Pardi, Linx, Aper, imbuunt.
Inſumunt hominum prælia beſtiæ;
Id perpes faceret dies
Ludi parturiunt omne genus ſuum.

F

Iouia in ludis.

Cicurabantur Apri, vt & omnia animalia alia ferinæ naturæ, Varrone teſte, vt ſupra locus adductus probat, ſed hoc diſcrimine, quod raro, certe nonniſi ſemel cócipiant, aut pariant. rationem ex Ariſtotele, & Alexandro Aphrodiſæo pete in Problematis. quam feræ manſuetudinem ſic habe. ex Statio lib. 5. Thebaid.

lib. 1. rei Ruſtic. c. 1.

Cicuratarũ ferarum Natura.

Vt fera quæ placido rabiem deſueta magiſtro
Tardius arma mouet, ſtimuliſq; & verbere crebro
In mores negat ire ſuas.

G

Et lib. 1. Thebaid.

Vt Leo materno qui raptus ab vbere, mores
Accepit, pectiq; iubas, hominemq; vereri
Edidicit, nullaſq; ruit, niſi iuſſus, in iras
Si ſemel aduerſo radiauit lumine ferrum,
It iurata fiees,

M. Lucan. lib. 4. Pharſal.

Sic vbi deſuetæ ſiluis, in carcere clauſæ
Manſueuere feræ, & vultus poſuere minaces,
Atque hominem didicere pati, ſi torrida paruus
Venit in ora cruor, redeunt rabieſq; furorq;
Admonitaq; tument guſtato ſanguine fauces:
Feruet, & a trepido vix abſtinet ora magiſtro.

H

Quæ vltima ex Naturæ arcanis petita ſunt, nam cicuratæ beſtiæ lambunt quidem cutem, nec feritatis reminiſcuntur, at ſi ſemel ſanguinem hominis guſtarint, redeunt ad ingenia ſua, quod de Leone narrat Plinius.

PVGNA

A



B

C

PVGNACITAS,
& de Dentibus.

INSIGNEM pugnacitatem & fortitudinem Apri multa loquuntur, ante omnia vel illud, quod virum fortem Apro conferant poetæ. diserte Plutarchus in Gryllo. ὅλως δὲ, εἰ πρὸς ἀνδρείαν οἴεσθε βελτίους εἶναι τῶν θηρίων, τί πότε ἡμῶν οἱ ποιηταὶ τοὺς κράτιστα τοῖς πολεμίοις μαχομένους, λυκόφρονας καὶ θυμολέοντας, καὶ συὶ ἰκέλους ἀλκὴν προσαγορεύουσιν; ἀλλ᾽ οὐ λεόντά τις αὐτῶν ἀνθρωπόθυμον, οὐ σῦν ἀνδρὶ εἴκελον ἀλκὴν προσαγορεύει. Incidit interpres, vt videtur, in codicem corruptum,

Apro fortes viri comparati.

Interpretis Plutarchi negligentia.

D nam haudquaquam locum hunc fideliter reddit, ego sic latinitate donaui. *Denique si fortitudine vos superare feras putatis, cur poetæ vestri eos, qui fortissime in bello pugnant, Luporum, Leonum, aut Apri, robori similes perhibent, cum vicissim nemo Leonem, aut Aprum,* hæc verba interpres omiserat inconsulto, *homini, animo vel robore similem dicat?* pulchra quadrupedum hæc est, apud Aristotelem in historia Animalium, diuisio διαφέρουσι κατὰ τὸ ἦθος, τὰ μὲν γὰρ πρᾶα, καὶ δύσθυμα, καὶ οὐκ ἐνστατικά, οἷον βοῦς, τὰ δὲ θυμώδη καὶ ἐνστατικὰ, καὶ ἀμαθῆ, οἷον ὗς ἄγριος, τὰ δὲ φρόνιμα καὶ δειλὰ, οἷον ἔλαφος καὶ λαγώς, καὶ δασύπους, τὰ δὲ ἀνελεύθερα, καὶ ἐπίβουλα, οἷον οἱ ὄφεις, τὰ δὲ ἐλεύθερα, καὶ ἀνδρεῖα καὶ εὐγενῆ, οἷον λέων, τὰ δὲ γενναῖα καὶ ἄγρια καὶ ἐπίβουλα, οἷον λύκος. *Differunt secundum mores, nam aliæ mites, remissæ, ac minime peruicaces sunt, vt Bos, aliæ animosæ, peruicaces, omnino brutæ, vt Sues siluestres, aliæ ingeniosæ & timidæ, vt Cerui, Lepores, Dasypi, aliæ illiberales, perfidæ, insidiosæque sunt, vt serpentes, aliæ liberales fortes & nobiles, vt Leones, aliæ generosæ, feroces, insidiosæ, vt Lupi.* vide quę sequuntur. Hinc vetustas cum fortissimo Deo Marti animal generosissimum addicere vellet, Aprum in eius tutela esse voluit, dixi multis ad illud Claudiani in Epigrammatis.

lib. 1. c. 1.

Animalium brutorũ mores.

Aper Marti sacer.

Toruus Aper, fuluusq; Leo, coiere superbis
Viribus, hic setis sæuior, ille iuba.

Apri & Leonis collatio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Hunc Mars, hunc Cybile laudat, dominatur vterque E
Montibus, Herculeus ſudor vterque fuit.

Hanc inuitæ in Apro fortitudinis opinionem auget veterum conſuetudo, qui Heroes ferarum pellibus veſtiunt, ſic apud Lucanum Antæus & Hercules pellem geſtant Leonis, Paris Alexander, Homero teſte, Leopardi exuuijs veſtitur, Bacchi geſtamen eſt tergus Tigrinum, in Claudiani Raptu lib. 1. in limine, ita Aper Tydeum ornat, ſic enim Statius lib. 1. Thebaid. V. 394.

Heroum veſtis.

Cui Phœbus generos, monſtrum exitiabile dictu,
Mox adaperta fides, æuo ducente canebat
Setigerumq́; Suem, & fuluum aduentare Leonem.

Et paulo poſt in eadem narratione. V. 481.

Hic primum luſtrare oculis, cultuſq́; virorum
Telaq́; magna vacat, tergo videt huius inanem
Impexis vtrinque iubis horrere Leonem,
Illius inſpeciem, quem per Teumeſia Tempe,
Amphitryoniades fractum iuuenilibus annis F
Ante Cleonæi veſtitur prælia monſtri.
Terribiles contra Setis, ac dente recuruo.
Tydea per latos humeros ambire laborant
Exuuiæ, Calydonis honos.

Implexis *melius. ideſt cõſertis.*
Statius correctus.

Idem lib. 6. Thebaid. V. 834.

Ergo vbi luctandi iuuenes animoſa citauit
Gloria, terrificos humeris Aetolus amictus
Exuitur, patriumq́; Suem, leuat ardua contra
Membra.

Quo maior terror, pellibus iſtis dependuli pili, iubæ, dentes, vngues, Statius ſupra, *dente recuruo*, & lib. 9. Thebaid. V. 687.

Venator raptabat equus, quem diſcolor ornat
Tigris, & auratis aduerberat vnguibus armos,
Colla ſedent nodis, & caſtigata iubarum G
Libertas, ꝛemorſiq́; notæ ſub pectore primo
Iactantur.

Claudius in limine poetici operis.

——— *letuſq́; ſimul procedit Iacchus*
Criuali florens hedera, quem Parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit vngues.

Exemplum illi ſecuti Maronis, qui libro quinto Aeneid. vbi Seruius notat Virgilium impropriæ locutionis.

Virgilius notatur.

——— *tergum Gætuli immane Leonis*
Dat Salio, villis oneroſum, atque vnguibus aureis.

Progredior, Aprique robur ex eo oſtendo, quod animoſiſſimi quique milites clypeis ſuis eum inſculpere conſueuerint, nam vt verum eſt tyrones clypeos albos geſtaſſe, id eſt puros, nulloque emblemate notatos, ita veteranos animalium variorum figura ſcuta ſua inſignire ſolitos notum, vt Leonum, Tigridum, Muſcarum etiam, vt ait Plutarchus in Laconum Apophthegmatis: quæ H Iuſtus Lipſius, vt puto, in Militia Romana, abunde docuit. Aprum vero clypei geſtamen aut notam fuiſſe, clarum ex Euripidis Phæniſſis. V. 1114.

Clypeis inſculptus.
VVolfg. Lazi lib. 9. Reipub. Rom.

καὶ πρῶτα μὲν προσῆγε νηίταις πύλαις
λόχον πυκναῖσιν ἄσπισι πεφρίκοτα
ὁ τῆς κυνηγοῦ Παρθενοπαῖος ἔγονος
ἐπίσημ᾽ ἔχων οἰκεῖον ἐν μέσῳ σάκει,
ἐκηβόλοις τόξοισιν Ἀταλάντην κάπρον
χειρουμένην Αἰτωλόν.

Vertit Gulielmus Canterus.

Et primum quidem adduxit ad Neitas portas
Cohortem crebris clypeis horrentem.
Parthenopæus filius venatricis
Tenens domeſticum ſignum in medio clypeo
Atalantem, quæ arcu proculiaculante Aprum

Aetolum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Aetolum domabat.*

Paucis interiectis, ab aliorum opinione, totaq; Antiquitate discedens, Tydeo dat pellem Leonis, pro pelle Apri. sic enim

Ομολώισι δὲ τάξιν εἶρε πρὸς πύλαις
Τυδεὺς, λέοντος δέρος ἔχων ἐπ' ἀσπίδος
χαίτῃ πεφρικός, δεξιᾷ δὲ λάμπαδα
Τιταν Προμηθεὺς ἔφερεν.
Ad portam vero Homoloida tenebat locum suum
Tydeus, habens in clypeo pellem Leonis
Setis horrentem, dextera vero facem
Gigas Prometheus praeferebat.

Euripides notatus. Tydeus Marte genitus. Luctat. ad V. 464. I. Theb. Ideo Aprum non Leonem gestabat.

Addo insuper, nonnullas gentes Apros in aciem producere solitas, eorumque robore & praesidio aduersus hostem vti consueuisse. Locus est ex Lucretij quinto, quem, quia varie a Criticis tentatum integrum apponam, cum lectionum varietate margini adscripta, prout ex optimis exemplaribus excusis, aut manuscriptis compertum habuero, & quas, vel Obertus Giphanus, vel Dionysius Lambinus, suppeditarunt.

B *Apri militũ loco.*

Tentarunt etiam Tauros in moenere belli
Expertiq; Sues saeuos sunt mittere in hostes
Et valido Parthi prae se misere Leones.
Cum ductoribus armatis saeuisque ministris
Qui moderarier his possent, vinclisque tenere:
Nequicquam quoniam permista caede calentes
Turbabant saeui nullo discrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes vndique cristas,
Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere, & frenis conuertere in hostes:
Irritata Leae iaciebant corpora saltu
Vndique, & aduorsum venientibus ora petebant
C *Et nec opinantes a tergo diripiebant:*
Deplexaeque dabant in terram vulnere victos,
Morsibus affixae validis, atque vnguibus vncis:
Iactabantque Sues Tauri, pedibusque terebant
Ac latera ac ventres hauribant subter equorum
Cornibus, ad terramq; minanti mente ruebant:
At validis socios caedebant dentibus Apri,
Tela infracta suo tingentes sanguine saeui.

Munere. *non aeque bene.* Partim prae se. *male.* Doctoribus. *ferendum.* Hos possent. *bene.* Ex *lib.* 2. terrificas capitum quatientes numine cristas. Ora patebãt *male.* Depexaeque. *non malum. vt nec* deuexae. Vulnere victos.

Generosius habebat codex alius.

In se fracta suo tingentes sanguine tela.
Permistasque dabant equitum peditumque ruinas
Nam transuersa feros exibant dentis adactus
Iumenta, aut pedibus ventos erecta petebant
Nequicquam, quoniam a neruis succisa videres
D *Concidere, atque graui terram prosternere casu.*
Sic quos ante domi domitos satis esse putabant,
Efferuescere cernebant in rebus agendis
Vulneribus, terrore, fuga, clamore, tumultu.
Nec poterant vllam partem reducere eorum.
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum
Vt nunc saepe boues Lucae, ferro male mactae
Diffugiunt, fera facta suis cum multa dedere.
Sic fuit, vt facerent.

Priore duobus, vt puto, spurius.
Si quos. *male fera fere semper ferae.*
Effruiscere. *probe.*
Effugiunt. *perinde.*
cum fata. *bene.*

Versum illum uarie concipiunt codices.

Vt nunc saepe boues templis ferro male caesę
Diffugiunt.

Sed lectio prior melior, nã praeterquã quod *boues Lucas* dici *Elephantes*, quia bello Tarẽtino cũ Pyrrho gesto in Lucania primũ a populo Romano uisos narrãt Plutarchus, Liuii Epitomastes Florus & alii, adstipulãtibꝰ Plinio & Solino, loquẽdi ea ratio gemina magis Lucretio, q̃ supra dixerat

Boues Lucae.

Inde

Inde boues Lucas turrito corpore, tetros E
Anguimanos, belli docuerunt vulnera Pœni
Sufferre.

Metellus Tegerienſis in Quirinalibus.

Turmas belligeras vehit
Turri diſpoſitas Indica bellua
Caſtris mobilibus, fuit
Innox pugna diu, percita beſtijs.
Quas curſus vice prepetes
Certarunt celeres vincere velites;
Illa ſed celeres ruunt,
Acres horridulo gutture barriunt:
Hoſtes ore truci petunt,
Et proboſcidibus proxima verberant;
Queis nomen vetus hoc erat, F
Lucas noſſe boues plebs auet vrbica:
Hos Lucauia primitus
Vrbi victa dedit ſub duce nobili.

Denique conſtat ſenſus Lucretio, qui veterum militiam comparat cum poſteriorum ætatum vſu, nam vt illi primi mortales *Tauris, Apris, Leonibus* in turmas militares diſpoſitis vtebantur, & vt milites habebant, ſic qui inſecuti ſunt, meliori ſan. euentu *Elephantes* ſub ſignis habuerunt. Et intermiſſum de fortitudine *Apri* ſermonem lubens repeto cuius præclarum teſtimonium in Clitophontis & Leucippes amoribus apud Achillem Tatium in limine libri ſecundi, verba Hannibalis Crucei ſunt Latini interpretis, nam Græca non ſunt ad manum. *Illa deſcriptam ab Homero Suis cũ Leone pugnam primum, aliud deinde mollius etiam, roſa ſcilicet laudes cecinit.* Et Homerus quidem præclare illum laudat lib 17, Iliad. in limine,

ὀυτ' ὀῦν Παρδάλιος τόσσον μένος, ὀύτε λέοντος,
ὄυτε συὸς κάπρου ὀλοόφρονος. ἒτε μέγιςος G
θυμὸς ἐνὶ ςήθεσσι περὶ σθένεϊ βλεμεαίνει
ὅσσον Πάνθου ὗιες ἐϋμμελίαι φρονέουσιν.

[illegible] lege φορέουσιν.
[illegible] Homer' cor[illegible]

Neque igitur Pardi tanta vis, neque Leonis
Neque Suis Apri pernicioſi cuius maximus
Animus in pectoribus magno robore furit,
Quantum Panthi filij pugnaces ſuperbiunt.

Exerti den[illegible] [illegible] c.1.

De dentibus, in quibus præcipua fortitudinis ſigna, nonnulla delibo: Sunt illi contrario ſitu ac Elephantorum, nam Elephantis deuexi ſunt, Suibus feris ſurſum vncos tendunt, & ſunt exerti, quare ἀῤῥένες ὗες χαυλὶ ὀδοντας ἔχουσι ait Ariſtoteles in hiſtoria Animalium. *Sues mares exertos dentes habent.* Et ſunt veluti arma ei quadrupedi a natura conceſſa, quibus & ſe ab aliorum animantium iniuria tueatur, & homines impetat. Hieronym. Augerianus,

— *Exerto dente cruentus Aper.*

Dentium horum magnitudo eſt ſupra fidem, vt hic videre potes, vbi de venatione ſilueſtri ago & Iacobus de Vitriaco Epiſcopus Acconenſis & Cardinalis in Hiſtoria Hieroſolymitana. *ſunt ibi porci,* feri ſcilicet, de iilis enim eo loci agit, *magnæ & miræ magnitudinis, habentes dentes cubiti vnius.* elegantér Sidonius Apollinaris. H

lib. 1 c. 86.

[illegible] rm. 2; V. [illegible]

Formam imponit Apri, caputq́ ſetis
Et tergum aſperat, hiſpidiſue malis
Læue incuruat ebur, vel ille fingit
Hirtam dorſa feram repanda tela
Attritu aſſiduo cacuminantem.

Et Carm. 5. V. 91, dentis vſum, vt alij, non male depingit,

——— *velut hiſpidus alta*
Sus prope teſqua iacet, clauſuſq́, cacuminat albis
Ob nigrum telis, grauidum circumlatrat ingens
Turba Canum, ſi forte velit concurrere campo:
Ille per obiectos vepres timet, atque ſuperbit
Vi tenuis, fortiſq́, loco, dum proximus Eia
Venator de colle ſonet, vox nota magiſtri.

Laxatam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Laxatam reparat rabiem, tum pectora cæcus*
Fastidit sentire furor. *Venatoris vox.*

Hos pugnaturi exacuunt Plutarcho teste in Gryllo. & Eustathius Homeri Scholiastes multis, tam periculosum ab ijs est vulnus, vt nullum omnino remedium veteres cognouerint, eratque vulgaris opinio eodem modo se habere fulmine afflatos, ac Aprini dentis impressione violatos, vnde *fulmineus Aper*, & *fulminei dentes* audiunt, Silius Italicus supra. Richardus Bartolinus Austriados libro septimo. *Acuunt pugnaturi.* *Fulminei.*

Tum vero haud aliter scopulosa Cerannia trauans,
Venantum telis Sus Epirotica sæuit,
Et fremit horrendum, calidoq; effulminat ore,
Protinus irarum frendens retinacula soluit.

Ouidius lib. 10. Metamorph. vbi sic Venus.

Fulmen habent acres in aduncis dentibus Apri.
Inuisumq; mihi genus est.

B Oppianus Cilix lib. 3. Cyneget. V. 380. ex Xenophonte.

ἐστὶ δέ τις κάπροιο φάτις περὶ, λευκὸν ὀδόντα
λάθριον ἐντὸς ὅμεν μαλερὴν πυρόεσσαν ἐνιπὴν *Oppianus Xenophōtis trāscriptor.*
σῆμα δὲ ἐφημερίοισιν ἀριφραδὲς ἐῤῥίζωται:
ὁππότε γὰρ πολὺς ὄχλος ἐπήτριμος ἀγρευτήρων
σὺν κυσὶν εὐτόλμοισι ποτὶ χθόνα θῆρα βάλωνται
Αἰχμῇσιν δολιχῇσιν ἐπασσύτερον δαμάσαντες
δὴ τότ' ἀπ' αὐχένος εἴτις ἀειράμενος τρίχα λεπτὴν
θηρὸς ἔτ' ἀσθμαίνοντος ἐνιχρίμψειεν ὀδόντι
Αἶψα μάλα σφαιρηδὸν ἀνέδραμεν αἰθομένη θρίξ,
καὶ δ' αὐτοῖσι κύνεσσιν ἐπὶ πλευρῆς ἑκάτερθεν,
ἔνθα συὸς γονύων πελίασαν αἴθωνες ὀδόντες
ἴχνεα πυρσευθέντα διὰ ῥινοῖο τέταυται.

Latine sic commode reddentur.

C *Est vero quædam de Apro fama in albo dente*
Occultam inesse ardentem & igneam vim,
Signum autem hominibus certo constat eius rei
Quando enim magna turba conferta venatorum
Cum canibus audacibus humi feram prostrauerint
Hastis longis cateruatim domitam,
Si quis tunc de ceruice sublatum pilum tenuem
Feræ adhuc anhelantis admoueat denti, *Mirū igneæ naturæ experimentum.*
Illico valde in gyro conuoluitur adustus pilus:
Atq; etiam in ipsis canibus super latera vtrinq; secus
Vbi Apri malarum admoti sunt ardentes dentes
Vestigia vstulata per pellem extensa sunt.

Martialis lib. 11. epigramm. 70.

Fulmineo spumantis Apri sum dente perempta,
D *Quantus erat, Calydon, aut Erymanthe tuus.*

Et quia hæc naturalia illi, vt dixi, arma, & aduersus quorumlibet animalium iniurias validum munimentum, vt ait Martialis lib. 13. epigramm. 94.

Dente timetur Aper,

Ideo *lapides quosdam politos & leuigatos affectat, quibus admotis dentes suos & mundet Aper, & acutos reddat, si vis hostilis ingruat,* vt cum alijs, prodidit Claudius Aelianus, sed & alibi. τὸν σὺν τὸν ἄργιον φασὶ μὴ πρότερον ἐπί τινα φέρεσθαι πρὶν ἢ τοὺς χαυλειόδοντας ὑποθῆξαι. μαρτυρεῖ δὲ ἄρα καὶ τοῦτο ὅμηρος, λέγων. *Lapidibus leuigatos eos polit.* *lib. 6 c. 1.* *lib 5. c. 45.*

—— θήξας λευκὸν ὀδόντα.

Aprum priusquam in aliquem inuadit, dentes exacuere ferunt, cuius rei testimonio Homerus est, cum ait.

—— *acuens album dentem.*

Dentes istos mire miro candore affectos aiunt, vnico id probabitur carmine Hadriani Imperatoris, qui Borysthenem Equum suum venatorium tumulo & Epitaphio honorauit, vt scribit Dio Coccejanus, aut verius Ioannes Xiphilinus ex eo verba sunt. *Albi sunt.* *Lib. 69. pag. 792.*

Bory-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Epitaphium Equi Boryſthenis.

Boryſthenes Alanus E
Cæſareus veredus,
Per æquor,& paludes
Volare qui ſolebat,
Pannonio nec vllus
Apros in ſequentem,
Dente Aper albicanti,
Auſus fuit nocere.
Vel extima ſaliua
Sparſit ab ore caudam,
Vt ſolet euenire,
Sed integer iuuenta,
Inuiolatus artus,
Die ſua peremptus,
Hic ſitus eſt in agro. F

Timenda dẽtium vulnera.

Timenda ſane ac iure perhorreſcenda igneoru m horum dentium vulnera Phlegon Trallianus in excerptis hiſtoricis,qui non ad manũ,probat,& luculento verſu Statius lib. 6.Thebaid.V.86c.

Prato. meli

Non ſic ductores gemini gregis horrida Tauri
Bella mouent,coniux medio ſtat candida campo
Victorem expectans,rumpunt obnixa furentes
Pectora,ſubdit amor ſtimulos,& vulnera ſanat,
Fulminei ſic dente Sues,ſic biſpida turpes.
Prælia villoſis ineunt complexibus vrſi,
Vis eadem Oenidæ.

Seuio curuati.

Lib. 3. laud. Stil.

Creſcente ætate,& ſæuio inualeſcente,curuabantur magis dentes, vt Leones vnguibus augeri, Tauris,& Ceruis cornua,ætate ipſa,grandiora fieri vetus perſuaſio eſt, nec non teſtimonio Ariſtotelis & Xenophontis confirmata,ideo Statius ſupra laudato loco *lunatam cuſpidem* hoc eſt dẽtem ad Lunæ dimidiatæ effigiem incuruatum,appellauit.dixi multis ad illud Claudiani.

Dalmatiæ lucos,abruptaq́ brachia Pindi G
Sparſa comam Britomartis agit, tu Gallica cingis
Luſtra Leontodame, Germanorumq́ paludes
Eruis,& ſi quis defenſus arundine Rheni,
Vaſtus Aper nimio dentes curuauerat æuo.

Acuti valde Sica dicti.

Tam acuti illi,& fortes,vt nihil non rumpant obuium,ſcindantque,quare a Sidonio Apollinare in Carminibus ſæpe,& alijs,*ſicæ* vocantur,quod ſicarum more res quaslibet violent atque comminuant,Ioannes Sauaro eruditiſſimus multa collegit. Hadriani pulchrum carmen.

Ecce protinus horridus feroxq́,
Ore ſpumat Aper,fremitq́ dente,
Voluens trux oculos,modo huc,modo illuc,
Dorſo horrentibus hiſpidiſq́ ſetis.
Calloſa cute,caute duriore.

Et breuiter in laude Herculis dixerat Claudianus.

— *Lunatis findebat dentibus ornos.* H

Affixi domibus.

Lib. 5. epigr. 68.

Aut templis

Eclog. 7.

Denique ſolebant domibus ſuis venatores,aut etiam Diane fauo dentes hos ſuſpendere,eratq; id aut nobilitatis aut religionis argumentum. Q.Symmachus.*ſuppetere nobis plenam roboris valetudinem,ferarum indago teſtatur,hac igitur prima mihi de vobis gaudij cauſa eſt,quod ruſticis voluptatibus ſanitatem iuuatis,ſecundus lætitiæ gradus eſt,venatu capta meruiſſe,nam vt honori numinum datur cornua ſacrare Ceruorum,& aprinos dentes liminibus affigere,ita amicorum cultui dedicantur libamenta ſiluarum.* Seruius ad illud Virgilij.*Setoſi caput hoc Apri,*& paſtores & venatores Dijs venationibus præſidibus ſuſpendere ſolere docet.ipſe Bucolicus.

Setoſi caput hoc Apri,tibi Delia,paruus,
Et ramoſa Mycon viuacis cornua Cerui
*Si proprium hoc fuerit.*ſupple,dedicat,aut ſacrat.

Eidibus Augusti.

Lib. 2. c. 2. & c. 7.

Et cum dentibus his,quicquid erat inſtrumentorum venatoriorum,ſuſpendebatur, quod ſolẽne fieri Eidibus Auguſti , quia tum Diana ipſa ferarum venatione abſtinere credebatur, Scholiaſtes Pindari apud Ioannem Brodæum notis in Anthologiam , & ego multis Antiquitat. Roman.

VSVS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

VSVS IN CONVIVIIS, & luxus.

INCREDIBILIS sane nec ferendus priscorum luxus circa hunc quadrupedem, nam & tam sæpe, varie, magna copia, eo vescebantur Græci Latinique, vt fidem superent ea quæ iam sum dicturus. Primum de condimentis varijs fuse Cælius Apicius. in re Culinaria, & eius simia B. Platina. nonnihil obiter C. Plinius, vbi de Myrto. *Succorum natura præcipuam admirationem habet in myrto, quando ex vna omnium, olei vinique bina genera fiunt, item Myrtidanum, vt diximus, & alius* *lib.8.c.1.* *lib.15.c.29.* *Myrto conditur.*
vsus baccæ fuit antiquos, antequam piper reperiretur, illius obtinens vicem, quodam etiam generosi obsonij nomine inde tracto, quod etiam nunc Myrtarum vocatur, eademque origine Aprorum sapor cōmendatur, plerumque ad intinctus additis Myrtis. indeque intelligenda sunt ea apud Varronem libro quarto linguæ Latinæ. *Murtaium a Myrto, quod ea large fartum intestinum crassum.* verba sunt Aelij Spartiani. *huius voluptates ab ijs, qui vitam ipsius scripserunt, multæ referuntur equidem non infames, sed aliquatenus diffluentes, nam tetrapharmacum, seu potius pentetrapharmacum, quo semper postea Adrianus est vsus, ipse reperisse dicitur, hoc est sumen, Fasianum, pauonem, pernam crustulanam, & Aprugnam, de quo genere cibi aliter refert Marius Maximus, non pentepharmacum, sed tetrapharmacum appellans.* diuersissima postremorum verborum est lectio, scilicet, *sumen, fasianum, pauonem, pernam, crustula, & aprugnam,* sed vitiosa omnia, nam sic non tetrapharmacum esset, aut pentepharmacum, sed hexpharmacum, ideo prior lectio retinenda. *Aprugnum* hoc vocarunt. supra multis, vbi de *Vuluarum* differentia in *Sue* egimus: id deplorant Orationes M. Catonis Censorij referente C. Plinio. *Iam Catonis Censoris orationes Aprugnum exprobrant callum, in tres tamen partes diuiso, media ponebatur, lumbus aprugnus appellata.* Martialis festiuum est epigramma lemmate 44. lib. 1. Raderus ibi.

Murtarum. B *In Aelio Vero.* *Pentepharmacum.* *Varia lectio in Spartiano* *Aprugnum.* *lib.8.c.51.*

> *Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,*
> *Et positum est nobis nil here, præter Aprum.*
> *Non quæ de tardis seruantur vitibus vuæ,*
> *Dulcibus aut certant quæ Melimela fauis.*
> *Non pyra, quæ lenta pendent religata genista,*
> *Aut imitata breues punica mala rosas.*
> *Rustica lactentes nec misit fiscina metas,*
> *Nec de Picenis venit Oliua cadis.*
> *Nudus Aper, sed & hic minimus, qualisq́; necari*
> *A non armato pumilione potest.*
> *Et nihil inde datum est, tantum spectauimus omnes;*
> *Ponere Aprum nobis sic & arena solet.*
> *Ponatur tibi nullus Aper post talia facta:*
> *Aut tu ponaris, ceu Charidemus, Apro.*

C

Frequentissimus ille in hac lautitia, aliquot loca adscripsi. lib. 3. epigr. 13.

D

> *Dum non vis leporem, dum non vis carpere nullum*
> *Et plus, quam patri, Neuia, parcis Apro.*

Libri eiusdem epigramm. 49.

> *Putidus est, toties si mihi ponis Aprum.*

Et eodem postea libro epigramm. 74. Ponere. *verbum conuiuale.*

> *Nec Mullus, nec te delectat, Batice, turdus,*
> *Nec Lepus est vnquam, nec tibi gratus Aper.*

Lib. 7. epigramm. 19. Glandulas commendat. *Glandulæ.*

> *Ter poscit Apri glandulas, quater lumbum.*

Eiusdem libri epigramm. 58. vulgarem cibum esse insinuat.

> *Non cœnat siue Apro, noster, Tite, Cæcilianus.*

Libro eodem epigramm. 77. lautos cibos enumerans.

> *Sumen, Aprum, Lepores, Boletos, Ostrea, Mullos.*

Et lib. 8. epigramm. 22.

> *Inuitas ad Aprum, ponis mihi, Gallice, Porcum;*

Lib.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Lib.9.epigramm.15.argute. E

Aprum amat, & Mullos, & ſumen, & oſtrea.

Lib.12.epigram. 18.pari omnino ſententia.

Cænat Boletos, Oſtrea, Sumen, Aprum.

Libri eiuſdem epigramm.48 inſanum luxum taxat.

Boletos, & Aprum, ſi tanquam vilia ponis.

Auſter cibos putrefacit.

Horatius meminit lib.2.Satyr.2.

Præſentes Auſtri coquite horum obſonia, quamuis
Putet Aper, Rhombuſq́; recens.

Cibus Paleſtritarum.

Athletæ & Paleſtritę, non alio cibi genere paſti, quod is & ſolidus maxime eſſet, & firmiſſimam conſtitutionem facit, Hieronymus Mercurialis obſeruauit, & nos ſupra in Porco, Martialis libro tertio epigramm. octuageſimo.

Partitur Apri glandulas Paleſtritis.

ἀσχέδωρος.

Lautiſſimas ex Apro Cupedias Siculi faciebant, quibus *ἀσχέδωρος Aſchedorus* dicitur, vt Æſchylus in fabula, cui Phorcides nomen poſuit, perijtque & Cleomenes Regienſis, vterque diu in Sicilia verſatus, teſtantur, & Antiphanes in Cyclope. F

τράγος ὑλιβάτης, αἴξ οὐρανία κριὸς
τομίας, κάπρος ἐκτομίας, ὗς οὐτομίας.

Caſtrati Apri meliores.

Hircus per ſiluas errans, capra caleſtis, Aries
Exciſus, aper caſtratus, Sus integer.

Quæ gulæ diuerſitate a coquis exhiberetur, inferreturq; Aper conuiuiis, nemo ſuauius meliuſve Claudiano meo expreſſit, cuius hæc ſunt. lib.2.in Eutrop.

Diuerſitas obſoniorum.

Mergitur, & pingui ſuſpirat robore moles,
More Suis, dapibus quæ iam deuota futuris
Turpe gemit, quoties Hoſtius mucrone coruſco
Amatur, cingitq́; ſinus, ſecumq́; volutat,
Quas figat verubus partes, quæ fruſta calenti
Mandet aquæ, quantoq́; cutem diſtendat Echino,
Flagrat opus, crebro pulſatus perſtrepit ictu, G
Contexit, varius penetrat Calcedona nidor.

Aſſatum. Elixum.

Viliſſima pars Apri cenſebantur *Clunes*. Iuuenalis cum ſtomacho Satyr.5.in fine.

Clunes pars deterior.

Spes bene cænandi vos decipit, ecce dabit iam
Semeſum Leporem, atque aliquid de clunibus Apri,
Ad vos iam veniet minor altilis.

Necabãt in culina.

Hunc ipſi coqui in culina necabant, viuum eo perductum, quo illud Martialis, pertinere vult Lipſius, lib.1.epigramm.50,

Mactabis & vernas apros.

Carpus.

Nec minus ab ijſdem cocis in culina ſcindebãtur, & erat præter cocum, qui edulia in fruſta ſcinderet perite cultello circumducto, dictus Petronio *Carpus*, Iuuenali *Chironomon*, Martiali *Structor*, a lijs alio vocabulo, vt libro quinto Antiquitatum Romanarum fuſe, vt puto, oſtendi: in culina autem Carpus ille Aprum diſſecabat, in pergula inferebat menſæ. Vetus Scholiaſtes Iuuenalis ad Satyr.11.Verſ.139.

Pergula. repoſitoriũ ciborum. Schola ſciſſorum.

Sed nec ſtructor erit, cui credere debeat omnis H
Pergula, diſcipuli Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno Lepus, atque Aper, & Pygargus,
Et Scythiæ volucres, & Fęnicopterus ingens,
Et Gætulus Oryx, hebeti lautiſſima ferro
Cæditur, & tota ſonat vlmea cana ſuburra,
Nec fruſtum Capreæ ſubducere, nec latus afræ
Nouit auis noſter tirunculus.

Apri integri

Sed iam incredibilia narro. ſolidos Apros menſis illatos, & veluti nauſeabundos cibos ſtatim amotos, vt melioribus locus eſſet. Flauius Vopiſcus in Aureliano, ad finem. *Vehementiſſime delectatus eſt Phagone, qui vſque eo multum comedit vt vno die ante menſam eius, aprum integrum, centum paues, veruecem & porcellum comederet, biberet autem, infundibulo appoſito, plus orca*. Vetus Scholiaſtes Iuuenalis ad Satyr.1.V.141. *apud antiquos munificentia videbatur apparatior, ſi in conuiuio Aper integer fuiſſet adhibitus*. ipſe Satyricus.

Nullus iam paraſitus erit, ſed quis ferat iſtas

Early Europeon Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos*
Ponit apros animal propter conuiuia natum?

Tam insanientis luxus detestationem prosequuntur passim autores, inuentorem prodit C Plinius his verbis. *solidum Aprum Romanorum primus in epulis apposuit P. Seruilius Rutilius, pater eius Rulli, qui Ciceronis consulatu legem agrariam promulgauit, tam propinqua origo nunc quotidianæ rei est, & hoc annales notarunt horum scilicet ad emendationem morum, quibus notata quidem cæna, sed in principio bini ternique pariter mandantur Apri.* Nec vnum tãtum Aprum, sed duos, sed tres, vna cæna apponebant, vt vltima verba Plinij abunde probant. sed leuia sunt hæc, præ ijs quæ sequuntur, nam cum fumantes tricliuio solerent eos inferre, & nesciretur hora certa cænæ, toto tempore pomeridiano assabant, vt hora cænæ e tostu & veru Aper esset calidus. Plutarchus. *Exposuit auo nostro Lamphiæ Philotas Amphissensis medicus, fuisse se id temporis Alexandriæ causa studiorũ, cui, quod consuetudo cum vno ex coquis regijs intercederet, impulsum se iuuenem ab illo, vt splẽdorem & apparatum cænæ vnius contemplaretur, inductus igitur in culinam, vt inter multa alia vidit octo apros assari, numerum se miratum fuisse conuiuarum, ibi risisse cocum, ac dixisse, non esse frequentes* B *conuiuas, sed circa duodecim, vnumquodque ferculum ponendum in vigore, qui memento deflorescat, etenim fieri posse, e uestigio cænare vt Antonius velit, vel paulo post, vel forte traducat tempus poculo poscendo, vel sermõne aliquo illato, vnde non vna inquit, sed multæ parandæ sunt cænæ siquidem difficile coniectu tempus est.* Ista etsi grandis est apparatus, longe tamen a Carani cæna superatur, vt ex descriptione Athenæi libro quinto constat, in qua vnicuique conuiuę suus aper cum disco patinaue argentea dabatur, locum in *Sue* supra produxi. Ab enormi hac & profunda luxuria *Apros Miliarios* vocabant, hoc est *mille librarum*, autores illustres meminerunt. M. Varro in re rustica. *anne dulcior est fructus apud te ex bubulo pecore, vnde apes nascuntur, quam ex apibus quæ ad villam in aluearijs opus faciunt, & num pluris nunc tu e villa illic natos verres lanio vendis, quam hic Apros Macellario Seius? qui minus ego, inquit,* locus est deprauatus, & sic corrigendus, & noua inter punctione distinguendus. *Natos Verres lanio vendis, quam hic Apros Milliarios? Seius, qui minus ego, inquit.* L. Seneca, grauiter, vt solet. *non est quod te nimis laudes, si contempseris aureos lectos, & gemmeam supellectilem, quæ est enim virtus superuacanea contemnere? tunc te admirare, cum contempseris necessaria. Non magnam rem facis, quod viuere sine regio apparatu potes, quod non desideras A-* C *pros, nec linguas Phænicopterorum, & alia portenta luxuriæ, iam tota animalia fastidientis, & certa membra ex singulis eligentis.* Martialis ab hac mente capiendus, & cæcutiunt Interpretes.

Autor luxus lib.8.c.51. *Duo aut tres vna cæna.* *Octo interdũ* *In Antonio pag.918.* *Incertum cænæ tẽpus.* *Pro numero conuiuarum* *Miliary Apri.* *lib.3.c.2.* *Varro correctus.* *Epist.110.* *Lib.9.epigr.49.*

Inter quæ rari laurentem ponderis Aprum
Misimus, Aetola de Calydone putes.
At tu continuo populumq. patresq. vocasti,
Ructat adhuc Aprum callida Roma meum.
Ipse ego, quis credat? conuiua nec vltimus hæsi:
Sed nec costa data est, caudave missa mihi.
De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla
De nostro nobis vncia venit Apro.

Aprorum ergo quædam partes minus vtiles conuiuijs, & viliores, quam vt mensis inferri deberent, ideo dono clientibus transmittebantur, vt omittam Medicorum sententiam *octauam Apri partem in sanguine, & pilis absumi.* Nec tantæ voracitati siluæ omnes Europæ nemorave suffecissent, nisi helluones gulæ suæ prospexissent, nam & domi saginabant, & caueis, vinarijsque Apros D alebant, qui siluestres imitarentur, & noua subinde sobole Nepotibus sufficerent, dixi in Hetruria Regali, vetus Scholiastes Iuuenalis ad V.115. Satyr.5. agnoscit. ipse poeta.

Partes minus vtiles. *Alebãtur domi Apri.* *lib.3.c.94.*

Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par
Altilis, & flaui dignus ferro Meleagri
Spumat Aper.

Vltimum versiculum corrigendum putant viri docti, quibus vltro assentior, & lego. *Iuuenalis correctus.*

Fumat Aper. paulo infra.

Martialis manifeste lib.9.epigramm.90.

Vt captum teneas, capto quoque munera mitte.
De cauea fugiat ne male pastus Aper.

Inferebantur calidissimi, & adhuc a foco fumantes, Plutarchus supra, & Iuuenalis proxime correctus, Martialis lib.14.epigram.221. *Fumantes illati.*

Parua tibi curua craticula sudet ofella,
Spumens in longa cuspide fumet Aper.

Circa calentem & e veru stillantem Aprum illati varij fructus, poma, nuces, far, glandes, & alia *circa glãde*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

illius generis,*vel vt inter illa captus videri poſſet,vel vt i illis damna intuliſſe*,vt doctor meus Iuſtus E
lib.3.c.1. Lipſius in Poliorcetis ſcripſit, Iuuenalis locum ſupra attuli,in varijs edulijs,vbi de offa,Horatij ad dendus lib.2.Satyr.8.ſtatim in limine.

Imprimis Lucanus Aper leui fuit Auſtro
Captus,vt aiebat cœnæ pater,acria circum
Rapula,lactucæ,radices,qualia laſſum
Peruellunt ſtomachum,cicer,alec,fæcula Coa.

In patinis. In grandioribus autem patinis illati Apri,ſupra in Carani Macedonis delicioſis epulis,& inter Romanos Horatius lib.2.Satyr.4.

Nec ſatis eſt cara piſces auertere menſa,
Ignarum quibus eſt ius aptius,& quibus aſſis
Languidus in cubitum iam ſe conuiua reponet.
Vmber & Iligna nutritus glande,rotundas
Curuet Aper lances carnem vitantis inertem. F
Nam laureus malus eſt.

Dimidiatus Aper. Cap.34. Hinc corruptiſsimis moribus laudes mereri videri volebant Tiberius Princeps, dum dimidiatum Aprum apponeret. verba Suetonij ſunt. *cenſuit Annonam macelli,Senatus arbitrio, quotannis temperandam,dato ædilibus negotio popinas ganeaſq. vſque eo inhibendi,vt ne opera quidem piſtoria venalia proponi ſineret.& vt parcimonium publicam exemplo quoque iuuaret,ſolemnibus ipſe cœnis, pridiana ſæpe,ac ſemeſa obſonia appoſuit, dimidiatumq. Aprum, affirmans omnia eadem habere quæ totum*, quid ſit autem dimidiatus Aper diſputat accurate Aulus Gellius in Noctibus Atticis. C.
lib.3.c.14. Lucilius.

Vno oculo,pedibuſq. duobus dimidiatus
Vt Porcus.

Vſus antiquus. Vt verum eſt a Rullo luxum,ſolidos Apros ſimul cõuiuijs inferendi,moremque excogitatum, ita diffitendum non eſt,quin antiquiſsimus fuerit vſus moderate ijſdem vtendi. teſtis idoneus de vetere republica M.Plautus. Poenulo Act.3.Sc.2.

Quid opus eſt verbis? callum aprugnum G
callere æque non ſinam.

Et in Perſa Act.3.Sc.5.in limine.iocoſe.

Satin' tenes? magis calleo quam aprugnum
callum callet.

Et alijs quoque ex eodem poeta locis antiquitas probari poſſet, ſed hæc ſint ſatis. vnum addo
Sanguis Apri. lib.11.c.38. de ſanguine Apri,fuiſſe interdum inter cibos,hodieque etiam pleræque gentes ex eo inteſtina far ciunt,& tarcimina boni ſaporis condiunt. C.Plinius medice definiuit *Sanguis Aprorum,& Ceruorum,Caprearumq.,& Bubalorum omnium non ſpiſſatur.* Hæc ille, vt multa alia ex Ariſtotele, & ex eo Galenus,hauſerunt.

STRATAGEMA.

lib.3 c.3. EXIGVVM hoc, nec tamen omittendum, Iulius Frontinus in ſtratagematis. H
Hannibal apud Tarentum,quæ præſidio Romano,duce Liuio tenebatur,Eonium quendam Tarentinum,quem ad proditionem ſollicitauerat,eiuſmodi fallacia inſtruxit, vt ille per cauſam venandi noctu procederet.quaſi id per hoſtem interdiu non liceret,
Hannibalis ſtratagema. *egreſſo ipſi Apros ſubminiſtrabant,quos ille,tanquam ex captura Liuio offerret,idq. cum ſæpius factum eſſet,& ideo minus obſeruaretur,quadam nocte,Hannibal venatorum habitu Pœnos comitibus eius commiſcuit,qui cum onuſti venatione quam ferebant,recepti eſſent a cuſtodibus,protinus eos adorti occiderunt,tunc fracta porta immiſſus cum exercitu Hannibal,*
Frontini varia lectio. 3.Decad.li.5 Liuio non cõuenit cum Frontino. *omnes Romanos interfecit,exceptis his,qui in arcem refugerant,alij legunt præfugerant*,ſed optime legetur *profugerant*. Narrat proditam vrbem Tarentum Liuius ſpecie quidem venationis, ſed proditionis autorem non *Eonium*, ſed *Niconem*, & *Philopemenem* Coniurationis Principes, & venator fuit *Philopeme nes*,nec vlla tamen *Aprorum* eo loci mentio eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A

MORALIA.

HANC etiam Aprinæ naturæ partem accommodabimus ad humanæ vitæ societatem sancte colendam, ea enim ferarum, & vel maxime Aprorum conditio est, in sui generis sobolem non sæuire. Vetus Scholiastes Iuuenalis ad Satyr. quintadecima Vers. centesimo quinquagesimo nono. *nec serpens serpentem comedit, nec fera sui generis feram. Varro. Canis caninam non est, nec Aper a sua gente perimitur.* ipse Satyricus.

Sed iam serpentum maior concordia, parcit
Cognatis maculis similis fera, quando Leoni
Fortior eripuit vitam Leo? quo memore vnquam
Expirauit Aper maioris dentibus Apri?
B *Indica Tigris agit rabida cum Tigrida pacem*
Perpetuam, sæuis inter se conuenit Vrsis.
Ast homini ferum. & quæ sequuntur.

Sunt tamen, qui affirment acerrimas inter Apros ipsos pugnas committi. vnicum locum Statij Papinij adposui lib. 11. V. 531. Thebaid. *Statius Iuenali cõtradicit.*

Fulmineos veluti præceps cum cominus egit
Ira Sues, strictisq; erexit pectora Setis, *Iratus Aper*
Igne tremunt oculi, lunataq; dentibus vncis
Ora sonant, spectat pugnas de rupe propinqua
Venator pallens, canibusq; silentia suadet.
Sic auidi incurrunt.

Penultimum versiculum vexat Iulius Cæsar Scaliger in Critico, quod *venator* non proprie dicatur *pallens*, qui potius dicendus esset *gaudens*, quod ex duorum *Aprorum* lucta, prædam facilem esset habiturus. sed Statio sua dignitas aduersus Criticum, libere nimis omnia culpantem, & veluti impune grassantem, constat, nam nihil aliud est *pallere* quam *gaudere*, phrasi vsitata illi, vt lib. 1. Thebaid. V. 620. *Statius defensus.* C *Pallens idest gaudens.*

Magnaq; post lachrymas etiamnum gaudia pallent.

Imitatus illum Claudianus lib. 2. laud. Stil.

Sollicitæ iuxta pallescunt gaudia matris.

Et alibi idem ille dixerat.

— *Viuoq; etiam pallescit in auro.*

Hanc ferarum concordiam cum naturæ humanæ diffidijs, & nocendi alijs propensione Nicolaus περὶ ἠθῶν *de moribus* scripto vetustissimo opusculo, contulit, & eum alij secuti, præsertim Pythagorici, & Stoici.

AVGVRIA.

D

SICVTI Albam longam domesticæ Suis omine & augurio conditam supra ostendi, ita hic Mediolanum a feri Suis præsagio conditam ostendam: licet Marcus Cato in Originibus autorem eius faciat *Medum potentem Insubrum Principem.* Hanc male in Aquitania locat Stephanus Byzantinus libello de Vrbibus, peius in Germania Ptolomæus constituit, cum sit ad Alpium radices in Gallia Togata, vt ex multis docui in Hetruria Regali libro quarto capite nonagesimoquarto, & videantur Flauius Vopiscus in Carino in limine, Chronica Bassiana, Carolus a Basilica Petri Episcopus Noariensis, Galuanus a Flamma MS. in Bibliotheca Ambrosiana, Tristanus Caluus MS. ibidem, & Paulum Morigeam ordinis Iesuatorum, vt veteres omittam, Marcello Plutarchum, Polybium lib. 2. pag. 122. Ammianum lib. 15. in fine, Tacitum, Strabonem, Plinium, Gottefredum, Viterbiensem in Chronico, & alios. Autores Thusci tum præclare vrbis. Iuo Carnotensis MS. *Mediolanum ad Alpes fundauere Thusci, Galli ijs expulsis, perfecere, ac ex pagis iustam vrbem reddidere augurium nomen dedit, quod, dum fundamenta iacerentur, Sus lauatus inuentus dicitur.* Isidorus Hispalensis. *vocatum Mediolanum ab eo quod ibi Sus in medio lanea perhibetur inuenta.* Et Suem quidem hunc laneum, siue Aprum, ad mores mansuetos & ciuiles incolarum mores transducen-

Mediolani ortus. *Stephani error, & Ptolomæi.* *Pag. 301.* *Part 9. pag. 231.* *In Cosmographia.* *Relictus in Hetruria cu bibliotheca mea.* *lib. 15. c. 1.* *Sus lanea.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

dum reor, vt pro ſetis ſcilicet horridis lanam molem geſtarit autores non vulgati. Claudian. Nu- E
pt. Honor.

Continuo ſublime volans ad mœnia Gallis
Conditalanigeris,ouis oſtentantia pellem
Peruenit.

Claudianus correctus. Emblem. 2.

Locus eſt corruptus, vt ex dictis apparet, & ex Iuſtino lib. 20. in fine, & Alciato corrige.

—— Sublime volans ad mœnia Gallis
Condita, lanigeræ Suis oſtentantia pellem.

Sidon. Apollinar. lib. 7. Epiſt. 17.

Et quæ lanigero de Sue nomen habet.

Erricus Monachus lib. 5. de vita S. Germani.

Vlteriora petens claram defertur in vrbem,
Quam Mediolanum fertur dixiſſe vetuſtas,
Fama ferit, quamquam famæ non creditur omni, F
Quondam inteſtinis flagrans quod Gallia bellis,
Expulerit proprios violento Marte colonos
Sedibus a proprijs, Latio qui forte coacti,
Hanc conſtruxerunt collatis ſtipibus vrbem:
Dicentes Medio facti de nomine lanum,
Quod cum prima nouis ſtruerent fundamina muris,
Lanea Sus media perhibetur parte reperta.

Herric⁹ correctus.

Verſus ſeptimus corruptus eſt forte eſſet.

Hanc conſtruxerunt collatis ſtirpibus vrbe.

Aut aliquid ſimile ſupponendum, *viribus*, aut aliud, tu lector videris.

H STORICA.

Lib. 69. pag. 792. G

NEC hoc non referam. fuit Hadrianus Auguſtus ὄυτω περὶ τὴν θήραν ἐπιδέξιος, ὡς καὶ μέγαν ποτὲ σῦν μιᾷ πληγῇ καθελεῖν. Verba ſunt Dionis Cocceiani, *adeo agilis in venationibus, vt Aprum quantumlibet maximum vno ictu cõficeret.* Aliud ex eodem adducendum pari argumento, aut ſane ex eius fragmentis apud Ioãnem Xiphilinum. ἀφικόμενος δὲ ἐς τὴν προειρημένην Νίσιβιν ὁ Σεβῆρος, ἐνέτυχε συὶ μεγίστῳ, ἱππέα τε γὰρ ἔκτεινεν ὁρμήσας καταβαλεῖν ἀυτὸν πειρώμενον καὶ τῇ ἑαυτοῦ ἰσχύι θαρρήσαντα. μόλις δὲ ὑπὸ πολλῶν στρατιωτῶν συλληφθεὶς τε καὶ σφαγεὶς, τριάκοντα τὸν ἀριθμὸν ὄυτων τῶν συλλαβόντων ἀυτὸν τῷ Σεβήρῳ προσεκομίσθη. *poſtquam Seuerus Niſibin venit, reperit Aprum maximum, qui magno impetu equitem deiecerat ex equo, atque interfecerat; dum is ſuis viribus conaretur ipſum conficere, tandem vero a triginta militibus captus cæſuſq; ad Seuerum perlatus eſt.* ita vertit Interpres Dionis, nec bene, melius Fridericus Sylburgius Notationis in Xiphilianam Dionis Epitomen. *Is enim equitem viribus ſuis fretum, ipſumq́; proſternere aggreſſum, impetu ſuo interemerat, ac vix tandem a multis militibus comprehenſus, & iugulatus, triginta enim numero fuerant, qui eum comprehenderant, ad Seuerum perlatus eſt.* Vir quidam Gallus nec indoctus, nec indiligens in illa H
ſua historica farragine, quam vocat *locos communes* retulit *Ferquhardum ſecundum Scotiæ regem ab Apro percuſſum interyſſe*, ſed errat ille, nam ex Hectore Boethio, Ioanne Leſlæo, & alijs omnibus hiſtoricis noſtratibus certum, regem illum non Apri, ſed Lupi vulnere ſuperueniente hydrope, corruptiſque reliquis putredine membris, interijſſe.

Lib. 75. pag. 853.

Interpres Dionis notatus.

Regis Scotiæ mors.

Error ſcriptoris Gallici

ONEIROCRITICA.

Cap. 281.

SOMNIORVM ſignificationes de Porco & Apro ſunt communes, hic tamen nonnihil retractabo. Achmes Seirimi F. ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐπολέμησε χοῖρον ἄγριον, ἐχθρὸν δυνατὸν καὶ πολὺ ἐξόπλιστον πολεμήσει. *ſi quis viſus fuerit manum conſerere cum porco ſilueſtri, cum hoſte potente & egregie inſtructo bellum geret.* rurſus in ſequentibus ſic habet. εἰ δὲ ἴδῃ ὅτι ἐπωχεῖτο συάγρῳ, ἄνδρα μέγιστον ἐχθρὸν καταδουλώσει, εἰ δὲ ἐστὶν ὁ ἰδὼν πτωχός, εἰς ὕψος καὶ πλοῦτον μέγαν ἥξει. *ſi quis Apro inſidere viſus ſibi fuerit, hoſtem ſuum, virumque ampliſſimum in ſeruitutem rediget, ſin is qui ſomnium habuit,*

Hoſtis potẽs

Victoria.

pauper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *pauper est, ad conditionem excelsam, & magnas opes euehetur.* paulo post. εἰ δὲ ἴδῃ ὁ βασιλεὺς ὅτι συάγρους ἤνεγκαν αὐτῷ, ἢ αὐτὸς ἐθήρευσεν κυνηγῶν, ἐχθοὺς δυνατοὺς ἀνελλόγως δεσμώσει καὶ συνάξει *si rex videre visus fuerit allatos sibi siluestres apros, vel quod eos ipse venando ceperit, hostes potentes, pro conspectorum Aprorum ratione, vinctos colliget.* insignis est locus Artemidori Daldiani, quem adpono. σύαγρος, ὑετόν τε καὶ χειμῶνα βίαιον σημαίνει τοῖς ὁδεύουσιν ἢ πλέουσιν, καὶ τοῖς δικαζομένοις δὲ, ἐχθρὸν δυνατὸν ἅμα καὶ βίαιον, καὶ ἀγνώμονα φωνῇ μιαρᾷ πολλάκις κεχρημένον, γεωργοῖς δὲ ἀφορίαν, διὰ τὸ λυμαίνεσθαι τὰ φυτὰ, καὶ τῷ γαμοῦντι, οὔτε εὔνουν, οὔτε ἐπιεικῆ τὴν γυναῖκα παρίστησιν. οὐδὲν δὲ θαυμαστὸν, εἰ καὶ σύαγρος γυναῖκα σημαίνει, καὶ γὰρ εἰ κακόζηλον, ἀλλ' οὖν εὑρήσεται εἰς ἐπίδειξιν ὡς πολλάκις ἐτήρησα καὶ προκαλεῖται τὸ ζῶον, καὶ εἰκότως γυναῖκα σημαίνει. οὕτω γὰρ λέγονται αἱ κατωφερεῖς, καὶ τὸ κάπροις κακοδαίμων Μένανδρος φησὶν. sic Latine sonant. *Aper tempestatem & pluuiam violentam significat, his qui iter faciunt, aut nauigant, & litigantibus aduersarium potentem, simulque violentum ac perfidum, scelesta voce sæpe vtentem: agricolis autem sterilitatem, propter quod plãtas pessundet: & ducenti vxorem neque benignam, neque mansuetam coniugem copulat. nihil vero miri est, si Aper mulierem etiam significat. nam si inepte moliatur mulier, certe reperietur & Aper exemplum*

Hostes vincti.
lib. 2. c. 12.
Tempestas.
Aduersarius
Sterilitas
Vxor non benigna.

B *xemplum sui edens, sicut sæpe obseruaui, quin & prouocatur hoc animal, & merito vxorem significat, sic enim dicuntur, quæ ad libidinem sunt procliues. sed & Aprinum Menander infelix dixit.* locũ non esse sanum docti deprehenderunt. & Nicolao Rigaltio autore corrigendus sic. οὕτω γὰρ λέγονται αἱ κατωφρεῖς, καὶ τὸ κάπρος, τὸ αἰδοῖον μὲν ἀνδρὸς φασὶ. *& per nomen Aper, genitale viri dicunt.* eadem Suidas. κάπρος τὸ αἰδοῖον τοῦ ἀνδρός. *Aper genitale viri,* vt dicunt *subare, subire, surire,* pro *libidinari,* ita *Aprire* erit *in Venerem ruere* desumpto vocabulo a Natura illius quadrupedis, qui valde pronus est in coitum, & libidinosus. Philoxeni glossæ καπρῶ *prurio.* Rursus Artemidorus. καὶ τὰ βίαια, καὶ τραχέα, καὶ ἀσύμβλητα, καὶ δυσσυμβούλευτα, ὁμοίως ἑαυτοῖς προσαγορεύουσιν ἀνθρώπους, ὡς σύαγρος καὶ ἄρκτος. *& violenta, & aspera, & implacabilia, & temeraria, similes sibi ipsis homines præsagiunt, velut Aper & Vrsus.* hæc quidem veterum fuit superstitio, sed omnium rerum euẽtus a Deo, nõ a fallacibus hominũ cogitationibus, nã vt recte Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus

ψευδεῖς ὀνείρους κοιλίας δηλοῖ γόμος.
Falsa insomnia ventris exhibet sarcina.

Infelicitas.
Artem. [illegible] correctio.
Genitale viri.
Aprire.
lib. 4. [illegible]
Violentia.
Asperitas.
Implacabilitas.
Temeritas.

C

FABVLÆ. ET MYTHOLOGICA.

INNVMERÆ circa hunc quadrupedem sunt fabulæ, primum *Piceus* apud Ouidium in Metamorphosi *in Aprum* mutatur, deinde *Adonidem*, natũ ex Myrrha arbore Veneri adeo dilectum, *Aper interemit*, quare odium illius deæ adeo magnum in genus illud creuit, vt templi sui aditu carnem porcinam tãgentes arceat dixi supra. vide Festum in voce *Suillum*. Plutarchus clare. εἰ δὲ δεῖ καὶ τὰ μυθικὰ προσβαλεῖν, λέγεται μὲν ὁ Ἄδωνις ὑπὸ τοῦ σύος διαφθαρῆναι. si vero etiam fabulosa licet huc adferre, fertur Adonis interfectus a Sue. hęc late exquirit omnia sacrificia Adonidi exhibita, & concludit Meragenes vnum eundemque esse Adonidem & Bacchum, quanquam si ortum vtriusq; liceat intueri diuersos reperiemus, nam Bacchus Semeles ex Ioue filius, Adonis vero Cyniræ Regis, cum tota antiquitate Claudius Aelianus in Naturali historia. & in Elymæa quidem regione eius templum fuisse a mansuetis Leonibus custoditum, qui cibum oblatũ caperent a conuiuis aduenis, decenterque, & sine vllo damno discederent.

Piceus in Aprum.
lib. 7.
lib. 4. Symp. c. 5.
Idem cu Baccho.
lib. 9. c. 36.

D fabulam vero narrat Seruius Maurus Honoratus. *in Cypro insula regnauit Cyniras filiam habens Myrrham nomine, quæ Solis ira in amorem incidit patris, cum quo etiam ministerio nutricis concubuit, namq; nutrix Myrrhæ dixit Cinyræ, esse quandam puellam, quæ eius amore flagraret & concubitum noctu in tenebris propter verecundiã expeteret virginalem. hoc, Cinyras incitatus libidine pollicitus est, cupiens deinde videre vultus puellæ, iussit lumen inferri, visamq; filiam persequi cum gladio cœpit, vt interficeret, quæ grauida de patre, aufugit in siluas, ibiq; mutata est in arborem nominis sui, sed infantem conceptum in cortice retinuit, & postmodum dente Apri excisum emisit in lucem, qui a nymphis educatus, Adonis cognominatus est, quem quia Venus amauit, Mars in Aprum transfiguratus occidit, quem multi commiseratione Veneris in rosam conuersum dicunt.* Aliter deinde eandem fabulam refert, sed parum refert, dummodo in præsens ab Apro peremptum constet. aliam etiam fabulam de eodem *Adonide & Melo* attexit, quam vide. paulo aliter idem ille narrat. *percussa, vt quidam volunt, a patris gladio, vt quidam, ab Apro, pasuulum edidit, quem educatum Nymphæ Adonim appellauerunt. hunc Venus vehementissime dilexit, & cum ira Martis ab Apro esset occisus, sanguinem eius vertit in florem, qui nunquam vento decuti dicitur,* dissentit a se ipso Seruius, non modo ab alijs, nam cum antea dixisset Martem in A-

lib. 12. c. 23.
Ad Eclog. 10.
Fabula Adonidis.
Aper obstetrix.
Mars in Aprum.
Ad Eclog. [illegible] pag. 4.
Ad lib. 5. Aeneid. 365.
Non in vsu, sed in flore.

prum

prum conuerſum interemiſſe Adonidem, hic tantum ab Apro volente Marte id factum teſtatur, & non in roſam ei mutatum, ſed in alium florem, vult. Vbicumque autem Veneri ara aut imago erat, ibi iunctis ſacris colebatur Adonis, obſeruaui in Mythologia mea nuper ante annos nouem edita cap. 22. quæ non eſt ad manum, ſed ex Seruio id conſtat. *Virbius eſt numen coniunctum Dianæ, vt matri deum Attis, Mineruæ Erichthonius, Veneri Adonis.* ſed ad Aprum, eius occiſorem, redeo. Hunc Venus ligari, & ad ſe adduci præcepit, narrat Theocritus Aedilio 30. E

Veneri iunctus. *Ad lib. 7. Aeneid. 482.*

Πᾶσαν δρωμόντες ὕλαν,
ϛυγνὸν τὸν ὗν ἀνεῦρον,
δήσάν τε κἀπέδησαν.

Aper vinctus.

Per omnem currentes ſiluam,
Triſtem Suem inuenerunt,
Et vinxerunt, atque alligarunt.

Idyll. 1. Eius epitaphium eſt apud Bionem Smyrnæum, & res eſt notiſſima. Nonnus Panopolitanus libro 41. Dionyſ. V. 204. F

—— μούνην δὲ συῶν ἐκ ἤθελε λέυσσειν
τερπωλὴν, ἅτε μάντις, ἐπεὶ συὸς εἰκόνι μορφῆς
Αρης καρχαρίδων θανατηφόρον ἰὸν ἰάλλων,
Ζηλομανὴς ἤμελλεν Αδώνιδι πότμον ὑφαίνειν.

—— *ſolam vera Suum non voluit cernere*
Oblectationem, tanquam vates, poſtquam Suis imagine formæ
Mars validos dentes habens, mortiferum telum emittens
Zelo furens, voluit Adonidi interitum texere.

Lactucæ eſus Phanoclis vetuſtiſſimi poetis epigramma habes apud Plutarchum. Nicander Colophonius in Gloſſis refert Adonidem lactucam comediſſe, & mox ab Apro fuiſſe interemptum, & ideo in lactucis mortuum Venus abſcondit, Eubulus in Aſtytis, quod a Callimacho etiam proditum eſt, ratio eſt, quod lactuca frigidæ ſit naturæ, & ideo Apro inuiſa, qui calidi ſanguinis, & in libidinē proni eſt, quare Ibycus Pythagoricus vocauit lactucam *Eunuchum*, quod a Venere ſcilicet auertat, Amphis etiam comici antiquiſſimi verſus in *Ialemo* ideſt fatuo Athenæus ponit lib. 2. Plura fabulæ iſtius arcanis ſignificationibus Pauſanias in Bæoticis, Scholiaſtes Theocriti, Lucianus in Syria Dea ſuppeditabunt. quid fabularum in Apro Meleagri vanum eſſet repetere, qui volet ea, adeat Ouidij Metamorphoſin, Homerum libro primo Iliadis, & interpretes, Natalem Comitem in Mythologia. Vetus Scholiaſtes Iuuenalis ad Satyram quintam. *Propter Calydonium Aprum, quem irata Diana, quod contempta eſſet ab Oeneo in ſacrificijs, agris ſuis immiſerat, quem Meleager filius occidit.* Tzetz. Chiliad. 7. cap. 102. G

Meleagri Aper. *lib. 7. c. 3.* *Caledonius.* *Luctat. adv. 452. 1. Thebaid.*

Σοτήριχος καὶ ὅμηρος, καὶ ἄλλοι δε μυρίοι
περὶ τȣ̃ κάπρȣ μέμνηνται τȣ̃δε τȣ̃ χαλυδῶνος.
Soterichus, & Homerus, atque alij complures,
Apri meminerunt huiuſce Calydonij.

Herculis labor. *Aprum inter Herculis labores.* tertium numerarunt, qui Aetoliam longe, lateque vaſtabat, hūc Hercules per immenſas & profundas ſectatus niues, viuum cepit, vinxit, & Athenas perduxit. Idē Tzetzes Chiliade tertia capite octauo. hic varia nomina apud autores habet, nam ab Erymantho Arcadiæ monte, vt Heſychius vult, *Erymanthæus eſt.* Claudian.

Præfat. lib. 3 de raptu.

Non Erymanthei gloria montis Aper. H

Erymāthius Auſonius in Græcis epigrammatis.

τὸ τρίτον αὖτ᾽ ἐπὶ τοῖς ἐρυμάνθιον ἔκτανε κάπρον.
Tertium opus Erymanthium interfecit Aprum.

Arcadius. Ab ipſa regione quam depopulatus erat, *Arcadius* a nonnullis dicitur. Lucret. lib. 5.

—— *aut horreus Arcadius Sus.*

Martialis lib. 9. epigramm. 104.

Addidit Arcadico terga Leonis Apro.

Nemeæus. Et lib. 5. epigramm. 66.

Aſtra polumq́ dedit, quamuis obſtante nouerca,
Alcidæ Nemeæ terror, & Arcas Aper.

Aetolus. M. Plautus Perſa Act. 1. Sc. 1.

Superauit ærumnis is ſuis ærumnas Herculis
Nam cum Leone, & cum excetra, cum ceruo, cum
Apro Aetolico.

Cum

Early Europeon Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

A *Cum auibus Stympalicis, deluctari manelim.*

Ab vrbe Arcadiæ *Mænalo* dictus *Mænalius*, cum Geographis Strabo, Martial. Spectacul. epigrammate vigesimoseptimo.

Mænalius.

Arcas Mænalium non timuisset Aprum.

A Tegea etiam vrbe Arcadiæ, *Tegeæus.* Ouid Epist. Deian.

Tegæus.

Vt Tegæus Aper Cupressifero Erymantho
Incubat.

Hunc describam ex Ouidio, qui versus suauissimi recte in fine huius tractatus ponentur, nihil enim magis exprimit huius pecoris naturam, ita ergo ille.

lib. 8. Metamorph.

Misit Aprum, quanto maiores herbida Tauros — *Magnitudo.*
Non habent Epirus, sed habent Sicula arua minores.
Sanguine & igne micant oculi, riget horrida ceruix, — *Oculi.*
Et setæ densis similes hastilibus horrent. — *Ceruix.*
Stantq; velut vallum, velut alta hastilia setæ:
B *Feruida cum raucolatos stridore per armos* — *Setæ.*
Spuma fluit, dentes æquantur dentibus Indis, — *Spuma.* *Dentes.*
Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent. — *Fulmen.*

Nil aliud, quam vitiorum fugam, virtutisque amplexum vetustas voluit per bruta ista furentia domita, vnde Andreas Alciatus Emblemate 137. *furorem & rabiem virtuti* cedere debere, ex hac fabulæ ueteris ambage, asseruit. quod copiose Heraclides Ponticus in Allegorijs Homericis exequitur, & paria omnino in diuinis illis Lactantij Firmiani institutionibus, necnõ L. Apuleius, qui consulantur. Ab istis ad Aesopicas migremus fabulas, ex Aniano scriptore Greco Gulielmus Hermãnus fabulam *de Apri aure bis abscißa ab rustico ob segetes violatas*, at ea supra in Sue relata est; Alia sic habet. *dum iners Asinus irridebat Aprum, ille indignatus frendebat, malum quidem ignauissime fueras meritus, sed etiam situ pœna fueras dignus, tamen ego indignus, qui a te pœnas sumam.* Innuit fabula, *ignauiam per se contemptu tutam.* Gabriel Faernus Fab. 107.

Vitia domita. *lib. 1. c. 9.* *lib 4. Florid.* *Ignauiæ contemptus.*

Dentes retusos arbore exacuens Aper
Satagebat, atque hunc forte præteriens via
C *Vulpes rogauit, cur sine vlla prælij*
Necessitate acuere dentes tenderet,
Nam abs re ego, inquit ille, sic facio, o bone,
Nam cum ingruit periculum, & aduersarius,
Ad sanguinis vitæq; discrimen vocat,
Haud sane acuere tum vacat dentes mihi.
Itaque otij, & securitatis tempore
Arma apparo, stringenda cum vsus venerit.
Paratus animo contra iniqua casuum
Aut vincet illa, aut fortius certe feret.

MEDICA.

D MEDICAS obseruationes ex *Sue* supra executus sum, & plenius ex ueterum decreto Vincentius Bellouacensis, paucula restant hic attexenda: atque ea quidem ex unico Plinio, uel quia primus ille Medicinam Latine loqui fecit, uel quia solus ex illius scientię mystis apud me sic ergo ille. *lumborum dolores, & quæcumque alia mollire opus sit, Vrsino adipe perfricare conuenit, cinerem Aprini aut Suilli fimi inueterati, aspergi potioni vini.* locum transpositum esse uidit Iacobus Dalechampius, & in ordinem redegit, sed totum caput non exscribo. Plinius eodem capite paulo post. *lienem sedat fel Apri vel Suis potum, vel ceruini cornus eius in aceto.* Sed fusius alibi, eodem illo libro. *Vesicæ calculorumq; cruciatibus auxiliatur vrina Apri, & ipsa vesica pro cibo sumpta, efficacius, si prius fumo maceretur vtrumq;, vesicam elixam mandi oportet, & a muliere fœminæ Suis, inueniuntur & in iecinoribus eorum lapilli, aut duritie lapillis similes, candidi, sicut in vulgari Sue, quibus contritis atque potis in vino, pelli calculos aiunt, ipsi Apro tam grauis sua vrina est, vt nisi egesta, fugæ non sufficiat, vel ut deuinctus opprimatur exuri illa tradunt eos.* Paucis interiectis. *Verendorum carbunculis cerebrum Apri, vel Suis, sanguisq;.* Paulo post. *Vrinæ incontinentiam cohibet vesicæ aprina si assa mãdatur. Vngularum Apri vel Suis cinis potioni inspersus, vesica fœminæ Suis combusta ac pota.* Eodem

lib. 19. c. 74. *lib. 28. c. 13.* *Cinis fimi.* *Plinij locus transpositus.* *Fel.* *Cap. 15.* *Vrina.* *Cerebrum.* *Sanguis.* *Vesica.*

rursus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Cap. 17. Fimus. Spuma.

rurſus libro. *Hydropicis auxiliatur veſicæ Apri paulatim data in potus, efficacius, quæ inaruerit cum veſica ſua.* interiectis paucis. *luxatis recens fimum* Aprinum *vel Suillum, Verris ſpuma recens cum aceto.* uaniſſima uide illo ipſo libro capite quarto, quę non exſcribo. & friuolum ea perſequi, quę & ſcribenti laborioſa, nec legenti iucunda.

MI LECTOR.

HÆC qualiacumque vltimis his quinque hiſtorijs exornandis, in obſequium optimi Senatus, memoriam clariſſimi Vlyſſis, gratiam Illuſtriſſimæ familiæ Aldrouandæ, gloriam nobiliſſimæ Academiæ Bononienſis, adparaui, ſi non vt debui, certe vt potui, meliora tibi exhibiturus, ſi Bibliotheca mea in Hetruria non hæſiſſet, fruſtra iam toto anno vertente ſperata, dum benigniſſimi Principis propenſionem nequiſſimi quidam creditores debitaque augentium præpoſteræ artes, non omnes taxo, indies morantur, ſed vt a clientela quam ſereniſſimæ familiæ voui, nihil horum me vnquam abſtraxit, ita nec librorum defectus ab incæpto deterruit, quin tantæ Illuſtriſſimi Senatus magnificentiæ par eſſe cuperem. Et illud non perfunctorie te ſcire intereſt, certe mei multum refert, cum D. Vlyſſis Aldrouandi nomine, Rhinoceros, Camelus, Camelopardalis, Sus, & Aper a me edantur, nec illius viri maximi libros, ſcripta, ac ne parietes quidem Muſæi vnquam vidi, ſed inter graues occupationes meas feſtinanti calamo effuſa, dum & acerrimo pedum dolore conflictarer, & famoſo Anonymi mendicabuli libello reſpōderem, atque etiam opuſculum de Triplici Iuramento, Veritati conſecrarem. potuiſſes, inquit differre, ſed non licebat, nam hiſtoriam hanc Naturalem Senatus impoſuit, cuius mandatis parere, honorificum ſemper ducam, Mendica deliria atque ſceleſtam ignauiam Anonymi redargui, & Patriæ intererat, & populares vrgebant, vltimum conſcientia, & puræ Veritatis amor exegerunt. Datum fuit S.C. III. Eid. Apriles. M.DC.XX. ego calamum pono. VII. Eid. Sextil.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

SVPPLEMENTVM
VARIARVM APPELLATIONVM,
Seu Nomenclator diuerſorum idiomatum veterum, & recentiorum per totum hoc Volumen.

Agnus. Cap. VIII.

GRæc.ἀμνος.vul.græc.ἀρνὶ. Scot. Lamb. Hetruſc. Idulis. Hebr. Se.keſeb. Kebes. Arab. Carim. Septuag. Monim. Hiſpan. Cornero. Ital. Agnello. Gal. Agneau. Germ. Lamblein. Belg. Lam. Angl. Lam. Hogge.

Alce. XXXII.

Græc. Α'λκη. Hebr. Zamer. Germ. Ellendi. Heluet. Elche. Illyr. Loſ. Polon. povvod. Ital. magno animali. Gall. la grande beſte. Scot. great beaſt. Moſconit. Loſſos.

Aper. XXXVII.

Hebr. HaZir. Græc. σύαγρος. Ital. Cinghiale. Gall. Sãglier. græc. vulg. μόνιος. Hiſp. puercoſilueſtre. German. VVilt SchVVein. Angl. Bore. Illyr. VVeprZ. Scot. VVyldbeare.

Aries. VIII.

Græc. ἀρην Κρίος. Hetruſc. Aringa. German. VVider. Scot. Rame. Afric. Adimain. Hebr. Gel. Chald. dikerim. Arab. Kabsa. Ital. Ariete. Gall. Belier. Hiſp. Çarnero. Heluet. Kamchen.

Biſons. Cap. III.

Græc. βίσσων βίσων βίσων. oppian. German. Viſent. Moſconit. Auvverochſen.

Bonaſus. Cap. IV.

Græc. βόνναϲος. Illyr. βόλινθος. Pæonic. μόναχος. Arabic. Enchires. Latin. Vacca Indica.

Bos. Cap. I,

Græc. Βȣ̃ς. Heb. Bakar. Schor. Aleph. Ital. Boue. Gall. Beuf. Hiſp. Buey. Germ. Ochs. Rind. Belg. os. Angl. oxe. Illyr. vul. Sco. Naut. Auſſe. Chald. Thor. Arab. Bakera. Perſ. Nadganeha.

Bubalus. Cap. VI.

Hebr, Meriah. Chald. Turebalah. Arab. Taietal. Perſ. Badek. Perſ. Çutzcohi. Græc. βȣ̃βαλος. Septuag. ὄριξ. Gall. Beuffle. Ital. Bouſali. Hiſp. Buſano. Germ. Beuffel. Angl. Bugil. Illyr. Bauvvol.

Camelopardalis. Cap. XXXV.

Hebr. Zamer. Chald. Deba. Arab. Saraphaph. Perſ. Seraphaph. Græc. καμη. λοπάρδαλις. Sic Septuaginta. Ital. Giraffa. Gyraphan. Zirafa. Hetruſ. Oraſlus. Latin. Oraſinus, vel Camelopard⁹. Aethiop. Nabis. Aegypt. Anabula.

Camelus. Cap. XXXIV.

Hebr. Gamal. Chald. gamela. Arab. gemal. Perſ. Schetor. Sarac. Shymel. Ital. Camelo. Hiſp. Camello. Gall. Chameau. Germ. Ramelthier. Illyr. Vuelblud. Angl. Camel.

Capra. Cap. IX.

Græc. ἄιξ. χάπρος. Hebr. Car. Cretenſ. χαρανὼ. Chald. Eza. Arab. Shaah. Perſic. buz. Arab. Valga. Maez. Sarac. Auſe. Germ. geiſſ. Belg. geit. Angl. gote. Scot. gaite. Illyr. coZa. Gall. Chieure. Hiſpan. Capra. Ital. capra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Caprea. Cap. XVI.

Græc.δόρκος.Hebr.Bikerah. Illyr.Sarna. Hisp.Zorlito.Nauarr.Cabronzillo.Germ.Rech.Ital.Cauriolo. Gall.Cheureul. Angl.Roo. Scot.Rea.Arab.Gazel.

Cerua. Cap. XXVII.

Ital.cerua.Hisp.ciorua.Gall.biche.Germ.hinden. Polon.Lany.Angl.hynd.Scot.dea.

Ceruus. ibid.

Græc.ἔλαφος.Lacon.βίρκιος.Creten.ἀείρακος.Hebr.aial.Arab.aiali.Chald.aiela.Persic.geuasen. Ital.cerno.Hisp.cieruo.Gall.cerf. Angl.hiert,hert. Polon.telyeniy.German.hirss.hirsch.Scot.hart.

Dama vulgaris. Cap. XVIII.

Græc.Vulga platagoni. Hisp.gamo cozza.Germ.damlein. Gall.daine. Ital. Daino. Angl. Fellovvdeare. Polon.laniy.Arabic.Algazel. Creten.ἀγρίμι.Scot. Hayne.

Dorcas. Cap. XI.

Hebr.Zebi.Græc.αἴγαγρος.Ital.camozza.Hispan.capramontes. Ang.VVildegoot.Germ.gembs.gambs. Polon dryka Koza.Scot.VVildgeat.Bohem.Korytansky Koslyk.

Dromas. Cap. XXXIV.

Græc.δρομὰς.Hebr.Kirkarot.bikra.Chald.Hogenain Arab.Kudanuuan.Ital. Dromedaria.Gall.dromedaire.Angl.Suift,shecamel.Scot.Dromedarix.

Hœdus. Cap. IX.

Græc.ἔριφος.Sabin.fædus.Hebr.Gedi. Chald.Gadaia. Pers. Buskahale.græc.vul.ἐρίφι.Ital.cauretto,carezzo.Rhæt.Vzol.Hisp.Cabrito.Gall.heureau.German.gitze.Angl.Kydd.Polon.Koziel.

Hircus. ibid.

Græc.τράγος.Hebr.Atud. Chald.Zephirah. Arab.atudi.Pers.Buzgalaia.Phryg.Becco. Septuag.ὑψωθῆναι.Sarac.hanup.Hisp.Cabron.Ital.capron.Becco.Germ.geisbock. Gall. Buc. Belg.Bock. *Illyr.Kozel.Scot.Buck.Angl.Gote Buke.*

Ibex. Cap. XIII.

Græc αἴξαλος αἴξ Hebr. Ako.Gall.Steimber. Heuet. Ybschen. Ybschgeiz. Illyr. Kozorozicez. *Belg. VVildtgheidl. Hetrusc.Rota.Germ.*Steinbock. *Septuag.τραγέλαφος.*

Maialis. Cap. XVII.

Græc.γρουφὰς. Hetrusc.Thytes, voce græca. Varro. Ital.lo porco castrato. Gall.porc chastre. German. Barg.Angl.Gelditsovv.Heluet.galts.Londin.Barovvhogge.Scot.Lebbit sovve.

Mosco. Cap. XX.

*Græc.μόσκος. Arab.Misch.græc.vulg.abonafa. Ital. Muschio.Gall.Musque.*Hisp.*Musci.Angl.Muske. Illyr.pizmo.Belg.Moscelliaet.German.bisem.Hebr.Bosem.*

Ouis. Cap. VIII.

*Græc.πρόβατον.Gall.Brebis.Hispan.Ouela. German. Schaff.Heluet.Mæcherling.Suen.einouvv.Heb. Zon & Zonech.Chald.*Ana.*Arab.Genas.Pers.Gospandt.Sarac.Ganame. Belg.Schaep.*Scot.*Heirth, Angl.Scheepe.Illyr.Ovveze. Madagasc. Agarono.*

Pygargus. Cap. XV.

Hebr.dischon.Græc.πύγαργος.Pers.buzkohi. Hetrusc.Albicilla.

Porca. Cap. XXTVII.

Hebr.chaserah.Græc.χλοῦνις.σκρόφα. Ital.porca fattrice. Rauennat.Troia.Gall.Truye. Germ.Suvv. Mor.Ang.Sovve.Illyr.Svvinic.μόνορχις. Homer.

Porcellus. ibid.

Græc.δέλφαξ. Ital.porchetto.Gall.Cochon. German. Spanfarle.Angl.pygge.Scot.Gryse.Belg.Seuvvle.

Rangifer. Cap. XXXI.

Gall.Ranglier.German.Reuschieren.

Rhinoceros. Cap. XXXIII.

*Græc.Ρ'ινοκερος. Hebr.Reem.*Chald.*Karas,Karash. Arab.Archa. Ind.Saudabenameth. Aethiop.Rhises.*Latin.*bos* Aethiopicus *est,non* Aegyptius.

Sus. Cap. XXXVI.

Græc.σῦς.χοῖρος.Κάπρος.γρομφος.θύτης.Hebr.Chasir.Chal.Chasira.Arab.Kanisir. Pers.Maranbuch. Ital.porco. Septuag.ὗς. Florent.Ciacco. Gall.porceau. Hispan.Puerco. German.Schvvyn. Cretens. μάριν.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

μάρὶν. Perſ.vulg. Marcu. Angl.poro hogge. Scot. Svvyne. Illyr.praſe. Heluet. Aber.

Taurus. Cap. I.

Græc.ταῦρος. Hebr.Toro. Chald.Tor. Ital.Toro. Belg. Bo. Gall.torcau. Hiſpan toro. Luſitan.Buÿ rezia. German.Stier. Belg.Bulleÿ. Danic.Varimbg. Illyr.Tunccζi. Sueuic.Varren. Scot.Stot. Angl. Bulle.

Vacca. ibid. Matrix et Iugalis.

*Hebr.para. Græc.βουθηλεία. Illyr.Damalis. Gall.Vache. Hiſpan.Vaca. German.*Kue. *Sueu.*Kuhe. *Belg.* Koe. *Angl.Kovve. Scot.*Koyac. *In Inſula S. Laurentÿ Agomba. Sarac. Baccara.*

Veruex. Cap. VIII.

Græc.κτίλος. Gall.mouton. Ital.Caſtrone. Angl.VVether. German.Hammel. Hetruſc.Anſecera. Scot. Dunvval. Heluet.VVider.

Vitulus. Cap. I.

Hebr.Egel. Arab.Egela μόσχος. Septuag.*μοχάρου. Gall.Veau. Ital Vitello. Hiſp.ternera. Germ.Calb. Belg.Calf. Angl.calfe. Scot.stirk. Perſ.Goſalai. Sarac.Heſel. Græc.vulg.μουσκαρι.*

Vrus. Cap. II.

German.Vrochs. Belg.Vros. Bauaric.Auuerochs. Polon.Thur. Moſconit.Tur. Angl.Bugles. Scot.buffes. Laponic. *Elg. Litnan Zumbro. Illyr.Zubron.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Elenchus Vocum Græcarum.

A

Ἄγραυλοι.346.
ἄδελφοι.952.
αἴγαυρος.725.
αἰγίβοτος.636.
αἰγίλοψ.676.
αἴξ.620.
ἀμνοοι.375.394.
ἄμορφος.927.
ἀχήδωρος.1032.

B

Βίσσων.353.
βοΐδιον.31.
βόσκημα.375.
βοτὸν.375.
βυβαλὶς.363.
βυβύλεια.27.
βυκολος.75.
βυκρανον.34.
βύπρωρον.276.
βρεφηφερῦδου.394.

Δ

Δάμαλις.27.
δελφάκια.949.
δέλφαξ.949.
δελφύα 952.
δίκυρτος 907.
δίτυλος.907.
διφθέρα.715.
δορκος.721.

E

Ἑκατομβοιῶν.276.
ἐκβολὰς.952.
ἐκτόμις.952.
ἐλαφυβολία.810.
ἐλαφύβολος.810.
ἕλικαι.941.
ἔντομα.575.
ἐπικόμβια.1022.
ἐφθὸν.949.

Θ

Θρέμμα.376.

θύειν.933.

K

Καθάρσιον.967.
καπρᾶ.982.
καπρῶ.1037.
καρα.376.
κάρνος.376.
καρποφάγα.1022.
κεκρύφαλος.631.
κεραΐδες.377.
κοίκοί.986.
κοίζειν.343.
κολλα.37.
κοπρίαι.975.
κρεοφάγα.1022.
κωμάζειν.1008.

Λ

Λάσαυροι.27.
λυκάγκη.987.

M

Μάγειρος.961.
μαννάκιον.395.
μαννόφοροι.394.
μέλας ζωμὸς.698.
μεταχροῖσος.1009.
μήκαδες.622.
μῆκα.377.
μηλοβάται.377.
μναὰς.622.
μοσχεύματα.746.
μόσχος.31.

N

Νεβρὸς.721.
νεβρίζειν.845.
νεφρὸς.

O

Ὄργαν ὀργᾶ.982.
ὀρθοκέραος.42.

Π

Πανθὴς.927.
παράσαται.957.
πέταλα.29.
πακφάγα.1022.
πολυδίψιος.922.
πόρκος.938.
πρόκα.721.
πρυων.32.

Σ

Σκαλίδες.771.
σρέπτα.728.
συβώτης.1112.
σύφεος.1112.
σφάγιον.380.

T

Ταχύδρομα.772.
τραγέλαφος.730.
τραγίζειν.679.
τραγίζοντες.624.
τραγος.624.

Υ

Ὑρδοσκόπα.941.
ὑπογάστριον.951.
ὗς 937.
ὑστίρια.972.
ὑφορβὸς.1112.

Φ

Φιλοστοργία.913.

X

Χάλαζα.987.
χαμαιεννάδες.946.
χίμαιρα.622.
χιτῶνες.859.864.
χοιροπωλεῖν.939.
χοῖρος.938.

Ψ

Ψάλτριοι.975.
ψίναθον.622.

INDEX

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

INDEX ACCVRATISSIMVS

Rerum præcipuarum toto hoc volumine, sed maxime rei Antiquariæ Historicæ, & Naturali vtilis.

A

Abdomen.951.952.
Abigei.479.Crimen.994.
Achilles à quo nutritus,& eius velocitas.847.
Acherontici libri.968.
Acies porci caput.970.
Actæonis fabula.829.
Adamas hirci sanguine facile dissoluitur.701.
Adeps Taurinus.300.
Adonis fabula.1037.
Agnus.374.Frus ex herba.392.Mensuræ genus.meretrix.393. Varia genera,appellationes,Synonyma.396. Audax.418. Vide Ouis, vt educandus.439.Sacrificatus.581.in cibis.592.
Agonalia.208.580.
Agriculturæ studiũ.19. Inuentio & alia multa.318
Alba longa condita.969.
Album Tabulæ.922. Ambidens.374.
Alce fera vera, Aleida fabulosa.866. idem cũ magno animali.868.Astus,cursus.871.antipathia.874
Alcorani nugæ.900.
Aleph.bos.33.
Amaltheæ cornu.256.Fabula de eo.668.Mystica expositio.669.Capra.673.Prouerbium.684.
Amaranthus.312.
Amaracinum vnguentum.988.
Ambaruale sacrum.968.
Ammon.610.617.
Amurca.77.
Anabula non est Camelopardalis.933.
Ana quale animal.381.
Animalia immolanda.187.
Aper bisulcus,locus,& generatio.1013. Synonyma,descriptio.1015. Venatio circensis,& siluestris.1018.Pugnacitas,dentes.1025.Vsus in cõuiuÿs;luxus.1031.strategema.1034.Moralia,auguria.1035.historica,oneirocritica.1036.fabulæ,mythologica.1037.medica.1039.
Aper Sus ferus.1013.piscis,familia.1015.Cicur.1024
Apes ex bobus.22.277.
Apexabo vox Hetrusca.955.
Apis bos.156.Vulneratus à Cambyse.238.
Aprugnum delicatißimus cibus nepotibus.1031.& antiquißimus.1034.
Arator bos.43.
Arcuum chordæ ex pilis.891.ex cornu.861.
Aries.382. Synonyma,bellica machina.ibid.& sequ. Signum cæleste.385.Nauis,vas,ornamentum columnæ,piscis.388. idem cũ vitulo marino.fluuius promontorium,sepulchrum.389. Cretensis.407. Vide ouis.pugnacitas.419.Sacrificatus.581.Caput in delitÿs.958.
Armentum.34.
Aruina.1112.
Augiæ stabulum.18.
Augina.987.
Augmentum dictio Thusca.955.
Augurÿ inuentio.968.
Axungia.953.

B

Bakar.33.
Balnearia ex argento.886.
Balnea Romana.885.
Bannum.480.
Bataui.22.Venatio.818.
Becco quid sit.630.
Bela.453.
Bela.478.
Bezoarticus caper.755. Lapis.Synonyma etymologiæ.757. Vide lapis.
Biga.34.
Bimarcus Satyra,Varronis.905.
Bisons.347.35 .descriptio,historica.353.& seq.capiendi ratio.Vsus in medicina,in spectaculis.357
Bisulcorum vtilitas.13.per totum.
Bonasus.347.350.genus,forma,descriptio.358.
Bos Luca.1027.
Bos.13.honoratus.16.non licet occidere.16.& 17.si.Pro pelle.22.Piscis.22.auis.16.Trion.23.Genus,forma,descriptio.35.partes.38.electio.40. Locus.45.natura,mores,ingenium.56.libido,coitus,partus.68.Curatoris officiũ.75.Cibus,potus.85.gressus,incessus,castrandi ratio.92.domandi ratio.92 Vox.98.affectus.99.præsagia.109.Sympathia.110 oracula.121.prodigia.123.insomnia.139.Hieroglyphica.140.Symbola.142.picturæ.143.simulachra.144.numisma.148.insignia.155.apophthegmata.156.epigrãmata.157.problema.158.leges.161.moralia mystica.164.in sacrificÿs Hebreorũ.187.in sacris gentium.203.Idololatria.236.historica.247 mythologica.259.apologi.264.denominata.273.epitheta.287.Vsus in cibis.288.in medicina.297.in agricultura.318.ad vecturã.323.in spectaculis.325.in bello.327.ad pœnam.329.corÿ vsus.334.partium variarum vsus.344.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Bubalus.13.D.
Bubali deſcriptio, 363.365. *Locus,vox,mores,ingenium vſus, in medicina*. 367. *Vſus in colendis agris,prouerbia*. 368.*plene*.375.
Bubulcus.273.274.
Bucera ſacla.23.277.
Buccina.330. *Buſiris.butyrum,Buthus,bolitũ*.278.
Buculus bucula.30.
Budæus reprehenſus.928.
Bronchi.886.
Bruchi.53.

C

CAdauera varie condita. 987.
Cadmus.15.
Caledonia Silua.45.
Callum.952.
Camelopardalis.927. *Deſcriptio,natura*.929. *Etymon,varia nomina*.932. *Quando primum Romæ, vſus in ſpectaculis*.933.*Locus,vſus in cibis*.934. *Venatio circenſis,& ſilueſtris*.935.*Quoties in Europa viſus*. 936.
Camelus biſulcus. 13. *Dentes*.2.*Frequens de eo relatio*.889.*Etymon,Synonyma,generatio;partus,genitale*.890,*Deſcriptio,an fera,an pecus*.892. *Locus,quando primum Romæ.& vſus in ſpectaculis*. 893.*Vſus in bello*.893.*In itineribus*.896.*In oneribus ferendis,in conuiuijs*.898. *In ſacris*.899. *In ſacris certaminibus,cultus*.900.*In veſtitu,& fullonia*. 901. *Partium vſus in medicinis* . 902. *De partibus ſigillatim*.903.*Cibus,ruminare*.904 *Potus, continentia, variæ ſpecies, velocitas*. 906. *Vindicta*. 910. *Rabies, docilitas, Muſices amor*. 911. *Verecundia , reuerentia in matrem*. 912. *Pietas, prolis amor*. 913. *Antipathia,hoſtilitas*. 914. *Morbi & temperatura*. 915. *Caſtratio vtriuſque ſexus*.916. *Ornamenta*.917. *Aetas,hiſtorica de vectura,mythologica*. 919. *Numiſmata*.920.*Figmenta,Camelarium,Camelaſium,Camelaſia*.921. *Paræmiæ,oneirocritica,hieroglyphica*. 923. *Theologica,myſtica*. 924. *Denominata*. 925.
Canes Aprarij.1020.
Caper piſcis.627. *Cyniphiæ,Cretenſes,Damaſcenæ, aliæ*.636. *Superbia*.639. *Zelotypia*.642. *Regibus honorata*. 657. *Nutrit Deos* . 667. *Pellis*. 915. *& ſequent*.
Capra ſidus. 620. *Meteorum,machina,tormentum*. 621.
Capra.619. *Aequiuoca.ſynonyma,etymologia. ibid. Genus,forma,deſcriptio*.631.*Electio*.633. *Locus*. 634.*Natura,mores,ingenium,libido*.638. *Cibus, potus*,643.647.*Vox*.646.*Sympathia,antipathia*. 647. *Coitus,partus,educatio*.653. *Affectus,corporis ,eorumque cura* . 655. *Præſagia, auguria, portenta*.656. *Epigrammata*. 658. *Simulachra, pictura* . 662. *Hieroglyphica , emblemata* . 663. *Symbola,Numiſmata*. 665. *Apophthegmata,hiſtorica*.666. *Apologi*.667. *Metamorphoſes,myſtica*.670. *Problemata,epitheta,cognominata*.673. *Phyſionomica*.682.*Prouerbia*.683.*In ſacris gentium*.686. *In cibis*.694. *In medicina*.699.*Vſus varij*.713.*Silueſtris*.719.
Capreolus,forma,deſcriptio.738. *Natura,mores,capiendi ratio,vſus in cibis*.739.
Caprimulgus auis.649.
Carauana,ſeu comitatus Turcicus.897.
Carpus.1032.
Carnarium locus reponendæ porcinæ.959.
Caſeus.45. *Medicina*.308. *Marzolinus*.367.*Cynthius*.406.*Vt fiat*.434.
*Caſtratio debilitat necve?*916.
Cephiſodori Sus. 989.
Ceruus biſulcus, 13.
Cerui etymologia.679.*Synonyma*.771.*genus,forma, deſcriptio*.773. *Locus*.781. *Natura,mores,ingenium,docilitas*. 786. *Libido,coitus,partus*.798. *Sympathia,antipathia*.799. *Aetas* 808. *Vox,capiendi ratio,venatus*.810.*Præſagia,auguria,ſomnia*.819. *Stratagema*.820. *Problema,epigrammata*.821. *Emblemata, ſymbola*.822. *Epitheta, numiſmata* .825. *Apophthegmata apologi* . 826. *Fabuloſa*.827.*Hiſtorica*.830.*Myſtica*.832.*Prouerbia*.838.*Denominata,cognominata*.839.*Vſus in ſacris*.842. *in cibis*.845. *in medicina*.847. *Vſus alij*.861.
Ceruorum tria genera. 859.
Ceruus palmatus.862.
Chymici libri exuſti.612.
Chloris. 1002.
Cicuratæ feræ natura. 1024.
Circes fabula.999.*Venefica*.1001.
Cliturnus.*Fl*.50.206.
Clodouæus Rex.832.
Coloniarum deductio. 20.
Colonica.401.
Collops.37.
Colluuiaris porcus.945.
Confectores.971.
Copron Coprianus.975.
Corium.37.
Corij vſus in ſcutis, galeis.334. *in tentorijs*.339.*in nauigijs*. 340. *in canali, ſcalis, teſtudine bellica, cæſtibus pugilum*.341. *in baltheis,nummis,follibus,ſcuticis,lecticis,calceis.ibidem*. *Bonoſi*. 360. *Ouis*.399.*Capræ*.692.*Cerui*.861.*Palmati*.862. *Alces*.870.
Cornu Amaltheæ,256.668. *Pocula,guttus,lucernæ, librorum ornamenta, arcus ex ijs*.332. *Cornuum differentiæ*.8.*& ſequent*. 35.37. *Bouina*.35.*Vri, biſontis*.350.353. *Bonaſi*.358.359. *Deſcriptio*. 32. *Bubali*.368. *Elephanti*. 388. *Arietis*. 396. *Hirci*.634.640. *Capri*.707. *Dorcadis*.726. *Da-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

mæ.730. Vulgaris.741. Cerui.769. Qualia.773. & sequent. Vsus eorum.861. Cerui palmati.862. Alces.840. Rhinocerotis.878.881. Diuersitas eorum.888.
Cornuti, id est boues.34.
Corocottæ Grunij testamentum.960.
Coronarium aurum.921.
Coronius bos.42.
Cribanus, seu estus coqui instrumentum.950.
Currus bellici descriptio.896.
Cytisus.85.427.

D

Dalechampij error.899.
Dama.729. Vulgaris.741. Descriptio. cornua, Vsus in cibis. in medicina.742.
Decius Mus.20.
Delphicus Tripus.656. Oraculum.660.
Dentes Aprorum.1025.1028. Vide partes Bouis, Ouis, Capræ, Cerui, Cameli, Suis, & Apri.
Dextræ manus dignitas.1023.
Dorcades Solem referunt.844.
Dorcas siluestris capra, etymologia.720. Locus, natura, mores, prouerbia.723. Vsus in cibis, in medicina.724. Eadem cum Rupicapra 725. Genus, forma, descriptio, historia tota.726. Denominata.728. Vsus in cibis, in medicina.729.
Dos.20.
Dromedarij Cameli.910.913.

E

Elaphebolia sacra.771.739. Festa Græcorum.843.
Elaphoboscorodon, vel Elaphoscorodon quid sit.941.
Elaphoboscum.840.
Elaphonestis, siueredum vna à ceruis nominata.842.
Elend quod miseram significat, pro Alce.867.
Eleusinijs immolatur porcus.864.
Elephantis cum Rhinocerote pugna.881. & sequent. Ortus.990. Boues Lucæ.1027.
Elhardi Lubini error.926.
Elices.941.
Emanuel Lusitaniæ Rex.882.
Erenus amatoriorum Scriptor.890.
Epiboon.230.
Epimenides.35.574.
Equæ velociores equis.900.
Equicerous.863.858.
Equus.13. Non abstinet à matre.891. Nisæus.909. Ornamenta.918.
Eretria.47.
Erymanthius Aper Herculis Labor.1038.
Erythra.48.
Exagium.993.

F

Fabularum præcipui Scriptores.919.
Faciei medio amen.861.
Faliscum.94.954. Quid sit.959.
Farcimina porcina.954.
Federicus Augustus.937.
Felis ortus.991.
Fenum in cornu.56.
Feræ Libycæ.934.
Ferquhardi Scotiæ regis mors.1036.
Fibra in sacris.125.
Fimus bouinus.316. Ouinus.598. Dorcadis.725. Ibicis.733. Damæ vulgaris.742. Ceruinus.861. Suillus.975.
Fluij tauri vultu.57.
Fœderis ritus.589. Porca immolata.969.
Folliculus.953.
Forda bos.74.
Forices, foricarij.902.
Formicæ auri custodes.913.
Formido in venationibus.1018.
Forum Suarium.992.
Francorum venatio.816.
Fraus in oraculis.121.
Fructus quilibet glans dictus.945.
Fullonia.901.
Fungi.1010.
Furfuribus Sues pascere.945.
Furti pœna.162.

G

Gabrias fabularū autor Platone antiquior.919.
Galatarum mos.211.
Galenus transcribit Aristotelem.902.
Gallieni Cæsaris munificentia.888.
Ganame.381.
Gangamela.925.
Gazæ in versione Aristotelis error.879.
Gazel Arabum est caprea.738.
Germanorum mos.15. Boues.47.
Gesneri error.888.
Glandium genera.944.
Glandium Suillum in pretio.952.
Graminosa loca Suibus prosunt.944.
Grallatores.790.
Grex.34. Quorum sit.892.
Grunire vox porcellorum.943.
Grunij Corocottæ testamentum ludibrum antiquum.960.
Gaylli.1009. Familiæ.1112.
Gry varia significat.943.
Gutti ex cornu Rhinocerotis. in balneis Romanis.885.

Hara.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

H

HAra.981.
Hædus.13.Sidus.620.Synonyma.630.maximus.634.
Hecubæ dolor.65.
Hellespontus.608.
Heliodori elegantissimi lapsus.935.
Herbæ in veneficijs.1001.
Hermaphroditæ Sues.939.
Heroum vestes ferarum domitarum pelles.1026.
Hetrusci pirata.985.Voces.955.Apri.1014.Mos in venatione.1018.
Hiberni quales hodie.1008.
Hinnulus.30.844.ex eius ossibus tibiæ.861.
Hippelaphus.863.858.
Hippopotami.936.
Hira.957.
Hircocervus.863.858.
Hircus.619.Vide capra,& hædus,bezoarticus.755.
Hirquitalbi.679.
Honoriani.1005.
Hordeum cibus Cameli.904.Liba.909.Suis.944.
Hortulanus porcus.948.
Hostia.126. Salutaris.191. Pura.204. Humana.1005.
Hyæna non mutat sexum.881.
Hydropis curatio 658.
Hysteria festum Veneris,quo porca immolatur.972.

I

IAsonis fabula.612.
Ibex Capra silvestris.730. descriptio,mores,natura.731. Vsus in medicina.733.fabulosa.734.
Imber pro ludicra sparsione.1022.
Imbrex in porco quæ pars.957,
Impercitor.941.
Indago.1018.
Io Dea,& mythologia eius.263.
Ionia missilia in ludis.1024.
Iphigeniæ fabula.829.
Ira in belluis.883.
Isicia.958.
Isis Dea.239.Statua cornuta.262.
Italia vnde.19.29.
Iudæi Suilla abstinebant.961.impietas.1005.cultus Dei.10081.
Iuis.32.
Iumentum.34.
Iunix.28.
Iusiurandum.1005.
Iuvencus.27.electio.41.

L

LAbia bovina.37.Camelopardalis.930.
Labyrinthus.253.
Lais meretrix.923.
Lampadophoria.230.
Lanæ honor.372.Solox.400.Francica.403.Appula,Arabica.404. Asiatica,Betica.405. Belgica,Canusina.406.Gallica.407. Hispanica,Indica.408. Libyca.410.Milesia,Mutinensis.411.& seq.ratio habenda.432.Vsus.599.600.
Laustarocacabus.27.
Lapis Bezoar ab Hirco dictus.755.Synonyma,etymologia.757.Ortus,forma,adulteratio.758.Vsus in medicina.760.Medicinæ variæ ex eo.761.762.
Lapis in ceruo inuentus. 855.
Lardum aut laridum.953.
Larini boues.29.
Lelius bobus donatur.20.
Leuius primus poeta Latinus,non Linius.905.
Libycæ feræ.934.
Longauo vox Hetrusca.955.
Lucanica 959.
Lucani Apri insignes.1018.
Lucilius affectator nimius Græci sermonis.886.
Ludi Bubetij.19.Seculares.152. Tauri.275.Scenici.325. Florales.481. Aedilitij.882. Circenses.934.amphitheatrales.935.
Lustrationis ritus.967.
Luto Sus gaudet.942.980.1007.
Lyricorum proemium.21.

M

MAgnum animal,idem cum Alce.868.Vide fuse in Alce.
Mago rei rusticæ scriptor vetustissimus.916.
Mahometi astus.66.deliria.990.
Matalis.983.
Mamma.12.
Mansum.35.
Marcipor Varronis Satyra.938.
Mediolanum.1035.& sequent.
Medulla.12.299.598 caprarum.704.ceruina.853.ad quid conducat.861.Suis.976.
Mensæ pantherinæ.928.
Mercurialis ridiculus error.886.
Metachœrus.942.Quid sit.1009.
Milliarij Apri.1033.
Missilia in ludis vetita.1023.
Monoceros.878.differt à rhinocerote.888.
Morbi boum.99.Ouium.437.Cameli.915.
Moschion.31.
Moschi capra quæ sit. 743. natura,mores,cibus,capiendi ratio.745.
Mosco odoramentum. Synonyma,etymologia,ortus.746. Varia eius gratia,electio.747. adulteratio.749. cõseruatio,emblema,denominata.750. Vsus medicus,Vsus alij,nocumenta.752.
Mulcta.20.372.
Mummia vnde in Arabia?897.

Myronis

Myronis bucula.145.
Myrtarum cibus exquisitissimus.1031.
Mysteriaci porci.964.
Mystica in boue.164. in Vro.353. in oue.501. in Capra.670. in ceruo.832.
Mytuli.946.

N

Nabis quadrupes Camelopardalis dicta.933.
Nasus sedes irrisionis. 887.
Nebrides Bacchi Sacerdotes dictæ.883. Cameli caput an pataſſe cur dicta?906.
Nefrendes.971.
Nicon meretrix.674.
Nummariæ rei scriptores.920.
Nummi varij.149.
Numismatum Scriptores recentiores.1003.
Numismata bouis.148.340. Ouis.465. Capræ.665. Ibicis.734. Cerui.823. Rhinocerotis.883. Cameli.920. Suis.1003.
Nuptiale Thuscorum sacrificium porcus.974.
Nympharum capra victima.691.

O

Obesitas in Sue miranda.946.
Oculi bouini.38. remedia humanis.705.
Oesipus.584.601.
Offa.947. quid sit.954.957.
Omasum.959.
Ophthalmium.958.
Opilis.430.
Opima victima.14.
Oracula.121.& sequent. delphica.660.
Orasius.933.
Oryx.764. oppianei descriptio.766. bisulcus.938.
Ossa duriora.38. in corde.36. cerui.781. Cameli.921
Osiris.239.
Ouatio.575.
Ouis fera.932.
Ouis.13. cura.370. Vtilitas.371. Synonyma, æquiuoca.374. genus, descriptio. differentiæ.396. fera.401. locus.402. Solis, Arabiæ.404. electio.414. natura, mores, ingenium.415. coitus, partus 421. cibus, potus.426. pastoris officium.430. affectus corporis, eorumque curatio.437. castrandi ratio.444. admiranda, Sympathia, Antipathia. 445. Vox.453. ætas. præsagia.454. auguria, prodigia.456. Somnia.461. Hieroglyphica, Icones, Simulachra.462. Numismata, emblemata.465. epigrammata.467 apophthegmata.470. problemata.471. epitheta.472. Similitudines.473. historica apologi.475. leges.376. in sacris hebræorum.482. mystica. 501. in sacris gentium. 572. cognominata. 583. in fœdere sanciendo, in bello indicendo. 588 in equitatione, in cibis.590. in medicina.592. in externis.604. mythologica.607. metamorphoses.617. prouerbia.618.

P

Palladius Columellæ transcriptor.916.
Pallere pro gaudere.1035.
Pan.37.616.664. quis Deus.665. eius statua, victima, cultus, origo natie.664. natiuitas.670. epitheta.674. sol cultus.692.
Pardus.927. mensæ pantherinæ.928.
Parmenionis Sus.990.
Parricida.477.
Partes corporis humani dicatæ Dijs singulæ.887.
Pascuum.14.478.
Pasiphæ regina.253.
Pastoritiæ rei dignitas. 370. Pastoris officium. 430.
Patales boues.29.
Pecoris distinctio.33. quid? 34. definitio.892.
Peculium.14.370.
Pecunia. 14.370.
Pentepharmacum.1031.
Perna.954.& sequen.
Persarum Reges.896.
Pestis causa.100. Vt fugetur.713.
Petalis.29.
Petaso.956.
Phalaris tyrannus.146.
Phrygum mos.17.
Phrygum sermo antiquissimus.630.
Pilus.37. Vide Bos. Camelus, Sus, & animalia reliqua.471. Capræ.707. Cameli, Vestes ex ijs.900. 925.
Pinguitudo.946.
Plinius transcribit Aristotelem sæpe. 917.942.
Polimentæ.957.
Pomponius Bononien.905.1009.
Porcelli altiles.949.
Porcetra.1009.
Porcij, Porcilij.1011.
Porcinarij.991.
Porculatio.1112.
Porcus quid?937. Vide Sus. Variæ species.948.
Porgus vox Sabina.937.
Porricere.211. Verbum sacrorum.900.
Poriæ.32. prin. pella. par. parab.16.
Præcidania.963.
Proditionis, seu perduellij pœna.919.
Profectum quid.958.
Pygargus.737. natura, mores, descriptio. ibid. & obiter.859.
Pygmæi.937.
Pyrrhica. 27. 47. Saltatio armata, & bellica. 922.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Q

QVadriga.34.
Quadrupedum diuisio.1.& seq.per totum.
Quies Suillo pecori prodest.946.
Quintipor vox Sabina.937.

R

RAngifer.13. idem Raingus,& ramifer, Cerui genus.863. descriptio.864.cibus,genera varia,lac,pelles,caro.865.
Rapina vox Circensis.1022.
Reiculæ oues.437.
Retia venatoria.1019.
Rhinoceros.878. auis,bestia,piscis.ibid. generatio, coitus.879. natura,descriptio,sexus,locus.ibidem cornu,cum elephanto pugna.881. Quando in Europa primum visus.882. Vsus in spectaculis Romanis,& cruentus conflictus, cornu quale.883. cornu vsus in balneis.885.paræmiæ.886. hieroglyphica.887. Species variæ,quoties Romæ visus,venatio.888.
Rhodomannus reprehensus.929.
Robortelli error.934.
Ros.32.
Ruminare.1.ruminalis dea. ruminalis ficus.16. ruminatio cessat. 105.139. animalia ruminantia. 904.905.

S

SAgina 945.978.& seq. cæuo iuuatur.980. ceruus ei sacer.844.Vide sacrificia.
Sacrificia Hebreorum.187. gentium.203. Romanorum.212.Vide hostia,& victima.Græcorum.224 ex oue.572.ex capra.686.ex ceruo.841 ex Camelo.900.ex Sue.963.
Salem oues edunt.426.439.
Salustij grauis lapsus.894.
Schor.32.
Schoenum herba.905.
Scitha quid Anglis?990.
Scrofa.938.Vide Sus.1009.
Scuta.334.& sequen.
Semiramidis expeditio.894.
Sepulchra Arietes habebant cælatos.463.587.
Serapis.33.238.
Setæ porcinæ.974.Aprorum.1117.
Silua Circi.1022.
Sincipita.958.
Sol Tauriformis.25.
Sollum vox osca.966.
Solox lana.400.
Sootici cerui.785.Canes feroces.1020.
Sotulares Camelorum in itineribus.917.
Spectacula Romana quam cruenta?885. Vide. Ludi Matutina.972.
Spetile.957.
Statuæ.996.
Struthiocamtli natura,descriptio.926.
Subare.980.est lasciuire.982.
Sucerda.975.
Succidua quid.954.
Sueouetaurilia.966.
Suira.1009.
Suillæ pretium,varietas,vsus.947.
Sumen.Suillum in pretio.951.
Sus.13.potalis.29.bisulcus.937. Synonima,etymologia.937. Species variæ,differentia.938. æquinoca.939. coitus,partus,fœtuum numerus,electio, vox.942 pastus,cibus,saginandi modus.944. Vsus in cibis apud Romanos. 946. edulia varia ex eo.951.qui populi Suilla abstinerent.961.in gentilibus sacris.963. in lustrationibus.967. in augurijs.968. in fœderibus feriendis.969. in bellis. 970. in ludis.971. cultus,& honor diuinus.972. in sacro nuptiali,partes sigillatim.975. ætas, castratio,sagina.928. locus,natura.979. Ardor in Venerem,libido.981. Voracitas,præsagitio futurorum.984. Solertia,intellectus vocis humanæ. 985. morbi remedia.985. antipathia.988. historica.989.Mahometana deliria.990.politica.091. Iuridica.993.rustica.994. Magica.995. statuæ. 996.strategemata 998. emblemata,prodigia fabula.999.Numismata.998.Oneirocritica.1003. Hieroglyphica.1004. Medica.1006. Paramiæ. 1007.Grammatica.1009.Theologica,Denominata.1010.
Syracusanus Sus.979.

T

TArandus.859.
Tarentum cur molle?413.
Taurus.23 mons.23.mons.24.populus.ibidem. Fluuius.25.Sidus.16, Monstrum.26.Auis,inscitum. pudendum.16.optimus.41.ira.56.Apollini sacer. 225.aliorum deorum.226.228.Mythologia.250. Vide bos.pugna.325.
Taurofcythæ.24.
Telephus.830.
Tellus dea & eius sacrificium.230.
Tesquæ.1117.
Testiculi Suis.957.
Testudo machina.384.
Thebæ.34.
Theodeberti regis mors.45.
Thuro.856.
Tibiæ ex osse.861.
Tuxaris.18.
Tragædiæ originatio. 681. Pelles in ea caprinæ. 715.

Early Europeon Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Tragelaphus.862.*natura, etymon, descriptio*.858.863.
Tragus, capra, piscis, in Vitibus.625. *nardi genus*.627.
Tributum, bos.21.*ouis*.372.
Triga.34.*fi*.
Triones.23.
Tripodis delphici initium.656.
Turnum.941.
Tyrrheni prædones.985.

V

Vaccarum vtilitas.22.*libido*.27.*pugna*.61.*libido*.71.*hostia*.122.*à dæmone possessa*.248.
Vasatus quis.886.
Vellus vide lana.& ouis, aurei velleris historia.607.
Venabulum venatorium quid & quale.1019.
Venationis laus & commoda.769.*instrumenta*.1018.*periculosa Apri*.1019.
Veneri Sus hostia.1008.*Vide in sacrificijs Bouis, Ouis, Capræ, Cerui, & aliorum quadrupedum*.
Ventrium nomina.2. *ouium*.398. *Camelorum quatuor*.925.
Verres verrinas.1011.
Victima opima. 14. *coronata*. 204. *omnium prima*.963.
Vitula dea.28.
Vitulus.14.*Vnde dictus*.28.*Vitulari, Vitellus*.16.
Vlyssis Socij in porcos.999.
Vmbri Apri delitijs apti.1013.
Volutabra porcorum saginæ vtilia.980.1007.
Vrus bos ferus.346.*genus differentiæ, forma, descriptio*.347.*capiendi ratio*.352.*mystica*.353.*pugna cum Rhinocerote*.883.
Vua Duracina.1008.
Vulua porcina in pretio.952.953.

Z

Ambelottum.716.
Zambres Iudæus *cum S. Siluestro contendit*.249.
Zelotypiæ typus Camelus.924.
Zenobia regina.937.
Zumbro.347.*Zubro idem ibid.&* 860.

Finis Indicis.

Bononiæ, Typis Sebaſtiani Bonomij, 1621.
Superiorum Permiſſu.

Impenſis Hieronymi Tamburini.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
172/D/2 Vol.6